BLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
KXVI
G
32



Digitized by Google

P. 141. 22

XXVI
§
32

XXVI

G

32

Digitized by Google


Iohan. Angelii à
Werdenhagen I.C.C.
de
REBVSPVBLICIS
HANSEATICIS.
Tractatus,
Cum Vrbium earum Iconiſmis,
Deſcriptionibus, tabulis
Geographicis, et
nauticis,
nec non
Inductione generali Rom.
Imper. Germ.
nouitee auctus et
reuiſus.
FRANCOFURTI,
apud Matth: Merianum.
Lubeca.
Colonia Agr.
Bruniſwicum.
Gedanum.

Digitized by Google

INTER INCLUTAS
RESPUBLICAS
HANSEATICAS

Maxime principalium & celeberrimarum quatuor Metropoleon

LUBECCÆ,
COLONIÆ,
BRUNSVIGÆ,
DANTISCI,

Dnnnn. Conſulibus, Proconſulibus, Syndicis, Camerariis, ac Senatoribus:

Viris generis muneriſque dignitate nobiliſſimis, clariſſimis, & prudentiſſimis:

Dnnnn. Fautoribus ac Amicis colendiſſimis:

S. C. P.

JOHANNES ANGELIUS WERDENHAGEN J. C. C.

AB aliquot iam ſeculis memoria grata Fœderis Hanſeatici & eius utilitas tam ſumma quam Germaniæ Imperio paſſim neceſſaria laudibus non exiguis celebratur, & commendata eſt ex uſu ſaluberrimo ſuo à quam plurimis. Verum quid intus proprie ſit in ſua natura, quæ eius origo ac continuatæ per tot ſecula actiones, atque ex quot conſtet partibus, id latuit huc uſque eiuſmodi multos, qui hactenus ſatis curioſe id inquiſiverunt. Mirum certe non eſt, quum nec ipſi ſatis ſemper accurati in eo fuerint, qui ipſi actores & factores talium extiterunt negotiorum, ut recte curarint omnia apud ſuos annotari, & in memoria ſedula conſervari. Quoties quælibet actio inſigniter præcipua ad finem perducta fuit, vix inventus eſt, qui eius obſervationem recte animadvertiſſet, niſi quod pacta & tranſactiones fundamentales in Directionem ſuam depoſuerint, quod Lubeccæ principaliter habetur, & adhuc in ſingulari conclavi ſatis curioſe cum debita diligentia ibi adſervatur. Reliquæ autem Civitates licet vix adeo ſollicitæ de tam convenienti curatione fuerint; Nihilominus etiam in Conthoriis & locis communis Commercii Hanſæ totius generalem ſtapulam concernentibus reconduntur privilegia & immunitates, quas ibi ob multiformes inſiſtationes & inſidias in cuſtodia adſidua

Digitized by Google

detinere coguntur, ut inde ratio omnium occurrentium quovis tempore reddi eo rectius queat. Ita in Anglia Londini Chalybis Aula est ad Hansam spectans. In Flandria fuere Bruggæ, ubi aliquot ædes amplißimæ habentur adhuc, ab hoc collegio olim erectæ. Sed quum luxu & insolentia inde ob divitias huc ex Hansa congestas effluerent, varioſque motus contra ſocios ſuos non ſine crudeli internecione Hanſeaticorum miniſtrorum moverent Bruggenſes, aliquoties factum eſt, ut Conthorij locus cum ſtapulæ iure ſuo Dordracum per aliquod tempus & aliquot vices fuerit translatum. Donec tandem ita inſolentia Bruggenſium efferveſcendo excreſceret, ut Antverpiam tranſportaretur. Ubi tunc quoque duas ſtapulæ ſuæ & venundationibus ac emptionibus accommodatas ædes amplißimas & ſplendidißimas Hanſeaticæ civitates exædificarunt. Sed variam ſortem quoque per hoc ſeculum ita ibi pertulerunt Hanſæ mercatores, ut inde Amſtelrodamum, nec non in alias Hollandicas Civitates nonnullas concedere coacti ſint: Unde præcipue Amſtelrodamum in tantam excrevit ſortis ſummitatem, ut nunc in ipſo Commercij apice floreat. Sic & Neogardia Moſcoviæ fuit, ubi propria ſedes mercantibus cunctis in mari Orientali ad miraculum uſq; fuit; præſertim Lubeccenſium inde Curatio ſat magnam ſe oſtendere ſolita eſt. Verum neque ibi quid durabile fuit, præſertim quum juventus mercantium inſolentiæ alicui nimium dedere ſe per aliquot tempora pergeret, & ea accreſcerent vitia, quæ mundo ſuam correctionem tandem inferunt. Inde pœna divina comes facta divitijs tantas ibi diſſolvit commoditates, ut nunc barbarus habeat, & diſtraxerit pridem quæ olim tot opibus externis ex Septentrione ditare maxime per Lubeccenſes Germanos poterat. Adhuc in aliquo vigore eſt Berga Norvagiæ, quæ tamen non leves toties pertulit concußiones. Niſi negotiatio ea ita neceſſaria illic eſſet, ut aliquot centenis milliaribus & diverſis regionibus in Septentrione ab ea parte ſuam præparet ſuſtentationem, pridem machinationes variæ, quæ tot modis tentatæ, & exquiſite conquaſſatæ ſunt, etiam hoc Conthorium in diſiectionem incidiſſet. Sed ibi firmiter ex cauſſa iam dicta privilegia & conceſſiones Regiæ regnorumque in uſu ſuo conſervantur, ut vigilantia ipſis ibidem adſidua non deſit.

Veluti autem Conthoria ſuos varios pro temporis adverſi ratione ex hominum culpa pertulerunt paroxyſmos, & mutationes, ita non minus in ipſius corporis Hanſeatici conſtitutione factum eſt, ut quam plurimis accidentius ſubiectum fuerit per tot ſeculorum decurrentium ſpacium. Namque ſi ad primum fœderis huius optimi antegreſſum recurramus, & omnia eius articulatim percenſeamus tempora, velut nec eadem Hanſæ iſtius inclutæ fuit facies, ſic nec ſemper diffuſum hoc Corpus ex ijſdem in numero conſtanti Civitatibus conſtitit. Examinare tamen cuncta ſi ad amuſſim velimus membra eius, deprehendimus, quod aliquando 112. urbes coniunctioni huic incluſæ fuerint: Aliquando 108. Ut plurimum autem 72. Deinde etiam 64. prout mutatio caſuum quid interdum, præſertim in arctioribus fœderibus præcepit, & ſuggeßit neceſſitas, quod ex ipſa narratione hiſtorica conſtare poterit rectius. Quam latißime vero uſus huius Hanſæ ſe fructuoſiſſimus extendat, id ipſa communis commercij ratio, quæ huic nobiliſſimæ & amplißimæ ſocietati fundamentum vividum largitur, ſatis luculenter declarat & demonſtrat.

Ante annos 12. primitus in minori formâ edi hoc curavi quidem opuſculum: quum vero eſſent, qui ampliorem eius expeterent modum, & aliquot ſe obtuliſſent typographi, deeſſe huic intentioni, quæ bono publico prodeſſet; nolui. Sed quum eſſent quoque plures, qui hoc unice expeterent, ut aliquot in locis opus illuſtraretur, quantum negotiorum,

mune-

muneris, temporis & loci commoditatisque ratio ferre potuit, id quoque præstare hac vice volui. Attamen non omnia perfeci, uti prius conceperam, velut & ulterius mihi eius auctionem in pluribus reservavi, quæ suo tempore rectius expediam, si Deus tranquilliorem vitæ statum mihi largiatur. Etenim quam mirum huc usque vitæ fatum in tot persecutionibus perversorum hominum & malignantium ob recte facta perferre coactus sim, id non tantum notorium est; Sed etiam aliter loquetur actionum politicarum quisppiam tractatus, ac in multis eiusmodi Historia excidij Magdeburgensis, quæ mox lucem quoque cum Deo videbit, declarare poterit.

Iam plura annectere heic non vacat, nec iuvat. Sed vos, ô inclutarum harum nobilissimarumque Civitatum præsides & Rectores prudentissimi, rogo, ut, quæ in reliquis supersunt, quoque huc pro informatione bona & recommendatione operis plenius facere videntur, ea ex sequenti dedicatione cognoscere velitis, quam tunc ante 12. annos iure suo veteri G. V. V. V. V. in omni observantia debita inscripsi. Quippe non tantum in ea devotione animi adhuc nusquam retractus persisto fideliter, sed etiam si in alijs, quæ ad commodum & præconia urbium vestrarum, earumque elevationem facerent, quid præstare possem, plusquam promptissimum me effetis inventuri, quo nomine iterum G. V. V. V. V. deditissimum me defero, id unice petens, ut quicquid id est, operosæ lucubrationis, serena & faventi fronte non tantum excipiatis, sed etiam simul cuique optime cupientis personam benevolentia vestra includatis. Datum Lubeccæ die natalis mei, quo 61. ætatis annum ingredior, & 1. Aug. est An. M. DC. XLI.

Dedicatio prioris Editionis
iam sequitur.

Digitized by Google

NGENS quidem, Viri Ampliſſimi, muneris dignitate conſpicui, & Fautores optimi, gloria ſemper virtutis venditatur; nec ipſis ſapientibus Ethnicis quidquam precioſius in æſtimio fuit, ſi verba & tot ſplendida eius encomia reſpiciamus: nec optatius aut dulcius quippiam inveniri, aut dici poterit, præſertim ſi pie hæc & iuſte in quavis regiminis forma refulgeat. Verum ut nunc ſunt tempora, & mores id ferunt perverſi mortalium, in aprico medii diei foro merito quis Diogenes prodeat novus, & inveſtiget cum lucerna; quos ita ſyncere applicet ſtudio virtutis, ut cum pietate vere Chriſtiana congruant. Ita omnis integritas ex cordibus receſſit hominum, ut ſaltem tot linguæ pigmenta confecerit, quæ perpetuos blateratione vana fucos paſſim coloret. Si quæratur, Virtus ubi ſit? Quilibet in eius commendatione glorioſum Pyrgopolinicem ſe protenus oſtentabit. Si Chriſtianos expetamus; nemo non eius tituli ſalutiferi ſectatorem ſtrenuum ſe profitebitur. Ergo, quantum in fronte apparet huius theatri, & Virtus & Pietas nuſpiam non locum apud omnes ſuum ſortita eſt. Ex verbis & ſermocinationum crepitaculis, qui mundum cenſere velit, ille cogetur profecto confiteri, templum ubivis eius obvium in pompoſis picturis viderier. Namque ita magnifice, ſi ad aulicas ceremonias & manuum oſculationes politicas flectantur oculi, ſe extollunt omnis elegantiæ faſtuoſæ expliciti cenſores; ſi æmulatores eorum notentur nobiles, non minorem ſibi illius adſcribunt uſum; ſi civici commeatus diſpiciantur, quis eſt talium, qui non virtutis præcellentia commendari ſe magnopere adamet? Sic nunc ædium expolitam munditiē, nunc contractuum firmitudinem, nunc honeſtatis accuratioris culturam venditant. Nec coloni & infimi generis plebs hanc gloriam ſibi inæqualiter attribui ſomniat. Præ reliquis cunctis tamen ſummas & omnium rerum primas partes ſibi attribuunt ſacri ordinis artifices, qui ſe propterea à politicorum ſorditie exemptos putant, quod alijs diverſas exacte vivendi regulas præſcribere aut communicare noſcant. Quis non omnium vitia penitus faſtidire & extreme odiſſe ſe dicat? Ubi igitur ſumus illepidi? Ubi hæremus inquinati, ſi omnes ex virtutis ſtudio adeo cultiſſimi ſplendeant? Quisnam è plebe Chriſtianæ pietatis nomen exhorreſcat? Quis non indignetur, ſi neges? Quiſque in eo honore vult magnus haberi, ubi virtuti & religionis culturæ laudes altiores adſcribuntur. Taceo, *inquit Scrib. in Politico-Chriſt. lib. 1. cap. 21.* dignitatum nomina, neſcio, è qua Barbaria mutuata. Sed taceo: præcipitia heic imminent: & ruſticus habebor, ſi non integrum nominum Calendarium memoriæ impreſſero. Non opus pluribus. Sciunt, qui norunt: & qui vocari volunt. Cave, vel transverſam acum decedas; ſi peccatum. --- Turgeſcit vitrea bilis. Ac nimis heu multa, &c. Ita undiquaque ex titulo virtutis quiſque ſibi ſplendorem deputat, & colligit. Verum ſi lucerna Chriſti adhibeatur, *Matth. 5.* quæ intime perluſtret corda mortalium, adeo denſæ erunt tenebræ, ut ne quidem umbra minutiſſimæ lucis uſpiam queat admitti. Luceat, *ait Salvator*, lux veſtra coram hominibus, ut videant veſtra bona opera, glorificentque Patrem veſtrum, qui eſt in cœlis, *Matth. 5. 16.* At ſi cor tantis tenebris ſit obrutum; quomodo poſſit inde ſplendor alicuius exultare luminis? Indumento ſe pellis rapinæ tam comiter omnes indui amant, ut ſolummodo inde cenſeri velint habiles virtutis miniſtri. Ideoque recte nuper mecum vir præclaræ experientiæ, quum nobis de vera pietatis ſolidæ informatione eſſet ſermo, hoc mihi reſponſum dabat. Ah, res quidem ſancta eſt vera virtus; ſed ubinam eius veſtigia integre apparent? Nullibi amplius eam invenias, niſi in verbis, aerem inanem ſpirantibus, & in libris aut chartis calamo & atramento delineatis, uſque adeo ab omnibus hominum exulat cordibus. Ideoque qui hypocriſi ſe neſcit veſtire, cunctis ſe ſtatim exponit nudum variarum perſecutionum periculis, præſertim ſi veritati aliquod ſubminiſtrare velit patrocinium pertinacius. Mundo enim & mundanis nihil acerbius obiici poteſt, quam quod veritas ipſa docet, & docendo monendove exprimit. Continuo videas homines in furorem furentem adigi, ſi minutiſſima eorum tangas vitia, nec tunc rabies

talis

talis ſuis caret calumnijs, iniurijs, & nugis invidioſis. Nec raro videbis facies fingi, & ad auſteram quandam maturitatem compoſitas, intus libidine, crudelitate, invidia inæſtuantes. Si quid ſimulatur, ut ſimulationes hodie hypocritarum ſunt omnium, caveas maxime. Gratia enim malorum, tam infida eſt, quam ipſi, *ait Plin. 1. epiſt. 16. Et Cic. in Ver.* recte ſentit, ubi dicit: Nullæ ſunt occultiores inſidiæ, quam eæ, quæ latent in ſimulatione officij, aut in aliquo neceſſitudinis nomine. Nam eum, qui palam eſt adverſarius, facile cavendo vitare poſſis; hoc vero occultum, inteſtinum, ac domeſticum malum non modo non exiſtit, verum etiam opprimit, antequam perſpicere, atque explorare potueris. A nullis igitur inſidiarum cuique bono & ſimplici tenditur, quam ab his, qui ſe ſimulant amare maxime. Nec minus pernicioſi ſunt, qui omnia ad nutum cuiusvis approbanti; ſic pars non infima apud Principes & Reſpubl. per ſcelera viam ſibi ad magna ſternit, quum per virtutem ſolidam non poſſit, quæ etiam pridem evanuit: Imo pars per laudata principum crimina, *ait Scrib. d. l. c.* 18. ad dignitates conſcendit; in probitatis facti auctores, quia laudatores, pars etiam improbitatem ſuam probitatis pallio regit: pars ſub ementito publici boni zelo, publici boni interitum velat. Et quando publicam fortunam bonam valde inclamant, privatã ſtruunt. Detrahunt omnibus, digniſſimi in quos ſecuribus (caſtigationibus ego dicam) inſurgant omnes: & quum ſceleribus tanquam rupibus integantur, raram præ ſe modeſtiam ferunt: Impietatem emendicata quadam vultus pietate veſtiunt; libidinem nocendi, frontis maturitate, & verecũda oculorum directione contegant; ſimul ſubrident clancularie, ſi quid ſit ridendum, & fucatam gravitatem ſupercilio paululum compreſſo præ ſe ferunt, ut eo rectius malitiam occultent ſub ſpecie pietatis. Sunt etiam alij tam impudenter maligni, ut ex malitia non vereantur quævis confingere mendacia & calumnias. Quid? an teſtimonijs, vel exemplis opus? Quid frequentius in hoc mundi theatro? Examinemus ſaltem tacite nobiſcum noſtram ætatem; repetamus parum, quæ turbulentiſſima hæc tempeſtas nobis detegerit, videbimus affatim exemplorum, quibus quaſi virulentiſſima peſte infectæ, atque penitus corruptæ ſunt actiones omnium. Vidi, atque idem partim ita noſtratium veſtratiumque alij deprehenderunt mecum, quod novi, præcipuum ſic quendam à plurimis quoque digiti monſtratione ſæpius indicatum eſſe, qui tanta ſibi ex boni publici nomine confecerit commercia. An non perpetuus audiebatur ex ore eius ſonus de bono publico ita extreme periclitante? An non Evangelica res ipſi uſque adeo in agone iam iam expirando ultimum ducebat halitum? An non ſe ſatis volubilem præſtitit obſervantibus intimiora? An non etiam ſubtriſit ſæpius ad ſanguinum tot ſævas effuſiones, & clades publicas? Quam circumcurrunt tales ſæpius, ut turbatum rerum ſtatum in confuſiones inextricabiles præcipitent? Nec tamen eo nomine ſalutari volunt, quum omnes pietatis zelo poſſint palliari machinationes. Ac ne videantur, ſe quid ſiniſtri tractaſſe, ſuam in alios, per ſæviſſimas calumnias & mendacia, detorquere laborant culpam & noxam. Nunquam certe tam impudenter nugaces, mihi imaginari potuiſſem magni nominis viros, niſi id experientia me cum damno extremo nuper docuiſſet. Nec pudet ipſos talium, qui ad clavum ſedent? Nimium eſt deteſtabile. Obſtupui haud raro ad impudentiam talem, & linguam pluſquam nugatoriam alterius, quoties vera ſubmiſcere non verebatur. Notoriæ quæ conſtant omnibus, ſic tamen ad ſilentii tenebras condemnata fuerunt. Idiotæ ſi quid ex ignorantia peccent, merentur iure veniam, quum dolus abſit: at ſi quis publicæ auctoritatis ſtipendium merens bonum publicum ſub eius ſpecie proprij lucri, aut invidiæ cauſſa ſic miſere flagellet, non impune id auferet, licet aliquo uſque res perfida tot poſſit colorari & diſtrahi calumniis & aliorum ſuppreſſionibus. Prudentis & pii Magiſtratus tamen officium eſt, recte omnia diſpicere, ne veritati vis inferatur. Calumniarum enim tanta eſt potentia, ut innocentiſſimus fictione criminis poſſit ſæpius ſub mole tanta confundi. Etiam heic exempla vidi ſatis atrocia. Sed quales in Republ. moderatores ſunt, tale quoque regiminis ſpecimen edant. Omnis prudentia politica fallax eſt, niſi ſubſit pietas, & unicus ad Deum ex Verbo eius reſpectus. Ita facile in noſtris confundimur negotijs, quamvis magiſterium ſapientiæ nobis adſcribamus temerarij. Pietas enim unica vera & ſolida informatrix eſt omnium Virtutum, ſi cordiales & vere vividæ ac minus fucatæ eſſe debent. Alias prorſus idololatrica deformatæ jacent hypocriſi, nec veritatis baſi nituntur. Etenim veritas comes adſidua & inſeparabilis eſt verę virtutis, ita, ut fundamentum ſolidum pietati ſubſternat, & quicquid

eidem

eidem ſuperſtruitur. Ideo quoque Regius Proph. David nolebat unquam in ſtatu regiminis deprehendi abſque ductu & tramite Iehovæ, à quo hoc toties anxie ſibi exoptabat in Pſalmis, ut nuſpiam greſſus aut pedes moveret, vel ad dextram aut ſiniſtram, niſi veſtigia viæ teſtimonium cœleſte illud & juſſio Iehovæ monſtraret. Et tamen exclamat, Ah quis novit, quoties in errorem concidat? Quis poſſit numerare deviationes ſuas! Quanto magis his periculoſis temporibus id cuique Chriſtiano Magiſtratui competet, ut cautelam hanc in pietate debita obſervet! Tanta enim paſſim eſt rerum diſcordia, ut bellorum tot tumultu omnia in ruinam detrudier merito videantur. Quis heic non in infinitos abripiatur errores & lapſus graviſſimos? Præſertim quum tot periculoſæ & perplexæ hodie formentur quæſtiones, quæ meras inferant conſcientiis torturas & morſus. Tum quoque turbatores Chriſtianiſmi, non tantum obſtruunt aures, ſi quis belli rabiem diſſuadeat, ſed etiam tales prorſus continuo condemnant, tanquam ordinis politici oſores infenſiſſimos. Nolunt enim bellum eſſe contra pietatem: ſed miras heic confingunt & conſarcinant diſtinctionum ſubtilitates, ut eludatur illud Chriſti: Diliges proximum tuum, ſicut teipſum. Quaſi amor charitatis Chriſtianæ (ex quo unicum ſignum & notam veræ Eccleſiæ ipſe Chriſtus facit *Iohan.* 14.) in ſanguinit cruenti amorem truculentum poſſit converti. Sed, exclamant, quid? An non Deus peculiaria mandata dedit Moyſi, Ioſuæ, Gedeoni, Samueli, Davidi de ſuſcipiendis & gerendis bellis? *Num.* 10. & 31. *Deut.* 2. *Ioſ.* 6. 8. 10. 11. *Iud.* 1. 6. 7. & 11. 1. *Sam.* 17. & 25. Abigail ne ad Davidem ait: Prælia Domini præliaris. Certe mandata Iehovæ ſunt ſervanda: Sed quis fuit Moyſes? Ioſua? &c. An noſtrates ſunt illi Patriarchæ, qui tunc vixerunt, & quibus ſpeciale impoſitum eſt tale mandatum? Sanctitas & crudelitas, quomodo conveniunt? Quo medio duo contradictoria conſpirant? Regnum iræ & regnum gratiæ Chriſti quomodo conglutinantur? Quæ illatio aut conſequentia à ſpecie ad genus? ut ipſi confitentur, quod nulla ſit. Nihilominus ita argumentantur & concludunt illi Logicales ſophi contra proprias regulas. Qui concidit in regno iræ Dei, an ille hoc furore collapſus tranſeat in regnum gratiæ, & recipiatur à Chriſto, proximi necator? Quam metuo arboris caſum, ceu tactus eſt? Ita gladium *à D. Paulo ad Rom.* 13. 4. magiſtratui pro vindicta exercenda attributum male interpretantur. Sed videant gloſſatores tales, quomodo ſcandalis ſeductionum talium ſe exolvant, *aiebille, qui Ideam ſeculi egregie deſcripſit.*

Nulla ſalus bello, pacem te poſcimus omnes.

Melior, inquit, certa pax, quam ſperata victoria. Quid enim miſerius, quam vili ſalario jugulare hominem, à quo nunquam ſis læſus, & capitis quoque tui periculo, &, ſi quid eſt manubiarum, nequiter profundere, in luxus & aleam. Obiiciunt porro: Pium eſt tamen, & dulce pro patria mori & pro tranquillitate publica, &c. Imo multi tamen (ſic pergit ille) heic præcipites ruunt in exitium, nec parentum, nec liberorum rationem habent; ſed mercedula conducti in militiam proficiſcuntur. Sile: (ſic concludet)

——Pax optima rerum,
Quas homini noviſſe datum: Pax una triumphis
Innumeris potior.

Quippe in pace liberi parentes ſepeliunt; in bello parentes plerumque liberos. Sic meminiſſe oportet, Patres patriæ nulla re propius ad Deum accedere, quam ſalutem hominibus dando, &c. Sed quid prodeſt, fruſtra ſe defatigare monitis? Tamen hoc cuivis competit, ut ſymbolon ſuum ad communem conferat uſum Reipublicæ; quod etiam maxime incumbit Chriſtianis. Quæ aliter nequeunt corrigi, votis piis voluntati Iehovæ rite committimus anxij.

Ad vos autem, Viri Ampliſſimi & Fautores optimi, nunc heic revertor, ut paucis explicem, quæ rationes me convicerint, ut V. A. & F. hunc inſcripſerim libellũ. Illi, quibus ex tot annorum converſatione vera cognitus ſum, quique boni naturam non abnuerint, mirum videri non poteſt. Namque quum pars ante hac ex pluribus aliquot annis conſiliorum Hanſeaticorum fuerim, coactus ſum gratitudinis tãdem aliquam ſignificationem demonſtrare. Varia quidem diſpicere non deſij; ſed tamen materiam veſtro ſtatui accommodatam ſeligere debui. Ideoque animi cauſſa, in iſto meo exilio ſatis duriter adverſo, colligere volui hoc opuſculum, cuius materia non adeo ingrata A. V. & F. eſſe poterit, quum ſatis reminiſci queam, quoties hoc in pleno conſeſſu deliberatum fuerit, ut tandem aliquis eſſet, qui Hanſeatica veſtra ſpecie aliqua hiſtoriarum & tranſactorum

ſuis

ſuis cum Iuribus,&c. delinearet. Veluti memini anno 1607.8.Aug.& poſtea anno 1611. non tantum per publicum placiti communis concluſum eam commiſſionem Clariſſimo viro Dn.Iohanni Dauthio Sen. Conſiliario tunc Magdeb.Reipubl.& amico meo ſingulari oblatam eſſe,qui etiam per octennium in eo magnopere deſudavit, & peculiare opus de Iuribus Civitatum Inferioris Saxoniæ pro uſu publico, & maxime Camerali deciſionibus ſolidis applicato, conſcripſit,quod ſuam aliquando videbit lucem,ut maxime à plurimis expetitur: ſed etiam vidi tunc poſtea,quod expreſſe ſimul quid ea in re demãdatum fuerit Clariſſimo viro Dn. Iohanni Domanno Societatis Hanſeaticę Syndico,qui idem ſimul quid conſcribere attentarat:ac niſi in Legatione incluti Fœderis huius Hanſeatici ad Illuſt. Ord. Confœd. Belgii anno 1618.Hagæ.Comitum diem ſuum obiiſſet, iam pridem telam inceptam pertexiſſet. Hunc animum quum veſtrum noſcam ex communi placito certum; aggredi tale quid auſus fui. Præſertim autem mihi heic ſtimulo fuit amor Patriæ & ſolida affectio ea, quam ſemper erga Bonum publicum geſſi promptiſſimam.Non curo,quicquid alij inanis alicuius gloriæ aut vanæ oſtentationis cauſſa ſuſcipere,& inde paginas complere ſtudent. Etenim integri hominis eſt, ea percolere, quæ ad veritatis promotionem faciunt,& boni publici ædificationẽ ſolidè curãt. Quippe nemo ſibi natus eſt; ſed quicquid ſumus, id Deo,& proximo debemus noſtro, ſi verè Chriſtiani,id eſt,Chriſti imitatores dici velimus. Ethnici ſuo more vivant Ethnico, nos Chriſtianos id exprimere re, verbo,& facto decet, quod Magiſter noſter ſancta Crucis morte & effuſione ſanguinis largiſſima, pro redẽptione noſtra,meritus eſt nobis. Id nos maxime omni tempore diſpicere ſeduli debemus: ac ne ignari ſimus officii noſtri, propterea quoque ad exempla maiorum noſtrorum nobis recurrendum eſt.Invidi ſunt,qui in eo nefas aliquod committi putant, ſi ea inquirantur, quæ non ſemper guſtum virtutis præbeant.Hiſtoriæ quaſi ſpeculi faciem nobis porrigunt, ut inde diſcamus maiorum & parentum facta, qualia fuerint, aut miranda,aut maxime cavenda. Etenim ſi ſpeculum rugas & maculas frontis cuique proponit in conſpectum,quur non eadem vis ſit hiſtoriæ? Imo in eum finem ſcriptæ,& quoque in ipſa S. Scriptura connotatæ ſunt hiſtoricæ imagines, ut regulas præbeant nobis,quibus exactius nos ipſos ad exempla maiorum metiri diſcamus,& omnia in melius corrigere. Et quur etiam non dulce ſit poſteris, maiorum perſcrutari acta & facta? Vtinam modo nobis omnia rite conſtarent! Sed vix corticem lambimus, ita veritas omnis ſuppreſſa eſt,ut vix aliquid debite prodere queamus.In hoc priori autem tractatu, quem vobis, Viri Ampliſſimi, dedicavi, maxime ea continentur fundamenta,quæ ad defenſionem tam antiqui& incluti fœderis veſtri faciunt,quum tot oſores potentes ſemper & etiamnum forte invenerit tam nobile inſtitutum, ut videant omnes, cum ipſa natura hoc congruere,nec à iuſta corporis digeſtione eſſe alienum,ceu id partim ex præfatione,& ipſa ſpecialis tractatus applicatione ſatis patet. Vtilitatem tãti fœderis, qua non tantum Imperio Romano toti, ſed etiam omnibus vicinis regnis,& provinciis circumiacentibus,ac in ultima terra apud antipodas diſſitis regionibus inſervit, qui recte intelligit, facile clementius iudicium de re optima hac concipere poterit. Cui minus quid in hoc placet; ille prodit liquidiſſime invidiæ ſuæ importunitatem. Hac ſpe & favore A.V. fretus, laudabile hoc ſtadium decurrere volui, invitante me petitione ſimul amicorum, quibus conſtabat, quod plurima mihi eſſent in ea re cognita. Non tamen omnia,quæ in medium adferri poterant,attuli,ſed quum in virtutes quoq; collocet Fabius, quædam neſcire; ita in his diligentiæ partem putavi, nõnulla præterire. Vos, Ampliſſimi viri,& Fautores exoptatiſſimi, ſi munuſculum hoc benevole accipiatis, non tam me, quam voſmet ipſos in eo exaltabitis: nihilominus veſtrum nomen clariſſimum, velut amuletum, ad averruncandam invidiam,quoſvis malevolorum morſus venenatos pro tali oblatione excubabit. Æquanimitati veſtræ omnia ſint commiſſa, cui etiam mei defenſionem obnixe devoveo. Si quid ſit, quod in pluribus A. V. ſervitiis meis gratum præſtare poſſim, in eo nunquam vobis aut veſtratium cuiquam deero. Valete, & Reſpublic. veſtras hiſce periculoſiſſimis temporibus feliciter & provide in pietate Sancta ad gloriam Iehovę regite;ſic extra omnem ſortis viciſſitudinem certum in cœlo locum poſt fata huius vitæ conſtituetis,quod vobis ex animo precor fervidus. Datum Lugduni Batavorum 24.Iunij Anno M. DC.XXIX.

CORDATO ET BENEVOLO LECTORI S. & A. C.

AMICE Lector, Societatis Hanseatica nomen quidem iam ab aliquot seculis celebre admodum, & gratioſe clarum fuit; ſed perquam ſæpius edidit fragores, quum tam nobilis Societas tot potentum non raro tempeſtatum impetus vaſtos pertulerit, & feliciter tamen evicerit. Non omnes eius intelligunt commoditatem & uſum, pauci ſentiunt, quod ex ipſo natura dictamine illos ſentire fas eſſet. Ideoque non mirum, quod tam varias huius Societatis inclute interpretationes multi inſcite venditarint. Si quis communis patrie & Germanici Imperij commodum rite cenſere velit, præſertim quod ex communi commercio ubertim in omnes incolas abunde profluit, an non is merito ſuccenſeat iis, qui nihil boni de uſu civitatum proferre ſolent, ſed ſemper calumnias de tam charis & claris Rebuspubl. quas tanto cum ardore & ſolido pietatis zelo erigi, edificari, condique Imperatores ſummi curarunt, & tot privilegiis inſuper laudatiſſime ornarunt? Nonne ipſum Imperium pulchris ſuis deſtitueretur fulcris externis, ſi membra tot tam nobilis Fœderis Hanſeatici paululum concideren, ceu multi iniqua illis incogitanter imprecantur fata? An non ipſi Imperatores tales urbes & civitates ſuis egregie obduxere & obiecere hoſtibus? Nonne propterea ſuis ditarunt maxime privilegiis? Quæſo, unde tot incurſiones & crudeliſſime invaſiones diverſarum gentium potuiſſent repelli, aut ad minimum retardari, niſi tales civitates iuſto coiſſent fœdere primitus, & ſe cuivis fortiter oppoſuiſſent devaſtatori? Quum igitur neceſſum eſſet, ut populi diverſis in locis in talibus viverent fortaliti⁹, etiam alimentorum cauſſa ipſis patrocinium ſuſtentandi vitam porrigi debuit. Inde commercium & commercij eximia libertas tantam ijſdem peperit coniunctionem, ut inde utilitas eius in omnes ſeſe effunderet partes & membra primitus, & inde in totum derivaretur imperium & omnes eiuſdem fines. Non attinet talia pluribus explicare, quum res ipſa id ſatis teſtetur, nec quiſpiam id negare auſit, quod in oculis eſt omniū. Nihilominus ea eſt perverſitas huius ſeculi calumnioſiſſimi, ut nuſpiam deſint, qui etiam optime facta & geſta non in ignominiam & probrum nobis convertere audeant. Etenim duo ſunt ſemper malorum invidorumque extrema, ad quæ tanquā ad anchoras firmas confugere ſolent; perſecutio clandeſtina, aut contemptus virulentus, quas tamen nequitias, omnis generis colore fucatas egregie noſcunt oppalliare, ne quis ſit, qui technas malignitatis aut iniuriæ perfida ſentiat. Si quid minus placet, aut alicubi veritati nimis prope acceſſum eſt, & ulcus conſcientiæ alicuius inde forſitan dolorem acriorem nonnihil ex nimio percepit contactu, continuo aperta aut inſidioſa perſecutione remedium exhibet, quod ultimo quem mactet malo, aut damno non minimo quem afficiat. Si vero id nequeat obtineri, & vires vel auctoritas alterius technas malevolorum exuperent, contemptus & calumnia nugis ſpecioſis adornata ſubſidium improbis præſtanti promptiſſimum. Mundi nequitiam tanta malitioſitati nunquam accenſere potuiſſem, nec unquam tam perditum putaſſem horribilitatis monſtrum, niſi experientia me in hoc doctiorem reddidiſſet. Ita enim ſinguli prope ab omni pietate abſunt, ut nihil magis odio ſit cunctis, quam veritatis ſolidum ſtudium & amor. Nihilominus omnes & ſinguli eius maxime cupidi videri ſatagunt; ac niſi quis in eo numero talem comprehendere velit, hoſtilitas illi extrema denunciatur. Interim tamen ſunt, qui uſque adeo magnifice veritatis diva teſtimonium extollere poſſunt, ut, ſi ſaltem homines ex tono & ſono verborum pompoſo & blandiloquo cenſere velis, cogaris confiteri, hominem eſſe quantivis precii, qui ipſius pietatis mereatur faſtigium. Aſt ſi paulo ad mentem eius penitius introſpicias, vix quid vanius in ipſo invenias facto, ſic, ubi neceſſitas id requirit, quidvis ſimulare & ad cuiusvis nutum ſe compte componere geſtiunt. Num igitur in talibus amor veritatis inveniatur? Veracis certe eſt, nuſpiam in loco veritatis confeſſionem negligere. Etenim qui, poſtulante id ita occaſione, veritati aperta fronte patrocinium præſtat ſyncerum & verum, is eius coronam cum victoria meretur. Non itaque Chriſtianum eſt, in gratiam alicuius magni aut potentis viri id culpare, quod nunquam non ſua ſingulari gloria extollendum venit. Abuſum rei bona taxare quidem licitum eſt, & iuſtum hoc cenſetur ab omnibus: attamen propterea non ipſa res condemnari debet. Sic etiam Civitatibus Hanſeaticis multa imputantur ex invidia, odio, & ſuſpicione prava. Qui concitatiori ſtimulo offenſiones inde ſibi irritatas putant, ſæpius ingentem illis adiiciunt ſuperbiæ molem. Quid vero non imaginatio vana ſibi fingit? Quas non confutis ſolis connectit tunc

impor-

importunitatis ſagittas, ſi ſemel in quem tela veneni ſui proiicere decreverit pertinacius? Si quid huic auſim ingerere, id rogo, ne quid nimia imputetur confidentiæ. Sed homo ſum, nec expeto hoc, ut mihi quid, præter veritatis amorem aliquem, attribuatur. An vero hominem me appellem, quum ipſe David regius Propheta vermem ſe dicat? Profecto in tali umbræ viliſſimæ ſpiraculo latitare geſtiet nec aberrabit, qui me inter vermiculos ad poſtremam in hac mortalitate reiiciat partem. Nihilominus hoc affirmare non vereor, quantum ego terrigenarum acta & conſilia non è longinquo, ſed tanquam vicinior quis, tam apud Reges & principes rerum potentes aut alias Reſpubl. introſpexi, hoc atteſtari liquido poſſum, quod nuſpiam moderatiora & pro natura rerum occaſione, ut fert hæc mortalitas varios caſus, æquiora conſilia, quoties ſaltem ſepoſitis partium proprii commodi ſtudiis affectus reprimi potuerunt, nunquam viderim nec deprehenderim; ita ad communem hominum utilitatem & tranquillitatem dulciſſimam reſpexerunt ſemper pleraque civitates. Ipſe memini, quæ ſæpius intercepta & averſa fuerint damna ex adiumento conſilii moderatius formati. Ut plurimum enim eventum futuri rectius examinant, quam ſe temere præcipitare velint, licet ſint, qui nonnihil haud raro obſtinatius ſuum intendant lucrum, unde multa diſſolvuntur aut in maturitate ſua impediuntur, quæ longe feliciori uſu in praxin ſuam dirigi potuiſſent. Nam quænam actiones hominum lite careant ſua? Et quis ab impuritate ita purus, ut nihil omnino maculæ inveniatur? Ideoque quod comparative infertur, abſoluti nominis cultura nihil ponit. Æquus rerum æſtimator hoc ſemper ubique agere ſtudet, ut ne tranſeat nimium limites. Proinde etiam D. Petri Bertij ſententiam ab æquitate tali, præ reliquis cunctis ſcriptoribus, non deviam invent. Quamvis vir ille optimus ex aliorum commemoratione ea conſcripſerit, nec ipſe vivus ſpectator aut conſultor interfuerit, tamen non ſine laude veritati hoc fert ſuffragium, ubi in commentarii ſui lib. 3. c. 4. de Vrbibus Anſeaticis tale introducit teſtimonium, poſtquam nomina Civitatum Hanſæ recenſuerat: Harum omnium, fœdere inter ſe iunctarum, dici non poteſt, quanta ſit potentia. Multarum illarum præclare geſta refert Crantzius: Hoc conſtat, illarum ope gravia bella olim fuiſſe compoſita, diſcordias vicinorum regum Principumque ſopitas, pacem reſtitutam, quod magnum crederetur momentum ipſorum potentiæ allatura, ſi ſe alteri parti adiunxiſſent: merito ut Societas Teutonica ſequeſtra pacis, publicaque per Germaniam tranquillitatis procuratrix multis iam ſeculis habita ſit. Earundem ope ad Belgas, Anglos, Gallos, Hiſpanos, Italos merces deferuntur neceſſaria, triticum, ſiligo, lana, cera, corium, canabis, linum, pix ſolida & liquida, chalybs, ferrum, piſces aridi, ſalſamenta, trabes querna & abiegna, mali, & quicquid præterea terræ ſeptentrionales ad uſum humani generis benigne ſuppeditant. Vtque commodior eſſet mercium iſtarum per reliquum orbem diſtributio, impetrarunt diverſis in locis ius inſtitorium, extructis illic ad commercia agitanda ingentibus aulis, & obtentis variis privilegiis. En habes, Amice Lector, quaſi in tabula depictam Societatis huius nobiliſſimæ utilitatem omnibus communem. Et tamen acris invidiæ aut malevolentiæ ventus hanc quatere Societatem bono publico inſervientem non deſiit. Atque quum fundamentum ipſum huic fœderi acutiores aliquoties pridem ſubvertere tentarint, coactus ſum paulo accuratius & altius rem à principio uſque arceſſere, præſertim quum viderem, quod multa Politicorum ſcripta in plurimis & quidem fundamentalibus aberraſſent, ex quibus alij non deſierunt adeo firma ſibi conficere axiomata, ut error errorem procrearit in gravioribus. Inde tot enata ſunt ſcandala in politicis actionibus, ut propè vitia ipſa & crudelitates in virtutum caſtra palliatis ſpecioſitatibus deducta appareant. Nec aliter fieri poteſt, ubi opiniones humanæ veritati cæleſti præferuntur, & omnia cæcarationis involvuntur blandimentis. Sic enim impudentia in glorioſis diſputationibus, quæ omnem veræ lucis hodie ſplendorem abſtulerunt, ſibi ſemper imperij primas attribuit partes. Diu mecum hæſitavi, an aliquo uſque inter ingeniorum tot varios prodirem cœtus, inprimis quum antea expertus fuiſſem, quantum periculum ſubſit, ſi quis veritatis cultorem ſtrenuum ſe exerere vellet: ſed, ut quod res eſt, libere ac ingenue dicam, patriæ charitas, Hanſeatici nominis gloria, & amicorum meorum conſilium verecundiam meam expugnarunt, & invitum huc propulerunt, ut iudiciis tam variis me exponere coactus fuerim. Erat inter præcipuos, qui generalis huius tractatus conſignationem ſuam offerebat. Quam quum materiæ fundamentali accommodatam deprehenderem, eius hoc beneficio uti volui, quod inſtanter quoque urgebat. Namque ea continebat cuncta, quæ ad Societatis Hanſeaticæ fundamentum in univerſum ita facerent, ut etiam ex illa qualibet obiectiones Cavillatorum omnium, quotquot nonnihil inconſideratius & ferventius tam nobilis Societatis conſuetudines & fœdera impugnarunt, facillime poſſint refutari. Tum quoque in memoriam mihi revocabam, Societatis Hanſeaticæ concluſum, quod anno 1607. 8. Auguſt. quum Andreas Knichius in gratiam Ducis Guelphici ex odio erga civitatem Brunſvicenſem concepto, uſque petulanti calamo eas perſtringere ſuſceperat, huic optimo corpori nil aliud niſi meras conſpirationes, factiones, & molitiones perverſas adſcribendo, in publicum Receſſum pleno conſenſu coniecerant. Illius Decreti Hanſeatici

verbain Latium translata, ita se habent: Ultimo in communi consultatione hoc ventilarum fuit: Uerum conducibile sit, ut Andreæ Knichen publicis typis divulgatorum Tractatuum & calumniosarum chartarum, (in quibus Civitatum Hanseaticarum privilegia, libertates, & iura multis modis in dubium vocantur) a civitatibus refutationes & deterſiones aliquæ ſuſcipiantur, vel non? Ubi hoc concluſum, quod ex nomine communi Civitatum Hanſeaticarum ille Knichius non debeat ulla refutatione dignus cenſeri. Si quis vero privatus eſſet, qui onus confutationis contra hunc tractatum ſubire vellet, quod communi Civitatum ſumptu huic recompenſatio refundi deberet, &c. *Ubi ſimul in commiſſione hoc propter Iohan. Dauthum ſen. aut alium quemcumque idoneum civitati Magdeburgenſi & Brunſvicenſi concreditum fuit, ut hoc quamcutiſſime expeditum redderent. Audaciæ aut temeritati nimiæ mea hoc quidem adſcribi poſſet, quod rem tanti momenti ſubierim. Imo iudicia, præiudicia, obtrectationes, reprehenſiones, confertim, quaſi ſub ſignis, in procinctu undique me circumſtare prſpicio. Forte etiam alii curioſitati alicui vanæ hæc adſcribent. Sed talium auctoritatem ſive inanem prudentiam non magnopere curo, nec admiror. Decem rationes deſunt, quibus bonis & cordatis, qui communi patriæ ſalutı recte cupiunt, hoc inſtitutum facile probare, & oblectationem libero homine non indignam docere poſſim. Si qui vero incommodo ſuo hoſpites domi, & in patria ſua peregrini, aut potius in ſpeculationibus futilibus & terminiſticis ſubtiles, ac cognitione ſolidi rerum & actionum puri eſſe adoptent, per me illi ſibi vigilent aut dormiant, ſibi placeant, cum talibus nihil mihi erit negotij. Interim tamen hoc quivis noſcat, quod cum nemine mortalium in litem ullam ſim prediturus, nec aliter quid, in hoc priori Tractatu generali profertur, quam quod ad informationem ſatis ſit, ut aliquando ipſe quis controverſias omnes, quæ temere toties & iiſdem tautologicis ſophiſmatis a Civitatibus Hanſeaticis a Knichio & aliis motæ ſunt, dijudicare queat, ſi hanc fundamentalem informationem partim amici partim meam rite penetrare didicerit. Etenim continetur hoc nobiliſſima materia, quæ toti Societati mortalium in Fœdere aliquo aut extra Fœdus, in Republ. aliqua, aut in libertate plena, vel ſemiplena, in ſervitute vere cenſenda, aut privilegiis nec non alias in communi vita & commerciorum negotiis, aliiſve actionibus humanis competat. Vix aliquid nobilius & libero homine dignius explicari poterit. Omnia hic perſpicies, quaſi in delineationibus ſyncreris depicta, ut præparationem ſolidam percipias, ſi de ipſa huius antiquiſſimi Fœderis verum tibi conſcere iudicium, citra calumnias aliorum, velis. Ideoque fieri non aliter potuit, quam ut interdum aliorum depravatæ opiniones removerentur e medio. Unde & neceſſum fuit, ut Platonis divum illius Reſpublica non aliter, quam vivis ſuis coloribus tibi deſcriberetur. Namque quum eſſent, qui tantum Philoſophum, quo nemo unquam rectius de Amore ſyncero & vitæ Chriſtianæ accommodando ſtatui quid ſcripſit, non verti fuerint uſque ad impudentiam inſolentius refutare, & ſuas ipſi affingere nugas, vindicari hunc a tot perverſis oportuit calumniis: quod tamen omne eo vergit, ut quivis & maxime inventus in tempore ſanioribus doctrinis iudicium informare diſcat. Abſit iniuria omnis, & venia ſit prolatis. Exempla ſunt clara, quæ proponuntur alicubi, quando invenies, quod etiam ſint, quos ipſum Imperatorem in optima ſententia & definitione Libertatis non puduit refutare, & eidem optimo Capiti noſtro (qui tamen ita bene ſuis cupit ſubditis, ut ſervitutem maxime libertati naturæ contrariam dicat) mendacia in os refundere non dubitant. An non etiam ſatis craſſus eſt error, quod tot politici non viderint, cuius naturæ ſit Civitas? Si populo alicui Reſpublica ſimulve inducatur, an non tunc confeſtim Civitas inde proſilit? Quomodo igitur inter ſe differunt? An non ut cauſſa & effectus? Quis vero Civitatem Effectum antehac dixit, aut putavit? Quis non ſubtectum aut finis locum ipſi attribuit? Et tamen res tam manifeſte hic incurrit in oculos omnium, ut nemo, niſi prorſus pudorem exulem curaverit, aut prorſus infamis dici velit, id queat negare. Sic olim quoque illis ultra pilos ſubtiliſantibus & philoſophis ſallis, monſtravi averte, quod neque primas neque ſecundas Notiones, aut Noemata de quibus tot confingebant gloriationes, poſt lapſum Adami in ſuis futilibus inveniret terminis, quum nec internum Eſſe rei, animam, ſpiritum, nec in commiſtione elementari graduum differentiam intelligerent: Unde nunc multi tandem aliaratione philoſophari incipiunt, quum tam diu ſe miſere in logomachiis phantaſticis fruſtra ſeductos deplorent. Sed, Amice Lector, te ad probam & ſanam cognitionem huius tractatus remitto. Videbis, ne præcipites temetipſum in pravitatis ullo procactus formando. Forte invenies, quod te olim iuvare poſſit, & maxime inde expedire poteris feliciores quæſtiones, Civitatibus Hanſeaticis ab adverſariis ſuis oppoſitas, quas propterea in ultima parte collectas invenies, ut ipſe illas ex Generali hoc tractatu eo commodius refutare poſſis. Ipſe cenſor, iudex & deciſor ſis rei. Hæc ſunt, benevole Lector, quæ te præfare volui, ubi ſimul nominem, quod hominem vere Chriſtianum hic requiram, & qui noſcat, quæ vere pietatis ſtudioſum deceant. Vale ſalve, & in Chriſto rue fruere tali labore.*

JOHAN.

Digitized by Google

JOHANNI ANGELIO WERDENHAGEN J. C. C.

Quum ex gravi Hamburg. perſecutione & vitæ periculis liberatus eſſet;

Gratul.

JOHAN. SCHULTETVS Eq. Divi Marci & Potentiſſ. Reg. Dan. Conſiliarius, &c.

QUis, ANGELI, te funeris & tuum
Tantis periclis expediit caput?
Cunctum, quis, amiſſum per ævum
Iam prope, reſtituit ſaluti?
Nam ſic ſubactus terribili manu
Tot improborum viſus es omnibus,
Et morte condemnatus atra,
Crederet ut tibi nemo vitam.
Tenere captum num ſocios ita
Hanſæ decebat, non decus ultimum
Queis geſſeras, te tot per annos
Conſiliis animoque rectum.
Sed qui ſupremo Numine temperat
Orbem, revulſit vim violentiæ,
Cuſtode, dum iuſſit, remoto,
Rite patere tibi viam Albis.
Sic liberatum, nunc precibus piæ
Gentis ſodalem reddit amabilem,
Uxoris & charum redonat
Fletibus innumeris maritum.
Divina virtus nil habet invium,
Perrumpit acris per remoras ſuas,
Nullique non vivo peracti
Præmia reſtituit laboris.
Nempe illa ſancti pectoris indoles
Suæ recordans ſemper originis
Inſueta tentat, èque duris
Ad decus æthereum reſultat.
Vultus minaces, atque calumnias,
Nugaſque fævas tu facias nihil;
Ceu quiſque vindictam Iehovæ
Nequitia ipſe ſua reponit.
Hinc cura Chriſto es, ſeu roſeo dies
Arridet ortu, ſeu medio magis
Incandet æſtu, ſive cœlum
Nox tacitis operit tenebris.
Te, ſi voceris per iuga Caucaſi,
Chriſti favor, vel torrida ſolibus
Per teſqua Maurorum, per æquor
Puppibus indomitum ſequetur.

Digitized by Google

Hic te ſequetur candidus undique,
Totumque habebis, perge modo pius,
Curare nec velis nefaſtos,
Quos fatagit decorare mundus.
Sic magna reddes commoda patriæ,
Ihovæ ſupremi auctus honoribus,
Amore juris quando ſancti,
In pietate fideque, ferves.
Tritas popello currere ſemitas
Spernens, viarum diligis aſperas;
Supraque mortales caducos
Exeris ingenij vigorem.
Te cura Chriſti provida recreet,
Reddens ſolutum diſſidiis malis,
Ut diſſipetur quiſque technis
In propriis, tibi quas minatur.
Tu, qui potenti Numine ſupplices,
Iniuſta rumpens vincula, liberas,
Serva benignus reſtitutum
Angelium patriæ, Iehovah.
Serves miniſtrum porro, Deus, tuum,
Calumniatores ut videant mali,
Quam turpiter nugace lingua
Se dederit rabies maligna.

AD EUNDEM,

Calumnias, iniurias, & perſecutiones multiformes & plus quam diabolicas in & cum Chriſto fortiter perferentem.

IOHANNIS SCHERBETI D. Med. Lubecenſ.

EPIGRAMMA.

PAlma virens velut ipſa magis ſe attollit in auras,
Quo magis impoſitum ponderis urget onus;
Sic Tu; vipereis quo Te mage mundus iniquus
Atque Sathan linguis, vique doliſque ſuis
Tundere iam ſatagit; maiores ſuſcipe vires
In Chriſto, à Chriſto nec moveare tuo:
Sed Chriſto plures lucrari perge monendo;
Sic poteris mundum vincere vi Fidei.

AD EUNDEM:

Anagrammatiſmus geminus, non infeliciter natus, ex Nomine hoc

IOANNES ANGELIUS WERDENHAGEN.

I. *Anagramma.*

AH NON-IGNAVVS; INDE VERE-ELEGANS.

DE ſe, ſuaque gloriantur plurimi
Arte inſolenter, futili ac inutili
Faſtu tumentes: Non agit IAN-ANGELUS
Sic WERDENHAGIUS, Iehovæ floſculus.
Namque Alpha doctos inter hic quum ſit viros,
Criſtas tamen non erigit procacior:
Diſſimulat eruditionis copiam,
Et ſcrinium cordis, refertum floribus
Virtutis, & ſcientiæ fragrantibus
Iactanter ipſe haut prædicat: Modeſtia
(Sal vitæ) eum commendat & Solertia:

Gaudet,

Digitized by Google

Gaudet tamen præ cæteris perenniter
Adeſſe cuivis Nomine & Facto pius,
Eccleſiæque Verna Chriſti dicier.
Plus ſemper in receſſu habet, quam primulum
In fronte præ ſe fert: ſub omni ſcibili
Palmam eripit (tabeſce Mome,) maximis.
IGNAVUS AH NON eſt ſophorum in atrijs;
Sed Veritatis veriori in ſemita:
Nec eſt Dices Ignavus in conflictibus;
Aſt quæ Iehovæ comprobatur legibus.
INDE ELEGANS-VERE ſilentiarius
Nunc incolis vocatus à Magdeburgicis,
Et perpetim vivace lucet Gloria.

Mittebat Halâ XI. *Cal. Mart. anno*

Te, DeVs ó, præſtet ſanVM, aſpera qVæqVe repeLLat.

II. *Anagram.*

OH, VERNAS È LAVDE INGENVA INGENS.

&

OH INGENS INGENVA LAVDE ENERVAS!

INGENUA ingenui LAVDE è candoris es INGENS;
Doctrina OH-VERNAS judicijque fide!
Invidiæ ſputum ſic atque Calumniæ amarum
ENERVAS, nervos dat tibi Ihova ſuos.

M. IOHANNES BERGERVS Hal-Sax. P.L.C.

EIDEM:

Quum Legatum apud inclutas Civitates Hanſeaticas ageret annis aliquot.

Vlta, IANE, tua gaudent nunc Elmus & Albis,
Eloquioque tuo, conſilioque tuo.
Ah tecum pariter colerent ſacra cælica cuncti,
Sanctior inde foret gloria Parthenopes!
Balthiacis quod enim Cothmannus, Grotius oris
Belgarum, Italiæ quod Sadoletus erat:
Hoc tu Saxoniæ præſtas feliciter, illa
Ut Te vix noſtri ſanguinis eſſe putet.
ANGELE, *rite places, Decus eſque manesque piorum.*
Tuteremne ferat Clara ea VIRGO *parem?*

M. IANVS VICOSTADIVS Hamburgi F.

ALIVD EIDEM:

Quum legationes publicas ſubiter toties.

Per Anagramma,

JOANNES ANGELIUS WERDENHAGEN.

Eheu; Ingens Iaſon, dignus Laurea.

FIndere terrificas Symplegadas auſus Iaſon
Æſonides, fulvæ vellera vicit ovis,
Tu, WERDENHAGIDA, ô patriæ ſtudioſe ſalutis,
Ad loca præſidijs, i, peregrina bonis.
Auſpicijs juvet ire bonis, ſi poſtulet uſus,
Pro patria felix teſqua ſalute ſubi.
Vaticinor, vinces ingentia monſtra laborum,
Sæpe viatori quæ remoram pariunt.
INGENS DIGNVS, EHEU! victrici LAVREA IASON,
Vellere cum fulvo laudis aroma feres.

HVBERTVS SPRIMONTIVS Belga Iur. Stud.

Digitized by Google

ALIUD DE EODEM,

Et Eius ſtudiis ſacris ac Poeſi ſacra.

Si Deus pro nobis, quis contra nos.

QUid faſtuoſus mundus, & inferi,
Orcusve ſævus cogitet, omnibus
Nos viribus petens, remittas
Quærere, nec trepides ad æſtum
Tardantis ævi Sacra. Fugit retro
Ditis poteſtas, & Deus excubat,
Pellente cuſtoditi amore
Agminis ex oculis ſoporem.
Non uſque vanis eſt tenor impiis
Idem; nec uno fors facilis nitet
Vultu. Quid infectis paventes
Conſiliis animi fatiſcunt?
Quur non ſub edis fornicibus ſacris
Commune votum fundimus, aut domi
Pœnas ruentes deprecamur,
Dum licet, ac pietate corda
Mutamus ultro. Oratio diſſipat
Curas edaces. Sed tibi cœlitus
Largitur ardorem Iehova
Pectoris, & cytharam Davidis.
Is tot malis finem hinc dabit: ultimum
Adventum ab alto Dux Michael polo
Maturet, ac contra malignum
Chriſticolas tueatur agmen.
O nos Iehovam ſupplicibus modo
Poſcamus imi pectoris è ſinu,
Viva Fide ardentes, minus quid
Inſidiis ſuberit periculi!

JEHOVA

Arx fortis piorum.

Ex Pſalm. Davidis.

TE Satan frendens rabida canum vi
Cingit? infeſtat? fua tela vibrat
Dira? Proh! quantum eſt Satanæ furenti
Vellere barbam!
Sed fremat Dis, Styx, ruat orbis axis;
Ignis abſumat mare, flamma terram:
Quid times geſtans valido repoſtum
Corde Iehovam?

I. Scherbet. M. D. Lubec.

AD EVNDEM

JOHAN. ANGELIUM A WERDENHAGEN J. C. C. & Cæſ. Maj. Conſ. & Leg. ad Civ. Hanſ. Schediaſma.

O Lux Saxoniæ, præſtas feliciter illud,
Quod ante te non quiſpiam.
Hanſaticas urbes dum ſic deſcribis abunde,
In flore mundi conſitas.

Quis

Quis tibi non meritam vellet deferre coronam
Ob hoc laboris debitam
Conamen summi? Tibi si non præmia reddant,
Queis competit pro laudibus;
Maior erit certe fidei ſervatio Ihovæ,
Quod corde toto comprecor.
Interea vigeas florenti nomine perpes,
Et invidus rumpat ſibi.

Thom. Rungius J.V.L. Lubeccenſ.

Ad Magnificum & Nobiliſſimum
Virum
DN. JOHAN. ANGELIUM A WERDENHAGEN J. C. C.
S. C. M. Conſiliarium, ac p.t. Legatum, &c.
Edentem ſecundo ſuas RESPUBLICAS, QUERIMONIA
RERUMPUBLICARUM.

HEi exſecrandam Dæmonis tragœdiam!
Quam luctuoſum ludit is ludibrium
Noſtro in Theatro! quas coreas luridas!
Quot captioſis implicat nos retibus!
In quas pericli coniicit voragines!
Foris agros, vineta, ſtirpes, paſcua
Torrentis exundantis inſtar permeat,
Intus focos, aras, opes, & mænia
Angit, profanat, devorat, ſcindit, ruit.
Et pertinaci tendit huc induſtria,
Quo cædibus nos mutuis collancinet,
Ferrique civilis ferocem cuſpidem
In noſtra cogat hinc & illinc viſcera.
Quam fabulam quoque indies promiſcuis
Eiuſmodi conflictibus ita prorogat,
Ut occidentium & cadentium vices
Nec dent modum ſpectaculo, nec terminum.
Sic ille nobis exhibet vaferrimus
Negotium, ſuoſque nos ludos facit,
Et nos labantis vera ſecli incommoda
Nobis imaginamur immortalia,
Et (ſi placet Dis) geſta cœlo debita,
Si ſtrenuas tumultuanti beſtiæ
Manus locemus, pluribus neci datis.
Quis hic furor? quæ pectoris dementia?
Quid nos ſcientes in feras convertimus?
Imo quid infra belluas deſcendimus?
Nam nec lupis hic mos, nec eſt leonibus,
Nec ſævioribus, niſi in diſpar, feris.
Ecquando mente ſobria frui libet?
Parumne campis atque Neptuno ſuper
Eſt hactenus fuſum immerentis ſanguinis?
Et tunc Fortitudo Belli (quam vocant)
Non finiendis proſequenda luctibus
Hinc efferas criſtas, canas victorias,
Ducas triumphos, erigaſque marmora?
An ſic nefarium merebitur ſcelus
Celſiſſimo Virtutis inſeri choro?

Tuane

Digitized by Google

Tuane manus fumoſa, ferrata, hiſpida,
Præceps conatu, contumax actu, ferax
Excordis inepti, tumens ſub impetu:
Nunc viribus ſubnixa puris corporis
Nunc ſolius probata Fortunæ auſibus,
Præter faces, ſtrages, dolos, prædas, minas,
Et quicquid eſt crudele plus, nil ambiens
Honoris & Virtutis officina ſit?
Tibi ſumis hoc nociva conflictatio
Infeſta Naturæ, Deo, Chriſto, Angelis?
Num cernis iſto iure, quo linitur tibi
Os abs tuis cultoribus, nil eſſe nec
Iniuſtius, nec peſte peſtilentius?
Manune te fumum prehendis vendere
Quando inſuſurras auribus bellacium,
Quod, qui cadat pro publicæ-rei bono,
Is in omne vivat ſeculum per gloriam?
O Fortitudo Pacis, aureum jubar
Mundi emicans pellucida inter ſidera,
Pulſis nigræ noctis tenebris triſtibus
Tua coruſca luce adeſto, illabere
Regentium Mortaliumque mentibus
Inſomnijs velut ſepultis horridis,
Et commove potentiori fulmine
Quo ſe ſopore liberent hoc ſontico,
Ac motuum terra fugata pellice
Amplexui tuo omne tempus collocent.
Vera tui felicitate luminis
Sis præſto Conſultationum ductibus.
Fulgore rectitudinis pulcherrimæ
Diffla ſiniſtræ factionis nubilum.
Sacra ſimul ac profana nimbo noxio
Decuſſa, caſuique iam nunc proxima
Radiis ſerena mutuæ concordiæ.
Sint ſarta tecta iura cuilibet ſacra
Nec ulla conſcientiæ profeſſio
Ulli periculum faceſſat aut metum.
Amica nos hic occupet tolerantia
Sacræ ſacer fraternitatis floſculus.
Neque inferat noxam, fugamve corpori,
Seu ſecularis longa Principis manus,
Seu Clericûm prætenſa juriſdictio,
Evellitur ne dum (vocant ſic) hæreſis,
Succreſcat in locum doloſa hypocriſis.
Profana libertas reducat priſtina,
Extirpet hæc diſcordiarum ſemina,
Reſarciat læſæ unitatis vinculum,
Et ſanguinis ſiſtat profuſi gurgitem,
Aſſurgat illi Auguſta Seculi Domus,
Et univerſa iniuriarum tempora
Oblivioſo ſupprimat ſilentio.
Tum protenus diſcerpta membra ſedibus
Lentaque belli tabe fracta colligat,
Et ſic redonet cuique priſtinum decus.
Tam naufragas maris procellas turgidi
Enavigare, portuique reddere

His fluctibus merſam, parum deerit, ratim.
Moderatioris Arbiter negotij
Et ſuaſor, ANGELI, allaboras unice,
Res anxiæ ſortis, laboris improbi,
Multis ſinuoſis involuta plexubus
Strophiſque mitis præpedita jugiter
Queis eruendis ipſius vel Socratis
Fortaſſe delaſſabitur prudentia,
Tot artibus pars abditis, pars diſſitis
Hoc volvitur, revolvitur ſaxum diu.
Horum peritus, ANGELI, nauclerus, &
Ductor viæ rariſſimis vix perviæ
Sollertia puppim Tua conaberis
Vento, mariſque æſtu ſecundioribus
Propellere ad rerum gerendarum ſcopum.
Dein partus hic Tuus, ANGELI, tenerrimus
Quo imus ſecunda cura in oras luminis
Et auctiores reddimur luci novæ,
Præconij ampliter Tui pandit fidem
Et omne punctum calculo omnium meret,
Hic eſt ſuus virtutibus priſcis honos,
Hic crimini manet perenne dedecus,
Hic cernitur ſuaque libra penditur
Stupenda noſtræ Gentis admiratio
Et ſingularum multiformis indoles.
Hic fulcra famæ publicæ lectiſſima
Magno merito ſuis veluntur laudibus,
Longeque ab ipſo vindicantur funere,
Dum ſic ſimul Nobis ſtudes & Poſteris,
O ANGELI, ipſis proximum ANGELIS caput,
Noſtrum audies & Poſterorum corculum,
Fereſque noſtram & Poſterorum gloriam.

• VINCENTIVS FRISE, HAMB. J.U.L.

CONTEN.

CONTENTORUM

in hac generali parte Conſpectus.

1. *IDea vera & vivida totius Imperij Romano-Germanici cum omnibus membris ſuis.*
2. *Societatis cuiusvis univerſitas & communio unde ſit, quid ſit, ac quomodo inter ſe differant.*
3. *Societatis privatæ & publicæ, diverſarumque utriuſque ſpecierum enumeratio, cum neceſſaria declaratione.*
4. *Quot Politicorum in his inveniantur errores, & in quantum à ſcopo veritatis fundamentalia eorum devient.*
5. *Libertas vera & falſa quid? Sic & ſervitus vera & falſa quid? Ac num ſervitus ſit à natura.*
6. *Quinam primi ſervitutis in Germaniam introductores, & auctores eius?*
7. *Quam fortiter per tot ſecula Saxones ſuam defenderint & ſuorum libertatem.*
8. *Hiſtoricorum nonnullorum errores deteguntur in plurimis.*
9. *Imperatoris in definitione iuſtæ ſervitutis defenſio contra malos interpretes.*
10. *De Iuſtitia belli & ſervitute eius Examen.*
11. *Defenſio Platonis iuſta & eius Reipublicæ cum Chriſtianiſmo comparatio ſolida.*

In Parte Secunda.

1. *COntenta locorum & variæ eorum appellationes, ac determinationes ſedium.*
2. *Reſpublica quid proprie ſit, & quomodo ab Vniverſitate & Corpore differat.*
3. *Civitas quomodo effectum Reipubl. exprimat, & quot eius dentur veræ ac ſolidæ ſpecies.*
4. *Privilegia quid ſint, ac quot ſpecies eorum potiſſimum dentur.*
5. *Fœderis explicatio ſolida, quæ 12. continet capita, quibus variæ etiam de civitatibus Hanſeaticis inſeruntur quæſtiones, & documenta antiqua.*
6. *Mercaturæ & negotiationum in commerciis ratio.*
7. *De monopoliis & fœdiſſimis commerciorum omnium nocumentis.*
8. *Quæſtio, num fœdera proprie Reipubl. formam ex ſe procreare poſſint?*
9. *De Helvetiorum comparatione cum Republ. & eorum ſtatu.*

DE

REBUS-PUBLICIS HANSEATICIS,

Et earum

CELEBERRIMÆ CONFOEDERATIONIS SOCIETATE,

Tractatus Primus, generalis;

Cura IOHAN. ANGELII WERDENHAGENI, I. C. C. editus.

INTRODVCTIO SIVE PROOEMIVM.

De Imperij Romani Germanici duratione, fundamentis & columnis veris, eiusdemque ornamentis illustrioribus, & munimentis.

SI Imperij Romani Majestas, etiam juxta hodiernum statum Germanicum maxime, quæ in eius auctoritate, dignitate, potentia, amplitudine, regalibus, firmitudine, qualitate loci, divitiis, munitionibus, sapientia & virtute incolarum consistit, rite oculis acutioribus perspiciatur, examineturve; aut si quis cum aliis mundi Regnis & partibus cum eadem comparationem iustam, absque affectuum perturbatione iniquiore, instituat; is profecto huic præ cunctis aliis gloriâ splendidam & felicitatem primariam adscribere, atque simul ingenue (modo solido non careat iudicio, & rerum humanarum in hoc seculo haud plane sit imperitus) confiteri cogetur, quod nullius Imperii aut Regni æque durabilis aut invincibilis, iuxta internam & essentialem eius dispositionem, ratione omnium Statuum, connexus aut constitutio inveniri possit. Etenim extra controversiam est omnem, quod huic Verbum Dei unice quartam attribuerit monarchiam talem, quæ extremum mundi sit consecutura terminum. Velut etiam exinde divinus ille Propheta Daniel, cui soli cum Divo Esdra inter omnes istorum seculorum vates Iehova summus cœli & terræ Dominus summorum Imperiorum orbis usque ad extrema tempora, quæ nunc prope consecuti sumus, ordinem successorium in visionibus sanctis revelavit, hoc ultimum Regnum vere ferreum, in explicatione Imaginis & Statuæ, esse futurum pronunciat; *Dan.* 2. Quicquid heic ex opinione aliorum Pezel. *in Mellificio suo ad Sleid. lib. de 4. monarch. pag. m. 292 part.* 1. obiiciat ex quæstione Nabuchodonosoris Regis, quasi ille solummodo de suo, non alieno & longissime remoto regno sollicitus fuerit: Quum tamen non tantum Propheta, *in dicto cap.* 2, *vers.* 29, 44, & 45, liquidissime de futuris temporibus cuncta hæc explicet; adeo, ut etiam ea omnia usque ad Christi adventum ultimum sive Iudicij extremi diē, quo Christus ex cœlo quasi ex monte summo delapsus, propria maiestatis suæ auctoritate, quæ ipsi à Patre cœlesti data est, comminuturus & consumpturus omnia illa regna sit cum ipsa statua in secula, *v.* 45, extendat; sed etiam ipse Salvator noster Iesus, *Marc.* 13, *vers.* 14, in prænunciatione ultimorum tēporum ad Danielem Prophetam hunc manifeste se referat: Vt clare inde pateat, quam latissime se exporrigant vaticinia huius insignis Prophetæ, veluti etiam ad accuratam attentionem talium non frustra ibidem à Christo exsuscitamur singuli. Nec enim Iehova ad sollicitam quæstionem alicuius mortalis ita stricte alligatus est, ut non profundiora & penetrantiora in revelatione sua per Prophetas retegere debeat, quàm cor cœcum & in cogitationibus suis vana mens assequi possit. Imo si Iehova in omnibus oraculis suis Ecclesiæ, tanquam Sponsæ Filii Dei, maxime satis facere cupit, ut ipse ibidem confitetur Pezelius, atque is scopus perpetuo Spiritui S. stet propositus: quur non maxime vaticinia talia universalia ad Ecclesiam Christi in novo Testamento excurrant? quum novum Testamentum finis sit veteris; atque propterea in Novo *εἰδικῶς* & efficaci demonstratione exprimatur, quod in Veteri *τυπικῶς* adumbratum nude fuerat? Velut proinde sparsim in Prophetis ea nobis præfigurantur, quæ in regno Christi nunc consummationem suam adipiscātur vel accipiant. Tum quoque Nabuchodonosoris insomnium non ex naturali influentia Spiritus syderei profluxit, sed ex diviniori infusione in eo concitatum

fuit. Alias Sophi aut Magi Ægyptiorum facile interpretationem eius assequi potuissent. Omne enim, quod naturali influxione communicatur animæ corporis, hoc facile pertingit aut invenit Magia, sive Sophia illa realis, quæ minus verborum inutilibus terminis & phantasticis obscurata habetur conceptibus. Quum vero insomnium Regis hoc supernaturale esset, atque altiorem sive sublimiorem originem ex æternæ naturæ regno, à quo vera Ecclesia Christi sive populus Dei sanctus regitur, traheret, non erat hoc in potestate Magorum aut sapientum eorum positum, quo insomnium hoc mysticum aut reperire sive explicare potuissent. Quippe nullatenus eius principia in Firmamento nata aut scripta inveniebantur. ut ait Daniel, v. 27. Mysticum sive Arcanum hoc, quod Rex petit, non Sapientes, Astrologi, Magi, Haruspices possunt indicare Regi: Sed est Deus in cœlo revelans arcana, qui notum facit Regi Nebucadnetzari id quod futurum est consequentibus temporibus, &c. Quoniam enim Daniel, velut olim quoque Ioseph, Cabalisticæ scientiæ gnari erant, id est, Spiritus Iehovæ: hic utrumque, theodidactos effecerat: quare & sublimiora ex Spiritu sapiebant, ita ut vera & cœlestis lux in iis resplenderet. inde oblivione extinctum insomnium uterque resuscitare secum in Spiritus cœlestis virtute poterat; quod aliàs nullatenus in vires hominis extra regenerationem divinam cadit. Vnde patet, quanta sit differentia inter eos, quos divus Paulus sapientes carnis vocat, & qui Spiritu regenerationis in diversis donis sanctis ornati sunt. Quare tria omnino luminum dona & munera inter se distinguenda sunt, non tantum habitualiter, ut communis incompta fert opinio, sed vivide secundum efficaciam Spiritus. Magia enim sive vera Sophia exprimit verum lumen naturale eiusq; Spiritum: Cabala vero supernaturale lumen Spiritumque in Angelica domo: Theologia continet in se lumen divinũ munere Spiritus Sancti expressum. Quas tres ambitu suo Theosophia complectitur. Quemadmodum igitur Iehova vero Theologo sui colloquii aut eloquii genuinum communicat intellectum per Spiritum Sanctum; quod etiam secum talis revera percipit Theologus: Ita Natura in omnibus rebus creatis externis per suum Spiritum vero Sophico, quem prisci illi Magum dicere soliti sunt, se ostendit, ipsi signaturas suas rerum & firmamenti per influentrias congruas ostendens. Ita quoque Cabala per virtutis angelicæ angelicum lumen Sopho suo idem præstat, quod ad hanc facit sapientiam: veluti per tale lumen Moses suum à Iehova accepit responsum. Tria hæc insignia regenerationis dona & lumina Spiritus, quæ tamen uniformiter se habent in suo centro, & Sacrosanctam Trinitatem egregie repræsentant, non ita præcipitater confundenda sunt, ut communis fert Habitualistarum error; sed longe sanctiorem & sublimiorem merentur reverentiam. Quod ideo à principio heic statim monemus, ne quis temere ita sua fanatica opinione amplius profanet cœlestia Dei Effata, quemadmodũ in hoc cernimus factum sensu. Vti Sacra Scriptura sive Eloquiũ Dei manifeste proponit, & nobis omnibus sancte sui dispositionem muneris retegit: sic etiam lõge sanctiora exponit mysteria, quæ cœca hominis ratio cœcâ suâ habitualitate neque percipere neque censere rite poterit. Sibi ipsi noxium præparat Iudicium Dei, qui carnali arbitrio divina ita leviter æstimat iuxta propriæ phantasiæ terminos. Simpliciſſima locutione non raro profundiora continentur & sacratiora, quã sapientissimus mortalium in abstrusissimis percẽsere noscat. O quanta profunditas sapientiæ! merito exclamat divus Paulus. Quemadmodum quoque libri Moysis interna alia, quæ totius mundi & Ecclesiæ Christi cursum præfigurent, continent, uti B. Teutonicus egregie in suo Commentario, quem Magnum Mysterium (quo libro nihil dum vidi in eo genere absolutius, & propterea in manibus omnium vere Christianorum optarem) vocat, hoc luculenter demonstrat. Nec hucusque inventus est, qui talia unquam in Mose deprehenderit, quod merito omnes, eruditissimam qui sibi tot habitualitalibus profanis vendicant arrogantiam, pudore afficiat. Sed hoc etiam propterea dico, ut cernant omnes, quæ duratio cœlestis in ipsa sua imbecillitate adiecta sit à Deo Imperio Romano, quod certe nemo suis viribus cõvellet externus; fit, quicumq; velit. Iehova huic Monarchiæ suum terminum usque ad montem Sionis extendit. Licet lutum mysteriale huius Regni cum ferro sit commixtum; tamen firmiter perstabit suffultum suis adminiculis, quæ ipsi non sine singulari Iehovæ addita sunt beneficio & misericordiæ gratia. Etenim quos non sæpius pertulit hoc Imperium motus, quot concussiones, quot perturbationes & dissidia interna? Et Iehovæ tamen benignitate singulari semper inventa sunt talia remedia, quæ robur novum ipsi addiderint.

Nutationes & paroxysmi Imperii Romani.

SI quis saltem ad notabiliora recurrat tempora, quibus translatio Imperii Romani ad Germanos deputatur, an non ingentes concusserunt hoc tempestatum procellæ? an non odio, invidia, persecutionibus internis & externis mire sæpius dilaceratum fuit? an non toties idem armorum violentia & belli tumultibus variis terribiliter distractum senserunt maiores? Quas non incursiones gentium aliarum, & propriasrebelliones cũ diris seditionibus pertulit? Verum, ne ita facile expugnari aut in ruinam aliquã præcipitari posset, firmi & iusti inventi sunt Ordines & Status, quibus semper in quavis adversa fortuna constanter niteretur. Quorum alii principales fundamentalesque sunt, alii ornamenta conservantia & necessaria habentur huius corporis.

Comparatio Imperii Romani cum corpore humano generalis.

NAm veluti vividum corpus humanum non tantum ex suis partibus essentialibus integris internis & externis, solidisque membris, nervis, ac ossibus constat: sed etiam totius universi & macrocosmi centrale receptaculum atque ideam vividam refert: ut merito homo extractum sive miraculum mundi, ac proinde microcosmus, à sanioribus & veris Philosophis appelletur: Ita quoq; Imperium Romano Germanicum, quod unicum aptissimis suis cõstitutionibus & commodis dispositionibus satis æquabilem temperiem durationi temporum maxime convenientem refert, respectu omnium Regnorum mundi vere centrale illud miraculum repræsentat. Vnde merito microcosmicum appellites illud regnorum Regnum. Quod in his paulo dilucidius explicari & percipi poterit.

Compa-

Comparatio Imperii Romani cum corpore humano ſpecialior.

A Principio igitur, homo ex ſpiritu, ſive ſpiraculo vitæ (ut nō fruſtra S. Scriptura loquitur) & corpore ſuo conſtat. Sic etiam Imperium hoc Romano-Germanicum ex ſpiritu animam ſuam ducit: & propterea in corpore ſuo ita radicaliter vivit: Corpus ibidem ſua membra ſive partes internas & externas iuſte continet & alit. Quemadmodum autem deinde anima tribus eſſentialibus operationibus ſuum domicilium & vitam inde profluentem exhibet, quas vulgo trium facultatum nomine exprimere ſolent: Ita quoque tria ſunt, quæ vitam aut ſpiraculum vitæ huic Imperio inſigniter ſuppeditant. ut ſunt: 1. Chriſtiana Religio, in vera Verbi cœleſtis cultura & vitæ ſanctitate ſolida, aut imitatione Chriſti conſiſtens; propter quam unicam maieſtas monarchiæ ipſi in ſacris Litteris tam curioſe cum duratione ſua, ſi Chriſto modo non reponat ingratitudinem, attribuitur. 2. Leges fundamentales, & 3. Iuſtitiæ ſolidæ forma. Singula hæc adeo multa in ſe continent, ut unumquodque eorum vix ſingularis libelli conſcriptione explicari poſſit: ſed nec eſt huius loci, quum talibus & his ſuum aliquando Iehova auxiliante meditemur locum.

Membra Imperij Romano-Germanici alia interna, alia externa.

QVod ad Corpus ipſum attinet, compoſitum rite eſt ex ſuis partibus internis & externis, quas Status ſive Ordines communi nomine vocant. Iſti autem ſunt Electores ſeptem, Principes & qui eorū accenſentur ordini, ac Civitates. Veluti autem in corpore humano tres partes maxime internæ principales, quæ etiam in ipſa generatione hominis iuxta omnem Medicorum ſententiam primitus ſe exerunt, ceruntur, ſicuti ſunt Cerebrum, Epar & Cor: Ita etiam Electores merito membro principali Cerebro, Principes, & ii, qui huic Statui nobilitatis cauſſa annumerantur, Epati, & demum Civitates Cordi non incommode officii & vigoris ratione adſimilari poſſunt. quod ſuo loco plenius explicabitur cum fundamento. Electores enim officio ſuo proprio cōſtituunt Caput certum, tam tempore interregni, aut vacantiæ quam in electionis conſtitutione. Principes cum reliquis in ſuo generoſitatis ſtatu ſuppeditant quidem robur, ſuccum & ſanguinem in dignitatis auctoritate; ſed tamen maximæ vires fortitudinis in munimentis Civitatum inſignium & earum fidelitate ſitæ ſunt. Vnde apparet, quam graviter illi peccarint in publicum bonum & communem totius Imperii ſalutem, qui tanto ſtudio, & conatu malevolentiæ arduo, hucuſque diſcordias inter Principes & Civitates ſerere, & extrema odia fomētare auſi ſunt, æmulationem nescio quam inanem confingentes: Quum tamen in his omnibus nil effecerint aliud, quam quod communis calamitatis, qua tam miſere Germania dilecta fuit, promotores fortes & luris exemptiti, ut aiunt, oſores invidioſos ſe prodiderint. Rectius Imperatō *in Novell. Conſt.* urbium & civitatum erectionem ac munitionem quæſivit, quō propterea quoque ita ſevere præcepit, ne facile eius intentio in conſervatione Imperii diverteretur, nec tales, qui civitates ſolo iterum adæquatas cuperent, audirentur, Pulchrum quidem eſt, ut ille Imperator dicere ſolitus eſt, Regibus imperare, (ſic vocavit ſuos Principes:) in quo etiam ſe omnibus vicinis prætulit: ſed longe pulchrius, pietatem cum fundamento in duratione conſervare; quam munitio civitatum exhibet, ut regnum excurſionibus hoſtis cuiusvis & devaſtationibus minus ſit obnoxium.

Membra externa Imperij quæ?

EX iſtis igitur partibus principalioribus, ut iam dictum eſt, procreatæ aut editæ ſunt partes externæ, corpus hoc ſolide integrantes. Hæc iterum ita ſunt diſpoſitæ, ut aliæ fundatam prerogativam in ordine ſuo præ reliquis habeant à Capite ſuo determinatam, quum earum miniſterium fulcra externa exhibere quædam Imperatoriæ maieſtati videantur, ceu recte eas Matth. Stephanus *lib. 2, part. 1, cap. 4, n. 10, & ſeqq.* enumerat, ordine ſingulas proponens; quas tamen priori loco propterea hic ponimus, ut inde nobis anſa ſit, reliqua rectius deducendi. Verba eius ſunt: Priuſquam autem de Statibus plenius dicatur illud præmittendum eſt, ex ſingulis ordinibus Imperii quatuor viros conſtitutos; adeoque Imperium Romanum ſuper certis gradibus nobilitatis, nec non etiam communitatibus opulentis, provida ſagacitate fundatum eſſe; de quo ita poſt ſui in Germanos translationem conveniebat, ut maior Sacri Rom. Imp. dignitas & maieſtas eſſet, & ne ſtatus & vires eius paulatim labefactarentur, ſed ſpecialibus munitum præſidiis, principibuſque firmatum, iiſque ut firmis columnis innixum, adverſæ tempeſtatis procellis & turbinibus validius reſiſtere, & ſuæ potentiæ mucronem longe lateque vibrare poſſet.

Et quidem primo fundatum eſt ſuper quatuor Ducibus. Primus, eſt Dux Sueviæ. ſed cum hæc domus primitus defecerit in ultimo duce Conradino, Friderici II, Imperatoris filio; *Cruſ. in annalib. Suevic. lib. 2, par. 3, cap. 19.* poſtmodum titulum Sueviæ Ducatus Sereniſſima Domus Auſtriaca uſurpat. Secundus, eſt Dux Brunſwicenſis in Saxonia. Tertius, Dux Lotharingiæ in Gallia. Quartus, Dux Bavariæ qui hodie dicitur Palatinus Rheni, de magno Palatio Trevirenſi.

Deinde fundatum eſt ſuper quatuor Vicariis. Primus, eſt Dux Brabantiæ. Alter, Dux veteris Saxoniæ, cum equulo albo. Tertius, Dux in Weſterreich. Quartus, eſt Dux Sileſiæ.

Tertio ſuper quatuor Marchionibus præeminentioribus. Vt eſt Marchio Brandenburgenſis: Marchio Moravienſis: Marchio Miſnenſis, & Marchio Badenſis.

Quarto fundatum eſt Imperium Romanum ſuper quatuor Illuſtribus Comitibus Provincialibus, qui vulgo appellantur Landgravii. Primus eſt Landgravius Thuringiæ: Alter, Landgravius Haſſiæ: Tertius, Landgravius Alſatiæ: Quartus, Landgravius Lichtenbergenſis.

Sunt & quinto Generoſi Comites Caſtrenſes quatuor; qui vulgo Burggravii dicuntur. Primus, eſt Burggravius Nurnbergenſis: Alter, Burggravius Magdeburgenſis: Tertius, Burggravius Strombergenſis: (Hodie eſt ditionis Palatinæ:) Et quartus, Burggravius Reineckenſis, qui hodie in Comitum Hannovienſium ditione.

Inſuper fundatum eſt Imperium ſuper quatuor

Magnificis Comitibus. Maiores quidem in suo gradu, sed inter Principes minores. Primus est, Comes Schwartzburgensis: Alter, Comes Clivensis; qui hodie est Dux: Tertius, est Comes Ciliæ; cuius Domus defuncta in Præclustres Austriæ Duces, de anno Dom. 1456, feudali jure devoluta est: Et quartus, est Comes Sabaudiæ, qui in Constantiensi Concilio ab Imperatore Sigismundo, Ducali titulo est insignitus. Hodie autem sola Domus Schwartzburgica titulum & nomen Sacri Romani Imperii Comitum gerit.

Nec non super quatuor nobilissimis Baronibus. Primus, est Baro Limburgensis: Alter, Comes Westerburgensis; quem Leiningenses iam repræsentant: Tertius, Comes Aldew-Idensis: Quartus est Baro Tussensis, sive de Dous; (dictus est de Kar.)

Itemque quatuor Strenuis Militibus. Primus, est Miles de Andlo in Alsatia: Alter, Miles tu Strandeck: Tertius, miles de Meldingen: Quartus, de Frowenberch, in Bavaria. At quoniam agnatio Militiæ Meldingensis exstincta & mortua est: in eius locum per Maximilianum Regem in comitiis Augustæ surrogatum esse Wolfgangum de Weissenbach, notat Henningus Gæden, *cons.* 1.

Præterea sunt quatuor Insignes Civitates. Prima, est Augusta: Altera, Moguntium: (quidam ponunt Metim:) Tertia, Aquisgranum: Quarta, Lubeca.

Itemque sunt quatuor Magnificæ Villæ. Prima, est Bamberga: Altera, Schletstadia: Tertia, Hagenovia: Quarta, est Vlma.

Et denique, ut nullus gradus prætermissus videatur, accedunt præmissis quatuor Famosi Rustici: ut sunt, Colonia, Ratisbona, Saltzburgum, & Constantia.

De aliis Comitibus, Baronibus & Nobilibus Sacri Romani Imperii, & hæreditariis Officialibus, eorumque ministeriis, plura tradit aurea bulla Caroli IV. Qui Principes, Comites, Barones & Nobiles ad Imperii assistentiam potissimum quidem sunt electi: Sed tamen omnis Germanorum potentia totis viribus eo contendere debet. Et, si Germani Principes Imperatori fideliter assisterent, prout olim facere consueverunt: tunc non solum Græcia, sed Ægyptus & Chaldæa contremiscerent, ac ultimæ regiones Saracenorum trepidarent. Nam ut aves inter se volantes & cantantes ad aquilæ intuitum silent & fugiunt: sic omnes barbaræ nationes, aliorum insignia vexillaque despiciunt, Romanorum vero ac Germanorum aquilas timent naturaliter, & abhorrent. Protendente nempe Aquila Romanorum ab Europa alas suas, nec gryphones Asiæ atque Africæ satis tutæ erunt. *Sunt verba Pet. de Andlo in d. Tractatu lib. 1, cap. 16, in fin.*

Vires Germaniæ.

HActenus Dn. Stephanus. quæ ita se verissime habent. Præsertim hoc, quod ille heic inserit, bene animadvertendum de potentia & viribus internis Germaniæ, &c. quæ tam natura loci, quam solida membrorum connexio abunde satis Imperatori & Capiti summo suppeditarent, si ita in firma sua cõglutinatione nervorum perpetuo ad amussim fundamentalium legum operationes fideles sese exererent, nec tam multi in contrarium pro dissolutione continui laborarent.

Situs & natura Germaniæ.

ETenim quod ad naturam loci attinet; in Germania ea omnia, quę ad vitæ sustentationẽ & splendorem eiusdem faciunt, non tantum pro necessitate ubertim inveniuntur, sed etiam singulorum copiam in tam abundanti numero genitrix ea felix effundit, ut quę natura sparsim per diversas regiones terræ dissipavit, heic in unum congessisse cumulum videatur. Ceu nec ulla prope datur in terris hodie natio mortalium, quæ suis ita contenta viribus in tranquillitate vitam transigere possit, veluti hæc gens optima, & maxime industriosa, modo satis sua agnosceret bona, nec nimium indulgeret genio, unde tanta dissipatio ingenii, rerum, actionum & negotiorum oritur; ceu tale exemplum non sine caussa nobis in descriptione egregia Constantinopolitanarum deliciarum Iohan. Boterus, *in secunda parte Cosmograph. suæ cap. de Imper. Romano & imprudenti translatione ac divisione Imperii Constant.* proponit. Rerum omnium tanta est affluentia, ubique per omnes Germaniæ provincias dissipata, ut nihil non prope sit, quod non in magno cumulo ad exteros & vicinos inde per commercia mutua transportari possit: nisi quod duæ tantum res sint, quarum penuriam quidem recte observavit & indicat D. Boterus; nimirum quod nulla oliveta in illis reperiantur, & minus feraces sint bombycum, ut sericatę possent quę que dici: sed talia non tam ad necessitatem, quam potius ad mollitiem & splendorẽ vitæ superbæ faciunt. Proh dolor tamen hodie nimis oliferi & sericati in iis conspiciuntur homines! quod utinam nunquam esset introductum! quum duæ res sint adeo pestiferæ, ut inde non tantum suo exuantur auro & argento, & earum commercio nimis importuno suas dilapident imprudentissime divitias inque alias effundant regiones; sed quoque illi iisdem mediis velut olim Constantinopolitani in delicatissimam & omnis generis superbiæ deditam vitam pellciantur, cumulatimque abripiantur. Sed iuvat heic audire Boterum, *lib. 1. Geograph. de Germ. pag.* 94. Multitudo ingens equorum est in Germania, quorum usus maximus aratro & agriculturæ destinatus est. Tum quoque omnis generis pecora ibi inveniuntur; sicuti etiam omnigena animantia aëris, aquæ & terræ. Grana superflua producit. Vini proventus maximus in Alsatia, ad Neccarim fluvium, ad Rhenum conspicitur, & se extendit usque ad Coloniam Agrippinam, & in Austriam. Serica haut profert hæc terra; parum velleris, & tamen crassi satis; nec est olifera Germania. Abundat metallorum fodinis; quippe ferrum, chalybem, stannum, plumbũ, cuprum ubertim profert. Auri & argenti fodinæ putantur in proventibus suis quotannis ultra decem milliones excurrere. Multis etiam locis sulphur, sal nitri, & vitriolum effoditur: velut etiam in multis locis sparsim eximiæ in magna copia salinæ habentur, &c. Hæc quidem Boterus satis accurate ita recenset: quam visitem in eo aberret, quod parum nutriat velleris; quum copia eius tanta sit undique, ut magno commercio ea ad exteros transportetur, unde eximii conficiuntur omnis generis panni; velut in maximo habetur precio propter subtilitatem, quod ex Pomeranicis rondetur & colligitur gregibus. Eodem modo divitias varias Germaniæ nostræ commendat, *part. 2, cap. de Imp. Rom. viribus*; ubi sic dicit: Maxime abundat frugibus, pecudibus, piscibus: id experiẽtia com-

compertũ ſæpe fuit. Carolus enim Quintus, ut Turcis reſiſteret, habuit ſub ſignis ad Viennam 90 peditum, & 35 equitum millia ad Tavarinum contra eoſdem Turcas; nec tamen cantas ibi experta fuit. Bello inter Carolum V. & Proteſtantes per aliquot mẽſes abunde ſe ſuſtinuerunt in campis fere 150. militũ millia. Dives quoque eſt mineris auri, argẽti, omniſque generis metalli, ſuperatque alias Europæ provincias: natura quoque largita eſt ei in regionibus longiſſime à mari diſſitis fontes & puteos aquæ ſalſæ, ex quibus excoquitur ſal perfectum. Nec minus mercatrix eſt, quam fertilis. Indigenæ enim, pluſquam ulla alia natio, vacant opificiis, faciuntque artificia miratu digna: eſtque Germania tam probe à natura dotata, ornataque magnis fluminibus, quæ ubique navigantur, ut commeatus & merces facilitèr ex uno loco in alium devehantur. Fluviorum omnium maximus eſt Danubius; ab illo Rhenus, qui Germaniam à meridie ad ſeptentrionem tranſgreditur; ſicut Danubius ab occaſu ad ortum: Albis oritur in Bohemia, lambit Miſniam, Saxoniam, Marchiam antiquam: Odera oritur in Moravia, lavat Sileſiam, duas Marchias, Pomeraniam. Weſara, Neccarus, Moſa, Moſella, Iſara, Oenus, Varta, Mœnus. Hic Germaniam in ſuperiorem & inferiorem dividit. Superior eſt, quæ à Mœno ad Alpes uſque ſe extendit. Inferior, quæ à Mœno oceanum verſus excurrit. Germania in plures provincias diviſa eſt. Sed præcipuæ ſunt, (loquor de iis, quæ viva membra Imperii ſunt,) Alſatia, Suevia, Bavaria, Auſtria, Bohemia, (quamvis hæc multis privilegiis gaudeat, quę eam ab oneribus eximunt,) Moravia, Sileſia, Luſatia, duæ Marchiæ, Saxonia, Miſnia, Thuringia, Franconia, Haſſia, Weſtphalia, Clivia, Megapolis, Pomerania. Ex quibus ſingulis apparet, quanta ſit Germaniæ & Imperii huius uberrima fertilitas, quæ etiam ab optimis quibuſvis terræ partibus non poterit vinci in tali beatitudine ſua, ut nullo prope externo adiumento indigeat. Luxuria tamen incolarum quum nimia ſit, fit inde, ut novitate rerum omnium ſemper ibi homines præ reliquis vicinis populis gaudeant; Et, quum voluptuoſæ vitæ ſtudio nimium accurato attentoque diffluant, arripuere ex hac cauſſa circũiacentes gentes occaſiones miras & varias, quibus Germanis ſuas ſubducere divitias, & omnem vim auri aut argenti vario commerciorum prætextu & artificio in ſe transferre poſſint. Quam ob rem olim Div. Carolus V. Imperator Auguſtus, anno 1530 cum Statibus Imp. egregiam reformationem politiæ cõmunis, in publicis comitiis Auguſtanis conſtituit & publicavit, quæ laudatiſſime omnem vitæ luxuriam in victu & amictu perſtringit, & normam iuſtam cuivis Statui & privatis ſingulis præſcribit. Quod nõ tantum idem Imperator in Comitiis Auguſt. anno 1548 repetivit ſeveriſſime; ſed etiam optimus Imperator Rudolphus II. in reformat. Polit. conſtitutionibus Francofurti anno 1577 confirmavit, additis correctionibus & monitis. Vtinam tales leges publicæ rite in uſu obſervarentur debito; res Germanorum longe meliori eſſent poſitæ loco, & vita undiq; ſanctior revireſceret in gratia Iehovæ, rectiuſque quiſque, Chriſtianiſmo animæ & vitæ puritate addictus, vivere poſſet.

Status Imperij quid & qui?

VErum, ut ad Status Imperii nunc revertar; Tenendum hic ſedulo eſt, quid Status proprie ſint, & quæ eorum differentia, tam in genere quam ſpeciatim diſtributa, ratione officii, honoris, dignitatis & loci ſive ſedis, & poſſeſſionis ac dominii.

Vocantur autem & ſunt Status Imperii, ait *Steph. lib. 2, part. 1, cap. 4, n. 28*, qui ſolum Imperatorem recognoſcunt immediate, & Cæſaris communique procerum conſenſu in album ſive matricem Imperii recepti, ea lege, ut Imperio, occurrente neceſſitate, certum cenſum, in albo ſive matricula expreſſum, penſitent, vel ſubſidium militare præſtent. *ſec. And. Gail. lib. 1, obſ. 21, n. 2.* At proprie Imperii Status eſſe & dici, qui cum Imperatore **als ein Chriſtlich Corpus vnd Verſamblung/** [*id eſt, tanquam Chriſtianum corpus atque congregatio,*] vel, eo defuncto, ſoli, ſtatuendi de republ. vel ius ſeſſuræ & dicendæ ſententiæ, in comitiis vel conventibus Imperii habent, notat *Tob. Paurmeiſt. lib. 1, de Iuriſdict. cap. 8, num. 3*, vulgo **Stände deß Reichs**; *Decreto Auguſt. anno 1555. §.* **Dieweil aber.** Ἐνπλάτει tamen καὶ δυνάμεως, ſive potentiæ ratione, etiam in collegium Imperii cooptati, licet nullam adhuc in comitiis actu ſeſſionem conſecuti ſint, Status dicuntur: *Decreto comit. Ratiſbon. anno 70, §.* **Nach dem auch.** *Petrum Denaſium in iure cameral, tit. 287, verb. Seßio, num. 3.*

Numerus Statuum in generali diſtributione.

IN Statuum numero, inprimis poſt Imperatorem & Regem Romanorum, continentur Electores tam ſeculares quã eccleſiaſtici. Deinde omnes Principes Germaniæ, tam ſeculares quam eccleſiaſtici, Abbates, Prælati, Comites & Barones. Idem quidã ſtatuunt de Nobilibus Imperio immediate ſubiectis, quod, coniunctim maxime, poſſint dici Status Imperii, cum nimirum feuda regalia ab Imperio Romano recognoſcant, & in album Imperii prædicto modo & fine ſint adſcripti. Quin & eaſdem peculiares ſuas *Auſtregas* habere, patet ex *Ord. cam. par. 2, tit. 3, & 5, & ſup. hoc lib. 2, part. 1, cap. 3, memb. 3.* Conſtitutiones quoque Imperii de arreſtis, de pignorationibus, itẽ ſuper litigioſa poſſeſſione, nec non de pace religionis facta, Nobiles iſtos Imperio immediate ſubiectos expreſſe perſtringunt & comprehendunt; *d. Ord. cam. §.* **Vnd in ſolchen Frieden.** *Ruland. de commiſſ. pag. 1, lib. 5, cap. 4, lit. P. ſub. nn. 51. Meland. in proceſſ. cam. part. 1, pag. 487.* Sed ſeſſuræ & dictionis ſententiæ actuali communicatione, non tantum Nobiles de feudis ligiis inveſtitos, ac præter Imperium alios ſuperiores non agnoſcentes, ſed Barones quoque, Comites & Principes, (licet hi ſint variores,) ſive mediate ſive immediate Imperio obediant, nullum tamen ſuffragii ius in ſenatu Imperii obtinentes, diſtingui, ex decretis comitialibus, in quibus nobiles immediati nõ cenſentur, Comites autem & Barones complures comprehenduntur, oſtendit Paurmeiſter *d. loc. n. 4.*

Tertio loco civitates Imperiales liberæ etiam inter Status merito referuntur, vigore aureæ bullæ Caroli IV. ubi civitates liberæ ſuam ſeſſionem & vota in iudiciis habuerunt, ſub Friderico Imperatore, in reformatione Francofurtenſi, & deinceps iuxta ordines Imperii Moguntiæ expreſſis. Hinc & hodie adhuc ad omnia Imperii comitia vocantur civitates; itemque earum legati una cum Imperatorum, Electorum,

ctorum, & Principum legatis, ad exteros Reges vel Principes in cauſſis graviſſimis mittuntur. Denique civitates liberæ, eadem incommoda ferunt, quæ Electores & Principes. *Georg. Obrecht. in tract. de iuriſdict. cap. 6, n. 77, & ſeqq.* Præterea illæ habent iura territorialia, non etiam iura Principis: de quo inferius, ſuo loco, *tit. de Civitatibus liberis.* Qui autem in album ſeu matriculam Imperii eſt relatus, ille imperii Status habetur, donec exemtio probetur: nam pro matricula præſumitur. *l. matriculam, Cod. de agentib. in reb. lib. 12, ubi Bart.* Et matricula probat quem eſſe de numero qui debent immatriculari. *Bart. in l. petit. C. de advoc. diu. Iud. Alciat. de præſumpt. reg. 3, præſ. 17. Gail. 1. obſerv. 21, n. 6, & 7.* Et in ſpecie, quod feudum probetur per regiſtrum Principis, in quo bona deſcripta ſunt, tanquam feudalia, tradunt *Barbatia, conſ. 18, n. 38. l. 2. Cravet. 27, 6. in pr. Grammat. deciſ. 77, n. 12. & alii, quos refert Menoch. lib. 3, præſumt. 91, n. 42. Maſcar. de probat. lib. 2, concl. 768, n. 10.* Idem *n. 65*, ita pergit:

Differentia Statuum Imperii generalis.

SEd generatim Status Imperii conſtituuntur in duplici differentia. Alii enim ſunt eccleſiaſtici; ut Elector Colonienſis, Moguntinus, & Trevirenſis; itemque Abbates & Prælati; Alii ſunt ſeculares; ut Electores & alii Principes ſeculares, itemque Comites & Barones. Omnes hi abſque differentia ſubſunt Imperatori ratione bonorum feudalium, eademque Regalia in ſuis terris obtinent Epiſcopi, quæ Principes, Marchiones, Duces. *Mod. Piſt. conſ. 49, nu. 3, vol. 2.* Vnde à ſententia Archiepiſcopi vel Epiſcopi devolvitur appellatio ad cameram. *Gail. 1, obſ. 30, num. 2.* & condemnantur ob fractam pacem. *ibidem. Gail. lib. 1, de pac. pub. cap. 1, num. 13.* Sane illud conſtat, ſeculares Principes & Status Imperii plus iuris habere in ſuis territoriis, pleniorique adminiſtratione frui, quam eccleſiaſticos; ut qui ſuos Ducatus, Marchionatus, Comitatus ad primogenitos deferunt, ob conſtitutionem Friderici, qua dividi prohibiti ſunt. *cap. Imperialem. §. præterea, de prohib. feud. alien. per Frid. & ibi DD.* Licet moribus noſtris Germaniæ inter liberos dividantur. *Henn. Goed. conſ. 19, num. 163. Gail. 2, obſ. 153, num. 2.* ut unuſquiſque in ſibi obtenta provincia iuriſdictionem iuraque Imperii in ſolidum habeat & exerceat. iuriſdictio quippe tanquam res incorporalis per ſe dividi nequit; adeoque ad plures ſucceſſores in ſolidum tranſit. *Hieron. à Monte definib. reg. cap. 11, num. 13. Hart. Hartm. lib. 2, obſ. tit. 1, obſ. 15, num. 1. Andr. Knich. in com. ad ius Sax. verb. Ducum Saxonia, cap. 3, per tot. Covar. pract. qu. 40, in pr. & nu. 1. Schneid. in §. 20, num. 30, ſeqq. Inſt. de act. &c.* Ex quibus patet, ſeculares Principes & Status Imperii transferre Ducatus & Comitatus ſuos ad liberos ſucceſſores; quibus non niſi legitimis cauſſis privari poſſunt. At ſecus eſt in eccleſiaſticis, qui quando renunciant Capitulo, ſive morte decedunt, protinus in eorum locum alius eligitur; qui tamen non electione tali fit Epiſcopus, niſi quatenus Regalia ab Imperatore obtinuerit, vt homagium ſive fidelitatem præſtiterit, &c. Quin etiam ſeculares feuda habent, ac plenius adminiſtrant: Aſt eccleſiaſtici vere nudi ſunt tantum diſpenſatores & fructuarii. *Chopp. de dom. lib. ... it. 13, nu. 7. Dilect. de arte teſtandi, tit. 1, caut. 3 Knich. ... Sax. verb. Duc. Saxoniæ, cap. 2, &c.*

Differentia Statuum ſpecialis iuxta diſpoſitionem claſſium.

ATque hæc eſt generalis differentia Statuum, quorum ſeries ſpecialis ex parte (uti idem Steph. ibidem etiam ponit) hæc eſt:

Primo ſeptem Principes Electores. Ex Archiepiſcopis tres: Moguntinenſis, Trevirenſis, Colonienſis. Ex Principibus politicis quatuor: Rex Bohemiæ, Comes Palatinus Rheni, Dux Saxoniæ, Marchio Brandeburgenſis.

Secundo præter Electores quatuor Archiepiſcopi: Magdeburgenſis, Saltzburgenſis, Bremenſis, Veſontinus.

Tertio Epiſcopi: Auguſtanus, Baſileenſis, Brixienſis, Conſtantienſis, Cameracenſis, Eichſtadenſis, Freiſingenſis, Hildeſienſis, Halberſtadenſis, Leodienſis, Lubecenſis, Metenſis, Mindenſis, Monaſterienſis, Oſnaburgenſis, Paſſavienſis, Padebornenſis, Papæbergenſis, Ratisbonenſis, Spirenſis, Strasburgenſis, Schuerinenſis, Tullienſis, Tridentinus, Wormatienſis, VVirtzburgenſis, Verdunenſis, Verdenſis, &c.

Eccleſiaſticis hiſce Principibus ex veteri Prælatorum ordine aſſcripti ſunt, Abbas Fuldenſis, Abbas Hirſfeldenſis, Abbas Murbacenſis, Abbas Campidonenſis, Abbas Corbeienſis, Abbas Purmenſis, Abbas Stabulenſis, Magiſter ordinis Equitum Teutonicorum ſive Marianorum, Magiſter ordinis Equitum divo Ioanni ſacrorum, Præpoſitus Elbangenſis, Præpoſitus & Archipresbyter Berchtelsgadenſis.

Quarto Principes politici: Archiducum Auſtriæ utraque linea, Auſtriaca & Burgundica: Ducum Bavariæ itidem utraque linea, Bavarica & Palatina: Duces Saxoniæ, Marchiones Miſniæ, & Landgravii Thuringiæ: Marchiones Brandeburgenſes, Duces Brunſwicenſes & Luneburgenſes, Duces Iuliacenſes, Duces Pomeraniæ, Duces Megapolitani, Duces VVitebergenſes, Landgravii Haſſiæ, Marchiones Badenſes, Duces Saxoniæ inferioris ſive Lavenburgenſes, Duces Holſatiæ, Landgravii Lichtenbergenſes, Duces Sabaudiæ, Principes Anhaltini, Duces Lotharingiæ, Comites Arnbergii ab Imperatore Maximiliano inter Imperii Principes ſuſcepti.

Quinto Prælati: & primo Abbates & Præpoſiti ſecundum matriculæ ordinem: Reichenavienſis, VVeiſſenburgenſis, Præpoſitus VVeingartenſis, Salmens-Weilenſis, Walckenriedenſis, Weiſenavienſis, Schuſſenritenſis, Roggenburgenſis, Ochſenhuſanus, Gengenbacenſis, Marchalenſis, Odenheimenſis, Elchingenſis, Irſinenſis, Werthuſanus: Præpoſitus Petershuſanus, Keyſersheimenſis, Heimerani Ratisbonenſis, Monaſterii Vallis Gregorianæ, Munchenrodenſis, Monaſterii Corneliani, Werdenſis, Vſipergenſis, S. Vlrici, & Abbas Artæ, Auguſtanus, & alii adiecti.

Abbatiſſæ ſunt, Quedlenburgenſis, Eſſenſis, Herverdenſis, Monaſterii inferioris Ratisbonenſis, Monaſterii ſuperioris Ratisbonenſis, Lindavienſis, Gerenrodenſis, Rotmunſterienſis, Heckbacenſis, Gutten-Cellenſis, Beintenſis.

Prælatis annumerantur Commendatarius Provincialis Confluentinus, item Alſatiæ & Burgundiæ.

Sexto loco ſequuntur Comites & Barones, de quibus

quibus agit *auct. Ste. lib. 2, de iurisd. part. 1, 6, num. 110, usque ad finem.*

Septimum & ultimum locum occupant liberæ Imperii civitates, de quibus mox infertius agemus plenius.

Enumeratio autem hæc statuum Dn. Stephani nõ est vere secundum ordinationem Imperii & matriculæ dispositionem absolute composita, nec omnes in plena enumeratione continet status; veluti alicuius matriculæ docet copia, quam in Atlante minore descripsit suo auctor ille, *pag.* 352. Quippe Episcopi numerantur 47. quum Dn. Stephanus tantum 28 recenseat. Ita etiam matricula 26 Duces & Principes continet, quum hic tolum 22 ponat. Sic & in serie reliquorum ecclesiasticorum, quibus dignitas *Illustris* adiecta est, ultra 83 numerantur, quorum vix dimidiam partem hic recenset: Velut eodem modo in ordine Comitum & lib. Baronum (qui in duobus subsellis Imperii, Suevico & Wetteravico, sessiones suas habent, & suffragia publica duo suggerunt) ultra 144 nomina in matricula continentur, quos obiter heic tantum tetigit, dum suo loco eam curam reservavit. *Conferatur huc Reinh. Konig. olim amicus meus summus, in pol. sua, part. 1, cap. 25, pag. 428, 429, &c.*

De Civitatibus, tanquam tertio membro.

QVod autem ad tertium membrum matriculæ attinet, in quo describuntur civitates liberæ; earum numerus quidem ponitur ibi 83. Verum, quum in iis non exigua sit confusio; & multæ ab Imperio secessum fecerint, ut sunt maxime Helveticæ, & finibus Galliæ adiacentes; atque ad annum 1525 non exiguus error referatur; Nicol. Reusnerus *in Elogio suo liber. civit. & urbium Germaniæ* tantum 65. congessit, quas ordine ibidem recenset. Interim tamen nos ductum matriculæ merito sequimur: Ac, quum duo in sessionibus publicis habeantur subsellia, scamna, sive latera; quorum prius dicitur scamnum Rhenanum; alterum, subsellium Suevicum: iuxta eorum dispositionem ita recensebimus, uti primum locum in scamno Rhenano habeant.

Enumeratio Civitatum iuxta subsellia Imperij.

COlonia Agrippina, Aquisgranum, Wormatia, Spira, Turckheimium, Hagenovia, Weisbergium Sebutiorum, Argentoratum, Ober-Ebernæmium, Roshæmium, Selestadium, Colmaria, Altachium, Basilea, Cæsaris Mons, Mulhusium Suntgovie, Monasterium S. Gregorii, Metis, Toula, Verduna, Landavia, Kaufmãs Sarpruckia Besancona, Camericum, Francofurtum ad Mœnum, Fridberga Wetteraviæ, Gelnhusa, Wetzlaria, Ala, Lubecca, Hamburgum, Dortmunda, Mulhusium Thuringiæ, Northusium, Goslaria, Gottinga, Brakelium, Wartburgum, Lemgovia, Duysburgum, Dantiscum, Elbinga.

In latere Suevico sequuntur istæ Civitates: Ratisbona, Norimberga, Rotenburgum ad Tauberum, Weisburgum Norici, Donawerda, Windesheimia, Schweinfurtũ, Wimpina, Heilpruna, Hala Sweviæ, Nordlinga, Dunckelspula, Vlma, Augusta Vindelicorum, Gienga, Bopfinga, Gemunda Swevorum, Eslinga, Reutlinga, Wila, Pfulendorfiũ, Kaufbeurũ, Northusa, Vberlinga, Wangena, Yssi, Leukircha, Memminga, Campidonum, Buchorna, Ravensburgum, Bibracum, Lindavia, Constantia, Rotwila, Offenburgum, Gengenbachium, Cella in Hamersbach, Schafhusium, S. Galli, Buchavia.

Maximus est ita quidem amplissimarum & opulentissimarum in Germania civitatum numerus; sed hoc omnino observandum est sedulo, quod matricula non omnes contineat; sed patet, *ait recte Matth. Steph. in lib. 2, de iurisd. part. 2, cap. 1, n. 62,* in Imperio Romano Status reperiri, qui iuxta stylum & observantiam Imperii atque cameræ indubitanter Status sunt, sed tamen ad conventus Imperii non vocantur, licet eo ipso, quem Statum Imperii esse, dictum sit *supra, lib. eod. cap. 4, n. 46.*

Vera divisio Statuum ex dignitate privilegiorum desumpta.

QVocirca omnis Status Imperii recte dividitur in Statum privilegiatum & non privilegiatum. *de quo late in consul. collegii ICtorum Tribonicnsium, nuper Typis excuso.* Error maxime tamen inde iudicatur, quod mutatio matriculæ anno 1525 facta sit.

Civitatum vera divisio, iuxta modernam Imperii Germanici formam.

IDeoque constat hinc, non simpliciter duo, ut vulgariter antehac factum est, sed tria genera maxime civitatum dari; quum iuxta modernum Imperii Romani Statum etiam civitates distinguendæ sint. Alia enim & nova existit Reipublicæ forma à tempore Imperii in persona Caroli Magni ad Germanos trãslati; *asseverante id ita Steph. lib. 2, de iurisd. pag. 2, cap. 1, num. 17.* Proinde aliæ civitates sunt liberæ Imperiales & francæ, aliæ Imperiales tantum, aliæ mixtum statum obtinentes. Imperiales liberæ sunt, quarum alię solum Imperatorem immediate recognoscunt, & ab eo plenam & omnem concessam vel præscriptam iurisdictionem habent, neque quenquam alium præter Imperatorem Dominum suum agnoscunt. Imperiales vero quæ sunt civitates, & iure exemptitio quodam gaudent, partim Imperatorem quoad Regalia, quæ ab eodem habent, partim Electores, vel Duces Imperii, quoad territoria, in quibus sunt sitæ civitates, recognoscunt, quas tamen à principaliori civitates Imperiales rectius dicimus. *Gail. 2, obs. 54, num. 10, & obs. 57, nu. 8.* quum non nisi certis cum pactis territoriorũ Dominis subsint. *Mynsi. Resp. 13, nu. 10.* Municipales autem, seu mere provinciales, sive Ducales, sunt, quæ in totum territoriorũ Dominis parent & subsunt. *Mynsi. d. loc. & Matth. Steph. d. loc.* Quæ distinctio civitatum illustri præiudicio Caroli IV Imperatoris confirmatur inter Duces Holsatiæ, & civitatem Hamburgensem. *ut notat ex Crantzio Hotom. in disput. de Feud. cap. 24.* ceu litem hanc diremptam dicit Crantz. *lib. 10, cap. 2.* Quale præiudicium quoque Camera Imperialis exercuit in caussa Brunsvicensi contra Ducem Henricum Iuliũ, anno 1599, die 27 Septembris, *in decreto aperto.* Quemadmodum idem in civitate Magdeburgensi videre est, quæ sup Regalia solummodo ab Imperatore recognoscit, nec ulla in parte alligata est ad Archiepiscopũ, nisi ꝙ iuramentũ emendæ, propter singulare casum anno 1333, inq; Burchardũ commissum, præstet ei tũ. quũ Regalibus Imperij sit investitus, & ab Imperatore receptus, ut ita comissarium Imperii agat.

Ex quibus & similibus satis luculenter convincitur, non imperfectam modo hanc esse divisionem; sed & sacræ Cæsareæ Maiestatis & Imperii supremam auctoritatem ea convelli; atque acceptas iurium theoricas de Regaliis, à sola Cæsarea Maiestate dependentibus, everti; nisi tertium, de civitatibus mixtum statum obtinentibus, membrum addatur. *Matth. Steph. d. loc. num. 46.* Velut etiam Nicol. Reusnerus, *in d. lib. de Elog. civit. Imp. pag. 24*, id sedulo inculcat, ita id secundum gradus in omnibus disponens: Ex civitatibus vero, ait, quædam sunt municipales, quæ suis Dominis parent: veluti, quæ Principum, Ducũ, Marchionum, Comitum aliorumque Procerum ditioni subiectæ sunt; de quibus alias dicendi locus. Quædam vere civitates sunt liberæ, & à iurisdictione alterius, præterquam Imperatoris, immunes; quæ in ditione ac potestate sunt Imperii Germanici, unde & Imperiales dictæ. Ex his rursus aliæ sunt liberæ, quæ suis utuntur legibus ad morem rerumpublicarum; cuiusmodi sunt civitates pleræque Helveticæ, & Saxoniæ in extremis oræ illius partibus Oceanum usque. Aliæ vero sunt Imperatoriæ, quæ sunt veluti quoddam patrimonium Cæsaris & Imperii, statimque creati Imperatoris ditioni subiectæ esse intelliguntur, quarum sane numerus seculo superiore haut parum est imminutus: non paucis ex his vel à Cæsaribus magna vi pecuniæ oppignoratis: nonnullis etiam vel bello devictis, vel alio modo à ditione Imperii Germanici alienatis, ut vix ulla spes earum recuperandarum reliqua esse videatur. Sunt ex earum numero præcipuæ Metis, Vesontia, Constantia, Verodunum, Tullum, Cameracum, Bodobriga, Noviomagum, Vesalia, Daventria, Swolla, Brisacum, Rhenifeldum, Neoburgum Rheni, Mosbachium, Oppenhæmia, Ingelhæmia, Cæsaris Lotharia, Lavingia, Groeninga, & aliæ nonnullæ. Hactenus Reusnerus. Sic etiam Boterus, *lib. 2, cosm. sue, cap. de Imp. Rom.* luculenter ostendit, unde orta sit tanta mutatio, quod tempore Rudolphi prope tota Italia in viribus suis surrogandis defecerit ab Imperatore, adeo ut illi nihil nisi nomen prope remanserit. Atque quum alii Domini aut Principes Vicecomitesque sibi sua raperent dominia; tamen maxime civitates, precio licet interdum satis exiguo, libertatem plenam redemerunt; velut Lucensibus non plusquam decem millibus aureorum, Florentinis sex millibus, ea constat. Quamvis autem ita partim vi, partim clancularie, partim titulo aliquo specioso, tam Principes quam civitates Imperio se subtraxerint, ita ut Imperium præsenti tempore fere in Germania conclusum sit; tamen, per leges fundamentales & interna iura sua ac potentiam communicatam invicem, ita arcte per membra sua cohæret, ut non tantum solidum corpus iuste referat capiti suo devinctissimum, sed & propter religionis conscientiarumque libertatem unice ferme & solummodo veram reipublicæ Christianæ formam repræsentare præ cunctis aliis appareat; licet hodie Belgium & unitæ Provinciæ Imperio Germanico prope palmam in hoc summo bono præripere, & proinde omnem fortunam prosperitatemque in se derivare videantur aut cupiant, modo non nuper inutili discordia ab hac laude parum devjassent.

Optima & boni Imperij nota, ex Distingavio.

ETenim regnis alias & imperiis aut rebuspubl. nihil æque inimicum est, quam conscientias mortalium contra mandatum Christi constringere velle, ait Distingavius; quum Christus solus pastor sit animarum unicus, & ille sibi soli iudicium cum pleno dominio in eas reservarit. ut aperte id declarat erga discipulos suos, quum nimis fervidos evulsores zizaniæ præstare se cuperent *Matth. 13.* ideoque inhibitione seria illis hoc imponit, ne colligendo zizania, eradicent simul cum eis triticum. atque propterea vult, ut utrumque simul crescat usque ad messem, quum ipse tunc iudicium condemnatorium cum executionis mandato sit exercitaturus; ut habet *v. 29, & 30.* Sicut & ipse Christus plenius id ita expressis explicat verbis ad petitionem discipulorum, eodem in loco, *vers. 37, 38. usque ad 44.* ubi differtam interpretationem talem addit, quod filius hominis missurus sit angelos suos, qui ex ipsius regno omnia offendicula, & eos qui dant operam iniquitati, colligere debeant, ac pœna æternali eosdem mactare, &c. quod adeo verum quoque pronunciat, ut nec ipse pater cœlestis quenquam propterea iudicare velit; sed omne iudicium filio commiserit, *Ioh. 5, vers. 22, & 23.* ideoque eum honorem non concedit alii ulli: sed, quum discipuli ex Samaria reverterentur, & de infructifero doctrinæ suæ labore conquererentur, vindictamque peterent, propter duritiem populi, ut ignis cœlestis consumeret tales incredulos; revocat eos ad pacem & mansuetudinem, dicens: An nescitis cuius Spiritus filii sitis? *Luc. 9, vers. 54, & seqq.* filii enim secundum Spiritum, *Gal. 4, vers. 29*, sunt filii pacis, *Luc. 3, vers. 6.* & Christus neminem cupit perdi, sed ut omnes serventur ad vitam; *Luc. 9.* velut propterea vitam suam impendit pro cunctis, *Matth. 20, Marc. 10, Luc. 22.* Vnde nemini mortalium hoc alia iurisdictio, quam doctrinæ competit, non iudicii. velut ipse Christus sedulo & serio id præcipit, inquiens: Nolite iudicare, nec iudicabimini, *Matth. 7, vers. 1.* Nolito condemnare, nec condemnabimini, &c. Quippe Christi regnum non est huius mundi; *Matth. 26.* sed est regnum occultum & spirituale; in quo Spiritus Dei in suis fidelibus operatur suo modo sancto. Proinde Ioh. Nordermannus, *in dissert. sua de iure Principatus*, talibus verbis hanc formavit quæstionem, *th. 26*, ubi ita eam ponit: Ergo, inquis, Princeps habebit imperium in conscientias? Nequaquam. Nulla enim maior tyrannis est, quam quæ hominum conscientiis sibi imperare præsumit. Iudæi ad Pilatum contra Iesum ita clamabant *Ioh. 19, vers. 12*, Quicunque se regem facit, contradicit Cæsari: Multo magis igitur is, qui conscientiis imperare cupit, se Dei loco constituit, ac se Deum facit. An non igitur Deo & Christo contradicat? O absit talis idololatrica vis ab humano corde! Quilibet se potius potens Christo inferiorem agnoscat, ne similis sit Nebucadnezari. Conscientiæ enim libertas Dei & Christi opus manet in operatione Spiritus Dei. Mentium enim rex, Deus est. *Curt. lib. 8.* Quis mihi imponat necessitatem credendi (in-

di (*inquit Lactant. lib. 5, cap. 14, Inſtit.*) quod nolim, vel non credendi quod velim: Fides ſuadenda eſt, non imperanda; & magis rollitur vana opinio, quæ ſenſibus inſidet, docendo, quam iubendo; monendo, quam minãdo. *Aug. in Epiſt. Monſ. de Lanſac. in orat. ſua, habita nomine Caroli IX. Reg. Gall. in Trid. Concilio.* Nulla commodior eſt via, *inquit Carolus V. Imperator in proœm. legum publ. iud.* §. 7, à fide Chriſti alienos, aut in avia delapſos, in viam reducendi, & ad ſpontaneum Dei cultum revocandi, quam ſi verbo & ſpiritus potentia hæreſes convincantur, errantes ſanabileſque cum manſuetudine tractentur. Minime vero quiſquam vi, carcere, tormentis, flagris, ferro, fune, flumine, flamma ad colendum numen, cui non niſi voluntaria mentis noſtræ & labiorum ac pectoris victima, non thuris neque hecatombes ſacrificium probatur, à noſtris iudicibus cogetur, &c. *Vide infra, theſ. 27, lit. b. ubi reliqua verba Imperatoris citantur.* Errat, (*inquit Rex Navarræ, in epiſtol. ad Ordines Gallia Chaſtelrand, 41, Martii anno 1589, data,*) ita me Deus amet, & res ipſa clamet, ſi quis credat, vi & minis à nobis aliud extorqueri poſſe. Sæpe me religionem meam mutare voluerunt; ſed quomodo? Adhibitis ſemper minis, tanquam ſub carnificis manu. Etiamſi meæ conſcientiæ nullam habuiſſem rationem, honoris tamen mei reſpectus, quo minus id facerem, deterruiſſet. Quis unquam fando audivit, Turcam vel Ethnicum aliquem, propter religionem, priuſquam an poſſet converti tentatum eſſet, occiſum fuiſſe? Non puto, hoſtium quenquam eſſe, qui me longius à vero Dei cultu & cognitione, quam Turcæ abeſſe exiſtimet: Severius tamen mecum, quam cum barbaro agitur. Iam pridem edoctus; veram & unicam rationem populos ad cultum Dei conciliandos, pietatem ſtabiliendi, eſſe clementiam, pacem, ſalutaria exempla: non bellum, neque omnium rerum promiſcuam confuſionem, ex quo omnium ſcelerum & flagitiorum propago redundat. Huc etiam referri poteſt Conſtitutio Imperii ſub anno 1555, §. Setzen demnach/§. vnd damit ſolcher/§. damit auch obberürte *verſ.* So ſoll die Geiſtliche/ ꝛc. De illo igitur qui ſimpliciter errat ex humano morbo, non loquor. Hic enim mitioribus remediis, ut convaleſcat, curandus. *l. 3. C. de apoſt.* Hunc itaque miſericorditer corripiat ut hominem, & id quod poteſt lugeat. *Auguſt. lib. 3, cont. Parmen. Cyprian. ad dictum Chriſti Matt. 23, 19. Calv. lib. 4, cap. 12, ſect. 11, Inſtit. D. Lutherus de formula Miſſæ, tom. 1en. & in aſſert. omnium artic. per Bullam Leonu X damnatorum, fol. 326, aſſert. 33.* Neque de infidelibus, qui ſunt extra Eccleſiam, aut hypocritis, vel etiam hæreticis latentibus, (qui omnes Dei iudicio ſunt relinquendi;) ſed qui blaſphema impietate, Dei maieſtatem & concordiam Chriſtianam violant, pœnas ſumere licet. *Conſtitut. Imper. ſub anno 1530, §. Darauff ordenen/v. vnd ob zum dritten mal. & in d. proœm. conſtitut. crim. Carol. V. §. 9.*

Velut igitur Chriſtus ſui interni & æterni ſive ſpiritualis Regni Imperator eſt adſiduus & unicus, atque manet; ita quoque in externo Chriſtianus Imperator & corporeo huius mundi regno, quod alteri habitaculum ſuum totum præbet, dominus viget: unde Imperatoris gloria eo maior eſt undique, & apud omnes terræ incolas habetur, ut nemo eum dignitate vel auctoritate hac ſuperet. Et quidem, *ait Steph. lib. 2, de Iur. part. 1, cap. 1, memb. 1, num. 3,* debet Imperator, & ita Imperio præeſſe, & conſulere, *l. 2, §. novißime. ibi,* reipublicæ, *conſ. D. d. orig. Iuris,* eiuſque curam gerere, & ſubiectorum commoda ad inſtar tutoris inveſtigare, *d. l. qui fund. 7, §. ſi tutor 27. l. tutor 27, D. de admin. & peric. tut. l. interdum 56, §. pen. D. de furt. c. monemus, ibi.* ne Eccleſia Dei ad nihil redeat, 12, q. 2. ut imperii utilitas maxime incorrupta perſiſtat; *ut eleganter Fridericus Imperator præfatus eſt in tit. de prohib. feud. alien. per Freder. Videatur hoc Bened. Carpz. in pulcherrimo libello ſuo de leg. Reg. German. cap. 3, n. 17, 18, uſque ad 23.*

Imperium Rom. Germanicum unde in Circulos diviſum?

SEd ut ad deſcriptionem ordinariam revertamur, id ulterius hoc obſervandum eſt, quod, quum cura Imperii huius ſumma ſit, & eius libertas in ſingulis membris cum tanta amplitudine diſperſa, ut prope cuique provinciæ ſuæ mores in regalibus competant, & nihilominus ad mutuam Germaniæ defenſionem ac pacem conſtringantur, diviſæ ſint Provinciæ in ditiones aliquot, quas Circulos appellant, inque iis inſtituta ſint particularia Imperii conſilia.

Circuli ſive Provinciæ quot?

ATque primo omnium totum hoc Imperium Germanicum ſex fuit deſcriptum provinciis, *ait Roven. lib. de Vrb. Imp.* quas Orbes ſive Circulos vocant: Nimirum in Franconiam, Bavariam, Sueviam, Saxoniam, V Veſtphaliam & Rhenoniam. Quod factum eſt anno Chriſti 1500. Auguſtę in Comitiis, imperante D. Maximiliano I. Cæſare. His finib. omnes ubiq; Principes ac Civitates in Imperii comitiis antiquo more cenſentur: poſt, eodem Imperatore regnante, Coloniæ anno 1512, §. darauff haben/*cum* §. *ſequent.* Saxonia ſuperiori per diviſionem in Superiorem ac Inferiorem, ac deinde adiecta Belgica provincia ſiue Burgundia & Electorali Rhenana, & Auſtria, decem Regionibus ſeu Circulis Imperium circumſcribi cœptum: quod & à Carolo V. Imp. in comitiis V Vormatiæ anno 1521, & Norinbergæ anno 1522, conſentientibus omnium Imperii ſtatuum ſuffragiis, confirmatum eſt. Erklärung deß Landfriedens zu Nürnberg/Anno 1522. Ex his Imperii Germanici Provinciis Senatus ſive Conſilium Imperii XXII. virorum, quibus ſumma Reipub. ob conveniendi difficultatem commiſſa eſt, ſubinde legitur ſingulis trimeſtribus fere Norimbergæ (niſi aliud ſuaderet rei neceſſitas) haberi ſolitum hactenus: Cuius Princeps eſt Imperator eiuſve Legatus: ſenatores ſive adſeſſores ſex Electores: principes Imperii duodecim partim eccleſiaſtici, partim ſeculares: Ita ſcilicet, ut ſingulis trimeſtribus ex Electoribus ſinguli, ſex Principibus bini, per vices interſint Conſilio. Additi ſunt his ex cæteris ſtatibus Imperii Senatores duodecim: Imperatorii duo: duo item Auſtriæ & Burgundiæ provinciæ nomine Legati. Præterea ex quatuor Prælatis delectis ſinguli, ſingulis trimeſtribus more Principum invicem ſibi ſuccedentes: Comes item, vel Baro unus nomine Comitum & Baronum Imperii: Bini quoque Senatores ex octo liberis civitatibus, ſimiliter per trimeſtria mutuas vices ſubeuntes. Denique ſex Equites aut Doctores ex totidem Imperii Circulis ſingulariter deſtinati; Nempe ex Franconia, Bavaria, Suevia, Rhenana, W eſt-

na, Weſtphalia & Saxonia. Qui autem Principes, Epiſcopi, Prælati, Comites, Barones, Civitates, quibus Circuli Imperii ſubiecti ſint, ſequens docebit recenſio. Namque in dignitatum diſpoſitionibus is nunc ordo obſervatur, *ut Conſt. habet Norimberg. Paurm. lib. 2, de iur. cap. 2.*

Circuli cuiuſque contenta qua?

1. SVb Circulo Auſtriaco ſunt, Auſtriæ Exarchatus, & Tirolis Comitatus; cum omnibus ſubditis regionibus ac Epiſcopatibus, Tridentino, Brixiano, Viennenſi, Secavienſi, Labachienſi; Comitatibuſque Hardeck, Wolkenſteyn, Loſenſteyn, Rogendorf.

2. Burgundico ſubſunt tota Burgundia, cum omnibus ditionibus ſubiectis ultra Moſam citraque; ac provinciæ Belgii, & Comites Egmundt, Naſſau, Breda, Iarme, Iſelſteyn, Bergen, Walen.

3. Rhenanus ſuperior Electoralis continet quatuor Electores ad Rhenum, cum Prælatis, Comitibus, Baronibus, & Civitatibus ſub iiſdem ſedes ſuas habentibus.

4. Saxonicus ſuperior complectitur duos Electores, Saxonicum, & Brandeburgicum; Epiſcopos ſeptem, Miſnenſem, Mersburgenſem, Naumburgenſem, Brandeburgenſem, Havelsbergenſem, Libuſienſem, & Caminenſem: Principes, Saxoniæ, Pomeraniæ, Anhaltinos; una cum Prælatis, Comitibus, & Baronibus horum ditionibus ſubiectis. Abbates ſunt, Salveldenſis, Walkentidenſis. Abtiſſæ, Quedlinburgenſis, Gerinrodenſis. Comitatus, Schwartzburgenſis, Mansfeldenſis, Stolbergenſis, Honſteinenſis, Regenſteinenſis, Barbyenſis, Gleichenenſis. Barones, Schonbergenſis, Taurenbergkenſis.

5. Saxonicus inferior habet ſub ſe Archiepiſcopos Magdeburgenſem & Bremenſem. deinde Epiſcopos Hildesheimenſem, Halberſtadenſem, Lubeccenſem, Ratzeburgenſem, Suerinenſem, Mindenſem, Werdenſem, &c. Duces Brunſvicenſem, Lunæburgenſem, Megapolitanum, Holſatiæ, & Lowenburgicum; una cum Prælatis, Comitibus, Baronibus, & Civitatibus, Lubecca, Mulhuſia, Northuſia, Goslaria, &c. uſque ad Mare Balticum.

6. Francicus continet Epiſcopos tres, Bambergenſem, Wurtzburgenſem, Aichſtadienſem: Magnum Magiſtrum Teutonicum: Barggravium Noribergenſem: Prælatos Cambergenſes: Comites Hennenbergenſem, Caſtellanum, Hohenloenſem, Schwartzenbergenſem, Erpachenſem: Barones, Civitateſque liberas eius circuitus, Nurnbergum, Rotenburgum Tauber. Winsheimum, Schweinfurtum, Weiſſenburgum Neccariæ.

7. Bavaricus ambit Archiepiſcopum Salisburgenſem; Epiſcopos tres, Ratisponenſem, Friſingenſem, Paſſavienſem; Duces Bavariæ utriuſque; Landgravios Leuchtenbergenſes; Prælatos; Comites Ortenburgenſes; Barones; & Civitates liberas, Ratisbonam, &c.

8. Suevicus complectitur Epiſcopos tres, Curienſem, Conſtantienſem, Auguſtanum; Duces, Wirtenbergenſem, & Teccæ; Marchiones Badenſes; Societatem S. Georgii; Equeſtrem Ordinem Hegaviæ; una cum cæteris Prælatis, Comitibus, Baronibus, & liberis Civitatibus maxima ex parte viginti ſex, quum hic Circulus ſit ampliſſimus.

9. Rhenanus inferior habet Epiſcopos, Wormacienſem, Spirenſem, Argentinenſem, Baſileenſem, Luſanenſem, Metenſem, Tullenſem, Verdunenſem: Abbates Fuldenſem, Hirſchfeldenſem, &c. Duces Bipontinos & Simmerienſes; Ducem Lotharingiæ; Landgravium Haſſiæ; Comites Auſtraſiæ & Wetteraviæ; una cum cæteris Prælatis, Comitibus, Baronibus, Civitatibus liberis circum circa ibi iacentibus, numero viginti duabus.

10. Weſtphalicus habet ſub ſe Epiſcopos quinque, Padebornenſem, Leodienſem, Traiectenſem, Monaſterienſem, Osnabrugenſem; Duces Iuliacenſes, Bergenſes, Clivenſes, Geldriæ; Comites Naſſovienſes, Seinenſes, Viernburgenſes, Iſenburgenſes inferiores; & cæteras regiones uſque ad Moſellam; una cum cæteris eiuſdem ditionis Prælatis, Comitibus, Baronibus & liberis Civitatibus.

Ordinatio Circulorum in quibus conſiſtat?

IVxta eam conſtitutionem, qua hæc Circulorum ordinatio inventa & in ſuas claſſes quaſi diſtributa fuit, æquum quidem eſſet, ut ordinarie ſingulis annis ſemel, vel etiam ſæpius, ſi neceſſitas id flagitaverit, in aliqua Imperiali aut magna alteri ſubiecta civitate convenirent, ac de contributionibus, monetis probandis, vel reprobandis, præſentatione adeſſorum Cameræ, executionibus contra contumaces à Statibus faciendis agerent: (quibus duo Principes vel Duces, qui conventus indicunt per litteras, vulgo Cranßtags Außſchreiben/ præficiuntur; vulgo außſchreibende Fürſten: quorum alter eccleſiaſticus alter ſecularis eſſe debet:) Verum, quum in aliquot locis res negligentior habita ſit, multum decrevit iſte mos. In comitiis autem, quando circulariter quid deliberandum concluditur, in ſex tantum contrahuntur. Cammergerichts Ordnung zu Conſtenz/ anno 1507. *Rutg. Rul. par. 1, de Commiſ. lib. 5, cap. 4, num. 54. Knich. ad im Saxon. pag. 71. Matt. Steph. lib. 2, de iur. part. 1, cap. 4, num. 48.* Atque ſi alicui Circulo bellum inferatur, hoc peculiare ipſis ius eſt, ut præfectum quendam generalem ceu dictatorem ſibi conſtituant; & ſi non ſufficiat unus Circulus, tenentur proximi aut viciniores, ad ſollicitationem alterius, ſtatim in periculis hærenti omni ſubſidio ſuccurrere, ne facile alicuius partis diſmembratio fiat, & ita eo promptius ſalvari poſſit. Ad cuius rei expeditionem faciliorem illis conceſſum eſt, ut contributiones particulares exigant à ſuis ſtatibus: Ac, ſi quis in mora ſit, ſtatutum eſt ab Imperio, & approbatum, quod debitor poſſit ad tertium monitoriale emanatum vi aut repreſſaliis cogi pro ſolvendo eo, quod ipſius loco fuit expoſitum, cum intereſſe & ſumptibus additis.

De conventibus & Comitiis Imperij.

DVm hoc de conventibus certis publicis agimus aut comitiis, neceſſum eſt, ut paucis etiam hunc ordinem Imperii pertexamus; & monebimus paucis, quid comitia, & quotuplicia ſint.

Comitia quid & quotuplicia?

GEneraliter autem Comitiorum verbum accipitur pro omnium, tam univerſorum Ordinum, quã partis eorum, ad conſultandũ aut decernendum de Reipublicæ ſalute, conventu. Atq; is conventus

aut eſt generalis, aut particularis, pro diſpoſitione & neceſſitate rerum ad quas pertinet.

Vniverſalis Conventus ſive comitia in quibus conſiſtant.

GEneralis, eſt Principum & Optimatum pro ſalute & incremento Reip. convocatio & conventus; unde etiã univerſalis dicitur, & vulgo ein Reichs-Tag oder gemeine Verſamblung. Quæ in conſtitutione & diſſolutione ſua conſiſtit. Conſtitutio continet ſolemnitates & res tractandas ſive negotia; quę aut ordinaria ſunt, aut extraordinaria.

Cauſſa & negotia comitiorum ordinaria.

ORdinaria autem negotia, quorum cauſſa comitia haberi ſolent, hodie ſunt omnia, circa quæ poteſtas politica ordinarie verſatur: legum nimirum ferendarum, belli gerendi, fœderum faciendorum; ſolvendorum tributorum, iniungendorum; iudiciorum exercendorum, & rerum imperii alienationum cauſſæ: item de formanda & conſtituenda pace, & tranquillitate publica, de monetis, de matriculæ Imperialis redintegratione, ac avulſis ab Imperio provinciis, civitatibus, & ordinibus recuperandis: aliiſque plurimis negotiis ad conſervationem Imperii & ſalutem publicam pertinentibus.

Extraordinaria comitia quæ?

EXtraordinaria autem haberi ſolẽt propter cauſſarum controverſarum cognitiones aut deciſiones, item ſupplicationes, aut Statuum inveſtituras, vectigalium novorum conceſſiones, aut prorogationes veterum ad certos annos, &c.

Conventus particulares.

PArticularia autẽ Comitia ſunt, quibus pars Principum & Optimatum convenit. Suntque duorum generum. Namque aliquando ex univerſo Imperii collegio quidam ſelecti conveniunt; aliquando vero certa pars aliqua vel claſſes, vel certi loci ac regiones Imperii. Ex univerſo Imperii collegio ſelectorum & deputatorum olim *conventus* erat *Regimenti*; *de quo eſt tit. 1. decreti Auguſt* Von den zwantzigen ſo zu der Königl. Mayeſt. vnd deß H. Reichs Regiment geordnet: *item tit.* von deß H. Reichs Regiment / ꝛc. Quum enim univerſi ordines Imperii abſque ingenti ſumptu ac moleſtia commode pro neceſſitate occurrente convenire non poſſent, placuit in comitiis Auguſt. anno 1500. Maximiliano & Ordinibus, ut præter Imperatorem & eius Legatum viginti perſonæ ex Ordinibus eligerentur, qui eſſent loco Senatus Imperialis *d. decret. Aug.* Et his ab Imperatore & Ordinibus conjunctim plena poteſtas data fuit, ius & iuſtitiam adminiſtrandi, ac de quibuſcunque ſubditorum querelis plene cognoſcendi ac ſtatuendi, pacem ac tranquillitatem publicam tuendi, &c. *Ordin. Regimenti Auguſt. anno* 1500, *tit.* 1, 2, & 10. Hæc Regimenti conſtitutio creſcente Caroli auctoritate in deſuetudinem abiit. *Paur. cap.* 2, *n.* 48. *&c.*

Ex eodem genere hodie conventus Deputatorum & Viſitatorum Cameræ eſt, ex Decret. Auguſt. anno 1551. inſtitutus, qui itidem ordinarius aut extraordinarius, &c. *Paur. d. loc.*

Conventus Electorales.

CErtæ claſſis, eſt Electorum Conventus, cuius cauſſa habetur & modus in aurea bulla Caroli IV. Qui itidem aut eſt ordinarius, & propter electionem Imperatoris habetur: vel extraordinarius, iuxta dictam auream bullam. & dicuntur etiam comitia Imperatoria, quæ aut libera aut coacta habentur.

Conventus Circulares.

SEd demum ex certis locis ac regionibus congregatorum ordinum ſunt conventus Circulorum; vulgo, ut dicunt, Crayßtage. Circulorum vel regionum prima mentio in ordinatione Regimenti *Auguſt. Maxim.* I, *anno* 1500, *tit.* wie zwantzig Perſonen/ *&c. §. fin.* ubi ſex circuli conſtituti ſunt, Franconicus, Bavaricus, Sueuicus, Rhenanus, Weſtphalicus, Saxonicus, quorum ſimul quiſque binorum adſeſſorũ Cameræ nominationem habet. *Ord. Cam. Maxim.* I, *Conſtant. anno* 1507, §. 1. *& Ord. par.* 1, *tit.* 1, §. deßgleichen. De horum autem conventuum auctoritate & iuriſdictione ac modo exequendo iam ante dictum eſt. Vnde vere profert hæc Boterus *part.* 2, *Coſmogr. tit. de Imp. Rom.* quando ait: Neceſſitate exigente, cõtribuit Imperium maximas pecuniarum ſummas, colliguntque extraordinarie. Vt eæ contributiones facilius colligi poſſint, eſt Germania in decem Circulos diviſa, in quibus fiunt conventus particulares, pro executione edictorum, quæ in diætis Imperii facta ſunt, & aliis ſimilibus incidentibus. Sic etiam idem *part.* 1 *tit. de Germ.* integre deſcribit proceſſum comitiorum univerſalium & electionis in Imperatore novo conſtituendo. *pag.* 95, additque ſolemnitates, quæ in actu coronationis atque feſtivitatibus aliis obſervantur; uti tales ipſe oculis annotavi, quum anno 1612. D. Matthias II. cum coniuge coronaretur.

Officia publica Electorum in comitiis Electoralibus quæ.

VErum ante omnia hoc loco merito annotandum eſt, quod officium cuiuſque Principis publicum in hiſce actibus maxime queat obſervari; veluti unuſquiſque Electorum deputatum munus tam tempore interregni, quam electionis cogitur exercere. Namque Moguntino tanquam Archicancellario Germaniæ intra menſis ſpacium indictio & cõvocatio conventus, non aliter quam ex Principis Electoralis poteſtate, competit; utpote qui archivum Imperii totius ſibi concreditum habet ita, ut præſes eius & conſervator ſit perpetuus: unde etiam aulæ Imperiali Vicecancellarius adeſt, qui nomine huius Electoris, actis Imperii publicis ſubſcribat. Trevirenſis & Colonienſis quidem itidem Cancellarii ſunt; ſed non Germaniæ. Quippe Trevirenſis Galliæ, & maxime Arelatenſis regni, ad quod Sabaudia & Burgundia referebatur, olim erat; & Colonienſis Italiæ. quorum officium tum erat in Imperio, ut, quoties Imperator Italiam ingrederetur, Colonienſis diplomata Imperialia ſubſignaret, eiuſque nomine & conſenſu ederentur: quoties vero ſe conferret Imperator in Galliam, tunsidem ius eſſet Trevirenſi. Quæ poteſtas huc uſque à Friderici II. temporibus ferme acquieſcit; nihilominus officii huius dignitas retinetur, ut veteris iuriſdictionis veſtigia adhuc declarent & monſtrent notanda in

da in memoriæ teſtimonio. Atque, quum conſtet, hoſce Principes comitiis à tempore Caroli Magni interfuiſſe, Electuræ dignitas illis merito manſit; adeo ut in votorum collatione priorem tueantur locũ. *Arum. ad a. bul. p. 125.* Ideoque aurea bulla, *cap. 4*, vocem primam Trevirenſi deputat: ſecundum vero ſuffragium Archiepiſcopo Colonienſi attribuit; qui etiam hoc ſimul obtinet officium, ut diadema regium regi Romano imponat primus.

Inter reliquos Electores antiquitus Comes Palatinus Rheni primum locum merebatur, quum præter eligendi Regis & Imperatoris poteſtatem eximiũ hoc ipſi ius eſſet, quod, vacante Imperio Romano, Comiti Palatino Rheni, nec non Electori Saxoniæ, incumberet, ut vires Imperatoris Romani in omnibus & per omnia ſuſtinerent. *Aur. bul. t. 5.* Velut etiã hic uſus firmiter adhuc obſervatur; Quum Vicariatus non aliunde, quam à vi & iure præfecturæ Palatii veteris, ſive Maioratus domus, ſub regno Francorum deſcenderit; & præ aliis duo Palatini, Rhenenſis, & Saxonicus, (quippe & ipſe Palatinus olim appellabatur, *ut ex veterum actis apud Magdeburg. conſtat*) totius Imperii vicariam adminiſtrationem, diviſis inter ſe limitibus, meriti fuerint. Nam Imperium Romanum tum diviſum erat in duo regna, Lombardicum, & Teutonicum. Iſtud vero Teutonicum duplici iure regebatur, Francico, & Saxonico. Hoc gentem Saxonicam, uſque ad Mare Balticum, & Sarmatiam, ſive Poloniam: illud tractum Rheni, Franconiam, Sueviam, Bavariam, Auſtriam, ad Alpes uſque, complectebatur. Conveniens itaque viſum fuit, ut duo illi Palatini, ceu proximi à Cæſare, eo abſente, vel mortuo, vice ſacra Regnum totum Teutonicum gubernarent. Hoc à maioribus inſtitutum Carolus IV, in comitiis Imperatoriis Norimbergæ confirmavit, & aureæ bullæ inſerui; & Cæſares tam ante, quam poſt illum, peculiaribus diplomatis, ut & alia regalia, Palatinis Principibus confirmare conſueverunt. *Hactenus Clut. in ſyll. rer. cot. lib. 24, lit. L.* Quamvis autem olim Rex Bohemiæ eſſet noviſſimus, *Krantz. lib. 4. Sax. 28.* ac Palatino dictas ob cauſſas primus, Saxoni medius deberetur ubique locus; tamen Carolus IV, quum videret, Imperii ſalutem, niſi in uſum Othonica ſanctio revocaretur, conſiſtere minus poſſe, tranſmutavit ordinem; & Marchioni Brandenburgenſi primario, quia filius, ultimum tribuit. *Clut. d. l. & Iob. Baptiſt. Egnat. Ven. lib. 3. Rom. Princ. de Ott. 3.* Tertium itaque in electione ſuffragium per aureæ bullæ conſtitutionem Regi Bohemiæ, ea de cauſſa, quod is inter ſeculares ex Regiæ dignitatis faſtigio iure & merito primariã obtineret, adſignatum eſt. Qui enim maiorem dignitatem habet, iure quoque non tantum priorem vocem poſſidebit, *Fab. de Anna, conſ. 40. num. 28. Marſur. conſ. 26, num. 9.* Sed etiam Regi Bohemiæ privilegium datum eſt ab Imperatore Philippo, in comitiis Moguntiæ anno 1200. Aliãs fuit hæc Otthonica conſtitutio, ut Rex Bohemiæ præeminentia quadam prævaleret quidem, & ſeſſura reliquos anteverteret, atque una cum Coëlectoribus electioni intereſſet, ſed tantum, ſi paria eſſent vota, ipſe arbiter & Palæmon exiſteret. Quo nomine etiam Rex Bohemiæ ſibi votum reſervavit in præfata aur. bulla. *Clut. d. ſyll. L.* Dehinc quarto loco ſuccedit Comes Palatinus, qui votum ſuggerit ſecundum juramenti formam. Quinto loco Dux Saxoniæ ſive alter Palatinus. Sexto veto Marchio Brandeburgenſis roganduseſt. Talique ordine votis omnium perquiſitis, dicti Principes Moguntinum vice verſa requirunt.

Præterea in Curiis ſolemnibus, ut & in coronatione Regis vel Imperatoris, comitiis Imperii & aliis panegyricis Conventibus, aliud illis ſecularibus eſt munus. Vnde Rex Bohemiæ Archipincerna ſive Pocillator; Palatinus Pomifer, & Dapifer; Saxoniæ Dux Archimareſchallus & Enſifer; Marchio Brandeburgicus Archicamerarius & Sceptrifer dicitur. Etenim Rex Bohemiæ in celebratione Curiæ Imperialis primum potum Imperatori afferre tenetur; quem tamen ſub corona regali, niſi libera voluntate voluerit, non tenebitur miniſtrare, *Hartm. Maur. libr. de cor. Car.* V. Palatinus Rheni pomum ſeu globum aureum crucigerum in proceſſu ſolemni Imperatori præfert; quod eſt Imperii inſigne præcipuum, & ab omni fere antiquitate globus ille ſignum univerſalis imperii; quẽ etiam Auguſti ſtatua manu tenens, quę Romæ viſitur, notat: *Vid. Cl. d. l. th. 24, lit. L.* In Curia vero cibum afferre tenetur. Elector vero Saxoniæ Portitor enſis & Mareſchallus, in proceſſu regio enſem nudatum & ſtrictum Imperatori præfert, in ſignum iuſtitiæ; cuius etiam inſigne ſunt duo gladii decuſſatim compoſiti; uti olim apud Byzantinos fuerunt Spatarii & Protoſpatarii, atque ceu præfectus prætorio, gladium Imperatori præferebat in ſignum meri imperii. Dehinc quoque officium Mareſchalli exercere tenetur, avenam in conſpectu Imperatoris metiendo. Aſt Elector Brandeburgicus, ceu cubiculi regii cuſtos, fiſcique præfectus, ſceptrum (olim etiam clavem) in argumentum gubernationis, Imperatori, quando coronatur, præfert; & etiam in inſignibus ſuis notam hanc gerit; ad menſam vero ea quæ exhibet miniſterium.

De vicariis Electorum, qui ſint.

SI vero Elector aliquis abſit, abſentis officium is, qui vices eius gerit, adminiſtrabit: quod etiam noviſſime in coronatione Auguſtiſſimorum Imperatorum Matthiæ & Ferdinandi II. factum eſt, ut vidi ipſe.

Sunt autem hodie vicarii & ſubofficiarii Principum Electorum: Bohemi R. Pincerna de Limpurg: Palatini Dapifer de Walpurg: Saxonis L. B. de Pappenheim: Brandeburgici Comes de Hohenzollern.

Ex his patet quidem aliquo modo, quanta ſit Electorum dignitas, & quæ iura illis præeminentiæ competant. Sed & alia privilegia obtinent, quæ huius loci non ſunt.

De origine Electorum Imperii Romano-Germanici.

SAltem non prætereundum eſt, quod multi Politici & Hiſtorici ſe mire torqueant de origine huius ſtatus, quum tamen non adeo difficile ſit, ſi recte id advertatur, & quis ad veram hiſtoriæ Saxonicæ cognitionem recurrat, tituſque antiquos Germaniæ ſecum rite reputando examinet. Evidentia rei id facile ſuggerit, ut non ſit opus, adeo ſollicite inquirere, quod temporis momentum primam Electoribus originem dederit. Velut Arnilæus *in elect. pol. lib. 2, ca. 6, n. 9, 10, 69, 70, 73, & 74*, in hoc ſibi contradicentia ſtatuit: dum mutationem iurium & legum Imperii in eo po-

eo potissimum momento quærendam esse asseverat, quo invaluerit auctoritas Electorum; *num.* 9, & 41. Et quamvis *num.* 74 expresse confiteatur, tempore Caroli IV divisum esse Imperium inter Imperatorem & Electores; quum Carolus IV *cap. ult. aur. bull.* illos in partem sollicitudinis constitutos aiat; item eosdem columnas & latera Imperii vocet, *in d. c. ult.* quibus basis totius ædificii nitatur; item palmites Imperiales, & septem candelabra lucentia in unitate spiritus septiformis, *in Præfat. aureæ bullæ*, vocitet, &c. quibus tribuerit potestatem in ipsam Curiam Imperialem, ut iis incumbat cura & facultas errores Imperii corrigendi, &c. Tamen *num.* 69 in præcedentibus ponit pro certo, Electorum potestatē modo invaluisse post Carolum IV. Etenim quæ mutatio iurium & legum Imperii maior dari potest, quam si is, qui supremus est, & caput rerum omnium refert, auctoritatem & potentiam suam ita penitus exuat aut imminuat, ut iura sua summa cum minoribus dividat, iisve se æqualem constituat? Nihilominus addit, quod amplitudine auctoritateque magis per patientiam sequentium Imperatorum creverint; quum tamen contrarium verum sit, quod ante ea & in iis temporibus magis eorum potentia & auctoritas floruerit, quam nunc, aut in sequentibus seculis tunc postea, ubi maxime legibus adstricta tenetur. Namque quænam maior potestas? num quæ libera, aut legum vinculis impedita? Sic quænam amplior dignitas illis obferri potuit, quam quum ab ipso Imperatore in dimidiatis Imperii iuribus celebrarentur & confirmarentur æquales? Tum etiam quis sublimior locus & potentia illis obtingere potuit, quam quum duo, inter eosdem, vicarii ipsum locum Imperatoris, tempore interregni occuparent? adeo, ut tā absolute, iuxta consuetudinem veterem utriusque Palatinatus, etiam ante auream bullam, quam ipse Imperator, gubernarent. quæ potestas multum per intervalla aliquo modo decrevit in posterioribus temporibus. Longum foret exempla allegare. Quicquid vero sit, *ait Koning. in pol. sua, part.* 1, *cap.* 31, *nu.* 14, illud in confesso est, vacantis Imperii administrationem vicariatus iure Comitibus Palatinis, ex antiqua & inveterata consuetudine, etiam ante auream bullam, competiisse. ut etiam constat ex confessione *apud Crispin. in vita Ludov.* ubi Ludovicus IV Imperator in Comitiis Francofurtensibus de anno 1339, ante constitutionem A.B. Caroli IV, ita loquitur: Longa & approbata consuetudine inconcusse à maiorum ordinatione hactenus observata, vacante Imperio, ius administrandi Imperii, iura, feuda conferendi, & negotia cætera disponendi, Palatino Rheni debetur. Cuius verba privilegii quoque extant apud nob. Dom. Goldast. *in constit. Imp. tom.* 3, *de anno* 1339, & Iohan. Wolf. *cent.* 16, *lect. memor. fol.* 650. Privilegiumque hoc vicariatus confirmavit non solum Carolus IV in aurea bulla; sed etiam Maximilianus I, &c. Quod etiam merito M. Freherus *de orig. Palat. lib.* 1, *cap.* 15, *pag.* 109, adnotat; quum Elector Saxoniæ non minor fuerit vicarius ex veteri Palatinatus dignitate in suis territoriis, ubi Saxonica iura servantur, ex Bohemia usque ad Balticum mare, quam Palatinus Rheni; quamvis studio quasi nonnihil heic *ex textu aureæ bullæ*, quod ita nude loquatur, Gerl. Buxt. *ad cap.* 5, *A. B. th.* 56, *l. B.* hærere velit. Velut etiam Arnisæus, *d. l. num.* 48, ipsi Palatino Rheni suam auctoritatem satis arcte constringit ad vetusta tempora. Ast ipsa naturalis rerum & historiarum ratio id dictitat, quod tum longe absolutior fuerit potestas Vicariorum & Coëlectorum, quum nondum constitutionibus legum esset alligata, quam postquam determinatum modum ipsis præscripserint leges. uti id *ex tit.* 5, *A.B.* apparet, quod quædam regalia iura soli Imperatori sint reservata exercenda, velut in vexillari investitura, & aliis. Videat igitur Arnisæus, quam belle hæc conveniant. Si mutatio iurium & legum Imperii in eo momento quærenda sit, quando invaluerit auctoritas & potētia Electorum; ut *dict. l. nu.* 9, asserit; atque ea vires tū demum sumpserit post Carolum IV per patientiam sequentium Imperatorum, uti *eod. l. num.* 69, expresse asserit: quo loco haberi debet ipsa aurea Imperii bulla, & Electorum origo cum auctoritate eorum? quū tamen egregie confessus fuerit antea, *num.* 41, & 44, quod ætas Electorum ante Caroli IV imperium, & quidem in septenario numero, longe retro excurrat. Obsecro, an non tum mutatio iuris veteris & monarchiæ Imperii certa reddita est potius, quum Electorum numerus ad certum & quidem septenarium numerum redactus esset, quam circa illud tempus, quo invaluit eorū potestas post Carolum IV; ut tunc modo vera eorum origo sit statuenda? sicuti *ipse nu.* 42, ponit. Aut quur non magis origo Electorum possit referri ad ea tempora, quibus cœpit electio invalescere, & successionem supprimere? Alterutrum enim tempus debet constitui, aut quo abrogata per electionem successio, aut quo septem Electorum constitutio subordinata sive introducta est; quum ante Caroli IV ætatem septem Electores prærogativa dignitate usos fuisse præ cæteris Principibus, ipse confiteatur *num.* 48. Nec quid prodest ea distinctio, quam ponit, quod ab initio non iidem exiterint Electores, (quod tamen satis evidenter acuteque Schardius *in tractatu suo de Orig. Elect. c.* 6, & 7, refutat;) quum sufficiat scire, quo tempore desierit successio, & quo primum electionis substituta sit forma. Ibi enim vera mutationis novæ origo absque difficultate statuenda est, ubi Imperium statim in primo actu formam successionis deposuit & electionis continuationem induit, ut absurdum merito habeatur, si quis prius ad momentum, quo Electorum auctoritas post Carolum IV invaluerit, recurrere, & tum demum exinde eorundem originem censere velit. Tam inanis est hæc subtilitas, & subtilis scrupulositas, quæ temere rem claram involvit, & nodum vanum in scirpo nos quærere docet: ut res controversa æque dubia reddatur, ac si nunquam in disputationem fuisset protracta; nisi quoque magis dubia efficiatur, uti ipse tandem post longas logomachiarum ambages concludit. Quemadmodum etiam frustra Bellarminum ibi perridet: & tamen *num.* 37, expresse ponit, Pontificibus relinqui laudem introductæ Electionis: quæ tamen rectius Ottoni III sic adscribi posset, quum is ab avo Ottone I didicisset hanc promulgationem, ne Imperator eligeretur, nisi ex Germanis & ab iisdem. *Sigon. lib.* 7, *hist. Ital. Arn. d. l. num.* 19. Mira sic quidem fuit interruptio formæ in Imperio Romano, ut nunc successio hæreditaria, mox vero electio prævaluerit. Heic vero quæstio est de originali illa electione, quæ adhuc per Electores continuatur, ex tot seculis, donec numerus plurium

CONTENTORUM

in hac generali parte Conſpectus.

1. IDea vera & vivida totius Imperij Romano-Germanici cum omnibus membris ſuis.
2. Societatis cuiusvis univerſitas & communio unde ſit, quid ſit, ac quomodo inter ſe differant.
3. Societatis privatæ & publicæ, diverſarumque utriuſque ſpecierum enumeratio, cum neceſſaria declaratione.
4. Quot Politicorum in his inveniantur errores, & in quantum à ſcopo veritatis fundamentalia eorum devient.
5. Libertas vera & falſa quid? Sic & ſervitus vera & falſa quid? Ac num ſervitus ſit à natura.
6. Quinam primi ſervitutis in Germaniam introductores, & auctores eius?
7. Quam fortiter per tot ſecula Saxones ſuam defenderint & ſuorum libertatem.
8. Hiſtoricorum nonnullorum errores deteguntur in plurimis.
9. Imperatoris in definitione iuſtæ ſervitutis defenſio contra malos interpretes.
10. De Iuſtitia belli & ſervitute eius Examen.
11. Defenſio Platonis iuſta & eius Reipublicæ cum Chriſtianiſmo comparatio ſolida.

In Parte Secunda.

1. COntenta locorum & variæ eorum appellationes, ac determinationes ſedium.
2. Reſpublica quid proprie ſit, & quomodo ab Vniverſitate & Corpore differat.
3. Civitas quomodo effectum Reipubl. exprimat, & quot eius dentur veræ ac ſolidæ ſpecies.
4. Privilegia quid ſint, ac quot ſpecies eorum potiſſimum dentur.
5. Fœderis explicatio ſolida, quæ 12. continet capita, quibus variæ etiam de civitatibus Hanſeaticis inſeruntur quæſtiones, & documenta antiqua.
6. Mercatura & negotiationum in commerciis ratio.
7. De monopoliis & fœdiſſimis commerciorum omnium nocumentis.
8. Quæſtio, num fœdera proprie Reipubl. formam ex ſe procreare poſſint?
9. De Helvetiorum comparatione cum Republ. & eorum ſtatu.

DE

DE REBUS-PUBLICIS HANSEATICIS,

Et earum

CELEBERRIMÆ CONFOEDERATIONIS SOCIETATE,

Tractatus Primus, generalis;

Cura IOHAN. ANGELII WERDENHAGENI, I. C. C. editus.

INTRODVCTIO SIVE PROOEMIVM.

De Imperij Romani Germanici duratione, fundamentis & columnis veris, eiusdemque ornamentis illustrioribus, & munimentis.

SI Imperij Romani Majestas, etiam juxta hodiernum statum Germanicum maxime, quæ in eius auctoritate, dignitate, potentia, amplitudine, regalibus, firmitudine, qualitate loci, divitiis, munitionibus, sapientia & virtute incolarum consistit, rite oculis acutioribus perspiciatur, examineturve; aut si quis cum aliis mundi Regnis & partibus cum eadem comparationem iustam, absque affectuum perturbatione iniquiore, instituat; is profecto huic præ cunctis aliis gloriâ splendidam & felicitatem primariam adscribere, atque simul ingenue (modo solido non careat iudicio, & rerum humanarum in hoc seculo haud plane sit imperitus) confiteri cogetur, quod nullius Imperii aut Regni æque durabilis aut invincibilis, iuxta internam & essentialem eius dispositionem, ratione omnium Statuum, connexus aut constitutio inveniri possit. Etenim extra controversiam est omnem, quod huic Verbum Dei unice quartam attribuerit monarchiam talem, quæ extremum mundi sit consecutura terminum. Velut etiam exinde divinus ille Propheta Daniel, cui soli cum Divo Esdra inter omnes istorum seculorum vates Iehova summus cœli & terræ Dominus summorum Imperiorum orbis usque ad extrema tempora, quæ nunc prope consecuti sumus, ordinem successorium in visionibus sanctis revelavit, hoc ultimum Regnum vere ferreum, in explicatione Imaginis & Statuæ, esse futurum pronunciat; *Dan.* 2. Quicquid heic ex opinione aliorum Pezel. *in Mellificio suo ad Sleid. lib. de 4. monarch. pag. m. 292. part.* 1. obiiciat ex quæstione Nabuchodonosoris Regis, quasi ille solummodo de suo, non alieno & longissime remoto regno sollicitus fuerit: Quum tamen non tantum Propheta, *in dicto cap.* 2, *vers.* 29, 44, & 45, liquidissime de futuris temporibus cuncta hæc explicet; adeo, ut etiam ea omnia usque ad Christi adventum ultimum sive Iudicij extremi diē, quo Christus ex cœlo quasi ex monte summo delapsus, propria maiestatis suæ auctoritate, quæ ipsi à Patre cœlesti data est, comminuturus & consumpturus omnia illa regna sit cum ipsa statua in secula, *v.* 45, extendat; sed etiam ipse Salvator noster Iesus, *Marc.* 13, *vers.* 14, in prænunciatione ultimorum tēporum ad Danielem Prophetam hunc manifeste se referat: Vt clare inde pateat, quam latissime se exporrigant vaticinia huius insignis Prophetæ, veluti etiam ad accuratam attentionem talium non frustra ibidem à Christo exsuscitamur singuli. Nec enim Iehova ad sollicitam quæstionem alicuius mortalis ita stricte alligatus est, ut non profundiora & penetrantiora in revelatione sua per Prophetas retegere debeat, quàm cor cœcum & in cogitationibus suis vana mens assequi possit. Imo si Iehova in omnibus oraculis suis Ecclesiæ, tanquam Sponsæ Filii Dei, maxime satis facere cupit, ut ipse ibidem confiretur Pezelius, atque is scopus perpetuo Spiritui S. stet propositus: quur non maxime vaticinia talia universalia ad Ecclesiam Christi in novo Testamento excurrant? quum novum Testamentum finis sit veteris; atque propterea in Novo ἐδιχῶς & efficaci demonstratione exprimatur, quod in Veteri τυπικῶς adumbratum nude fuerat? Velut proinde sparsim in Prophetis ea nobis præfigurantur, quæ in regno Christi nunc consummationem suam adipiscātur vel accipiant. Tum quoque Nabuchodonosoris insomnium non ex naturali influentia Spiritus syderei profluxit, sed ex diviniori infusione in eo concitatum

fuit. Alias Sophi aut Magi Ægyptiorum facile interpretationem eius assequi potuissent. Omne enim, quod naturali influxione communicatur animæ corporis, hoc facile pertingit aut invenit Magia, sive Sophia illa realis, quæ minus verborum inutilibus terminis & phantasticis obscurata habetur concipibus. Quum vero insomnium Regis hoc supernaturale esset, atque altiorem sive sublimiorem originem ex æternæ naturæ regno, à quo vera Ecclesia Christi sive populus Dei sanctus regitur, traheret, non erat hoc in potestate Magorum aut sapientum eorum positum, quo insomnium hoc mysticum aut reperire sive explicare potuissent. Quippe nullatenus eius principia in Firmamento nata aut scripta inveniebantur. ut ait Daniel, p. 27. Mysticum sive Arcanum hoc, quod Rex petit, non Sapientes, Astrologi, Magi, Haruspices possunt indicare Regi: Sed est Deus in cœlo revelans arcana, qui notum facit Regi Nebucadnetzari id quod futurum est consequentibus temporibus, &c. Quoniam enim Daniel, velut olim quoque Ioseph, Cabalisticæ scientiæ gnari erant, id est, Spiritus Iehovæ: hic utrumque, theodidactos effecerat: quare & sublimiora ex Spiritu sapiebant, ita ut vera & cœlestis lux in iis resplenderet. inde oblivione extinctum insomnium uterque resuscitare secum in Spiritus cœlestis virtute poterat; quod aliàs nullatenus in vires hominis extra regenerationem divinam cadit. Vnde patet, quanta sit differentia inter eos, quos divus Paulus sapientes carnis vocat, & qui Spiritu regenerationis in diversis donis sanctis ornati sunt. Quare tria omnino luminum dona & munera inter se distinguenda sunt, non tantum habitualiter, ut communis incompta fert opinio, sed vivide secundum efficaciam Spiritus. Magia enim sive vera Sophia exprimit verum lumen naturale eiusq; Spiritum: Cabala vero supernaturale lumen Spiritumque in Angelica domo: Theologia continet in se lumen divinũ munere Spiritus Sancti expressum. Quas tres ambitu suo Theosophia complectitur. Quemadmodum igitur Iehova vero Theologo sui colloquii aut eloquii genuinum communicat intellectum per Spiritum Sanctum; quod etiam secum talis revera percipit Theologus: Ita Natura in omnibus rebus creatis externis per suum Spiritum vero Sophico, quem prisci illi Magum dicere soliti sunt, se ostendit, ipsi signaturas suas rerum & firmamenti per influentias congruas ostendens. Ita quoque Cabala per virtutis angelicæ angelicum lumen Sopho suo idem præstat, quod ad hanc facit sapientiam: veluti per tale lumen Moses suum à Iehova accepit responsum. Tria hæc insignia regenerationis dona & lumina Spiritus, quæ tamen uniformiter se habent in suo centro, & Sacrosanctam Trinitatem egregie repræsentant, non ita præcipitãter confundenda sunt, ut communis fert Habitualistarum error; sed longe sanctiorem & sublimiorem merentur reverentiam. Quod ideo à principio heic statim monemus, ne quis temere ita sua fanatica opinione amplius profanet cœlestia Dei Effata, quemadmodũ in hoc cernimus factum sensu. Vti Sacra Scriptura sive Eloquiũ Dei manifeste proponit, & nobis omnibus sancte sui dispositionem muneris retegit: sic etiam lõge sanctiora exponit mysteria, quæ cæca hominis ratio cæcâ suâ habitualitate neque percipere neque censere rite potetit. Sibi ipsi noxium præparat Iudicium Dei, qui carnali arbitrio divina ita leviter æstimat iuxta propriæ phantasiæ terminos. Simplicissima locutione non raro profundiora continentur & sacratiora, quã sapientissimus mortalium in abstrusissimis percẽsere noscat. O quanta profunditas sapientiæ! merito exclamat divus Paulus. Quemadmodum quoque libri Moysis interna alia, quæ totius mundi & Ecclesiæ Christi cursum præfigurent, continent, uti B. Teutonicus egregie in suo Commentario, quem Magnum Mysterium (quo libro nihil dum vidi in eo genere absolutius, & propterea in manibus omnium vere Christianorum optarem) vocat, hoc luculenter demonstrat. Nec hucusque inventus est, qui talia unquam in Mose deprehenderit, quod merito omnes, eruditissimam qui sibi tot habitualitalibus profanis vendicant arrogantiam, pudore afficiat. Sed hoc etiam propterea dico, ut cernant omnes, quæ duratio cœlestis in ipsa sua imbecillitate adiecta sit à Deo Imperio Romano, quod certe nemo suis viribus cõvellet externus; sit, quicumq; velit. Iehova huic Monarchiæ suum terminum usque ad montem Sionis extendit. Licet lutum mysteriale huius Regni cum ferro sit commixtum; tamen firmiter perstabit sustultum suis adminiculis, quæ ipsi non sine singulari Iehovæ addita sunt beneficio & misericordiæ gratia. Etenim quos non sæpius pertulit hoc Imperium motus, quot concussiones, quot perturbationes & dissidia interna? Et Iehovæ tamen benignitate singulari semper inventa sunt talia remedia, quæ robur novum ipsi addiderint.

Nutationes & paroxysmi Imperii Romani.

SI quis saltem ad notabiliora recurrat tempora, quibus translatio Imperii Romani ad Germanos deputatur, an non ingentes concusserunt hoc tempestatum procellæ? an non odio, invidia, persecutionibus internis & externis mire sæpius dilaceratum fuit? an non toties idem armorum violentia & belli tumultibus variis terribiliter distractum senserunt maiores? Quas non incursiones gentium aliarum, & proprias rebelliones cũ diris seditionibus pertulit? Verum, ne ita facile expugnari aut in ruinam aliquã præcipitari posset, firmi & iusti inventi sunt Ordines & Status, quibus semper in quavis adversa fortuna constanter niteretur. Quorum alii principales fundamentalesque sunt, alii ornamenta conservantia & necessaria habentur huius corporis.

Comparatio Imperii Romani cum corpore humano generalis.

NAm veluti vividum corpus humanum non tantum ex suis partibus essentialibus integris internis & externis, solidisque membris, nervis, ac ossibus constat: sed etiam totius universi & macrocosmi centrale receptaculum atque ideam vividam refert: ut merito homo extractum sive miraculum mundi, ac proinde microcosmus, à sanioribus & veris Philosophis appelletur: Ita quoq; Imperium Romano Germanicum, quod unicum aptissimis suis cõstitutionibus & commodis dispositionibus satis æquabilem temperiem durationi temporum maxime convenientem refert, respectu omnium Regnorum mundi vere centrale illud miraculum repræsentat. Vnde merito microcosmicum appellites illud regnorum Regnum. Quod in his paulo dilucidius explicari & percipi poterit.

Compa-

Comparatio Imperii Romani cum corpore humano specialior.

A Principio igitur, homo ex spiritu, sive spiraculo vitæ (ut nō frustra S. Scriptura loquitur) & corpore suo constat. Sic etiam Imperium hoc Romano-Germanicum ex spiritu animam suam ducit: & propterea in corpore suo ita radicaliter vivit: Corpus ibidem sua membra sive partes internas & externas iuste continet & alit. Quemadmodum autem deinde anima tribus essentialibus operationibus suum domicilium & vitam inde profluentem exhibet, quas vulgo trium facultatum nomine exprimere solent: Ita quoque tria sunt, quæ vitam aut spiraculum vitæ huic Imperio insigniter suppeditant. ut sunt: 1. Christiana Religio, in vera Verbi cœlestis cultura & vitæ sanctitate solida, aut imitatione Christi consistens; propter quam unicam maiestas monarchiæ ipsi in sacris Litteris tam curiose cum duratione sua, si Christo modo non reponat ingratitudinem, attribuitur. 2. Leges fundamentales, & 3. Iustitiæ solidæ forma. Singula hæc adeo multa in se continent, ut unumquodque eorum vix singularis libelli conscriptione explicari possit: sed nec est huius loci, quum talibus & his suum aliquando Iehova auxiliante meditemur locum.

Membra Imperij Romano-Germanici alia interna, alia externa.

QVod ad Corpus ipsum attinet, compositum rite est ex suis partibus internis & externis, quas Status sive Ordines communi nomine vocant. Isti autem sunt Electores septem, Principes & qui eorū accensentur ordini, ac Civitates. Veluti autem in corpore humano tres partes maxime internæ principales, quæ etiam in ipsa generatione hominis iuxta omnem Medicorum sententiam primitus se exerunt, cernuntur, sicuti sunt Cerebrum, Epar & Cor: Ita etiam Electores merito membro principali Cerebro, Principes, & ii, qui huic Statui nobilitatis caussa annumerantur, Epati, & demum Civitates Cordi non incommode officii & vigoris ratione adsimilari possunt. quod suo loco plenius explicabitur cum fundamento. Electores enim officio suo proprio cōstituunt Caput certum, tam tempore interregni, aut vacantiæ quam in electionis constitutione. Principes cum reliquis in suo generositatis statu suppeditant quidem robur, succum & sanguinem in dignitatis auctoritate; sed tamen maximæ vires fortitudinis in munimentis Civitatum insigniorum & earum fidelitate sitæ sunt. Vnde apparet, quam graviter illi peccarint in publicum bonum & communem totius Imperii salutem, qui tanto studio, & conatu malevolentiæ arduo, hucusque discordias inter Principes & Civitates serere, & extrema odia fomētare ausi sunt, æmulationem nescio quam inanem confingentes: Quum tamen in his omnibus nil effecerint aliud, quam quod communis calamitatis, qua tam misere Germania dilecta fuit, promotores fortes & furis exemptitii, ut aiunt, osores invidiosos se prodiderint. Rectius Imperator *in Novell. Const.* urbium & civitatum erectionem ac munitionem quæsivit, quū propterea quoque ita severe præcepit, ne facile eius intentio in conservatione Imperii diverteretur, nec tales, qui civitates solo iterum adæquatas cuperent, audirentur, Pulchrum quidem est, ut ille Imperator dicere solitus est, Regibus imperare, (sic vocavit suos Principes:) in quo etiam se omnibus vicinis prætulit: sed longe pulchrius, pietatem cum fundamento in duratione conservare; quam munitio civitatum exhibet, ut regnum excursionibus hostis cuiusvis & devastationibus minus sit obnoxium.

Membra externa Imperij quæ?

EX istis igitur partibus principalioribus, ut iam dictum est, procreatæ aut editæ sunt partes externæ, corpus hoc solide integrantes. Hæc iterum ita sunt dispositæ, ut aliæ fundatam prærogativam in ordine suo præ reliquis habeant à Capite suo determinatam, quum earum ministerium fulcra externa exhibere quædam Imperatoriæ maiestati videantur, ceu recte eas Matth. Stephanus *lib. 2, part. 1, cap. 4, n. 10, & seqq.* enumerat, ordine singulas proponens; quas tamen priori loco propterea heic ponimus, ut inde nobis ansa sit, reliqua rectius deducendi. Verba eius sunt: Priusquam autem de Statibus plenius dicatur illud præmittendum est, ex singulis ordinibus Imperii quatuor viros constitutos; adeoque Imperium Romanum super certis gradibus nobilitatis, nec non etiam communitatibus opulentis, provida sagacitate fundatum esse; de quo ita post sui in Germanos translationem conveniebat, ut maior Sacri Rom. Imp. dignitas & maiestas esset, & ne status & vires eius paulatim labefactarentur, sed specialibus munitum præsidiis, principibusque firmatum, usque ut firmis columnis innixum, adversæ tempestatis procellis & turbinibus validius resistere, & suæ potentiæ mucronem longe lateque vibrare posset.

Et quidem primo fundatum est super quatuor Ducibus. Primus, est Dux Sueviæ. sed cum hæc domus primitus defecerit in ultimo duce Conradino, Friderici II, Imperatoris filio; *Cruſ. in annalib. Suevic. lib. 2, par. 3, cap. 19.* postmodum titulum Sueviæ Ducatus Serenissima Domus Austriaca usurpat. Secundus, est Dux Brunswicensis in Saxonia. Tertius, Dux Lotharingiæ in Gallia. Quartus, Dux Bavariæ qui hodie dicitur Palatinus Rheni, de magno Palatio Trevirensi.

Deinde fundatum est super quatuor Vicariis. Primus, est Dux Brabantiæ. Alter, Dux veteris Saxoniæ, cum equulo albo. Tertius, Dux in Westerreich. Quartus, est Dux Silesiæ.

Tertio super quatuor Marchionibus præeminentioribus. Vt est Marchio Brandenburgensis: Marchio Moraviensis: Marchio Misnensis, & Marchio Badensis.

Quarto fundatum est Imperium Romanum super quatuor Illustribus Comitibus Provincialibus, qui vulgo appellantur Laudgravii. Primus est Landgravius Thuringiæ: Alter, Landgravius Hassiæ: Tertius, Landgravius Alsatiæ: Quartus, Landgravius Lichtenbergensis.

Sunt & quinto Generosi Comites Castrenses quatuor; qui vulgo Burggravii dicuntur. Primus, est Burggravius Nurnbergensis: Alter, Burggravius Magdeburgensis: Tertius, Burggravius Strombergensis: (Hodie est ditionis Palatinæ:) Et quartus, Burggravius Reineckensis, qui hodie in Comitum Hannoviensium ditione.

Insuper fundatum est Imperium super quatuor

Magnificis Comitibus. Maiores quidem in ſuo gradu, ſed inter Principes minores. Primus eſt, Comes Schwartzburgenſis: Alter, Comes Clivenſis; qui hodie eſt Dux: Tertius, eſt Comes Ciliæ; cuius Domus defuncta in Præluſtres Auſtriæ Duces, de anno Dom. 1456, feudali jure devoluta eſt: Et quartus, eſt Comes Sabaudiæ, qui in Conſtantienſi Concilio ab Imperatore Sigiſmundo, Ducali titulo eſt inſignitus. Hodie autem ſola Domus Schwartzburgica titulum & nomen Sacri Romani Imperii Comitum gerit.

Nec non ſuper quatuor nobiliſſimis Baronibus. Primus, eſt Baro Limburgenſis: Alter, Comes Weſterburgenſis; quem Leiningenſes iam repræſentant: Tertius, Comes Aldew-Idenſis: Quartus eſt Baro Tuſſenſis, ſive de Dous; (dictus eſt de Kar.)

Itemque quatuor Strenuis Militibus. Primus, eſt Miles de Andlo in Alſatia: Alter, Miles in Strandeck: Tertius, miles de Meldingen: Quartus, de Frowenberch, in Bavaria. At quoniam agnatio Militiæ Meldingenſis exſtincta & mortua eſt: in eius locum per Maximilianum Regem in comitiis Auguſtæ ſurrogatum eſſe Wolfgangum de Weiſſenbach, notat Henningus Gæden, *conſ.* 1.

Præterea ſunt quatuor Inſignes Civitates. Prima, eſt Auguſta: Altera, Moguntium: (quidam ponunt Merim:) Tertia, Aquiſgranum: Quarta, Lubeca.

Itemque ſunt quatuor Magnificæ Villæ. Prima, eſt Bamberga: Altera, Schletſtadia: Tertia, Hagenovia: Quarta, eſt Vlma.

Et denique, ut nullus gradus prætermiſſus videatur, accedunt præmiſſis quatuor Famoſi Ruſtici: ut ſunt, Colonia, Ratisbona, Saltzburgum, & Conſtantia.

De aliis Comitibus, Baronibus & Nobilibus Sacri Romani Imperii, & hæreditariis Offi ialibus, eorumque miniſteriis, plura tradit aurea bulla Caroli IV. Qui Principes, Comites, Barones & Nobiles ad Imperii aſſiſtentiam potiſſimum quidem ſunt electi: Sed tamen omnis Germanorum potentia totis viribus eo contendere debet. Et, ſi Germani Principes Imperatori fideliter aſſiſterent, prout olim facere conſueverunt: tunc non ſolum Græcia, ſed Ægyptus & Chaldæa contremiſcerent, ac ultimæ regiones Saracenorum trepidarent. Nam ut aves inter ſe volantes & cantantes ad aquilæ intuitum ſilent & fugiunt: ſic omnes barbaræ nationes, aliorum inſignia vexillaque deſpiciunt, Romanorum vero ac Germanorum aquilas timent naturaliter, & abhorrent. Protendente nempe Aquila Romanorum ab Europa alas ſuas, nec gryphones Aſiæ atque Africæ ſatis tutæ erunt. *Sunt verba Pet. de Andlo in d. Tractatu lib. 1, cap. 16, in fin.*

Vires Germaniæ.

HActenus Dn. Stephanus. quæ ita ſe veriſſime habent. Præſertim hoc, quod ille heic inſerit, bene animadvertendum de potentia & viribus internis Germaniæ, &c. quæ tam natura loci, quam ſolida membrorum connexio abunde ſatis Imperatori & Capiti ſummo ſuppeditarent, ſi ita in firma ſua cõglutinatione nervorum perpetuo ad amuſſim fundamentalium legum operationes fideles ſeſe exererent, nec tam multi in contrarium pro diſſolutione continui laborarent.

Situs & natura Germaniæ.

ETenim quod ad naturam loci attinet; in Germania ea omnia, quę ad vitæ ſuſtentationẽ & ſplendorem eiuſdem faciunt, non tantum pro neceſſitate ubertim inveniuntur, ſed etiam ſingulorum copiam in tam abundanti numero genitrix ea felix effundit, ut quę natura ſparſim per diverſas regiones terræ diſſipavit, heic in unum congeſſiſſe cumulum videatur. Ceu nec ulla prope datur in terris hodie natio mortalium, quæ ſuis ita contenta viribus in tranquillitate vitam tranſigere poſſit, veluti hæc gens optima, & maxime induſtriosa, modo ſatis ſua agnoſceret bona, nec nimium indulgeret genio, unde tanta diſſipatio ingenii, rerum, actionum & negotiorum oritur; ceu tale exemplum non ſine cauſſa nobis in deſcriptione egregia Conſtantinopolitanarum deliciarum Iohan. Boterus, *in ſecunda parte Coſmograph. ſuæ cap. de Imper. Romano & imprudenti translatione ac diviſione Imperii Conſtant.* proponit. Rerum omnium tanta eſt affluentia, ubique per omnes Germaniæ provincias diſſipata, ut nihil non prope ſit, quod non in magno cumulo ad exteros & vicinos inde per commercia mutua tranſportari poſſit: niſi quod duæ tantum res ſint, quarum penuriam quidem recte obſervavit & indicat D. Boterus; nimirum quod nulla oliveta in illis reperiantur. & minus feraces ſint bombycum, ut ſericatę poſſent quoque dici: ſed talia non tam ad neceſſitatem, quam potius ad mollitiem & ſplendorẽ vitæ ſuperbæ faciunt. Proh dolor tamen hodie nimis oliferi & ſericati in iis conſpiciuntur homines! quod utinam nunquam eſſet introductum! quum duæ res ſint adeo peſtiferæ, ut inde non tantum ſuo exuantur auro & argento, & earum commercio nimis importuno ſuas dilapident imprudentiſſime divitias inque alias effundant regiones; ſed quoque illi iiſdem mediis velut olim Conſtantinopolitani in delicatiſſimam & omnis generis ſuperbiæ deditam vitam pellantur, cumulatimque abripiantur. Sed iuvat heic audire Boterum, *lib. 1. Geograph. de Germ. pag.* 94. Multitudo ingens equorum eſt in Germania, quorum uſus maximus aratro & agriculturæ deſtinatus eſt. Tum quoque omnis generis pecora ibi inveniuntur; ſicuti etiam omnigena animantia aëris, aquæ & terræ. Grana ſuperflua producit. Vini proventus maximus in Alſatia, ad Neccarim fluvium, ad Rhenum conſpicitur, & ſe extendit uſque ad Coloniam Agrippinam, & in Auſtriam. Serica haut profert hæc terra; parum velleris, & tamen craſſi ſatis; nec eſt olifera Germania. Abundat metallorum fodinis; quippe ferrum, chalybem, ſtannum, plumbũ, cuprum ubertim profert. Auri & argenti fodinæ putantur in proventibus ſuis quotannis ultra decem milliones excurrere. Multis etiam locis ſulphur, ſal nitri, & vitriolum effoditur: velut etiam in multis locis ſparſim eximiæ in magna copia ſalinæ habentur, &c. Hæc quidem Boterus ſatis accurate ita recenſet: quam viſitem in eo aberret, quod parum nutriat velleris; quum copia eius tanta ſit undique, ut magno commercio ea ad exteros tranſportetur, unde eximii conficiuntur omnis generis panni; velut in maximo habetur precio propter ſubtilitatem, quod ex Pomeranicis tondetur & colligitur gregibus. Eodem modo divitias varias Germaniæ noſtræ commendat, *part. 2, cap. de Imp. Rom. viribus*; ubi ſic dicit: Maxime abundat frugibus, pecudibus, piſcibus: id experiẽtia com-

compertũ sæpe fuit. Carolus enim Quintus, ut Turcis rosisteret, habuit sub signis ad Viennam 90 peditum, & 35 equitum millia ad Tavarinum contra eosdem Turcas; nec tamen caritas ibi experta fuit. Bello inter Carolum V. & Protestantes per aliquot mẽses abunde se sustinuerunt in campis fere 150. militũ millia. Dives quoque est mineris auri, argẽti, omnisque generis metalli, superatque alias Europæ provincias: natura quoque largita est ei in regionibus longissime à mari dissitis fontes & puteos aquæ salsæ, ex quibus excoquitur sal perfectum. Nec minus mercatrix est, quam fertilis. Indigenæ enim, plusquam ulla alia natio, vacant opificiis, faciuntque artificia miratu digna: estque Germania tam probe à natura dotata, ornataque magnis fluminibus, quæ ubique navigantur, ut commeatus & merces facilitèr ex uno loco in alium devehantur. Fluviorum omnium maximus est Danubius; ab illo Rhenus, qui Germaniam à meridie ad septentrionem transgreditur; sicut Danubius ab occasu ad ortum: Albis oritur in Bohemia, lambit Misniam, Saxoniam, Marchiam antiquam: Odera oritur in Moravia, lavat Silesiam, duas Marchias, Pomeraniam. Wesara, Neccarus, Mosa, Mosella, Isara, Oenus, Varta, Mœnus. Hic Germaniam in superiorem & inferiorem dividit. Superior est, quæ à Mœno ad Alpes usque se extendit. Inferior, quæ à Mœno oceanum versus excurrit. Germania in plures provincias divisa est. Sed præcipuæ sunt, (loquor de iis, quæ viva membra Imperii sunt,) Alsatia, Suevia, Bavaria, Austria, Bohemia, (quamvis hæc multis privilegiis gaudeat, quę eam ab oneribus eximunt,) Moravia, Silesia, Lusatia, duæ Marchiæ, Saxonia, Misnia, Thuringia, Franconia, Hassia, Westphalia, Clivia, Megapolis, Pomerania. Ex quibus singulis apparet, quanta sit Germaniæ & Imperii huius uberrima fertilitas, quæ etiam ab optimis quibusvis terræ partibus non poterit vinci in tali beatitudine sua, ut nullo prope externo adiumento indigeat. Luxuria tamen incolarum quum nimia sit, fit inde, ut novitate rerum omnium semper ibi homines præ reliquis vicinis populis gaudeant; Et, quum voluptuosæ vitæ studio nimium accurato attentoque diffluant, arripuere ex hac causa circũiacentes gentes occasiones miras & varias, quibus Germanis suas subducere divitias, & omnem vim auri aut argenti vario commerciorum prætextu & artificio in se transferre possint. Quam ob rem olim Div. Carolus V. Imperator Augustus, anno 1530 cum Statibus Imp. egregiam reformationem politiæ cõmunis, in publicis comitiis Augustanis constituit & publicavit, quæ laudatissime omnem vitæ luxuriam in victu & amictu perstringit, & normam iustam cuivis Statui & privatis singulis præscribit. Quod nõ tantum idem Imperator in Comitiis August. anno 1548 repetivit severissime; sed etiam optimus Imperator Rudolphus II. in reformat. Polit. constitutionibus Francofurti anno 1577 confirmavit, additis correctionibus & monitis. Utinam tales leges publicæ rite in usu observarentur debito; res Germanorum longe meliori essent positæ loco, & vita undiq; sanctior reviresceret in gratia Iehovæ, rectiusque quisque, Christianismo animæ & vitæ puritate addictus, vivere posset.

Status Imperij quid & qui?

VErum, ut ad Status Imperii nunc revertar; Tenendum hic sedulo est, quid Status proprie sint, & quæ eorum differentia, tam in genere quam speciatim distributa, ratione officii, honoris, dignitatis & loci sive sedis, & possessionis ac dominii.

Vocantur autem & sunt Status Imperii, ait *Steph. lib. 2, part. 1, cap. 4, n. 28*, qui solum Imperatorem recognoscunt immediate, & Cæsaris communique procerum consensu in album sive matricem Imperii recepti, ea lege, ut Imperio, occurrente necessitate, certum censum, in albo sive matricula expressum, pensitent, vel subsidium militare præstent. *sec. And. Gail. lib. 1, obs. 21, n. 2.* At proprie Imperii Status esse & dici, qui cum Imperatore **als ein Christlich Corpus vnd Versamblung/** [*id est, tanquam Christianum corpus atque congregatio,*] vel, eo defuncto, soli, statuendi de republ. vel ius sessuræ & dicendæ sententiæ, in comitiis vel conventibus Imperii habent, notat *Tob. Paurmeist. lib. 1, de Iurisdict. cap. 8, num. 3*, vulgo **Stände deß Reichs**; *Decreto August. anno 1555. §.* **Dieweil aber.** Ἐνεργείᾳ tamen καὶ δυνάμει, sive potentiæ ratione, etiam in collegium Imperii cooptati, licet nullam adhuc in comitiis actu sessionem consecuti sint, Status dicuntur: *Decreto comit. Ratisbon. anno 70, §.* **Nach dem auch.** *Petrum Denaisium in iure camerali, tit. 287, verb. Sessio, num. 3.*

Numerus Statuum in generali distributione.

IN Statuum numero, inprimis post Imperatorem & Regem Romanorum, continentur Electores tam seculares quã ecclesiastici. Deinde omnes Principes Germaniæ, tam seculares quam ecclesiastici, Abbates, Prælati, Comites & Barones. Idem quidã statuunt de Nobilibus Imperio immediate subiectis, quod, coniunctim maxime, possint dici Status Imperii, cum nimirum feuda regalia ab Imperio Romano recognoscant, & in album Imperii prædicto modo & fine sint adscripti. Quin & easdem peculiares suas *Austregas* habere, patet ex *Ord. cam. par. 2, tit. 3, & 5, & sup. hoc lib. 2, part. 1, cap. 3, memb. 3.* Constitutiones quoque Imperii de arrestis, de pignorationibus, ité super litigiosa possessione, nec non de pace religionis fracta, Nobiles istos Imperio immediate subiectos expresse perstringunt & comprehendunt; *d. Ord. cam. §.* **Vnd in solchen Frieden.** *Ruland. de commiss. pag. 1, lib. 5, cap. 4, lit. P. sub. nu. 51. Meland. in proceff. cam. part. 1, pag. 487.* Sed sessuræ & dictionis sententiæ actuali communicatione, non tantum Nobiles de feudis ligiis investitos, ac præter Imperium alios superiores non agnoscentes, sed Barones quoque, Comites & Principes, (licet hi sint variores,) sive mediate sive immediate Imperio obediant, nullum tamen suffragii ius in senatu Imperii obtinentes, distingui, ex decretis comitialibus, in quibus nobiles immediati nõ censentur, Comites autem & Barones complures comprehenduntur, ostendit Paurmeister *d. loc. n. 4.*

Tertio loco civitates Imperiales liberæ etiam inter Status merito referuntur, vigore aureæ bullæ Caroli IV. ubi civitates liberæ suam sessionem & vota in iudiciis habuerunt, sub Friderico Imperatore, in reformatione Francofurtensi, & deinceps iuxta ordines Imperii Moguntiæ expressis. Hinc & hodie adhuc ad omnia Imperii comitia vocantur civitates; itemque earum legati una cum Imperatorum, Electorum,

ctorum, & Principum legatis, ad exteros Reges vel Principes in cauſſis graviſſimis mittuntur. Denique civitates liberæ, eadem incommoda ferunt, quæ Electores & Principes. *Georg. Obrecht. in tract. de iuriſdict. cap. 6, n. 77, & ſeqq.* Præterea illæ habent iura territorialia, non etiam iura Principis: de quo inferius, ſuo loco, *tit. de Civitatibus liberis.* Qui autem in album ſeu matriculam Imperii eſt relatus, ille imperii Status habetur, donec exemtio probetur: nam pro matricula præſumitur. *l. matriculam, Cod. de agentib. in reb. lib. 12, ubi Bart.* Et matricula probat quem eſſe de numero qui debent immatriculari. *Bart. in l. petit. C. de advoc. diu. Iud. Alciat. de præſumpt. reg. 3, præſ. 17. Gail. 1. obſerv. 21, n. 6, & 7.* Et in ſpecie, quod feudum probetur per regiſtrum Principis, in quo bona deſcripta ſunt, tanquam feudalia, tradunt *Barbatia, conſ. 18, n. 38. l. 2. Cravet. 27, 6. in pr. Grammat. deciſ. 77, n. 12. & alii, quos refert Menoch. lib. 3, præſumt. 91, n. 42. Maſcar. de probat. lib. 2, concl. 768, n. 10.* Idem *n. 65*, ita pergit:

Differentia Statuum Imperii generalis.

SEd generatim Status Imperii conſtituuntur in duplici differentia. Alii enim ſunt eccleſiaſtici; ut Elector Colonienſis, Moguntinus, & Trevirenſis; itemque Abbates & Prælati; Alii ſunt ſeculares; ut Electores & alii Principes ſeculares, itemque Comites & Barones. Omnes hi abſque differentia ſubſunt Imperatori ratione bonorum feudalium, eademque Regalia in ſuis terris obtinent Epiſcopi, quæ Principes, Marchiones, Duces. *Mod. Piſt. conſ. 49, nu. 3, vol. 2.* Vnde à ſententia Archiepiſcopi vel Epiſcopi devolvitur appellatio ad cameram. *Gail. 1, obſ. 30, num. 2.* & condemnantur ob fractam pacem, *ibidem. Gail. lib. 1, de pac. pub. cap. 1, num. 13.* Sane illud conſtat, ſeculares Principes & Status Imperii plus iuris habere in ſuis territoriis, pleniorique adminiſtratione frui, quam eccleſiaſticos; ut qui ſuos Ducatus, Marchionatus, Comitatus ad primogenitos deferunt, ob conſtitutionem Friderici, qua dividi prohibiti ſunt. *cap. Imperialem, §. præterea, de prohib. feud. alien. per Frid. & ibi DD.* Licet moribus noſtris Germaniæ inter liberos dividantur. *Henn. Goed. conſ. 19, num. 163. Gail. 2, obſ. 153, num. 2.* ut unuſquiſque in ſibi obtenta provincia iuriſdictionem iuraque Imperii in ſolidum habeat & exerceat. iuriſdictio quippe tanquam res incorporalis per ſe dividi nequit; adeoque ad plures ſucceſſores in ſolidum tranſit. *Hieron. à Monte de finib. reg. cap. 11, num. 13. Hart. Hartm. lib. 2, obſ. tit. 1, obſ. 15, num. 1. Andr. Knich. in com. ad ius Sax. verb. Ducum Saxoniæ, cap. 3, per tot. Covar. pract. qu. 40, impr. & nu. 1. Schneid. in §. 20, num. 30, ſeqq. Inſt. de act. &c.* Ex quibus patet, ſeculares Principes & Status Imperii transferre Ducatus & Comitatus ſuos ad liberos ſucceſſores; quibus non niſi legitimis cauſſis privari poſſunt. At ſecus eſt in eccleſiaſticis, qui quando renunciant Capitulo, ſive morte decedunt, protinus in eorum locum alius eligitur; qui tamen non electione tali fit Epiſcopus, niſi quatenus Regalia ab Imperatore obtinuerit, vt homagium ſive fidelitatem præſtiterit, &c. Quin etiam ſeculares feuda habent, ac plenius adminiſtrant: Aſt eccleſiaſtici vere nudi ſunt tantum diſpenſatores & fructuarii. *Chopp. de dom. lib. 3, tit. 13, nu. 7. Dilect. de arte teſtandi, tit. 1, caut. 3. Knich. ad ius Sax. verb. Duc. Saxoniæ, cap. 2, &c.*

Differentia Statuum ſpecialis iuxta diſpoſitionem claſſium.

ATque hæc eſt generalis differentia Statuum. quorum ſeries ſpecialis ex parte (uti idem Steph. ibidem etiam ponit) hæc eſt:

Primo ſeptem Principes Electores. Ex Archiepiſcopis tres: Moguntinenſis, Trevirenſis, Colonienſis. Ex Principibus politicis quatuor: Rex Bohemiæ, Comes Palatinus Rheni, Dux Saxoniæ, Marchio Brandeburgenſis.

Secundo præter Electores quatuor Archiepiſcopi: Magdeburgenſis, Saltzburgenſis, Bremenſis, Veſontinus.

Tertio Epiſcopi: Auguſtanus, Baſileenſis, Brixienſis, Conſtantienſis, Cameracenſis, Eichſtadenſis, Freiſingenſis, Hildeſienſis, Halberſtadenſis, Leodienſis, Lubecenſis, Metenſis, Mindenſis, Monaſterienſis, Oſnaburgenſis, Paſſavienſis, Padebornenſis, Papæbergenſis, Ratisbonenſis, Spirenſis, Strasburgenſis, Schuerinenſis, Tullienſis, Tridentinus, Wormatienſis, VVirtzburgenſis, Verdunenſis, Verdenſis, &c.

Eccleſiaſticis hiſce Principibus ex veteri Prælatorum ordine aſſcripti ſunt, Abbas Fuldenſis, Abbas Hirsfeldenſis, Abbas Murbacenſis, Abbas Campidonenſis, Abbas Corbeienſis, Abbas Purmenſis, Abbas Stabulenſis, Magiſter ordinis Equitum Teutonicorum ſive Marianorum, Magiſter ordinis Equitum divo Ioanni ſacrorum, Præpoſitus Elbangenſis, Præpoſitus & Archipresbyter Berchtelsgadenſis.

Quarto Principes politici: Archiducum Auſtriæ utraque linea, Auſtriaca & Burgundica: Ducum Bavariæ itidem utraque linea, Bavarica & Palatina: Duces Saxoniæ, Marchiones Miſniæ, & Landgravii Thuringiæ: Marchiones Brandeburgenſes, Duces Brunſwicenſes & Luneburgenſes, Duces Iuliacenſes, Duces Pomeraniæ, Duces Megapolitani, Duces VVirtebergenſes, Landgravii Haſſiæ, Marchiones Badenſes, Duces Saxoniæ inferioris ſive Lavenburgenſes, Duces Holſatiæ, Landgravii Lichtenbergenſes, Duces Sabaudiæ. Principes Anhaltini, Duces Lotharingiæ, Comites Arnbergii ab Imperatore Maximiliano inter Imperii Principes ſuſcepti.

Quinto Prælati: & primo Abbates & Præpoſiti ſecundum matriculæ ordinem: Reichenavienſis, VVeiſſenburgenſis, Præpoſitus VVeingartenſis, Salmens-Weilenſis, Walckenriedenſis, Weiſenavienſis, Schuſſenritenſis, Roggenburgenſis, Ochſenhuſanus. Gengenbacenſis, Marchalenſis, Odenheimenſis, Elchingenſis, Irſinenſis, Werthuſanus: Præpoſitus Petershuſanus, Keyſersheimenſis, Heimerani Ratisbonenſis, Monaſterii Vallis Gregorianæ, Munchenrodenſis, Monaſterii Corneliani, Werdenſis, Vſipergenſis, S. Vlrici, & Abbas Artæ, Auguſtanus, & alii adiecti.

Abbatiſſæ ſunt, Quedlenburgenſis, Eſſenſis, Herverdenſis, Monaſterii inferioris Ratisbonenſis, Monaſterii ſuperioris Ratisbonenſis. Lindavienſis, Gerenrodenſis, Rotmunſterienſis, Heckbacenſis, Gutten-Cellenſis, Beintenſis.

Prælatis annumerantur Commendatarius Provincialis Confluentinus, item Alſatiæ & Burgundiæ.

Sexto loco ſequuntur Comites & Barones, de quibus

quibus agit *auct. Ste. lib. 2, de iurisd. part. 1, 6, num. 110, usque ad finem.*

Septimum & ultimum locum occupant liberæ Imperii civitates, de quibus mox inferius agemus plenius.

Enumeratio autem hæc statuum Dn. Stephani nô est vere secundum ordinationem Imperii & matriculæ dispositionem absolute composita, nec omnes in plena enumeratione continet status; veluti alicuius matriculæ docet copia, quam in Atlante minore descripsit suo auctor ille, *pag.* 352. Quippe Episcopi numerantur 47. quum Dn. Stephanus tantum 28 recenseat. Ita etiam matricula 26 Duces & Principes continet, quum hic solum 22 ponat. Sic & in serie reliquorum ecclesiasticorum, quibus dignitas *illustris* adiecta est, ultra 83 numerantur, quorum vix dimidiam partem hic recenset: Velut eodem modo in ordine Comitum & lib. Baronum (qui in duobus subsellijs Imperii, Suevico & Wetteravico, sessiones suas habent, & suffragia publica duo suggerunt) ultra 144 nomina in matricula continentur, quos obiter heic tantum tetigit, dum suo loco eam curam reservavit. *Conferatur huc Reinh. Konig. olim amicus meus summus, in pol. sua, part. 1, cap. 25, pag. 428, 429, &c.*

De Civitatibus, tanquam tertio membro.

QVod autem ad tertium membrum matriculæ attinet, in quo describuntur civitates liberæ; earum numerus quidem ponitur ibi 83. Verum, quum in us non exigua sit confusio; & multæ ab Imperio secessum fecerint, ut sunt maxime Helveticæ, & finibus Galliæ adiacentes; atque ad annum 1525 non exiguus error refertur; Nicol. Reusnerus *in Elogio suo liber. civit. & urbium Germaniæ* tantum 65. congessit, quas ordine ibidem recenset. Interim tamen nos ductum matriculæ merito sequimur: Ac, quum duo in sessionibus publicis habeantur subsellia, scamna, sive latera; quorum prius dicitur scamnum Rhenanum; alterum, subsellium Suevicum: iuxta eorum dispositionem ita recensebimus, uti primum locum in scamno Rhenano habeant.

Enumeratio Civitatum iuxta subsellia Imperij.

COlonia Agrippina, Aquisgranum, Wormatia, Spira, Turckheimium, Hagenovia, Weisbergium Sebusiorum, Argentoratum, Ober-Eberhæmium, Roshæmium, Selestadium, Colmaria, Altachium, Basilea, Cæsaris Mons, Mulhusium Suntgoviæ, Monasterium S. Gregorij, Metis, Toula, Verdunia, Landavia, Kaufmãs Sarpruckia Besancona, Camericum, Francofurtum ad Mœnum, Fridberga Wetteraviæ, Gelnhusa, Wetzlaria, Ala, Lubecca, Hamburgum, Dortmunda, Mulhusium Thuringiæ, Northusium, Goslaria, Gottinga, Brakelium, Wartburgum, Lemgovia, Duysburgum, Dantiscum, Elbinga.

In latere Suevico sequuntur istæ Civitates: Ratisbona, Norimberga, Rotenburgum ad Tauberum, Weisburgum Norici, Donawerda, Windeshemia, Schweinfurtũ, Wimpina, Heilprunna, Hala Sweviæ, Nordlinga, Dunckelspula, Vlma, Augusta Vindelicorum, Gienga, Bopfinga, Gemunda Swevorum, Eslinga, Reutlinga, Wila, Pfulendorfiũ, Kaufbeurũ, Northusa, Vberlinga, Wangena, Yssni, Leukircha, Memminga, Campidonum, Buchorna, Ravensburgum, Bibracum, Lindavia, Constantia, Rotwila, Offenburgum, Gengenbachium, Cella in Hamersbach, Schafhusium, S. Galli, Buchavia.

Maximus est ita quidem amplissimarum & opulentissimarum in Germania civitatum numerus; sed hoc omnino observandum est sedulo, quod matricula non omnes contineat; sed patet, *ait recte Matth. Steph. in lib. 2, de iurisd. part. 2, cap. 1, n. 62,* in Imperio Romano Status reperiri, qui iuxta stylum & observantiam Imperii atque cameræ indubitanter Status sunt, sed tamen ad conventus Imperii non vocantur, licet eo ipso, quem Statum Imperii esse, dictum sit *supra, lib. cod. cap. 4, n. 46.*

Vera divisio Statuum ex dignitate privilegiorum desumpta.

QVocirca omnis Status Imperii recte dividitur in Statum privilegiatum & non privilegiatum. *de quo late in consul. collegii ICtorum Tribonianensium, nuper Typis excuso.* Error maxime tamen inde iudicatur, quod mutatio matriculæ anno 1525 facta sit.

Civitatum vera divisio, iuxta modernam Imperii Germanici formam.

IDeoque constat hinc, non simpliciter duo, ut vulgariter antehac factum est, sed tria genera maxime civitatum dari; quum iuxta modernum Imperii Romani Statum etiam civitates distinguendæ sint. Alia enim & nova existit Reipublicæ forma à tempore Imperii in persona Caroli Magni ad Germanos trãslati; *asseverante id ita Steph. lib. 2, de iurisd. pag. 2, cap. 1, num. 17.* Proinde aliæ civitates sunt liberæ Imperiales & francæ, aliæ Imperiales tantum, aliæ mixtum statum obtinentes. Imperiales liberæ sunt, quarum alię solum Imperatorem immediate recognoscunt, & ab eo plenam & omnem concessam vel præscriptam iurisdictionem habent, neque quenquam alium prę-ter Imperatorem Dominum suum agnoscunt. Imperiales vero quæ sunt civitates, & iure exemptitio quodam gaudent, partim Imperatorem quoad Regalia, quæ ab eodem habent, partim Electores, vel Duces Imperii, quoad territoria, in quibus sunt sitæ civitates, recognoscunt, quas tamen à principaliori civitates Imperiales rectius dicimus. *Gail. 2, obs. 54, num. 10, & obs. 57, nu. 8.* quum non nisi certis cum pactis territoriorũ Dominis subsint. *Mynsing. Resp. 13, nu. 10.* Municipales autem, seu mere provinciales, sive Ducales, sunt, quæ in totum territoriorũ Dominis parent & subsunt. *Mynsing. d. loc. & Matth. Steph. d. loc.* Quæ distinctio civitatum illustri præiudicio Caroli IV Imperatoris confirmatur inter Duces Holsatiæ, & civitatem Hamburgensem. *ut notat ex Crantzio Hotom. in disput. de Feud. cap. 24.* ceu litem hanc diremptam dicit Crantz. *lib. 10, cap. 2.* Quale præiudicium quoque Camera Imperialis exercuit in caussa Brunsvicensi contra Ducem Henricum Iuliũ, anno 1599, die 27 Septembris, *in decreto aperto.* Quemadmodum idem in civitate Magdeburgensi videre est, quæ sua Regalia solummodo ab Imperatore recognovit, nec ulla in parte alligata est ad Archiepiscopũ, nisi ꝑ iuramentũ ẽmendæ, propter singularẽ casum anno 1333, inq; Burchardũ commissum, præstet ei tũ, quũ Regalibus Imperij sit investitus, & ab Imperatore receptus, ut ita cõmissarium Imperii agat.

Ex quibus & similibus satis luculenter convincitur, non imperfectam modo hanc esse divisionem; sed & sacræ Cæsareæ Maiestatis & Imperii supremam auctoritatem ea convelli; atque acceptas iurium theoricas de Regaliis, à sola Cæsarea Maiestate dependentibus, everti; nisi tertium, de civitatibus mixtum statum obtinentibus, membrum addatur. *Matth. Steph. d. loc. num. 46.* Velut etiam Nicol. Reusnerus, *in d. lib. de Elog. civit. Imp. pag. 24*, id sedulo inculcat, ita id secundum gradus in omnibus disponens: Ex civitatibus vero, ait, quædam sunt municipales, quæ suis Dominis parent: veluti, quæ Principum, Ducũ, Marchionum, Comitum aliorumque Procerum ditioni subiectæ sunt; de quibus alias dicendi locus. Quædam vere civitates sunt liberæ, & à iurisdictione alterius, præterquam Imperatoris, immunes; quæ in ditione ac potestate sunt Imperii Germanici, unde & Imperiales dictæ. Ex his rursus aliæ sunt liberæ, quæ suis utuntur legibus ad morem rerumpublicarum; cuiusmodi sunt civitates pleræque Helveticæ, & Saxoniæ in extremis oræ illius partibus Oceanum usque. Aliæ vero sunt Imperatoriæ, quæ sunt veluti quoddam patrimonium Cæsaris & Imperii, statimque creati Imperatoris ditioni subiectæ esse intelliguntur, quarum sane numerus seculo superiore haut parum est imminutus: non paucis ex his vel à Cæsaribus magna vi pecuniæ oppignoratis: nonnullis etiam vel bello devictis, vel alio modo à ditione Imperii Germanici alienatis, ut vix ulla spes earum recuperandarum reliqua esse videatur. Sunt ex earum numero præcipuæ Metis, Vesontia, Constantia, Verodunum, Tullum, Cameracum, Bodobriga, Noviomagum, Vesalia, Daventria, Swolla, Brisacum, Rhenifeldum, Neoburgum Rheni, Mosbachium, Oppenhæmia, Ingelhæmia, Cæsaris Lotharia, Lavingia, Groeninga, & aliæ nonnullæ. Hactenus Reusnerus. Sic etiam Boterus, *lib. 2, cosm. sua, cap. de Imp. Rom.* luculenter ostendit, unde orta sit tanta mutatio, quod tempore Rudolphi prope tota Italia in viribus suis surrogandis defecerit ab Imperatore, adeo ut illi nihil nisi nomen prope remanserit. Atque quum alii Domini aut Principes Vicecomitesque sibi sua raperent dominia; tamen maxime civitates, precio licet interdum satis exiguo, libertatem plenam redemerunt; velut Lucensibus non plusquam decem millibus aureorum, Florentinis sex millibus, ex constat. Quamvis autem ita partim vi, partim clanculariè, partim titulo aliquo speciosо, tam Principes quam civitates Imperio se subtraxerint, ita ut Imperium præsenti tempore fere in Germania concluſum sit; tamen, per leges fundamentales & interna iura sua ac potentiam communicatam invicem, ita arcte per membra sua cohæret, ut non tantum solidum corpus iuste referat capiti suo devinctissimum, sed & propter religionis conscientiarumque libertatem unice ferme & solummodo veram reipublicæ Christianæ formam repræsentare præ cunctis aliis appareat; licet hodie Belgium & unitæ Provinciæ Imperio Germanico prope palmam in hoc summo bono præripere, & proinde omnem fortunam prosperitatemque in se derivare videantur aut cupiant, modo non nuper inutili discordia ab hac laude parum devjassent.

Optima & boni Imperij nota, ex Distingavio.

ETenim regnis alias & imperiis aut rebuspubl. nihil æque inimicum est, quam conscientias mortalium contra mandatum Christi constringere velle, ait Distingavius; quum Christus solus pastor sit animarum unicus, & ille sibi soli iudicium cum pleno dominio in eas reservarit. ut aperte id declarat erga discipulos suos, quum nimis fervidos evulsores zizaniæ præstare se cuperent *Matth. 13.* ideoque inhibitione seria illis hoc imponit, ne colligendo zizania, eradicent simul cum eis triticum. atque propterea vult, ut utrumque simul crescat usque ad messem, quum ipse tunc iudicium condemnatorium cum executionis mandato sit exercitaturus; ut habet *v. 29, & 30.* Sicut & ipse Christus plenius id ita expressis explicat verbis ad petitionem discipulorum, eodem in loco, *vers. 37, 38. usque ad 44.* ubi disertam interpretationem talem addit, quod filius hominis missurus sit angelos suos, qui ex ipsius regno omnia offendicula, & eos qui dant operam iniquitati, colligere debeant, ac pœna æternali eosdem mactare, &c. quod adeo verum quoque pronunciat, ut nec ipse pater cœlestis quenquam propterea iudicare velit; sed omne iudicium filio commiserit, *Ioh. 5, vers. 22. & 23.* ideoque eum honorem non concedit alii ulli: sed, quum discipuli ex Samaria reverterentur, & de infructifero doctrinæ suæ labore conquererentur, vindictamque peterent, propter duritiem populi, ut ignis cœlestis consumeret tales incredulos; revocat eos ad pacem & mansuetudinem, dicens: An nescitis cuius Spiritus filii sitis? *Luc. 9, vers. 54, & seqq.* filii enim secundum Spiritum, *Gal. 4, vers. 29*, sunt filii pacis, *Luc. 3, vers. 6.* & Christus neminem cupit perdi, sed ut omnes serventur ad vitam; *Luc. 9.* velut propterea vitam suam impendit pro cunctis, *Matth. 20, Marc. 10, Luc. 22.* Vnde nemini mortalium hoc alia iurisdictio, quam doctrinæ competit; non iudicii. velut ipse Christus sedulo & serio id præcipit, inquiens: Nolite iudicare, nec iudicabimini, *Matth. 7, vers. 1.* Nolite condemnare, nec condemnabimini, &c. Quippe Christi regnum non est huius mundi; *Matth. 26.* sed est regnum occultum & spirituale; in quo Spiritus Dei in suis fidelibus operatur suo modo sancto. Proinde Ioh. Nordermannus, *in dissert. sua de iure Principatus*, talibus verbis hanc formavit quæstionem, *th. 26*, ubi ita eam ponit: Ergo, inquis, Princeps habebit imperium in conscientias? Nequaquam. Nulla enim maior tyrannis est, quam quæ hominum conscientiis sibi imperare præsumit. Iudæi ad Pilatum contra Iesum ita clamabant *Ioh. 19, vers. 12.* Quicunque se regem facit, contradicit Cæsari: Multo magis igitur is, qui conscientiis imperare cupit, se Dei loco constituit, ac se Deum facit. An non igitur Deo & Christo contradicat? O absit talis idololatrica vis ab humano corde! Quilibet se potius potens Christo inferiorem agnoscat, ne similis sit Nebucatnezari. Conscientiæ enim libertas Dei & Christi opus manet in operatione Spiritus Dei. Mentium enim rex, Deus est. *Curt. lib. 8.* Quis mihi imponat necessitatem credendi? (in-

di (*inquit Lactant. lib. 5, cap. 14, Instit.*) quod nolim, vel non credendi quod velim? Fides suadenda est, non imperanda; & magis tollitur vana opinio, quæ sensibus insidet, docendo, quam iubendo; monendo, quam minãdo. *Ang. in Epist. Monf. de Lanfac. in orat. fua, habita nomine Caroli IX. Reg. Gall. in Trid. Concilio.* Nulla commodior est via, *inquit Carolus V. Imperator in proœm. legum publ. ind.* §. 7, à fide Christi alienos, aut in avia delapsos, in viam reducendi, & ad spontaneum Dei cultum revocandi, quam si verbo & spiritus potentia hæreses convincantur, errantes sanabilesque cum mansuetudine tractentur. Minime vero quisquam vi, carcere, tormentis, flagris, ferro, fune, flumine, flamma ad colendum numen, cui non nisi voluntaria mentis nostræ & labiorum ac pectoris victima, non thuris neque hecatombes sacrificium probatur, à nostris iudicibus cogetur, &c. *Vide infra, thef. 27, lit. b, ubi reliqua verba Imperatoris citantur.* Errat, (*inquit Rex Navarræ, in epistol. ad Ordines Galliæ Chastelraud., 4, Martii anno 1589, data,*) ita me Deus amet, & res ipsa clamet, si quis credat, vi & minis à nobis aliud extorqueri posse. Sæpe me religionem meam mutare voluerunt; sed quomodo? Adhibitis semper minis, tanquam sub carnificis manu. Etiamsi meæ conscientiæ nullam habuissem rationem, honoris tamen mei respectus, quo minus id facerem, deterruisset. Quis unquam fando audivit, Turcam vel Ethnicum aliquem, propter religionem, priusquam an posset converti tentatum esset, occisum fuisse? Non puto, hostium quenquam esse, qui me longius à vero Dei cultu & cognitione, quam Turcæ abesse existimet: Severius tamen mecum, quam cum barbaro agitur. Iam pridem edoctus; veram & unicam rationem populos ad cultum Dei conciliandos, pietatem stabiliendi, esse clementiam, pacem, salutaria exempla: non bellum, neque omnium rerum promiscuam confusionem, ex quo omnium scelerum & flagitiorum propago redundat. Huc etiam referri potest Constitutio Imperii sub anno 1555, §. Setzen demnach/§. vnd damit solcher/§. damit auch obberürte *vers.* So soll die Geistliche/ &c. De illo igitur qui simpliciter errat ex humano morbo, non loquor. Hic enim mitioribus remediis, ut convalescat, curandus. *l. 3. C. de apost.* Hunc itaque misericorditer corripiat ut hominem, & id quod potest lugeat. *August. lib. 3, cont. Parmen. Cyprian. ad dictum Christi Matt. 23, 19. Calv. lib. 4, cap. 12, sect. 11, Instit. D. Lutherus de formula Missæ, tom. 1en. & in adsert. omnium artic. per Bullam Leonu X damnatorum, fol. 326, adsert. 33.* Neque de infidelibus, qui sunt extra Ecclesiam, aut hypocritis, vel etiam hæreticis latentibus, (qui omnes Dei iudicio sunt relinquendi;) sed qui blasphema impietate, Dei maiestatem & concordiam Christianam violant, pœnas sumere licet. *Constitut. Imper. sub anno 1530, §.* Darauff ordenen/*v.* vnd ob jum dritten mal. *& in d. proœm. constitut. crim. Carol. V. §. 9.*

Velut igitur Christus sui interni & æterni sive spiritualis Regni Imperator est adsiduus & unicus, atque manet; Ita quoque in externo Christianus Imperator & corporeo huius mundi regno, quod alteri habitaculum suum totum præbet, dominus viget: unde Imperatoris gloria eò maior est undique, & apud omnes terræ incolas habetur, ut nemo eum dignitate vel auctoritate hac superet. Et quidem, *ait Steph. lib. 2, de Iur. part. 1, cap. 1, memb. 1, num. 3,* debet Imperator, & ita Imperio præesse, & consulere, *l. 2, §. novissime. ibi,* reipublicæ, *conf. D. d. orig. Iuris,* eiusque curam gerere, & subiectorum commoda ad instar tutoris investigare, *d. l. qui fund. 7, §. si tutor 27. l. tutor 27, D. de admin. & peric. tut. l. interdum 56, §. pen. D. de furt. c. monemus, ibi.* ne Ecclesia Dei ad nihil redeat, 12, *q.* 2. ut imperii utilitas maxime incorrupta persistat; *ut eleganter Fridericus Imperator præfatus est in tit. de prohib. feud. alien. per Freder. Videatur heic Bened. Carpz. in pulcherrimo libello suo de leg. Reg. German. cap. 3, n. 17, 18, usque ad 23.*

Imperium Rom. Germanicum unde in Circulos divisum?

SEd ut ad descriptionem ordinariam revertamur, id ulterius heic observandum est, quod, quum cura Imperii huius summa sit, & eius libertas in singulis membris cum tanta amplitudine dispersa, ut prope cuique provinciæ suæ mores in regalibus competant, & nihilominus ad mutuam Germaniæ defensionem ac pacem constringantur, divisæ sint Provinciæ in ditiones aliquot, quas Circulos appellant, inque iis instituta sint particularia Imperii consilia.

Circuli sive Provinciæ quot?

ATque primo omnium totum hoc Imperium Germanicum sex fuit descriptum provinciis, *ut Roven. lib. de Vrb. Imp.* quas Orbes sive Circulos vocant: Nimirum in Franconiam, Bavariam, Sueviam, Saxoniam, VVestphaliam & Rhenoniam. Quod factum est anno Christi 1500. Augustæ in Comitiis, imperante D. Maximiliano I. Cæsare. His finib. omnes ubiq; Principes ac Civitates in Imperii comitiis antiquo more censentur: post, eodem Imperatore regnante, Coloniæ anno 1512, §. darauff haben / *cum* §. *sequent.* Saxonia superiori per divisionem in Superiorem ac Inferiorem, ac deinde adiecta Belgica provincia sive Burgundia & Electorali Rhenana, & Austria, decem Regionibus seu Circulis Imperium circumscribi cœptum: quod & à Carolo V. Imp. in comitiis VVormatiæ anno 1521, & Norinbergæ anno 1522, consentientibus omnium Imperii statuum suffragiis, confirmatum est. Erklärung deß Landfriedens zu Nürnberg/Anno 1522. Ex his Imperii Germanici Provinciis Senatus sive Consilium Imperii XXII. virorum, quibus summa Reipub. ob conveniendi difficultatem commissa est, subinde legitur singulis trimestribus fere Norimbergæ (nisi aliud suaderet rei necessitas) haberi solitum hactenus: Cuius Princeps est Imperator eiusve Legatus: senatores sive adsessores sex Electores: principes Imperii duodecim partim ecclesiastici, partim seculares: Ita scilicet, ut singulis trimestribus ex Electoribus singuli, sex Principibus bini, per vices intersint Consilio. Additi sunt his ex cæteris statibus Imperii Senatores duodecim: Imperatorii duo: duo item Austriæ & Burgundiæ provinciæ nomine Legati. Præterea ex quatuor Prælatis delectis singuli, singulis trimestribus more Principum invicem sibi succedentes: Comes item, vel Baro unus nomine Comitum & Baronum Imperii: Bini quoque Senatores ex octo liberis civitatibus, similiter per trimestria mutuas vices subeuntes. Denique sex Equites aut Doctores ex totidem Imperii Circulis singulariter destinati; Nempe ex Franconia, Bavaria, Suevia, Rhena-

na, West-

na, Weſtphalia & Saxonia. Qui autem Principes, Epiſcopi, Prælati, Comites, Barones, Civitates, quibus Circuli Imperii ſubiecti ſint, ſequens docebit recenſio. Namque in dignitarum diſpoſitionibus is nunc ordo obſervatur, *ut Conſt. habet Norimberg. Paurm. lib. 2, de Iur. cap. 2.*

Circuli cuiuſque contenta quæ?

1. SVb Circulo Auſtriaco ſunt, Auſtriæ Exarchatus, & Tirolis Comitatus; cum omnibus ſubditis regionibus ac Epiſcopatibus, Tridentino, Brixiano, Viennenſi, Secavienſi, Labachienſi; Comitatibuſque Hardeck, Wolkenſteyn, Loſenſteyn, Rogendorf.

2. Burgundico ſubſunt tota Burgundia, cum omnibus ditionibus ſubiectis ultra Moſam citraque; ac provinciæ Belgii, & Comites Egmundt, Naſſau, Breda, Iarme, Iſelſteyn, Bergen, Walen.

3. Rhenanus ſuperior Electoralis continet quatuor Electores ad Rhenum, cum Prælatis, Comitibus, Baronibus, & Civitatibus ſub iiſdem ſedes ſuas habentibus.

4. Saxonicus ſuperior complectitur duos Electores, Saxonicum, & Brandeburgicum; Epiſcopos ſeptem, Miſnenſem, Mersburgenſem, Naumburgenſem, Brandeburgenſem, Havelsbergenſem, Libuſienſem, & Caminenſem: Principes, Saxoniæ, Pomeraniæ, Anhaltinos; una cum Prælatis, Comitibus, & Baronibus horum ditionibus ſubiectis. Abbates ſunt, Salveldenſis, Walkenridenſis. Abtiſſæ, Quedlinburgenſis, Gerinrodenſis. Comitatus, Schwartzburgenſis, Mansfeldenſis, Stolbergenſis, Honſteinenſis, Regenſteinenſis, Barbyenſis, Gleichenenſis. Barones, Schonbergenſis, Tautenbergkenſis.

5. Saxonicus inferior habet ſub ſe Archiepiſcopos Magdeburgenſem & Bremenſem. deinde Epiſcopos Hildesheimenſem, Halberſtadenſem, Lubeccenſem, Ratzeburgenſem, Suerinenſem, Mindenſem, Werdenſem, &c. Duces Brunſvicenſem, Lunæburgenſem, Megapolitanum, Holſatiæ, & Lowenburgicum; una cum Prælatis, Comitibus, Baronibus, & Civitatibus, Lubecca, Mulhuſia, Northuſia, Goslaria, &c. uſque ad Mare Balticum.

6. Francicus continet Epiſcopos tres, Bambergenſem, Wurtzburgenſem, Aichſtadienſem: Magnum Magiſtrum Teutonicum: Barggravium Noribergenſem: Prælatos Cambergenſes: Comites Hennenbergenſem, Caſtellanum, Hohenloenſem, Schwartzenbergenſem, Erpachenſem: Barones, Civitateſque liberas eius circuitus, Nurnbergum, Rotenburgum Tauber. Winsheimum, Schweinfurtum, Weiſſenburgum Neccariæ.

7. Bavaricus ambit Archiepiſcopum Salisburgenſem; Epiſcopos tres, Ratisponenſem, Friſingenſem, Paſſavienſem; Duces Bavariæ utriuſque; Landgravios Leuchtenbergenſes; Prælatos; Comites Ortenburgenſes; Barones; & Civitates liberas, Ratisbonam, &c.

8. Suevicus complectitur Epiſcopos tres, Curienſem, Conſtantienſem, Auguſtanum; Duces, Wirtenbergenſem, & Teccæ; Marchiones Badenſes; Societatem S. Georgii; Equeſtrem Ordinem Hegaviæ; una cum cæteris Prælatis, Comitibus, Baronibus, & liberis Civitatibus maxima ex parte viginti ſex, quum hic Circulus ſit ampliſſimus.

9. Rhenanus inferior habet Epiſcopos, Wormacienſem, Spirenſem, Argentinenſem, Baſileenſem, Luſanenſem, Metenſem, Tullenſem, Verdunenſem: Abbates Fuldenſem, Hirſchfeldenſem, &c. Duces Bipontinos & Simmerienſes; Ducem Lotharingiæ; Landgravium Haſſiæ; Comites Auſtraſiæ & Wetteraviæ; una cum cæteris Prælatis, Comitibus, Baronibus, Civitatibus liberis circum circa ibi iacentibus, numero viginti duabus.

10. Weſtphalicus habet ſub ſe Epiſcopos quinque, Padebornenſem, Leodienſem, Traiectenſem, Monaſterienſem, Osnabrugenſem; Duces Iuliacenſes, Bergenſes, Clivenſes, Geldriæ; Comites Naſſovienſes, Seinenſes, Viernburgenſes, Iſenburgenſes inferiores; & cæteras regiones uſque ad Moſellam; una cum cæteris eiuſdem ditionis Prælatis, Comitibus, Baronibus & liberis Civitatibus.

Ordinatio Circulorum in quibus conſiſtat?

IVxta eam conſtitutionem, qua hæc Circulorum ordinatio inventa & in ſuas claſſes quaſi diſtributa fuit, æquum quidem eſſet, ut ordinarie ſingulis annis ſemel, vel etiam ſæpius, ſi neceſſitas id flagitaverit, in aliqua Imperiali aut magna alteri ſubiecta civitate convenirent, ac de contributionibus, monetis probandis, vel reprobandis, præſentatione adſeſſorum Cameræ, executionibus contra contumaces à Statibus faciendis agerent: (quibus duo Principes vel Duces, qui conventus indicunt per litteras, vulgo **Crayßtags Außſchreiben** præficiuntur; vulgo **außſchreibende Fürſten**: quorum alter eccleſiaſticus alter ſecularis eſſe debet:) Verum, quum in aliquot locis res negligentior habita ſit, multum decrevit iſte mos. In comitiis autem, quando circulariter quid deliberandum concluditur, in ſex tantum contrahuntur. **Cammergerichts Ordnung zu Conſtenz/anno 1507.** *Rutg. Rul. par. 1, de Commiſ. lib. 5, cap. 4, num. 54. Knieb. ad ius Saxon. pag. 71. Matt. Steph. lib. 2, de iur. part. 1, cap. 4, num. 48.* Atque ſi alicui Circulo bellum inferatur, hoc peculiare ipſis ius eſt, ut præfectum quendam generalem ceu dictatorem ſibi conſtituant; & ſi non ſufficiat unus Circulus, tenentur proximi aut viciniores, ad ſollicitationem alterius, ſtatim in periculis hærenti omni ſubſidio ſuccurrere, ne facile alicuius partis diſmembratio fiat, & ita eo promptius ſalvari poſſit. Ad cuius rei expeditionem faciliorem illis conceſſum eſt, ut contributiones particulares exigant à ſuis ſtatibus: Ac, ſi quis in mora ſit, ſtatutum eſt ab Imperio, & approbatum, quod debitor poſſit ad tertium monitoriale emanatum vi aut repreſſaliis cogi pro ſolvendo eo, quod ipſius loco fuit expoſitum, cum intereſſe & ſumptibus additis.

De conventibus & Comitiis Imperij.

DVm hoc de conventibus certis publicis agimus aut comitiis, neceſſum eſt, ut paucis etiam hunc ordinem Imperii pertexamus; & monebimus paucis, quid comitia, & quotuplicia ſint.

Comitia quid & quotuplicia?

GEneraliter autem Comitiorum verbum accipitur pro omnium, tam univerſorum Ordinum, quã partis eorum, ad conſultandũ aut decernendum de Reipublicæ ſalute, conventu. Atq; is conventus

aut est generalis, aut particularis, pro dispositione & necessitate rerum ad quas pertinet.

Vniversalis Conventus sive comitia in quibus consistant.

GEneralis, est Principum & Optimatum pro salute & incremento Reip. convocatio & conventus; unde etiã universalis dicitur, & vulgo ein Reichs-Tag oder gemeine Versamblung. Quæ in constitutione & dissolutione sua consistit. Constitutio continet solemnitates & res tractandas sive negotia; quę aut ordinaria sunt, aut extraordinaria.

Caussa & negotia comitiorum ordinaria.

ORdinaria autem negotia, quorum caussa comitia haberi solent, hodie sunt omnia, circa quæ potestas politica ordinarie versatur: legum nimirum ferendarum, belli gerendi, fœderum faciendorum; solvendorum tributorum, iniungendorum; iudiciorum exercendorum, & rerum imperii alienationum caussæ: item de formanda & constituenda pace, & tranquillitate publica, de monetis, de matriculæ Imperialis redintegratione, ac avulsis ab Imperio provinciis, civitatibus, & ordinibus recuperandis: aliisque plurimis negotiis ad conservationem Imperii & salutem publicam pertinentibus.

Extraordinaria comitia quæ?

EXtraordinaria autem haberi solẽt propter caussarum controversarum cognitiones aut decisiones, item supplicationes, aut Statuum investituras, vectigalium novorum concessiones, aut prorogationes veterum ad certos annos, &c.

Conventus particulares.

PArticularia autẽ Comitia sunt, quibus pars Principum & Optimatum convenit. Suntque duorum generum. Namque aliquando ex universo Imperii collegio quidam selecti conveniunt; aliquando vero certa pars aliqua vel classes, vel certi loci ac regiones Imperii. Ex universo Imperii collegio selectorum & deputatorum olim *conventus* erat *Regimenti*; *de quo est tit. 1. decreti August.* Von den zwantzigen so zu der Kõngl. Mayest. vnd deß H. Reichs Regiment geordnet: *item tit.* von deß H. Reichs Regiment / &c. Quum enim universi ordines Imperii absque ingenti sumptu ac molestia commode pro necessitate occurrente convenire non possent, placuit in comitiis August. anno 1500. Maximiliano & Ordinibus, ut præter Imperatorem & eius Legatum viginti personæ ex Ordinibus eligerentur, qui essent loco Senatus Imperialis *d. decret. Aug.* Et his ab Imperatore & Ordinibus communctim plena potestas data fuit, ius & iustitiam administrandi, ac de quibuscunque subditorum querelis plene cognoscendi ac statuendi, pacem ac tranquillitatem publicam tuendi, &c. *Ordin. Regimenti August. anno* 1500, *tit.* 1, 2, & 10. Hæc Regimenti constitutio crescente Caroli auctoritate in desuetudinem abiit. *Paur. cap.* 2, *n.* 48, *&c.*

Ex eodem genere hodie conventus Deputatorum & Visitatorum Camerę est, ex Decret. August. anno 1551. institutus, qui itidem ordinarius aut extraordinarius, &c. *Paur. d. loc.*

Conventus Electorales.

CErtæ classis, est Electorum Conventus, cuius caussa habetur & modus in aurea bulla Caroli IV. Qui itidem aut est ordinarius, & propter electionem Imperatoris habetur: vel extraordinarius, iuxta dictam auream bullam. & dicuntur etiam comitia Imperatoria, quæ aut libera aut coacta habentur.

Conventus Circulares.

SEd demum ex certis locis ac regionibus congregatorum ordinum sunt conventus Circulorum; vulgo, ut dicunt, Crayßtage. Circulorum vel regionum prima mentio in ordinatione Regimenti *August. Maxim.* I, *anno* 1500. *tit.* wie zwantzig Personen/ *&c. §. fin.* ubi sex circuli constituti sunt, Franconicus, Bavaricus, Suevicus, Rhenanus, Westphalicus, Saxonicus, quorum simul quisque binorum adsessorũ Camerę nominationem habet. *Ord. Cam. Maxim.* I, *Constant. anno* 1507, *§.* 1. *& Ord. par.* 1, *tit.* 1, *§.* deßgleichen. De horum autem conventuum auctoritate & iurisdictione ac modo exequendo iam ante dictum est. Vnde vere profert hæc Boterus *part.* 2, *Cosmogr. tit. de Imp. Rom.* quando ait: Necessitate exigente, cõtribuit Imperium maximas pecuniarum summas, colliguntur que extraordinarie. Vt eæ contributiones facilius colligi possint, est Germania in decem Circulos divisa, in quibus fiunt conventus particulares, pro executione edictorum, quæ in diætis Imperii facta sunt, & aliis similibus incidentibus. Sic etiam idem *part.* 1 *tit. de Germ.* integre describit processum comitiorum universalium & electionis in Imperatore novo constituendo. *pag.* 95, additque solemnitates, quæ in actu coronationis atque festivitatibus aliis observantur; uti tales ipse oculis annotavi, quum anno 1612. D. Matthias II. cum coniuge coronaretur.

Officia publica Electorum in comitiis Electoralibus quæ.

VErum ante omnia hoc loco merito annotandum est, quod officium cuiusque Principis publicum in hisce actibus maxime queat observari; veluti unusquisque Electorum deputatum munus tam tempore interregni, quam electionis cogitur exercere. Namque Moguntino tanquam Archicancellario Germaniæ intra mensis spacium indictio & cõvocatio conventus, non aliter quam ex Principis Electoralis potestate, competit; utpote qui archivum Imperii totius sibi concreditum habet ita, ut præses eius & conservator sit perpetuus: unde etiam aulæ Imperiali Vicecancellarius adest, qui nomine huius Electoris, actis Imperii publicis subscribat. Trevirensis & Colonien sis quidem itidem Cancellarii sunt; sed non Germaniæ. Quippe Trevirensis Galliæ, & maxime Arelatensis regni, ad quod Sabaudia & Burgundia referebatur, olim erat; & Colonien sis Italiæ. quorum officium tum erat in Imperio, ut, quoties Imperator Italiam ingrederetur, Colonien sis diplomata Imperialia sublignatet, eiusque nomine & consensu ederentur: quoties vero se conferret Imperator in Galliam, tunc idem ius esset Trevirensi. Quæ potestas huc usque à Friderici II. temporibus ferme acquievit; nihilominus officii huius dignitas retinetur, ut veteris iurisdictionis vestigia adhuc declarent & monstrent notanda in

da in memoriæ teſtimonio. Atque, quum conſtet, hoſce Principes comitiis à tempore Caroli Magni interfuiſſe, Electuræ dignitas illis merito manſit; adeo ut in votorum collatione priorem tueantur locũ. *Arum. ad a. bul. p.* 125. Ideoque aurea bulla, *cap.* 4, vocem primam Trevirenſi deputat: ſecundum vero ſuffragium Archiepiſcopo Colonienſi attribuit; qui etiam hoc ſimul obtinet officium, ut diadema regium regi Romano imponat primus.

Inter reliquos Electores antiquitus Comes Palatinus Rheni primum locum merebatur, quum præter eligendi Regis & Imperatoris poteſtatem eximiũ hoc ipſi ius eſſet, quod, vacante Imperio Romano, Comiti Palatino Rheni, nec non Electori Saxoniæ, incumberet, ut vices Imperatoris Romani in omnibus & per omnia ſuſtinerent. *Aur. bul. t.* 5. Velut etiã hic uſus firmiter adhuc obſervatur; Quum Vicariatus non aliunde, quam à vi & iure præfecturæ Palatii veteris, ſive Maioratus domus, ſub regno Francorum deſcenderit; & præ aliis duo Palatini, Rhenenſis, & Saxonicus, (quippe & ipſe Palatinus olim appellabatur, *ut ex veterum actis apud Magdeburg. conſtat*) totius Imperii vicariam adminiſtrationem, diviſis inter ſe limitibus, meriti fuerint. Nam Imperium Romanum tum diviſum erat in duo regna, Lombardicum, & Teutonicum. Iſtud vero Teutonicum duplici iure regebatur, Francico, & Saxonico. Hoc gentem Saxonicam, uſque ad Mare Balticum, & Sarmatiam, ſive Poloniam: illud tractum Rheni, Franconiam, Sueviam, Bavariam, Auſtriam, ad Alpes uſque, complectebatur. Conveniens itaque viſum fuit, ut duo illi Palatini, ceu proximi à Cæſare, eo abſente, vel mortuo, vice ſacra Regnum totum Teutonicum gubernarent. Hoc à maioribus inſtitutum Carolus IV, in comitiis Imperatoriis Norimbergæ confirmavit, & aureæ bullæ inſerui; & Cæſares tam ante, quam poſt illum, peculiaribus diplomatis, ut & alia regalia, Palatinis Principibus confirmare conſueverunt. *Haſtenm Clut. in ſyll. rer. tot. tb. 24, lit. L.* Quamvis autem olim Rex Bohemiæ eſſet noviſſimus, *Krantz. lib. 4. Sax. 28.* ac Palatino dictas ob cauſſas primus, Saxoni medius deberetur ubique locus; tamen Carolus IV, quum videret, Imperii ſalutem, niſi in uſum Othonica ſanctio revocaretur, conſiſtere minus poſſe, tranſmutavit ordinem; & Marchioni Brandenburgenſi primario, quia filius, ultimum tribuit. *Clut. d. l. & Iob. Baptiſt. Egnat. Ven. lib. 3. Rom. Print. de Ott. 3.* Tertium itaque in electione ſuffragium per aureæ bullæ conſtitutionem Regi Bohemiæ, ea de cauſſa, quod is inter ſeculares ex Regiæ dignitatis faſtigio iure & merito primariã obtineret, adſignatum eſt. Qui enim maiorem dignitatem habet, iure quoque non tantum priorem vocem poſſidebit, *Fab. de Anna, conſ. 40. num. 28. Marzar. conſ. 26, num. 9.* Sed etiam Regi Bohemiæ privilegium datum eſt ab Imperatore Philippo, in comitiis Moguntiæ anno 1200. Aliãs fuit hæc Otthonica conſtitutio, ut Rex Bohemiæ præeminentia quadam prævaleret quidem, & ſeſſura reliquos anteverteret, atque una cum Coëlectoribus electioni intereſſet, ſed tantum, ſi paria eſſent vota, ipſe arbiter & Palæmon exiſteret. Quo nomine etiam Rex Bohemiæ ſibi votum reſervavit in præfata aur. bulla. *Clut. d. ſyll. L.* Dehinc quarto loco ſuccedit Comes Palatinus, qui votum ſuggerit ſecundum juramenti formam. Quinto loco Dux Saxoniæ ſive alter Palatinus. Sexto vero Marchio Brandeburgenſis rogandus eſt. Talique ordine votis omnium perquiſitis, dicti Principes Moguntinum vice verſa requirunt.

Præterea in Curiis ſolemnibus, ut & in coronatione Regis vel Imperatoris, comitiis Imperii & aliis panegyricis Conventibus, aliud illis ſecularibus eſt munus. Vnde Rex Bohemiæ Archipincerna ſive Pocillator; Palatinus Pomifer, & Dapifer; Saxoniæ Dux Archimareſchallus & Enſifer; Marchio Brandeburgicus Archicamerarius & Sceptrifer dicitur. Etenim Rex Bohemiæ in celebratione Curiæ Imperialis primum potum Imperatori afferre tenetur; quem tamen ſub corona regali, niſi libera voluntate voluerit, non tenebitur miniſtrare, *Hartm. Maur. libr. de cor. Car. V.* Palatinus Rheni pomum ſeu globum aureum crucigerum in proceſſu ſolemni Imperatori præfert; quod eſt Imperii inſigne præcipuum, & ab omni fere antiquitate globus ille ſignum univerſalis imperii; quẽ etiam Auguſti ſtatua manu tenens, quę Romæ viſitur, notat: *Vid. Cl. d. l. tb. 24, lit. L.* In Curia vero cibum afferre tenetur. Elector vero Saxoniæ Portitor enſis & Mareſchallus, in proceſſu regio enſem nudatum & ſtrictum Imperatori præfert, in ſignum iuſtitiæ; cuius etiam inſigne ſunt duo gladii decuſſatim compoſiti; uti olim apud Byzantinos fuerunt Spatarii & Protoſpatarii, atque ceu præfectus prætorio, gladium Imperatori præferebat in ſignum meri imperii. Dehinc quoque officium Mareſchalli exercere tenetur, avenam in conſpectu Imperatoris metiendo. Aſt Elector Brandeburgicus, ceu cubiculi regii cuſtos, fiſcique præfectus, ſceptrum (olim etiam clavem) in argumentum gubernationis, Imperatori, quando coronatur, præfert; & etiam in inſignibus ſuis notam hanc gerit; ad menſam vero ea quæ exhibet miniſterium.

De vicariis Electorum, qui ſint.

SI vero Elector aliquis abſit, abſentis officium is, qui vices eius gerit, adminiſtrabit: quod etiam noviſſime in coronatione Auguſtiſſimorum Imperatorum Matthiæ & Ferdinandi II. factum eſt, ut vidi ipſe.

Sunt autem hodie vicarii & ſubofficiarii Principum Electorum: Bohemi R. Pincerna de Limpurg: Palatini Dapifer de Walpurg: Saxonis L. B. de Pappenheim: Brandeburgici Comes de Hohenzollern.

Ex his patet quidem aliquo modo, quanta ſit Electorum dignitas, & quæ iura illis præeminentiæ competant. Sed & alia privilegia obtinent, quæ huius loci non ſunt.

De origine Electorum Imperii Romano-Germanici.

SAltem non prætereundum eſt, quod multi Politici & Hiſtorici ſe mire torqueant de origine huius ſtatus, quum tamen non adeo difficile ſit, ſi recte id advertatur, & quis ad veram hiſtoriæ Saxonicæ cognitionem recurrat, rituſque antiquos Germaniæ ſecum rite reputando examinet. Evidentia rei id facile ſuggerit, ut non ſit opus, adeo ſollicite inquirere, quod temporis momentum primam Electoribus originem dederit. Velut Arniſæus *in reſtect. pol. lib. 2, ca. 6, n. 9, 10, 69, 70, 73, & 74*, in hoc ſibi contradicentia ſtatuit: dum mutationem iurium & legum Imperii in eo po-

eo potissimum momento quærendam esse asseverat, quo invaluerit auctoritas Electorum; *num.* 9, & 41. Et quamvis *num.* 74 expresse confiteatur, tempore Caroli IV divisum esse Imperium inter Imperatorem & Electores; quum Carolus IV *cap. ult. aur. bull.* illos in partem sollicitudinis constitutos aiat; item eosdem columnas & latera Imperii vocet, *ind. c. ult.* quibus basis totius ædificii nitatur; item palmites Imperiales, & septem candelabra lucentia in unitate spiritus septiformis, *in Præfat. aureæ bullæ*, vocitet, &c. quibus tribuerit potestatem in ipsam Curiam Imperialem, ut iis incumbat cura & facultas errores Imperii corrigendi, &c. Tamen *num.* 69 in præcedentibus ponit pro certo, Electorum potestate modo invaluisse post Carolum IV. Etenim quæ mutatio iurium & legum Imperii maior dari potest, quam si is, qui supremus est, & caput rerum omnium refert, auctoritatem & potentiam suam ita penitus exuat aut imminuat, ut iura sua summa cum minoribus dividat, iisve se æqualem constituat? Nihilominus addit, quod amplitudine auctoritateque magis per patientiam sequentium Imperatorum creverint; quum tamen contrarium verum sit, quod ante ea & in iis temporibus magis eorum potentia & auctoritas floruerit, quam nunc, aut in sequentibus seculis tunc postea, ubi maxime legibus adstricta tenetur. Namque quænam maior potestas? num quæ libera, aut legum vinculis impedita? Sic quænam amplior dignitas illis obferri potuit, quam quum ab ipso Imperatore in dimidiatis Imperii iuribus celebrarentur & confirmarentur æquales? Tum etiam quis sublimior locus & potentia illis obtingere potuit, quam quum duo, inter eosdem, vicarii ipsum locum Imperatoris, tempore interregni occuparent? adeo, ut tã absolute, iuxta consuetudinem veterem utriusque Palatinatus, etiam ante auream bullam, quam ipse Imperator, gubernarent. quæ potestas multum per intervalla aliquo modo decrevit in posterioribus temporibus. Longum foret exempla allegare. Quicquid vero sit, *ait Koning. in pol. sua, part.* 1, *cap.* 31, *nu.* 14, illud in confesso est, vacantis Imperii administrationem vicariatus iure Comitibus Palatinis, ex antiqua & inveterata consuetudine, etiam ante auream bullam, competiisse. ut etiam constat ex confessione *apud Crispin. in vita Ludov.* ubi Ludovicus IV Imperator in Comitiis Francofurtensibus de anno 1339, ante constitutionem A.B. Caroli IV, ita loquitur: Longa & approbata consuetudine inconcusse à maiorum ordinatione hactenus observata, vacante Imperio, ius administrandi Imperii, iura, feuda conferendi, & negotia cætera disponendi, Palatino Rheni debetur. Cuius verba privilegii quoque extant apud nob. Dom. Goldast. *in constit. Imp. tom.* 3, *de anno* 1339, & Iohan. Wolf. *cent.* 16, *lect. memor. fol.* 650. Privilegiumque hoc vicariatus confirmavit non solum Carolus IV in aurea bulla; sed etiam Maximilianus I, &c. Quod etiam merito M. Freherus *de orig. Palat. lib.* 1, *cap.* 15, *pag.* 109, adnotat; quum Elector Saxoniæ non minor fuerit vicarius ex veteri Palatinatus dignitate in suis territoriis, ubi Saxonica iura servantur, ex Bohemia usque ad Balticum mare, quam Palatinus Rheni; quamvis studio quasi nonnihil heic *ex textu aureæ bullæ*, quod ita nude loquatur, Gerl. Buxt. *ad cap.* 5, *A. B. th.* 56, *l. B.* hærere velit. Velut etiam Arnisæus, *d. l. num.* 48, ipsi Palatino Rheni suam auctoritatem satis arcte constringit ad vetusta tempora. Ast ipsa naturalis rerum & historiarum ratio id dictitat, quod tum longe absolutior fuerit potestas Vicariorum & Coëlectorum, quum nondum constitutionibus legum esset alligata, quam postquam determinatum modum ipsis præscripserint leges. uti id *ex tit.* 5, *A.B.* apparet, quod quædam regalia iura soli Imperatori sint reservata exercenda, velut in vexillari investitura, & aliis. Videat igitur Arnisæus, quam belle hæc conveniant. Si mutatio iurium & legum Imperii in eo momento quærenda sit, quando invaluerit auctoritas & potẽtia Electorum; ut *dict. l. nu.* 9, asserit; atque ea vires tũ demum sumpserit post Carolum IV per patientiam sequentium Imperatorum, uti *eod. l. num.* 69, expresse asserit: quo loco haberi debet ipsa aurea Imperii bulla, & Electorum origo cum auctoritate eorum? quũ tamen egregie confessus fuerit antea, *num.* 41, & 44, quod ætas Electorum ante Caroli IV imperium, & quidem in septenario numero, longe retro excurrat. Obsecro, an non tum mutatio iuris veteris & monarchiæ Imperii certa reddita est potius, quum Electorum numerus ad certum & quidem septenarium numerum redactus esset, quam circa illud tempus, quo invaluit eorũ potestas post Carolum IV; ut tunc modo vera eorum origo sit statuenda? sicuti *ipse nu.* 42, ponit. Aut quur non magis origo Electorum possit referri ad ea tempora, quibus cœpit electio invalescere, & successionem supprimere? Alterutrum enim tempus debet constitui, aut quo abrogata per electionem successio, aut quo septem Electorum constitutio subordinata sive introducta est; quum ante Caroli IV ætatem septem Electores prærogativa dignitate usos fuisse præ cæteris Principibus, ipse confiteatur *num.* 48. Nec quid prodest ea distinctio, quam ponit, quod ab initio non iidem extiterint Electores, (quod tamen satis evidenter acuteque Schardius *in tractatu suo de Orig. Elect. c.* 6, & 7, refutat;) quum sufficiat scire, quo tempore desierit successio, & quo primum electionis substituta sit forma. Ibi enim vera mutationis novæ origo absque difficultate statuenda est, ubi Imperium statim in primo actu formam successionis deposuit & electionis continuationem induit, ut absurdum merito habeatur, si quis prius ad momentum, quo Electorum auctoritas post Carolum IV invaluerit, recurrere, & tum demum exinde eorundem originem censere velit. Tam inanis est hæc subtilitas, & subtilis scrupulositas, quæ temere rem claram involvit, & nodum vanum in scirpo nos quærere docet: ut res controversa æque dubia reddatur, ac si nunquam in disputationem fuisset protracta; nisi quoque magis dubia efficiatur, uti ipse tandem post longas logomachiarum ambages concludit. Quemadmodum etiam frustra Bellarminum ibi perridet: & tamen *num.* 37, expresse ponit, Pontificibus relinqui laudem introductæ Electionis: quæ tamen rectius Ottoni III sic adscribi posset, quum is ab avo Ottone I didicisset hanc promulgationem, ne Imperator eligeretur, nisi ex Germanis & ab iisdem. *Sigon. lib.* 7, *hist. Ital. Arn. d. l. num.* 19. Mira sic quidem fuit interruptio formæ in Imperio Romano, ut nunc successio hæreditaria, mox vero electio prævaluerit. Heic vero quæstio est de originali illa electione, quæ adhuc per Electores continuatur, ex tot seculis, donec numerus plurium

in certitudinem ſeptenarii redactus ſit; quum antehac omnes omnino principes æqualiter elegerint. *Otto Friſing. lib. 6, cap. 27, & 28.* quæ electio, ceu legitima conſuetudine ex naturæ ſtimulo innata, æquivalentiam legum ſortita eſt, adeo ut nullatenus cum tumultuaria electione illa antiqua militum, qui ne quidem partes erant Reipublicæ, ſed precio ad defenſionem loci conducti erant, confundi queat.

Quum vero electio, quaſi peculiare ius quoddã, apud Germanos ab antiquiſſimis uſq; temporib. fuerit, in qua tunc, quum illis, & maxime Saxonibus, nondum rex eſſet, ſed ex ſatraparum nutu viverent omnes, unice acquieſcerent; ſemper huic conſuetudini optimæ, ſub cuius directione maxime virtus ſe exerere & magis vigeſcere ſolet, addicti manſerunt. Teſtis eſt heic nobis Ammianus Marcellinus, *lib. 15, & 18, pag. Alemann.* Vti quoque de Conventu & electione tali Wernerus Rolevin. *in ſuo tractatu de laudibus antiquæ Saxoniæ* ita ſcribit: Regem antiqui Saxones non habebant, ſed per pagos (id eſt, tractus dictionum, vel regiones alicuius populi) ſatrapas conſtitutos: Moriſque erat, ut ſemel in anno generale concilium agerent in media Saxonia, iuxta fluvium Weſeram, ad locum qui dicitur Marklo. Solebant ibi omnes in unum ſatrapæ convenire; ex pagiſque ſingulis duodecim electi nobiles, totidemque liberi, & laici. Renovabant ibi leges: præcipuas cauſſas adiudicabant; & quid per annum eſſent acturi, ſive bello, ſive in pace, communi decreto ſtatuebant. Vnde verſus in hiſtoria Caroli Magni:

Sed variis diviſa modis plebs omnis, habebat
Quot pagos, tot pæne duces, velut unius artus
Corporis in diverſa forent hinc inde revulſi:
Sed generalis habet populos diviſio ternos, &c.

Quod itidem Cornelius Tacitus, *libro de moribus Germanorum*, his verbis approbat: Eliguntur in iiſdem conciliis Principes, qui iura per vicos pagoſque reddunt, &c. Quæ ratio & forma electionis uſque ad Caroli Magni tempora poſſet deduci; ubi eccleſiaſtici ſimul ſecularibus ſunt additi; nec præteriri potuerunt, quin ſemper comitiis intereſſent: ut inter alios oſtendit Gunth. *lib. 1. in Ligur. de electione Friderici agens*; & Guilhel. Britto *lib. 3, Philippidos*, dicens:

Eſt etenim talis dynaſtia Teutonicorum,
Vt nullus regnet ſuper illos, ni prius illum
Eligat una nimis cleri procerumque voluntas.

Quod idem Arum. ſentit *in diſ. 3, ad A. B. th. 8.* nec non chronicon Scabinat. Magdeburg. & quidam annales manuſcripti, quos Curſius & Dreſſerus allegant. *Col. de iure Imp. Germ. th. 46.* Proinde hic meus amicus recte ſtatuit, quod ſenſim Electores cœperint; ceu idem ex ipſo probat Dreſſero. Quemadmodum quoque ante Otthonem III Henricus Auceps anno Chriſti 920 Friſlariæ in conventu Principum Franconiæ à Moguntino & Saxonum Duce. *Peuc. lib. 4, fol. 468*; Otto I ab ordinibus Imperii Franconiæ & Saxoniæ; Otto II Wormatiæ anno Chriſti 961, electi ſunt. Tanta omniũ, *inquit Heig. queſt. 4, num. 61, lib. 1*, veterum Principum in Religione devotio fuit, ut ſine Sacerdotibus & Epiſcopis nihil magnum feliciter abſolvere ſe poſſe ſperarent; & ita demum omnia recte proceſſura crederẽt, ſi religionis antiſtites ſuis conſiliis præſentes haberent. adeoque zelo religionis in tantam evecti ſunt potentiam, ut non tantum ampliſſimarum ditionum domini ſint, verum etiam Archiepiſcopi Electores omnibus privilegiis, *ait Lupold. Babenberg. cap. 10, de zelo Germ. vet. Principum*, conſuetudinibus & ſingularibus honoribus, quibus cæteri Principes ſeculares, in electione Regis ſeu Imperatoris Romani ius habentes, qui præ cæteris Principibus Germaniæ multis ſpecialibus privilegiis, conſuetudinibus & honoribus ſunt muniti, perfrui ac gaudere noſcantur. Omnes quoque alii Archiepiſcopi & Epiſcopi eccleſiarum, & Abbates monaſteriorum Germaniæ, à regno & Imperio Regalia tenentium, eiſdem privilegiis, iuribus & honoribus perfruuntur, quibus cæteri Principes ſeculares Germaniæ, in electione prædicta ius non habentes, communiter perfrui conſueverunt, &c. Sic conſuetudo una peperit aliam, ut tandem Eccleſiaſticis Electoribus diguitas Electuræ, non ut Eccleſiaſticis, ſed tanquam Principibus præcipuis Imperii attributa ſit. *Arum. diſc. 3, ad A. B. th. 8.* Sicuti pari ratione conſuetudo talis inſenſilis ius certum familiis illuſtrioribus acquiſivit, quod aſſiduis actibus in uſu conſervarunt vegeto. Quæ, ſi per impetum aut violentiam introducantur, vix unquam illud robur attrahere poſſint; ſi vero cum gratia inſtillentur, velut arbor, occulto ævo longe in fortiores excreſcunt vires. Quæ enim paulatim irrepere ſolent, vix unquam percipiuntur; ſecus, ſi converſio fuerit ſubſecuta; *ait Heig.*

Quum igitur Carolus IV *in Aur. B. tit. 2, §. Vnd dieweil/ ꝛc. & tit. 4, in fine. & tit. 5, §. Vnd wiewol/ ꝛc. item tit. 9. aſpaſim alias*, fundamentum conſuetudinis inveteratæ præſupponat, nec de alia ſit ſollicitus baſi aut origine primordiali; ſupervacaneus labor tam operoſæ huic ſollicitudini & digladiationi impenditur, qua tot ſcriptores ſe mire divexant invicem. Sufficit enim ſatis abunde, quod conſuetudinis ius dignitatibus & familiis acquiſitum, pro evitanda diſcordia multiformi, & mutatione periculoſa ulteriori, per Carolum IV tam liquide ſit confirmatum, ut in eo *ſecundum Heig.* merito ſit acquieſcendum. Quippe Conſuetudinis hoc proprium eſt eſſe, ut temporis diuturnitate, & quaſi latentibus incrementis, introducatur; unde legis vigorem ſortitur, *l. 3, ff. de ll. Eichrod. de iure non ſcript. th. 6, 7, & 42.* Initium enim huius non ſolet conſtare eo, quod in vetuſtis origo ignoretur, *l. ſi arbiter 28, ff. de Prob.* Vnde regulariter in conſuetudine non conſideratur, unde ſit orta, *VVeſemb. in par. dell. num. 9*, quum eius natura ſit, ut ignoretur, *Conn. 1, iur. civ. cap. 10, num. 3.* Quin imo iam habemus firmam originis certitudinem, quum legis fundamentalis naturam in Imperio per conſtitutiones A. B. & auctoritatem Imperatoris induerit; quæ abſque convulſione Imperii & eius ſtatuum infringi nunquam poterit. ut iam eſſentialis, in hoc regnum, conſuetudinis & rationis ſit concurſus. Velut alias D. Conſtantinus Imperator exæquationem atque comparationem patrum ita inſtituit inter conſuetudinem, legem, & rationem, ac reſcripſit: non eſſe maiorem vim conſuetudinis, quam rationis & legis; ut videlicet intelligeremus, illa, quibus æquitas ac ratio contrariantur, & quæ lege induci nequeant, neque conſuetudine confirmari poſſe. *Eichrod. de iur. non ſcript. th. 303.*

Sed

Sed tantum hac vice de Electoribus; de quorum origine, quum tam mira ſit inter ſcriptores digladiatio, hæc paucula inſerere volui, ut agnoſcant multi vanitatem ſcrutinii non neceſſarii, dum proptiæ nimis ſtudent gloriæ.

Verum ut tandem ad ſcopum perveniamus, Ducum ſecularium reliquorum ſtatus ordine paucis ſubiiciam. Proximum igitur hoic ab Electoribus locum in tali ſerie merito potentiſſimi Archiduces Auſtriæ obtinent; veluti etiam à dextra eorum proximam habent ſeſſionem in comitiis; ut primi ſint inter Duces; qui etiam ob id Archiduces appellantur, quaſi ſupra Duces locum ſummum & principalem ex ſingulari privilegio ſibi conceſſum poſſideant; ſicuti Archiepiſcopus eſt ſupra Epiſcopos. *Mozz. in tract. feud. 1. de hu qui feud. dar. poſſ. num. 16. Don. Garſ. Mant. de Magiſt. lib. 4, cap. 4, num. 15.* Atque hæc dignitas regalis Domus Auſtriacæ adeo propria eſt, ut Duces alii, licet id ſerio ambire aliqui ſtuduerint, ad eundem præeminentiæ gradum nunquam evehi, aut ab Imperatoribus impetrare potuerint. *Sixtin. de Reg. cap. 4, num. 31.* Quippe habent quædam privilegia ita peculiaria, in quibus ex parte ſuperiores ſunt Electoribus; quum nova vectigalia propria auctoritate inſtituere, & non ſolum nobiles, ſed etiam Comites & Barones creare, iiſque inſignia dare poſſint: veluti etiam ius Archivi habent. *Ruig. Rul. de Commiſſ. cap. 3, num. 23.* Quod privilegium verbotenus in coſmographia Munſteri recenſetur, *lib. 3, cap. 399, & ſeqq. Gyim. Receſſ. Cam. lib. 2, deciſ. 54, num. 59.* Atque, uti famæ quem reſtituere, ſpurios legitimare; ita quoque omnes dignitatibus conceſſis abutentes privare iiſdem poſſunt. Sic & exempti ſunt à iuriſdictione Cameræ Imperialis. *Munſterus d. l. Thom. Michael. de iuriſd. concil. 23.* Fuit autem Auſtria olim Marchionatus, quum eſſet ea commodiſſimo loco ſita, ut tutelam Germaniæ exhibere poſſet. Deinde vero à Friderico Imperatore anno 1158 Ducatus titulo eſt decorata. Tandem, quum ad tantas opes & fortunam adſcendiſſet, ut cæteros omnes Ducatus exuperare videretur, dignitate Archiducatus Fridericus ſecundus eam inſignivit. Si tamen Æmilio Veronenſi *lib. 3, hiſtor. Franc.* credimus, *ait Don Garſ. Maſtril. d. l. num. 8*, nomen hoc Archiducis primum Brunus frater Otthonis I Imperatoris adſumpſit; & id deinde Principes Carinthianorum uſurparunt; quibus extinctis, ad Auſtriam primariam familiam una cum ditione pervenit; & inde ſucceſſu temporis ad Rudolphum I Imperatorem & Comitem Habſpurgenſem, qui, dum Provinciam prædictam Alberto filio (qui poſt Imperator factus eſt) donaſſet, & Imperiali dignitate fulgeret, Ducatum Auſtriæ Archiducatum nominavit. *& ita communiter habetur ex multis, & precipue Mart. Cromer. in hiſt. Polon. lib. 9, in fin. Ioh. Candid. in hiſt. Aquil. l. 5. Carol. Sigon. de Reg. Ital. lib. 12. & noviſſime Dn. Camil. Borel. de præſtant. Reg. Cath. cap. 46, num. 237, & ſeq. Arumæ. in diſc. 4, ad Aur. Bul. num. 16, pag. 201.* Vnde etiam Regem Hiſpaniarum, quum recta linea ab Alberto ſuam repetat originem, hoc titulo gaudere & uti, affirmat Garſ. Maſt. *d. l. num. 12.* Habentur etiam alias Magni Duces, *Grands ducz*, ad imitationem huius dignitatis regalis, quam Coſmus Medices quoque Florentiæ Dux olim in Italia cum habitu, inſignibus atque corona regia, cum titulo Sereniſſimi, à Pontifice Pio V accepit, ſalvo tamen iure cæterorum Ducum, &c. *ut ait Garſ. Maſtr. d. l. n. 19.*

Poſt Archiduces ponuntur regulariter Duces; à gubernando exercitu ita dicti; velut etiam Germanica vox ſonat Hertzog / quaſi *Dominum copiarum* aut *exercitus bellici*, ein Herr deß Zeugs. Inter quos non quidem eſt differentia, niſi quod ordo in ſeſſionibus teneatur; unde alii *Duces Imperii*, alii vero ſimpliciter *Duces* vocantur. *Schonber. 5, Pol. cap. 38. Gloſſ. ad art. 58, iur. Sax. De Ducum dignitate cognoſcatur Don Garſ. M. lib. 4, cap. 5, de Mag.* Caroli Magni tempore Duces erant, quibus duodecim Comites ſubeſſent. *Heig. part. 1, quæſt. 2, num. 38.* At nunc res aliter ſe habet, quum merita in Imperium accreverint. Vnde Ducum dignitatis quoque participes ſunt Principes Sileſiæ; qui in quatuordecim Ducatus dividuntur; quorum ſinguli nomen à Metropoli ſua impoſitum gerunt: 1. Ratiborienſis, 2. Tropavienſis, 3. Teſchnicenſis, 4. Oppolienſis, 5. Brigenſis, 6. Nieſſenſis, 7. Vratislavienſis, 8. Olsnicenſis, 9. Lignicenſis, 10. Monſterbergenſis, 11. Sueinidienſis, 12. Iaurenſis, 13. Glogovienſis, 14. Saganenſis. Ex quibus tres tantum familiæ ſunt ſuperſtites; Lignicenſis, Teſchnicenſis, & Monſterbergenſis. *Tob. Paurmeiſter libr. 2, de iuriſdiction. cap. 9, num. 9. Daniel Ott. de iur. public. cap. 18.*

NOTA. Sed hodie quoque Marchiones Brandeburgici Croſſonienſem & Iegerdorfienſem Ducatus obtinent, & familiam ibi fovent. At Saganenſem Ducatum propter virtutes & merita ſumma invictiſſimus Imperator noſter Ferdinandus II non tantum in Heroem excelſum & inclutum Albertum ex familia celeberrima Wallſteinianorum oriundum tranſtulit, ſed etiam Ducem Friedlandiæ ipſum creavit, ut ita auctus ſit numerus Ducatuum in Sileſia.

Dehinc ſequuntur Principes. Et quamvis nominis huius varius ſit uſus in deſcriptione dignitatum ſummarum; quum in Latina lingua arduum ſublimitatis mereatur locum; & dicatur *Princeps* ex eo, quod rerum omnium *primus* ſit; *Tacit. 1. annal. Tob. Paurm. lib. 2, de iuriſdict. cap. 9, num. 1*, aut quaſi *primas partes capiens:* unde Germanicum illud Fürſt/ quaſi Fürſteher: tum καὶ ἐξοχὴν ipſe Imperator ita vocatur *in proœm. Inſt. §. ſed. tit. de iur. nat. gent. &c. l. 31, ff. de leg.* Et licet proinde transferatur in omnes dignitates eminentiores uſque ad ſtatum Comitũ, ut omnis Elector, Dux, Marchio, Landgravius, quoque Princeps quidem ſit, ſed non è contra: Tamen obſervandum eſt, quod ex eorum numero ſint, in quos ſpeciali nomine & titulo hæc dignitas abſque regali officio collata fovetur. Landtrecht *lib. 3, art. 58.* Tales ſunt in Imperio Principes Anhaltini, Principes Rugiæ, quo titulo nunc Marchiones Brandeburgici, Ducesque Pomeraniæ ſalutantur, familia illa extincta. *Ioach. Clut. ſyll. th. 26, lit. C.* Erant & Principes Hennebergiæ; Et Erneſtus Schawenburgicus hac dignitate donabatur ab Imperatore ante aliquot annos; cui ſe Rex Daniæ opponebat propter Ducatum Holſatiæ, ne iuribus eius inde quid eſſet periculi, &c. Sunt quoque Comites Palatini, ſive Præfecti Palatii Imperialis; quum Palantia ædes Imperatori conſecratæ dicerentur. *L. Vnica, C. de Pal. & l. 35, C. de priv. eor. qui in ſacra Pal. &c. l. ab omnib. C. Theodoſ. cod. t.* Vnde Germanicum Pfaltz / & in vetuſto i-

diomate *Pfallentz*, in Speculo Saxoniæ eſt; quod ſedes ſolius Imperatoris eo nomine ſalutaretur. Atque hinc Comites Palatini dicebantur, qui in Palatio Imperatorio militabant, ac ſacri Palatii conſtitutiones publicas pro Imperatore conſervabant. *Chaſſ. de glor. mundi, part. 5, conſider. 24, numer. 125. Marq. Freh. lib. 1, de orig. Pal. cap. 2. Kirch. de rep. diſp. 31, th. 4, per tot.* Velut olim Imperatores Palatia ſua potiora Romæ & Conſtantinopoli habebant. Ita quoque in Germania Magdeburgi & Norinbergæ principalio-ra erant. Vnde Palatinatus Saxoniæ cum iuribus ſuis: quæ Speculum Saxoniæ declarat. *VVeichb. artic. 44, & 47, &c.* Alter vero Rhenanus cum iure Francon co in Speculo Franconiæ. Poſt hos ſunt Landgravii ſive Comites provinciales; qui præfecti erant provinciæ alicuius & iudices. *Peuc. Chr. 5, pag. 998.* Saxonibus Gråf iudex eſt. Weichbild *Sax. artic. 12. Landt. lib. 2.* Adſunt ita quoque Marchiones, ſive Comites limitanei, quod finibus tuendis Imperii præfecti eſſent; quemadmodum Marck Germanice limitem denotat. *Heig. part. 1, quæſt. 2, num. 57. Cranz. lib. 3, VVandal. cap. 16.* Sic etiam Burggravii aut Comites caſtrenſes, erant præfecti ſive iudices alicuius urbis, arcis aut præſidii, quibus talium cuſtodia commiſſa erat. *Clut. ſyll. th. 26, l. G.* Comites vero ſimpliciter ita dicti nomen habent à *comitando & ſequendo. l. Item quid Labeon. §. Comitem. ff. de iniur. Turneb. adverſ. 28. lib. 12,* quod ipſi eſſent in comitatu Principum; *ceu Turnebus loquitur.* Principes pro victoria; Comites pro Principe pugnant. Poſtea omnibus magiſtratibus datum eſt hoc nomen, ſacrum comitatum obſervantibus, aut qui negotio alicui arduo præponerentur. *Cuiac. ad tit. C. de off. Com. Sac. Larg.* Alias Germanis erat Gråf ſive Grafe nihil aliud quam iudex; &, quum variis rebus adhiberentur, appellationes variæ hinc deductæ ſunt, ut Centgråf/ Gogråf/ Freygråf/ Dinggråf/ Raugråf/ Holtzgråf/ Saltzgråf/ &c. *Knich. de iur. territ. cap. 4, num. 68. Clut. in Syll. th. 26, l. G.* Sed quum Imperatorum temporibus, non tantum ad ſingulas provincias, ſed etiam civitates Comites ablegarentur; iuriſdictio & territorium, cui præficiebantur, *Comitatus* appellari cœpit. Hi poſtea hominii & fidei nexu, ita ut adminiſtratio fruenda etiam ad hæredes pertineret, quibuſdam tributi ſunt. Vnde in conſuetudinibus feudorum verbi *Comitis* ſignificatio ſumitur pro eo, qui de Comitatu inveſtitus eſt. *Clut. dict. loc. Vid. Don Garſ. Maſt. de Mag. lib. 4, cap. 7.* Sunt & Vicecomites, quibus vices aliorum demandatæ erant. *Schrad. in Lex verb. Vicecom. &c. Don Garſ. l. 16, cap. 9.*

Tandem in hoc ordine Barones & Nobiles ſuperſunt. Barones, qui proximo nobilitatis gradu ſunt poſt Comites habendi, & alias olim *liberi homines*, Freyherrn/ quaſi *liberi domini*, dicebantur, quod eorum maiores nullam ſerviſſent ſervitutem, nomen maxime ſortiti ſunt inde, quod in ſuo genere vitæ innatam quaſi libertatem gravitate & animo oſtenderent. Ceu non inconvenienter Chriſtophorus Beſoldus *in diſſert. ſua de Comit. & Baron.* vocabulum hoc à vetuſtiſſima formula loquendi Germanorum deducit, *Bar*; quod pro *libero, franco, frey/ ledig / &c.* frequentiſſime uſurpatum demonſtrat; ut non opus ſit ex Græciſmo eius operoſam elicere derivationem; præſertim quum Germanicum hoc cum Hebræo *Bar*, quod *filium* denotat, aut *Para*, quod *liberum* pronunciat, tanquam cum antiquiſſimo concordet. Et quamvis Barones apud Germanos variis nominibus appellentur; tamen nullam eſſe differentiam, quum Comitibus non ſint inferiores, affirmant Dd. *paſſim. Sixt. in Reg. cap. 4, num. 39, & ſeqq. Paurmeiſter cap. 11, num. 32, & ſeq. Clut. in ſyll. th. 26, l. I. ubi plurimos allegat Dd.* Sunt tamen alii Imperio immediate, alii mediate ſubiecti, pro forma infeudationis; quod alterius loci eſt, ſi plenius explicari debeat. *VVehn. in obſ. lit. F.*

Nobiles denique heic ſuperſunt, qui dicuntur quaſi *Noſcibiles*, & præ reliquis inter mortales propter virtutes maxime *notabiles. Tiraquel. de Nobil. Kirch. in Rep. de Nob. diſp. 12, th. 1, l. B.* Nobilitas enim olim etiam apud Romanos quaſi ſeminarium officiorum, munerum & magiſtratuum rogatorum militariumque habebatur; unde etiam tribus gradibus diſtincti erant, patritii, equites, & in ſpecie nobiles dicti. Ita Sereniſſimi, Illuſtriſſimi, Illuſtres, Generoſi, Strenui, à Nobilibus privatis diſcernebãtur, quem ordinem interturbare ſacrilegii inſtar putatur. *l. 1, C. ut dignit.* Germani vero in Ethniciſmo olim non diſſimili ratione vivebant; quum haberent ſuos liberos, libertos, & ſervos: qui illorum lingua *Edlingi, Frilingi*, & *Laſi* vocabantur; quod *nobiles, ingenuos*, & *ſerviles* ſonat. Pro diverſo idiomate nomina erant nobilium, *Adalinge, Athalinge, Æthelinge, Eddelinge, Edilinge, Edlinge*, &c. *ut paſſim in gloſſ. ſpec. Saxon. notatur, & D. Chriſt. Beſol. in diſcurſu ſuo de ordine Equeſtri recte notavit.* Si vero ad hodiernum Imperii Romano Germanici ſtatum reſpiciamus, quidam directe Imperio parent; alii Principibus & Ordinibus ſupradictis & conſimilibus ſubiiciuntur, ac dicuntur univerſali nomine *Landſaſſii. Caſp. Ziegler. in concl. ad prax. Calv. §. Landſ. num. 14.* Et inter hoſce, ſecundum varias conſuetudines regionum, differentiæ quoque variæ exſtant. Sic quoque in Electoratu Sax. alii obediunt Principi immediate, alii mediate. illos *Schrifftſaſſios*, hos *Ambſaſſios* dicunt. *d. l. Ziegler. §. Ambſ.* quia Toparchis & Præfectis ſeu Quæſtoribus, quos *Schoſſerios* vocant, ſubiiciuntur. Liberi vero nobiles ij cenſentur, qui nulli ſtatui, ſed immediate Imperio ſunt ſubiecti. *Receſſ. Imp. Auguſt. de anno 1555. & Ord. Cam. part. 2, tit. 5.* Ac tales à loco, ubi degunt, in tres claſſes diſtribuuntur; Franconicam, Suevicam, & Rhenanam. *Receſſ. Imp. Aug. de anno 1500. Item Spirenſ. de anno 1542.* Equites vero Franconiæ in ſex loca communiter dividuntur. 1. Odenwald. 2. Steigerwald. 3. Gebürg. 4. Althemüll. 5. Buchen vel Baunach. 6. Köhn ſive Währen. Suevi in quinque quaterniones ſeparantur. 1. Hegow Bodenſee. 2. Ad Danubium. 3. Ad Kocher. 4. Ad Schwartzwalt ſive Neccarim. 5. Im Kreichgow. Sic eſt quoque Rhenana Wetteravica nobilitas, ubi Ganerbinatus viget. Frui autem illos privilegio, quo liberæ civitates, affirmat Gailius 2, *obſ.* 62, *num.* 3. Vnde etiam faciunt ſtatuta ſibi propria de ſuccedendo & conſilia. *Rul. de com. par. 2, lib. 5, cap. 4, n. 49. Beſol. dict. diſc.*

Sed tantum de his. Hæ autem & tales dignitates maxime ita ab eo tempore diſtributæ ſunt in Germania, quum Imperium à Carolo Magno ad Germanos eſſet translatum: ut iam ex tot ſeculis tam varia dignitatum munera ſint invecta, quibus iura maieſtatis & ſuperioritatis ſunt communicata: ita tamen,

ut iura

ut iura clientelarum Imperio salva & illibata permanserint, & adhuc salva constent. *Iul. Pflug. de repub. Germ.* Velut hanc sententiam transmutationis satis commode ita explicat Arnoldus Engelbrechtus, *in disque de iurisd. Imp. th. 59*, dicens: Cæterum translato postea per Carolum M. in Germaniam Imperio, diversa iurisdictionis forma incepit. Illud quidem commune cum Romanis habuit, quod ditiones in provinciæ formam redigeret, & certis Magistratibus gubernandas daret. Quod autem ab ipso, inprimis vero subsecutis Imperatoribus, hi, qui antea Magistratus erant, cum provinciis & omni territorii iure hereditarie investirentur; id quod antea officii erat dignitas, quo temporale perpetuum fieret: id vero longe aliam iurisdictionem & totius Imperii rationem successu temporum invexit. ut taceam, postea simul increbuisse Ecclesiasticam Pontificis iurisdictionem, rem superiori ævo nemini auditam aut cognitam. Item *thesi 61.* Carolus itaque Magnus provinciis à se devictis Magistratus præposuit, Episcopos & Duces; utrisque adiunxit Comites, sed ad tempus tantum, & ad arbitrium; quod iam latius ab aliis monstratum est. Item *thesi 26.* Posteriores Imperatores, Ottones præsertim, (*Sigon. lib. 5. de Reg. Ital de Gallia & Anglia vide Camden. in Brit. tit. Ordines Anglia*) regalia & iura quædam superioritatis communicare cæperunt: &, quos antea ut Magistratus in Provinciis vice sacra ius dicere voluerunt, iis cum dignitate Ducatus, Comitatus, &c. eadem sub fide vasallitica hereditarie & perpetuo concesserunt, atque inde iura territorialia orta sunt. Ab hisce vicissim iurisdictio in inferiores, vel sub feudi lege, ut communius, vel alio modo, translata fuit.

Vnde evidens est, Imperatorem fontem esse & originem omnis potestatis, iurisdictionis & superioritatis; adeoque ea omnino salva in partem sollicitudinis adsumpsisse proceres suos; quod & investituræ lex manifestius ostendit. Petere namque investituram, est signum devotionis & recognitionis. *Beterra conf. 28, num. 3. Cravet. conf. 61, n. 6.*

Quomodo vero hisce officiis publicis & summe arduis Ordo Ecclesiasticus successu temporis, postquam etiam simili modo iura territorialia, & regalia ab Imperatoribus, mundanorum negotiorum plusquam studii prætextu pietatis obtinuissent, insertus fuerit, id nimis iam longum & operosum, forte etiam nostræ intentioni haut adeo gratum foret: tamen hoc aliquo usque satis, ubi cuique sit constitutus dignitatis locus, manifestat series classium superius posita. Quæ hac vice sufficiant, ne in immensum compendiosa hæc disquisitio excurrat. Forte de his, & similibus summe necessariis, præsertim de origine officioque talium, ac iurisdictione Ecclesiastica, alibi agendi patebit campus. Interim ad Civitates pergemus.

NOTA. Hæc, quæ examici scriptis sumpta sunt, introductionis loco in principio statim pro maiori rerum informatione huc referre volui, ut inde dignitas, altitudo, & præeminentia cum potestate summa S. Romani Imperii Germanici censeri posset. Nec sane uno tempore tam accurate ardua huius formæ constitutio adornata fuit; sed eam ipsa rerum necessitas, durationi perpetuæ innitens, ita compte elaboratam procreavit, & præ cunctis terræ regnis in amplissimo decore, cum successu temporis nitide splendidam reddidit. Verum ut excelsæ mortalium familiæ, pro temporum & actionum occasione aut sorte variâ, mutationibus obnoxiæ sunt; ita cum iisdem sæpius ipsa regna varios patiuntur paroxysmos aut concussiones: quod etiam nostræ similiter in hoc grandi motuum tumultu Germaniæ accidit. Namque, quum Fridericus V Palatinus Rheni, contra Imperatorem Ferdinandum II coronam Bohemiæ subiisset; atque in variis ac multiplicibus conflictationibus Imperator Maximilianus, Bavariæ Dux, auxilium adiuvum & succursum præstitisset; gratitudinis ergo Ferdinandus Imperator in Conventu Ratisponensi anno M D C XXIV, 23 Februarii, post varias deliberationes de condonatione & restitutione Friderici Palatini inter Electores & Legatos habitas, tandem Electoralem dignitatem Bavarico Duci tanquam agnato Palatini, optime de se merito, adsignavit; qui etiam postea 25 Februar. Elector S. Romani Imperii investitus est. Quemadmodum simile exemplum habemus in Electore Saxoniæ Mauritio. Nam, licet Imperator D. Carolus V, devicto prope Mulbergam ad Albim Iohanne Friderico Electore, & dignitate Electorali privato, Mauritio, qui ab agnato suo iam dicto, gradu tertio, in linea æquali, quum duorum fratrum nepotes essent, distabat, provinciarum Iohannis Friderici maximam partem attribuisset, & Electoratum 4 Iunii anno 1547 in castris ante Witæbergam in villa Blesern in eundem Mauritium contulisset; tamen sequenti anno M DXLVIII, 24 Februarii, in Conventu publico Augustano, solemni ritu is ab Imperatore Carolo investitus, ac quasi in possessionem cum fratre Augusto, qui vices suas cum plenipotentia Comiti Mansfeldensi Hoiero obtulerat, missus est, totum actum inspectante Iohanne Friderico; quo animo, facile quis diiudicare poterit. Veluti deliberationes tales Electorum atque eas solemnitates integre Sleidanus *lib. 20, mihi pag. 625*, describit. Sic etiam nuper Ferdinandus II, Imperator noster glorioſissimus & victoriosissimus, anno præsenti 1629, die 6 Iunii, stylo veteri, Viennæ Ducatum Megapolitanensium Ducum, propter bene merita, in Generalem exercitus sui Ducem Albertum Friedlandiæ solemniter transtulit; quod litteræ inde scriptæ ita attestantur: Hodierno die simul, circa horam nonam antemeridianam, Imperator Ferdinandus noster Generalem totius Cæsareæ militiæ Ducem Albertum Friedlandiæ in Antecamera sua Ducatu Megapolensi solemniter investivit; sed tamen unicam eius & singularem ita recepit personam. Ducis huius Mandatarii erant, Comes Maximilianus Walsteynensis, agnatus eius proximus, qui medium genibus flexis occupabat locum; deinde supremus exercitus equestris Præfectus, quem hodie Colonellum dicunt, Dn. de Sanct-Iulian, qui dicto Comiti à dextris adsidebat; à sinistris vero Iodocus Tillman I. V. L, qui oratione supplex infeudationem petebat. Imperatoriæ Maiestatis nomine autem, & loco Vicecancellarii, respondebat Dominus à Nostitz. His confectis, iuramentum fidelitatis iuxta morem asitatum à Mandatariis præstitum fuit, & peracta simul gratiarum actio, &c.

Sed in libero Imperatoris arbitrio est positum, quibus solemnitatibus & quo in loco conferre feuda

velit illustria cum dignitatibus; quum ipse rerum caput sit & dignitatum origo. Omnia enim pro commodo Imperii ex necessitatis ratione disponit libere, & officiis bellicis præficit idoneos Germaniæ defensores; ceu quoque Carolum Magnum id factitasse olim legimus; *quod ita recte adseverat Ant. Col. Sect. de iure Imper. Germ. th.* 28. Vsque dum Monarchia Romana ad Germanos devoluta est, officiis bellicis viros strenuos, qui incursiones hostium acriter reprimerent, sibi devinctos tenuit; velut olim hoc semper egit, ut certos regni limitibus Carolus Primus Germanorum Imperator præficeret. Quum enim, ait, heros ille Sorabos devicisset, Pannoniam superiorem constituit limitem regni sui versus Orientem, contra Hunnos & Avares. Quumque Germaniam Galliæ coniunctam in duo distinxisset regna; illud, quod ad Galliam pertinuit, nominavit Westreich; quod ad Orientem, Ostreich; (unde Austria;) additis præsidibus limitum seu Marchionibus. Sed limitis seu Marchiæ nomen mutatum postea fuit in Ducatum, multo scilicet post à Friderico I Imperatore. *Peuc. lib.* 4, *Chron. in pr. f. m.* 445. Sic Bavariæ nomen quoque compositum dicit idem Peucerus ex Boiis & Avaris, quos Carolus, devictis ac depulsis Hunnis, regioni Boiorum adiecit. Vnde & Bavariã renuerunt ipsius Caroli M. posteri usque ad Ottonem I; qui eam Henrico fratri tradidit, primumque Ducem Bavariæ constituit. Fuerunt autem Avares sive Avari reliquiæ quasi Hunnorum; qui populi, Noricis pulsis, in ea terra consedere. Vnde littera adiecta dicitur, velut *Boiaria*, hæc terra, à Boiis Cisalpinæ Galliæ populis, qui hoc loco aliquando sedes habuisse leguntur. Et dividitur hæc regio, præter alias divisiones, in Cis-Danubianam & Trans-Danubianam; ut hæc Bavaria Nariscorum ora sit, illa vero Nortgovia dicatur; quæ eadem Palatinatus superior appellatur, ad differentiam eius qui ad Rhenum est Palatinatus, & inferior vocatur.

Verum ne in alium hoc prolabamur discursum, redimus ad id, à quo exordium sumptum erat, quod satis ex superioritate Cæsaris Maiestatica, concessione privilegiorum, iuriumque exemptitiorum, attributione dignitatum cum plena potestate imperandi, adeoque ex ipsis membris Imperii summis, præeminentia eius colligere licitum sit: Velut in eius rei testimonium luculentissimum, merito locum insignem Georgii Schonbor. *expol. eius lib.* 5, *cap.* 5. adducimus; qui ita se habet:

De præeminentia S. Rom. Imperii.

CVilibet αὐθόνως iudicanti obviam esse existimo, S. Romanum Imperium maiestatis & dignitatis suæ apice, cæteris omnibus regnis, quæcunque latissima Christiani orbis orbita continentur, esse sublimius. Hoc revera quartum illud est, quod Daniel Propheta, *cap.* 2, de statua agens, collocat in tibiis ferreis, & pedibus ex ferro & luto mistis: de bestiis vero tractans, *cap.* 7, depingit prægrandis & robustæ belluæ imaginem, quæ dentibus suis ferreis longe lateque sit grassatura. Sicuti igitur ferrum robore & duritie omnia metalla superat, omniaque frangit & comminuit: & ut bestiæ, quo robustiores habent dentes, eo sunt formidabiliores & nocentiores: Ita quoque hoc imperium reliqua regna fortitudine ac perpetuitate longe vincit: eiusque maiestas hactenus invicta semper mansit, nec ab ullo enervari penitus potuit. Neque ulli hominum accepto ferenda est huius imperii conservatio: sed solius Dei benignæ providentiæ, à qua dependet illius dignitas. *l.* 1, *cap. de veter. iur. enucl. Nov.* 23, *cap.* 4. Neq; assertionem Zoanetti admiserim, *tit. de Rom. Imp. nu.* 94, dicentis, Imperii Romani verticem & cerebrum esse Pontificẽ. Præiudicio, quod alias omne tollit iudicium, bonus ille vir laboravit; neque aliter potuit, quin, exemplo Baldi, in ditionibus Pontificem pro numine colentibus hanc sententiam defenderet. Similiter illorum oculos glaucoma obsedit, ut puriter non videant, qui ideo Romani Imperii gloriam conantur deprimere, quod alia regna sint ampliora & potentiora, veluti Turcicum, Hispanicum. His responsum velim, summum Imperii axioma non æstimandum esse ex regnorum quantitate: sed ex iure partim successionis, partim gubernationis. Successit nostrum Imperium Romano-Germanicum in locum pristini illius Imperii, eiusque iuribus, præeminentiis, & privilegiis omnibus fruitur. Gubernatio aut divina est, aut humana: Illa incomprehensibilis & admiranda: hæc prudens & legibus armisque probe minuta; nullumque superiorem recognoscens, nisi DEVM & ensem; uti communi Electorum Imperii decreto, anno Christi 1338, tempore Benedicti XII P. publicato, pronunciatum est. *Aventin. lib.* 8. Præeminentia itaque Romani Imperii in eo vertitur, quod omnes exteri intelligunt, debere se comiter Romani Imperii observare maiestatem: neque enim ullum est in universo terrarum orbe nomen sanctius, *l. fin.* 1, *cap.* 1, *de legibus*, nullum vel ipsis remotissimis barbaris venerabilius: &c. Hactenus ille. Quibus hoc addendum, in quo vel solo huius maiestatis radium longe eminentissime in Imperatoribus nostris Romano-Germanis coruscantem in hæc usque tempora vidimus, quod etiam vicini Reges aliquot ex eorum munifica liberalitate se coronatos esse gaudeant. Vin' exempla? *ait Kon. in pol. par.* 1, *cap.* 23, *num.* 131, respice ad Hungariam; Nonne huic Regno tempore Ottonis III reg. a dignitas tributa fuit; & postea ab Henrico II Imp. confirmata? *Peucer. in complem. lib.* 4, *chron. Car. in vita Ottonis*, *Kon. pol. par.* 1, *cap.* 14, *nn.* 35. Nonne Poloniam idem Imperator Otto III similiter ad regium culmen evexit? *Alex. Guagnin. tom.* 1, *rer. Pol. in vita Boleslai*, *Peuc. d. l.* Etenim Otto Ruffus, tertius eius nominis Imperator, (*dicente ita Salo. Neugebav. de Codano, in vita Princip. & Reg. Pol. in vita Bol.*) reliquias novi Martyris Adalberti à Prutenis occisi visitans, hunc Boleslaum Regem solemniter creavit, sociumque & amicum Romani Imperatoris, à tributo & omni iurisdictione Imperatorum cum posteris immunem declaravit. Et quo arctior inter ipsos & posteros ipsorum esset necessitudo, Richsam Etenfridi Comitis Palatini ad Rhenum filiam, sororis suæ Mechtildis neptem, Mieczislao Regis filio despondit, &c. Eu quoque Fridericum I, Barbarossam cognomento. Is Petro Daniæ Duci regia stemmata dedit, ac regali potestate beavit. *Trithem. cap.* 17. Velut etiam Otto Frisingensis hunc ita loquentem introducit: Hominio ac fidelitate nobis facta, coronam de manu nostra Petrus Danorum Rex suscepit: iis tamen legibus regios honores est adeptus, ut in fide ac obsequio perpetuo Imperii Germanici permaneret: &c. Eodem modo Præfecturam Bohemiæ Fridericus I Imperator regia appellatione subornavit;

ea tamen lege, ut nihil de maiestate ac iure Imperii Germanici detraheretur. *Bodin. lib. 1, de rep. cap. 9, nu. 144. Penc. lib. 4, chron. Carion in vita Frid.* Quin & Sigismundus Imp. Adolphum Secundum Cliviæ, & Amadæum Sabaudiæ Comites, in sublimiorem Ducum Imperii sedem collocavit. *Penc. lib. 5, chron. Car. in vit. Sig. Bed. d. cap. 9, num. 127.* Etiam à Maximiliano I, anno 1497, in comitiis Wormatiensibus Comes Eberhardus Barbatus Wurtenbergensis creatus est primus Dux. *Cuspi. in vit. Max. Matth. Dresser. part. 4, Isag. Histor. de Duc. Wurteb. &c.* Vt ex his & similibus satis constet, in quanta potentiæ gloria semper præ cunctis terræ regnis Imperator Romano Germanicus floruerit. Quippe duplici auctoritate magis iam potitus est, quam quum olim populus Romanus in Principem summum omne imperium suum & potestatem contulisset. §. *6. I. N. G. & C. l. 1, ff. de Const. Princ. § sed & hoc vers. quum enim. ff. de concept.* Namque & Germani, cum Sarmatis, suos habuerunt semper reges, ex quo à Tuiscone, qui primus Germanorum Mercurius sive Nuncius & interpres deorum, à Teutschen/ sive Deuten/ interpretari, dictus fuit, propagationem sat generis acceperunt; velut per annos 175 regnasse, & filium suum Mannum Sarmatis ac Germanis ad Rhenum regem reliquisse, circa tempora Belochi Prisci & Abrahæ, in historiis est; cuius filius postea Trevir Treviros sive Germanos primos in Gallia Belgica condidit. *Chronol. Alst. de reg. Germ.* Et postquam Mannus per annos 66 regnum tenuisset, Ingævon per annos 45 ipsi successor fuit, veluti sic viginti unus Reges, utique ad tempora Davidis, anno mundi 2890 & circiter, ante Christum natum anno 1081, ab Alsted. *d. l. chron.* numerantur; quorum postremi fuerunt tunc Kels, Gall, & Hyllir, tres filii Wolfheimii. Verum, quinam hinc per quinque prope secula ad tempora Nebuchadnezaris & captivitatis Babylonicæ, quæ incidit in annum mundi 3365, ante Christi nat. 606, quum simul Tarquinius Priscus apud Romanos regnum teneret, in Germania gubernaverint, de eo nihil certi affirmare quis poterit: quamvis constet Galliam & Germaniam uno coivisse tunc regno. *Alsted. chron. tit. 52, pag. 202.* Attamen hoc testantur historiæ, quod Landinus, Germanorum Orientalium rex, Darium Hystaspim per suos Scythas, Sacas & Getas evicerit; nec curaverit Darium, quamvis ejus filiam in matrimonium petiisset. unde iste monarcha Persarum vindictam sui contemptus quærens, in Darium septingentis millibus hominum irruere ausus fuit, pontem Danubio imponens. Quo tempore Consules Romæ, electis regibus, rerum primas tenebant. Sic etiam de Brenno, filio regis Angilorum in Suevia, hoc constat quod ille circa annum mundi 3584, ante Christi nat. 387, innumero Germanorum & Gallorum exercitu Italiam ingressus sit, & Romanos qui à Clusianis in auxilium advocati erant, prope fluvium Alliam evicerit, posteaque ipsam Romam occuparit; ac, nisi Camillus, qué tamen antea in exilium ingrati ejecerant, patriam fortitudine sua salvasset, & hostem septimo mense repulisset, sedem proculdubio figere constituisset. Vnde Romani, Germanis & Gallis infensiores redditi, sæpius admodum fervido semet invicem depugnarunt bello, imprimis tempore Fabii Maximi & Scipionis. Nihilominus, quum Germanorum reges ita fortiter pergerent etiam longinquas adoriri terras, tantus Germanici nominis terror undique fuit, ut etiam reges non lacessiti ultro pacem ingenti pecunia mercarentur ab illis. Quis fuerit Arioviſtus rex, Germanice Ehrnvestus alias dictus, id historici testantur; & ipse C. Iul. Cæsar *in lib. suo de bello Gallico*; eum in plurimis rebus gestis describit; eidemque simul, quum satis elatum legatis suis responsum dedisset, quod in consulatu suo rex esset à Senatu Romano salutatus, & tamen ipsi colloquium denegaret, exprobrat. Ast, ut illum circumveniret, prælio satis astute sollicite que omnia disposuit; unde victoriam quoque reportavit ita, ut Arioviſtus vix fuga elaberetur. Et quamvis etiam Belgas, cum Germanis Trâsrhenanis vindicias agentes, dissiparit; tamen Eburones Germani Cisrhenani inter Mosam & Rhenum legatos Cæsaris & legionem cum quinque cohortibus interfecerunt. Hac itaque clade audita, quum Cæsar compertum haberet, Germanos esse invictos, neque Gallos sine eorum favore in officio quietos contineri posse, trans Rhenum in Germaniam misit, qui animos Germanorum, quos ferro non poterat cohibere, auro sibi conciliaret. Quod quum ita satis feliciter muneribus largis obtinuisset: ab ipsis equites peditesque stipendiis accersivit suis, quorum opera Galliam perdomitam felicissime in provinciam redegit. In bello deinde civili Cæsar opera Germanorum semper usus est in Græcia, Hispania, Europa, Ægypto, Asia & Africa. Nihilominus post mortem Cæsaris semper Germani lacessere ausi sunt Imperatores. Duos quippe perpetuos hostes, Parthos atque Germanos, hinc Occidens, illinc Oriens, Romanæ maiestati velut obices fataliter obdiderunt; quum præsertim Germanis virtute ut plurimum præpotentes reges ducesq; præessent; ceu fuit Cotisonus, Marobodus, Harminius, Vodenus, Vectius, Vecta, Wetgillus, Hengistus, &c. Item Odoackerus, Hermenfredus rex Thuringiæ, Alboinus, Bertoldus, Sighardus, Ditericus, Edelhardus, Warnekindus, &c. Et quamvis variis modis, nunc connubio, nunc muneribus, nunc fœderibus, Romani Imperatores Germanorum Principes, quorũ tunc duodecim erant, ex quibus rex eligebatur, *Bunt. chron. Brunf. pag. 14*, sibi devincire studerent; tamen Germani semper ad ingenium reversi, non potuerunt ferre iugum Romanum. Hinc varia orta sunt bella, & admodum dura; puta Dacicum, Gothicum, Saxonicum, & similia, usque ad annum Christi 772. Quo tempore Carolus Magnus cum Rege Witekindo fortissimo primum congressus est, & primam victoriam apud Osnabrugam reportavit: indeque ad Eresbergam, sive Venerationis Montem, contendit celeriter, ut famosissimum illud tutelare & commune idolon gentis Irmensulam destrueret; quod rite perfecit, & idololatricos cultus omnino abolevit. Quamvis autem Wedekindus ex eo tempore & loco semper arma reparârit, & ubique vires usque ad annum 786 recuperarit suas, adeo, ut illum variis & interdum satis ambiguis prælis suppresserit; tamen tandem, quum solus ex sui Wedekindesburgi obsidione clam aufugisset, se Imperatori Carolo dedere coactus est, pace prius confecta. Quod factum est prope Mindam, ad Visurgim; ubi adhuc rudera arcis monstrantur, & Mindam inde ita nominatam dicũt, quod Witekindus Carolo M.

dimidiatam eam arcem hac voce, quasi *Meum-Tuũ, Mein-Dein*, esse deberet, tradiderit. Non solum ita Carolus M. Imperator glorioſiſſimus variis bellis attritos Saxonas tandem in ordinem redegit, & ex nimia feritate ad manſuetudinem & humaniorem vitam retraxit; ſed etiam eorum iura cum regali ſceptro in ſeſe tranſtulit. In cuius rei apertum ſignum & memoriam æviternam de novo Witekindum dignitate Ducali donavit, & inſigne clypei eius, equũ videlicet nigrum in album, convertit, memoriæ & teſtimonii cauſſa, quod ſeſe ad Chriſtianæ Fidei confeſſionem convertiſſet, ethniciſmumque priſcum penitus abieciſſet. Inſigne hoc equi albi ſemper Ducum Saxoniæ ſolemne fuit, ultra 400. annos; donec tandem, Heinricus Leo, Dux Brunsvicenſis, tanquam principale clypei decus, galeæ frontiſpicio imponendum rectius cenſuit. *Bunt. in chron. Brunſ. pag. 16.*

Ex his igitur liquet, quanta gloriæ autoritate & iure, quanto maior effulſerit Carolus Magnus: Eadem quoque hodie merito ſplendent ſucceſſores eius omnes.

Concluſio Proœmÿ.

VErum, quum iam ex ſupradictis ſatis appareat, quæ conſtitutio ſit Imperii Romano-Germanici; iam ad ſcopum noſtrum nos convertimus, ut reliqua, quæ ad conſervationem & durationem huius Imperii pertinent, in munimentis & ornamentis eius neceſſariis, quæ in Civitatum aut Vrbium cultura & earum iunctura conſiſtit, plenius percenſeri queant. Quantum igitur boni in particulari & famoſiſſima ea civitatum Hanſeaticarum Societate, & eius Rebuspublicis lateat, id ſequens libellus ſatis luculenter, pro temporis iam ratione explicabit.

PARTIS PRIMÆ
De
CIVITATVM
HANSEATICARVM
Fœdere celeberrimo, & eius fundamentis remotioribus politicis.

CAP. I.

De Vniverſitate, Communione & origine civitatum. Vbi inſignis ex hac occaſione locus Platonis ex ſympoſio eius, iuxta Teutonicum, explicatur.

VT I Duo maxime ſunt, quæ cuiuſque regni aut reipub. ſalutem in duratione ſui firmiter conſervant; videlicet mutua ſubditorum & gubernantis affectio, atque civitatum ſolida munitio: ita quoque in Imperio noſtro Romano-Germanico hæc duo ubertim præ aliis terræ regnis florere, ex introductione ſuperius allegata cõſtat. Quæ etiam tanta cum cura ſemper prudentes Imperatores obſervarunt, ut nihil æque magna ſollicitudine animi diſpexerint, quam quæ ad duo hæc fundamenta recte diſponenda facerent. Inprimis ſemper hoc anxie egerunt, ut animos ſubditorum ſibi ſingulari cultura & beneficiis variis conglutinatos tenerent, & ſequaces uſque ſibi per quamvis ſortem traherent. Vnde etiam tot dignitatum & honorum ac liberalitatum in diſtribuendis bonis exortæ ſunt communicationes. Maximus artifex præ cunctis in talibus fuit ſummus ille heroum Carolus, qui etiam propter tot inclyta facta heroïca vere Magnus dictus eſt. Quippe quum tanto labore & conatu ſibi vincendos eſſe Saxonas fortes cerneret, Witikindũ eorum regem ſtatim à principio poſt obtentam victoriam, reddita Ducis magni auctoritate & dignitate, ſibi ita denuo devinxit, ut per eundem etiam Saxonum animos emolliret, & eo tenacius ſibi conſtringeret. Ac niſi Ducem eorum in tanto habuiſſet ſemper precio, ſeque præbuiſſet illis placidum, vixdum eos imperio cohibuiſſet, quamvis viginti ſex præliis acerrimis gentem fortiſſimi cordis debellaverat. Tandem tamen illis conſuetudines eorum ad Chriſtianitatem reductis confirmavit. Ita homines, incondita alioquin pręditi auſteritate, flexibiles reddunturmaxime, ſi in tempore clementiam aut comitatem adhibeat potentior & cauſſæ victor. Velut autem Carolus Magnus hoc artificium ſedulo obſervavit in omnibus gubernationis ſuæ actionibus, ita etiam eius exemplum ſancte ſequuti ſunt Ottones illi auguſtiſſimi, qui propterea ad tantum faſtigium evexerunt auctoritatem Germanici Imperii, ut ex ſancto ſubditorum ſtudio & amore ſibi invictam cõciliarint gloriam & perpetuitatem. Habent enim (*recte dicit Boter. lib. 1. de orig. urb. cap. 1.*) humanæ res ſe invicem ut catenæ circuli, qui mutuo amplexu hærent, ſeque invicem ſequuntur: quod ſi unum ex eis quemcunque tandem attrahas, tota catena cum ſuo principio conſequetur: Ita etiam in vitæ negotiis tibi ſumas; reliqua neceſſario ſequi ordine continuo ſuccedentia deprehendes. Verbi gratia, ſi quis agriculturæ ſtudeat, an non oportet prius haberi artem fabrorum lignariorum, & ante illam æratiorum? Quam rurſus metalla fodientium ars præcedat, opus eſt. Item qui fodinis vacant, tuti ut degere poſſint, corpore tegantur neceſſe eſt, ad quod textores ac domus ſtructores requiruntur. Similiter & alia omnia, ſi quæras & ſcruteris, inter ſe connecti reperies. Quibus verbis optimus auctor non tantum conglutinationem humanæ ſocietatis aut converſationis indicat, ſed etiam id intendit, ut inde cognoſcatur, quã arcto connexu inter ſe conſtringantur mutuæ cohabitationes mortalium. Cuius vinculi triplicia requiſita ponit Thol. *in republ. lib. 1. cap. 3. num. 11.* licet ad duo capita reduci commode ſatis queant. tamen audiamus eum. cuius verba ſic ſe habent: Tria neceſſaria in ſumma colliguntur ad conſervationem humanæ ſocietatis & rerum omnium conditarum, quibus omnis civitas & congregatio humana vincitur & colligatur. Primum dilectio & amor, quo omnia animalia ſe & ſuos tueantur, generent, & educent. Et hoc complectitur *ſοργὰς φυσικὰς*. Retinet coniugiũ amor: idẽ facit ex duobus corporibus unũ quoddã. Erunt duo in carne una. (*ait ſacra Scriptura.*) Et, Maſculum & fœminam creavit hominem Deus. Ex homine mulier facta à Deo. Vt fieri non poſſit, quin inter huiuſmodi perſonas non ſit quædam naturalis, eademque ſumma amicitia: quum nemo ſeipſum, aut ſuam carnem odio habeat; ſed diligat & foveat. Vt etiam in ænigmate expreſſerit Plato, *In Convivio, vel de*

ni de Amore; tria hominum genera olim fuisse, non solum quæ nunc duo, mas & fœmina, verum etiam & tertium ex utrisque compositum, cuius nobis non extat nomen, quoniam periit. Nam in Adamo primum duplex genus erat, quia ex illius costa Eva sumpta est mulier. ex his progenies, quæ non potuit non amari. hinc que prima civitas & cœtus, qui postea in universum mundum diffusus. Alterum, quod necessarium, & pariter datum à Creatore fuit huic civitati, sive cœtui universo hominum, ad colligationem & vinculum firmissimum, sunt notiones de moribus, de æquo & bono, de honesto, omnium hominum animis insculptæ, ut societates creaturarum rationalium cũ propria natura vivere possent, nó temere aut instinctu corporearum affectionum, more brutorum. Tertium fuit prudentia indita quædam, qua prospiceret sibi, & necessitatibus quotidianis, præsentibus, & futuris. Et heic constitutum est ius, quod dicitur ius gentium & commune, ut naturale. cui & C. Cotta addebat, iuris quoque naturæ esse, & commune omnibus rebus natis, vivere & mori. communis etiam omnium possessio, acquisitio eorum quæ terra, mari, cœlo, occupantur, & similia, fides, consensus, voluntas, &c. Ex hoc iure gentium cœperunt seorsum fieri alii cœtus, aliæve civitates, & similiter ex illis alia iura, quæ & civilia à seorsum factis & positis congregationibus seu civitatibus legitimis dicta sunt, &c.

Admodum illustris est locus iste, quem Tholosanus heic ex Platonis symposio adduxit. Sed quum ipse non intelligat, ut ex dictis apparet, quid allegarit, operæ precium omnino faciemus, si ex Teutonico eum explicatum demus. Plato certe inter omnes Philosophos, quorum scripta adhuc integra extant, solus & unicus est, qui veritatis professionem ethnico more quam proxime secutus est; ut tota logomachia Stagiritæ vix nomine digna sit præ huius studio; quum semper realis in sapientiæ cultura deprehendatur; alter vero nil nisi fumum vendat picta imaginis specie. Quippe Plato sapientiam Ægyptiacam Magorum, qui ductum Abrahami & Trismegisti sequebantur, penitus perpexerat; unde longe sapientius naturam rerum usque ab origine prima percensere potuit. Quoties ille de mente divina, (quam semper in suis scriptis spirare videtur,) de angelis, anima hominis, spiritu mundi, &c. verba facit, longe altiora intendit, quam ut possint profanæ mentes eius adsequi sensum. Marsilius Ficinus, qui fidelis Platonis superiori seculo sectator fuit, & prope ad unguem eius sermonem calluit, ipse sæpius confitetur, quam arduus sit in discursibus eiusmodi. Proinde cum toties mysteria locutum esse exclamat. velut etiam de libris illis duobus, quos Symposion & Phædrum appellavit, & in quibus de amore agit, quid & unde is sit, asseverat, quod mera mystica ibi pertractarit, quum in Amore talia admiranda constituat, quæ omnis generationis modum exuperent. Huius enim Amoris officium esse, ait, ut inter Deum & homines interpretis & quasi portitoris fungatur munere: mediæ autem illius inter divinam & mortalem naturæ originem, adhibita imagine, repræsentet: Illum videlicet paterno & materno genere longe lateque diverso natum, &c. In his & similibus, dum tam mystice loquitur Plato, nil aliud ostendit, quam ut recurrat ad illam primam generationem & propagationem sui, qua Adam ante lapsum & conditam fœminam donatus erat, ut non ita per connectionem externam sui simile ex se procrearet, sed ut magice ex semetipso, iuxta modum paradisiacum, cui à principio creationis depuratus erat in æternum, progeniem suam ederet. Qui rationi externæ mundi in falsa & phantastica philosophia mundana, iuxta elementia eius insevit, hæc vix capiet, quum tantum suo tenebrarum & occœcationis spiritu agitetur. Sed potius iuvat, & rectius est, ipsum audire Teutonicum. cuius verba *in libello de incarnatione Filii Dei, cap.* 4. sic se habent: Ratio mundi externi hoc omnino obtinere cupit, quod Iehova hominem in creatione ad exteriuum regimen destinarit, iuxta stellarum complexionem & quatuor elementorum. Si hoc verum, idem creatione sua quoque dolori & morti destinatus esset, quippe cœlo stellato suus constitutus est terminus: atque, si hunc assequatur, deserit eam creaturam, cuius ductor erat: atque tunc diffluit regimen & subsistentia creaturarum, quæ externo huic cœlo subiectæ sunt. Ita cernimus nos satis, quam caduci simus, & morte absorbeamur, si nos cœlum externum cum suis elementis deserat, ut etiam infans in utero materno sat ætatis ad moriendum consecutus sit, atque sæpius dissolvatur; quum etiam adhuc absque vita & congelatione regiminis externi corporea sit, priusquam centrum naturæ ignem animæ exuscitet. Veluti sic omnino mortem & obitum in lapsu Adami agnoscimus, quod Adam statim, simulac terrenam imaginem induit, paradiso sit demortuus, atque regno Iehovæ se per mortem privarit. Proinde etiam necessitas ipsa regenerationem nobis imposuit, alias impossibile foret, ut vitæ restitueremur. Quum vero Iehova Adamo terrenum, qui submixtus erat, fructum interdiceret, ne illum tangeret; atque solummodo unicum crearet hominem, virili & fœminea proprietate in utraque Tinctura, videlicet ignis & lucis, in amore, eundemque è vestigio in paradisum traduceret, imo ipse in paradiso crearetur: ideo nullatenus rationi id concedere possumus, quoties ex instinctu diaboli ita clamat: Quod homo terreno modo creatus sit. Namque omne quod ex terrena qualitate solummodo uniceque creatum est, illud animale est, principium finemque habet, nec consequitur æternitatem. Quodcunque igitur non ex æterno productum est, istud corrumpitur, & saltem speculum aliquod refert, in quo æterna sapientia se, tanquam in figura & similitudine creando depinxit. In tali re nihil amplius remanet quam umbra absque qualitate & essentia: transitque sicut ventus, qui se ostentavit, atque iterum mox evanescit. Propter eiusmodi creaturam Verbum Iehovæ non est caro factum. Æternum illud non propter corruptibilitatem introivit in corruptibilem essentiam. Non ita terrenum adsumpsit, ut terrenam corruptibilitatem in potentiam maiestatis evehere & introducere vellet: sed propterea, ut illud, quod ex potentia maiestatis erat progressum quidem, ast in malitiam & terreitatem prolapsum, atq; ita quasi in morte abolitum fuerat, inde iterũ vitæ restitueret, resuscitaret, & ad potentiã maiestatis denuo extolleret in ea possessione, veluti erat, antequam erat creatum. Ideo

alia

alia ratione homo agnoſcendus, quam hactenus factum eſt, dum mere animalem iudicavimus. Animalis quidem redditus eſt ſecundum proprietatem mundi, quum moreretur in Adamo: proinde vivebat huic mundo, & nullatenus Deo. Quod ſi vero ſpiritu voluntatis ſuæ in Iehovam ingrederetur, tunc in nova creatura & ſpiritu voluntatis iterum nobilem imaginem obtineret, & in Deo iuxta eam imaginem viveret, nec ſecundum animales proprietates huius mundi. Ita homo in morte erat, & tamen vivebat: Atque propterea Verbum Dei homo factum eſt, ut Deo hunc rurſus aduniret, atque denuo totus in Deo crearetur. Sic quoque paradiſiaca imago nobis conſideranda eſt. Dicimus & agnoſcimus, quod Adam bonus, integer & omnis expers maculæ non minus ac Lucifer cum exercitu ſuo creatus fuerit. Ille donatus erat oculis puriſſimis, atque hoc duplici modo. Quippe utrumque in ſe continebat regnum, videlicet Dei atque huius mundi. Verum quemadmodum Iehova dominus eſt potens omniũ rerum, ita etiam homo in potentia Dei debuiſſet in mundum extendere dominium ſuum: Velut Iehova dominatur in omnibus, & omnia pertranſit inſenſibiliter; ita quoque homo interne divinus atque cœleſtis omnia permeare poterat & perſpicere.

Homo externus quidem in externis vivebat; aſt dominium acceperat in externa, & erant ipſi ſubiecta cuncta; nilque ipſum ſubiugabat. Is potuiſſet ſcopulos confringere proprio motu & viribus naturalibus. Tincturam terræ plane perſpectam cognitiſſimamque habebat: omnia miracula terræ penitus exploraverat. Quippe in eum finem ad hæc externa creatus erat, ut quodlibet figuris ſuis manifeſtaret, atque in actum produceret quidquid in æterna ſapientia præviſum fuerat. Etenim virgineam poſſidebat ſapientiam. Aurum, argentum, & pretioſiſſimum metallum, eſt quidem ex cœleſti magia cum inflammatione ita incluſum: eſt aliud quid tamen, quam terrenum. Homo quidem hoc amat, & eo utitur ad victum ſuum; verum eius fundamentum & originem minus intelligit. Non fruſtra id ab animo ita amatur: eius origo ardua eſt, ſi id recte perpendamus. Sed merito in hoc iam muti ſumus, quum homo alias eius nimio teneatur deſiderio, & ſe à Spiritu Dei per id ſeparet. Neminem decet corpus potiori fovere amore quam ſpiritum, quia ſpiritus eſt, & parit vitam. Saltem in ſimilitudine vobis id cenſendum propinamus; ſilentio tamen præterimus materiam cum fundamento eius & origine. Nihilominus hoc noſcatis, quod homini luſus & ornamenti cauſſa concreditum fuerit: Ipſe ex iure naturæ id poſſidebat: ipſius erat proprium. Sed ſubintellige corpus externum; quia illud cum ſua Tinctura, & metallica tinctura, inter ſe arctiſſimam fovet cognationem. Quum vero externi corporis tinctura deſiderio ſatanico inficeretur, tunc quoque retrocedendo ſe metallica tinctura ab homine abſcondebat, & hoſtili odio erga eum afficiebatur. Quippe longe purior eſt, quam corrupta in homine natura. Hæc vobis, vos perſcrutatores metallicæ tincturæ, dicta & detecta ſint. Si veſtrum quis lapidem Philoſophorum quærat, is ſe ad regenerationem in Chriſto præparet; alias inventu vobis minime facilis erit. Tinctura enim hæc communicationem ingentem habet cum cœleſti eſſentia; quod ſi hæc à fæcibus ſuis immixtæ turbæ liberaretur, & perduceretur ad fixationem iuxta cryſtallinum ſplendorem ſive perfectionem ſui, facile materia illa agnoſceretur. Splendor ſive illuminatio eius denotat aliquid. Quod ſi nobis paradiſiaci eſſent oculi, id omne quam facillime agnoſceremus. Mens quidem nobis aliquid indicat; aſt intellectus & plena cognitio mortua eſt paradiſo: atque id propterea maxime, quod imagine eius nobili in Iehovæ ignominiam & noſtri ipſius perniciem abutamur, neque per hanc Iehovam colamus, aut noſtro ſpiritu in Iehovæ ingrediamur Spiritum; ſed linquamus Spiritum, & in externa hæreamus eſſentia: inde nobis metallica tinctura in myſterium evaſit.

Homo creatus erat, ut eſſet dominus Tincturæ; atque ipſi ad obediendum adſtricta erat: aſt ſervus eius fiebat, & quidem alienigenus. Atque ita quærit aurum, ſed reperit terram, propterea quod Spiritum deſeruerit, & ſpiritu ſuo ingreſſus ſit corporeitatem. Inde corporeitas eum captivum trahit, & morti incluſit; ut ex hoc tinctura terræ excluſa iacet uſque ad iudicium Iehovæ, niſi à corporeitate excedat, atque in Deo regeneretur. Namque quum diabolus dominium abſolutum cum turba & matrice æterni ſui ignis in cœleſtem eſſentiam, appeteret; propterea ipſi potentia occludebatur corporalitate elementorum in creatione, quæ propter infectionem eius in terræ craſſitiem & lapides meros, tanquam in partem venenatam evaſit, ut ita nullatenus dominus, ſed captivus iræ ſuæ permaneat. Atque ipſi nihil prodeſt eſſentialitas, quia ſpiritus eſt, atque ſpernit cœleſtem eſſentialitatem, matricemque naturæ venenatam incendit; quæ matrix omnia ſtatim è ſenſibili & corporali produxit materia, unde talia Spiritus Iehovæ in huiuſmodi creationem convehebat. Homini autem ea erant ſat cognóſcibilia. Quippe tincturam ſolvere poterat, & nobilitatem eius producere ad luſum & gaudium ſuum, atque ſimul in honorem Iehovæ & miracula eius, modo in ſtatu permanſiſſet innocentiæ.

Quod vero ad hominis cibum & potum attinet, quibus ignitæ animæ ſuæ nutrimentum & eſſentialitatem præſtaret; hæc ita ſe habent: Duplicem in ſe ſe fovebat ignem, videlicet animæ ignem, & externum ſolis atque ſtellarum. Iam vero quivis ignis ſuum requirit ſulphur aut eſſentiam materiæ; alioqui ſubſiſtere non poteſt, id eſt, urere nullatenus valet. Exinde ſatis percipitur, quodnam hominis nutrimentum fuiſſet iuxta divinam eſſentiam. Etenim, velut ſupra dictum eſt, animæ noſtræ ignis Dei amore, manſuetudine & eſſentialitate cibatur, cum unoquoque eo, quod Deitatis centrum procreat. Quia anima ex æterno igne magico edita eſt, quæ propterea etiam Magicum expetit cibum, veluti imaginationem. Si imaginem Dei in ſe continet, imaginationem quoque unice in Iehovæ dirigit amorem, ceu in eſſentiam Dei, atque inde cibum Dei attrahit, quo cibo etiam angeli veſcuntur. Sin vero minus; tunc cibo eo delectatur, in quem imaginatur, aut imaginationem ſuam proiicit, nimirum terrena & infernali qualitate fruitur, atque in eandem matricem ſe præcipitat: quamvis non

cum

tum ſubſtantiã in eam irruat, tamen illa matrice repletur, cuius qualitates ebullire cum illo incipiunt, perinde ac venenum quoddam in carne operantes. Sic etiam externi corporis cibus ſatis cognitus eſt. Homo externus quidem erat; ſed homo iſte externus quaſi ab interno prope abſorptus erat. Quia internus totaliter per univerſum obtinebat imperium. Atque ita unaquæque vita, ſuo fruebatur nutrimento proprio, ex quo vivebat. (Vnde Chriſtus vere ait; *Matth.* 4. Non vivit homo tantum ex pane; ſed ex unoquoque Verbo, quod per os Dei tranſit. qui textus nunquam abſque huius rei informatione vera intelligi poteſt.) Videlicet imago Dei in homine, ſive animæ Spiritus & Effigies, comedebat cœleſtis eſſentiæ divinitatem; atque corpus externum extra craſſitiem manducabat paradiſiacum fructum oretenus, nec in corpus tranſibat. Namque veluti externum corpus quaſi ab interno prope abſorptum latebat, ita quoque fructus paradiſiacus ad id proportionatus erat. Eſſentia divina per terrenam evireſcebat, atque terrenam illam in paradiſiaco fructu abſorptam tenebat, ut ita fructus ille nullatenus terrenus agnoſceretur. Atque inde paradiſi nomen eſt, quod pulchre per turbam evireſceret, ubi amor Iehovæ in media ira efflores ceret, & fructus ederet lautiſſimos, veluti lingua Naturæ abſque ulla interpretationis phantaſia opinabili ſatis aperte hoc percipit. Ex quo ulterius hoc conficitur, ut intelligamus, quomodo Iehova hunc incolat mundum: & mundus in ipſo tamen quaſi abſorptus eſt. Mundus in eo eſt pluſquam impotens; ipſe vero omnipotentiſſimus. Ita quoque erat homo, & ita ſimul ſuum terrenum comedendo nutrimentum convertebat in cœleſtem cibum. Vnde etiam hoc novimus, quod ita in regenerationem nobis ſit redeundum. Velut nec aliter fructus paradiſiacus ex ita progeneratus erat eſſentiæ cœleſtis: vel quemadmodum cernimus, quod optime dulcis herba ex terra acerbiſſima repullulaſcat, quam ſolis calor alia qualitate perfudit. Ita concoquebat homo ſanctus fructum paradiſiacum in ore ſuo, ut ita terreitas abſorberetur quaſi in nihilo, nec hominem uſpiam afficeret ſenſualiter: Ceu quoque agnoſcimus, quod mundus hic in ultimo termino ſuo abſorbebitur, nec amplius extabit ſenſibile corpus. Ita ſimul externus ſe habebat cibus hominis: ille ore comedebat fructum, nec tamen dentium ipſi opus erat attritione, aut dentibus ipſis. Namque in ore ſtatim ipſi aderat ſeparationis & cõcoctionis vis. Duo contra virtutes in ore Adami exiſtebant, utrumque appropriatum ſuum attrahebat: terrenum in cœleſtes transformabatur qualitates, veluti inde compertum habemus, quod ſecundum corporis noſtri conſtitutionem transformari debeamus in novum cœleſtis virtutis corpus. Pari modo tranſmutatio in ore erat, atque corpus eius ſanctas excipiebat vires. Namque regnum Dei in potentia conſiſtit. Velut etiam homo in regno Dei conſiſtebat: quippe immortalis erat, & filius ipſius Iehovæ. Quod ſi vero cibum viſceribus ita abligurire debuiſſet, atque tantum ſecum in ventre portare fœtorem, velut iam geſtamus, merito quæreret ratio; An hæc paradiſus ſit? & num Spiritus Dei in ea habitet? quum tamen Spiritus Dei in Adamo habitare deberet, tanquam in Iehovæ conditoris creatura.

Labor eius paradiſiacus ſimpliciter puerilis quidem erat, ſed tamen divinæ ſapientiæ plenus: Conceſſum ipſi erat plantare arbores, & alias herbas, omniaque ex ſancta lætitia peragere: In omnibus ipſi germinabant & edebantur paradiſiaci fructus; ſingulaque ipſi pura erant. Quicquid ille agebat aut actitabat, in omnibus erat iuſtus: nec ulli ſubiectus erat legi, niſi legi de imaginatione aut libidine, quam cum ſpiritu ſuo defigere debebat in Deum, atque ſic manſiſſet in æternum. Ac licet Iehova terram mutaſſet, nihilominus ipſe manſiſſet abſque neceſſitate & morte: Omnia ipſi ſaltem in cœleſtem eſſentiam fuiſſent transfigurata.

Simili modo hæc percipiatis de eius potu. Homo internus hauriebat aquam vitæ æternæ ex Dei eſſentia; externus bibebat aquam terræ. Verum quemadmodum ſol & aër aquam in ſe abligurunt, nec tamen ab ea adimplentur; ſic etiam colliqueſcebat ea in ore hominis. Vtraque recedebat in myſterium. veluti id cognitione adſequi poſſumus, & certo novimus, atque idem ipſa veritas eſt, quod Iehova omnia ex nihilo fecerit, ſaltem ex virtute ſua; ita quælibet terrena per os hominis reverti debebant in hoc, quod erant ante mundi creationem. Homini competebat enim ſpiritus & eius potentia, & non terrena moles corporis. Namque Deus ipſi ſemel addiderat corpus, quod æternum durare debebat. Nõ indigebat ulterius ulla creatione. Thronus erat principalis; intellige Adamum ex cœlo & terra confectum, nec non aſtris & elementis: tum ex ipſa Dei eſſentia, ut eſſet dominus mundi, & filius Dei.

Annotate hoc, ô Philoſophi; verum eſt hoc fundamentum & ipſa ſumma ſapientia. Cavete ne litem ullam ſcholaſticam heic ſubmiſceatis. Satis hæc manifeſta ſunt. Opiniones nihil ad rem faciunt. Verum Spiritus intelligentiæ verus, qui ex Deo progenitus eſt, ille veritatem novit. Quælibet opinio abſque huius cognitione in terrenam abit ſtultitiam, & terram ſolum aut quatuor vix Elementa percipit; imo quatuor in eo latent occultata: Nec tamen quatuor in Adamo regimen obtinere, ſed ab uniuſ imperio quatuor coerceri debebant; nimirum elementi illius cœleſtis, dominio cogentis quatuor mundi elementa: Atque ſic ad idem reduci cogemur, ſi paradiſi poſſeſſores, quam ob cauſſam Deus eſt homo factus, evadere cupimus. Dictum hoc vobis ſit, ô Scholaſtici, vos litigatores: Lambitis vos circulum, nec ingredi eum valetis; Non aliter, ac ſi felis pultem nimis ferventem ambit; dum aduſtionem eius timet: ita ignis Iehovæ vos metu & pudore repellit. Et velut felis pultem talem prorſus attingere nequit; quum ſaltem oras ſubolfaciat eius; ſic multo minus etiam talis homo fruitur fructu paradiſiaco, niſi prius Adami corium, quod uſque adeo diabolus corruptione devaſtavit, exuat, & ad Chriſti regenerationem ſe recipiat. Circulum hunc ingredi oportet, & rationis abiicere obvelamentum; ſic hominis veri accipit intellectum & divinam agnitionem. Nil prodeſt doctrinalis habitus, ſed regeneratio nova, &c.

In his quidem ex ſingulari revelatione Teutonicus ſatis commode intelligentibus primi amoris vim inculpatam cum toto hominis primi ſtatu delineavit. Sed, quum etiam dilucidius *in myſterio magno; & commentario ſuo in Geneſeos caput* 18. de regno

de regno paradiſiaco, &c. idem explicet; etiam eum huc locum, gratioris informationis gratia, in tam illuſtri arduæ ſapientiæ lumine, quod vix aliquibus cognitum eſt, adducemus, præſertim quum ſanctam primi regiminis faciem, quomodo ea conſtituta fuiſſet, niſi Adam in lapſum incidiſſet, miſerabilem, in mundo paradiſiaco depingat.

Cap. II.

Vlterior explicatio loci Platonici de fundamentali origine ſocietatis: &, de myſterio regiminis paradiſiaci, ſancta ex Teutonico informatio.

Verba eius ſunt: Adam (ante lapſum videlicet) & vir erat & fœmina; nec tamen quid horum, ſed virginea quædam perſona, caſtitate, honeſtate, & puritate plenus, velut ipſa Dei imago. In ſe continebat utramque Tincturam, ignis & lucis, in qua coniunctione amor verus, tanquam virginale centrum, conſiſtebat, quaſi pulcherrima paradiſiaca roſa & hortus amœniſſimus, in quo ſemetipſum diligebat: Veluti in reſurrectione mortuorum tale quid denuo erimus, ſicut Chriſtus, *Matth. 22. verſ. 30.* ait, quod in reſurrectione neque uxores ducamus, neq; nuptum demur: ſed angelis Dei ſimiles ſimus. Taliter homo, velut Adam erat ante Hevam ſuam conditam, reſurget, & paradiſum denuo occupabit atque poſſidebit in æternum. Non mas aut fœmina erit; ſed, velut ſacra Scriptura loquitur, ipſi virgines ſunt, & Deum atque agnum ſequuntur, ſimiles angelis Dei. Aſt neque mere ſpiritus, ut angeli, ſunt, ſed in corporibus cœleſtibus, in quibus ſpirituale angelicum corpus habitat.

Quandoquidem igitur Adam in imagine Dei creatus, & inde æternæ vitæ paradiſi deſtinatus erat, atque Iehova ipſi vitam per ſpiritum ſuum inſpiraverat; licitum nobis erit, ut eius deſcribamus conditionem, qua indutus fuerit in innocentiæ ſtatu, & quomodo lapſus, ac quis inde nunc ſit, qualiſque denuo futurus. Quod ſi Iehova illum creatione ſua, terrenæ, fragili huic, miſeræ, deſolatæ, morbidæ & laborioſiſſimæ vitę deſtinaſſet, non certe eundem in paradiſum introduxiſſet. Quod ſi animalem concubitus impreſſionem & propagationem eius expetiviſſet, ſtatim à principio Deus marem & fœminam creaſſet, & ſic uterque ſexus in verbo FIAT in ſeparationem utriuſque tincturæ abiiſſent, velut in aliis terrenis creaturis id videre eſt. Vnaquæque creatura indumentum ſuum ex utero materno ſecum affert in mundum: At homo miſerrime nudus & detectus prodit in extrema paupertatis & imbecillitatis conſtitutione, nec ulliuseſt facultatis; ſed in ſuo ingreſſu huius mundi miſerrima & pauperrima creatura, inter omnia genera eius, exiſtit, quæ ſibimetipſi auxilio nullo eſſe poteſt. Hoc nobis ſatis indicio eſt, quod nullatenus huic miſeriæ in creatione ſua deputatus ſit à Deo; ſed quod alia eius fuerit perfectio, velut etiam reliquarum in ſuo genere creaturarum; quam tamen omnium primus homo per libidinis ſuæ falſam imaginationem amiſit. Vnde eum poſtea Iehova in ſomno ſuo demum ad vitam naturalem in maris & fœminæ figura iuxta omnium terrenarum creaturarum proprietates in externo illo FIAT plaſmavit, atque ipſi cadaveroſum corpus cum brutalibus membris ad propagationem ſui adglutinavit; in cuius rei ignominiam etiam adhuc anima pudore afficitur, quod brutali hac mole corporis affecta ſit.

Duæ conſtantes & fixæ eſſentiæ fovebant Adamum; nimirum corpus ſpirituale, ex amoris eſſentia cœli illius interni, qui templum erat Iehovæ; atque corpus externum, tanquam limus terræ, quod corpori interno ſpirituali domunculam & habitaculum exhibebat, quod nullo modo iuxta vanitatem terræ erat manifeſtarum, quia limus erat puriſſimus, extractum videlicet optimæ partis terræ, quod in terra in iudicio extremo ab omni vanitate carnis & corruptione diaboli ſeparabitur. Iſtiuſmodi duæ eſſentiæ, nimirum cœleſtis interna, & externa corporea, inter ſe quaſi firmo connubio combinatæ, unoque corpore conſociatæ erant, in quo ter ſancta Tinctura ex divino igne & lumine, tanquam lætabunde voluptuoſi amoris permagnum deſiderium, erat orta, quod inflammabat eſſentiam eam ita, ut duplices illæ ſubſtantiæ pluſquam ardentiſſime in amoris deſiderio inter ſemet invicem mutua affectione coirét, & ſeſe flagrantiſſime foverent. Internum illud ardebat immenſe externum, tanquam ſui manifeſtationem & perceptibilitatem: Similiter externum ardebat internum, tanquam ingentem ſuam dulcedinem & voluptuoſitatem, ceu margaritam nobilem & amabiliſſimam coniugem. Nec tamen duo erant corpora; ſed unum; attamen binæ eſſentiæ; nimirum interna una, cœleſtis, ſancta; & altera ex temporis progenita eſſentia; quæ æternitatis coniugio conſociatę vigebant.

Interne autem in hoc igneo deſiderio mutui in ſeſe amoris conſiſtebat magicus conceptus ſeminis ſancti & partus eius. Namque tinctura pertranſibat utramque eſſentiam, per internam & externam cõmeando, atque ita deſiderium excitabat, optime id fovendo: ac deſiderium illud ſanctum erat per illud FIAT, quod amoris voluptatem concipiebat, inque ſubſtantiam producebat. Atque ita æqualitas imaginis in ſubſtantia iſta concepta manebat, tanquam ſpiritualis imago iuxta primum hominem; quemadmodum illud τὸ FIAT primam imaginem in Adamo conceperat, & efformatam expreſſerat: Nec aliter æqualis temperies primum ad propagationem ſui concipiebatur; atque in eo conceptu ſtatim aderat magicus partus; ubi in ipſo partu editum ſimul ſpirituale corpus, confeſtim in externum exprimebatur. Hoc ita percipite; Quod ſi Adam in probatione ſui ita ſubſtitiſſet, tũc partus magicus ea ratione ſe exeruiſſet; non tamen per ſingularem naturæ egreſſum ex Adami corpore, ceu iam fit: ſed quemadmodum Sol ignem perlucet, & tamen nequaquã hunc perrumpit; pari modo ſpirituale corpus, uti partus eius proprius, egreſſum fuiſſet, atque in editione ſui ſubſtantiam induiſſet, abſque ullo labore & anguſtiis. Quod in mirifice ſincera voluptuoſitate & delicio factum fuiſſet, iuxta eum modum, velut utriuſque ſemen, viri & mulieris, in coniunctione ſua delicioſum occurſum ſibi invicem præſtat. Sic etiam magicus conceptus & partus fuiſſet virginea imago iuxta primum hominem omnino perfecta, quę poſtea, quum Adamo veneris matrix erepta & in fœminam transformata eſſet, in dolorum anxietates & labores, cruciatus, & tormenta, redacta fuit; uti Iehova

hova ipſe hoc Evæ Imponebat, dicens: Tibi multos creabo dolores, quum gravida facta fueris: In dolore edes tuos liberos, atque tua voluntas ſubiecta erit marito. Quare autem hoc? Propterea, quia ex voluntate mariti procreata erat. Atque Eva erat dimidiata pars mariti; velut ea pars in qua Adam ſe amare & concipere debebat. Hæc ipſi ita, quum ſubſiſtere nequiret, in ſomno eripiebatur, atque inde mulier formabatur. Ideoque, quum eam evigilans adſpiceret Adam, aiebat: Vocabitur illa virago inde, quod ex viro educta ſit.

Homines quoq; in terra nudi ambulaſſent. Quippe cœleſte illud pertranſibat externum, quod ipſi loco veſtimenti fuiſſet. In ſumma ſemper formoſitate, gaudio, & lætitia exultaret, ſed in filiali ſimul animi ardore erga Deum. Magico quoque more comediſſet & bibiſſet, non quidquam in corpus abſorpſiſſet, veluti nunc fit; ſed in ore ipſi erat concoctionis ſeparatio: quia fructus paradiſiacus eodem modo accommodatus ipſi erat. Omnia ipſi pro luſu ſuo inſerviebant; Nullus eum capiebat ſomnus: Nox ipſi velut dies erat. Namque oculis transfigurate pellucidis omnia perſpiciebat in proprio luminis intuitu. Homo internus tanquam oculus internus proſpiciebat per externum; ſicuti in altero mundo haud ullo ſolis lumine indigebimus. In aſpectu enim divino & eius lumine omnia nobis erunt obvia per lucem naturæ eius. Calor nullus, nec frigus ullum affeciſſet illos. Nec erat hyems in terris manifeſtatus: Quoniam in paradiſo æqualis erat temperies: atque terræ tinctura luſus eius erat. Metalla omnia luſui ipſorum ſe expoſuiſſent ad illud uſque tempus, donec Iehova mundum externum mutaſſet. Nihil illis timori aut metui fuiſſet, neque lex ulla ad aliquid faciendum aut omittendum. Adam omnium fuiſſet princeps magnus; ac vixiſſet in mundo quidem, ſed ſimul in cœlis, atque ita in utroque habitaſſet mundo. Paradiſus quoque per totum floruiſſet mundum.

Quum vero providentia Iehovæ ſatis agnoſceret, quod Adam non eſſet conſtans permanſurus; quum terra in perniciem pridem ex malitia principis ſui prioris abiiſſet, ex quo ira Dei ſe cõcitaverat: ipſam, ac eſſentiam eius, in compreſſione concluſerat compacta. Proinde Iehova omnigenos fructus & animalia, etiam omnivaria pharmaca aut remedia contra futuros morbos hominum creabat; tum quoque varios cibos, ut homo in hoc mundo victum & amictum inde ſumeret. Namque decreverat, quod alium eſſet miſſurus Principem, per quem ex morbo & morte hominem liberaret, terramque per ignem Dei probaret & purgaret, atque illam in ſanctitatem eam reduceret, in qua erat conſtituta, quum Lucifer adhuc angelum ageret lucis, priuſquam in talem abiret creaturam. Adam ita creatus erat in imaginem Dei, ut æternus eſſet. Atque licet in ira Dei præcognitum erat, quod homo lapſum eſſet commiſſurus; attamen in amore Iehovæ præviſa erat regeneratio, cui hierarchia hæc in regiam poſſeſſionem loco Luciferi tradi deberet. Ne autem lapſus ex divina ordinatione initium ſumeret ſuum, propterea Iehova hominem perfectum creavit, & in paradiſum depoſuit atque conſtituit; nec non ſimul ſevero mandato ipſius libidinem falſam, quam Diabolus per limum terræ in Adami externo corpore cum mendaci ſua imaginatione & eſurienti deſiderio concitarat, cohibuit. Atque ſic Adam per quadraginta dies ante conditam Evam ſuam in paradiſo vixit in tentatione, priuſquam Iehova mulierem ex eo conderet. Si probam hanc ſupergreſſus fuiſſet, Deus æternitatis addictum conſecrationi confirmaſſet.

Quod vero, contra reliquorum ſcriptorum morem & ſententiam, heic quadraginta dies interponam, eius rei cognitionem & rationes habemus, non ex ſola opinione, ſed maxime ex certa quadam ſcientia, in quem finem typos eius figuræ vobis demonſtrabimus. I. Apud Moyſen, in monte Sinai, in traditione Legis conſumebantur quadraginta dies, & tentabatur Iſrael, num in obedientia erga Iehovam conſtanter perſeverare vellent. Quum vero vitulum & idolon ſibi conficerent, atque à Deo deficerent, cogebatur Moyſes priorem Legis tabulam confringere; quod Adamum primum in Lege divina denotat, à qua deviarat. unde etiam ipſi hæc abrumpebatur, & incidebat in corruptionem ſui corporis, veluti Moyſes tabulam eam diſcerpebat. Ac ſicuti Iehova Moyſi aliam ſcripturam in globo exhibebat, quæ indicat ſecundum Adam Chriſtum, qui primum reſtituere deberet, & ſuam legem in cordis eius globum tanquam in vitam humanitatis inducere atque inſcribere vivifico Spiritu in dulciſſimo nomine Ieſu: Ita quoque ſecunda lex ſcripta erat, quemadmodum Iehovæ amor iram confringere cuperet, cuius fœdus in Lege imaginem repræſentabat, ceu poſtea in Moyſis explicatione detegetur. II. Secundam figuram Adami in paradiſo referunt quadraginta dies in eremo, quum Iſrael in Lege per cœleſtem mannam tentaretur, num Iehovæ obedientiam præſtare cuperet, ne tam multos ira abſorberet. III. Tertia figura veram exprimit imaginem; ubi Adami durus ſtatus cum Chriſto in eremo comparatur, quum is loco Adami coram diabolo & ira Dei in probatione ſubſiſteret, & per quadraginta dies magico veſceretur cibo, videlicet verbo Domini; in quo etiam Adam tum tentabatur, an ille penitus in voluntate Iehovæ demiſſus permanere poſſet. Chriſtus in Adami tentatione tentabatur, & in omnibus ſingulatim, in quibus tentabatur Adam; uti poſtea dicetur. IV. Quarta figura conſiſtit in quadraginta horis Chriſti in ſepulchro, quum Adamum ex primo reſuſcitaret ſomno. V. Quintam figuram ſignificant quadraginta dies, poſtquam reſurrexiſſet Chriſtus in ultima proba, quum humanitas ultimo tentaretur, num ſatis tandem ſubſiſtere, & in Deo demiſſa eſſe vellet, quum mors confracta, & interna hominis vita in Deo regenerata eſſet.

Hæ quinque figuræ pertinent ad quinque gradus Naturæ, à prima naturæ forma uſque ad quintam, tanquam ad centrum ſanctum amoris parturientis. Niſi res foret nimis ampla, poſſet ſatis clare demonſtrari; quod ſuo explicabitur loco. Per hoſce quadraginta dies Adam experimento tentationis fuit exploratus, num vellet & poſſet ſufficiens eſſe, ut Luciferi ſedem poſſideret tanquam hierarcha & princeps Iehovæ. Sed quum Iehova prævidiſſet, quod nequiret id adſequi, decrevit per profundiſſimum amorẽ in hac Adamica angelica imagine interni ſancti hominis, qui in Adamo expirabat, ſe commovere, atq; illum de novo regenerare, velut in ſemine mulieris, (percipite hoc,) in amoris deſiderabili ſemine, in

quo Adam ſe magice concipere atque parturire deberet. In ſemine iſto promiſſus terminus fœderis cum Chriſto conſtituebatur, qui imaginem angelicam reduceret,& divinum hominem;uti factum eſt. Per quadraginta iſtiuſmodi dies Adam, vel potius anima Adami, in carne inter tria principia tentata eſt. Etenim unumquodque principium trahebat animam in carne, & imperium appetebat: Quodvis ſupremam ſibi gubernationem vendicabat. Atque in eo vera perſpiciebatur probatio, quid libera voluntas animæ perficeret; num cuperet in divina ſubſiſtere harmonia ; an vero in ſui amorem ingredi ſtuderet. Sic ergo in anima & corpore ſimul ille tentabatur, atque ab ipſis tribus principiis attrahebatur, dum eum ſingula ſtratagematis ſuis vincere conarẽtur. Non quidem lucta inde erat, quod principia ea in menſura & pondere inæquali viguiſſent ; quum eum omnino æquali foverent ponderis temperie ; extra illum tamen non eadem erat ratio: tum & diabolus falſo ſuo deſiderio aut libidini iuxta iram Dei in primo principio pluſquam omnem impendebat conatum,imaginationem ſuam introducens in animam carnemque externam, utpote in limum terræ, atque in primum principium velut in animæ igneam proprietatem & æternitatis naturam ; ut inde primum principium in anima commoveretur, & ſe in diaboli imaginatione contemplaretur, quaſi ſe in magico partu informaret, quomodo & quidnam malum bonum ve ibi eſſet ; quomodoque id eſſentiam inæqualem ſaperet & ſe haberet. Vnde libido animæ exſuſcitata eſt. Atque ſic in externa parte animæ ſe exerebat terrena libido, quæ multivarias proprietates qualitatum manducare ſatagebat. In interna ignea vero parte animæ ſe exerebat ſuperbiæ libido pro cognitione boni & mali, ut eam probaret in æmulatione Dei : velut diabolus idem factitabat, quum artificem agere cupierat in magico partu. Quod idem Adam heic deſiderabat. Attamen Adam non cupiebat primum tangere principium, quod Lucifer factitarat. Etenim eius libido id intendebat, ut bonum & malum olfaceret atque probaret in vanitate terræ. Externa anima exſuſcitabatur, ut eſuries in matricem ſuam ingrederetur, unde protracta, & in aliam qualitatem introducta erat. Quum itaque eſuries iſta in terram ſe ingereret, ut ex bono & malo cibum caperet, tum deſiderium ſive appetitus arborem tentationis in FIAT producebat, atque eam Adamo in adſpectum opponebat. Inde quoque ſtrenuum à Deo edebatur mandatum, ut ita alloqueretur Adamum: *Geneſ. 2. verſ.16. & ſeq.* De fructu quidem omnis arboris huius horti libere comedes: De fructu vero arboris ſcientiæ boni & mali, de iſto ne comedas:Nam quo die comederis de illo,utique morituru es. Nec Adam quidquam de eo comedebat in ore, attamen imaginatione aut appetitu deſiderii de eo comedebat. ex quo Cœleſtis Tinctura abolebatur,& in principium ſui centri recedebat; quæ alias ignito amore in ipſo fervebat,& terrena libido in animæ proprietate ſeſe exſuſcitabat ; unde cœleſtis imago Dei occultabatur. Ecce ita miſere extinguebatur magicus partus in homine, nec amplius ſe exerere poterat. licet Adam adhuc in paradiſo eſſet conſtitutus, tamen nihil ipſi proderat. namque in imaginatione,aut boni & mali deſiderio, iuxta libidinem homo externus evigilabat, & imperium reginiinis obtinebat. propterea eximia illa Imago veri Adami in impotentiam ſui incidebat, & à propria quiete ſua prolabebatur in ſomnum. Cœleſtis enim illa Tinctura à terrena libidine captivabatur. Quippe externa illa libido ex vanitate mundana venenum hauriendo ſibi imprimebat. unde homo obtenebrabatur,& clariſſimi eius oculi verum amittebant viſus lumen, videlicet id quod ex divina eſſentia depromptum,cuius ope antehac in omni lucis vigore omnia perluſtraviſſet.

Merito igitur nunc inde ſic ait Moyſes: Iehovam dixiſſe: Non eſt bonum quod homo iſte ſit ſolus; faciemus ei adiutorium, ut circa eum ſit. Quum Iehova omnes res creatas quidem cum tota creatione abſolviſſet prius, ait Moyſes: Et Iehova adſpiciebat omnia, quæ feciſſet, & ecce hæc omnia erant admodum bona. ut ita unumquodque confirmaret in ſui generis propagatione. Heic vero ita loquitur de homine; Non eſſe bonum,ut ſolus ſit. quia adſpiciebat ſupra modum miſerabilem eius lapſum, quod penitus nequiret ſe magice propagare, unde dicebat Iehova;Conficiemus ipſi audiutorium,&c.

Hactenus ille B. Teutonicus. Quæ ſane non abſque ſingulari revelatione, aut ſtimulo altiore agitatus protulit. Profundiſſima eſt locutio quidem; ſed videat lector pius, ut abſque præconcepta opinione eam cognoſcat & cenſeat,ne inde quid, pro ſanctiori informatione, offendiculi in ſui ipſius præiudiciũ gravius percipiat. Vacuum igitur nonnihil à vanis aut venenatis animi perturbationibus aut cogitationibus,ſi Spiritui Iehovæ ſe tradat,&eidem tranquillum ſubmittat, proculdubio ingentem in his reperturus eſt ſapientiæ theſaurum,quę ipſi poſtea in cunctis aliis lucem clariorem iudicii præferre poſſit.

De tribus autem Principiis quod inſeruit, in eo conſiſtit fundamentum omnis cognitionis ſacratioris. de quo eius extat ſcriptum. hoc videat quiſque ut ſibi rite comparet ; atque ſic ſyncerius iudicium formare de ſublimioribus poterit. Veluti etiam de triplici vita hominis inſignem inter alios plures conſcripſit libellum, ad quem, cum Myſterio magno, remittam pium lectorem, & indagatorem veræ ſapientiæ. Interim obiter hoc quivis noſcat, quod in tria principia ipſe reponat omnem veritatis cognitionem, & quod hæc tria ſemper in unum recurrant. Vnde Trinitas ſacroſancta Deitatis pernoſcitur, & triplex mundus in ſuis naturis. Etenim Natura alia eſt æterna,& alia temporalis, quæ ex æterna profluit & inde originem ſumit. Natura vero æterna in ſe duo continet principia. quorum primum mundum tenebricoſum conſtituit, in fervido calore & frigore conſiſtentem, ceu in Saturno, Marte, & Mercurio, id eſt, Sole, Sulphure & Mercurio. Hic tamen mundus nihil aliud in ſe eſt,quam dura & obſcura quædam æternitatis acrimonia, in igne ſuo omnis luminis expers, & in ſua diritate ſibi ſepulta latens. Alterum autem principium mundum æterne ſolarem & lucidum cum luce conſtituit, in ſpirituali lumine Iehovæ & angelorum conſiſtentem;unde & mundus Angelicus dicitur; qui nihil niſi meram ponit manſuetudinem, & regeneratos ſuos fovet miniſtros, Venerem,Iovem,& Lunam,ex Sole æterno quam candidiſſime prolucentes. Tertium denique eſt principium, quod mundum viſibilem in macrocoſmo & microcoſmo conſtituit, qui ex iam dicto

ſpirituali

ſpirituali mundo, tanquam ex proflua Deitatis potentia, per Tincturam ſuam productus eſt, atque obiectum & oppoſitum recipiens, exhibet ſpirituali mundo. Spiritualis enim in externo viſibili fundamentum exhibet interaum; velut etiam viſibilis hic mundus ſubſiſtit involutus ſpirituali. Namque mundus hic tertius initium ſumpſit cum tempore. quum Iehova utrumque internum mundum commoveret, hunc noſtrum viſibilem ex eo in formam temporis procreavit. Vnde iſte mundus nihil aliud eſt, quam profluxus ſeptem proprietatum cœleſtium ex virtutibus earum per tincturam editus: quia ex ſex proprietatibus operantibus creatus eſt, atque in ſeptima, nempe in paradiſo, conſiſtendo quievit; qui æternum quietis Sabbathum conficit, in quo operatio divinæ potentiæ quieſcit. Vnde Moyſes ait, Iehovam ſex dierum ſpacio cœlum & terram cum omnibus creaturis creaſſe, & ſeptimo quieviſſe die, & quietem hanc nobis præſcripſiſſe. In quibus verbis vera latet occultata ſententia: quippe uno die omnia ſua abſolvere potuiſſet opera: tum dei nullius prolatio proprie eſſet, antequam Solis eſſet exiſtentia; namque in profunditate abyſſi unicus tantum & perpetuus eſt dies. Verum ſententia propria in verbis latet. Proinde in operibus dictum creationem ſive manifeſtationem ſeptem proprietatum cœleſtiũ intelligit, &c. ut ſuo loco explicatur ab eodem.

Sic etiam paucis his notetur vocabulum *Tinctura*; quod denotat diſtinctivum illud verbum, ex quo ſeptem iam dictę proprietates in emanationem profluunt, quum in eo temperamentum univerſale lateat omnium proprietatum, per quod potentia Dei myſteria ſua rebus communicat cum characteribus litterarum, in diſtributione quam ſeptem exerunt proprietates. Veluti T exhibet triplex *I*; quod patrem Iehovam denotat. *I* eſt progenitum illud *I* in nomine IESV. N refert triplex *I* in ſpiritus operatione. C ſignificat aperte Chriſtum in receptione gratiæ. T ſecundum, in quinto ſpacio, eſt apertura amoris, in quo pater cum Chriſto regnum gloriæ recludit. *V* eſt Spiritus ſancti character in tribus apicibus, ubi lux & vita in amore per Chriſtum vivide confluunt. R demum repræſentat regium thronum, propter quem luci cum tenebris pugna eſt, dum Chriſtus & Satan inter ſe commiſcent prælium ingens, lux vero vincit tenebras. unde Chriſtus ſanctiſſimo nomine ſuo ſe effundit in myſterium magnum, ex quo mundus ita ſe viſibilem exeruit, ut ait Teutonicus in explicatione Schematis ſui.

Sed quæ hucuſque in gratiam Platonis & Tholoſani nonnihil uberius enucleata ſunt, non carent uſu evidenti, ut ex ſequentibus parebit. Etenim non tantum factum eſt, ut illi, qui nimis falſa adamant principia rerum exoommuni & admodum vulgari Stagirentis opinione, errores ſuos agnoſcere tandem & veritati ſanctiori ſuum honorem cedere diſcant; ſed ut etiam inde pateat, quam abſurde plurimi Politici in ſuis diſcurſibus, relectionibus, ſyſtematibuſque aut diſputationibus variis, à ſcopo vero deflexerint, & ſæpius pietati veritatique confidentius nonnihil contradixerint, axiomata talia conſuendo, quæ ſcandala horrenda actionibus civilibus pepererant; ut inde potius verba opinionum diſtorta, quam vitæ integritas elaborata fuerit. Proinde nos ad ſcopum convertamus.

CAP. III.

Membrum I. *De Societate univerſim, quid ſit: & eius veris ſive genuinis ſpeciebus, & quomodo inter ſeſe differant, opinionis via prius remota, & ad veritatem complanata.*

EX quo in tam perplexam corporeitatis ſuæ corruptæ obſcuritatem incidit homo, cogitur ex ſolis ſenſibus ſuum mutuari de rebus iudicium. Atque quum illi miniſtri in facultatibus ſuis undique adeo brutales ſint, ut nihil vere apprehendere poſſint, quod non tegumentum aliquod externum depravato appetitui denũciet, & ita cœcis animum involvat deliciis; fit proinde, ut in omnibus tenebroſa opinio imperium obtineat, & nuſpiam prope veritati locus in mundo amplius concedatur. Dolendum igitur eſt, quod potius ex opinione, quam veritatis informatione vivatur. Fuerunt quidem nonnulli mortales, qui ſibi præ reliquis acutiorem arrogare voluerunt indolem, ac multos perquiſiverunt obſcuritatum anfractus: ſed viarum latebras aut latebrarum vias invenere invias. Quod adeo anxie quoque agitatum fuit, ut nequirent acquieſcere, donec tandem communis omnium, maxime Stagirenſium, error, ſubtilitates terminorum inutiles & vanas approbavit; quæ tot ſecula hucuſq; miſere torſerunt, & variis opinionum diſſenſionibus diſtraxerunt animos mortalium. Res certe miſerabilis & pernicioſa eſt opinio; quum non modo totus mundus in ſui uſque confuſionem regatur opinionibus; ſed etiam prope tot ſint opiniones, quot homines, ut ipſum Ius Canonicum confitetur, *t. de conſecrat. diſt.* 4. Nihilominus non tantum volunt ICti, quod communis opinio excuſet, *iuxta l.* 3. 4. *& 5. ff. de SC. Macedon.* ſed quoque tam pertinaciter eidem patrocinantur, ut ipſa ius faciat, *l.* 1. *C. de teſtam.* & pro lege habeatur. *Arg. l. ſi idem. ff. de iuriſd. O. Iud.* Vnde & communis opinio aliquid vere probare dicitur, *l. ſi mater. C. ne de ſtat. defunct.* quum vim conſuetudinis habeat, *Bald. c. ne invitaris. de Conſt.* & iuſta cauſſa ſit credendi, *Bart. in l. cum quidam. §. quod dicitur. ff. de acquir. hared.* Velut Speculat. *in lib.* 2. eandem illam facit cum crudelitate. Imo & iudex communem opinionem ſequi iubetur, *l.* 1. *ff. de off. quæſt.* quum ea in iudicando prævalere debeat. *c. novimus. de v. ſig. l.* 1. *de off. quæſt.* quod eo uſque extenditur, ut hanc rite veritati ipſi præferri pronunciet Speculator, propter autoritatem rei iudicatæ, *Spec. de ſent. §.* 9. *v. circa hoc.* quũ communis opinio quoque magis quam veritas attendatur, favore publici inſtrumenti. *Bald. l.* 1. *C. de teſt.* ſicuti opinio ſimul, quæ eſt in favorem contrahentium, prævalere veritati, quæ eſt in odium, pronunciatur. *Innoc. c. fin. de reſcript.* Quod adeo firmum quoque habetur ab aliquibus, ut velint, opinionem Doctorum multorum excuſare etiam quem in foro conſcientiæ. *Caſt. conſ.* 19. 3. *col.* Aſt væ iudicantibus, aut foro præſidentibus illis, qui potius opinione & favore, quam veritate niti cupiunt; quum opinio nullam non tantum animo addat & confirmet ſcientiam, ſed etiam ſæpius vulneret conſcientiam, nedum quod excuſationem ei parere queat. Et teſtatur

ipſa S. Scriptura, quod opiniones & cogitationes hominum frequenter ſint erroneæ. *Levit.* 10. 1. *Num.* 15.39. *Deut.* 12.8. & 29.19.1. *Sam.* 15.9.2. *Sam.* 6.6. *Proverb.* 12.15. & 14.12. & 21.2. *Eſa.* 5.21. & 7.12. & 14.13. & 55.8. *Matth.* 3.14. & 16.22. *Marc.* 8.32. *Iohan.* 11.4. & 13.8. Ac licet quis vehementius quid opinetur, tamen non eſt id ſcire proprie; *ut habet gl. l.* 2. §. *pen. v ſciunt. ff. de aq. pluv. arcend. Rom. conſ.* 235. quum nemo quid vere ſcire poſſit, aut ullam ſibi ſcientiam arrogare aut attribuere valeat, niſi ex ipſo veritatis dictamine id profluat. Namque ille ſaltem opinatur proprie, qui veriſimilibus coniecturis credit, *Bald. l. cum antiquiorib.* 39. *C. de iur. deliber.* Proinde etiam opinio motus animi dicitur, elicientis ſibi aliquam concluſionem ex aliquibus principiis, *Bal. l. ſcire. ff. de ſt.* At veritatis fundamentum firmum eſt, & à ſe omnes excludit errores, nec mentem ſinit in tenebris ambulare, ſed eius ſplendorem & radios luce donat. Vnde nec decet, neque par eſt, ut opinio præiudicare poſſit veritati; *c. cum Bertoldus de ſent. & re iudic.* Sed opinio cedat veritati. *c. veritate diſt.* 8. Ceu ſemper opinioni præferenda eſt. *c. nuper. de bigam. non ordin.* Veritas enim per noſtrum negare vel affirmare non immutatur. *l. aſſumptio* 6. *ff. ad municipal.* Quomodo igitur ſubſiſtet opinio Specular. quæ rei iudicatæ potiorem vult auctoritatem, quam veritatis, ut iam dictũ eſt? Quale namque iudicium foret illud, quod præferret opinionem communem veritati? Si omnes homines veritatis ſtudioſi eſſe tenentur, quomodo non magis in eo omne conſiſtat iudicium, quod velut patrocinium perhibetur veritatis? Fruſtra foret omnis actio, omnis rei ventilatio, omnis loquela & locutio, ſi veritati detraheretur victoria in hac contentione iuſtitiæ. Apertæ ſtarent omnes portæ & fores omnis generis iniuriis & calumniis, nec opus eſſet, ut leges Rebuſpub. figerentur tanta cura, ſi opinio plus quãdoque valere deberet aut favor contrahentium, quã ipſa veritas. *l.* 15. *qui putat. ff. de acq. hared. & Innoc. c. fin. de reſcript.* Chriſtus ait: Non iudicate ſecundum adſpectum, ſed iuſtum iudicate iudicium, *Ioh.* 7. *verſ.* 24. Quod ſi ne quidem ſecundum adſpectum quidquam ſit iudicandum, quomodo iuxta opinionem, licet ea ſit communis admodum, quidquam determinandum erit? Fallit igitur ſententia Dd. & fallitur, qua docetur, quod opinio, quam nutrit conſuetudo, ſit ſervanda. *Decian. conſ.* 6. *num.* 13. *cont.* 2. Non enim tam eius, quod communis conſenſus, opinio & auctoritas fovet, quam veritatis ubique tenenda ſunt veſtigia; quum neque ex metu veritas ſit reticenda. Recte igitur ſuos opiniaſtros exagitat cum Fichardo Knichius ille *in lib. de reſtituar. pactionib. part.* 1. *cap.* 3. *num.* 164. & *ſeqq.* ubi egregie demonſtrat, quod ſæpiſſime gravillimi errores ſub prætextu communis opinionis lateant. quam ita quoque reiicit pluribus; dicens: Regulam hanc poſtquam animadvertit Fichardus non receptam ſolum ab omnibus, ſed etiam canoniſatam; confugit eo, ut adſerat communem opinionem ſæpiſſime erroris convinci, & à vero quãdoque longe abeſſe; Vnde & hanc ſub incudem veritatis revocandam putat, *num.* 4. & *ſeqq.* Quod ſane & nos non imus inficias: Siquidem Pythagorici contenti & ſecuri auctoritate præceptoris, etiam ſine ratione quid affirmantis, iam olim à Cicerone & eruditis irriti ſunt. *Feder. Sect. reſp.* 52. *num.* 5. *lib.* 5. & *eleganter reſp.* 21. *num.* 6. *lib.* 6. *tit.* 1. *Ioſeph. de ruſtic. an & quando lib. in condit. poſit. voc. cap.* 2. *num.* 55. *cum ſeqq. lib.* 1. Ita etiam irridendi ſunt Communopiniſtæ, apud quos, & quidem ignorantes, magnum verbum eſt, dicere, *Hæc eſt communis opinio. ex Rip. & Caroc. Ioſeph. Ludov. deciſ.* 28. *num.* 75. *&c.* Auctoritas itaque Dd. etiam popularis & recepta non prævalet ſententiæ melioribus ſuffultæ rationibus; quo caſu contra communem opinionem & conſulere & iudicare poſſumus & obſtringimur. *l.* 1. §. *ſed neque. C. de vet. iur. enucl. c. Capellan. v. ſubtil. rat. de feriis. Soc. iun. conſ.* 158. *num.* 72. *vol.* 2. *Barb. conſ.* 18. *num.* 23. *fol.* 676. *volum.* 1. *Steph. Bertram. conſ.* 171. *num.* 15. *vol.* 3. *Surd. conſ.* 294. *num.* 29. *Fab. Turret. conſ.* 6. *num.* 37. *lib.* 1. *Decian. reſp.* 83. *num.* 34. *volum.* 4. *Franc. Vir. deciſ.* 402. *num.* 3. & *deciſ.* 440. *num.* 15. *lib.* 3. *Paul. de Mant. Pich. conſ.* 1. *num.* 33. *Schrad. de Feud. p.* 9. *cap.* 7. *num.* 95. *t.* 1. *Ioan. Bapt. Merchſ. commiſſ.* 6. *cap* 2. *num.* 29. *f.* 192. *p.* 1. *Petr. Dom. Magd. de num. teſt. in teſtam. requiſ. cap.* 16. *num.* 14. & 51. *par.* 1. *ubi infinitos colligit.* Sic paſſim in iure noſtro ſententia eorum, qui validioribus niterentur rationibus, ſemper comprobata fuit. §. 1. *Inſtit. quibus mod. tut. fin.* §. *item pret. de empt. & vend. l. fin. de contrab. empt. l.* 1. *C. de ſent. paſſ. l. ſi quis te. C. de condict. indeb. cum ſim.* Horum itaque adminiculo Dd. auctoritas vileſcit, caditque. *Soc. iun. conſ.* 1. *num.* 144. *volum.* 1. præſertim concurrentibus qualitatibus egregie. *Id Soc. conſ.* 83. *num.* 28. *vol.* 3. Vnde contra communem opinionem pro veritate ſæpiſſime conſuluerunt maiores noſtri; *inquit idem conſ.* 4. *num.* 21. *vol.* 4. Expendendum igitur, quibus fundamentis Fichardus deſtruat communem opinionem. Pinellus enim aut omnino aut funditus evertendas eſſe receptas ſententias, aut relinquendas intactas, dicere ſolitus fuit. *Gartz. de expenſ. cap.* 10. *num.* 22. Hactenus Knichius. qui cum aliis ſyncerioribus ICtis Opiniaſtrorum pertinaciæ indignatur merito, ſi veritati, quæ ſimplicitate gaudet, & eius amica unica eſt, cedere nolint. *c. veritatis de iureiurand.* Vnde recte dicitur, quod ſpeciem falſitatis committat, qui veritatem occultare conetur. *l. presbyteri. C. de Epiſc. & cler.* quum præſtigiatas ſubtilitates vincat omnes. *Acad. Ingolſt. conſ.* 24 *num.* 57. *tom.* 5. nec fucum quærit verborum. *Coraſ. l. ſtipulatio. num.* 3. *ff. de verb. oblig.* velut ſyncera eſſe debet, nec involuta. *c. à nobis. de ſent. excom.* Quippe veritatem qui ſequitur, Deum ſequitur. *c. quisquis* 11. *q.* 3. Ne clarius habetur, niſi ex verbo Dei. Verbum enim tuum eſt veritas, ait David *in Pſal.* 119. &, Lucerna pedum. Proinde merito in tenebris ambulant ſuis, & fruſtra tot undequaque cogunt colliguntque argutias, qui ulla in re, ſive externa ſive interna, abſque ſpiritus Iehovæ ductu & verbi cœleſtis dictamine quidquã ſapere cupiunt. Namque, niſi quis individuam habeat comitem, *ait Chockier in theſ. pol. lib.* 2. *c.* 22 atque ſociam, veram illam ſapientiam, quæ non aliunde, quam à Prudentia illa incorruptibili quæritur, vana erit & infelix omnis humana undecunque quæſita prudentia. Etenim Deus dat mortalibus ſapientiam, & ex ore eius prudentia & ſcientia. *Proverb.* 2. Apud ipſum eſt ſapientia & fortitudo: ipſe habet conſiliũ, & intelligentiam. *Iob.* 11. Hinc virtutum omnium ſumitur manifeſta cognitio; hinc ſapientia ſapore veritatis conditur. *Caſſiodorus* 6. *variarum epiſtolarum* 19.

Mem-

Membrum II. *Verbum Iehovæ minime à politicis negotiis seiungendum, quum unice veras ijs supponat conclusiones.*

QVid multa? Vt omnis opinio errores gignit; ita dicterium Græcorum non insecite id comprobat, quando dicunt, Ἡ δόξα διάζεται ἡ ἀλήθειαν, *Opinio vim infert veritati.* Quippe omnes inventiones ingenii humani, quæ non in vitæ actionibus nituntur fundamento Verbi cœlestis, in sitas abeunt vanitates & crimina, nec tangunt ea, quæ voluntati divinæ conformitatem apponant; sed homo suis se involvit subinde tricis, nec pervenit ad scopum veritatis iustum. Proinde non mirum est, quod in tot falsitatum anfractus incidant Politici illi, qui, contemptis sacræ Scripturæ principiis, se Christianissimum quam optime profanis in politia sua axiomatibus illustrare putant; quum tamen falsa eiusmodi rerum & verborum axiomata sæpius insipientem reddant, qui vel prudentissimum se somniat. Maxime autem hoc contingit, quoties in scopulos principiorum impingunt; ubi ut plurimum impii evadunt, quum tamen se omnino pios venditent. Accidisse hoc illis video, qui absque penitiore cognitione & veritatis exploratione solida tam furiose in Rempublicam Platonis invehuntur, & propterea quoque nimis acriter eius defensores vel adstipulatores perstringunt calumniis, inversionibus, cavillationibusque satis absurdis & inhonestis. Si quis fortem calumniatorem agere dedita opera velit, is quoque ipsius Iehovæ sacrosancta eloquia carpere in omnibus non verebitur; ac facile inveniet, quod in ipsa oratione Dominica, in qua omnis Christianismi thesaurus tamen latet; convellere queat. Frustra omnes id impugnant, quod non intelligunt. Veluti certe Plato longe diviniora disquirit, quam pseudophilosophi illi terminales, qui nudis vaniloquentiis omnem suam paganicam venditant sapientiam, assequi possint: imo tametsi multoties eum relegant, quum tot præconceptis opinionibus nugarum repleti sint, non valent tamen quidquam eorum vere percipere, quæ in fundamentis Plato attingit; sicuti etiam recte hoc statuit ille Politicorum antesignanus Bodinus, quod Stagirenses sectatores magis contumelia verborum illum lacerent, quam synceri quid ex eius hauriant fontibus; quum mentem à proprio illius genio prorsus alienam ipsi affingant. Sed moribus suis ita innutriti sunt omnes, qui potius gloriam sui intendunt, quam ut vera cognoscere satagant. Platonis quidem rempublicam, *lib. 2. de rep. cap. 1. p. 285.* nec aristocratiam nec democratiam, esse ait; sed ex utraque mixtam appellat πολιτείαν. At veteres Academici tradunt, id, quod reipsa compertum habemus, Aristotelem Platonis sententias aliter, atque scripsisset, protulisse; atque etiam de industria (N. B.) obscuritatem rebus perspicuis attulisse. quo fit, ut, qui ex Aristotelis opinione Platonis sententiam metiuntur, sæpissime tum alios, tum seipsos fallant, &c. Proprium hoc est vitium eorum omnium, qui nimia gloriæ inanis ambitione fervent & turgent, ut etiam recte dicta factaque nimia vehementia perstringant, quo vana in distinctionum & confusionum eruditione tanto subtiliores suis asseclis videantur. Sunt quidem varii, qui satis graviter Marsilium Ficinum, Cyprænum, Cornelium Agrippam, Mirandulanum, Ramum, & alios saniores, in hoc culpare ausint; ex omnibus tamen ferventissimum sese exeruit ante aliquot annos auctor Relectionis politicæ; qui summo studio præ reliquis id agere videtur, ut inversionis & contradictionis vanæ palmam cunctis præripiat. Scandalum igitur quum multi eruditionis veræ cupidi inde sumpserint, quod tam studiose veritas dilucida supprimatur, ipsius candor necessitatem cuique bono hanc imponit, ut, quicquid sit tricarum, nonnihil clementius dissolvatur: quod etiam nos pro nata occasione in his perfunctorie aliquo modo perficiemus, ne patrocinium iustum veritati denegasse videamur, ubi opus fuit. Etenim ad veritatem promovendam omnes tenentur mortales, quotquot ingenuitatis alicuius cultu gaudemus. Veritatem enim non libere pronuncians, proditor veritatis dicitur, *cap. 11. quæst. 3. c nolite timere.* Ac veritas quum non defenditur, opprimitur. *c. error. 83. dist.* Vnde & mortaliter eum peccare affirmatur, qui veritatem occultet. *c. quisquis 11. quæst. 3.*

Membrum III. *Summaria Societatis enumeratio.*

NE igitur nobis idem accidat, quod iis, qui in primo limine aberrant, ut eo longius à scopo devient, quo maiori passu pergunt in sylva progrediendo: id nonnihil luculentius explicatum dabimus, quid inter societatem, collegium, & universitatem, &c. ex quibus primitus, tanquam ex caussis originariis, respublica conflatur, intersit, & quid proprie in suo determinent ambitu: unde quævis contraria opinio per se evanesceret, aut conticescere cogetur.

Inter omnes autem, qui hodie politica conscripsere themata aut systemata, nemo est, qui rem acu rectius & concisius tangat, quam Christophorus Besoldus *in polit. sua, cap. 12. §. 2.* & Schonbornerus, *lib. 1. cap. 4.* ubi sic eorum se habent verba: Quemadmodum ex personis familiæ, collegia, pagi, municipia: sic ex rebus immobilibus, earumque universitate, territorium: Et denique ex his omnibus civitas sive respublica constituitur. De quibus singulis breviter aliquid dicendum erit.

Simplices societates (γαμικὴ nempe, πατρικὴ, καὶ δεσποτικὴ) si adunentur, societates exurgunt ortæ: quæ vel sunt particulares, & cœtus paucorum; vel universitas. Particularis societas, familiam, & synagogam seu sodalitatem, quæ proprie & magis communiter collegium dicitur, complectitur.

Schonbornerus autem ita rem eandem proponit: Dixi, naturaliter homini esse inditum, ut simili cohabitet: Nunc videndum, quomodo certis gradibus Societas illa creverit. Primo omnium sola fuit maritalis coniunctio: deinde tota domestica societas coaluit: ex illa integræ familiæ gentilitiæ; quibus extraneæ accesserunt. sic ut distinctis locis habitantes, primo vicos, deinde pagos, post oppida, & urbes, denique provincias & regna constituerent. Vicus est communio ex paucioribus domibus collecta: pagus ex pluribus: Ex multis vero pagis oritur civitas, in uno loco collecta, & commoditatibus maioribus ac ampliori securitate instructa & munita. Ex pagis & urbibus longo intervallo inter se dissitis constat

distrıctus sive territorium. Sic & Danæus, *in pol. Chr. lib. 1. cap. 3. pag.* 23. eadem prope habet; quæ facilioris cognitionis gratia, &, ut inde quoque eorum demũ, qui servitutem maxime naturalem faciunt, crassissimus patescat error, paulo fusius per species & exempla deducendo explicabimus, ut factis credant, si nolint alteri alicui evidentiæ adhibere fidem.

Membrum IV. *Plenior Societatis & solidior explicatio.*

SOcii putandi sunt, quos inter res communicantur, *ait Cic. 5. act. in Verr.* Item: Tecti ad alios esse possumus: Socium vero si metuimus, ius officii lædimus. Vnde maiores eum, qui socium fefellisset, in virorum bonorum numero non putarunt haberi oportere. *Pro Rosc. Amer.* Adeo enim amabile atque amicabile nomen est Latinis Socius, ut individuæ fortunæ comitem, quem omnis facultatis, incepti, laboris, & periculi nostri participem facimus, denotet. Proinde *Sociare* pro *Adiunare* dixit Iustinus, *in 1. epist. Dig. præposita.* Atque hinc est quod Societas ita late accipiatur à ICtis, ut alia publica, alia privata illis sit. *Florent. in l. 3. de iust. & iur. Vultei. ad pr. Inst. num. 3. & 4. Heig. num. 2. 3. 4. Man. par. 4. dist. 4. num. 3. & consil. 5. num. 1.* Quæ tamen rectius in naturalem & civilem sive congregativam dividitur. Naturalis iterum vel communis & communiter ita accepta est, vel privata (ut ICtorum verbum retineamus) sive magis propria est & conventionalis. Naturalis communis, quam alias ICti improprie publicam faciunt, ea est, quam natura inter omnes homines constituit, ut nihil aliud sit, quam naturalis omnium hominum cognatio. Vnde egregie potest ostendi, quomodo propter communicationem rerum introducti sint omnes contractus, omnia commercia, omnesque actiones, ac totius iuris sanctio, quæ non alio spectare debet, quam ad conservandam inter homines naturæ societatem. Vnde etiam merito & rectius Naturalis Societas dicitur, cuius conventio inter omnes mortalium functiones ad naturalem illam charitatem proxime accedit. Illa etenim exprimit typum cognationis inter nos, quam Deus inter nos constituit, ut res nostras alter alteri gratis communicemus, nihilque proprium existimemus: sed esse κοινὰ τὰ τῶν φίλων πάντα. *Briss. & Schar. in lex. ad verb. b.* 501. Qualem societatis communionem maxime in sua expetit & requirit republica summus ille sapientum Ethnicorum Plato; quicquid heic calumniose in eius discursibus de rep. & ll. taxare conantur inversores bonæ mentis, aut inter eos quispiam luscus sive myops, cum naso crispante. Non enim optimus ille philosophorum tam absurdus fuit, uti cavillatores eiusmodi ipsum sibi somniant; quum omnia ex mutuo amore in publicam salutem profluere & devolvi cupiat, ut harmonicus ille membrorum omnium consensus corpus solidum integre suis partibus constans constituat; uti mox in sequenti aliquo capite patescet. Quo nomine etiam recte Ficinus præ cunctis aliis hanc formam regiminis commendat, quod omnes partes quasi fraterno amore in ea cohærere videantur; quasi imitamen singulare Christianismi syncerioris heic nobis præfigurare voluerit.

Membrum V. *De Societate privata.*

PRivata seu potius propria & conventione submixta, iterum duplex est; bonorum scilicet vel vitæ. Illa non plena, sed limitata & ad bona restricta est: Hæc vero plenior ad vitam & quæcunque ad illam necessaria. *Alth. in dicaeol. lib. 2. cap. 48. nn. 3.* Conventionalis proinde hæc bonorum (quæ sic iam propter modo dicta sequatur) societas est, quæ civili hominum auctoritate in quandam contractus formulam producta gignitur, imitatione communis aut naturalis societatis: ut, quum duo pluresve sic contrahunt, ut lucrum & damnum inter eos commune sit, de una re, aut negociatione, vel de omnibus bonis præsentibus & futuris, ut quæstus aut damnum ad unumquemque eorum communiter pertineat. Quam Græci κοινοπραξίαν vocant. Et hæc societas conventionalis, ceu contractus bonæ fidei est, dicitur. Hinc differunt quoque in iure, *societas, communio, & consortes fratres.* Namque hi proprie sunt fratres cohæredes, de quibus Cuiac. 5. *obs. cap.* 10. Communio autem fit sine contractu, ut est inter cohæredes & collegiatarios; quæ quasi contractus est. vulgo Gemeinschafft. §. *item. Inst. de obl. quæ ex quasi cont. nas.* Cuiacius 10. *obs.* 25. vocat illam necessariam. Ast societas hæc & socii non fiunt nisi interposita conventione; unde etiam Voluntariam Cuiacius, *ibidem*, dicit. Societas igitur bonorum quæ sit, ex his ita dictis sat constat. ubi tamen notandum, quod in eo contractu duplex se exerat obligatio, ad quam socius socio obstringatur, ut prior sit de communicatione, altera de separatione rerum communium. *l. 67. l. 74. & seqq. l. 4. §. 1. l. 14. l. 63. ff. pro socio.* de quibus alibi.

Vitæ autem societas est, qua συμβίωσις contrahitur, & res, operæ, ministeria ad symbioticam conversationem sive cohabitationem illam conservandam conferuntur à sociis. Hæc societas iterum vel est domestica simplex, aut publice orta. Simplex ista, quæ & privata nunc rectius, *iuxta Alth. d. lib. 1. cap. 79. num. 2.* quam antea, dicitur, est, qua inter quasdã certas personas domestica συμβίωσις contrahitur: Estque vel coniugalis, vel familiæ.

Membrum VI. *De Societate Coniugali.*

COniugalis societas rursus aut primaria est & principalis, aut proxime consecutiva. Illa est, quæ inter marem & fœminam contrahitur, de mutuo coniugii officio præstando, & coniunctione in unam carnem pro generatione sobolis. *Gen. 2. v. 23. 1. Cor. 7. vers. 4. 5.* Vocatur matrimonium, consociatio, *1. Esræ 10. v. 14.* arctissima coniunctio duorum. & vinculum, *Matth. 19. vers. 5.* consortium vitæ, *l. 1. ff. de rit. nupt.* fœdus, *Prov. 2. vers. 17. Malach. 2. vers. 14.* tropice etiam nuptiæ, contubernium, connubium, totus iugalis, &c. *Donell. lib. 13. Com. cap. 18. 20. & 21.* Quæ vero & quales aut cuius conditionis personæ hæ, quę contractum hunc inire queant iuxta dispositionem legis divinæ & civilis, esse debeant, unde coniugium legitimum aut illegitimum pronunciatur; id suo loco dicetur: non id iam huc pertinet. Saltem hoc constet,

conſtet, quod marito poteſtas in uxorem iure divino, naturæ, & poſitivo competat: quum non tantum in ſtatu primævo, marito mulier, ut capiti, ſubiecta fuerit; ſed etiam ratione originis Tinctura ignis in viro, in fœmina vero aquæ Tinctura manifeſta ſit, ut ſuperius ex Teutonico annotatum eſt. Vnde etiam naturalis amor, Tinctura ignis ſui ſuccenſus, aqueam illam generationis ſociam ardenter appetit. Veluti quoque poſt lapſum inde maledictio, mariti dominationi ſubdidit uxorem. *Geneſ.* 3. *verſ.* 16. Attamen maritus ſive paterfamilias in ſe imaginem & ſimilitudinem habet non tam Regis, quam civis & conſocii potius. *Kecker. diſp. pract.* 28. *probl.* 8. unde & verbum *dominus* à nomine *domus* Hentic. Alſtedius deducit *in lex. theol. f.* 115. quod in unius domus cohabitatione amabile hoc dominium exercere debeat. Et quia nullum imperium ſine poteſtate cogendi exiſtit; facile inde colligitur, quod viris quoque facultas conceſſa ſit vel invitas in ordinem redigendi. Aſt tyrannicum eſt, ſi ius vitæ & necis in has ſibi velint ſumere auferi; velut apud quaſdam gentes in uſu fuiſſe Forſterus, *in hiſt. Roman. ad l. Romuli* 5. refert, *& Lyſam.* 7. *cap.* 27. Namque vir non aliud ſibi ius, nec vel per naturam (ſi ad fontem verum huius coniunctionis maritalis recurramus) in coniugem ſuam vendicare poteſt, quam ipſe ſtatus originarius in paritate concedit. Quippe, quum homo ante lapſum utramque ignis & luminis Tincturam in ſeſe contineret, atque ita eſſet (iuxta Teutonicum) creatus, ut viveret in virgineo perfectionis ſtatu, atque inde in ſeſe ſuum reflecteret ſanctum amorem, qui magicum ipſi exinde ederet partum; ipſe vero imaginatione ſua ſe ad terrenam animalitatem ex vero & ſancto amore Iehovæ converteret, & penitus à Iehova recederet: in hanc ſui incidit ita diremptionem, amiſſa penitus imagine Dei, ut diviſo nunc iure in generatione & conſervatione ſui generis uti cogatur, quum animale regnum cum vita tali pro cœleſti ſortitus ſit. Factus itaque eſt in compare ſui ipſius alter compos. Vnde duo nunc in carne una eſſe debent, nec in ſeſe mutuo ſævire: velut ſancte id inculcat Sacra Scriptura, quod nemo propriam ſuam carnem odio unquam habuerit. *Epheſ.* 5. Nam Deus ipſe inter Adamum & Evam, primum illud ſocietatis humanæ vinculum inſtituit. *Geneſ.* 2. *verſ.* 18. *Dan. in pol. Chr. lib.* 1. *cap.* 3. Ex quibus facile convincitur, quam fruſtraneus ſit ille auctor *in relect. ſuis polit. lib.* 1. *ſect.* 4. ubi deciſionem ſuam interponit vanam & inutilem inter ICtos, qui potius ex iure naturali quam ex iure gentium matrimonium deſcendere volunt: & ipſe tamen decernat pro more, quam animalia bruta, ſuæ libidini relicta, nullius hoſti, ſed utilis tantum, rationem in inſtinctu naturali habeant, & ab honeſtate aliena ſint, quod à iure naturæ minus id derivari queat. Verba eius ſunt: Proinde, ait, matrimonium proprie acceptum, pro eo, quod vocabulum præ ſe fert, ſeu pro legitima iuſtaque maris & fœminæ coniunctione, ex iure gentium derivandum eſt. *cum Paul. Caſtrenſ.* quoniam conſenſus, in quo conſiſtit eſſentia matrimonii, *l. nuptiæ. de R. I.* ex iure gentium traducitur. *c. tuæ fraternit. de ſponſal. in* 6. ſolus autem inſtinctus, qui libidinis nomine in brutis à Cicerone indigitatus fuit, communis eſt homini & brutis, &c. An ſano ſatis iudicii modo Relectiones tales relectæ ſint, vix homo vere Chriſtianus, cui potior eſt ſacræ Scripturæ quam profanorum auctorum dignitas, mecum credat. Etenim ubi tunc ullum reperiri potuit ius gentium, quum Adam cum ſua Eva eſſet ſolus, & non tantum ex ſopore reſuſcitatus conditam ex ſe Evam agnoſceret; ſed etiã confeſtim in eius coniunctionem à Iehova oblatam conſentiret? An non dicebat; Hac demum vice adeſt os ex oſſibus meis, & caro ex carne mea: Hæc vocabitur vira, eo quod ex viro deſumpta eſt. Idcirco relicturus eſt vir patrem ſuum & matrem ſuam, & adhæ:ebit uxori ſuæ, &c. & erunt in carne una. *Geneſ.* 2. *verſ.* 23. & 24. Tantus fuit Adami conſenſus, & ex eo omnium poſterorum, quum inſita natura utriuſque & inter ſe diremptæ Tincturæ id ita exigat, & homini ex generationis virtute & neceſſitate imperet, conſenſumque hunc imprimat. Mirum igitur, quod ICti penitius rem ponderando introſpexerint, quam Medici tales, qui tamen naturæ indagatores ſe ſemper fortes & adſidui proclamant. Sed queinam ex falſis principiis Stagirenſium quis vera agnoſcat, quum in erroribus ſuis vix Tincturæ nomen admittant? Sic etiam egregie idem non tantum fallitur eodem in loco, ſed quoque ſibi contradictorius eſt, dum brutis omne ius adimit ex auctoritate Ciceronis, quum ratione & oratione careant: & tamen, *cap.* 1. *ſect. undec. num.* 20. confitetur ex Seneca, quod feræ quoque ipſæ Veneris evitent nefas, generiſque leges inſcius ſervet pudor. Vnde conſtat, quod feræ turpis & honeſti diſcrimine non adeo deſtitutæ ſint, ut ille, contra Galenum ſuum *in princ. Exhort. ad diſc. art.* ſtatuit. Quin ipſe, *ex hiſt. animal. Ariſt.* 9. *cap.* 47. *Ælian. lib.* 4. *& 5. hiſtor. animal. Plin. lib.* 8. *cap.* 42. *Nic. Lyra in Matth. cap.* 19. aliquot exemplis comprobat; ac, iis recenſitis in zelo camelorum & elephantorũ, in equo Scythico, & alio, cuius Ioh. Lupus *in tract. de matrim.* meminit, qui genitalia ſibi morſu abruperit, luiturus in ea parte pœnam, qua peccaverat; tandem hæc verba expreſſe addit: Eluxit igitur in generalioribus facula quædam eius iuris, quod expolire & ad perfectionem ſuam deducere debuiſſet humana ratio, niſi infra brutorum conditionem degeneraſſet, &c. Conciliet iam quis dicta, & videat, quomodo hæc conveniant inter ſeſe, quod nihil iuris cadat in bruta, & tamen faculam iuris ſimul ipſis adſcribere propter carentiam rationis non vereatur. *Nihil & aliquid* ſimul eidem ineſſe, neſcio ſane quomodo hæc inter ſe conveniant, niſi novus ſit modus, & forte Stagireuſis. Rectius longe Galenus ſentit, qui *in dict. lib.* rationem ita reconditam in animalibus adſerit, ut etiam ex natura artes quaſdam callere rite ſtatuat. Velut quoque omnium Medicorum anteſignanus ille Crollius luculenter id *in libello ſuo de Signaturis internis rerum* demonſtrat, quod homines quam plurimas ſuas ſignaturas vitiorum & virtutum multarum ex ipſis animalibus ſumpſerint. *pag.* 75. & 78. uti ſimul illuſtre exemplum caſtitatis, fidei, & conſtantis amoris coniugalis, in palumbis & columbis proponit. ubi ex Æliano adſeverat, quod mas & fœmina, tanquam nuptiis alligati, mutua conſenſione adeo ſtabili, certo connubio per ſummam caſtimoniã adhæreſcant, ut neuter alienum cubile attingat;

tingat: si impudico amore capti, ad alienam uxorem oculos adiecerint, quod eos reliqui circumsedentes discerpant, & fœminæ fœminas, &c. ut animalia inter se quoque lingua propria uti clarum sit, quamvis non articulata voce, ut homines, eam exprimant. quod idem in iconiis verum esse nobis certus nuper retulit amicus, & naturæ ad modum Crollii acutus indagator. unde merito in pudorem sui coniicit Spinæus homines ex meliori brutorum informatione. *lib. de tranq. animi.* Tanti est, ex opinione vel affectibus quid iudicare, & Naturæ ignorasse arcana, quæ sane cunctos latent, nisi mature aniles terminorum opiniones exuant, & ad verum philosophandi modum, cum Theophrasto se recipiant. Sic longe aliud est, quod coniugio ex iure gentium adhæret, quam iste putat: de quo suo loco. Sed hæc de societate coniugali primaria monuisse sufficiant.

Sequitur nunc secundaria, sive ex antecedentis fine principali orta societas, quæ propagationis intuitu ita ex coniunctione mariti & uxoris exurgit, ut *συμβιωσιν* cum liberis procreet parentibus.

Membrum VII. *De societate paterna & filiali, & utriusque officio.*

QVum maritale coniugium (*ait Besold. in pol. 5. d. 1. §. 2.*) sic natura sit comparatum, ut humano generi perpetuitatem largiatur, & ex filiorum procreatione iugiter maneant genera renovata, Dei clementia, quantum possibile est, immortalitatem donante naturæ: recte parentibus hoc incumbit, ut in hac societate regia sui sint officii memores. Naturalissimum quidem est, sibi simile procreare; sed non tantum eo reverenter utendum, (*Lemn. 1. de mirac. nat. cap. 3.*) ut in ipso matrimonio castitas sit observanda; verum etiam sedula educationis & paterni imperii aut officii cura ubique tenenda est, atque ita exemplariter vitæ sanctimonia conservanda, ut liberi nusquam scandalum accipiant. Vnde væ, *ait Christus*, qui uni ex istis pusillis scandalo erit; rectius foret, ut in profundum maris appenso ad collum eius molari lapide submergeretur. *Matth. 18.* Parentes enim sunt, à quibus liberi nacti sunt secundum Dei dispositionem vitam, & sustentantur, ac quibus liberi vicissim debita obedientia obstricti tenentur. Liberi vero sunt, qui omnia naturalia accepta parentibus ferre, iisque debitam observantiam in pietate vera præstare debent. Parentum igitur nomen tam sanctum est, ut simul dominium aliquod includat in liberos, determinetque potestatem quādam, quam patriam ICti dicunt. Ac licet ipse amor ex natura sanguinis insitus limites satis constituat, quomodo parentes cum liberis suis conversari, eos alere atque defendere debeant; veluti non datur amor ferventior & solidior quam parentum in liberos, quum ii sint pars parentum, *ut recte Imper. Inst. exclamat, l. ult. in pr. C. de cur. furios.* quis talis affectus extraneus inveniatur, ut vincat paternum? Et è contra, quum neque filium patre meliorem amicum invenire posse, aiat gloss. *in l. quidam. ff. de hared. inst.* tamen, quum natura hominis adeo sit depravata, ut naturali huic storgæ aut ignorantia aut effervescentia sæpius maxima creet incommoda, adeo, ut prope eam extinguat; ideo ipsis tam parentibus quam liberis toties ad sua recurrendum erit officia. Sæpius enim accidit, ut ira modum superet vindictæ; & velut amor paternus coniugalem longe excedit, ita fit quoque, ut ex summo amore summum nascatur odium; velut & secundo nubentes plærumque oblivisc untur liberorum & proprii in eos muneris. Officium autem utriusque partis in mutuo consistit iuris debito. A parte parentum alii id triplex, alii quadruplex, alii quintuplex faciunt, prout quinque principalia dicunt considerari in homine libero; ut sunt, bona quæ possidet, operæ, corpus, liberras, & vita. Verum rectius hæc ad tria ab aliis retrahuntur puncta; non ut Stagirensis vult, qui ad generationem, nutritionem, & institutionem omnia adstringit; quum ex generatione iam liberi in lucem sint editi, & ad ampliora vitæ necessaria hæc sint extendenda. Consistit itaque munus parentum proprie in educando, defendendo & imperando. Primum officium iterum triplex rite statuitur; in educatione naturali, quod alimenta postulat; morali, ut bene vivat; & spirituali, ut religiose vivat, & pie educetur, nec minus pro iisdem preces effundantur. Secundum est defensionis, quod dilectionem & evitationem scandali requirit. Tertium est imperii, quod correctionem, elocationem, & procuratione necessariarum rerum aut patrimonii exigit. Proinde imperium hoc nequaquam est absolutum, sed certis suis cancellis circumscriptum viget. Solus enim Deus absolutum habet imperium, quum lex inferior merito cedat superiori; ceu Deo semper magis obediendum est quam hominibus. Vnde non competit parenti ius vitæ & necis in liberos, ut barbarorum mos fert. Non etenim in atrocitate, sed pietate & humanitate consistit patria potestas. *l. 2. ff. ad l. Corn. de Sic.*

Sed nusquam rectius quid hac de re, quam in ipsa sacra Scriptura legitur, quæ omnes huius officii partes absolute satis depinxit. *Sic quomodo eruditendi sint liberi, habetur in Exodo & Deuteronomio. Prover. 13. 24. & 19. 18. & 29. vers. 15. 17. Hebr. 12. vers. 8. 9. Exemplis Iacobi, Genes. 33. 5. Iosephi, 48. 9. & passim. Quomodo diligendi, Genes. 42. vers. 36. 37. 2. Sam. 12. vers. 16. 17. 1. Reg. 3. 26. Tob. 5. 23. & 10. vers. 1. 2. &c. Quomodo in pietate informandi, Exod. 12. 27. & 13. 8. &c. Deut. 4. 10. & 6. 7. 20. & 11. 19. & 32. 46. Ios. 4. 6. 7. 21. 22. & 22. 24. Psal. 78. 4. 5. 6. Esa. 38. 9. Ioel. 1. 3. Ephes. 6. 4. Quomodo corrigendi, 1. Sam. 3. 13. Proverb. 13. 24. & 23. 23. & 29. 17. Hebr. 12. 7. Coloss 3. 21. &c.* Possent heic quamplurima de profana educatione filiorum Christianorum, qua non sine gravissimo æternæ salutis periculo tam studiose in Ethnicismum abripiuntur, monere, atque simul demonstrari, quam detestabile malum sibi parentes concilient, & ex amore Iehovæ ac pietate vera se excludant ipsos: ex quo fons omnium corruptelarum, calamitatum, & malorum in mundum horribilis profluit. verum, quum calamitas hæc epidemica maior sit, quam ut paucis queat iam deplorari; & quoque hæc ad reformationem publicæ educationis pertineant; in his modo acquiescimus, & nos ad liberorum partes convertimus.

Officium autem è contra liberorum, quo parentib. adstricti naturali iure tenentur, maxime consistit in obsequioso honore iis exhibēdo, ut ex decalogo facile constat. Honoris hoc verbum quidem breve est, sed

eſt, ſed tam multa in ſeſe complectitur, ut omni amoris & obedientiæ fide vix id aſſequi poſſint liberi. Etenim eorum longe maior eſt obligatio & arctior, quam parentum, & tamen vix amor ita vivide adſcendit cum gratitudine debita ad parentes. Nihilominus utrumque nomen, quo & filii & liberi dicuntur, qui ex nobis ſunt nati, ſatis manifeſte indicat, quo vinculo naturali adſtricti heic teneantur. Veluti filios ἀπὸ τῆς φιλίας ſive amicitia non inſcite dictos aliqui volunt; quum omnia mentis cogitata & cordis motus nihil aliud in filiis oſtendere debeant, quam amabilem decentiam, & ſuavitatem, quibus parentes ſuos unice cum reverentia foveant. Nec minus inde liberi appellantur, quod in libertate paternæ affectionis acquieſcere, & ipſi liberali ingenio prædiți eſſe debeant, omni libertatis favore digni, ſi parentes fideli amore honorent: alias barbari ſunt & ſervi, id eſt, barbaro & ſervili ingenio prædiți, imo ἁμαρτήματα τῆς φύσεως, hoc eſt, naturæ monſtra appellandi ſunt. Parentes enim maxime poſt Deum ſunt honorandi, unde de honore Iehovæ, tabula prima; de honore autem parentum, tabula ſecunda ſtatim in principio agit. Idcirco ſi eveniat, ut in eadem cauſſa ad contraria vocentur, tum Deo magis quam parentibus obediendum eſt: ſicuti etiam alias in omnibus officiis honeſtas limitem ponit, nec turpia mandata exaudienda ſunt; quum nihil in præiudicium Dei, iuris divini, & naturæ, torqueri poſſit aut debeat. Quod etiam in ipſo Rege ita verum eſt. Nam licet Rex quidem ſit Princeps Reipublicæ; tamen civis & ſubditus eſt naturæ, ac multo magis ſervus Iehovæ. Qui hoc ignorat, ſe omni imperio indignum reddit, & ſemetipſum hoſtem Dei, ac tyrannum ſic declarat.

Sed quodnam filiorum erga parentes in cunctis officium ſit, id quam optime verbum Dei explicat. *Geneſ.* 9.23. & 22. *verſ.* 7. & 27. 1. & 28. 7. & 37. *verſ.* 14. 15. *Exod.* 20.12. & 21.17. *Levit.* 19. *verſ.* 3. 32. & 20. 9. *Deut.* 5.16. & 21. *verſ.* 15. 18. & 27. 16. *Iud.* 4. 1. 1. *Sam.* 2. *verſ.* 11. 18. & 3. 1. 7. & 8. 1. & 18. 5. 1. *Reg.* 2. 10. 2. *Reg.* 2. 23. & 12. 2. & 21. 1. 2. *Paralip.* 34. 3. *Eccleſ.* 3. *verſ.* 1. 8. & 6. 8. & 7. 29. & 8. 7. 11. & 22. 3. & 23. 18. & 25. 10. & 32. 24. *Tob.* 4. 1. & 14. 5. *Iob.* 1. 4. & 8. 4. & 32. *verſ.* 4. 6. *Proverb.* 1. 8. & 4. 1. & 6. 20. & 10. 1. & 13. 1. & 15. 20. & 19. 26. & 20. *verſ.* 11. 20. & 22. 15. & 23. 19. 25. & 28. 24. & 30. 17. *Ierem.* 35. 16. *Ezech.* 21. 7. *Matth.* 4. 20. & 10. 33. & 15. 4. & 19. 19. *Marc.* 10. 19. *Luc.* 2. 4. & 18. 20. *Actor.* 7. 14. & 22. 3. *Epheſ.* 6. 1. *Coloſ.* 3. 20. 1. *Tim.* 5. 1. 1. *Pet.* 5. 5. &c.

Quamvis autem hæc & ſimilia officia perpetua ſint, & cum natura durent; cum ex eius iure profluant: tamen, quod patriam poteſtatem concernit domeſticam, ea quinque modis expirat: mort, emiſſione civitatis, ſervitute, quæ mortuo adſimilat aliquem, emancipatione, & magiſtratus dignitate, quum rempublicam repræſentet. Alias violationi huius officii filialis, pro diverſitate delicti, ſuæ deſtinatæ ſunt pœnæ. utpote, maledicentes morte mori cogebantur. *Exod.* 21. *v.* 7. ſic & parricidæ graviſſimo ſupplicii genere mactabantur. Velut etiam in immorigeros apud Romanos parentibus vitæ & necis poteſtas competebat. At hodie, ſi delictum eſt leve, parentibus caſtigatio incumbit; ſi gravius, exhæredari poſſunt.

Membrum VIII. *De Societate familiæ, & eius notatione.*

ATque ita ſe habet coniugalis & paterna Societas, ſive conſecutiva eius ex iure naturæ unice orta: ſequitur nunc ea, quæ eſt de familia, & ius naturæ imitatur, vel æmulationem ipſi adſociando annectit ex iure gentium. conttahiturque duplici modo: aut adoptione, aut conductione ſervorum vel miniſtrorum; quæ herilis dicitur.

Antequam autem de duabus iſtis ſpeciebus ſocietatis agamus, neceſſe eſt ut vocabulum familiæ, quomodo id accipiatur, & ea quid ſit, hoc loco rite explicemus. Famuli origo, *inquit Pomp. Feſtus*, ab Oſcis dependet (populis Campaniæ,) apud quos ſervus *famel* nominabatur: unde & familia vocata. Addit & hoc: Famulerium dicebatur, quod nunc ſervitium. Ceu quoque *debil* apud Ennium legi & *fubril*, affirmat Taubmannus *in annot. ſuis ad Plaut. pag.* 35. ubi duplici modo id, *famel*, & *famil*, pronunciatum fuiſſe dicit. Vnde recte Alciat. *all. l.* 195. *ff. de V. S.* ſecundum antiquam Oſcorum locutionem, quidem familiæ vocabulum à *familiari* derivat; attamen uſum eius tam late ICtus Vlpia. *in d. l.* extendit, ut ſex ſignificationes ipſi applicet, (quas ordine *in commentario ſuo* Goddæus explicat,) quum tam rebus in familia herciſcunda, & corpori, poſſeſſoriſque iuri, quam perſonis accommodetur. Ad perſonas autem nomen familiæ relatum, quatuor ſortitur ſignificationes, *ait Godd.* Aut enim ad ſingulares perſonas dirigitur, aut ad plures. Si ad plures referatur, triplici id iterum fit ordine. Primo, quando ad liberas perſonas & ſervos ſive mancipia pertinet; ubi ſimul corpora duplici modo exprimi, auctor eſt Goddæus. Namque & ſervorum eſt familia; & ipſi ſervi ſunt in familia. *l.* 40. § *fin. ff. de V. S.* Deinde ad ſolas liberas perſonas refertur, quæ ſub eiuſdem poteſtate ſunt naturali aut legitima. Demum ad univerſam agnatorum gentiliumque cognationem, ſeu ad omnes ex eadem domo & gente prodeuntes excurrit. Heic vero penultimam atque antepenultimam maxime retinemus in hac diſtinctione, quatenus partes integrantes herilis imperii in una domo patrifamiliæ perſonæ ſubiectæ conſtituuntur. Alias enim familia totum corpus unius domus, id eſt, caput cum ſuis membris collective complectitur; quum talis familia imaginem quandam reipublicæ privatæ repræſentet, & æque ac collegium per unum principalem conſervetur: diciturque proinde ſocietas mixta, & compoſita ex diverſis membris; utpote quæ effectū primariæ & originalis ſocietatis exprimit, ſi coniugialis ſocietas tanquam ſimplex cum herili coniungatur. Ex quo patet, quantum illi aberrent in politices tractatione, qui exordium eius à familiæ declaratione, tanquam cauſſæ explicatione ſumunt; quum per naturam rerum fieri non poſſit, ut effectus producat cauſſam; ſed contra eſt, quum cauſſa ſit origo, ex qua reſultet effectus. Quod ideo heic monetur, ut inde conſtet, quam duplici modo peccet & ſe præcipitet Arniſæus *in ſuis relect. pol. ca.* 1. *ſect.* 6. dum tam temere Vlpian. *in d. l.* 195. perſtringit, & methodi ſuæ rationem inutiliter deducit. Non una vice enim Vlpianū iniuria afficit, dum aliis perſuadere conatur, quaſi

ille

ille *d.l.* §. 3. definitionem familiæ instituere voluerit, quum tamen nudam tantum significationis interpretationem in acceptatione talis vocabuli indicare voluerit, ut ipse Godd. *d. l. num.* 3. satis manifeste id declarat. An indicatio significationis idem est quod definitio? Patremfamilias quidem paulo post definit, at non familiam. Deinde non candide cum ICto agit in eo, quod tantæ ignorantiæ reum ipsum convincere laboret, quasi nesciverit inter materiam & formam distinguere, & personas loco depravati generis contra omnes bonæ definitionis leges posuerit: quum tamen de pluribus personis hanc significationem prædicet, quod unius potestati aut natura aut iure subiectæ sint. Quid vero aliud hoc est, quam si tales personas potestati unius subordinet, & loco subiecti habeat personas tanquam materiam, quibus forma potestatis unius sit superinducta? Quæso quid clarius à ICto potuit dici aut pronunciari? An non igitur ille potius sententiam Vlpiani depravata mente accipit, & diffamat? Tum quoque ICtus non enumerat partes huius significationis omnes, sed tãtum exempli caussa subnectit notationem patrisfamilias, matrisfamilias, &c. velut quoque expresse id innuit, dum adiicit verbum, *Et deinceps*. Quare in hoc etiam paulo iniquior est ICto, quasi definitionem latiorem definito protulerit. Simili modo frustra præoccupare studet accusationem, qua illi potest obiici, quod omnino contra bonæ methodi dispositionem egerit, effectum caussæ præmittendo. Et enim caussa undique prior est effectu; velut ipse quidem confitetur, sed tamen oblique illud quod contrarie commisit, diluere studet in acceptione generali familiæ. Ait: Exurgit enim ex societatibus, tanquam ex partibus; quæ, dum conspirat in unum, producunt novam societatem, reliquas omnes sub se complectentem. In quibus semetipsum captivum ducit, atque expresse declarat, quod totum hoc caput *De familiis in genere* non suo iusto collocarit ordine; quum familia ex societatibus tanquam ex partibus exurgat. Ergo societates merito priori loco ponuntur, quum effectum redoleat familia, etiam secundum propriam eius confessionem. Nec quidquam ad rem facit, quod hunc errorem obtegere cupiat aut dissimulare nova societatis plenioris productione: quippe si unumquodque secundum caussarum & principiorum rationem ordinari debet, ut eo rectius intellectui & rerum cognitioni inserviat; inconveniens est, si effectus caussæ præponatur; quam tamen seriem se in his sequi ostendit. Simplex enim natura prius est suo composito aut mixto. Et ipse confitetur *sect. 5. num. 6.* quod origo nominis familiæ comprehendat tantum famulos & servos, quæ tractatio anterior esse debuisset; tametsi *capite tertio, & in pol. syst. cap. 4.* eam postea subnectit. Longe rectius Timplerus, & Christianus Matthæus id præstiterunt; quorum hic iustum procedendi modum in simplicioribus explicandis à principio observavit quidem; sed alter adhuc perfectiori modo, & inter politicos scriptores omnium optime, rationes cognitionumque gradus, pro facilitate & doctrina, ordine tradidit, ut sat concinnam declarent connexionis seriem. Vnde *capite quarto* ad partes compositas populi (qui vere & proprie subiectum politicæ exhibet, non civitas, ut idem erratice cum aliis docet, & infra mox *cap. 5.* explicabitur plenius) partim familias, partim collegia refert. Alii nec inscite, secundum partes constituentes Rempublicam, ex quibus constat, doctrinam politicam disponunt. quumque sit potestas imperandi una, & altera subditorum aut parentium numerus; & ex capite rectius dignoscantur membra: eius methodi ductum in tota compositione sequuntur. *ceu ex Besoldi & Kirchneri disquisitionibus id luculentius apparet.* Sed hæc dictas ob rationes obiter inferere voluimus, ut iuniores eiusmodi scopulos rectius evitare discant, ne illis multorum vaniloquentia quid imponat erroris. Iam redimus ad scopum, unde paulo ante digressi sumus; quum constet iam, quid per familiam hoc loco maxime intelligamus.

Membrum IX. *De Societate herili, & eius potestate.*

HErilis autem societas, quæ inter dominum & servum intercedit, quum sit frequentior adoptione, merito eam præponimus; quum etiam tertium gradum iuxta communem opinionem in hac societatis necessitate, qua coniugium in conservatione sui indigere dicitur, mereatur; quum paterfamilias habere & possidere debeat, qui manus ipsi commodent. *Arn. lib. 1. rel. cap. 1. sect. 4. n. 12.*

Dominus igitur, est persona servis sive ministris imperans, in eosque potestatem exercens. Veluti inde dominatio, potestas cum iure imperandi iubendique dicitur, dominanti competens, cui ius alium regendum & defendendum subiecit. qui ideo dominus appellatur, servientis respectu, *l. 1. §. 1. l. 2. ff. de his, qui sunt, &c. Exod. cap. 21. vers.* 20. qui dominium in subiectum eiusque iura exercet: *Matth. 18. 25. & seqq. 2. Reg. cap. 4. 1. 2. 3. Exod. 21. 7. 8. & 22. 4. 29. Deut. 15. Levit. 25. 39. Genes. 29. 18. & seqq.* consistens in gubernatione & directione pia & fideli, *1. Pet. 2. 13.* cura & providentia pro subiecti bono & felicitate. *Rom. 13. 4. 1. Tim. 5. 8.* cum facultate inobedienti infligendi pœnam, coercitionem, castigationem; *Proverb. 20. 30. tit. C. de emend. proping. 1. Pet. 2. 2. 19. 20. tit. ff. de pœn. Alth. pol. cap. 1. n. 13. & seqq.*

Potestas autem hæc, & talis quam homo in hominem sibi in regno iræ Dei arrogavit, duplex est: privata & publica. *l. 215. de verb. sign.* Potestas hæc publica quum ex universitatis & totius populi confluxu & eius iure exurgat, hac vice de ea iam non agemus; sed alius ipsi deputatus manet locus. Proinde nos ad alteram convertimus. Privata igitur potestas, quum ratione originis quoque prior sit, & publicæ imitamen, aut præfigurationem aliquam proponat, ea hoc loco attendi debet. Dicitur que ea, quæ privatam dominantis privati utilitatem & onus respicit. Estque duplex: prima, quæ tribuit ius & potestatem in personam & rem eiusdem: altera, quæ tantum ius in personam. Priorem rursus domesticam vel administratoriam rite facit Alth. *in dic. lib. 1. cap. 27. num. 5.* Domestica est, quam Princeps & caput familiæ habet in personas domesticas familiæ, cui præest. *1. Tim. 5. vers. 8. Prov. 27. 23. l. 195. & l. 196. ff. de V. sig.* Dicitur potestas familiæ, *l. 10. C. de fun & leg. h.* habetque sua commoda & onera in præstandis alimentis. Hæc vero iterum

tum vel plena vel minus plena eſt, reſpectu abſoluti alicuius dominii. Iſta autem, quæ in moderamine aliquo iuris & æquitatis cõſiſtit, eiuſmodi eſt uſus perſonarum domeſticarum, ut iuxta conductionis modum herus ſive paterfamilias earum obſequio & operis utatur cum quodam iure proprietatis. *Inſt. de noxal act. l.1.§.1. de rei vind.* Obſequia conſiſtunt in obedientia, exhibitione honoris, in reverentia, obſervantia, & pietate, &c. *Eph.6.5. & ſeqq. 1. Tim. 6.1.2. Coloſſ. 3.2.3. &c.* Operæ vero conſiſtunt in ſervitiis & miniſteriis præſtandis, &c. Vnde dominus, tanquam onus, pro modo facultatum, eos, quos ita conduxit, alere tenetur, diſciplina domeſtica regere, & nomen familiæ ac ius civitatis ſuæ cum defenſione communicare. *l.19 ff. de ſtat. hom. Geneſ. cap.30.4.5. &c.* Continet autem hæc minus plena poteſtas iterum in ſeſe ius herile ſive patrisfamilias, & ius patronatus.

Membrum X. *De iure patrisfamilias & patronatus.*

IVs enim ſive poteſtas herilis, ſive patrisfamilias, in eo maxime differt à iure patroni, quod illud ſit generalius, & conductione-locatione conſiſtat, atque circumſcriptum tempus habeat, quo omnis generis homines pro uſu loci & facultatis quid conducere poſſint, & pro operis præſtitis tunc teneatur paterfamilias ſolvere mercedem aut precium, quod inter illos convenerat; nec amplius tunc illis in libertate ſua derogatum poſſidet, ſed cum ipſa dimiſſione aut temporis expiratione plenam libertatem ipſi recipiunt, quam eouſque cum operis ſuis elocarant domino. Vnde etiam rectius famuli, vel famulæ, miniſtri ſeu miniſtræ, mercenarii miniſtrantes, ancilla, &c. quod miniſtrando famulitium ſuum præſtent, quam ſervi aut ſervæ, vocantur; quum libertati nihil æque inimicum ſit, quam in duriori acceptione ad ſervitutem tenerier.

Patroni vero ius ſpecialius quid ſub iecto ſuo imprimit, & verſatur circa libertum. Atque dicitur patronus is, qui ſervum ſuum manumiſit. Libertus autem, qui ſervus fuit, & ſui ipſius poteſtatem à domino ſeu patrono ſuo accepit per manumiſſionem. *tit. C. de ing. & manum.* Vnde manumiſſus appellatur; quum manumiſſio nihil aliud ſit, quam libertatis datio. *tit. Inſt. de libert. Cuiac. in parat. C. de man. vindict. & C. de Latin. libert. tollend.* Velut etiam apud Iudæos olim manumiſſi plenam libertatem conſequebantur. *Exod.21.2.3. Deuter.15.12. & ſeqq. Levit. 25. 40. Ier.34. 14* exceptis dediticiis. *Ioſ.9. v.21. & ſeqq. item, cap.2.3. & ſeqq. 1. Reg.9.20. &c. Nehem.c.7.60.* Quamvis autem libertus ita egrederetur poteſtatem domini, & ſuus ſibi in libertate communi reſtitueretur; tamen manebat reſpectus obligationis, in iure patronatus; ut patrono eiuſque liberis in bona defuncti, aut tota, aut dimidiata, aut partem, pro ratione diſpoſitionis, & eius operas, competerent, atque teneretur pro modo facultatum ipſi, liberis, & parentibus eius præſtare. *l.5 §.10. & ſeqq. l. ult. ff. de lib. agn. & alend. Vide etiam tit. Inſt. de ſucceſſ. libert. & tit. de bon. libert.* Plena vero poteſtas domeſtica eſt, qua quis dominium univerſum in hominem & eius bona exercet. *l. 4. §. 1. & l. 5. ff. de ſtat. hom. Levit. cap. 25. 44. & ſeqq. §. 1. Inſt. de iure perſ.* Dicitur ſervitutis dominium, *l. 7. l. 8. l. 9. l. 23. l. 24. l. 42. ff. de lib. cauſ.* poſſeſſio ſervitutis, *l. 1. l. 12. §. 1. l. 25. §. ult. ibid.* Vnde homo talis, qui ita ſubiectus & libertate ſua omni privatus eſt, dicitur ſervus, à ſervando, vel ſerviendo; quod ita utrinque ſervetur ad ſervitium obligatorie in ſervili ſtatu, omni excluſus libertate, præſtandum. Cui nomini agnatum eſt mancipium. *tit. C. de mancip. & colon. lib. 11.* Namque domino in talem ſervum etiam ius vitæ & necis competebat, ut interdum quoque leviſſimam ob cauſſam occiderent. *Senec. lib.2. de ira, cap. 40. Tacit. lib.14. Cic. pro Roſc.* Verum crudelitas illa, quum vindicta privata ea maxime ſit, merito reiicitur, nec in Republica honeſta toleranda eſt. Nihilominus in pleno dominio, proprietate & vſufructu domini, ſervus eſſe dicitur. *l.4. ff. de ſtat. hom. Exod. 21. 1.2.3. & ſeqq. Levit. 24.45. l.10. ff. de acq. rer. dom. §. 1. Inſt. de iur. perſon. §.4. per quas perſ. l. 21. ff. de uſufr.* veluti inde & ſervus in commercium ita incidit, *Exod. 21.7.32. & Levit.24.17.25.44. & ſeqq.* ut æſtimationem recipiat, *Exod. 21. 32. l. 32. ff de minor.* qui nihil proprii habeat, *Inſt. de ſtipul. ſerv.* quadrupedi æquiparetur, *l.2.§.2. ff. ad l. Aquil. Geneſ. 30. 43. cap. 47. 25.* imo & mortuo comparetur, *l. 209. ff. de R. I. & l. 32. ibid.* qui nullam iuris habeat communionem. *l. 20. §. 7. ff. qui teſtam. fac.*

Membrum XI. *De ſervitutis ſpeciebus apud Romanos.*

TAm apud Iudæos, quam Ægyptios Græcoſque olim, maxime tamen apud Romanos, multiplex ſervorum ſpecies fuit; ut alii bello capti, alii teſtamento relicti, alii ære redempti, alii alia ratione aut prætextu iuris acquiſiti dicerentur. Qui ex ſervo & ancilla prognati erant, vernæ vocabantur. Omnes tamen ſub nomine mancipii comprehendebantur ſimul. *tit. C. de nud. iur. Quirit. toll.* Dediditii ſervi erãt, qui ſe ex obſidione dederant in poteſtatem victoris; quorum alii libertini, alii peregrini nominabantur. Nec à ſervis multum diſtabant adſcriptitii, *Cuiac. ad tit. C. de agr. & cenſ. & lib. 12. obſ. cap. 35.* ſervi conditionales, *l.7. C. de iur. fiſci.* cenſiti, glebæque adſcripti; qui cum agro una domino ſerviebant; & una cum fundis mancipabantur, alienabantur. *Pignorius de ſerv. ſol. 1.2. & 252.* Sic erant olim coloni Palæſtini, coloni patrimoniales, ſaltuenſes, emphyteuticarii, burgarii, colonarii, inquilinarii, coloni rei privatæ, dominici, fiſcales, ſervi tamiaci, marileguli, monetarii, &c. *tit. C. de col. Paleſt. Thracenſ. Illyricen. lib. 11. de mancip. de fugit. col. patrim. &c.* Ac veluti priſci ſuis neceſſitatibus vitæ inſervientes habuerunt; ſic etiam rebus ſacris & cultui ſacro peragendis habuerunt addictos. ut Levitæ; *Exod.19.22. & 24.5. Num. 8.16. & 18.5.* nazaræi; *Num.6.2.3. & ſeqq. 1. Sam.1.11. & ſeqq. Iud.13.33.* homines talliabiles; *Fab. iuriſp. tit.5. illat.7. Alth. dic. lib.1. cap. 27. num. 16.* Nec minus Romani ſuis deliciis & luxurioſis admodum conviviis habuerunt deſtinatos ſervos, qui dicebantur ſtructores, ſciſſores, diribitores, chironomantæ, trapezonomi, &c. *Sen. epiſtol. 47. Com. Roſin. de ant. Rom. lib.5. cap. 29. in paralip.* Alii ſunt ſervi lautiores, alii atrienſes; ſed tamen ſervi æque actu. *Cic. in par. Berch. ad §. ſervi, Inſt. tit. 3.* Nulla eſt differentia, *ait Imp.* Ita libido imperandi, quæ omnibus innata eſt hominibus, varia ſibi effinxit ſervitia, ut ditiores luxuriem vitæ ſuæ rectius pro voluptatis nutu explerent. Quæ

perni-

pernicies in publicam quoque profluxit calamitatem, ut inde miseriæ humanæ variis adauctæ fuerint modis, donec etiam progressi sint violenti superiores usque ad conscientiarum persecutionem, ut simul ipsas hominum animas Iehovæ imperio eriperent, & sibi redderent servas.

Membrum XII. *An servitus sit à natura?*

VErum quum ipsi ethnici & gentes barbaræ ex conscientiæ stimulo in ipso tenebrarum suarum regno tandem deprehenderent, quod iustum naturæ dictamen nimis inverecunde ac crudeliter convulsissent; sed tamen ut auctoritate aliqua se ex eo summæ detestationis vitio exolverent; varios remissionis & moderationis huius sævitiæ modos excogitarunt pridem antea. Quorum præcipuus est, cuius mentionem paulo superius fecimus, manumissio. *Donell. lib. 2. cap. 15.* Proinde Florentinus ICtus, postquam definiverat libertatem, quod sit facultas naturalis; recte invehitur in servitutem, quod constitutio iuris gentium sit, qua quis dominio alieno cõtra naturam subiiciatur: *l. 4. ff. de stat. hom.* quum iure naturæ non solum homines, §. *item antea. I. de iur. nat. gent. & civ.* sed etiam res quæque, quas rerum natura gratia hominum comparavit, *l. 28. §. 1. ff. de usur.* §. *in pecudum. ff. de rerum divis.* liberæ sint. Etenim homo ab origine à Deo in integritate sua iuxta tegnum gratiæ ad liberum dominium conditus & in hunc mundum creatus erat: utpote qui eius imaginem sanctam in omnibus exprimeret, ceu microcosmus. ac postquam lapsus est Adamus, omnes in eadem paritate constituti sunt & manent; ut, quoad naturæ conditionem, nemo sibi quid potius in vigore naturali arrogare aut vendicare præ altero queat, quam quod sit servus peccati redditus, *Rom. 6. 17.* & sub peccato venditus, *ibid. Dd.* indeque morti corporali, ac quoque æternæ destinatus; unde nemo se liberare aut extricare potuisset, nisi Christus Iehova nos ex regno hocitæ & mortis liberatione sua gratiosa & restitutione meritorum suorum exsolvisset, Patrique Iehovæ mirabiliter reconciliavisset ita, ut nunc filii libertatis æternæ & regni cœlestis dicamur. Quamvis autem eousque non pervenerint ethnici, ut talia secum rite examinare, aut diiudicare potuerint; tamen quasi conscientiæ in sinu hanc ob caussam convictos se sensere: atque proinde libertatis modos constituerunt secum. velut id inprimis apud Romanos videre est, qui id manifestis relaxationibus servitutum demonstrarunt. Status libertatis igitur varius olim apud illos fuit. Maior videlicet sive iustus, minor, & infimus. Erant enim cives Romani, Latini, sive Iuniani, & dediticii. *de quibus agitur §. 3. Inst. de libert. Gai. lib. 1. tit. 1. & Vlpian. tit. 3. Conne. lib. 2. c. 6. & seqq.*

CAP. IV.

De servitute; quomodo libertati sit opposita natura, quod exemplis declaratur,

I. *Romanorum.*

REspublica Romana, iuxta communem opinionem, uti erat liberrima, ex libero populo, ita quoque mere liberos continebat cives. nec civis vere dici poterat, qui non esset in libertatis statu constitutus. velut etiam Carolus Sigonius *lib. 4. cap. 1. de antiq. iur. civil. Rom.* incólas eius sic describit, quod sint homines liberi, qui urbem agrumve Romanum inhabitant. Et post; Optima, inquit, lege is mihi civis Romanus videtur, qui domicilium, qui tribum, qui bonorum potestatem est adeptus. Etenim civis Romanus multis privilegiis erat donatus: esset cuiuscunque ordinis vellet, unam ex triginta quinque tribubus habere cogebatur, nec de capite eius nisi in centuriatis comitiis agebatur, ut neque iniussu populi Consules sententiam talem ferre possent: candidis vestibus incedebant, quoties solemnitatem peragerent; alias togati. &c. gestare aureos annulos illis licitum erat. *l. penul. de iur. an. aur.* Ius habebant suffragii & ingenuitatis; quibus licitum erat ea peragere & possidere, ad quæ libertus nullus poterat adspirare. *Rosin. lib. 1. de antiq. Rom. cap. 20. in paralip.* Et *in principio huius capitis* ait: Sæpe mentio fit in veterum scriptis libertorum, libertinorum & ingenuorum: quorum tamen vocabulorum propriæ significationes non omnibus obviæ sunt, &c. non eodem (tamen) semper modo hæc vocabula accepta sunt. Primis enim temporibus ita fuerunt distincta, ut ingenuus diceretur is, qui ex duobus ingenuis sive libertinis natus esset: libertinus, qui ex duobus libertis: libertus, qui aliquando servitutem servisset, & ex illa manumissus esset. Aliquanto autem post Appii Cæci Censuram, liberti & libertini pro iisdem accepti fuerunt; & tum ingenui dicti, qui vel ex libertis vel libertinis, id est, iis, qui aliquando servierant, & manumissi erant, fuerunt nati. Vbi tamen hoc discrimen inter duo ista liberti & libertini vocabula observatum fuit, ut liberti dicerentur respectu patronorum; libertini, respectu ingenuorum: & ita vocabulo liberti privatus quidam respectus; libertini autem vocabulo publicus respectus, videlicet hominis conditio, significaretur, &c. Ita accurati erant in distinctione graduum & ordinis, ut non omnia omnibus in libertate plena competerent. Poterant quoque libertini ius annulorum petere; quod signum ingenuorum erat; sed tamen non poterant natalibus restitui. Proinde donati annulo imaginem solum ingenuitatis, non autem statum habebant. *l. 1. C. ad l. Vescellium.* Annulorum quoque distinctio hæc erat, ut ferrei servis, argentei libertinis, aurei vero ingenuis attribuerentur. *Isid. lib. 19. Etym. cap. 32.* Præterea liberti non admittebantur facile in curiam, quod tamen concessum erat certo respectu libertinis: nec ad publicum illis munus aut officium erat accessus, nisi apparitoris aut coactoris. Sic & libertini filius aut liberti nepos iure meliore uti poterat, quum ipsi suffragium in tribu rustica concederetur: ast pronepos adhuc meliore iuris conditione fruebatur, utpote qui Eques Romanus effici valebat. Nihilominus liberti ad maiorem libertatis statum admissi dicebantur, quum publica solemnitate vel testamento manumissi essent, cuius tres modi erant, *seu notat Sigon. d. l. & Rosin. d. l.* ac numero Civium Romanorum, cum patroni tamen respectu, accensebantur. Latini autem Iuniani solummodo minorem assequebantur libertatem ex lege Iunia Norbana, quum minus publice aut iudicialiter in prætorio, sed vel per mensam, aut epistolam, aut inter amicos, à patronis obtinuissent manumissionem. quos tres modos ICti naturales dicunt. Dediticius vero libertus, ex lege Ælia Sentia, infimam accipie-

accipiebat libertatem, nec dignus cenſebatur altiori gradu, ſi forte ſervitutis tempore propter delictum aliquod in carceres publicos fuiſſet coniectus, aut ſtigmatis alicuius nota in fronte peruſtus. *Cuiac. lib. 5 obſ. cap. 13. & lib. 7. cap. 20. Revard. lib. 4. variar. cap. 9. & lib. de auctor. Prud. cap. 7.*

Sed neque hoc prætereundum eſt, quod libertate donati veſtitu omnino ab ingenuis & patriciis nō tantum fuerint diſcreti; utpote qui uterentur prætexta, ac raſo capite pileum geſtarent, ceu inſigne libertatis: ſed interim quoque auribus pertuſis ſigna ferre coacti ſint; veluti Romæ venalium ſervorum notæ fuerunt; ſub corona ſtare, ocreatos habere calceos, & aures perforatas, ſtrobilis aut rotulis aureis ornatas pro vendibiliori modo, &c. *Roſ. in parel. d. l.*

Eouſque nimia ſemper & invidioſa accreverat Romanorum ſuperbia, ut civitatis ſuæ iura, libertatis admodum duro, imo duriſſimo laboris & vitæ precio communicarent ſervis, nec etiam facile alios vicinos in libertate natos reciperent. Civis enim nemo ipſis erat idoneus, qui non aut Romæ eſſet natus; aut in tali municipio, quod non modo munere honorario cum Populo Romano uteretur, ſed & civitate & ſuffragii ratione adæquatus. Qui mos ad annum 662. duravit. ubi populi Italici, primum Aſculani, Vicentes, Veſtini, Marſi, Latini, Peligni, Vmbri, Marrucini, Lucani, Samnites, Coſſ. Sex. Iulio Cæſare, & L. Martio Philippo, bellum vehementiſſimum contra ſenatum populumque Romanum, inde, quod lege Licinia ius civitatis & eius dignitas, pro qua tot labores & certamina plenis periculis ſuſtinuiſſent, denegaretur, ſuſcitabant. Quum enim multi ius Romanæ ſocietatis apperterent, L. Licinius Craſſus, & Q. Mutius Scævola, Coſſ. legem tulerunt, qua cavebatur, ne deinceps ulli civitati Italiæ tribueretur ius Romanorum civium; ſed ut ſingulæ ſuo iure eſſent contentæ. Quod quum in contumeliam ſuam & extremum contemptum vergere putarent Itali; deteſtantes tam inauditam ſuperbiam, noluerunt indigniſſimo ſervorum loco haberi; & ſociali convenere fœdere ac bello, & tam diu continuo certamine enervarunt ſuperbiam Romanorum, ut non tantum exercitus eorum multis in locis funderetur, ſed etiam uſque ad ſaga iretur, paulatimque obtineretur, quod petebant; proinde quoque maximæ parti Italiæ civitas aperta data fuit. Tandem innumerabiles peregrini ſenatores facti ſunt. Quippe C. Cæſar quoſdam è ſemibarbaris Gallorum recepit in curiam. *de qua re vide Suetonium de bello ſociali. vide Flor. lib. 71. & ſeq. Appianum lib. 1. de bell. civ. Plin. cap. 65. 75. de vir. ill. Aug. de civit. Dei lib. 3. cap. 23. Plin. cap. 1. lib 33. natur. hiſt. Eutrop. lib. 5. cap. 1. Oroſ. lib. 5. ca. 18. Strab. lib. 5. Plut. in Sylla. Iob. Roſ. in virt. Rom. p. 152. &c.* Ex hac & aliis pluribus hiſtoriis conſtat, quam inſatiabilis libido ſubiugandi gentes ſemper tenuerit Romanos, quantum etiam vicinis, qui tamen quam optime de illis meriti fuerant, opimiorem libertatem cum dignitate inviderent. In omnibus terræ partibus, ubi victores erant, homines penitus libertate exuebant, & ſervituti deſtinabant ſatis crudeli. Veſtigia eius ſuppreſſionis adhuc paſſim extant, ut, ubi modi non fuerint ulli ita inconvenientes, tamen mox varii & mire excogitati prodierint ad ipſorum informationem. Quod ſi ſaltem Germaniam, relictis aliis regionibus & provinciis, in exemplum pertrahere velim, ſatis manifeſte apparebunt veſtigia huius infectionis.

II. *Germanorum mores, antea ſemper libertati addictorum, à Romanis infecti.*

ETenim Germaniam noſtram veros ſervos nunquam priſcis illis temporibus habuiſſe, ſatis ex victus ratione & facie regiminis conſtat, *velut teſtis eſt Cornel. Tacit. de morib. Germ.* quum tamen apud cæteras gentes omnia ſervorum eſſent pleniſſima. *Vult. ad §. ſervari. Inſt. num. 3.* Quod etiam rite adfirmat Knichius, *de veſtit. Pact. part. 2. cap. 3. num. 3. & ſeq.* dicens: Germaniam ſervitutis à Romanis invectæ neſciam fuiſſe, veluti per manus traditum, noſtrates aſſertant. Etſi enim ſervi quoque dominis addicti fuerant; attamen tanta non erat poteſtas, tantuſque nexus: verum ipſis agricultura, nec non armentorum pecorumve greges demandabantur veluti colonis, quorum conditio adhuc in uſu. *Iacob. VVill. in Tacit. p. 1. cap. 33. quem ſequitur Beuth. in eund. cap. 43.* Quod autem Tacitus tradit, victum alea ſervituti fuiſſe mancipatum; pervicaciæ indicium eſt, & ipſi victori quoque probroſum extitit. Subiiciens enim ſe ſervituti ſpontanee, indignus libertate exiſtimatur. *l. 3. ff. quibus ad lib. preciam. non lic.* Eiuſmodi ferinam pervicaciam referunt hodie Sclavi ad triremium ergaſtula condemnati, qui, dum ipſis quandoque liberum permittitur abire, aleæ ſe committunt, victuſq; ad illa redit. Conſtat itaque raritas ſervitutis apud Germanos, eaque erat ſatis tolerabilis. Numerus vero Romanis reperitur, ut fidem noſtris moribus furcillet. *Lipſ. lib. 3. annal. Taciti, f. 174. ubi ex Plinio notat, Cœlio cuidam Iſidoro quinquies mille ſervos tributos: & ex Athenæo, viginti millia, imo plures, quoſdam habuiſſe.*

III. *Franci maxime primi ſervitutis introductores in Germaniam.*

CÆterum Clodovæus primus Francorum rex, quum Alemannos, id eſt, Helvetios, Suevos, Bavaros, Tyrigetas, Cattos, Miſnenſes, ad Tolbiacum in Vbiis, circa annum Chr. 499. debellaſſet, non ſolum hi, modo ne perirent, ſervitutem pollicitiſunt perpetuam, *Trith. lib. 1. annal. Franc. f. 40. ad fin.* verum etiam ille, ut nunquam reſiſtere poſſent, arma ipſis ademit, ſervitutique mancipavit. *Paul. Æm. Clodov. 1. Reg. lib. 1. f. 7. cum ſeqq. Iohan. Tilius, chron. de Reg. Franc. ad dict. ann. 499. Guliel. Paradin. annal. Burgund. lib. 1. f. 81. Nicol. Vignier. chron. Burgund. ad ann. 499. fol. 18. Iohan. Stumpf. chron. Helvet. lib. 3. cap. 37. & lib. 4. cap. 27. Munſt. coſm. lib. 3. cap. 17.* Et licet poſtmodum plurimi libertatem priſtinam conſecuti ſunt meritis, prece, precio; attamen aliqua ex parte remanſit ſervitus. Reges ſiquidem Francorum aliis conceſſerunt non tam pro donato, quam beneficiario titulo fiſcalinos, hoc eſt, Regis homines propriosre & corpore, **des Königs geeygnete Knechte / deren Leib vnd Gut Königlicher Kammer vnderworffen.** *Stumpf. d. cap. 27.* In cuius teſtificationem unum referre ſufficit: Ludovicus Caroli filius Einhardo Cancellario patris ſui contulit prædia Michlenſtad cum ſervis Regis propriis quatuordecim, & uxoribus ſuis & liberis tredecim. *Chron. Laurish. ad ann. 805. fol. 64.* Cuius ſanctione Aldiones vel Aldianæ

ſimili lege vivere tenentur in Italia in ſervitute dominorum ſuorum, qua fiſcalini vel lidi vivunt in Francia. *Anſegiſ.lib.4.cap.102.&c.* Quamvis autem proprii homines quoque vocitentur vaſalli feudatarii, vel etiam ſubiecti feudi Regis, qui eius ditioni ſubiiciuntur; *d.auct.de pact hu veſt.cap.5.num.64.* Attamen nemo eſt, qui neſciat, vaſallagium, cuius intuitu vaſalli ſic dicuntur, à mancipiis prælibatis longe lateque diſcerni; ut puta, quæ annexa ſunt fundo, eiuſve partes cenſentur, nec non prædiariis inter res ipſas computantur, *l.ſi quis 1.l.3.ff.de diu.præſcript.l.* 14. C. *de SS. Eccleſ. Bald.l.1.num.30. C. de ſerv. fugit. Chopp. de civi. Pariſ.mor.lib.1.tit.1.num.17.f.24.* & inter immobilia referuntur. *Greg. Lopez. part.2.tit.17. lib.1.f.35.* teneturque eos dominus tradere ſicuti partem fundi. *Guilel. Bened.c.Rayn. verb.& uxo. nom. Adilau. deciſ.5.num.395.cum ſeqq.extr. de teſtam.* In Gallia adſcriptitii vocitantur homines manus mortuæ; *Bod. de rep.lib.1.num.109.* qui ſine conſenſu domini teſtari nequeunt; iiſque ſine liberis eiuſdem conditionis decedentibus domini ſuccedunt. *Molin. in conſ. Par. tit.1.gl.3.num.1. cum ſeq. & §. 41. num. 55. Ranchm. de ſucceſſ. ab int. §.23.num.3. Chop. de domanio, lib.1. tit.14. num.11. & 12. &c.* Non tamen unius ſunt generis. Nam alii ſervitutem magis, magis alii libertatem redolent noſtris moribus. *Zaſ.§.præiudic.num.15. Inſt. de act.* Non ſolum vero ſervi proprii functiones & operas exhibent; verum etiam dominis emolumenta ſucceſſoria. Si etenim decedit ſervus proprius, nuptiis contractis cum libera; nihilo ſecius liberi, conditione patris intinguntur, nec partus vētrem ſequitur. *Forcat. rubr. de ſervit. num.11.* Morem Tholoſatum conferendo, domino debetur triens mobilium. Sin autem proprius decedit, relictis liberis, dominus ſibi vendicat aliquid de morte mancipii. Das Hauptrecht vnd Weyd-Mahl/ als ein Hauptviehe/ beſtes Pferdt/ beſtes Kleydt/ *vel ſimile quid. Stumpff.d. cap.27. Cruſius annal. Suevic.par.3.lib.10.cap.11.fol.575. &c.* Hactenus Knichius.

An non ex hac enarratione ſatis clare conſtat, quam facili imitamine ſervituris peſtilentem illum morem & conſuetudinem Romanorum Clodovæus in ſuos quoque ſubditos & devictos vicinos tranſtulerit? Antehac enim quum omnes populi Germaniæ, quam late ſe ea extendebat, adſueti eſſent libertati, eiuſque precioſiſſimæ ingenuitatis ſtudioſiſſimi eſſent, ſervitutem ſemper tanquam rem ipſis odioſiſſimam à ſe propellere laborarunt. Aſt clades hæc interna, qua Franci & Alemanniæ populi inter ſe tot bellis civilibus coierunt, fecit, ut tandem ex libertate ſint in duriſſimam hanc ſervitutem detruſi. Ipſa enim nominis origo eſt à libertate; *ait Renecc. in poteſt. ad vit. Carol.M.* ſive ſit compoſitum; die freyen Antſen/ id eſt, liberi coloni: ſive ſimplex; ut frey & franck/ quod liberum ſignificat.

Quod vero Clodovæus hunc modum ſubiugandi ex Romanis didicerit, non ſolum ipſa res & tot diverſæ ſervitutum ſpecies in eadem ſimilitudine mōſtrant; ſed etiam teſtatur Lehman, *in chron. Spir. lib.2. cap.20.* ubi ait: Quandoquidem Clodovæus apud Romanos obſervarat conſuetudinem, quod illi victis ſervitutem imponerent, atque hoc modo omnia illis belligerandi media abſcinderent: ſimili ratione ſeveritatem & atrocitatem hanc ſuſcepit, & Alemannos omnibus armis ſuis privavit, nec non loco eius, quod mares, fœminas & liberos eorum vita donaret, ſimul omnes in ſervitutem redegit, atque cū vitæ & bonorum poteſtate ſibi appropriavit. Vnde ex antiquiſſima illa Germanorum libertate in tantam ruinam eos præcipitavit, ut nec vel ipſi vindictā exerere bellicam, nedum vel ad officia bellica apti aut magiſtratus ullius munere digni judicari poſſent; ſed ſervi & libertate armorumque jure prorſus exuti mori cogerentur. Plena fuit ſervis & ſervitutib. Alemannia noſtra, cuius magna pars hodie Helvetia eſt. nec eſt, quod ſciam, montanus pagus aliquis Helveticus, qui, rebus Francorum florentibus, duriſſimam illam ſervitutem non ſervierit. Extant enim tabulæ veteres, quæ hanc rem clariſſime teſtantur. *Vad. in epiſt. apud Goldaſt tom.2.antiq. Alem.fol.84.*

Exemplum hoc poſtea Carolus Magnus ſecutus eſt, *Æmil.lib.2.ſub Carol.M.* quum Saxonas & Weſtphalos evinceret; quorum regionibus ſervitutem hanc ſic propriam fecit, ut non tantum diſarmatit ſimul, ſed etiam pro diverſione novæ conſpirationis nobiliſſimos eorum ultra triginta millia è Saxonia extruſerit, & uſque ad Coloniam Belgiumque expulerit, ibi ſedes quæſituros ſibi atque conſtituturos.

Ex Clodovæi temporibus, & circiter annum Chr. 500. duriſſimæ & improbiſſimæ ſervitutum hæ ſpecies magis magiſque accrevere, ac ſe latiſſime pedetentim effudere. Velut etiam mancipati tales ſervi ingenti multitudine ultra Rhenum tranſplantati ſunt; alii donationis munere aliis oblati, & undequaque in ſervitutem adeo diſtributi, ut oppida, urbes, pagos & villas expleverint, &c. Hactenus Lehmannus ille.

IV. *Hiſtorica deductio, quomodo Saxones per aliquot ſecula libertatem conſervarint ſuam contra quamvis vim forti manu: cum correctione aliquot Hiſtoricorum.*

NOn igitur Saxones quoque ab hoc mali veneno, tam latiſſime ſerpentis, tuti eſſe potuerunt. Namque licet populus iſte ita obſtinate ſubiectionis iugum excuteret à ſe, ut ad libertatem quaſi natus diceretur; *iuxta Crantz. lib.1. Sax. cap.7.* tandem tamen idē, poſt tot exantlatos labores & damna, eiuſdem ſortis rigorem ſubire coactus eſt. Mira fortitudine libertatem ſuam tam contra exteros quam vicinos per aliquot ſecula defendere non deſierunt: ſubierant etiam pro vicinis multifaria pericula boni publici & communis libertatis Germanicæ cauſſa. Ante tempora Arioviſti ſepties ſe Cymbris (qui veteri Gallorum lingua Latrones vocati ſunt, quaſi ex Vandalis, Danis & Saxonibus collecti, *Krantz. lib.1. Sax. cap.8. & 9.*) ſubmiſcuerunt, & tranſcenderunt Alpes, totamque invaſere Italiam incredibili cum exercitu. Iul. Cæſar ipſe deſcribit ſatis, qualem defenſorem patriæ & adiutorem vicinorum ſe Arioviſtus ille cum ſuis Saxonibus præſtiterit: ſic & Hatmi-nium heroem expertus eſt Quintilius Varus aſtutum & fortiſſimum inter Ameſin & Lippam fluvios, *Bunting. in chron. Brunſ.p.6.* Quale Samſonis opus invicto animo Swettingus Princeps Saxonum, quum ex morte Haneſi vectigales Danis Saxones redditi eſſent, pro liberanda patria ex ſervitute ſubierit, ut ſe

ſimul

simul & Regem Frothonem Daniæ, paratis omnibus ex composito quæ conflagrandæ domui inservirent, fortiter comburendos tradiderit, id constat ex historiis. *Crantz. lib. 1. chron. Sax. cap. 11. & 12. Bunt. d.l.p. 8.* A qua parte Germaniæ hostis ingrueret aut immineret aliquis, illis socios se conterminis suis fideles obtulerunt, adeo, ut propterea quoque ferme per tria secula, ceu homines integræ solidæque fidei, simplices, & nullius gloriæ cupidi, qui solummodo publicam communis patriæ salutem in conservatione sui liberi status respicerent, atque in bonum hoc omnem conferrent opem, absque privato ambitionis aut commodi respectu, suis nomine tali vicinis & congentilibus adscripti fuerint, velut etiam plærumque sub Cattis simul sunt comprehensi; *ut recte hoc annotat Krantz. d.l. cap. 13.* Namque alias, quoties in quiete vitam illis transigere datum fuit, modeste in summa castitate absque luxurioso vestitu & æquitati unice addicti inter sese vixerunt. *Buntin. d.l. p. 4.* Vigilantissimi tamen interim suæ libertatis semper fuerunt vindices, qui omnino nequirent jugum alterius ferre domini. Proinde, quum rato essent absque motu, & congentiles lubenter eorum uterentur auxilio, paratos se exhibuerunt iis ex omni parte, maximamque coluerunt tum amicitiam cum Francis. Vnde temporibus Diocletiani Imperatoris illius ultra mortalitatem truculentissime superbi, circa an. Christi 300. Franci cum Saxonibus mare per Armoricæ & Belgicæ tractum infestarunt. *Auctores sunt Eutrop. lib. 9 Oros. lib. 7. cap. 25.* Dehinc cum Francis partim Romanorum beneficiis delenit, partim cladibus fracti, continuerunt se intra fines suos usque ad Valentiniani Imperium circa annũ Chr. 370. Tum enim, cum Francis renovata societate pristina, conjunctis viribus terra marique Galliam depopulati sunt, quod Alemanni & consortes illorum ex ea parte mire infestarentur ab Imperatore. ubi & Saxonum nomen iterum inclarescere cœpit ob fortia facta, ut prima irruptio Saxonum in Romanos limites ducta fuerit. *Ammia. Marc. lib. 27. Buchol. chron. p. 218.* Sic etiam quum Attila ille, Hunnorum Rex ferocissimus, totius orbis terrarum imperium mente concepisset, & ex oriente circa ann. Chr. 451. in occidentem venisset, nec non Germaniam spe prædæ & subiugationis obruere totam tentaret, exercitu ad septingenta millia militum coacto, properaretque in Galliam, quam prope occupasset, nisi fortissimus ille Romanorum Consul Aetius, auctoritate Theodosii Imperatoris, inter alios Theudoricum Gothorum Regem quoque in auxilium contra communem omnium regnorum hostem advocasset; tum maxime Saxones Attilæ & Hunnis, tanquam potissimi zelotes & vindices liberatis, in prima acie oppositi fuerunt. *Krantz. d.l. cap. 23. Bunting. d.l. p. 10.* Clodovæus Rex Franciæ, anno Chr. 514. mortuus erat; & quatuor reliquerat filios; Theodoricum, qui Metis regnabat annis 27. Clodomirum; Clotarium; & Childebertum Parisiis gubernantem: quippe diviserant inter se amplissimas regni provincias. Primus horum Theodoricus alebat discordiam cum Rege Thuringo Ermenfrido. quem quum non ita facile expugnare posset, ac, ne Saxones in societatem belli Thuringis accederent; ex consilio Procerum Saxones ante omnia cum magna agrorum promissione in suas partes pertraxit. qui nec difficulter invitati promissa quidem arripuere: at, si non cautiores fuissent, clancularium pacem in exitium eorum cum debellato Ermenfrido iniisset. Nihilominus Theodoricus promissam Saxonibus terram cedere coactus est; & urbem, quam expugnaverant, perpetuo habitandam donavit; ubi postea arcem ad montem eum, quem Vastruda alluit, in perpetuam rei memoriam, & ut ea termini discriminati utriusque regionis indicarentur, erexerant; quam adhuc Elector Saxoniæ tanquam præfecturam in ditione sua possidet.

Dum in hoc rerum statu (*ait Krantz. d.l. cap. 29.*) Saxones agerent, Francis pacati, Thuringis (quibus Franci præerant) non molesti, quod terras à Francis permissas incolerent; Albuinus Longobardorũ rex, iam diu in Pannoniis sedens, per Narsetem Italiæ Præsidem, quem Sophia Iustini Imperatoris cõiux insigni eunuchi injuria affecerat, vocatus fuit. Atque is ex Saxonibus, Longobardis, Gepidis, Bulgaris, Sarmatis, Pannoniis & Suevis quum ingentem exercitum anno Chr. 568. collegisset, felicique successu Italiam prope totam excepta Roma occupasset, Saxonum ope potissimum floruit, & regnum novum sibi ibidem, quod per 206. annos usque ad Caroli Magni tempora duravit, quidem constituit. Verum Saxones (*verba sunt Krantz. cap. 30.*) quum aliquandiu sub Longobardis in Italia militassent, pertæsi alieni imperii, qui se ad libertatem natos arbitrarentur, in patriam respexere. Accessit Francorum Regum non obscura suggestio: Quid vellent in Italia servire, qui in libertate nati, etiam aliis (si satis niterentur) imperarent. Vrebat quidem Francos gloria Longobardorum, quod locupletem provinciam, & dominam gentium tam facile cœpissent, immineretque terrore vicinis gentibus. Quocirca volentes Longobardorum Franci potentiam minuere, tale aliquid Saxonibus per submissos instillavere. Facile persuaseris homini libero, suo iure vivere. Nõ surda aure Saxones accepere, in quod sua sponte propendebant, &c.

Interea autem, quum per 15. annos abfuissent, ex conniventia & approbatione Regis Francorum totam prope Saxonum sedem occuparant & suis posteris destinarant Suevi rursus; & sui quoque reditus iter omne illis præcluserat armata manu Ennius Mũmulus Romanus. Vnde, prius repulsi ex via, coacti sunt fœdus inire cum Sigeberto Rege Francorum Metensi sive Austrasiæ, ut ita non sine difficultate ad suam rediret per tot aspera damna patriam. Imo quum Suevi ita plane cedere nollent, ut etiam alio titulo Sueviæ Saxoniam nominitarint, & conflictioni acerrimæ succubuissent Saxones, donec tandem adjumento novo Regis Francorum non sine oppignoratione libertatis expulerint Suevos; ex rancore se converterunt ad novas leges patriæ confingendas, quibus inter alia muliebri sexui imposuerunt, ne ulla cuiquam ex Suevorum natione nuberet, sub pœna exclusionis è paterna hæreditate. Vnde Saxonici ingenii aut speculi origo pro parte emersit. quod postea ex consuetudinibus Francorum, quum ipsis tandem quoque vectigales redderentur, variis modis adauctum & demum ex variis opinionum anfractibus conflatum fuit. ubi simul mulierum conditio in multis deterior facta est. Qui certe primus lapsus, quod cœperint à libertate deviare, & posteros suos ad gradum aliquem servitutis propria adstringere culpa.

Atque ista heic eum in finem mouentur, ut iuris Saxonici, quod *Speculum* dicunt, & Landrecht / vera origo, in qua omnes prope Commentatores, ac Historici, ipse quoque Glossator, *ut recte sentit Krantz. d. l. in fin. cap.* 30. mire hallucinatus est, clarius percipi queat. Quamvis autem ex eo tempore novæ successionis suæ in patria firmiorem sedem nova constitutione Reipublicæ per 50. annos prope adornare studuerint: accidit tamen, ut, postquam Clotharius Rex Franciæ, quem alii Lotharium recte vocant, Dagoberto, an. Chr. 624. regni sui eam partē quæ Austrasia dicta fuit, maximam Germaniæ partem complectens, ex Metensi Regia tradidisset regendam; Bertoldo, sive Beroaldo, quem etiam Regem Frisiæ alii dicunt, (*vide Seth. Calvis. in Chronol. h. an.*) Duci Saxonum, vicini Regis potētia, utpote qui etiam Thuringiam possidebat, suspecta videretur, atque occasionem omnem imminuendi vires eius quæreret.

Ortum est igitur bellum anno Christi 630. inter vicinos de finibus, velut quoque antehac discordiæ fuerant ex terminis Thuringicis. Dagobertus copiis validis in Metensi regione perarmatis Rhenum traiicit, ductutus eas in hostem. Nec segnis Bertoldus Saxonum Dux, ad arma vir impiger, iamdudum quoque bellum sitiens, iuveni Regi Dux veteranus occurrit. Conseruntur manus, & gravi utrinque prælio multi cadunt. Dagobertus acri certamine premitur ab opposito Saxone, ut, decussa galea, partem cutatam capitis cum adhærentibus capillis in terram demitteret, &c. Ergo attritis exercitus sui viribus, paulatim se retraxit Dagobertus, victoriam permittens hosti. *Krantz. d. l. cap.* 31. Mittit igitur ad patrem Clothatium, qui auxilio advenit filio, & ad Ingelheymium acerrimo prælio cum hostibus pugnans, Beroaldum Saxonum & Frisiæ regem obtruncat; Adeoque pertinaciter persecutus est victoriam, ut omnem Saxoniæ provinciam igni ferroque vastaret; nec abiit donec prodeuntes obviam proceres de pace agerent. Summa fuit, ut Saxonia, annuo Francis penso tributo, dominos ac maiores suos agnoscerer. Regnaverat Bertoldus annis sexaginta. cui, beneficio Clotharii, Adgillus successit in Frisia: at Saxones sibi postea elegerunt Regem Sieghardum. Verum, quod ita Francis tributarii redditi essent, mordebat acriter Saxones. Proinde capta occasione, quū Winuli ex gente Vandalorum, quos alii Winnidos dicunt, tum in ea habitantes provincia quæ hodie Brunsvicensis est, in Thuringiam irrumperent, Saxones miserunt ad Dagobertum, sese offerendo, quod essent Thuringiam ab omni incursione liberaturi, si ipsi à tributo liberi & amici Regis in reliquū tempus scriberentur. Quum itaque Francis per Saxones reddita esset sua Thuringia, Saxones non tributarii, sed Francis fœderati habiti sunt anno Chr. 640. Tum vero Saxones iterum, quum tot periculis edocti essent, ut eo rectius suum stabilirent regnū, ad comportationem legum, iuxta consuetudines Francorum ac Longobardorum, ex quorum plurima didicerant moribus, se converterunt. Etenim necessitas hoc exigebat, ut eo rectius cum Suevis, qui non penitus expelli potuerant antehac, convenirent. Namque Suevi iam pridem moribus Francicis se accommodaverant, & introduxerant multas talium iurium consuetudines, à quibus olim penitus Saxones abhorruerant, utpote qui semper magni libertatis filii & vindices dici expetebant. Quare, velut inter alia multa, etiam heic errat Pomarius, *in chronico suo Saxoniæ, pag.* 14. quod sub Iustini annos, circa annum Christi 526. statim post obtentionem patriæ Thuringicæ terræ, Ermenfrido interempto, Saxones suum ius in tranquillo vitæ statu confecerint. Quamvis non incompte iisdem honestam adscribat vitam, quod secundum legem naturæ adeo decenter vixerint, ut inter sese unice æquitatis normam respexerint: Attamen statim idem inculcat, quod nimium studio Romanæ divinationis & idololatriæ addictus ipsorum fuerit genius: Vnde etiam ipsorum admodum corrupta sint iura, & leges, quas sibi in ea vanitate confinxerant. Interfluit autem totius secundi spacium, & ultra, priusquam ad tranquillitatem aliquam pervenerint; Quum tot à tempore Theodorici Regis Francorum Austrasiæ, & longe plures, quæ ob defectum Scriptoris non annotatæ sunt, intervenerint historiæ.

Error Chronici Buntingi.

Sic quoque Buntingus non levem errorem *in chronico suo Brunsvicensi* duplici modo committit; dum ita inconsiderate in annorum supputatione Saxoniæ Reges Sieghardum & Theodoricum connectit, ut alterum anno 630. à Saxonibus, continuo post cladem à Lothario & Dagoberto Regibus Franciæ acceptam, electum, & hunc tanquam eius filium substitutum, qui anno Chr. 723. à Carolo Martello captus sit, faciat; quasi hi bini Reges totius seculi cursum in gubernationibus compleverint. Testatur autem historia de vita Suitberti Episcopi Westphalorum & Vltraiectensis, quod Saxones Duce Brunone admodum atrociter vicinos suos Bructuarios persecuti fuerint, graviterque eosdem afflixerint, quod religioni Christianæ nomen dedissent. Velut quoque ex suis, tempore Childeberti, quum Iustinianus II. crudelis Imperium, auxilio Bulgarorum, recuperasset, circa an. Christ. 708. expulere ditionibus, quotquot Christi nomen professi fuerant. Vnde Suitbertus, quum locum nullum amplius propagandi religionem haberet reliquum, Coloniam ad Pipinum Caroli Martelli patrem reversus est. Constat igitur ex hoc, quod alius adhuc Bruno fuerit ante Warnekindi filium Brunonem, qui frater fuit Witekindi, & ante huius ex Wigberto filium Brunonem, quem huius nepos, Bruno videlicet quartus, secutus est, qui inclutam urbem Brunsvicensem anno Christi 861. condidit, & eidem ex se nomen dedit: quum solummodo Buntingus trium mentionem faciat. Sed ipsa computatio annorum satis eius errorem detegit. Fortassis hoc ipsi imposuit, quod Krantzius *lib. 1. Sax. cap.* 32. inter historiam Thuringiæ Dagoberto Regi Franciæ à Saxonibus restitutæ, & Caroli Martelli, tam exiguum relationis interstitium interponat, atque omnia tam concise constringat, nec non statim capite ultimo tam insignis Herois, quem malleum hostium vocat, facta stupenda subnectat; quū tamen à Dagoberto I. quem Magnum dixere populi, usque ad Theodoricum Dagoberti II. filium, decem Reges Franciæ mortui sint. & pene totius interea consumptum sit seculi tempus. Nec omnia de Saxonibus constare potuerunt, quum eorum non fiat mentio, nisi iis motus cum talibus fuerit vicinis, qui clariores consecuti sunt scriptores. Paucis itaq; persequi-

sequitur hoc quod ad cõtinuationem faciat eius discordiæ, quæ prope Saxonibus perpetua fuit cum Thuringis. Ait: Assiduum deinde bellum Saxonibus intercessit de Thuringia, Francorum Provincia; in cuius finibus iam, quia Saxones nonnihil iuris elaborando quæsierant, coridiana de terminis erat quæstio. Sed & Francis Christianis Principibus odiosum erat Saxonum nomen, quod adhuc gentili sorderent errore. Quocirca Carolus Martellus, Pipini Brevis filius ex Alpiade licet pellice natus, (quem merito Krantzius, *lib. 1. cap.* 33. virum illi seculo feliciſſimum vocat; qui nisi contigisset, actum fuisse de Galliis,) aulæ præfectus. (qui Maior etiã domus dicebatur,) pacatis in occidente rebus; quum Saracenos suis & Romanis provinciis expulisset; conversus in alterum latissimæ ditionis angulum, etiam illum purgare sordibus constituit. Saxones erant ea tempestate dæmonicolę, & qui Christianam religionem adspernarentur, *ait Krantzius*. In eos conversus Martellus, bellum instituit, & bellum inchoavit, quod demum nepos eius ex filio Caroli Magni peregit. Tantæ molis erat, Saxonicam gentem à patriis ritibus avertere. Magno tamen tum bello pressi Saxones, & exhausti, Carolo quidem Martello manus dedere, componẽtes cum illo per quaslibet conditiones pacem; sed leges Christianas accipere necdum consenserunt, &c. quæ peracta sunt circa annum Christi 740. Ita quoque post obitum huius patris sui Carolomannus, Princeps religiosus, circa an. 745. in Saxonas exercitum duxit, & eos quidem tum perdomuit, ut legibus seculi parerent ad æquabilitatem: Sed Christi religionem neque verbis suadere nec armis inducere poterat. Proinde etiam Pipinus, simul ac Coronam regiam obtinuerat, anno 751. pro prima expeditione hoc suscepit, *iuxta Krantzium*, ut arma in perfidos Christo Saxones verteret. Magno igitur in eos apparatu ducens, bellum iis gravissimum intulit; sed tanta fuit gentis moles, ut non statim ad mutandam religionem armis cogi posset. Ea igitur expeditio frustra fuit, licet repetitis vicibus idem tentarit. Peracta talia sunt sub Ducibus Theodorico & Edelhardo; qui, strenui & fortes, adeo se communi accommodare populo, ad iugum alterius ferendum prorsus insueto, ubique cogebantur. Quamvis igitur recte dicat Krantzius, *d. lib. 2. cap.* 21. (ubi merito compilatorem & glossatorem speculi Saxonici, propter ignorantiam temporis & suggestionem plurimarum falsitatum, quæ evidentiam suam undique produnt, reprehendit & exagitat) quod exigua satis civilitas gentis huius fuerit, nec tempore Caroli Magni leges ab initio quæsierint; utpote qui contenti iis vivere poterant quæ universo orbi satis essent: tamen res ipsa loquitur, & tam multiplex fortisque reluctatio, quod nullatenus in confusione vixerint, qui toties dissipati tam faciles potuerint recolligere vires, & bono edere semper ordine. Quin & tacitis moribus imbiberant ex tot calamitatum & persecutionum informatione, ac conversatione Francorum, Longobardorum & domesticorum Suevorum, quod non diu potuissent inter se rite convenire, aut servitutem toties ipsis destinatam à se propellere, nisi ordinationem & legum & hominum observassent. Ita enim pridem inter eos convenerat, ut essent inter sese bipartiti: quum alii dicerentur Nobiles, qui primarii erant in expeditionibus, incursionibus aut defensionibus; alii Ignobiles. Distributi vero omnes erant in duodecim ditiones vel pagorum provincias; atque unusquisq; locus designatus suum habebat Directorem aut Principem, quibus demandata erat boni publici curatio. Ideoque singulis mensibus, aut quoties rerum necessitas hoc exigeret, inter se conveniebant deliberationis ergo, ut ea in tempore disponerẽtur, quæ ad status conservationem facerent. Cui convẽtui olim, velut etiam universo regimini, unus quis eorum per anni spacium alternatim præsidebat, & iudicabant etiam ipsis ex Adelingis adiuncti lites cõtroversas. Quod si vero hostilitate aliorum premerentur, ut plurimum ille, sub cuius præsidio Saxones infestarentur, aut quem maxime virtute animi prævalere noscerent, eligebatur in Regem, ut Dictaturã quasi & expeditionem totam perficeret, quam diu duraret periculum, aut res in dubio erant positę. Vnde factum est, quod non facilis mutatio sit admissa, propter experientiam rerum, & claritatem nominis. Quod tamẽ diversimode Buntingus *in chron. Brunsv. pag.* 14. *f.* 2. & Pomeranus *in Saxoniæ chronico, pag.* 50. & sibimetipsis contradictorie recensent. Sed quod mutatio non adeo facilis fuerit, ipsi in antecedentibus, & familia Theodorici, confitentur: velut etiam eiusmodi morem Saxonicæ genti in libertatis suę administratione, insignis ille & historicorum Germanorum antesignanus Reynerus Reneccius, *in comm. suo ad Annal. Poet. de Carol. Mag. lib. 1. pag.* 13. adscribit. cuius verba notatu dignissima hæc sunt: Duces provinciis præerant, & rem militarem curabant; Comites ius dicebant, & Ducibus parebant. Documenta omitto. Interim utrique ex Adelingis creabantur. Hac voce Nobilitas intelligenda; ea, inquam, quæ nunc die Herrschafft. nam Equestris, quæ vulgo Ritterschafft/ aliis olim appellationibus veniebat. quæ ex annalibus, diplomatis, aliisque id genus instrumentis & monumentis petenda. Neque vel Duces vel Comites, ulla hæreditaria successione gaudebãt, sed pro Regum arbitrio creabantur, sic, ut dignitates illæ Nobilitati communiter paterent, nec ad familias restringerentur. Atque inde tot in annalibus Comites, plerique etiam Duces, absque locorum mẽtione relati: etsi merita interdum huic consuetudini derogarunt. qua de re Agilolfingorum è Lege Boiarica exemplum in medio. Eadem multarum aliarum Domorum fors extitit, donec καθόλου exempla in legem versa. Vnde ius feudale, & inde rursus hæreditariæ successiones, tandemque hæreditarii tituli, qui per Germaniam hodie in usu. Nam ut exteræ gentes varient, notum est. Hactenus ille. Mos sane eiusmodi non improbandus fuit; quum hoc modo omnes viæ, portæ, & fenestræ ad virtutes apertæ steterint cunctis simul mortalibus istius nationis, & quisque stimulo acrioti concitatus fuerit ad honestatẽ vitæ rectius decurrendam. At nunc vix amplius locus patet pietati, iustitiæ, integritati, fidei, & veritati; dum sic præclusæ sunt iis fores qui ex ingenuitate & candore pio vitæ normam sibi conficere gestiunt; atque vix ita veriori culturæ quid restat: ut omnia ad scopulos adstricta hæreant suos, & inde libertas vera servituti captiva ducatur. Vnde tum quoque apud Saxonas ea magis decrescere cœpit, quum nimium affectate moribus alienis sese accommodarent, & plures servitutum species, Romanorum imitatione, induerent.

Locus notabilis Reyn. Reneccii.

QVare idem Reyn. Reneccius, *d.l.4.p.59.fol.2.& 60.* in illos proprium retorquet defectum, quãdo tacitam sic insinuat exprobrationem iisdẽ. Quatuor, ait, differentiis Saxonum gens constitit, Nobilium, Liberorum, Libertorum, & Servorum. Totidem lege Saxonica inculcantur; sed pro Libertis Liti memorantur. Totidem à Witichindo Monacho, *lib.1.* nisi quod is denominationes omisit. At Nithardus, *in historia de dissensionibus filiorum Ludovici Pii*, tantum tres adstruit: Eldingos, Frilingos, Lazzos. Res tamen eodem redit. Vt enim reticeam, Lazzos (die Laſſen) etiam ab auctore Speculi Saxonici, *lib. 3. art. 44.* non ignorari: Lex Boiarica, *cap. 11. tit. 10.* derivavit inde Fridlatzos. Sunt itaque Lazzi Servi; Fridlatzi Liberti sive Liti. Quanquam de his nova ἐτυμασία nascatur. Sed definita res *legu Ripuar. tit. 64. §. 1.* ubi Litus tributarius exponitur. Hinc Litos concipio servos manumissos, sed interim patronis certis conditionibus obligatos. Stabilit eam coniecturam talis Ludovici Pii Constitutio *apud Ansegisum lib. 4. cap. 102.* Aldiones vel Aldianæ ea lege vivant in Italia in servitutem dominorum suorum, qua Fiscalini vel Lidi vivunt in Francia. Stabilit lex Saxonica, *tit. 10. §. 1.* Quicquid Servus aut Litus iubente domino perpetravit, dominus emendet. Stabilit Frisiorum, *tit. 11.* Si Litus semet ipsum propria pecunia à domino suo redemerit, &c. Attexamus dehinc cætera, ad scholam hanc pertinentia. Nobiles eodem modo assignantur Frisiis lege ipsorum, Burgundis Gundobadi, Longobardis Rotharis & Luitprandi legibus. Nam Paulus Diaconus, *lib.1.cap.14.* Longobardicos Adelingos dixit. Et idem nomen de Anglicis invenias in Anglorum & Thuringorum lege. Re autem & veritate Nobiles sive Adelingi ii erant, de quibus Comites nonnulli in hunc usque diem vocantur die Edlen Herren. Etenim ut Saxones ex iis Magistratus suos, id est, Principes, legebant, & belli tempore è Principibus sive Regem sive Ducem desumebant; ita Franci, Saxonum domini facti, ex iisdem Comites & Marchiones designabant. Exempla subministrant quæ sequuntur. De liberis id ἐν πλάτει teneatur, qui quatuor mansos (hac appellatione certus iugerum numerus veniebat) possiderent, ipsosmet militare: qui pauciores, certa proportione coniungere se coactos. Consulenda ad Longobardorum legem Caroli magni appendix, *cap.3.* Prodiere igitur hinc, qui κατ' ἐξοχὴν dicti Liberi, seu Liberi domini, ut speculum Saxonicum, *lib.3. art. 45.* die Freyen/ vel Freyherrn. Prodiere Milites, die Ritter, & inde Militares, die Ritterſchafft. *chronicis Saxon.* Alt Gutemanni, hodie proprie Nobiles; die Junckern. etsi hoc nomen aliter eadem chronica usurpent. inde, qui volet, repetat. Postremo de servis addo, eos lege Lombardica duplices indicari; Ministeriales, & Rusticos. *De illu agit tit. 32. & seq. de his tit. 44.* Et Rustici quidem servi etiam nunc in Westphalia supersunt; ii videlicet, qui vulgo die Eygene vel Eygene Leut dicuntur. Vt Litos quodammodo repræsentent, qui tam per Ostvalorum, quam per Westvalorum Saxoniam, vicos & oppida incolunt, &c.

In his satis luculenter monstrat optimus Historicus Reneccius quis status Adelingorum sive Nobilium fuerit à principio, & quomodo successu temporis etiam is in varios gradus ditemptus sit. Ita quoque gradus servorum ordinati fuerunt quidem: verissimum tamen est & manet, quod quacunque servitutis appellatione omnes omnino species subiectionis veniant vocandæ, quæ juris aliquid ac potestatis in persona producunt; sicut & Libertatis appellatione omnis conditio accipienda est, alieno iuri non subiecta. Secundum ex priore fluit, &c. *Frid. Husanus de hom. prop. cap. 2. num. 35.* Quum itaque servitute nihil durius, neque hominis naturæ quid magis in ingenio contrarium sit; proinde quidem tam sæpe pro calamitatum & temporis ratione Saxones tum cum Carolo Magno pacem inierunt. at propter aversationem & metum servitutis, quod ignobile onus & contemtuosum sibi putarunt, sæpius ruperunt vinculum hoc, & pristinam anhelarunt libertatem; quamvis neque eam amplius, ut iam dictum est, integram obtinerent. Vt plurimum igitur quum ducerentur inclinatione in suos genuinos, & quos ipsi sibi electione sua præfecerant, Principes & Reges, exinde minus adsuefieri poterant exterorum iugo, præsertim eorum, quos ita impensius semper odio persequebantur, ut superius notatum fuit. Ac nisi Carolus Magnus se ingenio populi huius accommodasset paululum, ac Witekindum sibi reconciliasset prudentius, æmulationes sustulisset, & separationem atrociorum instituisset; inclinationem maioris partis vulgi non ita facile, neque vi extrema, lucratus fuisset. Sine dubio enim (*ait ibid. Renecc.*) tanti viri exemplum non modo apud Abbonem, sed & apud cæteros Proceres valuit plurimum. Sic paulatim illis placatis, condi etiam Episcopatus per Saxoniam cœpere, &c. Interim ut æmulos & invidos rei bene gerens nemo effugerit; ita & in Saxonum Principibus reperti sunt, qui Witekindo inviderent. de quo argumento supra. Cum iisdem multorum capitum bellua multitudo facere, inprimis pertinaciter adversari, atque in armis perseverare, quibus bello bellique licentia opus est, solita fuit: donec Carolus Transalbinos, vel, ut alii, utramque Albis ripam accolentes, cum uxoribus & liberis in Franciam migrare coegit, seu, ut Eginhartus in vita Caroli loquitur, huc atque illuc per Galliam atque Germaniam multimoda divisione dispersit, pagosque eorum Obotritis Sclavis attribuit. Eadem severitas forsan reliquos rebelles fregit, & ita fregit, ut communi consensu arma deposuerint, iisque, quæ partim Caroli Bremensi diplomate, *apud Albertum Stad. pag. 81. & seq. Adamum Brem. lib.1. cap. 10. Crantz. Sax. lib. 2. cap. 15. Metrop. lib. 1. cap. 7.* partim ab auctore Annalium, exponuntur, conditionibus compositionem admiserint. Tempus non, ut auctor ille iam dictus, annum DCCCIII. sed DCCCV. appono. Quum enim bellum adversus Saxones decretum & inchoatum sit anno DCCLXXII. durarit annos XXXIII. quod utrumque *ab auctore Annalium* adseritur, repetiturque alterum *ab Aimonio, l. 5. cap. 4. Adamo Brem. lib. 1. cap. 12, Crantz. Sax. lib. 2. cap. 9.* finis cadat, necesse est, in annum DCCCV. Hucusque Glossa Reneccii in auctorem Annalium. Carmina vero eius sic se habent, *lib. 4. Indict. X.*

Tunc sub iudicibus, quos Rex imponeret, ipsis,
Legatisque suis, permissi legibus uti
Saxones patrys, & libertatis honore.

Hoc

Hoc ſunt poſtremo ſociati fœdere Francis,
Vt gens & populus fieret concorditer unus,
Ac ſemper Regi parens æqualiter uni, &c.
Hac igitur pacis ſub conditione fideles
Se Carolo, natisque ſuis, ſtirpique nepotum
Ipſius, iuraverunt per ſæcla futuros.
Quos per ter denos & tres tam duriter annos
Linquere protracti penitus conamina belli
Plus Regis pietas & munificentia fecit,
Quam terror. Nam ſe quisquis commiſerat eius
Egregiæ fidei, ritus ſpernendo profanos,
Hunc opibus ditans ornabat honoribus amplis.

CAP. V.

De callida & ſecreta quadam ſervitutis duræ ſuggeſtione, & eius effectibus diris.

QVOD igitur Romanorum nemo aut Imperator aut Heros omnium contra Saxones vi & armis à temporibus uſque Arioviſti (quem tanti cenſet Iulius Cæſar ipſe *in lib. 1. de bell. Gall. anno ante Chr. Sal. noſt. nat.* 58.) obtinere potuit ad annum 805. ut ita in lucta libertatis, priuſquam ad ſeruituteꝫ abripi potuerunt, 863. annos conſumpſerint Saxones: id tandem poſt tot ſecula non ſine ingenti labore & artificiis variis perfecit magnus ille heros Carolus. Vnde illi merito quidem inſignis adſcribitur æternæ laudis gloria. Nihilominus tamen ſpeciem aliquam & veſtigia admodum dura truculentiæ alicuius in eo reliquit, (ut aiunt hiſtorici) quod nova prorſus inauditaque forma contra ius & æquitatem naturalem conſtituerit quoddam Iudicium occultum in Weſtphalia & vicinis eiſdem locis, quod ita inhumano prorſus modo erat conceptum, ut abſque ullius cauſſæ cognitione homines ſuſpecti, tanquam conſcii, obtorto collo ſtatim, cum iniectione laquei, à Scabinis (iudices ſub præſidio alicuius Comitis ita vocabantur) ad patibulum vel potius deputatam aliquam arborem arriperentur. Namque tum demum cuiuſque crimina iudicio illi retegebantur, quum præpoſtere in executionem eſſent rei abducti, & è medio pridem ſublatis; & ſimul à *Freygravio* ſive Comite libero pronunciata eſt ſententia talis abſque ulla vera propoſitione criminis, quod ſecundum iura ſolida occulti bani, homo ille malitioſus rite, iuxta meritum, ſupplicio iuſto affectus fuerit. Vocabatur autem iudicium illud eruentum Veem-Gericht; velut propter hanc crudelitatem ſubditi cogerentur illum Germanicum dolorem Wee exclamationibus indignis exprimere, quaſi *væ væ*, nobis ex hoc iudicio quod ortum eſt. Pomarius, *in chron. Sax. pag.* 19. & alii, ex ſuggeſtione Leonis Pontificis id ita inſtitutum aiunt. Vnde & Iuriſconſulti dixere judices eos Banſellos, & Viemaros. Quod etiam Viſurgim tranſierat, & per aliquot ſecula diriſſime exercitatum fuit. Propter moderationem vero adminiſtrationis non tantum Archiepiſcopo Colonienſi eius inſpectio eſt concredita, ſed etiam Fridericus III. Imperator caſtigationem & correctionem adhibuit. Nihilominus avaritiæ hoc flagellum crudele adeo torſit homines, ut non deſierint Banſelli ſub ea ſpecie tyrannidem exercere ſuam. unde publicæ querelæ in Comitiis Imperialibus aliquoties propterea inſtitutæ fuerunt; quum iuriſdictionem non veriti ſint illi iudices ultra terminos extendere; & ad ſuam ex alieno territorio tetrahere executionem. Ex quo factum eſt, ut etiam aliæ confuſiones iudiciorum introductæ ſint, quæ multis concuſſerunt terriculamentis ſubditos Magiſtratuum. *Iniquitatem & vehementem atrocitatem vide apud Pom. d. l. & Munſt. coſm. lib. 3. cap.* 45. Vt vero tandem remedium aliquod inveniretur, & confuſioni iuſtitiæ rite applicaretur; aliquot civitates ſua comportarunt gravamina, & in magno illo & diuturno diſtractoque ſatis Concilio (quod D. Imperator Sigiſmundus, Caroli filius, Conſtantiæ inſtituerat, anno 1414. circa menſem Maium, ac per integrum quadriennium duravit) cum ſupplici ſingillatim exhibuerunt libello. Factum itaque eſt, ut civitates tales ſingulari privilegio donarentur, quo interdicebatur cunctis magiſtratibus, ne cives aut ſubditi civitatum talium in alienum trahi aut avocari deberent iudicium, excepta Camera Imperiali, aulicaque. Velut etiam tum temporis Italicæ ſic vigilarunt civitates. Quum vero pluribus hiſtoriæ ac privilegia huiuſcemodi incognita ſint, &, exignorantia multos in ea peccare aulicos & Principes, eorumque conſiliarios, ipſe viderim; exemplum Brunſvicenſis Privilegii huc referam, quod ipſa urbs, anno 1597. in Exceptionibus repetitis, artic. 70. in cauſſa Homagiali, contra Ducem Henr. Iulium Brunſvicenſem allegavit, & Spiræ in Camera Imp. 21. Ianuar. an. dicto copialiter produxit.

Privilegium Sigiſmundi Imperatoris contra nimiam ſubiugationem iudiciorum, &c.

SIGISMVNDVS, Dei gratia Romanorum Rex, ſemper Auguſtus, ac Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, &c. Rex; Ad perpetuam rei memoriam. Licet circa univerſorum quietem promovendam quodam fervore regio noſtra continuo verſetur intentio; ad illorum tamen libertates ampliandas, & novas gratias concedendas noſtri culminis adſpirant interna, quos in noſtris & Imperii ſacri fidelitate & conſtantia novimus ſingulari affectione perſtitiſſe, ut tandem ipſorum fidelitates regio benigno reſpectu præventi, etiam pro Reipubl. cura, pervigili meditatione ſollicitos ſe exhibere poſſint & fructuoſos. Sane pro parte honorabilium proconſulum, conſulum, incolarum, & univerſitatis oppidi Brunſvicenſis, Hildenſemenſis, & Halberſtadenſis diœceſios, noſtrorum & Imperii ſacri fidelium dilectorum, noſtræ Celſitudini oblata petitio continebat, quatenus ipſis, Ne in ullis cauſſis mere civilibus, vel etiam criminalibus, extra dictum oppidum Brunſvicenſe ad alia forenſia & ſecularia iudicia, ſive publice ſive privatim, in ſpecie vel in genere, excepta noſtræ Maieſtatis Curia & Iudicio, evocari vel trahi poſſint, de ſpeciali noſtræ Maieſtatis clementia indulgere & auctoritate Romana regia concedere clemẽtiſſime dignaremur. Nos igitur dictorum proconſulum, conſulum, incolarum & univerſitatis ſynceræ fidei affectionem, adprobatæ conſtantiæ integritatem, & ſedulæ devotionis puritatem, quibus

dicti proconsules, consules & incolæ ac universitas in nostræ Maiestatis oculis propitios sibi metuerunt suffragari favores, debita consideratione revolventes; ipsorum supplicationibus favorabiliter annuentes: eisdem proconsulibus, consulibus, incolis & universitati Brunsvicensi, animo deliberato, non per errorem aut improvide, sed sano & maturo Principum, Comitum, Baronum, Procerum & Nobilium ac aliorum sacri Imperii fidelium nostrorum accedēte consilio, ex certa nostra scientia, Ne in ullis caussis mere civilibus, vel etiam criminalibus, extra dictum oppidum Brunsvicense, ad alia forensia & secularia iudicia, quæcunque seu qualiacunque ea fuerint, publica vel privata, in specie vel in genere, excepta nostræ Maiestatis audientia, trahi seu evocari queant: quin imo ibidem in dicto oppido, si, & in quantum, actori vel actrici iustitia manifeste denegata nō fuerit, iuxta dicti oppidi municipalia iura & Imperialia statuta, iuri & diffinitioni stare debeant, indulgemus, & authoritate Romana Regia de plenitudine Romanæ Regiæ potestatis concedimus per præsentes. Volumus tamen, & eadem auctoritate decernimus, ut unicuique coram sibi competente iudice & non suspecto ius, prout æquitas & ordo dictaverit rationis, administretur, obstaculis semotis quibuslibet, nostris & Imperii iuribus semper salvis. Mandamus igitur universis & singulis Principibus Ecclesiasticis & Secularibus, Comitibus, Baronibus, Nobilibus, Militibus & Clientibus, ac quarumcunque Civitatum, Oppidorum & Communitatum Rectoribus, cæterisque nostris & Imperii subditis & fidelibus, Vt ne dictos proconsules, consules, incolas & universitatem Brunsvicensem, contra nostras concessionem & gratiam, ac indultum supradictum, ullo pacto coram ullis iudicibus, nullisque in iudiciis, seu publicis seu secretis, extra dictum oppidum ad causſam vel litem trahere præsumant; sub pœna indignationis nostræ gravissimę, & quinquaginta marcarum auri purissimi; quas ab eo, qui contra fecerit, exigi, earumque medietatem Imperiali ærario sive fisco, residuam vero partem iniuriam passorum usibus, volumus applicari. Et id quidem sub nostræ Maiestatis sigilli litterarum testimonio. Datum Cōstantiæ, anno à nativitate Domini millesimo quadringentesimo quintodecimo, prima die Februarii; Regnorum nostrorum anno, Hungariæ vigesimo octavo, Romanorum quidem electionis quinto, coronationis vero primo.

Eodem modo & iisdem quoque verbis simile privilegium ab Imperatore Sigismundo obtinuerunt Magdeburgenses quidem; sed quum iudicii illius rigorosi auctorem Papam Rom. noscerent, noluerunt in hoc acquiescere; quin etiam ab ipso Pontifice Iohanne XXII. quum adesset Constantiæ, tale eodem tempore obtinuerunt. quod ita se habet:

IOhannes Episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis, proconsulibus, consulibus, & communitati civitatis Magdeburgensis, salutem & apostolicam benedictionem. Quotiens à nobis petitur quod paci ac honestati convenire dignoscitur animo nos decet libenti concedere, & devotorum petentium desideriis effectum congruum impertiri. Hinc est quod propter amorem & fidelitatem quam erga nos & Romanum geritis Ecclesiam, vestris in hac parte supplicationibus nos inclinati, vobis (quibus, ut asseritur, dudum felicis recordationis Alexander Papa quartus, prædecessor noster, per quasdam suas duxerat indulgendum, ut locorum ordinarii & delegati, subdelegati, executores, seu conservatores, à sede apostolica vel eius legatis dati, vos consules qui essent pro tempore civitatis Magdeburgensis & vos communitatem, extra muros vestræ civitatis, ad ecclesiastica iudicia evocare non præsumerent, absque mandato sedis eiusdem speciali de hac re indulto, plenam & expressam ac de verbo ad verbum mentionem faciente; dummodo ipsi consules ac cōmunitas parati essetis coram Archidiacono vestro, qui foret pro tempore, omnibus qui de vobis conquerentur, iustitiæ plenitudinem exhibere; Decano Ecclesiæ Magdeburgensis, qui esset pro tempore, earundem literarum per ipsum prædecessorem executore deputato: quas quidem literas, cum omnibus & singulis clausulis in eis contentis, quondam Bonifacius Nonus submisse compellatus, etiam per suas literas ad singulares personas prædictæ civitatis extendit; prout in ipsis literis plenius dicitur contineri) ex abundanti cautela, authoritate apostolica, tenore præsentium indulgemus, ut ordinarii, nec non delegati, subdelegati, executores, seu cōservatores prædicti, à sede vel eius legatis dati & dandi pro tēpore, vos proconsules, consules, officium eiusdē civitatis, successores, nec non eaidē singulares personas qui erūt pro tēpore, & vos communitatē, extra ipsos muros ad supradicta iudicia nequeant evocare, absque mandato dictæ sedis speciali, de indulgentia nostra huiusmodi plenis & expressis ac de verbo ad verbum mentionem facienti; dummodo vos, aut prædicti successores & personæ quæ sunt & erunt pro tempore in eadem civitate, parati sitis coram eodem Archidiacono iis qui de vobis conquerentur stare iuri, ac iustitiæ plenitudinem exhibere, non obstantibus quibuscunq; literis seu indulgentiis à sede prædicta impetratis aut etiam impetrandis, per quas huiusmodi iuris concessio valeat quomodolibet impediri. Decernimus etiam irritum & inane, quicquid contra eiusdem concessionis nostrę tenorem, à quoquam, quavis authoritate, scienter vel ignoranter, continger attentari; omnisque excommunicationis suspensi & interdicti sententias, si quæ contra dictā concessionem nostram, etiamque privilegium forsan, suppeditabunt, nullius esse firmitatis. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis & constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli apostolorum indignationem se noverit incursurum. Datum Constantiæ, anno 1415. nono Kalendas Ianuarii, Pontificatus nostri anno quinto.

IOhannes Episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati in Berga extra Magdeburgenses, & Sancti Iohannis extra Halberstadenses muros, ac in Litzka, per præsides solitorum gubernari Brandenburgensis diœcesis præpositis monasteriorum, salutem & apostolicam benedictionem. Hodie dilectis filiis proconsulibus, consulibus, & communitati Magdeburgensium, nostras literas concessimus in hæc verba: Iohannes episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis, proconsulibus, consulibus, & communitati civitatis Magdeburgensis salutem & apostolicam benedictionem. Quotiens à nobis petitur,

petitur, &c. Datum Constantiæ, anno 1415. nono Kalendas Ianuarii, Pontificatus nostri anno quinto. Volentes itaque ut prædictæ literæ nostræ debitum sortiantur effectum, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, ut vos sive ambo, sive alteruter vestrum, ipsimet vel per alium aliosve, supra nominatis proconsulibus, consulibus, singularibus personis, & communitati, super dicto privilegio contra eiusdem concessionis nostræ tenorem à quoquam immerito vim inferri prohibeatis; nulla re cunctis quæ in iisdem literis nostris expressa sunt obstante, quidquid tandem à sede prædicta aliquibus indultum sit; ita ut arcessi, suspendi, vel excommunicari non possint, literis apostolicis non facientibus plenam & expressam ac de verbo ad verbum de indulgentia huiusmodi mentionem: contradictores per censores, ec. lesiasticis appellationibus postpositis, compescendo. Datum Constantiæ, anno 1415. nona Kalendas Ianuarii, Pontificatus nostri anno quinto.

Ex his & eiusmodi exemplis varia & multa quidem possunt colligi, quæ ad rerum & historiarum veritatem penitius introspiciendam faciant. Sed nos inprælectiarum duo hæc maxime respicimus. Quorum primum est, quod Imperator ipse nimiam libertatis suppressionem agnoverit, & propterea privilegii huius concessionem indulserit fidelibus suis subiectis, ut inde culminis sui celsitudo & dignitas magis resplendesceret, si auctio quædam, vel, licuti ipse loquitur, ampliatio libertatis iis accedere posset, qui pro reipublicæ suæ cura sollicite vigilarent. Deinde maxime improbat & detestatur hoc, quod iustitiæ sanctæ prætextus in tantum abreptus sit abusum, ut potius libidini mortalium, quam caussarum solidæ inspectioni patrocinari cogatur. Proinde non tantum secreta illa absurdissima, sed etiam quævis alia, quæ fascinationem tantam exinde sumpserunt, acriter taxat, & repudiando severe prohibet; adeo, ut pœnam, quæ tamen longe graviori pondere digna erat, pecuniariam abutentibus imponat. Vere itaque conquestus fuit Lehman. *chr. Spir. lib* 2. *cap.* 20. ut supra ostensum est, de nimia Caroli Magni libertatis privatione, & servitutis durissimæ propagatione; quum tot & tanta mala inde tot seculis post eum propagata fuerint. Idem privilegium aliæ quoque tum civitates obtinuerunt, inprimis Magdeburgensis; qui hanc simul adhibuerunt prudentiam, ut impetrarint una protectores & executores illius. Etenim, quum unicuique legi aut privilegio ab invidis plerumque sua fraus aut maligna interpretatio annectatur, ut vigor genuinus derogetur eius observantiæ; secundum illorum petitionem Imperator Sigismundus Episcopo Halberstadicti, Abbati Bergenti, & Principibus Anhaldinis, iniunxit, ut auctoritatem & vigorem huius Imperialis concessionis non tantum conservarent, sed etiam eiusdem perpetuo essent defensores; & Magdeburgensibus contra quoscunque violatores huius privilegii auxiliatricem præstarent manum. Quod officium protectorium etiam inviti nuper imploranti civitati Magdeburgensi in diversis actibus anno 1622. & 1623. contra Hildesheimiensem & Halberstadiensem præstare coacti sunt, quum aliquot cives, quibus crimen corruptæ monetæ impurabatur, ibi incarcerati detinerentur: velut quoque huius privilegii metu perulantiam tum alii tum Helmæstadiensis quidam Polyphemus, quum clandestinam incarceratoriis literis à Principe Guelpho obtentis vim bono alicui viro intentaret, ipse cohibere coactus est. Quamvis autem omnis iustitiæ abusus per se cõdemnabilis; tamen maxime natura ipsa abhorret tale iudicium occultum bansellaticum, quum meram importet tyrannidem. Ideoque ex consilio Iustini Gobleri. ICti optimi, recte illud tandem in suo Ducatu Ericus senior Dux Brunsvicensis penitus abolevit. Etenim non tantum plane barbaricos mores & sævitiam talis absurditas gignit; sed etiam omnino contra naturam humanam pugnat, & plusquam irrationale servitutis iugum denotat, quod auctori suo summum addit dedecus. Nihilominus tantæ molis fuit, ut absurditas hæc tyrannica vix in tot erui potuerit seculis. Memini, quænam hei caliquot male politicorum fi ivolæ & incomptæ soleant esse excusationes, aut effugia vanissima, quod interdum necessitas, propter gentis duritiem aut feritatem nimiam, id postulet remedium, quod alias populis maiore in viam redeuntibus non esset applicandum, &c. An vero mala propterea sint facienda, ut inde bona eveniant? An cruenta crudelitas & vis tyrannica procreet iustitiã? An iniustitia mater iuris sit & æquitatis? An hoc necessitatis extremæ est, quod mansuetudinis exigit moderationem? An talem professum exigit Christianismi propagatio? An iubet Christus ita informari & institui suos, ut evellantur? An non potius omni petitionis modo cupit eos adduci (*Luc.* 14.) ut impleatur domus Iehovæ? Non sane Christi regnum sanguinis effusione truculenta, aut si homines simul anima & corpore priventur, implebitur. Ipse iudex suum perficiet in extremo die iudicium. Ideoque hominibus, sive maxime Christianis suis, nullam aliam hoc amplificandi potestatem concessit, quam amoris, charitatis mutuæ & ædificationis, & doctrinalis comminationis aut adhortationis, & ut abstineant demum ab eorum conversatione, si prorsus nequeant converti. Quæ etiam vera & genuina solummodo Ecclesiæ Dei sunt Regalia; quum hæc unice ex operatione Spiritus Sancti profluant; veluti quisque in Regno Christi, sive supremus sive infimus sit, perfectionem eam, quæ in dilectione proximi & mansuetudine consistit, ambire debet; ut Christus ipse tot nobis præceptis *Matth.* 5. 6. 7. &c. inculcat. Atque sic vere infrænem populum religione contineri, si armis placati non possit, oportet. *Krantz. lib.* 2. *Sax. cap.* 23. licet eo loco aliter id accipiat, sibi contrarius: Ecclesia enim, sive Regnum Christi, quum civitatem illam Dei beatam, *iuxta Apostolum*, in his terris repræsentet, nullatenus sanguinis conspurcanda est effusione ferociori. Sæpe etiam præciditur ita iniquissime & crudelissime animæ alicui terminus, quæ longe mitiori via potuisset ad Christum deduci. Videant igitur sanguinolenti illi consiliarii & sufflatores truculenti, quas clades æternæ damnationis suis suggerant dominis, dum se saluti publicæ maxime succurrere arbitrantur. Extra verbi cœlestis expressam auctoritatem, & genuinum eius intellectum, nullum verum, etiam in politicis negociis, subsistit consilium.

Sed ad servitutis durissimæ conditiones, cum natura & libertate hominis ipsa pugnantes, quibus tota Germania tot seculis exposita & flagellata fuit atrocius, revertimur. Huius status difficillimus,

ait Lehm. d. l. 2. chron. cap. 20. pag. 96. ex ſequentibus articulis percipi poteſt: 1. Vir & fœmina cum liberis & omni ſuppellectile ac ſumptu una cum operis venales fuerunt; & ita ad poſſidendum emptori & ſucceſſoribus traditi ſunt. 2. Non licebat ſervo aliam ſibi matrimonio copulare, niſi coæqualem, hoc eſt, ſervam; nec quamlibet, ſed eam ſolam, quæ eiuſdem dominii eſſet, niſi aliud conventione paciſcentium dominorum licuiſſet. 3. Quæcunque labore & ſudore ſuo comparaverant, ea omnia domino eorum fuerant lucrati, ita ut nihil proprii in iis poſſiderent; & licitum erat dominis impune illis talia eripere. 4. Sic nec colono aut fiſcalino licitum erat traditiones facere, aut per teſtamentum iuſtum aliquid in liberos, nepotes, aut Eccleſias transferre; ſed competebat ius dominis optimum quodque prius ex bonis ſibi ſeligendi & appropriandi. 5. Ita quoque quotannis cogebantur certas penſiones ex hortis, arborum fructibus, panibus, piſcibus, carnibus, pullis, gallinis, & eiuſmodi generibus, quaſi pro uſufructu ſolvere, qui reditus in dominos redundabat. 6. Quod ſi quæpiam perſona ſerva nimiam ob turbationem, aut torturam, aliamve ob cauſſam in alium conceſſiſſet locum, non tantum à quovis revocari poterat, ſed etiam Magiſtratus ſtatim, ad indicium fugæ factum, expellere eam ultro cogebatur: unde lex hæc: Servi fugere, latitare, ſtatum diſſimulare, infamiæ nota & amplioris pœnæ irrogatione vetantur. *Vad. de colleg. & monaſt. Germ. fol. 75.* 7. Quod ſi quoque vir, mulier, famulus, aut ancilla, à domino aut hero ſuo eſſet interfectus, quocunque modo id quoque fuiſſet perpetratum, exilem ſolvit mulctam: at ſi non ſtatim poſt facinus obiiſſet, ſed ante obitum aut expirationem læſi interveniſſet ſpacium diei, nulli pœnæ ſubiectus eſt herus, quum tanquam proprium poſſederit, &c.

Hem, quo redacti ſumus? merito quis cum Comico exclamet. Quis enim excelſo animo ac forti mortem oppetere non malit, quam ita turpiter ſervire? *ait Bod. lib. 1. de rep. cap. 5.* Germania noſtra, *iuxta C. Tacitum de moribus Germ.* nunquam quidem antea veros ſervos agnoverat; nunc tamen tanta diſtrahitur libertatis iactura, in ipſa libertatis glorioſa venditatione & iactantia vana. Quamvis enim iura veteris ſervitutis, in quinque illis generibus, *quæ Bodin. d. l. cap. 5. in principio ponit*, inter Chriſtianos hodie abolita prorſus cenſeri queant, *iuxta Bod. & Chriſt. Beſol. pol. 1. cap. 10. num. 54.* quum Chriſtianiſmus, poſtquam aliquos ritus paganiſmi in externis depoſuit, maius quid humanitatis & æqualitatis conſecutus ſit, *ut idem Beſ. affirmat*: attamen paſſim per orbem Chriſtianum veſtigia adeo eius manifeſta ſuperiunt, ut vix ſervitutis conditiones tantæ in gradibus mitigatæ appareant.

Quippe atteſtatur Bodinus, *d. l. pag. 66.* quod Luſitani in Hiſpania adhuc Mahumetiſtarum exempla ſequantur, quum venalitios ex Africa religionem Mahumetis eiurare, acnihilominus Chriſtiana imbutos cum liberis & nepotibus perpetuam ſervitutem ſervire compellant; ita ut ſervorum greges tota veneant Luſitania, & quidem publice, pecudum in morem. Ac tametſi Carolus V. Imperator ſervos omnes Americarum inſularum liberos eſſe iuſſiſſet, anno 1540. nihilominus, ſeditione coorta, propter avaritiam ac libidinem potentiorum, Gonzalam Pizurrum, regionis Præſidem, à Carolo defeciſſe.

Muſcovitæ non cupiunt ultimi inter Chriſtianos dici: attamen barbarica ſervitus nuſpiam magis floret; quum tota gens ad nutum ſui Principis ita brutaliter adſtringatur, ut etiam aliquando nefanda, deteſtanda, & execranda adorent & exoſculentur; ſic omnes iuxta politicos & ſpirituales duriſſima ſervitute ſibi ſubditos atque ſubiectos habet. Ea vero (*ait Mich. Neand. in expl. orb. ter. p. 220.*) talis tantaque eſt, ut nulla gens in genere humano ſimilem ſervitutem ſuſtinere exiſtimetur. quæ paratam illam gentem facit & promptam ad omne Principis arbitrium imperata facientem etiam tum, ſi dicat, Abi cito, (quod apud Comicum ſcriptum eſt,) & ſuſpende te. quum tanta præterea ſit armatus auctoritate, potentia, tanto militum robore, tanto ſatellitum atque prætorianorum numero, ut ne, ſi velit quiſpiam refragari eius cruentæ voluntati, facile poſſit, &c. In tam profunda ſubditi ſervitute ſepulti iacebant ante pauculos annos, ut tempore Baſilidis nemo ſibi proprietatis quidquam in ulla re, etiam viliſſima, adſcribere auderet: Si quis quærebatur; Cuius hoc vel illud eſt? niſi reſpondebat; Eſt in dominio & poſſeſſione Deiae Ducis; ille putabatur ingens commiſiſſe crimen læſæ Maieſtatis. *Hemr. Rotlen. in vita Baſil par. 3.*

Sic & Lithuanorum duriſſimam conditionem deſcribit Alexander Guagninus, *tom. 2. rer. Pol.* Ut quiſque dominus famulorum caterva ſtipatus, domum coloni alicuius ingreditur; impune quidvis facere, res quaſcunque rapere, abſumere, & colonum etiam verberibus crudeliter cædere poteſt. Nec colonis ad dominos ſuos ſine muneribus aditus patet; & admiſſi illico ad officiales reiiciuntur; qui, niſi donis mitigentur, nihil iuſte decernunt. Et profecto in Lithuania quodlibet iudicis verbulum, aurum eſt. (ubi non etiam alibi?) Præterea ſingulæ ſeptimanæ in operas ita diſtribui ſolent, ut coloni quinque aut ſex dies negotiis dominicis impendant; die vero lunæ res privatas curent; & ſic plerumque diebus ſolis (nam ne feſtis quidem diebus ſunt feriati) quodvis opus abſolvant, arando, occando, runcando, paſtinando, metendo, triturando, & id genus. Adeoque, ſi quis Roxolanum interrogaverit; Quare Dominico die laboras? continuo is reſpondebit; Quia & Dominico comedere oportet. ut poſt Ganguinum refert Lanſius *in conſult. de Princ. Europæ.* & affirmat ſimul, quod Nobiles in ſervos, quos Kmethones vocant, ius vitæ & necis habeant paſſim, &, ſi quis ex his forte capitis damnatus fuerit, tum de ſeipſo, iubente domino, ſupplicium ſumere, ſuiſque manibus ſe ſuſpendere, minis, loris & fuſtibus impellatur. *Sal. Neugeb. lib. 1. rerum Polon.*

Poloni quoq; Nobiles olim, dum iter faciebant, diripiebant villas ruſticorum, & eorum ſumptu proficiſcebantur. Sed Caſimirus I. illud correxit, anno 1180. & poſſeſſiones Kmethonũ tutas à vi dominorum reddidit: ex quo cœperunt bonis ſuis pro arbitrio, ſalvo iure domini, uti, & poſſeſſionem ad hæredes tranſmittere. *lib. 1. Stat. Pol. cap. 17. art. 3. Crem. lib. 6. hiſt. Pol.*

Eandem eſſe conditionem ruſticorum apud Ruſſos, Sigiſmundus Baro *in hiſt. Muſcov.* refert: quum non tantum ſex dierum operas perpetuo debeant heris ſuis, & tantum ſeptimum ſuæ vitæ neceſſariis impen-

impendant; sed etiam ita adstricti hæreant ditioni Dominorum, ut neque alio se conferre, nec liberam voluntatem in contrahendo matrimonio exercere queant, &c.

Nec Germania ab istis vestigiis diræ servitutis huius prorsus libera est, quum reperiantur quidam aliis strictiore iure devincti, ad servorum propius, quam liberorum conditionem accedentes; qui quum revera servi non sint, novo nomine homines proprii, Leibeigene/ appellantur. Quorum tamen omnium non eadem est ratio. Quibusdam enim in locis, ut in Westphalia, & Holsatia, &c. deteriori iure habentur, quum illi, quorum hi proprii sunt, his ipsis defunctis succedant in semissem, & extra consortium propriorum hominum hi liberos suos elocare nequeant, nisi ab illis, quorum utilitati parent, impetraverint. Sic aliquot exempla: tyrannica quoque ante paucos annos vidimus in Holsatia, ubi Nobiles mire torquent suos proprios. Velut etiam in aliquot locis Marchiæ Vandalicæ tales vivunt servi. Alibi sunt paulo conditionis melioris, qui haut secus, atque reliqui proprii, minus liberam bonorum suorũ habent administrationem. Atque ut defuncti quodammodo videantur fuisse proprii, liberi aliquid solvunt ex bonis quod consuetudo aut pactum ferat. Quare Gœddæus *de contr. slip. cap. 7. concl. 6. num. 76.* Germaniæ ciusmodi servos non proprie servos, sed instar colonorum conditione sua colentium & adscriptitiorum esse tradit. *And. Gail. depig. obs. 7. num. 1. plenius Hus. in tract. de hom. prop.* In Gallia sane adhuc hodie plebs pene servorum habetur loco. Non tantum operas ab iis domini exigunt, sed etiam si domicilium originis sine domini venia mutarint, capistro domum reducere sibi licere contendunt. *Bodin. 1 de repub. cap. 5.* Quales historias crudelitatis etiam in Holsatia vidimus nuper dire perpetrare Nobiles.

Apud Wandalos in superiori Lusatia rustici nobilibus suis corpore fortunisque toti sunt addicti, usque adeo, ut quoscunque labores illis gratis exantlare, agros colere, peregre excurrere, fruges demetere, & omnia alia, quæ ad rem familiarem & œconomicam pertinent, negotia expedire teneantur, neque solum commutare patrium sine consensu voluntateque suorum Nobilium audeant, *ut refert Meland. in Idea sua, fol. 27.*

Quin & Bohemiæ Ordines & Nobiles rusticos suos (*sclavos*; quos & Klappen vocant) pro mancipiis habent: nec in alterius territorium vel occasione matrimonii se conferre eis integrum est, nisi impetrata venia dominorum, & litteris dimissoriis. Sed & ad cæteros annos seu tempus domini invicem eos locant, permutant, & donant.

In Ducatu Brunsvicensi paulo liberiorem agunt conditionem; vitæ quidem, ut propria bona possidere & emere, atque testamenta facere queant; sed tamen ad operas præstandas per certos aliquot dies singulis septimanis teneantur: Messis vero tempore cotidie alligati sunt ad quævis necessaria præstanda. Erat in aula Guelphica quis principalis Woberen nomine, quem nimia nihilominus duræ servitutis huius libertas occulte mordebat; à quo audivi ipse, minime illam rusticis aut civibus, quum plane indigni essent etiam minutissima possessione, competere. Omnia enim, aiebat, ad unicum nobilitatis statum sunt referenda, adeo ut nemo ulterius quid in ulla re proprietatis sibi vendicare debeat, qui extra hunc equestrem vivat ordinem. Reliquis igitur mortalibus cunctis adsignabat sola tria K, quib. tria hæc verba notabat, ein Knie/ Kittel/ & Knauft Brodt/ id est, quod nihil proprii in bonis terræ huius externis unusquisque, qui non esset nobilis, ulterius possidere deberet, quam *cultellum, tunicam, & frustrum panis*, unde vivere posset. Atque, quum is Principis cor quasi in manu teneret, ita tyrannico plane conatu & immanitate insatiabili subditos iterum in extremam satagebat redigere servitutem, ut ita antiquum servitutis ius in vigorem revocaretur. Sed Iehova potentior fuit in excelsis, & miro genere mortis illum ex terra sustulit.

In Germania tamen nusquam clementiore servitute tractantur rustici, quam in Misnia & Thuringia; ubi pactitii habentur subditi ea ex gente, nec amplius obligati tenentur domino aut nobili suo, quam quotannis ad tria potissimum anni tempora, ut sationem & messem conficiant, & certam lignorum vecturam præstent. Si quis ulterius quid postulet precario aut cum aliquo rigore, continuo ad eorum petitiones inhibitione iudicii provincialis retrahitur, & in ius vocatur: quales actiones sæpius subire coactus sum: namque omne precarium illis suspectum est.

Ita undique mortalibus nomen servitutis detestabile & horrendum apparet, ut nemo omnium id lubenti animo sustinere, nemo humeris onus hoc imponi suis velit; quum id contra naturam libertatis, cui quisque se natum dicit, pugnare recte putetur.

Quare non sic penitus circa annum Christi 1250. aut paulo ante sub Friderico Imp. II. qui anno 1210. electus est, servitus antiqua sublata est; *ut Besol. d. l. pol. cap. 10. num. 54. ex mente Thom. Smith. 3. de rep. Angl. cap. 10. & Lyclam. 4. memb. eccl. 11. Bartol. in l. hostis, ff. de capt. & postl. & Laur. Pignor. de servis. fol. 195. & alii, asseverant:* quamvis ita non amplius venalitii haberentur, ut olim ante aliquot secula, quam Christianorum mutua dilectio & humanitas religionis consortes à servitute promptius liberare inciperet. Deferbuit enim iste zelus pietatis adeo, ut quisq; ferme ex proximo servum facere satagat suo magis, quam ut liberum cernere velit. Exempla sunt odiosa.

Priusquam vero ulterius progrediamur, necessario inserenda heic venit quæstio, quæ sæpius Imperatori & ICtis de servitute contra naturam movetur, qua quum illi tam misere dilacerentur, paucis id enucleandum erit. Res quippe digna est notatu.

CAP. VI.

An iuste Imperator in Florentino refutetur ab aliquibus, quod servitutem contra naturam statuat?

ADmodum heic acre se ICtis aut potius Imperatori ipsi movisse præ cunctis bellum, auctor ille Relectionum polit. existimat, si illis neget, Quod servitus non sit contra naturam; quum eam sententiam non immerito cum Florentino, *l. 4. ff. de stat. hom.* omnes defendant. Nec minus hoc sibi plane persuasum habet, se perquam nitentem abstulisse victoriam, si eos vanis vel captiosis Stagirensium eluserit terminis. Sat ambitiosa eius sunt verba: luvat incipere à primor-

primordiis naturæ, & cum ICtis manum conſerere; An non ſervitus iuſtiſſima prodeat ex iure naturæ? *in Relect.pol.lib.1.cap.3.ſect.3.num.1.* Atque ut ICtos omnes, cum Imperatore in Florentino ſuo, & Cothmannum, penitus in ruborem cogat & confundat, Florentinianæam ſervitutis deſcriptionem, quam ille exactam facit, hic mirifice exagitat: quum in ea quidem definitione verbum nullum ſit, iuxta eius effatum, quod non poſſit vellicari. Nimirum hic ſtylus eſt communis Stagirenſium omnium, quod etiam naturæ eorum inſitum eſt adeo firmiter, ut nihil niſi vellicationes & maledictiones conſuere adamẽt, quoties vident, quod terminali illi futilitatum magiſtro ſuum infringatur alicubi cenſorium tribunal. Etenim ſinguli eius alumni in hoc unice omnes impendunt mentis, cordis & virium labores ac niſus, & hoc cavent maxime, ne alicubi ipſius flagelletur auctoritas. Si quis ſit, qui nonnihil huic contradicere velit, & veritatis limen propius pandere exoptet; is certe non ſine leoninis unguibus notatus abibit: ad minimum haud à morſibus iniurioſiſſimis erit libet. Vbi nec parcunt iis, quibus omnis reverentiæ honores debent; quum ſe pro aris & focis fortem hanc depugnare luctam arbitrentur, ſi Stagirenſis uſpiam ſint diluendæ culpationes aut diſtractionum ſuggeſtiones. Sic etiam ſervitutis naturalis nimis operoſum amatorem hunc non pudet inverecunde ipſum perſtringere Imperatorem, quẽ in Florentino agnoſcit præſentem ſibi: nec dubitat hunc terræ dominatorem potentem cum vanitatum venditatore ſuo conferre inconſideratius, *d.l. num.16.* Multum illi de cognitione naturæ gloriantur quidem, & hanc ſibi totam perſpectam putant, quum omnia in ſubſtantiam miſeram & accidens ditimere, ſimulque huic fuco pallium terminiſticum conceptivum ſuperinducere didicerint; At in quantum ipſi ab omni naturæ perluſtratione abſint, id notorie conſtat; quum nil niſi inanes terminos loco ſcientiæ confingere noſcant. Ac ne quis cautior hæc introſpiciat, vah quanta tela ſyllogiſtica cum calumniis ferventiſſimis in huiuſmodi fuci detectorem evibrant? Cerebroſus autem quilibet facile invenit, quod ſugillet. Vnde etiam hodie in medio Chriſtianorum numero, titulo hoc ceu glorioſo tumentes inveniuntur, quibus minus peccatum vitiumve videtur eſſe, ſi in gratiam Stagirenſis ſui ſacræ Scripturæ, adeoque ipſi Spiritui ſancto, etiam directe contradicere queant. Iehova vero verbi ſui vindex ſeverus & potens quum ſit, ab iſto peccato cavere ſibi prudentiores opto. Sed quomodo hæc res ſeſe habeat, id nunc heic explicandum erit.

Agit ille ſuarum opinionum Relector ubertim de hac materia in novem ſectionibus. quæ ſane omnes erroribus, nec paucis cõtradictionibus, abunde ſcatent. uti hoc admodum affine cunctis, quibus nunquam verum principii fundamentum attingere, multo minus penetrare conceditur, eſſe ſolet. Sic etiam heic temere flagellat definitionem Imperatoris; quum tamen potius deciſionem eius cum reverentia agnoſcere deberet. Definire enim in iure nil aliud eſt, quam in genere iuxta legis modum quid conſtituere. *l.4.§.puto. ff.de hared. inſtit. l.regula ff.de iur.& fact.ignor. Vide Erenb.2.de fœd.cap.1.num.2.3.4.* Nihilominus perpendemus argutias hominis, & videbimus, an non potius ſemetipſum quam Imperatoris verba tam iniquè perſtringat. Primum omnis illuſio conſiſtit in terminis aut vocabulis iſtis, libertatis, dominii, facultatis, licentiæ, poteſtatis, ſervitutis, violentiæ, & naturæ: quæ ita, temere, ſive ſtudio, inter ſeſe convolvit, ut vera ſignificatio aut acceptio ferme nuſpiam recte applicata videatur. Velut autem talis philoſophiæ ſectatoribus uſitatum eſſe ſolet, ut communiter diſtinctiones faciant inter vocabulorum noemata ſive acceptiones, ita quoque heic factum ab illo oportuiſſet nonnihil evidentius, quam in antecedenti ſectione id præſtiterat. Titulus quidem *2.ſect.* hanc habet inſcriptionem, quod monſtrare velit, Quid ſit libertas, & huic oppoſita ſervitus: ſed ſi quis totam ſectionem perlegat, nihil potius in ea & in proxima ſequenti inveniet, quam quod verba Imperatoria, *l.4.ff.de ſtatu hom.* cum gloſſatoribus & Dd. ſuis cavillatorie perſtringat; nimirum illud egregie præſtat, quod in ſe perquam animoſe non ſine exagitationibus ſuſceperat. Mos alioqui vulgaris eſt eruditorum, ut verbi alicuius ambigui ſignificata, ſtatim à principio diſquiſitionis, exacte, & cum perſpicua declaratione quid in iis determinatum velint, explanent. Velut in philoſophiæ ſuæ exordio id facere ſolent. Vbi vocabulum iſtud duobus modis accipi affirmant; ἀκύρως, vel κυρίως. & ἀκύρως viciſſim in duplicem modum abripiunt; ut aliter late, aliter anguſte accipiatur. Latiſſima eius ſignificatio, aiunt, in eo conſiſtit, quando pro omni doctrina & ſcientia, quæ homini non innata, ſed ſtudio & induſtria acquiſita eſt, habetur. atque ita non tantum philoſophiæ partes reales, verum etiam intentionales, imo omnes facultates ſuperiores, theologiam, iuriſprudentiam, medicinam, &c. adeoque omnes artes mechanicas complectitur; *ſicut videre eſt apud Stagiritam 6.eth.cap.7.* Poſtea anguſte accipitur quintuplici modo; ut etiam pro ſola metaphyſica venditetur interdum. *vid.Gocl.& Chr.Mat.diſp.1. metaph. diſq.2.* Sic & vocula Naturæ plurima denotat. Illud autem heic natura vocatur, quod eſt principium & cauſſa motus, quietiſque, eius in quo eſt primo, per ſe, & non per accidens; *ait Corn. Mart.in diſp.2.phyſ.de nat.anno 1612. Helmſt. excuſa.* quum tamen in his nullatenus Naturæ verum ESSE tangatur. Quod ſi eodem modo ita candide cum Imperatore ex mente eius, ut verba eius ſe habent, *ſect.3. num.15.* & non cavillatorie aut ſophiſtice, agere voluiſſet; debuiſſet quoque illud, quod in ſectione præcedenti, & in hoc titulo, in ſe ſuſceperat, prius recte expeditum reddere abſque perpetua amphibologia, neque in tam diverſis libertatis & ſervitutis ſignificatis tam firma in rerum veritate confuſe eludere ſummam Imperatoris mentem & auctoritatẽ. Etenim utrumque hoc verbum, ut ipſe toties in antecedentibus, ſed ſatis tamen involute, innuit, polyſemon eſt; & nunc ſtricte ſive proprie, nunc improprie, ſive latiſſime, multo pluribus modis, quam ipſe indicat, accipitur. Iam ille igitur primum omnium examinare rite debuiſſet, de quanam acceptione libertatis & ſervitutis Imperator per ICtum ſuum Florentinum *in d.l.4.* ageret; videlicet de ea, quæ mutuam oppoſitionem in iure determinat; quatenus etiam in naturalibus facultatibus externis ſe mutuo infeſtant & oppugnare maxime videntur; quum eouſque ſervitus naturæ hominum iniqua ſit, & propterea ſimul ſub conſiderationem legum civilium

merito

merito utraque veniat. Si hoc ſolummodo rite penſitare voluiſſet, inanem ſuæ verboſitatis & ſarcalmorum variorum copiam in pluribus reſtringere, & cãdidiorem ſincerę veritatis indagatorem præſtare potuiſſet. Ideoque Montecatinas ſatis ſcite ſureconſultos excuſavit, quod omnimode ad ius gentium reſpexerint, quum inde maxime talis oppugnatio libertatis in ſua natura profluxerit, quæ adiumento ll. civilium corrigi debebat; ut ſic homines cum iniquitate ſumma ſervi redditi ad liberum ſtatum reducerentur, qui ipſis iuxta naturæ diſpoſitionem in communi dominio, ad quod omnes nati erant, competebat. Nam ut ipſe id confiteatur, *ſect. 3. num.* 10. nec abnegare poteſt, in prima creatione, quum lex naturæ implantaretur, datum eſt homini imperium in univerſam terram, in omnia animalia, quæcunque vel in terra, vel in aere, vel in aqua degunt; *Gen. 1. Pſ.* 8. & hoc imperium natura comperit homini, etiamſi animalia illud non agnoſcant, propter imperfectionem animalium & hominis ſublimem perfectionẽ, &c. Quur tamen ho. naturale imperium, & libertatis dominium commune, quod cum lege naturæ in tam ſublimi perfectione hominibus ſtatim à principio implantatum agnoſcit, adeo cõtemptum habet, ut hoc cum omni libertatis dominio, in gratiam Stagiritæ ſui, ſervis prorſus in antecedentibus abſcindat? *ſect. ead. num.* 4. *& ſeqq.* Ait enim: Iam conſtat experientia, duas hominum claſſes ubique inveniri, quarum alii nati ſint ad ſerviendum, alii ad dominãdum. Rationes item contra ſemetipſum has addit: Alios inſtruxit natura magnis animis, & provida ſolertia: alios abiecit (N.B.) uſque ad ignominiam brutorum, ſolius patientiæ & laborum gloria ſuperbos, &c.

Fertur quippe *Prometheus addere principi*
Limo coactus particulam undique
Deſectam,

(*Hor. lib. 1. od.* 16.) & pro conditione ſuam cuique indolem diſtribuiſſe, &c. Quod & planius expreſſit Homerus, *Odyſſ.* 7 dum ait: Iovem auferre dimidiũ mentis illi, quem in ſervitutem deſtinavit. quem verſum ad ſervos natura accommodavit Plato, *lib. 6. de rep.* Nam & idem *lib. 2. de repub.* cives inter ſe differentes, & ſingulos ad ſingula opera paratos, à natura produci affirmat. Et *lib. 3. de ll.* ſeptem ordines imperantium & parentium ex intentione naturæ deducit, &c. Item *num.* 5. Ex æquitate naturali; quando præſtantius, quod univerſo ſemper prædominatur, incumbit deteriori, &c. Adeo unanimi conſenſu gẽtium imperium defertur meliori & præſtantiori, &c. Vnde idem *num.* 6. ſervitutem naturæ legi iuſtitiæ convenire affirmat, &c. Naſci enim quoſdam uſque adeo impotentis animi, ut nec ſuis commodis proſpicere, nec in longitudinem conſulere poſſint, indigos ad omnia conſiliis; quis non in media plebe & manipulis ruſticorum cotidie advertit? &c. Tandem *ſect. ead. num.* 9. hunc locũ ferme ita concludit; (quod maiuſculis notetur litteris:) Quantum vero cognitionis eſt in animalibus brutis, tantum & in iis hominibus, quos natura ſervos vocavit Ariſtoteles. Itaque non magis ad libertatem facti cenſentur, quam bruta, quæ naturaliter homini ſubiecta facit Ariſtot. *1. pol. 3. & Ovid. 1. Metam.*

Sanctius his animal, mentiſque capacius altæ,
Deerat adhuc; & quod dominari in cætera poſſet
Natus homo eſt.

Quæſo, quid heic aliud agit auctor ille, quam ut ipſe ſibi ſit contradictorius, imo & in totam humanæ vitæ ſocietatem iniurioſus? Confitetur enim, homini cuivis, id eſt, univerſo huic generi, datum eſſe imperium in univerſam terram, & quidem in ſublimi perfectione, licet animalia reliqua propter imperfectionem imperium hominis non agnoſcant: Et tamen interim ita in duas abripit claſſes genus idem humanum, ut non tantum uſque ad ignominiam brutorum abiiciat unam eius partem; ſed etiam vix tantum cognitionis eidem nationi ſervorum attribuat, quantum in animalibus brutis ſupereſt. Rogo iterum quemvis candidæ libertatis amatorem; vel potius iudicet quivis, etiam is quem talis cognitio in animalium imam ſortem & ſellam tranſpoſuit; an Imperatorem heic & eius ICtos, vel potius ſemetipſum refutet? Affirmat enim & negat idem de eodem. Si hoc philoſophari eſt, nil prohibebit quin & ipſa brutorum notitia tantidem præſtet; idque fortaſſe dexterius, ſi modo perinde liber ipſis ac eiuſmodi blateratoribus linguæ uſus concederetur. Etenim, num genus humanum mentis capax, & ſublimi in univerſam terram imperii perfectione abſolutum, concipi poteſt, quod tamen propter imperfectionem & defectum cognitionis adſimiletur ſimul brutis, quæ luce aut vi mentis omnino carent? An non hæc quoque ſublimis aut inſignis eſt iniuria quę in Deum & homines effunditur? Stagirita olim dicebat, animum hominis ſe habere inſtar raſæ tabulæ, cui nihil eſſet inſcriptum: ſed tamen omnia poſſent inſcribi. Si hoc verum; ſervos certe tum non habuit in numero hominum: aut fortaſſe ſui oblitus eſt: aut iſte impugnator præceps Imperatoris non idem obſervavit, & fumum pro veritatis indagatione nobis obtrudere conatus eſt. Verum error talium inde eſt, quod ipſi ex falſa adulterinave Stagiritę philoſophia, quæ nihil niſi logomachias concoquere, eas in mundo diſſeminate, controverſiarum ambiguitates vendere, & terminales congeſtiones rerum veritati obducere novit, nunquam ad veræ philoſophiæ principia, tam cæco detenti ductu, pervenire queant. Etenim, an non in lapſu Adamico primo omnes nos in eandem incidimus conditionem naturæ; ut, quod ille amiſerat in imagine Iehovæ, id quoque nos omnes, ex eo nati cum tota progenie, ſimiliter amiſerimus? Nonne inde imago Dei, Adamo per creatorem impreſſa, in ſuum divinitatis, ex qua efformata erat, centrum retrorſum abiit, & ceu lumen extinctũ in ſui principii penetrale receſſit penitus, adeo ut non niſi per Chriſtum & eius regenerationem in nobis reſuſcitari, & cum lumine ſuo ſancto ex Spiritus Iehovæ gratia reddi nobis & reſtitui valeat? An non inde legis naturæ debitores facti ſumus omnes in eodem gradu cum Adamo, ut nemo potioris iuris præ altero dici aut fingi poſſit? Annon Adamus hoc lapſu purum amorem ſanctamque cupiditatem, quę imaginatione ſancta in Iehovam unice dirigere debebat, in terreſtris fœditatis libidinem turpem & monſtroſam nobiſcum transformavit, ut inde omnes in eodem perditæ naturæ luto hæreamus mõſtroti? Quum igitur omnes ad unum, nemine excepto, ex

pto, ex lapsu Adamico eiusdem conditionis filii aut propago sumus; certe aut erimus omnes simul domini, aut servi, iuxta creaturæ seriem in naturalibus facultatibus. Quid vero vetat, quin ponam utrumque? sed non ex eo fundamento, velut servitutis ille nimis rigorosus adsertor & amator facere gestit. Etenim domini sumus secundum hominem internum, qui in Adamo ante lapsum tunc manifestatus erat, quum adhuc externum illum secum occultatum & quasi ab imagine sua divina absorptum sive sepultũ teneret: servi vero secundum hominem externum, qui postea in lapsu ex carcere suo cæco in manifestationem huius externi prorupit, & hac crassitie palpabili se imbuit, non sine macula suæ turpitudinis. Quare falsus & nugatorius omnis est ille discursus, qui sutilibus paganismi gentilis terminis deformatus, duas illas classes mortalium, propter nudum complexionis externæ instinctum, aut incitationis indolem naturalem, ita contradistinguit, ut inde imperantes & parentes, aut domini & servi dici mereamur. Longe deterius, vel multo iniquius illud est, quod bestiali numero censeri ii mortales debeant, quibus clementior ingenii favor præstantiorve genius in procreatione insitus nullus est. Sed bene se res habet: Quod si inde aut liberi aut servi censeri debeant; quæso quotus quisque non ex throno potestatis suæ vel rex aut princeps ad numerum brutorum deturbandus erit? quum ex historiis quoque pateat, quod inter mille imperantes vix decima pars inveniatur, qui digne satis suum administraverint locum. usque adeo rarissime influentia illa solaris, quæ principatum rebus & regiminibus maximopere applicat, regentes benignitate sua beat? E contra maxima pars servorum, quos iniquitas sortis malignæ aut potius terrigenarum improbitas in servilem detrusit conditionem, ad summa rerum fastigia foret evehẽda, ut primas capesseret in statu regiminis. An veto non inde cuivis regno aut reipublicæ maxima extimescenda esset confusio; si secundum generositates animorum aut domini aut servi censendi & suo loco habendi venirent? Platonem iste, *cap. 1. sect. 10. num. 2.* exagitat satis proterve, quod ideam suæ reipublicæ confingat quæ nusquam locorum in terris possit dari; quum ab omni hominum conditione amota sit. Nunc certe longe acriori censura notandum se exhibet, quam Plato, qui optimam reipublicæ formam ex amore sincero progenitam delineare voluit, dum iste in talibus abortivis pigmentis plane confusam eam in proscenium mortalitatis protrudit. Etenim ubi non servos, quos ita homines servos faciunt, potius bonos, & è contra liberos aut ingenuos malos vel etiam pessimos invenias? Si permutatio esset instituenda in dignitatibus, totus commoveretur mũdus. nec ulla rite sibi constare posset Respublica. Sed glossatores tales sibi ipsi sunt oneri in tot refutationibus amphibologicis, dum aut vere distincta non distincte suis applicant locis, aut distinctiones fingunt, quæ rem magis involvant. Inde error unus parit alterum, ut ex una ignorantia in alteram & longe crassiorem incidant. Quod heic etiam factum, facile saniores & veræ philosophiæ cernunt alumni. Quare non dubito, quin cautius in his suum ostentasset iudicium, si ipsi verioris philosophiæ lux affulsisset clarior. Qui ex illuminatione mentis sanctiori nescit septem proprietates æternæ naturæ, & quomodo ex eiusdem tribus principiis se naturæ temporali & huic mundo insinuent, ac tandem centraliter in microcosmum confluant, quomodo etiam spiritui mũdi submissus sit Adamicus homo post lapsum; illi nec de naturæ veræ constitutione, neque de eius processu & complexionibus sibi quidquam cognitionis aut iudicii polliceri rite poterit. Etenim heic non sufficiunt nude conficti termini phrasium, quũ realis rerum exploratio vera veram menti addat sapientiam, ut sic inde sanum de re quacunque possit ferri iudicium. Nam licet homo ex lapsu suo, ex quo ita spiritui sydereo mancipatus, nunc vitam hanc trahit, in eam se præcipitaverit corruptibilitatem, ut inde influentiis superiorum maxime sit obnoxius, quæ illi iuxta prædominationem constellationis instillent naturalem instinctum, secundum quem suam naturæ huius corruptæ, si maneat extra Christianorum regenerationem, traducat vitam; tamen multiplex hæc influentiarum constellatio tam varia atque infinita est, ut nulla ratione ad duas classes solas illa constitutio mortalium in hoc mundi externo regno redigi, & eatenus ita inter se distingui iuxta internam suam essentiam possit aut debeat; sed si mortales iuxta prædominationem influxus ex septem proprietatibus naturæ censeri deberent, potius ex generationis suæ virtute, ad eam complexionem forent redigendi, quæ prædominium in unoquoque hominum obtinet. Velut id philosophi ii, qui philosophiã saniorem vel à primo salutarunt limine, rectissime intelligunt, & cum iis faciunt omnes, qui astrologiam naturalem penitius introspexerunt, sine qua nemo quidquam in natura sapere aut rite cognovisse dici poterit. Videatur & consulatur modo insignis Sendivogii tractatus de tribus principiis vere naturalibus, & longe excellentissimus libellus de spiritu universali mundi omnia plene vivificante, qui ita inscribitur: *Traitté de l' harmonie & constitution generale du vray sel, secret de philosophes, & de l' esprit universel du monde, suivant le troisiesme principe du Cosmopolite: Recueilly par le sieur de Nuisement, receveur general du Comte de Ligny en Barrois. Paris. edit. anno 1621.* qui libellus mox latinitate donabitur. Iniuria igitur non levi, imo summa, non tantum genus humanum in universum, sed etiam ipsos naturales influxus, quibus suum ita proprium infringit officium, temere afficit, quando tales servos naturæ constituit, qui ne quidem ad ullius virtutis studium idonei aut apti dici queant, quum prorsus brutis adsimilentur, qui nec alam vitam vivere possint, quam quæ brutis sit æqualis; *ut toties sect. 3. num. 4. 9. & sect. 7. num. 15. repetit.* Et inprimis hoc valde iniuriosum apparet, quod maximam partem hominum huic sorti durissimæ deputet, & ad has absurdas extremitates reiiciat; quum ex mente ipsius Stagiritæ, alios propter magnitudinem animi & providam solertiam solos imperio natos, alios ex defectu talium virtutum, quum illos nãtura non adeo firma instruxerit, sed dura iis exiterit noverca, servos prorsus faciat; imperantiũ vero, respectu cætus universi in mortalitate hac, admodum sit exiguus numerus; & è contra maximus semper parentium, quibus servitutem naturalem adsignat: *sect. 3.*

Sic etiam maxime scandalosum, nec sine absurditate *sect. 1. num. 10.* hoc ab ipso Arnisæo prolatum est, ubi dicit: Virtutis studium in servis natura frustra

ſtra quæſieris, qui parum abſunt à brutis: ſed tamen & ſecundum hoc, & ſecundum cultum divinum, dum ſibi conſulere neſciunt, directioni domini ſubiacent.

Vix ita aliquid diſcriminis inter bruta animantia & homines admittit tales. velut in ſequentibus id clarius adhuc detegit, ubi ait: Reliqui, quos ſervitutis cœno immergit fortunæ quædam iniquitas, etiamſi libertatem animi perpetuam retineant, & inviolabilem, nec in extrema ſervitute deſinant velle quodlibet, tamen contra naturam voluntatis liberæ coguntur aliud agere quam velint, & arbitrium alienum in medium animum recipere, non quod voluntas, quæ ſemper in ſinu ſuo libera manet, & ſuæ ſpõtis, per ſe ſubiiciatur arbitrio domini, ſed quod actus voluntatis; dum non licet ipſi agere, quod vult.

Quæſo, an igitur nulla alia eſt differentia inter tales homines & bruta? Etenim ſi cœno tanto iniquæ fortunæ adeo profunde immerſi hærent, ut contra naturam voluntatis liberæ cogantur aliud agere, quam velint, & per ſe ſubiiciantur arbitrio domini; tum etiam fruſtra quæratur in iis virtutis ſtudium; profecto nihil differunt ab animantibus brutis, quæ eodem modo ſuis inſerviunt dominis, ſi imperentur ſimiliter; præſertim ſi hoc accedat, quod etiam vitam, animam & quicquid denique ſuum poſſident, domino debeatur. Aſt omnis eruditorum tamen ſchola, homini cuivis animam rationis compotem attribuit, & inde à brutis ita diſtare dicuntur ſinguli ut etiam in ea dominium ipſi competat. Quod ſi vero iam omnis virtutis ſtudium in capacitate interna aut facultatibus genus ſervile amiſerit, aut particeps nunquam ſit, aut fuerit, ut contra naturam voluntatis liberæ aliud agere cogatur, quam velit; quid prohibet, quin ipſi longe deterior ſtatus naturæ infra beſtias adſcribatur? Quippe notorie conſtat, & experientia cotidie ante oculos mortalium id teſtatur, quod vel nutu quoque cicurata animalia, abſque violenta cohibitione, poſſint regi. Num igitur adeo penitus excluſi ſint tales naturæ ſervi ab omni rationis conſortio, ut importunis ſolummodo ducantur affectibus, nec quid profit ulla educationis informatio? Si hoc verum iuxta mentem huius auctoris, certe nec homines erunt, nec anima rationali prædiți, ſed monſtra prorſus in ſua effigie humana inutili, & animam habebunt cum brutis mortalem, ac cum ipſo corpore extinguibilem. Nam, ſi virtutis ſtudium fruſtra in iis quæritur, ne quidem facultates habebunt eas, quibus id recipiant, aut exerere queant. atque ſi hæ non adſint, nil diſtant à beſtiis, animaſque fovebunt eventus, nec alius locus illis adſignari inter mortales poterit in converſatione civili quam animantibus: ſoli autem domini erunt veri homines. quod abſurdorum abſurdiſſimum. Tum etiam hoc inde ſequitur, quod neceſſitati fati incorrigibili adſtricti & alligati hæreant, quum ita à facultatibus animæ rationalis ſint prorſus excluſi, ut contra naturam voluntatis liberæ, cogantur aliud agere, quam velint; quod non tantum itidem abſurdum, ſed etiam Chriſtianiſmo vel potius ſacræ Scripturæ prorſus contrarium eſt, quæ undique nobis viam planam ad gratiam Iehovæ explicat, modo quis ſe pœnitenti vita pietati veræ devovere velit. Imo ipſe ſibi eſt contrarius, dum eam curam in dominum ſervorum reiicit, ut operam det ne animi cultus & perfectio illis deſit. *ſect.* 1. *num.* 10. Quod ſi vero dominus ipſe in tali excellentia naturæ natus non ſit, qualem ille in omnibus neceſſario præſupponit, & pro liberalitate naturalis libertatis conſtituit, quam ipſa natura ſuo proprio iure ex imperiali neceſſitate cunctis dominis impertire debet; ſed tali communicatione primæ claſſis inter homines careat: tum aut ſervus domini locum merebitur, quem ipſi cedere cogetur vi diſtinctionis adductæ, *ſect.* 3. *num.* 4. aut uterque ad ſecundam claſſem relegandus erit, ut parili utantur fruanturque beſtialitatis miſeria, & fortunæ iniquitate, in hoc cœno ſervitutis. Verum neque tunc res hæc nova carebit difficultate, quum ſic totum hoc loco relationis prædicamentum in nihilum redigeretur. Etenim ſervus non poteſt dari aut eſſe niſi reſpectu domini, nec dominus eſſe abſque ſervo; quum relata æque nota ac ignota ſint, & in ſuo fundamento fundanda; quippe nugæ ſunt, ſi quis definiat cum Ramo (ait iſte auctor, *ſect.* 2. *huic*, *num.* 20.) ſubiectum, quod habet adiunctum, & vice verſa, aut patrem qui habeat filium. Qui enim neſcit, quid ſit ſervitus, nec is quidem ſciet, quid ſit dominium; præſertim ſi talis confuſio naturæ inter dominum & ſervum intercedat, ut uterque ad ſibi quam aliis vivendum ineptior ſit, *Id. ſect.* 2. *num.* 20. *& ſect. huic* 7. *num.* 15. & neſciant natura ferre libertatem. *Id. ſect.* 3. *num.* 7. Adeo unanimi conſenſu gentium imperium defertur meliori & præſtantiori: ſemperque verum eſt, quod de agris dixit Vlpianus, *l.* 1. §. *fin. ff. de aq. pluv. arc.* inferiorem ſervire ſuperiori naturaliter: id quod non tantum ordini naturæ, quem ubique deprehendimus, ſed & iuſtitiæ ex naturæ fontibus hauſtæ ſummopere convenit. Tum demum enim (pergit ita iſte auctor ſuo modo philoſophari, *ſect.* 3. *num.* 6.) officia & dignitates iuſte diſtributæ ſunt, quando quiſque obtinuit quod conditioni naturæ ſuæ congruit, 5. *etb. cap.* 3. Naſci autem quoſdam uſque adeo impotentes, ut nec ſuis commodis proſpicere, nec in longitudinem conſulere poſſint, indigos ad omnia alieni conſilii, quis non in media plebe & manipulis ruſticorum quotidie advertit? Quorus quiſque eſt ex infima vulgi fæce, qui, niſi ſerviat, & ex quotidiano labore vivat, propria induſtria victum ſibi parandi copiam habeat? &c.

Sic videlicet pluſquam egregie ſe iterum auctor hic confundit, atque dum pro dominis adeo operoſam diſquiſitionem ſe inſtituere putat, maximam certe præſtat opem ſervis contra ingeniorum aliorum naturam. Namque ſi tum demum, nec unquam aliter, officia & dignitates iuſte diſtributæ dici debent, quando quiſque obtinuit quod conditioni & naturæ ſuæ congruit; vah, bone Deus, quam neceſſum omnino erit, ut mundo alia diſtributio dignitatum imponatur mature, quum adeo naturæ conditio iam paſſim inveniatur inverſa aut vacillans, ut nec ex iuſtitiæ fontibus quid hauſtum videatur; Adeo naturæ ſervitio nimis impotenter omnes laborant, (qui tamen ſæpe ſummos, unde directorium regni dependere debeat, occuparint locos,) ut nemo non propriam duplicitate conſcientiæ impugnet libertatem. Ceu ego ipſe olim & plenus ſenatorum conſeſſus quodam ex conſule, qui ex advocatura ad eam dignitatem vix antea evectus erat, audire cogebamur, quum non poſtremam in hac licentiæ petulan-

tia ſibi quærebat gloriam: quippe putabat, quod quam optime ſibi prodeſſe poſſet, ſi ad commoda & utilitatem naturæ ſe ita alligaret, ut iuxta Senecam in pravitates ſe ſolertem monſtraret. *cap. 5. de vit. beat. Id ſect. 3. num. 9.*

Tam inique igitur quum ſemper in hoc mundi perverſi regno comparatum ſit, ut illi in libertate magis & poteſtate dignitates occupent, qui ab omni integritate & conſcientiæ pietate abſunt, prorſuſque inepti apparent; atque è contra optima quæque ingenia contra naturam ſervitute dira ſupprimantur, quibus cura rerum ſatis tuto committi ſæpius poſſit, nec reſpectus ſit ad illos, quibus regalis ſolis influentia ſtatum regiminis adiudicat: merito ICti violentos proprii commodi exactores, iuxta S. Scripturæ præſcriptum abhorrent, & ſervitutis iniuriosæ inventores acerrime deteſtantur. Etenim ut inhumanum eſt, optima quæque ingenia perpetua ſervitute inique premere; ita incommodum eſt reipublicæ, ut hebes quiſque, & cuius virtutem depaſta eſt invincibilis egeſtas, ad noxiam libertatem protrudatur; *ut ipſe relector confitetur hoc l. ſect. 3. n. 13.*

An non ergo rectiſſime Vaſquius, *in præfat. illuſtr. contro. num. 5.* Stagiritæ illius profani ſententiam prorſus condemnant ut impiam? Merito certe id repetit *lib. 1. contr. cap. 11. num. 4.* Et quur non omnes hodie ſani & veræ libertatis Chriſtianæ amatores, cum Imperatore, atque Florentino, & Vaſquio, eamdem huius ſervitutis iniquiſſimæ defenſoris, qui ad brutorum conſortium in naturæ ſervitute abiicit mortales, & eos omni virtutis ſtudio & ſtimulo privat, ſententiam condemnent, atque impiam pronuncient? Sed reſtat, ut paucis percurramus adhuc eius examinationem, qua Imperatoris deſcriptionem, in ſervitute contra naturam determinanda, vellicat; ac quibus tandem rationibus ICtos, talium Imperatoriorum verborum *in d. l. 4. ff. de ſtat. hom.* interpretes, repellat.

CAP. VII.

In quo ſervitutis definitio, ut ab Imperatore eſt promulgata, & à ICtis explicata, iuſte defenditur, & à calumniis vindicatur.

IMperatoris verba ſunt: Servitus eſt conſtitutio iuris gentium, qua quis domino alieno contra naturam ſubiicitur. Heic primum vellicat vocabulum conſtitutionis. quod in tribus non recte poſitum exiſtimat vitiis, quum non tantum ſit genus longe remotum, & potius ius conſtitutum dici debuerit, ſed etiam cum libertate æquale genus ex contrarie oppoſito requirat. Verum eo ipſo demonſtrat, quod ille ſignificationem voculæ huius non recte intelligat. Etenim conſtituere ſervitutem ſingularis eſt locutio in iure, quod non eſt ſimpliciter cedere, ſed reipſa eam imponere alicui, quum ſervitutes conſtituantur per patientiam vel per traditionem, *l. 13. §. 1. ff. de Pub. l. 3. ff. de uſufr. l. fin. ff. de ſervit. ruſt.* veluti patientia quoque ea pro traditione habetur. *Dd. arg. l. pen. ff. de ſervis.* Qui enim ſervitutem debet, pati debet; *affirmant ex l. quoties 15. ff. eod. tit.* quæ quidem patientia eſt de natura ſervitutis. *d. l. quoties.* Ideoque patientia etiam pro conſtitutione habetur. *d. l. 15.* Vnde talis conſtitutio non adeo remotum genus exhibet aut deſignat, ut ille cenſet; ſed ex propria locutione id ſibi ita formar. Proinde conſtitutio talis ſervitutis ius dicitur potius, quam ius conſtitutũ; quum conſtitutæ ſervitutes, *vigore l. 10. ff. ſi ſerv. vend.* eæ vocentur, quæ pactionibus, ſtipulationibus, legatiſve imponuntur. Præterea etiam, quum ex iure gentium haud dubie ſervitus, ut iam ſatis patet, & quemadmodum id nobiſcum ipſe auctor relectionum, *d. ſect. 1. num. 12.* expreſſis verbis confitetur, deducatur; conſtitutionis vocabulo omnino heic uti debuit ICtus. Quippe hæc vox non caret ſingulari emphaſi, quum ſimul iuſſum ex conſenſu gentium importet cum ipſo iure. Namque iſtud ius eſt quoque conſtitutio: *Don. com. lib. 1. cap. 5.* licet & differentia quædam ponatur, ut ius veteres leges appellent ICti; conſtitutiones vero, poſteriores, quæ aut aliquid benigne aut ſevere contra ius introducant *l. falſa. ff. de condition. & demonſt. l. 4. §. contra ff. de doli except. Cuiac. 7. obſ. 19.* Quod vero ſervitutem non cum communi genere libertatis comprehendere ICtus & facultatem haut dicere voluerit; id multo minus potuit: quum libertas in oppoſito ſuo contrario longe ſe latius extendat quam ſervitus; adeo ut ipſi non tã ſervitus, quam violentia opponatur; velut ipſe auctor iſtud *in eadem ſect. num. 15.* confitetur his verbis: Iam vero conſtat, quod vis actum facultatis ubique impediat, & proinde in tantum libertatem tollat, in quantum dominatur. Violentia enim opponitur libertati, *3. eth. cap. 1.* Vis autem infert violentiam, ideoque tollit libertatem. Quid enim eſt ſervitus, aut unde orta, vel ICtis ipſis iudicibus, niſi ex vi bellica, qua contra naturam alter alterius dominio per vim ſubſternitur? *l. 4. ff. de iuſt. & l. &c.* Quum ipſe igitur ita egregium patronum ICtis heic contra voluntatem propriam præſtare cogatur, & non tantum confiteatur expreſſe, quod oppoſitum libertatis non tam ſit ſervitus quam violentia, & ſervitus rectius dominio diſquiparans relatum exhibeat, ut *in ead. ſect. num. 10.* poſuit; quur, quæſo, tam temere tamen eos vellicat aut cavillatione ſua nonnihil acrius perſtringit? Eo ipſo enim ſervitus nil aliud eſt, quam inſtrumentum violentiæ, quo utitur vis, ad retundendam aut tollendam libertatem. Inſtrumentum vero non poteſt cum re ipſa per naturam ſuam coincidere ita, ut ad unum redigantur genus; quia res utens, non eſt idem cum inſtrumento, quum toto genere differant, ceu ſecuris & faber. Præterea quoque ingens eſt diſcrimen inter libertatem animi, & eam quæ in corpore & externis actionibus conſiſtit; velut hoc ipſa etiam gloſſa agnoſcit, & *ad d. l. 4.* ſatis id explicat; ſimul innuens quur ſervitus non potuerit per facultatem deſcribi; quum eius propria origo ex iure gentium dependeat; libertas generalis vero animi facultatibus naturalibus inhæreat adeo, ut etiam quivis in ſua conditione poſſit facere quæ velit, inſpecto iure animi naturalis, niſi vi, id eſt, de facto, aut iure quolibet prohibeatur. *d. gl. ad b. l.* Nam ſervus (ait ipſe Relector) facultatem retinet æque liberam; *ſect. 2 h. l. num. 18.* (ubi captivum, non naturæ, intendit:) quum vinctus propter vincula non perdat libertatem. *l. 23. §. item quæro. ff. de acq. poſſ.* quod innuunt verba ICti, ubi ait: Si vinxeris hominem liberum, eum te poſſidere non puto. Vt enim

poſſi-

poſſideatur aliquis, & acquiratur domino, ad ius pertinet, non ad nudam facultatem agendi, vel non agendi. *d.l.num.19.* Vnde etiam tale ius in facultate ſive (ut gl. loquitur) poſſibilitate iuris naturæ non ſimul latet, nec in ſeſe id dicitur complecti. Quare, quum libertas ſit fundata in facultate naturæ, contrarium eius obtinere locum eundem non poterit, quod tanquam inimicum inſtrumentum ipſi pro re ſcindenda ea facultate opponitur. Eodem modo etiam voculam dominii ſatis cavillatorie heic taxat, quaſi ignotum explicetur per ignotum. Quum enim dominus & ſervus ſint correlata; putat, neceſſum eſſe, ut quoque heic debeat explicatio fieri dominii aut dominationis: quod tamen præter rationem ſolidam experit. Etenim dominii explicatio ſuum habet locum, & ſervitus ſuam ſedem; nec commiſceri debent tales definitiones aut deſcriptiones, præſertim quum de eo agatur tot titulis. *ff. de acquir. rer. dom. l. ſervo 13. C. de pœnu. l. poteſtatu. ff. de verb. ſign. l. cum hæredes. ff. de acq. poſſeſſ. & paſſim Dd. ad dict. tit. præſertim VVeſenb. ad tit. de acq. rer. d.* Nec tantum ex præſuppoſitis, ſed etiam per ſe conſtat, & cuique conſcientia ſua hoc dictitat, quid dominium importet, quum quiſque quaſi naturali inſtinctu ex amore libertatis affectet dominium aliquod. Sed tamen recte monet Beſoldus, dominationem ex iure gentium introductam eſſe; quod tum iuris noſtri conditores, §. 2. *Inſt. de iur. nat. & l. 4. ff. de iuſt. & iur.* tum alii, quos laudat Chriſt. Coler. *parerg. cap. ult.* voluerunt. *ait Beſ. pol. cap. 2. num. 51.* Atque in tali quoque ſignificatione maxime heic accipitur dominium, quum ita illi ſervitus correſpondeat, quæ ex iure gentium originem ſumpſit ſuam. Vnde apparet neceſſitas, quod nulla ratione dominii mentio heic propter talis eſſentiæ conſtitutionem omitti potuerit. Velut etiam proinde non fruſtra poſitum eſt, quod talis ſubiectio ſervitutis fiat contra naturam. Quippe iis verbis maxime ſpecifica differentia exprimitur, ut inde pateat, quod dominium & quænam ſervitus heic deſcribatur, quibus iuris civilis conſtitutionibus eſſet obviandum, & alia quærenda medela.

Sed quum has obiectiunculas (ut vocat) ad ſcholas remittat, & tria ulterius tamen in his Imperatoris verbis, quæ definitionis nomine comprehendit, deſideret; etiam hæc paucis in Imperatoris gratiam, cuius honor merito nobis in Romano Imperio venerandus ſemper exiſtit, examinando declinabimus. Primum conqueritur valde de eo, quod in tota definitione ſervitutis, ſuperius poſita, non ſpecifice expreſſos potuerit invenire ſervos, de quorum iure heic agitur. Quod certe mirum alicui merito in tam acuto, ut ſe venditat, philoſopho videatur. Non tantum enim perſonæ ſervorum omnium luculenter in particula *quis* (id eſt, *quisquis, quilibet*, aut *omnis*, ſive *unuſquiſque*) ſunt expreſſæ; ut omnes ea vocula *quis* contineantur, quicunque dominio alieno, id eſt, ab æquitate & charitate proximi averſo, & propriæ ambitioni avaritiæque dedito, obnoxii aut contra naturam devincti tenentur; ſed etiam manifeſtiſſime ſpecificam differentiam depromit, ea forma verborum, ubi ponitur, quod illi omnes heic intelligantur ſervi, quos ius gentium contra naturam in ſubiectionem abripuit. An vero hæc ſervitus exacte in omnes quadret cives, & corruptæ alicui ex tribus formis reipubl. obnoxios, id iudicet æquus cenſor. Qui ſibi plures fingit muſcas, quam capere poſſit, exactiorem ſuſcipiet de rebus amplificandis curam. Nec ad hoc examen pertinet, quænam forma reipublicæ ſit ſincerior aut competentior; & num apud Turcas, Tartaros, Perſas & Muſcovitas, aut alios Europæ incolas, ſit quærenda. Sit ubicunque velit corrupta; nuſpiam ſincera aut vera appareat, multo minus ſolide Chriſtiana, ubi ſervitus tanquam contrarium libertatis privativum, & carentia illius facultatis quæ hominem univerſi iuris concreati expertem & incapacem reddit, introducta viget. *ad. Donell. com. l. 2. cap. 9. Obſv. Hill. b. litt. H.* Etenim & iura & reſpublicæ ibi contra naturam pugnant, quum dilectionem proximi penitus tollant & extinguant. Velut lex ea naturæ univerſaliſſima eſt, quæ dicit: Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Nec opus eſt, ut de bello aut eius vano vel crudeli iure heic multa ſubnectamus. Etenim quod ferro ſubigitur, alieniſſimum eſt ab omni dilectione proximi, & multo magis ab amore Dei aut pietate Chriſtiana. Ideoque, an ferri imperium contineat in ſe vere dominicum officium, id belli ſufflatores diſcant ex Teutonico noſtro, cuius verba *in Myſterio magno ſive commentario ad Geneſin Moſis cap. 33. in quo de initio ſecundæ monarchiæ, & fœdere Iehova cum Noacho omnibuſque creaturis agit*, ſic ſe habent, quæ cunctis, præſertim hoc bellicoſo tempore, bene notanda ſunt. Vnuſquiſque, ait, miles, iræ Dei eſt virga, qua in furore ſuo nequitiam mortalium affligit, & abſorbet; nulloque pacto ad ordinationem naturæ referri poteſt aut debet; ſed locum in cupiditate Turbæ magnæ obtinet; in eo videlicet ſitibundo furoris ordine, per quem ita Iehovæ populos cum regnis ſubvertit. Ordinatio hæc propria eſt tenebricoſi mundi in natura ſua, quæ violentiam ſuam tempore malignitatis humanæ exerit, Iehova id ita permittente; atque tunc omnia ſecundum voluntatem furori ſuccedunt, donec is ſatis ſe exſaturavit in ſanguinis humani effuſione. Namque hic furor ipſiſſima iræ Dei vindicta eſt; de qua habentur verba, quod velit ſanguinem vindicare hominis. Inde ſæpius hic furor alterum protrahit mortalium, atque in furoris huius ira per unum alter interimitur, quum meriti ſint ambo ſuam pœnam. Si quando enim potentes terrarum tyranni in innocentis ſanguinis effuſionem irruunt, tunc ſe exerit ira Dei cum præfectis ſuis, & rurſus eorum hominum ſanguinem effundit, & enſem turbæ in illos recondit. Exinde bellum exurgit; minime vero ex ordinatione divina integræ naturæ, in qua Iehova cum ſapientia ſua gubernator exiſtit. Sapientia Iehovæ nullum prorſus expetit bellum; ſed ira Dei, ſecundum tenebricoſi mundi naturam, illud ſemper ſitit, & peragit idem in vanitate hominum & malitia. Si inter nos invicem, velut filios decet Iehovæ, viveremus; nuſquam indigeremus bello. Belligeratio igitur noſtra omnis manifeſtum nobis exhibet teſtimonium, quod ſolummodo filii huius mundi ſimus: dum abſurde gerimus tot bella, & præliamur inter nos propter hæreditatem alienam, quæ paulo-poſt nobis derelinquenda eſt. Hac itaque malitia tantum iræ Dei inſervimus in noſtri ruinam, tanquam ei obligati ſervi. Etenim nemo militum omnium valet hæres eſſe regni Dei, quam diu talis exiſtit; ſed regeneratus filius in Spiritus Iehovæ amore, qui mundi huius vanitatem deſerit, verus hæres erit.

res erit. Hactenus ille veritatis vates. ex quibus quisque ſuum ſibi examen in conſcientiæ penetrali colligat. Sed interim ad ſecundum refutationis membrum nos convertimus.

Deinde offenſionem valde quidem mordacem inde arripit, quod origo ſervitutis reiiciatur ad ius gentium tantum; ſed tamen ſolito more ſibi in ipſa ſtomachatione contrarius eſt. Vult enim mox quod ex iure civili ſervi oriantur; & tamen in eadem linea cõfitetur ſtatim, quod ex iure gentium ſervi prodierint. Ita uno halitu oris efflare calida ſimul frigidaque novit; non aliter ac pinnula in ſummitate templi ventis diverſis expoſita circumvolvitur. Qua tamen confeſſione ingenua, ipſe ſibi cornua decutit, quibus tanto conatu verba Imperatoris in Florentino oppugnatum iverat. Mire heic ſeſe torquet, & mirabilis eſt eius locutio. ait: Quanquam primitus ſervi prodierint ex iure gentium; tamen definitionem concipi fas fuit ſecundum rationem temporis, quo edebatur. Tum vero non ſolum ius gentium; ſed & nudum ius civile Romanum ſervitutis novam conſtitutionem introduxerat, &c. Non duplex ſane; ſed triplex heic hominis lapſus eſt graviſſimus. Sic ſcilicet fit, ut dato uno inconvenienti, ſequãtur plura. Etenim an decet quenquam ita philoſophati, ut definitiones rerum, quæ firmum ſuum veritatis habent fundamentum, à quo non niſi per vim retrahi queunt, ſecundum temporum mutationes fint conficiendæ? An ullus eorum, qui ſibi alicuius ſapientiæ eruditionem ſingularem inter mortales vendicant, extitit unquam, qui ita res naturales ſecundum temporis rationem definiendas putarit? An non definitio debet exprimere unumquodque ſicuti in ſua natura eſt conſtitutum? Nonne expreſſis verbis ita ſtatuit, *ſupra cap.* 1. *ſect.* 2. *num.* 4. quod res pro conditione ſubiecti tractanda ſit? Vnde nunc ſibi contradictorius? An vero tempus eſt genuina genitrix rerum, aut ſubiectum? An potius res ex ſuæ naturæ matrice ita procreatur, ut eam induat eſſentiam ex qua ſubſiſtere ſibi queat? O amice! Amice, quis te ardor nimius ſervitutes ita temere conficiendi decipit? Fortaſſe autem oblituseſt, quod Stagirita ex tempore commune fecerit accidens in phyſicis ſuis? Quantum igitur diſtat accidens commune ab ipſa ſubſtantia rei? Num vero accidens tale eſt? vel num producit ſubſtantiam? Mirum ni omnes in eum involent Stagiritæ ſectatores aut alumni, & hæreſeos convincant reum, quod tam procaciter ipſiſſima auſit eorum principia & axiomata univerſalia ſubvertere. Tempus quid eſt? An non duratio corporis naturalis? Sive id cum Stagirita, numerum motus, ex cœli converſione obſervatum & definitum, appellare velis: utrumque fit: non tamen res ipſa eſſe poteſt, cuius definitionem ponas; alias quidvis quovis tempore ſatis compte & commode definire poſſes, licet rem ipſam nunquam in eſſentia ſua tangeres. An vero ita rerum definitiones mutare oportet, ut temporis pro re nata ſicut nummi ſerviant? Non certe bonum conſilium, quod nunquam veritatem rerum largiri novit.

Alter vero lapſus in nullitate ſua nequaquam minoris eſt conſiderationis; quum apertam vanitatem proferat; niſi peccet etiam ex ignorantia hiſtoriarum. Etenim tota reclamat antiquitas, uti partim ex hiſtoriis in antecedente capite adductis ſatis manifeſte apparet, quod ſervitutes ſupra modum duræ paſſim in uſu fuerint, priuſquam ius civile Romæ natum eſſet, & anno Chriſti quingenteſimo trigeſimoquarto à Iuſtiniano publicatum.

Tum quoque egregie demonſtrat, quod iura nullatenus cognoverit, (qui tertius eius eſt lapſus) ſed plane hoſpitem novum in iis agat; utpote qui collectoris ſui primi mentem, quem iuxta ſuam opinionis diſpoſitionem fruſtra corrigere ſtuduit, non recte perceperit; quum aſſeveret, quod nudum ius civile Romanum ſervitutis novam conſtitutionem introduxerit. Toto certe cœlo errat. Itaque in ſua opinione decipitur, nec unquam Imperatoris veram agnoſcit mentem: cuius unica intentio eſt, non ut in ſervitutum iniquitate novi quid introducat: ſed ut potius illas malignas conſuetudines, contra æquitatem omnem, & ipſum Chriſtianiſmi amorem, ac ſtatum verum eccleſiæ libertatemque eius pugnantes, aut è medio tollat, aut mitiget; mediaque monſtret, quibus huic malo cura quædam iuris melior adhiberi poſſit. Vnde etiam in ipſa hac deſcriptione ſervitutis id declarat aperte; quum ſervitutem dicit & appellat eiuſmodi conſtitutionem, quæ contra naturam ſit introducta. Tantum abeſt, ut approbet ſervitutem ullam contra libertatem naturalem, ut etiam maxime noxiam naturæ & eius libertati aſſeveret.

Nec ſatis ſcite ab eodem heic vapulat Cothmannus; quem ita tractum tangit propterea, quod *in diſp.* 2. *ſua, th.* 6. dixerit, ius civile ſub iure gentium comprehendi. Quæſo, an hoc peccatum eſt, ſi quis dicat, quod genus includat ſpeciem ſuam? aut quod eſt prius, continere in ſeſe quoque poſterius? Vel, an non totum quoddam in ſeſe ſuas comprehendat partes? Si hoc verum; certe iſte Arniſæus nunquam à tali peccato liber erit, ſed cogetur ſemetipſum condemnare toties. Etenim *ſect.* 5. *num.* 68. ait: Quicquid totum peccat, partes coguntur luere. Item, *num.* 67. Quin etiam licet ſubditi nihil pro ſe peccarint, tenentur tamen de facto reipublicæ. *l.* 27. *ff. de reb. cred. l. ult. C. de naviçul.* Sic etiam *d. l. h. ſect.* 5. *num.* 2. optimum ICtorum Donellum ita miſere traducit, quaſi concedat, ius naturale tolli poſſe ex parte, licet totum tolli ſit impoſſibile. *com. lib.* 1. *cap.* 12. *lit. C. D.* Addit, hanc gloſſam multis non placere: quia de parte iudicandum, ut de toto; quum eadem ſit de parte ratio, quæ de toto. Tam enim (ait porro) à Deo naturæ implantata eſt pars, quam totum: tam contra ius & honeſtum agit, qui particulam iuſti & honeſti ſupprimit, quam qui totum. Vnde Iuſtin. *in* §. *ſed naturalia, inſt. de inſt. & iur.* non de toto iure naturali, ſed diſtributive de iuribus quibuſcunque naturalibus affirmat, quod ſemper firma ſint & immutabilia. Nam ſi particula quævis, ſive ius quodvis in particulari poſſit tolli; per ius gentium introduci poſſet, ut indicta cauſſa occidere impune innocentem liceret, utque fas eſſet latrocinari, furari, aliiſve illicitis rebus & à natura prohibitis operam dare; quod eſſet abſurdum, &c.

Pergit ita porro, & ex Stagirita ſuo id confirmat, ut eo ſolidiori fundamento & auctoritate ſcilicet authentica ſuam corroboret ſententiam, eamque invincibilem demonſtret omnibus. Dicit is: ipſum quidem ius nunquam degenerat in iniuſtum, nec in ſua natura ullo modo mutatur. Sed tamen hominum,

num, qui ius arripiunt, & in actum deducunt; opiniones variantur. Quemadmodum in ſcientiis, quarum apud omnes gentes eadem eſt veritas, eadem certitudo, infinitas ſubnaſci ſectas, & errores videmus: nec tamen error induit naturam iuris; nec falſa opinio, veritatis. Heic autem quæritur, utrum ius naturæ, iure tolli queat, quod fieri poſſe negamus, &c.

Locum heic plenius allegare debui, ut inde appareret, quam candide ageret cum Donello. Ideo etiam eius verba erunt audienda. Totum hoc caput inſcripſit Donellus & inſignivit titulo, *de Mutatione iuris*. Vbi ſtatim rotunde in prima conſideratione eius ad principalem quæſtionem hæc producit; inquiens; Ius civile mutationem quidem recipit, non naturale. *§. pen. Inſt. de iur. natur. §. ult. de leg. agn. tut. l. 8. ff. de cap. min.* In illo enim, ait, utilitas, in hoc æquũ & bonum ſpectatur. *l pen. ff. de l. & iur. Mattheac. 1. de via iuris, cap. 1. num. 5.* Quam ſententiam etiam pluribus enucleat exemplis. Sed ſi obiiciatur, (ait:) Libertas iuris naturalis eſt; & tamen iure gentium & civili tolli ut: Ad inſtantiam hanc liquide reſpondet ita: (N.B) Ius naturale aboleri in totum nequit: (N.B.) Temperari tamen & ex parte mutari, non tamen niſi ex iuſta cauſſa, poteſt. Et hoc eſt, quod dicitur *in l. 6. ff. de iuſt. & iur.* ius civile non per omnia naturali ſervire. Quare nec libertas univerſis adimi poteſt, nec paucis ſine cauſſa; quales ſunt, captivitas, delictum, &c.

Quæſo, quid heic agit aut ſtatuit ICtus de ſublatione partis in iure naturæ? Num ipſi unquam in mentem venit, quo vel minimam particulam iuri naturæ abſque læſione totius ſuſtollere aut ſuffurari vellet? Et tamen ita acriter eum incuſare audet Relector ille. Num *Tollere* & *Abolere* eſt idem quod *Temperari* & *Mutari*? Illud omnino negat Lopez. *in anim-ad. ſuũ, cap. 4.* Nunquam, inquit, ius civile naturale tollit, ſed interdum ad eius obſervantiam non cogit. Quæ diverſiſſima ſunt. & hoc eſt, *non inſervire*. Illud *Tollere*, non poteſt ius civile: hoc *non inſervire*, poteſt; imo facere ſæpe neceſſarium eſt. E. G. Scortatio iure civili impunis, & lupanaria multis locis tolerantur, ut ab aliis peccatis homines abſtrahantur: Nec tamen minus peccat contra ius naturæ, ſcortatione ſe polluens, &c. Exemplum eſt Lopezii. licet commodius afferre potuiſſet. Adducitur autem, ut inde pateat, quam inique Donellum culpet, dum eidem affingit, quæ prorſus ab eius mente ſunt alieniſſima. An ea candoris illius facies, quam in principio promiſerat? Sed ſpiritui Stagirenſi hoc uſitatiſſimum eſt, ut quidvis pro tempore & loco ſui commodi definiat aut fingat potius. Velut id paſſim videre eſt: & nuper quoque virulentiſſima quædam & maledicentiſſima lingua tale quid in academia Iulia, ſine ullo pudore comminiſit. Scripſerat libellum de proceſſu diſputandi. in quo, *cap. 5. num. 4.* non minus nugis & mendaciis, quam acerbis iniuriis & calumniis, amicum mihi optime cognitum, non theologice, ſed plane diabolice & è centro peccati traducit; ut videlicet unguibus ſuis demonſtret habitualiſta ille, quam longe ſit à Dei centro alienatus. Calumnias eas, & mendacia apertiſſima, nuper quoque quidam eiuſdem Spiritus habitualiſta, Genevæ, in Rationali ſcilicet ſuo theologico, ſchiſmaticis rixoſis peridoneo, & bonis viris pietatique ipſius veri Chriſtianiſmi directe oppoſito, cum applauſu arripuit, & detestatione maligna virum optimum & integerrimæ vitæ deditiſſimum adortus eſt. Famoſus ille libellus, quum mihi cenſendus traderetur nuper, & in eo quamplurima invenirem hominibus quidem qui ſe theologos mundo venditare audent gratiſſima, veris autem Dei cultoribus indigniſſima; amici mei cauſſa in negotium inquirere non deſtiti. Animum enim huius ab omni impietate adeo noveram alienum, ut etiam propter ſtudium veri Chriſtianiſmi quævis pericula adire non veritus fuerit, dummodo iuventutis & proximi cuiuſvis animam Chriſto lucrari poſſet: unde etiam Chriſtianum Iſraelitam ſe dicere ſolebat. ut monſtraret nomine ſancto, quod homini Chriſtiano nullo pacto ſine verbi Dei aſſidua lectione, & Chriſti imitatione vera, in terris eſſet vivendum. Scripta eius ad manus habui; inveni locum; perſcruratus ſum ſedulo; Ecce vero, tum quoque deprehendi veriſſimum illud adagium, quod vulgo dici ſolet, *Calumniare audaciter, ſemper aliquid hæret*. Ideoque exclamavi continuo: Itane vos agitis, ô ſycophantæ? Ergo,

Quid domini faciant, audent ſi talia fures!

Etenim ita mala fide cum eo actum erat; ut prorſus ipſi mens atque intentio alio & plane quidem contrario ſenſu eſſet inverſa. Tum quoque nuſpiam talis verborum contextus reperiebatur, ſed, quæ verba olim fuerant Cornelii cuiuſdam Martini contra inſignem theologum Danielem Hoffmannum, ea huic, & quidem in manco & mutilato corruptiſſime modo, adſcripta erant viro. Nihilominus corneus ille & venenatus famoſi Proceſſus ſcriptor miris nugis, figmentis, & ſophiſmatibus auſus fuerat viri boni torquere verba & famam conſpurcare. Res ita ſe habet. Erat Balthaſari Meiſnero cum quodam Cornelio Martini tum controverſia de myſteriis divinis; & quæſtio agitabatur, ut memini, An ea non aliter, quam per formam ſyllogiſmi, rationi humanæ credenda applicari poſſent? Cornelius importuniſſime affirmabat: alter vero negabat id conſtanter. Graverus quidam factitarat quoque hoc antea, ſtatuendo clamandoque quod myſteria quam optime beneficio profanæ logices poſſent cognoſci. Scandalum hoc ingens quum ita temere moveretur iuventuti academicæ, & quamplurimos faſcinaret animos; ille meus amicus monſtrabat utrique abſurditates, & blaſphemas in Spiritum Sanctum locutiones. Vtraque eos ad officium retraheret, ſua Cornelio in omnibus regeſſit verba, ut inde turpiſſimum lapſum agnoſceret. Explicavit ſimul, quod adeo ratio hominis eſſet cœca, ut extra gratiam Spiritus Dei & fidem, quam ſingularem & gratioſam Spiritus Sancti dicebat operationem, nequaquam ea poſſet conceptiva cognitione apprehendere quæ myſteria cœli denotant; quum talis ſapientia carnalis, & prorſus profana, non poſſet, *iuxta D. Pauli effatum*, ea cognoſcere quæ ſunt Spiritus; imo ne quidem terrenis percipiendis eſſet ſatis idonea. Confirmavit hæc verbis Chriſti, *Iohan. 3. verſis. 12.* & Davidis, *Pſalm. 139. verſic. 5. & 6. &c.* Addidit hoc etiam, quod, niſi Spiritus Dei myſteria iuſtitiæ in Chriſto nobiſcum obſignet, omnis cognitio fruſtranea ſit; quum homo nude naturalis nullum ſpiritualitatis

principium ante regenerationem ſecum habeat, peccati corpori poteſtatique totus mancipatus. Sic mutua ſemper manet pugna, ut ex principiis nobiſcum natis nihil inferre poſſimus ad ſpiritualia in quibus plane ſtulti ſumus, &c. Hic viri illius eſt ſenſus, & non alius; ut in toto loci talis contextu nuſpiam verba eiuſmodi de contradictoriis duobus in ea ſerie connexa reperiantur; velut impudentiſſimus ille ſcriptor ea allegat. Et quamvis per ironicam quæſtionem Cornelio ſuam repoſuerit axiomaticam elegantiam; tamen non tantum totam eius viri corrupit ſententiam ille Proceſſionarius, ſed etiam potiſſima & explicatoria omiſit verba, quæ conditionem ab ipſo Cornelio adductam interpretarentur. An hoc theologum, qui optimus debebat dici Chriſtianorum, deceat, id iudicet quivis. Nihilominus contra conſcientiæ ſtimulum verba Chriſti *Matth. 7. verſ. 12.* in ſuum advocare patrocinium audet: *Quæcunque volueritis, ut faciant vobis homines, ita & vos facite illis.* Vtinam talium falſificorum cordibus rite dictum hoc inſcriptum eſſet, ut in vitam quoque verbum Chriſti, uti par eſſet, converterent, nec unquã amplius falſitates ſimiles protruderent, aut calumniatores agerent impudentiores. Iehova cõvertat convertendos, ne ſui ipſorum indices ſint in extremis. Hi vero ſunt fructus ſcholæ Stagirenſis. Quod exempli loco ſuperioribus obiter adiicere volui, quum ambo eiuſdem patroni ſint cuius & alumni, qui eandem ita egregie tractare didicerunt artem. Atque hoc ideo dico, ut caute quiſque bonus tales legat ſcriptores, nec facile decipiatur verbis falſo nitentis Philoſophiæ gentilis, quæ nihil prorſus in vera & interna rerum cognitione poteſt aliud, præterquam inanium litium logomachias diſſeminare. Sed ad Donelli vindicationem ulteriorem reverti cogimur.

Quamvis autem Relector *dicto loco, ſect. 5. num. 4.* ſatis acriter reprehenderit Donellum, quaſi ille ius naturæ ex parte mutare voluiſſet, ut ſuperius demonſtratum eſt: tamen durus ille cenſor in omnibus cum Donello facit, & ſemetipſum refutat tandem his verbis: Contra ius enim nulla iuſta cauſſa excogitari poteſt, qua tollatur; licet ex cauſa declinari queat, ſi ſcilicet ſub ius naturæ factum, de quo agitur, non cadere evincamus. Ex quo ſequeretur, ſervitutem, ſi introducta fuerit contra naturam, utut multis gentibus viſa fuerit bona, per multitudinem errantium tamen ab extrema iniuria excuſari non poſſe.

Sic etiam ibidem *num.* 9. hæc repetit, dicens: Quamquam, ſi verum fateri velimus, non aliud ius naturale poni aut defendi poteſt, quam quod ex principiis naturalibus fluit. Principia hæc quum eadem ſint apud omnes gentes, niſi erroribus obfuſcentur, eadem iura pariunt. Accidit nihilominus, ut, licet dextra pars natura fortior ſit & principium motui præbeat, ita demutetur inclinatio naturalis, quo ſiniſtra palmam præripiat dextræ. Quod quando fit, prava conſuetudo ſuperat naturam; ſicut opiniones præconceptæ delent naturæ nota principia, ex quibus ius debeat elici. Deletis vero aut depravatis principiis, quicquid inde extruitur, falſum evadit, aut corruptum, licet verum & ſincerum videatur iis qui per errores de eo iudicant. Nam quicquid recipitur per infectum colore oculum, colorem, dum recipitur, mutat: Et pleræque gentes de iure iudicant, non, ſecundum quæ ſentiũt, principiis naturæ; ſed præconceptis erroribus, &c.

In tota hac diſputatione, quam adeo ſevere movit Donello, queſo quid libertatis ille oſor aliud agit, quam ut totum velit ita defenſum, ut nequeat ſuas excludere partes, ſed eas arctiſſime in ſe contineat, & ut ſuperius quoque inferius ſuum complectatur, aut ut prius, ſuum ſimul poſterius, & non è contra. Idem quoque in alio exemplo *eadem ſect. 5. num. 36. & 37.* probat in iure gentium, quod hoc maneat ſemper inviolatum, nec à corruptis moribus, ſed immotis principiis dependeat: Ideoque quærendum eſt, ait, vel apud cultiores, vel apud omnes gentes, &c. Quod ſi ad hanc regulam, ſervitutis ius excutias; non dubium eſt, quin victoriæ palmam ſit reportaturum: quum & cultiſſimis populis, & toti orbi terrarum uſu receptum fuerit. Nec refert, quod Chriſtiani ſecus ſenſerint, ait, ſervitutiſque maculam, *ut ait Inſt. l. ſancimus, C. de infant. exp.* ab omnibus promiſcue delere aggreſſi fuerint; quam & affectatam miſericordiam contemptim vocat. *ſect. eod. num. 38. &c.* Hui, quid audio! An nil refert, aut valet, quod Chriſtiani ſecus ſentiant de ſervitute, & eam promiſcue deletam cupiant? Dic ſodes, num potius ad mandatum Chriſti, & imitationem abſoluti magiſtri, an ſecundum conſuetudines gentium, vivendum erat? An rectius eſt libertatem in Chriſto omnibus reſtitutam affectare & anhelare, quam mancipium ſe exponere mundi regno? Num potius eſt, veræ reipublicæ Chriſtianæ ſtudere, an varia ſervitutis inventione ſe adſimilare Ethnicorum formis? Vtrum magis pium eſt; inclinare in miſericordiam, an ſævitiem? Vtrumnam audiam heic potius; Chriſtum; an ſervitutis obſtinatum efflagitatorem? Ah utinam homines errores tam craſſos & abſurditates ſummis cæcitatibus obtenebratas, in profana ſapientia carnis agnoſcerent? Miretur quis merito, quod tam ſedulus ille ſit ſervitutis confector, quum tamen ipſe tanto odio eam habeat, ut etiam calami libertate quaſi ſolus vigere, & omnes reliquos ea ſupprimere aut in opinionibus ſuis convellere laboret. Sic ſolus ſapientiæ dominium affectat, ut ex ignorantiæ ſervitute pridem omnibus emerſus videatur. Verum ne abeamus longius; quum ex ipſa rerum natura, propriaque talium falſo gloſſatorum confeſſione iam conſtet, quod is, qui totum ponit, aut aliquod univerſale, etiam partes vel particularia ſimul includat; manebit quoque Cothmanni ſupradicta ſententia, quod ius gentium ſimul includat ius civile, & quod is, qui adſtringit aliquid ad ius gentium, nullatenus excludat ius civile, tanquam inferius quid & ſpecialius in ſuo ordine; licet non ſimul includat ius naturę, tanquam generalius quid, & ſuperius in ſuo ordine poſitum; cui nimirũ iura ſpecialiora & particulariora nonnihil heic derogant. Vnde merito quoque Imperator, data opera heic, publicaque auctoritate ſua interpoſita, ſententiam Iuſtini Florentini, ut veritati unice conformem, ſtabilivit: ut oſtenderet, ſecundũ naturam omnes eſſe liberos. Ad quam libertatem quoque omnibus Chriſtianis adſpirandum foret: Quicquid heic ipſius Stagirenſis ſectatores vani, tãquam tenebrarum ſervi, tuique magiſtri & mundani Regni amatores perpetui, contra ogganniant. Ideoque ICtorũ omniũ, imo ipſius Imperatoris, invicta manet

manet veritas, quando docent; Servitutem primum introductam fuiſſe à iure gentium; *l.4.ff. de iuſt. & iu. l.4.ff.de ſtat.hom.l.ſi id quod.ff.de cond.indeb. §. ſervitutis. Inſt.de iur.perſ. in pr. Inſt.de libertin.* deinde ius naturæ fuiſſe à iure gentium ſuppreſſum, & conſtitutam ſervitutem contra naturam, *dd.ll. & l.1. ibi*, contraque naturalem libertatem, *C.de SCt. Claud. toll.* Cuius ratio ubique adiicitur, quia natura omnes homines naſcuntur æquales, *l.quod attinet.32.ff.de R.I.* id eſt, æque liberi. *cap.1. §. natura, cap.9. verb.ſicut enim, &c. Novell.89.* Vt & Philo ait, *in lib. de vit. contempl.* ſervitutem cum natura ſummopere pugnare. Ea enim liberos omnes genuit: ſed avaritia, legum naturæ contemptrix, ſervitutem induxit. Proinde fruſtra etiam veræ libertatis oſor ille ICtorum ſententiam omnibus diſtinctionum argutiis eludere heic ſtudet, & ſuas ſubſtituit ſophiſticationes. Etenim ipſe, *cap.3. vel.pol.ſect.1.num.8.* tam duriſſimam ſervitutem naturalem ex ſuo Stagirita, 1.*pol.cap.3.* contra libertatem genuinam conficit, ut dicat: Prolixe & recte Ariſtoteles, 1.*pol.3.* diſtinguit inter mercenarios & ſervos. Mercenarii enim ſecundum quid ſubiiciuntur domino, nec toti ſunt ipſius domini, ſed & ſui. Servi vero ſecundum (N.B.) omnia & in univerſum ſubiiciuntur domino: nec tantum ſunt (N.B) ſervi ipſius domini; ſed toti ſunt ipſius, quia poſſeſſioni & familiæ adſcribuntur, ut partes. Partes vero non referuntur tantum ad totum ſecundum quid; ſed in illo, ſecundum totam ſui ſubſtantiam, includuntur: quéadmodum cætera ſive animata, ſive inanimata, univerſim domino ſubiiciuntur. Vnde fit, ut, licet dominus & ſervus referantur ad invicem, & eo reſpectu id, quod ſunt, ſibi mutuo acceptum referre neceſſe habeant; ut eſt natura relatorum quæ vocantur ſecundum eſſe, *in Categ. τῶν πρός τι, & 5. metaph. cap. 15. text. 20.* tamen, quum ſervus ſit etiam pars poſſeſſionis domini, præter hanc relationem æqualem, inæqualiter ſe habeat. Dominus enim ſervi quidem dominus eſt: at ſervus non tantum reſpective ſubiicitur domino; ſed (N.B.) vitam, & animã, & quicquid denique ſuum poſſidet, domino debet, 1.*pol.3.* propterea, quod eſt κτῆμα & pars familiæ, &c. Hactenus ille. Diabolica certe hæc prorſus vox eſt & locutio; non hominis. Ah calami pudeat quo tales litteræ ſunt depictæ. Si hoc non impugnet imo & ſubvertat naturæ libertatem, neſcio quid ſit, rem liberam impugnare velle & ſubvertere. Et tamen non veretur Stagiritam ſuum miſera aliqua diſtinctiuncula defendere, *num.10.* dum facit ſervos ſcilicet natura, & ſervos contra naturam. Vtrumque falſiſſimum & abſurdiſſimum; *ut ſupra oſtenſum eſt.* Natura enim ſubiiciuntur domino, ait, propter imperfectionem; quia animum gerunt imperfectum, cuius gratia applicant ſe ad id unde perfectionem ſperant. Quod ipſa falſitate & abſurditate longe falſius & abſurdius. Namque primo omnes, quotquot ex Adamo nati extant mortales, imaginem Dei in creatione prima homini inſitam per lapſum eius amiſerunt ita, (*velut ſuperius dictum eſt*) ut nemo penitus ſit omnium, neque ſummus vel ſapientiſſimus ſecundum elementa mundi huius, *ut ait D.Paulus*, neque minutiſſimus, qui non hac imperfectione animi prorſus laboret, atque ſic ex parentibus in hunc mundum procreetur; licet complexio externa, quæ ex influentia ſuperiorum luminarium & ſpiritu mundi cauſatur, propter diverſitatem conſtellationum in corpore externo, quid impedimenti ſecundum magis & minus accipiat, ut minus prompte aut expedite in hoc vel illo virtutes aut vires facultatum per externa corporis membra exerere queat. Vnde etiam ſæpius potentiſſimi reges & principes inhabiliori & incapaciori natura afficiuntur, quam mortalium pauperrimi. Interim tamen quoad animæ eſſentiam omnes mortales inter ſe iuxta generationis modum eadem prorſus conditione conveniunt, nec ulla eſt diſſimilitudinis talis aut imparitatis imperfectionisve ratio. Aſt in ſtatu regenerationis res longe aliter ſe habet; quum Chriſtus in nobis imaginem ſuam merito ſuo reſuſcitarit, & ea realiter nos reſtaurarit in fide & operatione Sancti Spiritus; quæ etiam omnibus competit vere credentibus. Ideoque error talium hominum inde eſt, quod omnino naturæ internam conſtitutionem & eſſentiam ignorent, nec per falſam illam philoſophiam eiuſmodi res indagare queant. Si enim diſtinguere heic rite noſcerent, ubi vere quid ſecundum diſtinctiones proprias & genuinas ex fundamentis internis eruendum & inveniendum eſt, facile eiurarent tam inutiles & profanas terminorum logomachias, quibus ſe & alios decipiunt. Quippe alias inter animam & animum, mentem & ſpiritus diverſos, eorumque facultates & vires; velut etiam inter naturam internam ſpiritalem atque externam, accuratiſſime diſtinguendum eſt: quæ ſapientia vera cum ſuis genuinis principiis, à talium falſo eruditorum mente & oculis plane abſcondita eſt; nec cõceditur ulli, niſi cui in centro ſuo per Iehovæ gratiam imago, ad quam Adamus primus creatus erat, nova Chriſti regeneratione exſuſcitetur; quum in ea, divina illa vera & vivida ſophie aut philoſophia ſubſiſtat, quæ nobis & naturæ univerſæ & rerum cœleſtium deregit monſtratque cognitionem, ut inde ad ſanctum Dei intuitum in fide elevemur clariſſima: de qua ſophia Salomon in ſuis libris, & ipſe Rex David in Pſalmis, ſumma cum lætitia paſſim agunt. Deinde ipſa falſitate & abſurditate quoque hoc falſius & abſurdius eſt, quod natura ſervus à domino ſive hero ſuo mortali perfectionem ſuam, quæ animæ eſſentialis eſt, ut ipſe monſtrat Relector noſter, acquirere aut ſperare poſſit, ut eius gratia ſe ipſi applicare cogatur, & in hanc ſervitutem abſurdam dedere. Etenim quæſo, an in ullius mortalium eſt poteſtate poſitum, ut pro facultate animæ brutalis, quam ille talibus hominibus impie adſcribit, quidquam ſibi aſſumere poſſit, quod perfectionem eſſentiæ internæ in ulla aliqua tali parte ſuperaddat? Pueri quidem addiſcunt ſtudia, linguas & artes, virtuteſque alias externas, fucoſo habitu indutas & veſtitas; quod etiam faciunt adulti: attamen neutiquam in perfectiori anima quam ii, qui ſe talibus aſſuefecere accidentibus habitualibus, quæ qualitates ipſis dicuntur, quoad eſſentiam internam propterea gaudent. Nihilominus tales humanas capacitates & facultates omnino libertatis communis hic turbatores iſtis natura ſervis abnegat; dicens, Virtutis ſtudium in ſervis natura fruſtra quæſieris, qui parum abſunt à brutis. Quaſi talis habitus, fucis vanis palliatus, & interne nuſquam vivide correctus, ſed ſuis nitens ſimulatis pigmentis, tam arduus res ſit! Sed ad

tale

tale ſtudium non fuerint ullo modo apti, multo minus ad verum cultum divinum, quem Spiritus Dei præſtat, poterunt adſuefieri; ſed prorſus erunt ab hominis natura eiuſque capacitate alieni; id eſt, brutales, nec ſpiritum ex æternitate profluentem immortalemve habebunt. Verum nec domini poſſunt cuiquam animam perficere; quum ſoli Chriſto hoc competat. Et blaſphemus eſt in Chriſtum, qui hoc officium ipſi eripere volet. Concurrite igitur heic omnes, ô Chriſtiani, & tales brutales animas ex regno Chriſti expellite, veſtræque libertatis & conſcientiæ vos vindices in hunc ſervitutis naturalis patronum præſtate in tempore, ne maior apud potentes conſcientiæ libertatisque ſuppreſſio per tales malæ & parum Chriſtianæ politicæ doctrinas ſubrepat, aut veſtra nimis affectata dicatur miſericordia, ſi fortaſſe manſuetius arripiatis conſilium. Sed tamen malum malo non eſt compenſandum: quin ipſi meliorem precabimur mentem, ut errores agnoſcat ſuos, & mitius liberaliuſque ſuppeditamentum libertatis ad aulas deferat, ne tyrannici concitentur motus. Quin etiam ſaniora arripere & addiſcere debuiſſet ex Seneca gentili, ſi Chriſtianis fidem habere nollet: velut ipſi aures vellicat, ubi eum male intellectum produxit, *in lib. 3. de benef. cap. 19.* ita proteſtantem: Errat, ſi quis exiſtimat, ſervitutem in totum hominem deſcendere. Pars melior eius excepta eſt. Corpora obnoxia ſunt & adſcripta dominis: Mens quidem ſui iuris; quæ adeo libera & vaga eſt, ut ne ab hoc quidem carcere, cui incluſa eſt, teneri queat, quo minus impetu ſuo utatur, & ingentia agat, & in infinitum comes cœleſtibus exeat, &c.

Merito igitur laudandus eſt Vaſquius ICtus, quod *in præf. ill. contr.* Stagiritæ & eius adhærentium ſententiam in his prorſus condemnet ut impiam. Vnde etiam ex ſupra allatis omnes reliqui ICti defenſi ſatis manent; quum talem ſervitutem omnino neſciat natura, qualis hominibus indita per falſam imaginationem putatur. Figmentum eſt purum, & præſertim in Chriſtiana republica omnino non tolerandum, ubi corruptæ naturæ inſtinctus & ſtimuli per ſe ſunt penitus in ſanctitate fidei, *ut ait D. Paulus*, mortificandi: & proinde nullus agnoſci debet ſtimulus aut inclinatio, quæ non in dilectionem proximi, eiuſque ædificationem vergat aut tendat. Quod ſi vero talis amor pius proximo, uti debet, inſervire cupiat, & ſuperioribus obedientiam præſtare; tunc vere comes it, libertati ſuæ ſervitium ſanctum exhibens; & frater cum amabili ſorore in lucem prodit, quæ pietatem genitricem in Chriſto agnoſcit. Nec tunc longis opus eſt diſputationum ambagibus; ſed dictamen Spiritus Iehovæ credentibus ſuis facile modum præſcribit, ut non tam mire diductis opus ſit legibus, ex corrupta natura petiris. Nam qui Chriſtum vere diligit ex toto corde renato, ille quoque diligit proximum ſuum, & exinde iuxta normam verbi cœleſtis (quod unice in precio habet nocte dieque) omnes callet vivendi, converſandi, ſerviendique cuivis rationes. Is regit, imperat, & ſervit ſimul, ac quilibet ſtatus ipſi aptus venit. Quod puri puti illi naturaliſtæ in regno tenebrarum conſtituti nequaquam intelligunt, ac ne poſſunt quidem; quum ius naturale ſuum ubique exigant, & interim tamen undiquaque ſibimetipſis contrarii ſint, quoties ad modum determinationis in quaque re progrediuntur. Velut etiam noſter tantæ ſervitutis formator in naturæ modo ſibi ambiguus hæret, *d. l. 3. ſect. 3. num. 10.* ubi affirmat modo, quod iura gentium pro conditione perſonarum rem aliter atque aliter definiant, ſalvo iure naturali; quum natura modum non determinet: mox ſibi contrarius ibidem aſſeverat, quod modus ex præſcripto naturæ definiri debeat. Ita modo ait, modo negat, ſemper anceps in opinionibus ſuis. Ita quoque in libertatis deſcriptione, mox ponit quod nihil ei detrahi poſſit, quum nec vinctus propter vincula eam perdat: *ſect. 2. num. 18. & num. 14.* mox ait, *num. 15.* quum vis inferat violentiam, quod ideo tollat libertatem, &c. Sic & de natura hominis ita loquitur. Quando in homine libertatem, appetitum, opinionem, & tale quid conſideramus, non eſt ad corruptos mores cuiuſque progrediendum; ſed reſtringenda conſideratio ad hominem naturæ conformem, qui eſt menſura cæterorum & totius generis humani. *ibid. num. 11.* Nihilominus libertatem ſervi natura, ad bruta animalia & eorum ignominiam reiicit. *ſect. 3. num. 9. &c.* Veluti nec in diſtinctione libertatis ſibi ſemper idem conſtat; dum mox eam facultatem voluntatis facit; mox poteſtatem agendi ut velis, mox politicam, *ſect. 2. num. 6.* nec non contradictionis & coactionis, *nu. 2.* mox pro facultate naturali aliqua, mox iuris, *num. 17.* mox facti ſimul accipit: veluti alibi quoque de iuſta & iniuſta ſervitute agit. *ſect. 5. cap. 3. num. 54.* Verum quis mutabilitates omnes in talibus ſemper vacillantes explicet? Vix eſt pagina in toto illo ſcripto, quæ non ſuis ſcateat erroribus, & contrariis opinionibus, ſi quis accurate omnia examinare velit: adeo fœcundus & dives eſt diſcordantiarum & hæſitationum, ut ſæpius ipſe in multorum verborum præcipitantia & involutione ſui immemor ſe confundat, & in mutua oppoſita prolabatur.

Antequam vero de iuſta & iniuſta ſervitute quid agamus, aut ad libertatem Chriſtianam & ſervitutem eorumque ſtatum ulterius nos convertamus; ſaltem paucis exemplum aliud adducam, in quo mire hic, cum iis, qui ius belli nimis liberaliter & prompte extendunt, videntibus oculis hallucinatus eſt. Res eſt non exigui precii: ideo eam heic cenſendam putamus; præſertim quum etiam hoc tempore bellum maxime, unde ſervitutes iuſtas ſibi confingunt homines, vigeſcat; omneſque peccato minus habent, putantes, iuſte licitam eſſe ſævitiam in Chriſtianos & confratres religionis; imo ut quiſque ſuam iuſtificare poſſit partem, inde mutua condemnatione ſe prius perfodiunt, & tum ad gladii ferrique iura (ut dicunt ſcilicet) provocant, nec ſanguinis dira effuſione ſe conſpurcare verentur. Hac autem de re, ardua inprimis, agit *cap. 3. ſect. 5. nu. 56.* ubi, poſtquam bellum utrinque poſſe eſſe iuſtum, ob probabilem ignorantiam, pronunciaſſet; pro tegumento ſententiæ quæſtionem ita format.

Si bellum incidat ob diverſas religiones, ut inter Turcas & Chriſtianos, Pontificios & Reformatos; An inter eos quoque bellum utrinque iuſtum iniri poteſt; quia utraque pars religionem, pro qua pugnatur, veriſſimam eſſe ſibi perſuaſit? Ego negandum eſſe cenſeo; & propterea nec bellum Moabitarum, Cananæorum, Amorrhæorumque, &c. contra Iſraelitas iuſtificare poſſum; *cum Abulenſi, in cap. 11. Ioſ. Covarruv. part. 2. rel. 6. pec-*

8. peccatum, §. 10. *num. 6. Alber. Gent. 1. de iur. bell. cap. 6.* quidquid illi de probabili ignorantia obiiciant; quia nec ignorarunt, *ut constat ex Num. 21. 22. 23. 24. & Ios. cap. 2.* nec probabiliter ignorare potuerunt, propter magnitudinem multitudinemque miraculorum, quæ adventum Israelitarum præcesserunt. Quod si Turcæ ignorantiam veritatis prætexere velint aut Pontifici; dicemus, affectatam ignorantiam neminem excusare. Omnis autem ignorantia, contra ius naturale & divinum, affectata est. *Grat. & gl. in § notandum 1. q. 4. Alciat. de præsump. reg. 3. præs. 10.* quia, quod omnes scire obligantur, id ignorando nemo excusatur. *Alphons. à Cast. lib. 2. de pot. leg. pœn. ca. 14. ex Bonavent. 2. sent. dist. 10. art. 2. quæst. 2. ad 4.* Et Paulus, *ad Rom. 1.* inexcusabiles, ἀναπολογήτους, pronunciat omnes populos, qui, quum potuerint Deum verum ex luce naturæ cognoscere, gloriam eius cœlestem in humanum cultum seu apertam blasphemiam demutarunt; idque tanto magis, quanto evidentius ex verbo divino patet veritas, quantoq; pertinacius ab iis contemnitur.

CAP. VIII.

De iustitia belli, & servitute eius, disquisitio & examen.

ANigitur nunquam possunt Turcæ pro sua religione bona fide bellum gerere, nec Christianos in servitutem vendicare? Respondet: Non certe, ex hoc capite: quia Christiani, dum ab idololatria eos abstrahere legitime cupiunt, nunquam iniuriam iis faciunt si cæde aut servitute vindicare queant: nec iggorantia, in quam se data opera, contra manifesta documenta veritatis, conjiciunt, excusatos eos unquam reddit: Sed illi partim ius in armis ferunt, & patientiam nobis necessitate exprimunt; partim ex iure civili nostrum consensum, & ultroneam subiectionem, modo illa ad servitutem constituendam sufficiat, (*ut sect. 6. videbimus,*) allegare habent. Nam quia de vi Turcarum constat, nec tamen parcimus nos in discrimen agere; non alia quam nostra voluntate perimus. quemadmodum Diocletianus & Maximinianus consolantur eum, qui contracta defraudatus est, &c. & damnum, quod quis sua culpa sentit, sibi debet, non aliis, imputare. *c. damnum 8. de R. I. in 6. l. 4. in fin. C. de fideic. liber. &c.* Quid est omnium militantium vita, quam rapina? *Salvian. lib. 3. de guber. Dei, &c.*

Quicquid unquam mali in mundo fuscitari & in unum globum quasi convehi potest, id sane in bello confluit, ut nihil horribilius & detestabilius hoc malo fingere possis. Nihilominus sunt homines, qui ab ipsa hominis natura & cognitione sui in ipso Christianismo tam alieni inveniuntur, ut absque conscientiæ respectu ullo plusquam confidenter destructionem generis humani approbent, deque execrãda illa violentia mortis, qua animæ mortalium crudeliter & in magnis copiis ad infernum rapiuntur, iura naturæ maxime conformia conscribere non vereantur. Imo ita acriter defendunt, ut etiam omnia dicta sacræ Scripturæ, & ipsius Christi præcepta de amore sancto, *Matth. 5.* invertere, & vanis aliquibus, ex proprio cerebro effictis, eludere ausint gradibus. Quod ideo satis fervide agunt, ut ipsi iniustitiæ æquas leges & iura naturalia attribuant, ne bellum his repugnare dici possit. Atque ut eo magis potentum animos sibi concilient, pia bella proclamant; quasi pium infernum, album nigredinem, bonum diabolum, iustam iniustitiam, piam defraudationem, lucidas tenebras vocare velis; & ipsum iræ fervorem in dulcissimum amoris favorem convertas. *Vide Hug. Grot. de iur. bell. ac pac. lib. 1. cap. 2.* En tanta est affectata mortalium in medio Christianismo ignorantia, ut nihil aut parum discriminis inter pium & impium, regnum diaboli & Christi, vitiave & virtutes, improbitatem & vitæ sanctimoniam habeatur; quando temerarii illi eruentam crudelitatem libertimæ licentiæ pervicaciter asscribere non dubitant, si adsit saltem belli prætextus Quæso, agnoscite hoc, mortales; an non iam consecuti sumus ea tempora, de quibus nos præmonuit Christus, dicens: Imo veniet tempus, quum, quisquis vos interemerit, putabit se cultum præstare Deo. *Ioh. 16. vers. 2.* Eousque enim omnes prope in tyrannica processerunt væsania, ut effusio sanguinis humani & interneciones rebus licitis accenseantur, modo iure belli possint aliquatenus colorari, quum illud nihil iniustitiæ in sese cõtinere à sanctionum talium effectoribus dicatur. At væ, ait Propheta, trahentibus iniquitatem funibus vanitatis; &, veluti denso fune plaustri, peccatum. *Esa. 5. vers. 18.* Væ dicentibus de malo, bonum esse; & de bono, malum esse: statuentibus tenebras pro luce, & lucem pro tenebris: statuentibus amarum pro dulci, & dulce pro amaro. *Ibid. vers. 20.* Obfuscationum rationes quidem heic in contrarium afferuntur quam plurimæ; *ut videre est apud Timpl. pol. lib. 4. cap. 10. q. 1. & 2. Schonborn. pol. lib. 6. cap. 1. Bocer. de bell. lib. 1. cap. 6. Althus. pol. cap. 29.* Sed nemo omnium est, qui ita accurate collegerit omnes quam Hugo Grotius, *in d lib. 1. de iur. bel. & pac. cap. 2. & 3. cap. 3.* An vero temere verbum Dei possit ad forum contentiosum retrahi aut repelli, ut Vasquius, *lib. 1. contr. cap. 9. num. 15.* hoc à foro conscientiæ dirimit & separat; id Tertullianus, *tract. de idolatr.* & Lactantius, *5. Inst. divin. 22. & 29.* & omnium maxime ipsum æternum & immutabile verbum Patris Iehova Iesus, *Matth. 5. & 6.* diiudicet: quum bene examinandum sit, quid defensioni naturali competat. Recte ait Cominæus, quod bella inceptu & prima facie læta, exitu vero difficilia sint. Atque propter nemo suadere hodie bellum ausit, quasi res levis sit, quæ facile detergi possit. Christus dilectionem exigit. Væ, qui hanc turbant! At iustas confingunt causas. Quasnam vero? Alias videlicet apertas sive manifestas: alias occultas, quæ semper primario intenduntur. *Schon. lib. 6. pol. cap. 3. & 4.* Manifestæ continent repetitionem per violentiam ablatorum, defensionem contra vim & iniuriam, defensionem religionis, & conservationem pacis, iniustam denegationem transitus per provinciam, ac rebellionem subditorum. *Menoch. lib. 6. præs. 96. Pet. Mart. lib. 2.* quas Althusius *in pol. cap. 29.* ad duas redigit: defensoriam & vindicatoriam, quarum vtraque aut publica aut privata est. Occulta vero sunt, quæ semper directorium obtinent, nimirum avaritia, ambitio, propriaque gloria, &c. An vero hæc & similia iuri Evangelico, *vt ait Grotius*, competant, id mox explicabit Teutonicus noster; modo prius examinaverimus ex nostro Relectore politices paulo ante addictas

binas illas quæstiones de Turca & Pontificiis negotium hoc bellicæ servitutis attinentes. Interim auctor ero cuivis, ne quis opinione sua vana profanaque in hoc tam serio negotio temere Christi verba distrabat torqueatve; quum summum Christi despectum importent. Ceu monet ipse Christus, dum ait, *Ioh.12.v.48.* Qui adspernatur me, nec recipit verba mea, habet qui condemnet ipsum. Sermo quem locutus sum, ille damnabit eum ultimo die: Quia ego ex me ipso non sum locutus; sed, qui misit me, Pater, ipse mihi præcepit, quid dicam, & quid loquar. Quare nemo heic tentet, dolo aut falsa interpretatione argutiisve ratiocinii profani expressa Christi verba palliare. Vindex iustus est, eritque semper, in eum qui abuti eius integro cupiat sermone, quem absolute adeo simplicique forma proponit. Quæris autem, quis sit? Eius sinceram mentem *Matth.5.6.& 7.* atque perfectissimam legem, summamque omnium, consulito. Quærenti legispetito ita respondet Iehova Iesus, *Matth.22.v.37. & 39.* Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, & ex tota anima tua, & tota mente tua. Illud est primum & summum præceptum. Alterum huic simile est: Diligas proximum tuum sicut te ipsum. Quod autem per proximum non tantum Hebræus Hebræo intelligatur, ut vult Grotius, *d.l.pag.38.* satis in similitudine de Samaritano id explicat ipse Christus *Luc.10.verſ.36.& 37.* Sicut etiam Propheta ait; Homo, dictum est tibi, quid sit tibi agendum: nempe, Præceptum servare Dei, charitatem exercere, & humilem te præbere coram Deo tuo, &c. *Hos.* Ita D. Paulus: Estote igitur imitatores Dei, ut filii dilecti; & ambulate in charitate, sicut & Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis oblationem ac victimam Deo. *Ephes.5.verſ. 1.& 2.* Hæc norma cuivis facile decisionem largietur in consultationibus belli, num regno amoris sancti, regnum belialis & iræ cruenter possit includier. Satis scite quidem has quæstiones de Turca & Pontificiis formatas quilibet iudicabit incautus, qui non vim penetrare novit. Sed si recte rem iuxta conscientiæ testimonium ex verbo Dei petitum examinemus, facile patebit, quis error subsit. Namque præsuppositum id falsissimum est, dum statuit, propter religionem Christianam bellum iuste subiri posse, quum Christus hoc iudicium sibi reservarit soli; ut *sup. ex Ioh.12.& Matth.cap.13.v.30.* patet. Imo nec persecutionem aut vindictam mortalibus cõcessit propterea. veluti discipulos suos inhibet, *Luc.9.v.55.* ne ignis vindictam è cœlo postulent; quum tantopere pigeret eos, quod abs hominibus in itinere Hierosolymitano non reciperentur: dicens; An nescitis cuius spiritus filii sitis? Filius hominis non venit ad perdendum animas, sed ad servandum. Sic etiam *Matth.10. v.14.* mandat discipulis, ut exeant è domo illa, ubi non recipiantur. Tantum abest quod hominibus velit religionis caussa persecutionem concedere. Vnde & *Matt.13.v.30.* ait: Sinite crescere utramque usque ad tempus messis: & tunc ego messoribus dicam; Colligite prius zizaniam, & in fasciculos conjicite, ut comburatur. Hominibus atque discipulis prorsus non vult id concedere, ne propter ignorantiam utrunque averruncent. Itaque non tantum ob ignorantiam nullum factum atrocius est admittendum, sed etiam quia est expresse prohibitum. Velut etiam Christus reprehendit Petrum gravi commination, quum se gladio lictoribus opponeret, qui Christum ex horto captivum abducebant, *Matt.26. verſ.52.* dicens; Quicunque acceperint gladium, gladio peribunt. An igitur gladio aut bello possit regnũ Christi propagari? Spiritus Sancti est opus & sancta operatio, ut ille in veritatem ducat mortales; *ut ait Christus, Ioh.16.* At Christi Spiritus, non est Spiritus sanguinolentiæ, sed gratiæ, & dilectionis, qui omnia in amore sancto perficere cupit. Quare gladio proprio se invicem iugulantes, in infernum præcipites ruunt, quicunque loco verbi cœlestis, gladii volent uti iure, & eius vigore convertere homines, velut non adeo pridem legi alicuius præcipui epistolam, qui dictum superius positum Christi, *Matth.13.* ita perverse ausus est allegare, quasi Christus mandarit hominibus, ut zizanias (quos hæreticos vocabat) fasciculis colligatas comburere deberent; quum tamen expresse id prohibeat, sibique hoc reservarit, ipsosque angelos messores faciat. *verſ.39.* Sic pessime Dei verbo illi mali abuntur. Tale vero remedium omnino abhorret Christus, & prohibet unice. Proinde propter infidelitatem populi alicuius, contemptum aut abnegationem fidei Christianæ, iusta gerendi belli causa in æternum nunquam allegari poterit, nedum propterea bellum ullum suscipi, quicquid heic alii suggerant. *l. 6. C. de paganis, cap. dispar. 23.quæst.8.c.Iudæi, Extr. de Iudæis. c. qui sincere 45. dist. Quod etiam tradunt Dec. in c. quæ in Eccles. num.110. Extr. de consuetud. & in c. consuluit 29 num.10.& 11. ff. de appell. Rainold. Corſ. in add. ad Oldrad. conſ.72.& conſ.264. Covar. in c. peccatum. 2. part. Relect. §. 10. num.1.& 2. de reg. iur. in 6. Boc. d.l. de bell. cap.6.*

Deinde, si Turcæ ignorantiam veritatis aut Pontificii (ut ait) prætexere nequeant; multo minus Christiani, sint cuiuscunque sectæ velint: quum hos minus deceat crudelitatem & cædes sequi: aut merito dici poterit, quod multo magis affectata sit ignorantia eorum, quum contra statum regenerationis, verbi cœlestis præscriptum, conscientiam ipsam, & officium Spiritus Sancti, Christianitatisque virtutes omnes pugnet hoc immane facinus. Etenim quei nam poterit ille converti, & ad veram Dei cognitionem pietatemque Christianam allici aut deduci, quem gladio persequi, & tandem ante diem crudeliter è medio tollere cupimus? An iste modus est licitus, quo quis ab idololatria possit retrahi? An sic documenta veritatis rite producuntur, dum cæde & morte quis perimitur? An ita ius Spiritus S. in armis gestandum est loco amoris & verbi cœlestis? Quisque suam examinet conscientiam, an ius, an vero iniuria hoc pacto exerceatur.

Tertio, si novit, omnium militantium vitam nil aliud esse quam rapinam; quei ergo Christianis conditio hæc persuaderi possit? Num possint in cæde & rapinis vivere, & nihilominus manere Christiani? Nemo potest certe dominis servire duobus, *ait ipse Christus.* Quomodo Christus & Belial inter se conveniant bene? Dicat alius; quia meum exuperat captum. Attamen & ipse fatetur, *sect. h. num. 55.* quod contrariæ caussæ nequeant simul veræ esse, nec simul iustæ esse, quum inter contradictoria medium nullum detur. An vero ignorantia talem excusare neutralitatem, & exinde fidem bonam, qualem ibidem vult, absque expulsione alterutrius interponere queat, id probet ille cui maiores probandi vires suppeditant.

ditant. Ius Evangelicum, iuxta Grotii locutionem quum lucis iustitiam communicet; talia non concedit: quum ex amore Iehovæ inter mortales, meros gratiæ, mansuetudinis, dilectionis & patientiæ dispergat radios. Si quis in ignorantiæ nebulis hæreat, an propterea in rapinas, cædes, furta, & eiusmodi extrema flagitia sub specie iustitiæ proruat? Hocne diabolicum est, an Christianum? Num nox possit esse dies? Exemplum litigantium de iuramento calumniæ, quod utraque pars bonæ fidei dicatur usque ad determinationem sententiæ, certe nimis fragile est. An usus iste non vulneret conscientiam, decidant Christus & D. Paulus, *Matth.* 5. 33. & 23. 16. 20. & c. 1. *Cor.* 6. *vers.* 7. O quam multa ex tali iure in præiudicium veri Christianismi profluunt? Quam multis modis eiusmodi ethnica forent corrigenda; si veritati locus amplior patesceret? Securitas mortalium nimia est, adeo ut in iis nullum dent conscientiæ locum quæ maxime tamen eam tangunt. Forte nil inde provenit aliud, quam ut in duplicis conscientiæ mŏstrosa virtute, velut ille nobilis Consul M. B. homines excellere cupiant. Sed de his quum etiam superius ad iniquum iudicium Bansellicum Caroli M. sit actum pluribus, non opus est ut diutius tam manifestis inhæreamus.

Decisionem huic negotio adiiciat ille Teutonicus. cuius *ad 14. cap. Geneseos de bello Abrahamico* insignis cŏmentarius, *capite 38. sui tractatus*, ita habet: Ex his igitur luculentissime perspicitur, ait, quodnam mortalium studium, labor & intentio, ab ineunte usque ætate fuerit; quomodo ex imagine Dei te in semidiabolicas proprietates intromiserint; utpote in superbiam, avaritiam, ambitionem propriæ potentiæ; quemadmodum etiam ipse diabolus talia expetebat, & proinde ex suo deturbabatur regno. Namque gentes & Chami posteri Sodomæ & Gomorrhæ, atque in omnibus vicinis regionibus, dominari incipiebāt. Inter quos Abraham adventitium agebat, & in Hain Mamre tanquam in deserto aliquo habitabat. Ethnici vero in perpetua concertatione ob mūdi huius regnum fervebant, atque inter sese disceptabant (propter externam dominii potentiam) qua ratione populus populum imperio subiugare posset. Atque huius voluntatis corruptæ libido seu insatiabile studium regnandi usq; in hunc perduravit semper diem, & originem suam ex ethnicis & Chami filiis tanquam ex divisis Babeliæ linguis, in quibus vires formati verbi latebant, traxit. Quum igitur proprietates naturæ in tot divisiones abirent, atque unaquæque aliquid proprii sibi vendicaret; tunc prœlia & mutuæ conflictiones inde emergebant inter eas. Namque centrum naturale tenebricosi mundi prædominium in lapsus Adamici proprietate obtinuerat; quoniam homines omnino regno Dei, velut in amore & humilitate, mortui erant, atque exinde astris externis & quatuor elementis subditi vivebant. Tum quoque diabolus in serpentino ente hominis sibi arcem deprædatoriam erexerat. Ideoque solummodo istud ambiebant, quod ad potentiam & dominationem externam eos evehere posset. quod ex eo manifeste apparet, quia diabolus cunctos in ira Dei misere elusit, ita ut mutua cæde invicem sese confoderent, & temporarias voluptates in maiori precio quam vitam ipsam haberent. quum summa hæc sit stultitia, quando non dubitant ob futilissimā superbiam in extremum se vitæ periculum præcipitare; haut attendentes, an quispiam pro commodo eius rei, propter quam cædes & interneciones subit, vitam sit conservaturus. Ex his satis liquido constat, quod diabolus in invidia & insolentia sua occupatos eos omnes sibi abripuerit. Namque totus latissimi mundi campus & universitas ad inhabitandum nationibus illis exposita erat: tum quoque quamplurimæ regiones insulæque adhuc à nemine occupatæ patebant. Nihilominus prælia funesta inter semetipsos concitabant, ut alter alterum dominio subiugaret, & exspoliaret simul. Atque sic diabolus, tanquā hostis mortalium acerrimus, in suam detrudebat superbiam omnes, ut sibi servitute sua devinctos teneret. Non igitur illum frustra Christus mundi huius principem appellat. Certe ille est princeps secundū proprietatem furoris in tenebricoso mundo vigentis; quum sic iuxta eam proprietatem imperio suo hominem in corpore, anima, voluntate atque spiritu premat. Etenim quodvis bellum ac prælium ex tenebricosi illius mundi natura & proprietate, tanquam ex quatuor elementis iræ Dei, quæ in creaturis superbiam, invidiam, avaritiam & iracundiam causantur, originem sumit. Atque hæc sunt vere quatuor illa elementa iræ Dei, & elementa quatuor tenebricosi mundi, in quibus diabolus cum malis cūctis creaturis degit. Vnde sic ex quatuor illis elementis bellum exurgit. Namq; licet Iehova populo Israelitico expulsionem ethnicorum iniungeret, & arma induere eos iuberet; tamen omne hoc ex ferventi ira Dei, tanquam ex ignis proprietate, iussum proficiscebatur. Namque gentes nimiis peccatis furorem eius concitarant, qui devorare illas statagebat. Iehova autem, quatenus ipse Deus vocatur, plane avertatur bellum, neque potest quid mali aut corruptibile expetere; quoniam iuxta secundum principium, quod ipsam lucem edit, semper benignus largitor est, omnibusque rebus semetipsum communicat. Ast iuxta tenebricosi mundi naturam est iracudus zelotes Deus, & ignis consumens. Quod si in hoc tenebricoso mundo furor eius concitatur, quidquid circumcirca est, altius in eo ebulliens, ac inflammando sese exerens, absorbere id omne expetit. Atque ex ea proprietate præcepit Israeli bellum movere, & gentes delere. Ipsius enim ira in illis inflammata erat; instar ligni, quod igni additur, & tunc ignis absumere gestit. Proinde furor Iehovæ huic populo alterius extinctionem demandabat, ut ex eius furore penitus deleretur; alias iræ suæ ignis sese inflammasset, veluti Sodomæ & Gomorrhæ quinque illis regnis factum erat. Sic refocillabat furor Iehovæ in vita impiorum, ut in ipsismet eos absorberet, dum alter alterum interficeret. Vti in hunc usque id perficitur diem, ubi sæpius homines Iehovam invocant, pro obtinenda sorte victoriæ contra hostes suos, ut eos cæde mactēt sua: Verum Iehova non illis victoriam in hoc concedit, sed potius ensem iræ suæ, quem precatione & voluntate sua concitarant. Quod si veri essent homines, & filii Iehovæ, non ullo unquam indigerent bello. Quippe Spiritus Sanctus non bellatorem agit; sed ille amator est & benignus dator. Ast secundum iræ proprietatem devorat omnem rem impiam, & tamen eo magis exstimulatur. Nam quo plura igni ligna adiiciuntur, hic ipse item stimulatur, eo magis vigescit, donec absumat quæcunque arripere valet.

Similiter & hoc de ira Dei intelligendum eſt. Ille furor iracundus Dei in Adamo inflammatus erat, atque ipſi imaginem ſanctiſſimi mundi abſumpſerat, & inde ex Adamo in omnes depravatio pertranſibat. Namque illi in linea fœderis, ſecundum primũ principium, velut iuxta animam atque corpus ſimul, inflammatum furorem pariter in ſeſe continebant: E s s e illud ſerpentinum, iuxta inflammatam animam, craſſamque animalem mortalis hominis proprietatem, tam Abrahamo quam eius filiis cæteriſque nationibus inerat ; excepta linea Chriſti; quæ peccantis hominis nullatenus exiſtebat ſubſiſtentia, ſed in Dei erat poteſtate; velut cœlum in mundo viget, nec tamen alterum alterius E s s e ingreditur; aut velut cœlum in inferno & infernum in cœlo hæret, nec tamen alterum alterius identitatem ſuſtinet aut complectitur; ſive, uti nox in die & dies in nocte; ſive velut naturæ lux ſplendore ſuo in tenebris viget & eas inhabitat. Ita hoc quoque nobis percipiendum eſt, ad quemnam modum filii ſanctorum bella contra turbam impiorum formaverint ſua, eoſdemque diſſipârint; videlicet in iræ proprietate, quæ gladio ſuo illos pertranſibat , ad gentes & Chami delendum genus. Namque Abraham gentibus illis, qui fratris ſui filium Lothum ceperant, & ſecum abduxerant, cum tota domo in armis occurrebat, eumque ex manibus illorum, cæſis gentibus, liberabat. Hoc ita in furore Dei peragebatur, qui filios ſuos per potentiam iræ ſuæ liberare ſolet. Quod enim impiis exitium affert, iſtud ſanctis ſaluti & liberationi eſt. Quod vero illi, qui Chriſtiano gaudent nomine, tales vocari, &, quos oportebat cum Chriſto iræ & furori Dei in Chriſti morte mortuos eſſe, bella gerere volunt; hoc certe non ut Chriſtiani faciunt, ſed tanquam meri ethnici. Nemo vere Chriſtianus belligerat. Namque ſi verum Chriſtianum agat, tunc in quatuor elementis iræ Dei, in radice cordis ; in & cum Chriſti morte denatus, & è contra in Chriſti amore vivido, ceu novus homo, renatus eſt, qui in iuſtitia, in dilectione, & patientia vivit, nec ſibi ſoli, ſed Deo patri in Chriſto. Quippe verus Chriſtianus converſationem & voluntatem in cœlis tranſigit, atque in ſpiritu Chriſti vivit, ut S. ait Paulus: Converſatio noſtra in cœlis eſt. Quod vero Chriſtiani bella gerunt, hoc ex ethnica, & non ex Chriſti proprietate agunt. Namque verus Chriſtianus non eſt ex hoc mundo: regnum eius in cœlis eſt; atque ille in Chriſto mortuus eſt mundo, ſecundum novum in eodem hominem. Ethnicus ille, tanquam ſemidiabolicus homo, qui regnum ſuum in hoc mundo poſſidet, in Chriſtianis exercitium deſiderat armorum, bella ſevere cupiens, atque cædes; cui nullus terræ locus ſatis amplus videtur, quum in quatuor elementis iræ Dei vivat, utpote in ſuperbia, avaritia, invidia & iracundia. S. Paulus ait; Exponite membra veſtra armis iuſtitiæ. Quur vero bella ſuſcipiuntur? Nonne propter regnum huius mundi? Et tamen Chriſtus ait, quod regnum ſuum non ſit de hoc mundo. Iam igitur ſi corpora noſtra & animas armis exponimus iræ Dei, & per talem conatum ſaltem noſmetipſos quærimus ; atque propter regnum huius mundi tantam ſtragem edimus; hui quam egregios nos probamus Chriſtianos! Iactamus quidem nos tales ore; at corde & anima intus meri ſumus ethnici, neutiquam ex Spiritu Chriſti renati. Abraham quum ethnicos obtunderet, nihil quidquam ex gentium rapinis ſibi expetebat; ſed regi Sodomæ omnia reſtituebat, quæ ab gentibus ipſi erant erepta ; & zelotem Domini ſolummodo agebat. Non ille propter provincias aut ſubditos & regna arma induebat , ſed ut liberaret fratrem ſuum. Zelus iſte veritatis erat, quem Iehova in eo urgebat, ut liberaret ſuos. Non exurgebat armatus propterea , ut regionem aut civitatem inde lucraretur: ac licet obtinere eiuſmodi potuiſſet, nihil tamen eorum quærebat, ſed retro in ſuum revertebatur locum.

Admodum mirabiliter porro Spiritus in Moſe heic loquitur; & dicit, quod, reverſo Abrahamo ex prælio, Rex Sodomæ illi ſit obviam egreſſus, & Melchiſedech rex Salem protulerit panem & vinum; qui fuerit ſacerdos Iehovæ excelſo, qui cœlum & terram poſſidet; & benedixerit Abrahamo; & quod illi Abraham decimas perſolverit. Ac licet de hoc ſacerdotio alias nihil in ſacra Scriptura inveniatur, tamen veriſſime de Chriſto typus fuit. Namque Spiritus Dei alio in loco de Chriſto teſtatur, quod ſit ſacerdos in ordine Melchiſedech. Ita plane occulte Spiritus Iehovæ figuram Chriſti in Abrahamo depingit, & vocat eum regem Salemi, & ſimul ſacerdotem Iehovæ altiſſimi; quaſi diceret, Sacerdotem ſalutis & chriſmatis; quemadmodum in ſenſuali lingua ſonus eius exprimitur: id eſt: Chriſtus ipſe benedixit Abrahamo, & obtulit ipſi panem & vinum, videlicet carnem ſuam & ſanguinem; atque ita ille ipſius fuit ſacerdos, qui Abrahamum cum filiis ſuis Deo reconciliavit. Namque Abraham gladio iræ Dei adverſus gentes uſus fuerat: proinde nunc Melchiſedech adveniebat, & denuo benedicebat Abrahamo, ne gladius Turbæ illum deprehenderet; & obferebat ipſi panem & vinum, hoc eſt, cœleſte ens, quod in ſemen Abrahami introducere cupiebat, inque carnem & ſanguinem mutare: unde Patris iram in fœdere tanquam in typo reconcilians complacat ei. Nam ſacerdos iſte veriſſime ſpiritualem exhibet hunc intellectum nobis. Licet enim Abraham ſimili modo ſecum habuerit talem ſacerdotem, ſub figura Chriſti; tamen ait Moyſes, quod fuerit ſacerdos Dei, qui dixerit ad eum, Benedictus ſis Abraham altiſſimo, qui cœlum & terram poſſidet, & hoſtes tuos in manus tuas tradiderit concluſos. Id certe de nemine alio, quam de Chriſto intelligi poteſt, qui ſæpius Abrahamo in tali figura ſe exhibuit, & toties ipſi benedixit. Namque Spiritus in Moyſe illum quoque regem Saleminum vocat. quod nil aliud ſignificat, quam regem ſaluris; cui Abraham decimas perſolvit. Proculdubio ſecum in ſacerdotali ordine is vixit cui perſolvit decimas : Aſt hic rex & ſacerdos erat ille, de quo concionabatur , qui cum illo contrahebat ita quod eſſet æternus eius futurus ſacerdos; cui Abraham decimam , tanquam decimam proprietatem humanæ proprietatis, in ignita lingua animæ devovebat; & ſacerdos in eum conferebat panem & vinum ſuum , cum benedictione, tanquam amoris ignem; tincturam videlicet luminis cum eſſentia divina: ut Abraham in hoc pane & vino tincturam lucis in ignita anima reciperet, atque ita imago Dei in illo redintegraretur. Proinde quoque Chriſtus eidem mulieris tincturam in lucis ente, ut viri & mulieris proprietas in unam redirent imaginem, reddidit. Atque iſtud hoc loco indicat Spiritus ſub ſpecie re-

cie regii ſacerdotis Saleminis. Eſdra enim, qui amiſſa Biblia ex cognitione Spiritus Dei ſcribis ſuis dictavit ad calamum, ſatis hæc perſpexit, & propterea Spiritus Dei hæc ita refert. Unde ſatis commode perſpicitur, quo pacto Eſdra ex viſione Spiritus hiſtoriam hanc Abrahami conſcripſerit. Namque tota hiſtoria Abrahami ſub Chriſti perſona præfiguratur, quum ſit typus Chriſti. Hunc ſacerdotem Salemi Abraham in ſpiritu vidit. Quoties Abraham ſacrificabat, ſtatim ſacerdos iſte in victima eius apparebat, & ſacrificabat Deo, quia mundum ſacrificio ſuo reconciliare debebat. Inde erat ſacerdos Dei. Ipſe Abrahami voluntarium ſacrificium, velut eius preces fideique vota, in ſanctum Iehovæ ens introducebat; in quo ente, tanquam in eſſentia divina, panis & vinum porrigebatur animæ Abrahami; ut ita in menſa Iehovæ ſaturaretur; donec iſte Abrahami fieret ſacerdos, id eſt, ſe Abrahamo in cœleſti corpore, velut animæ cibo, in vero pane & vino, manifeſtaret, &c.

Item *cap.* 47. ait: Inter omnes res geſtas Abrahami, quas conſignavit Spiritus Moyſis, duplex intelligenda figura eſt: exterior nimirum quædam hiſtoria, quæ ita peracta ſit, ſub qua hiſtoria figuram ſuam Spiritus Dei in fœdere ſuo tam appoſite interſerit, quaſi meras ageret in ea delicias.

Item *cap.* 46. Quare ita pronunciamus omnia ut Iehova nobis agnitionem largitur. Inde adeo, ſi quis res geſtas veteris Teſtamenti rite perlegere, & intelligere ſolide velit; neceſſum eſt, ut binas illo ſibi proponat figuras; nimirum, in externis Adamum, tanquam hominem terrenum; in internis vero Chriſtum. Si binas iſtas figuras in unam transformet, continuo intelliget quidquid Moyſes & Prophetæ in ſpiritu locuti ſunt. Caveat omnino, ne cæcorum more quidquam aſpiciat; ceu Iudæi & Babylonia fecerunt, qui ex hiſtoriis iſtis rationales conficiunt concluſiones, &c.

Porro, quum eadem haut diſſimiliter, ſed lucidioribus tamen verbis, *cap.* 33. *einſd. lib.* explicet; non incommode heic & iſte annectetur locus. Sic igitur ait: Si quis naturæ præfectus viro iuſto vitam adimit ſuam; eum ſane, qui hoc facit, Iehovæ iudicio natura deſtinat ad audiendum ſententiam. Quorſum igitur tyranni illi effugient, qui Verbi ſapientiam in mendacia transformant, & Filios Dei propter eiuſdem agnitionem & confeſſionem turpiter ſuppliciis afficiunt, nec non bello & pernicie regiones & populos ſubvertunt? Hi omnes referuntur ad Turbam magnam, iudicio Iehovæ deſtinati. Namque gladium Turbæ in propriam voluptatem ingerunt; niſi ſpeciali mandato Spiritus Dei illos inſtiget; tunc id officii ratione exſequi omnino tenentur; velut Iſrael in gentibus hoc præſtitit. Quidquid ex propria libidine, ad potentiam ſuam extollendam, abſque neceſſitate, aut mandato ſingulari Dei, ſanguinem profundit, hoc à furore Iehovæ ad id exſtimulatur & concitatur, & tandem regno huic appropriatur. Unuſquiſque miles eſt iræ Dei virga, qua furor eius malitiam mortalium ita punit & abſumit: nec ullo modo pertinet ad ordinem naturæ, ſed ad appetitum Turbæ magnæ, videlicet appetentem furoris ordinem, per quem Iehovæ ira regiones & regna ſubvertit. Ordinatio illa proprietatem naturæ in tenebricoſo mundo concernit, quæ potentiam ſuam tempore malignitatis humanæ exerit per Iehovæ permiſſionem; atque tum omnia ad furoris libidinem ſuccedunt, donec illa ſe ſatis recreavit in ſanguine humano. Namque hæc eadem eſt Racha ſive vindicta Dei, de qua dicit, quod ipſe vindicare velit ſanguinem hominum, &c.

Qui locus ex iis, quæ in proxime antecedenti capite allegata ſunt, ita contineri ſive compleri poteſt, ut non ſit opus pluribus heic eadem repetere. Diſtinguant igitur, quouſque volent, illi iuris bellici tam inſolentes commentatores, & privata quoque prælia concedant, quaſi licite ex iure naturæ propter iniuriarum propulſationem (*Grotius lib.* 1. *de Iur. bell. cap.* 3. *num.* 1.) gerantur: reverentia, quæ Iehovæ præceptis & præſcriptis debetur, niſi rectius obſervetur, cuique ſuum imponet malum, & iudicem nimis ſero inveniet qui mature in viam non redierit. Sed forte quis obiiciat; (ut humana ratio ſemper potiores ſuarum inventionum partes agit, ac, ne quid culpæ ferre videatur, ſtrenue defendit magis, quam ut eſe ad mandata Iehovæ retrahi patiatur;) obiiciat, inquam; quod Chriſtianorum non tantum cœtus, reſpectu omnium, paſſim admodum exiguus ſit; ſed etiam inter ipſos Chriſtianos eſſe vix aliquos, qui rem ita intelligant: velut ille quoque clamat: Quid poterunt hi tam pauci numero conficere contra totius mundi præiudicia? *Arn. rel. lib.* 1. *cap.* 3. *num.* 36. Item: Vna hirundo non facit ver. *God. l.* 42. *ff. de V. S.* Nec ad paucarum gentium mores corrigendus eſt univerſus orbis; imo nec ad multarum. *Id. ſect.* 3. *num.* 36. Effugium quidem magnum videtur: Sed uti ſola hominum opinio nihil iuris extruit veri, ſi iuri naturæ contradicat; ita multo minus tanti erit ponderis, ſi verbo Dei quid audeat derogare. Nam veritas religionis non ex principiis corruptæ naturæ, multo minus ex iure gentium, ſed ex revelatione divina pendet; *dicente eodem, d. l. nu.* 41. *Relectore.* Quamvis etiam mire ſe præcipitat, dum excuſare gentes conatur in hoc quod non tantum uno impetu omnes, ex defectu revelationis, quæ paucis obtigerit, aberrarint, & ſuperſtitioni alteri poſt alteram ſe implicuerint; ſed etiam ex iure belli ſervitutes pœnæ loco iuſtas conſtituerint. Quippe, quum bellum iuſtum ſtatuat, non curat obiectionem, quam Bodinus ex hoſtiis humanis aut ipſe ſibi movet; nimirum, quod ex luce naturæ gentes potuiſſent intelligere, contra naturam eſſe, humano ſanguine delectari. Sed reſpondet ita: Quid tum poſtea? An non auctor naturæ potuit naturæ detrahere, & multa contra naturam vel ipſis Iudæis conceſſit? Velut exemplum adducit in Abrahamo, cui à Deo demandata erat immolatio filii unici. Et addit: Ut autem hic conſtanti fide putavit, obtemperandum illi, quem errori alicui obnoxium cogitare nefas ſit: Ita ſuperſtitio ethnica, perſuaſione numinis dementata, eo ſibi ſequendum credidit quo raperetur à falſis oraculis, etiamſi in ignem ire iuberetur, in foveam ſalire cum Curtio, aut in tela ruere cum Codro & Deciis. Adde, ait, quod duo Deorum genera crediderit ſimplicitas ethnica; alios, qui noceant; alios, qui beneficiant. *Gell. lib.* 5. *cap.* 12. *&c.*

Quænam vero hæc excuſatio blaſphema? An non magis eſt ſui ipſius accuſatio & refutatio graviſſima? Nunquid culpam idololatriæ ethnicæ cum tyrannica crudelitate Chriſtianum tam aperte in Deum

reiicere decet? quaſi ille contra naturam quid ſanguinolentum mandet? Quot verba, tot prope errores; nec ſine blaſphemia; quæ nec abſque ſcandalo quis legat pietati veræ deditus. An ſummus Iehova peccati tam atrocis auctor, aut ſtimulator occultus inſimulari debet, ſi quando naturæ luci nonnihil detraxerit, vel contra naturam quid præceperit? In tantumne ab oraculis falſis dependere debebant, ut inde perſuaſione numinis dementarentur, & in ignem aut foveam proſilirent? Quid hoc? Num hæc poteſt aut debet dici ethnica ſimplicitas, ſi tot fingant deos, ut in duo genera bonorum & malorum diſtribuant? An quæſo hæc ſimplicitas aut malitia debeat dici, & ſapientiæ profanæ argutia? Vel potius arguta arrogantia & ſuperbia? An non hæc directe Chriſtianiſmo Pauli opponuntur? *ad Rom. 1. & 2.* qui expreſſe *ἀδικίαν* hanc, impietatem & iniuſtitiam vocat hominum, quod veritatem in iniuſtitia detinuerunt, & eam in mendacium transmutarunt; unde manifeſtata ſit ira Dei ex cœlo? *verſ. 18. 25. &c.* An non ipſi in ratiocinationibus ſuis vani facti ſunt, & cor obtenebrarunt ſuum, mutaruntque gloriam incorruptibilis Dei in effformatam imaginem? *verſ. 21. 23. &c.* Nonne Dei veritatem tranſmutarunt in falſitatem? *verſ. 25.* Quæſo, an hæc ſit ſimplicitas gentium? num vero malitia? Decetne ita turpiter quenquam, has ſummas blaſphemias & peccata in virtutes convertere? Cuinam potius fides ſit habenda; an Spiritui Dei in Paulo; vel homini vaniſſimo, qui ſibi tot conſuit contradictiones, quot ipſi lubet? Pudeat merito, Chriſtianiſmum profiteri velle, & tamen Chriſto & ſibi ipſi contradicere. Sed non opus eſt pluribus verbis: Ipſe ſibi ſit refutator iterum contradictorius binis in locis. Etenim *paulo ante, num. 30. 31. 32. & 33.* recte pronunciarat, quod errore communi gentes & nationes quam plurimæ peccarint; adeo, ut inde ne ius quidem induci poſſet. Quonam iure igitur heic quid conſtituunt, ubi tam graviter etiam in ipſum Deum impegerunt malitia ſua & inverſione rerum? Deinde, *in eadem ſect. num. 57.* recte cum D. Paulo, inexcuſabiles, *ἀναπολογήτους*, omnes pronunciat populos, qui, quum potuerint Deum verum ex luce naturæ cognoſcere, gloriam eius cœleſtem in humanum cultum, ſeu apertam blaſphemiam demutarunt; idque eo magis, quo evidentius veritas ex verbo elucet divino, & ab iis pertinacius contemnitur, &c. quæ verba etiam ſuperius allegata ſunt. Ecce, quomodo hæc iam ethnica poteſt dici ſimplicitas, ſi inexcuſabiles ſint, ſi blaſphemi idololátræ ſint, ſi pertinaces contemptores verbi ſint, ſi ipſam naturæ lucem deſpectui habeant, omniaque convertant in mendacium pro lubitu?

Eodem modo, quo ex ſimplicitate maligna & blaſphemia innocentiam ethnicis adſcribit, etiam cunctis, ipſiſque Chriſtianis, bellum permittit iuſtum, ex cuius victoria ſervitutes iuſtas conſtituant. *Ibid. num. 60.* Nihilominus quidem rapinas & cædes damnat, quum belli ſint accidentia. Quaſi vero bellum aliud quid ſit in proprio toroque Esse ſuo, quam rapinæ & cædes? per quas victoria obtinetur, & bellum perficitur. Vide heic Coſterum *in pol. lib. 10. cap. 8. §. 6.* recte de bello, & quomodo omnis ab eo exulet iuſtitia, loquentem. Dehinc quoque ulterius iſte reiicit hos, qui ſtatuunt, victos cædere nequaquam eſſe licitum, ac proinde nec in ſervitutem eos abduci debere; quum ſit potius, ſervos facere ex dedititiis, quam eos occidere. Quippe, ait, cædes & ſervitus non ſunt paria. Quæ tamen duo crimina, *vix antea, num. 56.* paria fecerat his verbis: Cædes enim & ſervitus pari paſſu ambulant, ut in contradictoriis terminis perpetuo ſibi conſcius maneret. Quaſi vero non aliud ſit remedium clementiæ aut miſericordiæ, quo curari poſſit dedititius, & ille, qui ſe dederit victori, niſi aut ſervitute aut cæde ſit mactandus? Aſt, obiicit, duo ſunt genera bellorum: aut tendunt ad internecionem; aut pugnatur pro imperio, gloria, ditione, aut alio aliquo intereſſe. in illis à cæde non eſt abſtinendum; in his diſtinguendum eſt inter ius ſummum & æquitatem. nam quod ultra victoriam non ſit progrediendum, æquitas ſuadet; ſed iuſtitia haud prohibet. Quid audio? An æquitas & iuſtitia ita diſſident inter ſeſe, ut quod æquitas non permittit flagitium, id iuſtitia licite patrari ſinat? Nimis liberalis eſt, in puniendis hominibus & conſtituendis ſervitutibus. Merito igitur audiat hoc: Exeat aula, qui volet eſſe pius. Nimia enim pietas aut miſericordia dedecet virum ſtrenue bellicoſum, & ſervitutum compactorem. Sed amabo, dic, num iuſtitia poſſit ita licite ab æquitate reſilire, ut illud exequi audeat citra culpam ſuam, quod æquitatem non redoleat; id eſt, ut quod iniquum ſit, committat? O abſit talis iuſtitia procul, quæ iniuſtitiæ patrocinium ſufferat. Alias enim ius & æquitas iuſtitiam procreant, ut illa utriuſque dicatur effectum; quum æquitas omnino formæ inſtar ſit iuſtitiæ. Quare ſi tollas rei formam, ſive animam, merito in monſtroſum abit abortum illud corpus rude atque mutilatum. Veluti bellum quoque illud utrinque iuſtum evadit, iuxta eius opinionem, quod veritate & iuſtitia caret in cognitione cauſſæ iuſtæ, & ex ignorantia committitur; ut olim Andabatarum erant pugnæ & digladiationes. quod quidem, *ſect. 5. num. 55.* verum perinde ſtatuit; Sed idem *ſect. 4. num. 17.* vix poſſibile putat, his verbis: Vix enim fieri poteſt, ut bella, unde prodeunt ſervi, utrinque iuſta ſint. & indignum eſt, ut nati altiſſimo loco & ingenio in viliſſimam ſervitutem deiiciantur, &c. Quare autem hoc? Fortaſſe, qui tranſcendit limites honeſtatis in iuſtitia belli. Nulla enim iuſtitia vetat hoſti nocere; modo non excedatur modus, nec tranſcendantur limites honeſtatis. *ait id. ſect. 5. num. 65.* At quinam heic limites vere conſtitui poſſint, ubi arma furorque vigent, nec locus eſt dilectioni proximi, nedum cognitioni cauſæ, id non attinet multis demonſtrari. Experientia eſt ante oculos. Nam quis cauſſam cuiuſque diſceptabit, quãdo ſtrepitus armorum non ſinit voces expoſtulantium exaudire, nec ira & cupiditas vindictæ locum facit tribunali rationis? *ait idem.*

Sed hactenus de ſervitute & iuſtitia belli. quumque ibi libertati non detur locus, eam nunc paucis in Chriſtianiſmo quæremus.

* * *

CAP.

CAP. IX.

De libertate vera, & ſervitute Chriſtiana; quomodo hæc accipienda, & quid proprie ſit.

REcte Bodinus, *lib. 1. pol. cap. 5.* & Montecativus, *1. pol. ſchol. text. 64.* agunt, quod tam accurate demonſtrant, in multis adeo rebus gentes & nationes communi errore unanimiter peccaſſe. Etenim ipſa Scriptura S. atteſtatur toties, quod omnis homo mendax ſit, & ex corrupta ſua natura proclivisſime ad mendacium feratur, quum ſimul ipſam imaginem Dei in tale portentum transformarint, ut ſupra ex divo Paulo oſtendimus: qui exinde quoque omnem hominem mendacem proclamat ex *Pſal. 62. 10. & 115. 11. ad Rom. 3. 4.* De quo etiam ipſe Iehova Chriſtus conqueritur, idemque profanitatis crimen in os ingerit Iudæis, qui tamen filii regni cœleſtis ex ſemine Abrahami, patris credentium, unice ſalutari volebant; *Ioh. 7. 29. & 8. 55.* Quum itaque in cardine ſalutis ipſius etiam ipſe electus populus Dei aberrarit ſæpius, & vix ægre ſe in ſaniorem mentem reduci paſſus fuerit; quid mirum, quod gentes tenebrarum meliora ſapere noluerint, aut non ſtuduerint unquam? quicquid heic pervicaces ethnicorum & profanitatis tantæ patroni, veræque ſapientiæ vani ſuppreſſores, ac perverſæ ſervitutis perpetui commendatores obganniant. Ne quid illis deſit pro captivis & mancipiis bello abducendis, ita exclamant nonnihil altius; nec id abſque indignatione animi graviori: Nam ſi ius naturæ convellit hæc ſervitus, & nulla valida ratione probari, vel ab antiquitate extrema excuſari poteſt, qua ratione probatur ſacris litteris, *teſte Auguſtino quæſt. 67. in Exod. & Rom. an. conſil. 288. ubi Mandoſ.* & ſub interminatione edicitur ſervis Chriſtianis, ne dominis ſuis ſe ſubtrahant propter conſcientiam? *ut ſect. 4. in pr. dixi.* Aut quo errore apud omnes omnino gentes, quaſi in unum & eundem ſtuporem coniuratas, tanto conſenſu potuere principia naturæ excludi, ut, quocunque verteris oculos, omnia ſervitutum plena deprehendas? Abſit vero ex ſola opinione hominum ius gentium extruamus, &c. *Arn. in reflect. pol. ca. 3. ſect. 5. num. 29. & 30.* Nam Ariſtoteles *5. eth. cap. 7.* non aliud ius gentium agnoſcit, quam φυσικὸν, nec definit illud ex omnium opinione; ſed ex eo, quod conveniat principiis à natura omnibus hominibus implantatis. *Id. ibid. num. 31.* Satis fortiſſimum ſcilicet obiicit heic argumentum nobis, iuxta ſuam opinionem, ut eam defendat variis quibus adſuefactus eſt contradictionibus. Sed quam elumbe id ſit, ad veritatem ſacræ Scripturæ & verbi cœleſtis paulo accuratius examinetur. Namque ipſe Adam poſt lapſum incepit ſtatim lucem ſive adſpectum Dei & veritatem fugere; ut non veritus fuerit, ie Deo ſubducere, & culpam ſuam ſimulatione ignorantiæve velamine obtegere, accuſando falſo mulierem. *Gen. 3.* Atque hoc eſt illud principium, corruptæ naturæ implantatum, quod adeo propagavit ille primus omnium parens in omnes poſteros, ut cuncti tenebris inhæreant, nec quid à priori amplius cognoſcere poſſint: quum imaginem divinam amiſerint ſinguli, ut ſupra oſtenſum eſt: nec poſſint ne in rebus naturalibus quidem ad cognitionem internæ eſſentiæ aut eius virtutes penetrare, licet ante pedes ſint; *ut ait Sal. Sap. 9.* Vnde quoque ſtatim in primo mundo, qui longe ſincerior fuit, quam iſte præſens, adeo graviter de mortalium cœca malitia, nimirum quod omne figmentum & cogitationes cordis ſui ad deteriora in dies ſingulos conferrent, Iehova ipſe conqueſtus eſt, ut etiam cogeretur diluvio ſubmergere mundum, quum nemo præter Noachum (propter lineam Chriſti) omnium inter tot milliones hominum inveniretur, qui ereptione dignus haberi cum ſuis potuiſſet. *Geneſ. 6. verſ. 5. 6.* Si igitur tunc in unum eundemque ſtuporem tanto cõſenſu conſpirare potuere homines, tantique gigantes, & tam longæ vitæ; qui tam inſignes habuere doctores verbi, patriarchas videlicet divinos; an non etiam hoc ſemper factitarint, quum eiuſdem malitiæ & cæcitatis exemplum in ædificatione turris Babylonicæ habeamus? *Gen. 11.* Quid non factitarunt Iſraelitæ, quum ipſi miraculoſe per mare rubrum à Deo ipſo ducerẽtur, inque ignea nube ductorem cotidianum viæ adipicerent? qui & ſelectus erant populus. An non inde recte quoque David regius Propheta ait? Defecerunt omnes; nec eſt, qui bonum operetur, ac ne quidem unus. *Pſal. 14. v. 3.* Qualia proinde tales opiniaſtri ſibi ſomniãt principia naturæ, quæ prorſus ignorant, nec audire expetunt aut cognoſcere ex verbo Dei; quum profanitates ſuas cum ſanctis Iehovæ oraculis tam temere commiſceant, ſpiritumque Iehovæ à ſe prorſus repellant blaſphemi, nec ad agnitionem veritatis pervenire poſſint, propter inutiles logomachias? *ut id D. Paul. 2. ad Tim. 2. deteſtatur.* Vſque adeo ethniciſmi & naturalis cæcitatis ſervi omnes eſſe cupiunt, ut prorſus averſentur libertatem, quam Deus homini contulit primitus, & poſtea, perditam ea, per Chriſtum recuperatam nobis donavit. An non cæci ſint homines, qui oculos adverſus verbum Dei nequiter obfirment quum ne quidem id, quod apertiſſimis adſpiciunt oculis, in veritate ſpectare optẽt, aut agnoſcere velint? Exemplo reſatis erit clara. quid lucidius ſplendidiuſque mundus univerſus adſpicit lumine clariſſimo & amabiliſſimo ipſius Solis? Nemo non ſplendore eius & irradiatione ſe quã iucundiſſime ſentit affici. omnes eius lucem deſiderant quoties nox eſt, & diem votis exoptant anxiis. Nihilominus omnes in eius loco & motu hallucinati ſunt turpiſſime. Nonne in unum eundemque ſtuporem tanto conſenſu heic conſpiratunt omnes? quem etiam firmis demonſtrationibus ſtabilire conati ſunt ſummi artifices, quos ſapientes nominitamus; inde, quod terra tanquam in centro univerſi quieſcat, & ſol circa eam cum luna & reliquis planetis moveatur? Nonne à temporibus Ptolemæi mathematici, qui maxime circa ann. Chriſti 141. floruit, per tot ſecula hucuſque tot ſcripti ſunt libri, qui hanc quaſi firmiſſimam imo & demonſtrativam defenderint ſententiam? Omnes Dd. Academici mordicus nec ſine acrimonia in hanc coniuravere mentium opinionem, ut anathema fuiſſet habitus, qui contradixiſſet. Et quamvis ſummus ille aſtronomiæ artifex Copernicus ante ſeculum abhinc ferme, qui natus eſt in Regiomonte Boruſſiæ, anno 1473. die 19. Febr. & obiit 1543. die 20. Ian. tam craſſum & ſupinum errorem omnium in triplici motu terræ demonſtrarit, & revolutionibus conſpicuis id declara-

tit; ut inde ſatis manifeſtum ſit, quod ſoli non alius quam centri locus reſpectu totius univerſi competat: tamen ille audiri non potuit. Ac niſi tam oculares adhibuiſſet demonſtrationes, quibus revolutionum ſuarum libros ſex illuſtravit; certe pridem ex orbe toto expulſus fuiſſet. Quare? Quia communem academicorum patrum, & omnium ex ore talium dependentium virorum, ac inde conſtituti inris gentium & Chriſtianorum opinionem impugnavit & pudore affecit? Quam etiam ob cauſſam veritas tam aperta hactenus identidem quam acertime ſuppreſſa fuit. Novi quidem fuiſſe viros bonos etiam inter academicos, qui hac de re recte ſentirent; & inter eos ipſemet affinem habui Magiſtrum Heinricum Scaperum, virum longe in matheſi exercitatiſſimum, qui ultra 30. annos academiæ profeſſorem egit Helmæſtadii. (cuius ſcripta quoque digniſſima ſunt, ut tandem edantur, quum prorſus ſingularia in tota matheſi contineant.) hic toties mihi confeſſus eſt, quod nulla verior eſſet ſententia, quam Copernici. & ita quoque informavit ſuos diſcipulos; velut ego anno 1597. talia ex ipſius prælectionibus obſervavi tum. Sed ipſe cum aliis propter conſpirantes omnium opiniones non auſus fuit aperte illa explicare. Tandem ante annos aliquot Teutonicus noſter id etiam, ſed alio dictamine, ſancto & Eſdræo, *in libro ſuo de triplici vita hominis, cap.* 9. ex fundamento naturæ pleniſſime explicatum dedit. Cuius verba emphatica hæc ſunt: Qui aſſeverant, quod ſol curſu moveatur aliquo, illi loquuntur tanquam cœci de colore, nec unquam centrum naturæ agnoverunt, &c. Item: Mundus ex lapſu Adami huc uſque monoculus fuit: quia ſub ſex planetis illis, vixit cum ſua cognitione: At ſeptimum ſigillum perſpicuis ſolis oculis videbitis mox. Loquimur heic, ut veritatem agnoſcimus. Hoc igitur percipite; vobis difficilem complexum enucleabimus. Videte, & animadvertite id modo. Tota conſtitutio & univerſitas regiminis huius mundi in omnigena vita ex aſtris tum ſeſe in cunctas res, bonas tum malas, inſinuat. Nam & aſtra quoque cauſſæ ſunt, quod quatuor elementa, utpote ignis, aer, aqua & terra, exſuſcitentur: alias in hoc mundo omnia plane pacata quieſcerent. Ideoque præcipue in ſeptem planetis agnoſcite imperium ſuperius: hi quippe nobis ſpirituale regimen exhibent; & id quidem duplici modo. Obtinent Tincturæ imperium, tanquam igneam vitam; nec minus & aeris imperium, tanquam aqueam vitam. Tres planetæ ſupra ſolem conſtituti, una cum ſole, igneam vitam & dominium poſſident: atque tres infra ſolem poſiti, egreſſum igneæ Tincturæ exhibent, eiuſdemque ſimul deſcenſum, & una cum ſole aereũ imperium fovent, atque fœmineum genus cõtinent in ſeſe, quia matricis eſſentiam repræſentant, ſuperioriſque matricis Tincturam. Iſthæc Tinctura autem animam in ſeſe comprehendit; & altera, matrix, veneris, animæ ſpiritum. Atque ita quod ſuperius eſt, inferius appetit, & è contra inferius hoc appetit illud ſuperius. Vnde porro unum conficitur corpus, quippe ſol eſt cor, & ſplendorem maieſtatis principii huius continet. Atque inde percipi facile poteſt uterque ſexus, maſculinus & fœmininus. Mas caput repræſentat, & in ſe imperium dominationis continet cum Tinctura ſua ignis; ac, quum Tinctura hæc animam comprehendat, inde venerem appetit, tanquam matricem corpoream. Namque anima appetit ſpiritum & corpus; quod poſſidet matrix fœminæ. Atque ita inferius regimen eſt fœmineum, & totum eius imperium lunæ obnoxium viget. Sol enim cor addit eis, & venus Tincturam; non vero igneam, ſed aqueam; unde ille largitur ſpiritum aereum. At huius Tinctura non in intellectu conſiſtit, ex quo ipſa viri ſubiacet imperio, quippe Tinctura ignis acriter probat res omnes. Mercurius exſuſcitator eſt Tincturæ huius. Inde in facunditatem volubilitatis inclinat. Et luna obtinet huius matricem. quæ ex omnibus participat planetis, & metuendam terræ ſe exhibet. inde ita feſtinat, & in circumvolutione rotæ ſuæ ex planetis & ſtellis haurit vires ubicunque poteſt. maxime appetit ſolem: indet quoque eius ſplendorem attrahit, quemadmodum luna ſolem anhelat; quoniam terrenus eſt, & appetit cor cœleſte. Ita quoque fœminea matrix anhelat anxie cor mariti, eiuſque Tincturam, tanquam animam: quia anima æternum illud affert bonum. Atque ſic natura æternitatem appetit, ſeſeque ex vanitate exſolvere cupit. Vnde patet, quæ cauſſa ſit movens acerrimi deſiderii in utroque maris & fœminæ ſexu per univerſam creaturam, quod utrumque alterius mixturam tam ardenter ambiat. Namque corporea moles illud non intelligit, neque ſpiritus aëreus; ſed tantum binæ illæ Tincturæ noſcunt hoc, quæ ita mutuo urgent ſeſe, quum illud verbũ FIAT in ſe contineant, ut inde magnalia cuncta Iehovæ manifeſtentur. Etenim Spiritus Dei incumbit aquæ matricis in venere & in jovis matrice, tanquam in cerebri matrice, & geſtat illud FIAT. Namque cor poſſidet venerismatricem, & cerebrum Iovis matricem. Atque ſic Spiritus Iehovæ alis quoque ventorum incumbens fertur in ſuo principio; & tamen à patre & filio procedit in creatione; manifeſtatque magnalia ſumma, quæ in ſophia ſancta ab æterno ſunt proviſa. Proinde ipſe eſt fabricator ſeu opifex rerũ omnium, & à Deo ad id opificium miſſus, &c.

Eodem modo, *cap.* 10. *eiuſdem libri, quod de creatione omnium eſſentiarum, & quomodo homo ſemetipſum inveſtigare ac invenire debeat: ac quomodo omnia ſecreta naturæ, uſque in novenarium numerum, non vero ulterius, perſcrutari queat, inſcribitur*, inter alia hæc habet: Iam ratio hominis quærit; Quum diabolus hunc ita incolat mundum, & in eodem principis dominium obtineat; ubinam ille habitet? In tota abyſſo nõ plures circuitus ſunt aut circuli, quam ſeptem: illi ſe movent atque circumvolvunt inſtar rotæ, vel quemadmodum vita circa animam circumfertur, & cor in medio tanquam in centro quieſcit. Ita quoque ſol ſe habet, atq; circuitus illi circa ſolem ſunt ſeptem planetæ, tanquam ſpiritus ab eo centro dependentes; & ſeptimus circuitus eſt terræ, quæ ſpacio 24. horarum circumvolvitur, & ſimul cum reliquis planetis ſuum anni ſpacio curſum citra lunam circa ſolem abſolvit. quod reliqui ſimul peragunt, ſed tamen longe diſpari temporis ſpacio; veluti ſaturnus in 29. annis, propter nimis longam diſtantiam: excepta luna, quæ retrogrediendo perficit curſum ſingulis menſibus, atque ita duodecies in anno, & paulo ulterius tranſgreditur. Iam igitur hoc omne rotam generationis conficit, in qua verbum FIAT conſiſtit. Atque hoc diabolum ex hoc circulo expulit, ut habitet extra hunc circulum, ubi ingentes ſunt tenebræ,

ex ad-

ex adverſo contra coronam ſtellarum ſive zodiacum, in firmamento; unde quoque multæ ſtellæ nequeunt conſpici propter tenebras eas. quod etiam alias ingentem ſignificationem importat propter mortales: quod indicare cuperemus, niſi mundus tanto furore corruptus eſſet, & potius diaboli ſervitio ſe exponeret, qui omnes irridet revelationes, ut eo facilius mirifice excæcare queat mortales. ultimis temporibus tamen aperta erunt omnia filiis eorum, qui binis ſingula dignoſcere oculis noſcent. Atque ita ſatis vicinus nobis eſt diabolus; & tamen ſimul principis dominationem longe profundiorem exercet, propius ad aſtrorum ſitum in medio, ubi denſiſſimæ ſunt tenebræ. Namque proximitatem ſplendoris ſtellarum ferre nequit, unde captivus eſt, nec audet ſeptem regimina verbi FIAT attingere, nec quid in iis potentiæ habet. Eſt ita miſerrima creatura ſub corona ſive zodiaco Hoc certe haud ullo circino delineari poteſt. Namque ſol in intimo intus fixus perſtat circulo & reliqui omnes longius ab extra diſtant ab eo ad coronam uſque ſive zodiacū; qui concludit ambitu ſuo cælum externum. Atque iſtud non poteſt intelligi, niſi ſpiritus id concipiat ſecum; quippe velut ipſe ſpiritus eſt, ita quoque circulus iſte ſe habet. Non tamen poteſt rite deſcribi. Quemadmodum enim vita ſeſe in intima involvit uſque ad ſolem; ſic etiam illi ſpiritus vitæ in homine ſeſe animæ inſinuant; veluti de tribus principiis meditationes concipere poteritis; ubi extremum, ſimul intimum omnium eſt. quod externus (ſive ſidereus) ſpiritus rationis noſtræ nullo pacto percipere poteſt: quia ſolummodo unitatem conſtituit, nec ternarium numerum aſſequitur. at animæ ſpiritus, ſi regeneratione denuo convertatur ad Deum, ut internum ESSE introſpiciat oculis genuinis, & oculis huius mundi externum, is intelliget. Nam iſtud detegit viſionem Ezechielis de ſpiritu cū internis & externis oculis, ubi ſpiritus ſimpliciter recta procedit quocunque procedit. Ac licet ſapientes magi & mathematici confinxerint ſphæram; & rotam eam aliquo uſque delinearint; tamen hæc nō ſufficiunt. Idiotis quidem ſic præparatur via quædam ad conſiderandum myſterium magnum: verū rota ea longe ſubtiliorem intellectum continet, nec unquam in tali ratione circino delineari poteſt. Nāque in ſemetipſum retro tendit ad cor ſolis, & econtra ex ſe egreditur ad figuram eſſentiæ. Propellitur ad exteriora & interiora ſimul. Etenim ſpiritus Tincturæ, tanquam vere ignea vita, urgendo tendit ſurſum ad libertatem Dei, & appetit ſpiritum eſſentiæ; qui ſe deorſum impellit, utpote ſine quo non ſubſiſtit ignea vita. Inde ſe igneus ſpiritus reconvertit quaſi in latus, & ſemper apprehendere conatur ſpiritum eſſentiæ, & ſpiritus eſſentiæ fugit ignem. Quum vero ex vita ignea progeneretur, nec poſſit ab eo ſeparari, proinde ille cum igneo ſpiritu circumgyratur. Quando enim igneus ſpiritus ſe in dextrum latus per obliquum convertit, & apprehenſionem dirigit in ſpiritum eſſentiæ, tunc ſpiritus eſſentiæ retro cedendo ibidem in obliquum ex inferiori parte à latere altero ſiniſtrorſum ſe elevat. Atque hoc parit involutionem, & alter alterum inſequitur: Quippe eſſentia fugit ignem, & tamen ex igne ortum ſumit ſuum, ceu videtis, ſi obſervetur, quemadmodum aer ex igne expiret, & ex aere gignatur aqua, quæ ſubſtantiam illam determinat. Ita ignis in anxietate ſua appetit manſuetudinem aquæ, & libertatem extra anxietatem eam, atque apprehendit aquæ ſcaturiginem; inde manſuetudo tanquam aquæ ſcaturigo expetit corpus, ut ab igne tuta & obnubilata ſit. Hinc ignis feſtinat ad aquam, & aqua fugit ignem. Namque ſi ignis ſurſum evaporaret, & aqua per inferiores partes efflueret, tunc longiſſimæ diſtantiæ ſeparatio inde exurgeret inter utrumq;, ac cuique mors ſua eſſet parata, ita ut evaneſcerent ambo aut in nihilum abirent. Dum vero ſe ignis aquæ adſociare cupit, & in ea ſe recreat, conſervatur ipſi vita, & ſic ſpiritum aeris ex ſe producere poteſt, ut ita vita ſubſiſtat. Eccé ita indicamus tibi myſterium magnum, ut inde cognoſcere diſcās, quouſque intellectu tibi ſit progrediendum; addiſcaſque numerum cognitionis tuæ, & in quo iſte finiatur. Namque ignis octavum determinat numerum poſt ſeptem ſpiritus illos naturæ, & cauſſa eſt ſeptem ſpirituum. Iam vero nulla creatura in corporeitate ſua poteſt ſuſtinere probam ignis; quia ignis conſumit eam; in qua ſubſiſtit vita naturalis. Ignis præterea Tincturam efficit; eamque duplicem: Vnam, in ſeſe apprehendentem æternam libertatem placidæ manſuetudinis abſque eſſentia externa: Alteram, extra ſeſe apprehendentem externam ſubſtantiam; veluti oleum, quod ex aqua producitur, & ex venere oritur, in quo externus eius ſplendor & lumen reſultat; & ex interna Tinctura in æternæ libertatis appetitu exoritur maieſtas libertatis. Quod commode percipietis hoc pacto. Ignis octavum complet numerum, & interna Tinctura numerum novenarium determinat. Eo uſque nobis eſt progrediendum. Namque denarius numerus ipſum ponit æternum Dei ignem: atque in medio ſui, crucem ✣ exprimit generationis, quæ centrum æternæ naturæ in duo dividit regna, uti antea id explicavimus. Quæcunque vero creatura penetrando hunc ignem perrumpere cupit, illa regnum Dei pervadens, in extremitatem à Deo alienatam, & in centrum ignis quod eſt extra hunc mundum, tanquam in æternas tenebras, relabitur: ubi ignis niger & æterna eſurities viget. Incenſio ignis luminaris ſolummodo in in cruce ✣ conſiſtit, in manſuetudine novenarii numeri, id eſt, in uno numero. Nam denarius numerus dualitatem exprimit ad procreationem angelorum hominumque complectendam: ſed nil ulterius in centrum crucis ✣ redigendum eſt: quippe ante crucis ✣ Ternarii ſancti faciem omnes ſubſiſtere, & mentes ſuas ſub ſe retro reflectere coguntur in Tincturam humilitatis, uſque ad novenarium numerum; ut ita in denarium numerum non ſine trepidatione mentis proſpiciant; ne creare quid velle aut appetere videantur in hoc denario numero: ne ſic in centrum ignis Dei cupiant ingredi, ſed potius ante denarium hunc gaudium concipiant æternum, læto concentu glorioſæ laudis cantantes, *Sanctus, Sanctus, Sanctus ſit Iehova noſter Dominus Deus Zebaoth.* Atque iſte cantus repræſentat cibum divini ignis, ex quo progrediuntur in divinis eſſentiis miracula, paradiſus, elementa, & cœleſtes ſubſtantiæ. Velut & ante Ternarium ſanctum adſtat ceu virgo quædam æternæ ſapientiæ Dei. atque hæc eſt divina illa Sophia. Namque in ea Sophia omnium divinarum eſſentiarum ſubſtantiæ formales comparent. Ad cuius miraculi expreſſio-

nem nulla nobis ſeu lingua ſeu calamus ſufficiens eſſe poteſt. Solummodo vobis indicamus, quouſque eiuſmodi revelationes ſint indagando penetrandæ. Nam uſque in novenarium numerum omnia vobis in intuitu ſunt obvia; quia cœleſtis vitæ heic adeſt Tinctura: Conſpicitis heic centenarium numerum, & etiam millenarium maieſtaticæ coronæ: ſed prorſus heic abſtineatis à perſcrutatione denarii, ubi merus abyſſus luſtratur: Alioquin extra Deum progredimini, velut Lucifer qui in denario creatorem agere conabatur, & ignem ibi æternę originis quærebat; unde ibidem, ceu in morte tenebrarum extremarum ſepultus, permanere æternum cogitur. Ideoque lector huius ſit monitus, ne in his profundis ſcriptis ulterius quid perveſtigare aut voluntatem ſuam in interiora intromittere tentet, quam ipſe poſſit aſſequi. Quiſque in huius conceptu ſolo acquieſcat ſemper. Namque dum conceptu adhuc viget tali, ſubſiſtit ſimul in ſubſtantiæ perceptione; unde non aberraturus eſt, licet ſpiritus illum ad longe profundiora vellet deducere. Uni enim multo plura præ altero conceduntur. Verum meta & ſcopus heic eſt certiſſimus, ut quiſque ſemper in humilitate erga Iehovam ſubſiſtat, atque in ea ſe Iehovæ dedat, ut hoc velle & facere perficiat quod Iehova vult. Si hoc peragas, in temetipſo es quaſi demortuus: quia nil expetis, quâ quod Iehovæ voluntas poſcit: & hæc voluntas Iehovæ vita eſt tua, quæ in ſemetipſam ad millenarium uſque numerum regreditur, & profunditatem Deitatis cum mirabilibus cunctis perquirit. Ille tuam ſibi conſecratam voluntatem in virginem deducit Sophiæ ſuæ, ut ibi mirabilia cuncta perſpicias. Aſt noli ab ipſo imaginationem retro in mirabilia divertere. Simulac hoc feceris, ex Iehovæ voluntate excidis, quæ æternam libertatem determinat, & in propria tua imaginatione tibi captivus hæres. Hoc diligenter obſervandum. Namque unaquæque imaginatio ſubſtantiam gignit, in qua tibi fixus ſubſiſtas, unde mox retrogradus agaris, ne Iehovam videre poſſis. Ideoque hanc ob cauſam Chriſtus nos docet humilitatem, amorem, puritatem cordis, & miſericordiam; & iubet ſevere, ut quiſque noſtrum voluntatem Iehovæ quærat, atque in eam ſe intromittat penitus. In Iehovæ enim voluntate omnia nobis ſunt poſſibilia. Nil natura noſtra propria perficiat: ſed Iehova ipſemet in nobis zeloten agens, eſt noſtrum perficere, ſi quid miraculoſe operemur. Nulla enim hominis anima dicat aut cogitet; Ego miracula edam. Omnino hoc non debet eſſe. Quippe miracula externam naturam exuperantia ex centro æternæ profluunt naturæ, ex denario numero illo, cuius per ſe nulla compos eſt creaturarum. Aſt ſi in voluntatem Iehovæ demiſſa penitus introeat, tunc Iehova miracula in ea operatur: quoniam ipſius unica eſt lætitia in imbecillis ſe manifeſtare; quum fortis perpetuo in ſua voluntate obluctetur, eamque Deo nolit prout par eſt ſubmittere. ipſe ſuo ſemper confidit intellectui; unde ipſius voluntas extra Deum vagatur, & nihil potentiæ habet. Quod ſi igitur ex ſemetipſo de Dei eſſentia & voluntate loqui volet, inſipiens nugator erit: quia non ex Spiritu Dei & voluntate eius loquitur, ſed ex ſemetipſo & opinione ſua: in qua perpetua dubitatio manet. Unde quoque lites fidei & cognitionis Dei exoriuntur, cum quiſque Deum in ſua propria voluntate & ſcientia quærit. Hominum perverſitas ea eſt, quod Deum in ſua propria voluntate inveſtigare & invenire velint, quum tamen in ea non ſit; quia ſimpliciter habitat in eius voluntate, qui omnimode ſeſe illi cum tota ratione & ſcientia ſua ſubmittit; atque huic ille largitur cognitionis omnis gratiam & vires, ut eſſentiam ſuam cognoſcere poſſit. Ergo ſuſtollite capita veſtra, & attendite: Nulla lis eſt, nulla controverſia in voluntate Iehovæ; ſed in hominis & diaboli voluntate. Hæc eſt iræ divinæ voluntas. Ne patiamini ſeduci vos per blandiloquentias adulatorum carnalium, qui in hiſtoriis vanis pompoſe incedunt, &c. *Hactenus ille.*

Ex his igitur patet, quid eſſentia eſſentiarum ſit, quid eius Spiritus atque vita, & quæ matrix generationis creaturis detur, ac quomodo ſol omnia illuſtret ex centro ſuo, cunctiſque rebus creatis oculum vivificum in ſplendore & calore ſubminiſtret; atque ut hoc eo rectius perficiat, quomodo circa eum, tanquam univerſi centrum, omnes circuli exteriores cũ terræ triplici motu ſphærice circumgyrentur; isque in medio acquieſcat, ſuum officium omnibus communicans.

Nuper etiam vir inſigniter in aſtronomia doctus, Dn. Philippus Lansbergius, paſtor Middelburgenſis, ex motuum cœleſtium obſervationibus ſuis idem protulit, & ipſe Copernici ſententia maximopere inductus. Et quamvis priſcorum & communis omnium conſenſus errorem nonnullum Tychonis de Brahe pridem etiam deprehenderit; in plurimos tamen alios longeque craſſiores, quum ille ſphæræ Copernicanæ ordinationem inverteret, lapſus eſt errores; ut optime illud explicat dictus ille Lansbergius, & eoſdem *in ſua conſiderationis idiomate Belgica lingua conſcripta* refutat. Fuit quidem, ait idem *in præfatione huius libelli*, ante 1890. annos in Græcia quiſpiam Ariſtarchus Samius, qui itidem affirmare auſus fuit, quod ſol in medio univerſi ſtaret: ſed ſimulac hanc protulit ſententiam, ſtatim peſſime à Græcis ſuis condemnatus eſt, quod communi opinioni contradiceret. Proinde non potuit rectius eandem cum Lansbergio Guilielmus Ianſonius Cæſius, Amſteldamenſis typographus & mathematicus ſolertiſſimus, exprimere ſententiam Copernici, quam ut ſphæram univerſalem in ſenſuali artificio depingeret, quam quiſque oculis & tactu manuum palpare poſſet, ne quis id condemnaret auditu quod mente conceperat; quum tanta ſit malevolorum negantiumque impudentia. Ipſe quoque ſimile inſtrumentum mechanicum vidi Harlemi apud quendam, non litterarum quidem ſed in arte ſua ſatis exercitatum, Rudolphum Ianſonium nomine; qui adeo apte omnia confecit, ut etiam quiſque deſignationes aſpectuum in ſingulis annis invenire queat. Nonne & ſimiliter per tot ſecula medici in ſuis impũrorum medicamentorum compoſitionibus craſſe ſatis aberrarunt, & adhuc ſatis infeliciter cum prolubio quodam animi in erroribus pergere ſatagunt; dum contra apertam veritatẽ & ipſum conſcientiæ ſtimulũ in cognitione rerum ſpiritualiũ, & earum, quæ veram naturæ eſſentiã conſtituunt, contra chymicos pugnant. Pudeat merito præ reliquis Sennertũ illũ ſui ſcripti, quod tam turpiter edidit de differentia medicamentorũ chymicorũ & Galenicorũ. Quercetanus, Hartmannus, Crollius & Nollius, palmã huic ſæculo poſt

Theo-

Theophraſtum merito præripiunt, ut reliqui, qui talia non didicerunt, in ruborem ſuum abeant. Egregiam relationem Michael Meyerus & Salmuth de novis inventis & repertis conſcripſere, quæ cotidianum rerum uſum miris auxerunt undique modis, ut inde conſtet, quantum ingeniis humanis in cœcitate & imbecillitate ſua fidendum ſit, quum ſæpius uni mortalium, & maxime quem indignum omnes cenſent, tantam largiatur ſapientiam, qua toti mundo veritatis aſſerendæ cauſſa contradicere cogatur. Quare communi opinioni in nullis prorſus rebus nimia fides eſt habenda, niſi fundamentum ex verbo Dei pateat, aut idipſum Spiritus Sancti dona in homine ſingulariter ad id electo confirment. Sophia enim cœleſtis, quæ ex Spiritu Iehovæ eſt, ſola ſcrutatur & detegit veritatem, etiamq; profunditatem deitatis, *ut ait D. Paul.* 1. *Cor.* 2. *v.* 10. An igitur quis ex natura quid rite probare poſſit, qui ipſe naturam ne quidem in minutiſſima ſuperficierum parte intelligit? *Velut ait Arn. pol. cap.* 3. *ſect.* 4. *num.* 1. A natura pergimus ad ius divinum, quur non potius à iure divino ad naturam? nempe cœci adeo ſunt omnes habitualiſtæ, ut ne quidem intelligant quid magia naturalis in nominis ſignificatione ſui importet; multo minus, quid cabaliſtica in myſticis poſſit explicandis, audierunt. Incognita pro veritate venditant, modo ſyllogiſtica locutione, vaniſque logomachiis, atque technis conſtringere quidlibet poſſint. Miſerrimum eſt inſtrumentum, quod nihil veri intuitive cognitioni aut rationi applicat, ut tales nihilominus vaniſſime gloriari ſolent. Verum inſignis eſt veritatis contemptus, ſi vna cum mendacio colatur; *ait A. M. p.* 43. *in expl. prim. præcept.*

Sed nunc propius iterum ad rem accedemus. Sic ait noſtræ libertatis oſor & hoſtis, *ſect.* 3. *d. c. num.* 25. Dominium vero & libertas non convenit iis quos ad ſerviendum natura generavit, & proinde inique iis attribuitur. Quod ſi matrem æqui & boni, publicam utilitatem, legiſlator reſpicere poteſt, hæc contueri velit; An quicquam utilius hac ſervitute, & incompetente libertate detrimentoſius, introduci à primis Chriſtianis potuit, dum promiſcuo favore vindicias ſecundum libertatem in univerſum orbem Romanorum proclamarunt. Pro ergaſtulis enim privatis publica coacti fuerunt excitare noſocomia, ne recens manumiſſi per vicos & compita epidemica fame emorerentur. Nam, qui ſibi de victu proſpicere ſua induſtria non poſſunt, quid ex libertate ſperare habeant, præter famem & inediam? Quid prodeſſe queunt publico, niſi, ut poſtquam ad liberum matrimonium acceſſerunt, & miſerorum parentibuſque ſimilium liberorum poſt ſe trahunt globum, inutilibus fucis onerent civitatem, qui nihil niſi numerus ſint, & fruges conſumere nati? &c.

Talis locutio ſarcaſtica multis certe ſcatet vitiis. Adeo enim abſurditatum eſt ſtudioſus, ut nuſpiam prope vacet locus, qui non naturalem impugnet æquitatem. Nimirum ſemper inclamat ſervos natura, & eos ubique exigit. At naturæ homini nihil æque competit, quam ut id appetat & ſequatur, ad quod natura creatus eſt? Quid vero hoc erat? Nonne dominium? utrum vero nunc conſultius erit? bruteſcerene, an vero libertatis anhelare ſuæ poſſeſſionem? Idcirco pluſquam inique agit profecto cum maxima parte mortalium, quod eos ad ſervitutem naturæ abiiciat. Quoniam ille abutitur vocabulo dominii, & ſolos principes, reges, &c. ad hanc ſortem ſeligit; ideo tam multos confundit ſervitutis cumulos, ut ita ſuum ſalvet Stagiritam. Aſt tantæ abſurditati quoque ſe Dn. Coſterus *in pol. ſua lib.* 10. *cap.* 8. §. 2. rectiſſime opponit, quando dicit: Hæc ſententia tum falſa, tum generi humano pernicioſa eſt. Hinc enim ſuperbiſſima Græcorum ſapientia ius putabat, barbarorum nationes imperio ſubdere, iuſtumque eſſe bellum, ut deteriores perirent melioribus. Seſe vero meliores iudicabant. Quum tamen conſtet, multas barbaras nationes innocentius modeſtiuſque vixiſſe Græcis. Verum magnos præſtitiſſe ſe arbitrati ſunt, cum Lydos, Sarmatas, Scythas, Indos in poteſtatem redegerunt, & ſe, uti ſapientes, ſtultorum, ut putabant, dominos fecerunt. Ac primum quidem nimium hoc arrogans eſt, tantum ſe extollere, tantum alios deprimere, &c.

Sic etiam nimium arrogans eſt, quod ſuæ auctoritate profanæ ſapientiæ, noſter inutilis Relector, tam multas hominum myriades ad brutorum ſtabula relegare velit potius, quam ipſis concedere primarium ſuæ finem creationis. Nimirum propterea ad matrem æqui & boni, publicam utilitatem, provocat euphoniæ gratia & nimiam Chriſtianorum humanitatem in abroganda ſervitute graviter accuſat. Quænam vero ipſi publica dicitur utilitas? Videlicet hæc ei publica utilitas dicitur, ubi quam minimum Chriſtiani amoris erga proximum exercetur, ita ut non neceſſum ſit, publicas facere impenſas pauperibus; quum talis libertas ſit incompetens, & illa nihil poſſit introduci detrimentoſius. Verum quæſo, an non ibi cohabitatio & converſatio ſit promptior, ubi liberalitas largior & mutua beneficentia? An non ibi pietas florentior? Forte ait; Hæc nil ad utilitatem publicam faciunt; quæ unice ſpectanda. At pereat talis publica utilitas, quæ pietatē & mutuam benevolentiam in opere conſiſtentem in exilium agit, liberamque ſingulorum ſalutem poſthabet. Abeat longe à bona republica tam durus legislator. Verum Iehovæ ſit gratia, quod in Chriſto longe beneficentiorem nacti ſumus legislatorem in ſuo regno, qui nos tanquam liberator theanthropos & ſolide unicus ab huius & æternæ ſervitutis carcere liberavit. Illum potius audire iubemur à patre Iehova, *Matth.* 17. *Marc.* 9. *Luc.* 21. quam tales perpetuæ ſervitutis conſarcinatores. Is enim nos vult liberos, uti ſolus liberator eſt mortalium omnium. Sic enim ait: *Iob.* 8. *v.* 36. Si filius vos liberaverit, vere liberi eritis. Vindex is eſt & reſtitutor veræ libertatis, quæ à principio nobis erat deſtinata, & quam per lapſum Adamicum adeo miſere perdidimus, ut propter peccata ſervituti captivitatis temporalis & æternæ obnoxii & vincti traditi fuerimus. Etenim ſervos peccati nos fuiſſe, teſtatur D. Paulus *ad Rom.* 6. *v.* 16. & 20. Atque ipſe Chriſtus idem monſtrat; dicens: Amen amen dico vobis, quiſquis operam dat peccato, ſervus eſt peccati. Servus autem non manet perpetuo in domo, filius manet perpetuo. *Iob.* 8. *v.* 34. & 35. Tantopere peccatum & ſervitus paria ſunt, ut veriſſime pronunciari de utroque poſſit, quod pari paſſu ambulent; non autem ea ratione qua Relector, ſibi contradictorius, *d. l. c.* 3. *ſect.* 5. *num.* 56. & 61. de cæde & ſervitute turpiter ſtabuebat.

Recte igitur Auguſtin. *lib.* 19. *cap.* 15. *de civit. Dei*, in

mortalium

mortalium pœnam ſervitutem omnem reiicit; utpote quæ nos vera libertate naturali privarit. Conditio quippe, inquit, ſervitutis, peccatorii iure intelligitur impoſita. Proinde nuſquam Scripturarum legimus ſervum, antequam hoc vocabulo Noë iuſtus peccatum filii ſui vindicarat. Nomen itaque iſtud culpa meruit, (N.B.) non natura. Origo autem vocabuli ſervorum in Latina lingua inde creditur ducta, quod hi, qui iure belli poſſent occidi, à victoribus, quum ſervabantur, ſervi fiebant, à ſervando appellati; quod etiam ipſum ſine peccati merito non eſt, &c.

Idem paulo poſt: Sicut prodeſt humilitas ſervientibus; ita nocet ſuperbia dominantibus. Nullus autē natura, in qua prius Deus hominem condidit, ſervus eſt hominis, aut peccati, &c. Veluti etiam id plenius D. Paulus, *ad Rom. 6. v. 17.* explicat, atque, quum inde per Chriſtum liberati ſimus, & ex ſervitute libertati reſtituti, ita exultanter lætatur; Gratia autē ſit Deo, quod fuiſtis quidem ſervi peccati: id eſt, non amplius tales fitis, &c. Qui enim (ita pergit) ſervi eratis peccati, liberi ſicis iuſtitiæ. *verſ.* 20. quum alias conqueratur, quod venundatus eſſet peccato, *Roman. 7. verſ. 14.* Velut olim Ioſephus in typo Chriſti venundabatur in Ægyptum, & inde in ſervitutem eius poſteri incidebant, eo uſque donec per Moſen miraculoſe ex illa fæva carceris domo per mare rubrum educerentur. Quemadmodum ipſe Iehova ad Iſraelitas ſuos id atteſtatur, quod eos ex domo ſervitutis eduxerit. *Deut. 8. verſ. 14.* In qua figura Ægyptiacæ captivitatis nōbis egregie quoque deſcribitur noſtra in Chriſto & per Chriſtum liberatio. Quod merito heic conſiderandum venit. Totum enim genus humanū, peccato ſerviens, uti inciderat in regnum poteſtatemque tenebrarum, id eſt, Satanæ, quem ob id Chriſtus principem huius mundi vocat; ita quoque duplicem heic invenimus ſervitutem: peccati videlicet unam, & ſatanæ alteram. Vtraque ſane Ægyptiacam gravitate ſua multis nominibus excedit. De ſervitute peccati extat teſtimonium Chriſti, *iam dictum*, *Ioh. 8.* De ſervitute Satanæ mentionem ſubicit Paulus, *2. Tim. 2.* ubi dicit: Ne quando det illis Deus reſipiſcentiam ad cognoſcendam veritatem, & reſipiſcant à diaboli laqueis, à quo captivi tenentur ad ipſius voluntatem. Et *Epheſ. 2. in principio capitis.* Ab utraque ſervitute liberati ſumus à Deo per filium eius Chriſtum Ieſum, ſervatorem ac dominum noſtrum. De liberatione à peccato dixit Angelus ad Ioſephum, *Matth. 1.* Ipſe liberabit populum ſuum à peccatis eorum. Et *Ioban. 8.* Chriſtus ipſe. Velut etiam, de liberatione è regno Satanæ, *Luca 11.* Quum fortis armatus cuſtodit atrium ſuum, in pace ſunt omnia quæ poſſidet. Quum autem fortior eo ſuperveniens vicerit eum, univerſa arma eius auferet, & ſpolia eius diſtribuet. Et Apoſtolus, *Coloſſ. 1.* Qui eripuit nos, inquit, de poteſtate tenebrarum, & tranſtulit in regnum filii dilectionis ſuæ. Quare caveat unuſquiſque ne viliorem hanc liberationem noſtram ipſa Ægyptiaca cenſeat. Quanto enim durior eſt peccati & Satanæ ſervitus, quam fuit ſervitus Ægypti; tanto illuſtriori argumento nobis conſtat, habere nos Deum redemptorem & ſervatorem. Quapropter & nobis propoſita ſunt liberationis noſtræ monumenta, non ſolum in verbo Evangelii, ſed etiam in omnibus pietatis negociis, ne tanti beneficii obliviſcamur: deinde, ut liberatoris noſtri voluntati ac cultui perpetuo ſimus addicti, nec unquam revertamur in Ægyptum, novamque nobis ſervitutem cauſſemur; ceu faciunt illi, qui tam inconſultam diſtantiam interponunt inter tales aliaſque ſervitutes, ubi nulla viget pietas Chriſtiana. Vbique certe omnia ad voluntatem Dei ſunt diſponenda & peragenda. Fruſtra enim colunt me, repetit Chriſtus ipſe ex Eſaia, docentes doctrinas & mandata hominum. *Matt. 8. verſ. 9.* Et, Omnis planta, quam non plantavit pater meus cœleſtis, eradicabitur. *c. 15. v. 13.* Etenim ſervire Deo, nihil eſt aliud, quam voluntati illius (quam ille nobis non è cerebro noſtro comminiſcendam, ſed in verbo ſuo infallibiliter cognoſcendam propoſuit) ſe obedientem præſtare. Hic cultus ille gratus eſt, in quo vera libertas Chriſtiani hominis conſiſtit. Velut certe iniquiſſimum foret, ſi quis ſervus hero ſuo, ſecundum quod ipſi videretur, & non ſecundum illius voluntatem, ſerviret. Deus vero eſt liberrimum agens, *ut Relector in ſua metaph. teſtatur.* Ideoque illum in vera libertate hic imitatur, qui voluntati eius ſe dedicat devovetque tantum. Atque hoc eſt vere ſervire Deo, ſi toto corde huic quis ſit deditus, & eum, ceu filius parentem diligat. Vti paſſim talis locutio in ſacra Scriptura habetur. *Eccl. c. 4. v. 12 13. & 15.* dicitur: Sapientia exaltat filios ſuos, & prehendit manu eos qui quærunt ipſam. Qui diligit eam, diligit vitā, & qui mane incumbunt in eam, lætitia explebuntur, &c. Qui ſerviunt illi, miniſtraturi ſunt ſancto: Nam diligentes illam, diligit Dominus, &c. Item, *ca. 10. v. 23.* Servo intelligenti ſervient liberi, &c.

Ita quoque elementis mundi inſervire quis dicitur, & affectibus, qui nondum in regeneratione Spiritus plene vivit; ut D. P. infantibus eos adſimilat, *Gal. 4. verſ. 3.* nec non ſervitus pro coniugalis vinculi obligatione ſumitur, *1. Cor. 7. v. 15.* ac ſervitus legum eſt, circumcidi, *Gal. 2. v. 4.*

At Chriſtus propterea ſervi nomen accepit, *Eſa. 42. 1. Matth. 12. v. 18.* uti per eum libertatem filialem coram Iehova patre nanciſceremur. Unde Paulus ait, *Gal. 4. v. 4 5. 6.* Poſtquam venit tempus, emiſit Deus filium ſuū, factum ex muliere, factum legi ſubiectum, ut eos, qui legi erant ſubiecti, redimeret; ut adoptionem acciperemus. Quoniam autem eſtis filii, emiſit Deus Spiritum filii ſui in corda veſtra, clamantem, Abba, pater. Itaque non amplius es ſervus, ſed filius; Quod ſi filius, etiam hæres Dei per Chriſtum, &c. Unde etiam in amicitiam ſuam ita nos omnes adoptat Chriſtus ipſe, ut nolit, nos amplius dici ſervos, ſed amicos, *Ioh. 15. v. 15.* his verbis: Non amplius dicam vos ſervos; quia ſervus neſcit, quid dominus ipſius facit: Vos autem dixi amicos, quia omnia, quæ audivi à patre meo, nota feci vobis.

Quum itaque ea libertas plene reſtituta ſit nobis, per quam omnes, quotquot obſignati eſſe cupimus eius, qui nos liberavit, ſpiritu, priſtinæ ſtatum libertatis ſumus conſequuti; annon eandem libertatem cum omnibus communicare debemus inter nos? Si maiora poſſidemus, quur in minoribus adeo ſimus invidi, ut per ea iterum maiora amittamus? Namque qui ita imperare cupit proximo ſuo, ut non in amore dulci concordiam quærat, ſed quaſi pro mācipio eum habere malit; is ſolvit amabiliſſimum vinculum, quo in unum illud corpus, cuius caput Chriſtus, omnes quaſi membra æqualiter conſtricti tenemur. Unde Chriſtus ad talem æqualitatem

omnia

omnia ſua membra redigit, nec ullam præeminentiam in ſuo regno cuiquam admittit: Imo, *Matth.* 20. *verſ.* 27. dicit: Quicunque inter vos voluerit eſſe primus, eſto veſter ſervus. Quo ipſo ſuum imperium omnino à gentium & mundano regno ſeparat, quando ita dicit: Scitis, Principes gentium in eas dominari, & magnates poteſtatem exercere in eas. Verum non ita erit inter vos: Sed quicunque voluerit inter vos magnus fieri, eſto veſter miniſter. *Ibid. verſ.* 25. 26. Proinde D. Paulus nos ita commonet, ne quis in ſervitutem hominum ſe dedat. Precio, ait, empti eſtis; ne eſtote ſervi hominum, 1. *Cor.* 7. *v.* 23. Omnes enim filii Dei eſtis, per fidem in Chriſto Ieſu, &c. Non eſt Iudæus, neque Græcus: non eſt ſervus, neque liber, &c. Quod ſi vos eſtis Chriſti, nempe Abrahami ſemen eſtis, & ſecundum promiſſionem hæredes. *Gal.* 3. *v.* 26. 28. & 29. An non in hac norma nobis ubique ſit ambulandum? an non in eo regno vivendum, ubi Spiritus Domini in vera libertate præſidet? Nam Spiritus Sanctus ibi eſt συμφυὲς. 2. *Cor.* 3. 17. *Col.* 1. 14. 1. *Pet.* 1. 18. Vbi Spiritus enim Domini, ibi libertas; qui idem eiuſdem teſtis & arrhabo eſt. Non decet igitur quenquam inde pedem reflectere; ut monet acriter Paulus, ſimul nos convellens. At nunc, ait, quũ noſcatis Deum; imo potius cogniti ſitis à Deo; quomodo convertitis vos retrorſum ad infirma & egena elementa, quibus ad ſuperiora regreſſi ſervire vultis? *Gal.* 4. *v.* 9. Quaſi diceret, ſi ad elementa mundi vos convertatis, nõ poteritis Deo rite inſervire. Servus enim Dei eſſe nequit, qui quærit hominibus placere. *Gal.* 1. *verſ.* 10. quum talis ſervitus non ex vero & ſincero amore cordis renati proficiſcatur, in quo libertas iucundiſſime cum ſervitute liberali conſpirat. Namque libertas Chriſtiana charitati, non carnis libidini, vel avaritiæ aut ambitioni, ſubiecta eſt. 1. *Cor.* 8 *verſ.* 19. Vnde tandem ita concludit D. Paulus: In libertate igitur, qua Chriſtus nos liberavit, perſtate; neque egredientes denuo implicamini ſervitutis iugo. *Gal.* 5. *v.* 1. Vos enim ad libertatem vocati eſtis, fratres, ait; tantum ne libertatem arripite ut datam carni occaſionem: ſed ex charitate ſervite alii aliis. Nam tota lex uno verbo completur; iſto videlicet: Diliges proximum tuum ut te ipſum *v.* 13. & 14.

Quicquid inde non veras agit radices, nullatenus cum voluntate Dei congruit: Nec prodeſt quid bona intentio, quæ paſſim proclamari ſolet. Nulla enim eſt bona intentio, quæ contra Dei verbum, ex ſolo humanæ rationis ductu, aliquid in Dei cultu aut conſtitutione regni eius ſtatuit. Ne facitote quiſque quicquid rectum videbitur in oculis ſuis: ſed quæcunque vobis præcipio. *Deut.* 12. 8. & 11. 8. Velut nec ipſe Chriſtus ex proprio locutus eſt; ſed quæ Pater mandavit. Quod & ipſe Spiritus Dei agit; ceu Chriſtus dicit; Ille quum venerit, ex meis ſumet, & vobis annunciabit.

CAP. X.

De fructibus Chriſtianæ ſervitutis, libertatem demonſtrantibus genuinam: deque occulte ſubrepentibus ſervitutis ſpeciebus aut modis.

EX his igitur meridiana luce clarius conſtat, non tantum duplicem eſſe ſervitutem; internam & externam; ſive ſpiritualem, (quæ bona aut mala eſtat; quarum hæc aut peccati aut ſatanæ eſt) & corporalem ſive carnalem: ſed etiam quomodo utraque libertati, tam ſpirituali & corporali, opponatur. Spiritualis ſervitus, ſive interna, quæ ſua natura mala eſt, ita extreme contradicit libertati internæ, ut etiam in æternæ condẽnationis præcipitium ſua vi penitus hominem abripiat: ipſumque Dei filium humanam maſſam induere, ſuaque morte nos è dicta redimere condemnatione oportuerit. Servitus autem ea, qua Deo renati, ductuque Spiritus Sancti viventes, nos in Chriſto & fide conſecramur, quum idem præſtet quod libertas in Chriſto recuperata expetit, id eſt, Liberi Deo in ſanctitate fidei & amore Dei atque proximi ſerviat: inde cum libertate Chriſtiana coincidit, & eius virtute ſancta veſtita incedit; uti ſic rite in hac ſervitutis Chriſtianæ forma filii, hæredes, amici & cohæredes Chriſti dicamur. Vnde triplex iſte fructus in nobis evidens eſt. Primum, ut ſciamus, conſcientias noſtras exemptas eſſe omnium hominum poteſtate. 1 *Cor.* 6. 1 & 7. *v.* 23. Deinde, ut caveamus, ne damnemus fratres adhuc rudiores: quum domino ſtent aut cadant. *Rom.* 14. *v.* 4. Tertio, ut veris, id eſt, ſpiritualibus cultibus, in integritate fidei vividæ, non mortuæ & verbalis ſolum, nec in creaturis vanis, Deo ſerviamus; ſed tanquam Chriſto induti; nec nobis aliiſve ad malum ſimus faciles. Atque hoc eſt proprie, quod D. Paulus 1. *Cor.* 7. *v.* 20. 21. 22. 23. 24. & 1. *Tim.* 6. *verſ.* 1. & 2. docet; ubi ſervitutem carnalem, ob neceſſitatem temporis & conſuetudinem eius, ſubmiſcet; ut eos, qui coacti iugum hoc peccati & iniquitatis portant, ad patientiam exſuſcitet, ne indignatio ipſis ſubrepat: tametſi indignum ſit, eum ſervitute premi, qui tãto precio ſanguinis Chriſti eſt redemptus. nam duo hæc addit; ut caveant, ne ſervi fiant hominum; aut, licet ſint, ne tamen ob id magnopere contriſtentur; interim ut adſpiret quiſque ad libertatem extotnam; quamquam, ſi quis ſit Chriſti ſervus, nihilo futurus ſit coram Deo melioris deterioriſve conditionis, ſive nunc inter homines dominium habeat ſive ſervitute affligatur. Sic Paulus pro temporis ratione locutus eſt; & admonitionem eam tam dominis quam ſervis dedit propterea, ne nomen Dei & doctrina eius blaſphemaretur, ſi ſcandalum inde exurgeret. Doctrina enim Chriſti eſt verbum pacis, amoris, concordiæ, & humilitatis, quod ab omni abhorret tumultu & diſcordia. Proinde de facto quod locutus eſt, id nequaquam de iure accipi aut intelligi debet aut poteſt. Nec obſtant, quæ *Exodi* 21. 2. *Levit.* 25. *Deuter.* 15. de venditione in ſervitutem Hebræis ad ſeptimum uſque annum permiſſa, tum voluntaria, tum ob paupertatem pro abigenda fame facta, leguntur; quam quoque Imperatores Diocletianus & Maximianus, *l.* 2. *C. de patr. qui fil. diſtrah.* ſanciverant. Namque eadem hæc ratio, quam Chriſtus de divortio adducit, videlicet ob cordis duritiem talia contra naturam permiſſa fuiſſe, habebit locum. *Matth.* 19. *verſ.* 8. *Marc.* 10. *verſ.* 5. & merito quidem leges tam acriter eorum ulciſcebantur proteruiam, qui libertatem, tanquam rem inæſtimabilem, *l. libertas* 106. *ff. de R. I.* & extra commercia humana remotam, *l. liberi* 70. *ff. de contrab. empt.* quamque damni cauſſa intercidere iura non patiuntur, *l.* 77. §. *cum exiſtimaret. ff. de legat.* 11. *lib.* 2. & 2. *ff. de commun. ſerv. manumiſſ.*

parvi

parvi faciebant. Vnde non immerito paria habentur, ſemetipſum interficere, ac vendere; quum non tantum improbitate facti, ſed & furto ſui ipſius lædat rempublicam. Quod legibus adeo Imperatores voluerunt coercere aut punire, ut venditio talis non tradat emptori dominium; quia membrorum ſuorum nemo eſt dominus; *l. 13. in pr. ff. ad l. Aquil.* nec cuiquã licet in detrimentum reip. civitatem eiurare, & ex libero ſe ſervum conſtituere: quia libertas res eſt publica. *l. ſi quis 53. ff. de fideic. libert.* Vnde Imperatores negarunt ſervos fieri qui ſe ſervos profeſſi fuerint. *l. 6. l. 39. C. de libert. cauſ. l. 22. in pr. C. de agric. cenſ. lib. 11.* Ceu etiam Adrianus Imperator pœnæ ſubiicit qui ſe caſtrandos dederint. *l. 4. ff. ad l. Cornel. de Sic.* Imo nec pacta quidem, quibus ſe ſponte quis in ſervitutem tradidit, ſubſiſtunt; *l. poſt 36. C. de lib. cauſ.* quia quæ contra bonos mores fiunt, contraque utilitatem publicam, atque in ruinam paciſcentium, nullo iure robur ac valorem acquirere valent. Vt inde pateat, quantopere ius externum etiam tali reſiſtat violentiæ libertatis.

Sed ante omnia hoc loco illud bene notandum occurrit, quod tria principalia tempora, quibus mũdi totius periodus (quamvis quatuor in ſacra Scriptura annotentur) contineatur, veteres conſtituta dixerunt. Vtpote, primum, quod fuit ante legem, ſecundum ſub lege, tertium poſt legem. & tandem his accedit apocalypticum. *Daniel. cap. 12. v. 7. & Apocal. cap. 20.* Duo millia annorum ad tempus ante legem referuntur; quibus includuntur & maxime ſeculi primi tempora, quando mortales in æquali dominii ſtatu omnes liberrimi ſimul vixere. ubi nec talis forma reipublicæ ſupetiorum & inferiorum, nec ulla ſpecies ſervitutis cognita fuit; ſed omnes naturali libertate æqualiter fruebantur. velut etiam omnes eandẽ linguam naturalem locuti ſunt citra corruptionem; quæ poſtea in turris Babylonicæ ædificatione, nova comminiſcendo ſtatuum genera, ingruere cæpit. Quum vero libertas ea mortalium in tantum abiret abuſum, ut nulla amplius ſupereſſet pietas, nec homines correctionem Spiritus Iehovæ admitterent; coactus eſt Iehova terris diluvium immittere, *ut Gen. 7. apparet*; quandoquidem & pravam libertatem (*Iob. 11, verſ. 12. Item. 34. verſ. 15. Oſe. 7. v. 16. 2. Petr. 2. v. 18.*) quoque improbat Spiritus Dei. Factum hoc eſt anno mundi 1657. Ac poſt ingruentem cataclyſmum anno 61. incepit regnum Nimrodi, ſive Babylonicum; *cuius incrementum & tyrannidem egregie deſcribit Joſeph. lib. 1. ant. Iud. cap. 5.* à quo uſque ad annum mundi 1757. homines ita inceperunt vires oſtentare ſuas, ut tandem in ædificationem turris mirandæ altitudinis erumperent. & quum hic annus centeſimus poſt cataclyſmum fuerit, & Iubilæus, eum Sabbathicum dicunt, quo Deus linguis confuſis diſſipavit agmen Nimrodicum. *Seth. Calv. in chron.* Fuit turris illa artificioſiſſime conſtructa; *ut videre eſt apud Herodotum.* Inde uſque ad mortem Noachi, qui prioris mundi amœnitatem & lætitiam admiratus erat, & alterius undis dilacerati vaſtitatem & miſeriam ingemuerat, numerantur anni 148. quum ætatem ſuam annis 950. compleviſſet. Anno autem decimo octavo ſtatim poſt obitum Noachi Abraham primũ iuſſum accepit à Deo, ut peregrinaretur cum uxore ſua & tota domo ad locos ignotos terræ Canaan & Ægypti, quum eſſet annos natus 75. poſt diluvium anno 366. ſub Niniæ regno, qui ſucceſſerat Semiramidi. Ita iam ſuccreverant ſervitutes, ex quo Noach filium ſuum Chamum atq; Canaanum diris imprecationibus, ob contemptus crimen & pervicaciam erga parentem, ad ſervitutem devoviſſet, ut maledictione illa, *Gen. 9. v. 25.* gentes in gentem mutuis belli & ſubiugationis conflictionibus inſurgerent. Vnde principes arbitraria ſua pro legibus venditare cæperunt, *ut ait Iuſt. lib. hiſt. in pr.* Cuius etiam verba de Nino ſic ſe habent: Ninus magnitudinem quæſitæ dominationis continua poſſeſſione firmavit. Domitis igitur proximis, cum acceſſione virium fortior ad alios tranſiret, & proxima quæque victoria inſtrumentum ſequentis eſſet, totius Orientis populos ſubegit. Tanta crudelitas non modo nihil remiſit, verum etiam cum inſatiabili regnandi libidine eouſque accrevit, ut mulier quoque Semiramis viri naturam tranſcendere conaretur. Adeo demutata fuit inclinatio naturalis, ut ſiniſtra palmam dextræ præripere auderet. An igitur non inde prava conſuetudo potentior evaſit natura, eamque ſuperavit? Hinc videlicet opiniones præconceptæ deleverunt naturę nota principia, ex quibus elici ius debebat; eæque crudeli protervia in tantum ſibi vires maiores acquiſiverunt quotidie, ut ſervitus perpetuo gravior ſub prætextu rationis huius erroneæ introducta fuerit, & libertas vera cum iure naturæ apud omnes ferme prorſus peſſum ierit, exceptis iis, quos tyrannidis potentia ad ſummum evexerat faſtigium dominationis. id quod exempla in regibus Sodomę & Gomorrhæ, *Gen. 14. & 19.* nec non in Iſraelitarum ſervitute duriſſima in Ægypto, in qua ab obitu Ioſephi uſque annos 142. miſerrime vixerant, clare ſatis demonſtrant. Poſtea anno mundi 2453. quum interveniſſent ex obitu Noachi huc uſque 448. à diluvio vero 696. id eſt, ante natum Chriſtum 1495. quo Iſraelitarum exitus & promulgatio legum Moſaicarum inſecuta eſt, quumque Deus probaſſet corda hominũ nimiæ perverſitati adſueta & indurata, tum quoq; ut typum myſticum in liberatione filii Chriſti Ieſu in his præfiguraret, relinquendo illis leges adſuetas, cõfirmavit quæcunque ita impenſius amarent. Velut *Exod. 21.* ſervitutem quidem illis ſtabilit, ſed tamen ad tempus eam, in quam quis ob inopinam famem fuit coniectus, à perpetua ſervitute ſeparat, cui mancipabantur emti ex peregrinis: tum beneficium liberationis iiſdem applicat. Si vero quis ſeptimo anno libertatem oblatam recuperare nollet, iuſſit hunc iudicibus ſiſti, eique ad poſtem applicato, perforata aure, perpetuam ſervitutem imponi, ut ita turpitudinis nota illis eſſet infamis, quod libertatem à lege indultam tam turpiter reſpueriat. (quem etiam morem Romani addidicere poſtmodum, *ut ſupra cap. 3. diximus.*) Nulla enim ſervitus turpior, quam voluntaria, *ait Sen. epiſt. 47.* Quum igitur homines temporibus illis, quibus ſub Lege vivendum erat, minime deſinerent ſuos propagare mores malitiæ, & deviarent ſemper, tandem in aliam ſervitutem Babylonicam præcipitati ſunt, ut novus inde eluceſceret typus futuræ liberationis, ad quam remittebantur, ut in Meſſia totius mundi ferventius eam anhelate, & deſiderio ſanctiori ambire inciperent: Donec demũ tertio tempore Chriſtus in mundum veniret, legem compleret, ſuumque plane novum aperiret nobis regnum, in quo gratia Patris eſſet quidem cunctis reddita,

reddita, modo ingratitudo mortalium ſemetipſam tanta ſalute non indignam cenſeret.

Exuperavimus nunc igitur hoc quoque tempus, quod poſt Legem vocant, uſque ad hanc inclinationem diei ſexti, &c, ſi ſingulos millenarios, iuxta vere ſapientum computationem, & myſticum ſacræ Scripturæ intellectum, ad ſingulos referamus creationis dies: iam mox inſtabit apocalypticum illud optatioris affulſionis tempus, & plenioris lucis gratia in terris his, quum Chriſti regnum propter multas ſervitutum confictas formas, & tenebrarum involutiones, vera libertate ſua hucuſque tam dire privatum fuerit, ut non raro vix veſtigia Chriſtianæ concordiæ & dilectionis reliqua extiterint. Namque ubi omnia ſacra in ſuperbam dominationis formam convertuntur, num ibi vera Eccleſia ædificari queat? Religio quidem vulgo prætexitur; ſi tamen res ipſa examinetur, imperia quæruntur, & iuriſdictionis amplificatio; *vt. ſect. 7. d. 2. num. 8. ait noſter.* Quomodo igitur per Chriſtianorum humanitatem eo deventũ eſt, ut inter eos ſeruitus iam prorſus exſpirarit, excepto eo veſtigio, quod in hominibus propriis ſeu animis mortuis adhuc elucet? *ut idem ſect. cad. nu. 1. dicit.* Non certe bene agit, quod miſericordiæ iniuſtæ reos convincere laborat qui ne quidem fundamenta ſervitutis in abrogando attingere potuerunt. Nam ſi cauſſa una tantæ humanitatis fuit, ut propoſita libertate multos allicerent ad amplectendam religionem; & altera, quod indignum putarent ſervire hominibus, qui tã precioſo ſanguinis Chriſti lytro redempti eſſent; *ut ille aſſeverat iuxta c. 1. de Iud. Sarrac.* fieri omnino non potuit, ut modum ulla miſericordia inique excederent. Quippe propoſitam habuerunt libertatem, & liberationem à ſervitute; quam non per ſe reſpexerunt, ſed propter quid, quod indignum putarent, ſi Chriſtiani aliis ad ſervitia obſtricti eſſent. Quod ſane nihil aliud arguit, quam ſtudium alicuius gloriæ propriæ; quam affectarunt in eum finem, ne Chriſtus eſſe principalis ſcopus, hominumq; ſalus inde dependere videretur, ſed ut illi poſſent ſolũmodo ſui ſtudii in hoc declarare induſtriam. Velut ẽt ſtatim à principio in eo graviter aberratũ fuit, q diſtinctio & differentia talis inter Chriſtianos ſit inſtituta, ut alii ſpirituales, vel eccleſiaſtici, alii mundani laicique dicerentur. Quaſi vero Chriſtanorum ſtatus aliud quidvis eſſet, quam vita in ſpiritu; quæ ipſis regeneratis eſt regnum Chriſti, nemoque regeneratus dici poteſt, qui in ſpiritu non vivat. Dona quidem ſunt varia; ſed tamen omnes qui ad Chriſtum pertinent, eius ſunt membra, infimus pariter atque ſupremus, *ut ſupra dictum eſt*; ut inde nulla ſit differentia. Atque hoc eſt, quod neque inter nationes Paulus diſtinguat, quum omnes undique ſint in Chriſto tanquam in capite uniti, *ut ait ad Eph. 6. & Gal. 4.* quum omnibus eadem Chriſti communicetur iuſtitia & ſalus; qui nullatenus ita inter ſe diſtare poſſunt, ut alter habeat ſpiritum, qui ipſi ſpiritualitatem adiiciat, alter vero ab eodem ſit alienatus. Imo qui non habet Spiritum Chriſti in ſe habitantem, is nec Chriſti eſt nec ſpiritus eius. *Rom. 8. 9. 15. 26. 1. Cor. 3. 16. item 12. 7. 3. 13. 2. Cor. 4. 13. & 6. 6. Gal. 5. 7. 16. 18. 22. Eph. 1. 13. & 2. 18. & 5. 15. Phil. 1. 7. 19. 27. & 5. 19.* Quippe ſanctificamur ſpiritu omnes; *2. Theſſ. 2. 13. & 2. Tim. 1. 14. 1. Pet. 1. 2.* Ex quo ſimul hoc patet, quod non tantum Rector *ſect. 7. num. 9.* fruſtra quærat, an eadem lex omnibus ſit Chriſtianis obſervanda, ſed etiam recte contra ſuam opinionem inferat: Si argumenta ab unitate eccleſiæ petita prohibent, quo minus poſſint eſſe inter Chriſtianos ſervi; eadem conſequentia extinguant omne ius belli, quia bella ſcindunt unitatem. & maxime Chriſtianorum bella quid differunt à civilibus, quum omnes ſint eiuſdem civitatis cives?

Vnde quoque recte agunt, qui ſervitutes inter Chriſtianos in univerſum damnabiles ſtatuunt. *Bart. in l. hoſtes ff. de capt. & poſtl. Salyc. in l. ab hoſtib. col. 2. C. de captiv. Alciat. in l. hoſtes. verſ. ai cum de V. S. Ioh. de terr. rub. contr. rebell. tract. 3. artic. 10. Duar. l. 3. c. qui teſtam. fac. poſſ. Covarr. part. 2. relect. c. peccatum. §. 11. num. 6. de R. I. Donell. lib. 1. com. iur. civ. c. 12. Alb. Gent. de iur. bell. lib. 3. c. 9. q. 3. Arn. relect. pol. c. 3. ſect. 7. num. 7.* Sic & fruſtra expetit à Chriſtianis unam civitatem politicam, & pernicioſam contra expreſſum Chriſti verbum ſupponit diſtinctionem, quod bella gerantur non à civibus eccleſiæ, ſed à civibus rerumpubl. mundanarum, & quod ſalva fraternitate ſpirituali ius gentium colere, ac ſervos ita confratres efficere queant, quanquam pietati & iuſtitiæ contrarium videatur, *ut habet ibid. num. 10.* Chriſtus vero ait; Regnum Dei eſt in vobis. &c, Nemo poteſt duobus dominis ſervire. Non poteſtis calicem Dei & calicem ſimul diabolorum bibere, *addit Paulus.* Ergo ſi civis reip. mundanæ quis ſit & bellum gerat, eo ipſo ſe excludit ab eccleſia. ac proinde in bello ſi occumbat, quonam abiturus eſt, qui regno iræ Dei ſervit?

Sed ne latius evagemur, redeamus ad ſcopum. Iura veteris ſervitutis inter Chriſtianos hodie abolita cenſentur prorſus, *ait Chriſt. Beſol. in pol. cap. 10. num. 54.* Verum ſi rem ſanis intueamur oculis, adeo heic aberratum eſt, ut cernamus duplicem maxime ſupereſſe in ipſo Chriſtianiſmo ſervitutem. Alia eſt occulta, alia manifeſta.

Occulte latens, paſſim per omnes tacitis pedibus ſerpit reſpublicas, imperia, & regna, quam non adeo ſentiunt ſubditi neque vulgus, ut ſolummodo hæc ſpecies cognita ſit aut legislatoribus, aut magiſtratibus, nec tamen omnibus membris, quum arcana ſumma in ſe contineat. Vnde quoque non miror, quod hanc non inter arcana ſua, quæ rebuspubl. applicavit Clapmatius, retulerit; ne nimium innoteſcerent quę in vidiam nimiam conflarẽt. Hæc mihi praxis per viginti annos variis in locis occurrit, ubi talẽ obſervavi apud omnes ſummo ſtudio tanquam ſecretum ſecretorum occultari, cuius quippe energia in auctione gloriæ & privati commodi quam potentiſſima ſit. Quoties deprehenſum id à me viderunt, ii quorum gloriæ & utilitati cum maxime intererat, ſtatim ſummo repreſſus ſum odio. Sed videat, ut quiſque ſuæ conſulat conſcientiæ; ego cupio innoxius heic reperiri. Tamen hæc res alibi aliter aliterque practicatur, pro loci, geniorum & temporis cõditionumque ratione, &c. Abſit, ut cum periculo vitæ talis non ſat tuta cardinalis malitiæ pateſpctio ulterius progrediatur.

Manifeſta autem ſervitus, quam in uſu adhuc paſſim cernimus, duplex eſt, alia familiaris & genuina, alia ex antiqua barbarie aliquid adhuc redolens.

Familiaris eſt ea, ſine qua nulla prope domus ſibi & conſervationi ſuæ recte conſtare poteſt. Quumq; longe ſit uſitatiſſima, & unicuivis obvia, non opus

eſt, ut plurib⁹ eam deſcribamus, modo id conſtet, quod ſit ea, quæ locationem & conductionem ingrediatur. Vnde eatenus ius ciuile incidit, quum perſonæ liberæ, miniſtri, famuli, aut ancillæ, operas ſuas hero aut patrifamilias ad certum tempus pro certa mercede elocant. Proinde dicitur contractus facti, dum locator operam ſuam conductori in re vel perſona eius præſtat. §. *item quæritur. Inſt. b. l. & l. 2. ff. eod. l. 19. §. ſi quis, ff. b. t. l. 20. l. 65. ff. de contrab. empt.* Hic locator eſt, qui inchoat contractum, & ſe alicui priori offert; conductor, qui placitum offerentis accipit. *l. 13. §. 1. l. 25. §. qui columnam. l. 36. l. 38. ff. b. t. Cuiac. obſ. 28. lib. 2. Berchol. de pact. c. ult. num. 18. Late Gud. ad l. 5. §. 1. n. 2. de V. S.* Quamvis alii heic diſtinguant inter perſonas urbanas aut ruſticas, res tamen eodem redit, quoad hanc contractus formam.

Altera ſervitus, quæ adhuc antiquam duritiem repræſentat, prope eſt ad ruſticam plebem redacta. Beſold. *d. l. pol. num. 58.* ubi ita ait: Porro ſervitute quia vix poſſumus carere, ideo ea etiam nunc ab uſu haut plane diſceſſit, ſed in ruſticis quibuſdam fere hæret & agricolis, &c. Practici homines proprios vocant.

Sic & Frid. Huſ. *in tract. de hom. prop. cap. 2. num. 5.* id affirmat, dicens: Servitus apud nos potiſſimum hæret in ruſticis, agricolis, cenſitis, colonis, & id genus aliis hominibus rem ruſticam tractantibus.

Quamvis autem horum omnium appellationes promiſcue vulgo accipi ſoleant, tamen quum ipſa rei ſignificatione varient nonnihil, rite ea diſtinguēdo is explicat. unde eius libellus conſulatur, ſatis ſcite conſcriptus, ſi res non ad aliam diſpoſitionem reduci queat. Conſuli quoque heic alii poſſunt, qui in eadem erronea ſunt opinione, iuxta Platonis ſententiam; qui putant, Chriſtianos illæſa conſcientia ſervorum opera uti poſſe. *inter quos eſt Don. lib. 1. com. cap. 12. Bronch. 1. miſcel. adſ. 4. Veiſt. cent. 9. pol. dec. 3. th. ult. Iac. Mart. coll. phil. 1. diſp. 10. diſq. ult. &c.* At longe rectius Lehman. *chr. Spir. lib. 1. cap. 20.* ubi abunde id diſquirit. Igitur valeant illi turpes barbarici revocatores, qui affirmare audent, quod reipubl. expediat, ſi antiquum ius ſervitutis, heriliſque poteſtas, denuo in vigorem reducatur. Sed hanc barbariſtarum talium opinionem detegemus mox *in cap. de republ. Plat. male intellecta.*

Interim non inconveniens erit, Frid. Huſan. *in tract. de hom. prop. cap. 1. num. 34.* ſuper hanc quoque audire quæſtionem. quam ita formavit: An vetera captivitatis & ſervitutis iura, quibus alii alios ferarum in morem & contra naturam ſubiiciunt, hodie inter populos Chriſtianos obtineant? Reſpondet ipſe ſibi, tali modo: Ac ſatis quidem apparet *ex l. ſiquis 21. §. 1. ff. de capt. & poſtl. rev.* eos, qui in diſſenſione civili capiuntur, in ſervitutem redigi, quum ne hoſtium quidem numero habendi ſint. *l. 24. ff. eod.* Sicuti nec ii ſervi ſunt, qui à latronibus vel à confœderatis capiuntur. *l. 7. ff. eod.* Itaque quod quis in latronum poteſtate fecit teſtamentum, ratum eſt. *l. 13. ff. qui teſt. fac. poſ.* Quum autē orbis Chriſtianus una quaſi ſit reſp. civitaſque filii Dei, Domini noſtri Ieſu Chriſti, *c. ad mouſ. 11. q. 3.* interque ſe & fœdus & ſocietatem & hoſpitium habeat; *argum. l. 5. §. in pace 2. ff. de capt.* conſequens eſt, eos, qui in diſſenſionibus civilibus & inteſtinis lanienis (quæ latrocinia potius quam bella eſſe putantur, *Fab. in §. item, ff. de rer. divis. fac. text. in l. ſi quis, §. fin. ff. de capt.*) in poteſtatem alterius partis veniunt, in ſervitutem non incidere; ſed libertatem retinere. Idque lege divina ſancitum eſt. Nam *Leuit. 25. v. 29. Deut. 24. v. 7. 2. Par. 8. v. 9.* cautum eſſe legimus, ne populus Dei, ſeu gens Iſraelitica, cives tribuleſq; ſuos, utpote fratres, ſervituti ſubiiceret. *D. Chyt. in Exod. cap. 2. Bur. in conſult. Bitur. §. 1. in gl. nu. 1. de conſtitut. &c. Ferr. l. all. n. 25. fol. 9.* Hinc videmus antiquiſſima conſuetudine introductum, ut captivi præſtita pecunia in redemptionis præmium, quam Græci λύτρον appellant, veniam abeundi impetrent. *Covar. in c. peccat. pag. 2. §. 11. n. 6. de R. I. in 6. & in relect. 4. decret. pag. 2. cap. 3. n. 13. Alciat. in l. hoſtes 18. n. 3. de V. S.* Quare nec in eos iure belli ſæviendum, &c. *idem tradidit. &c.* Verum de hac re & iure belli quid ea ratione ſit ſtatuendum in Chriſtianiſmo, ex ſuperioribus plenius patet. Id iam hac vice ſatis eſt, ut noſcamus ex verbo Dei, quod pietas ſtudium pacis unice in omnibus expetat, & proinde ei talia inſerviant miniſteria, quæ ſervitutem barbarorum revocari nolint; ut non adeo ſit neceſſarium in Chriſtianiſmo moribus abſurdis vivere, aut Sclavonicam reducere conſuetudinē, quam paſſim etiam ipſæ civium tribus abhorrent. Ac propterea uſu receptum eſt, ut nemo admittatur in mechanica arte libere exercenda, niſi prius publicis litterarum documentis à magiſtratu is ſit approbatus, quod ex tali genere non ſit natus. uti hoc paſſim accuratiſſime obſervatur, licet minus ſit probādum. Odioſum hoc illis videtur nomen, quum Germanis dicatur *ſclavus* ex nomine gentis, quæ ultima in ſervitutem aut ſubiugationem potius à maioribus eorum redacta fuit: quemadmodum etiam à devictis gentibus Getas, Dacos, Syros, &c. ſuos cognominabant ſervos antiqui. Alias proprie *ſclavvny* nobilem denotat. *Bibliand. tract. d. commu. rat. ling. fol. 13.* Servi vero in multiplici variant differentia, pro regionum more, ut præſtent varia onera de prædiis; quæ praxis potius obſervat, quam heic referri queant. D. Auguſtinus vero *de civit. Dei lib. 19. cap. 16.* optimum præſcribit modum cuivis patrifamilias æquo iure dominandi, quando ait; Quia igitur omnis domus initium ſive particula debet eſſe civitatis; omne autem initium ad aliquem ſui generis finem, & omnis pars ad univerſi, cuius pars eſt, integritatem refertur: Satis apparet, eſſe conſequens, ut ad pacem civicam pax domeſtica referatur; id eſt, ut ordinata imperandi obediendique concordia cohabitantium, referatur ad ordinatam imperandi obediendique concordiam civium. Quod ex verbo Dei ſupplendum eſt Chriſtianis; non aliunde.

Sed ut abſolvamus hunc ſocietatis tenorem, revertimur ad id unde tam diu digreſſi ſumus.

CAP. XI.

De reſiduis privatæ ſocietatis ſpeciebus accidentalibus & acceſſoriis.

QVum omnes hominum actiones, & rerum gerendarum negocia quævis, ſive publica ſive privata, ex libertate aut neceſſitate agendi profluant, & inde maximam ii confuſionem pariant cunctis, difficultateſque creent, qui libertatem nimia ſervitute ſupprimunt, & ius illud naturæ amabile conſtrictionibus tot iniquis & adverſis ſive contrariis communi ſocietati

zed by Google

tietati mortalium eripere conantur: exinde coacti sumus, id paulo fusius explicare, ut eos retunderemus, qui fundamentum omnis naturalis conversationis ipsum ita misere nobis oppugnant. Quanta enim calamitas inde exorta sit sæpius, non tantum historiæ ubertim testantur, sed memini quoque, quâ tristium hinc miseriarum in Germania atque alibi fuerim spectator. Velut id quoque superius exemplo Saxonum declaravi. Iniquus est, & naturam ipsâ impugnat, quisquis libertatem eam, quæ communiter hominibus competit cunctis, vanitatis artificio sub specie iuris ficti abscindere & in regalia convertere annititur. Etenim libertas dominii, ad quam nati sunt singuli, si ex universo populo ad certum quendam loci aut regionis præsidem coarctetur, is ex tali consensu dicitur omnium potens, & tanti iuris, dignitatis, eminentiæ, cum viribus quas huic singuli tanquam capiti rerum suggerunt, ut ex hac omnium constrictione maiestatem sibi conciliet, & inde verendus atque metuendus merito omnique honore dignandus veniat. Ex hac igitur maiestate si regalia iura dependeant, nihil aliud obtinent, quam ut id suis subiectis communicent iterum, quod saluti omnium & conservationi singulorum cum commodo cuiusque prosit. unde & commune bonum recte appellatur. ut privilegiorum longe alia ratio sit, quam vulgaris id fert interpretatio. namque aut in gratia bene meriti, aut loci commoditate taliter quidem fundatur privilegium, ut tamen nil aliud à superiori retribuatur alicui quam quod & antea tacito quodam naturæ iure illi debebatur. de quo alibi rectius agitur. Interim tamen id agere potissimum hoc volui, quo nimii illi libertatis suppressores penitius hæcce considerarent, nec ita acri cohabitantium invidia ducerentur; à pernicioſis quinetiam consiliis abstinere melius discerent.

Verum ex iis quæ *cap. 3 memb. 9. superius* producta sunt, restant adhuc duæ societatis accidentariæ species; videlicet adoptio, & administrationis alicuius competentia. quas nunc paucis explicabimus.

Adoptionem autem, quum non tantum accidentaria, sed etiam rarior sit in usu, huic loco reservavimus. Etenim nihil aliud est, quam imitatio quædam naturæ, qua illi utuntur in solatium vitæ suę, qui liberis & progenie naturali destituti sunt. Vnde ex æquitatis favore iure civili recepta & solemni constitutione confirmata fuit; atque etiam ab aliis nationibus usurpata. ut *Exod. 2. v. 10.* filia Pharonis regis Ægypti, Thermutis nomine, non tantum Moschi sive Mosæ hoc extractionis nomen, quod eum in scirpea arca ex flumine extrahi iusserat, imposuit, sed etiam in filium suum adoptavit; quum alioquin germanis liberis careret, *ut ait Iosephus*, quem successorem regni faceret. Mirabile certe nominis omen! Nam velut ipse Moses ex aquæ submersione extractus, à morte instanti per hanc adoptionem liberatus erat; ita quoque ipse à Deo electus & adoptatus fuit per filiam regis illius, ut populum Israeliticum ex servitute sæviſſima extrahendo, per medios maris rubri fluctus perduceret, ac è contra tyrannus ille tyrannici edicti sui, quo omnes Israeliticos pueruloſ in flumen proiici mandarat, ipsemet in aquarum submersione pœnas daret. *Act. 7. v. 22. Ioseph. in antiq. Iud. l. 2. cap. 5.* Similiter adoptionem talem monstrat Plutarchus *in Theseo*, Demosthenes *in orat. περὶ Ἀνδροτίωνος*. ut ita apud Iudæos, Græcos, Ægyptios, alioſque populos in usu fuerit. Et licitum erat, tam ex consanguineis, quam extraneis, sibi quempiam eligere. ceu Moyses fuit extraneus Thermuthidi: at Mardochæus erat patruus Hadassamæ sive Esthreæ, quam moriente patre eius & matre in filiam sibi adoptaverat. *Esth. 2. v. 7. & 15.*

Adoptionis autem nomen generale quidem est; sed latius accipitur, quam Wesembecius, *parat. ff. ad l. b. num. 3.* aliique ICti volunt, & sanctiorem, quam vulgo traditur, originem habet. Etenim nos quoque tanquam alienigenæ, per Christum patri Iehovæ adoptitii sumus facti, quum legi mortis & condemnationis vixiſſemus subiecti, nec non sub elementis mundi in servitutem redacti essemus; *ut D. Paul. loquitur ad Gal. 4. v. 3. 4. & 5.* At postquam venit plenum tempus, ait, emisit Deus filium suum, factum ex muliere, factum legi subiectum, ut eos, qui legi erant subiecti, redimeret, ut adoptionem acciperemus. Quoniam autem estis filii, emisit Deus Spiritum filii sui in corda vestra, clamantem, Abba, Pater. Inde mentro etiam lætanti animo ita exclamat: Benedictus esto Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui benedixit nobis omni benedictione spirituali, in cœlis, in Christo: Sicut elegit nos in ipso ante iactum mundi fundamentum, ut simus sancti & inculpati in conspectu eius cum charitate: Qui prædestinavit nos, quos adoptaret in filios per Iesum Christum in sese, pro benevolo affectu voluntatis suæ, ad laudem glorioſæ suæ gratiæ, qua nos gratis acceptos sibi fecit in illo dilecto. *Eph. 1. vers. 3. 4. 5. 6.* Ut ita adoptio apud Deum Iehovam nostrum sit electio gratuita, qua hominum salus tanquam ex vero & nativo fonte promanat. Namque sicut voluntas illa æterna fons est promiſſionum, ita est & fidei nostræ fundamentum. Et nisi constet nobis illius voluntas, non poterimus ex eo de fide nostra certificari quod omnipotens sit Deus. Ubi de voluntate eius constiterit, ibi nulla nobis relinquitur ratio dubitandi de gratia & potentia eius. Quippe obsignat nos in Spiritu filii, quod eius simus filii; ceu Paulus *ad Rom. 8.* id adseverat his verbis: Quotquot enim Spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei. Non enim accepiſtis spiritum servitutis rursum ad metum, sed accepiſtis spiritum adoptionis, per quem clamamus, Abba, Pater. Et ipse spiritus testatur una cum spiritu nostro, nos esse filios Dei. *v. 14. 15. & 16.* Tum addit; Quod si filii, etiam hæredes: hæredes quidem Dei, & cohæredes Christi; si modo cum eo patimur, ut & cum eo glorificemur. *vers. 17. &c.* Ideoque adoptio non tantum est actus imitans naturam, sed maxime gratiam Iehovæ. & veluti per adoptionem talem ex terris transimus ad hæreditatem cœlestem, quam nobis Christus acquisivit; ita quoque gratum est imitamentum hoc, quo filius familias è potestate sui parentis egeni in alienam familiam fortunæ splẽdidioris transit. *VVesemb. d. l. n. 1. & 2.*

Alias quoque adoptio quasi adsumptio dicitur. veluti apud Plautum, *in Cist. act. 4. sc. 2.* servus ille ita ancillam alloquitur; Sed ego rem meam magnam confabulari tecum volo. Sociam te mihi adopto ad meam salutem. quasi diceret, miserum esse in salute aliqua aut felicitate vivere, nec tamen habere quenquam, cum quo aut cum qua possis partiri prosperitates tuas. Felicitas enim absque socio, cum quo cõ-

munem eam possideas, nulla absoluta dari potest. Quod si igitur non sit aliquis tibi domi natus, necessum, ut ad aliud medium recurras; quod tibi ius adoptionis suppeditat. inde Romani quoque exemplo aliarum gentium adoptionem introduxerunt, & iuris constitutione singulari rite ordinarunt, ne cuiusquam hæreditas in detrimentum sui & Reipublicæ frustra distraheretur.

Nec tamen res hæc fuit absque singulari solemnitate; sed tam in persona adoptantis, quam adoptati, iusta requisita complexi sunt. A superiori etiam sive iudice, præsentatione facta, etiam extra locum iudicii, confirmari debuit. Quemadmodum Iosephus historiam Moysis satis egregie describit; eiusque in adoptione Thermuthis Ægyptii regis filia rite isthæc observavit. Tanta, inquit, erat puerilis gratia (in Mose,) ut inviti homines ab hoc spectaculo discederent. quo factum est, ut Thermuthis hunc sibi filium adoptaverit, quum alioquin germanis liberis careret. allatumque patri ostendebat, dicens: De successore se cogitare, etiamsi Deus illi nullum filium gignere dederit. Hunc puerum, inquit, ego educavi, non minus indole, quam pulchritudine divina excellentem; quem Nilus ipse in sinum meum tradidisse videri potest, quem decrevi adoptare filium mihi; tibi vero in principatu ac imperio successorem. & cum dicto patri infantem in manus imposuit. At ille postquam acceptum ad pectus appressisset; filiæ gratificaturus, comiter diadema suum eius capiti imposuit. Moses vero, capiti pueriliter detractum, prolabi in humum passus, pedibus etiam calcavit. Id quod mox ominosum, nihilque regno boni portendere visum est. Sacrorũ enim antistes, qui nativitatem eius Ægypto cladem allaturam prædixerat, occidere puerum volebat, vociferans: Rex, puer iste, per cuius necem nobis securitatem Deus pollicetur, vaticinium iam confirmavit, insultando tuo regno, & diadema calcando. Hoc interempto, tam Ægyptiis metum, quam Hebræis spem & fiduciam adime. Thermuthis vero confestim eum eripuit, rege quoque, cui Deus, Mosis saluti providens, talem animum indiderat, non invito. Itaque educabatur quam accuratissime. Quamobrem Hebræi quidem felicitatem suo generi sperabant; Ægyptiis vero suspecta erat hæc educatio: Sed quum nemo extaret vel è cognatis regiis, vel ex aliis optimatibus, qui, etiamsi Moses sublatus esset, magnopere videretur procuraturus Ægyptiorum commoda, abstinuerunt ab eius cæde. Itaque sic natus, & sic educatus, postquam adolevit, brevi suæ virtutis specimen edidit, &c. Historia isthæc uti notabilis est, ita lepidam certe & vividam in hac adoptionis materia continet ac exprimit effigiem. Namque non solum liberæ voluntatis motu Thermuthis Mosem elegit, patrique tam consensus quã confirmationis gratia obtulit, & eum sibi nominavit; sed etiam pro hærede & regni successore declaravit, & in defensione vitæ, periculi aversione, atque educatione sollicita, ea præstitit quæ parentes ipsi tam fideliter præstare vix potuissent.

Sic Romanis quoque solemnitates suæ fuerunt heic singulares. quas Aul. Gellius, *lib. 5. cap. 19.* plene satis describit; dicens: Quum in alienam familiam, inque liberorum locum extranei sumuntur; aut per prætorem fit, aut per populum. Quod per prætorem fit, adoptatio dicitur: quod per populum, arrogatio. Adoptantur autem, quum à parente, in cuius potestate sunt, tertia mancipatione in iure cedunt; atque ab eo, qui adoptat, apud eum, apud quem legis actio est, vindicantur. Arrogantur ii, qui quum sui iuris sint, in alienam sese potestatem tradunt, eiusque rei ipsi auctores fiunt. Sed arrogationes non temere nec inexplorate committuntur, &c. Etenim neque pupillus, (*ait Cuiac. in parat. C. lib. 8. t. 47.*) neque mulier, quæ in parentis potestate est, adrogari possunt. Vna ne; atio deest, quia nec mas, qui in parentis potestate est, adrogari potest. Verum hodie omnes eæ solemnitates obsoleverunt, & in adoptione acta publica sufficiunt; in adrogatione rescriptum Principis. Duo vero sunt casus, quibus patria potestas adoptione non acquiritur. Si mulier aliquem adroget: quia à patre, cui soli competit hæc potestas, assumit applicationem, qua & avita & proavita continetur; non materna; quæ nulla fuit unquam: tum filium mulier habere potest, non filiumfamilias. Item, si pater naturalis filium extraneo in adoptionem det. *quem casum Iustinianus introduxit l. pen. h. t. &c.*

Adoptionem autem talem non eodem modo ICti definiunt. Aliter Caius, Vlpianus, Schneidewinus, Vulteius, Giphanius, & Dd. communiter. Verum quum illorum definitiones ex veteri potius formula adoptionis natæ sint, quam quod iuri hodierno respondeant; suam unicuique relinquimus; saltem hoc in præsens adferentes ex Theophilo, quod sit actus legitimus, quo cognatus aut extraneus in familiam loco filii solemniter adsumitur. Nam tria potissimum heic consideranda veniunt: personæ; quinam adoptare & adoptari queant: modus; quo constituantur, quique species exprimit: & quis sit verus adoptionis effectus.

Quod ad personas attinet, adoptare possunt, quibus potestas vel à natura vel lege non prohibita est. Natura arcentur, qui in perpetuum generare nequeunt, & sunt prorsus inepti ad procreationem; §. *sed & illud, Inst. his.* deinde qui non in plena pubertate constitutus est. §. *minorem. & l.* 40. §. 1. *ff. eod. t.* licet aliter quoad illos introduxerit Leo Imp. *Novel. 27.* Lege arcentur fœminæ. §. 10. *& l. 5. C. h. t.* Quoad quasdam tamen iterum dissentit Imperat. Leo, *Nov. d. 27.* Prohibetur deinde adoptionis reiteratio. *l. 37.* §. 1. *ff. h. t. Cuiac. 5. obs. 19.* Tertio non potest pater filios adoptare suos naturales. *l. 7.* §. *in posterum, C. de natur. lib. Nov. 74. c. 3. Nov. 89. cap. 11.* §. *adoptionis.* Demum, quando maior natu masculus annum decimũ octavum excedens, minorem natu quemvis, vel plures, in locum filii, filiæve vel nepotis, neptisve, & deinceps, ad imitationem naturalis patriæ potestatis, solemniter suscipit; & contra adoptandus adoptantem patrem agnoscit; ut nullus in mutuo consensu sit defectus. §. 4. 5. 6. 7. 10. *Inst. de adop. l. pen. C. t. eod.* Loco autem fratris, quum nemo naturæ talem gignat, nullus adoptari potest. *l. 7. C. de her. instit.* Sufficit hoc, si tempore adoptionis adoptans pater esse queat, & quidem eius pater quem adoptat; ideo nec æqualis æqualem ætate rite adoptabit. Olim civis Romanus quivis, non autem peregrinus, & civis Romanus masculus, non fœmina, nisi ex indulgentia Principis, ob solatium liberorum amissorum, §. *fœmina, Inst. eod. l. 21. ff. eod. l. mulier. C. eod.* (quo casu fœmina filium adoptat,

optet, non filiumfamilias) & rursus civis Romanus masculus qui ipse in potestate patria non sit, adoptãdi ius habebat. Furiosum quoque, quo minus adoptet, morbus impedit. In eo autem, qui adoptatur, tam accurate non distinguitur, feminę an sint vel masculi; extranei sint an coniuncti; modo cum illis legis sit actio. *Vult. iurisp. R. lib. 1. c. 12.*

Modus adoptionis quum sit diversus, inde duæ exoriuntur species: videlicet arrogatio, & adoptio specialis.

Adoptio igitur specialis est, qua filiusfamilias alterius potestati subiectus, non contradicens, sed patre auctore, & magistratu competente interveniente, ac post contestationem actum adoptantis & adoptari approbante, ab alio coram adoptatur. *Donell. lib. 2. com. cap. 12. Alsbus. ducol. lib. 1. cap. 80. n. 18.* Adoptio hæc iterũ vel fit ab adscendente, vel extraneo. Quæ ab abscendente fit, firmior & efficacior est, & ius patriæ potestatis & agnationis plene transfert ac communicat. *l. 7. l. 23. l. 44. ff. de adopt.* Ab extraneo autem facta non item; quum hic adoptatus maneat in potestate patris sui naturalis, & patri adoptivo tantum ab intestato succedat. *l. pen. Cod. de adopt.* Extraneus enim est, in quo nulla iura naturalia, quæ ad patrem referantur, concurrunt: cui, si à patre naturali filius in adoptionem datus sit, adoptatus filius quidem eius fit; sed non filiusfamilias hoc est, id quidem ex adoptionis actu adoptans cõsequitur, ut adoptatus filius eius dicatur, sed non ut in ipsius sit potestate; haud secus atque si ex rescripto Principis aliquem adoptasset fœmina; sed adoptatus manet in patris sui naturalis familia & potestate, nec quidquam acquirit ex eo, nisi ius succedendi in bonis patris adoptantis. *d. l. pen. §. sed hodie.*

Adrogatio vero, ita à *rogando* dicta, (*Donell. lib. 2. com. cap. 23.*) est, qua, causæ cognitione interposita, & rescripto Principis magistratui insinuato, is, qui sui iuris est, ab alio coram adoptatur, & rogatur, an filius adoptantis fieri velit: posteaque rogatus cum capite fortunas suas in familiam & domum adrogantis transfert. Vocatur hic actus translatio in familiam. *Alth. d. l. & l. n. 10.* Hæc olim lege Curiata fiebat apud populum Romanum; hodie lege Regia apud Imperatorem dicto iam modo. *Vult. I. R. d. l. 1. cap. 22.* Atq; quum hæc cum causæ cognitione faciat, quatuor solemnia, conditionibus adiectis, observantur. 1. Arrogator tenetur cavere magistratui, quod bona arrogati nolit dissipare ulla sub specie; sed si moriatur is, quod defuncti successoribus ab intestato restituere velit. 2. Cavet, quod in quocunque casu expulsionis ipsi quartam partem bonorum sit relicturus, præter ea, quæ ipsi attulit. 3. Si sit arrogatus minorennis, quod illum non aliter acceperit, quam si authoritas tutoris interveniisset. 4. Quod arrogatio non fiat ex causa turpi, ideo eius vita inspiciatur. *Vide Gail. 2. obs. 125. & iur. Sax. Landrecht l. 2. art. 3. Zobel. q. 3. diff. 15. n. 7.*

Horum tamen, qui quæve in potestate parentum sunt, videtur & testamento fieri recte adoptio, si quis sit institutus hæres sub ea conditione, ut nomen testatoris ferat. *l. 63. §. si vero 10. C. ad SC. Treb. de quo modo latius Thesaurus decis. Pedemont. alt. Cuiac. 7. obs. 7.* Ubi tamen recte monet, confirmatione prætoris ad illam opus esse, quod legati verbo *in l. 12. tab.* adoptio non comprehendatur. *l. 120. ff. de V. S. l. 38. b. t. l. 31. ff. de rit. nup.*

Sunt & alii modi quatuor; per baptismum, per arma, per capillum, & per matrimonium, quod contractum ad Morganatica: *Sed de his consulatur Giphan. ad pr. Inst. in b. t.*

Effectus adoptionis utriusque, qui olim fuit, etiã hodie valet, & manifestus est tam in adoptante, quã adoptato. Adoptans suscipiendo patris, & adoptatus filii nomen nanciscitur. *l. 23. l. 31. ff. de adopt.* quod agnatis patris adoptivi eodem iure adnascitur; & ius agnationis cum adoptantis patris liberis cognatisque consequitur, etiam sine consensu agnatorum suorũ; excepto nepote, cuius patris consensus exigitur & in adoptato, qui est in potestate patris. Hinc pater adoptivus in bonis talis filii ius & patriam potestatem acquirit. Filius adoptatus è contra in familiam patris adoptivi transit, eius nomen adsumit, & gerit ac profitetur. *Gen. cap. 48. 16.* quamvis à naturali filio adhuc differat; cui dicitur adsimilari. & commodis patriæ potestatis fruitur, dignitatis paternæ particeps. Sed tamen non ius ei confertur sanguinis. Nam illud iure civili nec dari, nec adimi potest. *l. 8. ff. de R. I.* Sed ius agnationis inducit. *l. 28. l. 26. l. 34. ff. eod.* Ac obtinet hoc, si facta sit adrogatio à masculo. Si mulier aliquem adroget; quia à patre cui soli competit, ea potestas sumit appellationem; idem arrogationis est effectus, qui adoptionis factæ ab extraneo. Servus item adoptatus consequitur ius libertatis: sed arrogatio seryi fieri non potest. *§. fin. tit. eod* Succedunt etiam illi solummodo secundum testamentum ab intestato, &c. Si tamen pater adoptans plures habeat filios, ne lis interveniat, & iura suorum hæredum consequatur, atque antiqua adoptioni vis constet, solent patres, in adoptionem liberos hodie daturi, prius eos emancipare, atque ita sui iuris factos deinceps tradere arrogandos. Quæ cautela iuris est. Ac velut olim iure Iudaico filius adoptatus patris nomẽ adsumebat, & nomen sanctum habebat; *Gen. 48. 16. Exod. 2. 10. Deut. 18. 10. 4. Esdr. 4. 25. Dan. 9. 18. Esth. 2. 7. Esr. 3. 28. Ierem. 7. 10. Num. 6. 27.* sic in dulcissimum nomẽ Christi Iesu baptizamur, & Christiani vocamur; quia à Christo adoptati sumus. *Rom. 6. 2. & seqq. Act. 11. 26. 2. Cor. 10. 7. 1. Iohan. 1. 7. & 2. 3. Gal. 4. 5. Eph. 1. 5. Rom. 8. 23. & 9. 4.* quod certe omnium optatissimum in hac mortalitate accidit. Ideoque iure Iudaico etiam fœminæ adoptare poterant. *Gen. 30. 3. & seqq. 17. 18. 19. Exod. 2. v. 10. Alth. d. l. cap. 80. n. 9.*

Sed nunc ad administratoriam societatem pergimus, accessoriam sive accidentalem alteram. Administratoria socialis conversatio, frequentior quidem est, quam antecedens; commodum tamen eius, si bona fide officium hoc curetur, admodum exiguum est. si molestias respicias cotidianas, onus & labores longe excedũt lucrum. *Exod. 22. 22. Gal. 4. Auth. sicut C. de legit. aut. l. tria onera, ff. de excus. tut.* Est autem administrationis vocabulum in sua significatione valde diffusum, ut multa in se contineat, etiamque rebus sacris applicetur. *ut Num. 15. legitur & 1. Pet. 4 v. 10.* Deinde administratio est libera rerum; qualem dominus habet; quam alii altam & bassam dicunt. *Oldend. Spieg.* Unde & is administrator dicitur qui rerum publicarum seu temporalium curam gerit. at magistratus; qui iurisdictionem exercet. *secundum Acon. Cod. de admin. rer. lib. 10. in rubr.* Nihilominus & magistratus maiores dicuntur, quod illi solam meri imperii administrationem habeant, quę vox eum comprehen-

prehendit, qui alieno nomine, non proprio, id agit; *ut atteſtatur Accurſ. in rubr. de admin. reip. C. 11. titul. 31.* Unde & adminiſtratores civitatis, curatores dicuntur. *l. præſes, C. de tranſact. per l. 3. ff. de adminiſt. rerum ad civit. pert.* Atque hi ſunt, qui civitatis negotia gerunt & adminiſtrant. *quorum officium explicatur ff. d. t. de adm. rer. ad civ. & C. t. eod.* Adminiſtrare enim nihil aliud eſt, quam ipſius principalis munus & miniſterium ſubire: qui omnia ex conſcientia agere debet. Verum uti rerum publicarum eſt adminiſtratio & cura, ita quoque privatarum, & ex confluxu privatorum publica conficiuntur. Proinde adminiſtratoria hæc ſocietas, quæ initium aut fundamentum cum reliquis ſupradictis ſpeciebus univerſitati publicę ſubſternit, eouſque non extenditur; ſed eam heic intelligimus, quæ circa curam privatam occupata eſt, & ibi commiſſionem impoſitam exigit.

Conſiſtit igitur adminiſtratio talis in officio, quo quis loco principalis ea perficit, quæ ad perſonæ unius pluriumve & rerum eiuſdem curam pertinent. *l. 12. §. 3. l. 18. l. 43 §. 1. ff. de adm. tut. §. 17. Inſt. de excuſ. Gallat. cap. 4. 2.* Unde inſpectores adminiſtratoreſque appellantur, & informatores, qui talem curam ſubeunt. Namque cura hæc nihil aliud eſt, quam diligens & fida gubernatio, informatioque & moderatio perſonæ eius. quæ quidem eſt ſui iuris, ſed in vita recte commodeque inſtituenda, ætatis aut alterius defectus ratione, ſibiipſi conſulere & præeſſe nequit, unde alieno ductu & adminiſtratione indiget. *Gal. 4. 4. §. 4. Inſt. de Cur. l. 12. §. 13. de adm. tut. l. 14. ff. de off. præſ. l. 12. ff. de tut. & cur. dat. ab his, &c.* Cura eiuſmodi in educatione, inſtitutione & defenſione; *l. 20. ff. de vit. nupt. l. 1. 2. 3. ff. ubi pupill. educ.* educatio in victu, amictu, locoque honeſto, ubi pro conditione & ſtatu perſona ſuſtentari debet, conſiſtit. *l. 1. §. 2. ff. ubi pupill. ed. l. 1. 2. C. de alim. pup. præſt.* Inſtitutio, quæ fundamentum vitæ & Chriſtianiſmi concernit, idoneis præceptoribus & doctoribus, quos probatæ pietatis, eruditionis, & modeſtiæ quiſque noverit, eſt committenda. Etenim in hoc ſi peccetur, quicquid ſuperſtruxeris, corruet per totum vitæ curriculum; quum ab ineunte ætate adſuefieri melioribus, adeo rei caput ſit, ut ſecundum felicitatis gradum cuivis mortalium exhibeat. Namque à Chriſtianis parentibus naſci, ordine primum eſt, ſecundum ab hoc, rite in pietate Chriſtiana informari, & tertium, omnem hinc vitæ normam ex verbo Dei quibuſvis in actionibus deſumere. Ex quibus patet; quod cura formandæ pueritiæ ac juventutis non ſolum ad privatos parentes, tutores, adminiſtratoresve, ſed etiam, & quidem maxime, ad magiſtratus pertineat. quippe in teneris annis ſpes & leges eſt futuræ civitatis; *ut recte ait Caſ. in ſphæ. civ. lib. 4. cap. 9.* Proinde quidem quatuor ponit requiſita talis educationis: nempe; victum, veſtitum, artem, & exercitationem corporis. &, quod in talium moderatione magna requiratur magiſtratus prudentia. Verumtamen nervum non omnem tangit. quum ſola externa reſpiciant hæc, & tamen omnis cura potiſſimum & ante omnia ad interna ſit convertenda. Velut hoc longe rectius percenſet Teutonicus ille *in lib. de tripl. vita hom. cap. 15.* ubi mores modernos noſtri ſeculi deſcribit. ex quibus correctio omnis facile colligi poteſt. quod neceſſitatis cauſſa heic interſeram, ut ex inſitæ cognitione malitiæ meliora addiſcere omnes diſcant; quod alias ſuo loco plenius repetemus. Pueritia ſive tenera ætas (ait) omnium primo diaboli addiſcit opificia, priuſquam alia neceſſaria diſcat, tam in fœmineo quam maſculino ſexu. Contumelioſa, inſultatoria & pervicax ſuperbia, primario addiſcitur. quod fideliter parentes, & ii qui ipſorum loco ſunt, approbant, & politico mundanoque exercitio adſcribitur, imo artis & elegantiæ loco habetur. Quod ſi adultiores fiant, brutalis libido laſciviæ ſimul accreſcit, & ſecundum opus diſciplinæ eſt, ad quod mutuo ſe invicem concitant ephebi. Ita adoleſcentia diabolo ſtatim in primo flore ætatis cor tenerum conſecrat, ut nidum in eo conficiat ſibi; atque ſic unius abominationibus capiat alterum; maſculum videlicet fœmella, & maſculo fœmellam irretiendo. Si quis filium in academias dimittit, ut pietatem ibi addiſcat, & artes bonas, in iis Deo & hominum conſervationi inſerviturus, nihil aliud diſcit, quam ſuperbam elationem atque aſtutias, quibus ſimplicem aliquem bonis & ſudore exuant ſuo: quæ argutiæ pallio velantur, Iuris appellatione inſignito. Verum enimvero diaboli prætextus ille eſt, & cor iſtud vitiarum ipſius dominio mancipatur. Quod ſi forte exoticas linguas aliquouſque calleat, tametſi non amplius iam ſimplicitati ſtudens, bene audit: ſuperbia ſurſum evibrationes quærit: putridi corporis cadaver mire fimbriatis ſciſſuris, faſciis, fibulis, limbis, liguliſque atque panniculis obſitum ſcatet: Græcari, & puellas violare, apud eos ars politica habetur. Hi tam ſubtiles norunt blanditias vendere, ut multarum filiabus matrum conſcientiæ morſum in cordis ima defigant. Tales eccleſiis atque ſcholis præficiuntur, & paſtores Chriſti ſalutantur; quamvis in cordis latibulo diabolum geſtitent, & hoſpitio ſuo foveant. Nec minus iſti tales mundi huius regimini inſinuantur; qui poſtea ita gubernant prout cordis hoſpes eos informat. Atque ita ſuperior operatur malignitates peſſimas, inferior autem has ipſas ab eo diſcit. Ille excogitat calliditates, quibus inferioris bona ad ſe traducat. Tributorum exactiones comminiſcitur, eaq; boni publici veſtit nomine. Ille ſimplici & miſero ſervitutes duras imponit, ut ita ſuperbiam ſuam exſaturet. Nec raro acerbiſſimis minis compellit incautum, ut ipſum fortunis emungat, & vinculis corporis eundem conſtringit. Omnia mancupio rapit, ipſemet præter unicam animulam peculiare nil poſſidens, &, quanquam fragilis tantum hoſpes in hoc ipſe degat mundo; nihilominus tamen egena ſervitia illius omnem in ſervitute ſudorem abſumere coguntur, &c.

Quis eſt mortalium, qui tot ærumnas, & calamitates, multipliciaque damna non ante oculos videat? Quis eſt miſerorum hoc iniuriоſiſſimo tempore, ubi omnia crimina virtutis loco habentur, & zelo pietatis obteguntur furioſiſſimo, qui id expertus non ſit? Cum probitate pietas omnis toto orbe excluditur. Vndenam vero id? Nonne hæc nocumenta ex ſanctioris profluunt educationis neglectu? Ex hac profecto ſcaturigine ubertim ſe iſta in totum mundum effundunt. Et nihilominus tamen ſat facile ſaniora poſſent inveniri remedia, & huic applicari malo. Verum ſi quis perniciоſam eam conſuetudinem informationis ethnicæ caſtigare ſaniore ductu ſtudeat, ſtatim è medio diriſſimis technis removetur.

Si vero

Si vero ſcholarum noſtrarum fœditatem accuratius contemplemur; quid in iis ſtrenuius excolitur quam impurus ethniciſmus, quo mens, cor, lingua & voces ætatis teneræ faſcinantur turpiſſime? Nihilque recte dictum putatur, aut ullam ſapientiæ micam referre, quod non ab ethniciſmo fuerit approbatum. Tanto nobis Chriſtus pudori eſt, cum verbo ſuo & ſinceræ ſanctimoniæ præceptis; quæ tamen ex ſinu Iehovæ patris nobis attulit, atque revelavit, volens; ut omnes ſingulique, nemine excepto, ex iis informentur; nec non ad eiusmodi ſanctiſſimas regulas, actiones vitæ componant. Namque non ſufficit audire doctrinam Chriſti; opere etiam atque vita exprimendum eſt quod ille præcipit. alias nemo beatus erit. Ceu ipſe teſtatu: Si feceritis, beati eſtis; *Ioh.* 13. 17. *& Matth.* 7. 12. Non omnes, qui dicent, Domine, Domine, regnum cælorum ingredientur; ſed qui voluntatem patris qui in cœlis eſt facit, Item, *v.* 24. ſolus exſecutor prædicatur ſapiens. Et *Matth.* 12. *v.* 50. factores verbi & voluntatis Dei, amicos & fratres ſuos vocat Chriſtus. Item: Si manſeritis in ſermone meo, mei eſtis diſcipuli, & agnoſcetis veritatem, & veritas hæc liberos vos efficiet. *Ioh.* 8. *v.* 31. Quia verba, quæ ego loquor, (ait Salvator,) ſunt ſpiritus & vita. Qui me diligit, ille ſervabit verba mea. *Ioh* 15. *v.* 13. At quomodo Chriſtum homines ament, ſui patris voluntatem faciant, in ſapientia illius educentur; ſi eiuſdem verba ſtatim à principio tenellis non modo non implantantur animis; ſed ethnicis fabulis & omni profanitatis veneno è contra faſcinantur? Omnia ex amore pio in Deum & proximum proficiſci debent: At quomodo amor ſuſcitabitur in corde hominis, niſi teneris animis verbum Dei aſſidue inſtilletur? Gentiles ibi generentur oportet, ubi tales incantationes gentilium vanitatum, procul oculis atque auribus non arcentur, ne ad corda penetrare queant. Videant igitur & parentes, & adminiſtratores, & magiſtratus omnes, quam multas Chriſto animas eripiant, & in profanitates deteſtandas præcipitent, dum nemo in hoc laborat, quo ſcandala huiuſmodi pernicioſiſſima è ſcholis exſtirpentur. Doctrina certe omnis, quæ Chriſtum non tota ſapit, & eius imaginem nobis integram non adumbrat, ſine peccato addiſci non poteſt, multo minus ſine labe in vitæ exercitium converti. Commendant quidem multi multas quas vocant Chriſti virtutes, & verborum lenociniis vaniſſimis per totos venditant dies: ſed quales virtutes? nimirum *ἀνυποστάτους*, & habituales tantum, in meris opinionibus ſuam habentes ſubſiſtentiam, vitiorum autem ſubſtantiæ ne mininam quidem particulam ex radice cordis evellere valentes, omnique fidei & pietatis carentes fructu: per quas meri hypocritæ & Spiritus S. contemptores efficiuntur. Sed hæc alibi poſſent demonſtrari & explicari luculentius; nos iam ad officium tertium adminiſtratoris revertimur, quod in defenſione conſiſtere diximus.

Defenſio nil eſt aliud, quam protectio, qua vis omnis & iniuriæ illatæ propulſantur à perſona, quæ fidei alicuius, hanc in ſe ſuſcipientis curam & adminiſtrationem, concredita eſt. *l.* 30. *l.* 10. *ff. de adm. tut.* unde & ſpecialiter tutela dicitur. *l.* 1. *ff. de minorib. l.* 7. §. 16. *ff. de ſol. matr. l.* 14. *ff. de off. præſid.*

Adminiſtratio igitur hæc univerſim eſt bonorũ, rerum, & negotiorum utilium ac ipſi perſonæ commiſſæ neceſſariorum ſuſceptio atque expeditio, quæ adminiſtratori huic tanquam patri familias & domino incumbit. *l.* 27. *ff. de adm. tut. l.* 7. §. 3. *ff. pro empt.* Succedunt enim hi adminiſtratores in locum patris; unde rerum & perſonarum ſibi commiſſarum domini quodammodo dicuntur, & quaſi patres familias. *Alth. dicaeolog. lib.* 1. *c.* 31. *n.* 7. *& ſeqq.*

Adminiſtratorium hoc officium duplex eſt; aut tutorium, aut curatorium, *ut ex dictis apparet.* Tutorium ſive tutelare ſpectat ad pupillum vel impubetem invicum etiam tuendum, & res eius univerſas adminiſtrandas. *l.* 3. *C. de tut. vel curat.* Curatorium vero proprie & principaliter ad eos pertinet qui minorum viginti quinque annis res adminiſtrent; ſi conſentiant, aut velint, aut perant, vel ſi neceſſitas ita requirat, propter imbecillitatem eorum, &c. §. *item invit. Inſt. de curat.* Curatorium hoc aut plenum, aut minus plenum eſt. Plenum, quo quis honorum, corporis, & ſalutis perſonæ curam & adminiſtrationem ſuſtinet. *l.* 48. *ff. de adm. tut.* Atque hoc duplex iterum eſt; vel correctorium, vel clientelare.

Correctorium hoc ad morum vitæque inſpectionem emendationemque in monendi & docendi cura pertinet; quum ante viginti quinq; annos vix quiſpiam ad vitæ prudentiam & confirmatum iudicium perveniat; uti invitis quoque propter fervorem iuvenilem pro cohibendis cupiditatibus moderatio apponitur. In Abrahamo habemus exemplum, quod miniſtrum mediante iuramento præfecerit etiam filio obedientiſſimo, quum ipſi concrederet eum in itinere ad coniugium cõficiendum. *Geneſ.* 24. Adeo fidelis omnium in tenera iuventute ſemper habenda cura eſt. Porro correctorium hoc officium aut in propinquos aut in diſcipulos ſeſe exſerit. In propinquos quidem propter *συγγένειαν* naturalem & neceſſitudinis coniunctionem, ut eo facilius minorennes duci ſe atque flecti patiantur. *De hoc vide* 1. *Pet.* 5. 5. 1. *Tim.* 5. 4. 8. 9. *Matth.* 7. 9. *Tit.* 2. 3. 4. 5. *Num.* 8. 26. *Exod.* 18. 17. 19. 24. *Proverb.* 23. 13. *l. ult. C. de offic. officiał. lib.* 12. *Num.* 11. 16. *Deut.* 21. 2. *Matth.* 15. 2. *Syrac.* 25. 6. Quæ vero functio ſit præceptorum apud diſcipulos ſuos, eam paſſim colligere licet ex verbo Dei. *Dan.* 13. 3. *& c.* 2. 27. *Matth.* 5. 19. 1. *Tim.* 5. 2. *Tim.* 4. 1. *Cor.* 4. 19. 20. *& ſeqq. Prov.* 13. 24. *& c.* 22. 15. *& c.* 23. 13. 1. *Petr.* 5. 5. *Hebr.* 12. 7. *& c.*

Clientelare demum eſt, quod competit dominis protectoribus in clientes, quorum patrocinium in ſe ſuſceperunt. *l.* 89. *ff. de furt. Val. Max. lib.* 2. *cap.* 1. *tit. C. ut nemo ad ſuum patron. lib.* 11. *Gail. lib.* 2. *obſ.* 54. *Gellius lib.* 15. *cap.* 13. Clientes autem tales ſibi eligere ſolent, quibus ſe & res ſuas defenſionis aut promotionis cauſſa offerant; unde etiam dicuntur *homines ligii.*

Denique non plena adminiſtratio eſt, quæ rerum ſibi creditarum cuſtodiam ſolummodo commiſſam habet, & proſpicit ne diſtractione vaſana res deterior alicuius reddatur. *l.* 2. *ff. de curat. furioſ.*

Atque hæc de ſocietatis naturalis & privatæ quaſi ſpeciebus ſufficiant, quæ propterea nonnihil prolixius fuerunt explicanda, ut errores aliorum in talibus principiis rectius caveantur. Priuſquam autem ad civiles & publicas ſocietates progrediamur, propter inſignes iniurias & exagitationes, quibus ex errore nonnulli, plurimi ex ignorantia, alii vero

ex malitia, afficiunt Platonem, quaſi bonorum, mulierum, &c. turpem communionem, aliaque vitia maxime enormia ſuæ inſeruerit reipublicæ ideali, & prorſus naturæ repugnanti: paucis de republica Platonis agemus; & videbimus, an illi iuſte an vero iniquè cum tanto philoſopho, quo Græcia nullum excellentiorem & ſapientiorem vidit aut habuit, (quantum conſtat de illis temporibus,) agant.

CAP. XII.

De republica Platonica: quod illa proxime ad Chriſtianiſmum accedat, & pra reliquis quam commodiſſime ad veram caritatem reduci poſſit.

VT ſalutaris herba inter ſpinas non creſcit; ita veritas errorum vinculis ſuppreſſa non lucet; *ait Caſ. in ſpher. civit. lib. 2. cap. 1.* Quare ut ſpinas radicitus evellere, ſi terræ fertilitatem; ita errata fundi tus extirpare debes, ſi veritatis ſpeciem ac pulchritudinem intueri velis. Axioma hoc quidem vere protulit Caſus, utinã vero ipſe ſuorum verborum & effati huius obſervator ſedulus fuiſſet, non certe ita turpiter cum aliis & ſui ſimilibus ſe præcipitaſſet in premenda & oppugnanda veritate, dum quam iniquiſſime Platonis rempublicam dilacerare conatur. Socios is in hoc calumniandi & nequiter traducendi ſtudio plures habet, quibus veritas tanto odio eſt, ut nihil æquum aut verum putẽt, niſi quæ communis ille totius mundi irriſor Stagirita, quem merito D. Lutherus diabolum incarnatum olim proclamavit, ex phantaſticis opinionibus ſuis conficta prius approbarit. Dum igitur ad auctoritatem vaniſſimi hominis tam temere ſeſe homines adſtringunt, non mirum eos in tot turpiſſimorum errorum labyrinthos incidere. Etenim ipſe Caſus ſtatim in ſequentibus confitetur, invidioſum illum Stagiritam, & inſidioſum impoſtorem, Platoni, Phaleæ, Hippodamo, aliiſque nonnullis, qui novas civitatis adminiſtrãdæ formas invexerant, indicere quidem bellum; intentionem tamen eius in hoc prodi manifeſte, dum ad lædendum Platonis famam aditum ſibi duntaxat aperit, qui tum temporis propter opinionis novitatem, & nominis divinitatem, per hominum ora volitabat. Ecce egregium certe inſtitutum, quod ſuo cum auctore deteſtari, & ad infernum, unde ortum maledicentia ſumpſit, relegare omnes merito deberent. Idipſum & ſectatores eius; nempe divinitatem ſingularem in Platonis ſententia agnoſci; propter novum tamen dogma, & nominis claritatem, tam acerbe eum impugnatum fuiſſe, aperte ſatis confitentur. Taliane veritatis ſtudium repræſentant? Num ob iſta petulans ille veritatis inverſor tam atrociter cum ſuppreſſione recte ſentientium eſt defendendus?

Cæterum, quod plerique ſolent qui rerumpublicarum inter ſe invicem collationem inſtituerunt, id agit & cum Caſo noſto Relectionum ille compilator multoties iam dictus, dum videlicet variis eum modis miſere torquet atque dilacerat. Quum igitur Platoni ille præ reliquis multa partim affingat, multa invertat, partim abſurditatis reum agat; ceu forma ipſius non tantum naturæ adverſetur, eiusque ſtorgas naturales tollat, & impoſſibilia proponat; ſed etiam verbo Dei contradicat: operæ precium facturi ſumus, ſi paucis talia crimina, quibus tam miſere flagellatur, diluamus, & ab iniuriis nonnihil eum vindicemus. Hoc autem cum maxime mihi contendendum video, ut liberetur à blaſphemia, contradictione, & impietate, qua contra verbum Dei nonnulla ardua ſtatuiſſe dicitur. Et ut eo rectius id obtineatur, & quisque maiori cura Platonem luſtrare diſcat, mentem eius in reip. ſolidæ iuxta captum humanum conſtitutione, & qualem ille expetat, prius perſpiciemus: ſi fortaſſis è multiplicibus calumniis offenſionem capere, & è manibus eum ideo ſeponere nonnulli ceſſabunt, priusquam eius ſanam doctrinam evolverint riteque perceperint. Etenim hoc ſummum diaboli ſemper artificium fuit, ut anſam omnem, omnemque modum arriperet, quo non modo ſuſpectum aliquem, ſed etiam prorſus deteſtabilem redderet, cuius ſcripta nollet legi, ne veritatis auctoritas planior clariorve invaleſceret. A principio illi perpetuus hic mos fuit, ut, quicquid vi aut inſidiis argutis non poſſet, id calumniis expugnare tentaret. Merito Græcorum autem primus ſapientiæ adſertor Plato audit: adeo omnia ex informatione philoſophiæ verioris, quam in Ægypto à ſecretis veræ ſophiæ patronis acceperat, ut plurimum produxit. Quod etiam Piccolominæus præ cunctis aliis Stagiritanis confitetur, *eth. lib. ſex grad. 10. cap. 25* ubi ita ait: Accipio ſecundo, Platonem & Ariſtotelem vario modo conſueviſſe res conſiderare. Plato elevabatur ab ideas rerum: inſpiciebat rerum conditionem ſecretam, ſeiunctamque à cæteris, ac (N. B.) ut refulget in primis cauſſis. Iſte vero contra, neglectis ideis, per ſenſus (N. B.) philoſophabatur, resque materiatas conſiderabat iunctas cum affectibus ſuis, ut in materie exiſtunt & ſubſiſtunt, &c. Magnam Piccolominæus diſtantiam inter utrumque innuit; ſed tamen non omnem. Etenim Stagirita ille ne hoc quidem attigit in ipſa rerum cognitione materiatarũ, ut potuerit affectiones recte diiudicare, & res conſiderare uti in corporeitate ſua exiſtunt. Namque ita totus ſenſualis fuit, ut ad internum Essæ naturæ, unde affectiones profluunt, ne quidem in minutiſſimis pertingere potuerit; ſed omnia in phantaſticos ſpeculationum inanium terminos ſolummodo abripuerit: ex quibus diſtinctionum tot futilitates terminalium ingeniorum profluxerunt; ipſique & docentes & diſcentes vitam miſere in iiſdem conterunt, nec tamen earum ope quidquam in ipſa natura perſpicere valent: quin, ut D. Lutherus ait, agricola & ferrarius faber, quam talis Stagiritanus phyſicus, in arte ſua doctiores ſunt. Interim tot inter vanos doctos litigia diabolus ridet, dum tempus & ſumptus cum exquiſito animi labore utrinque tam inaniter abſumuntur. Quod paſſim in ſcriptis ſuis monſtrat Plato, & vanos reiicit conatus ingeniorum ſophiſticorum, qui reipublicæ in fundamento mutuæ concordiæ, unitatis meta, in qua ceu publica ſalute omnes confluere debent actiones hominum, unice non conducunt. Hinc eſt quod ocioſi illi futilitatum magiſtri, qui ſemper in profanis terminis ſpeculativis ſummum quærunt gaudium, & ab omni virtutis veræ cultura, operibus exprimenda, abhorrent, merito ſuum Platonem exoſum habeant, & novitatis auctorem proclament. In qua graviſſima profecto accuſatione

ipſi

ipſi ſunt nugáces admodum. Etenim ipſe Piccolominæus *d. l.* atteſtatur expreſſe, quod primus huiuſce ſententiæ Plato non fuerit; ſed etiam à Maſſagetis, iuxta Halicarnaſſæum, longe ante fuiſſe receptam: à ſapientibus item Perſarum, qui Brachmanes dicti; qui communibus uxoribus uſi (non abuſi) fuerunt: Garamantes etiam in confinibus Africæ ſecundum Pomponium, omnia communia habuerunt, &c.

Inter omnes acerrimus innocentiſſimi Platonis caſtigator eſt ille politicorum Relector, qui *in polit. dict. cap. 2.* ex Serrano acerbiſſime exagitat optimum auctorem, quaſi ſacris oraculis repugnans, familias & rerum diſcrimina ipſasque ſtorgas prorſus tollat, quas non tantum hominum ſed & brutorum animalium animis inſculpſerit natura, &c. Item, paulo poſt ait: Eſt hoc quidem in republ. Platonis ſatis magnũ abſurdũ, quod naturę ius oppugnet, cui nulla conſtitutio præiudicare debet. *diſt. 9. in pr.* Sed alterũ maiori laborat abſurditate, ꝙ inceſtos introducat concubitus, tam naturæ, quam pietati inimicos, &c. Sic *& in reſect. pol. cap. 1. ſect. 10. num. 2. talia repetit*; & addit quoque, quod non tantum ipſe ſuæ reipublicæ formam huic mundo poſſibilem faciat, *li. 6. de repub. & lib. 9. de repub. in fin. item lib. 5. de ll.* ſed etiam (*aſſerit apertem. 5. ibid.*) Platonicas ideas adeo eſſe ab hominum conditione amotas, ut, niſi deos aut meras ideas illos faciat, nullã in ſocietatem introduci queat. Idea enim (inquit) Platonica prorſus repugnat naturæ humanæ, adeo ut homines oporteat prius eiurare naturã, quam ſubigi poſſint ſub regimen talis reipublicæ. Idem *num. 6.* ita cum auſteritate quadam reiicit Piccolominæum & Beſſarium; Neſcio enim (ait) quei poſſit à Piccolomineo & Beſſario naturalis hæc vocari reſpublica, quæ tot machinis oppugnat naturã humanam; tam ex amuſſi contraria eſt iis, quæ præſcribit inclinatio animalis, &c. Item *num. 9.* in hanc erumpit quæſtionem: Quonam igitur pacto communio Platonica conſentit cum naturæ dictamine? Aut quænam eſt tam crudelis natura, quæ velit ſibi omnia conformia reddi cum præſentanea pernicie?

Nimia profecto eſt vehementia iſtius gloſſatoris politices, cui tanto odio eſt talis hominum ſtatus & conditio, quæ aut ſolidioris quid ſapientiæ, aut pietatis ſanctioris in civitatibus & republica ſapit. Vnde tam ſollicite ſummoque conatu adoleſcentes & eruditos à vera perſcrutatione reipublicæ Platonicæ arcere laborat, ne quis penitius rem intueatur & cõſideret. Verum ſi non tantum cum Marſilio Ficino, viro Platonice eruditiſſimo, demonſtremus, quod Platonis noſtri mirifica in genus humanum charitas fuerit; adeo ut nihil in informationibus ſuis intermiſerit quod ad hominum ſalutem quavis ratione conducere videatur; *Fic. in lib. 2. Pl. de ll. in pr.* diligentiſſimus generis humani pædagogus exiſtens, & ad legalem iuſtitiam, id eſt, univerſam virtutem, per ipſam iuſtitiæ pulchritudinem genus hominum provocans, atque ab iniuſtitia per iniuſtitiæ turpitudinem eoſdem deterrens: *Fic. in lib. 10. de rep. in pr.* ſed etiam ex ipſo verbo Dei maxime clarum faciamus, quod à Chriſti & D. Pauli regulis eiuſmodi cõſtitutiones tanti philoſophi non multum diſtent, atque in plurimis conveniant: Patebit ſane, quam lõge à veritate, imo & ipſo Chriſtianiſmo abſint, & brutali è contra natura ducantur, in eaque ſuarum idearum turpes imagines cum proprtiis larvis conglorinent, qui de induſtria ita turpiter, & abſurde ſe Platoni opponunt. Id vero omne ſatis dilucide conſtabit, primum ex ipſius Platonis intentione, dum rempublicam ſuam veram remotione vitiorum & introductione virtutum depingit, quibus illam tam curioſe veſtitam cupit: deinde ex ipſius verbi cœleſtis cum huius philoſophi, inter ethnicos ſummi, propoſito collatione.

Plato igitur, de omni ſocietate humana, quum eam tot calamitatibus cotidie confundi, & varia beſtialitate in plures pluresque extrudi miſerias cerneret, quam optime mereri ſtudens; facis acutis oculis varias hominum vices & ipſas corruptiones perſpiciebat: & examinatis morbis, quomodo ſanitas integra, aut ſaltem aliqualis, in corruptiſſimæ ſocietatis corpus per communem cohabitationem reduci poſſet, percenſebat alacrius. Nec ſane hoc ex nudis rationis ethnicæ inventis addidicerat; ſed, *ut ipſe dilucide aliquoties in ſuis oſtendit ſcriptis*, tum in Ægypto à magis & ſapientibus, ſecretioriſve ſophiæ doctoribus, (penes quos Abrahami & Ioſephi ſapientia relicta erat; *ut David Propheta Pſal. 105. teſtatur.*) tum ex ipſis cognoverat ſacris literis; ut *in Timæo, Menone, Alcibiade, Politico, &c.* id expreſſe indicat; præſertim *in Politico* aperte, re paulo altius repetita, confitetur, hominem à Deo è terra conditum eſſe, & primum infeliciſſima ac vere aurea conditione (in paradiſo videlicet;) quæ tamen ex optimo ſtatu in peſſimum prolapſa fuerit; ac proinde humanum genus, quum in has anguſtias deciderit, adiumento opus habere ad illa *ἀναμορφώσεις* (qua ipſius animus involvatur, & univerſa vita referta ſit) incommoda propulſanda. His explicatis, imperandi modum & rationem præſcribit; & docet, non eſſe infinitum regis ſeu politici imperium, ut pro arbitratu quidvis agat: ſed oportere, ut pie, iuſte, ſapienter imperet, ex legum præſcripto: non ut ſummo ſtrictoque iure agat, & eodem modo leges omnes omnibus accommodet; ſed ut habita rerum, perſonarum, locorum, temporum, ratione, legum mentem finemque (quum leges veritatis imitationem exprimant) iuſta moderatione unice reſpiciat. Veluti in medico ſapienti, exercitato, & fideli, videre eſt, quod ille cum prudentia & accurata circumſpectione medelis inſtrumentiſque ſuis apud ægrotos utatur, quum his eum uti omnino oporteat. Vnde etiam perfectam adminiſtrationem regiminis non multitudini, ſed uni aut paucis, & iis maxime vult concreditam, qui pietatis & virtutis, temperantiæque, ceu matris virtutum, & civilis ſapientiæ, præpolleant ſtudio.

Virtus autem quid ſit, & quomodo nobis vere adſit, id *in Menone* luculẽter explicat; & demonſtrat, quod ea non aliter ſe in homine habeat quam ſanitas ſolida. Si alicui ſive viro ſive fœminæ ſanitas inſit, eã in recto robore ſuo exerere ſeſe atque exercere: idem quoque virtutem præſtare debere, ut ſe exercitatam declaret; alioquin nihil prodeſſe. Exercet autem ſe, quando ad finem ſuum dirigitur. Hinc virtutum ſpecies plures enumerat, pro virium animæ actuumque diverſitate: ut ſunt, ſapientia; quæ ad mentem; ſcientia, & prudentia; quæ ad rationem: opinionis ſagacitas; quæ ad phantaſiã: iuſtitia & liberalitas: quę ad voluntatẽ: fortitudo & pediſſequæ eius; ꝙ ad vim iraſcibilẽ: continentia & tẽperantia, quæ ad concupiſcẽ-

piſcentiã referuntur. Hę vero omnes virtutes diverſis modis acquiruntur: ſed ita tamen ut nulla ſuccedat, niſi divini numinis efficacia, quæ ſola homines vera inſtruit virtute, accedat. quaſi dicat, nil ſine pietatis veræ ductu ſolerter agi poſſe. Idem quoque *in Theage ſuo obſtetricio* de ſapientia affirmat; rem eſſe adeo præclaram, ut merito omnium ſcientiarum princeps exiſtat; quippe non tantum circa iuventutem, quæ ſeminarium omnis reipublicæ facit, recte excolendam, ſed etiam in univerſa generis humani ſocietate continenda occupetur; ex eaque omnia iuſti & moderati imperii inſtituta promanent; atque adeo illius ope omnis intemperies, quæ præſentiſſimum populorum exitium, evitetur. Iam vero, illam quidem civilem ſapientiam ſapientum uſu & conſuetudine addiſci: veram tamen efficacemque illius conſequendæ rationem pendere à Deo; qui ſolus nimirum efficiat, ut illa etiam hominum prudentum converſatio & conſuetudo poſſit eſſe fructuoſa.

Quum vero nemo ad ullius rei cognitionem pervenire poſſit, qui ſemetipſum ignoret; ſui cognitionem omnibus identidem fideliter inculcat: velut *in Amatore ſuo* cum quadam emphaſi adſeverat, minime illum ſapere, ſed prorſus deſipere, qui ſemetipſum ignoret; econtra autem qui ſemetipſum noſcant, hunc vere ſapientem eſſe. Sic & *in Alcibiade priori* ait; Sciemusne unquam qua arte meliores evadamus, quamdiu nos ipſos ignoramus; Ἀδύνατον impoſſibile eſt; reſpondet Alcibiades. Vtrum vero (pergit Alcibiades) res levis ſe ipſum cognoſcere? an ardua nec cuivis homini conceſſa? &c. Sed ſive res levis ſit, ô Alcibiades, ſive difficilis; nobiscum certe ſic comparatum eſt, ut, hanc intelligentes, ſimul intelligamus qua ratione curari poſſimus. Ignorantibus vero hoc, omnino impoſſibile eſt, &c. Ignorantiam autem talem non aliunde proficiſci, quam ex nimio amore ſui, qui tantopere obcœcat homines, ut ſuis ſemper affectuum importunitatibus ſervi vivant, idem paſſim docet. Proinde *in Alcibiade eodem* adhortatur quemvis, ut ante omnia curam ſui ipſius recte ineat, & quidem veram, non falſam; ne nos ipſos fallamus, non curantes noſmetipſos, quum belle curare putamus; alias enim nemo nec ſui nec ſuorum curam rectam habere poterit. At corporis amor impedit omnia. Unde hominem aliud quid eſſe quam corpus dicit, quando nihil aliud eum quam animam eſſe contendit. Cuius amatorem unice in omnibus requirit. Etenim ait; Nonne tui corporis amator, quum prima ſpecies defloreſcit, abiens te deſerit? At vero qui animam tuam diligit, nunquam te deſerit uſque adeo donec ad melioremfrugem pervenias. Ita ſane longe penetrantiorem amorem in quovis requirit, quam ipſi vulgares Chriſtiani hodie intelligunt & exercent. Propterea tales ethnici certe in extremo die iudices Chriſtianorum erunt; *ut Chriſtus Matth.* 12.27. *& Luc.* 11.19. *& Paulus Rom.* 3. *de Iudæis pronunciant.* Nihilominus, ut ad animæ cognitionem quiſque eo rectius perveniat, & inde ad amorem ferventiorem erga Deum & reliquos mortales concitetur: modum & ſimilitudinem ab oculo ſumit. Quemadmodum enim per reflexionem facies hominis, in oculum alterius intuentis, in oppoſiti viſu reluceat, ſimulacrum aſpicientis exiſtens, &c. oculus item, ita demum ſeipſum cernens, quando in alterius oculum intuetur, in id præterea quod oculi optimum eſt & per quod oculus ipſe videt intendat: &c. Sic quoque, num reperire, inquit, poſſumus quidquam in anima divinius hoc ipſo circa quod intelligentia ſapientiaque verſatur? &c. Id igitur in anima divinitati ſimillimum eſt, in quod ſane qui intuentur, Deum & ſapientiam agnoſcunt, itaque ſemetipſos ſimul agnoſcunt, &c. Quod ſi vero quæ noſtra ſunt ignoremus; nonne & quæ ad hæc pertinent, intellectum fugient noſtrum? &c. Unde qui ſua ignorat, ignorat itidem & aliena. Nonne igitur, qui aliena, etiam quæ reipublicæ ſunt ignorabit? Omnino neceſſe eſt; *reſpondet Alcibiades.* Οὐκ ἄρα ἂν γένοιτο ὁ τοῦτο ἀνὴρ πολιτικός. Nunquam ergo vir iſtiuſmodi civilis erit. Οὐ δῆτα. Nequaquam certe, &c. Nec, quod agit, intelliget. Ignorans autem nónne errabit? Qui aberrat, an non male aget, & privatim & publice? &c. Nemo itaque felix eſſe poteſt, niſi ſapiens ſit atque bonus. Sequitur, ut mali homines miſeri ſint, &c. Si recte igitur & præclare civitatem gubernaturuses, *inquit porro*, virtute imbuendi erunt cives, &c. Num dare vero quis poteſt aliis quod ipſe non habet? Ergo virtute prius ornatus ipſe debet eſſe, quicunque non ſibi tantum ac ſuis, ſed reipublicæ etiam, & iis, quæ ad eam ſpectant, imperaturus eſt, &c. Nec igitur principatus, neque licentia quidlibet faciendi, verum iuſtitia potius & prudentia, tibi atque reipublicæ comparanda ſunt. Iuſte enim ac prudenter agentes, & tu ſimul & tua reſpublica Deo gratum opus facietis, & ſic, quemadmodum ſupra diximus, in divinum ſplendorem intuentes agetis. Quin etiam illuc reſpicientes, voſmetipſos veſtraque bona perſpicue diſcernetis. Nonne ſic rectam felicemque agetis vitam, beatique eritis? Contra, ſi iniuſte vixeritis, intuentes in tenebras, divinitatis expertes; conſimilia tenebris opera, quemadmodum neceſſe eſt, facietis, vos ipſos penitus ignorantes. Quaſi cum ipſo ſalvatore noſtro Chriſto Ieſu locutus fuiſſet, ita ex eius ore hæc omnia produxit quæ in iſta continentur ſimilitudine: *Matth.* 6. 23. Si oculus tuus improbus fuerit, totum corpus tuum tenebroſum erit. Ergo ſi lumen, quod in te eſt, tenebræ ſunt, ipſæ tenebræ quantæ? *Vide Iohan.* 3. 19. & 8.12. & 12.35.46. *Rom.* 2. 19. & 13.12. *Epheſ.* 5. 11. 1. *Ioh.* 2. 9. 11. *&c.* Sed ita pergit Plato, (qui non fruſtra Ethnicis fuit *divinus ille* dictus,) ut omnium hominum, etiam ſocietatis civilis actiones, in Deum retrahat; dicens: Cui enim, ô amice Alcibiades, poteſtas adeſt quidlibet faciendi; is vero ſi mente captus ſit, ad quidnam pietas illi continget; ſeu nunc privatus, ſeu in republica ille ſit? Veluti, ſi ægrotanti cuidam libera licentia ſit medicinæ rationem habendi nullam; ſed tanquam tyrannidem eam repellendi, in tantum etiam ut hominem abſterrere nemo valeat; quid illi eventurum putas? Nonne veriſimile eſt, corpus interiturum eſſe? &c. Nonne omni reipublicæ omnique imperio & dominationi, cui virtus deficit, contingit, ut male agat? &c. Tyrannis ergo, optime Alcibiades, neque nobis neque reipublicæ paranda eſt; ſed virtus, ſiquidem felices eſſe volumus, &c. Cæterum antequam virtus adſit, à meliore regi, non puero ſolum, ſed & viro, quã regere, conducibilius erit, &c. Noſtine quo pacto id, quod nũc te occupat, fugare queas? Nolim n. iſtud in claro homine nominare. *Al.* Novi equidẽ. *Soc.* Quomodo igitur?

igitur? *Alc.* Si ipſe voluerit, ô Socrates. *Soc.* Haud rectè loqueris, Alcibiades. *Alc.* Quomodo ergo loquendum eſt? *Soc.* (N.B.) Si Deus voluerit, &c.

Ita omnes actiones externas, ſint quæcunque velint in politicis, ad Deum refert, & ubique eius amorem ante omnia concitari in hominum pectoribus cupit, ut ei prius unice invigilent, & inde amicitiam ſuam in mortales obvios derivent. Fons enim in origine limpidus, limpidas quoque communicat aquas rivulis, & ſibi inde amicabiles reddit. Velut amore legitimo puri cordis nihil conducibilius ad beatam huius vitæ poſſeſſionem adipiſcendam inveniri, ait *in ſympoſio pag.* 331. Quamobrem, amorem ab omnibus hominibus honorandum cenſeo, inquit *ibid.* Etenim amatoria hæc colo, neque ſummopere in his exerceo, aliosque ad ea exhortor; quũ amor ſit verum amicitiæ medium, *uti explicationem hanc addit Ficinus.* quoniam amor iſte circulus eſt bonus à bono in bonum perpetuo ſe evolvens; dum quaſi circulo quodam in idem, unde manavit, iterum remeat. Circulus itaque unus & idem à Deo in mundum, à mundo in Deum, tribus nominibus nuncupatur, *ait Fic. in com. ad ſym. orat. 1. cap. 2.* Nam prout in Deo incipit, & allicit, pulchritudo: prout in mundum tranſiens, ipſum rapit, amor: prout in auctorem remeans, ipſi ſuum opus conjungit, voluptas dicitur. Amor igitur à pulchritudine incipiens, in voluptatem deſinit. Quumque ita virtutem veram pariat foveatque, Deo amicus efficietur qui omnia ex amore vero aget. Namque, *ait in ſympoſio*, huius amoris officium eſt, ut inter Deum & homines interpretis, & quaſi portitoris fungatur munere: mediam autem inter divinam & mortalem naturam, adhibita imagine ideali, repræſentet. Velut etiam amorem aviditatem angelorum dicit *ibidem* Ficinus, quum quoddam deſiderium ſit iucundum. At ſimplex & mutuus eſſe debet, ſi in amicitiam, & maxime publicam, quæ ſocietatis omnis conſervatrix altrixque recte dicitur, abire debeat. Vnde quoque *in Lyſide* amicitiam ſocietati generis humani tantopere commendat, & veram à falſa ſeparat; ſtudiorumque conſenſionẽ, omniumq; aliarum rerum communitatẽ ab omni invidia liberam & immunẽ (utpote quũ eius cauſſa efficiens Deus ſit) in ea demonſtrat: præſertim quum non cadat in improbos; ſed ſemper æqua iuſtaque poſtulet: quippe iuſtus nunquam lædit, ſed unicuique ſemper prodeſſe cupit; *uti in Clitophonte loquitur.* Opus iuſtitiæ proprium, *inquit*, nullius alterius facultatis eſt, quam amicitiam in civitatibus parere; quum amicitiam nil aliud quam iuſtitiæ bonum eiuſdemque effectum eſſe, conceſſiſſet: velut idem *& lib. 2. de rep.* ita affirmat, quod iuſtitia concordiæ & amicitiæ genitrix ſit; quum è contra iniuſtitia, meras ſeditiones, inimicitias & contentiones procreet. Proinde etiam homine vere iuſto nihil Deo ſimilius pronunciat *in Theæteto*; utpote qui iuſtitiæ vim ornnem in ſe complectatur, nec ullo modo uſquam iniuſtus dici poſſit.

Quum igitur hiſce binis columnis, mutuo nimirum & vero amori, ſolidæque iuſtitiæ, quibus Deus ipſe ſemper fundamentum ſubſternit, omnem reipublicæ molem ſuperſtruere conetur; nec aliud quidquam, quod ad talem conglutinationem non faciat, admittere velit; Ideo libros decem de republica conſcriptos, ſimul titulo περὶ δικαίου, *de iuſto*, inſignire voluit; quod veræ & ſolidæ reipublicæ nihil magis quam iuſtitia in proprio ſuo officio competat; & id quidem tunc maximopere, quando amoris radix putreſcere paulatim aut decreſcere & in laſſitudinem abire incipit. Quum vero impoſſibile ſit, *ut ait in Theæteto*, mala penitus extirpari; quum bono ſemper oppoſitum quoddam eſſe neceſſe ſit: propterea etiam inſtrumenta iuris, quæ leges conſtituunt, reipublicæ ſtatim apponenda eſſe cenſuit. hinc factum, ut propter res admodum in republica diffuſas duodecim de legibus libros conſcriberet, ex quibus ſcientiam & civilem peritiam ſibi merito quiſque comparare debebit, qui gubernationem eius rite ſubire volet; *uti paſſim in politicum ſuis ſcriptis docet.* quamvis illi, qui rectæ gubernationis formam intelligunt, non ſemper legibus aſtringantur; ſi nimirum civilis ſocietatis rationi, quæ ſæpenumero moderatione habet opus, quoad iuſtitiæ amorem, ſapientia ſua ſatisfacere poſſint: quæ pluribus ab eo in politico ſuo explicantur. Quare etiam eos, quos præſides reipublicæ expetit, philoſophos, non vero ſophiſtas & inutiles rerum diſputatores aut gloſſatores dicit; *in Theæteto atque Protagora ſuo hos ipſos traducens.* Præclare ſe habent eius verba *lib. 5. de rep. p. 466.* Niſi vel philoſophi civitatibus dominentur, vel hi, qui nunc reges potentesque dicuntur, legitime ſufficienterque philoſophentur, in idemque civilis potentia & philoſophia (*vera, non falſa*) concurrant, neque (*quod nũc fit*) à diverſis duo hæc tractentur ingeniis; non erit civitati, vel, ut mea fert opinio, hominum generi ulla malorum requies, neque talis reſpublica, qualem proponimus, ante orietur vel ſolis lumen adſpiciet.

Atque idipſum eſt quod ego iam dudum dicere vereor, quum fidem dictum vix inveniat. Nam ægre perſuaderi poteſt nullam aliam gubernationem privatam vel publicam felicem futuram, &c. Hoc itaque conqueritur, quod nulli ſunt tales philoſophi reales, qui ſolidum amorem in Deum, & inde in homines, foveant, acrite propterea iuſtitiæ addicti ſint, eiuſve ſanctam intelligant informationem. Quũ itaque nulla ſine legibus reſpublica dari poſſit, ne illa quidem quam ipſe Plato expetit: amorem ita ſincerum (maxime autem in regentibus) requirit, (uti mox ſubiicit,) qui non ſit in ſeipſo diviſus, ut partim aliquid diligat, partim minime; ſed erga totum totus afficiatur. Verum ita querelam ſuam *lib. 5. de ll.* pertexit, inquiens: Omnium certe maximum quoddam malum in multorum hominum animis eſt innatum: Cuius quidem, quum facile ſibi invicem id condonent, remedium nullum excogitant. Eſt autem hoc, quod dicere ſolent, (N.B.) quod natura quiſque ſibi amicus eſt. Rectèque id ita ſeſe habet: Sed revera nimius in ſe ipſum amor (N.B.) omnium omnibus peccatorum perpetuo cauſſa eſt. Obcœcatur quippe circa rem amatam qui amat. Quapropter, qui ſemetipſum quam veritatem magis colendum putat, quid iuſtum, bonum, pulchrumque ſit, male diiudicat. Eum ſane, qui magnus vir futurus eſt, (N.B.) neque ſeipſum, neque ſua, ſed iuſta, ſive à ſeipſo, ſive ab alio quovis gerantur, diligere ſemper decet. Ex hoc ipſo delicto accidit omnibus, ut ſuam ignorantiam ſapientiam eſſe opinentur. Hinc porro fit, ut, quamvis nihil, ut ita dicam, ſciamus, ſcire tamen omnia arbitremur. Quum vero

nec aliis

nec aliis permittamus facultatem agendi; in iis, quæ ipſi agere ignoramus, agendo errare compellimur. Quamobrem nimium ſui amorem fugere quiſque debet, & meliores ſe ſequi, nullo rubore verecundiæ impeditus, &c.

Quam adhortationem in inferioribus ita pertexit: Quo quidem nihil civitati melius, quam videlicet ut cives & alios invicem, & ſeipſos cognoſcant. Vbi enim non lux ſed tenebræ inter cives in eorum moribus vigent, ibi nec honores pro dignitate, neque magiſtratus recte dabuntur, neque ius ſuum cuique tribui poterit. Nihil eſt autem, ſi unum uni conferas, in quo maius ſtudium in omnibus civitatibus ponere quiſque debeat, quam hoc, ut nec ipſe cuiquam alii, nec alius ſibi, fraudulentus unquam, ſed (N.B.) ſimplex ſemper atque verus, eſſe comperiatur, &c. Ac quæ maior aut gratior membrorum tum imperantium tum parentium harmonia dari in republica poteſt, quam ſi ita mutuo amoris vinculo inter ſeſe amiciſſime vincti & conſtricti teneantur. Merito hæc laudes primas cum felicitate ſumma auferet, *uti id in ſequentibus idem exprimit*: Recte ſane agetur, ſi optima reſpublica, & ſecunda, & tertia, proponatur, & optio cuique pro arbitratu ſuo quamlibet detur eligendi. Id nunc ſimiliter & nos agamus. Et quum primam in virtute rempublicam, ſecundamque, & tertiam, expoſuerimus; Cliniæ, & unicuique hæc ſuo mori deligenti, patriæque ſuæ, quod ſibi placet, tribuenti, optionem concedamus. Prima igitur civitas atque reſpublica, optimæque leges eæ ſunt, ubi quam maxime per univerſam civitatem priſcum illud proverbium locum habet, quo vere aſſeritur, (N.B.) Amicorum omnia eſſe communia. Certe in hoc præcipue virtutis erit terminus, quo nullus poni rectior poterit, ſi ullibi videlicet iſtud aut ſit, aut unquam fiet, ut communes mulieres ſint, cõmunes & liberi, communis quoque omnis pecunia; omnique ſtudio, quod proprium dicetur, undique è vita remotum ſit; utque adeo, ut ea etiam, quæ propria ſingulis natura ſunt, communia (N.B.) quodammodo, *ἀμυγέως*, fiant; ut & oculi & aures & manus communem in uſum cernere, audire, agere videantur; laudentque & vituperent eadem ſimiliter omnes, eiſdem rebus gaudentes, eiſdemque dolentes; ac denique pro vinli ſub his vivant legibus quæ unam quam maxime civitatem efficiunt. Talem utique civitatem ſive dii alicubi, ſive deorum filii plures una viventes, eamque conſervantes, excolerent; omni certe referti gaudio cohabitarent. Quapropter reipublicæ (N.B.) exemplar non aliter quã hac inſpecta conſiderare, maximeque talem pro viribus indagare oportet. Ea vero, quam heic nos aggreſſi ſumus, ſi fiat, proxime quodammodo ad immortalitatem accedet, atque, ſi non primo, ſaltem ſecundo loco erit. Sed de tertia poſtea, ſi voluerit Deus, determinabimus. Nunc vero, quænam hæc ſit, & quo pacto talis fiat, conſideremus. Primum igitur domos agroſque ſortiantur; nec agros communiter colant. Nam maius hoc eſt, quam hæc generatio, nutritioque & educatio ferre poſſit. Sed hae mente diſtribuant, ut putent ſinguli ſortem ſuam toti civitati eſſe communem. Quippe quum ea regio patriæ ſit, magis eam colere debent, quam filii matrem, &c.

Ideoque vult, ut æqualitatis normam ſequantur, nec ullus illiberalis admittatur quæſtus aut lucrum, quod mores generoſos atque animos avaritia inquinet, & ambitione corrumpat: velut in ſequentibus commonet, exclamans ita: O virorum omnium optimi, ſimilitudinem & æqualitatem, identitatem, & conſenſum, honorate ſecundum naturam: neque unquam id tranſgrediamini, ſive ſecundum numerum, ſive ſecundum potentiam bonarum atque pulcharũ rerum. Et nunc quidem inprimis per omnem vitam, numerum, quem prædiximus, conſervate. Deinde cenſus modum, &c. Alioquin neque Deus ipſe, ſortis diſtributor, neque legis conditor, vobis favebit, &c. Quæſtus in hac civitate non multus. neque enim illiberali quæſtui quenquam in ea incumbere, neque mechanicum illud & infame quærere lucrum quod mores generoſos inquinat, neque ullo pacto vilibus turpibuſque ex rebus pecunias cumulandas exiſtimare oportet neque licet. Accedit ad hæc & alia lex, quæ iubet, ne quis privatus vel aurum habeat vel argentum, &c.

Quod ideo dicit, quoniam omnia in publicum bonum converti debeant, ut ibi adſit rerum copia & abundantia, inde ad neceſſitatem quamvis depromenda. Ex quibus demum facile colligitur, quamnam tertiam faciat rempublicam; quam videlicet durior & inſolentior procreavit ætas tot legum cumulo, quibus in improbitate ſua reſtringenda fuit. Plato igitur, ceu fuit è ſacris Iſraelitarum & Ægyptiorum informatus, & cum Socrate ſapientiſſimus Græcorum dictus; (utpote qui & ipſe multa rerum myſteria cognoverat, & in plurimis profundius, quã lector percipere poſſit, penetrat;) quum optimam reipublicæ formam quidem diſpiceret, & ſedulo eam examinaret ſecum; ex myſteriis autem magicis quidem eandem facile beneficio amoris elicere noſceret; ſed quum maximus labor in eo conſiſteret, quomodo pravitati mortalium eſſet applicanda: novi certe unam ſed triplicem primitus invenit ideam ſive modum reipublicæ certis ſuis gradibus diſtinctũ; velut ipſe ſatis dilucide id *in loco ſuperius allegato* aſſeverat & aperte confitetur; quibus ad ſolidam reipublicæ conſtitutionem ita ſocietas humana reduci poſſit, ut beate inter ſe & feliciter viverent ſinguli, vitamque ſuam uſque ad mortis articulum in tranquillitate iucunde in hoc mundo tranſigerent. Omnibus autem ideis eum prætulit modum, qui mutui amoris haut fucati unice niteretur fundamentos; cui normam perfectionis præ reliquis, ſi rite accipiatur, ex fundamento utriuſque Tincturæ (ceu magorum naturalium non poſtremus fuit) adſcripſit. Amor enim verus, uti in omnibus actionibus vitæ ſibimetipſi lex eſt, & honeſtum iuſtumque in communicatione ſui cum cura reſpicit, omneſq; abhorret turpitudines & abſurditates; ita quoque ultro & ſua ſponte omnia expellit à ſe vitia & crimina quæ felicitatem vitæ propoſitam in communi ſalute devaſtare aut impedire queant. quod & ipſe exemplis variis amantium & amoris explicat. Vnde etiam omnis diſcordiæ occaſiones, cum vitiorum tota cohorte, ſeditione, inimicitia, invidia, ignorantia, amore ſui, metu incompoſito, pudore vano, adulatione, avaritia, lucri ſtudio, ambitione, ſuſpicione, intemperantia, ſuperbia, iniuſtitia, iniuria, contemptu, calũnia, maledicentia, torvitate, ſalacitate, impietate, adulteriis, ſtupro, fraude, dolo, & id genus aliis. ab

ea republica omnino removet, & ex amore ſincero cives ſuos per manſuetudinem, pietatem, humanitatem, iuſtitiam, & inprimis per temperantiam, ad omnes virtutes recipiendas quam aptiſſimos reddit. utpote, qui propter amoris mutui ſtudium, in quo ſemper ad Deum recurrant, omnia inter ſe perficere, & abſque ulla remora appropriationis ad ſe, abſque omni item invidia, ſingulari cum animi voluptate & alacritate, ſecundum iuſti diſpoſitionem, quidvis inter ſeſe communicare poſſint.

Verum quum propter malitiam hominum difficile hoc inveniret: ne impoſſibile videretur, amoris exerere ſcintillulas; aliâ priori loco ſubſtituere normam ordinandæ reipublicæ voluit; quæ quidem in amoris fundamento radicata maneret; ſed tamen, multarum imbecillitatum cauſſa, legibus æquis non careret: ita ut æqualitatis libertas in cunctis obſervaretur, & in bonum publicum, tanquam omnibus membris commune aſylon, omnium conſpirarent intentiones. Ac, ne duæ illæ omnis boni peſtes, avaritia & ambitio, locum ullum aut occaſionis ſpaciũ obliquum invenirent; omnis avaritiæ poſſeſſiones prohibuit, publicæque divitias utilitati adſcripſit; aliis tamen maiores, aliis minores, pro rerum uſu admittendas eſſe cenſens. Ac ne ibi quoque ullus ſuperbiæ aut iniquæ diſtractioni pateret locus; regia peritia & integritate, id eſt, vera ſapientia civili præditos, unum pluresve, regno & reipubl. præfici voluit, qui iuxta leges adminiſtraret omnia. *ceu illud in Politico accurate delineavit, ubi* inter alia hæc habet: (quæ extremitatem quandam quoque reſpiciunt in auctoritate utenda:) Arbitror autem iuxta hunc ſermonem, rectam gubernationem, ſi quando recta ſit, circa unum vel duos, vel paucos, eſſe quærendam &c. Eos vero civiles ac regios eſſe homines, exiſtimare oportet, qui arte quadam imperãt. volentibus autem nolentibusve, ſecundum ſcripta ſeu abſque ſcriptis & inſtitutis ac legibus, pauperes an divites imperitent, nihil refert. nam & medicos nihilominus tales apellamus; ſeu nunc invitis ſeu volentibus, ſecando aut urendo, aliumve dolorem afferendo, ſive ſcriptis, ſive ex uſu, denique pauperes ipſi an divites, ſanitatem procurent; modo arte quadam in corporibus curandis, purgandis, extenuandis, replendis, augendisque utantur, &c. Neceſſe eſt igitur, eam maxime ſolamque rectam exiſtimare rempublicam, in qua, qui magiſtratibus funguntur, legibus adhibitis ſeu non adhibitis, revera gubernare ſciant, nec ſcire ſolummodò videantur, &c.

Tertius autem modus ſive idea reipublicæ, quam ſumma neceſſitas ipſi expreſſit, ad leges non inconvenienter redigitur; quandoquidem in extremam depravationem paulatim progreſſi mortales, vix aliter quam violentia quadam ad virtutis & concivium amorem, pietatisque ſanitatem, retrahi poſſint. Similitudine egregia id declarat, 4. *de rep. circa fin.* ubi ait: Salubria quidem ſanitatem inducunt, inſalubria morbum. Similiter quoque iuſta agere, iuſtitiam gignit in animo; iniuſta facere, iniuſtitiam. Eſt autem ſanitatem afferre, ita, quæ in corpore ſunt, diſponere, ut ſecundum naturæ ipſius ordinem inter ſe ſuperentur, & ſuperent. Morbum autem, contra naturam imperare & parere. Eadem ratione, iuſtitiam præſtare nihil aliud eſt, quam animi partes in ordinem redigere, ut ad naturæ ordinem pareant imperentve: Iniuſtitiam vero, ut contra naturam. Virtus igitur, ut apparet, ſanitas eſt quædam, & pulchritudo, & bona animi conſtitutio: Pravitas contra morbus, turpitudo & imbecillitas, &c. Natura vero eius, quo vivitur, perturbata atque corrupta, num viventi aliud quidlibet agendum erit, quam hoc unum, quo pacto ab improbitate & iniquitate liberari queat; iuſtitiam vero & probitatem adipiſcatur, &c.

Tam multum pravitatum eſt, ut tota ſocietas humana, quaſi morti iam & amplius quam vicina, perpetuoque gangrænæ malo laborans, curationibus indigeat; ita ut nullo tempore ſeu medicis ſeu chirurgis, qui, cum inſtrumentis acriter vellicantibus, noxiaque reſcindentibus, violenta adhibeant medicamenta, carere poſſit. Hinc corpori cadaveroſo & putrido, non inſolens erit, varia methodo curam adhibere, quamdiu finis idem reſtitutionis manet. Sive unus ſit, ſive plures, qui curam adminiſtrant, perinde eſt; modo recte & prudenter ab iis, quibus id competit muneris, medicamenta applicentur. Tandem his alios modos ſubordinat; *ut videre eſt in fine lib. 4. de rep.* Errant illi igitur omnes, qui Platoni aut unam tantum reipublicæ ideam, aut duas affingunt: quod cum P. Ramo tamen Bodinus & pauci alii probe agnoſcunt atque faciunt. Admiratus ſui, quod non penitius tantum introſpexerint auctorem; quem tamen econtra male feriati adeo obſtinate refutare non veriti ſunt, & temere repudiare ſtuduerunt; iuventutique, propter Stagiritam vanum & plane terminalem, exoſum reddere; quem ipſi in minutiſſimis non intellexerunt. Velut etiam rerumpublicarum ſuarum ideas haſce tres, non in uno ſpecialiter, ſed in omnibus ſimul libris, ſparſim explicavit; ut mos eſt talium philoſophorum, qui ſcriptis ſuis myſteria profundiora ſubmiſcent. De rebus enim occultis, arduis, prorſumque cœleſtibus quum agant; non à quibusvis ſemper, & præſertim abiis non qui carnali ſuo iudicio ſacra arcana in abuſum & libidinem carnis abripere ſolent, intelligi volunt: illis econtra, qui puriori mente rem ſecretam intuentur, manifeſtare ſe ſolent. Velut inde quoque divinus dictus fuit, quod ad ſublimiora in omnibus reſpexit, id quod certe *in ideis ſuis, & maxime in amoris puri deſcriptione, quem fundamenti loco binis prioribus ſuis rerumpubl. formis ſubſternit*, egregie præſtitit. Talium enim in præfiguratione ſive idea ad prima mundi ſæcula ipſamque eius originem reſpexit. uti id manifeſte colligere eſt *ex Critia ſive Atlantico eius, & lib. 3. de legib.* ubi primævi ſeculi commemorationem ex Ægyptiorum & Zoroaſtris monumentis, *quod in Alcibiade 1. quoque innuit*, non tantum deducit; (quamvis in gloriam ſuorum Athenienſiũ, ut pallium cognitis rebus obiiceret, eam aliquo modo detorſerit; quum ſe ἀυτόχθονας iactitarent;) ſed etiam *l. 4. de ll.* docet, quando, & quo tempore ferme, & quibus de cauſſis, inceperint homines leges ponere. Quarum incunabula non fruſtra ab eo tempore deducit, quod exitit poſt univerſum quoddam diluvium, quum hominum ſocietas, univerſo terrarũ orbe aquis circumfuſo atque obruto, pene deleta fuiſſet, & ſe tamen recollegiſſet ex tanta vaſtitate, in exiguis reliquiis morralium conſervata. Ante diluvium autem, quum ſibi omnes mortales eam vendicarent libertatem, ut quisque ſuo viveret

placito, in eam prolapsi tandem sunt protervam malitiosamque licentiam, ut nec ipsi Spiritui Iehovæ obedientiam præstarent. Proinde forma regiminis, quę amori suo primo renunciarat & fundamentum discecerat, in dissolutam concessit petulantiam ac Dei contemptum; quamvis omnes tum una conformitate uterentur linguæ. Sed hunc blasphemum contemptum Spiritus Dei, cataclysmo universali punivit Iehova. Ex hoc autem mundi renascentis miraculoso primordio, quum quoque amor erga Deum revivisceret incepisset, ait, simplicitatem quandam & æquitatem fuisse pro sanctissima lege, quum nec penuria ad inferendam iniuriam quenquam incitaret, nec copia & ubertas ad avaritiam. Crescente vero indies genere humano, cœpisse adhiberi leges, tanquam vincula, ut & potentiorum intemperies reprimeretur, & tenuiores in officio continerentur. Ita toto hoc libro necessitatem cum malitia caussam statuit legum componendarum & constituendæ politiæ: varias autem occasiones & libidines peccandi, variarum legum & politiarum dedisse primordia. Quæsi quis ad historiam sacræ Scripturæ conferat, satis exacte inveniet, quam congrue Plato triplicibus ideis rerump. suarum triplicia tempora accommodet; ut meræ nugæ sint, quas heic expuit Relector noster, dum nullibi dari reipubl. Platonicæ ideam asseverat. Imo in natura est secundum correctam virtutem; & in ea fuit à primordio; nec extra eā datur: modo homines sibi ipsis non essent latrones, & bestiali feritate contrarii, aut non ab impostoribus suis tam perverse seducerentur, qui eos recte monitis aures surdas præbere docent. Quin imo etiam hodie iuxta Christi præceptum, coniungi cum Christianismo deberet; nisi perversi eam retunderent oppugnatores, pervicaci patrocinio malitiosæ hypocrisios præceptis Christi Deique verbo in carnis lenociniis resistentes; nec præter regalia & servitutes quidquam crepantes aliud; talibus quoque adulationibus immensa volumina opplentes. De mundi ætate vero ante diluvium, egimus supra; quæ suas habuit temporum in hoc terrenorum regiminum cursu periodos. Sic & post diluvium sinceriot fuit reip. modus. quam postea Nimrodus adornavit. ubi arbitria Principum pro legibus erant; *ut loquitur Instinus.* Post ædificationem turris Babylonicæ tandem, legum accreverunt coactiones cum servitutibus; posteaquam homines quam longissime ab amore mutuo recessissent, pietatem omnem exuti, crudelitatem ferinam è contra induentes. Sicuti etiam apud nos hodie nulla pietas, fides, integritas, nulla virtus, magis vulgo nota est quam quæ litteris depinguntur; divinis illis muneribus corda aversantibus mortalium, nullasque iam nostris politicis agnoscere alias cupientibus rerumpubl. constitutiones, quam quæ vero amori & priscæ sinceritati sunt ignotæ. Iniquum enim esse clamant, & naturæ contrarium, exemplar divinum exprimi in humanis, neque ex communi natura corrigendam esse privatam. Item, errorem primum esse Platonis, dum viam quandā philosophandi sequatur altiorem quam eius respublica in Vtopia valeat adsequi. *Arn. d. rel. lib. 1. cap. 1. sect. 10. num. 2. 3. & seqq.*

Tantumne, ô vani philosophi, flagitium vobis, & tot absurditates iscommittit, qui cum Platone amorem in Deum & proximum pro fundamento reipubl. optimæ substernit? An inde Plato tot crimina totque monstra edidit, quod rerum communionem amori proximi adscripserit? Eho, mi Case, an inde tot eventa sint portentosa expectanda, ut tu narras? nimirum, negligentia rerum, negligentia morum, oscitantia civium, ruina civitatum, horribilis denique uxorum, liberorum, omniumque in Republ. confusio ac perturbatio? An hinc tot lites, iurgia, clandestina consilia, bella, tumultus, cædes, aliaque sexcenta mala, quibus veluti magnis terræ motibus fundamenta civitatum concutiantur? Credo certe, cœlum cum terra conturbatum iri, si res ita sese haberet. Sed admodum largi estis vos ambo, tu Case cum Relectore illo, in enumerandis iniuriis, & disseminandis calumniis. An Plato in eam rempublicam, quam optimam ipse putat, tot execranda coacervavit extremæ perditionis vitia, quę tamen sanctissimo efficacis amoris & mutuæ dilectionis clypeo omnia inde expellere piissime conatur? Sed unicum illud vocabulum *amor* sive *charitas* omnia vobis figmenta funditus subvertit & pessumdat: Si enim amare Deū, & diligere concivem suum, ac iustum æquumque unice expetere, tantam perniciem reip. secum afferret, & iuri naturæ tantam vim faceret, tot ei contradictiones & scelera infligendo; nescio sane, quomodo Salvator mundi qui propterea cœlo descendens mortem subivit atrocissimam, ut amorem declararet suum, & amori Dei nos & nobis eum reconciliaret, heic vobis possit excusari, quod tot beneficia ex amore suo in mundum ingratum contulerit. Vah uti metuo, ne nimis vos in Christum blasphemi, & in vos iniurioſi, in totum denique piorum cœtum invidiosi heic competiamini. Vos vobismetipsis consulite, & ad saniora in tempore revertimini: Quid Christus Iesus ipse in verbo cœlesti per Apostolos suos insultui huic vestro opponat, id paucis percipite. Etenim, propterea ne Plato graviter culpandus sit; num, inquam, graviter erret, quod ex communi amoris vinculo communem exædificat salutem; id iudicent alii. Verbum Dei est veritas, & manet in æternum. Si Plato vobis ita durus videtur, videte num Christus molliora heic proferat. Heic videte, utrum ab eius dulcissimis præceptis abhorreatis, an vero Christiani veri, Christique participes spiritus fieri tam alieno abrepti impetu queatis. Nonne absurdum est ex ficu spinas colligere velle? Ex melle venenum conficere, more aranearum, extremæ est malitiæ, dementiæque. Sed audiamus Christum.

Doctissimus quidam inter legum Mosaicarum interpretes, quum ex Christo tentationis ergo quærebat, quodnam esset summum legis præceptum, respondit Christus eidem ex Mose *Deut. 6. 5.* Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, anima, & vitibus tuis. quod est summum & maximum præceptum. Alterum vero huic simile est: Diliges proximum tuum sicut teipsum. *Matth. 22. 37. & seqq. Marc. 12. 31. Luc. 19. 18.* Quod doctor tentationis, quasi in conscientia victus, ipse statim confiteri, & adeo approbare tenebatur, ut etiam affirmaret, dilectionem & amorem, non sui, sed Dei & proximi, summa devotionis sanctissimæ opera, id est, omnia holocautomata & sacrificia, exuperare: poinde hoc etiam addit cum singulari affectione: Veritatem certe dixisti,

xisti, *inquit Marc.* 12. 32. En tantæ virtutis est amor & dilectio, ut etiam invitos compellat ad veritatem confitendum, & eos in conscientia victos constringat. Ideo etiam iubet Christus, quod inimicos diligere debeamus, & iis benedicere, qui nos execrantur, atque benefacere iis, qui nos oderunt, &c. *Matth.* 5. 44. At, *clamant isti*, hoc repugnat naturæ & contra eius ius est. (Quur itaque id à nobis requirit Christus?) Talis non datur respubl. in terris. aut, Ubi est talis civitas? Nihilominus præcipit hoc ita Christus, & quidem propterea, Ut sitis filii patris illius vestri qui est in cælis. *v.* 45. Nam, si dilexeritis eos, qui vos diligunt: quam mercedem habebitis? Nonne & publicani idem faciunt? Et, si complexi fueritis fratres vestros solum; quid amplius facitis? Nonne & publicani ita faciunt? Estote igitur vos perfecti, ut pater vester ille, qui in cœlis perfectus est. *v.* 46. 47. & 48. Sic & *Luc.* 6. *v.* 32. ait: Quod si diligitis eos qui vos diligunt; quæ vobis erit gratia? Nam peccatores diligunt eos à quibus diliguntur, &c. Nimis durum est, *inquiunt Platonimastiges*, quod natura hominis non fert. An igitur cernitis, vos domini, in quo regno vivatis? & cuinam reipubl. tam fervens præstetis patrocinium carnale? Quam charitatem, amicitiam & harmoniam Christus in regno evangelii sui, & Plato in sua republica, *ut in Lysida videre est*, efflagitare audet, tametsi nullius commodi respectu fiat, legitimam tamen eam hic vocat, utpote ex libertatis suæ profluentem ingenuitate, neque propterea, quo paria recipiat, sese exerentem. *Luc.* 6. 34. Amicus enim verus nullius rei gratia est amicus. *Plat. ibid. pag.* 113. Proinde amicitia quoque vera nil aliud præter animum in amico diligit, & cum illo se adunit; *ut idem Plat. dicit in Alcibi.* Sicuti D. Paul. charitatem ita extollit, ut eam impletionem legis appellet; quum neminem malo afficiat. *Roman.* 13. 10. & *Gal.* 5. 14. Nam revera per charitatem serviunt alii aliis. *Ibid.* Atque inde profluit quod Christus iubet *Matth.* 7. 12. & *Luc.* 6. 31. Quæcunque volueritis, ut faciant vobis homines, ita & vos facitote eis. Ista enim est lex & prophetæ. At quisnam sibi ipsi molestus aut iniuriosus esse velit? Ceu & Christus adolescentem, qui veræ salutis opera ex eo sciscitabatur, ad dilectionem eam, quam ex amoris naturalis lege omnibus debebat, remisit. *Matth.* 19. & *Marc.* 10. Imo eo usque hoc dilectionis mutuæ præceptum extollit Christus, ut pro vero symbolo & nota sui regni hoc ponat. *Ioh.* 13. 34. & 15. 12. Ita etiã D. Paulus, dum omnes virtutum vires induere suos iubet auditores, tandem ad fundamentum omnium recurrit, & ait: Super hæc autem omnia, induimini charitate, quæ est vinculum perfectionis. *Col.* 3. 14. Namque finis mandati est charitas ex puro corde, & ex conscientia bona, & fide non ficta. 1. Tim. 1. 5. Imo omnia dona adque virtutes pro nihilo habet nisi charitas adsit. quod his verbis testatur. Si linguis hominum loquar & angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum æs resonans, aut cymbalum tinniens. Et, si habeam prophetiam, & noverim mysteria omnia, omnemque notitiam, &, si habeam totam fidem, adeoque ut montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil sum. 1. *Corinth.* 13. 1. 2. Ideoque sic exhortatur secum omnes, *Ephes.* 4. 15. 16. Sincere nos igitur gerentes in charitate, prorsus adolescamus in eum qui est caput, nempe Christum; ex quo totum corpus congruenter coagmentatum & compactum per omnes suppeditatas commissuras, ex vi intus agente, pro mensura uniuscuiusque membri, incrementum capit corpori conveniens per charitatem. *velut id pertexit* & 1. *Cor.* 12. 12. 13. &c. Sed tandem cum D. Paulo concludamus hunc locum istis verbis: Estote igitur imitatores Dei, ut filii dilecti, & incedite cum charitate, sicut & Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis. &c. *Ephes.* 5. 1. & 2. An non igitur optima sit respubl. quæ ex amore istoc vero possit componi? Num Plato in eo erravit? Ergo Christus? &c. Absit tam blasphema conclusio. Plura heic testimonia adiicere non libet. Cui placet, addat *Exod.* 23. 4. *Lev.* 19. 18. *Deut.* 22. 1. *Proverb.* 15. 17. & 24. 11. & 31. 8. *Syr.* 25. 2. *Esa.* 1. 17. & 58. 6. *Matth.* 22. 39. *Ioh.* 13. 34. 1. *Cor.* 14. 1. & 16. 4. 2. *Cor.* 2. 8. & 6. 6. *Galat.* 6. 2. *Ephes.* 3. 17. *Phil.* 2. 1. 2. *Col.* 2. 2. 1. *Thess.* 3. 12. & 4. 9. 1. *Tim.* 1. 5. & 2. 15. 2. *Tim.* 1. 13. & 2. 22. & 3. 10. *Tit.* 2. 2. *Hebr.* 10. 24. & 13. 1. *Iac.* 1. 27. 1. *Pet.* 1. 22. & 2. 17. & 3. 8. & 4. 8. & 5. 14. 2. *Petr.* 1. 7. 1. *Iohan.* 2. 10. & 3. 11. 14. 16. 18. 23. & 4. 7. 11. 21. 2. *Ioh.* 5. *Iud.* 21. &c.

Sed Casus cum Relectore illo obiiciunt, quod unio & communio coniugum, liberorum, & bonorum, maxime in republ. Plat. detestabiles sint? adeo ut natura quoque abhorreat eas, quum incestus pariant, prohibitionem divinam impugnent, pudorem & morsum conscientiæ iniiciant, storgen extinguant, viam parricidiis aperiant, gradus cognationis tollant, studium se & suos conservandi suffocent, principia virtutum eradicent; quod talis unitas destruat civitatem, communio bonorum seges sit litium; quod concordia interna sola felicem rempubl. haut præstet, inducat neglectum rerum publicarum, & publica demum hinc postponantur privatis. Tot calumniæ & phantasiæ inveniuntur *apud Casum, sph. civ. lib. 2. cap. 1. & 2. Arnisæ. in pol. cap. 2 p. 40. 41. & seqq. Item in rel. p. 1. sect. 11. num. 1. 3. 6. 9. 11. 15. 19. 29. 42. 43. 45. 46. 47. & 49. sect. 12. per tot. Item cap. 7. rel. num. 4.* Sed hæc atque similia per meram calumniam colligi & torqueri in Platonem, ex superioribus patet satis; quum nihil aliud ipse intenderit, quam quasi ignarus reipubl. Christianæ ansam alicui in manum porrigere. velut etiam ait, quod respubl. hæc diis, aut filiis deorum, (quos Christianos esse, & Christianorum filios, Christiano denique subditos regimini, *praeter Gen. 6. 2. Matth.* 5. 9. *Ioh.* 1. 12. *Rom.* 8. 7. 16. 17. 1. *Ioh.* 3. 9. *cum primis ex psal.* 82. 6. & *Ioh.* 10. 34. apparet,) rectius competat; quum hominum depravatio indignam se hac sorte faciat, &, uti iam crebro dictum, ab omni amore iustitiæ & veritatis penitus prolapsi sint. Porro, qui Platonem publicæ privatæque conservationis negligentem faciunt, ii totam eius intentionem pervertunt. Etenim quare ideam reipubl. delineare voluit? An non propter conservationem mortalium? & quidem talem, qua qua omnes in uno corpore perennarent? An non, qui publicum intendit, privatum intime simul curat? Qui corpus ad sanitatem curando reducit, an ille possit membra reliqua negligere? An non inde harmonica unionis consonantia ita se prodit ut aperte & evidenter perspiciatur? Num talis sanitas delictum putatur medici curantis? An ille, qui virtutum omnium cumulum in suam colligere cupit rempublicam, earum principia eradicatum ibit? An non

propterea politiã iuſtitiæ epitheto inſignivit, quod nil niſi iuſta & amoris plena in ea exerceri expetat? An communia miniſteria coniugum, ſint commixti concubitus? Num miniſterium cum concubitu idem? An non pœnas ſtupris, adulterio, &c. decernit? An non cuique ſuam propriam à cuſtodibus civitatis vult adſignari coniugem; & quidem accurata ſelectione coniugum, ne contraria mixtura ſeminis fiat? An non cuique coniugio ſuas deputat nuptias? An non in his ipſis adeo accuratus eſt, ut etiam *lib. 6. de ll.* plene diſponat quales eſſe debeant; quod tempus, ætas, ſumptus, impenſæ, locus, quæ perſonæ ad eas contrahendas requirantur? Nonne etiam ſatis evidenter *lib. 7. de ll.* de educatione puerorum agit, ita ut dilucide illius circa hanc ſententia intelligatur? Etenim, quæ *lib. 5. de rep.* Socrates ex propria opinione immiſcet, pro ſuis accipi non vult. Quem etiam ita loquentem introducit, ut qui non tantum invitus hæc & à collocutoribus plane eo adactus, admodum tamen trepidanter, protulerit; ſed etiam, quæ de mulieribus & earum filiis obiter prioribus aſperſa fuerunt, quaſi cum proteſtatione, & diffidentia ſui, prorſuſque de alia republica, non ſine magnis ambiguitatibus affirmarit. Proinde Plato quoque excuſationem apertam his verbis interpoſuit, ne ſcandalum quis forte inde arriperet. Vis ergo, ut nos pro (N.B.) aliorum cauſſa, *ait*, nobis ipſi adverſemur, ne ſine defenſione, quæ ſunt (N.B.) rationes alterius, oppugnentur? Dicamus igitur ſub eorum perſona hunc in modum, &c. Ex quibus ſatis manifeſte apparet, quod in his omnibus Plato non ex ſe, ſed ſub aliorum perſona loquatur. Quare, quoties ſuſpiciones culpamve malevoli in hiſce aucupantur; non tantum ambiguitatibus id omne laborat; ſed etiam aliorum, & nullatenus Platonis, ab iſtis refellitur ſententia. Nihilominus obſcuræ hæ locutiones ſapientem & perquam eruditum requirunt lectorem, cenſoremque longe cautiorem, quam hi tam importuni iudicii auctores. Quod vero tandem Plato philautiam tam atrociter ſemper impugnat, & cives ſuos in ſua republ. ita à donis & bonis mortalibus retrahit, ut ea cum fratribus communiter participari velit; idem ferme agit atque is qui ad veram Chriſtianitatem allici omnes ſuos exoptaret cives. Etenim an non & ipſe Chriſtus in verbo ſuo noſtri noſtrorumque bonorum abnegationem nobis adſidue inculcat? *Matth. 16. 24. Marc. 8. 34. Luc. 9. 23. & 14. 26. Roman. 6. 4. 2. Cor. 4. 10. & 5. 17. Gal. 5. 16. Epheſ. 4. 1. 1. 2. 22. & 5. 2. Tit. 2. 12. Hebr. 4. 10. & 12. 16. 1. Pet. 1. 22. & 2. 5. 14. & 4. 1. 1. Iohan. 5. 19. Ioh. Arndt de ver. Chriſt. lib. 1. cap. 28. & cap. 30. lib. 3. cap. 10. & cap. 21.* Præclara eſt heic illa ſententia Pauli *ad Phil. 2. 1.* quæ omnia hæc continet. Si qua conſolatio eſt in Chriſto, *ait*, ſi quod ſolatium charitatis, ſi quæ communio ſpiritus, ſi quæ viſcera ac miſerationes: Explete meum gaudium, ut itidem ſitis affecti, eandem charitatem habentes, unanimes & ſententiis uni: nihil gerentes per contentionem, aut per inanem gloriam; ſed ex modeſtia alius alium ſe præſtantiorem exiſtimans. Ne ſua quiſque ſpectate; ſed unuſquiſque etiam quæ ſunt aliorum. *verſ.* 2. 3. 4. & 5. Quod etiam accurate repetit 1. *Cor.* 10. 24. Nemo quod ſuum eſt quærat; ſed quiſque quod alterius eſt, &c. Ac ne quis mundo ita prave abutatur, addit ulterius. Hoc autem aio, fratres, quoniam tempus contractum eſt in poſterum; ut & qui habent uxores, ſint ut non habentes: & qui flent, ut non flentes: & qui gaudent, ut non gaudentes: & qui emunt, ut non obtinentes: & qui utuntur hoc mundo, ut non abutentes: Præterit enim ſpecies huius mundi. Velim autem vos abſque ſollicitudine eſſe. 1. *Cor.* 7. 29. 30. 31. In quo ſanctiſſimo dicto divus Paulus cauſſam malorum omnium quaſi uno complexu quam artificioſiſſime exprimit, radicatum detegendo fundamentum, ſimulque fratres amicabiliter omnes Corinthios ſuos vocitando. quod etiam Chriſtus facit, *Matth. 12. 47. & 13. 55. Marc. 3. 31. & 6. 3. Iohan. 2. 12. Matth. 18. 21. & 23. 8. Rom. 14. 15. Luc.* 17. 4. Sic & Iohannes fratres & filios Chriſtianos omnes vocat. 1. *Iohan. 1. & 2. & 3.* Vt inde Platonica analogia ſatis eluceſcat, quæ vult, ut iuniores loco parentum ſeniores vereantur atque compellent, &c. Quum autem omnis malitia ex hac pullulet philautiæ radice, & quidem ea quæ in tantam vitiorum arborem porro excreſcit ut univerſum terrarum obtenebret orbem; eo quod unuſquiſque ex innata philautia ſibi quodvis obiectum appropriare, & in hoc appetitus ſui voluptatem carniſque delicias deponere fatagit: id rite examinandum eſt nobis hoc loco. Plato, ceu vere realis philoſophus, id quidem omne penetravit. at hominum pervicacia quum nullum horum myſteriorum agnoſcere velit; & tamen Platoni Teutonicus noſter in eo manum egregie porrigat: eius explicationem melioris informationis gratia ſubnectere heic lubet. id quod & æquitas ipſa poſtulat. *ea deſumpta eſt ex eius Myſterio magno ſive commentar. in Gen. 33. de exordio ſecundæ monarchiæ, & de fœdere Dei cum Noacho.*

CAP. XIII.

Illuſtratio reipublicæ Platonicæ, ex cauſſis politiæ Teutonicæ; unde ſpeculum & comparatio generalis reliquarum rerumpublicarum peti queat.

QVum Iehova Noacho & liberis eius per ſacrificium ex fœdere cum illo compacto benediceret, & fœcunditatem illis demandaret ſuam; in libero dominio iiſdem univerſam rurſus concredebat terram, cum omni exercitu eius; adeo, ut, quodcunque vita fruereturillis ſubiectum & proprium eſſet. Omnia illis in communem uſum tradebat: nec diſcrimen ullum inter Noachum & liberos eius in hoc interponebat. Neminem ad proprietatem domini aut ſervi, ſed ad paritatem omnes deſtinabat. Nullum præ alio nobilitate aut ignobilitate donabat: Sed, quemadmodum ex arbore una multi rami excreſcunt, & tamen omnes ſolummodo unicam arborem repræſentant; ſic etiam conſtituebat humanam arborem in terris, & cunctis ſimul illis abſque ullo diſcrimine aut prohibitione omne genus animalium, piſcium, & aviũ, ſubmittebat; excepto eo, quod carnem cum ſanguine non deberent comedere, ne vita beſtiali denuo in monſtroſitatem inciderent. Iehova iubebat quidem, ut omnibus animantibus & creaturis dominarentur,

rentur; ipſis vero nullum imperium ſingulare hoc loco inter ſe invicem committebat. Namque omnis dominatio, qua alter alterum deprimit, oritur ex Ararat tanquam ex ordine naturæ ſecundum aſtrorum & ſub aſtris dominantium proprietates: At imago Dei non aliud imperium in membra ſua obtinet, quam arbor in ſuos ramos: animalis imago ex aſtris & quatuor elementis ſibi conficit dominationem iuxta matricis ſuæ formam, ex qua emerſit, & in qua vivit. Velut etiam leges omnes & externæ præceptiones, quas Iehova homini demandavit, ad ordinationem naturæ ſpectant, tanquam in effatum & formatum inde verbum; quod Deus homini in proprietatem addixit, ut in eo ſecundum ſophiam Dei cum homine interno ſpirituali dominetur, atque ſibimetipſi ſecundum ſpiritum ſapientiæ inde ordinem conficiat. Quidquid homines in ordinatione ſua heic ſibi conficiunt, in hoc ſe iudicem conſtituit, & ultimum ſibi reſervavit iudicium, falſitatem à veritate ſeparandi. Omne, quod non ex veritate, iuſtitia & charitate ſive amore procedit, in hoc iudicium Dei cenſuram agit. nam id per falſos ſpiritus tenebrarum in Turba magna procreatur, & in humanas proprietates infunditur, velut in falſam aſtutiam, & mendacem ſapientiam, quæ regni Dei hæres nunquam erit. Regiæ & principales dignitates omnes, omnibus cum dominationibus & iuriſdictionibus, ex ordinatione naturæ proveniunt. In imagine autem Dei nulla eſt coactio aut vis; ſed libera cupidiſſimi amoris ſervitus: veluti membrum in humano corpore, & frutex in arbore, alterum alteri libentiſſime ſervit, & gaudia inter ſe mutua participant. Quum vero homo in externe formatum verbum ſe malum & bonum intuliſſet, regnum naturæ inde ſanctum ipſi dominium eripuit, ſeque ipſe proprietati humanæ violenter inſinuavit. Quod ſi vero illud recuperare homo debeat; ex Deo neceſſum eſt ut naſcatur; atque ita illi in nova regenerata vita ſecundum Dei Spiritum ipſi imperare naturæ conceditur. In ſpirituali quidem mundo exiſtunt ordines, & angelorum principatus; verum omnes abſque ulla violentia in amabili amoris officio & voluntate; ceu membrum corporis unum alteri officia præſtant. Quidquid homo ſub regno naturæ in ſuam rapit poteſtatem, eo per ſuperfluitatem abutens, membriſque ſuis congenitis id ſubducens, ut inde in egeſtatem redigantur, & iure libertatis ſimul ſuo priventur; illud omne in Turbam magnam, ceu naturæ abominationem detruditur, iudicio Dei ad diem extremæ ſententiæ ſiſtendum. Natura nil præter ordinationes exigit; differentias autem & officia ſingulorum ipſa ſubminiſtrat: at Turba abominationem ſuam ex mundi tenebroſi libidine ſubmiſcet huic: id quod ſuperbia, invidia, cum iracundia, & fraudulentia, abunde teſtantur. Quinque hæc vitia meretricium partum ſuum in naturæ regno producunt, nunquam ad regnum Dei hæreditario nomine tranſitura. Hoc naturæ regnum Iehova loco ordinationis ſuæ tenet, atque homini in manus id tradidit, ut illius ope bonum à malo diſcernat, & perverſi appetitus ac voluptatis malignitati iudicem ſeligat: quia ait; Qui effundet ſanguinem hominis, per hominem eius ſanguis effunditor; nimirum per ordinationem naturæ, non vero per propriam vindictam; per naturæ ordinem, inquam, id eſt, per Dei legem, cui ſoli ultio competit. Quippe Iehova ait; Sanguinem animarum veſtrarum ulciſcendo repoſcam. per quod ordinationem legum ſuarum intelligit, & earum adminiſtratores. Nullatenus autem propterea princeps aut terræ dominus poteſtatem ullam effundendi ſanguinem extra legem Dei habet. Quod ſi hoc agat, ſtatim eadem lex Dei eundem ad mortem condemnat. Certe nulla omnino poteſtas ulli in ſanguinem humanum heic competit, ſive rex ſive princeps ſit. Omnes enim nudam adminiſtrationem in ordinationes legis divinæ repræſentant. Vnde & nemini quam abſque ſingulari Dei mandato potentiam licet ulterius extendere. Lex naturæ quidem illis concredita eſt; ſed tanquam eiuſdem miniſtris, iuxta veritatis & iuſtitiæ normam, non autem ſecundum proprium appetitum. Namque Iehova condidit hominem ad imaginem ſuam. in hanc divinam imaginem regnum naturæ in ſuo miniſterio nullam potentiam illius interficiendi ſibi arrogare debet; ſed ſolummodo externam naturæ formam officium hoc divinæ ordinationis concernit, &c.

Item *cap. 74. eiuſdem commentarii, ubi de Iacobi ad Pharaonem adventu agit*, hæc verba leguntur: Hæc figura Ioſephi, ubi Ægyptum emptione ſua Pharaoni in proprietatem redegit, atque ſubditos mancipia effecit, nihil aliud ſignificat, quam, quod Chriſtus nos in ſummis anguſtiis & fame exitu noſtri pereuntes, ab ira Dei, per gratiam mancipationis ſuæ, proprio ſanguine ac morte redemerit; atque inde nobis verbi ſui ſemen largiatur, ut eo vitam hanc noſtram naturalem, tanquam ipſius coemptum agrum, conſeminemus, atque ex huius ſeminis fructu quintam ipſi partem, videlicet partum amoris, ceu quintam proprietatem vitæ, (id eſt, amoris,) reddamus. Namque in quinta proprietate hac (*ſeptem proprietates, ex numero planetarum petitas, explicat alibi: heic autem venerem intelligit*) conſiſtit fides, quam filii ipſius eidem reddere tenentur. Hanc converrit in horreum parentis ſui, eam æternæ vitæ atque manifeſtationi divinæ miraculorum ſuorum deſtinando. Quod vero terreni homines talem ſervitutem commenti ſunt, qua ſeſe invicem in mancipatione detinent & torquent, angendo alter alteri ſudorem exſugentes, ut inde ſuperbiam fovere queant; hoc imaginem iræ Dei refert. qui etiam iuxta cœleſtem figuram ſe ita depingit. Omnia enim iuxta verbum Dei figurationem adſumunt: quanquam nonnullæ res in malum, tanquam ad iram Dei, ſive iuxta infernales proprietates, figuram recipiant; nonnullæ in bonum, regno Chriſti accedentes. Sanctis enim ſanctum ſe exhibet Dei verbum, perverſis autem in furore Dei manifeſtatur. Qualem populus ſeſe exhibet, talem quoque Deum ſortitur: *aut S. Scriptura.* Terreni homines imaginem ſuam in iram Dei detrudunt, dum mutua ſervitute terribiliter ſe invicem diſcruciant, affligunt, & enervant; atque ſtoc iuri tamen adſcribere non verentur. In naturæ quidem & iræ Dei furore ius ſibi talia invenit, & figuram inferni inde repræſentat: attamen figuram ſimul regni Chriſti in cœleſti proprietate declarat. Nam quidquid homo terrenus in dolore & mœrore peragit, id Chriſtus in ſuo regno in liberis per gaudium, amo-

rem, humilitatem, & virtutem operatur. Terrenus homo fratrem ſuum labore, genio, ſudore victuque fraudat. Chriſtus itidem filiis ſuis voluntatem malam & conflictus, dum in Deo operantur, & in dolore multaque anxietate eo tendunt, adimit. Hunc laborem, inquam, omnem Chriſtus ab illis aufert, atque in theſauri ſui conditorium colligit, &c. Et quandoquidem veteris Adami onager ſemper refugit divinum ſubire opus, proinde ſæpius ita compellitur, ut nil niſi pœnas ſentiat pungentes, quando Spiritus Chriſti gehennam & iram Dei conſcientiæ eius minitatur: Sicuti etiam terreni domini in mundo ſubditis ſuis oneri ſunt, figuram Chriſti quidem, munere tamen inæquali, exprimentes. Chriſtus enim parenti ſuo per operationes filiorum ſuorum multos cœlicos fructus colligit; qui reddentur homini, ut inde in æternum exaturetur. at mundanus ex afflictorum ſudore ingentes opes congerit, in arcamque ſuam honori proprio recondit. qui labor equidem nunquam retro in afflictos exundat in hoc mundo; ſed Chriſtus magnum iis præmium ipſe eſt, eo quod huic figuræ iræ Dei heic in miſeria operam hanc navare cogebantur. Cæterum in fine, ubi terrena officia & dignitates in horrea atque repoſitoria ſua, quibus hanc præſtitere ſerviturem, recepta erunt, ibi inæqualia promptuaria aperientur. Longe plurimi erunt, qui in regno iræ Dei infinita congeſſerunt, è quibus in æternum alimoniam ſibi ſument. uti ſunt egenorum imprecatio, dolores, timores, cruciatus, & inquietudines miſerorum. Quidquid illi per coactiones ſuas in ſubditos propetrant, hoc ipſis poſt hæc tempora in æternum nutrimentum cedet. Nam quod heic ſeminatur, ibi in æternæ vitæ horreo invenietur repoſitum. Omnia huius mundi officia, Dei ſunt, & omnes officiarii à Cæſare uſque ad infimum, Dei ſunt. Verum imparibus miniſteriis defunguntur. Hic in amore eius ipſi ſervit, tanquam ſervus Chriſti, alter vero in ira eius ipſi ſervit, tanquam mancipium inferni. Quiſquis mortalium in mundanis iſtis miniſteriis appropriatione ſua ſibi multa convehit, neque Deum neque ordinationem eius reſpiciens, neque hominibus inſerviens; is ſervitutem ſervit iræ Dei, & inferno colligit meſſem. Nam omnes principum theſauri & potentum opes in utilitatem publicam fratrum pro ſuſtentatione ordinis boni, officiorum, egenorum, & ægrotantium convehi deberent. Quemadmodum paterfamilias in bonis ſuis negotiatur, & manuum labores in κοινὸν recipit, unde tamen omnes eius miniſtri alimenta percipiant; quod vero abundat, in communem uſum liberorum coniugiſque, aut aliam neceſſitatem adſervetur: eamdem quoque officiariorum collectio rationem habet. Omnia in commune bonum conferri debent; alioqui tale gazophylacium iræ Dei ſubiectum, & iudicio illius expoſitum manet. Quando hodie potens dynaſta nihil honoribus, voluptati, ſuperbiæ non vendicatum ſinit; ad eam conferciendam graviori ſubditos exactione opprimens & exſiccans; vix etiam egenum canis loco habens; ſic porro in corde ſecum loquens; Hæc iure mihi debentur: ſunt empta; hæreditate acquiſita: Omnia iſtæc irrita Dei peraguntur. In hac appropriatione omnes ſerviunt ſatanæ, tanquam in figura iræ Dei, &c. Quælibet appropriatio hæc opus gehennæ eſt, utut agas. Nullum coram Deo valet exceptionis refugium. Quidquid eorum eſt, id omne gehennæ colligitur. Iehova cordis radicem exigit, & ſibi fideles poſtulat adminiſtratores. Aſt miſer & egenus diſcat, quod in dura hac ſervitute (ſi abſque murmuratione fideliter ea defungatur) Chriſto ſuo ſerviat, dum in hac miſeriarum domo theſaurum cœleſtem ſibi acervat, quum alias in voluptate carnis ſibi pereundum fuiſſet, &c. Ideoque illis, qui Deo ſerviunt, cuncta in bonum cedunt. Sic figura in hiſtoria Ioſephi hoc loco intelligenda eſt: quamvis eius acta ſingulari prorſus cura, ſecundum dictamen Spiritus Dei conſcripta ſint; qui in omnibus ſemper potiorem regni Chriſti, quam externæ hiſtoriæ cum cura conſignandæ rationem habuit. Hiſtoriæ enim biblicæ non tantum propterea annotatæ ſunt, ut inde nobis veterum res geſtæ & vita innoteſcerent, ut Babel ſomniat; Minime: Chriſti, ut & orci regnum, undiquaque in iis nobis eſt depictum. Viſibilis figura ſemper indicat internam ſive inviſibilem, quæ in ſpirituali homine manifeſtabitur, &c.

Proinde quoque idem autor *in lib. de triplici vita* talem nobis præſcribit politicæ vitæ & Chriſtianæ normam, ut ex ſequentibus id rectius pateſcere poteſt. *Cap. 12. Quomodo ſemita vitæ per hunc mundum duens in regnum Dei inveniri poſſit.* Ex ratione, ſpiritu carnali videlicet, egrediendum eſt omnibus, & quiſquis cordis ac mentis ſenſus omnino in voluntatem Dei deponere debet, atque ſuam voluntatem voluntari Dei prorſus inſinuare; ne quis peculiarem viam commentis rationis aut perſcrutationibus ſibi excogitet quærendo, Ubi eſt Chriſtus? Dirigite ſemitam omnem in Chriſtum, & certi eſtote, quod ille corda veſtra inhabitet. Huic conſecrate vos in plena humilitate, in eius voluntatem & arbitrium omnes veſtras actiones & propoſita coniicite: nihilque aliud ſingulis momentis cogitate, quam ſtare vos perpetuo coram ipſius clariſſima facie; Chriſtum autem in vobis iridi inſidentem à dextris eſſe Dei. Hæc omnino aſſidua ſit meditatio veſtra, quod ſingulis momentis ſanctæ Triadi ſiſtamini, & Iehova ſemper cordium veſtrorum triada in abyſſo quoque ſuo probet & perſpiciat. Quin etiam huic date operam, ne ullam in profunditatem penetrare conemini, præterquam ut in unum eius amorem & miſericordiam vos penitus immittatis, nec inde ulla parte recedere, potius autem inibi in perpetuum manere & ſubſiſtere cupiatis. Secundo hoc quoque apud vos concludite, quod ſummum Iehovæ beneplacitum omnino expleatis, ſi fratres ac ſorores veſtras in hoc mundo, ſint quiqui velint & cuiuſcunque opinionis, per amorem veſtrum quæratis, & viſceribus veſtris complectamini, proque iiſdem preces effundatis; pro expugnatione diaboli denique ſubeatis luctam; eoſq;, quantum fieri poteſt, in humilitate informetis: Si vero hoc non admittant, induite veſtitum Chriſti, & exemplo veſtro illis doctrinam vividam exhibete. Prompti illis ſitis in ſervitio præſtando; remittite iiſdem, ſi in vos quid deliquerint. Quod ſi vos calumniis proſcindant, benedicite eis: Si vim vobis inferant, niſi id molliter avertere queatis, & aufugere, nil curetis, & cogitetis, quod heic hoſpites duntaxat ſitis. Nulli mortalium amorem veſtrum ſubducite; quippe Deus veſter, qui in vobis vivit, nemini ſe ſubducit qui illum quærit. Sis promptus adverſario tuo, ſi quando ſe forte convertat. In commerciis & rego-

negociis rerum diligite iuſtitiam: cogitate, quod omnia opera Deo operemini: digne nobis in hoc mũdo vivendum eſt, tanquam iis, quorum operationibus & commerciis omnibus vitæ huius miſeriæ & ærumnæ adhærent. Non debemus nos in latebras & clauſtra anguloſve abſcondere; quia Chriſtus ait; Luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona, ac pater veſter cœleſtis inde celebretur. Omnia ex toto corde peragite, & ſincera mente: Cogitate, quod Chriſto ea faciatis, & quod Chriſti ſpiritus in vobis ea operetur. Parati ſitis, ſingulis horis, & expectetis ſponſum veſtrum. Nullam cordi veſtro, ad aliam amplectendam ſententiam, aliave præter Chriſtum meditanda, intercapedinem concedite. Multa ſcire non expedit vobis. Quiſque ſuum opus curate pernoſcat, ut inde alimenta corpori procuret, ſeu nunc illuſtris ſit ſeu idiota. Illuſtris iuſtitiam & falſum à puero addiſcat diſcernere, quia adminiſtrator Dei eſt. Quidquid agit, iudicatve, Deo iudicat, Deusque per illum. Idiota ſit humilis & bene moratus, ut coram ordinatione Dei. Si vero iniuria ipſi fiat, nec ea poſſit emendari: conſideret, quod iniuriam hanc propter veritatem perferat. & ſibi ſummus in Chriſto ſit honos corã Deo. Semper in omnibus actionibus, negotiis, vitæ uſu, & commerciis, ante oculos vobis obverſetur iudicium Dei, diſpicientes vobiſcum, quei innocenter vivatis. Namque temporis huius mora brevi elabitur. In agro accretionis hetc floreſcitis; videte, ut Deo bonum edatis fructum, in quo omnes angeli & exercitus cœleſtis lætentur. Neminem odio perſequimini; Nam, qui alium odit, diabolum excipit convivio. Eſtote ſobrii & temperantes. nec vobis mundi huius libido perſuaſione ſua imponat, ac ſi vere alicubi exiſteret: pauxillum ei ne immoramini, ſingulis horis è morte in vitam concedite. voſmetipſos cruce pœnitentiæ affligite ſeria, malumque deſerite. Quod ſi propter pietatem contumelioſe vos perſequantur alii, & calumnientur, ac mendaces in eo ſint; lætitia ſumma exultate, quod digni facti ſitis propter Chriſti gloriam aliquid perpeti ignominiæ. Quod ſi calamitas quædam ſit ſuperanda, abſit deſperatio; ſed cogitate, quod in voluntate Dei vivatis: non ille plura vobis imponi ſinet, quam poſſitis perferre. Avertite oculos veſtros ab avaritia, & ſuperbia, atque faſtu: ad illanc reſpiciatis? quippe diabolus per haſce ſuperbiæ artes retia ſua exponit: nolite eius incurrere caſſes. Semper eſtote prudentes, nec unquã ſecuri; quia auceps ille circumit vos undique, & inveſtigat qua ratione capere quẽ valeat. Ubi boni exagitantur, nec accedas, nec eorum in flagitiis capias partem; nentiquam talia veſtras tangant aures, ne Diabolus tilibili ſtultitia vos titillet, & ita venerto hoc inficiamini. In ſumma, Iehovæ in Chriſto vos totos conſecrate, & adorate Patrem in nomine & promiſſione Chriſti, & poſcite vobis Spiritum eius ſanctum ex pollicitatione Chriſti. Sic accipietis eum; quia ipſe verax, qui illum promiſit nobis: nullus ille mentitur: certo accipietis. Huic ſoli totos vos dedite; quod omnium maximum præcipuumque eſt. Omnia in eius deponite voluntatem. Quod ſi iſtum habeatis, is ſatis vos informabit quid ſit agendum. Ille docet vos loqui: Ille ſuggerit animum & intellectum, quomodo vos gerere debeatis. Nolite curas concipere propter res, quæ vobis apud homines gerendæ incumbunt. Sed committite ipſi omnes actiones veſtras; ille in vobis perficiet quod Deo ſit gratum. Quod ſi zelotem agat, & ignem ex cœlo à Domini Domino advocet in improbos; hoc ei placet ita, quia impius hunc concitavit. Solummodo in virtute Dei incedite; atque ſic omnes actiones veſtræ Deo placebunt: Nam ſi quis in neceſſitate periculi ſe ab hoſte ſuo defendat, abſque aliqua cupiditate, non adverſatur Deo: quia, cuius ardent ædes, is extinguit flammas. Annon Iſraeli conceſſit defenſionem ſui? Qui belli initium facit, ille eſt adminiſtrator diaboli. Omnia enim bella urget ira Dei, in qua diabolus habitat. Iehova nullius belli auctor eſt, quia nos in amore creabat, ut paradiſum in mutua & amabili charitate coniunctim, velut filii optati, incoleremus: Aſt diabolus invidebat hoc nobis, & nos in ſpiritum mundi deducebat; qui bella & omnis generis mala in ira Dei exſuſcitat, ut invicem nos odio perſequamur, & mutuo interficiamus. Quandoquidem igitur in hac miſeriarum valle tantis inimicitiis circumdati ſumus, & inter perpetuas ſpinas & aculeos excreſcimus; ſummam certe noſtri curam habere debemus: omnium autem maxime ab eo nobis cavendum eſt hoſte, quem in ſinu nobiſcum circumgeſtamus, exitialem noſtri perditorem; animum dico noſtrum cum ſenſibus ſuis, in quibus arcem deprædatoriam diabolus ſibi delegit. neque exiguo labore inde expelli poteſt. Sæpius ille ſubrepens animum noſtrum occupat, & in inſidioſas vias nos blande ſeducit, ut exiſtimemus, nullo in errore viventes, totos in Dei viis nos incedere. Tunc neceſſum eſt, ut ſtatim nobis Lydius ille lapis adſit, id eſt, dulciſſimus ille erga Deum & proximum amor, conſcientiæ dictitans, quouſque in veritate ambulemus. Et omnium maxime hoc cavendum eſt, ne quis ſibi ſit amicus philautos; opera autem danda, ita ingrediamur, ut Deo piiſque hominibus noſtras in beneplacito virtutes probemus. Atque tunc demum, quando in amore Dei, iuſtitiaque & obedientia fidei, ita incedimus, tunc, inquam, Chriſtum induimus, qui coronam ex meris margaritis concinnatam, coronam ſcilicet myſterii magni, nobis imponit. Ille coronat nos ſophia ſua, ut mirabilia eius agnoſcamus, in quibus antehac cœci viximus. Velut huic contigit manui, quæ ante tempus denarii numeri, quum adhuc in primario hæreret, in ſimplici ignorantia myſterii, tanquam ultimus inter minimos hallucinabatur. Verum, quod auro, quando per ignem probatur, idipſum & huic evenit. Non ſane putrefactio ulla defuit. Vnuſquiſque pedibus conculcare hanc ſtudebat, quum ipſi primitus corona porrigeretur. quantum laboravit tunc diabolus, ut commacularet eam, aut prorſus conſcinderet! Obſtupeſcens ad talia, gratias habere cogor Iehovæ meo, quoties recordatio machinationum talium mihi ſubit. Tot inſtigationes fiebant apud ſummos, &c. Confidite vero, ô amabiles filii Dei, & ad hanc perficiendam luctam fideliter pergite. Namque omnes hanc luctam in vita hac propter angelicam coronam ſubimus, quam olim in capite ſuo geſtabat dominus Lucifer. An vero ille non in furorẽ abeat, qui ditiones & regna amiſit? perinde ac alius quis veniat, & alii eripiat coronam ſuam, eundemq; ad ima detrudat, captivumq; detineat arctiſſime. Luctamini vero confidẽter dulciſſimi

simi filii Christi; Tempus adhuc breve restat, dum sceptrum cum corona obtineamus. Melior Dominus est, quam mancipium vinctum. Afflictiones huius mundi, si quidem ita tolerandum est, ab omni proportione longissime absunt, si cum venturis gaudiis, quæ in nobis manifestabuntur, comparentur. Constituti heic sumus inter cœlum & orcum, in agro fertili; aut Angelus aut Diabolus ex nobis nascitur. Cuicunque igitur cœlum arridet potius, & angelicam appetit formam, vigilans ille sui sit custos. homo facile in momento fatiscit: liberam habes voluntatem; quocunque eas, ibi eris; quale semen eiicis, tale & metes. Hæc sic dicta tibi sunto, &c. Hactenus Teutonicus.

Si iam igitur quis pius & vere sanus non tantum semetipsum hoc modo & sua secum vitæ acta examinet; sed etiam omnes ad infallibilem hanc reipubl. Platonicæ normam reliquas comparet politias, & commoda ab incommodis, quæ ex huius ad alias iam constitutas applicatione pridem subnata sunt, abstrahat: profecto vix vestigia aut Platonicæ aut vere Christianæ inveniet politiæ. Etenim, quum omnes adulatores carnis, & qui in huius servitute ætatem degunt, à fundamento vero, quod in regno amoris & regno iræ Dei consistit, aberrent, & solummodo fucatæ nescio cui applaudant honestati & saluti, ad quam oblique tanquam ad ipsum bonum publicum declinant: fit, ut tales constitutiones abusivæ ad pristinum amoris gratiosi statum reduci nequeant. Memini optime, quæ ipse à puero in aulis passim & rebuspubl. observavi & annotavi sedulo: quantopere fucata sint omnia, & ementitis coloribus depicta: ab amore autem omnes adeo sunt alieni ut nec amplius constet quid is sit; adeo sinceritatem qui amat, pro ludibrio habetur. Carnales illi adulatores & fora & subsellia undique possident; nec ad aliud superioribus vacat, quam talibus ambas aures ut præbeant apertas. Si quis sit, qui vitia interna vel leviter tangat, camarinam certe non movet tantum, sed etiam pardos & leones cum ursis stimulare, imo & in cavernam formicarum inspuere videtur. Expertus multa perspexi, acta & facta cum damno perdidici: novi summos, medioximos, & imos: spectator fui pro mediocritate mea plurimorum casuum. Namque omnes tant isper boni apparent, dum occasio sese aperiat malitiam diu interne occultatam exerendi. Pessimos amicitiæ defraudatores novi, qui ultra triginta annos celare malitiam potuere, donec desineret lucrum: Ita cum commodo evanuit amicitia. Etiam luporum catulos nutrivi sæpius, & plerumque eos, qui Christi nomen religiosissime venditare videbantur, hostes sum nactus sæviores. Ita nusquam propemodum veri amoris vestigia patent. Quæ caussa? Educatio Platonica nullibi cernitur, ne quidem Christiana. Etenim ubinam tenera ætas amorem erga Deum & dilectionem proximi addiscat? quum semper in cæco ethnicismo ad philautiam retrahatur, & occinatur ipsi illud malorum semper caput; Proximus sum egomet mihi: item; Ordinata charitas incipit à semetipsa: quum tamen D. Paulus huic falso axiomati ita se opponat; dicens: Nemo, quod suum est, quærat; sed quisque quod alterius est. 1. Cor. 10. 24. & Philip. 2. 4. Quum igitur non amor Dei, sed sui ipsius, in maledicta appropriatione propagetur passim, nec dum de remedio cacoethi huic Israelis applicando spes sit; dum omnes non ex Deo, sed ex regno mundi, & quidem eius ethnicismo, perversas doctrinas promunt, quibus se longe sapientissimos esse sibi somniant: Hinc ira Iehovæ merito suam exerit ultionem tantæ perversitatis, & tot atrocibus malis malos confundit; nec desinet, quamdiu malum hoc non curatur aut se curari non fert. Utinam homines ad istud Platonis speculum in reip. forma tandem aliquando recurrant; nec nimium credant tam loquacibus seductoribus, & ethnicismi commendatoribus perpetuis, qui Christum cum verbo suo tam immaniter extenuant, & facto ipso contemptim habent? aures, inquam, præ iis tandem obturent: tunc spes foret alicuius correctionis, sortisve melioris. Nequaquam homines in eo confirmandi erant, quo suapte sponte plenis abripiuntur velis, à philautia pessime dementati; sed prorsus contraria cura adhiberi debebat. Et quænam potior aut sanior, quam quæ ex ipso ore Christi & verbo cœlesti petitur? Huic, huic à teneris unice assuefaciendi erant omnes. Sic, sic ad se venire & adduci, ac non aliter infantes iubet. *Matth.* 18. Ac quicquid non inde petitur, seductorium est & amori Christi contrarium, nec ad naturæ sanctiorem cognitionem quidquam facit. Sic falsæ philosophiæ specioso veneno undique vera inducitur, & suam huic illa eripit palmam. Væ autem talibus, qui vel minimam remoram tenellis animis obiiciunt, scandalaque tot creant.

Verum hæc de reipubl. Platonicæ meliori formatione, occasione aliorum, qui in politicis suis scriptis oppugnationem Platonis male primo loco & quasi in frontispicio ponere solent, heic ad calcem eorũ quæ de societate privata cõmentati sumus, inferre voluimus. quãvis & alię subsint rationes; quas suo loco reservamus, ubi de triplici republica Platonis plenius cum Deo agemus: ut tandem agnoscant plures, quantum errorum & calumniarum in summum philosophum commissum fuerit. Etenim in naturæ lumine ea vidit, quæ nulla terminalis phantasia Stagirensium assequi aut intelligere potest. Digne & in vero sensu accipito verba Piccolominei, *Esh. grad.* 10. c. 25. ubi ita ait: Iure itaque optimo Plato, imitatus Deum, naturamque secutus, in optima idipsum (quod arctiori amoris & charitatis nodo constringitur) esse servandum censuit. Nec Plato huius sententiæ primus auctor fuit; sed longe prius id servarunt alii populi, &c.

Quid attinet igitur tam studio futili eum oppugnare, quem potius omnibus viribus cuique commendare deberet sapientior quilibet?

Sed ex instituti nostri ratione nobis nunc ad partem secundam transgrediendum est; ubi de societate civili, & maxime publica, ut & fœderibus, nec non in specie de laudabili societate Hanseatica, & eius confœderatione, accuratius agemus.

FINIS PARTIS PRIMÆ.

PARTIS

PARTIS SECUNDÆ
De
CIVITATVM HANSEATICARVM
Fœdere celeberrimo, & eius fundamentis remotioribus politicis in genere.

Cap. I.

De vicis, villis, caſtellis, & pagis, deque eorum differentia ac diſtinctione propria.

AMICABILE illud ſocietatis nomen quod late ſeſe, imo latiſſime, extendat, & quam multas ſuo ambitu complectatur ſpecies, id *in parte anteriori, cap. 3.* ſatis indicatum eſt & oſtenſum. Nam, quum in ea rite explicanda tam variæ politicorum diſtractiones inveniantur; multique partim ex errore & ignorantia, partim ex natura contradicendi, ingeniis nonnullis ſcripto & ſermone contentioſis inſita, veris falſa commiſcuerint: nonnihil plenius iſtæc omnia, hac occaſione data & nata, in gratiam eorum qui maiores in pietate profectus adepti ſunt, ex veris fundamentis eruere & enucleare ſum coactus, præſertim expertus ipſe toties, in quantas tenera iuventus profanas hominum depravatorum abriperetur opiniones, ex quibus ægerrime ſe pauciſſimi, plurimi vero nunquam per totum ætatis ſpacium expedire potuerunt. Veræ ſapientiæ ſeu philoſophiæ propter bonos deſpicientia excitatur. & id quidem magno conatu boatuque agunt illi, qui perpetuis diſputationum clamoribus infauſta falſæ ſuæ terminalis philoſophiæ ſemina paſſim diſpergunt: Vnde fit, ut non tantum adoleſcentum animi male faſcinentur, & à veritatis ſolidæ ſtudio abhorrere diſcant; ſed etiam venenum hoc peſtiferum cum ineffabilibus corruptelis ſenſim per omnes civitates, reſpublicas, & regna, in quibus tam male edocti ſapientes locum muneris alicuius obtinent, dilatetur. Ideoque non mirum, quod tam diu veritatis amor conticeſcat. Niſi caſu forte aliquo quiſpiam in ſaniorem incidat Auctorem; pſeudophiloſophorum nullus erit, qui ſelectum quempiam ſcriptorem iuventuti commendet; ne nimis mature ad penitiora admittantur arcana: qui autem intentius litteraturæ vacant, ii omnes ad magnos & inanes commentatores remittuntur; ne quis facile deprehendat quo infringere auctoritatem illis poſſit. Si quandoque hoc invidorum ſecretum leviſſimo cõtactu detegere conatuseram, incredibile eſt quantas calumnias & perſecutiones, non abſque periculis ſuſtinere fuerim coactus. Sic & mihi Platonis ſcripta in cunctis ſuſpecta fiebant primum, & tamen nunc pridem inveni in eo, qualia ex inſtitutione Ægyptiorum & lumine naturæ ipſi cognita fuiſſe, vix unquam ſatis mirabor. Proinde nullam fidem tuto haberi illis poſſe video, qui quoslibet ſcriptores ſine modo calumniari aut condemnare non verentur. Quo magis hoc factitari animadverto ab iis quorum fides à cunctis haberetur pro ſacra, eo mihi vehementior excitatur ardor ad veritatem penetrandi.

Egimus autem hactenus de ſocietatibus naturalibus, & quæ iis quam proxime adhærent; & errores plurium, (qui nil aliud agũt quam ut ſervitutes perpetuæ hominibus ac totis corporibus ſociorũ imponantur,) & maximopere quidem ad aureæ libertatis emolumentum, (ceu profecto res eſt plane inæſtimabilis,) deteximus atque reiecimus. Proximum nunc eſt, ut in præſenti de ſocietate civili agamus. Quæ nihil aliud eſt, quam voluntaria plurium hominum, ex aliquot familiis conſtantium, inque uno loco congregatorum, coniunctio aut unio; qui eum in finem, ut ſtatum publicum rectius inter ſe conforment, & rempubl. conſtituant, conveniunt.

In hac autem ſocietate duo ſunt annotanda, quæ ad eiuſmodi conſtitutionem requiruntur; videlicet, continens, & contentum. Locus enim omnino requiritur, ubi hominum talium unio & coniunctio inſtitui queat. In hoc autem non tantum continens illud & ſpacii amplitudo, ſed etiam eius circumferentia & fines, ſive termini, conſiderandi veniunt: quæ ordine iam pertractabuntur. Atque hinc, quæ olim familiarum, ex quibus ea conſtat, ratio fuerit, percipiendum eſt; uti recte & docte Bruning. *de var. univ. ſpec. th.* l. 1. *A.* id explicat. Quum adnaſcentibus, inquit, indies liberis uno tecto omnes non continerentur, plures commodis in locis erexerunt habitationes, pluresque neceſſario facta ſeceſſione familiarum duces extiterunt; qui omnes tamen à communi parente tanquam capite dependebant, ipſiuſque nutu atque arbitrio regebantur. Summo familiarum principe extincto, cum par in parem imperium non haberet, uti quiſque inter ſuos ætate prævalebat, ita principio quidem (humanis ſcilicet animis inſana dominandi libidine nec dum infectis) imperium autoritatemque facile obtinebat. Hi & ipſi, rerum ſuarum uſu & neceſſitate exigente, vel cũ omni familia, vel certa eius parte, alio migratum ibant. Hinc, ut dictum, varii pagi variæque (ut tum quidem ferebant tempora) conditæ ſunt urbes. Sic Cain iram divinam fugiens urbem ſibi ſuiſque condidit, quam à nomine filii ſui Hanoch appellavit; *Gen.* 4.17. Aſſur Niniven: *Gen.* 10. 11. Poſteri Noach, diverſas in partes ſibi abeundum metuentes, ut glorioſa nominis ſui monumenta iis in locis relinquerent, ingentem urbem & turrim conſtituerunt; *Gen.* 11.4. *& ſeqq.* Alii etiam quibus in tam ampla hominum ſocietate vivere grave erat, urbibus viciſque relictis, cum ſuis rus ſeceſſerunt, ac rei ruſticæ pecuariæque à tumultibus urbanis remoti operam dederunt. *Gen.* 4.20. Extincto vero in urbibus, in quibus plures erant familiæ, ſummo principe, quum partibus iam prope omnibus adminiſtratio non difficilis modo, ſed pene impoſſibilis videretur, quem probatæ cæteri modeſtiæ & iuſtitiæ opinabantur, ſibi elegere; qui nullis primo legibus, ſed naturalis tantummodo rationis acumine inſtructus iura ſuis redderet. *vid. pulchre Iohann. Baptiſta Aſin. in practic. indic. proem. cap. 2. de inſtant.* Civitates vero ipſæ quum multitudine inhabitantium nimium oneratæ ſibi viderentur, flore incolarum electo, parte ſui ſe exonerantes, novas remotiores in locos deduxerunt colonias. Nonnunquam etiam ſæpe populi alio transferre, &, ut quodam in

loco

loco Cicero ait, ſentinam urbis exhaurire ſtudentes, promiſcuam multitudinem alio ablegarunt. Creſcente vero cum multitudine humani generis eiuſdem nequitia, atque inſatiabili illa imperandi cupiditate, uti quiſque populus potentior, ita vicinos imbecilliores opprimendi licentiam ſibi ſumebat, nonnunquam etiam oppreſſos ſolum vertere alioque veteres colonos migrare cogebat. Quas iniurias ut evitarent, id facere recuſantes, ab aliis vicinis, armatis precibus ferratiſque argumentis (quo perſuadendi genere Theſeus Plutarchicus uſus eſt) ad id faciendum compulſi ſunt, ut novorum incolarum acceſſione potentiores redderentur civitates. Urbes vero ſingulæ cum plurium potentiæ ſe impares fore, multumque inſuper commodi ex mutuo commerciorum uſu rebus ſuis acceſſurum cernerent, non de firmiori tantum amicitiæ fœdere ineundo, ſed & in unum quaſi corpus coeundo, cogitarunt: quod corpus quum ſine capite conſiſtere non poſſet, electus eſt qui pluribus præeſſet civitatibus, iiſdemque ius diceret. Duplicem itaque rerumpubl. conſtitutionem, voluntariam unam, coactam alteram, eſſe, è ſuperioribus conſequens eſt. Coacta fuerunt initia regni Babylonici, Perſici, Alexandrici; *uti de hoc teſtantur Gen. cap.* 10. *Iuſtinus, Quint. Curt. & alii.* Voluntaria regni Romulei. *ſecundum Livium lib.* 1. *& Halicarnaſſ. Diſſent. Bodin. lib.* 1. *de repub. cap.* 6. *nn.* 46. *quem ſupra citati, erroris ſatis ſuperque convincunt.* Non tamen omnibus populis eadem arriſit gubernandi ratio. His monarchia, illis ariſtocratia, aliis democratia potior viſa eſt, *quæ de re elegantes apud Herodotum in Thalia, & Halicarnaſſ. lib.* 2. *orationes extant.*

Succeſſu itaque temporis factum eſt, quod migrationes variæ gentibus varias locorum conditiones monſtrarunt; unde ſibi unaquæque pro re nata paravit ſedem ſuam.

At illud continens merito dicitur receptaculum perſonarum civilium, quas in uno loco civiliter cõgregatas in ſeſe comprehendit. Illudque ex inſtitutione converſationis aut cohabitationis, qua inter ſe coiere, duplex eſt; vel primum, aut à primo ortum.

Continens primum eſt, quod in primo naturæ momento uti invenitur, ita incolitur & excolitur; unde etiam poſtea dependent reliqua, & utplurimum nomen deſumunt. ut ſunt: vicus, villa, arx ſive caſtrum, & pagus.

Vicus dicitur locus, ubi multorum ædes cohabitantium ita ſunt diſpoſitæ, ut via ſit intermedia, qua tranſitus patet. Unde etiam in urbe platea dicitur: *uti Cicer. pro Mil. innuit, quando dicit: Nullum in urbe vicum, nullum angiportum eſſe dicebant, in quo Miloni non eſſet conducta domus.* Quippe olim Romæ urbs in regiones, tanquam in maiora membra, & vicos, tanquam minora membra, dividebatur; *ut ait Roſ. in ant. Rom. lib.* 1. *cap.* 12. Et dictus eſt vicus, quod vias circum haberet. Germani vero id dixere Weck; quaſi alter alteri in tranſeundo in eo ſpacio commode cedere, *id eſt*, Weichen/poſſet: vel quod familiæ ampliatæ ita cederent ſibi invicem. Neque ex Latino uſum accepit, *ut Meib. vult. in Bardovico ſuo*; quum Germanis, & præſertim Saxonibus à Sacis oriundis, nihil commune fuerit cum Latina lingua, imo plane incognitam habuerint; *ut ex iis apparet quæ in ſuperiore huius lib. parte de Germania adduximus.* Proinde etiam non admodum prudenter ab eo Crantzius noſter refutatur, qui *in Saxon. lib.* 2. *cap.* 30. *& Metropol. lib.* 2. *cap.* 3. Wieck ſinum excurrẽtis fluminis aut ſtagni dictum fuiſſe affirmat; quum tamen non adeo incongrue *ad ſimilitudinem cedentis* pronunciatum figurate hoc ſit. Velut idem quoque Beatus Rhenanus & Andr. Althamerus *in comment. ſuis ad Taciteum, lib.* 3. *rerum German.* recte inculcarunt; dum à ſimilitudine huius rei non procul aberrant, ſecus quam Meib. fruſtra ſuſpicatur. Et ex ſitu locorum apparet, ubi eius nominis Civitates & oppida aut pagi conditi ſunt, & hodie viſuntur, hanc illa ſignificationem inſinuare. Sic Brunſwieck, ad flexum Veri fluminis urbs condita, & quod arci in plateis erectis cedebat. Coſwieck ad Albis flexum & ſinum, non procul à Vitæberga, in Principum Anhaldinorum ditione ſita. Item Oſterwieck in ditione Halberſtadienſi. Sleſwieck in Holſatia ad Sliam ſinum maris. Holtzwieck & Gutterswieck in Weſtphalia; quod ſylvis cedant. Sic & in Batavia, ad eum locũ, ubi Rheni antiqui fluvius ſe in mare exoneravit, Cattwieck, & non procul inde in maris alluvio Noortwieck, viſuntur. Sext. Pomp. Feſtus *de verbor. ſign.* vicis triplicem attribuit in Latina lingua ſignificationem. Vici, inquit, appellari incipiunt ex agris, qui ibi villas non habent; ut Marſi, aut Peligni. Sed ex vicis partim habent rempublicam, & ius dicitur: partim nihil eorum, & tamen ibi nundinæ aguntur, negotii gerendi cauſſa; ut magiſtri vici, item magiſtri paucique pagi; quum priſcis ſic annis fuerit. Altero, quum id genus ædificia, quæ continentia ſunt, iis, oppidiſque, itineribus regionibuſque diſtributa diſtant, nominibuſque diſſimilibus diſcriminis cauſſa ſunt diſpartita. Tertio, quum id genus ædificiorum definitur, quæ in oppido prive in ſuo quiſque loco proprie ita ædificat, ut in eo ædificio pervium ſit, quo itinere habitatores, ad ſuam quiſque habitationem habeat acceſſum; qui tum dicuntur vicarii; ut hi qui in agris ſunt, vicani appellantur. Vicinia vicinorum converſatio, &c.

Quemadmodum vicinus is dicitur, qui vel in eodem vico cum ſuis, aut certe non procul ab eo, habitat, ut eius frequentia uti poſſimus. Varroni quoque vicus eſt, (*lib.* 1. *de ling. L.*) quod in eo ex utraque parte viæ, domus certis ſpaciis diſtinctæ ſint. Unde & duplices, urbani & pagani, poſtea dicebantur: Illi quidem, qui ædibus aut ædificiis connexis cohærebant; Hi vero, qui ex pluribus villis domibuſque ruſticis, ſpacio aliquantulo ab urbe remoti, nullis mœnibus cincti, coagmentabantur.

Villa autem, modica congeries domorum dicebatur, in quam convehebantur fructus, quaſi vehilla eſt *Tholoſano lib.* 2. *reipubl. cap.* 1. *num.* 4. *velut id recte ex Columella allegavit.* Unde villanus vocatur, qui conditioni colonariæ addictus eſt, in villa habitans. Et villicatio ipſam negotiationem ruſticam determinat, ſive villæ diſpoſitionem; *velut Colum. lib.* 11. *officium illud deſcribit.* Errat heic iterum Meib. *in dict. hiſt. Bardov.* qui Germanicum Wellen à villa vult dictum, & quod deinde pleniore ſono hinc enuncietur Wedeln. quæ mirabilis foret transformatio; quum tamen Germanicæ linguæ uſus nihil prorſus commune habeat cum Latina, & ſibi ipſi ſit originalis; adeo, ut per hanc in Italia transformatum ſit ipſum Romanæ locutionis idioma, quum irruptiones in eam Germani feciſſent.

fecissent. Præsertim autem illis priscis temporibus, quum nihildum commercii Germanis cum Latinis unquam fuisset, (utpote quibus penitus ad id usque temporis incogniti erant,) nulla Germani ab his vocabula mutuari potuerunt. Ideoque Wellen non ex alia, sed ex sua lingua, videlicet à Wallen / id est, à migratione incerta, originem duxit. De loco enim in locum incertis migrate modis, sive palari, est Wallen Germanis. unde & Wedeln / quasi *flabello vacillare*. Si vero contigit, ut sedem alicubi locarent, adiecerunt palantes loco illi prædictum Wellen aut Wedel. uti sunt cõposita ea, quæ invenias in Borchwedel, Steynwedel, in agro Lunæburgico; Soltwedel in veteri Marchia Brandeburgensi; Langenwedel in diœcesi Bremensi, &c.

Qui autem Duces erant aut principales in ducendis familiis, illi suos locos munire præ cæteris vallo solebant, aut sepibus, ut eo tutiores essent ad vim propulsandam. Inde arx dicta est ab *arcendo*; quod irruptiones & iniurias aliorum ita præcavere possent.

Ita etiam castrum munimentum præsidiariorum erat, qui excubias agebant, si locum non tutum putarent, ubi etiam caste illis & temperanter vivendum erat; ex quo *castra* quasi *casta* appellari volunt. *Stewich. in comment. ad Vegetium, lib. 1. ca. 3.* Et *Isidor. in lib. 9. etymol. seu orig. cap. 3.* Castra, *inquit*, sunt, ubi miles steterit. Dicta autem castra quasi casta, eo quod ibi castraretur libido. Nam nunquam iis intererat mulier: ut eo rectius munere custodiæ absque fallacia fungi possent. Et, *Tacitus lib. 2. annal.* Iuvenem, *ait*, urbano luxu lascivientem, melius in castris haberi. Sic perpetuo scriptores militarem castitatem & castrensem notant, tanquam firmissimum disciplinæ & fortitudinis vinculum. Et maxime Germani ab omni lascivia & luxuria aberant, vivebantque parce & duriter. Castra autem, *ait Stewy. in com. ad Veg. lib. 1. cap. 22.* quidam triplicia faciunt: Temporanea, id est, momentis mutabilia: aut stataria, quibus hostem, dum se in munito loco continuerit, occupare instituas: aut sustentoria, quibus hostem urgentem & lacessentem sustineas. *de quibus multa lib. 5. cap. 20. & seq. Leo Baptista.* Hinc colligitur, castra communire, locoque idoneo disponere, summi semper Imperatoris fuisse opus; unde pendebat plerumque totius exercitus seu clades, seu salus. Maxime autem requirebatur pabulatio, lignorumque copia; atque ante omnia ne aqua deesset. Nam quum tota hyeme interdum in castris stativa haberentur; obsessi exercitus siti in deditionem compellebantur. Ideo, vel ipsis castris ut flumẽ includeret, vel in vicinia haberet, summa cura prospiciebatur. *in paral. ad Ros. antiq. Rom. lib. 10. cap. 12.* Formã vero castrorum Romanorũ varie discussit Iulius Barbaranus *off. Prompt. tom. 1. pag. 51.* Castrum autem villam muratam dici posse Latinis, auctor est Tholosan. *lib. 2. de rep. cap. 1. num. 7.* si casæ & villæ, antea rusticæ, cõcludantur, ut illarũ cõclusio vallo vel muro facta vicum magnum conclusum determinet: at vicus parvus castellum dicatur. Idque fiebat, ait, maxime in agris & pagis limitaneis; quo loci tantum milites castris & castellis præerant; non alii; donec, productis finibus principatus, castra etiam aliorum habitationi cesserunt. Herod. *lib. 4.* & Athen. *lib. 5.* notant, quam assidui in bellis gerendis fuerint Scythæ; cum quibus vixerunt Sacæ, quos & Ptolomæus in Scythia collocat. His propter frequentes migrationes usus castrorum in metatione castrorum maxime est observatus. Vnde & manifesta evadit differentia inter castella & arces. Etenim, quum modus bella gerendi propter diversitatem armorum, & maxime machinarum bellicarum, longe alius esset quam hodie, (quando ex unica inventione pulveris tormentarii totum genus belli gerendi mutatum est,) & potissima vis militaris hostium oppugnantium in arietibus & balistis esset sita: proinde arces montibus imposuerunt custodiæ & violentiæ caussa; castella vero in plano campo figebantur, ut iam dictum est. Atque arces muris muniebantur variis modis, pro loci cuiusque conditione; ut partim receptaculum tempore necessitatis exhiberent circumhabitantibus, partim quoque inde directio dependeret regiminis. Maxime autem castra vallo cingebantur in planitie, & vallum nihil aliud est *apud Tholosan. d. l.* quam propugnaculum & munitio castrorum; quod ex vallis, id est, palis, fieret. Hinc villa etiam, quasi vallata dici potest in Francia. quibus *une ville* oppidũ hodie est; *village* autem, diminutivum, vicus, villa, &c. Vallo autem accessere & fossæ, quibus vallum circumdatur; postea & muri: unde oppida vallata & murata intelligi possunt, ut mox dicemus.

Pagus vero est receptaculum societatis politicæ ex duobus vel pluribus vicis collectæ, absque munitionibus & muro. suntque nil aliud quam rusticanæ domus in unum coagmentatæ absque munitione sufficienti. Vox pagi maxime hodie ita accipitur; quamvis olim eius longe alia ratio fuerit, *ut supra quoque innuimus*, ubi toti districtus & præfecturæ ad pagi constitutionem relatæ sunt; velut in antiquo Saxonum regimine id clarum est, & Iul. Cæs. *lib. 1. de bell. Gal.* indicat de Helvetiis. Sunt autem pagi, ut Festus attestatur, dicti à fontibus, quod eadem aqua uterentur. Aquæ enim fontes lingua Dorica παγαι appellantur. (est autem magnam partem lingua Latia ex Dorica & Æolica prognata.) Inde pagani à pagis dicti. Quamvis latius vocabulum accipiatur apud ICtos, ut is vocetur paganus, qui non sit miles, & non militiæ teneatur sacramento. *Modest. tit. locat. ff. l. si ignorans.* Receptius tamen est, paganum dici omnem, qui est privatus, ruri vivens, à villa ita vocatus; quod (*iuxta Servium*) circa fontes villæ condi solebant; sicque paganos dictos quasi ex eodem fonte bibentes. Itaque pagani proprie militibus opponuntur, ut togati sagatis, cinctisque. Sunt autem rustici à pagis appellati, quod domi ad ruris culturam exercendam, & necessaria vitæ procurandum, relinquebantur. *Vigli. in tit. Inst. de mil. testam.* Et quia pagus locus erat, in quo rustici propter commoditatẽ alicuius fontis convenerant; nomen hoc postea ad omnem societatem politicam ex duobus vel pluribus vicis constantem traductum est. Quum vero isti homines ita superstitiose gentilismo addicti viverẽt, ut vix inde retrahi possent; pagani Ecclesiasticis scriptoribus sunt, qui Christi pietatem non colunt. *& ita sumuntur in rubr. C. de paga.* ea nempe ratione, qua Christi non sunt milites. Nam in hoc posteriori significatu nomen paganorum usurpari cœpit sub Constantio Constantini M. filio, Imp. in Oriente, qui circa annum Christi 337. Imperator factus est. Hinc enim milites non Christianos exau-

ctoravit, & in pagos remisit. Unde & paganum peculium castrensi opponitur. *l. uit. C. de inoff. testam.* Et *in lib. feud. 2. tit. 68. §. 2.* pagenses dicuntur pagi eiusdem incolæ. Παγάρχαι *apud Iustinian. edicto 15. & in Novell. aliquoties*, sunt qui *l. 49. C. Th. de decurion. l. 1. C. Th. de pign.* præpositi pagis vocantur. Hinc *l. de succes.* præpositura pagorum, &c. Vicus proinde & pagus sic distant, ut vicus proprie nihil aliud sit, quam locus publicus utrinque ædificiis cinctus, per quem incolæ transeant; quum ædes suas ita ad invicem erectas inhabitent, ut domus sint vicinales. *l. 3. ff. qui ex vico ad mun.* pagus vero constat ex pluribus vicis, nulla munitione circumdatis. Paganalia autem erant feriæ paganæ, & ludi aut festivitates. *Rosin. de ant. Rom.*

CAP. II.

De oppido, urbe & civitate, in vulgari acceptione, earumque differentia.

TAntum de continentibus primis. Inde autem ortum continens est, quod à continente primo originem trahit. Estque receptaculum minus, vel maius. Minus vero est oppidum, & urbs, &c.

Oppidum quidem nonnulli cum urbe confundunt; sed tamen multis nominibus ab ea distat, si respiciamus primam eorum originem, primamque fundationem, & finalem intentionem. Etenim ex vicis ac pagis minime longo labore conficiebantur oppida; at non tam brevi urbes. veluti exempla in Germanorum historiis passim occurrunt. Et inde fit, quod hodie Germanis communiter ein Fleck/Saxonibus vero *ein Flek*, non est urbs, ein Statt; sed solummodo receptaculum, quod quidem muro aut vallo est circumcinctum, attamen non tam plene, quin iterum, si minus foret commorationi idoneũ, deseri possit ab incolis, præsertim autem tunc quando maior violentia superveniat. Velut etiam oppidorum copia satis ingens est in Germania, urbium autem sic dictarum non perinde: tametsi non plenis quoque oppidis iura sint quam urbibus haut deteriora. Quo facit & ipsum vocabulum Statt à Stãt/ *firmus, stabilis, frequens*, factum; quasi firmitudinem ibi certam frequentia sua stabiliissent. Quippe & illæ dicebantur urbes (Stãtte) ubi plenam sedem fixissent populi. At oppida succursus caussa erant; ut opitulationem in principali statione inde acciperent. Atque sic in iure quoque *l. 239. §. 6. & 7. ff. de V. S.* distincta inter se vocabula urbis & oppidi inveniuntur. *& l. 2. d. t.* Quum enim inter ICtos non conveniret de origine vocabuli oppidi; aliis id ab oppositione murorum, (*iuxta Isidorum,*) aliis vero ab opibus recondendis, nonnullis ab ope, quod inde opem contra hostes habere possent defensores patriæ, nomen habere contendentibus; atque post longam examinationem inveniretur, quod oppidum minus esset sufficiens ad vim omnem sustinendam: obtentum hoc est tandem, quod merito ex respectu rei ipsius oppida denominationem suam ab ope ferenda & sustinenda accepissent. quod Pomponius ICtus *in ea lege* testatur. *& ex Cicerone* Festus, quando dicit: Oppidorum originem optime refert Cicero *libro primo de gloria*, eamque appellationem usurparam esse existimat, quod opem darent, &c. Item: Oppidum dictum est, quod opem præbet, &c. vel, quod ibi homines opes suas conferunt. Oppidum dicitur & locus in circo, unde quadrigæ emittuntur. Sic & M. Varro *lib. 4. de ling. Lat. fol. 32.* Oppidum, inquit, ab ope dictum; quod munitur opis caussa, ubi sint, &, quod opus est ad vitam gerendam, ubi habitent tuto. vel oppida; quod opere munibant mœnia, quo munitius essent. Vbi Godd. *in comm. ad d. l.* hoc addit: Ideo enim, *ait*, civitates muris cinguntur, ut ipsarum ope hosti resistamus, & ab incursionibus hostium aliisque malis tuti simus. Hanc opem ipsa etiam Romæ ferunt. Munitum quippe à tergo hostem relinquere, & ipsam urbem invadere, tutum non est. Hæc igitur notatio à fine & usu oppidorum promanat, eoque merito obtinuit, & cæteris, utpote verior, prælata est; *ait Pomponius.*

Ex quibus satis evidenter convincitur, proprium oppidorum munus & officium esse, ut principaliori loco, qui urbis nomine determinatur, opem, succursum & opitulationem præbeant. Sicuti differentiam quidem aliquam simul Tholosan. *in lib. 2. cap. 1. de rep. num. 4.* agnovit, quando ait: Inter hæc annotari dignum videtur, quod inter oppida & urbes hoc interesset; quod oppida non essent solemniter aratro cincta; &, quando cincta sunt, dictæ sunt urbes. Tutior tamen erat locus oppidi, quam villæ, &c. Et videtur oppidum ex pluribus ædificiis constitisse, &c. Nec obstat, quod Isidorus varie de eo differat, aut potius hinc obiiciatur, urbis nomine omnem munitum locum insignitum fuisse, qui ducto aratro solemniter in circum ita conclusus fuerit, ut tum ex eo actu, quem sacrum putarunt, statim urbs appellaretur. Magna quidem solemnitas hæc dicta fuit; sed tamen non omnibus gentibus; sed tantum Etruscis nimium superstitiosis. *de quorum idololatrico ritu plura cognosci possunt apud Rosin. de antiq. Rom. lib. 1. cap. 3. & in paralip. ibid.* Proinde quoque Matth. Steph. *in dist. acad part. 1. d. 6. num. 12.* nonnihil à scopo aberrat, quandoquidem eadem facit cum urbibus, quũ oppidum æque muris & fossis cingatur ac urbs: Sed quæ continuo sequuntur, rectius ab eo dicuntur; dum coniuncte ait: Urbs nobilior; oppidum vilius, & parva urbs existimatur. Sic quoque Romani Romam per excellentiam urbem appellarunt; (ut olim Hierosolyma, civitas Davidis vocabatur. *2. Sam. 5. 7. 9. 1. Paral. 11. 7. Luc. 2.*) Cæteras urbes & civitates dixerunt oppida, &c. Et hinc urbs Germanice dicitur ein Statt; quum in urbe hominibus firmissima sit statio, propter societatem & mutua auxilia, tum in necessariis rebus comparandis, tum in adversis depellendis. Oppidum autem à villa ita distinguitur, quod villa muris non circumdatur sicut oppidum, &c. Dum ita vir optimus usum diversum & operationem utriusque subiecti agnoscit, recte facit quod mentem explicet: sed tamen, quum hæc caussa non sit ultima, ex qua differentia sumi debeat; non recte idem oppidum cum urbe confundit. Tum etiam ex situ & commoditate loci magna sumi debet differentia, ut mox patebit. Pari ratione ergo illi urbs ab oppido, ac oppidum à villa, discernitur; quam hoc loco pro vico aut pago habet. Quod discrimen tamen & superius notatum est. Etenim oppidum sic medio loco se habet inter utrumque; ut auctore. iu-

tibus.

ribus, uſu, officio, fine, commoditate ſitus & loci, variiſque præterea modis, ab urbe non minus ac à reliquis differat. Quemadmodum enim liber Baro, aut Comes, non eſt Princeps, neque eum repræſentat, quamdiu ſuo eſt loco; ita multo minus urbis nomine oppidum venire poteſt. Sed ex hoc gradu oppidano, nunc ad urbis deſcriptionem pergemus.

Urbs eſt receptaculum ſocietatis civilis, ex vicorum pagorumve aut potius oppidorum multitudine conſtans; communibus munimentis, ſecuritate, & ornamentis publicis, ac privilegiis, exornata. *Cic. lib. 1. de rep.*

Nomini huic urbis, alii ab orbe, alii ab urbo ſive urvo, derivationē deducunt & imponunt. quorum hoc poſterius auctoritate legis confirmatum eſt. *l. 239. §. 6. ff. de V. S. & l. 2. ff. t. eod.* Nam, *inquit Godd. in comm. ad hanc l. d. num. 16.* ut urbs muris finiatur, omnibus urbibus commune eſt; cum, *auctore Varrone in dictam l pupillus, &c.* ab urvo ſive urbo nomen, tanquam à communi omnium urbium forma, &c. acceperit, &c. In quo tamen ille aberravit. Etenim notatio huius vocis non à forma, ſed à cauſſa inſtrumentali, videlicet à curvatura aratri, nomen habet. velut ipſe ICtus confitetur his verbis, dicens: Urvum ſive urbum eſt curvatura aratri, & urvare ſive urbare eſt arare arratroque definire. *d. l. pupill.* In condendis enim urbibus olim aratro utebantur, quo futuræ urbis magnitudinem, proportionem, ſitumque muro cingendum, definiebant; (*Celius Rhodig. lib. 14. ca. 5.*) iisdemque deſtruendis inductum eodem modo aratrum adhibebant; ut eodem quo definitæ eſſent urbes modo, *iuxta l. nihil. ff. de reg. I.* rurſus delerent, expungerent, everterent, deſtruerent. quod & Carthago (*l. 21. ff. quib. mod. uſufr. amit.*) & Mediolanum expertæ ſunt. *Naucler. Gunther. & Sebaſt. Franc. in vita Friderici Barbaroſſæ, &c. Varro, lib. 4. de ling. Lat.* Alias autem urbs in ſecunda denominatione non incommode, & forte rectius, ab orbe, tanquam à cauſſa formali, dicitur; quod orbis fieret, & circuli inſtar circumſcriberetur in circuitu ſuo; vel etiam ovalem formam indueret ut plurimum, prout ſitus loci id admittebat. Formam autem rotunditatis maxime, ob perfectionem ſuam, amabant; quod defenſioni & regimini accommodatior talis videretur.

Conſideratur autem ſitus urbium dupliciter: & phyſice & politice. Si ergo populi frequentibus commerciis ſociandi ſint; quum rerumpubl. fundamenta in duobus his conſiſtant; neceſſe eſt, ut ante omnia ſalubritas & clementia cœli aerisq; temperies recte obſervetur; &, quum huic rei maxime inſerviant venti, omnino ratio plagarum mundi habenda erit. Urbes enim, quæ orientis ſeptentrionisque ventum excipiunt, humidis & peſtiferis qualitatibus minus ſunt obnoxiæ; quum corpora diutius conſervent & hilariora reddant, quam quæ ſe verſus occidentem & auſtrum extendunt: quāvis tamen diverſa ſit terræ ratio; ut in India orientali perſpicitur; ubi ventus aut orientalis aut occidentalis ſemper habetur; ceu experientia docet, & Belgarum hiſtoriæ Indicæ id loquuntur. Quare ad aeris puritatem reſpiciendum eſt maxime. Deinde, ne deſit aqua, fluviorum gratiſſima alluvies eſt, quæ quamplurima ſecum affert commoda. Si enim aqua ſit abundans, purior & perennis, non vero putrida & paluſtris, urbem non tantum purgat à ſordibus, & vapores nebuloſos minime inducit, ut corpora ita hominum minus ſubito corrumpantur aut conficiantur; ſed etiam negociationes adauget: tum quoque non poterit hoſtis urbem talem facile ad penuriam aquarum adigere, &c. Politice vero requiruntur tales conſiderationes, quæ partim qualitatem, partim quantitatem concernant. Qualitas maxime in eo latet, ut locus ſit civibus in egreſſu facilis, hoſtibus vero acceſſu & invaſu difficilis; nec non civibus tam tempore pacis quam belli, ac civilium actionum omnium maxime accommodatus. *Theoſ. lib. 2. de rep. cap. 1. Schomb. lib. 1. pol. cap. 14. Hippol. à Coll. lib. de increm. urb. cap. 2. 3. 4* Deinde obſervandus eſt locus in amplitudine ſua, ut à principio quoque capacitas circumſcriptionis non nimis ſit diffuſa, tamen ita diſpoſita, ut in neceſſitate poſſit extendi aut amplificari. Ideoque non nimis vicina mari erit, aut vaſto flumini, ne inundationibus facile ſit obnoxia, aut etiam nimia colluvies hominum eam obruat. Inprimis vero locus eligendus eſt fertilis, ut alimenta ſuppetant civibus, potentioresque effecti inde, violentiæ externæ rectius ſe opponere valeant, &c.

Huc referri plura quidem deberent, de moribus civium; ut ad communem amorem, concordiam, pacificationem & manſuetudinem eſſent revocandi. ſed de his alibi. Item de ædificiis, tam privatis quam publicis, quæ vel ad uſum religionis, commerciorum, defenſionis, aquæductus, vel iucunditatis & exornationis ſpectarent. *Verum de ſtructura talis urbium inſignem ſcripſit tractatum Hippol. à Coll. Et tit. 11. & 12. C. lib. 8. de iis agunt, & Schenbor. d. cap. 14. qui poſſunt heic conſuli.*

Quæ autem iura & privilegia urbibus accommodentur, de iis variæ ſunt quæſtiones; nec eſt iam noſtri inſtituti quidquam de talibus movere. Solummodo hoc non prætereundum, quid civitatis heic nomine veniat; quum ſæpius urbs, oppidum, civitasque, hodie communi hoc vocabulo confundantur. Cui annectendum, quid metropolis, municipium, colonia & ſuburbium, proprie vocentur.

Quum nomen civis, qui recte *à Theoſan. lib. de rep. cap. 3. num. 19.* ſocius politiæ & morum & legum dicitur, tam late accipiatur, ut omnes illi dicantur cives, qui non ſub ruſticorum aut ſervorum gente comprehenduntur: factum eſt inde, ut etiam civitatis nomine tam oppida & municipia, quam urbes, vulgariter donatæ ſint, ut ita communis ſit iis applicatio. Quamvis etiam in genere Vlpianus *l. in orbe. ff. de ſtat. hom.* cives Romanos omnes vocet, qui in orbe Romano ſunt; idque Div. Antoninus conſtituerit, (*Alciat. lib. 2. diſpunctionum, cap. 21.*) ut civis dicatur inde, quod in unum cœtum coeat & ſub legibus vivat politicis; *ut Cicero idem aſſerit*: tamen civium appellatione continentur maxime ii, qui utuntur iisdem privilegiis, & ſimilibus civitatis actibus, ac ad civiliorem morum converſationem vivunt, etiam ſuburbiorum incolæ. *l. 2. ff. de V. S. & Alex. Imol. rubr. ff. de ſol. matr.* Exinde membra civitatis, cives dicuntur. Qui variis modis dividuntur quidem, ut aut nativitas, *l. 1. §. 2. ff. ad municip. & l. 38. §. 3. d. tit.* manumiſſio, *l. 7. d. tit.* adoptio, *l. 15. §. d. t.* aut adlectio, *l. 7. C. de incol.* cives reddat: Sed tamen optimo modo cives ita dividuntur, quo vel plene &

proprie cives, vel ex parte, quadamtenus & impropriè dicuntur: *uti id rectè annotavit Matth. Steph. in discurs. acad. part. 1. cap. 6. n. 13. ubi ita ait:* Plenus civis iterum est vel originarius vel assumptus. Originarius est, qui iure nativitatis suæ civis est; qui ideo necessarius civis dicitur & naturalis. Assumptus civis est, qui non plenum & integrum ius civitatis habet; sed uno aliquo pleni civis iure, non autem omnibus, in civitate uti potest. qualis est incola. *l.* 20. *ff. ad municip.* qui in aliqua regione domicilium suum constituit *l.* 239. *ff de V. S.* Is enim tantum emit, vendit, contrahit, foro utitur. *l.* 17. §. 1. *d. tit.* Ita quoque apud Romanos (*ait Tholos. lib. 1. de rep. cap. 3. num.* 21.) cives erant illi, qui domicilium, tribum, & honorum potestatem essent adepti. Non ita, qui tantum domicilio, tribu, aut potestate solum bonorum, civitatis ius habebant. Domicilium enim etiam inquilini, & tribum libertini obtinuerunt; sed non honores. Qui autem è municipiis fuerunt, quanquam tribum atque bonorum petitionem essent adepti; tamen, quia domicilio caruerunt, non ingenui, seu pleni cives Romani, sed municipes dicti sunt. Quod si cum rebus suis migrassent Romani, pleni & perfecti cives afficiebantur. Hinc pleni & partialis civis distinctio adhuc, *ut rectè affirmat itidem Matth. Steph. d. l.* in quibusdam locis comprobatur, ut plenum ius civitatis **das grosse Burgerrecht**; partiale, **das kleine Burgerrecht**/ vocetur. Civis itaque partialis extraneus, est vel honorarius, vel confœderatus, vel forensis.

Civis honorarius est, cui civitatis ius, honoris ergo tributum est: qui tamen ideo non tenetur ullo imperio civitatis illius cuius est civis honorarius. Ita Regi Galliæ Helvetii ius civitatis dederunt. & Imperator Romanorum, ceu summum caput & perpetuus consul reipubl. & urbis Romæ, etiam hodie in superioritatis signum cives Romanos creat, pro arbitrio & libitu, quos dignos putat. velut quoque Dux Senatusque Venetianus longe dissitis civitatis suæ iura donant; quam non minoris dignitatis loco, ac Romani olim, habent.

Civis vero confœderatus est, qui ius civitatis ex fœdere in quibusdam consecutus est. Sic mutuum fœdus inter Genevenses & Bernates obtinet, ut, qui ex fœderatis socius suam deserēs civitatem sociorum civitatem adire volet, ipso momento civis ac subditus fiat sociæ civitatis, sine cooptatione & rescripto singulari. *Bod. lib. 1. de rep. cap. 6. num.* 69. Cuius rei in fœdere quoque Hanseatico videmus imitationem, ut is ad simile commercii ius admittatur & habilis putetur, qui in huius fœderis consorti civitate sit natus; alii vero non perinde facile ad principale negotium admittantur, priusquam durissimi lusus mores in Contoris expleverint; ut postea explicabitur.

Forenses vero cives de utroque, inquilino videlicet & extraneo, participant. Forensis vero inquilinus est advena, qui aliunde adveniēs, habitationem in civitate constituit: discessurus tamen, & foro, nundinis & commerciorum iure frui potest, secundum mores & leges civitatis. Forensis extraneus est hospes adveniens, iure hospitii utens pro mercede iusta, quiescendi & reficiendi sui causſa in alienæ reipubl. caupona, taberna vel hospitio publico, vel privata, pro pretio, vel ex tessera hospitalitatis. *Alth. pol. cap. 5. num.* 18.

Exinde igitur facile colligi potest, unde sit, quod civitatis nomine communi ita urbes, oppida, municipiaque, & suburbia, hodie appellentur, licet eius significatio longe extendatur latius, ut admodum in tam multis notationib. sit ambigua. Etenim si rectè examinetur, vocabulum hoc dupliciter accipitur; *ἀκύρως*, vel *κυρίως*. *Ἀκύρως*, vicissim dupliciter; nimis late, vel nimis anguste.

Nimis late; ut non tantum ad civiles conversationes hominum eorumque iura, sed etiam ad cœleste regnum extendatur. unde etiam fideles omnes cives regni dicuntur à S. Scriptura, & concives sanctorum in cœlestibus. *Eph.* 2. 19. *Phil.* 3. 20. Atque civitas cœlestis à Deo fundata prædicatur; *Hebr.* 11. 10. 16. & 12. 22. & 13. 14. *Apoc.* 3. 12. & 21. 2. & 2. *Cor.* 5. 6. Qua ratione quoque civitas adpellari sæpe solet ecclesia, hoc est, cœtus, vel congregatio, non qualiscunque, sed conciliata in unam societatem communionemque fidei. unde D. Paulus, *ad Corinthios*, Ecclesiæ Dei, inquit, quæ est Corinthi, &c. In externa vero conversatione, pro omni multitudine indigesta; quæ rationem rudis materiæ & respectum habet ad ordinem aliquem, quo redigatur in melius. *ut videre est apud Laurent. Val. concl. lib. 3. pol.*

Nimis anguste & abusive accipitur iterum novem modis. 1. Pro republ. civitatem usurpant Scholastici. 2. Pro populo *sumit Cic. in som. Scip.* quod sit concilium cœtusque hominum. 3. Alii urbem & ædificia civitati dedita opera abstrahunt. *quod Relector de sententia Stagiritæ ita affirmat, lib. 1. cap. 5. sect. 5. num.* 1. 4. Alii sub eius notionem urbem & populum absque reip. forma contrahunt & concludunt. *ut Stagiritam 3. pol. cap. 2. & 6. feciſſe affirmat Relector; quod rempubl. dixerit esse animam & ordinem. sect. 5. cap. 5. n.* 2. 5. Civitatis appellatio alias accipitur pro iure civium ac libertate, qua cives utuntur. Unde dicebantur olim civitate Romana donati. *quorum exempla multa commemorat Cic. pro L. Cornel. Balbo. 6.* Item comprehenduntur horti. *arg. ff. de procur. l. præsens.* 7. Vocatur etiam civitas, quæ habet Episcopum, *ut 80. distinct. in illis & seqq.* 8. Civitas quoque potest appellari, quæ non habet episcopum. *Alciat. in cap. pernicioſam. de off. ind. ordin.* 9. Civitas etiam solet usurpari pro mœniis duntaxat & ædificiis, ut communis id fert hodie loquendi usus.

Κυρίως vero accipitur vocabulum civitatis apud politicos & historicos maxime pro ea societate civili, quæ in republica rite conformata constat iusta cohabitatione mortalium. Quod fit dupliciter, aut *ἡνικῶς*, aut *εἰδικῶς*. *Γενικῶς* à politicis accipitur pro multitudine hominum qui unitate in hoc sunt collecti, ut iure societatis optime & commodissime viverēt. *Can. ſi civitas. de ſent. excom. lib. 6. Zaſ. l. 2. ff. de orig. iur. Εἰδικῶς* vero, à communi usu, *cui ita Montecatinus in arg. ſchol. 10. text. 3. pol. rectè adſtipulatur*, accipitur ita, ut simul urbs, populus & respubl. proportione iusta in eius notionem concludantur & contrahantur. Vnde etiam vulgo sub civitatis nomine intelligimus urbanos, cives seu populum muris inclusum, qui civiliori vita se invicem colunt, & iusta conversatione obſervant. Atque sic signa civitatis talis tria dicuntur; area communis, *l. 1. §. 1. ff. quod cuiuſque univerſ. nom.* proprium sigillum, *c. ſignificat 48. de appel.* curia, tanquam locus publicus, in quo negotia tractantur. *c. certo loco. ubi Dd. de prob. Matth. Steph. diſ. acad.*

diſ. acad. lib. 1. diſc. 9. num. 10. Quod ſi civitas talis augenda ſit, magnus certe adhibendus eſt delectus. Nam admittere paſſim omnes, qui ad eam undique confluunt, populoſam quidem, non autem magnã civitatem facit. Quare Socrates non fruſtra lege cavit, ne parva eſſet civitas, nec magna, ſed una & ſufficiens: *ut refert Zaſius, l. 2. in princ. ff. de orig. iur.* Quamobrem Cicero *in orat. pro L. Flacco* eleganter adventitiam illam ocioſorum hominum multitudinem appellat fæcem civitatis; ut quæ nulli proſit, multos autem oneret, & paupertatem inducat.

Verum quum hæc civitatis notatio, quatenus ita accipitur *ἀφικτῶς*, non ſit huius loci; quum non tam continens quam contentum quid ponat: paulo poſtponenda erit. Interim in his variis ſignificatis civitatis iam acquieſcere cogimur. Nihilominus tamen hoc bene notetur, quod utrobique & prope in omnibus ſignificatis, vocabulum civitatis, (maxime ubi *κυρίως*,) ſive generice ſive proprie & ſpecifice accipiatur, nequaquam ita ſumi poſſit, uti omnibus curioſe Relector, tam in Politica ſua quam in Relectionibus intricatis, paſſim perſuadere cupit; Quod nimirum ea ſe materiæ loco habeat. Acriter enim propterea Keckermanno toties inſultat: quem etiam prorſus inſcite loqui dicit, & confundere civitatem cum republica, quod non inter ſubiectum & finem diſtinguere potuerit. *Rel. de rat. ord. in pr. num. 6. & cap. 5. ſect. 3. num. 2.* Ita civitatem ſubiecti, & remp. finis ac formæ loco habet. Nam (*ait pol. cap. 6.*) civitas eſt quaſi materia, in quam reſpubl. tanquam forma inducitur, &c. *in Rel. cap. 5. ſect. 3. num. 7.* In quo tamen longe craſſiorem errorem errat, quam Keckermannus aut alius quiſpiam qui errare potuit. Etenim civitas nullatenus eſt ſubiectum reipublicæ, ſed effectum eius præſtat, atque illud repræſentat quod ex republ. oritur. Nec enim prius civitas ulla vere dici poteſt quam ſit erecta reſpublica, & in multitudinẽ hominum ſive populum introducta. Vnde etiam craſſiſſimum committit lapſum, dum ipſe tot accuratas conficere & ex aliis auctoribus confirmare ſtudet civitatis definitiones, *quas Rel. cap. 5. ſect. 5. num. 30. producit*; nec tamen in ipſis definitionibus ſeipſum convinci videt. Inter alias *ex Sigon. lib. 1. de ant. iur. civil. Rom.* talem conficit; dicens: Civitas eſt ſocietas plurium vicinitatum perfecta, quæ habet omnia quibus opus eſt ad vitam beatam. Cui annectit & hanc, quod ſit multitudo eorum, qui iudiciorum & imperiorum ſunt participes, & vitæ uſibus neceſſariis inſtructi. Quæſo ubinam rectius effectum reipubl. exprimere potuiſſet, quam in talibus definitionibus? Aitenim, quod civitas ſit illud perfectum aut productum ex ſocietate plurium vicinitatum, quæ habeat, id eſt, poſſideat omnia, quibus opus ſit ad vitam beatam. Si habet igitur, quæſo unde habet? nimirum ex perfecto illo, quod reſpublica introducta in ſocietatem vicinitatum perfecit in iis, quibus ſit opus ad vitam beatam.

Nonne proinde ſatis clarum eſt, quod ſocietas vicinitatum ſit materia & ſubiectum, cui ea perfectio ſit ita addita aut introducta ut hinc effectus ille, quem civitas repræſentat, poſſit ea habere quibus opus ſit ad vitam beatam? Ita & in altera definitione iam adducta multitudinem ponit eorum, qui iam uſibus neceſſariis vitæ ſunt inſtructi. Si ſunt inſtructi, iam profecto patet effectus, quem procreavit ſic reſpublica; ut inde ſit orta talis, quæ dicatur civitas. Procreans enim non eſt procreatum, nec eſſe poteſt. Alias duo eſſent idem. Non igitur bonus ille Relector tam Keckermannum quam ſemetipſum refutavit. Sed de ulteriori civitatis notatione quid in ſua republica ſit, paulo poſt agemus.

Quare quum iam pateat, quanam acceptione urbs & civitas inter ſe differant, & quomodo inter ſe quoque conveniant; reſtat, ut de ſpeciebus & adiunctis urbis agamus. Urbs autem ſive civitas talis duplex eſt: metropolis, aut urbs communiter ſic dicta.

Metropolis dicitur quaſi mater urbium, duplicem ob cauſam. Primo, quod coloniæ ex hac in alia loca tanquam filiæ deducuntur. dicta à *μήτηρ* & *πόλις*. *Dan. lib. 4. pol. cap. 2. Pet. Greg. Toloſ. lib. 2. de rep. cap. 1. num. 9. & lib. 15. ſyntag. cap. 11. num. 4.* Veluti Vlpianus *l. 4. §. 4. ff. de offic. proconſ.* Epheſum metropolim appellat, & Modeſt. *l. 6. ff. de excuſ. tut.* Deinde, quod vel caput provinciæ alicuius referat. *uti ex l. 1. C. 11. de metropol. Berg. id apparet. uti* expreſſe dicunt Imperat. Theod. & Valent. quod metropolitanum nomen dignitatem referat, quæ virtuti civium adiiciatur, vel etiam ex commoditate alia ſumpta ſit. Sicuti Chriſt. Lehemannus *in chr. Spir. lib. 2. cap. 18.* annotat, quod multæ urbes dignitate metropolitana donatæ ſint propter aulas Imperatorum aut Regum; dicens: Quandoquidem etiam Regibus Germaniæ & Imperatoribus conſuetudo ea fuit, quod raro per anni integri ſpacium in certo loco vixerint; ſed quotannalia comitia iuxta morem antiquum permutare coacti ſunt, & nunc in Galliam mox in Germaniam tranſtulerint aulas; ſimiliter annuas feſtivitates in Epiſcopalibus Imperii urbibus celebrarent: inde ſingularia palatia erigi ſibi curarunt, in quibus degerent per id tempus; utpote Aquiſgrani, Coloniæ, Treviri, Moguntiæ, Wormatiæ, Spiræ, Argentorati, Auguſtæ Vindelicorum, Ratiſponæ, &c. Inter Imperii urbes Romani maxime prædicarunt & in authoritate habuerunt eas, in quibus ipſi Cæſares vixiſſent, aut ipſorum Duces aulas inſtituiſſent; velut in Italia Romam, Ravennam, Mediolanum; in Germania Moguntiam, Coloniam, Trevirim: atque tales vocarunt metropoles. Vnde etiam factum eſt, quod Epiſcopi in talibus civitatibus, propter præſentiam Cæſarum, aut gubernationem eorum Ducum illuſtrium, pro primariis Epiſcopis agniti & cæteris prælati ſint, &c. Sed de horum officio, alibi dicendi locus erit. Ita varias ob cauſſas eiuſmodi urbes dictæ metropoles. & nactę ſunt hanc dignitatem, vel ratione originis, quod ſuas haberent colonias; vel directionis, quod præeſſent reliquis; vel ratione defenſionis, quod propugnacula præſtarent aliis; vel honoris, quod eſſent præcipuæ, ex communique ſorte exemptæ. Talis metropolis in Iudæa erat Silo Samariæ, *Ioſ. 12. 5. Iud. 32. 1. 2. &c.* Hebron. Poſtea Ieruſalem. *Sigon. lib. 1. de rep. Iud. cap. ult.* Apud Romanos erat Roma; poſtea Conſtantinopolis. Apud Græcos Athenæ. *Zuinger. in theat. vol. 1. 8. l. 2.* Apud Germanos ſeptem fuerunt olim; Moguntia, Colonia, Treviris, Magdeburgum, Salisburgum, Brema, & Riga: quarum Epiſcopi quoque propter præeminentiam & inſpectionem illis attributam Archiepiſcopi dicuntur. atque inter hos iterum Magdeburgenſi Archiepiſcopo primatus & ſuprema inuidictio in o-

mnes Germaniæ Archiepiſcopos ab Otthone I. Imperat. commiſſa fuit. *Reuſn. in Germ. p.* 18. Sed hæc de metropoli. Urbs vero communiter dicitur ea, quam ſupra deſcripſimus, & dignitatis huius non eſt particeps.

Adiunctum autem urbis aut eſt contiguum, aut remotiori ſitu eam concernens, ſive diſcontinuatum. Contiguum, ſuburbium vocatur; quod quaſi ab urbe dependet: quum ab una quidem parte ſuo proprio ambitu circumſcribitur; ab altera vero, qua urbs finitur, non propriis pomeriis ſeparatur, ſed tutelæ murorum urbicorum ſe ſubmittit: unde & ſuburbium dicitur, quod patrocinio & defenſioni urbis innitatur. Germanice vocatur Vorſtatt / quaſi vor der Statt. Latinis quoque vici urbani dicuntur, & plerumque communibus civitatis iuribus utuntur. Hodie autem, quum damnoſa videantur ſi belli calamitas ingruat, commodo tempore aut muris valliſque ſimul includuntur, aut alia ratione removentur. ut; Exemplum eſt in Hamburgo, & Magdeburgo, &c.

Remota ſive diſſita, ſunt municipia, & coloniæ. Verum quum talium reſpectus & conſtitutio non tam in ſituatione loci quam potius iuribus conſiſtat; rectius civitatis loco reſervantur: licet etiam ex ſuperioribus ſatis colligatur, quænam earum conditio eſſe poſſit: velut etiam ipſum indicat nomen, quum municipium à *munere capiendo* dicatur. *Vide Gell. lib. 16 cap. 13. maxime autem Roſin. de antiq. Rom. lib. 10. cap. 22. 23. & 24.*

Tantum de receptaculo ſocietatis civilis orto minori; ſequitur nunc maius.

CAP. III.

De pagis, diſtrictibus, ſive territoriis, provinciis, regionibus, & regnis: quomodo inter ſe differant.

MAius ſocietatis civilis receptaculum eſt, quod ex pluribus vicis, pagis, & oppidis, urbibuſque compoſitum eſt, ut eas in ſe contineat. Sunt autem alia diffuſa, alia latiſſime extenſa, cum regalitate potentiæ, ſive pleno dominio.

Diffuſa ſunt, quæ quidem in amplitudinem aliquam excurrunt, ſed non cum tanta potentia, ut nationem certam abſolute complectantur. ut ſunt pagi, & diſtrictus, ſive territoria.

De pagis autem in ſtrictiori ſignificatione, quando ſumitur pro certa vicinitate hominum, qui circa fontis uſum in cohabitationem coiverunt, *ſupra cap.* 1. egimus; nunc de latiori & latiſſima acceptione nobis nonnihil quoque dicendum erit.

Licet Germani inter Europæ populos antiquiſſimi ſint; tamen in urbibus conſtituendis poſteriores fuerunt. *Knich. de iur. ſuper. territ. cap. 4. numer. 127.* quum in fortitudine abſque ſplendore ſemper per aliquot ſecula vixerint. At, ne regnum ipſorum eſſet abſque ordine & diſcretione certa, in pagis diſtributi vitam tranſigebant.

Erat autem pagus tractus ſive diſtrictus unius ditionis aut præfecturæ; vel regio quædam, adeoque populi alicuius pars. Germanis veteribus ein Göw. unde Göwgråf / hodie corrupte Gegråf / Præſes pagi vel regionis alicuius. Helvetiis ein Ort. Communiter ein Pflåge / ceu *plaga*: Revier / ceu *rivus*: Strich / ceu *diſtrictus*. Saxonibus Magdeburgenſibus ein Borde / locus planus & uber. Etymon nominis, *affirmante Henrico Bebelio in ſpicileg. cum quo facit Georg. Fabricius, commentario ad poetas Chriſtianos*, à fontibus: *ut ſupra indicatum eſt.* Vnde & accolæ *pagani* dicti. Eadem voce Auguſtino, Oroſio, & aliis patribus, appellati gentiles, quod apud fontes ſacra peragerent: Quemadmodum iidem noſtris Heyden / quod in ericetis ſacrificarent. Moris autem fuit tam Saxonibus quam reliquis Germanis, quoties loci alicuius ſitum exprimere volebant, deſcribere, in quo pago & ad quem fluvium is ſitus eſſet, & pagus in quo Comitatu. Sic in diplomate Henrici IV. pagus Angeri collocatur in Comitatu Ottonis Ducis. Erat enim tota etiam Saxonia in Comitatus diviſa; quorum Dynaſtæ, vel Regum Francicorum, vel poſt. Cæſarum Saxonicorum, aliorumque ipſis ſuccedentium Augg. nomine ius per pagos dicebant, *ipſi* in burgo aliquo, id eſt, oppido arcem impoſitam habente, reſidentes, in quo *mallum publicum*, id eſt, auditorium & tribunal eſſet. Non autem paris fuere magnitudinis hi pagi; ſed alii aliis porrectiores. Appellatio uſurpari deſiit circa annum Chriſti MC. quum pagi in Ducatus, Landgraviatus, & Burggraviatus migrarent, ac hæreditario iure poſſideri inciperent. Spangenbergius *in chron. Querfurt. cap. 2. fol. 10. lib. 2. & Erneſt. Brotuff. chron. Marſburg. lib. 1. cap. 4.* coniiciunt, iuxta computationes pagi Gyſelæ, ubi nunc Marſburgi extructum eſt, quod in lata ſignificatione XXIV. vici unum conſtituerint pagum minorem. Sed dein, *ait Knich. d. l. de iur. territ. cap. 4. num. 127.* conceſſit in latiſſimum ſignificatum, ut ſumeretur pro regione, tractu, ditione, territorio, agro, marca: Poſtmodum *Landsvogtiam* dixerunt Alemanni. *Lazius de migr. gent. lib. 8. fol. 357. lin. 48.* Hinc poſtea inter ipſos pagos talis fuit diſtinctio interiecta, ut alii minorum, alii maiorum gentium dicti fuerint; cum iſti fuerunt Alemanniæ, Belgii, Rhetiæ, Curienſis, Alſatiæ, Auſtriæ. *Laz. com. rsip. Rom. lib. 12. fol. 912.* Auſtria *in diplomate Otton. III.* nominatur pagus Boiariæ. *Avent. lib. 5.* Flandria dicitur pagus totalis; atque in ipſa Flandria pagus Felthem. *Duza annal. Holl. lib. 8. fol. 407.* ac Menapiſcus pagus *in capitularibus Caroli Magn.* pro Flandriæ comitatu ſumitur. *Scalig. de vetust. Gall. fol. 107. opuſc. var.* Sic totum Belgium frequentius inferioris pagi nomine indigetatum fuit, à ſitu, quod nulli ferme montes in eo ſint, & fluvii prono curſu in mare ferantur. *Thuan. lib. 40. fol. 889.* Sic pagus tota Hallia dicta fuit. *Aimon. lib. 4. c. 72.* Velut etiam Miſniæ pagorum trium, Niſeni, Dalamincii, & Glomaci, Ditmarus mentionem facit, *lib. 4. fol. 35. & lib. 5. fol. 56.* Sclavonia ampliſſima in duodeviginti pagos diſpertita fuit. *M. Adam. Brem. lib. 2. cap. 17.* quos recte enumerat Meib. *in tract. de pag. antiqua Sax. 7. & 8. fol.* Antiqua enim Saxonia, ut gentes plurimas continebat, ita maxime in pagos maiores & minores diſtributa fuit; ut idem Meib. recenſuit quamplurimos, quorum nomina pridem exoleta aut penitus corrupta ſunt, quum facies totius Germaniæ ab eo tempore toties immutata fuerit. Iul. Cæſar *lib. 1. de bell. Gall.* ſcribit, Helvetiam totam in quatuor pagos diviſam fuiſſe. In qua veſtigia quidem pagorum adhuc ſuperſunt minorum gentium. Vnde hodie tredecim

decim numerantur: 1. Tigurini. 2. Bernates. 3. Lucernates. 4. Vrani. 5. Suitenſes. 6. Vnderwaldi. 7. Tugiani. 8. Glareani. 9. Baſilienſes. 10. Solothurii. 11. Friburgii. 12. Schaffhuſani. 13. Apezellenſes. Qui arctiſſimo fœdere inter ſe conglutinati cohærent, & æquali iure utuntur; ut ita communem æqualiter adminiſtrent rempubl. *Sleid. lib. 3. comm. p. 65.* Similem prope formam hodie etiam in confœderato Belgio cernimus; ſed, pro moderna loquendi forma, *unitas* dicunt *provincias*. Ita ex mutatione rerum, ſtatus quoque ſumuntur vocabula, quæ pro temporis uſu & ratione rem exprimant. Velut idem in aliis ſynonymis obſervari datur, & iam in voce territorii ac diſtrictus explicandum eſt; ad quam nunc progredimur.

Poſtquam ditiones cum commiſſionibus in populos ex benignitate maxime Imperatorum tranſierunt in aliquem hæreditatis modum, ut, qui officiis & dignitatibus præfuiſſent, cum terræ eius parte, in qua dominium & iuris cognitionem ceu Comites exercuerant, in hæredes ſuos poſſent tranſmittere; inde quoque maioris auctoritatis vocabula, ut eo magis eſſent cum ſtatus mutatione in obſervantia apud ſubditos, ſibi ſumpſerunt & mutuari ſunt. Ditionis vox maxime latinitatem redolet, à *dito* deſcendens; ac ſignificat poteſtatem & imperium. *l. 2. §. capt. ff. de orig. iur.* Huic cognatum eſt nomen diſtrictus, à *diſtringendo*. quod in feudiſticis libris pro *coercco* ſæpe ſumitur; *ut in cap. Carol. Magn.* Interdum quoque pro territorio uſurpatur. *Ant. Florent. biſt. part. 3. tit. 20. cap. 8. §. 13.* velut *diſtricte* idem eſt ac *præciſe*. Et omnino ſe res ita habet. *l. 7. §. 5 ff. de minor. & l. 13. ff. de procur.* Unde diſtrictus, ſeu diſtrictio, ita à ICtis definitur, quod ſit coercendi poteſtas, ſive iuriſdictio, quæ magiſtratui cum imperio mixto intra certæ regionis ac territorii fines conceditur. Sic iuris poteſtas cum regionis aut certa terræ parte in diſtrictu connectitur. Quamvis Saxones voce *Strich* tractum quendam terræ loco certo adſignarunt, qui ea locutione determinatus fuit, *ut ſupra dictum eſt*. Vult quidem Knich. *in comment. ſuo de iu. Saxon. non prov. ca. 4. num. 63.* quod iurisdictio, feudum, caſtrum, territorium, nihil inter ſe adfine habeant, quum diverſa ſint. tamen, *cum Cancell. & aliis, num. 66. ibidem*, ita concludit: Quantum inter ſe diſſideant vel conveniant, certam doctrinam dari non poſſe, idcirco communem uſum in provincia attendendum. *Hippol. de Marſ. tract. bann. verb. civit. num. 19. 107. & 152.* Sunt enim, *ait*, quatuor, puta: territorium, diſtrictus, provincia, comitatus: eiuſdem ſignificationis & mutui uſus. *Bertaz. conſ. 252. in add. litt. a. Crimin. Chop. de ll. Andium, lib. 1. cap. 42. num 6. &c.* Et quamvis videatur territorium aliquid amplius cenſeri, quam diœceſis, (iudices enim eccleſiaſtici exilium dictare nequeunt, quod territorio prorſus deſtituantur licet non diœceſi vel diſtrictu deſtituantur. *Clem. ne Romani. §. fine. de Elect. Chopp. de ll. And. cap. 39. nu. 5. ad fin.*) attamen illud procedit, *ait*: quando eccleſiaſtici non fruuntur duplici iure, eccleſiaſtico & civili, ſcilicet Præſulis & Principis. quo caſu diœceſin & territorium obtinent. *Berett. conſ. 3. num. 27.* Sic regio, ditio, provincia, curia, æquipollent, & accipiuntur pro territorio & diſtrictu, *Schrad. de feud. p. 10. ſect. 7. num. 21. cum ſeqq.* Quamvis de provinciis paulo aliter ſe res habeat, ut mox indicabimus. Territorii autem etymon triplici modo conficitur. Namque alii à terra, quam Varro ab eo dictam vult quod teratur, quaſi *tera* ſit; *uti in Augurum libris ſcriptum invenitur*. alii, *ut Siculus Flaccus*, à *terrendo*, quod ab agris occupatis terrerẽt hoſtes. alii, *ut Iſidorus*, territorium quaſi *tauriterium* vocatum aiunt, id eſt, tritum tauris. vel à bobus & aratro, quaſi *terribovium*; *opinante Catone in originibus, lib. 5.* quandoquidem olim poſſeſſionum territoria limitibus deſignabantur. *Luc. de penn. l. 53. num. 2. C. de decur. lib. 10.* Ubi vero non excoli potuit, ſicuti loca ſylveſtria, paludoſa, ſaxoſa, montoſa, & ſterilia, nullis neceſſe fuit limitum regulis obligari. Hinc in legali diſciplina (*ait Knich. de territ. orig. cap. 1. num. 198.*) ſumitur pro univerſitate agrorum. Nihilominus etiam huic annectit *ius terrendi*, quod magiſtratus inter ſuos fines hoc exercuerit. *l. pupill. 239. §. territorium. ff. de V. S.* Hinc Flaccus *de cond. agror.* inquit: Bellis geſtis populi victores terras omnes, ex quibus victos eiecerunt, publice atque univerſaliter territorium dixerunt, inter quos fines ius dicendi eſſet. *Camill. Borell. conſ. 86. num. 7. fol. 138. edit. Ven.* Itaque territorii vocabulo intelliguntur ii qui intuitu iuriſdictionis terreri poſſunt. *Berotius conſ. 22. num. 20. vol. 3. Cont. de feud. tit. de orig & lib. feud.* Ius illud terrendi, id eſt, poteſtatem dicendi ius, vel adminiſtrãdi iuriſdictionem, Romani per Magiſtratus ſuos expediebant: quod poſtea, conſtituta Monarchia, & translato Imperio, aliam quoque, cum mutatione dignitatum, pro more cuiuſque ſeculi figuram pedetentim induit. *ut docet Knich. d. l. Vide eund. in comm. de Sax. non prov. iur. cap. 4. num. 71. & ſeqq. quomodo tripliciter conſideretur. De territorio oppidorum & civitatum, item: iuditum, extat l. 3. §. non perpetua. ff. de ſepul. viol. l. 1. §. ſi quis. ff. de leg. 1. l. final. ff. de iuriſdict.* Non vero incommode hodie ad limitata territoria referuntur dynaſtiæ, baronatus, comitatus, & abbatiæ inferiores. *Chr. Matth. lib. 1 pol. p. 180.*

Nunc itidem vox *Provincia* cum eius deſcriptione examinanda nobis venit; quum plenius quid dicat, & merito ducatibus principatibuſque adſimiletur, ut hodie eius fere uſurpatio. Provinciæ igitur uſus & nomen maxime Romanis proprium fuit; quod ex ipſa vocis huius etymologia apparet. Namque inde, *inquit Feſtus*, appellantur provinciæ, quod populus Romanus eas, provicit, id eſt, antevicit. Alii quaſi *procul victas* volunt. *Knich. encyclop. cap. 1. num. 131.* Sed poſtea factum, ut non tantum eas regiones, quas debellarant penitus & ſubiugarant, provinciarum nomine ſalutarent; ſed etiam in quibus Imperator Romanus publico nomine bellum adminiſtrabat. Attamen non omnes regiones, civitates, & populos, cum quibus Romanis res fuit, eadem ſubiugationis duritie tractarunt; ſed prout ſe adverſus popul. Romanum geſſerant, ita pro ſuis quiſque meritis leges accepit: Ac, ne vincendo prodigerent ius ſuum, ſane non ſine maturo conſilio, certam cuique loco & regioni gratiæ aut pœnæ conſtituebant portionem. Etenim quum omnis beneficii ac honoris arbitrium eſſet penes Senatum, imperator aut adminiſtrator belli tenebatur, de ſuperatis hoſtibus, atque regione in poteſtatem adducta, omnia integre litteris explicare Senatui: tum hic ipſe de mulcta ac præmiis eorũ, qui victi erant, ſecum conſultabat, ac, quid ſibi placeret fieri,

ret fieri, Imperatorem admonebat, decem aut quinque legatis Senatoribus ad eum missis, ut ex eorum sententia de hostibus & eorum regione aut civitate statueret. Quibus mandatis acceptis, Imperator aut ex certa Senatus, si ita præscriptum fuerat, voluntate, aut de communi decem legatorum sententia, victis gentibus vel ignovit, aut in provinciæ formam redegit. Quibus culpa ignoscebatur gentibus, libertate donabantur, relicto iure constituendi magistratus iuxta propriam consuetudinem, iuxtaque leges autonomicas, attamen ut tributum certum exolverent. Tributum autem duplex fuit: unum pecuniæ ordinarium; quod in caput atque in solum impositum quotannis exigebatur: alterum extraordinariũ, quod aut ex lege, aut ex Senatus consulto, pro usu provinciæ aliquando impetabatur, &c. Cuiusmodi inventiones variæ erant; eæque aut apertæ, aut secretæ: qualis hodie supra modum argutas in Belgio reperias; quæ nemini aliter quam secretorum instar cognoscenda permittuntur. Immunes quidem & libertate donatæ tales dicebantur regiones, reges, aut civitates, nihilominus fœderis pacta inire cum victoribus cogebantur, atque prout fœderis leges æquiores aut iniquiores fuerunt, ita quoque diversa fœderum genera invexerunt. Cum Regibus tamen ut plurimum benignius transegerunt. Sic Attalus Asiam testamento legavit populo Romano, hac conditione, ut legibus suis uteretur, neque in provinciæ formam redigeretur. *Florus lib. 2. cap. 20.* Iudæa quoque hoc beneficio donata fuit, ut autonomiam religionis, quam flocci pendebant Romani, imo & pro stulta habebant superstitione, sibi reservarent; *ut ex actis Apost. apparet, cap. 18. 14. 15. & 25. 19. & 26. 24. Marcellin. lib. 14.* In provinciæ autem formam illa redigi dicebatur terra, cuius incolis Imperator omnes adimebat immunitatis leges, magistratui Romano, quotannis ab urbe mittendo, eos plenarie subiiciens, ac vectigalia conventusque constituens, interdum etiam alias imponens servitutes; qua ratione simul & iure magistratus sui spoliabantur. Qua de caussa in singulis provinciis diversæ diœceses, sive diversi conventus, atque diversa fora constituebantur, eisque suæ civitates attribuebantur, quæ eo, juris à magistratu Romano poscendi caussa, convenirent. Ex quo intelligi potest, universam provinciarum rationem fuisse, ut vectigalis esset atque magistratui Romano populoque obediret. Quæ penitus in servitutem redactæ erant regiones, aut civitates, stipendiariæ; quæ aliquid penderunt Romanis, immunes; quæ libertate donatæ, fœderatæ præcipue appellatæ sunt; sed sic ex fœdere quid debebant. Libertæ autem dicebantur, quæ nil omnino solverent. Sed tamen provincia nulla fuit, quæ non Romanum Prætorem ac Quæstorem habuerit: illum, qui ius diceret; hunc, qui vectigalia & pensiones procuraret. Nec non & ipsarum provinciarum duplex hinc divisio fuit. Nam stante republ. aliæ consulares, aliæ prætoriæ fuerunt. Imperio vero constituto, aliæ populi Romani, aliæ Cæsaris factæ unt. Provinciæ consulares erant, quæ ab iis, qui in urbe consulatum gesserant, consulari imperio obtinebantur, & proconsules dicebantur. idem etiam in prætorianis provinciis sic se habet. *Vide Rosin. de ant. Rom. lib. 7. cap. 42.* Et, quum officia provincialia maxime essent proficua, adeo ut cotidie novas commi-

nisceerentur munerum mutationes, legationes, missitationes, quas agnatis, consanguineis, affinitate propinquis, aliis identidem alias deputarent; factum hinc tandem est, ut ilsiusmodi provincialia munera vulgo ab acutioribus in proverbium traherentur, quod vis proficuum munus *provinciam* appellando. *quod facile colligere est ex Rof. d. l. cap. 42. Iale quid etiam invenies ubi de Comitatu adiutorum agit.* Hinc quasi tertia significatio *provinciæ* adiecta est, quæ ab administratione provinciæ desumitur, ita ut tale munus determinet, quod sit cum insigni lucro & dignitatis existimatione coniunctum. Velut etiam hodie exempla satis evidenter sunt ante oculos omnium, quæ nemo negare audebit. Etenim unde tot Provinciæ, Principatus, Ducatus, Electoratus, Superiores Abbatiæ, Episcopatus, Archiepiscopatus, emersissent, nisi tam pronus fuisset populi favor, & Imperatorum splendida munificentia, quæ cum provinciis summa iura possessoribus suis concessit?

Ex his iam satis patet provinciarum ratio. Superest, ut de regionibus sive regnis, & imperio, pauca agamus, tamquam de receptaculis latissime diffusis, & nulla limitatione dominii eo angustatis aut constrictis. Verum quum ex iam dictis satis pateat, quãtum distet provincia à regione; non opus erit pluribus id explicatum dare. Etenim regio provincias & districtus in se continet liberè, nulla cum limitatione restricta, supremum simul dominium sceptri suis terminis inclusum tenens; adeo ut incolæ capiti suo libera præstent membra à quo dependent: quod in provinciis aut territoriis non est absque respectu. Regnum enim, *ait Don Garf. Mastril. de Mag. lib. 4. cap. 15. num. 4. f. 42.* dicitur caput dignitatum; Ducatus vero, & limiles, appellantur illius membra. Quamobrem etiam Rex tam multum potest in regno suo, ac Imperator in Imperio; quum respectu suorum subditorum sit tanquam imperator & monarcha. *Idem lib. eod. cap. 1. num. 3. & 4.* Rex loco domini habetur, & regnum magis adsimilatur dominio, quam simplici regimini; *ut voluit Bald, consil. 271. num. 3. volum. 1. Marf. d. lib. 1. cap. 4. num. 6. & 7.* quum auctoritatem primæ originis in se contineat. Principio enim rerum, gentium & nationum penes reges imperium residebat, *ait Pet. Greg. Thol. lib. 6. cap. 8. num. 4.* quos populus ad fastigium huius maiestatis vexerat, unde iura regiminis distribuebant & communicabant suis. Maiestas enim nihil aliud est, quam potestas summa regendi rempublicam. *Barn. de fundand. stat. reip. cap. 1. & 2. Eynsiedl. de Regal. cap. 1. num. 26.* Quin ipsum *regere* nil aliud est, quam rem agere, scilicet populi, *ut affirmant ICti.* velut inde metaphorice fines dicuntur regi. Atque ex hoc satis manifeste, *regionis* nomen unde sit, eluceſcit, quod, priusquam provinciæ fierent regiones sub regibus essent, atque ab iis regerentur. Postea vero, è similitudine earum regionum, in quas orbis dividitur, maiores in urbe partes *regiones* appellari cœptum est. *Rosin. de ant. Rom. lib. 1. cap. 12.* Quam similitudinem quoque medici sequuntur, & ad imitationem macrocosmi, etiam microcosmum, hominis videlicet corpus, in suas distribuere solent regiones: quod non fit aliter, quã parabolice. Mirum igitur, quod Alth. *in dicaol. lib. 1. cap. 33. num. 3.* regionem & provinciam secundum propriam locutionem; provinciam item & quam[libet]

bet civitatem, habentem distinctum & separatum regimen & territorium, eadem esse voluerit; quum tamen in his & ipse tantam differentiam statuat, ut neque in origine, nec amplitudine modove regiminis, nec iuribus potestatis & dominii, cum provincia convenire asserat: *ut ex iam dictis patet.* Nec certe circulos Imperii Knich. *in comm. de Sax. non prov. iur.* provinciis adsimilat, *cap. 2. num. 2.* quum propter amplitudines & regalitates iis inhærentes, melius regionibus æquiparentur; quum Electores Imperii Regibus dignitate non cedant, *iuxta DD. consensum*; & ipse Kn. *ibid. cap. 3. num. 35. & 36.* Electorale fastigium augustius quam Prætectorum prætorio faciat. Quippe in ipsorum potestate est leges fundamentales imperatori proponere & conservare: unde multo magis in suis ditionibus constitutiones promulgare, contrarias mutare, abrogare, novas constituere; etiam iura communia tollere possunt. Knich. *de territ. orig. cap. 1. num. 397.* Non immerito igitur Circulos imperii regionibus adsimilamus. Ubi simul hoc bene notandum, quod inter regionem & ipsum regnum, multum intersit. Regio enim territoria, provincias, & districtus, localiter in amplitudine sua complectitur; Regnum vero effectum totius regiminis in constitutione sua declarat, velut civitatem reipubl. effectum suæ determinate superius diximus.

Restat nunc omnium latissimum receptaculum continens, quod merito universale territorium, sive communi nomine Imperium dicimus Romanum; quod omnes regiones, districtus, provincias in se continet, adeo, ut etiam eius termini non possint semper eodem modo circumscribi; sed, velut de universitate hoc vere pronunciant, quod semper maneat; ita quoque imperium semper permanet in terris externe. Knich. *in tract. de vest. pact. 1. cap. 2. num. 208. & 209.* In cuius rei signum Imperator globum gestat cum cruce aurea: *ut supra in introductione à nobis dictum est.*

CAP. IV.

De terminis, finibus, & limitibus cuiusque circumferentiæ & loci continentis; deque eorum iuribus & privilegiis.

DE spacio contento plagæ terrestris, quot nam regiminis modi heic introducantur, quibus & definiantur terminis, quibus item reipubl. figuris receptacula sua implicite illa præbeat, hactenus equidem egimus pro temporis ratione: verum quum nullus circuitus aut circulus absque peripheria detur, & expressione sui ambitus, necessum est, ut termini vel limites, sive potius fines eiusmodi, breviter heic etiam perspiciantur. Etenim sæpius inde tot lites, discordiæ, & concertationes emergunt, ut ingentia bella non raro concitent, & varias difficultates atque confusiones pariant. *Besold. pol. cap. 12. n. 76.* Dum igitur regiones & territoria varios suos terminos habent; cognoscendum est, quales nam esse possint. Sunt vero aut industriosa & hominum labore signa apposita; aut quæ natura interseruit, & quibus terram à terra ita discriminavit. Et heic eatenus Hieron. de Monte, *tract. de fin. regund. cap. 1.* intelligendus est; quando ait: Territoriorum divisiones de iure gentium introductæ sunt; quum genus humanum eas conservet, propter iurisdictionum divisiones in publicis, velut etiam in privatis, ad denotandam possessionis distinctionem, sunt inventæ. Ideoque terminus, limes, vel confinis, dicuntur signa demonstrantia finem *l. 2. in princ. ff. de term. mot.* Unde fines regi dicuntur, quando proprius ager quisque finibus terminatur; inde, quod ad terminos constituendos, vel fines dirigendos, inter eos, qui confines agros possident, datur iudicium finium regundorum, & de regundis finibus. *ut C. & ff. de fin. reg.* Quam ob causam olim collegia agrimensorum fuerunt instituta, qui fines regerent, & limites dirigendo dignoscerent; *ut liquet ex constitutione Theod. Valent. Impp. l. præcipimus. ff. de sepul. & Imp. Const. l. 3. C. de fin. reg.* qui mensores Vlpiano dicuntur. *l. si irruptione. ff. d. t. Rutg Rul. de comm lib. 6. cap. 3. n. 16. 17.* Mos est vetustissimus, tã in publicis quam privatis, ut eius origo ex Sacris pateat literis. Etenim *Gen. 28.* dicitur, Iacobum erexisse lapidem notationis suæ, & infudisse simul oleum. Ita *Iosu. 2. & 24.* Iehova mandat erigi duodecim lapides. *Prov. 22. 28.* ait Salomon; Ne moveto terminum antiquum, quem aptarunt maiores tui. Item, *Prov. 23. 10.* Ne moveas terminum antiquum, & agros pupillorum ne invadas: nam vindex eorum potens est. velut ipse Iehova id præcipit per Mosen, *Deut. 9. 14. & 27. 17.* Quem modum etiam antiqui Romani habuerunt, & adeo sancte observarunt, ut quoque ex Termino idolon sibi fecerint, quod in Capitolio suo coluerunt. *Ros. de ant. Rom. lib. 2. cap. 20.* Singularesque leges constituerunt, quas *agrarias* vocarunt; *ut idem Ros. lib. 8. cap. 9. eas recenset.* Qui mos etiam Græcis fuit, *ut ex Plat. lib. 8. de ll. cognoscere licet; qui non solum magnos lapides, sed etiam parvos in consideratione fuisse testatur. Plin. lib. 18. & Dion. Halicarn. lib. 2. de ant. Rom. & Serv. ad lib. 12. Virg. heic consuli possunt.* Hinc nomina terminis varia, pro cuiusque gentis consuetudine, indita sunt: maxime vero eos vocarunt lapides finales, ad dignoscendos agros. §. *fin. Inst. de off. Iud.* Paucos autem, territoriales terminos dixere. *Bost. li. 2. Geometr. prout eum citat Cuiac. 10. obs. 2. Coras. in l. ex hoc iure. ff. de iust. & iur.* Quandoque saxa, quæ terminales lapides vocantur, sunt pro limite, Landgrãnßstein.

Porro, & civitates vel castra, provinciæ aut regiones, varios terminos habent: videlicet aut mare, vel ripas fluminum intercurrentium, vias regales, montes, aut muros, stipites, speculas, valles, fossas, aggeres; Land-Wehren/ Landgräben/ *velut Hieron. de Mont. d. tract. de fin. reg. per 14. cap. ubertim de iis agit. & Rul. d. lib. 6. de com. cap. 1. vsque ad fin.*

Tum, qui termini interpositi fuerunt studio, il vel privatos vel publicos fines constituunt & discriminant: Velut omnium optime ex Germanica lingua patet. Etenim vulgo & generaliter, indifferenti locutione, præsertim etiam Saxonico iure, vocantur Mahlstein / quod à Germanico Mahl/ id est, signum, & Stein/ id est, lapis, compositum est. Sic dicuntur & Bannstein / quum Bann extremitatem denoter; velut *banniti* dicuntur ii, qui finibus excluduntur; *Gail. 1. de pa. publ. 1.* vel à vocabulo Bahn/ quod semitam significat, quasi lapides secernentes agros. Landrecht *art. 50. itẽ 59.* Sachsenspiegel *passim.*

VVehn. pract. obſ. lit. G. Alias ſi publicus territorii aut regionis terminus notetur, ſunt vocabula Gränz / Landgränze / Marck: unde Gränzſtein / Landſtein / Land-Wehr / Marckſtein: & terminatus, Marck-Scheydung: integri diſtrictus, Veldmarckung. *Petr. Heig. q. 2. num. 57. &c.* Eiuſmodi lapides publici & ſigna tanta cum cura poſiti ſunt, ut ſigna ex carbonibus, lateribus, ovis, &c. quaſi in rei teſtimonium, alia ipſis ſint adiecta; ceu Iacob oleum infudit iis lapidibus; *ut ſupra notatum eſt.* Hiſce conſimiles ſunt lapides aut pali, quibus diſcernuntur termini venationum, & iuris lignandi; vulgo Jagt & Forſtgränzen. Item lapides decimarum, Zehendengränzen; & termini præfecturarum, Amptgränzen. Et hæ ſpecies inter publicos referuntur terminos.

Privatorum autem lapides dicuntur Scheydſtein / limites, vel Gütterſtein; qui aliquando cruce, aut charactere aliquo, aliave nota, ſignantur. Sunt etiam lapides angulares, Ortſteine / qui principium & finem indicant; qui utrinque notas geſtant, & exprimunt indigetationem dominiorum. Quoties lis oritur, ſigna eiuſmodi accurate obſervantur. *Rul. com. part. 2. l. 6. c. 3. &c. Gilhauſ. p. 2. c. 6. art. 2. §. 10. vide Roſin. lib. 8. cap. 9. circa finem.* ubi quoque de pœnis agit cuiuſque qui contra illa deliquerit. Velut etiam egregie de hoc utroque agit Knich. *in tract. de iure ſuperioritatis, cap. 4. num. 265. & ſeqq.* qua ſolemnitate limites, ut auctoritatem publicam & fidem mererentur, ex auſpiciis Centgraviorum per deſignatos apud Germanos conſtituti fuerint. Unde illos olim apud Romanos ex ſacra rei determinatione, qui terminos moviſſent agrarios, licitum fuerat ex Numæ Pompilii ſanctionibus impune interimere. *Connan. lib. 1. cap. 12. num. 3.* Verum, talem rigorem legumlatores poſtea temperarunt, ut ratione amotionis, avulſionis, mutationiſve pœna condigna irrogaretur delinquenti. *l. 2. & paſſim. ff. de term. mot. Saiſon. de conſul. Turon. tit. 1. §. 1. gl. 3. Damh. cap. 127. pract. crim. Conſtit. Carolin. 114.* Ex variis ſtatutis varias pœnas deducit Bonifac. *de furt. §. 9. num. 79.* Noſtrate iure violatoribus terminorum conſtituta eſt pœna exilis xxx. ſolid. ſin autem ſcienter & doloſe delictum committatur, arbitraria mulcta obtinet. Gloſſ. vero *ſup. art. 28. lib. 2.* in violentum & temerarium terminorum amotorem capitis ſupplicio animadvertendum eſſe aſſerit. *Fachſ. diff. 65. &c.* Coler. autem *deciſ. 145. nu. 6.* arbitrariam pœnam ſtatuit. *vide Alth. in Dicaeolog. lib. 1. cap. 117. n. 35.*

De fluminibus autem publicis & mari idem dici & affirmari omnino nequit, quorum ratio plane diverſa eſt. Iehova quidem terram hominibus dedit incolendam, *Pſal. 115. 16.* Terminum vero ipſe circumdedit aquis, donec lux & dies tranſeant. *Iob. 26. 10.* Ita & ipſe Iehova loquitur, *Iob. 38. 8. & 10.* Ego obſtruxi mare portis, quum fluctuaret ex ventre matris ſuæ egrediens. Poſui autem ei terminos, circumponens clauſtra, & valvas. Velut etiam poſt diluvium omnibus ſimul hominibus commune rerum dominium & poſſeſſionem tradidit. Quare ſimul omnes gentes id, quaſi in conſcientia convicti, heic confiteri coguntur, quod rerum inanimatarum communium occupatio atque proprietatis vendicatio nulla ſit earum, quas natura communes eſſe voluit, quæque ex his natæ ſunt. Ac ut confeſſioni huic nihil ſubduceretur, ICti *in §. 1. Inſt. de rerum diviſ.* legi divinæ & naturæ ſubſcribere coguntur. Diſtinguunt quidem inter res ſingulorum, & res communes: at aerem, aquam profluentem, & mare, nulli appropriant. Audiatur anteſignanus omnium Ioh. Borch. *in com. ad Inſt. lib. 2. §. 1.* Paulus, ait, littora nullius eſſe tradit. *& l. 1. ff. de rer. diviſ.* Ibi Caius publicas res in nullius bonis affirmat. Inter communes autem res primum ponitur aer, quia ita dictus eſt, quod, quæ circa terram ſunt, ἀείρει, hoc eſt, elevat; vel quia ἀεὶ ῥεῖ, hoc eſt, ſemper fluit, &c. Aquam autem intelligimus profluentem; *hoc §. num. l. 2. ff. de rer. div.* quia aqua non profluens communis non eſt. Ac recte Theophilus τὸ ὕδωρ τὸ κίνητον vertit. Et debent hæc duo, *aqua profluens*, coniunctim legi, non ſeparatim, ut quidam male tradiderunt. Ac differt aqua profluens à flumine in hoc, quod aqua profluens commune nomen eſt, flumen publicum. Uſus vero utriuſque communis. Et in eo communia & publica conveniunt. Ac quidem uſus aquæ profluentis communis eſt, quatenus eam ſumere & uti eadem; fluminis, quatenus in eo piſcari, & per ipſum navigare, cuique liberum eſt. *Iacob. Cuiac. heic.* Tertio inter res communes Imperator numerat mare, & ideo nemo in mari piſcari aut navigare prohibetur, & adverſus prohibentem competit actio iniuriarum. *l. 2. §. ſi quis in mari. ff. ne quid in loco publ. l. iniuriarum, §. ult. ff. de iniur.* Denique littora quoque communia ſunt, *d. l. 2 ff. de rer. div. &c.* quia acceſſorium ſunt maris, & acceſſorium ſequitur naturam principalis. *l. 2. ff. de pecul. legat. c. acceſſorium. de R. I. in 6.* Ad littus igitur maris accedere quivis poteſt, non piſcandi tantum gratia, ſed etiam ædificandi & occupandi cauſſa. *l. quod in littore. ff. de acq. rer. dom. l. an littore. ff. ne quid in loc. publ.* Et quod in littore quis ædificat, ipſius efficitur. *d. l. quod in litt. & l. quamvis. ff. eod.* in tantum, ut & ſoli dominus conſtituatur, qui ibi ædificat; ſed quamdiu ædificium manet; ædificio collapſo, quaſi iure poſtliminii, revertitur locus in priſtinam cauſſam, &, ſi alius in eôdem loco ædificaverit, eius fiet. *l. in tantum. ff. de rer. div. & d. l. quod in litt. ff. de acquir. dom.* Quare videant illi qui contrarium heic ſentiunt, quomodo ſe in falſa opinione defendere queant. De fluminibus publicis, *ait Beſol. in pol. cap. 12. nu. 78.* ſi limites (hoc eſt, ſi inter duas iuriſdictiones ſeu in confinio duorum territoriorũ) ſint, id eſt obſervandum, ut in dubio præſumantur eſſe communia, & proinde iuriſdictionem cuilibet territorio competere in ipſo flumine, uſque ad medium. *argum. l. 19. ff. com. divid. l. fin. ff. pro ſocio. l. arbor. ff. de rer. div. Bart. in tract. de fluminib. verſ. acquiritur. num. 8. Capoll. tract. de ſervit. ruſt. c. 13. num. 14.* Sicut etiam ad mare ſi provincia ſit, territorium dicitur haberi in mari. *Capoll. d. l. c. 26. num. 26. &c.* Præterea ſi flumen publicum duo dividat territoria, & id alveum mutet impetu aquarum, ob id territorii fines non mutantur. *arg. l. 18. §. 4. ff. de dam. infect. l. 1. §. illud. l. 3. §. 2. ff. de aqua cotid. cum ſimil.* Nec alluvionis ius in iuriſdictione vel territorio vindicat ſibi locum: hoc eſt, iure alvei derelicti, territorium haud augetur, &c. Verum etſi (*inquit Rub. lib. 2. de comm. cap. 9. nu. 1.*) piſcatio omnibus ſit communis; *§. flum. Inſt. de rer. div. l. nemo ff. eod. poſt Fabr. Purpur. p. 1. conſ. 140. n. 6.* & prohibẽs, iniuriarũ teneatur: *l. 2. §. ſi quis. ff. ne quid in loc. pub. & l. 13. §. ſi quis ff. de iniur. Moer. de venat. p. 1. c. 6. n. 2. & 12.* tamen ea ad regalia hodie referũtur. *l. unic. quæ ſint Regalia. Petr. à Petr. de poteſt.*

Princ.

Prinz. c. 7. num. 13. & de fideicommiss. q. 13. nu. 574. Knich. incom. Iur. Sax. fol. 135. in §. Wasserfischerey. *Moer. de venat. p. 13. c. 6. num. 6. &c.* Sederter quis studio, quantum volet; nihilominus auctor ille, sive Hug. Gr. sit, sive alius, qui ante annos aliquot insignem tractatum de mari libero, Lugduni ann. 1609. impressum, edidit, quam optime libertatem & communitatem maris defendit. inprimis, *cap. 5.* quum fuse satis & argutissime veram sententiam explicasset, paulo ante refutationem Lusitanorum ita concludit. Mare igitur proprium omnino alicuius fieri non potest; quia natura, commune esse hoc, non permittit, sed iubet: imo nec littus quidem; nisi quod hæc addenda est interpretatio, ut, si quid earum rerum per naturam occupari possit, id eatenus occupantis fiat quatenus ea occupatione usus ille promiscuus non lęditur. Quod merito receptum est. Nam quum ita se habeat, cessat utraque exceptio; per quam evenisse diximus, ne omnia in ius propriorum transcriberentur. Quoniam igitur ædificatio species est occupationis, in littore licet ædificare, si id fieri potest sine cæterorum incommodo; *ut Pomponius loquitur. &c. l. riparii. §. 1. ff. de rer. div. l. fluminum. ff. de dam. infect.* Ex quibus etiam satis patet, quid sentiendum sit de cõtroversia, quæ adeo inter Regem Daniæ & civitatem Hamburgi hodie de territorio in Albis flumine fervet; ubi potissimum ius sibi Hamburgenses adscribunt, propter vasa, quæ navigantibus semitam profunditatis monstrant, quæ vocant, die Backtonnen; unde iurisdictionem in mare usque extendere cupiunt, quousque sumptus iis impendere in commodum suum cogantur. Ita quoque patet, quid de terminis maris Orientalis ac Baltici sit statuendum; velut etiam de reliquis undiquaque partibus Oceani septentrionalis, meridionalis & occidentalis; simul de mari mediterraneo, & Indico. Decisiones quisque sibi colligat ex dicto libello de mari libero, qui certe non sine iudicio legendus est. *vide quoque Althus. Dioecol. lib. 1. ca. 36. num. 27.* Mirum, quod quis sibi velit ibi dominium constituere territoriale, ubi Deus ipse prohibuit terminos, imo & prorsus per naturam hominibus abnegavit terrestres constituere limites. *vide Betsium de pact. famil. Ill. pag. 648. & Clut. fyll. tb. 12. ut notatur error Alber. Gentil. lib. 1. Hisp. ad cap. 8. & de mari acquis.* Modestiores sane fuerunt Imperatores, qui dominium maris ad se non spectare fassi sunt, quamvis essent omnium gentium & terrarum vel universi mundi domini. *l. 9. ff. ad l. Rhodiam de iactu. Bets. pag. 648.*

CAP. V.

De collegiis, sodalitatibus vel sodalitiis, consortio, & ordinibus in republ.

SAtis hactenus de continenti & eius proprietate constitutiva egimus; sequitur iam, ut contentum simili ratione perscrutemur. Quod duplex est; minus, & maius. Minus, est respectu universitatis non adeo multorum hominum, qui ob certam consociationem inter sese mutuo consensu coiverunt. Eius diversæ propter differentes professiones & studia actionumque intentiones habentur species. Quamvis sint, qui omnes communi nomine Collegii insignire velint, & ita quoque populatis mos loquendi ferat; tamen, si rem ipsam intueamur, & obiectorum rationem penitius examinemus, nemo non confitebitur, discrepantiam satis immensam dari. Quum itaque se ita late extendat, ante omnia percipienda est nominis ratio. M. Varro *lib. 5. ling. Lat.* vult, quod à colligatione societatis, non ab eligendo sit dictum, *ut Alciato placuit*: Magna enim vis est mutuæ conglutinationis animorum, in morum, studiorum, & opificiorum similitudine, unde talis amicitiæ complexus recte colligatur. Quod, iuxta Plutarchi testimonium, Numa Pompilius, qui primus auctor huius inventi apud Romanos dicitur, recte observavit. Ut enim æmulationes & factiones inter diversæ nationis cives tolleret; quum se alii Romanos, alii Sabinos, hi Romulos, illi Tatios dicerent: hunc modum invenit, quo homines eiusdem studii cupidos, in societatis arctioris vinculum cogeret: suaque divisione hoc consecutus est, ut omnibus cum omnibus rectius conveniret, ac commercia intercederent. *Ros. de ant. Rom. lib. 8. c. 6. num. 41.* Sed quum res quæque abusu non careat suo, ideo factum est quoque ut huius vocis significatio non una manserit. Proinde dupliciter accipitur; pro collegiis licitis, & illicitis. Illæc sunt, quæ non iustis & legitimis coiere legibus, sed contra quæ lex Licia olim lata fuit. *ut ait Duar. in com. de coll. & corpor.* Illa vero, quæ mandatis, Constitutionibus, & SCtis, permittuntur. *Duar. ibid.* Licitum porro Collegium aut proprie aut improprie ita vocatur. Proprie vero sic dictum, vel in genere sumitur, vel in specie. In genere, quando in schola ICtorum Collegæ dicuntur 1. magistratus, qui eiusdem sunt potestatis; *l. 173. ff. de V. S.* ab eo quod una lecti sint. 11. Contutores Concuratoresve collegæ dicuntur. *l. 14. l. 46. §. cum testam. ff. de adm. tut.* 111. Collegæ dicuntur, qui eadem legatione funguntur. *l. 2. ff. de legat. lib. 10.* 1v. Quin imo cohæredes collegæ dicuntur. *l. 101. ff. de solution.* In specie vero Collegium significat legitimam trium pluriumve personarum eiusdem conditionis, professionis & ordinis consociationem. Quæ significatio huius loci est propria. *l. 4. ff. de colleg. & corp.* Eaque iterum duplex est: aut liberalibus studiis, aut aliis negotiis accommodata. Improprie vero accipitur, quando ita late extenditur, ut consortibus quibusvis etiam in imparitate studiorum applicetur. Velut inde eorum error patet, qui etiam ipsis universitatum speciebus Collegii notionem superinducere solent. Et quamvis collegium, quod sæpius multis consociationibus inæqualibus accommodetur improprie, exinde variis synonymis exprimitur, ut dicatur societas καὶ ἐξοχὴν, cœtus, sodalitas, synagoga, synodus, concilium, consortium, commilitium, fraternitas aut fratria, *ut ait Duarenus*, amicitiæ vinculum, ἑταιρία, coitio amicorum; &c. tamen nunquam cognationes, familias, ordines, aut civitates ipsas, & ecclesias, parœcias, &c. complectitur: sicut errant ii, qui confundere contentum cum iuris ordine ex ignorantia non verentur. Ut vero eo rectius cuiusque rei proprietas etiam ex impositione nominis appareat, ordine quam potest fieri brevissimo id expediemus. Collegium itaq; proprie acceptum Duarenus vocat societatem hominum, ita contractam, ut ex pluribus

personis

perſonis quaſi una perſona & unum corpus fiat. *in Com. de hæred. inſtituend. c. 2. p. 335. & in tit. 22. de coll. & corpor.* Sed rectius ita definitur, ut ſupra indicatum, quod ſit legitima trium aut plurium eiuſdem profeſſionis & ordinis conſociatio, publica auctoritate magiſtratus permiſſa approbatave, ad commune quid habendum. *l. 1. §. 1. ff. quod cuiuſque univ. l. 1. C. de ſacroſ. eccleſ. l. 173. & l. 193. §. 4. ff. de V. S. Bod. lib. 1. de rep. c. 7.* Quum in politia communi uſu ita receptum ſit, ut & ordines & collegia in ea dentur; non tam hoc ex abſoluta neceſſitate factum eſt, quam ut magiſtratus eo faciliori modo rempub. in tranquillitate conſervare poſſit. Quum enim iſte nequeat omnia obſervare & diſponere ſemper ad nutum pro commodo reipublicæ, præſertim ſi ſingula artificia, negotiationes, commerciorum rationes, tum liberalia & mechanica, ſpectaverimus: commoditatis cauſa merito collegia talia inſtituuntur. At ne in abuſum quidlibet abripiatur, id ſedulo cavebunt legibus, ut cenſuram & præſidium ſibi reſervent, & auctoritas omnis à ſuperioris conceſſione dependeat. Quot autem perſonis unumquodque collegium ad minimũ conſtare debeat, id pridem iuxta commune ICtorum axioma deciſum eſt, quod tres quidem collegium faciant, *l. 85. ff. de V. S.* at unus ius collegii tueri poſſit, *l. 7. §. 2. ff. quod cuiuſque univerſ.* Nam plures non ſunt pauciores quam duo. *l. ubi numerus. ff. de teſtib.* & multi, non ſunt pauciores quam tres. *l. 1. §. hoc. ff. ad SCtum Syllan. Bart. in l. 4. num. 1. ff. vi bon. rapt.* Potiſſima autem facultas & energia conſiſtit in forma collegiorum, quam legitima communicatio ſuggerit. Etenim abſque tali legitima communicatione, & mutua auxiliorum officiorumque obligatione, omne collegium invalidum eſt; quum neceſſum ſit, ut collegis omnibus inter ſeſe quid ſit commune, quod propoſitum vitæ ſecundum pacta conventa iuvet. Quæ ratio communionis facit, ut omnes collegæ, iuris collegialis participes, non ut ſinguli, ſed velut unum corpus conſiderentur. Communicatio igitur, ut ex iam dictis & illaris apparet, eſt quadruplex. 1. legum ſive pactorum, 2. animorum fraternorum, 3. operarum ſive officiorum; & 4. bonorum. Communio legum aut pactorum inter collegas cenſetur, qua collegæ legibus & iure inter ſe devinciuntur eodem, & in corpore collegii vivunt, regunturque, obliganturque ita, ut, qui obedire rite nolit, iuxta pacta puniatur. Deinde, communio animorum, eſt reciprocæ inter collegas ſeu mutuæ benevolentiæ cum ſingulari concordiæ affectu coniunctio, qua idem nolunt, & idem volunt, ad communem collegii utilitatem, ſine diſſidio. *Rom. 12. 16.* Nil enim magis probandum eſt in collegiis, quam concordia & cõverſatio amica, in fide & honeſtate fundata. atque ut eo rectius talis conſervetur, neceſſe eſt, ut communi conſenſu ſæpius de communibus rebus inſtituant deliberationes, in quo maxime benevolentia mutua conſiſtit. Nam, ſeparatim ſi deliberationes inſtituantur, invidia & ſuſpicio æmulationes continuo gignent, unde factiones ſimul ſuborientur, atque hæ quum in perfidiam & turbamenta tandem erumpant, exitus infelix omnia diſſolvet. Communio vero operarum aut officiorum conſiſtit in æqualitate promovendi collegiorum commoda, & eorum incommoda avertendi, iuxta mutuum collegarum conſenſum ſive conventionem. Ratione qualitatis quidem omnia collegii membra ſunt eiuſdem conditionis: ſed tamen ratione poteſtatis aut ordinis neceſſum eſt, ut dentur ſuperiores & inferiores, ut inter ſeniores aut ſuperiores unus habeat primatum, & poteſtatem quandam poteſtatis aut iuriſdictionis, ut convocatio pro negotii neceſſitate fieri, & iuris modus in omnibus obſervari queat, alias mera confuſio fieret, nihilque rite expediri aut examinari poſſet. Noſtrates hodie præſides aut magiſtros tribuum vocant, Zunfftmeiſter/ Grootemeiſter/ &c. Communio denique bonorum, in poſſeſſione & fruitione eorum conſiſtit, quæ à ſingulis collegii membris contributa aut alias acquiſita fuerunt. Etenim omne collegium ut requirit pacta, aut præcepta, quæ in certas tabulas aut libros conſcribantur, quos vocant Zunfft-Bücher/ ita etiam res pro ſuſtentatione corporis, arcam & actorem ſive ſyndicum expetit. Poſſunt enim collegiati tales ſtatuta condere circa rerum ſuarum adminiſtrationem, nec non quoad artem & profeſſionem ſuam, (*Capell. Tholoſ. q. 406. ibi Auſrer. num. 3. Laur. Sylvan. conſ. 1. num. 73. Scharf. conſil. 79. num. 10.*) quatenus ius ſuperioris non tangunt, (*l. 51. C. de iuriſd. om. iud. Novell. 4. in fin.*) nec indigent eius confirmatione, *ut ait Knich. de territ. orig. c. 1. num. 169.* quia ius commune indulgens iuriſdictionem illam ſuppeditat. *Berous conſ. 7. num. 10. cum ſeqq. Item conſil. 158. num. 1. 2. &c. vol. 3.* Tum etiam finis talium collegiorum eſt, aut eſſe debet, rerumpubl. commodior conſervatio. Unde recte loquitur Bodin. *lib. 3. de rep.* quod nihil ad popularia imperia tuenda ac retinenda potentius ſit, aut melius excogitari potuerit unquam, quam collegia eiuſmodi. Siquidem maximæ collegiorum & corporum ſunt utilitates in tributorum collectionibus, in pecunia cogenda, in exercitu conſcribendo, inque reliquis reipubl. neceſſariis & cotidianis negociis conficiendis. Nam quæ nulla ratione poſſunt à ſingulis, omnium optime ab univerſis conficiuntur, in fratriis aut tribubus, &c. Collegia autem firma maxime ſunt, quæ auctoritate Magiſtratus inſtituuntur. Unde etiam ICti dicunt, ad probationem collegii, ſi quæſtio ſtatus illis moveatur, requiri litteras fundationis, & privilegia à ſuperioribus data. *c. porro extr. de privileg. vid. Matth. Steph. d. c. 6. num. 79. & ſeqq.* Collegia vero antiquitus fuiſſe apud alias gentes, ſacra Script. indicat aliquoties. *Gen. 37. 25. Num. 4. 34. Matth. 9. 18. Marc. 5. 22. Luc. 8. 41. Act. 18. 8. &c.* Velut etiam conſtat ex iis locis, quod ſuos habuerint præſides aut præfectos, aſſeſſores, ſeniores, &c. & apud Romanos fuerunt primicerii, ſecundicerii, &c. *vid. tit. Cod. de primicer. & ſecund. &c.* Collegia autem ſunt duplicia: aut officialia, aut communia. Officialia dicuntur, quæ unius ſunt officii. ut in magiſtratu ſunt conſulum, & ſenatorum, ac camerariorum, &c. Communia iterum ſunt aut liberalia, litteratorum, aut commerciis addictorum. Liberalibus ſtudiis appropriata ſive litteratorum varia ſunt, ut Theologorum, Philoſophorum, ICtorum, Medicorum, quæ tamen in Academiis & facultates dicuntur. *de quibus cognoſce Lanſ. de Acad. & Beſold. pol. cap. 12. §. 3. numer. 31.* Quæ porro heic monenda forent, ſuo rectius reſervantur loco. Negotiantium collegia itidem varia ſunt, pro diverſitate materiæ. & quum illorum collegia omnium veruſtiſſima ex Sancto Spirito poſſint probari, *Gen.*

37. 25.

37. 25. merito huic numero adſociantur. Reliquæ autem conſociationes, quæ circa mechanica verſantur, quum ſervilioris ſint naturæ, & raro ſine comeſſationibus aut compotationibns, rectius ſodalitates aut ſodalitia vocantur. Feſtus enim ſodales dictos affirmat, quod una ſederent & eſſent: vel quod ex dapibus veſci ſoliti ſint: vel à ſuadendi particula *ſodes*, eſt *ſi audes*, quod inter ſe invicem ſuaderent quid utile & proficuum eſſet, ſuis commodis ſibique confidenter deſtinati, &c. Et ſunt hodie talia ſodalitia aut fratriæ, piſtorum, ſartorum, coctorum cereviſiarum, fabrorum, architectorum, agricolarum, mercenariorum, ſutorum, laniorum, naviculariorũ, &c. Magdeburgi ſunt XVI. tribus, quos *Innungen* vocant, ex quibus magiſtratus componitur; quorum novem poteſtatem eligendi conſules populi habent. Romæ olim quoque fuit Titiorum ſodalitium, & Auguſtalium. *de quibus vide Roſ. de antiq. Rom. l. 3. c. 14.* Conſortium autem vel conſortio, *ut l. 96. §. 3. ff. de ſolut. habet*, ceu ipſa derivatio vocabuli deſignat, ſimilitudinem obtinet collegii quidem; ſed quum ſorti magis ſubmittatur quam certo & prædeliberato conſilio, nec ex iis requiſitis conſtet quæ iuſtum collegium fovet aut poſtulat, coniunctionem eam denotat, quam aut neceſſitas aut ſingularis intentio temporis ita iuxta propoſitum conglutinavit. Veluti ICti conſortes litis dicunt, qui in una actione cohærent. Conſortes & ſocii glorioſi laboris, periculi, lucri, &c. vocantur, qui eidem ſtudio incumbunt. Eodem modo commilitium, (*l. 19. ff. de caſtr. pecul.*) eſt commercium & facultas ipſa, ceu ius quo una militant; *iuxta Alciat. lib. 4. diſpunct. c. 17.* quum denotet ſocietatem militiæ quam inter ſe milites habent.

Sed hæc de collegiis licitis ſufficiant. Sequitur nunc eorum oppoſitum, quod aut reipubl. incommoda creat, & in collegiis illicitis conſiſtit; aut licita corrumpit & ſubvertit. Collegium igitur illicitum, eſt improba coitio, ſeu paraſynaxis & conventus plurium, ſine conſenſu magiſtratus ſuſceptus, ad damnum vel iniuriam alterius inſtitutus. *l. 85 §. 1. 173. ff. de V. S. l. 1. l. 3. §. ff. de colleg. Farinac. de crim. læſ. mai. q. 113. n. 237. & ſeqq. Alth. Dicaol. lib. 1. c. 133. num. 26.* Equidem ex perperam inſtituris talibus collegiis, ac ſodalitiis, graviſſimæ in remp. ſæpius irrepſere peſtes & ſubverſiones: ſed tamen accurate heic diſtinguendum eſt, ne id pro illicito habeatur, quod libertati Chriſtianæ non contradicat; velut experientia in Apoſtolis clara eſt, qui occluſis foribus ex metu conventum habuere. *Ioh. 20. 19. Luc. 24. 33. Act. 1. &c.* Ita etiam hodie piorum converſationem impii maxime perſequuntur, conventicula illicita vocitando, quæ boni tamen in gloriam Dei dirigunt. Proinde Maſcardus, *concl. 40. & 1129.* Farin. quoque, *d. l.* recte monent, & volunt, quod contra vim & iniuriam, ad defenſionem vel alium finem legitimum, collegium tale conceſſum ſit. Prohibita autem collegia ſunt compotationum, libidinum, comeſſationum, factionis, monopolii, aleæ, aut delicti alicuius perpetrandi, quæ eſt conſpiratio. *Decian. lib. 7. c. 20. tit. C. de monop. Petr. Gr. Thol. lib. 13. de rep. cap. 2. 3. l. 15. C. de Epiſc. & cler. Nũ. c. 16. Act. 17. 5. & 23. 14. Matth. 2. 3. paſſim de Phariſ.* Videant igitur Schonb. *lib. 1. pol. c. 11.* & Beſold. *pol. c. 12. n. 29.* quale conſcientiis Chriſtianis patrocinium exhibeant, dum cauſſæ religionis & pietati ſuã abſcindunt libertatem. Qualis fuit quæſo Apoſtolorum congregatio, reipubl. Iudæorum reſpectu? Futilis eſt ratio, quod inde facile ſeditiones & turbæ naſci poſſint. Vera pietas nil commune habet cum talibus delictis; ſed humilitati ſtudet, & Deo reddit quæ ſunt Dei, Cæſarique aut magiſtratui cuivis quæ eidem ſunt ſolvenda, quum noſcat, quod iuxta doctrinam Apoſtolorum omnino poteſtati ſubiecta eſſe debeat, cui competit imperium. *Roman. 13. 1. 2.* Quod ſi Belgæ olim tam malum conſilium voluiſſent ſequi, nunquam certe tam florentes reſpublicas adornaſſent, *ut ex Meter. recte indicat Bened. Carpzov. tract. de capit. Caſ. c. 3. num. 21.* Potiſſimum enim ex conſcientiarum ſuppreſſione, ac flagellatione æmulationes, odia, diſſidia, cæteraque opera carnis oriuntur, ut mutua inde irritatione ſæpius ea concitentur mala interna quæ non procul à ruina abſint. Sed vident proh! ſero tandem non pauci magiſtratus, quidnam ſit id quod humanas ſuperat vires, quando videlicet præcipuum dilectionis favorem amittunt in populo. Quis enim dominus eſt animæ & conſcientiarum? Nonne is qui *Matth. 28. 18.* aperte de ſe teſtatur, quod ſibi ſit tradita omnis poteſtas in cœlis & terra? Quis vero nollet talem toto corde amare magiſtratum, qui Iehovæ Patri, Filio, & Spiritui ſancto ſuum in hominum cordibus renovatis relinquit imperium? Res non eſt humana, quam Spiritus Sanctus in cordibus hominum creat. Ergo nec homini in Spiritus operationem competit imperium. Spiritus flat ubi vult, *ait Salvator Ieſus ipſe, Ioh. 3.* Conſcientiis igitur & Spiritui Dei imperare velle, eſt diabolum imitari, & officium ſive poteſtatem Chriſti ſibi adrogare; quæ arrogantia non poteſt non æternam accerſere condemnationem. Nonne iudicium de conſcientiis Chriſtus prohibuit? *Matth. 7. 1. 2.* Unicus eſt ſcrutator cordium Deus. *Pſ. 7. 10.*

Pœna autem conventiculi illiciti hodie uti eſt arbitraria; *l. 1. ff. de colleg. Menoch. caſ. 597. nu. 3. & 4.* cum collegii diſſipatione, *l. 3. de colleg. ill. Thol. 15. lib. in ſyntag. cap. 33. l. 3. l. 5. l. 14. C. de haret. Novell. 132. tit. C. de pag. templ. Dan. c. ult. 1. Reg. cap. 9. 6. Matth. 3. cap. 7. c. 21.* ita auctores coitionis perniciosæ maiori pœna puniuntur, quam complices. *Farin. de crim. læſ. mai. qu. 113. nu. 140.* Pariter licitum collegium abuſu ſui, ius conveniendi amittit: beneficia & privilegia extinguuntur. *arg. c. tuarum 3. extr. de privileg. Kirchn. diſp. 14. corell. 4. Beſold. pol. cap. 12. num. 30.* Attamen collegiorum diſſolutiones ubi ſunt in uſu, non leve damnum capiunt reſpublicæ, quod pro maxima obſervandum.

Sed & de ordinibus, ex quorum imitatione collegia profluxerunt, pauca quædam nunc ſubiungam. Etenim quũ in toto hoc Univerſo nihil conſtet abſq; ordine; qui propterea proprium naturæ effectum dicitur; *Schonb. lib. 1. pol. c. 4.* ad eius æmulationem aut imitationem collegia inſtituta fuerunt & inventa. Eſt vero ordo, cuiuslibet rei ſuo loco concinna digeſtio & apta diſpoſitio. Sic & in perſonis omnium maxime per inſtitiam diſtributivam apta quædam collocatio exigitur. Ideoque in republ. ordines dicimus ſicut & in acie diſtributiones hominũ, pro uniuscuiuſque ſtatus qualitate, ut ſingulæ functiones eo cõmodius intelligantur expediantque. Ordinem talem politicum omnino ſervandum eſſe, non tantum neceſſitas requirit, ſed etiam apes naturali quadam

dam inclinatione nobis id præfigurant & oſtendunt; quarum unumquodque examen ſuum ſequitur regem. Sic populus Iudaicus diſtributus erat in duodecim tribus ratione familiæ. *Ioſ. cap. 7. 14. Num. 6. & 26. Exod. 1. & 1. Theſſ. 2. 14.* Tribus rurſus ſuas habebant familias; quarum quælibet ſuos habebat principes & phylarchos. *Num. c. 1. c. 7. cap. 36. Ioſ. 14. & 21. Deuter. 29. 10. 2. Sam. 9. & 10. Sigon. lib. 7. c. 5. de rep. Hebr.* Habebat quoque populus ſuos præfectos millenis, centuriones, decuriones, &c. *Exod. 18. 21. Deut. 1. 14. 1. Chron. 28.* Velut & aliæ diſtributiones populi eius fuerunt, pro rerum & temporum conditione. *vide Petr. Greg. Thol. lib. 4. de rep. c. 1. 2. 3. &c. Item Theod. Zuinger. theat. vol. 2. 8. lib. 2. Carol. Sig. lib. 5. de rep. Hebr.* Ita quoque, *referente Dion. Halicar. lib. 2.* populus Romanus ſuos partium habuit ordines: In tres partes, *inquit*, diviſa univerſa multitudine, Romulus ſingulis præclarum aliquem virum ducem præpoſuit. Deinde unamquamque rurſus in decem partitus, totidem fortiſſimos viros eis præfecit. Has curias, illas tribus vocari voluit, &c. Factum hoc propterea, ut per eas commode rogaret ſententias ſingulorum; ſicque reipubl. curam talibus ſententiis expediret. A quali cura, honeſtiſſima curiæ appellatio impoſita eſt; quum Cura ſit ſollicitudo & anxietas animi, quæ cor merito exerceat propter ſalutem reipubl. *l. 2. in princ. ff. de orig. iur.* Et profecto tali conatu atque diligentia remp. adminiſtrare & iuvare oportet. Unde & Feſtus curiam locum facit, ubi publicas curas gerebant, &c. Ex quo patet, quod curiæ vocabulo præ tribubus prærogativa debeatur; quum hiſtoriographi in hac aſſignatione adeo diſſideant; *de quo Roſ. de ant. Rom. lib. 6. conſulatur.* Noſtris vero temporibus in ſingulis civitatibus eiuſmodi ordines extra collegia obſervare licet, quæ aliis atque aliis nominibus exprimuntur; vulgariter autem dicuntur quaterniones, parœciæ, &c. Sunt etiam alii ordines populi, ut unus dicatur continere cives, alter incolas; *de quibus vide Timpl. pol. lib. 1. cap. 5. & Matth. Steph. diſ. acad. part. 1. d. 9. nu. 10. l. 7. C. de incolis, velut quoque ex ſequenti capite poterimus cognoſci.*

CAP. VI.

De civitate, ſive reipublicæ effectu proprio, & utriuſque diſcrimine, in quo tam multi ita graviter hallucinati ſunt: deque civitatum vera diviſione, iuxta Imperii Germanici iura.

HUcuſque de minori hominum conſociatione egimus. Sequitur nunc maius contentum. Quod duplex fecimus, ex ſententia rectiora ſentientium; civitatem videlicet, & univerſitatem. Quam multi vero in hac propria & vera eius ſignificatione aberrarint, *in ſupradictis, ubi de differentia urbis & civitatis actum eſt*, ſatis explicavimus. Etenim reperio, quod magni quoque politici ſcriptores heic à Relectore illo, quem *præcedenti parte* quamplurimorum errorum reum eſſe monſtravimus, ſibi paſſi ſunt imponi; dum non vident, quid ac quomodo ſubiectum & effectus rei inter ſeſe diſtent. Qui vulgatiſſimus error & ipſe cũ cura indicandus eſt. Relector ille *in cap. 5. ſect. 3. nu. 4.* dum Stagiritam ſuum admodum acriter defendit, adeo eum culpat tetrice, ut in ſex lineis eum contradicentem ſibi faciat. Namque ait, quod *3. pol. cap. 5.* remp. vocet vitam; mox *ex 3. pol. c. 1. & c. 4. & lib. 4. pol. c. 1.* probat, quod ille taxin ſive ordinem vocet, quam ipſe formam facit ad materiam informem. Iam quiſque prudens hoc examinet, vel is, qui ſenſibus ſaltem uti velit; num vita & forma idem ſit? Iſocrates in eo longe omnes exuperat glorioſæ ſectæ philoſophos, qui remp. ingenue appellare audet animam. At anima quid eſt? Num vita? Ergo anima & vita idem? quod abſurdum. Nam principium motus, uti non eſt ipſe motus; ita multo minus effectus motus. Stagirita ſemper animam ſtatuit principium motus. Quantum igitur diſtat ab effectu. Ita quoque ſi reſpubl. eſt forma, non poteſt eſſe effectus, aut vita. Namque anima & corpus in mutua operatione procreant vitam. Si ſepares à corpore animam & ſpiritus, certe evaneſcet aut deſinet potius vita in corpore. An cernit igitur ille Relector, quantis cum erroribus relegerit politicam? Adeo perpetuis undique ſcatet contradictionibus, ut munda ab his pagina prope nulla reperiatur, quotieſquoties ipſe de ſuo, & non ex alieno loquitur, & facile differentia poſſit agnoſci, quid primus, quidve ſecundus protulerit. Quemadmodum ſe quoque *paulo poſt, num. 6. in definitione reipublicæ*, ipſummet prodit. Ait, quod dicatur ordo poteſtatum (N.B.) in ſubditos. Addit rationem: Quia, inquit, ubi poteſtas imperat per leges, ibi civitas iam eſt repub. informata. Si reſpublica dicatur eſſe ordo poteſtatum in ſubditos; neceſſum eſt, ut ſubditi ſubiecti loco ſe præbeant reipubl. tanquam ei, quæ ordinem in eos velit introducere vi poteſtatis ſuæ. Itaque in poteſtate reſidet imperium; atque hoc imperium utitur inſtrumento legum. Quibus gradibus cauſſarum indicat, quando tandem civitas exoriatur. quod atteſtatur aperte, tunc civitatem effici aſſeverans, quando republica ita ſit informata. Quid clarius poteſt pronunciari de effectu? Quare, ſi eſt effectus, non poterit eſſe ſubiectum. Ita quoque maieſtatem & leges non ſine contradictione facit partes reipubl. *num. 7. ibid.* & nihilominus *num. 9.* civitatem ab omni maieſtate, legibus, iuriſdictione, & cæteris partibus reipubl. abſtractam cupit. Quid hoc? Nimirum ex abſurdissimum ſuarum genio vitam hominis vult conſiderare abſque anima & ſpiritu, eiuſque facultatum operationibus; effectum ſine cauſſa. Et tamen, *in n. 6. antecedenti*, magna ſtudii induſtria, reddit rationem, quei fiat, quod civitas per reſpubl. definiri debeat; dicens: omne enim inſtrumentum per finem ſuum, ad quem redigitur, definiri debet: omnis materia per formam, à qua recipit unitatem & exiſtentiam. Sic civitas, quum tota religetur ad rempublicam, eius reſpectu omnino definiri debuit, &c. Mox tamen ſubnectit; Poteſtas vero & leges ad civitatem non pertinent; ſed ad rempubl. &c. Ita in vertiginoſitate ſua ſibi ſemper contrarius eſt, & abſque motu ſalum in gyrum ducit. Mirum inanis gloriæ artificium. Priſci mortales ſemper eum felicem proclamare auſi ſunt, qui res per cauſſas potuit cognoſcere. At is civitatem abſque cauſſa & reipubl. eſſentia audet fingere. Antehac valde toties ideis Platonicis iniquus fuit: nunc vero, quales hæ ſunt ideæ monſtroſæ? Non certe Platonicæ, ſed propriæ phantaſiæ.

Videlicet

Videlicet verba ſine rebus conquirit & offundit, ut in vanitate ſubtili, velut æs tinniens, loquax tamen deprehendatur; *ut ait D. Paul.*

Quare in his omnibus non tam Keckermannum exagitat, quam ſemetipſum graviter culpando refutat. Præterea calumnioſe eundem inſectatur. Quippe Keckermannus in præcognitis politici ſyſtematis ſui non tam de civitate, quam potius de republ. loquitur, & eam prudentiæ politicæ obiectum ſtatuit. Proinde ſic ait: Politia & reſpubl. (quod ille omittit verbum) eſt cœtus ſeu multitudo, ex pluribus familiis domeſticis certo ordine collecta, & directa ad felicitatem publicam. Non certe heic civitatem, ſed rempublicam, definit; cuius obiectum & finem cum proprio & genuino officio ſuo determinat. Etenim eius officium eſt, ut certum ordinem introducat in multitudinem. Vnde neque reſpublica taxis eſt aut ipſe ordo, ceu falſo cum Stagirita ſomniat: ſed eius officium eſt ut per legitima media ordinem conſtituat; atque ſic ex mediorum applicatione exurgit ordo. His igitur ita bene conſtitutis, tunc eorum prodit effectus, quem civitas declarat & exprimit; ubi civitas ſeſe in ea conſtitutione, quam ipſa formavit reſpublica, ceu filiam ex parentibus progenitam, ſeſe nobis aſpiciendam exhibet.

Eodem modo nec Beſoldus in omnibus audiendus eſt; quandoquidem *pol. c. 12. nu. 79.* confitetur, quod ex ſocietatibus & rebus civitas proprie ita dicta oriatur. Sed dum rempubl. cum ea confundit, & tamen populum ipſam civitatem conſtituit proprie ita dictam, ut inter ſe non differant; in duplicem incidit errorem. reſpubl. enim & civitas quod tanquam cauſſa & effectus, non tantum inter ſeſe differant, toties iam dictum & demonſtratum eſt. neque populus eſt civitas proprie; *ut eundem errorem Timplerus lib. 1. pol. cap. 4. q. 2. commisit.* Plura quippe requiſita prius, & quidem eſſentialia, expetit populus, quam quod ita ruditer poſſit dici civitas. Quomodo enim poteſt cadaver mortuum & indiſpoſitum homo dici? & quomodo eius vita detur, niſi id ab operatione animæ & informatione ſpirituum, &c. proſluat?

Civitas igitur heic accepta, eſt collecta & per reipubl. informationem, rite compoſita multitudo civium, ſub iiſdem legibus viventium, eodemque iure utentium; ad vitam feliciter tranſigendam in pace. Ut cum Scholaſticis heic loquamur; cauſſam efficiétem exprimit reſpublica. Materia vero civitatis duplex eſt; remota, & propinqua. Remota, eſt multitudo ſive congregatio familiarum reipubl. ſubordinata. Propinqua, eſt civis; qui iam informationem accepit ſuam ſecundum leges & conſtitutiones comportatas. & triplici modo conſideratur, ut *ſupra cap. 2.* explicavimus, & mox *inferius* porro dicemus. Finis patet. Forma vero ex iuſta informatione legum & iuris iuxta ordinis ſolidam rationem dependet, ut iam iiſdem legibus eodemque iure omnes pro felicitate ſua utantur. Unde paucis etiam ita definiri poteſt: Civitas eſt effectus reipublicæ, ex eius informatione vi poteſtatis & iuris eius procreatus.

Rempublicam autem hinc ſi ſeparatim definire velis, nihil aliud ea erit, quam vivida poteſtas, conſenſu populi ſeu omnium in eam redacta ſummitatem, ut ipſos imperantes, cum ſubditis, eorumque res, ordinationis ſuæ vi & legibus iuſtis, beatitudinis & tranquillitatis cauſſa, in civitate conſtringat, aut connectat. Sed & hæc brevius expediri poteſt; quod nimirum ſit poteſtas populi adunita, cuius virtute ad iuſtam regiminis normam procreetur civitas. Heic cauſſa efficiens eſt conſenſus populi, ex communitate coniuncta ortus; qui formam aut informationem ſui defert poteſtati, quo fit; ut poteſtas merito generis loco ſit; non taxis, aut ordo, tam inſolenti gloria ab omnibus celebratus. Ordo autem eſt officium reipublicæ, quo iuſta regiminis norma populo accommodatur, ut inde felicitatis moderamen nanciſcatur civitas. Reipublicæ itaque praxis unice pateſcit & exercetur in civitate per cives, ceu genetricis virtutes per actiones gnatæ in lucem perveniunt.

Civis autem unde dicatur, *ex cap. 2. ſuperius* patet; & certe vinculo quodam ſocietatis cives in unum cœtum coeunt. ut ſub iiſdem legibus bene vivant. In duplici tamen ſunt conſideratione, vel proprie ita, vel analogice. proprie ſic vocatus iterum civis tripliciter conſideratur. 1. Ratione principiorum ſive cauſarum efficientium civis alius eſt originarius, alius receptus: ille iterum vel patricius, vel plebeius. 2. Ratione cauſarum formalium, eſt vel plenus, vel ſemiplenus: qui iterum vel honorarius, vel confœderatus. 3. Ratione locorum, vel ſunt cives univerſales, vel particulares: & hi vel urbani, aut ſuburbani. Analogicus autem civis dicitur inquilinus. Qui iterum eſt vel liberior vel adſtrictior. Liberior, eſt ſtudioſus, vel miles, aut peregrinans. At ſtrictiori iure tenetur quivis, miniſterii aut opificii negotiationiſve cauſa cum cive habitans.

Uti vero civium, ſic etiam civitatum varia eſt conſideratio. ut, verbi gratia, à loci capacitate aliæ maiores, minores aliæ dicuntur. à ſitu loci vel maritimæ, vel terreſtres. à numeroſitate incolarum populoſæ, aut minus. à natione Franconicæ, Suevicæ, Saxonicæ, Belgicæ, aliæque erunt. denique ex alio accidentaliter, ut ex fœdere Vandalico Hanſiaticæ, denominantur. Omnium tamen optima eſt; quæ à iure & privilegiis civitatum ſumitur. Proinde aliæ ex iuribus imperii dicũtur imperiales, aliæ ducales ſive provinciales. Imperiales iterum aut ſunt liberæ, vel mixtæ conditionis. Liberæ Imperatorem immediate recognoſcunt. Mixtæ vero partim Imperatorem, quoad regalia, quas ab eodem habent, & partim Electores aut Principes, quoad territoria, in quibus ſitæ ſunt, recognoſcunt. Mere provinciales eæ ſunt, quæ territoriorum dominis ſubſunt. Quæ civitatum differentia fundatur tum in evidenti notorietate, tum in hiſtorica veritate. *Myns. reſp. 13. num. 10. Matth. Steph. diſc. acad. p. 1. diſ. 9. n. 3.*

De hac diſtinctione civitatũ mira erat inter Knichium & Dauthium cõtroverſia. Dauthius civitates alias liberas dicebat, & alias ſervas: Knichius vero eas Imperiales & Provinciales commodius nominitari aſſeverabat. Dauthius ſubdiſtinctionem aut diviſionem liberis ſubnectebat, hiſce verbis: Quod inter liberas quædam eſſent liberrimæ, quæ libertate pleniſſima fruerentur; quia etiam immunes à præſtatione onerum & fidelitate, hoc eſt, ſubiectionis ſymbolo, ſuperioritati Imperii obnoxiæ eſſent: Nonnullæ vero libertatem quidem obtinerent, quæ non tantum civitates imperiales eſſent, ſed etiam, propter iura regalia, propter merum mixtumque imperium & omnimodam iuriſdictionem, liberæ imperiales

riales civitates, dit (proprie loquendo) Freye Reichs-Stätte/iura Principum obtinentes, non autem propterea, quod partim immediate, videlicet iurium regalium, & meri mixtique Imperii respectu, partim mediate, ab Imperio dependerent. Ac propterea civitatibus mixtum statum habentibus triplicem addebat differentiam, his verbis; Quod aliæ sint pactitiæ; quia liberæ fuerint, pactis tamen quibusdam se submiserint Principibus subiectione pactitia: exemptitiæ aliæ; quum fuerint municipales; at contractibus aut præscripione, quoad certa iura, exemptę sint, & ad subiectionem exemptitiam referantur: aliæ sint quæ privilegia obtineant, ut illarum cives privilegiarii habeantur: atque hos Dauth. subditos privilegiarios faciebat *in tract. inr. civ. Brunsv. sect.* 7. Tum demum ex auctoritate Ducis Henr. Iulii Brunsvicensis Knichius contra partitiones has subdistinctionum, qua civitates pactitiæ, privilegiariæ & exemptitiæ introducuntur, acerrimũ tentavit certamen; & non tantũ partitiones prorsus cothurnatas dixit, sed etiam magno conatu universale, omnigenum, purum absolutumque superioritatis & dominii axioma Principi suo dictare, & è contra civitati Brunsvicensi hæreditariam peculiariter deducendo subiectionem denunciare statuit. *in Epopt. hypotyp. Dauth. n.* 197. *& seq.* Bellerophontæa enim (ut verba eius sonant *ibid.*) arte Chimæram Dauthinam interimendam putavit. Proinde quatuordecim πιθάνεια infallibilia subiectionis colligit. quorum 1. dicit iramenti exhibitionem subditirii, ubi simul inter iramentum subiectionis & homagium distinguit. 2. quod privati loco civitas in camera censeatur, & coram Principe conveniatur primo. 3. quod compareat in conventibus provincialibus. 4. quod constitutionibus provincialibus subiecta sit. 5. quod coram iudicio aut dicasterio provinciali citata compareat. 6. quod provocent ad Principem tanquam Dominum territorii. 7. quod Princeps ius affigendi mandata sua in civitate habeat. 8. quod Princeps privilegia eius confirmet & concedat. 9. quod collectas Principi solvat. 10. quod sequelam in itineribus præstent duci. 11. quod salvus conductus per civitatem eidem comperat. 12. quod certis in partibus Ecclesiastica iurisdictio Principis sit. 13. quod sita sit civitas in fundo principis & eius insigni utatur. 14. quod armati in solemni adventu cives eum excipere teneantur. 15. annexa quasi habetur oblatio xeniorum, & quod capitalis animadversionis rei gratiam tunc indulgeat, &c. *Knich. ind. Epopt. usque ad num.* 300. Simillimas quoque rationes & argumenta subiectionis contra civitatem Magdeburgensem & Administrator Christianus Wilhelmus, quum Archiepiscopum adhuc ageret, in primo regiminis sui aditu, & quum per legationem cum capituli auxilio à div. Imperatore Rudolpho II. p. m. Imperialem investituram frustra (quæ tamen in solemni ritu non bene contra veritatem in sacris festivitatibus & concionibus simulabatur) peteret, anno 1608. publice Imperatori dicto iisdem cum fundamentis proponi curavit, velut tum inde ex aula Imperatoris relatum est. quorum series in eodem numero sic se habet. 1. quod ipsi ac capitulo, cui iurium conservatio esset demandata, confirmatio collegiorum in civitate aut tribuum (der Innungen) competeret. 2. quod sede vacante quoque appellationes reciperentur. 3. quod inhibitiones & executoriales etiam in causis regimen civitatis concernentibus emittere posset. 4. quod Prætor & Scabinatus adsessores mediante iuramento investituram Imperialem ab eo acciperent. 5. quod civitati supremam iurisdictionem sive merum imperium criminale antehac concessum confirmaret; (Blutbann dictum.) 6. quod ad comitia provincialia comparere cives Magdeburgenses tenerentur citati. 7. quod contributiones Imperii & collectas provinciales immediate ipsi solverent pro quota parte. 8. quod ipse concederet nundinas. 9. quod ius stapulæ confirmaret, quum ita emptum teneret civitas. 10. quod confœderationem nullam absque eius consensu inire possent. 11. quod vectigal sive accisias in teloniis per eius concessionem acciperent. 12. nec absque consensu eius capitulique munire civitatem possent. 13. quod homagium præstare teneretur Magistratus cum civibus. 14. quod salvus conductus ipsi competat. 15. quod nulla privilegia valoris alicuius sint, nisi ipse cum capitulo confirmet, &c. Cæterum Dauthius tunc civitatum nomine non tantum publice ex parte respondit, sed etiam in causa saltem Brunsvicensi editus est libellus anno 1620. titulo hoc, *Discursus rerumpubl. inf. Saxon.* quo tametsi omnia iura civitatum inferioris Saxoniæ in statu libero defendat, Consiliarios Hallenses tamen postea in confessione ipsolmet audiemus. nunc Dauthii responsionis capita paucis *ad. libro* repetemus. Is *pag.* 16. ita ait: Quæri ab illis (civitatibus) perfectum regimen, videlicet munimina cum suis regalibus pertinentibus, item liberam & senatoriam administrationem; ut qui consules & magistratus suos, nemine aut concurrente, aut approbante, eligant, etiamque omne merum & mixtum imperium cum suis gradibus libertime exerceant. Quæri, an unquam talia & similia jura ab ullo principe recognoverint? Maiores esse illarum ἐπιτροχὰς & præcellentias, quã multæ imperiales civitates habent, quas tamen & Principum iura obtinere, & Principis generica definitione contineri, certissimum sit. Si autem eiusmodi regalia, quæ apud illas illustres respubl. reperiantur, ab aliquo inferiore recognoscenda essent, (quod illæ civitates non faciunt,) de regalibus non fore. Sub sacra ergo Cæsarea Maiest. Principes, Comites, civitates regalia, ut TALIA, habere posse. A Statibus autem, & sub Statibus Sacri Rom. Imperii, nemo regalia, ut REGALIA, tenet, nisi ab Imperatore singulariter ad aliquem commissarium remittatur, cui potestatem Imperator commiserit, &c. Egregie quidem ictu hoc capitali adversarios civitatum in genere contundit, sed tamen *pag.* 19. 20. 21. speciales mox subnectit satis plausibiles & in fundamento palpabiles refutationes, *quæ ibi cognoscantur.* Inprimis vero notatu digna sunt, quæ *pag.* 28. *& 29. reperis distinctius, ubi* ita loquitur: Noster hic Discursus ad genericam Regis aut Principis definitionem, & ad perfecta illustrium civitatum Saxonicarum regimina pertinet. Nihil enim illis per unum, duo, tria, plura secula aliquid eorum, quæ ad perfectum regimen tetrarchicum pertinent, defuisse, aut de præsenti (ad quod cum primis respectandum) deesse, constat. Statum enim illarum præsentem in totius orbis oculos continuo incurrere videmus. Iã, si is spectetur, constabit 1. vallis atque munitionibus prope inexpugnabilibus: 2. armamentariis instructissimis:

ctiſſimis: 3. præſidiis fortiſſimis, omnibusque ad perfectum atque plenum ius defenſionis ſpectantibus, eoque etiam pertinentibus regalibus : reſpublicas Saxonicas ita eſſe decoratas, ut non tantum imperii Comites, ſed & Principes quoſdam longo poſt ſe intervallo relinquant. 4. Nullus prius apud illas in civé cooptatur, aut, etſi originarius ſit, pro cive reputatur, niſi ſe & ſatis armatum eſſe oſtendat, &c. Hæc ſunt Civitatenſia præſidia, &c. Qui enim in aliquo loco merum & mixtum imperium habet, ei, ut ſubditos ad arma vocet, liberum eſt, &c. 5. Conſtat, Conſulatibus illarum civitatum pleniſſimam, perfectiſſimam, liberrimamque Senatoriam gubernationem competere, atque cum omni mero & mixto, communicabili imperio per multa ſecula competiſſe. 6. Et horum iurium quidem reſpectu capita provinciarum, tribunalia, & emporia etiam iure gentium ſemper fuere immediata. 7. Ad quod ius vetuſtiſſimum præſidibus Imperialibus (quoad capita provinciarum) ſublatis reditum eſt, quando Reges & Cæſares Germani iura provinciarum illis Rebuspublicis ita conſtituerunt, ut, quemadmodum provinciæ per Præſides aut Præfectos regios atque Imperiales adminiſtratæ fuerunt, ita poſtea per Proconſules, quoad conſilia & iudicia, adminiſtrarentur. quæ forma adhuc hodie apud Imperiales liberas & noſtras reſpubl. viget, &c. De noſtris autem Saxonicis rebuspubl. expendendum, quod, *auctore Sigonio*, Otto primus anno 973. in multis Italicis civitatibus eandem regiminis formam, pluribus ante Henricum V. annis, introduxerit, &c. 8. Ad haſce *κατ' ἐξοχὴν* principaliter & primum, ius capitis pertinet. Sũt enim eiuſmodi civitates, quoad ius fori, provinciarum capita, eoque immediata. Quare ab illis iure Saxonico ad Cæſarem vel ad ius Palatii appellatur. cuius rei illuſtria exempla in civitate Bremenſi & Hamburgenſi adhuc apparent. Quicquid autem in aliis provinciæ Saxonicæ capitibus, quoad appellationes, immutatum eſt, id totum pactitium eſt, & ſuas ſtrictiſſimas habet metas, &c. 9. Illis cohæret ius Magiſtratuum libere creandorum, cum mero & mixto imperio, &c. 10. Huc pertinet ius Ligarum, quod civitatibus Saxonicis ante multa ſecula competiſſe, & adhuc competere, ex variis conſtat fœderibus: quale eſt Hanſeaticum; *Crantz. lib. 4. c. 38. lib. 10. c. 5. lib. 13. c. 14.* quale fuit vetuſtiſſimum fœdus civitatum noſtrarum cum Belgis; qualia etiam multa civitas Brunſvicenſis cum Ducibus Brunſvicenſibus, & cum aliis fecit, &c. 11. Præterea huc advocari poteſt ius conſtitutionum Civitatenſium ſuper ſtatu eccleſiaſtico, & cauſis meri & mixti imperii, aliiſque omnibus quævis faciendi libertate. 12. Pertinet ad rem præſentem jus des Geleytes, quo per civitates & per territoria utuntur. 13. Item ius ſalvi conductus. 14. Denique multa, ut alia regalia omittamus, huc pro coronide referimus maritima atque fluviatilia iura regalia. 15. Iura monetæ. 16. Vectigalium. 17. Mulctarum atq; pœnarum compendia. 18. Munerum ordinariorum & extraordinariorum indictiones. 19. & utriusque primæ & ſecundæ inſtantiæ iura, quæ apud noſtras civitates reperiuntur; à quibus immediate ad Cæſarem iure Saxonico appellatur, niſi iuxta præmiſſa pactis ſit aliquid innovatum.

Huc uſque Dauthius ſatis dilucide rem explicuit contrarie Knichio oppoſitam. Atque ut eo clarior & firmior eadem innoteſcat cunctis, Confeſſionem totius Collegii Conſiliariorum Hallenſium adiicere libet. Nullam enim, *ait Knich. in Epop. num.* 137, maiorem in mundo Dd. conſtituunt probationem ac proprii oris confeſſionem, eamque ſuperlativam aliarum probationum ſtatuunt. Ita ſimul pateſcet, qua veritatis ſpecie Capitulares illi informarint Legatos ſuos, ad Imperatorem Rudolphum II. p. m. inveſtituræ petendæ cauſſa miſſos. Irane vero publice quid proponendum? Hiſtoriæ fundamentum in eo conſiſtit. Per aliquot annos tentatum erat, num civitas Magdeburgenſis poſſet induci ad hoc, ut præſtaret homagium Adminiſtratori; quod tamen ſolummodo aſſecurationis aut emendæ eſt, non ſubiectionis, ut nunc invidioſe interpretantur. Civitas negabat ex eo capite, quod Adminiſtrator non eſſet regalibus Imperii inveſtitus, nec ab Imperatore receptus, aut matriculæ inſcriptus, ut poſſet Commiſſarium Imperatoris in communicandis iuribus agere, aut iramentum accipere. Semper, & merito, in terminis iuſtis ſe conſervantes, in hunc modum reſpondebant, Se prius qualificatum Imperio redderet; tunc ſe paratos eſſe, ad præſtanda ea, quæ Commiſſario Imperii tali deberent. Nihil autem ſe aut Capitularibus aut Adminiſtratori concedere poſſe ſuperioritatis; quod maxime ambirent Capitulares. Plures in his tractatibus conſumpti ſunt conventus. Tandem impoſitum eſt Conſiliariis, anno 1618. menſe Septembri, ut ipſi de tranſactione intermedia deliberarent. Ubi propoſitio talis eſt formata; in qua ingenue confitebantur. 1. Quod merito Senatus Magdeburgicus, tam toti Archiepiſcopatui, quam D. Admin. & Capitularibus, ſuperioritatis jus nullum concederent, ſed ſimplex pactitia eſſet ſubiectio, & quidem talis quæ nihil obligationis inferret. 2. Nolle enim homagium præſtare, inquiebant, quum dicant ex pacto fieri ita, ut prius gravaminum inſtituatut caſſatio: Niſi hoc prius fiat, nec ſubditos dici eos poſſe. 3. Nolunt in Comitiis provincialibus comparere. Velut 4. anno 1614. propterea in conventu proteſtationes publicas inſinuarunt. 5. Inde neque quotam contributionis, vel Imperialis aut provincialis, ſolvunt. 6. Velut ne triplam quidem de anno 99. enumerare voluerunt. 7. Noluerunt ultimam poſtulationis intimationem accipere. 8. In Eccleſiaſticis ſuam habent autonomiam. 9. Diſpenſationem in matrimonialibus ipſi perficiunt. 10. In cauſſis juſtitiæ ſuam exercent iuriſdictionem. 11. Prætor ac Scabini ab illis dependent. 12. Nolunt introducere quos Adminiſtrator ante quadriennium confirmavit. 13. Inde Scabini ad Cæſ. Maj. confugiunt, ubi ad Electorem Saxoniæ reſcriptum obtinuere. 14. Vſurpant iure proprio ſupremam & criminalem iuriſdictionem. 15. Non ſiſtunt Prætorem Principi hoc rerum ſtatu, ſed ipſi propria auctoritate demandant judicium. 16. Vectigalia & acciſias pro lubitu augent & extendunt. 17. Nihil in iuribus ſuperioritatis reſtat, niſi nudæ apellationes: tamen neque compulſoriales curant, ſed pro beneplacito edunt acta. 18. Quod iuſtitia ita involuta hæreat, actiones Nicolai Schmidii & ædium aureæ galeæ demonſtrant. 19. Tentarunt quoque ſæpius appellationes tollere. Inde concludendum, quod civitas Magdeburgenſis mox ſe penitus exemptitiam redditura ſit, (id eſt, in priſtinum primæ fundationis Ottonicæ ſtatum redi-

tura.) Quare deliberandum iam eſt: An non potius tolerabilibus remediis civitas Magdeburgenſis ad Archiepiſcoparum retrahenda, quam nimium diſputando & ſubtiliſando omnia iura perdenda ſint. Alias in libertatem ſe vindicabit, quum tamen ipſum homagium, ſi hoc præſtet, teſtari poſſet, quod univerſaliter ſubiecta eſſet, & ſic ad reliqua omnia per conſequentiam reverti ſimul cogeretur.

Ad hanc propoſitionem decretum tunc fuit ex conſenſu omnium præſentium Conſiliariorum, (excepto uno. D. A. Sch. qui Capitularibus in elatione addictus ſemper fuit,) quod quibuscunque modis & conditionibus ſuper homagio cum civitate eſſet tranſigendum; velut etiam ſex illi cum propria manus ſubſcriptione ſub dato 18. Septembris eiuſdem anni hanc ſententiam ad Capitulares perſcripſere, eos ad tranſactionem talem maximopere hortantes. Callidum certe conſilium, idipſum tamen nimia argutia dicti hominis, aut potius invidia, Capitulariumque ambitione, qui ſuperioritatem abſolutam affectabant, plane diſruptum fuit. Unde totus hic conatus, ſuper canis illius Æſopici avaritiam fundatus, in eiuſdem fabulæ nervum erupit adeo, ut nec Adminiſtrator, nec Capitulum in propoſito ſuo quidquam obtinuerit, quum ita temere utraque pars inter ſe diſſiderent. Quanti mali diſcordia hæc cauſſa fuerit, id nunc in oculis eſt omnium. Eadem civitatum inſana perſecutio paſſim in aulis Germanicis viguit ferme per ſeculi ſpacium, & quidem in tanta ſæpius vehementia, ut in ſanguinolenta tragicaque exempla detruſa fuerit, non ſine ingenti Principum ipſorum damno & extrema ruina. Nec certe adulatores aulici aut conſultantes à culpa tam exitioſa cura liberare ſe poterunt. Hiſtoriæ adſunt, eventusque rerum calamitoſiſſimi, qui teſtimonium rei apertum exhibeant. Etiam multorum conſilia & ſuggeſtiones in autographo mihi ſunt ad manum. Exhorreſco ad talia, quoties percurrere & penſitare hæc mecum ſoleo. Nihilominus inventi ſunt ICti candidi, qui ſupradictam civitatum diſtinctionem doctiſſimis & integerrimis pro conſcientiæ ingenuitate approbarunt & celebrarunt ſcriptis. Mihi inſtar omnium ſunt D. Matth. Stephanus, & Ioh. Sibrandus, cum Beſoldo, qui materiam hanc ſecundum iuris & hiſtoriarum cognitionem, in qua potiſſimum omnis vis diiudicationis conſiſtit, poſt Dauthium, quam optime intelligunt.

Ut ergo patriæ tranquillitatis illi & pacis clanculariі turbatores ſaniora nunc ex publicæ, & quidem tantæ calamitatis experientia, ex ipſa item ſaniorum auctorum doctrina, condiſcere aſſueſcant, in gratiam publici boni, cui prius unuſquiſque pro conſcientiæ viribus addictiſſime ſtudere debet, notas & requiſita talium civitatum, unde vera diſtinctio illa confirmatur, ex dictis auctoribus ſummatim connotare & his annectere operæpretium erit; præſertim quum talia ſcripta non ſint in manibus omnium. Blateratores non curo.

CAP. VII.

De veris & genuinis requiſitis atque notis liberæ reipublicæ in civitatibus, & ſervæ: cum elucidatione evidentiis introductæ diſtinctionis de iiſdem.

VEritatis duriſſima ſemper gratia eſt: præſertim apud eos qui mancipati affectibus vivunt. Et tamen, cuius monita ſana ſunt, is ex ipſiſſimo amore prodeſſe cupit ſingulis. Quis etiam non libenter audiret, aut cum gratia exciperet eum, qui libertatem iuſtam omnibus commendat. Omnes enim (*recte ait Sibrand. in urb. Lub. iur. pub. par. 1. ſect. 2 num. 23.*) libertatis iucunditate demulcemur, & perpaucos invenias veros ac opulentos mercatores civitates aut regiones dura ſervitute preſſas inhabitare. Caveant itaque (*ita pergit n. 24.*) civitatum maſtiges, ne, tam de privilegiis, iiſdé conceſſis, imminuendis, quam augendis, ſint ſolliciti. Utrique enim tam domino quam ſervo, conſiliis ſuis perverſis, civitatum in perniciem initis, extremum exitium accelerant. Licet autem ſumamus eam quam Knichius ita mordicus defendit diſtinctionem, qua aliæ civitates imperiales, aliæ provinciales dicuntur; nihilominus, *uti recte ſentit Stephan. noſter*, res eodem recidit. Namque imperiales aliæ liberæ in ſtatu abſolutiori, aliæ vero minus inveniuntur, ſed mixti quid habent, ceu eſſe Knich. tergiverſando, *Encyclop. c. 10. num. 203.* confitetur, quod in ipſo collegio Hanſeatico civitates inveniantur quædam nec Imperio directe, neque ſtatibus ſubditæ. Sic etiam, *Encyclop c. 13. num. 19.* civitates non ſimpliciter, imperiales, ſed liberas agnoſcit, contradiſtinctas à reliquis in hoc ordine. Eodem modo nec abnegare poteſt, (*Encycl. c. 16 nu. 10.*) quod dentur civitates quibus ius liberi territorii ſub certa formula concedatur. An non igitur ad ſeriem imperialium erunt referendæ? Namque alias dicit, *d. c. 16. num. 53.* quod nullum dubium ſit, quin civitas, non recognoſcens ſuperiorem, omnia poſſit, quæ Princeps. *Steph. Aufr. ad decis. Capell. Thol. 406. num. 6. apol. velit. num. 32.* Et tamen ſibi contradictorius, (*Encycl. c. 1. nu. 256.*) in odium civitatis Brunſwicenſis aſſeverat, quod nulla detur civitas in Imperio acephala. Quid aliud eſt non recognoſcere ſuperiorem, quam in acephalia hac ſuum proprium habere ſtatum? Acephalia enim reſpectu Principis dicitur, cum quo in eadem paritate propter iuriſdictionem in ſuo territorio eſt conſtituta, ceu Princeps in ſuo: Nullatenus autem reſpectu Imperii: Alias iniuriosa foret hæc interpretatio. Unde etiam illud communiter falſum, quando aſſeverat idem Knichius, *in tract. de inveſtit. pact. part. 1. c. 2. nu. 146.* quod civitates communiter iuriſdictione deſtituantur. *id. in Encycl. c. 16. num. 61.* Etenim hoc veræ originationi civitatum ex natura contrarium. Ipſæ hiſtoriæ teſtantur, & natura hoc docet, quod nullus Princeps ex ſe poteſtatem aut iuriſdictionem Imperii ſui habet; ſed quod populus communi conſenſu eam in primatum ſuum contulerit. Ita quoque populus, quamcunque condidit civitatem, iura ſua regiminis cauſa primitus in caput contulit. Quod adeo verum, ut nulla civitas dari potuerit tum, quæ non ſocietatis ſuæ iura habuerit, & ea hinc Principi aut Regi communicarit ſuo. *Velut etiam ſuperius in gentis Saxonica moribus primis hoc delineavimus; & Boter. in lib. de orig. urb. c. 2. & 3. idem monſtrat.* Quod vero ex poſtfacto Principes ex ſuo potentiæ commodo civitates erexerint ſibi, & eas beneficiis ſive privilegiis donarint, vel etiam ex titulo oneroſo talia ipſis conceſſerint; id certe non talem abſolutam parit locutionem, ut Knichius ea uſus eſt. Ideoque diſtinguenda ſunt tempora,

tempora, & fundationum inſtitura: tum etiam illud reſpiciendum eſt, qua ratione hæc vel illa civitas ſe in libertatem adſeruerit. Exempla Bodin. *de rep. l. 1. c. 9. num. 125. in Lubeca, Vlma, & Brunſviga* recte allegavit. quem Knichius, *Encycl. c. 1. num. 137. & ſeqq.* fruſtra refutare conatur; Sibrando etiam, *de iur. Lub. part. 1. ſect. 2. num. 5.* clare id notante, quomodo urbs Lubeca anno 1226. annuente Imperatore Friderico II. ſingulari ſtratagemate jugum iniuſti dominatus Woldemari Danici Regis excuſſerit, &, copiis Epiſcopi Bremenſis, Ducum Saxoniæ, & aliorum, adiuta, libertatem recuperatam defenderit. Et Crantzius, *Vand. lib. 7. c. 9* ſanguine & gladio privilegia Lubecã acquiſiviſſe affirmat, quod in allegatione ſua Cranzii Knichius ibidem plane diſſimulat & obtegit. Propter hanc virtutem Fridericus & quod ibi Lubecam limitem Imperii Romano Germanici deſignaret, alioſque ob reſpectus, Lubecæ plenam libertatem Imperialem attribuit, & Imperii Statibus eam adſcripſit. Cuius rei, & quomodo Lubecenſes Imperatori diſceſſuro illinc fidem iurato dederint, in ipſo ingreſſu portæ Molinariæ firmã ſtatuerunt memoriam; ubi binis clypeis, tanquam ſymbolo ſancto, quorum in uno aquila Romanorum, in altero erecti duo digiti cum pugno cernuntur, mutuæ obligationis hiſtoria ſpectatori exhibetur.

Quur autem liberæ civitates vocentur, id Sibrandus *d. ſect. 2.* variis exprimit rationibus. 1. Quod libertatem ſibi conſtituerint ab origine, aut reſervarint, aut ſe in libertatem vindicarint. 2. Quod à capite liberrimo, Imperatore, dependeant. 3. Quod, *iuxta Scip. Gentil. de iuriſd. lib. 3. c. 23.* hæ Germaniæ civitates iure cum rebuspubl. Italicis comparentur, ac proinde in ſuo populo ac territorio tantum, quantum Imperator in ſuo Imperio, poſſint, nec aliter de tali civitate, quam de ipſo Principe & Cæſare judicandum ſit. 4. A diverſa reipubl. forma, quod in ſuis territoriis utantur liberi ſtatus regimine, unde & reſpublicæ appellentur, & haud nudæ civitates. 5. Quod earum cives & incolæ in Germaniæ Imperio ſecura libertate eundi ac redeundi fruantur, ac libero commercii iure gaudeant. 6. Quod ipſis majora & eminentiora privilegia ab Imperatore conceſſa fuerint, unde quoque ab ipſiſmet Imperatoribus *Nobiles* ac *Nobilia ſacri Romani Imperij membra* appellitantur. *Author* gründlichen Berichts *de Imperiali civitate Friedberga, part. 1. punct. 15. num. 4.* Matthias Stephanus autem, *in diſc. Academ. part. 1. diſc. 9.* catalogum ferme integrum recenſet requiſitorum & notarum, ex quibus diſtinctio civitatum facile cognoſci, & earum libertas aut ſervitus dijudicari poſſit. Eorum autem nonnulla ſtatum primario concernunt, reliqua ex his conſecutiva & quaſi propria ſunt libertatis. Verba eius ita habent: Et quidem civitates liberas Imperiales eſſe Status Imperii, non dubitandum eſt. 1. Quia, ut civitates Imperii feudariæ, neminem ſuperiorem præter Cæſarem & Imperium recognoſcunt. 2. Quia in matriculam Imperii relatę ſunt. *Gail. 1. obſ. 21. n. 2.* 3. Quia eadem ferunt incommoda cum reliquis Statibus, Electoribus, aliiſque Principibus. 4. Imponuntur eis collectæ in comitiis. *Receſſ. Imp. de anno 1549. Auguſt.* §. wann auch/ *Gail. d. obſ. 21. num. 9.* 5. Quia ab Imperatore ad comitia vocantur. 6. In iis ius ſuffragii habent. *Receſſ. Imper. Aug. de anno 1548.* §. wann auch. 7. Quia in camera Imp. prima inſtantia conveniri poſſunt. *Gail. 1. obſ. 1. n. 17.* Hiſce modis fere, aliquem ſtatum Imperii eſſe, probari poteſt, *ex Georg. Obrecht. l. 2. de iuriſd. c. 7. num. 9. & ſeqq.* Quibus vero ſubnectenda ſunt ſequentia: ſcil. 8. Quod vi regalium, civitatibus Imperialibus competentium, eædem liberum & publicum religionis exercitium in territoriis ſuis inſtituant. 9. Velut etiam hoc in poſterum abſque perturbatione in iiſdẽ permitti debet, nec moleſtandi ſunt uſpiam. *Receſſ. de anno 1555.* §. Und damit/ & §. Nach dem. 10. Habent itidem ius ſalvi conductus æque ac Duces. *Receſſ. de anno 1442. tit.* Von Reyſigen. 11. Habent ius confiſcandi. *c. unic. quæ ſint regal. Cothm. reſp. 29. n. 534.* 12. Item ius indicendi collectas ſuis civibus. *Cothm. d. l.* 13. Item vectigalium. *d. c. unic.* 14. Item Epiſcopalis audientiæ *l. 1. & tot. t. Cod. de Epiſ. aud.* 15. Recognoſcunt flumina navigabilia ab Imperatore *d. c. unic.* 16. Quin & eiuſmodi civitatibus competit ius Ducibus Imperii ſimilibusve iter per ſuum territorium facientibus gratulandi, eoſque excipiendi, comitandi, & ad fines territorii deducendi. *Cothm. d. l. n. 331.* 17. Eaſdem habere archiva, probat Rutg. Roland. *in tract. de com. part. 2. lib. 5. c. 4. n. 21. & ſeqq.* 18. Habent itidem ius bona vacantia occupandi. *l. 1. & 4. C. de bon. vac.* 19. Item indignis relicta confiſcandi, & alia. Civitates Imperii ita omnia jura habent regalia Principum, licet eius dignitatis gradum non obtineant; ideo privilegiata auſtregarum inſtantia excepta ſola manet. *Gail. 1. obſ. 1. n. 21. &c.* His annectenda ſunt notatu digniſſima, quæ Beſoldus *in diſſert. de iur. & imp. civit.* notavit, *n. 8. 10. & 12.* Certe, *inquit, num. 8.* civitatibus haud nudum nomen Status ceſſit; virtute ſua amictum venit, ornamentaque ac iura ſua ſecum trahit. Ac ſtatus eſſentia (præter ſuffragii ferendi jus, ut modo dixi) in eo quoque conſiſtit (20.) ut Cæſarem in ſuo territorio repræſentet: &, tanquam Imperii membrum, participet de eminentia iureque totius. 21. Præterea civitates Imperiales propria territoria habent, & Imperatorum ea nomine immediate recognoſcunt. 22. Habent ergo & ius territorio adnexum; quod aliud nil niſi ſuperioritas eſt; die Lands-Obrigkeit. Cui enim territorium competit proprie ſumptum, (puta, ut Imperii ſtatui,) eidem quoque competit ius territorio cohærens. In pace Cõſtantiæ, multa paſſim privilegia & autocraticum ius civitatibus tributum videmus: Idque non pertinet ad Italicas ſolum civitates, ſed & jam tum ad eorum normam aliæ complures in Germania fuerunt. Et ante Rudolphum primum (à quo eæ libertatem habent; *Lehman. 5. cap. 106.*) non liberæ magis Lombardicæ fuerunt civitates, quam hodie Imperiales. Quod & docui *in diſcurſu de iuriſd. q. 17.* Accedit, quod Germanicæ civitates complura regalia, jam per multa ſecula, ſine contradictione habent: imperium nẽpe merum ac mixtum, plenarium beneficium religionis; contrahunt item fœdus; *Mynſ. 6. obſerv. 2.* 23. Item mittunt legatos. 24. Et bella geſſerunt ſæpiſſime cum libertatis ſuæ inimicis; nec crebrius fere aliud in hiſtoriis invenitur quam civitatum bella & fœdera. *Num. 10. autem;* In ſpecie namque (25.) civitatum Imperialium (*inquit*) ſecuritas elucet ex reformatione Imperatoris Sigiſmundi, de anno 1436. qui eas non ſolum (26.) die würdige Reichs-Stätte appellat, & libertatem ſuam à Chriſtianitate habere dicit; (in der Geiſtlichen Reformation/ *cap. 3. verſ. 11.*)

Verum etiam expreſſe eaſdem indigetat (17) Hellig. (in der Weltlichen Reformation/ c.10.) Sanctum autem, *auctore Martiano* I.C. eſt, quod ab iniuria hominum defenſum atque munitum exiſtit. *l. 8. in pr. D. de rer.diviſ.& qualit.* quod ſacrilego conatu violare attentant ii, qui civitatum libertatem, iura ac privilegia, quavis arrepta occaſione, quantum poſſunt, imminutum vel etiam prorſus abolitum eunt; earumque cives, tanquam ruſticos muro indutos, alto ſupercilio deſpectant, iiſque iniurioſe inſultant: cum tamen nihil æquius ſit, quam omnes & ſingulos Imperii ordines atque ſtatus, ſeſe invicem, ſecundum cuiuſque gradum dignitatis & qualitatem, pacis publicæ conſervandæ gratia, comiter atque officioſe obſervare, humaniterque ſuſtinere. *Denique num.* 12. Quinimo, ſi civitas Imperii (*inquit*) certa lege, pacto vel conditione, ſubdita alicui principi ſit; aut in ea princeps iura quædam ſingularia (merum puta imperium, vectigalia, ſalvum conductum, itē den Forſt/ vel ſimilia) ex præſcriptione vel conventione habere comperiatur: extra eam tamen conditionem atque iura, iſtæc libertate ſua, iureque quod ut Imperii ſtatus habet, placide frui poteſt: nec ipſum territorium, aliaque regalia, principis eſſe cenſentur. Sic in Goſlaria Dux Brunſvicenſis inſignia quædam obtinet jura: licet ea Imperii civitas libera ſit. Eiuſmodi quoque conditionis fuit Noriberga, cum in ea Marchio Brandeburgenſis Burggraviatum ſibi adhuc vendicaret: ut & Magdeburgum, in quo Dux Saxoniæ ſimiliter Burggraviatum ſibi aſſcribit. Sic & ex jure Advocantiæ (Schutz vnd Schirms Gerechtigkeit) die Landsfürſtliche Obrigkeit non poteſt introduci: licet dicantur die Oberſten / vel etiã Erbſchirmherrn. Ideoque dominus pro hiſce, tanquam ſubditis, in Camera ſupplicare non poteſt. Quæ præiudiciis Cameralibus roborat Ruland. *de interrogator. lib. 2. cap. 3. n. 12. & ſeq.* Imo nec homagium ſemper ſubiectionem inducit; Certum enim eſt, Coloniam Agrippinenſem illuſtrem eſſe ſacri Romani Imperii atque liberam, & aliarum, ut ſupra deductum, præcipuam ac nobilem civitatem; & Archiepiſcopo tamen homagium præſtat. *Vide heic Thom. Mich. de iuriſdict. th. 57. l.c.d. Et Brun. de univerſ. th.* 33. Signis autem illis ſive notis 27. ordine hactenus enumeratis, unde vel libertas vel ſubiectio civitatum arguatur, hæc etiam ex Dauthio adiici poſſunt: videlicet, (28.) Magiſtratuum libera creatio. 29. Ius condendi leges & ſtatuta. 30. Ius armandiæ. 31. Mœnium erectio. 32. Fortalitiorum extenſio & ædificatio arcium. 33. Ius cudendi monetam. 34. Ius immediate penſitandi Imperio; alias enim ſolutio collectarum magna ſubiectionis teſſera habetur. *Vide Brun. de univerſ. th.* 38. 35. Ius collectandi cives. 36. Augendi vectigalia pro compenſatione, quod in viis publicis, pontibus, fluminibus ſuſtentandis ſuſtinēt civitates. *Vid. Br. d. l. th.* 24. Item piſcationum & ſalinarum reditus, &c. *Vid. Br. d. l. th.* 26. Verum omnium ſignorum talium demum firmitudinem addit (37.) vigilantia, quæ adhibetur in confirmationibus, à Cæſ. Maieſt. ſingulis caſibus petendis, quoties novus in Imperio electus eſt Cæſar, quod certum argumentum ſuggerit, civitati cuique libertatem in ſalvo ita contineri.

De differentia autem Imperialium & liberarum civitatum conſulat quis Beſold. *d. diſſ. de iure & imp. civit. Imp. n.* 4. Sic etiam de pactitiis, exemptitiis & privilegiariis agit luculenter Clut. *in ſyll. rer. cot. th.* 27. & ex eodem Bruning. *de variis univ. ſpec. th.* 15. Quum vero ille hæc quaſi in compendium liquidum redegerit, iuvat me ipſius huc referre verba: quæ ita ſe habent: Duo ad ſtatum pactitium neceſſaria ſunt. Primo requiritur, ut ſubmittens reſpectu illius cui ſe ſubmittit, vel in totum, vel pro parte, liber ſit. Secundo ut ſubmiſſio illa fiat certis tantum capitibus; in cæteris vero integra ſervetur libertas. Notabilis eſt doctrina Gail. *2. obſerv. 54. num.* 10. ubi ſic ſcribit; Singulariter obſervandum eſſe, caſtrum vel civitatem, certis pactis & conditionibus alicui Principi vel alteri civitati ſubiectam, ſolum ſubditam cenſeri quoad illa pacta & conditiones; in reliquis liberam permanere. Ubi & hoc ſubdit Gailius, in Germania nonnullas eſſe civitates, quæ certa lege & conventione ſuperiorem agnoſcunt, & extra pacta conventa placide ſua fruuntur libertate. *Facit huc l. 2. ff. de iur. immunit. l. nõ dubito* 7. *§. liber populus. ff. de capt. & poſtl. reverſ.* Exemptio duplex eſt: originaria, aut accidentaria. quemadmodum enim Eccleſia quæ libertatem à ſede catholica ante Epiſcopum obtinuit, originariam exemptionem habet; ita civitates quędam ſunt, quæ conceſſis ab Imperatoria Maieſtate territoriis & dignitatibus, quoad Principes poſtmodum inveſtitos, exemptione originaria gaudent. *Quod non obſcure indicat Dn. conferens in cauſſa Fiſcalis contra* Bayern & Ortenburgk. *deciſ. Michſn. tom. 3. deciſ. 6. n. 61. pag.* 89. Exemptio accidentaria ex præſcriptione, cõtractibus, pactis aliiſque fontibus, ſcaturit. Sed, inquies, cum etiam pactis & contractibus conciliari poſſit exemptio, anne tum exemptitia & pactitia eadem erit civitas? Negamus: Pactitia civitas pacto libertatem, quam ante ampliorem habebat, minuit. Exemtitia civitas pacto libertatem, quam ante non habebat, acquirit. Et ſic, quæ ante libertate fruebatur uberiore, pacto certo iam fit ſubdita civitas; quæ vero ante graviore premebatur onere, per pactum illo onere vel in totum vel pro parte eximitur. Unde pro pactitia civitate præſumptio libertatis militat: exemptitia ſervituti ſubiacere creditur, niſi exemptionem doceat; quod & in privilegiaria obtinet. Sed hoc inter exemptitiam & privilegiariam civitatem intereſt, quod exemptitia in caſibus exemptis pro libera reputetur; privilegiaria vero ſubiectio, ſubiectionis notam non eluit. quemadmodum in ſimili actio exempta tum dicitur, ſi actor agere poſſe deſiit; non item ſi ex privilegio vel per exceptionem actio reddatur inutilis. *Ita Michſner. tom 2. lib. 1. deciſ. camer. 9. In cauſſa* Maynz *contra* Erffurt. *n. 19. pag. 146.* Non tamen negamus, certis etiam modis exemptitiarum & privilegiatarum & pactitiarum civitatum nomina confundi poſſe. Illud certiſſimum, ex alia quam privilegiorum ſcaturigine promanari poſſe. Nam propter nimiam dominorum lævitiam ſubditi ab eorum iuriſdictione eximi, imo impune diſcedere poſſunt, ita ut à domino repeti & revocari nequeant. *Luc. de penn. in l. ſi coloni 12. quæſt. C. de agricol. & cenſit. Gail. obſ. 17. lib. 1. per tot. ubi ex profeſſo hanc quæſtionem tractat.*

Proinde etiam ex ipſo uſu civitatibus ea diſtinctio manet; & præſertim Saxonicæ urbes hanc prærogativam ſibi vendicant, quum eam libertatis ſpecie uſque à Carolo Magno obtinuerint, utpote, qui Saxoniæ toti, præ aliis populis, antiquis legibus vivere cõcedebat.

cedebat. *Quod recte cenſet Matth. Steph. lib. 2. part. 2. cap. 2. n. 15. de iuriſd.* Civitatum alia, *inquit*, ratio apud Romanos ex inſtituto veteri fuit, quam iuxta modernum ſtatum. Ibi enim duplicis generis habebantur: Unum earum, quæ propriis legibus vivebant, quarum cives vocabantur municipes, quaſi munerum cum populo Romano participes, nullis aliis neceſſitatibus neque alia lege conſtricti: Alterum earum, quæ Romanas leges vel incolas acceperunt; & coloniæ dicebantur. *de quibus Lazius in comm. reip. Rom. lect. 1. & 2.* Hæ diſtinguuntur in minores, & maximas, quæ metropoles appellantur. *l. ſi duas. §. ſi minores ff. de excuſ. tut. &c.* Alias in maximas, minores, & maiores, pro ratione privilegiorum maiorum minorumve, quibus fruebantur. Decet autem, *inquit Modeſt. in l. ſi quas 6. §. 2 in fin. ff. de excuſ. tut.* maximo quidem numero immunitatum uti metropoles gentiũ: ſecundo autem, quæ habent vel forum cauſſarum, vel loca iudiciorum: tertio vero reliquas. At iuxta modernum Imperii Rom. ſtatum aliter diſtinguuntur civitates. Alia enim & nova exiſtit reipubl. forma à tempore Imperatoris Caroli Mag. ad Germanos translati: Et alia eſt inter eas differentia, &c. Velut iam dictum eſt.

Sed de his tunc pluribus agendum erit, quum ſpecialiorem cuiuſvis civitatis faciem delineabimus. Nunc ad finem ſocietatis completæ tendimus.

CAP. VIII.

De corpore & univerſitate ſocietatis publicæ.

ATque ita ad illud ſocietatis humanæ faſtigium perventum eſt, ut corpus ſe univerſitati ſiſtere poſſit. Sic enim tempus tranſcendit ævum, quo inter homines magiſtratus politici poteſtas apparuit. Statim atque naturæ impulſus homines vagantes palanteſque conciliavit, ut in unum coirent locum, magiſtratus emerſit. Ideoque, *ait Don Garſ. Maſtr. de magiſt. in prol. n. 21.* quemadmodum civitatem à familiis ortum habuiſſe compertum eſt; ſic, à magiſtratu œconomico politicum fluxiſſe liquidiſſime patet. Aſſueti etenim homines uni patrifamilias obſequi, moremque gerere, illiuſque imperata facere, in civitatem tranſilientes, ex omnibus ſibi unum conſtituere qui munera magiſtratus obiret: Huc unius principatum & monarchiam originem referre ſuam credimus; pronunciareque poſſumus; magiſtratum à natura originem duxiſſe; quemadmodum civitatem, quæ ſocietas politica, maximeque ad vitæ commoditatem inſtructa dicitur, ab eadem natura primordia ſua recognoſcere, ſatis perſpicuum eſt.

Utque tandem id exprimamus, in corporis ratione, quæ iam reſtat, ſatis dilucide apparebit; quomodo ſe hoc univerſitati involvat, ut inde vires in plenitudine vigendi ſibi ſumat. Corporis autem notio licet decem poſſit accipi modis, tamen omnia ſignificata ad duo poſſunt redigi; ut vel numerice vel collective intelligatur. Goddæus *ad l. 180. ff. de V. S. iuxta ſententiam Pomponij ICti*, tria eius facit genera: Unum, quod uno, inquit, continetur ſpiritu; alterum, quod ex contingentibus exurgit; tertium, quod ex diſtantibus conſtat. Primi generis, ait, hominem, lignum & lapidem eſſe: ſecundi, ædificium, navem, armariũ: tertii generis cõſtituit populum, gregem, legionem, &c. Sic & corpus politicum eſt plurium collegiorũ, pagorum, familiarum, hoc eſt, perſonarum diverſæ familiæ, diverſique ordinis & poſſeſſionis coniunctio. Atque tale corpus huc proprie pertinet. Veluti hanc ob cauſſam recte Dn. Melch. Goldaſtus, *in collectione conſtitutionum Imperial. tom. prim. ſtatim in limine*, Ordines Imperiales omnes cum dignitatibus ſuis in corpus certum redegit, corpus membrorum Imperii Germanici id adpellans, & ſecunda vice idem ſacri Imperii corpus in ſua membra & officia quadripartitum producens; ut inde auguſtiſſima eius amplitudo præ cunctis terræ regnis appareat, *quod ibidem qui volet conſulat.* Quemadmodum vero corpus humanas vires & ſoliditatem cohærentiamque medio nervorum & ambientis cutis acquirit; ita quoque politicum ex univerſitate & eius complexu continuitatem cum firmo vigore nanciſcitur. Baldus enim *in l. 5. n. 11. C. de exec. rer. iud.* affirmat, univerſitatem nihil aliud eſſe, quam homines ipſiuſmet univerſitatis collective ſumptos. Nam homines ſeparati & ſinguli non faciunt univerſitatem & populum. Ideo univerſitas non dicitur homines, ſed hominum collectio in unum corpus myſticum & abſtractive ſumptum; cuius ſignificatio inventa eſt per intellectum. *Cacheran. deciſ. 17. n. 14.* Verum talis univerſitas à collegio & corpore, quod eſt coniunctio plurium collegiorum, ita differt, ut univerſitas dicatur reſpectu alicuius territorii. *Timpl. pol. lib. 1. cap. 4. q. ult.* Qua ratione univerſitatis nomẽ eſt nomen iuris, non perſonarum: Pariter ut hæreditatis nomen differt à rebus ipſis, quarum denotat univerſitatem. *Modr. §. plebiſcitum deciſ. 2. n. 7. Loſa part. 1. c. 1. l. item. §. non. ff. de pet. her.* Hinc Caſtrenſis, *in l. 7. n. 1 ff. quod cuiuſque univerſ.* ſcribit; Univerſitatem quandam eſſe perſonam fictam, ex pluribus ſingularibus perſonis conſtantẽ. Etenim univerſitas, quamvis non animum, non intellectum, nec etiam corpus habere videatur, ſi abſtractive ſumas; attamen legitime congregata atque convocata, ſuſtinet ac repræſentat vicem unius perſonæ, quæ eſt aliquid diverſum ab hominibus univerſitatis. *l. mortuo. ff. de fideiuſſ. Modeſtin. §. plebiſcit. dubit. 148.* Unde maxima eſt differentia, an actus aliquis fiat ab univerſitate, ſeu vero à pluribus ut ſingulis. *l. 1. §. quib. l. ſicut. §. ſi quid ff. quod cuiuſque univerſ. nomine.* Hinc liberatio facta univerſitati, non afficit ſingulos homines univerſitatis; nec è contra. Idem videmus de bonis Univerſitatis. namque bona non dicuntur bona ſingulorum; & è contra. Sicque jus univerſitati legatum, ſingulis non competit. Nã quod eſt univerſitatis, unius corporis eſt. Ideo plurium ſeu ſingulorum non exiſtit, quoniam univerſitas eſt perſona per ſe repræſentata. *l. 6. §. univerſ. ff. de rer. diviſ. l. ſed ſi. §. qui man. ff. de in ius vocan. Et id aliis pluribus exemplis explicat Loſæus, d. c. 1. n. 16. & ſeqq.* Ac porro, quod aliud ſit univerſitas, & aliud ſinguli de univerſitate, apparet etiam ex eo, quod univerſitas eadem maneat, licet variæ mutentur perſonæ. *l. 7. §. in Decur. ff. quod cuiuſque univerſ.* Et ſic populus idem manebit hodie, qui fuit iam à centum annis, licet omnes, qui tunc erant, mortui ſint, & alii ſubrogati. Propter eandem etiam rationem ius & nomen univerſitatis conſervatur in uno ſolo qui remanſit de univerſitate. *Bald. & Caſtr. in d. l. 7. §. ult. num. 1. ff. quod cuiuſque univ.* Univerſitatis enim nomen manet & durat, etſi ad unam perſonam reciderit. *l. 7. §. 5. ff. quod cuiuſque un.* Etenim in hominum univerſitate tria conſideran-

tur: ipſi ſcilicet homines, res, & iura eorum. Unde licet homines extinguantur, remanent tamen nihilominus res & iura ipſorum hominum, quæ nempe propter mortem hominum non extinguuntur. Ac propter illa iura repræſentatur tota univerſitas in uno, *l. ſicut in f. ff. quod cuiuſque un.* etiam omnibus de univerſitate extinctis. Nam donec quis ſupereſt, res non poteſt carere iure & adminiſtratore. Atque ita univerſitatis privilegia durant, mortuis omnibus de univerſitate. Nam quod univerſale eſt, perire nequit. Sicut homo in genere non moritur. Proinde univerſitas actu perire poteſt, ſed non habitu, ut loquũtur, in quo generis conſervatio ſuperſtes eſt. Sic & privilegia & iura alia conſervantur eidem. Poſtea renovata univerſitate, omnia iura reſuſcitantur; interim autem tranſeunt ad fiſcum. *Modeſt. §. plebiſcit. q. 85. Beſol. pol. c. 12. num. 80.* Bona autem & res in communi univerſitates habere poſſunt; ſicut & hoc cuilibet perſonæ ſingulari conceſſum eſt, pura, nemora, paſcua, piſcinas, ſalinas, ædes, &c. item pecuniam in ærario, burſam communem, proventus, &c. *l. 1. §. quib. ff. quod cuiuſque vni. l. bona civitatis l. inter publica ff. de V. S.* Sed de his, quomodo poſſideantur & amittantur, vide Loſæum, *de univerſ. part. 3. & 4.* Nam bona ea ſi adimantur univerſitati & civili ſociationi, deſinunt eſſe publica. *Menoch. lib. 2. arbit. caſ. 598. Petr. Gregor. Tholi. lib. 35. Synt. 1. Guil. lib. 2. obſ. 61. Vid. Alth. diſcol. lib. 1. c. 21. n. 33.*

Academiæ etiam alias ſpecificum univerſitatis nomen attribuunt. In quo conſule Matth. Steph. *diſc. acad. par. 1. diſc. 8. num. 3. & ſeqq.* Beſold. *pol. cap. 12. num. 3. & ſeqq.* De tam conſtricta enim nimium ſignificatione heic non agimus; ſed potius *cum Melch. Gold.* facimus, ut ſupra dictum eſt; quum hac ratione univerſitas ſit plurium collegiorum, familiarum, & corporum, juris communione ſociata multitudo. *l. 2. l. 7. §. 1. ff. quod cuiuſque un. l. 30. ff. de uſur. cap. Sed in pluribus conſulatur Alth. pol. cap. 5. Bod. lib. 3. de rep. cap. 7. Loſæus de iur. univerſ. per tot. Hotom. queſt. ill. 42. Deuter. 13. 12. & ſeq. Gen. 34. 16. Exod. 11. 2. & ſeqq. tit. Cod. de colleg. lib. 11. & tit. de privat. corp. urb. Roma.* Nos ad ſcopum tendimus.

CAP. IX.

De republica, & maxime in ſtatu Chriſtianitatis, quid ſit.

ABſoluto iam & demonſtrato univerſæ ſocietatis corpore, & quomodo membris ſuis ordine in univerſitate detecta cohæreat; Neceſſum eſt, ut quoque nunc paucis animam eius perluſtremus. Non enim ſufficit, corporis noviſſe ſitum, & compoſitionem membrorum; ſed etiam ipſius internam intelligere eſſentiam, ex qua profluant eius actionum facultates & operationes, quibus ſe in hoc mundo vividum oſtentat. Prout Reſpubl. eſt, ita quoque nobilitatem corporis politici ſui arguit in vita ſive effectu ſuo, quam civitatem diximus. Ubi ſimul de vera Reipubl. definitione, quam adeo multos penitus ignorare cerno actum eſt; ut non opus ſit in his diu ſe torquere amplius. Sed tamen quum omnes, quotquot de repub. ſcripſerunt, parum ſolliciti ſint, ex quo fundamento, & quid, ac quibus ſcribunt; paucis etiam in his ipſorum errores detegendi ſunt.

Profitentur ſe quidem Chriſtianos & quod Chriſtianis ſua ſcripta ediderint; ut plurimum tamen res proponunt Chriſtianis haud probe convenientes. Etenim non putant ex ipſa ſacra Scriptura, & maxime ex novo Teſtamento, reipublicæ conſtitutionem eſſe deſumendam; ita ſemper luxuriant in Ethnicorum placitis, atque omnia ex ipſis determinant. Nullum heic uſum habere opinantur, imo rident, quæ Chriſtus, quæ Apoſtoli, aut Spiritus Iehovæ per Apoſtolos illis loquuntur. Quis non deploret extremam perverſitatis malitiam? Nimirum eiuſdem ſunt ſortis homines quales tunc olim erant ante cataclyſmum ingruentem. Poſteaquam igitur nunc iterum mortales ſuam in ira Dei tantopere tanta obſtinacia concitarunt Turbam, perinde ac Spiritus Dei etiam apte diluvium ludibrio habebatur; quis non intelligat, ſimilis ultionis, tam pertinaciter à Turba magna irritatæ, tempus etiamnum acceleratum iri? Unus inter omnes Danæus vix ægre invenitur, qui titulum politicæ Chriſtianæ tangere vel in medium producere fuerit auſus. Reliqui prope omnes hoc ſe ſanctiori conatu, ac ſi in ſummam alicui cedat ignominiam, indignos faciunt; dum tantum cenſetur nefas, ſi alicubi ab ethniciſmi uſu crebriori ſit deviandum. Quin ipſe non adeo pridem ex ore magnorum virorum non abſque horrore audivi, qui extremæ ſtoliditati aut veſaniæ hoc adſcribere ſolebant, ſi quis deciſiones politicas aut juridicas ex ore & Verbo Dei petere aut deſumere vellet: quum non tantum nimis eſſet durum; ſed etiam nec elegantiæ nec temporum rationi talia competerent. Quaſi is, qui ipſa eſt ſapientia Patris, & in quo vivere, moveri, & eſſe debemus, quique ſui imagine in Spiritu ſuo nos donare cupit, non verba vitæ firmiora & ſolidiora protulerit, quam quæ fluibunda & vana ſomnia hominum confingunt. Verum enimvero verba Danæi, quam oppido ſint oportuna & rei huic accommodata, paulo infra adducam: Audiamus modo prius, quid reipubl. Chriſtianæ nomine revera nobis cenſendum veniat. ex quo patebit facile, quantum omnes in ſuis rerumpublicarum conſtitutionibus à via declinent.

Eſt igitur Reſpubl. Chriſtiana nil aliud, quam populi Dei adunita ſancta poteſtas, quæ ex dilectione proximi iuxta pietatis virtutem procreat civitatẽ eam, in qua pacifice vita huius ævi ad gloriam Dei unicè tranſigatur. Hæc, hæc vere eſt Reſpubl. Chriſtiana; & ita conformatam eſſe oportet, quam Chriſtus ipſe, legibus ſuis ex ſinu Patris nobis revelatis, præſcripſit. At enim quis eſt, qui rerum vitæque autorem atq; æternæ reparatorem ſalutis digne curet? Licet ille civitatis ædificationem omnem ſibi deſtinari cupiat unice, tamen nemo audit; ſed unuſquiſq; ſuas ſequendas ſibi vias eligit. Ideoque pravitati cordis eorum tradit eas, ut in conſiliis vanis ambulare pergant, ut queritur graviter ipſe Iehova *Pſalm. 81. 12.* Talis enim Reipubl. formatio, qualem ſibi homines confinxerunt, non eſt ex Iehovæ viis aut ſtatutis ad voluntatem divinam adornata; ſed ex cordis pravitate, imo Ethniciſmi meditullio, progenita.

Atque hoc eſt in quo quidem Danæus veram quoque mentem expreſſit. Verumtamen, quoniam miſeris nobis mortalibus nil crebrius eſt, quam à Dei veſtigiis leviſſime diverti, &, quæ una manu ædificamus, mox altera deſtruere; præclare autem dicta, quibus ad communem amplificandam rem cum

cum primis indigemus, nimium iterari, ſi vel ad nauſeam inculcentur uſque, non poſſint: idcirco, quæ in hoc negotio divinæ veritati præcipue congruentia prodidit Danæus, heic audiamus. Politica præcepta (*ait in proœmio*) ſcripſere varii, cum homines philoſophi, tum alii & veteres & novi autores: ſed qui ad puriſſimum Dei verbum ea exigeret, nemo, meo quidem iudicio, adhuc repertus eſt. Atqui, ſi quo alio ullo in loco graviſſime peccari ab hominibus poteſt, dum à Dei voluntate diſcedunt; maxime in hac re una. Nam, cum à Deo opt. max. mundum hunc regi, felicesque rerum omnium ſucceſſus exſpectandos eſſe fatendum ſit; certe omnium tum urbanarum tum militarium actionum (unde Reip. ſumma pendet) felicitas ab uno eodem Deo eſt ſperanda. Verum ab eo ſperari qui poterit, ſi Reimſp. ipſam totam, aut quid in ea, contra Dei ipſius expreſſiſſimum mandatum, voluntatem ac conſilium, inſtituimus aut ſuſcipimus? Certe nullus ex eo fœlix exitus expectari poterit. Quamobrem erat cum æquius, tum etiam optabilius, ac omnino magis neceſſarium, ut præcæteris hæc una præcepta (quæ politica nominantur) ex illa divini verbi regula maxime ſumerentur, id eſt, ex ea quam Deus nobis de rebus omnibus (quæ in actionem vitamque humanam cadunt) in verbo ſuo præſcripſit. Quum ſit enim politice non modo ars quædam è præcipuis una; verum etiam cæterarum, quibus hominum inter ſe ſocietas colligatur conſervaturque, facile princeps, &, ut loquitur Plato, πασῶν δημιουργική, aut, quemadmodum Ariſtoteles, πασῶν ἀρχιτεκτονική· equidem ad eam vere, tuto, utiliterque tradendam, fuit eſtque divinæ lucis fax ac veritas verbi Dei præferenda, qua duce neque aberrant homines, neque inania & vana pro ſolidis, velut Ixion (ut eſt in fabulis) nubem pro Iunone, amplectuntur. Neque vero verbi divini adjumento ad eam ſcientiam copioſe luculenterque complectendam & deſcribendam politici ſcriptores carebant, ſi modo ad illud attendiſſent: Sed homines, etiam Chriſtianum nomen profitentes, profanorum autorum libris literiſque ab ineunte ætate ſemel inſtituti, in iiſque poſtea diutius innutriti, nihil ex divina Scriptura ſumi tradive poſſe crediderunt, quod ad eas artes pertineret, quas profani philoſophi tractaſſent. Ex quo evenit, ut & ethicen. & phyſicen, & politicen, ex Ariſtotelis, Platonis, Taciti, Senecæ, Plutarchi, aliorumque ſimilium ſcriptorum monumentis diſcerent potius, quam ex Dei verbo; id eſt, lacunas, & eas quidem ſæpe putres, potius quam ipſum aquæ ſalutaris vivum fontem, mallent conſectari. Inde tot in quavis philoſophiæ parte errores nati, quos etiamnum hodie mordicus Chriſtianæ quæ vocantur ſcholæ nihilominus tuentur, ac retinent: Inde tot inter Philoſophiam & veram Theologiam contentiones ortæ. Quas omnes facile evitarent homines, ſi ex uno Dei verbo ſapere, non ex humanis commentis, didiciſſent, ac nunc etiam diſcerent. Mihi quidem hoc fuit perpetuo propoſitum, ut philoſopharer; & quidem non paucis, ut Neoptolemus ille apud Ennium voluit; verum ut vere philoſopharer. Ecquæ enim eſt falſæ mentitæque ſcientiæ & doctrinæ utilitas? Itaque, quantum quidem potui, ſingulas philoſophiæ partes ad verbum divinum ſemper revocavi, velut ad veriſſimam omnis veritatis atque omnium rerum (de quibus illud verbum agit) normam: Contra quod ſi quid extet ſcriptum, illud & falſum, & blaſphemum, & execrandum judico, à quocunque tandem fuerit traditum, & de re quacunque affirmatum. Eſt enim divina Scriptura non tantum πιστῶν, id eſt, rerum quæ credi, verum etiam πρακτῶν, quæ agi debent, regula certiſſima & immota. Quare ut, quæ ſit optima civitatis regendæ ratio, intelligatur, (quæ res πολιτικὴ ἐπιστήμη, politica ſcientia, nominatur; eſtque pars potiſſima rerum omnium quæ in hominum actiones cadunt, quibuſque pietas ac iuſtitia hominum inter ſe continetur,) eſt, inquam, politicæ ſcientiæ præceptio recteq; gubernandæ civitatis ratio vera ex ipſo Dei verbo, quantum fieri poteſt, ducenda. Auguſtinus, *epiſt. 3. ad Vulſianum, de S. Scriptura loquens*, Hic etiam, ait, laudabilis eſt Reipubl. ſalus. Neque enim conditur & cuſtoditur optima civitas, niſi fundamento, & vinculo fidei, firmæque concordiæ, quum bonum commune diligitur, quod ſummus ac veriſſimus Deus eſt, &c.

Non inconvenienter hæc prolata ſunt. quæ merito omnes excitent & informent politicos. Proinde qui in tali ſententia conſtanter perſeverat, nec ab eadem facili deflectit motu; egregium certe præſtabit opus, & homine Chriſtiano dignum perficiet. Fac hoc, & vives, ait Chriſtus. Nec enim verba ſufficiũt, ubi facto opus eſt. Sed uti noſtræ rationis miſeranda fert cæcitas, quando in ſuas toties relabitur vanitates, ita fit, ut, quamdiu profana divinis miſcentur, eaque præ cœleſtibus mandatis in potiori habentur loco, omnes ab eodem ſemper devoremur errore, & cæcus cum cæco in eandem abripiatur tenebrarum foveam. Utinam mortales, corruptiſſimæ ſuæ naturæ corruptionem vere intelligerent, nunquam ita temere cæcis rationis inventis aut ſyderei illius Spiritus impreſſionibus ſe ſubmitterent. Verum quis ſtolidum in ſua protervitate corrigit mundum? Quis eſt in tantis tenebris qui non ſuam ſibi excelſe mundã confingat lucem? Tum quoque quid non communiter receptus habitualitatis ſuæ dictitat uſus? Deus venter eſt, & in diem vivitur: & ſanctior eſt ille, qui ditior eſt, *ait D. Hieronym. ad Chromat.* Sic ducit ſepia percam. Nec opus eſt, ut ſurdaſter cum ſurdaſtro litiget amplius.

Quum igitur ex ſupra illatis conſtet, quod reipub. cuiuſvis conſummata conſtitutio ex duabus conſletur & in ordinem iuſtum redigatur partibus; internis & externis; unaquæque autem earum hoc habeat officium, ut vel auctioni vel conſervationi incumbat: effectum talem iuſtum præſtare tenetur. Sic internæ conſervationi maxime inſerviunt libertas, leges, virtus, induſtria, potentia, &c. mortalium; ſed inprimis divina gratia; ſicut etiam huc referri poteſt ærarium publicum, cui ſeptem genera conficiendæ pecuniæ apponit *Bod. lib. 6. de Rep. c. 2.* Internæ auctioni, quæ aut naturalis aut induſtrialis eſt, & hæc iterum aut voluntaria aut coacta; ei primitus inſervit, propagatio populi; huic rurſus libertas, unio vicinitatis aut proximorum, arrogatio, adoptio, affinitas, &c. omnium autem maxime & fundamentaliter heic conducunt negotiationes & commercia, nec minus & fœdera huic intentioni inſervientia. Sic & externæ partes internis correſpondere debent, ut aut ſtabiliendo proſint, in munitione, fortificatione, ædificio-

dificiorum erectione, propugnaculorum ordinatione, &c. aut amplificando in legitimis mediis per privilegia, concessiones aut fœderum compactiones; aut violentis, quod fit per bellum. Verum quum ultimum hoc ad scopi nostri intentionem nil iam faciat; id, quod in privilegiis & in fœdere iusto consistit, paucis subnectimus. Ita enim inde patebit, quãto cum fundamento necessitatis & munimis, nec minus ornatus atque utilitatis Germaniæ, Fœdus Hanseaticum in tantam tot seculorum extensum sit durationem, unde merito hæc ipsi debetur celebritas, & observantia.

CAP. X.

De Privilegiis, unde & quid sint, ac quemodo iure concedantur suo.

EX quo mortalium consensus omnem libertatis suæ facultatem in superiorem quandam potestatẽ transtulit, ut ita dominationis nutui viveret subordinata; necessum quoq; fuit ut disciplinæ legũ se simul submitteret, quas æquali iure distributim exciperent. Verum, ne vis potentior ab ingruentibus, aut ab æquitate ipsa deviantibus aliis, immineret, vel disturbaret universitatis corpus, haut raro autem ipsa dispositio loci ac commoditas rerum negotiorumque exegit aliquam libertatis translatæ restitucionem & prærogativam præ reliquis subiectis: orta inde est quædam legum & iuris communis exemptio, quæ pro loci, rerum, personarumque necessitate assignata fuit plurimis, boni publici caussa. Atque hoc peculiare ius, quum, respectu & comparatione communis iuris, aliquid singularitatis inferret, & commodum iis, qui expeterent, adiiceret; nuncuparunt id *Privilegium*: quasi nova lex privatim addita fuerit aliis, ob causam specialem. *gloss. in l. 21. §. idem. ff. ad municip.* unde etiam alii privilegium, quasi privans legem communem, dictum volunt. *Ias. on in l. fin. num. 27. ff. de constit. princ. Mozz. de contr. § 3. nu. 25. Perus. in c. 1. de constitut. Enenk. de privil. lib. 1. c. 1. num. 6. & 7.* Quamvis autem interdum latius, interdum strictius accipiatur; *ut idem notat plurimus Enenck.* adeo ut etiam Gellius, *lib. 10. c. 20.* scribat, quod veteres, privilegia leges appellarint: tamen ita, ut iam dictum est, proprie privilegium accipitur. Unde privilegiati dicuntur, qui à iure communi excipiuntur. *l. decurionibus. C. de silent. lib. 12.* Et privilegia ita interpretanda sunt, ut aliquam contineant gratiam contra ius. *ut est in c. sicut Romana. de rescript.* privilegium enim ius dicimus tale, (*ait Enenck. d. l. num. 10.*) quod adversus generale ac commune ius exceptionem & relaxationem, eoque privationem legum, certo in casu, seu suspentionem, introducat; quo nixi quibus illud datum est, legibus in illo casu communibus soluti intelliguntur. *ut satis describit l. 14. C. de usufr. & habit. l. 9. C. de testament.* Quod rectius alii ita definiunt: Privilegium est ius, quod contra communem civilium ordinationum tenorem, propter aliquam naturalis æquitatis rationem, certa constituentium auctoritate introductum est. Unde apparet, quod privilegia contra ius naturæ vel utilitatem publicam, non magis sunt privilegia quã tyrannis lex est; *ut Cicero de l. differens probat. Et hic est verus sensus l. ult. C. si contra ius vel utilit. publ.*

Multa & varia huic in iure civili nomina imponuntur. Ut; Beneficium interdum dicitur. *l. penult. ff. de constit. princ. l. ult. ff. de adopt. &c.* Item ius. *in l. 2. l. 7. ff. de testam.* Lex. *l. 5. ff. de testib.* Prærogativa. *l. 4. §. 5. ff. de offic. proconf.* Consuetudo. *l. 4. §. ingressum. ff. de off. proc.* Rescriptum. *l. 6. ff. de iur. fisc.* Concessio. *l. 1. in prin. ff. de testam. mil.* Indulgentia, Benivolentia. *l. 52. ff. de acquir. vel omitt.* Constitutio. *l. 1. §. item. ff. quæ sent. sine appell.* Sanctio. *l. 2. C. de locat. prad.* Exceptio. *l. 7. C. de vectigal.* Germanice Freyheit / Handveſt / in iure Sax. dicitur Hebræis *Perah* vel *Perabot*, quod *libertatis, Privilegia* est; à verbo *parah*, id est, *privare, eximere, liberum facere.* unde vox *Parho*, olim cognomen regum Ægypti: quasi rex sit homo singulariter privilegiatus, & numero communi exemptus. *Enenk. d. l. 1. de privil. c. 1. num. 14.* Ideo verum est, quod nemo sibi propria auctoritate privilegium adrogare possit; *c. 25. quæst. 2. cap. 22.* Sed hoc competit illi, qui principem locum obtinet, *Bod. lib. 2. cap. 2. de Repub.* solus etiam sit conditor & interpres. *l. 6. ult. C. de L.* Solus enim dare potest privilegia. *per novell. 6. cap. 2.* Principem enim heic excipiunt ICti, qui summam habet potestatem. Nec refert, sive unus sit, sive plures. unde etiam Rebuspubl. licitum, quæ superiorem non agnoscunt. *l. scitote 2. c. 6. quæst. 3. c. 18. de iure iur.* Velut etiam concedere videtur Princeps privilegia tacite indulgendo. quod fit in more & consuetudine antiqua. §. 7. *de conceptione digest. c. mos antiq. 6. dist. 6. c. nunquestus* 8. 9. q. 3. Ubi communis præscriptio etiam satis operatur. *c. audientiam. de præscript. c. 15. d. t.*

Subiectum autem, quibus inhærent privilegia, sunt personæ & res. *l. ult. C. de fruct. & litis expens.* Personarum ratio duplex est: vel enim Principes sunt, vel subditi. Principi competunt regalia in signum supremæ præeminentiæ & potestatis. Quæ, quoniam non sunt aliis communia, sed eius propria, merito ita dicuntur. Hæc si rite cognoscantur, facile poterimus perspicere, in quibus prærogativæ aliis concessæ fuerint. Ideoque regalium Principis quædam commodum eius pecuniarium recipiunt, ut est ius fisci, mulctarum, pœnarum, &c. deinde pertinent ad Principem bona vacantia, vectigalia, collectæ maiores Imperialesve, portorium, ripatica, reditus piscationum, salinarum; parangariarum præstationes, dimidium thesauri inventi, &c. Sic & personis habet ius conferendi vel dignitatem, vel officium, beneficium, vindictam, vel quidpiam huiusmodi quod eam ab observatione legum communium liberet. *de quibus vide facil. Frid. de privil. th. 31. & seqq. longum referentem catalogum.* Modus autem concedendi privilegia olim in Comitiis centuriatis fiebat solummodo, *quod etiam ita lege 12. tabularum cautum erat. Cic. pro domo sua, & pro Sextio.* At nunc in potestate est eius vel illorum, in quos regalia summa devoluta sunt. Ac licet tenor privilegiorum ad unguem servandus sit, *l. 1. §. 10. ff. de exercit. act. c. porro, de privil. l. professit. ff. qui & à quib. manumiss.* tamẽ caussa impulsiva maxime declarat & restringit privilegia. *l. 77. §. 20. ff. de legat. 2. l. ult. ff. de test. mil.* Unde reale privilegium intelligitur, si descendit ex contractu. *l. 8. §. 4. ff. de pig. act. l. iuris gent §. 8. ff. de pact.* Si vero ex gratia, personale est. *l. 5 §. 4. ff. de iure immunit.*

Finis autem privilegiorũ est, consulere bono publico, succurrere infirmitatibus, avertere futura mala,

mala, & præcavere incommoda Reipubl. nec non fortitudinem præmiis afficere, & bene meritos remunerari. *l.26.ff.de teſtam.mil.l.1.ff.ſi ventris nom.l.58. C.de decurion.l.ult.C.de ſtatuis.*

Unde effectus quoque privilegiorum eſt, quod tantum operentur, quantum conſuetudo & præſcriptio. *l.1.§.ult.& l.ſeq.ff.de aq.& aq.pluv.arcend.* Veluti & privilegia realia perpetua ſunt, & ad hæredes tranſmittuntur. *l.3.C.de cenſib.l.42.ff.de admin.& per. tut.* Maximi vigoris ſunt, quæ corporibus, collegiis & civitatibus generaliter dãtur, quia firmiter ad poſteros extenduntur. *l.4.§.3.ff.de cenſ.* At perſonalia ſunt temporaria. *l.12.C.de prox.Sacr.Scrin.l.3.C.de excuſ.mun.* niſi ſpecialiter tranſitio ad hæredes indulgeatur. *l.5.C.de ſilent.* Maxime durabile & inexpugnabile eſt, quod titulo oneroſo eſt comparatum.

Ex quibus patet, quod variæ ſpecies privilegiorũ dentur. & præſertim decẽ diviſiones refert Enenk. *lib.2.c.1.qui ibi conſulatur.* Saltem hac vice id monendum putamus, quod privilegiis contraria ſint: iniquitas. *l.4.C.de emanc.* mendacium. *l.5.C.ſi contra ius, &c.l.19.ff.de falſis.* dolus, *l.51.ff.de re iud.* delictum. *l.1. C.ubi Senator.&c.l.2.C.de priv.ſchol.* abuſus *l.11. C.de Iudæi. Nov.8.c.13.* & non uſus. *l.ult.ff.de excuſ.tut.* itẽ renunciatio. *l.46.ff.de pactis.* item ſi ceſſet cauſſa. *l.43. ff.de vulg.& pu.* & mors privilegiati. *l.26.ff.quando dies leg.* Sic re extincta, reale privilegium extinguitur. *l. 5.ff.ut legat.nom.cav.l.59.ff.de condit.& demon.* Unde civitate deſtructa, privilegium moritur. *l.4.ff.de cenſib.l.21.ff.quibus modis uſusfr.amitt.* Si vero opus reparationis fit, ſuſpenditur & non extinguitur. *l.59.§.1. ff.de condit.& dem.l.83.§.ſacram.ff.de V.O.* Nam etiam bello capta civitas, ſi vindicetur in libertatem, iura ſua priſtina recuperat. *l.12.§.6.l.20.§.1.ff.de captiv.l. 26.ff.quib.modis uſusfr.&c.*

Ex his autem patet, unde ſit, quod in iure civili ſæpius exemptio occurrat, cuius ſupra mentionem fecimus; velut immunitas à muneribus, oneribus, operis, collectis; & cur hodie tam exoſum ſit nomen illud, quando nonnullæ civitates præ aliis à tributis & oneribus exemptæ & liberatæ ſunt. *Rul.de com.l.5. p.2.c.4.* Aiunt enim; Salus publica flagitat, ut reciſa ſit exemptio, quam fieri poteſt maxime, onuſque non imperio, ſed ſtatui eximenti accreſcat. *Viet.de tauſ.exempt.concl.19.& Schonb.lib.5.pol.c.7.* Non incongruum quidem conſilium, ſed dum nimis exacerbatos reddit animos, & lites ex litibus gignit; rectius foret æquitati ſuppetias ferre. Omnes enim inclinant in hoc plerumque, ut interpretationem ex periculoſa illa clauſula petere velint, quæ privilegia ſaltem rebus ſic ſtantibus conceſſa cupit. Aſt quantam ſegetem malorum diſſeminarit in mundum hęc locutio, id tot ſtrages & clades teſtantur aperte. Utinam tandem melior adeſſet reſipiſcentia omnium, & homines agnoſcerent, quod non incompte nonnulli proferunt politici, qui pœnæ loco Reſpubl. in genus humanum ſtatuunt introductas. Oleum flammis infundunt, & ſecuritatem nitniam cordibus protervis ſuggerunt, qui hoc negare auſint. *Vid. Chr. Matth.in pol.lib.2.ſect.3.* Etenim intermortua charitas ſatis indicio eſt, quam Deus ſit à tali forma regiminis alienus. An non inde tantus legum humanarum cumulus profluxit? Num talis Reſp. poſſit eſſe grata Deo, quæ ſibi ipſi in tantis flagitiis & dolis oneri eſt? An id amori Dei poſſit adſcribi, quod is non poteſt non ſummo odio proſequi? Odio habet omnes verbi tranſgreſſores ſui. Alius autem non eſt præter Chriſtum, qui legem compleverit. Quicquid igitur in Chriſto non fundatur, ab ira Dei certe neutiquam eſt exemptum. Si unica omnium legum lex in Rebuspubl. obſervaretur, quam Chriſtus *Luc.6.41.& Matth.7.12.* nobis inculcat; Quæcunque volueritis, ut faciant vobis homines, hæc & vos eis facitote, &c. propius certe omnis Reſpubl. accederet ad amorem Dei, & ſtatum Deo amicum referret. Verum quum omnes ab eo abſint, & potius multiplicitatem ament quam unitatem, ideo magis etiam in profunditates iræ Dei ſe præcipitant. Et hinc eſt, quod natura vel creatura, ſive totus mundus, tantopere ſuſpirat, quo tandem à ſervitute corruptionis huius liberari poſſit; ſeque in libertatem vindicare anhelat; ut D. Paulus ait, *Rom.8.20.21.& 22.* Ita natura iniquiſſimo põdere actionum humanarum & malignitate victa ac ſuppreſſa jacet, ut penitus abhorreſcat à vinculo eius, cui implicata hæret. An non igitur pœnæ loco ſibi tales Reſpublicas impoſitas dicemus, quæ à Dei & proximi dilectione ſunt alieniſſimæ, & in quibus nil niſi violenta legum conglutinatio, fœderumque conſtrictio, cum acri diſciplina, vel demum lucri aliqua indulgentia, quæ in privilegii auctoritatem, talem, ut iam dictum eſt, redundet, animos conciliare poſſit? O durum neceſſitudinis vinculum, ubi ferreis quid coagmentatur clathris!

CAP. XI.

De fœderis natura propria in genere, variiſque eius acceptionibus, & definitione vera.

QVemadmodum ſocietas publica & civilis in formam ſymbioticam coeat, & quomodo, ſi nimium legibus conſtricta ſit, aliquam inde relaxationẽ iurium pro maiori favoris mutui gratia acquirat, huc uſque dictum eſt. Sed quum ad conſervationem & amplificationem Reipublicæ non ſatis ſit, ut inter ſe iuris aliquo vinculo concatenetur; ſed etiam firmitudinem ꝑpius externam & augmentum ſibi quærere à vicinis cogatur; atque nil ibi æque idoneum & conciliabile inveniatur, quam fœderum conſociatio: poſtulat jã rei evidentia, ut eam quoque paucis perluſtremus. Qui enim in regimine abſque certo vitæ externæ munimento res proſperas adverſaſque experti ſunt, fatentur, quam ſæpiſſime periculis expoſitos ſe viviſſe, & vix potuiſſe à ſe propulſare vires hoſtium, niſi fuiſſent ab amicis & confœderatis adiuti. De Germaniæ regulis ſcribit Iovius *lib.32.hiſtor.* quod mutua ope & ſanctiſſimo liberalis amicitiæ iure ſeipſos ab iniuria & ſuperbia potentiorum facile defendant. Auxilia enim humillima conſenſus firma facit, *ut ait Publius*: & vel Scyluri tela documento ſunt, quãta difficultate juncti faſces diſrũpantur, qui octogina generoſis ſuis filiis, *referente Plutarcho*, firmam animorum & vitium coniunctionem hac ſimilitudine adumbravit. Hoc pacto coniuncta fœdera in animorum morumque ſimilitudine magis atque magis confirmantur, quandoquidem pietatem pro duce, & prudentiam conſultricis loco adhibueris. Fœdera igitur merito inventa fuere ab omni ævo, ut

amico-

amicorum uſu potentiaque terrere hoſtes, tuos autem patriamque tueri poſſes. *Vide* Ubertum Foliettam *de fœd.celſ.Mancen.lib.6.de iure princip.c.* 13. *Erenb.lib.1. de fœd.c.2.num.232. Alex.ab Alex.lib.5. Gen.c.3.Camer. centur.1.ſucciſ.cap.6.& cent.2.cap.78. Bod.5.de Rep.c.6. P.Greg.Thol.lib.11.de Rep.c.11.Comin.lib.2.p.360. Paricidem lib.27.de tacit.convent.t.7.n.7.*

Conſpirationes equidem improbæ & coitiones turbulentæ iure vetantur; *l.3.ff.ad l.Iul. de vi publ. Aur. Bal.tit.*15. Verum in legitima fœderum cognitione, conſtitutione & pactione, rite hæc conſiderantur ſequentia: 1. nominis ratio. 2. quid fœdus ſit. 3. quæ fœderum ſpecies aut genera. 4. cum quibus probabiliter ineunda. 5. qui icere poſſint. 6. ſub quibus conditionibus, & quæ cautelæ. 7. quis modus. 8. quod officium confœderatorum. 9. quæ ſolemnitates. 10. quæ duratio, & quis effectus eorum. 11. eorum cognata quænam. 12. quomodo diſſolvantur.

Quantum igitur ad primum, nominis rationem, attinet, Feſtus apud Latinos fœdus ab eo appellatum dicit, quòd in paciſcendo fœdere hoſtia necaretur, & cæſa porca iungebant fœdera. vel quia in fœdere interponatur fides. unde & Varroni fœdus quaſi *fidus* dicitur, quod fœdere tali certa fides pacis nitatur. *Bod.5.de rep.cap.6.& Erenb.1.de fœd.c.* 3. *Zepper.* 4. *de leg. Moſa.c.6.* Fides enim proprietas eſſentialis eſt, quod nihil ambigui, fucati, aut doloſi admittat; quum talia cuncta fidem ſubvertant penitus. Ideoque ipſi quoque Ethnici pactionem adeo ſanctam fœderis habuerunt, ut ſingulari cum ſolemnitate nec ſine victimis celebrarent eam. quod ſane non ethnicorum fuit inventum; ſed ex ſanctorum patriarcharum hiſtoriis illud in abuſum gentilem fuit abreptum; ceu diabolus ſemper apud ſuos fraudulentus Iehovæ imitator eſſe cupit. Iehova enim ipſe poſt cataclyſmum ſtatim auctor fuit fœderis, quod tum cum Noacho, & filiis, nec non poſteris eius, pepigit; ubi in æternum huius fidei teſtimonium iridem adiecit, ut ſit ſignum fœderis inter Iehovam & terræ incolas. *Gen.9.v.*13. Magni ſane myſterii arcus ille imaginem refert, quod antehac nemo in myſtica ſua explicatione aſſecutus eſt, præter Teutonicum; cuius verba *in myſt.mag.ſive comm.in Gen.cap.*33. ſic ſe habent: Fœdus hoc cum hominibus initum figuram refert trium principiorum eſſentiæ divinæ, velut eſſentiæ eſſentiarum: Nam arcus ille ſignum eſt fœderis huius, ut Iehova reminiſceretur & intime ſecum recoleret, homini in tribus iſtis principiis, ex quibus ad ſui imaginem procreatus eſt, vivendum eſſe. Sed ut tamen reſpiceret ad hominis imbecillitatem, & periculoſitatem ingentem: inde imaginis huius formam obiiciebat, ne amplius furor eius exſuſcitaretur, & viram omnium peſſumdaret. Iris enim colores omnium trium principiorum continet. quippe primi color eſt rubeus & fulvofuſcus, qui ſignificat tenebroſum & igneum mundum, tanquam primum principium iræ Dei. Secundi vero color eſt albidus & flaveus, qui color eſt maieſtaticus, indicans imaginem ſancti mundi, & amoris Dei. Tertii denique color eſt viridis & cæruleus: Cæruleus ex chao eſt, & viridis ex aqua aut ſulphure ubi in fulminatione ignis, ſulphur & mercurius ab invicem ſeparantur; ibi diſtincti prodeunt colores, qui nobis internum ſpiritualem indicant mundum in quatuor elementis contectum iacentem. Arcus iſte figuram extremi exhibet iudicii, quatenus interni ſpirituales mundi rurſus manifeſtabuntur, & quatuor elementorum mundum abſorbebunt in ſeſe. Ideo gratioſum fœderis ſignum eſt, quod iudicem mundi in fœdere denotat, videlicet Chriſtum, qui in omnibus tribus principiis in fine dierum apparebit. Velut iuxta ignis ſignum iudex ſeverus in Turbam, & in cuncta, quæ in ea deprehendentur, igneum iudicium exercebit, & inflammabit Turbam. unde primum principium in ſua ignea proprietate apparebit. omnes res enim huius mundi in igne primi principii, tanquam in centro æternæ naturæ, probabuntur; ubi Turba omnium rerum in igne abſorbebitur. At iuxta lucis ſignum in medio igne tanquam amabilis facies omnibus ſanctis apparebit, & ſuos ſub amoris & humilitatis umbraculo ab omni ignis flamma innocuos conſervabit. Demum ſecundum externæ naturæ mundi huius regnum in aſſumpta humanitate apparebit; & coram illo externum myſterium quatuor elementorum, tanquam iuxta ſulphur, mercurium, & ſal, iuxta omnes proprietates miraculorum in effato & formato verbo, videlicet iuxta lucem & tenebras, manifeſtabitur. Huius imaginem & figuram exhibet iris; quia eſt contrafactura aut reſplendentia obiecta ſoli, ut inde conſtet, quæ proprietas in proprietate lateat, &c.

Ita quoque fœdus ſolemne Iehova iniit cum Abrahamo, quum ipſi & poſteris eius terram ſanctam promitteret: Ibi victima ex vitula triennali, trienni capra, ariete triennali & turture, cum pullo columbarum iuſſu Dei ſancita fuit. *Gen.*15.*v.* 10. Cuius explicationem hieroglyphicam ita Teutonicus *cap.*36. *in myſt.mag comment.* introducit: Heic, ait, vera figura de victima Chriſti pro humano genere, ipſius paſſio, mors, & perſecutio, tum quoque ipſius victoria, depicta eſt: velut ſimul hominum peccata & vanitas, &c. Tria enim animalia, puta vitula triennalis, capra & aries, ſignificant partem externæ humanitatis temporalem, ex limo terræ compactam. Quod vero triennalis eſſe debebat, indicat totum externum hominem triplicem, ex ſulphure, mercurio & ſale conſtantem; velut tres proprietates trium principiorum, quæ in terra quaſi in una latent eſſentia. Diſſectio Abrahami ſignificat duplicem limum terræ, videlicet craſſam proprietatem ex tenebroſo mundo, & ſubtilem limum ex cœleſtis mundi proprietate; quæ ab ſe invicem morte ſeparandæ veniunt; quam Adami cupiditas introduxit; ut inde lucis & tenebrarum comparatio appareat. Turtur vero ſignificat miſeram animam in animali proprietate captivam; velut & pullus columbæ imaginem Dei in homine defunctam, quæ in victima renovari debet tanquam nova regeneratio. Quod vero columbæ iſtæ binæ non diſſecarentur, ſed integre in victimam offerrentur; indicat, quod animæ & homini interno nihil de limo cœleſti adimendum ſit, ſed in eſſentia ſua integri manſuri ſint, & iracundo igni Dei in Chriſto toti in ſacrificia ceſſuri, atque ita per ignē iræ ſeu mortem tanquam per ingentes tenebras, mortis & inferni terrorem, traducendi, &c.

Ita quoque Iehova, *Gen.*17.*v.*2.3.& 4. repetit hoc fœdus & id cum Abrahamo renovat, ipſi ſimul nomen Abrahami in ſignum firmi fœderis imponens, quod fœcundaturus eſſet ſeminis multitudinē eius. Tanta eſt Iehovæ noſtri in genus humanum benignitas

gnitas & clementia, ut undique ad fœdus promptiſſimum ſe exponat. *Ceu Gen.6. Exod.6.4.& 19.5.& 24.7.8.& 34.27. Levit.26.55. Deut.4.23.& 5.2. Eſa.59.2.& 61.8. Ier.11.3.4.& 24.7.& 30.22.& 31.1.31.& 32.v.38. Ezech.11.20.& 14.11.& 34.25.& 36.28.& 37.verſ.26. Oſe.2.18. Zach.8.8.& 13.9. Roman.11.27. 2. Cor.6.16. Heb.8.8.& 10.6. Apoc.21.3. &c.* Stupendum ſane eſt, quod æterna maieſtas, cuius voluntatem & poteſtatem convenit eſſe omnium liberrimam, ad normas ſeſe pactorum obligare & obſtringere dignatur, quũ nulla neceſſitate adacta eſſet, nec ſpe commodi alicuius illecta faceret. Bonus ipſe eſt ſolus; *ut ait Chriſtus.* At poterat bonitatem ſuam libere abſque ullo fœdere ſatis declarare: tamen voluit nobis eſſe cognitum, quid de illa nobis polliceri debeamus. Potuit efficere hoc ſimplici verbo, & promiſſis, abſque iuriſiurandi obligatione. Verum conſilium fuit eius, animos noſtros in fide erga ſe & omnimoda fiducia, obligatione fœderis & iureiurando confirmare. Hoc enim pacto immobilitatem conſilii ſui erga nos teſtatam facere ad hoc voluit, ut per duas res immobiles, promiſſionem ac jusjurandum, (quandoquidem impoſſibile eſt, mentiri Deum,) ſolatium haberemus omnium firmiſſimum, ad quod in omnibus tentationibus tuto confugeremus, ſpeique noſtræ ad finem uſque retinendæ corroborationem quæreremus.

Fœdus hoc aliud eſt generale, aliud ſpeciale. Generale, quod pepigit cum univerſa terræ machina, omnibuſque inhabitantibus eam, *ut Geneſ.6.8. Ier.33.* Speciale, quod cum credentibus ſancire dignatus eſt. Quod fœdus aliud antiquum, aliud novum eſt, in Chriſto renovatum. Antiquum ſanguine conſecrabatur. *Exod.24.8. Hebr.9.20.* Ex hoc factum, quod Ethnici imitati ſint hunc modum in iuramentis & ſacrificiis; *ut Roſin. antiq. Rom. lib.10. ca.5. ex Feſto refert;* quod porci quoq; effigies inter militaria ſigna quintum locum obtinuerit; quia, confecto bello, inter quos pax fieret, cæſa porca fœdus firmare ſolebant. *Vide Roſin. ant. Rom. lib.10. cap.2.& 22. Liv. dec.1. lib.1.& lib.9. p.218.* Unde etiam alii fœderis nomen, quaſi à fœde mactando aut cædendo victimam, dici volunt; *ut notat Erenb. lib.1. de fœd. c.3. nu.20.* ceu mors talis optabatur ei qui à pace facta temere reſiliret. *Alber. Gent. lib.1. de leg. c.13. P. Mart. lib.1. Sam. c.18.3.* Sed verior eſt & magis propria ratio *fidei*, unde *fœdus & feudum* eodem modo ſumptum dicitur. *c.5. §. fin. de feud. per quos fiat inveſt. Cuiac.8. obſ. cap.14. Borch. cap.1. num.20. de feud.* Unde vaſalli fideles. *cap.5. de his qui feud. dar. &c. Erenb. de fœd. lib.1. c.3. n.15.16.*

Quamvis autem ex ipſa notatione nominis ſatis conſtet, quid fœdus ſibi velit; tamen non tantum homonymias ſecum ducit; ſed etiam improprias habet interdum acceptiones. quod recte, *ex Erenb. d.l. num.37.* monuit Keckerm. *pol. lib.1. cap.24 pag.389.* ubi dicit: Fœdus vel proprie, vel improprie accipitur. Improprie iterum vel laxius vel ſtrictius. Laxius eſt inter principem patronum ſive defenſorem, & eos qui ſunt ſub eius defenſione. Sic civitas Erfurtenſis, Mulhuſium Imperiale, cum Northuſia, tutelarem habẽt Dominum Elect. Saxoniæ: Imperialis vero civitas Goslaria Ducem Brunſvicenſem. In ſuperiori Germania maiores civitates Imperiales protectione ſuſtinent minores, &c. Item ſic laxior acceptio hæc eſt inter Principem & eius tributarios, &c. *Vide Bodin. lib.1. c.9.* Arctius autem fœdus improprie dictum, deditiis adſcribitur, qui quum antea liberiores eſſent, poſtea ſub pacti certa ratione aut fœderis ſeſe dedere victori coacti ſunt. Licet recte ſtatuatur, quod confœderati minus dici queant. *Keck. d.l. p.392.* Alias quoque (*ait Erenb. d.l. n.37.*) accipitur fœdus pro induciis, ſive treuga, pro coniugio, ut fœdera lecti, tori, &c. pro amicitia inter ſanguine coniunctos, pro conciliatione rerum controverſarum, pro conventione, pacto, liga, unione, irenico, confraternitate, concordia, &c. *Arum. in diſc. ad aur. bull. diſ.6. th. Celſ. Manc. Raven. lib.6. de iur. pr. n.210.*

Proprie autem fœdus acceptum varie deſcribitur apud auctores. *Bod. lib.5. de Republ. c.6. circa pr. diffuſius nonnihil. Erenb. lib.1. c.1. n.4. Keckerm. d.l. p.389. Zepp. de R. Moſaic. lib.4. Hockenshaff. in diſcipl. mor. lib.2. cap. ult. n.2.* Ex quo Hœnonius, *diſp. pol. ult. th.2.* talem conficit definitionem. Eſt autem, inquit, fœdus Rerumpubl. nihil aliud quam obligatio ſeu potius pactum ſolemniter factum de re quapiam ſibi mutuo præſtanda. Quam ita quoque acceptat Arumæus. *in diſcurſ. acad. de iur. publ. diſ.28. th.27.* his verbis: Eſt autem fœdus pactum publicum inter Principes aut civitates liberas, de mutuis auxiliis aut alia quapiam re ſibi præſtanda ſolemniter conventum. *arg. l.5. ff. de pact. Bornit. lib.2. part. pol. p.112.* Quam eodem modo quidem & Cammänus, *in diſp. de iur. maieſt. diſp.5. th.82.* format; niſi quod paulo enucleatioribus verbis, quæ fundamenta eſſentialia fœderis concernant, eam exprimat; inquiens: Fœdus proprie dictum eſt pactum publicum, quo diverſarum Rerumpubl. capita, maieſtate prædita, ſalvo utrinque maieſtatis jure, ſeſe mutuo ſolemniter obligant, ad rem quampiam ſibi mutuo præſtandam. In huius definitionis enodatione tria maxime ſunt obſervanda. Primo quod publicum pactum dicatur: quia, licet publica pacta fere ex iiſdem proficiſcantur cauſſis, ex quibus privata; tamen hæc diſtinctio, qua fœdus comprehenditur, diviſionem iuris publici & privati exprimit. *l.1. ff. de I. & I. Heig. in §. huius. Inſt. Arum. d. diſc.28. th.28.* Deinde ſtatim nobis heic occurrunt perſonæ, quibus & cum quibus iuxta communem hodie locutionem fœdera ferire licitum ſit; nimirum, qui iuribus maieſtatis gaudent. qua ratione merito illi, qui privatorum loco habentur, à tali iure excluduntur. *ſecundum vulgarem opinionem arg. l.1. ff. de Senat. Bod.1. de Rep. c.7. nu.77. Greg. Thol. 23. de Rep. c.3. num.8. Kirchn. diſp.14. Reip. th.1. Clapm. 1. de arc. Reipub. 13. in fin.* Demum in fine ipſius fœderis id demonſtratur, quod populi inter ſe amici, vicini, deditii, ad rem quampiam ſibi mutuo præſtandam obligantur. ita ut induciæ, pacificationes, quæ fine totoque genere à fœderibus differre videntur, quum in ſimplicibus iuris naturæ & gentium terminis ſubſiſtant, ne alter alterum lædat, his verbis ſub fœderibus comprehendi non poſſint. Quippe fœdus aliquid amplius habet, & ſingularia pacta auxilii mutui & fidei certæ cum certi ſubſidii determinatione continet; quum è contra induciis nil niſi offenſio prohibeatur. Sic etiam amicitia & concordia inter privatos conceſſa eſt, & ipſa iucunditas conſociationis hoc poſtulare videtur. Quo autem diſcrimine fœdera & ſponſiones pactioneſque inter ſe diſtent, conſule in hoc Hug. Grot. *de iur. bell. & Pac. lib.2. c.15. n.2.3. &c.*

CAP. XII.

De fœderum variis generibus, & licitorum requisitis necessariis, securitatis caussa.

COnstat Christianis omnibus, quibus saltem aliqua sacræ Scripturæ lectio & cognitio in usu est, quod trita admodum sint vocabula fœderis, pacti, & testamenti. Unde etiam patet, jure divino & naturali esse concessa fœdera; *quod ita abunde probat Evemb. lib. 1. cap. 2. de fœd.* Atque duo hæc, notationem inquam nominis, atque definitionem rei, satis superiori capite explicavimus. Proinde ad tertium ac sequentia progredimur membra huius disquisitionis.

Divisio autem fœderum & genera eorum maxime ex conditionibus pactorum exurgunt. Summatim tamen alia licita à politicis & iuriscons. alia illicita ponuntur. Illicita fœdera dicuntur conspirationes, factiones aut coniurationes. Et partim iniquitate & iniuria, partim crudelitate laborant. Namque eas aut personæ ineunt, quibus nullus in publicis competit status. quare privatis machinationibus clancularie ea subeunt, ut inde vel lucra in detrimentum aliorum, vel gloriolam aucupari queant. Aut sibi finem in iis propositum habent perniciem aliorũ. atque tum maxime religio prætenditur. velut egregie Nordermannus, *in dissertatione sua inridice-pol. de iure Principatus, th.* 65. de hoc agit, cuius verba adscribere libet: Non minus detestor, inquit, divisionis monstra, quam subditorum scelestas factiones quocunque modo factas. Immo & ligas sub prætextu religionis initas, ut virtutum viduas, rebellionis matres, & omnium scelerum opercula, cum suis auctoribus ad orcum ablego. Turbare enim pacem, & Rẽpubl. in discrimen adducere, est summum Maiestatis crimen, & severe prohibitum. *l. quisquis. C. ad l. Iul. Ma. Paul. 5. sent. 29. §. 2. Constit. Imper. sub an.* 1521. *fere per totum, & an.* 1526. §. *zum andern. & an.* 1530. §. *dergleichen. Clar. 5. sent. §. Lesmai.* 11. *Mynsing. respons. 5.* 44. Carthaginem eiusque imperium factio Hannoniana & Barchinianorum subvertit. Romanæ Reipublicæ interitum causata factio Syllæ, Marii, & aliorum. Galliam exercuit extreme factio inter domum Aurelianensem, & Burgundiam. *Comin. lib.* 1. Angliam vero domus de Lancastre & Iorgk; ubi in septem cõflictibus perierunt 80. Principes regalis sanguinis; *ut Angliæ annales testantur.* Non minus exagitavit Italiam Guelforum & Gibellinorum factio, juste tamẽ & suo merito. Origo Guelforum est à Welfo, fratre Heinrici Superbi, Saxoniæ & Bavariæ Ducis, qui propter crimen Maiestatis & affectatum Imperium suis Provinciis ab Imperatore fuit exutus. Hinc G. Welfo mittebant auxiliares copias Innocentius Papa, & Siciliæ Rex, ut legitimum suum dominum Imperatorem, ne Italiam & Calabriam cum Sicilia vindicaret, more consueto bello implicarent. His tesseræ loco erat nomen sui ducis, *Welf.* Cunradi vero Imperatoris milites tesserã habebant WAYBLING; à pago Sueviæ in quo erat nutritus. Verum iusto Dei iudicio dignum rebellionis & perfidæ militiæ præmium secum reportarunt. Hæc enim factionum nomina in Italiam transtulerunt. unde postmodum infinita exorta incommoda. Extra casum rebellionis, divisio procerum in defensione Reip. admodũ quoque periculosa. Et indubitatum interitus præludiũ, à sociorum fœdere discedere, ac separatim negotia tractare. *Comin. l. 2. Micipsa apud Salust. de bello Iugurth.* Quinimo & partialitas. *in Republ. lib. 3. n. 13. ubi ex Baldo partialitatem dicit esse tanquam vermem in caseo.* Notatu denique dignum, quod omnes, qui belli cuniculа ad Reip. fundamenta evertenda adhibuerunt, hos plerunque ruina oppressit. Sic factionum vigor in Gallia extitit caussa omnium malorum hisce postremis temporibus, ac florentissimum regnum fere ad finem periodi perduxit. Hoc scelus impium, pietatis zelo palliabant rebelles. *Rex Navarræ in epistol. ad Ordin. Gallia. Auctor. des moyens & abus du Papa Six. V.* Armis, vi, dolo & proditione aggrediuntur, quod verbo Dei, Spiritus potentia, mansuetudine, humanitate esset peragendum. *ut ex Invictiss. Imperatoris Caroli V. proœm. constitut. criminal. §. 7. patet; de quo supra, thes. 26. & alibi, dictum.*

Unde aurea bulla, c. 15. reprobat, irrita pronunciat, & condemnat, omnia illicita conventicula, conspirationes, colligationes & confœderationes, quas ipsæ civitates, vel alii subditi, prætextu parentelæ, receptionis in cives, vel cuiuscunque alterius coloris, absque dominorum auctoritate, iisque nominatim non exceptis, faciunt & ineunt. Sicuti præterito sæculo conspiratio rusticorũ fuit. *Videreces. Imp. de an.* 1526. *& ann.* 1529. *Sleid. lib. 4. & seq.* Tum etiam omnes subditorum & inferiorum colligationes illicitæ & prohibitæ præsumuntur. *in Const. pac. publ de an* 1548. *l. 1. & 2. ff. de collig. l. 1. & 2. C. de sedit.* Subditi igitur absque Dominorum auctoritate nec conventicula celebrare, nec colligationes confœderationesve inire queunt. *l. 15. C. de Epis l. 5. C. de his qui ad Eccles.* Lauderius. *de confœd.* 9. 20. Barones, inquit, vel civitates, si faciunt legem absque principis auctoritate, non valent tales conventiones. *Farinac. in pract. crimin. q.* 113. *n.* 35. *Vide tractatus des Landfriedens/de an.* 1490. *ubi* Imperatores promittunt, se omnes illicitas subditorum, nobilium & populi confœderationes, conspirationes, & seditiones contra Electores, principes, & alios initas, sublaturos esse. Nihilominus ipsa aurea bulla, *d. c.* 15. confœderationes admittit, sed iustas, æquas, & legitimas; maxime quas Principes, civitates, & alii, pro generali provinciarum pace & quiete, inter se firmarunt. Eas enim suæ declarationi specialiter reservans, in suo vigore relinquit. Inde patet Politicorum nonnullorum inanis tortura, quando volunt, quod in universum fœdera sint evitanda; quum de illicitis quidem sine dubio verũ sit; de licitis haut perinde. quos ob id non immerito Arumæus refutat, *in discurs. acad. 28. de iur. publ. th. 33. & seqq. Vide Buxtorf. diss. ad aur. bul. c. 15. Quid proprie licitum & illicitum, vide Nordern. in disp. de iur. princ. th. 74. per tot.* Fœdus autem licitum & legitimum quid sit, in superiori capite dictum est; & potissimum quoque ex fine apparet, ad quem in pactione sua destinantur. Nam si respiciant publicam regni aut Reipubl. salutem, patriæ, libertatis subditorumque conservationem, defensionem licitam; iudicantur licita & legitima. *Hortled. in discurs. ad Sleid. th. 24. ubi plures allegat Dd. Gold. in pol. Imper. part. 31. fol.* 1374. Mynsingerus *Cent. 6. Obs. 2. Vbi inter alia* scribit, quod in Camera imperiali, 1553. fœdus inter Episcopos Wurtzburg. & Bamberg. ac civitatem Norimberg.

simberg. adversus Albertum Marchionem Brandeburg. ex hac caussa & ratione pro licito iudicatum fuerit, licet prędictus Marchio hoc ipsum fœdus tanquam illicitam conspirationem contra se factam in Camera graviter impugnasset.

Ex licitis iterum varia & diversa constituuntur genera. Aut enim vel ratione caussæ considerantur; vel ratione temporis. Ratione caussæ aliud est simplex, aliud compositum. Simplex est, quod unicam tantum separatim intendit caussam. Atque hoc aut est defensivum, aut commerciorum. Fœdus defensionis est, quod contrahitur propter mutua auxilia & succursum præstandum. Fœdus hoc iterum ratione contrahentium, *iuxta Proculum, in lib. 7. ff. de captiv. & postlim. revers.* est vel par, vel impar. Par fœdus, *iuxta Keckerm. syst. pol. lib. 1. p. 390.* vocatur, quando fœderati sunt æque pares, vel pene æquales. Impar vero fœdus est, quo altera pars confœderatorum dignitate vel potentia est superior, altera inferior. Ita etiam P. Faber, *1. semestr. c. 7.* talem quidem approbat distinctionem fœderis; sed tamen maxime ad vires potentiæ respicit, & conditiones, quæ unice in fœdere considerandæ sunt; quando inde fœdus vel æquale vel inæquale conficit. Æquale censetur, quum una Respubl. ab altera confœderata tantum expectat, quantum se ei præstituram in auxilio promisit. Quale fœdus initur inter Respubl. bonis & viribus æquales. Estque hoc fœdus iterum in eadem re, vel in consimili æquipollente, ut quum una Respubl. defensionem, altera pecuniam & commeatuum subministrationem in eadem paritate promittit. Fœdus inæquale dicitur, quum non tantum, quantum ab una parte promissum est, ab altera expectatur. quæ fœdera ineuntur ab iis plerunque Rebuspubl. quæ viribus & bonis sunt inæquales. In fœdere impari aliquid subiectionis & deditionis deprehendi, putat Erenb. *lib. 1. fœd. c. 4. num. 3.* Verum quum hoc contra naturam fœderis sit proprie ita dicti, non potest id ita simpliciter accipi. Etenim confœderatorum ea est conditio, ut ab omni subiectione in hoc sint exempti, & non nisi socii aut collegæ habeantur, quamvis virib. sint impares. Proinde quota pars contributionis ita instituitur, ut proportio vera ad scopum quadret. Si vero subiectio aut servitus submisceatur, tunc naturam fœderis proprie dicti amittit, & in aliam speciem regiminis commigrat, nec amplius fœdus appellari meretur; *ut supra monuimus.* Tunc enim exurgit illud improprium fœdus, clientelare quod ICti dicere solent; quod inter patronos, sive protectores, ac defensores, & eorum clientes, etigitur. Germanice Schutzherrn/ & Schutz-Verwante. Atque hoc propterea omnium periculosissimum putatur, quum patroni tales facile domini formam induere possint, nisi bene accurateque libertati caveatur. *Bod. lib. 5. de Rep. c. 6. n. 584.* Quamvis vero inter subditos & clientes magna sit differentia, & magnum in controversiis subiectionum adferat momentum; tamen tam clientes quam subditi & vasalli fideles nominantur à principibus; quod hac formula stricte observatur, vnsere liebe Getrewe.

Fœdus commerciorum est, quando sanciuntur fœdera in negociationis commercio, ut nempe omnes, qui in eo fœdere continentur, ultro citroque ius commeandi & res varias transportandi habeant. Velut eiusmodi fœdus Hanseæ Teutonicæ habent in aliis regnis, ubi ipsorum emporia visuntur; *de quibus infrius.* Belgæ quoque hodie simile colunt cum Turca, & Venetianis.

Tantum de fœdere simplici. Compositum autem fœdus, quod ex defensione & commerciis simul cõstat, dicitur, quando sancitur tum ad præstanda ea, quæ mutuum exigunt subsidium aut auxilium, tum etiam ad commercia libere exercenda inter confœderatos. Tale est fœdus celebertimum hodie Hanseaticum; *de quo in sequenti tractatu speciali agetur.*

Tantum de fœderibus ex ratione caussæ sumptis. Ratione temporis, fœdus iterum duplex est. Aliud enim vel indefinite componitur; & est perpetuum: aliud temporarium; quod ad certum statum que tempus contrahitur. Perpetua vero tam diu durant, quãdiu gentis & Reipubl. nomen erit. *Kirch. de Rep. disp. 17. lit. b.* Iis tamen opus est renovatione, ne temporis diuturnitate & reticentia amicitiæ refrigescant. *Bod. d. l. n. 615.* Temporaria fœdera aut sunt absolute sumpta, aut conditionata. Absolute sumpta dicuntur reciproca, quod quisque sociorum caussam communem pro sua fovet; & quæ uni infertur iniuria aut vis, quod ea quoque alteri illata videatur: unde omnes quasi unam repræsentant personam. Conditionatum vero iterum est duplex: Aut enim ad certum denominatum tempus extenditur; ut eo elapso, etiam fœdus expiraverit: Aut ad unius partis è vita excessum statim vigorem suum amittit.

Ut autem fœdera hæc rite sibi constare possint, eorum requisita attente observanda sunt. Quorum primum est, ut utrinque status sint liberi, qui jure regali id perficiant, & propterea inter sese maneant socii & collegæ, nec ullam agnoscant unquam iurisdictionem alicuius in sese; quæ ipsum alias statim subvertit fœderis fundamentum. Deinde ut caussam communem in solida amicitiæ cultura & mutua animorum coniunctione radicatam foveant; pareregs autem utilitatem respiciant. Alias, si utilitas in potiori habeatur cura, (quæ tunc in caussa erit, ut nihil ex fide & amore mutuo fieri possit;) inverso modo omnia procedent, & suo carebit res successu. Tertio, ut gentium, & iure civili, consuturionibus etiam Imperii, licitum, ac ita iure validum sit. Quarto; Sed antequã quis ad fœdera procedat, necessum est, ut intime & integre conditionem atque affectionem eius Reipublicæ, cum qua alter contrahere volet, noscat; ne malum pro bono sibi concilier. Quinto, Nemo debet facilis aut præceps esse in contrahendo fœdere; Siquidem nihil promptius aut magis obvium, quam ut hac ratione facillime quis alienorum se peccatorum faciat participem, unde alienas quoque in se contrahat pœnas. Sexto, Cum manifeste impiis, aut qui in damnis hærent & calamitatibus, quas ex proæresi sibi crearunt, dubia sunt & periculosa fœdera. Septimo; Periculosa & dubia esse fœdera cum nimis remotis, est quidem verum; sed nolle nimis miseris & afflictis, aut valde periclitantibus, quidquam auxilii præstare, inhumanum, & multo magis inchristianum est. *Besold. pol. lib. 2. c. 6. n. 16.* Attamen quomodo cum illis in fœderis vinculo sit coeundum, nisi subsit commune periculum, magnæ est considerationis, si nullus inde fructus salutis expectati queat. Octavo; Qui utilitatem & commodum proprium ante omnia urgent, eorum fœdus semper tibi sit suspectum. Nono; Priusquam fœdus incatur,

tur, ponderanda ſunt intentio, potentia anteacta, ſimilitudo morum, ingenium, & indoles eorum, cum quibus fœdus paciſcendum eſt, ne in leoninam incidas ſocietatem. Decimo, Fœdera ſint temporaria primitus. Unde & ea, quæ conditionem primæ violationis & vacillationis adiectam habent, præſertim inter eos, qui forte pares ſunt, præ reliquis acceptabilia apparent. Proinde, undecimo, quiſque id primum diſpiciat, ut libertatem illæſam contineat & conſervet, nec ulla in re indefinite in longum tempus conſentiat. Duodecimo; Quum fallax ſit mortalium fides & lubrica, in primis autem eorum quibus Deus cum verbo ſuo ludibrio eſt; nihil tutius erit, quam, ſi obſides aut pignora vel fideiuſſio aut tale quid intercedat ſecuritatis cauſſa. Decimotertio; Caveatur, ne patroni clientum arces vel oppida præſidio militari teneant. Decimoquarto; Periculoſum etiam eſt, impotenti potentem iungi, quoniam occaſione & prætextu fœderis impotens facile poterit à nimis præpotenti penitus opprimi, ut hac occaſione amici ſui fiat ſervus. Decimoquinto; In fœderibus æternis ſæpius fiat renovatio, ut incommoda & futura mala poſſint præcaveri, animorumque reſuſcitetur fervida coniunctio. Decimoſexto; Dehinc fœdera, cum populo libero quæ fiunt, magis firma eſſe quam quæ cum Principibus ineuntur, non incompte autumat Machiavellus, 1. *Com.* 59. & Polybius, *lib.* 11. quum (*ut ibi Aratus loquitur*) Reges à natura ſuis utilitatibus amicitias & inimicitias metientes, viliorem ſtatum quemcunq; facile contemptui habeant, & ſervitem præ ſuis dignitatibus putent. *Beſold. d. l. pol. 2. cap. 5. num.* 17. Decimoſeptimo denique; In fœderibus conſtituendis nihil æque neceſſarium eſt, quam ut director aliquis detur & præſes, tum quoque arbitri controverſiarum, ſed abſque iuriſdictione, ut ſocii manere poſſint.

CAP. XIII.

De ijs, qui fœdera icere poſſint, & cum quibus fœdus ineundum.

LIcet fœderis coniunctio maxime naturalis ſit; ceu in cõiugii effigie & ſpecimine id manifeſtum eſt; tamen in ius regale id ita abſceſſit penitus, ut in ſummitate & culmine regiæ maieſtatis non ultimum promereatur locum, ſed *κυρίως* Imperatori propter abſolutam libertatem poteſtatis adſcribatur. *Nov. 105. pr. Erenb. 1. de fœd. 2. n.* 29. *Peregr. de iure fiſci, t. 1. num.* 15. In quo iuſta etiam cauſſa fœderis contrahendi ſemper præſumitur. *Gail. 1. de pac. publ. 4. Alb. Gent. 1. de iur. bell. 3. f.* 31. Unde, ex huius conceſſione, expreſſa aut tacita præſcriptione, ius hoc competere Electoribus & reliquis imperii membris, patet. *Zaſ. lib. 2. conſ. 1. Erenb. lib. 1. fœd. cap. 2. num.* 228. *& Dd. communiter ad l. 7. ff. de captiv. & poſtlim. rev. Bern. de iur. Mai. c.* 25. *Beſol. diſp. 6. pol. th. 6.* Velut etiam civitatibus Imperii, ius regale habentibus, id liberum eſt. *Gail. 1 de pac. publ. c. 16. nu.* 14. *Erenb. 1. de fœd. c. 4. n. 12. & lib. 2. c. 1. n.* 35. *Myns. 6. obſ. 2. Ord. Cam. p. 2. t.* 9. At civitates illas, quæ loco privatorum habentur, & aut negligentia aut violentia iura adeo libertatis ſuæ penitus amiſerunt, fœdera illicite contrahere, juxta conſtitutiones Imperii, omnium prope eſt ſententia. *arg. l. 1. ff. de ſenat. Bod. 1. de Rep. 7. num.* 77. *Thol. de Rep. lib. 23. c. 3. num. 8. Kirch. diſp. 14. de Rep. th. 1. Clap. 1. de arc. Rer. 13. in fin.* quamvis cautio maxima adhibenda ſit, ut poſtea patebit. Interim tamen heic ingens quæſtio de reliquis Imperii membris agitatur & controvertitur acriter: Num Principibus & civitatibus permiſſum ſit, ſine conſenſu Imperatoris inire fœdera? Ubi Dd. id maxime licitum affirmant, modo non quid fiat in præiudicium Imperii aut Reipubl. communis; ſed potius omne molimen paci publicæ & conſervationi eius deſtinatum ſit. *Menoch. lib. 1. conſ. 52. num. 3. Erenb. 1. de fœd. 2. fol.* 192. Velut etiam id *ſupra ex aur. bull. tit. 15. probatum*: conſtat, quod fœdera inde licita maxime dicantur, quia id continent, quod Reipubl. nullum damnum gignat. Ideoque recte ſentit heic Bodinus, 1. *de Rep. c.* 7. quod ſummum Imperii caput & ſuperior quivis ipſo effectu ab omni infeſtatione tacite exceptus jure ipſo intelligatur; licet non expreſſe in confœderationis autographo nominatus ſit. Tametſi, *cum ſpeculo Sax. lib.* 2. *art.* 1. potius cura adhibenda ſit ut rite nomina exprimantur. Velut hoc accurate obſervatum eſt à confœderatis Hanſeaticis, tam in communi corporis fœdere, quam etiam reliquis particularioribus & qui ab iis dependent; *ut in ſequentibus apparebit.* Similiter quoque excipiendi ſunt nati & confœderati Cæſaris; qui non offendendi; quum alias, ſi hi offendantur, crimen Maieſtatis committi putet. *Menoch. conſ. 99. num.* 37. *Bod. 5. de Republ. 6. Erenb. 2. de fœd. 2. f.* 194. *& lib. 1. c. 3. num.* 9. Ac ut eo melius in officii ſui ratione contineantur omnes, ſolet tale quid in tranſactionibus publicis & quavis compoſitione belli obſervari, ut ſimul quilibet ſtatus ſingulariter ſe obliget, quod nullum fœdus contra Imperatoris, natorum eius, & reliquo. um ſtatuum ſalutem atque commodum inire velit. Exemplum eſt in Magdeburgenſium banni abſolutione & receptione aut reconciliatione cum Imperatore Ferdinando I. de anno 1551. die 9. Novembris, *artic. 2 capitulationis*; ubi non tantum renunciarunt omnibus confœderationibus adverſis, ſed etiam promiſerunt, quod nullum unquam fœdus ſub quocunque prætextu aut ſpecie inire velint, niſi prius S. Cæſ. Maieſtas, reliqua membra Imperii & Status, utraque domus Auſtriaca & Burgundica, & cæteri Imperatoris Ducatus atque Provinciæ expreſſis verbis excepti ſint. *Merkel. de obſid. Mag. pag. 2. lit. O.* Imo generalis eſt concluſio, quod fœdera contra ſuperiorem regulariter nullo jure fiant. *Quetta. conſil.* 6. quum alias fœdus eiuſmodi per ſe ſit invalidum & nullius efficaciæ. *Erenb. lib.* 1. *de fœd. cap.* 2. *num.* 235. Nihilominus ex antiquiſſimo libertatis jure, *quod in ſuperiori libro ſatis explicavimus*, privilegioque fortitudinis, conceſſum eſſe videtur Romano-Germanici Imperii membris, ut ſui juris, pacis publicæ, libertatiſque communis cauſſa, vel inter ſe, vel cum exteris fœdus ineant. *Aur. bul. tit. 15. Rec. Imp. anno* 1495. §. *auch ſollen. Clut. faſc. th. 7. Beſold lib. 2. pol. c. 6. num.* 9. *Konig. pol. par. 1. cap. 5. num.* 67. Verum eſt, *uti recte obſervavit Beſold. in diſcurſ. de civit. lib. Imperij*, quod in hiſtoria Germanica nihil frequentius occurrat, quam fœdera Principum & civitatum. Unde ſatis manifeſte conſtat quam non tantum ſtudioſi fuerint libertatis, ſed quod etiam illis conditio ſtatus minus ſtricta fuerit; præſertim Saxonum generoſior animus extitit; qui odio habuit extremo ingum illiberale ſervitutis: Et quamvis ius confœderationis Dd. libenter

libenter membris Imperii juſtis attribuant; tamen inventi ſunt hoc potiſſimum tempore, qui civitatibus aliquot Hanſeaticis mixti ſtatus novam intentarint litem, & non dubitarint, ipſum quoque Hanſeaticum corpus nonnihil atrocius convellere, idque culpare alicuius conſpirationis, quum tales civitates in complexu ſuo contineat, quibus ius confœderationis non competat: Imo couſque audent adſcendere, ut antiquiſſimo & celeberrimo huic fœderi titulum conſpirationis affricare non dubitent. Quod haud obſcure quidem, quamvis perplexæ loquelæ ſtudens, ille Erenb. *de fœd. lib. 1. c. 2. num. 44.* innuit. Quem non incongrue Keckermannus perſtringit *in curſ. ph. diſp. 33. q. 18. pag. 688.* Ibi deinde ſubiungit aliquid, inquit, quod & periculoſum valde dictu ſcriptuque eſt, & tale omnino, quod valde optem ab iſto viro vel non ſcriptum, vel maioribus argumentis dediſſe evictum. Accuſat enim Hanſeaticas civitates conſpirationis, &c.

Quod ille quaſi oblique tangere voluit; id ſane aliquis anonymus ab aulicis G. ſubordinatus non ſine magnis & acerbiſſimis protulit iniuriis. Scriptum vero illud quod ſub perſona illuſtri eiuſque prodiit tegmine, paſquillo non eſt abſimile; adeo refertum ſcatet paſſim calumniis & maledicentiis. Etiã ipſam nomen libelli quo *flabellum muſcarum*, ſive Fliegenwedel, inſcribitur, ſatis acrem ignominiam Ariſtarchici & Archilochici ſtili redolet, & admodum vehementem calamum repræſentat. Si quem temporis illius utcunque elapſi cura non pœnitet & abſque ſcãdalo quid cenſere ſe forte poſſe arbitratur, cognoſcat illud ſcriptum, & conferat cum eo locos aliquot *in ſecunda repartitione actorum Brunſvic. Hiſtoria; inprimis Examen illuſtre perſonæ illuſtris, pag. 77. 161. 199. 286. 350. & Refutationem defenſionalem Brunſv. p. 1158. 1195. 1201. 1205. 1217. 1223. 1239. 1252. & ſeq. 1306. 1363. 1484. 1548. 1674.* &c. Alias quoque materiam hanc ubique ſparſam talibus in actis inveniet. Auctori anonymo, qui tamen *in aliis, & præſertim in Retorſione contra Brunſv.* non adeo incognitus vult videri, calculum ſuum ſatis importune addit Knich. *in velitatione apolog. item in Encyclop. c. 10. num. 196. & ſeq.* Et Erenb. *d. n. 44.* Sed recte non, reſpondet Dauthius, quod materia talis Rerumpubl. earum non admodum cognita fuerit multis. Aliud ergo, *inquit Beſol. in pol. lib. 2. c. 6. num. 10.* reſpondendum eſſe probabile quibuſdam videtur, de civitatibus, quas mixti vocant ſtatus. *Brun. diſp. de iur. univerſ. th. 17. Gail. 2. obſ. 54. nu. 10.* Idque poſſe probare, aiunt, celebre civitatum Hanſeaticarum, maritimarum, & aliarum Teutonicarum fœdus; cui cohæret fœdus civitatum Vandalicarum. Non ergo ferendum (*ita pergit Beſol. d. nu. 11.*) eſſe videtur, quod ſcribit Watem. Erenb. *1. de fœd. 2. num. 44.* ſi penitius examinaverimus huius fœderis naturam, vix negari poſſe, quin ſapiat (quoad nonnullas civitates) ſpecimen coniurationis: quum multæ civitates eo comprehendantur aliorum imperio ſubiectæ. Aſt huic adſertioni pluſquam ſufficienter reſpondet unitarum civitatum Hanſeaticarum neceſſaria Reſponſio apologetica de *dato Lubeck, 24. Aprilis, anno 1609. Adde Betz. tractat. de famil. fol. 53. Bart. Muſcul. tract. de confrat. th. 15. Clut. paradox. th. 8. Aruma. in diſcurſ. 6. ad aur. bull. concluſ. 9. fol. 262. & ſeqq. Matth. Steph. lib. 2. de iuriſd. p. 2. c. 4 num. 4. Hieron. diſp. ult. th. 3. pol. ad lit. 6. Cam. diſp. 5. de Reg. th. 103. Theſoro pol. part. 3. Lovin Serv. tom. 2. plaid. 11. fol. 299. Stuck diſp. Inſt. in exeg. iuriſd. concl. 7. fol. 527. & ſeq. Confer Gilm. in ſymphor. p. 1. t. 2. de recony. vot. 1. in cauſ. Arch. Mog. contra Erfurt. f. 90. num. 97. Ruland. de commiſ. p. 2. lib. 5. c. 4. num. 47.* Tum, ſi ad extrema recurratur, multa vetuſtas receptionis non tantum excuſat, ſed etiam patientia ſuperiorum & approbatio publica omnes culpationes tollit, quæ tanto cum fervore *in actis Brunſv.* urgentur *paſſim, ceu ſit quoque in Repartitione tertia p. 342. 407. 454. 457. 460. 586. 655. 853. 854. 863. 864. 1174. 1167. 1200. 1201. & ſeq. 1207. 1225. 1232. 1292.* &c. Conſenſus enim tacitus etiam ſupplet aliquid pro decreto. *Bald. l. fin. C. ſi maior. fact.* Ceu etiam conſenſus partiũ facit perverti ordinem iuris *gl. c. cum olim. de cauſſ. poſſ. & propr.* Et facere facto plus eſt quàm verbo. *Anch. conſ. 173. num. 5.* Uti facere dicitur, qui, cum poſſit, non prohibet. *l. adigere. in princ. ubi gl. ff. de iur. patron. l. quid ergo. ff. de his qui inf. not.* Conſenſus enim facti perdit ius ſuum. *Bald. l. ſi pater. 10. C. de inſt. & ſubſt.* Tum, pati idem eſt quod facere. *l. 3. §. dare. ff. de uſufr.* Ac, velut patientia eſt actus ſucceſſivus; (*Zaſ. l. divort. nu. 8. ff. ſolut. matri.*) ita patientia longa ſuperioris habet vim privilegii quod ſibi inferior acquiſivit iuſte. *Bal. l. 2. C. quæ ſit long. conſul.* Patientia quippe facit præſumi contractum. *Caſt. conſ. 161.* Imo patientia habetur pro præcepto. *l. liberorum. ff. de infam. aut mandato l. qui patitur. ff. Mandat.* Sicut & patientia taciturnitate abſque ulla exceptione conſenſum importat. *Dd. l. ſi filius C. de pet. har.* quum ſit ratihibitio. *c. fin. de iureiurand. lib. 6.* Unde tacens & ſciens rem ſuam præſcribi, videtur præſumptionem confirmare. *Dd. c. auditis. de præſcri.* Confirmationis autem quanta vis ſit, id *l. legem ob venire. ff. de V. ſig.* ſatis explicatur; quum confirmans dare quid dicatur; uti & confirmatio vim decreti habeat. *Bald. l. quacunque. col. 1. C. de bon. quæ lib.* Namque illa ſupplet defectum ſolemnitatis, formæ & perſonæ. *Bald. l. fin. ff. de teſt. tut.* Sed de his alibi pluribus.

Nunc diſpiciendum quoque eſt, cum quibus fœdera licite & utiliter contrahantur. Bodinus *lib. 5. de rep. c. 6. num. 579. & 589.* perquam docte quidem ea de re agit; velut etiã Althuſius, *pol. c. 20. f. 276.* & Arumæus, *diſc. 28. acad. de iur. pub. th. 42. & ſeqq.* Sed longe ſapientius ipſe Iehova verbo ſuo diverſis in locis commonet. Exod. 23. 32. & 34. 15. *Deut. 7. 3. & 20. 13. 1. Reg. 20. 36. 42.* Aut enim cum amicis, aut cum hoſtibus, aut cum iis, qui nec amici nec hoſtes aperti ſunt, nobis res eſt; ubi certe magna opus eſt circumſpectione. Nec minus & id conſiderandum venit, quod aut Chriſtiani ſint Principes ſive Reſpublicæ, aut à Chriſtianiſmo alieni. Utrobique nec hoc negligendum, quæ potentia & fortunæ commoditas, ſimulque animi dotes adſint. Potentes enim quidem ſunt quærendi ſecuritatis maioris cauſſa; verum ſæpenumero in confœderatis prudentia potius & virtus quam opum, & divitiarum cumulus deſideratur. Quid enim prodeſt, ſi opem in opibus fruſtra requiras? *Vid. Lipſ. lib. 1. de magnit. Rom. Imp. cap. 3.* Sed & ab egenis, præter condolentiam communem, quam loco ſubſidii tibi perſolvant, interim te domum cum inani reſponſo amandantes, nihil adiumenti in rebus adverſis, ſolatii parum accipies: qualium rerum ipſe ſpectator & auditor non ſemel fui. Priuſquam ergo ad negotiorum communitatem deveniatur, cum quibuſnam tibi res ſit futura, diligen-

tet ponderato. Maxime quoque periculoſa ſunt fœdera, quæ cum iis ineuntur, qui ſub diverſa politia & ſub diverſo vivunt climate cæli. *Ium.p.2.quæſt.pol.* 70. *Alth.c.*20.*pol.* Circa ethnicos & manifeſte impios quid ſit notandum, id ſupra monuimus: Habes certe, quod caveas. An vero Chriſtianis cum Ethnicis contra Chriſtianos fœdera contrahere licitum ſit? Quis hoc ſuadeat, abſque neceſſitate extrema? Non mihi hoc vendico. Imo Chriſtiani nominis ſuavitatem omnino amittunt, & larvam diaboli induunt, quoties alter alterius ſpirat ſanguinem. *Vide tamen Arum.d.diſc.*28.*th.*51. An autem conſenſus in religione requiratur in confœderatis, id eſt, An cum impiis vel infidelibus, ut Turcis, Saracenis, Tartaris & id genus aliis, licite fœdera contrahantur, admodum arduæ quæſtionis res eſt. Iterum verbum Dei ſuam heic interponat deciſionem. *Exod.* 34. 12. *Iud.* 2. 2.*Paral* 16.7.*&* 18.31.*&* 20.37. *Nehem.* 13.23.25. *Oſe.* 11.1. Ubi omnino hoc prohibetur, adeo ut etiam pœna affecti ſint contra id delinquentes. 2. *Par.* 20.37. *Iud.*1.24.27.*&* 3.5. 1.*Reg.*20.36.42. Affirmat hoc tamen Bod. *d.c.* 6.*num.* 599.*&* 1.*de Rep.*7.*num.*27.*in fin.* Ium.*q.pol.*74.*fol.*170. Erenb.1.*de fœd.* 2.*num.* 86.*&nu.* 123.*&* 243. Kirch.*diſp.pol.*17.*cor.*2. Quam difficilis autem ea res ſit, id ſat docte declarat Kecker. *pol.ca.* 24.*f.*389. Hoen.*diſp.ult.pol.th.*5.*a.* Vide Arum. *d. diſc.* 28.*th.*53. & Schonb.*pol.lib.*4.*c.*36. qui omnino negativam ſtatuit potiorem; quia ſerpunt vitia, & in proximum quemque tranſiliunt. *ex Exod.* 34. *Deut.*7. *Amos* 5. *Eſa.*31. *Iud.*2. *Gen.*43. *Matth.* 10. etiam pluribus hanc probat ſententiam, quæ ſane non exigua eſt aut levis cenſenda. Vide omnino Norderm. *de iur. prin. th.*78. Eamdem pluribus quoque ex Celſo Mancino *de iur.princ.lib.*6.*c.*17. deducit Konig. *in pol.par.*1.*ca.*4. *num.*84. *uſque ad num.*149. Sic & Beſold. *in pol. lib.* 2. *c.*5.*num.*13. Cui ſubnectit quæſtionem; An hæreticorum fugienda ſint fœdera? Quis vero proprie eſt hæreticus? An ille, quem ita clamant opinaſtri & habitualiſtæ? An ex conſtitutionibus humanis tam arduum negotium dependeat? An non omnis opinio hominis fallax? Sed ampla nimis eſt materia; quam alibi Deo volente, trutinabimus. Interim maneat ſententia *Beſoldi d.l. num.* 26. Nec minus difficillima & ea eſt quæſtio. An quoque, ſi vicini duo Principes vel civitates potentes mutuis bellis ſe divexent, conſultum ſit alteri eorum ſeſe adſociare, aut plane ab iis abſtinere? Neutralitas quã ſit res periculoſa, docet Lipſ.4.*pol.*9.*num.*49. Keck.*pol.* 31.*in fin.* Erenb.1. *de fœd.*1.*num.*182.*&c.*212. Clap.*de arc.Rerump.*7. Alth. *c.*20. Hoen.*diſp.pol.ult.th.ult.* Quomodo vero in omnibus caſibus ſe quis heic gerere poſſit, de eo ſingularem tractatum conſcripſit Neumeyer de Ramſala; Ubi potiſſimas quæſtiones, *cap.* 12.*&* 13. ponit de bello civili, & iis, qui ob religionem armis infeſtantur. In neceſſitate vero conſtituto extrema ſuadent politici, ut in potentiæ viribus pares aut impares quis obſervet, & inter pares illum, qui optimæ ſit naturæ & ingenii. *Lipſ.d.l.* At ſi de tyranno ſit quæſtio, an quis ſibi non potius ab eo prorſus cavendum ſtatuat? Quis ardentibus ignis flammis ſe concredat temere? *Cic.*3.*offic.*

CAP. XIV.

De conditionibus fœderis, & modo contrahendi aut conſtituendi pactiones firmas.

PLuſquam ampla & diffuſa hæc eſt materia, & graviſſimæ conſiderationis, cum quibus & quam caute fœdus ineas; quæ hoc loco non plene explicari poterunt, præſertim ſi exempla declarationem illuſtrare deberent. Sed tamen quum conditiones & modus contrahendi, pactioneſque fœderum conſtituendi, id ſatis expeditum enucleatumque reddant, tanquam ſextum & ſeptimum huius diſquiſitionis membrum, nunc paucis duo hæc examinando perluſtrabimus. Interim bene obſervetur monitum Bodini. *derep. lib.* 5.*pag.* 932. de differentia ſponſionis, fœderis, pacti & pacis, ne quis in eorum confuſionem temere incurrat. verum iſthæc alibi accuratius explicabuntur.

Conditiones igitur id proprie exprimere debent, quod æquum, honeſtum, utile & poſſibile ſit. Nam quum fœdus in mutuæ amicitiæ fundamento ſubſiſtat, pari iure & lege in fœdus atque in amicitiam venitur & deſcenditur. Proinde nunquam cum pietate aut ulla virtute politica pugnare debent; ſed potius ad harum præſidium faciant, *ut recte ait Hen. d. d. ult.th.*29. Sed è contra maximopere cavendum eſt, ne quis utilitatis & privati commodi, vindicandæ iniuriæ, aut alius leviuſculæ cauſſæ gratia, vel reſpectu occulti honoris vani, ambitionis, voluptatis ludicræ, ludi iocique gratia, vel ſecuritatem in carnis mortalis brachio quærens, fœdus contrahat. Niſi enim ad Dei gloriam, proximi dilectionem, conſcientiæ patriæque libertatem, ſubditorum ſalutem & conſervationem reſpiciatur, & ut cæleſtis verbi maieſtas aut ſtabiliatur aut amplificetur, is finem & effectum fœderis uti non conſiderat, ſic quoque nec cauſam principiumve illius intelligit. Veluti ob dictas rationes fœdera improbata ſunt omnino in rege Aſa Iudæ. 2.*Chron.*16.7. Nam licet Aſæ pietas admodum prædicetur alias in eo, quod fecerit quæ recta viderẽtur in oculis Iehovæ, ſicut David pater ipſius; 1.*Reg.*15.11. imo & animus eius integer fuerit erga Iehovam omnibus diebus ſuis; *v.* 14. tamen multiplex in eo, quod adeo temere, & cum profaniſſima prodigalitate profuſioneque divitiarum ſacrarum, adverſus confratrem Regem Iſraelitarum Baheſchamum, cum Syrię Rege Benhadado fœdus inierit, commiſit peccatum. Cauſſam quidem iuſtam prætendere poterat, & talem, quæ rationem ſtatus, ut hodie loquimur, maxime concerneret; quoniam Baheſchamus ipſi fortalitium ingens, Ramæ muniendæ cauſſa, ex adverſo oppoſuerat, ut regi regnique totius ſubditis omnem intercluderet commeatum: Nihilominus Chanani vates à Deo miſſus ad oculum demonſtravit, in hac defectione à Iehova, proprii commodi reſpectu, graviſſima eum peccata turpiſſime cumulaviſſe; non tantum Benhadadum ad diripiendum aliquot civitates Iſraelitarum & totum tractum Cinnereth, ac totam terram Naphthali, concitando; ſed etiam lapides ac ligna omnia, quæ ad muniendam Ramam magno laboris conatu Baheſchamus eo cõvehi curarat, per ſubditos deportari mandando ad cõdendas urbes Benjaminitarũ Gebaham & Mitzpã, ut ita in ſuum talia converteret lucrum. Quibus flagitiis

gitiis etiam hoc crimen adiecit longe gravius, quod veritatem exprobrati lapsus noluerit agnoscere aut corrigere; sed potius è concepto in sanctum vatem odio, in carcerem Cippi illum conijci jusserit, ut cœlesti huic viro id obtigerit, quod dici solet, Veritas odium parit. Abrahamus Patriarcha quidem olim quoque in fœderis pacto cum tribus fratribus Hanęro, Eschole & Mamræo vixit, quum ipsorum esset incola: Verumtamen illud amicitiæ mutuæ pactum in talem abusum neutiquam abripuit, sed vere reciprocum cum iisdem fœdus excoluit. Nam quum ipsi annunciaretur, quod Cedor-lahomerus Rex Helami sive Persiæ, cum suis quatuor adsociatis regibus (qui expoliatum irruerant & expugnatum Regem Berahum Sodomæum; cum tribus eius confœderatis, propter rebellionem & denegatam contributionem, quam ipsi tamen hucusque per duodecim annos præstiterant,) agnatum suum Lothum cum facultatibus omnibus captivum abduxissent; ille confestim, re cognita, cum ministris suis & confœderatis, liberandi & eripiendi agnati caussa, arma quidē induit; sed non ea intentione, ut ullum inde sibi quæstum faceret, licet Rex Sodomæus liberali manu eum ipsi obferret; sed potius eum in finē, ut proximi sui salutem etiam cum dispendio vitæ, absque proprii commodi respectu, rite recteque curaret. Abraham (*ait Teutonicus in commentario suo ad Gen. cap.* 38.) quum Ethnicos obtruncaret victoria sua, nihil ex bonis raptis sibi petebat; sed omnia Regi Sodomæo reddebat, quæcunque illi eripuerant Ethnici, & solummodo zelotem agebat in Domino. Non ille arma induebat propter regiones & regna, sed ut liberaret fratrem suum ex manu hostium. Hæc certe vera erat zelotypia, quam Iehova in eo urgebat. Non consurgebat, ut bellum propter terram aut civitatē occupandam subiret. Et quamvis obtineret talia, nō tamen quidquam eorum sibi expetebat: sed re confecta, in suum locum pacificus revertebatur. Verba eius & promissio erga Iehovam sane notabilis est *Gen.*14.22.23.& 24. Sed ne quis putet, conatum hunc & factum hoc bellicum absque peccato fuisse, aut gravi aliqua caruisse culpa, certe miraculosam prorsus Iehova reconciliationis adhibuit misericordiam; & Abrahamum in ipso momento ex iræ regno in regnum gratiæ retraxit; mittendo Melchisedechum suum, qui ipsi panem & vinum, novæ promissionis & testamenti in Christo pignora offerret, ut illius benedictione in integrum restitueretur. Non certe Melchisedeck iste filius Noachi Sem fuit, ut Hebræorum fert interpretatio erronea; quam etiam ipsa epistola D. Pauli *ad Hebræos ca.*7.3. satis evidenter declarando refutat, ubi scriptum est, fuisse hunc sine patre, sine matre, sine genealogia, sine initio & fine: quippe mysterium illud typicum efficaciter Spiritum Iehovæ in Christo repræsentat.

Quod idem Teutonicus *in d.l.* graphice depingit; Veluti enim heic in persona Melchisedeci ei sistere se voluit; ita quoque in triplici figura postea, quum ad ostium tentorii ibidem Abrahamus sederet, eidem apparuit in planitie Mamræi. Sed ita se habent Teutonici verba: Admodum mirifica est hæc Spiritus locutio in Mose, ubi dicit: Postquam reversus fuerat Abraham à cæde, quod tunc Rex Sodomæ in occursum eius egressus sit, & Melchisedec Rex Salem protulerit panem & vinum: qui fuerit Sacerdos Iehovæ altissimi, qui cœlum terramque possidet; atque is benedixerit Abrahamo; cui etiam Abraham decimas persolverit ex omnibus. Licet alias in S. Scriptura de hoc Sacerdotio nihil inveniatur, tamen verissimum fuit, in figura Christi. Etenim Spiritus in alio loco ita de Christo restatur, quod sit Sacerdos in seculum secundum ordinem Melchisedeci. *Ps.*110.4. Ita plane typicè Spiritus Iehovæ figuram Christi proponit nobis apud Abrahamum, & vocat illum Regem Salem & Sacerdotem Dei altissimi, tanquam Sacerdotem salutis æternæ & Chrismatis, qualiter id ipsum in sensuali lingua sonat. Id est: Christus Abrahamo benedixit, & ipsi panem vinumque obtulit, tanquam carnem & sanguinem suum, & ipse Pontifex summus est coram Deo, qui Abrahamum liberosque eius reconciliavit. Nam Abraham gladium iræ Dei contra Ethnicos gestaverat: Ideo iam Melchisedeck apparebat ei, atque benedicebat, ne gladius Turbæ illum deprehenderet; ac protenus ipsi panem & vinum, id est, cœleste ens, apponebat, quod in ipsum introducere cupiebat, ac in carnem & sanguinem transformare, ut ita Patris ira in fœdere hoc tanquam in typo vivido complanaretur. Etenim iste Sacerdos omnino verissime spiritualiter est accipiendus, &c. Sic Rex iste & Sacerdos, erat ille, de quo ipse prædicationem instituebat, qui cum eo fœdus hoc iniebat, quod æternus eius esset mansurus Pontifex summus, cui Abraham decimas, velut decimam proprietatem proprietatis humanæ (*id est, portam in Ternarium sanctum, ubi angeli & animæ exsuscitati & in essentia cœlesti corporeinduti sunt; ut alibi, in lib. de* 40. *quæst. anima, q. prima, circa finem*, idem docet) persolvebat, & Sacerdos simul panem ac vinum exhibebat, cum benedictione sua, tanquam amoris igne, videlicet Tinctura lucis, una cum essentia cœlesti, ut Abrahamus in hoc pane & vino Tincturam lucis in ignita anima reciperet, & imago Dei in eodem redintegraretur, quæ in Adamo cum fœmina disrupta erat. Inde Christus ipsi cen fœminæ Tincturam reddebat Ens lucis, ut virilis & fœminea proprietas in unam rediret imaginem. Hęc ita Spiritus Iehovæ sub regio Sacerdote in Salem indicat nobis. Nam Esra, quū perdita Biblia in cognitione Spiritus Dei de novo amanuensibus suis ad calamum dictaret, cuncta hæc aperte vidit: ideoque hæc ita Spiritus Iehovæ ponit. Ex quo satis dilucide perspicitur, quemadmodū Esra in effigie spiritus historiā Abrahami conscripserit. Quippe tota historia de Abrahamo sub Christi persona præfiguratur, quū typum Christi demonstret. Hunc Sacerdotem de Salem, vidit tunc Abraham in spiritu. Sic etiam, quoties Abraham sacrificabat, adstabat ipsi hic Sacerdos in sacrificio, & sacrificabat Deo: quia mundum sacrificio reconciliare Patri debebat. Inde erat Sacerdos Dei, &c. Quanta igitur mysteria sub pauci ssimis illis lateant verbis sacræ Scripturæ, ex his satis patet. quod & exinde constat, quoniam Abraham non tā in pietate & sanctitate debita, quam sub regno iræ Dei, tantum perfecerit actum bellicum; non inquū, in amore Iehovæ, cui per dulcissimum & sanctissimū ministerium Christi prius eum reconciliari & restitui oportuit, quam Deo se gratum exhibere filium denuo posset. Quapropter non ita leviter de fœdere & armis Abrahami judicādum est, ceu vulgus interpretum id in vili æstimio habere, & suas enormitates atque crudelia vitia hoc exemplo palliare solet,

qui putant, hoc facto Abrahami multa magna & dura facinora excusari posse: quum tamen Christus in persona Melhisedeci, Sacerdotis alicuius sancti, cælitus ei comparere, & suo corporis & sanguinis testamento aut sacrificio Patri eum reconciliare coactus fuerit; etiamsi Abraham ex amore agnati & eius liberationis bellum hoc subierit.

Sed ad conditiones fœderis redimus; quas diximus in quatuor illis proprietatibus consistere. Fœdus enim omne sive in eadem re, sive in simili conficiatur, utrobique suam requirit honestatem, æqualitatem, utilitatem, & possibilitatem; alias & fructu & effectu carebit suo. Ideoque inæqualitates, quantũ fieri potest, in consarcinandis conditionibus evitentur, & omnium maxime illud dispiciendum est, quomodo præcaveatur quicquid speciem subiectionis inducere queat. Velut supra diximus, quod inæqualitas potissimum ex clientelari, tributario & dedititio fœdere, improprie ita dicto, exoriatur. Ubi summæ certe adhibendæ sunt cautelæ, ne iurisdictioni quis ac potentiæ suæ præiudicium aliquod ereet in ullo actu aut negligentiæ culpa; præsertim quum ius protectionis primum plerumq; submini-strret gradum iis ad iurisdictionem adquirendam, qui in finibus extendendis & propagandis perpetuo sunt occupati.

Quæritur heic, si quis ex alterius iurisdictione & territorio sit eiectus, aut relegarus, an ille in confœderati regionem commigrare queat, aut recipi ibi possit? Affirmativam statuit Menochius, nisi expressis hoc pactis cautum sit, ne alterius ob maleficia relegatum accipiat. *Men. 1. de arbit. Iud. q. 100. n. 6. & seqq. Arume. de iur. publ. disc. 28. th. 67. & 68.*

Hactenus de conditionibus considerandis; sequitur nunc de modo iungendi fœdera. Quis est inter prudentes politicos, qui ignoret, fœdera diuturna salutaria esse non posse, si fiducia virium & potentiæ propriæ ac fœderum spe, non necessaria suscipiantur; si dispares sint confœderati; si non unum & solum publicum, sed privata sub prætextu publici quæsierint? Si ullo unquam seculo in usu hoc pessimum fuit defraudationis & depeculationis studium, certe hoc tempore quam maxime apud omnes prope viget atque floret. Etenim ipse vidi & audivi sæpius, non absque dolore, quomodo sub prætextu pietatis & religionis quamplurimi ex nomine sancto boni publici sibi non tantum commercium confecerint, sed etiam amicis integerrimis, qui hisce blandimentis speciosis se nimium credulos exposuerunt, extremas consarcinarint calamitates. Quod subtilissimi, præ aliis id factitare solent, quo videlicet nusquam verum candorem demonstrare iuxta tenorem concepti fœderis cogantur, aut cogi queant. Ideoque ambigua verba maxime enucleare discunt, & generali schemate omnia conregunt. Verum, qui acutioribus rem intueri oculis cupiunt, talibusque negotiis arduis destinati sunt, duo heic ante omnia bene dispiciunt. Quorum primum est, ut res de quibus tractaturi sunt, prius recte disponant, casusque eius speciales cum circumstantiis dilucide depingant, prout ipsa rei necessitas requirit: & ut omnia scriptis publicis concipiantur, inque iis clare ac diserte exprimatur, cum qua persona, corpore, populove communitas sit instituenda. Deinde, ut ambiguitates & captiunculæ in generali forma loquendi evitentur, & omnia claris, perspicuis, apertis, & expressis verbis concipiantur; ne iusti iniustive specie, periurio latebra decipiendique occasio quæratur. *Bod. lib. 5. de rep. c. 6. num. 594.* Quum enim tantæ sint hominum fraudes, *dicente eodem d. l. num. 607.* tot in mentibus latebræ, tantique recessus, ut fidei violandæ occasiones etiam ex rebus quibusque leviſſimis quærantur; formulæ fœderum erunt caute conscribendæ, ut, quicquid non sit in formula, illud neque sit in fœdere & reipsa. *Arum. de iur. publ. disc. 29. th. 80.* Quanquam perfidia nemini, perfidiæ latebras quærenti, deesse possit, si quis in eum crudelis impudentiæ rigorem inciderit, ut nihil recte dictum aut factum censere velit, quod cum fortuna in proprii commodi studio non conspiret. Crudelis enim talis astutia triplex sibi ut plurimum consuere solet fraudis pallium.

Sunt primo, qui manifeste perfidiam committere non verentur, dum sententiæ suæ malitiosam interpretationem affingunt. Quale exemplum de Solymanno Turcarum Imp. & Abraimo Bassa refert Bod. *lib. 5. c. 6.* qui nihilominus Bassam eo tempore, quo dormiret, necari iussit, licet iureiurando ante confirmasset, quod non esset mortem illi illaturus, dum viveret. At postea mentem hac interpretatione explicavit, quod dormientes non pro vivis sed defunctis habeantur. Quale exemplum etiam nuper retulit vir integræ famæ, qui mediator fuerat inter milites præsidiarios & magistratum sat notæ Reipublicæ, quum milites propter defectum salarii, priusquam solutum esset debitum, ulterius obligationem sequi recusassent. Magistratus vero quum tandem post multas obligationes promitteret solutionem, simul hanc abnegationem officii pro specie rebellionis aut seditionis allegare voluit, ut, soluta mercede, sub prætextu criminis admissi, ultimo eos afficeret supplicio. Hoc audito, noluerunt milites quidquam isto nomine accipere, priusquam condonatione facta penitus essent reconciliati superioribus. Quod iridem sub æquivocatione quidem illis fuit promissum; & tali conditione, ut, accepta solutione, se sisterent in territorio magistratibus: ubi cõcluserant, quod principales eos, qui solutionem petierant, è medio tollere vellent. Sed hanc fraudem quum Mediator ille perciperet, in faciem magistratui illi contradixit, adiecitque, quod nollet in publica fide fallax deprehendi, quin statim militibus id detegeret, quum boni viri non sit, aliquid duplici proferre conscientia, aut tali æquivocatione ludere, nedum quod hoc boni magistratus indicium esse possit, cui omnis fidei concredita est custodia. Quo verbo in pudorem coniecit singulos adsessores, & obtinuit integritate sua privata, ut etiam publica fides illius magistratus, salva perstaret. Simile exemplum ante triennium ipse vidi, quum inter Principem & civitatem quandam, P. sub fidei certique silentii juramento, pacta constituerentur æqua secreto modo; quæ non tantum propalavit magistratus cõmodo suo studẽs, sed etiam cũ damno alterius penitus negociũ subvertit; prætendens, rebus sic stantibus id ita esse intelligendum, &c. Quum eiusmodi diræ Sophisticationes passim in usu fuerint, adagiis aliquot, de Phœnicũ pactis, Thessalorũ commentis, pacto Locrensi, & commento Thracum, locus (proh dolor) factus est. frandesne sint? *Vid. Erasm. in chil. tit. de*

tit. de inconſtantia, &c. Præclaræ certe interpretandi rationes, ex Diaboli ſchola hauſtæ. *Arum. de iur. patri. diſc. 28. th. 82.*

Sunt alii ſecundo, qui non tantum verba, ſed & ſyllabas aucupari noſcunt. Ceu de Ludovico V. Rege Franciæ hiſtoria eſt, quod Ludovicum Luxeburgenſem, magiſtrum militum, ſub verbo hoc, Se capitis tanti virum egere plurimum, ad capitale ſupplicium abripere ſtuduerit. *Comineus de reb. Gall. Bod. d. l. num. 607.* Simile quoque in Sleidano *lib. 19.* legitur exemplum de incarceratione Landgravii Haſſiæ.

Tertio, ſunt etiam alii, qui veteratorie, & nimis callida iuris interpretatione fidem fallere non dubitant, pacemque violari negant. Ut, ſi quis pactus ſit, ne offenderetur, & tamen furto aut alio velamine criminis res poſſit auferri, &c. *Arum. ibid. th. 83.* Velut etiam de Legato Romanorum, qui cum Antiocho de diviſione navium egerat, exemplum refert Bod. *d. l.* Ita fides ſubverſio quavis ſophiſticatione facile commiſci poteſt, ſi verborum perplexitates non rite excludentur.

Proinde modus prope omnis in fide conſiſtit, quę etiam fundamentalem formam exhibet confœderationis contractui. Pernicioſior hoſtis non eſt, quam qui ſub ſpecie amici duplex eſt, inque verbis alius apparet ac in corde ſepultum tenet. At fides bona non patitur hanc; ſed verba rotunda exigit cum effectu, quem nec utilitatis publicæ nedum privati ratio ulla violare debet. Etenim, abrogata vel violata fide omnis inter homines ſocietas concidit, quæ nec fœdere, nec ulla conditione pacis poteſt recuperari. Ipſemet Reipubl. Princeps fiet omnium exul, qui erat omnium Præſul. *ut loquitur Bald. in l. Princeps. ff. de ll.* Proinde Saxonum is mos fuit antiquus, ut quiſque ſecundum promiſſa & verba obligatoria cogeretur ſtrictiſſime vivere. Ac ſi quis vacillaret, eũ nõ teſtes, non vicini tolerarunt. Autenim excludebãt talem ex omni conſortio convivali, aut nemo ipſi propinabat. Unde proverbium exortum, quod talem **de klapfamme vorbey gehn muſte**: quaſi non eſſet dignus, qui cum honeſto cœnaret, ſi fidem non ſervaſſet debite. Nec raro compellebantur ad obſtagium præſtandum. *Vid. Monach. de iuriſd. part. 22. c. ult. Moll. in conſt. Sax p. 2. tit. 22. & 3. ſemeſt. cap. 3. Kopp. qu. 3.* Conſtantia & integritas hæc Saxonum in ſervanda fide adeo famoſa olim reddita fuit, ut etiam ad exteros proverbii loco emanarit, & firmiſſimum putaretur, ſi quid Saxonica fide eſſet promiſſum.

Sed ut in fœderibus compangendis modus dictæ fidei eo ſyncerior appareat, cautelæ binę erunt. 1. Ut, ſi quid diſcordiæ antea fuerit inter paciſcentes, id penitus amneſtia conſopiatur, & rancor omnis omnino tollatur è medio; certæ cũ pœnæ conſtitutione exprobraturo irrogandæ. Deinde, ſi quid diſcordiæ inter membra exoriatur, hoc ad arbitrium compromiſſi alicuius remittatur. Sic etiam, ſi verba dubia inveniantur, id ſelecti ad hoc & è confœderatis deputati examinent, æſtiment, declarent; ac concludant, &c. Quibus de cauſis non tantum eſſe oportebit fœderum protectores aut directores; ſed etiam omnino conſultum erit, ut ſtatis temporibus conventus communes atque deliberationes inſtituantur; quo iuſtus ſemper vigor conſervetur, damna autem in tempore, ne inveterẽſcat malum aliquod, è medio tollantur. Cæterum, director ille vel protector & ipſe ſocius erit, nil ultra: neque juris quidquam in cæteros obtinebit.

Quæritur heic, num rupta fides videatur, ſi ſocii patrem fratreſve, fœderibus non comprehenſos, violaveris? Cauſſa quidem inquirenda eſt; ſed male negativam vult Bod. *d. l. 5. c. 6. Vide quoque Arum. d. diſc. 28. th. 84.*

Sic arduam quoque hanc quæſtionem hodie duo inter ſe confœderatorum corpora ventilant; An teneantur confœderati ad ea præſtanda, quæ in Notula autographi aliter fuerunt ſubſcripta, quam in expreſſa reſervatione protocolli & explicatione eius ſint memoriæ cauſſa annotata? Una pars verba fœderis vult ſtricte obſervari; altera vero, ad reſervata cum proteſtatione recurrit. Si quid cenſendum foret ſecundum ſtrictam juris regulam; certe, quod altioris eſt indaginis, cum eo quod probationis eſt liquidæ & manifeſtæ, atque in continenti documentis publicis confirmatur, haut comparari, nedum confundi poteſt. Etenim probatio in continenti, ſecum importat executionem paratam, aut proceſſum ſummarium requirit; & excludit exceptiones, quæ ſunt de iuris apicibus. *Col. de proc. execut. p. 1. cap. 10. nu. 308.* quum alterum ex longe petitis adducatur. & prius ordinarium exigat rei abſtruſæ per notiſſima jura cognitionem. Imprudentia eſt, dicere, Non putaram. Res magnæ conſequentiæ, providum præſupponit conſilium; præſertim ubi tam multa tot vicibus ex intervallo confluunt ingenia, quæ primas inter prudentes ſibi partes vendicant. Litem ſuam ipſi inter ſe dirimant. Alias notorii ordo eſt, ut ordinem juris non requirat. *Col. de pr. execut. p. 1. c. n. 22.*

CAP. XV.

De ſolemnitatibus & ceremoniis fœderum: deque officio confœderatorum, & quanam in re id proprie conſiſtat.

VT nunc ſunt mores hominum, fœdera humana utplurimum præter nomen nihil habent quidem; nihilominus ſæpius terriculamento ſunt vicinis aut hoſtibus. Atque hanc auctoritatis gratiam ut magis concilient confœderantes, idcirco ita res & conatus ſplendore ſuo ceremoniiſve non caret.

Ritus autem celebrandi aut ſunt de fœderis ſanctione, vel de eius confirmatione & approbatione, vel de eiuſdem publicatione.

Quoad primum, ante omnia de pactis conventis agi oportet, quibus fœdera tanquam firmamento innitantur. Deinde vero olim variis ceremoniis quidem fœdera ſanciri ſolebant. Veluti *ſupra cap. 11.* oſtenſum eſt, quod Patriarchæ atque Reges victimis & iuramentis ea confirmarint. *Bod. d. l. 5. cap. 6. ſolemnitates aliquod recenſet.* Veterum alii, ad modum ſanctorum Patrum, cæſis victimis, alii pactu lapidũ, fœdus iniebant; ubi ſimul hi iſta verba ſubmiſcebant: Si ſciens fallam, ita me Dieſpiter, ſalva urbe arceque, bonis eiiciat, ut ego hunc lapidem. *Roſ. de ant. Roman. lib. 3. cap. 6. & lib. 10. cap. 2. plures recenſet ritus.* Reges Parthorum & Armeniæ innctos pollices & eodem nexu colligatos leniter vulnerabant, cruoremque expreſſum exugebant. *Bod. d. l. & Arum. d. diſc. 28. th. 95.* Sic veteres noſtri Germani manuum

manuum implicatione fœdera contrahere ſolebant. Qualis ſolemnis mos ſtipulationis etiamnum apud nos in uſu eſt; iuxta illud vulgatum: *En, dextrá fidesque.* Saxones monſtrato & erecto in cælum pollice cum nutu capitis confirmabant ſimul verba promiſſoria. Quem ritum adhuc ſeniores nonnullos obſervaſſe vidimus. Alii ferro candente aquæ frigidæ immerſo, dira carnium execratione fœdera ſanciebant. *Bod. d. l. pag. 952. ubi & addit ex Cæſare*, quod Galli veterès collatis ſignis ſanctiſſime fœdera iunxerunt. Nonnulli victimarum ſanguine gladios tingebant, veluti Clearchus Lacedæmonius & Tiſſaphernes Perſa talem coniunctionem inter ſeſe coiere. Qui arctiſſima conſpirationis fide coniurabant, pocula vino ac ſanguine, quem inflicto ſibi vulnere expreſſerant, temperata, ſimul abſorbendo evacuabant. quales levitatis mores etiam imitari hodie ſolent juvenculi noſtri, qui diſſolute vivunt. *Vide Camerar. 2. medit. c. 78. & c. 59.* Abraham quum fœdus cum Abimelecko pangeret, greges & armenta ei dabat. *Gen. 21. 27.* Alii connubio ſtabiliri rectius fœdus putant. *Bodin. l. d. & Arum. d. d. th. 97.*

Sed iuriſiurandi ratio, in fœderibus ineundis vetuſtiſſima, quæ & noſtris quoque moribus confirmatur, proculdubio Iudaicæ genti accepta ferenda eſt. Sic Abimelech & Iſaac jurato ineunt fœdus. *Gen. 26. 31.* David & Ionathan. *1. Sam. 18. 3. & 20. 16. & 23. 18.* Ioiada & præfecti militum. *2. Reg. 11. 4. 2. Paral. 23. 1. &c.*

Porro, divina lex (*ait Ham. diſp. ult. pol. th. 10. l. f.*) alterius, quam Dei æterni nomen ac numen iureiurando obteſtari vetat. Is enim ſolus eſt, qui numinis ſui contemptores & perfidos ulciſci poteſt. *Deut. 19. Ierem. 12. &*).

Qualis formula eſſe debeat promiſſionis fidelis, tradit S.S. *Deut. 6. 13. Apoc. 10. 6. Danaeth. Chriſt. 2. cap. 9. fol. 152.* Idque Chriſtus plene explicat *Matth. 5. 33. & ſeqq.* Chriſtianorum verbum non debet eſſe fruſtraneum; Quod non in veritate firma conſiſtit, à malo ortum traxit. Hinc à clauſulis, quæ magis ſapiunt imprecationes & execrationes, quam ſolidum veritatis ſervandæ reſpectú, abhorrendum eſt penitus: nec nimis arctum obligationis vinculum inter veros Chriſtianos efflagitare oportet. Sed ubi tales invenias? Ideo neceſſario recurrendum eſt ad illud, quod Dei teſtimonium cordi cuiuſque interponat. Si Chriſtum audiamus rite, ſat habemus in ipſius præſcripta formula aſſeverationis. Quid vero de horrenda (*ut ait Rittersh. part. 9. in Novell. cap. 2. n. 1.*) formula iuriſiurandi ſit tenendum *in Novel. 8.* id quilibet cognoſcat *ibidem* apud Ritt. & Cuiac. *in resit. ſuis ad tit. de iureiur. lib. 2. decr. c. 26.* Iuramentum ergo (*dicit auct. apud Arum. in iur. pub. d. d. th. 100.*) quum præcipuus ſit confœderatorum nexus, ut hoc Iudaica gens probe intellexit, (*Gen. 21. Ioſ. 9.*) valde requirimus. & quamvis inter Chriſtianos nulla debeat eſſe differentia inter ſimplicem loquelam & juramentú; (*Cuiac. 22. obſ. 7.*) tamen metu divini numinis (*l. 8. ff. de cond. inſtit.*) plus operatur iuramentum, quam ſimplex promiſſio. *c. debitores de iureiur.* Licet nonnulli, quod dolendum eſt, apud Chriſtianos contemptu religionis faciles inveniantur. *d. l. 8.*

Præſtatur autem iuramentum aut à principalibus ipſis: aut, quod hodie uſitatus mos obtinuit, ab iis, qui ſingularem ad id commiſſionem ſive mandatum ſpeciale habent; velut ſunt etiam legati; (*cap. 1. §. ſed utrum. 1. per quos fiat inveſt.*) quod in confœderatione Hanſeaticarum & Belgicarum anno 1616. ceu plenum mandatum id requirit, obſervatum vidi. Verum quod per procuratorem non fieri poſſit, vult quidem Erenb. *lib. 2. de fœd. c. 1. n. 119. pag. 83.* atque id affirmat partim ex auctoritate *Bod. lib. 5. de Rep. c. 6. & Bald. in l. unica. C. de caduc.* partim quod iuſiurandum adeo arcte cum perſona cohæreat ut ab ea divelli nequeat. Sed ſi actus iudiciales per plenipotentiam poſſunt exerceri; quur non etiam talia extraiudicialia? præſertim quum data fides Chriſtianorum idem operari debeat quod iuramentum; *Cuiac. lib. 22. obſ. 7.* imo & iuramentum invalidum ſit ſervandũ; *Duarh. in cap. quamvis. de paſt. in 6. n. 29.* ac pietas, cui ſimplex ſufficit promiſſio, periuria neſciat.

Binæ heic agitari ſolent quæſtiones. Primo; An iuramenti loco æquipollens ſit admittendum? ut, ſi quis fidem honoris, nominis, dignitatis, & famæ adiiciat: Bey höchſten Ehren; & Fürſtlichen Treuen? videatur Mynſ. *cent. 1. obſ. 17.* & Gail. *2. obſ. 59.* qui pro iuramento id haberi volunt. Quibus adſtipulatur Beſold. *d. l. 2. pol. c. 6. n. 33.*

Secundo quæritur; An ſufficiat, ſi quis recuſet iuramentum, & tamen iuramenti loco ſe obſtringat? Licet iuxta Chriſti præceptum eandem vim obtineant. quo iuramentum cenſeri poſſit; unde & Beuſt. *de iureiur.* & Mynſ. *d. cent. 1. obſ. 17.* implicite id contineri dicunt: tamen, quum cauſa ſit publica; & nominis divini invocatio maxime ſit de eſſentia iuramenti; tum quoque ſecundum ius commune res ſit iudicanda, in quo ſolemne iuramentum promiſſioni ſimplici præfertur; & ut quoque fraudis ſuſpicio aut eluſio perfida evitetur, æquipollens admittendum non putant. *Erenb. lib. 2. de fœd. c. 1. Arum. dict. loc. th. 101. & 103.*

Ad confirmationem fœderum maiorem etiam hoc facit, ſi dubia fides ſit, ut præſtito iuramento, pro ſervando fœdere obſides dentur. *Gail. lib. 2. de pac. publ. c. 21. Dd. in l. obſides ff. de teſtam. Sand. lib. 24. com. Beſold. d. l. n. 34.* Obſides autem quid ſint, explicat Arum *d. l. th. 105.*

Atque ne quid mutuis promiſſis facile immutari, aut verba obligatoria inverti, aliterque ac dicta ſunt accipi in interpretatione poſſint; quamvis ſit contractus iuris gentium, ut non ſit de eſſentia eius ſcriptura; tamen non tam uſus, quam negocii neceſſitas, notulam certam poſtulat, ut contractus probatio eventualiter inde eo rectius conſtet. *l. 20. §. ſed. C. de teſtib.* Tum etiam ſæpius plures ſunt articuli, quam ut nuda poſſint conſervari memoria. unde prudentis officium hoc quoque requirit, ut negotiorum cuſtodiam litteris bene conſervet. *l. 4. ff. de fide inſt. l. cum res ff. de prob.*

Si igitur litteris demãdati ſint articuli pro ſolidioris confirmationis robore; neceſſum quoque eſt, ut manus propriæ ſubſcriptio addatur cũ ſubſignatione ſigilli. velut hoc communis tot ſeculorum conſuetudo approbatum ſervat. *l. ſicut. §. non videtur. ff. quib. mod. pig. vel hypot.* Ubi duæ iterum ſuccurrunt quæſtiones: An ſubſcriptio etiam per mandatarium aut legatum fieri poſſit? Si dominus non ſit in vicinia, res autem moram non ferat, atque inſtructio cum mandato id ita explicet; poterit quidem loco principalis ſui ea omnia perficere, ad quæ ipſi pleniſ-

poteſtas

potestas data est; sed necessum est, ut eius instructio cum mandato actis incorporetur, & cum originali subscripto adservetur. Ita etiam secundo quæritur; Num subsignatio subscriptioni, an subscriptio subsigillationi sit præferenda; & quęnam sit potioris iuris, si alterutrum sit omissum? Casum novi in aula Electoris Saxoniæ aliquando ita fuisse, ut sola subscripta produceretur manus; & decisum fuit, *iuxta Gailium*, quod manus subscriptio prævaleret.

Absoluto itaque modo & solemnitate confœderationis in contractu, nunc pauca quædam de officio confœderatorum quoque erunt attingenda.

Porro, nervus iste consistit maxime in eo, ut omnia secundum articulos pactionis fideliter præstentur, & rite fœdus in placitis suis conservetur. Unaquæque enim res, quo maioris est utilitatis & amplitudinis, eo citius quoque ad extrema pericula prolabitur, nisi bonis consiliis in quovis tempore suffulciatur, & simul suis certis communiatur limitibus. Ideo qui in uno hærent fœdere, videant, ne promiscue se aliis simul implicent, & eorum occasione etiam inviti ad negotia iniusta & perniciosa rapiantur; quum non raro ruina unius confœderati omnem reliquam secum præcipitet multitudinem. Etenim, dum impliciti fœderibus sequi alienis furores cogantur, facile concidunt omnes. Non opus est, ut hoc tempore turbulentissimo ex longinquis seculis aut historiis petantur exempla. An non ante oculos est totius Germaniæ status tristissimus, & in ruina sua involutus pessime? Quæ causa? quis Auctor? Peccatorum quidem servi perditi in natura nostra sumus omnes, & quisque suam patitur noxam; Sed quisnam mala sua etiam in alios & vicinos coniecit? Quis huic veluti fuit stimulo, sub specioso boni publici titulo, & Euangelicæ religionis pallio? Nonne auditi sunt passim tales disseminati nuncii? Vix per aliquot annos antehac circulorum, regionum, provinciarum, publici & privati, subornabantur conventus, ubi non subministrarentur cruentæ irritationes & exacerbationes quam plurimæ. Sed ex qua plaga mundi affluebant? Per quos ventus insusurrabantur? Quænam erant missitationes crebrrimæ? Nonne conclamabatur, O mortales, mortales, Euangelica nunc maiestas petitur! Euangelica libertas carceri æterno mancipatur! Euangelicus splendor penitus supprimitur! O socii, in unionem coite; ac ferro & armis vos ab hoc iugo liberate! Socios habetis amicos, fideles, fortes, & gratos adiutores!

Nunc opus est animis, & cordis pectore firmo.
State viri, atque videte, fiet qua causa malorum.
En, adsunt tenebræ, tenebrarum dira propago!

Ita magno & perpetuo semper conaminis ausu hocce urgebatur, *Cunctis in viribus artus*. Ἀλμυρὸν γέλοιον num illud nostris? Salsuginosa vicinia similes eiicit hamos. Sed quamvis currant aliqui, ne pluvia madescant, in fovea tamen præfocati hærent; nec adhuc Acesias (quod dici solet) medicatus est. Memini, quæ vidi, & quorum auditor atq; spectator fui. Accidit nimirum, quod in testudine fieri cernimus: si una chorda discrepet, tota illico harmonia turbatur; Sic si unus confœderatorum prematur, secundus, tertius, & reliqui continuo idem experiuntur. Quod in tragico hoc Germaniæ tumultu cernimus, quantopere vallus vitem deceperit, & nunc scipioni arundineo innitantur, qui ad Charetis mare aureum respiciebant. Ideo quam fidem quis fœderi destinavit, recte agendo server providus, nec ad alios respiciat eventus, aut ad novas se inescatier patiatur cassis. Deinde statis temporibus si fuerint indicti, aut alias necessarii, conventus sine intermissione visitet, ut suæ fortunæ sit sedulus observator. Nam facile quid occurrit, quod informet & doctiorem te reddat in cautelis observandis, licet sæpius propositi articuli tales appareant, qui te non tangunt. Præsertim, si quis fœderis director, aut prorector sit, visitentur sedulo deliberationes & consultationes communes. Tum quoque universalis huius officii regula talis est, quam olim Wolfgangus Palatinus suo agnato Friderico Electori testamenti loco, inter alia salutaria præcepta vitæ reliquit, (*referente id Chytræo in vit. VVolfg.*) iusta & necessaria modeste semper agere. quod fœdus optimum & firmissimum ille putavit. Quod si forte quoque fœdera sint pacta, quæ aliis invidiosa appareant, & loca silentio sint involvenda, aut res ipsæ; id quoque sancte præstandum est. Alias, si res aperta sit & honesta, & ita sit constitutum, ac maxime necessum sit; si cum consilio subditorum & eorum consensu sit initum (velut nec decet quenquam superiorem in fraudem aut præiudicium subditorum fœdus aliquod pangere. *Dd inc. 1. § præterea de prohib. feud. alien. VVesenb. cons. 2. Erenb. c. 27 n. 223.*) fit merito fœderis solemnis publicatio. Ubi interdũ astutiam quandam supponere solent callidi auctores, ut suppressis veris articulis, inter misceant quædam ficta, quæ populi favorem vel adaugeant, vel etiam exteros in terrore aut metu contineant, ne rei vere gestæ capita invidiosa innotescant. Vulgus enim sæpius plurima absque consideratione spargit, quæ magis obsint, quam utilitatis quid creent fœderis intentioni. Præterea danda est opera, ne fœderis articuli facile aut temere mutentur, aut violentur alicubi. Nam sunt haud raro, qui pro complexione ingenii levissimas ob causas, vel offensiones à sociis acceptas, ruptis fœderibus, statim ad extrema prosiliunt; velut in Scotis exemplum est, qui adversus Pictos, cum quibus tamen per 600. fere annos societatem coluerant, ob canes ereptos, gravissima gesserunt bella. Omnia prius consilio communi tentare sapientem oportet, quam ad arma, aut alias violentias prosiliat. Tum quoque multa sunt dissimulanda. Amici enim vitia noveris, non oderis, in proverbio est. Itaque si controversiæ incidant inter confœderatos, eæ ita apud arbitros componendæ sunt, ut supra diximus. Quod ideo tenendum, ut ab utraque parte sint pares; quod si dissideant, tertium aliquem adoptent, aut illis ex communi partium ve consensu addatur, qui ex æquo & bono, vel etiam iustitia pactorum fœderis, lites dirimere possit. Quod in veterum fœderibus accurate observatum esse compertio, quoties præsertim civitates Saxoniæ arctiori vinculo se conglutinarunt. Legi aliquot pactiones, in quibus arbitri nominati fuerant civitates aliquot Imperiales superioris Germaniæ; inter quas etiam Norinberga erat; *ut suo convenientiori loco de hac materia agetur*. Denique tota summa huius officii in eo consistit, ut fides data, quæ neque in hoste, nec erga hostem violanda est, *ut in sequenti capite plenius explicabitur*, salva conservetur.

CAP.

CAP. XVI.

De duratione & effectu fœderum, nec non solemnitatibus, quæ in modo contrahendi advertenda sunt.

QVod ex temporis respectu fœdera alia sint perpetua, alia vero temporaria, id superius illatum est. Heic autem Dd. tam ICti quam Politici in diversas abeunt partes; dum alii cum fœderibus æternis & hæreditariis, alii cum temporalibus, & maxime iis quę certũ & determinatum numerum habent annorum, faciunt ut quæstio sit; Utrius melior conditio sit, & num temporario fœderi, an vero æterno sive perpetuo potiores partes & firmiores sint adscribendæ? Est certe res non levis momenti, & perquam dubia, quid pro laude æterni fœderis potius quam firma decisione temporarii constituendum veniat. Quanto enim iucundius id, quod solidam firmitudinem, & præsertim æternitatis quoddam fundamentum, substernit, quam quod mutabilitati & fluctuabundæ hominum opinioni & inconstantiæ committitur; tanto maiorem laudum omnium prædicationem id meretur, cui tuto etiam posteri se cum fortuna concredere possunt; quum noscant amicitia tali, quæ certis vinculis legum concatenata rite cohæret, non facile se posse privarier. Et, quid vera atque haud fucata amicitia in mundo utilius? Veluti nec inconcinna est eorum locutio, qui affirmant, quod amicitia magis quam ignis & aqua sit necessaria, idque mortalibus equidem omnibus, *ait Vincent. Castell. lib. 1. de off. reg. c. 63.* & omnium maxime regibus, aut Rebuspublicis. Etenim, *ait idem d. l. c. 62.* hoc firmiter ita tenendum est, regum amicos, esse verum ac perpetuum ærarium. quod etiam de quavis Republ. intelligendum est. Idcirco, Ex semet (*ait Manilius, lib. 2. Astron.*) non quod natura creavit, Pectore amicitiæ maius, nec rarius unquam. Et, *Ovid. de Pont.*

Scilicet heic etiam, qua nulla ferocior ora est,
Nomen amicitiæ barbara corda movet.

Et, (*Com. Pl.*) Nihil homini amico est opportuno amicius. Nam sane, *ait Castel. d. l. c. 62.* ex omnibus rebus, quas sibi mortales parant, *ut confirmat Socrates apud Xenoph. apomne. lib. 2.* nihil est amico præstantius. ut non sine ratione *Cic. in lib. de amic.* scripsisse videatur: Amicitiarum suam cuique permanere stabilem & certam possessionem. Quum enim cætera fere omnia sint quasi dona fortunæ; amicitia, virtutis, quæ æterna est, opus, altissimis robustissimisque defixa radicibus, nulla vi tempestatis, nulla temporum iniuria potest convelli. Quod sane longe rectius de ea amicitiæ specie adseverari valebit, quæ perpetuis coniunctionis legibus, & quidem talibus constat, ut nullus fucus, nulla simulatio metuenda sit, qua temere quid dissipari queat; vel aliquid erroris aut culpæ interveniat, quod ex iure confœderationis & pactorum consopiri ac tolli protenus non possit. Tũ quoque fœdera perpetua longe esse preciosiora, patet ex exemplo Dei, qui arcum propterea in nubes constituisse se profitetur, recordaturus fœderis perpetui (generalis) inter Deum & omnem animantem initi ex omni carne, quę fuerit super terram, *Gen. 9.16.*

Tale æternum fœdus Iehova & cum Abrahamo ac semine illius specifice pepigit, *Gen. 17.7.* dicens: Stabilio autem fœdus meum inter me & te, ac semen tuum post te, per ætates tuas, ut fœdus sit perpetuũ; me esse tibi Deum, & semini tuo post te, &c. Cui etiam hoc sacramenti testimonium ceu firmũ sigillum adiecit, *v. 13.* his verbis: Omnino circumciditor natus domi tuę, & emptus pecunia tua: Sic erit fœdus meum in carne vestra, in fœdus perpetuum.

Velut etiam æternitatem talis fœderis in sale depingit *Levit. 2.* ubi ait: Omnem autem oblationem muneris tui sale salito; neque cessare sinito salem fœderis Dei tui à munere tuo. cum omni oblatione tua offerto salem. Nam veluti sal cibum ab omni putrefactione conservat, & tutum reddit, suaque natura durabile est, & quasi matrix naturæ, quum ex ea in creatione producta sit terra, lapides, aqua, & metalla cuncta, ita tamen ut simul reliqua principia, videlicet sulphur & mercurius, submixti fuerint: (*Testen. detrip. vit. c. 2. in expl. 3. princip.*) Ita quoque oblationes omnes in fœdere Dei sempiternum vigorem precum & devotionis, ab omni putredinis impuritate conservare debent, ut perpetim vita novi fœderis nobis sit in Christo purificata. *Vide Crell. in Basil. Chym. de Spir. sal. pag. 209.* ubi ait; Sal simplex, &c. quum putredinem nesciat, maxime omnia à putredine vindicat, & naturali corpori salutaris, humanæ naturæ adeo conducibilis, ut sine eo vivere nesciamus; corporibus inditus, quicquid adest humidi, & quod reliquum est solidæ substantiæ adstrictione contrahit, &c. Hæ igitur virtutes quum crudo insint sali, quando potiores spiritui eius convenienter præparato? Eodem modo memoriam fœderis sempiterni, celebrandam quovis die Sabbathi, mandat Iehova. *Lev. 24.8. Num. 25.12.13.* ita loquitur Deus: Ecce do ei pacem fœderis mei, & erit tam ipsi, quam semini eius, pactum Sacerdotii sempiternum. Et quomodo fœdus hoc omnes concernat, docet Moses. *Deut. 5.2.* Iehova Deus noster, ait, pepigit nobiscum fœdus in Chorebo. Non cum patribus nostris pepigit Iehova fœdus istud, sed nobiscum, &c. *Ita & Deut. 29.1.15. & 1. Reg. 8.21. 2. Chr. 23.3. Psal. 89.35. 40. Esa. 24.5. & 56.4.6. & 57.8. & 61.8. Ier. 34.13. & 50. 5. &c.* Præterea semper ea confidentiores reddunt mortales; quę Constantiam durationis declarant, quam quæ mutabilitati variæ sunt obnoxia. Et quis ei quid credat, qui diversa sentit, alia quidem nunc, alia dudum, & alia mox? *Zuing. in mor. phil. lib. 15. c. 5.* Nam in dubio qui est animus, parvo momento huc illuc impellitur, *ait Com.* Quin, Mens instabilis, iniqua utique res est, & non certa amicis. *Zuing. d. l. de inconstant.* Sed & varias clades eadem patitur facile, & calamitatibus suis obruitur. Exempla sat sunt obvia, vel in solis Iudæis, qui toties expositi fuerunt hostilibus direptionibus, aliisque miseriis, quoties à pacto deviarunt, quod cum Iehova inierant. Fœdus autem hoc sempiternum ab Hebreis ideo fœdus salis vocabatur, (*Num. 18.19.*) quoniam instar salis incorruptum præstare deberet amorem in Deum, citra omnem mutabilitatem; ut supra dictum est. *Vide Clut. in parad. th. 20.*

Eodem modo & Romani imitati sunt hanc rationem;

nem; qui, quum apud omnes gentes terræ hoc potiſſimum, nomine celebratiſſimi & notiſſimi eſſe ſtuderent, quod in omnibus actionibus ſuis honeſtatē, fortitudinem, benignitatem, manſuetudinem, conſtantiam cum integritate præ ſe ferrent; omnibus ſuis fœderibus æternitatem imponebant; *teſte Sabellico, lib.8.ennead.2.* Cuius ſanciendi formula hæc ibi legitur: Romanis atque omnibus Latinis inter ſe pax eſto, donec cœlum terraque eundem habebunt ſtatum. Magna certe hæc eſt arrogantia, & ambitioſum effatum, quo, ceu edicto, ſibi ſummam non tantum poteſtatem præ cunctis terræ populis adſcribunt; ſed etiam, quaſi cœlitus eſſent ſupra humanas vires al quem terrorem & metum mortalibus incuſſuri; oſtentant. Pax quidem effectus verus omniū confœderationum proprie eſſe debet; ſed tam glorioſa jactantia non tam acquiritur, quam magis ſubtrahitur, quum fundamento eo careat, quod ſolida pietas largitur.

At in fœdere Hanſeatico longe gratioſius quid eſt, quum in firmitudine ſua per tot ſecula duret propter mutuam neceſſitatem commercii; non quod ſuperbam ſibi arroget potentiam; ſed ſuis ſe contineat terminis: unde etiam maxime ſuam ſortitur durationem, & ſummum amicitiæ reſpectum apud omnes, &c.

Optandum quidem foret, concordiam perpetuam his confœderationis modis conglutinari poſſe; quippe amicitias immortales, inimicitias in momento mortales eſſe conveniat. *Heig. part. 1. 9. 11. nu. 4.* Sed experientia cotidiana & ipſa hominum perverſiſſima malitia ſuſpicionem facit, ægre hæc à nobis unquam ſperari poſſe. Etenim quum homines ii, cum quibus ipſe Iehova locutus eſt, quoſque ſibi in ſelectum populum adoptarat, & quibus præcepta ſua tot miraculoſis factis & tempeſtatibus ex monte Zionæo confirmarat, quique ipſi Iehova toties, etiam iurati; (*Ioſ.24.25.2.Reg.23.3.2.Chron.15 12.& 23. 16.Nehe.10.29.*) ſynceram promiſerant obedientiam, quum, inquam, ii toties fœdifragi facti ſint in Deum; quid non mortales reliqui committant, qui tot affectuum importunitatibus victi collabaſcendo cotidie cedunt? Proinde Bodin. *lib.5.c.6. n. 615. & n. 713. fol.* 962. & Erenb. *lib.2.c.2.n.45. pag.* 35. non incongrue locuti ſunt, quod non ſit abſque pernicie & damno, ſi quis æterna fœdera meditetur in conſociatione Principum & populorum. Quare talibus ſempiternis fœderibus, in populari & optimatum imperio, merito circumſtantiarum accuratum moderamen adhibent Kirch. *diſp.17. de rep.th.1 litt.b.* Clut. *in faſci. paradox.th.20 ad lit.a.* Beſol. *lib.2.pol.c.6.num.38.* Sed hac cum conditione, ut æquiſſimis non tantum legibus conſocietur aut componatur, ſed etiam aſſidua renovatio ſemper accedat; quum nihil tam ſtabile & firmum ſit, quod non diuturnitate laxetur, & in mutationem vergeat. *Vide Erenb. lib.1.de fœd. c.2.n.104.* ſicuti in confraternitatibus exempla adducunt ICti, *de quibus mox dicemus in ſequenti capite.* Sed aſſidua renovatio quoties ſuſcipitur, quid aliud importat, quā quod perpetuitati interruptionem hanc novo actu immiſceat? ſubiectis certe ſuis hæc ſempiternitas nunquam quadrat. Iehova quidem eſt immutabilis, *Ep.Iac.c.1.* Sed conſtantiam eam fidei & obſervantiæ nunquam ſatis, etiam duriſſimis pœnis, inculcare populo ſuo potuit. Audi Iehovam ipſum, per os & calamum Davidis ſui Regis ita graviter quiritantem. *Pſal.81.14.* O ſi populus meus auſcultaſſet mihi; ſi Iſraelitæ in viis meis ambularent, vel momento inimicos eorum fuiſſem depreſſurus, quum in hoſtes eorum convertiſſem manum meam. Oſores Iehovæ mendaciter ſe dediſſent ei, & futurum fuiſſet tempus iſtorum in ſeculum. Denique cibaturus fuiſſem eum adipe tritici; etiam ex rupe melle fuiſſem ſatiaturus te. Sed verbum nullum admittunt, nihil animadvertendo, dum in tenebris indeſinenter ambulant: ideo omnia fundamenta terræ corruunt. *Pſ.82.* 5. Quare correctione mitiori propius ad ſententiam boni reflectit ſe Beſold. *d.l.* dum ſtatuit, quod periculoſum ſit, indefinite in longum tempus fœdus inire, propter incertam longi temporis definitionem. Melius itaque eſt, ait, certum tempus determinare, quam ſe concertationibus Dd. committere; quum nec ipſi inter ſe conſentiant, quæ ſit locatio ad tempus longum. *Pinel. ad. l. 1. part.3. num. 63. C. de bon. mat. Soar. ad Gom. tit. de loc. & cond.* Quę mens quoque non adeo diverſa eſt Bodini, dum rationem periculi in perpetuo fœdere ita ſubnectit, *d.l.* Nam, cui fœdus iniquum videtur, ait, occaſione oblata fidem fallet propter perpetuam fœderis iniquitatem. (quū mutari poſſint tempora cum rebus.) Sin brevioti temporis intervallo finiatur, etiamſi grave cuiquam ex ſociis videbitur, in eo tamen permanſurus eſt. Facile eſt autem tempore finito ſocietatem emendare, aut novo fœdere ante vertere ac præoccupare, &c. Quare nec illud fœdus, quod ad beneplacitum contrahentium initur, probandum eſt. Quis enim tutum eſſe dixerit in fœderibus alicuius mero arbitrio aliquid committere? Et quis ergo ſic dubitabit, temporaria fœdera, quæ ad certum tempus, vel ad confœderati Principis exceſſum, vigorem ſuum extendunt, perpetuis illis dictas ob cauſſas præferenda eſſe.

In his quum auct. apud Arum. *in diſc. acad. 28.th.* 88. optimam foveat ſententiam, eius heic lubet adſcribere verba: Temporaria igitur fœdera ita conſtituuntur, ut vel ad certum tempus durent, quo elapſo ceſſant penitus, aut renovantur ſeu immutantur; vel tam diu vim habeant, quam diu ſocii confœderati vixerint. Moribus noſtris non immerito nobiliora facio fœdera certo temporis ſpacio, cum pacto, ſi placuerit, de renovando, incluſa; per ea quæ tradit Bodinus *lib.5.cap.6. Diſſent. Kirchner. d. loco.* Potiſſimū autem propterea, tum quod eadem vis ſit fœderis decennalis ac centum annorum, ſi modo ſit relictum arbitrio fœderatorum renovare ad decem annos fœdera; tum quod ſatius ſit, ut fœdera mutuo conſenſu de novo renoventur & confirmentur, quā ut invitum in perpetuū in fœdere ſerves, & vel tu, vel ipſe, ſcelerate ac fœde frangas fœdus invitum. Invitum qui ſervat, idem facit occidenti; *inquit Publius Syrus in minis.* Sæpius tamen contingit, ut Principes pro ſe ſuiſque filiis ſocietatem ineant. Exemplo eſt fœdus Smalcaldicum. Nam, cum confœderati Smalcaldici Mauritium Electorem poſt mortem patris de fœdere interpellarent, propterea quod Heinricus pater pro ſe filioque minorenni fœderi nomen dediſſet; reſpondit, ſe vinculo patris non teneri, ac fœdus abnuit, *teſte Sleidano 15.lib.* Quæſitum an recte? quod iure factum, *cum Heigio, quæſtio. 11. num. 41. part.1* affirmare non erubeſco. &, licet alias contractus anteceſſorum ad ſucceſſores ptincipes tranſeant, *l.2.l. ſi.*

l. de quadr. præscript. tamen id in societate non obtinet. *ob l. 35. l. 40. & passim. ff. pro socio.* ne aliquis invitus efficiatur socius ei, cuius esse non vult. *l. 65. §. 11. d. t. quod recte itidem defendit cl. D. Præses in prælect. polit.* Atque hoc ita in principibus viris obtinet, ut eorum successores fœdere non teneantur, nisi fœderis cum antecessore contracti conditiones ratas habuerint. Si enim omnes Principum contractus bonæ fidei sunt, *docuit Alciato, lib. 8. c. 45.* Inprimis erunt fœdera. Quare consensus interveniat necesse est. Nihil enim sibi cum paternis fœderibus commune esse, si Romani amicitiam ac societatem colere vellent, prius de pactis conventis agi oportere, dicebat Rex Macedonum Perseus. *Bodin.* Cuius rei optima ratio est, quod iusiurandum, seu religiosa illa affirmatio, qua societas ac fœdera veluti firmamento innitantur, ita personæ iuranti cohæret, ut ab ea divelli non possit. Quo igitur modo ad posteros transferetur? *Bald.*

Sed hæc hoc loco sufficiant, dum ad effectum fœderis deproperamus. Sæpius accidit, ut finis cum effectu confundatur etiam ab iis, qui se politicorum eruditissimos venditare solent; ut supra crassum illum multorum errorem in civitate explicavimus, quam alii pro subiecto, alii pro fine venditant, quum tamen se præ omnium oculis pro ipsissimo effectu Reipubl. palpabiliter exhibeat. Ne vero eundem heic errorem committant alii, proinde superius in definitione fœderis finem ita constituimus, ut effectus non exprimeretur simul, sed duo ista inter se distincta & separata manerent. Finis vero & maxime internus, tum dictus fuit, quod præstationem fidelem & indubitatam rei necessariæ pro modo pactionum expressæ requireret. *Vide Erenb. d. l. c. 2. nu. 214.* Externus vero per se patet, quod ad conservationem Reipubl. tendat. Quod si igitur pro conservatione status aut rerum cuiusque, aut Reipubl. quibus pericula imminent, præstetur, quod fœderis conditiones pro liberatione vel auxilio postulant, tunc necessario resultat inde effectus is quem nunc intendimus. Iste vero num alius esse possit, quam ille ipse quem Iehova definivit, quæ est pax & securitas vitæ pia. Ubinam, quæris? Locus superius allegatus est integre, *Num. 25. 12.* ubi Iehova ipse determinat id, quod ex fœdere resultare debeat, nimirum pax & tranquillitas. Hanc ideo dat, quod Pinehas excandescentiam eius è filiis Israelis averterat. Unde consolando Mosen ipsi pacem quidem denuo promittit, sed pacem talem, quę ex fœdere procreetur. Iccirco (ita alloquitur Mosen) dicito: Ecce, do ei meum fœdus, fœdus pacis. quasi diceret, Pax mea tunc certa erit: quando si fœdus meum in omni observatione rite præcedat; & hoc vobis pacem progenerabit.

Eodem modo *Gen. 21. 23.* Abimelechus Rex Gerari cum Abrahamo fœdus ultroneum pepigit, ut pacem in benignitate pari & mutuæ vitæ colerent. & impulsivam causam Rex addit, quare tale fœdus cum illo icere cupiat, dicendo, 23. & 24. Deus tecum est in omnibus, quæ facis. Nunc itaque iura mihi per Deum heic, dira tibi imprecans, si mentitus fueris mihi, aut filio meo, aut nepoti meo; fore, ut benignitatem parem huic, quam exercui erga te, exerceas erga me, & erga regionem hanc, in qua peregrinaris. Cui dixit Abraham, Ego iurabo, &c.

Quæ formulis fere eadem idem Rex repetit in renovata confœderatione illa quam cum Isaaco *Gen. 26. 28. & 29.* erexit. Ubi tamen bis dictis verbis explicatur reciproce, quid ex mutua benevolentia fœderis procreetur. ait Abimelech; dimisimus te cum pace; ut tu nunc à Iehova benedictus es.

Solemnitates heic quæ fuerint, & quis modus contrahendi, *p. 30. & 31.* adicitur his verbis. Quum itaq; (Isaac) fecisset eis convivium, comedissentque & bibissent; surgentes mane iuraverunt alter alteri, deduxitque eos Isaac, & abierunt ab eo cum pace. In qua confœderatione amicabili, omnes ferme circumstantiæ, quas hucusque deduximus, cum suis cautis, quasi summatim in una effigie egregie conspiciuntur enumeranturque. Hæc enim concordia amico animo conficitur, cum grata beneficentia lautoque convivii exceptione. Pacta, quæ mutuo proponuntur, tã firmiter acceptantur, ut iuramento confirmentur, & quidem (uti hoc quoque Erenb. *lib. 2. de fœd. c. 1. n. 32.* serio inculcat,) tempore observato antemeridiano. Et heic renovatur fœdus, *iuxta eiusdem Erenb. monitũ d. l. pag. 325.* Sic in deductione eorum, manifestavit Isaac publicationem & approbationem. Quemadmodum etiam hoc omnino observandum est, iuxta hodiernum Imperii nostri statum, ut illi, qui firmiter confœderationem compingere volent, id faciant cũ approbatione Imperatoris; quamvis ille exceptus videatur, quum regulariter in omni generali oratione persona loquentis excipiatur per se. *l. 30. in fin. ff. locat. c. petit. de iureiur.* Finis etiam fœderis innuitur, quod sit mutua coniunctio animorum. Cui tandem effectus apponitur; in pace. Quod ipsum quoque Erenb. *in diff. lib. 1. de fœd. c. 2. n. 229. & 237.* dilucide explicat, quando fœdera in Imperio statibus Germaniæ nulla alia concedi debere aut posse affirmat, præterquam quæ respectum habeant ad pacis constitutionem: quod si vero ita conficiantur, nullatenus prohiberi posse. *l. percipimus. C. de appellat. Mynsi. 6. obser. 2.* quum congregationes, quæ in bonum fiunt finem, non debeant improbari, nedum quod aliquo iure pœnam mereantur. *l. 12. C. de off. rtã. prov. Bald. cons. 119. Schrad. de fœd. p. 10. sect. 10. nu. 26. Specul. Saxon. lib. 2. art. 1. l. 12. C. de l. Iaf. cons. 86. nu. 1. lib. 3.* Possent hæc pluribus explicari quidem, atque ex ipsa sacra Scriptura deduci plenius: sed attentus lector in supra citatorum locorum veram cognitionem ipse inquirat; quæ hac de re docte satis eum erudire possunt. Nobis iam duæ quæstiones huc necessario facientes enodandæ erunt, quum errores aliorum hanc extorquere nobis videantur explicationem. interim tamen hoc obiter heic notetur, quod Schonb. *lib. 4. pol. cap. 37.* effectum fœderum, quem in discrimine succursum esse putat, cum officio eorum prorsus confundat. de quo alias.

CAP. XVII.

Num fas sit quandoque Principi aut Reipubl. fidē violare; præsertim si iniqua conditiones, quas inire coactus est, & temporis commoditas id iubeat?

PAcis exoptatissimum nomen tantæ est dulcedinis, ut omnes pii & sapientes eius amore & desiderio merito ducantur. Nam *ut ait ille Poeta:*

Pax

Pax & amor Deus eſt, ſancti Deus auctor amoris:

Veri & ſancti videlicet amoris, non illius falſi, qui brutali impetu aut fuco formoſitatis rapitur, & perpetua inquietudine iactatur ſua. Faceſſat talis hinc furor cæcorum affectuum. Nihilominus id frequentiſſimum eſſe videmus, quod homines, inſtinctu diaboli ſubacti, eorum, ad quæ natura boni quam prōpriſſima eſt, nihil perpendant; imo ſæpius neque curent, quæ in pietate conſtanter præſtanda, fide ſancta, in ſe receperunt. In eum finem varias ſibimetipſis ingenii eluſiones confingunt, & in quæſtionibus variis effugia quærunt. Etenim quoties contra pacti aut confœderatorum alteram partem odium, tædium, vel invidiam, aut æmulationem, &c. concipiunt, vel actionum priorum eos pœnitet; quæruntur rimæ, quibus ſub ſpecie iuris aut tituli honeſtatis elabantur: Et tunc primaria ſolet eſſe quæſtio; An infidelibus fides ſit habenda? Idem propoſitum de hæreticis concipitur; ex quo univerſale quaſi axioma pridem confecerunt. Alii aſſeverant, *ex Plin. lib. 8 epiſt. 5.* non eſſe fraudis decipere, ſed prudentiæ. Alii ambigunt, An pro moribus temporum in commodum ſubditorum aliquid comminiſci liceat? Sed quum neque in his latebras defraudandi inveniant, quærunt, Liceatne minutas fraudes committere, fraudes ut maiores averruncentur? *Vide Chokier theſ. pol. lib. 2. c. 13.* Nonnulli dicunt, ſat licite clandeſtinum hoſtem inter confœderatos dolo eludi poſſe, ſi fiat in Reipubl. utilitatem. Sed quum neque hoc impietate ſua carere videant, tandem relabuntur ad quæſtionem, An non illa fœdera, quæ quis iniquiſſimis conditionibus inire coactus eſt, pro temporis commoditate frangere poſſit Princeps? Docet ita Br. *ad l. 5. ff. depact.* cum aliis pluribus ait Arum. *d. d. ac. 28. th. 71.* ut ſi inveteraverit hic error, *querente Bod. d. loc.* ut nullum ſtabile fœdus, nulla fida ſocietas inter Principes contrahi poſſit. Si victores victis legem dederint, non dubitant legati diſceptantes hanc unam violandorum fœderum cauſſam opponere, quod vi aut metu facta, quaſi ex edicto Prætorio actionem inſtituerint. Mirum tamen eſt, hanc novam prudentiam Romanos antea ſemper latuiſſe! Quis enim eſt, qui neſciat, pacis conditiones fere ſemper invitis dari, & vi ac metu accipi? Nemo tamen aut Princeps aut legislator unquam, qui, quod victori promiſiſſet, exequi recuſaret, quaſi vi coactus id feciſſe dici poteſt. Et recte. Quis enim foret bellorum finis, ſi à tranſactione, bona fide interpoſita, liceret recedere? *l. 10. C. de tranſact.* Tum, an viſe eſt, quę fit legibus permittēribus? *l. 3. §. 2. ff. quod met. cauſ.* Ac quem nam viro forti vis poteſt adhiberi? *Cic. 3. offic.* Tandē quidnam tam congruum eſt fidei humanæ, quam ea, quæ nobis inter nos ſemel placuerunt, ſervare? *l. 1. ff. depact.* Unde conſtat, *ait Kon. in pol. part. 1. c. 5. n. 168.* & infidelibus, & hæreticis, & hoſtibus ſervandam eſſe fidem ſemper, abſque ullo reſpectu. Ceu illud optime approbat Nortm. *in diſp. de iur. Princ. th. 77.* cuius verba integre huc referre lubet: Grave ac indecorum eſt Principi, uti dolo, fraude, & mendacio, etiamſi id fiat in Reip. utilitatem: Imo non ſolum contra bonos mores, ſed quoque pietatem ac iuſtitiam eſſe dico, ſi quis Principem à ſe diſſidentem veneno, ſeu aliis mediis inſidioſis, tollere tentaverit.

Eſt enim viva Dei imago in terris, quam periurio fœdare non ſolum eſt impium, ſed inſuper quoque periculoſum, & cum æterno dedecore coniunctum. Deteſtatur enim Iehova os bilingue: Abominatur ſanguinolentum & doloſum, ac perdit mendacia loquentes. *Prov. 6. 16. & ſeqq. 8. 13. 12. 5. 10. 22. & 17. 4. Pſ. 5. 7. & 10.* Labium verax autem ſtabilitur in æternum. *Prov. 12. 18. 21 & 26. 24. Comin. lib. 10.* Principes ſunt humanarum actionum condimentum, & ſal ſubditorum; quod ſi infatuatum fuerit, qui poterit conſtare vita privatorum? Abſque fide nulla eſt amicitia, abſque amicitia nulla humana ſocietas: abſque hac vero nullus Dei cultus. Ergo qui non colit fidē, nullum quoque habet Deum. *Carrian fol. 268.* Et certe, periurium, eſt deteſtabilius atheiſmo: quia non tanta eſt eorum, qui Deum averſantur, impietas, quam illorum, qui, eſſe Deum è rebus humanis perſpicere fatentur, iuris tamen iurandi ſimulatione numen irridere non dubitant. Imo qui libenter audit mendacii verba, omnes miniſtros habet impios. *Prov. 29. 12. Coſmo Bartoli c. 9. diſcorſ.* Impium ergo Euphemis apud Thucydidem dictum reiicimus; Quod ſcilicet non ſit iniuſtum quod fructuoſum. Hos appellat Alexander M. apud Curtium percuſſores veneficos, inquiens: Verum enim vero quum modo milites meos ad perniciem meam pecunia ſollicitet Darius, ad internecionem mihi perſequendus, non ut hoſtis, ſed ut percuſſor veneficus. Alphonſus I. Rex Neapolis, heroice reſpondit proditori Rugiero, qui ipſi promittebat occidere hoſtem ſuum Regem Caſtilię; Etſi poſſem lucrari (inquit) totius mundi imperium, nedum Caſtiliæ Regnum; non permitterem tamen tantum ſcelus. *Anmir. lib. 2. c. ult.* Sic Senatus improbavit Cępionis factum, qui Viriatum Luſitanum, latronem & belli ducem ſtrenuum, hoſtem populi Romani, cum vincere eum aliter non poſſet, per duos ſatellites pecunia corruptos, humi depoſitū peremit. Quæ victoria, quia empta erat, à ſenatu non fuit probata. *Sex. Aurel. Victor de viris illuſtr. Humir. d. lib. 2. diſc. ult.* Sic quoque non probarunt factum Q. Flaminii, qui Hannibalis mortem procurabat apud Regem Pruſiam. Hoſtem adverſum opprimere, ſtrenui eſt hominis, & virtutis opus. Papa Pius III. emiſit Italos, qui incendio atque veneno per Germaniā damnum darent. *Sleid. lib. 18.* Rex Hiſpan. ſtatuit in Principis Oraniæ caput 25000. coronatorum, & quoque Aſſaſino nobile ſtemma, ſi nobilis non eſſet, qui eiuſmodi generoſum (ita vocat) actum perficeret, cum criminis abolitione, etiamſi atrociſſimi eſſet reus; ut patet ex proſcriptione, & quoque Apologia Illuſtris Oraniæ Principis contra dictam proſcriptionem. Ubi etiam refert, quod Duciſſa, eiuſque filius Dux Parmenſis, ſæpius ſumpſerint ſicarios & venenarios, qui illum tollerent. Aſſaſinum huius principis vocat Barclaius pium & animoſum iuvenem, à quo optimo jure interemptus, pœnas Deo, Regi & Reipubl. debitas perſolviſſet: econtra vero deflet mortem Guiſiorum. *lib. 3. cap. 16. contra Monarchom.* qui dolor prodit iniquos hominis affectus. Sic ſæpe miſſi ſicarii tum à Papa, tum ab aliis, qui Regem Galliæ, Angliæ Reginam defunctam, & præſentem Regem tollerent, *ut ſuo loco dictum.* Eiuſmodi parricidæ clanculārii magis principibus ſunt timendi, quam hoſtis apertus potentiſſimus. Contra hunc enim induſtria eis facile remedium invenire poteſt, cum nul-

la humana diligentia declinare possit sceleratorum diabolicum impetum, nisi Deus unctos suos misericordiæ alis protegat. Decorum vero & Principe dignum est, hosti, infideli, latroni, hæretico, fidem aut non temere dare, aut datam omnino servare. Thuscum igitur Doctorem non solum, sed & impia Pontificum theoremata, cum æquivocationibus Iesuiticis, fugiat, si modo Maiestatis vitæ, ac salutis naufragium, cum perfidiæ macula, evitare satagit. Nihil enim tam congruit humanæ fidei, quam ea, quæ semel placuerunt, servare. *l. 1. de pact. l. 1. de constit. pec. pictor. l. 2. q. 4. n. 21.* Neque alia virtute Romanum imperium crevit, quam fide erga inimicos & amicos; quam si Ethnici in tanto honore habuerunt, multo magis & Christiani. *Cavriana lib. 2. n. 1. Tacit. fol. 267. Baz. de imperio virt. adversus Machia. ca. 7. Lipsius lib. 2. cap. 13. polit. Ciro Spont. lib. 3. ca. 2. & seqq. di Gover. del Stato.* Servemus, *inquit Iosua c. 9.* fidem datam, ne Dei præpotentis furorem ciere videamur. Et, (*Arist. ad Alex. M.*) Cogita ne pecteres, sed timeas divinam ultionem & humanam infamiam. Quæ enim laus est Principi, iustitiæ, fidei & bonitatis clarissimo speculo, toti mundo imperare, & maiestatem suam detestando maculare periurio? Non igitur considerabit, quid hic vel ille fecerit & mereatur, sed quid ipsi promissori conveniat. *Cavriana d. lib. fol. 268.* Æterna memoria, Principe Germano, (qui nullis mortalium fide & armis cedunt, *Baiacalo teste apud Tacitũ*,) & Maiestate Imperatoria digna vox erat invictissimi Imperatoris Caroli V. ad Eccium, & alios, qui urgebant ipsum ad violandam fidem D. Luthero datam: Etiamsi, inquit, fides toto terrarum orbe exularet, tamen apud Imperatorem immaculata manebit. *Bod. lib. 5. c. 7. de Republ.* Sic olim in Constantiensi Synodo fidem fregerunt constantissimis veritatis assertoribus, Iohanni Husso, & Hieronymo Pragensi, qui tamen fide publica eo venerant. *Mart. Clus. 2. f. 13.* Hic Politicorum & Aulicorum quorundam summus est Pythagoras, quem non in minori precio habent quam Turcæ suum Alcoranum, seu somnia sacrilegi Mahumedis. Inquit autem *hap. 18. de Principe, & lib. 3. in Liv. cap. 42.* Prudens Princeps fidem non debet servare, si ei sit damno, & necessitates præterierint, propter quas illam dedit. Et magni refert, si Princeps noverit belluinum ingenium pro arbitrio scite induere, ut, si iure legum decertando vincere non possit, tum mores vulpis assumendo & leonis, congrediatur. Hoc est, pro arbitrio & tempore ingenium fingat, ut more vulpis, quos volet, in insidias pelliceat, & pellectos instar leonis iugulet. Et hanc Principis dotem non esse exiguam existimat. Quam autem impium id sit, & contra omnem honestatis rationem, quilibet bonus facile animadvertit. Venenat namque aures Principum, ipsisque suadet, ut omnia recta negligant, dummodo potentiam consequantur. Cum tamen fides nulla necessitate ad fallendum cogatur, aut præmio aliquo corrumpatur. Seneca, *ep. 89.* intermortuũ illud Euripidis recoquit:

---- Ius regnandi gratia
Violandum est: Aliis rebus pietatem cole:

Et nihil in hominum societate erit firmum & stabile, si hoc impium theorema locum habuerit. Nunquam enim causa deficiet perfidiæ cur pacto non stet. *Liv. lib. 9.* & semper aliquam fraudi speciem iuris imponent. *Liv. ibid.* Sed de his Antinah. *lib. 3. theor. 21.*

Hactenus quidem ille; sed cognoscantur ea, quæ ulterius ibidem egregie adiicit. Notorie vero constat id, quod pacta sint strictissimi iuris. De quo exempla illustria nobis S. Scriptura proponit, ex quibus cernitur, quod nulla ratione violari ea fas sit; sed firmissime sint servanda. *In Iosu. 6. 25. in David. 1. Sam. 24. v. 22. 23. 1. Reg. 2. 8. & 2. Paral. 18. 13.* Tota quoque Hungaria hodie adhuc deplorat tristissimum regis sui Vladislai exitum, anno 1444. quod rupti fœderis cum Turca tam gravissimam luerit etiam in posteris pœnam; quum non tantum 30000. hominum misere tum perierint, sed etiam adhuc dum incolæ deplorandam calamitatem perpetui belli sentiant. *Crom. lib. 21. Iovi. in vita Amurat. Bonfin. lib. 26. Ciro Spont. lib. 3. del gover. di stat. Callimach. Florent. de reb. gest. Vladisl. lib. 3.* Plura addere non licet, quum sint odiosa nimis. Ita superba arrogantia & elatio, eo graviores pœnas secum importat, quo dignitas alicuius in excelsiori posita est gradu, si ad perfidiam declinet. *De quo crimine vide Val. Max. & Bap. Fulg. lib. 9. c. 16.* His adiicio: Licet de iure verba Principis quidem debent esse firmissima, etiam non iurata; *c. ad Apostolicæ. ibi. Innoc. de rei. iud. Mynsi. 1. cent. obs. 17. n. 2.* quod talis promissio eandem vim in Principe habeat cum iuramento; ut antiqua Germaniæ consuetudine olim receptum erat: tamen firmior est & manet regula sacra Scripturæ, ubi dicitur, quod Deus solus sit verax, & omnis homo mendax. *Rom. 3. 4. Ps. 62. 10. & 116. v. 11.*

Nam, proh dolor, in quantum ab eo laudabili veterum more deviatum est, ut fere pro ignominia habeatur fides, id pridem expertus sum. Et non adeo nuper exemplum minime amicum, ad quod nunquã non totus horresco, in quodam Illustri videre mihi contigit. Qui in eo valde gloriabatur, sibiq; oppido perquam placebat, quod coram unoquovis duplicitatem suam quam artificiosissime occultare nosset. Aiebat; Egregie ego nosco tractare homines; ut nemo facile sentiat, quis sim in corde. Namque adsumo quoque eos, qui se mihi totos concredunt, in musæũ meum; & compressa dextra illis ultro inter obambulandum arrideo, quam vis toto corde eos odio habeam. Sic, quum pro adsiduo more falsa criminis affictione alicui insidias etiam vitæ pararet, ille autem ob id à Consiliario honesta revocatione ad pietatis officium corrigeretur, deque iniuriosissimo mendacio admoneretur, respondebat, Novi quidem non esse verum, sed tamen ita dicam, ne homo ille absq; vitæ periculo mihi elabatur. Hoc quum iterum in eo reprehẽderetur, cum admonitione, quod nihil probaret in iure; respondit iterum, ex falsa adulatorum suorum persuasione: Quid? Principis verbum tantum valere debet, imo & valet, quantum quinquaginta testium aliorum. Addebat, se quoque velle ad conscientiæ provocare testimonium. Obiiciebatur ipsi, an id pietatis esset, vel dynastam deceret, contra apertam conscientiæ & iuris veritatem, quidquam asseverare? (Etenim supra modum se pium verbis argutissimis simulare didicerat, ut, qui non interius hominem nosset, prorsus eum esse Christianum juraret; adeo semper Christi imitationem ore iactitabat; audebatque gloriari, se nullius peccati reum erga proximum convinci posse.) Nihilominus, aiebat, se jura nil curare, sed verbo suo niti; quod potius esset, quam plurimorum attestationes iuratæ.

Quum igitur tam falsis persuasionibus multi procerum

cerum se in tantas præcipitent absurditates, & fraudibus non raro suam potentiam arment; inde rectissime in iure cautum est, (*l. 9. C. de test. c. 10. c. 23. extra eod.*) quod unius testimonium nullum sit, etiamsi vel ab homine in summa dignitate posito proferatur. *arg. c. ego solis. dist. 9.* Si enim tam multũ in testimonio exhibendo valere deberet dignitas, quantum sibi hac prærogativa vendicant, certe vix mortalium quis tutus foret. Proinde quoque is, qui terrigenum omnium viscera & corda perscrutatur, eaque in manu tenet sua, testimonium uniusabsolute validum esse vetavit. *Num. 35. 30. Deut. 17. 6. & 19. 15. Matth. 18. 19.* Unde etiam Hill. *cum Donell. suo part. 2. lib. 25. c. 15. l. A. & B.* omnes recte coarguit, qui vulgo *ad l. 3. C. de reb. cred. & ad l. 31. ff. de iureiur.* unum testem ad semiplenam probationem admittere audent; ubi Dd. omnes falsitatis reos agit. velut etiam *d. 9. lib. 24. c. 19. litt. I.* idem facit; ubi tamen *ex l. 20. ff. de quæstionib.* affirmat prorsus, quod unius testimonio non sit credendum. Et quamvis Gilhaus. *in arb. iud. de prob. ca. 6. part. 8. num. 14.* nonnihil Principi, si super enunciativis & narrativis verbis se fundarit, credendum putet, ac ad causas aliquot restringat ipsius narrata; tamen Umm. *in disp. ad proceff. 16. num. 40. cum Donell. & Farinac. quæst. 63. in pr. atque Covar. qu. 33. num. 3. v. his accedit; sunt & cum Valer. Max. 4. dict. memor. 1. num. 11.* omnino recte facit, quod nec Principis solius testimonium sufficiens dici posse ait; *iuxta eandem Iul. Clar. 5. sent. §. f. quæst. 53. num. 21.* Ubi etiam in hac constantia satis prudenter & pie perseverat; dicens: Unicum enim singularem testem, quantumvis excellentis fidei, ad deponendum plane non admitto. *l. 9. C. de test.* Tantum abest, ut semiplene probare queat. Regula enim certe regularum omnium in æternum fixa & firma manet, quam supra ex verbo Dei attulimus, quod Deus solus sit verax, & omnis homo mendax, cui etiam Psalmi 62. versus 10. propter vanitatem Principum, maxime adstipulatur. Carnis enim securitas ubinam magis in vanitate sua exerit se, quam ubi potentia propriæ dignitatis enitescere gaudet? præsertim si per titillationem adulatorum maiores acquirat vires? Proinde aureum est monitum, quod Gail. *2. obs. 5. 6. num. 9.* habet. Pertinet enim (inquit) ad officium Principis boni, curare, ne dilectionem proximi offendat, aut iustitiam violet, neve tempestatis plenitudine utatur. Ut præclare monuit Zas. *cons. 10. num. 7. vol. 2.* ubi sic scribit: Scio, boni Principis potestatem ad tutelam subditorum, & ad justitiam asserendam esse amplissimam. Cæterum ut iniuria subditis fiat, illic Principis potestatem non agnosco; sed Tyranni. Id enim dicimur posse, quod honeste possumus. *text. not. in c. fin. § fin. de rescript. in 6. &c. faciat 22. quæst. 2 gl. in Clem. sæpe. in verb. poterit. de V. S. &c.* Cognoscatur ibi Gail. plenius, quem in manibus plurium novi; prout locus est perquam eximie explicatus.

Quum igitur Principes propter absolutiorem libertatem, qua pollent, potentioribus, quam reliqui mortales, obnoxii vivant affectibus, proinde exempli huius speculum adducere volui, ut rectius in tam illustri imagine se intueri penitusque cognoscere discant. His cotidie Ausonius hoc occinit suum: Quanto plus liceat, tanto lubeat minus. Velut igitur mendaces nullatenus decet esse Principes; *ut tale cap. 15. lib. 2. id præclare explicat Dn. Carol. Scriban. in polit. sua Christiana*; sic etiam optime Chockier, *in thes. pol. aphor. lib. 2. cap. 14.* fidem negat ullis ex caussis violandam, ullaque ex parte labefactandam esse. Etenim, *ait d. l. c. 15.* inexplabilis est religionis, fidem fallere, idque facinus haut inultum Deo relinquitur, sed celeri pœna vindicatur. quod etiam in aliquot declarat exemplis. quem quis ibi consulere poterit; quum nobis ad alteram quæstionem sit iam procedendum; quæ non minoris est ponderis. Et Scribanius, *in pol. sua, d. c. 15. lib. 2.* ait: Scio, non defuisse, qui dicerent, non servandam fidem, si obstringi se Principi voluntas defuisset: si promissi pœnitentia accederet; si mandari executioni sponsio non posset. Barbaræ hæ mihi semper visæ sunt voces. Nam quid spondere certi mihi possum, si ad tacitam Principis mentem in omni sponsione decurrendum? Quæ fœdera, quæve pacta stabunt? Aut quæ securitas in humanis? &c. Regula certe suorum Princeps est, & exemplar morum. Item: Si in omnium ore turpe mendacium sit, turpissimum in Principis est; cuius verba divinis eo similiora esse debent, quo propius ad Deum Principes dignitate & imperio accedunt, &c. *Vide & consule Scribanium, in pluribus optime hac tractantem.*

CAP. XVIII.

An fœdus & bellum pari passu ambulent?

DUm ita per ambulacra multiformia, & ambages propriæ inventionis ambulant mortales, necesse est, ut etiam sæpius in sui erroris incidant spinas. Nescio, quel fiat, quod ita homines somnolenter prorepant ad mutuæ concordiæ, pacis, proximique dilectionem; quum tamen Iehova in hanc omnis gratiæ suæ favorem deposuerit. Et Christus mansuetos & mites nos imitamine suo reddi cupit. Ideo tam suaviter, *Matth. 11.* ad se omnes convocat, quotquot, modo ipsius blandissimam audire vocem exoptant. Ac quid aliud intendit omnis fœderis compactio, quam Iehova nobis toties in Christo offert, inque Verbo suo dulcissimo inculcat? Non sane hoc fœdus belli indictionem importat, nec tale ius constituit, quod nos ad arma proliciat. Quis est tam audax qui Iehovæ hanc auctoritatem adscribere velit? Ille potius ita compellat Abrahamum, fœdus cum eo initurus; Ne timeas, Abraham; ego sum clypeus tibi, & merces tua ampla valde. *Gen. 15. 1.* Item: Ego sum Deus fortis, omnipotens; Indesinenter ambula coram me, & esto integer: & disponam fœdus meum inter me & te; & multiplicabo te quamplurimum. *Gen. 17. 1. & 2.* Ita quoque pacis in modum fœdus inter se confecerunt Abimelech & Abraham, *Gen. 21. 23.* quod etiam cum Abimelecho Isaac renovavit. *Gen. 26. 29. & 30. ut supra explicatum est.*

Hæc autem in eum finem dico, ut pateat ex his & aliis pluribus Verbi cælestis locis, quænam propria & genuina seu essentialis natura ac intentio fœderis proprie sit, & quam longe discrepet ab ea, quam nonnulli ICti & Politici, in æquipollentia belli aut eius iuris, ipsi affingunt. Sunt etenim, qui ius belli & fœderum pari passu ambulare, haut verentur affirmare; atque eam sententiam ita disseminarunt, ut pro Maxima prope habeatur. Sicuti Engelbrecht, *in disp. sua de iur. disc. imperij, th. 66. lit. 6.* ius indicendi belli

di belli ad abſolutam poteſtatem Imperatoris Romani referens, cum iure fœderum connectit, propter hanc cauſſam, quod uniformitatem hanc in æquali conſiſtentia habeant. Verba eius ſunt: Pari enim paſſu ambulat ius belli & fœderum, in utroque conſiſtit fere ſumma totius Reipublicæ. Inde populus Romanus omnia fœdera, omnes ſponſiones, iniuſſu ſuo factas, nullas pronunciavit, ut ipſius rei exempla multa habet Livius. Ad Auguſtos tranſlato Imperio penes eoſdem ſolos ſtetiſſe hoc ius, demonſtrat *ex SCto de Imperio Veſpaſiani*. Ant. Vacca, *ad l. 1. ff. de conſt. Princ. &c.*

Eodem modo Matth. Stephanus, *acad. diſc. 16. nu. part. 1. ſect. 1. memb. 1.* fœdera ſoli defenſioni adſcribens, hanc approbat ſententiam, ubi ait: Quum vero pari paſſu ambulent iura belli & fœderum, &c. ad patia quoque iudicari debent. *l. 12. l. 13. ff. de leg. l. 3. C. eod.* Quemadmodum igitur bella de rebus, ipſum Imperium concernentibus, Imperator movere; ita etiam fœdera aut ligas, non ſolum cum exteris, ſed etiam cum illis qui inter ſe Imperii viſcera complectuntur, irrequiſito ſtatuum Imperii vel ad minimum ſeptemvirorum conſenſu, prohiberur. *aur. b. tit. 15. Sleid. d. lib. 7. comm.* quod affirmat manutentio pacis provincialis *Wormatiæ data an. 1495. &c.* Fœdera tamen publicæ pacis & ſecuritatis cauſſa ferire, non eſt prohibitum. *d. t. 15. aur. b.* Principes enim accurate tueri debent conſtitutiones imperiales, & ſeveriter coercere omnes, cuiuſcunque ordinis, ſtatus aut conditionis ſint, pacem violantes. *Erenb. de fœd. 1. ca. 2 nu.* 230. Sic quoque, ad legitimam defenſionem fœdera inita licita eſſe, docet Mynſ. *cent. 6. obſ 2. num. 4.* Hæc enim fœdera ad bonum & licitum finem tendunt. *Erenb. d. l. num. 128. inf.* Nam aperta veritas id docet, & experientia cotidiana teſtis eſt ἀξιόπιστος, quod, veſut concatenati annuli in catena, alter alterius vigore cohæret; ſic etiam ſtatus unus alteri tutelam & conſervationem contra vim hoſtium exhibeat, &c.

Utriuſque viri verba ſatis appoſite prolata videntur. Sed ſi penitius rem intucaris, ferme ſimilem invenies abſurditatem, ac *ſuperius in parte prima*, in eadem loquendi formula, indicavimus, quam Arnitæus habet, *in rel. pol. lib. 1. c. 3. ſect. 5. num. 56.* ubi ille auſus fuit plus quam abſurde cædem & ſervitutem ita eſſentiali conglutinatione inter ſeſe componere, ut pari paſſu illi ambulare dicerentur; quum putet, quod bona fide & integra conſcientia quiſque miles iure interficiendi aut cædendi in omni bello uti poſſit, ob probabilem ignorantiam, licet ipſi non de omnibus articulis iuris conſtet, cuius intuitu bellum ſit inchoatum; quum hoc ex ſervitute debita, quæ nequeat iniuſtitiæ accuſari, præſtet. An vero aliquis integræ conſcientiæ, id eſt, pius interfector proximi ſui, abſque ſpeciali mandato Iehovæ poſſit dari; & num tali conſcientia, ſanguine proximi conſpurcata, ac præſertim ſi cauſſæ ſuæ bonitatem & iuſtitiam ignoret, & tantum alterius cruentæ libidinis ſervum pro conducto precio ſe præbeat, pius eſſe, ac ita integrũ in iudicio extremo Chriſti ſe ſiſtere queat, id præceptum illud decalogi, Non occides, dijudicet. Talis cruenta conſcientia, & interficiendi muneri cum cupiditate crudeli dedita, quale præmium mereatur, ſupradictum eſt. Duplex ea mundi conſcientia & iuſtitia eius, quæ ſimul pietatem ſimulat, & proximum ſuum occidendo necat, quo nomine cenſenda veniat, ſatis ipſe Chriſtus iudicio ſui determinat verbi; *Matth. 5. 20. & 6. 24.* An mala conſcientia ſit bona? an falſa, vera? an cruenta, pia? O perverſam eam ignorantiam, & crudelitati involutam. Apage ex cœtu Chriſtiano cum bifida illa bifidæ conſcientiæ ignorantia. Nil enim aliud ea eſt, quam axiomata fallaciarum, quibus totus mundus ſub ſpecie iuris proprii confunditur, ipſique dynaſtæ in altiſſimam ſecuritatem conſcientiarum dilatatarum coniiciuntur. Iuris bellici auctores videant ipſi, qualem ſibi iuſtitiam in novo Teſtamento conficiant. O modo intelligerent, quanti ſit, *iuxta Oſeæ dict. c. 10. 11. & 13.* vere ſeminare ſibi ad iuſtitiam! &c. Heic potius in veritate ſolida illud proferre licet, quod Regnum Dei & iuſtitia eius pari paſſu rite ambulent; & è contra iniuſtitia ſive crudelitas cum Regno diaboli; qui fuit homicida à principio, & mendax. *Ioh. 8. 44.* Vitium mortalitatis eſt, prurire nova, ac nauſeare præſentẽ, qualiſcunque tandem ſit, ſtatum & conditionem: *vide Pierre Charon, lib. 1. de la ſageſſe, c. 38. 52.* Qui in libertate vivunt, regnum expetunt: qui in regno, libertatem liberiorem. Turbulenta nimirum hominibus data ſunt ingenia, qui plenam nec libertatem, nec ſervitutem, pati poſſunt, aut recte intelligunt. *Piet. de cauſ. exempt. imper. conſil. 10.* Pruritum hunc præpoſterum maxime heic promovent, qui fœdera prorſus æſtimant inutilia, niſi cum bello determinentur; imo & affirmare audent, fœdera non debere eſſe abſque bello. Ideo concludunt ſat abſurde, utraque eandem in combinatione eſſentiæ habere extenſionem.

An David cum Ionathan fœdus tale contraxit? *1. Sam. 18. 1. & 3.* Verum ut eo clarius atopon hoc deprehendatur, verba locutionis iſtius prius examinabimus paucis, & inde mox evidentiam erroris detegemus. Omnis enim cognitio non poterit melius, quam ab ipſis vocabulis, inchoari; quum eorum perceptio vera ad rerum intelligentiam omnino conducibilis ſit; *ut ait Erenb. lib. 1. de fœd. c. 3. num. 3.* Hoc enim pacto poſſumus ſignificata diſtinguere, ne in æquivoco procedamus, *l. 9. ff. de off. proconſ.* Unde ICti tam diligenter verborum ſignificationes ſunt perſecuti. *l. 204. l. 195. de V. S.* Neglectus talis enim verborum, rerum parit incertitudinem. *Oldend. claſ. 4. act. mand. Erenb. d. l. n. 4.*

Paſſus igitur, qui à *pandendo* & *extendendo* ita dicitur, quando pedes ad eundum extenduntur, nihil aliud eſt, quam actus ille, qui pedum motu in progrediendo denotatur. Ab eo enim, *ait Gell. lib. 15. cap. 15.* quod eſt *pando*, *paſſum* veteres dixerunt, non *paſſum*. In quo tamen Giſanius contrarium ſimul defendit, quod recte ab auctoribus *paſſum* & *paſſum* dictum fuerit. quod & exemplo illuſtrat verbi *ſcando*, à quo *ſcanſum. Taubm. in Plaut. not. ad mil. glor. act. 2. ſ. 4.* Et *paſſu manibus*, & *velu paſſu* dicimus, (*ait Gell. ibid.*) quod ſignificat *diductis* atque *diſtentis. Plaut. in Stich. act. 2. ſcen. 3.* Actus ergo ille cum ſpacio ſimul extenſionem continet; unde paſſus geometricus, qui ſpacium quinque pedum determinat, conficitur. Ex quo *paſſim* deſcendit, quaſi *in omnibus paſſibus undique*. Et Virg. *lib. Æn.* ait, *paſſibus æquis*; quibus paritatem progreſſus denotat, ac ſi *paribus paſſibus* dicere vellet; quod in æquitate graduum ſimul procedant. Si autem paſſus non ſunt æqui, tunc deeſt illa motus menſura quæ paritatem conficere debuiſſet; ut idem ait: ----Sequiturque patrem non paſſibus æquis.

Ita

Ita *par* quoque ad facultatem mentis accommodatur; uti Cicero loquitur *in clar. orat.* Si par in nobis atque in illo fuiſſet ſcientia. Et 2. *de invent.* Scientia par in nobis atque illo eſt. quaſi diceret, æque ſumus docti ambo, ut alter alterum non exuperet, ſed ubi ego ſubſiſto, ille quoque ulterius in ſcientia progredi non valeat. Unde *par* etiam pro *duobus* accipitur, qui inter ſe ſunt æquales, & convenienti vivunt natura; ſimiles, aut eiuſdem generis. Ceu & Taubm. *ad Plaut. pag. 56. lit. C.* notavit. Ac ſenex *in Trin. act. 2. ſc. 2. verſ. 3.* ita commonet adoleſcentem filium: Eeceris par tuis factis cæteris, patrem tuum ſi percoles. Sic *in mercat. act. 3. ſcen. 4. 44.* De iſthac re argutus es, ut par pari reſpondeas: Ad mandata claudus, cæcus, mutus, mancus, debilis. In Perſ. *act. 2. ſc. 2. v. 41.* Par pari reſpondes dicto: Abi iam, quando ita certa reſeſt. Quibus locutionibus rei æquipollentia deſcribitur, ut dicto eadem cuique inſit paritas, quæ paſſibus, &. ſi bona verba proferantur aut facta, eadem reſponſio ipſi ſit.

Simili modo iſtis rebus plane convenit illud *ambulationis* verbum; quod paſſibus rite propter pedum motionem applicatur, quamvis & naves recte ambulare dicantur; *Taubm. in Plaut. Menaech. act. 2. ſcen. 3.* quia remi ſunt appellati pedes; *ut aut Auſon. in Moſella:* Remipedes certant medio cum flumine lembi. *Turneb. lib. 18. c. 15.*

Exinde igitur ICti æquipollentia ſibi confecere. Et quum æquipollentium eadem ſit natura, (*Ruin. leg. Gallus. §. & quid. num. 14. ff. de lib. & poſth.*) paritates ſemper in eodem paſſu accipiuntur eædem, ut in æquipollentibus nihil interſit, quid fiat. *Thoming. conſ. 26. num. 105. tom. 1.* Namque velut paria ſunt *non facere*, vel *non commode facere*; *Gilhauſ. arb. iud. cap. 6. part. 1. de Præt. §. 4. num. 2.* Ita quoque eadem ſunt *falſum dicere*, & *veritatem ſupprimere. id. cap. 6. part. 2. art. 1. de teſt. num. 130. Bald. in l. preſbyt. C de Epiſc & cler. Curt. Sen. de teſtib. num. 30. concluſ. 15.* Quemadmodum & paria ſunt, *nominatim quid exprimere*, vel *per relationem ad aliud. Mynſ. 6. obſ. 81. num. 8. aut*, *manu propria quid ſcribere*, &. *ſubſcribere. Pfaff. cent. 1. conſ. 39. num. 1. l. 1. ff de conſtit. Princ.* Item, paria ſunt, *fieri ſine lege*, vel *contra legem. Thoming volum. 2. conſ. 12. num. 68.* Velut etiam, *per ſemetipſum quid facere*, vel *faciendum mandare. Id. Thom. d. volum. conſ. 16. num. 6.* Paria quoque ſunt, *quid non eſſe*, & *non apparere. l. in lege. ff. de contrab. empt. Thom. volum. 2. conſ. 7. num. 63.* Sic paria ſunt, *ſcire*, & *ſcire debere*, & *nolle ſcire. Straſburg. conſ. 1. num. 16. Tiraq. de retract. ad fin. tit. num. 43.* Velut etiam, *nolle*, atque *non poſſe. Id. Straſburg. conſ. 7. num. 33.* Sic, *fieri aliquid tempore licito*, &, *conferre in tempus permiſſum*: ſeu, *productum eſſe*, &, *in productionem directum eſſe. l. arrogato. l. adoptare. ff. de adopt. Thom. volum. 1. conſ. 11. num. 38.* Nam de conſiſtentibus in actu & potentia idem iudicium eſt interponendum. *l. vivere. ff. de ſtat. hom. l. poſt rem. ff. de tranſact. l. foramen. ff. de ſervit. ruſt. prad.* Uti etiam æquipollent, *de lucro iam radicato*, &, *de damno vitando certare. Thom. vol. 1. conſ. 40. num. 30.* Paria quoque ſunt, *facere aliquid coacte*, &, *timore coactionis. l. noviſſime. & ibi Bald. ff. quod falſ. tut. auth.* Per quem textum dicit etiam Anchar. *conſ. 159. num. 1. ad fin. col. 2. & 3.* quod is, qui ſcit ſe compelli poſſe, dicatur facere coacte, licet ſe ſponte dicat facere. Idemque *in conſ. 88. num. 3.* ſcribit, iuſtum eſſe timorem etiam tunc, quum receſſum eſt ab armis, ſi eadem adhuc imminet potentia nocendi; utpote quæ idem operatur ſecundum eum, quod nocere actualiter. *per text. c. Piſonis. de reſtit. ſpoliat. & l. Labeo ff. de ſtat. liber. Thom. volum. 1. conſ. 13. num. 178.* Nam velut parium eadem eſt potentia, nec maior; *l. 1. §. vetere. ff. de acq. poſſ.* quum parium eadem ſit natura: ita parium paria ſunt iudicia. *l. ſervum. ff. de leg. 1.* Unde & paria delicta mutua compenſatione tolluntur, *l. viro infid. ff. ſol. matr.* Quamvis igitur par, non eſt idem, tamen paritas rationis, diſpoſitionis paritatem efficit, (*l. illud. ff. ad l. Aquil.*) & ad identitatem quamdam quid reducit, ut pro eodem habeatur: quia paritas rerum, arguit paritatem iuris. *Damh. de ſimil. & par. in pr.* Ceu paritas vinculi paritatem iuris inducit. *l. ſi reliquero. ff. de legit. tut.*

Ex quibus iam conſtat, qualis hæc locutio ſit, de paritate fœderis & belli; quaſi nullum fœdus dari poſſit abſque bello; quum paritas iuris & vinculi naturalis illis inhæreat ambobus, & ex neceſſitate ea combinari ita cogantur, ut actus utriuſque ſit neceſſarius. Quod ſi hæc res ſe ita habet, nullum certe aliud fœdus dari poteſt, quam defenſivum; & quidem tale quod bellum ſimul importat. Iam vero ſupra oſtenſum eſt, *in diviſione fœderum*, quod tot eius dentur ſpecies, quot fines & conditiones pactorum in coeundo fœdere determinantur: quod etiam ita late ſe extendit, ut quædam fœdera proprie, de quibus hucuſque egimus, & quædam improprie ſic dicta fœdera inveniantur. Num igitur tam late quoque bellum excurrat, ut illud in quovis fœdere per naturam eius requiratur, & eidem naturali hac connexione includi debeat? Abſurdum certe, & plus quam abſurdum eſt. Sic enim quot fœdera in ſacra Scriptura conciderent? Nec ipſe Iehova in fœderibus ſuis, quæ cum Patriarchis & fidelibus pepigit, *ut ſupra demonſtravimus*, ſatis conſtaret ſibi; quem tamen auctorem unicum legitimorum fœderum omnes agnoſcimus. Impium eſt, hoc affirmare, & blaſphemum. Si vero quis forte in fœderum numero hæc habere nollet, idem gravius in verbum Dei impinget. Ipſe enim Iehova quod toties fœdus appellat, cum tantis promiſſionibus & tam ſollicita cura pro ſuis, id neminem fœdus eſſe inficiari decet: quia ipſe Iehova eſt, qui loquitur, perficiens etiam quæ locutus eſt. Cœlum & terra facilius tranſibunt, quam minutiſſimum ſermonis cœleſtis verbulum; *ut ipſe Iehova Chriſtus teſtatur.* Tum etiam, ſi principalis finis eſt, *quem rite determinat Erenberg. lib. 1. de fœd. cap. 2. num. 129.* conſervatio pacis publicæ, *iuxta l. præcipimus. C. de appell. & Mynſing. cent. 6. obſer. 2.* quæſo an non poſſit aliis mediis comparari, quam bello in fœderibus? Quem locum hoc merebitur fœdus in commerciis fundatum? Quonam recedit fœdus religionis? quum ipſe Erenberg. confiteatur, quod religio nec poſſit, nec debeat armis aut bello defendi aut propagari; quum nemo quoque vi humana ad religionem cogi queat. *lib. 1. de fœd. cap. 2. num. 14.* (in quo ſibi contrarius apparet nonnihil *lib. 2. cap. 1. num. 14.*) Quorſum concedent, quæ civilia fœdera facit? *Erenb. lib. 1. d. c. nu. 18. pag. 127.* Sed & ipſe Matth. Stephanus, *part. 1. diſc. academ. 16. ſect. 1. memb. 1. pag. 201.* ait: Huc pertinent fœdera, ob conſilia varia, calida & callida, ad furias hominum reprimendas, ad alaſtoras delendos, ad profligandam ſubditorum rebellionem, &c.

An vero talibus non poteſt alio ſuccurri pacto, niſi id bellum perficiat? O quanta eſt virtutis clementia, amica benignitas, iuſtitiæ verus tenor, pietas, & dilectio proximi? Harum vires ſi recte conſiderarentur, non tot ſufflatores belli & incendiarii inveniretur. Sic & Erenb. ſibi heic contrarius eſt, dum affirmat, *lib.1.c.2.num.55. de fœd.* quod Chriſtianis licitum ſit bellum gerere. Ergo (concludit) multo magis fœdera contrahere, quod tamen *ſup.num.14.* admodum improbarat.

Sed omnis error huius locutionis, quem in pari paſſu fœderis & belli fovent, dumque de fœderis natura belli incluſionem eſſe putant, inde eſt, quod non recte diſtinguant inter finem fœderum univerſalem & particularem; item quod ignorent quem locum bellum in definitione fœderis defenſivi aut vindicativi ſibi proprie adſcribat. Etenim quod de fœdere in defenſione armata dici poteſt, id certe non accipiendum eſt indiſtincte de omni fœdere. Tum quoque quod loco cauſſæ inſtrumentalis eſt, non poteſt dici finis. Erenb. *lib. 2. de fœd.* inter alia errata ſimul hoc quoque oſtendit in pacis attributione; quam ita generis loco ponit, ut comprehendat reliqua fœderum genera. *lib.2. de fœd. c.1. num.* 27. & Servius quoque fœdus definit pacem. *Iſid. lib.* 18. *cap.1. Etym.* Licet hæc locutio definitionem ipſius, quam *in antecedentibus, num.14.* aſſeruit, (ubi genus fœderum conſtituit pactionem publicam, & conventionem,) ac ſemetipſum ſimul refutet in eo, quod bellum omnibus fœderibus diſpoſitive iuſtum attribuerit; *lib.1.c.2.num.55.& 56.* attamen, ſi ita pacem generaliter accipiat, aut admittat, ut generalem amicitiæ, concordiæ & fœderis demum effectum denotet; propius veritatem attingere videbitur. Etenim ſi quid eſt, quod cum fœderibus pari paſſu ambulare poſſit, hoc certe eſt amicitia & concordia, quæ perpetui comites eſſe debent fœderum omnium; quum ſine harum eſſentia neque amor ſit neque fides. Quippe ex amore & fide, ſi neceſſitas alterna accedat, componitur & profluit fœdus; quod ſimpliciter amicitiam præſupponit, quæ animam fidei ipſi inſpiret. Quare etiam in hoc errat Zwingerus, *in morali ſua philoſ. lib. 1. cap.7. tit. de amicit. ſpec.* ubi duas has amicitiæ ſpecies accidentales facit, amicitiam publicam, & pacem, quum tamen inter accidens ſpeciei & effectum ingens ſit diſcrimen. Chriſtus ipſe vult & conſtituit in omnibus amorem proximi, ut inde huius & æternæ vitæ pacem conſequantur; quam etiam diſcipulis ſuis congregatis, *Luc.* 14. *v.*36. ſanctiſſimo voto apprecatus eſt.

Ideoque cum verbo Dei & Chriſti potius præcepto heic concludimus, quod amicitia & concordia, non bellum & cruenta vis, (niſi ex accidenti ſpeciali, *ſit loquitur Zuing. d.l.*) pari paſſu cum vero, ſolido & Chriſtiano fœdere indeſinenter ambulare debeant; alias fœdus eſt falſum & hypocriticum, ſuo vero deſtitutum fundamento. Aureum certe Proculi ſolemne illud fuit; quod propterea quoque tanquam caput generale initiis fœderum apponere conſuevit: AMICITIA ESTO. *eam hoc ex Briſſon. lib. 4. fol. 402. Alber. Gentilis de iur. bell. lib. 1. c. 13. refert. & Erenb. lib. 2. ca. 1. n. 27. id approbat.* Idem & heic quoque firmiter decretum maneto: AMICITIA ESTO; non fucata, ſed vere vivida, & integre ſancta.

CAP. XIX.

De fœderibus improprie ita dictis, & cognatis eorundem.

FOEderis naturalis vinculo, quod alias coniugium dicunt, imitamen iucundum exhibent ea fœdera, de quibus hactenus egimus, quæ & propterea proprie ſic dicta indigitantur. Althuſius vero, *Polit. ſua c.7. cum Alb. Gent. 1. de iur. bell. 3. Petr. Greg. lib. 11. cap. 11. Hæn. d. diſp. th. 2. c. d. & Menoch. conſ. 99. num.* 39. fœderum diſtinctionem facit plenam, & non plenam, vel ex parte quadamtenus plene factam. Plenam dicit confœderationem, qua alii in alterius regni iura adſumuntur tanquam corporis membra. Non plenam putat, qua diverſa regna, ſalvo iure maieſtatis certa fide pactorum coeunt, & ſe mutuo obligant. Cui adfingi facit confraternitates, protectiones, &c. Sed quum hæc diſtinctio plane inverſa ſit, ut merito plena fœdera repræſentent eas confœderationes, quas ille non plenas ſive ſemiplenas vocat, & è contra; nolui in ſupradictis mentionem huius diviſionis facere. Etenim nihil magis inimicum eſt fœderibus, quod eorum naturam ita ſubvertat funditus, quam ſi quid imperii iis aut iuriſdictionis immiſceatur: quum non tantum ſubiectionem nullam agnoſcant penitus, (*Erenb. de fœd. lib. 1. c. 3. num. 44. & lib. 2. c. 2. fol. 148. Bocer. cap. 1. de crim. laeſ. mai. Cam. de Reg. diſ. 5. th. 96.*) ſed etiam in univerſitatis formam talem coire prorſus recuſent. Fœderati enim unum quidem corpus, non autem eandem Rempublicam ſubire & repræſentare poſſunt. Si imperium & ſubiectio mutuo inter ſe concurrant, ſtatim fœdus nomen amittit, & Reipubl. formam induit. *Menoch. conſ. 99. num. 39. Bodin. 1. de rep. 7. num. 71. Erenb. d. lib. 1. c. 3. nu. 9. Caſ. 3. ſphær. civit. 6. q. 2.* licet Camerarius, *d. d. th. 97.* id nonnihil diſſimulare fruſtra conetur. Velut nec fœderati ſtatim iiſdem privilegiis eiuſdem civitatis aut Reipubl. cum qua fecerunt fœdus, fruuntur. *Bod. in method. hiſt. cap. 6.* Ideoque merito, & quidem optimo iure, fœdera ea plena facimus cum aliis auctoribus, (ſi diſtinctio hæc ita acceptanda foret) de quibus hactenus locuti ſumus, quæque ad proprie dicta fœdera retulimus: quum omnis ſuperioritatis, propter plenam libertatem, cui unice incumbunt, prorſus neſcia ſint, & incapacia dici adament. Semiplena vero relegamus ad ea, quæ improprie fœderum nomen ſibi vendicant. Sunt enim hæc talia, quæ quidem ſimilitudine aliqua repræſentant fœdera proprie ſic dicta; ſed tamen vel aliquid ſucceſſionis more teſtamenti ſapiunt, & id ambiunt, vel ex imparitate aliqua virium, potentiæ aut conditionis quidpiam ſubiectionis patiuntur & tacite agnoſcunt, vel ad tale quid reſpectum habent. Hinc improprie dictum fœdus, *iuxta Kecker. ſyſt. pol. ca. 14. lib. 1.* iterum laxius eſt, vel arctius.

Laxius huiuſmodi fœdus inter patronos ſeu defenſores aut protectores, & eos, qui eorum defenſioni ſe committunt, percutitur. Quod genus fœderis (quamvis & ſine fœdere clientela aliquando eſſe poſſit, *Bod. 1. de rep. 7. num. 68.*) Latini patrocinium & clientelam, iuniores advocatiam, Galli *aveizon, ou avouerie*, vocant. *Bod. lib. 5. cap. 6. num. 585. & 1. de rep. 7. pr. & num. 67. & c. 9. num.* 108. Hinc orum ius patrocinatus, clientelæ, advocatiæ, Germanice Schutz & Schirm-

Schirm-Gerechtigkeit / Vogtey / appellatur. *Gail.2. Obſ.54.n.1.& 2.* Dicitur item *Mundeburdium, vel Momburgium. Knich.de ſubl.terr.iur.c.4.num.328. & de Sax. non prov.&c.c.5.nu.494. VVeſenb.conſ.48.nu.14. Erenb. 2.de fœd.4.nu.13.& ſeqq.* Patronos advocatos vult dictos Beſoldus, *lib.2.pol.c.6.th.27.* non ab *advocando*, ſed à Germanico Vogt; & vocatur alias *fœdus clientelare.* Ius autem eius nihil aliud eſt, quam ius defenſionis, per patronum clienti, contra iniuriam aliorũ, & vim maiorum, præſtandæ: pro quo cliens viciſſim patrono ad obſervantiam & annuum plerumq; honorarium obſtringitur. *Bod.d.c.7.nu.68. Knich.d.ca.5. num.494.* Eſtque temporale, vel perpetuum; quod & hæreditarium, Germanis Erbſchutz / appellatur. *Petr. Frid.Mind.lib.2.de mand.extrab.c.14.num.2.* Item ſimplex, vel cum aliqua iuriſdictione coniunctũ. *Knich. d.c.4.de iur.terr.nu.335. Thom. Mich diſp.de iuriſd.th.55. Paurm.2.de iuriſd.9.num.24. Mynſ.cent.2.deciſ.13.reſp.3. num.9. Erenb.1.de fœd.4.nu.16.* Alia denique advocatia ſuperior, alia inferior. *Knich.d.c.4.n.733. Paurm.d.ca. 9.nu.23.* Quam vis autem hoc ius advocatiæ nullam patrono in clientes ſuos iuriſdictionem per ſe tribuat, quam tales clientes efficiantur ſubditi: (*Gail.2. obſ.34.nu.1. Tholoz.de rep.lib.11.c.11.nu.6.*) tamen multis in locis hodie à ſubditorum conditione non parum differunt. *Erenb.d.c.4.num.15.* quum aliquid iuriſdictionis tacite vel precatio ſubmiſcere ſoleant potentiores; ceuetiam in aliquot monaſteriis clarũ eſt. *Beſold.d.l.th.24.* Nam inter reges, & eos, quos illi privatorum loco habent, raro amicitiam & charitatem mutuam ſubſiſtere, recte *ex Petrarcha dialog.49. lib.1.de remed.utr.fort.& dial.50.52.* Erenbergius *lib.1. de fœd.c.2.n.22.* probat. Experientia cotidiana quod docet, id rectius cenſendum venit. Sed de bello & principibus quidquam ſcribere, non tutum rite putat Erenbergius, *lib.1.de fœd.c.2.nu.56. ad fin.pag.166. & c.1.nu.74.pag.62.* Nec addenda ſunt huic perdito ſeculo irritamenta malorum, quod multi temere faciunt. Nam utriuſque nimis acris eſt ſeveritas, ſi quãdo ingratum quid ipſis oggeritur. Decet tamen ſapientes viros, non ea, quæ ante pedes ſunt, curare, ſed finem potius proſpicere, præſertim quum non immerito Bodinus, *lib.5.c.6.* hoc fœdus periculoſiſſimum eſſe tradat, ſi non ex iuſta cauſa & neceſſitate ſuſcipiatur, utpote quod ſæpius fœcundiſſimam belli materiam exhibeat, ex qua imperiorum & civitatum ſubverſiones ſequantur. Patrocinium enim prima fronte ex amicitia & officio originem trahere videtur; ſed tamen, quum merces intercedat, quæ amicitiæ contraria eſt; patet inde, quod conductio quædam ſubſit, ſervitutis ſpeciem quæ patrono officii & protectionis ratione portigat: unde clientes facile in ſubditorum formam tranſmigrant. Heic plurimæ occurrunt quæſtiones: An protectorum electio Rebuſpubl. profit? *Frid.Mindanus, lib.2.de mand.extrab.c. 2.n.7.* diſtinguit inter advocatiam perpetuam & temporariam. Deinde, quæritur: An quis ſe poſſit in protectionem alterius principis dare, inconſulto ſuo Domino, ut ipſi per hoc non præiudicet? *Vide Gail. lib.1.de pac.pub.cap.4. Thom.Mich.diſp.d.th.138.* R. Abſchyd *de anno 1540.§.4.* Quis vero, an proxime ſuperior, eligendus, itidem quæri ſolet? *c.ex parte. de privileg. Frid.Mind.d.c.2.n.12. VVeſenb.conſ.48.num.5. id affirmant.* An protectio vero iuriſdictioni Domini ordinarii quid detrahat, dubium eſt; quum defenſionis dignitatem nonnulla iuriſdictio ſua natura comitetur. *Negat Gail.2.obſ.34.nu.3. Frid.Mind.c.2.nu.13. Tholoſan.lib.1.c.11.n.6. Bod.5.de Rep.6.nu.610.* An patronus clientibus ius dicere queat, ſi ſubiectionis iuramentum ipſi præſtiterint, quæritur ulterius. *Negat Erenb.1. de fœd.c.4.n.13. Gail.d.l.num.8. & ſeqq. ex l.2.ff.de his qui ſunt ſui.*

Improprium deinde, & quidem laxius adhuc fœderis genus, & illud eſt, quod inter Principem & eius tributarios initur; eos nempe, qui à potentioribus victi pacem acceperant; hac tamen conditione, ut iura maieſtatis retineant, victoris vero maieſtatem comiter obſervent, eique, ut libertate & pace fruantur, tributum annuum ſolvant. *Bod. d.6. n.582. Caſman. C.66. polit. in fin.*

Tertio, eſt adhuc confœderatorum genus, quod impropriè ita arctius dictum volunt; quod propter libertatem nimis contractam illis flebile & miſerabile appellitatur; quod etiam ſimilitudinem habet cum beneficio ceſſionis bonorum; *ut ait Arnm.l.7.l.8. C.qui bon. ced.* Atque hoc eſt deditiorum, quando victi in victorum tutelam concedut, illiſque leges dicuntur tales, quæ libertatem eorum plane imminuunt, ad fœdus tamen aliquod cum victoribus admittuntur. *Vid.Erenb.1.de fœd.c.4.n.6.* Licet inter ſe differant admodum in fidem & fœdus venire; tamen heic ambæ confluunt conditiones, ut exigua inter eos & ſubditos ſit differentia.

Sunt quidem & alia genera, ut eſt fœdus inter homines ſanguine iunctos, qui certam ob cauſſam pacta inter ſe conſtituunt; quod fœdus Imperator naturale vocat. *in l.cum qui 19.C.de Epiſc.& Cler.* nec non fœdera inter collegas liciti collegii inita. *toto t. ff. de coll.& corp.* Quæ tamen quum rectius ad ſequens genus referantur, eo quoque incluſa volumus. Item de fœderibus quæ coniugio contrahantur, conſule Coſter. *in pol.8.c.24.§.6.& ſeqq.* ac Erenb. *d.l.*

Commodiſſime igitur ſubnectenda heic ſunt fœdera hæreditaria, quæ noſtrates confraternitates dicunt. Atque hæc conſtant ex pactis ſucceſſionum viciſſitudinariis, tam inter diverſas familias, quam inter agnatos eiuſdem familiæ. *Betſ.de pact. famil. ill.c.5. ubi plene de tali materia agit.* Quale fuit inter Saxoniæ Duces & Principes Hennebergenſes, reciproco iure ſuccedendi approbato. *Spangenb.lib.5. hiſt. Henneb. cap.53.pag.272. Erenb.1.de fœd. pag.153.* Et durat adhuc tale fœdus inter Thuringiæ & Haſſiæ Principes inſtitutum anno Chriſti 1262. ex bello novennali ortum, quod Henricus geſſit cum Sophia S. Eliſabethæ filia, deſponſata Duci Brabantino anno 1268. *In Chronolog. Chytrai.* Atque tales eſſe de iure conceſſas confœderationes, probatur *ex l.ſodales. de coll. & corp. Tiraquell. in tract. de primog. quæſt. 6.num.5. Zaſ. conſ.1.num.8. lib.2. Deci.conſ.516.645.514. Alexan.conſ. 91.lib.8. Erenb.1.de fœd.c.2.num.55.pag.141.* Eſt aliud genus fœderis, quod *unionem prolium* dicunt; quod etiam ad pacta acquirendæ ſucceſſionis facit. Utrum autem coniunctio hæc vel unio prolium de iure ſubſiſtat, *Gail.2.obſ.125.* poſt multas dubitandi rationes, affirmative ſatis probat. *Vide Betſium d.l.pag.131. ca.§.* Ita quoque dantur pacta familiarum Illuſtrium in unionis hoc genere circa matrimonia, ut eorũ promiſcua libertas, in dedecus earum tendens, ſtatutis pœnalibus

nalibus coerceatur. *Vid. Bett. d. l. c. 6. ubi plene rem pertractat.* Similiter & talis confœderationis pacta habentur de tutelis illustrium personarum; *de quibus itidem Bett. agit l. d. c. 6.* Talia, & huius generis fœdera plurima, recenset Erenb. *lib. 1. c. 2.* ac potissimũ in popularibus & optimatum imperiis, quæ ipsa quodãmodo sempiterna sunt, locum habent. Nam in Monarchia, principum interitu societates ac fœdera diriminntur. *aut. disput. 28. apud Arum. disc. acad. th. 87. Schomb. lib. 2. pol. c. 13.* Ad vigorem autem talium pactorum superioris confirmatio, tanquam feudorum Domini requirenda est. *Gail. 1. obs. 127. n. 5.* Et sic rite fœdera ista non tantum ipsos contrahentes, sed etiam ipsorum successores, obligant; quum præsumantur eiusdem esse voluntatis & affectus cum prædecessoribus. *Schomb. d. l.* factaque, nec non contractus Principum demortuorum, præsentium Principum esse censentur; quum Respubl. semper eadem existat. *Bald. cons. 326. Exempla unionũ fœderum vide apud Col. de iur. Imp. Germ. th. 71. & Reinh. Kon. pol. part. 1. c. 5. nu. 49. Erenb. d. l. c. 2. n. 38. & seqq. Arum. in disc. 6. ad aur. Bull. nu. 6. Ubi omnium optime hac de re agit. Sic etiam de fœdere fratrum pactionalium, quod heic nunc itidem monemus, cõsule Erenb. d. l. n. 10. cap. 4 & seqq. & Col. sect. de iur. Imp. th. 70. Althus. pol. c. 7.*

Adfinia autem & cognata fœderibus tandẽ sunt induciæ, Ordinum uniones, correspondentiæ, amicitiæ, &c. quæ tametsi fœderibus, sed tamen admodum abusive, à nonnullis adiiciantur; rectius tamen iis inter cognata suus adsignatur locus. Nam, quod ad inducias sive pacificationes attinet, fine & toto genere à fœderibus differunt; quum in fœderibus amici inter se præstant, quod iure gentium sine pactione non tenentur præstare. Induciæ vero & pacificationes non tantum fiunt inter hostes, sed etiam in simplicibus iuris gentium terminis consistunt, ne alter alterum offendat. Dicuntur quoque *belli feria* à Varrone, à Virgilio *pax sequestra*, &c. Sunt autem duplices. Vel enim dantur ad longum tempus, sive longissimum. *Gell. lib. 1. c. 25. l. 19. ff. de capt.* Sic dabantur à Servio Tullio ad quadraginta annorum spacium. *Liv. l. 1. & 2.* Ac nuper ante annos aliquot inter Reg. Hispan. & Belgas ad duodecim annos. Vocantur hæc etiam *treugæ*; quum securitatem præstitam personis & rebus simul exprimant. quas volunt dici quasi *trahens* vel *ferens anguem*, hoc est, inimicum, si tempus definitum finiatur. *Alb. Gent. de iur. bel. lib. 7.* Gellius, *lib. 1. c. 25.* inducias dictas putat, quasi, *Inde, ati iam*; quum pactum earum hoc requirat, ut ex hoc die nihil incommodi detur, sed ex eo die postea, ut iam, belli iure omnia agantur. atque in hoc casu paci & fœderibus quodammodo induciæ annumerantur. Deinde dantur quoque induciæ ad tempus breviſſimum, quæ alias pax castrensis vocantur. qua ratione proprie induciæ, *ICto Paulo auctore*, sunt; quum in breve & præsens tempus conveniant, ne invicem hostes se lacessant. *l. 19. §. 1 ff. de capt. & postlim.* Sic quãdoque conceduntur in duos menses, ad sepeliendos socios occisos. Et ita distant à vera pace, nec minus à fœdere.

Uniones sic quod dantur plures, ut sunt quæ causa religionis contrahuntur, *de quibus vide Coler. sect. de iur. Imp. Germ. n. 72. 73. 74. & 75.* His adiunge quoque quæstionem; An hæc fœderum genera cum diversæ religionis hominibus recte pangantur? *n. 76. & 77.* Talibus etiam fœderibus Erenbergius, *lib. 1. de fœd. c. 4. n. 11. & 12. fol. 538.* diversos aggregat Equitum ordines; velut est Ordo S. Iohannitarum, S. Michaelis, an. 1464. Lunæ, an. 1464. aurei velleris, anno 1477. (cuius auctor Philip. Burgundus celebratur;) Mauritianorum, an. 1409. D. Mariæ, an. 1420. Stellæ, 1351. S. Stephani, 1561. S. Spiritus, anno 1589. ab Henrico Reg. Galliæ introductus. Sic etiam Elisabetha Angliæ Regina per casum invenit suum Ordinem, &c. sed hæc instituta titulo confœderationum non recte exornantur; quum favoris signum sit aut gratiæ, meritisve locum dignitatis attribuat talem, quem subditi quoque nanciscantur. *Vid. Besold. de pol. dis. lib. 2. c. 6. n. 19. & Reinh. Kon. pol. par. 1. c. 5. n. 59.*

Habent fœdera alias quoque sibi cognatas virtutes; ut concordia, amicitia, correspondentia, benevolentia, beneficentia, candor, fides, charitas, unanimitas, conversatio, familiaritas, hospitalitas, epichæragathia, communicatio iurium, obedientia, libertas, quies, pax, securitas, tolerantia, vicinitas, &c. Sed hæc & talia alibi explicantur. nos ad ultimum huius loci pergimus membrum. *De confraternitatibus consule dissertationem Barth. Musculi. & de securitate Ioh. Geor. Bechtium: ne nimis longi simus.*

CAP. XX.

De contrario fœderum, & eorum dissolutione.

SEd nunc pauca nobis de ipsa finitione & dissolutione fœderum pro ratione temporis subnectenda sunt. Confœderatio enim perquam res est labilis & fluida, quæ simul cum animi mutatione dissipatur, si fides cum summa cura non observetur; quum tantis connexionum catenis, uti Respublica, non cohæreat. Ideo facilius contraria patitur, & ventorum variis flabris obnoxia est. Nisi enim quis ad Dei gloriam, proximi dilectionem, patriæ, libertatis, subditorum conservationem, respexerit, & ut religio maiestasque salva sit, (quod heic non frustra, *ex c. 14. superius posito*, de quamplurimis admodum sollicitus, repeto; quum homines animis tam leves sint,) is finem & effectum fœderis ut non considerat, sic neque causam & principium eiusdem intelligit. Et ob dictas rationes fœdera reprobata sunt in Asa Rege Iudæ. *Er. 1. de fœd. c. 2. n. 84.* Quum igitur firma Reipubl. constitutione fœdera minime nitantur, non semel misere deceptos invenient sese, quotquot eorum fiducia nixi, periculosis sese rebus & violentis committent. Dictum, quod vulgo notũ est, *Quicquid agis, prudenter agas, & respice finem*, heic maximi valoris certe & vigoris summi est; ne absque extrema necessitate ineas fœdera, nec earum spe facile quid gravius cum iactura vitæ & fortunæ tentes. Etenim fœdera non tantum debent esse iusta, sed inprimis necessaria. *Erm. 2. de fœd. c. 1. n. 56.* Si dubitandum heic videatur; recentia adhuc ante oculos habes exempla. An ullus est, qui ignoret, & non per totam ferme Europam senserit, quur tot clades Imperium Romanum cum vicinis regnis passum sit? An quenquam caussa latere queat? Hoc certe bene dispiciendum & unice curandũ est, ne ex falsæ opinionis persuasione confœderati inter se coeant contra superiorem. nec prodest prætextus religionis, quum in caussa Dei infeliciter gladius & arma exerceantur. Uti & Erasm. Roterod. *in tract. de Princ. inst. pag. 160.* ait:

ait: Chriſti ditionem longe diverſa via natam, propagatam, & ſtabilitam; quum ob infidelitatem dominio infideles non priventur, (*Dan. 2.*) & ex præcepto Chriſti infideli Cæſari debitum tributum ſit ſolvendum. *Erenb. 2. de fœd. c. 1. num. 85.* Eo quoque propoſito bellum ſuſcipientes raro felicem ſortiti ſunt exitum. *id. d. l. n. 86.* Velut tragica clades Bohemica exemplo eſt recenti. An non Bohemi, Moravi, Sileſii, cum Luſatis, anno 1619. die 31. Iulii Pragæ, propter defenſionem religionis, centum articulos concluſerunt? *Act. Bohem. par. 2. pag. O. 2. 3. 4. & 5.* An non ex hoc capite, & aliorum confœderationis fundamento, quam cum Rege magnæ Britanniæ, Belgis, & unionis Germanicæ membris, (ceu tunc vocabantur,) Fridericus V. Elector Palatinus, intercedere ſibi exiſtimabat, coronam Regni Bohemici acceptavit? An non propterea Dn. Mollerus ultimo Septembris, anno 1619. ante adventum dicti Electoris Palatini ad Bohemiæ ſtatus miſſus eſt, ut talem confœderationem illis explicaret, quodque propterea maximum heic onus ſubiiſſet? *act. Boh. par. 3. p. C. 2.* Cavendum maxime, *ait Erenb. 1. de fœd. c. 2. n. 84.* ne utilitatis & privati commodi, vindicandæ iniuriæ, &c. gratia, vel ſecuritatem in carnis mortalis brachio quærens, quis contrahat fœdus. *Tantum religio potuit ſuadere malorum? idem ex poeta profert lib. 1. d. c. 1. n. 45.* ceu ſub religionis velo multa committuntur. Sed an non Religio vera ſatis ſibi vinculo eſt? Sanctum hoc nomen à *ligando* dictum volunt, quum ſit quaſi liga ſancta inter Deum & hominem. Obligat enim hominem ad fidem & obedientiam erga Deum. *Erenb. d. l. c. 2. n. 10.* An non omnes, qui idem ſapiunt in Chriſto, eandem charitatem habere oportet, ut ſint unanimes & ſententiis una? *ad Phil. 2. 2.* Vos præſtate in uno ſpiritu, uno animo concertantes, per fidem Evangelii. *Phil. 1. 27. 1. Pet. 3. 8.* Qui enim adglutinatur Domino, unus cum eo ſpiritus eſt. *1. Corint. 6. 17. & 12. 13. Gal. 3. 28. Eph. 4. 4. &c.* Itaque in quorum cordibus renatis vera habitat pietas, pridem in fœdere Dei coiere. Atque ſi ita interna conglutinatio in ſanctitate firma fuerit, quomodo non externum fœdus robotis ſui firmitudinem accipiat? Omnia enim in pia ἐννοίᾳ ſita ſunt, & fide. Si quis hæc duo rite obſervet, invictum erit talis prudentiæ vinculum. At ſi quis in eam perverſitatis proterviam & impudentiſſimam rabiem prolabatur, ut nullam conſcientiæ amplius ſentiat maculam; is ſane non facile curabit fœdifragium; præſertim ſi potentia aliqua prævaleat, & ſævam tyrannidis formam induat. Quemadmodum ergo fœdus legitimum ſacram ſecum ducit virtutum phalangem & chorum; *ut in ſuperiori capite dictum eſt*; & inde amabile redditur ſancte confœderationes colentibus, quippe, *ut recte docet Coſterus lib. 8. pol. c. 24. §. 2.* fœdera externorum principum, domi ſecuritatem conſtituunt, adferuntque auctoritatem, quam quiſque principum aut Rerumpubl. fovet, quam ambiunt reges & magnates, ad quam crebro legationes ventitant: Sic è contra ſane peſſimam id ipſum vitiorum & flagitiorum turbam ſecum per quævis raptat crimina, ut perpetuo lapſu ex una perfidia, ſcelere & delicto, in aliud flagitium gravius ſe det præcipitem, donec ſuum dirum exitium in horrenda ruina inveniat. Heic enim cumulatim irruunt æmulatio, ambitio, avaritia, philautia, curæ, anxietates, aſtutia, calliditas, calumnia, contemptus proximi, contentio, lis, rixæ, diffidentia, diſcordia, fraus, dolus, fruſtratio, impietas, improbitas, impudentia, infidelitas, ingratitudo, inobedientia, inhumanitas, inimicitia, iniuſtitia, impoſſibilitas, invidia, ira, levitas, libido, mendacium, malitia, moroſitas, crudelitas, mutabilitas, odium, negligentia, perfidia, periurium, perverſitas, verſutia, ſeditio, ſimulatio prava, vertumnoſitas, violentia, ſuperbia, ſævitia, ſuſpicio, temeritas, timor, tyrannis, rebellio, &c. Omnium autem peſſima eſt nequitia & ſcelus perfidiæ, quæ nullibi quidquam meretur gratiæ. Quia fidem qui perdidit, nihil poteſt ultra perdere, *ait Coſter. lib. 3. pol. c. 7. § 6.* At fœderũ ſanctiſſima debet eſſe pactio. Primum ob eam cauſſam, quoniam juramento ſanciuntur, & multæ juriſjurandi cum execratione conjuncti formæ paſſim apud hiſtoricos publice inveniuntur. Deinde ob hanc quoque cauſſam, quia publice fides data magis obligat, quam quævis privata promiſſio. Unde ſi nemo fidem ſervaret, tamen regibus & Rebuſpubl. illa eſſet ſervanda. Nihil vero magis obeſſe regno poteſt, quam violatio fœderum. Hinc nemo Turcis amicus eſt, qui fœdera ſola utilitate metitur. *Coſt. d. lib. 8. cap. 24. §. 3.* Ita perfidiæ fructus, brevis eſt, dum aut omnium bonorum conſortio privatur, aut mox graviori exitio ſuccumbit. Quando enim aut manifeſto periurio, aut ſceleratis artibus, quempiam homines agere animadvertunt, non modo illi fidem nullam præſtant; ſed invicem oderunt, cedere ab eius amicitia, in tuto ſe ſuaq; collocare contendunt. Inſaniam omnes putant, illi ſe credere, qui fidem abnegavit. Ita perfidi hoc ſummum eſt malum quod nemo illi ſit fidus. Si nemo fidus, non igitur tutus eſſe poteſt. Etſi amici ſe ipſi devoveant, etſi exercitus, admotis ad invicem gladius, in ſalutem tuam iurent, etſi ambitioſarum excubiarum multitudine te vallent; ſi ipſe fidem fallere doces, omnes etiam fidiſſimos abalienabis, &, quum alioqui

---Stet nulla diu mortalibus unquam
Fortuna ſitubante fides;---

Fidem miſero & dubio tibi penitus clauſam invenies; neminem amore, aut mutua fide obligatum tenebis: merces quidem avaritiam accendit, ſed non obligabit pectora donanti, ſi ille perfidus ſit. Omnis illa turba fortunæ, non fidei, ſacramentum habere ſe putat. Uſque perfidus nec nummis ullis fidelitatem emere valet. *Coſt. d. l. 3. cap. 7. §. 6.* Quinetiam fœdifragi ipſi ſibi ſingulis momentis ſunt in conſcientia pœnæ loco & oneri moleſtiſſimo. Tum & glaciei perſimiles ſunt, cui nemo, niſi ſtultus, inædificat. Ut igitur glacies ſine domibus; ita perfidus nudus ab amicis. Videmus vero eos, qui conſtricta gelu flumina tranſeunt, ſemper animo eſſe ſuſpenſo atque anxio; ſi minimum concrepuerit, pavidos: quum fragili natura ſe inſiſtere non ignorent: Incertior eſt amicitia perfidorum; qua plerique periere. *Coſt. d. l.* Iraq; perfidiæ nuſquã locus, neq; apud eos, quos perdidit, neq; apud eos, quibus profuit. Velut egregium exemplũ in Lyſandro Lacedæmonio, & maxime in eius interitu, habetur. quod alias Fulgoſ. *lib. 9. c. 6.* quoq; inducit; ſed exitũ omittit, quem Coſterus rite heic ſupplet, *d. l. §. 3.* & ita, §. 4. pergit: Quur vero perfidos, periuros, ἀσυνθέτους, fœderũ contẽptores, mox pœna obruat, cauſſa eſt ipſa Numinis vindicta, quæ

ſemper

ſemper à perfidis irritatur. Qui enim falſis promiſſis alios decipit, Deumque in teſtimonium vocat; quid agit aliud, quam ut aut Deum irrideat, aut facinorum miniſtrum eſſe iubeat? Itaque Sennacherib, quum fidem fefelliſſet, primo cæſis militibus fugit; deinde coram idolo ſuo à filiis trucidatus eſt. Qui enim qualecunque numen, quod putabat, irriſit, & ſuos vita privavit, merito vita exutus eſt. Sedechias impio Regi fidē violavit, (4. *Reg.* 24. *v. ult. & 2. chron.* 36. *v.* 13.) ſed pœnas tamen excidio gētis ſuæ dedit. Fidei violatæ triſte Simpl. Antioch. Illuſt. (1. *Mach.*) & filius eius Eupator, &c. Eodem exemplo periurii periere Alcimus, Bacchides, Nicanor, (1. *Mach.* 6.) &c. Sic neque Alexandro pervidia felix fuit, à ſocero Ptolemæo, per nuptiarum fœdera in fraudem inducto, victuſq; à perfido Arabe, capite plexus eſt, &c. Nec morata eſt pœnam vindex iuſtitia, ſed ab Antiocho, per Tryphonem prælio fuſus, regnoque deiectus eſt, &c. Eandem fortunam malitiæ ſuæ reliqui Antiochi Demetrii paſſi ſunt. Quid enim annis undecim duo Antiochi priorū filii; alter Gryphi, alter Cuziceni; Seleucus, filius Gryphi; Philippus & Demetrius filii Cuziceni? Nonne in hos omnū priorū perfidia pervenit? & in eū, qui omnibus duos annos ſupervixit, Philippum? Tandem victo Tigrane in Romanā provinciam opes Macedonum pervenerunt. *Coſt. d. l. quem ibidem in pluribus exemplis quivis conſulere poteſt.* Quis igitur non dicat, eos Rempubl. evertere, qui perfidiam & periuria docent? Quo enim modo commercia, bella, pax, urbes, domus ſtare poſſunt ſine fide? Si fidem violare Princeps aut Reſpubl. poteſt, quis eam ſervare tenebitur? *Coſt. d. l. §. 7. in fin.* Nihilominus hodie inter Chriſtianos inveniuntur, qui laudem in tali malitia ſe ſibi quærere poſſe putant. *velut id aliquod exemplis ex Guicciard. libr. 6. pag. 550. & Sebaſt. Franc. chron. etiam de ipſis Pontificibus & regibus ex Iovii lib. 11. 16. 18. explicat Erenb. de fœd. l. c. 3. nu. 110. pag. 215. & 216.* Ubi *hæc demum ex Iovio addit verba*: Omnium regum fides hæc eſt, ut pro libidine ſanctiſſimas fœderum leges attrectare violareque non dubitent; quum ſemet preſenti tantum commodo, atque ipſis temporibus eſſe cenſeant. Tales vita, ſi tibi cara vita. Generaliter enim ſciendū eſt illud *M. Tull. 3. offic.* veriſſimum. Nulla nobis ſocietas eſt cum tyrannis, ſed ſumma diſtractio; & hoc omne genus peſtiferū atque impium ex hominum communitate exterminandum eſt. Sed & gentibus aliquot & nationibus fides olim defuit; quod etiam nunc appareat, quum veſtigia quamplurima paſſim talium reſtent; exempla ſunt odioſa. Fuerunt autem gentes nonnullæ tanta infamia notatæ, ut etiam in publicum proverbium earum malitia abierit, Veluti *Thracium commentum*, dicebatur in eos, qui certis pactis inducias promiſerant, & tamen invadebant alios; ceu Thraces Bœotiis fidem datam incurſione nocturna frangebant. Sic & *Theſſalorum commentum, Phœnicum pacta, Locrenſium pactū, Punica fides, Ægyptiorum machina, ars Megarenſis, Libyca beſtia, Cretenſium & Ligurum dicta, &c.* eodem habentur loco. *Eraſm. in chil. tit. de perf. ut ſupra monſtratum eſt.* Tales vero fœdifragos improboſque tandem puniri, dictitat S. Scriptura: & multis exemplis probatur; ex *Livio, Ælian. lib. 12. Polyb. lib. 2. 3. 4. 5. Fulgoſ. lib. 7. c. 3. Anton. Bonfin. lib. 26.* Nonnulli tamen, ut perfidiæ & malitiæ ſuæ atque tyrannidi tegumentum aliquod ſuperinducere queant, illud proverbii excogitavere, *Frangenti fidem fides frangatur eidem.* Et nuper etiam non nemo politicorum utcunque notus, argutiis ſuis ſarcaſticis pleroſque huius ſeculi ordines & ſtatus ſatis acriter mordendo taxans, civitatibus & Rebuſpubl. Hanſeaticis tale adſcripſit axioma aut Symbolon; *Synceris ſynceri, perfidis perfidi*, ſcilicet ſumus; ac ſi civitates illæ, non tantum quietæ communem ſpectent calamitatem; ſed & tanquam Chij, pro temporis ratione commutent inſtitutum, & inconſtantiam ac volubilitatem ſuam ad fortunæ vultum accommodent. quaſi diceret; Omnino polypi naturam induerunt; adeo pro tempore alios atque alios mores & formam ſumunt. Exiguum certe laudis encomium illis præſtat. Verum enimvero, dum homines iſti tanta ludere varietate non deſinunt, fit ut quæſtionem excitent hancce: An violanti fidem, fides conſervanda ſit? Ad quam recte reſpondet Coſterus, *d. §.* Imo, ait, fœdifragis, & barbaris, ſervanda eſt. Cæſar quidem apud Plutarchum, fidem tam perfidis & barbaris ſervare amentiam ratus, in eos exercitum duxit. Servanda tamen fides, nec perfidia aliena, tua perfidia punienda eſt. Non enim, ſi Hannibal contra fœdus Saguntum obſedit, ideo licuit Romanis factam poſtea cum Carthaginienſibus pacem rumpere. Nec, ſi Romani legati violati à Pœnis, ideo quoque Hannonem in vincula duci oportuit. Multo minus ſi Luſitani Romanos contra jusjurandum ſunt aggreſſi, ideo quoque Lucullum decuit, Luſitanos impunitatis promiſſione pellectos trucidare. Quum tamen in eodē pacto hoſtes fidem fallunt, obligatione ſolutus ille eſt, quem perfidia aliena afflixit. Si enim pactis inducias Spartanum agrum populantur Meſſenii, talionem reddent jure optimo Spartani. Qui enim hoſtilia exercuerunt, pacem communem irritam reddiderunt. Verum quum poſt violata prima fœdera, novum percutitur, non licet ideo violare quia prima violata fuerunt, &c.

CAP. XXI.

Quæſtio, de homicidio in Burchardo 29. Archiepiſc. Magdeburg. commiſſo, quomodo ſit deciſa; & de Erroribus aliquot Pomarii in Chronico Saxonico.

Sic etiam olim magna erat quæſtio, & controverſia admodum gravis, de Magdeburgenſiū facto atrocissimo; quo 29. Archiepiſcopum ſuū Burchardum comitem Scrapelovienſem, quem anno 1325. in curia, loco iuſtitiæ & conſiliorū, incarceratum tenebant, interfecerant, & per integri anni ſpacium internecionem talem occultaverant; an non fuerint fœdifragi? Res indiget neceſſario hiſtorica deductione; ut rectius inde conſtet iudicium. Etenim, quum in talem culpam incidissent, quæ pro fœdifragio haberetur publico; non tantum in Cæſaris pœnam incurrere viſi ſunt; ſed etiam à Pontifice Romano damnati excommunicationis pœna afficiebantur, donec factum debite in omnibus excuſarent; Ingentis litigii hæc fuit controverſia; ut qui contra pacta conventa non tantum egiſſent; ſed etiam in loco ſacro iuſtitiæ, contra ius & æquum, non ſine rebellionis crimine, inaudita cauſſa, crudeli homici-

homicidio Archiepiſcopum ſuum è medio proditorie ſuſtuliſſent. Nam mutuam fidem quidem quaternis vicibus & quaternis pacificationis pactis ac tranſactionibus ſibi invicem compromiſerunt. unde & inter ſe mutua pactione conſtricti tenebantur. quarum prima data eſt Magdeburgi, anno Chriſti 1309. pridie divæ Catharinæ virginis: ſecunda data Wolmerſtadii, anno Chriſti 1314. die mercurii proximo ante divi Thomæ feſtum. tertia vero data eſt in arce Calza in Elmena, anno 1315. die veneris in divi Ambroſii feria. Quarta demum facta eſt multorum intervenientium opera; videlicet, (ut verba ſonant,) nobilis Principis, Ducis Ottonis Bruinſvicenſis; & nobilium virorum, Dn. Gardonis de Hadmerſchleben, Comitis Buſſonis de Manſvelt, Comitis Henrici, Comitis Diderici; ut & Comitis Henrici de Honſteyn, Comitis Conradi de Werdingeroda, Dom. Alberti de Hakeborn. adiuvantibus Comite Gunthero, Comite Ulrico, & Comite Adolpho de Lindaw, Comite Alberto de Barby, Domino Brunone de Querfurt, Comite Alberto, & Comite Bernhardo de Regenſteyn; necnon civitatibus Magdeburgenſi, Hallenſi, & Calbenſi, & earum adiuvantibus, &c. ſub dato anni 1324. proximo die Sabbathi ante feriam S. Galli. Idipſum factum videtur quidem admodum culpabile; neque res iniqua tanquam æqua excuſari poteſt; ait ille. Verumtamen prudenter ſatis Magdeburgenſes tractarunt & defenderunt cauſam ſuam. Non tantum enim uſi ſunt variis interceſſionibus vicinorum & confœderatorum apud Imperatorem Ludovicum V. Bavarum; qui ideo facilius Statibus imperii gratificari voluit, quoniam à Pontifice Romano eſſet excommunicatus: ſed etiam Magdeb. illi cauſæ ſuæ deductione & excuſatione, tantum obtinuerunt, ut in gratiam ab Imperatore reciperentur: quum ad oculum demonſtrarent, quam multum ei & Imperio publico intereſſet, & quantum præiudicium Papa Ioannes XXII. per Burckardum defunctum Imperatori creare ſtatuiſſet. Imperator quidem omnia caſſavit adverſariorum attentata. Sed, quum delicti tam enormis iuſtificatio præcipue ad Pontificem Romanum & Statum Eccleſiaſticum, potiſſimum autem ad ſecuritatem ſucceſſoribus interfecti illius Burckardi præſtãdam, ſpectare videretur; ad talem iuſtificationem cauſæ ſuæ remiſſi ſunt. Habuit ille Imperator præ reliquis imperium certe laborioſiſſimum inde ab initio eius uſque ad annum 1314. quum ipſi trium Electorum votis in electione opponeretur Fridericus Auſtriacus, & uterque eſſet coronatus, Ludovicus in loco ordinario Aquiſgrani ab archiepiſc. Moguntienſi, alter in inſolito loco Bonni ab archiepiſc. Colonienſi. Inde uterque illorum ſuos ducebat fautores & amicos, atque omnia aperto diſſidio, nec non inteſtino bello, fervebant, quod annis octo fortuna varia, eventuque ancipiti, geſtum eſt, & vix præliis quinque tandem ſopitum fuit. Nihilominus diſſidebat inter ſe Germania; quum non tantum Electores in rancore diſcordiæ pergerent, ſed etiam Põtifices Romani, qui Ludovici huius tempore vivebant, præter Nicolaum V. quem ipſe, poſt decreta, in Norinbergenſibus comitiis unanimiter concepta, deiecto Iohanne XXII. è ſede papali, elegerat, ſemper ipſi offenſi manerent: unde & amiciſſimi ſæpius Principes Germani à Ludovico abalienabantur, præſertim quum bis banno papali iniquiſſime mactaretur. Nec profuit Ioannis regis Bohemiæ ab Imperatore miſſi in Italiam expeditio. Attamen ſemper fidiſſimo uſus eſt in omnibus actionibus cõſilio Archiepiſcopi Trevirenſis: Atque quum ſolæ civitates in fide ipſi perſiſterent, (*Mell. hiſt. part. 3. ca. 4.*) cum iis, & reliquis aliquot Principibus, an. 1316. firmum pepigit fœdus, & mutua adſiſtentia auxiliũque utrinque bona fide promiſſum eſt. *Chron. Hedion. fol. 575. Mich. Sax. chron. Imp. de 35. Caſ. Germ. Lud. ca. 5.* Exinde optimus ille Imperator Magdeburgenſibus publicam innocentiæ atteſtationem non ſolum dedit, ſed quoque pro iiſdem in ſtudio reconciliationis apud Papam multa præſtitit, etiamque per amicos ſollicitavit: Velut etiam antehac, ad imploratione civitatis, ei plenam contra quoslibet offenſores (quo nomine quoque Papam & Burchardum notabat) defenſionem promiſerat, ſub dato Arenſteden, Non. Auguſti, anno Dom. 1323. Regni vero an 9. & talem ſimul commiſſionem Marchioni Brandenburgenſi obtulerat. Sed remedium melius non potuit inveniri, quam ut prius cauſam iuſtificarent ordine, ac ſucceſſorem Burchardi ſibi unice devincirent omnibus modis. Proinde homicidii huius delictum primitus ita excuſarunt, quaſi Archiepiſcopus Burchardus ille cuſtodes effugio ſuo eludere ſtuduiſſet, ac propterea vini invitatione nimia ebrios obruiſſet; ſed quum eruptionem adornaſſet, ebriique non adeo compotes mentis deprehendiſſent eum in hoc conatu, nec impediri ſe paſſus fuiſſet, nimium reſiſtendo iis factum eſſe, ut ille à furioſis ictum acceperit. Verum quum ipſi propter occultationem occiſi litem hanc ſuam feciſſent, non potuit hoc tam facile detergi: ſed tamen fœdifragium non in ipſum modo retorſerunt defunctum Burchardum, ſed etiam à primordio tyrannidis eius ſpecimina retulerunt plurima, & quod maxime illi benefaciendo ipſius in ſe invitaſſent ingratitudinem, ſuæque civitatis atque civium ſuorum ſummam inde nacti fuiſſent perſecutionem. Ut enim pecuniam, quam ipſi ad pallium & inveſtituram à Pontifice Romano cõparandam mutuo dederant, non cogeretur reſtituere, iuxta obligationis ſuæ hypothecariæ tenorem, ſub dato; *Anno Domini 1296. ſecunda dominica Quadrageſima, qua cantatur Reminiſcere*, & tamen abſque ſatisfactione ſuam hypothecam ſub ſpecie recti recipere: inde non veritus fuit, aiebant, omnia non tantum impugnare beneficia, quæ illis ab Imperatoribus & primo fundationis tempore, conceſſa eſſent; ſed etiã illa, quæ poſtea ab Archiepiſcopo 10. Willebrando, Comite de Kiberg Thuringiæ, ſub dato, *Anno gratiæ 1236. decimo Kalendas Aprilis, Indictione nona, & Pontificatus ipſius anno primo*; item ab eodem Archiepiſcopo, ſub dato, *Anno gratiæ 1241. decima die menſis Ianuarij, Pontificatus ipſius anno ſexto*; item ab Archiepiſcopo 26. Erico Marchione Brandeburgico, ſub dato & acto, *Magdeburgæ, an. 1292. XVI. Kalendas Februarij*, velut etiam à reliquis Archiepiſc. per conceſſionem largiter obtinuiſſent; *voluti id ex documentis mox ſequentibus & infrapoſitis apparebit.* Inſuper quoque 37. gravaminibus demonſtrarunt, quemadmodum ſumma ſua iura, poſſeſſiones, privilegia, cõceſſiones obtentas, & alia bona, mire flagellaverit: id quod conſtaret potiſſimum ex tranſactione, & fœdere, quod cum illo, ſub dato, *Magdeburgi, anno nativit.*

nativit. Christi 1309. *die divæ Catharinæ*, 25. *Novemb.* fe-
riissent. Quod etiam ex reliquis declararunt plenius
transactionibus & confœderationibus, superius al-
legatis. Verum justificatio talis, & ipsius Imperato-
ris testimonium, adeoque eius cassatio, non tanti fu-
isset ponderis apud Papam, propter odium inextin-
guibile, quod in Imperatorem perquam obstinate
conceperat, nisi & alterum consilium feliciter juxta
secuti fuissent Magdeburgenses, & id quidem præ-
cipue tunc, quando cum Archiepiscopo 51. Ottone,
ex familia Landgraviorum Hassiæ oriundo, (quam-
vis antecessores eius Heydeccus ab Erpes, qui Ise-
naci captivus mortuus est, & Henricus Comes de
Stolbeergk, & ipse tamé mox ab ipso Papa reiectus,
rogati id denegarant) novam correspondentiam in-
ierunt, & statim sub primo introitu arctam cum eo
amicitiæ contraxerunt unionem; ita ut interces-
sorem ageret adsiduum apud Papam Iohannem XXII.
qui inprimis huic optime cupiebat, quod promisso-
riales Ottonis litteræ testantur atque docent, sub
dato; *Magdeburgi, post nativitatem Dei ultra millesimum*
annum trecentesimo, vigesimoseptimo, die sancti Ægidy,
divi Abbatis. Cæterum casus is fuit, quod dictus Ar-
chiepiscopus, civitati se tantopere devoverat; vide-
licet, ne Antiarchiepiscopo Henrico Comiti de
Stolberg, qui toties instabat, illa ipsa sese adsociaret;
contra vero ut Magdeburgensis civitatis ope hic æ-
quius supprimeretur. Otto ergo quum opem & pro-
tectionem, transactionem item seu interpositionem
apud summum Pontif. Magdeburgensibus pollice-
retur, cives eum intra muros suos in possessionem
Archiepiscopatus eo promptius contra Henricum
Stolbergicum receperunt. Porro, multa licet Otto
condixerat, nihil tamen efficere potuisset, nisi alter
interveniisset casus, quo Imperator Ludovicus Bava-
rus, anno 1328. in Italiam perveniendo, & novem
menses ibidem subsistẽdo, in festo ascensionis Chri-
sti, consensu quorundam Episcoporum, caussa eius
contra Iohannem Papam discepta ta, novum Ponti-
ficem Petrum de Corbaria ex familia Columnensiũ
elegit; qui postea se Nicolaum quintum appellavit,
simulq; duodecim Imperii Cardinales creavit. *Serb.*
Cal. in Chronol. Quamvis autem tunc ipse Imperator
prævaleret auctoritate & gratia apud novum ab ipso
creatum Papam, & Otto Archiepiscopus quoque
suam adderet opem, ut civitas Magdeburgensis ex
banno exsolvi & Papæ reconciliari penitus valeret:
tamen caussa hæc criminalis in sedis Romanæ un-
ctum tanti ponderis judicata est, ut aliquot anni in
hoc tractatu consumpti fuerint. Interim, quum cives
in victu acquirendo & commerciis exercendis pro-
pter exclusionem Papæ supra modum exhauriren-
tur, varii fuerunt in civitate motus: utpote qui coti-
die Magistratum ob facinus commissum insultarent,
& tandem complanationem bannique exolutionẽ
exigerent. Id quum cerneret Otto Archiepiscopus,
occasionem iura & privilegia, aut libertatem civita-
tis imminuendi negligere noluit. Quare Senatus &
cives in tantis angustiis tam diu constricti hærere co-
acti sunt, donec se mutuo variis moribus prope con-
ficerent, ac seditione sæpius coorta, novam tandem
regiminis formam anno 1330. instituerent. uti con-
stitutio eorum id sub dato, *Anno* 1330. *die Martipost*
Iohannis Evangelistæ, luculenter declarat, quæ sedecim
sigillis collegiorum artificum sive tribuum obsigna-
ta fuit in æternam rei memoriam, & simul eius-
modi cives ac Senatores, qui suspecti habebantur, homicidii caussa urbe exclusi sunt, ac in gratiam Papæ & Archiepiscopi in exilium acti, *ut eadem te-*
stantur litteræ. Quum vero Archiepiscopus superio-
ritatem quandam hac data occasione ambiret, puta-
retque, hanc novam constitutionem in eius præiu-
dicium factam esse: iterum fidem aliquoulque re-
traxit, & hoc obtinuit apud Papam Nicolaum V. ut
non prius exsolverentur banno, quam homagium
præstarent ipsi, & aliquot libertatis juribus, quæ ab
Ottone primo iuxta fundationis litteras obtinuis-
sent, renunciarent. Quibus controversiis denuo ali-
quot anni consumpti sunt; donec enervati satis, pro-
pius arbitrio Papæ & Archiepiscopi accederent.
Nolebat autem prius Archiepisc. ingredi civitatem,
quam cives cum Senatu se plene declarassent, Pa-
pæque nutui atque suo accommodassent. Ideoque
primitus per commissarios Papæ sive Apostolicæ se-
dis de forma homagii aut iuramenti emendæ diu
actum est, quumque de hac inter utramque partem
conveniisset, quod reciproce fieri mutua deberet ob-
ligatione, tandem conclusiæ sunt quoque reversales
& devotionales, cum addictione & renuntiatione
aliquot jurium, sub dato *Anno Christi* 1333. *die Lunæ*
post eum dominicum diem, quo canitur, *Reminiscere*, &
transmissæ sunt ex commissariis Papalibus atque Ar-
chiepiscopo. unde octava demum ex eo tempore
septimana homagii dies indictus est. cuius formalia
ita concepta fuerunt, ut attestatio publica commis-
sariorum, authoritate Apostolica (uti verba sonant)
deputatorum, (qui fuerunt, Conradus Dei gratia
Præsuppositus Monasterii Sanctæ Mariæ virginis
Magdeburgensis. ordinis præmonstratensis, & fra-
ter Iordanus, Lector Erfortensis, Ordinis fratrum
Eremitarum sancti Augustini,) aperte loquitur: Nos
Senatores populusque veteris civitatis Magdebur-
gensis, iuramus ad fidelitatem & affectionem gra-
tam nostro Domino Archiepiscopo, qui præsens
heic adest, præstandam, veluti de iure nobis compe-
tit; ita nos Deus iuvet, & sancti eius. Et hoc ipsum,
vice versa idem Dominus (ut verba se habent) eis-
dem civibus favorabiliter repromisit. In cuius rei
testimonium sigilla eorum præsentibus (ita forma-
lia verba id exprimunt) sunt appensa. Acta sunt hæc
an. Domini millesimo trecẽtesimo tricesimo tertio,
Sabbatho ante Dominicam Iubilate. Casus iste pro-
pterea maxime notabilis est, quod adeo ingenti civi-
tatẽ Magdeburgẽsem calamitate affecerit, ut eriã in-
de tota Reipubl. forma ipsi immutata sit, & illi, qui
antea plenam possidebant libertatem, aliquo modo
homagii iam dicti specimine formam quandam ma-
ioris constrictionis subire coacti sint, præsertim quũ
simul aliquibus iuribus privilegiatis resignassent.

Integram vero summarie hanc historiam huc re-
ferre volui, ut inde pateat, quam crassissime heic cõ-
pilatorem illum historiæ Saxonicæ, quam Ioannes
Pomarius cum suis additionibus antehac edidit, *pag.*
358, & ipsum Pomarium in glossis suis bis, *pag.* 373.
aberrasse. Etenim compilator ponit, quod anno
1309. nulla adhuc Magdeburgensibus cum Archie-
piscopo Burchardo Scrapeloviensi fuerit discordia;
quum tamen in 37. articulis tum fervidissima con-
troverteretur lis; nec unquam ex eo tempore, quo
mutuum suum à debitore repetere viderentur, cum
ipso

ipſo concorditer vixerint ; ſed quoties fœdere aut tranſactione quid componeretur, ſtatim fides fracta ab eo fuerit. Sic etiam ipſe Pomarius errat admodum , quando Papæ Iohanni XXII. quem tamen contra veritatem hiſtoricam Iohannem XXIII. facit, condonationem homicidii illius, & abſolutionē à banno ſive excommunicatione, atque id maxime propter interpoſitionem Cęſaris Ludovici adſcribit: quum tamen non tantum ille extremus ſemper hoſtis fuerit illius Imperatoris beneficentiſſimi ; ſed etiam ante quinque annos ex throno ſuo papali deturbatus fuerit. E contra laudem iſtius Imperatoris, quod Imperatoriam maieſtatem tam fortiter defenderit, valde commendant hi verſus, in curia Wormatienſi expreſſi & notati:

Aſtra Deo nil maius habent, nil Cæſare terræ:
Sic Cæſar terras, ut Deus aſtra, regit.

Similiter Pomarius errat, ex Papæ iuſſu 36. ſenatores anno 1330. è civitate fuiſſe electos, quum tamen ex nova Reipubl. transformatione illius anni potius cōſtet, quod motus civium & ſeditio eos, quos ob internecionem Burchardi ſuſpectos habuerint, ejecerit, & illi, re penitus tranſacta ac conſopita, tum tandem reſtituti patriæ fuerint. Tum quoque tranſactio atque condonatio non anno 1330. ſed ann. 1333. plene peracta fuit. Cuius rei hiſtoria integra facile ex infra adiectis documentis, quæ in manu civium & exterorum ſunt plurium, plenioris fidei cauſa cognoſci poterit. Quod autem ad cauſſæ & quæſtionis ſupra poſitæ deciſionem attinet, & ea ita complanata fuit, ut non tantum civitas tota in integrum ſit reſtituta, & omnimode à banno abſoluta ; ſed etiam tantam ſimul & Imperatoris caſſationem & Papæ gratiam obtinuerit, ut, ſi quis propter homicidium hoc civitatem aut eius incolas ullo aliquo infami aut iniurioſo titulo afficere ſtuderet, aut illis calumniandi cauſſa crimen inde obiiceret, ille in certam millenarum marcarum mulctam pro exhibita iniuria incidiſſet. quod privilegii loco civitati illi conceſſum eſt , ne quis temere probra ex re tranſacta in cives congereret.

Ex hac hiſtoria facile conſtat, quantum fidei mereantur alii ſcriptores, qui vel affectibus ſuis indulgent nimium vel ea deſcribunt quæ ex aliis æque incertis præſumptionibus aut indiciis ſuperiorum ſeculorum mutuantur, atque ſine ullo archivorum reſpectu deducunt. Ita fit, ut nunquam veritas ſuum proprium & genuinum inveniat locum ; ſed obtegantur ſæpius talia, quæ maximum pretium fuiſſet ab omnibus boni publici cauſa cognoſci. Huiuſmodi quidem ſibimetipſi invidum ſeculum hucuſque coluimus in quo ſtulti ſæpius ea in præiudicium ſui ſupprimunt, quæ iuribus ipſis non raro maxima incommoda creant , & iudicium diverſum pariunt. Partim ex invidia, partim ex ignorantia, vidi peccare quam plurimos; etiam ipſos Rerumpubl. præſides & præfectos , qui minus intelligunt arcanorum naturam. Unde pro arcanis habentur vulgariter , quæ minime debebant occultari; & è contra publicantur talia, quæ rectius ſupprimerentur. Quæ ergo ad fundationem ſtatus alicuius faciunt , minime gentium ſilentio ſunt involvenda; ſed omnibus & ſingulis merito nota eſſe debent. Optime propterea fecit compilator iuris Saxonici, qui ius Weichbildicum & feudale , ſeu ſtatuta Saxonum, conſcripſit, quod ſtatim in frontiſpicio privilegium eorum ponit, quod Otto Magnus , Imperator longe glorioſiſſimus, ad petitionem omnium provincialium, civitati Magdeburgenſi , tanquam Metropoli totius nationis illius, ſub ann. Chriſti 939. 17. Iunii (ubi ſphalma ſubrepſit amanuenſis incuria , ut Meunxig pro Droyxig ſit poſitum) quo tempore ſimul Magdeburgum Edithæ coniugi ſuæ in dotem ille dederat, munificentiſſime conceſſit. Quo ſane non leviter retunduntur civitatis eius oſores, qui illi populo ſtatū ſervum ex eo, quod clam ſubductum noſcunt ex archivis eorum fundationis originale , (uti actio illa, quam Magdeburgici ante annos aliquot in camera imperiali contra gloriatores ſuos inſtituerunt, id ad exhibendum teſtatur) affingere non verentur. Præter quod tamen eoſdem Magdeburgenſes Ottonis ſecundi quoque privilegium ſartos tectos conſervat, ſi quid ex origine ſua merito diſcutiendum veniat. Specimen quoque & exemplar illius privilegii edidit Goldaſt. *in collect. conſtit. Imperial. fol.* 215. ubi tamē culpa amanuenſium in ann. æræ Chriſtianæ aberratum eſt , quod facile ex annis regiminis ſuppletur, quum Imp. ille anno Chriſti 937. electus ſit parentis loco.

Optime ſane de veritate hiſtorica meriti ſunt inſignes illi viri Dn. Frideric. Hortlederus, & Melchior Goldaſtus, quorum alter ſuperioris ſeculi hiſtoriam ex Archivis Vinarienſibus quam proxime ad veritatem rerum accedentem ; alter ſatis alto labore ſuperiorum ſeculorum acta & conſtitutiones imperatorum, variaſque diſputationes , cumprimis bono publico inſervientes conquiſivit.

Utinam hoc quoque olim intellexiſſent illi, qui theſauro Germaniæ litteratæ optimo (bibliothecam inſignem illam Heydelbergenſem dico) præfuerunt, & ſaltem à ſeptem ſeculis uſque ad præterlapſi tempora hiſtorias & politica negotia continuaſſent, haberet iam tota Germania, quo gratias talibus compilatoribus agere poſſet. Quid enim præſtitit Ian. Gruterus ? Quid proſunt vocabulorum inanium torſiones & collectiones vanæ ? Ad quam exiguum emolumentum tales vacui phraſiologi tam laborioſam & nimis diſſectam conficiunt criſin ? Satis docti poſſent eſſe Scholaſticales vel potius Grammatici tales, etiamſi tot phraſium barbaricarum & obſoletarum congeriē caterent, modo rei verum & genuinum depromerent nomen. Res potius pro futilitate verborum exprimere debuiſſent.

Quid enim prodeſt theſaurus avaris abditus terris, ſi uſu careat ſuo ? Ideo longe potiores meretur gratias Hippolitus à Collibus , nec minores Marquardus Freherus, quod ex bibliotheca tali nonnullas intentionis politicæ reliquias diſſeminarint. Pudeat merito eos , quotquot optatam illam in rebus geſtis, variis modis ab auctoribus deſcriptis, utiliter lucubrandi occaſionem tam turpiter neglexerunt. Vana fuit opinio doctrinæ vanæ, quæ probrum merito parit omnibus , qui Reipubl. litterariæ melius inſerviendi facultatem aliud agentes perdiderunt, dum non lucidonarunt publicæ ea , quæ multas tenebras illuſtrare & diſſicere potuiſſent. Quorſum enim talis ſuperſtitioſa temporis iactura in ſtudiis, quę phraſibus potius, quam rebus ipſis impenditur, & præſertim fabuloſorum ſcriptorum interpretatio-

nibus & argutiis? Sed tranſeat hæc labes ſeculi; propter quam Deus ipſi Germaniæ quoque vanam ſuã gloriam non immerito evertit. Nobis nunc ad confirmationem & illuſtrationem hiſtoricæ veritatis ex ipſis actis producendæ, quæ ſunt in manibus pluriũ, progrediendum eſt; ut purgatio Magdeburgenſium eo rectius inde eluceſcat, nec tot variis ulterius prægraventur Magdeburgenſes ignorantium præiudiciis, ſimulque errores illi in Chronico Saxon. Pomarii rectius detergi poſſint.

Documentum mutui, quod ſub aditu Archiepiſcopatus Magdeburg. Burchardus Scrapelovienſis Comes à civitate accepit, ad conficiendum iter Romanum, ita ſe habet.

NOs Burchardus, Dei gratia ſanctæ Magdeburgenſis Eccleſiæ electus, Bernhardus Prępoſitus, Godfridus Decanus, totumque eiuſdem Eccleſiæ Capitulum, univerſis præſens ſcriptum viſuris, & audituris, Salutem in omnium Salvatore. Recognoſcimus, & tenore præſentiũ lucide proteſtamur, quod honeſti Viri, dilecti noſtri, Conſules & Burgenſes de Magdeburgo, pro honore noſtræ Eccleſiæ & noſtro favore ſpeciali, nobis ducentas marcas Stendalienſis argenti, in ſubſidium itineris noſtri verſus curiam Romanam, quo in præſenti pro obtinenda confirmatione ituri ſumus, accommodaverunt & mutuo præſtiterunt. Pro hac ſiquidem pecunia de conſenſu & voluntate totius noſtri Capituli, officium noſtrum, quod in vulgari *Bernammecht* dicitur, eiſdem Conſulibus & Burgenſibus obligamus; tali nempe modo & conditione, quod ſi ipſis pro narrata ſumma ducentarum marcarum, ante feſtum pentecoſtes, quod erit à dicto feſto proximo ad annum continue ſubſequens, per nos vel per noſtram Eccleſiam non ſolveretur, quod tunc dictum officiũ ipſorum Burgenſium & civitatis eſſe debet propriũ, cum omni fructu, proprietate perpetuo poſſidendum. Verumtamen ſi huiuſmodi ſumma pecuniæ ante memoratum terminum, per nos, vel per noſtram Eccleſiam, ſi nos nutu Dei mori contingat, quod abſit, fuerit exſoluta, ex tunc ipſum officium ad nos, & ad noſtram eccleſiam libere reverteretur. Sciendum etiam, quod ipſi Conſules & Burgenſes infra tempus obligationis omnes fructus dicti officii, pro reſtauratione damni, in uſus ſuos recipient, & convertent. In huius igitur obligationis & facti teſtimonium evidens, hanc litteram noſtro noſtriq; Capituli ſigillis firmiter communivimus. Datum & actum anno Domini milleſimo ducenteſimo nonageſimo ſexto, ſecunda Dominica Quadrageſimæ, qua cantatur *Reminiſcere*.

Sequuntur documenta aliquot reliqua, ex quibus probantur gravamina, quibus contra omnem æquitatem civitatem Magdeburgenſem ſupprimere, & privilegijs ſuis exuere conatus erat ille interfectus in curia Archiep. Burchardus.

PRimum eſt Ottonis Magni, in quo cives Magdeburgenſes, tanquam incolæ principalis Imperatoris Germanici ſedis, præ cunctis aliis civitatibus Germaniæ privilegio immunitatis & vectigalis in commerciis donantur. quod apud alias civitates haud ita invenitur. Ad hoc autem primi Archiepiſcopi Adelberti, quem alii Albertum dicunt, interceſſione fuerant uſi, qui paulo ante eſt introductus. *Vid. Seth. Calv. in Chronol. ad annum Chriſti* 972. *Unde iterum error Chronici Saxon. Pomarij patet.*

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Otto divina favente Clementia Imperator Auguſtus. Noverit omnium fidelium noſtrorum tam præſentium quam futurorum induſtria, qualiter ob interventum Magdeburgenſis Eccleſiæ Archiepiſcopi Adalberti, & ob cæterorum noſtrorum fidelium inſtinctum, Mercatoribus in Magdeburgenſi civitate habitantibus, tam ipſis quam poſteris ſuis, tale ius concedimus, quale noſter pius genitor ſuis temporibus conceſſit habere. Id ſcilicet, quod ubique in noſtro non tantum regno, nec non mundo in Chriſtianis, ſed etiam Barbaricis regionibus, tam eundi quã redeund: licentia ſit, ſine ullius moleſtia, & ne ab aliquo cogantur vectigalia perſolvere urbibus aliis, pontibus, aquis, viis & inviis, noſtra regali authoritate penitus interdicimus: His locis exceptis, Moguntia, Colonia, Tiela, Bardovico. Et, nec plura vel maiora exigantur vectigalia quam more illorum ſit perſolutum. Et, ut ne aliquis noſtræ invidiæ cauſa pontes deſtruere aut aliquod impedimentum in viis facere velit; hoc banno noſtro ſibi à nobis veritum ſciat. Sed inſuper ne alicui irritum hoc videatur, aut hoc, quod ſuperius interdictum eſt, diſſolvere præſumat; eum, quicunque huius audaciæ exiſtit, decernimus Cameræ noſtræ talenta decem auri perſolvere, omni dubietate poſtpoſita. Et ut hoc noſtræ authoritatis præceptum firmum & ſtabile permaneat, hanc chartam conſcribi, annullique noſtri impreſſione ſignare iuſſimus; quam & manu propria ſubtus firmavimus.

Signum Domini Ottonis Magni & Invictiſſimi, Imperatoris Auguſti.

Folcmarus Cancellarius, ad vicem Villigiſi Archicapellani recognovit; anno Domini incarnati DCCCCLXXII. *Indictione tertia; anno vero Regni Domini Ottonis* XXXV. *Imperii autem* VIII.

Ita modeſtus fuit hic Imperator Otto Magnus, ut per 26. annos & circiter nudo titulo Regis, propter varias & multiformes difficultates, quæ ipſi in regno à variis hoſtibus & Pontificibus crearentur, contentus fuerit; donec tandem plene Papam Iohannem XXII. & ſecunda vice deturbaſſet, ſuumque electum Leonem VIII. quiete reſtituiſſet. Poſtea vero ſibi titulum Imperatoris adſcripſit; Quod in poſita ſubſcriptione notandum venit. *Vid. Alſted. in Chronol. pag.* 184.

Privilegium à Cunrado II. Imperatore Magdeburgenſibus conceſſum.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis Chuonradus, divina favente clementia Rex. Noverit omnium fidelium noſtrorum, tam præſentium quam futuro-

futurorum, industria, qualiter ob interventum Magdeburgensis Ecclesiæ Episcopi Hunfridi, & ob cæterorum nostrorum fidelium instinctum, mercatoribus Magdeburgens. civitat. inhabitantibus, tam ipsis quam posteris suis, tale ius concessimus, quale nostri antecessores suis temporibus concesserunt habere. Id scilicet, quod ubique in nostro regno, non solummodo in Christianis, sed etiam Barbaricis regionibus, tam eundi quam redeundi licentia sit, sine ullius molestia. Et, ne ab aliquo cogantur vectigalia persolvere urbibus, pontibus, aquis, viis, & inviis; nostra regali authoritate penitus interdicimus: his locis exceptis, Moguntia, Colonia, Bardovico. Et, nec plura vel maiora exigantur vectigalia quam moris illorum esset persolvere. Et, ut ne aliquis nostræ invidiæ causa pontes destruere aut aliquod impedimentum in viis facere velit, hoc banno nostro sibi à nobis vetitum sciat. Sed insuper, ne alicui irritū hoc videatur, aut hoc, quod superius interdictum est, dissolvere præsumat; eum, quicunque huius audaciæ existet, decernimus Cameræ nostræ decem talenta auri persolvere, omni dubietate postposita. Et, ut hoc nostræ authoritatis præceptum firmum & stabile permaneat, hanc chartam conscribi, annulique nostri impressione signari iussimus, quam manu propria subtus firmavimus.

Signum Domini Chvonradi, Regis invictissimi.

Odalricus Cancellarius, vice Aribonis Archicancellarii recognovi, data 2. Non. Feb. Indictione VII. anno Dominicæ incarnationis 1024. anno autem Domini Chvonradi Secundo regni Primo.

Actum Magdeburg.

VVilbrandus ex liberali donatione dedit & concessit Magdeburgensibus duo jugera pro amplificanda civitate.

WIlbrandus, Dei gratia sanctæ Magdeburgensis Ecclesiæ Archiepiscopus, omnibus præsentes literis inspecturis, æternam salutem, & veram in Domino charitatem. Iustum est, & à rationis semita non recedit & apte bono Domino glorioſe ascribitur, & decenter, quando superioris authoritas propriæ liberalitatis magnificentia devotis ac familiaribus condescendit, ibi maxime, ubi modus gratiæ sic impensæ iisdem respectibus & paribus modis, his quibus confertur, utilis efficitur & honestus, & nihilominus cum laudis præconio & honoris ad cōmodum & gloriam revertitur conferentis. Hinc est quod nos paterno affectu veraciter intuentes puram fidem ac devotionem non fictam dilectorum nostrorum Burgensium in Magdeburgk; considerantes etiam, quod eiusdem civitatis munitio nobis & Ecclesiæ evidentissime sit expediens & honesta: in omnibus quidem eorum petitionibus decentibus & honestis, in eis dignissime, quę sicut ad ipsorum proficuum, sic ad nostrum proveniunt etiam incrementum, pie ac hilariter eisdem censuimus annuendum. Ea propter instantibus dictorum fidelium nostrorū supplicationibus inclinati, concedimus atque damus eisdem duo jugera muro civitatis adiacentia, omni eo integritatis iure, quo ipsa nos ipsi possedimus, usque modo, & totum id, quod iuris habemus in illis, transferimus ad eosdem: ita tamen, ut ipsi ad erectionem murorum civitatis ex fundo illo lapides eruant, & domum nostram ad utilitatem honestam redigāt & communem. Volentes igitur, ut hæc nostra donatio, ipsis futuris temporibus rata maneat ac inconcussa: Ipsam præsenti pagina inscribi iussimus, & ad robur evidētius veritatis, sigilli nostri munimine roborari. Huius rei testes sunt Ludolphus Cantor, Theodoricus de Drubin, Theodoricus de Parchen, Godfridus de Weddingen, Bertramus Brandan, & Wernerus frater eius; Bruno filius Ortonis, Wernerus de Scharta w; Gerardus de Gloune, & alii quā plures. Actum anno gratiæ millesimo ducentesimo tricesimo sexto, decimo calendas aprilis; indictione nona pontificatus nostri anno primo.

Litera Domini VVilbrandi Archiepiscopi Magdeburgensis confirmationis privilegiorum.

WIlbrandus, Dei gratia Sanctæ Magdeburgensis Ecclesiæ Archiepiscopus, dilectis suis, universitati Burgensium in Magdeburgk, gratiam suam & omne bonum. Ut libertatis nostræ beneficia, quibus vos & nunc & frequenter intendimus honorare, vos ad ferventius serviendum nobis & Ecclesiæ nostræ in præsenti provocent, ac nihilominus obligent in futurum; Iura consuetudinis, libertates, quibus ad hæc usque tempora vos & vestri progenitores usi fuistis, quibus etiam ipsa civitas incrementum noscitur habuisse, ac in futurum creditur habitura, præsenti scripto perpetuo jure confirmamus. Nulli ergo hominum huic nostræ confirmationi liceat ausu temerario contraire. Si quis hoc attentare præsumpserit, indignationem Dei ac nostram se noverit incursurum. Datum anno gratiæ millesimo ducentesimo quadragesimo primo, decima die mensis Ianuarii; pontificatus nostri anno sexto.

Precariarum impositionum remissio extra civitatem, quæ ex agricultura solvebantur.

NOs Ericus, Dei gratia Sanctæ Magdeburgensis Ecclesiæ Archiepiscopus, publice recognoscimus per præsentes, quod propter favorem specialem, nobis ab honorabilibus viris, Alberto Præposito, Bernhardo Decano, totoque nostræ Ecclesiæ Capitulo, nec non à dilectis nostris Burgensibus de Magdeburgk, exhibitum & ostensum, in eo videlicet, quod ad præsens, necessitate nostra requirente, nos circa bona sua petitionem facere benevole permiserunt ipsis placitavimus in hunc modum: Quod de cætero bona ipsorum petere non debeamus, nec nostros advocatos seu nuncios in bona eorum mittere, ad extorquendam petitionem aliquam ab eisdem. Si vero terræ necessitas legitima requireret, vel guerra ingrueret manifesta, ita ut subsidium ab ipsis requirere cogeremur; tunc eorundem honorabilium virorum Canonicorum ac Burgensium consilio benevolo ac concessu mediante, talem statuimus petitionem,

tionem, quæ terræ videatur tolerabilis: ad quam benevolentiam & voluntatem ſuam dirigent & convertent. Ad hoc igitur obſervandam nos præſentibus obligamus literis noſtris, ſigillo firmiter cõmunitis. Datum & actum Magdeburgk, anno milleſimo ducenteſimo nonageſimo ſecundo; XVI. Kalendas Februarii, &c.

Littera reſignationis Alberti Ducis Saxoniæ Burggravionatus & Banni in Magdeburgk.

NOs Albertus, Dei gratia Saxoniæ, Angariæ, Weſtphaliæque Dux, & Comes de Brena, recognoſcimus tenore præſentium, publice proteſtantes, quod dignitatem ſeu Burggravionatum, & Bannum eiuſdem Burggravionatus, intra muros Magdeburgenſes, & in novo foro, cum omnibus pertinentiis eorundem, quos tenuimus à venerabili Domino noſtro Erico, ſanctæ Magdeburgenſis Eccleſiæ Archiepiſcopo, ac ipſum de Burggravionatu & Banno, prædictis warandamus, & præſentibus verâ Warandiam præſtamus, pro nobis ac pro omnibus nunc vivis exiſtentibus, & futuris: præſentibus Decano de Welpia, Ottone Bretzna Canonico Magdeburgenſi; Nobilibus viris Friderico de Dorſtat, Alberto de Barby, Richardo Dapifero de Alſchleve, Hidecone de Nigri, &c. Fridelino de Dahmis, Ottone de Kothene, Tilone Marchalko, Iohanne de Bardeleve, Tilemanno Rabilli, Wernero & Conrado de Sprone, Georgio de Hirzacker; militibus, Iohanne de Hoenſteyn, Betemanno Ditto Konningk, Lenzemanno Boneke, Walthero Schlanſtede, Burgenſibus Magdeburgenſibus; ac aliis fide dignis. Ne autem ſuper hoc cuiquam in poſterum dubium oriatur, præſens ſcriptum, inde confectum, ſigillo noſtro duximus roborandum. Actum & datum in cãpo, iuxta clauſtrum Plotzke, anno Domini milleſimo ducenteſimo nonageſimoquarto, pridie Kalendas Iulii.

[Hunc Burggravionatum civitas Magdeburgenſis ab Elect. Alberto Sax. iure emptionis, pro precio 900. marcarum ſibi acquirendo comparavit; licet Erneſt. Brotuff 9000. flor. in chron. Mersburg. poſuerit; quod alibi ipſo probatur contractu.]

Littera defenſionis Domini Ludovici Quinti, Imperatoris, circa cives Magdeburgenſes.

LUdovicus Dei gratia Romanorum Rex ſemper Auguſtus, prudentibus viris Conſulibus & univerſitati civium Magdeburgenſium, fidelibus ſuis dilectis, gratiam ſuam & omne bonum. Fidei veſtræ puritas & devotionis conſtantia indefeſſa Serenitatem regiam induxerunt, quod univerſos vos & ſingulos, atque civitatem veſtram, intuitione noſtra perpetua recepimus & recipimus in præſidium & ſolamen: ſic, quod contra quoslibet offenſores veſtros illicitos vos tenemur & debemus ad iuſtitiam defenſare. Ad hæc, Illuſtrem Ludovicum primogenitũ noſtrum, Marchionem Brandeburgenſem, univerſis vobis ac ſingulis tali liga committimus & coadunamus; ſic, quod vos ad iuſtitiam contra invaſores veſtros quoslibet, quoad vixerit, ſuo fideli iuvamine pro ſuarum poſſe viriũ adiuvabit. Et id nomine ſuo, quiſquis procurator eius in Marchia conſtitutus fuerit, faciet & fideliter proſequetur. Vos vero vice patri nedum nobis; ſed & filio noſtro, Marchioni Brandenburgenſi, adſtringimus, ut declarant litteræ noſtræ deſuper nobis datæ. In cuius rei teſtimonium præſentes vobis dedimus, maieſtatis noſtrique ſigilli munimine roboratas. Datum apud Arenſteden, nonas Auguſti, anni Domini M CCC XXIII. regni vero noſtri anno nono.

Littera confirmatoria Ludovici Quinti Imperatoris, ſuper privilegiis Magdeburgenſium.

LUdovicus, Dei gratia Romanorum Rex, ſemper Auguſtus, univerſis ſacri Romani Imperii fidelibus, præſentes litteras inſpecturis, gratiam ſuam & omne bonum. Accedentes ſerenitatis noſtræ præſentiam prudentes viri cives Magdeburgenſes, fideles noſtri dilecti, nobis humiliter ſupplicarunt, ut univerſa privilegia, iura, gratias, libertates, & immunitates, à divis Imperatoribus, ſeu Romanorum regibus, prædeceſſoribus, viris illuſtribus, ipſis indulta ſeu conceſſa & ſtatuta: per ipſos cives in profectum civitatis promulgata, approbare, innovare, & confirmare, ex benignitate regia dignaremur. Nos vero, conſiderantes, Regiam decere Maieſtatem, devotorum ſuorum iuſtis deſideriis favorabiliter inclinari, ut, qui prompti fuerint, in obſequiis retineantur: expenſis beneficiis, promptiores, ex innata nobis clementia omnia privilegia, iura, gratias, libertates ac immunitates, ipſis à divis Imperatoribus ac Romanorum regibus, prædeceſſoribus noſtris illuſtribus, rite & rationabiliter indulta ſeu conceſſa, adhæc bona & honeſta ſtatuta in profectum civitatis per ipſos edita, approbamus, innovamus, & authoritate regia confirmamus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc approbationis, innovationis, ſeu confirmationis paginam infringere, aut ei in aliquo auſu temerario contraire: Quod qui facere præſumpſerint, indignationem regiam ſe noverint incurſuros. In cuius rei teſtimonium præſentes ipſis dedimus litteras, Maieſtatis noſtræ ſigilli munimine roboratas. Datũ in Arenſteden, anno Domini 1323. in die beati P. regni vero noſtri anno nono.

Abſolutoria eventuales à banno littera Ottonis, XXXI. Archiepiſcopi Magdeburgenſis, ex familia Landgraviorum Haſſiæ oriundi, & à Papa Iohanne XXII. ipſo Avinione Galliæ degente, tunc temporis contra Henricum Comitem Stolbergenſem electi.

NOs Otto Dei gratia, ſedis Romanæ electus Archiepiſcopus ſanctæ Eccleſiæ Magdeburgẽſis, præſentibus hiſce litteris, coram omnibus, qui eas viſuri ſunt, aperte confitemur & teſtamur, quod nos, propter ſingularem affectionis favorem & amicitiam, quam nos deprehendimus pridem & adhuc invenimus in noſtris fidelibus & dilectis, ſcabinis, ſenatoribus, tribuum magiſtris, & civibus communibus civitatis Magdeburgenſis, non debemus culpare, aut inſimulare, velut nec id noſtri cauſſa alicui con-

cui concedemus, qui aut iuxta ius Canonicum aut mundanum illos noſtros cives Magdeburgenſes incuſet, præſertim & ſingulariter propter factum, quod in civitate ea Magdeburgenſi perpetratum eſt, in cuſtodia & morte venerabilis Domini præceſſoris noſtri, ob fortuitam ſublationem Archiepiſcopi Burchardi Magdeburgenſis, cui Deus propitius ſit. Inde renunciamus omni iuris conventioni, quæ nobis in hoc contra illos competeret; & plane ab ea culpa eos abſolvimus. Præterea debemus & volumus nos noſtram & noſtrorum omnium facultatem, etiam amicorum auxilium & conſilium in hoc conferre, cũ aſſidua diligentia, abſque omni variis argutiis & effugiis, tam ſcribendo, quam precando, tum tabellariorum miſſionẽ per proprios noſtros ſumptus mittendo in aulam Romanam, ut propter ſupradictum factum à ſancto noſtro patre Papa in gratiam recipiantur, & penitus reconcilientur. Tum quoque debemus nos illis relinquere iura ſua, privilegia, & conſuetudines, quas ex antiquo more poſſident & obtinent in hunc uſque diem; Et debemus illis ſervare ſtipulationes, & litteras obligationeſve, quas à præceſſoribus noſtris & à capitulo noſtro Magdeburgenſi habent. Debemus quoque eos defendere & tueri, & auxilio omni illis ſuccurrere, contra principes, contra Dominos, & contra quoſvis violatores, pro iure eorum; ubicunque hoc neceſſitas requirat; velut Dominus ſuos dilectos viros, & ſuos devotos defendere, & iis opem præſtare tenetur, iuxta iuris vigorem. In huius rei manifeſtum & apertum teſtimonium, & eorum omnium quæ ſupra ſcripta ſunt, illis has præſentes litteras dedimus, atque appenſo noſtro ſigillo corroboravimus, & ſigillari curavimus. Actum Magdeburgi, anno poſt nativitatem Domini milleſimo trecenteſimo & vigeſimoſeptimo, die Sancti Ægidii divi Abbatis.

[Quomodo vero Archiepiſcopi Burchardi illius attentata, contra civitatis privilegia & Imperatoris regalia, quæ eundem in civitatis huius jure concernunt, ſuſcepta, ipſe Imperator Ludovicus Quintus vindicarit, & acriter taxarit, defunctum Archiepiſ. depopulatorem, & nomine Archiepiſcopi indignũ vocando; id alibi Ludovici litteris demonſtratur & docetur; ubi plenius de caſſatione banni talis agitur. Interim *Actum homagiale*, qui primus fuit, quum antehac præcedentibus triginta Archiepiſcopis nullatenus obligata fuerit civitas, *ſic ſe habet, ut ex ſequenti apparet documento.*]

NOs Conradus, Dei gratia Præſuppoſitus monaſterii ſanctæ Mariæ Virginis Magdeburgenſis, ordinis Præmonſtratenſis, & frater Iordanus, Lector Erfurdenſis, ordinis fratrum Eremitarum ſancti Auguſtini, Commiſſarii ad infra ſcripta authoritate Apoſtolica deputati, recognoſcimus, & præſentibus proteſtamur, honorum viros Conſules, & communitatem civitatis Magdeburgenſis, venerabili Patri ac Domino, Domino Ottoni, ſanctę Magdeburgenſis Eccleſiæ Archiepiſcopo, iuramentum fidelitatis & homagii in noſtra præſentia præſtitiſſe, iuxta mandatum Apoſtolicum, in hunc modum: Quod congregati parochiani ſinguli, per ſingulas eiuſdem civitatis parochias, Domino Archiepiſcopo prædicto præſentialiter conſtituto, interrogati à nobis, ſi vellent litteras & mandata Apoſtolica obſervare, ſub his verbis vulgaribus: Syht jhr herkomen/jhr Herrn von dem Rahte/vnnd di Gemeyne der alten Stadt Magdeburg/ daß jhr halten wollet des Pawſtes Briefe/vnd ſein Geboht? (id eſt: *Num huc veniſtis, vos domini ex Senatu, & vos cives veteris civitatis Magdeburgenſis, quod velitis ſervare Papæ litteras & præcepta?*) & reſpõdentes, quaſi unius vocis clamore, Quod ſic: iuſſu noſtro elevãtes ſinguli manus ſuas, fecerunt juramẽtum verbis vulgaribus, ſub forma conſenſu partium concepta, & utrumlibet voluntarie accepta; quæ dignoſcitur eſſe talis: Wy Rahtmanne vnd wy gemeine Lüthe/alle der alten Stadt zue Magdeburgk/ſchweren vnſerm Hern Ertzbiſcofen Otten/ de hier gegenwertig iſt/truwe vnd holt tho weſende/als wy van rechte ſullen: dat vns Gott helpe vnd ſeine Heiligen: (id eſt: *Nos Senatores populuſque veteris civitatis Magdeburgenſis, juramus ad fidelitatem & affectionem gratam noſtro Domino Archiepiſcopo, qui præſenter hic adeſt, præſtandã, veluti iuris eſt & nobis competit; prout nos Deus juvet & ſancti ejus.*) Et hoc idem vice verſa idem Dominus eiſdem civibus favorabiliter repromiſit. In cuius rei teſtimonium ſigilla noſtra præſentibus ſunt appenſa. *Acta ſunt hæc anno Domini milleſimo trecenteſimo tricesimotertio, Sabbatho ante Dominicam Iubilate.*

Notabilis certe iſte eſt actus, quamvis non verbis ſplendidis & pompoſis ſit deſcriptus: tamen, qui perſonas, qui res, & verba tractatus recte, iuxta vigorem & pondera examinare voluerit, multa inde colligere & diſpicere poterit. Nam in ſingulis circumſtantiis ea latent, quæ ſingulari quidem indigerent explicatione; ſed noſtrarum partium jam non eſt, quælibet ad acumen revocare judicii. Res ita demum tranſacta quidem fuit, verum cotidie novis diſputationibus & difficultatibus inde exortis anſam præbuit, ut pactum hoc homagiale pactorum quamplurimorum poſtea genitrix & mater extiterit; velut id quoque anno 1613. die 27. Novembris, Syndicus Magdeburg. Thomas Francius coram Electoris Brandeburgici & Principum Anhaldinorum Legatis, quos tum utraque pars controvertens tanquam arbitros ad componendum novam homagii diſcordiam advocarant, in Monaſterio Bergenſi prope Magdeburgum ſito, ingenue confeſſus eſt; ubi poſt longam huius litis deductionem uſus eſt his verbis: Quod confiterentur, inprimis tres fuiſſe Archiepiſcopos, qui civitati Magdeburgenſi ingens damnum quoad jura regalia & temporalia crearint; Burchardum, Guntherum, & Erneſtum: Et hos quidem uſque adeo nimia dominandi cupiditate urbem ſupprimere laboraſſe, ut etiam per Pontificis Romani bannum & excommunicationem in non exiguam præcipitarint calamitatem: unde civitas coacta fuerit tria hæc ſumma in ſe recipere onera; nimirum, ut Reverſales mutuæ exhiberentur, juramentum emendæ præſtaretur, & pacta accumularentur; quum tamen antea civitas plane liberrima fuerit. Credere ſe tamen, affirmavit ibidem, quod Pontifex nullus Imperatoris conceſſa privilegia & regalia infringere poſſit; quum præiudicium ipſi Imperatori & eius Maieſtaticis juribus id importaret, taliaque pacta & reverſales vi & metu extortæ nullum per naturam rei ſortiri poſſent verum & ſolidum effectum. Verum quũ in hac deciſione illius Syndici terminetur quæſtio ſuperius allata, etiam in ea nunc acquieſcendum nobis erit, interea pertecturus ad reliqua, quæ in diſſolutione fœderum ſunt cognoſcenda.

NOTA.

Quum ab amico hæc ſequentia Diplomata, ſuperioribus adhærentia, mitterentur eo ipſo tempore dum imprimebatur libellus iſte, æquum fuit, ut petitioni amici non tantum ſatisfieret; ſed etiam hiſtoricæ continuationi hæc neceſſaria illuſtratio ſubnecteretur.

Diploma privilegiorum ab Imper. Ottone IV. anno 1208. *Magdeburgenſibus conceſſorum.*

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Otto quartus divina favente clementia Romanorum Rex & ſemper Auguſtus. Iuſtum & honeſtum eſt, ut bene meriti ſuorum meritorum digna beneficiorum præmia congruo ordine conſequantur. Unde eſt, quod nos attẽdentes præclara devotionis obſequia, quæ dilectus Princeps noſter Albertus, Magdeburgenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus, ab exordio noſtræ promotionis ferventer nobis exhibuit, & Domino concedente, in poſterum nobis eſt exhibiturus, non immerito ad omnia ea exequenda, pari animi noſtri movemur intentione, quæ vel honorem pẽrſonæ ſuæ reſpiciunt, vel ad commodum, vel utilitatem Eccleſiæ principalis & demum ſuffraganearum Eccleſiarum ſuarum conducunt. Cum igitur ex antiqua & antiquata conſuetudine, omnium Epiſcoporum decedentium, qui de juriſdictione ſunt Imperii, in quibuſcunque reditibus, fiſco cedere debeant Imperiali, ob ſynceram dilectionem memorati Archiepiſcopi, eiuſq; perſonæ reverentiam, ſucceſſoribus, dummodo à præſenti toga carnis ipſo exeunte, & omnium ſuffraganeorum ſucceſſoribus, in perpetuum concedimus, ut omnes proventus Epiſcopales, qui, defunctis Epiſcopis, Imperio cedere conſueverunt, deinceps ad uſus ipſorum colligantur, & collecti reſerventur, ſtatuentes, ut ſi decedentes Epiſcopi aliquibus debitis fuerint innodati, ea exinde perſolvantur. Per hoc tamen ſpeciale gratiæ noſtræ donũ, Magdeburgenſem Eccleſiam, omneſque eius ſuffraganeas Eccleſias, cum omnibus eorum familiis, occaſione memorati Archiepiſcopi, volentes eſſe ſpecialius honoratas.

Porro cum Romani Imperatores noſtri, in omnibus civitatibus & oppidis Eccleſiarum Imperii, durantibus curiis Imperialibus in illis, accipere conſueverunt theloneum & monetam, & in ſuos uſus convertere. Nos propter ſynceram dilectionem, quam ad memoratum gerimus Archiepiſcopum, eandem conſuetudinem, eiuſque debitum prorſus abolere decrevimus, & tam Magdeburgenſi civitati, quam univerſis oppidis ad ipſam Eccleſiam pertinentibus, illius onus obſequii liberaliter in perpetuum relaxamus.

[*Heic notandum, ait Dauth. Magdeburgum fuiſſe civitatem Imperialem immediatam, &, ad interceſſionem Archiepiſcopi, vacatione ac immunitate ab oneribus realibus Imperio debitis ab Ottone Imperatore donatam. Sub nomine autem oppidorum intelliguntur Hala Saxon. Burgum, &c. quã veteri verbo ſuburbicaria dicta, Metropolim reſpicientia in Iuris ac Iuſtitiæ impertitione, &c.*]

In terris quoque, ubi ex antiquo Magdeburgenſis numiſmatis percuſſio currere conſueverat, ſtatuimus nec theloneum, nec Monetam, aut per nos, aut unquam per alium, niſi de voluntate & conſenſu ipſius Archiepiſcopi, vel ſucceſſorum ſuorum ponendam. Cæterum ut tam memoratus Epiſcopus, quam familiæ ſuæ dilectæ nobis univerſitas, plenitudinem gratiæ noſtræ operum recognoſcat, nos neque per nos, neque per homines noſtros, faciemus, vel fieri mandabimus, in civitate Magdeburgenſi, vel in oppidis, vel in aliquibus bonis Archiepiſcopi Eccleſiæ, aliquam exactionem: nec ſumemus hoſpitium, quæ vulgariter **Herbergerie** nuncupatur, contra voluntatem Archiepiſcopi, vel alicuius ſui ſucceſſoris, per hanc etiam ſpecialem gratiam noſtram, Eccleſiam Magdeburgenſem volentes eſſe ſpecialiter honoratam. Ut autem hoc noſtræ liberalitatis donum ſæpe fatæ Magdeburgenſi Eccleſiæ & ſuffraganeis eius omni ævo tutum & inconvulſum permaneat, præſentem exinde paginam conſcribi iuſſimus, & Maieſtatis noſtræ ſigillo communiri: ſtatuentes & Edicto Regio firmiter præcipientes, ut nullæ de cætero perſonæ altæ vel humili eccleſiaſticæ ſive ſeculari, hanc noſtræ Donationis divalem paginam licitum ſit infringere, vel aliquo ei temeritatis auſu obviare. Quod ſi quis facere præſumpſerit, in vindictam tranſgreſſionis auri puriſſimi libras centum componat, quarum medietas Cameræ noſtræ, reliquum paſſis iniuriam perſolvatur. (Heic iterum Dauth. notat, inquiens: Ergo læſæ civitati, non autem Archiepiſcopo ſolvendum manet.) Huius rei teſtes ſunt: Hartbertus Hildesheimenſis Epiſcopus. Tidericus Mersburgenſis Epiſcopus. Henricus Palatinus Comes Rheni. Bernhardus Dux Saxoniæ. Hermannus Lantgravius Thuringiæ. Tidericus Marchio Miſnenſis. Conradus Marchio de Landſperg. Albertus Marchio Brandeburgenſis. Comes Fridericus de Brena. Geverhardus Burggravius Magdeburgenſis. Comes Adolphus de Scouwenburg. Comes Burchardus de Mansfelt. Comes Algerus de Hohinſteyn. Albertus & Geverhardus fratres de Arnſteyn. Cono de Muntzenborgh. Baſilius de Oſterode. Gunzillinus Dapifer. Tidericus Rabil, & alii quam plures.

Signum Dom. Regis



Ottonis Quarti Roman. Invictiſſimi.

Ego Conradus Spirenſis Epiſcopus, Regalis aulæ Cancellarius, vice Dni Sifridi Mogvntinenſis Archiepiſcopi, totius Germaniæ Archicancellarii, recognovi. Acta hæc ſunt anno Dominicæ Incarnationis M C VIII. Indict. XII. regnante Domino Ottone IV. Romanorum Rege glorioſo, anno Regni eius duodecimo. Datum apud Braunſwig, per manus Wolteri Regalis aulæ Protonotarij, XIII. Kalend. Iun.

Diploma

Diploma aliud de ann. 1216. Friderici II. Imperatoris.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Fridericus Dei gratia Romanorum Rex & ſemper Auguſtus,& Rex Siciliæ. Illud privilegium, quod Rex regum & Dominus Dominantium in memoriam Eccleſiaſticæ libertati precioſiſſimo ſanguine ſuo ſcripſit, ita Regio decet cuſtodire favore, ut nunquam in eo quicquam appareat, quod illius gratiæ videatur obtenebrare decorem, quæ à tanto procedit Auctore. Ut ergo poſt terreni regni faſtigia ſecurius expectare poſſimus ab ipſo æternæ felicitatis coronã, cum noſtræ devotionis miniſterio permanſerit in ſuæ integritatis gloria Sponſa Chriſti, grata ſui ſtatus debet à nobis percipere potius incrementa, quam ipſius quaſi ſub quadam ſpecie ſervitutis pro poſſe ſinamus indumenta diſcerpi. Ideoque veterem illam conſuetudinem deteſtantes, quam anteceſſores noſtri Romanorum Imperatores & Reges in Cathedrales exercuerunt Eccleſias & Abbatias, quæ manu regia porriguntur, quod videlicet decedentibus Epiſcopis & Prælatis earum, non tantum reliquias rerum mobilium earundem conſueverunt occupare, & convertere in uſus proprios occupatas, quam etiam reditus & proventus per totius anni circulum ita prorſus auferre, ut non ſolvi poſſint debita decedentis, nec ſuccedenti prælato neceſſaria miniſtrari. Eidem conſuetudini ſive iuri, vel quocunque vocabulo exprimatur, renunciamus penitus, ob reverentiam Crucifixi, cuius in noſtro corpore laudamus Inſignia, illud iiſdem Eccleſiis perpetuo jure donantes, & auctoritate Regia ſtatuentes, ut Eccleſiarum omnium libertate integra ſemper in omnibus permanente, res & reditus huiuſmodi in ſolvenda debita decedentium Prælatorum, & in alios Eccleſiarum uſus vertantur. Obſecramus igitur eaſdem Eccleſias, & in virtute Altiſſimi conteſtamur, quatenus ob hãc munificentiæ noſtræ gratiam apud Altiſſimum ſupplicare dignentur in poſterum piis orationibus, & poſt terminum vitæ noſtræ, diva in perpetuæ commendationis memoria retinere. Cum autem Magdeburgenſis Eccleſia, quæ nonnullas pro exaltatione noſtra paſſa eſt ſollicitudines & labores, in ſubſcriptis articulis, à quibuſdam anteceſſoribus noſtris in privilegio meruit honorari, nos præfatæ libertatis ipſius nolentes reſtringere terminos, ſed potius ampliare, ad preces dilecti principis noſtri eiuſdem Eccleſiæ Archiepiſcopi Adelberti, qui principalis & præcipuus noſtræ ſublimationis auctor extitit & promotor, eadem auctoritate ſtatuimus innovantes, ut cum in civitate Magdeburgenſis Eccleſiæ, vel oppidis pertinentibus ad eandem, à nobis vel ſucceſſoribus noſtris, curias Regales celebrari contigerit univerſis, quæ in aliis civitatibus atque locis in moneta, theloneis, & cæteris utilitatibus quibuſcunque, Imperiali jure provenerint ab eiſdem, in præfati Archiepiſcopi & ſucceſſorum eius bonis & fructibus libera ſemper exiſtant prædictæ Eccleſiæ profutura. (*a.*) In omnes etiam homines civitatis oppidorum, ſeu villarũ ipſius, Regales talliæ petitiones, aut exactiones nulla unquam occaſione, præter Archiepiſcopi & ſucceſſorum eius exerceant aſſenſum: nec quiſquã præter ipſum Archiepiſcopum & dictos ſucceſſores eius, aliquid iuris habeant in eoſdem. (*b*) Et ubicunque percuſſio Magdeburgenſis numiſmatis hactenus currere conſuevit, nullus unquam præſumat cudere de novo monetã, ſed præfati curſus numiſmatis large per prædictos terminos in ſuo robore perſeveret. Adhæc eidem Eccleſiæ noſtra liberalitate donamus, ut ſi alicubi in bonis eius in quavis ſpecie contigerit reperiri metallum, in uſus ipſius Eccleſiæ perpetuo deputetur, adiicientes ut quælibet iura, quæ ſæpe dictæ Eccleſiæ à noſtris anteceſſoribus ſunt conceſſa, libera ipſis ſemper maneant & quieta. Ut autem hæc omnia, ſicut à bonæ voluntatis noſtræ liberalitate procedunt, perpetuis temporibus maneant inconvulſa, præſens inde privilegium conſcribi præcepimus, noſtræ imaginis impreſſione muniri ſtatuentes, ut quiſquis contra hæc præſumpſerit aliquid attentare, centum libras auri pro pœna componat, quarũ medietas fiſco cedat, & pars altera illis, quibus iniuria fuit irrogata. (*c.*) Teſtes huius rei ſunt: Otto Friſingenſis Epiſcopus. Otto Herbipolenſis Epiſcopus. Sifridus Auguſtenſis Epiſcopus. Siboto Havelbergenſis Epiſcopus. Engelhardus Colonienſis Electus. Ulricus Patavienſis Electus. Henricus Abbas Hersfeldenſis. Cono Abbas Elwacenſis. Hermannus Fuldenſis Electus. Ludovicus Comes Palatinus Rheni & Dux Bavariæ. Leopoldus Dux Auſtriæ. Otto Dux Meraniæ. Hermannus Marchio de Baden. Fridericus frater eius. Anshelmus Marſchalcus, Wernerus Dapifer, Walterus Pincerna, Regales aulæ. Et alii quamplures.

Et ego Conradus Metenſis Epiſcopus, Imperialis aulæ Cancellarius, vice Domini Sifridi Moguntinẽſis Archiepiſcopi, totius Germaniæ Archicancellarii, recognovi. Acta ſunt hæc anno incarnationis Dominicæ M.CC.XVI. Indict. IV. Regnante Domino Friderico Secundo Romanorum Rege glorioſiſſimo & Rege Siciliæ. Datum Herbipolis per manum Bertoldi Regalis Aulæ Protonotarii, V. Idus Maij, anno Regni Domini Regis quarto.

(*a.*) *Ad diploma hoc Imp. D. Dauthius ſen. olim hæc notavit, rem ita explicãdo; dum iura civitatis defendit: ad litt. a. Eadem iura Epiſcopi Argentinenſis, Spirenſis, Vormatienſis, &c. in ſuis civitatibus Cathedralibus impetraverũt, non imminuto earundem civitatum libertatis ſtatu, nec dominio civitatum in ipſos Epiſcopos translato, utcunque ipſi hoc ſemper pretenderunt. Imo nec fieri potuit in præjudicium earum, quum prius audiri debuiſſent; velut etiam hodie iſte ſtilus in aula Imperatoria obſervatur, ut quoties extenſio privilegiorum petitur, id fiat cum conſenſu intereſſentium, quibus copiæ petitionum mittuntur, ut ratione intereſſe audiantur prius; alias per ſe nullũ eſt, &c. Tum pacta ſtricti iuris non ad alios extendi poſſunt, quum ſint res inter alios acta.*

(*b.*) *Ergo, ait Dauthius, civitas Magdeburg. olim immediate Imperio contribuebat, à quo onere immunitatem impetravit, intercedente Archiepiſcopo, ut nec Imperio, nec Archiepiſcopo contribuere teneatur, niſi ultro velit. Nam talliæ petitiones (Bede) & exactiones imperio debitæ hic remittuntur ipſimet civitati, nec Archiepiſcopo donantur, cuius in cives tribuitur honorarium, nõ proprietarium aut dominicum: hoc eſt, ut Imperator civitatem Magdeburgum, Hallam, &c. collectare pro arbitrio non poſſit per Duces, Comites, Advocatos ſuos, ſed per ſolum Archiepiſcopum. Quod privilegia aliarum civitatum Epiſcopalium, quæ haud dubie Imperiales ſunt, in promptu eſt demonſtrare. Collecta enim non Archiepiſcopo, ſed Imperio ſolvitur & præſtatur, vel Archiepiſcopo ut Imperatoris Commiſſario, ceu per tale privilegium nil magis, quam Commiſſionis perpetuitas acquiritur,*

quiritur, ut iura Imperatori maneant integra in civitates ſuas. An alia ſit hodiernum & Imperij facies?

(c) *Pœna civitati læſæ ſolvenda, non Archiepiſcopo. Unde conſtat, hoc privilegium commodo civitatis Magdeburgenſis fuiſſe conceſſum & quidem ad preces & interventionem Archiepiſcopi. Tanta fuit olim concordia rerum, &c. Hactenus Dantbus.*

Sequitur nunc Civitatis Magdeburg. abſolutio à banno propter occiſum Archiepiſc. Burchardum, Imperatoris Ludovici Bavari, velut ſupra deciſionis cauſſa in quæſtione illa mentio eius eſt facta, cuius interpretatio ita ſe habet.

NOs Ludovicus Dei gratia Imperator Romanus, ſemper Auguſtus, annunciamus reverendis Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, & reliquis Eccleſiæ Prælatis & præfectis cuiuſcunque dignitatis & ordinis ſint, velut etiam generoſis Principibus, Ducibus, Comitibus, præfectis, civitatibus, oppidis & communitatibus, etiam omnibus perſonis ſpiritualibus & mundanis, noſtris & Romani Imperii ſubditis, noſtram gratiam & omne bonum. Dignitas & celſitudo ſacri Romani Imperii, quæ originem ex fonte pietatis ſuam trahit, merito erga omnes & ſingulos Imperii ſubditos & fideles, peculiarem benignitatem & clementem voluntatem gerit, ut quiſq; in ſuo ſtatu & gradu, & præſertim illi, qui innocentiæ & obedientiæ ſe dedunt, recte defendatur & cõſervetur. Quando itaque putamus, quod aliquot cives & incolæ in Magdeburgo, noſtri & ſacri Imperii Romani fideles amici, dum illi gravia admodum & importabilia onera, quæ ipſis Epiſcopus eorum, modo nomine eo ſit dignus, cum tamen non tanquam noſter & Imperii fidelis, ſed multo magis minus alius, quam violator & ſpoliator ſit vocandus, ex malitia impoſuit, perferre non potuerunt: ſed propter ipſius multiplices, iniuſtas, & violentas actiones tandem commoti fuerint, ut eo tenderent, quomodo ex concepto zelo erga iuſtitiam illum ex mundo & è vita tollerent, & divinum illud dictum, quod malefactor non ſit in vita tolerandus, ante oculos obſervarent. Unde quoque factum eſt, quod dicti cives contra voluntatem, ex ipſius Burchardi fraudulentis & peſſimis impoſitionibus convicti & coacti ſint illum è medio tollere, & ad meritum ſupplicium tot delictorum pertrahere. Nos autem poſt multas & varias deliberationes huius cauſſæ & eventus eius tandem hoc comperti ſumus, quod Magdeburgenſes & quiſque inter eos ob prænominatum factum pro innocenti & impunibili ſit habendus.

Quapropter noſtra voluntas & ſententia eſt, quod omne illud, quodcunque dicti cives, aut quiſquam ex illis contra nominatum Burchardum, ex neceſſitatis & iuris iuſſu, ſuſcepit & perpetravit, ipſis & eorum hæredibus ac poſteris in pœnam nullam, ſed potius pro beneficio communi, ſit imputandum: Veluti etiam nos propter ſufficientem cognitionem & conſtantem ſcientiam huius cauſſæ ex plenitudine poteſtatis Cæſareæ illos Magdeburgenſes ab omni & ſingulo, quodcunque in toties dictum Burchardum, & omnes ac ſingulos eius conſortii, verbis aut factis perpetrarunt, his noſtris apertis litteris, tanquam ſententia judicialiter prolata manifeſte & coram ſingulis abſolvimus & liberos pronunciamus.

Statuimus & figimus legem his in perpetuũ, quod nemo in poſterum ad ullam accuſationem aut actionem huius cauſſæ gratia coram ullo ludice Eccleſiaſtico aut ſeculari contra Magdeburgenſes vel eorum hæredes & poſteros admitti debeat. Veluti quoque illi propterea neque in aut extra judicium vel criminaliter aut civiliter, neque modo, neque in futurum unquam conveniri, traduci, aut denunciari & culpari poterunt aut debent.

Atque ſi etiam ob prædictum illorum ſuſceptum & perpetratum factum à quopiam quid inceptum aut intentatum eſſet, illud omne hoc noſtro edicto annullamus & penitus caſſamus, atque Magdeburgenſes & omnes eorum poſteros, in omnibus, quæcunque hoc facto perpetrarunt, innoxios pronunciamus. Atque ſi propterea à quoquam ex honoris ordine, officio ac ſtatu lapſum commiſiſſe ii & horum privatione digni eſſe cenſeri poſſent, contra hanc opinionem omnino eos reſtituimus & reponimus undequaque in integrum ſufficientiſſime. Mandamus inde, ſancimus & ſententionando pronunciamus, quod, ſi quiſpiam per ſe aut per alium quendam, ſit quicunque velit, huic noſtræ Cæſareæ Abſolutioni, liberationi aut reſtitutioni, per quamcunque viam aut modum id fieri poterit, oppoſuerit aut contradixerit, quod ille & illi omnes cum dictis privilegiis, honoribus & dignitatibus plane exuti, & ad nullas honeſtas & iuſtas negotiationes ac communitates, aut ſingularia officia nequaquam idonei eſſe & cenſeri debeant. Eodem modo neque ullum ſcriptum iuſtam Canonicum, quam civile huic noſtro Edicto in contrarium opponi, aut ulla interpretatione id adverſum in modum intelligi, multo minus L. Cornel. de Sicariis allegari vel introduci debet. Delinquens autem & tranigreſſor hatum noſtrarum legum mille libras auri puri (id eſt 726000. aureos) dimidiam partem noſtræ Imperiali Cameræ, dimidiam alteram illis, quibus iniuria illata eſt, abſque remiſſione perſolvet. In huius rei fidem & teſtimonium talia in publicas litteras referri, & eaſdem noſtro ſigillo Cæſareo muniri curavimus. Datum à nativitate Chriſti Salvatoris noſtri 1329. Regnorum noſtrorum 15, & Imperii Cæſarei ſecundo anno.

CAP. XXII.

De reliquis fœderum diſſolutionibus.

DE fœderum violatione varia dictum eſt hactenus; Reſtat nunc, ut pauca ſubnectamus in fine huius diſquiſitionis de mutatione fœderum, expiratione temporis, & defectu contributionis; qui ſunt legitimi modi aut corrigendi aut diſſolvendi fœdera. Cavendum omnino eſt, ne temere ſeceſſionem ab invicem faciant, qui fœdere legitimo coniuncti vivunt. Nam, qui ſic facile reſiliunt à pactis conventis, aut ſe fruſtra diſſipari patiuntur, dubitari amplius non debet, quin paulatim omnes cladem aliquam ſint accepturi. *Comina. libr. 2. de reb. geſt. Lud. II. Reg. Gall. fol. 360.* Velut etiam omnium maxima ingruit iis calamitas, ſi is potentior aut ſuperior ſit & auctoritate & potentia, qui incumbat ſociis. Quare ſi con-

controverſiæ vel contentiones inter fœderatos incidunt, inter ſeſe ordinent, qui diſcordiam examinent & componant; *ut ſupra poſita monita docent.* Quod ſi vero uſus rerum, aut novæ quædam temporis & negociorum circumſtantiæ, aliquid moneant corrigendum; omnes prius unanimiter in hoc conſentiant, aut non alias facile aliquid mutent. Etenim inconſtantiam quandam & mutabilitatem animorum hæc res arguit, quæ minus decet viros cordatos & integritati deditos. Sed interdum neceſſitas quædam intervenit, quæ depauperatis legem impoſſibilitatis imponit. Sic enim deficiente pecunia diſſolvitur inculpabiliter confœderatio, quum dolus abſit. Quâ primum enim collatio annua vel menſtrua in corroborando theſauro confœderatorum ceſſat, (Daß die Kaſſe nicht kan erklecklich geſtercket werden/) ceſſat etiam fœdus, vel minuitur, & in nihilum tandem redigitur. Velut etiam lucri inæqualitas fœderum ſanctionem reddit difficiliorem, unde eorundem facile impeditur continuatio. Quomodo vero id fiat, diſcatur ex *Renat. de Lufinga, lib. 3. de inc. rem. conſervat. & occaſ. Imperior. c. 7. & ſeqq.* Sed omnium rectiſſime & juſtiſſime fit diſſolutio, ſi tempus præſcriptum elapſum ſit, & finem exordii claudat. Etenim præfixum & præſtitutum tempus legem eam fini imponit, ex qua primitus determinationē accepit. Quod ſi igitur ad metam eam perventum ſit ſine difficultate; liberum erit conſultare, num quid ſit prorogandum, vel minus. Alias veriſſimum eſt, quod in eos, qui per rationem juſtam à fœdere compacto diſcedunt, nihil temere ſtatuendum ſit. *arg. l. 14. 15. & 16. ff. pro ſoc.* Videat igitur quiſque, ut fœderis eam teſſeram amicitiæ reponat, quæ nihil diſcordiæ aut offenſi animi oſtendat, licet res ipſa expirarit; ne illud accidat, quod vulgus iactare ſolet, Adamantem in eas malleo redigi minutias, quæ omnem oculorum aciem excedant.

Iehova faxit, ut fides ſit ubique in amore conſtãs, ne mortalitas hæc temere per ſui iacturam diſſolvatur, & in æternas tenebras ſe præcipitet. Amor Chriſti ſit verus noſtri amor; ſic neque ab invicem, nec ab ipſo ſeparabimur Chriſto. Gratia Spiritus, in potenti pietatis veræ amore, nos perducat per & cum Chriſto ad Iehovam Patrem. Amen.

EPILOGUS,

Neceſſariæ informationi inſerviens.

HActenus in genere ea explicata ſunt, quæ fundamenta huius intentionis propoſitæ accurato lectori ſatis declarare poſſint, ſi ex fœdere Hanſeatico perplexa cuipiam forte quæſtio obiiciatur, ceu eſſe memini, qui talia parum propitiis oculis pelluſtrent. Verum ſi rem optimam penitius introſpicere & ſecum exactius examinare diſcant; facile ab affectuum ſuorum importunitate, quæ nunquam commodum admittit hominis corrupti judicium, ſe liberare quis poterit. Fœderis Hanſeatici nobilis ſocietas & communio talium rerumpublicarum, quæ per tot membra in uno corpore repræſentantur, ſuis certe fundamentis non immerito innititur; atque quam laudabilis ſit eius conſolidatio in tot partibus, id duratio ſatis detegit. An non enim admiratione perdignum ſit, quod ultra quatuor ſecula ex tam variis concuſſionibus ita emerſerit, ut adhuc in ſuo ſe Reſpublicæ omnes laborent integre conſervare vigore? Actum hucuſque eſt de ſocietate, de libertate, ſervitute, de Privilegiis: (quorum auxilio ſervitus ſat inimice libertati ſuperinducta paululum rurſus diſcutitur;) de vera forma Reipublicæ, de diſcrimine aliarum; de locis, quibus contineantur, de fœderibus, & eorum complementis atque perfectione. Nam talia omnia rite conſtare debent, ſi quis per veram corporis naturam imbui velit atque dignoſcier; præſertim quum in opinionibus quam plurimis ipſi ſæpiſſime ſe heic confundant, ita ut ab erroribus plerumque difficulter revocentur; id quod toties in præcedentibus monitis fuit inculcatum. An non inde corruptum progeneretur apud mortales iudicium? Imo fit, ut res optimæ tali cenſura in peſſimum haud raro abripiantur aut præcipitentur Arbitrium. Quapropter, quum conſtet modo quod ſocietas ſit, & quid ſit, ac quibus modis libere conſociari, ac quo iuris medio, & uti confluere in fœdus iuſtum ac legitimum poſſit: iam quoque annectendum foret, à quibus, & cui rei induci debeat, præſertim quum ampliſſima commercii materia ſe nobis heic exerat: Verum, quam temporis ratio & fœderis Hanſeatici delineatio ipſa nunc exigat hoc, ut ea, quæ generaliter hucuſque introducta ſunt, ad ſpecificam determinationis applicationem retrahantur; precium erit, ut maturitati & ſcopo huic nihil amplius obiiciatur moræ. Sic ipſæ perſonæ & ipſius materiæ ſedes omnis luculentius explicabuntur Etenim fœdus illud inclutum Hanſæ, nullam materiam ſubiecti fundamentalem agnoſcit, quam commercium, & eius liberum in naturali quovis & gentium iure uſum. Quid potentius, quid efficacius, quid iuſtius conveniantiuſque tam nobili intentioni poteſt exprimi? Res per ſe digniſſima eſt, quæ nunc in Scenam ulteriorem prodibit. Nec ſane ſimplici tractatione uniformiter aut paucis id explicari poterit. Commercium enim teſtalis eſt, quæ ex pluribus, & quidem ſatis intricatis conſtat membris aut partibus. Si neſcis, concurrunt heic in hoc mercimonii ampliſſimo foro, *Commercium, mercatura, ſtatus mercatorum, perſonæ, qui mercaturam exercere queant, emporium, ius ſtapulæ, vectigal, maris uſus, navigatio, & exportandi licentia, & contractus mercatorum varii, &c.*

Sed nec minus eorum oppoſita, ut ſunt Monopolia, nimium lucrum, & uſuræ fallimenta, cambium inæquale, & inhoneſtum ſtudium proprii commodi, quod peſſime, quum nullum ſit unquam abſque Idololatria horrenda, omnes omnium hominũ actiones & negotia perdit & diſrumpit, velut & dolus, ſuppoſitiones, corruptiones materiarum, atque ſimilia eiuſmodi ſunt examinanda. De his omnibus, quum pauci ſint, qui tam ſumme neceſſariam, cunctiſq; mortalibus cotidie uſitatiſſimam materiã plene pertractarint, nunc quidem eſſet aliquid pro veriori & attentiori rei intellectu dicendum; ſed quum res in nimis longum ſpatioſumque heic ſe diffundat campum, & non pauca in ipſa hiſtoria atque conſtitutione fœderis Hanſeatici annotanda ſint; vela heic nobis contrahenda video. Proinde paucula quædam

quædam infirmationis & notationis loco ex Iohan. Nideri tractatu *de contract. mercat. cap.* 5. & 4. de origine omnium translationum in rebus temporalibus, & ſpeciebus contractuum, quando ſint iuſti aut iniuſti, & nonnulla ex Benvenuto Stracha, de ipſis Mercatoribus conciſiſſime ſubnectemus, quum maxime ita ad rem faciant, ut facile inde reliqua diiudicari queant. Ultimo nunc igitur (inquit Nideus *d.l.*) videndum eſt breviter unde originaliter proveniat quod rerum dominia ſunt diſtincta, ſic quod hoc dicatur meum & illud tuum, quia illud eſt fundamentum omnis iniuſtitiæ in contrectando rem alienam, & poſt omnis iniuſtitiæ reddendo eam. De quo ſecundum Thomam *prima* 2. *q.* 64. *artic.* 5. & in ſolutione tertii argumenti. Et ſecundum Scotum, uti ſupra.

Prima concluſio eſt à lege naturæ, vel divina, Non ſunt rerum dominia pro ſtatu innocentiæ diſtincta: imo omnia erant tunc communia. Patet per *Auguſtinum ſuper Iohannem cap.* 2. de quo iure defendit villas Eccleſiæ: divino an humano? divinum ius in divinis ſcripturis habemus, humanum autem in legibus regum? Unde quilibet poſſidet nonne humana voluntate? Nam iure divino, Domini eſt terra & plenitudo eius. Iure humano dicitur, hæc domus mea, hæc villa mea eſt, hic ſervus meus. Tolle iura Imperatorum, quis audet dicere, hæc villa mea eſt? Ideo dicit 8. *cap.* 1. *iure naturæ* 12. *q.* ita dilectiſſimus. Ratio patet etiam ad hoc duplex: quia uſus rerum ſecundum rectam rationem ita debet competere hominibus, ſicut congruit ad pacificam converſationem, & neceſſariam ſuſtentationem. Pro autem ſtatu innocentiæ communis uſus ſine diſtinctione dominiorum: quia nullus tunc occupaſſet, quod fuiſſet tunc alteri neceſſarium, nec oporteret illud per violentiam ab ipſo extorqueri: ſed quilibet hoc, quando occurriſſet neceſſarium, occupaſſet ad uſum: ſic etiam magis fuiſſet ſufficientia ad ſuſtentationem, quam ſi præcluderetur alicui uſus alicuius per appropriationem illius factam alteri.

Secunda concluſio. Iſtud præceptum legis naturę in habendo omnia communia revocatum eſt poſt lapſum rationabiliter propter eadem duo.

Primo, quia communitas omnium rerum eſſet contra pacificam converſationem, cum malus & cupidus occuparet. Eſſet etiam contra neceſſariam ſuſtentationem: quia fortiores bellatores privarẽt alios neceſſariis. Unde ſecundo ut politi Politia Ariſtotelis, quæ præfatam concluſionem tenet, rationabilior eſſet politia Socratis, qui primam tenuit concluſionem.

Tertia concluſio. Revocato illo præcepto legis naturæ de habendo omnia communia: & per conſequens conceſſa licentia appropriandi & diſtinguendi communia, non fiebat actualis diſtinctio per legem naturæ, nec per divinam. Non per divinam, ut patuit per authoritatem Auguſtini, ſupra. Nec per legem naturæ, quia non apparet quid determinet ad oppoſita: ipſa autem humana induſtria determinavit non omnia eſſe communia. Ergo aliqua lege poſitiva fiebat prima diſtinctio dominiorum. Ut igitur illa diſtinctio ſit iuſta, oportet quoque lex poſitiva talis ſit iuſta.

Quarta concluſio. Lex poſitiva iuſta requirit in legislatore prudentiam & authoritatem. Prudentiã, ut ſecundum rectam rationem practicam dictet, quid ſit ſtatuendum pro communitate. Authoritatem, quia lex dicitur à ligando: non autem quæcunque prudentis ſententia ligat communitatem nec aliquem, ſi nulli præſideat: quomodo autem prudentia poterit haberi ad excogitandum leges iuſtas, ſatis patet. Quomodo autem auctoritas iuſta, quæ cum hoc requiritur, ad legem iuſtam ſequitur. Quinta concluſio. Quod principatus eſt duplex vel authoritas: ſcilicet paterna & politica. Politica eſt duplex. In una perſona ſcilicet, vel in communitate. Prima ſcilicet paterna, iuſta eſt, ſcilicet ex lege naturæ, qua omnes filii tenentur obedire parentibus: nec iſta per legem aliquam poſitivam, Moſaicam vel Evangelicam revocata eſt, ſed magis confirmatur. Illa etiam authoritas politica, quæ eſt ſuper extraneos, ſive illa reſideat in una perſona ſive in communitate, poteſt eſſe juſta & communi conſenſu & Electione ipſius communitatis. Et prima authoritas reſpicit conſenſum naturalem, quanquam non cohabitantes civiliter. Secunda reſpicit cohabitantes, qualitercunque nulla conſanguinitate vel propinquitate ſibi adiunctos: utpote ſi ad civitatem aliquam ædificandam vel inhabitandam concurrant aliqui extranei, videntes ſe non bene poſſe regi ſine aliqua authoritate, poterunt concorditer conſentire, vel ut uni perſonæ, vel communitati committere iſtam authoritatem. Et uni vel pro ſe & tota poſteritate eius. Et iſta authoritas politica utraque iuſta eſt: quia iuſte poteſt aliquis ſe ſubmittere perſonæ vel communitati in his, quæ non ſunt contra legem divinam: In quibus melius poteſt dirigi per illum, cui ſubmittitur, quam per ſeipſum. Ergo habemus complete quo modo poterit concedi lex poſitiva iuſta, quia ab habente prudentiam, vel in ſe vel in conſiliariis ſuis, & cum habente authoritatem iuſtam aliquo dictorum modorum in iſta concluſione.

Sexta concluſio ſequitur ex his, quod prima diſtinctio dominiorum poterat eſſe iuſta à lege poſitiva iuſta, ſive lata à patre, ſive Principe iuſte principante, ſive communitate iuſte regente. Et iſto modo probabile eſt factum fuiſſe. Nam vel Noe poſt diluvium diſtinxit filiis ſuis terras; quas ſinguli occuparent pro ſe & filiis ſuis & poſteris, & ipſi de communi concordia inter ſe diviſerunt, ſicut legitur de Abraham & Loth. Abraham dedit Electionem Loth, quam partem mallet eligere & ipſe reliquam vellet accipere. Vel lex aliqua promulgata eſt à patre, vel ab aliquo electo ab eis in Principem, vel à communitate cui ipſamet communitas commiſit iſtam authoritatem. Hæc, inquam lex erat, quod res tunc non occupata eſſet primo occupantis: & tunc diſperſerunt ſe ſuper faciem terræ. Et tunc unus occupavit primo unam plagam terræ & alius aliam.

Ad intelligendum autem quomodo per diſtinctionem rerum & diviſionem translatio rerum poſſit fieri in alium hominem, vel communitatem aliam: Notandum, quod translatio rerum poteſt fieri vel quantum ad dominium alterius: vel quantum ad uſum ſive ius utendi manente tamen dominio apud eundem. Et iuſtitia vel iniuſtitia in translatione uſus, deformes habet regulas iuſtæ translationis dominii. Hæc ergo translatio dominii poteſt fieri vel authoritate publica, ſive Principis vel legis authoritate privata ipſius dominii immediate poſſidentis. Prima

concluſio ſit de prima translatione. Translatio dominii authoritate legis iuſtæ eſt iuſta. Probatur, quia ſi lex iuſta potuit iuſte determinate prima dominia; & non minor eſt authoritas legis vel Principis, quod habeo hoc pro eodem poſt diminutionē dominiorum, quum ante: igitur poſt eandem cauſam, & eundem finem potuit iuſte transferre dominium, poſtquam fuerat alicui appropriatum. Et hoc dico quod præſcriptio in immobilibus, & uſucapio in mobilibus eſt iuſta translatio, ut patet *extra de præſcript. c. vigilanti in glo. ſuper illud aliena.*

De ſecunda vero translatione ſcilicet, quæ ſit authoritate privata ipſius dominii immediate poſſidētis, &c. idem auctor hæc habet *cap. 4. d. tract. num. 1.* Notandum quod in translatione rei temporalis, quę per privatam perſonam fieri poteſt, ſunt quinque modi, in quibus transfertur dominium rei, videlicet donatio mere libera, permutatio, emptio, venditio, mutuatio activa, id eſt, mutuo datio ſeu pecuniæ cōceſſio. Iſtis quinq; correſpondent quinque aliæ translationes ſeu differentiæ. Nam donationi correſpondet uſus liberalis accommodatio: permutationi reſpondet permutata vel mutuata accommodatio. Emptioni conductio, venditioni locatio. Mutui dationi, mutui acceptio. Mutuationi tamen activæ non correſpondet aliquid proprie in translatione uſus rei. Inprimis quinque translationibus transfertur dominium. In correſpondentibus vero mediis videlicet in mutuata accommodatione, conductione & in locatione non transfertur dominium, ſed uſus vel ius utendi, retento dominio: fit etiam aliquando translatio rei unius in alterum authoritate non privatæ perſonæ, ſed legis. Principis, vel communitatis authoritate, ut in præſcriptione & uſucapione. In donatione eſt actus mere liberalis. In aliis vero ſecundum quod liberalis. Actus mere liberalis eſt quando transferens non expectat aliquam redditionem debito iuſtitiæ. Actus ſecūdum quid liberaliseſt, quando pro eo quod transfertur, exſpectat aliud ſibi reddi. Ad hoc igitur ut omnia præmiſſa iuſte fiant. De donatione, ut ſit iuſta, exigitur, ut ſit liberalis translatio ex parte donantis, & voluntas recipiendi ex parte illius cui donatur; & libertas ex parte amborum, huius donandi, & illius recipiendi: & quod nulla lege ſuperiore prohibeatur iſte vel ille, nec per actum alterius, à quo dependeant in iſta translatione. Propter defectum primi non poteſt quis dare pecuniam fratri minori, quia ille non vult eſſe dominus. Propter defectum ſecundi, non poteſt monachus ſine licentia Abbatis, nec filius familias ſine voluntate parentis, nec etiam Clericus in aliquo caſu ſine voluntate, vel ſaltem contra voluntatem Papæ. Uſus liberalis accommodatio, quæ correſpondet donationi, habet ſimiles leges ut ſit iuſta, quia requirit in accommodante liberam voluntatē, & in recipiente quod velit recipere rem accommodatam ad uſum, & quod non ſit voluntas aliqua legis vel Principis obſiſtens illi accommodationi. Permutatio eſt contractus in qua dominia rerum transferuntur, ut rei utilis pro re utili immediate, ſicut vini pro blado & huiuſmodi. Et dicitur rerum permutatio, ut do, ut des. Talis ut ſit iuſta, exigit primo ut transferens ſit dominus rei, & ut aſſint omnia quæ dicta ſunt in iuſta donatione præter primum videlicet liberalem translationem. Nam in permutatione, emptione, & venditione ac in eis correſpondentibus non eſt mere liberalis translatio ſeu gratuita. Sed ibi transferens expectat aliquid æquivalens ei, quod transfertur: propter quod ibi proprie eſt contractus, quia ibi ſimul trahuntur voluntates partium. Trahitur enim iſte ad transferendum in illum à commodo, quod expectabat ab illo, expectat transferendum in ſe. Secundo exigit in permutatione ut dominus rei ſine fraude ſervet æqualitatem valoris in commutatis, ſecundum rectam rationem. Dicitur autem ſine fraude, ad excludendum fraudem in ſubſtantia, quantitate, qualitate, &c. De quibus habet ſupra materia prima. F. g. dicit, ſervet æqualitatem valoris in commutatis ſecundum rectam rationem attendentem, ſcilicet naturam rei non ſimpliciter, quia ſic melior ſeu nobilior eſt mus quam panis. Sed ſi attendatur natura rei in comparatione ad uſum humanum, propter quem fit iſta commutatio. Iſta autem æqualitas non conſiſtit in indiviſibili, ſcilicet eſt ibi (dicit Soc.) iniuſtitia commutativa medium & magna latitudo, & ad quantum ſe extendat, ex tribus innoteſcit. Quandoque ex lege poſitiva, quandoque ex conſuetudine, quandoque autem relinquitur ipſis commutantibus, ut penſata mutua neceſſitate reputent ſibi hinc inde æquivalens dare & accipere. Durum eſt enim, contractus eſſe inter homines, in quibus contrahentes non intendant aliquid de illa indiviſibili iuſtitia remittere ſibi aliquid mutuo, ut pro tanto omnem contractum concomitetur aliqua donatio. Et ſi iſte modus commutantiū eſt quaſi fundatus ſuper illud legis naturæ: Quod tibi vis fieri, facias aliis. Satis probabile eſt, quod quando ſunt mutuo contenti, mutuo volunt ſibi remittere, ſi deficiunt ab illa iuſtitia requiſita. Venditio & Emptio ut ſint iuſtæ, ſimilia exiguntur. Ibi enim transfertur dominium rei utilis pro numiſmate, vel è converſo. Quia enim difficile erat res uſuales immediate commutare. Ideo inventum eſt mediū, per quod talis commutatio faciliter fit, quod vocatur numiſma. Et dicitur commutatio numiſmatis pro re utili emptio, converſe vero venditio. Ad tales igitur ut ſint iuſtæ, exiguntur ſimilia, ſicut in permutatione dictum eſt: quia oportet ibi conſiderare numiſma ex una parte, ſicut hic rem permutatam. Addo quod in his utriſque contractibus licet mutārem, ut vendentem penſare damnum ſuum, non autem commodum ipſius ementis, ſive cum quo permutat: hoc dico in carius vendendo vel permutando, & intelligo ſic: ſi quis multum indigēs re ſua per magnam inſtantiam alterius inducatur ad vendendum, vel etiam permutandum pro re alia, cum poſſit ſe præſervare indemnem. Et ex iſta venditione vel permutatione multum damnificatur, ſi poteſt carius vendere, quam ſi alias ſine tali damnificatione venderet vel permutaret. Sed ſi emens magnum commodum conſequetur ex re vendita vel permutata, non poteſt carius vendi vel permutari: quia maius commodum conſequitur. Nam propter maius commodum rei us, qui conſequitur, nec res mea eſt in ſe pretioſior nec mihi melior, & ideo non debet mihi maius pretium apportare, ſecus quando damnificor: quia tunc mihi eſt pretioſior, licet non in ſe. Mutuata accommodatio, conductio & locatio, in quibus dominum non transfertur: Sed uſus vel ius utendi: quia correſpondent permutationi, emptioni & venditioni;

ditioni: ideo cum eis conveniunt, ut dictum est. Similiter quantum ad conditiones iam positas servanda est iustitia, considerando ubi usum sicut ubi dominium. De mutui datione, ibi ad iuste contrahendum mutuam oportet servare æqualitatem simpliciter in numero & pondere, exceptis quibusdam. Excipiuntur enim ista mutatione duo casus in genere. Quandoque enim licet accipere ultra capitale ex pacto, quandoque ex non pacto. Primum tripliciter, scilicet vel ratione pœnæ conventionalis vel ratione interesse. Et quandoque utrumq; scilicet capitale & illud superfluum ponitur sub incerto, ut declaratum est supra. Ex non pacto etiam aliquando licet, ut quando pecunia locaretur alicui ad ostentandum, vel ad cœnandum, vel ad ostendendum. Talem enim usum habet pecunia ex propria natura & tunc iterum de usu eius ultra sortem recipi potest: quia tunc non esset mutatio: sed locatio vel conductio.

Hæ regulæ dictæ sunt de iusto & iniusto in venditione vel commutatione quacunque pro nunc vel futuro, & hoc loquendo de commutatione œconomica, quæ est quando commutans intendit recipere rem pro qua commutat, non ut mercetur ea sed ut ea utatur. Ideo sequitur de commutatione negotiativa, ibi commutans intendit mercari de re quam acquirit. Emit enim non ut utatur, sed ut vendat, & hoc carius: & hæc negotiativa vocatur pecuniaria vel lucrativa. De hac ultra regulas prædictas adduntur duo. Primum, quod talis commutatio sit utilis Reipublicæ. Secundum, quod talis iuxta diligentiam suam & prudentiam & pericula accipiat in commutatione pretium correspondens, ut habes declaratum *sup. materia* 2. §. 8. Quæ autem sit iniusta occupatio rei alienæ, patet in translationibus dominii vel usus rerum, sive sit permutatio, emptio, venditio, donatio, &c. Patet faciliter ex præcedentibus, cum rectum sit judex sui obliqui. In donatione non est iustitia, si donans non mere liberaliter donat, vel si contra voluntatem alicuius à quo dependet in donando donat, sicut patet in illo casu, extra de censibus, exigit, quod scilicet visitantes à visitatis nulla recipiant munuscula: & si reciperent tenentur ad duplum restituere, vel non solvantur à maledictione, quam ipso facto incurrunt, ut dicitur, *lib. 6.* Non autem mere liberaliter donat, vel si deceptus vel quasi necessitate tractus donet: quia ignorantia & aliqualis coactio excludunt simpliciter voluntarium, ex secundo, & heic & ex hoc sequitur quod deceptus de eo, cui donat, quantum ad illam rationem propter quam donat, non simpliciter donat, & ideo si alicui tanquam propinquo donet, qui est propinquus, non simpliciter donat egeno. Consimiliter si alicui tanquam egeno qui non est egenus. Et ideo videant trufatores quandoque divites existentes, qui tamen tanquam egentes recipiunt eleemosynas illas, ne iniusti omnia recipiant: quia non est ibi in dante voluntarium propter conditionis ignorantiam, quam respicit in dando. Consimiliter si attractus, ut in usuris donandis non est mere donatio liberalis. Consimiliter dicendum est de accommodatione, licet ibi non sit æqualis defectus propter æquale vitium: quia translatio usus ad tempus non requirit tantam liberalitatem quam translatio dominii. De commutatione rerum dico quod est iniustitia eisdem causis, scilicet deceptione & involuntario & prohibitione superioris, cui commutans subest in commutando & ex hoc potest dici iniusta commutatio, quæ sit in ludo alearum & huiusmodi. *Iuxta illud ff. de aleatoribus l. ult. & extr. de vit. & hon. cler.* iuxta illud officia in glossa. tamen ista lex non ligat illos, qui vivendo politice subsunt legi Imperiali, quia forte nullibi sunt hodie: quia ibi præcipue illa lex consuevit habere locum, ubi municipalia præiudicant imperialibus, ut patet in Italia. In emptione & venditione iniustitiæ tactæ sunt prius tangendo de iniustitia in eis. Ex hoc iuxta de locatione & conductione ibidem patet. De mutui datione & solutione est iustitia præcipua usura cuius vituperatio habetur *in novo Testamento, Luc. 16.* Mutuum date, nihil inde sperantes. *In veteri Testamento Ezech. 24.* Ad usuram non accommodabitis, & per Ecclesiam prohibitio, *extra de usu super eod.* Præter dictas iniustitias partiales in istis contractibus, vel quibuscunque commutationibus est una iniustitia generalis, quando aliquis usurpat rem alienam domino simpliciter invito, & hoc tam domino proximo quam domino remoto, scilicet legislatore, qui non vult, imo prohibet rem illam occupari invito domino, nisi in casibus præscriptionis & usucapionis. In istis autem non est translatio dominii, utpote in furto & rapina: & huiusmodi est, licet sit violenta occupatio rei, cui est dominium. Et ista iniustitia est manifestior quacunque alia, ubi propter solam conditionem defectuosam est iniustitia commutatione, vel translatione, &c. De his & similibus plenius quidem posset nunc agi; sed aliis merito reservantur locis, ut supra dictum est: nec iam tempus est, ut omnia retegantur, quum multa heic se proderent mercatorum arcana, quibus alias mundum mire flagellare & suis bonis exuere solent.

Ut tamen quisque sui officii in hoc & conscientiæ Christianæ memor esse possit rectius, ex Benv. Strachæ *tract. de mercat. part.* 2. paucula hæc subiicere par est, quum certe notatu sint longe dignissima, quæ de statu mercatorum apud eum ita leguntur: In Insula Rhodo antiquitus mercatorum usus fuit, & ab eadem insula hodie navalium commerciorum leges dictæ sunt *c. Rhodia 2. dist.* quam insulam claram fuisse, nemo est, qui nesciat, unde Horat. opinor, Laudabunt alii claram Rhodon, aut Mytilenem. Et sapientes viros, & quidem primarios mercaturam olim fecisse, legimus. Refert enim Plutarchus in vita Solonis eundem Solonem adhuc admodum juvenem ad mercaturam se contulisse, ut profutior, & sumptuosior, & mollior esset in victu, utque libentius ac licentius, in suis poematis de voluptatibus loqueretur, quam philosophum deceret, & mercatoriæ vitæ rationem accepisse dicitur, & eodem loco scripsit in verba infra scripta.

Mercatura autem ad barbarorum necessitudines, regumque amicitias comparandas plurimum valere putabatur, ex eadem quoque homines multarum & maximarum rerum usum, experientiamque percipere, ex quibus nonnullos conditores maximarum urbium exstitisse, ut Massalium primum, qui à Celtis iuxta Eridanum observatur, Thaletem quoque & Mathematicum Hippocratem, exercuisse mercaturam ferunt: Platoni etiam olei in Ægypto deportationem peregrinationis viaticum

suppe-

ſuppetiiſſe. Hæc ille. *Bald. etiam noſter in Conſil. 348. num. 4. vol. 1.* Mercatorum & campſorum maſſam ſummum bonum eſſe, inquit, & gentium elementum, licet tempeſtate noſtra atrocia admittant. Idem etiam *Bald. in c. cum cauſſam, de teſt.* exclamans ait: O quo vadit anima mercatoris? quem refert Ioan. *Cor. Miſcel. iuris lib. 3. cap. 24. num. 9. & in tit. de fer. offi. ſum. num. 16.* qua Baldi ſententia motus, & egomet mecum cogitans animam, & corpori, & cunctis rebus præponendam, I. *Sanctum, C. de hæreſ. eccl. c. ſedulo 38. diſt. Accurſ. in l. 1. ff. de pact. in ſpec. de in integ. reſt. verſ.* ſed quid de mercatore. Et ſtatum mercatorum in magno diſcrimine ſalutis æternæ verſari. Difficile enim eſt inter ementis vendentiſque commercium non intervenire peccatum. *c. qualitas de pœn. diſtinct. 2. gloſſ. in ſumma 14. quæſt. 3. Pſal. inquit Pſal. 70.* Quoniam non cognovi negotiationes, introibo in potentias domini. *c. conſequens, &c. quoniam 88. diſt.* volui mercatores admonuiſſe, ut ſaluti eorum conſulant. Et in quibus caſibus mercatura licite contrahatur, diligenter perquirant. De quo nonnihil in prima parte ſcripſimus.

Noverint & illud vulgare, mercatoribus in emendis, vendendiſque mercimoniis naturaliter conceſſum eſſe, quod pluris ſit, minoris emere, quod minoris ſit, pluris vendere, & licere contrahentibus ſe circumvenire. *l. in cauſſam. §. idem Pompon. ff. de min. l. item ſi pretio. §. fin ff. loc.* Idque iure etiam Pontificio intra dimidiam concedi. *c. cum dilect. c. penu. extra de empt. & vend.* id intelligendum eſſe in deceptione reipſa. Secus vero ſi hoc ipſo, ut venderet, circumſcriptus quis eſſet, & ut noſtri dicunt, ſi dolus contractui cauſſam daret, vel ex propoſito interveniret, ut elegantet notavit *Abb. in c. in civitate de uſur. num. 6. poſt Ioan. Cal. in c. navigantis in ver. ti. & ſenſit Bart. in d. §. idem Pomponius.* Licet enim quæſtus cauſſa mercatura exerceatur, & naturalis ſit deceptio, non tamen dolo malo plures res vendendæ ſunt. Deceptio enim ad pretium, non ad animi fallaciam referenda eſt. Confugiant ergo mercatores, qui religionem colunt, ad loca, quæ nos aliquando citavimus, legantque Salyc. qui belliſſime articulum diſſeruit. *in authen. ad hæc C. de uſu q. 21. num. 17.* Scribit enim inter alia ſe putare religionem non lædi ab eo, qui ſcientem valorem rei, pluris vendiderit, ſi tamen is neceſſitate ductus non emerit, *quod & Mol. notavit in c. 1. de empt. & vendit.* contra vero ſecus. Et certe inhoneſtum eſt, & bono viro decipere non congruit. *ut notavit Accurſ. in l. ſemper in contractibus. ff. de regulis iuris, quem improbat Bald. in authen. ad hæc. in penult. eſt. de uſurp. & in c. quanto,* de jure, ex quo ſumſit cautelam Ioan. de Ana, *in c. in civitate colum. 8. de uſu.* quam tamen improbat Decius, *in citata arg. ſemp. in contractibus, & latius in pe. nu. 7. & ſeq. C. de pac.* & ad relatam regulam addes *Ludo. Goz. in conſ. 14. n. 14.*

Illud etiam, quod ad rem valde pertinet, prætereundum non eſt, mercatores quædam, ſi dixerint in vendendis mercibus, præſtare eos non debere, ſed ea, quæ ad nudam laudem mercium pertinent. Nã, *ut Ulpianus ait, referendo Pedium, in l. ſecundum. ff. de ædi. edict.* Multum intereſt commendandarum mercium, quid dixerint, an vero præfaturos ſe promiſerint. *Et vide elegantem textum in l. quod venditor. ff. de do. ma. Et quæ ſcripſit And. Tir. in com. de utro ret. pag. 771. num. 49.* Plane commendatio mercium ſit cum aliquo temperamento; Non enim mendacio utantur, ſed honeſta commendatione. Tollendum enim eſt, (*ut ait Cic. off. lib. 3.*) in rebus contrahendis omne mendacium.

Idque maxime Chriſtianum decet, quoniam mẽdacium ſine peccato eſſe non poteſt. *c. ſuper eod. de uſur. c. beatus. 22. q. 2. c. primum ex can. & q.* ubi divus Auguſt. in hæc verba. Quiſquis autem eſſe aliquod genus mendacii, quod peccatum non ſit, putaverit, decipiet ſemetipſum turpiter, cum honeſtum ſe deceptorem arbitretur aliorum. *c. mihi autem, & c. omne ex can. & q. 88. diſtin. c. quoniam omnis cognovi.* Verum licet una cum Salyc. *in d. authen. ad hæc,* exclamare: O magnam notam temporum noſtrum! & quis eſt hodie mercator, qui in vendendis mercibus non dicat mendacia? & plerumque ut ementes alliciat, etiam deieret? Forſan (inquit Saly.) hodie nullus, ſed antiquitus horum peculiare vitium fuiſſe Satyricus oſtendit, dum ait:

----Cum plenius æquo
Laudat venales, qui vult extrudere merces.

Et alius poeta cecinit:

Periurata ſuo poſtponit numina lucro
Mercator, Stygiis non niſi dignus aquis.

Caveant igitur mercatores à mendaciis. Inquit enim *text. in c. quid eſt aliud 88. diſt.* Negotiatores, qui per immoderatum pecuniæ ambitum polluunt merces ſuas, plus periuriis onerando, quam pretiis: tales eiecit dominus de templo. Unde Bertrand. dicere conſueverat, mercatoris domum & veritatis, & æquitatis plenam eſſe oportere; *ut patet ex conſilio 253. vol. 2. col. fin. non poteſt.* Accedat & illud, in pluribus puris articulis ſtatutum eſſe, mendacem mendacii pœnas luere. quorum aliquos attingemus, cum de decoctoribus diſputabimus.

Sane & illud in ore omni populo eſt, nil eſſe, quod lumine clariore in mercatore præfulgeat, quam recta fides, & obſervantia. Et licet graviſſimum ſit, fidem fallere. *l. 1. ff. de conſt. pecu.* Cum nil tam congruũ ſit fidei humanæ, quam ea, quæ placuerunt, ſervari *l. 1. ff. de pactis.* & copioſe ſcribunt recentiores Bononienſes *in fine 198.* grave. Multo tamen gravius id eſſe in mercatore, propter bonam fidem, quæ inter eos ſervanda eſt, nemo eſt, qui neſciat. Inquit enim *Bald. in C. ſi pro debilitate de off. deleg.* bonam fidem in his valde requiri, qui plurimum negotiantur, & bene cenſuiſſe ſcribit *Iaſ. in l. iuvigentium. §. ſed cum nullam. 11. ff. de pac. & hic addes gio. in l. procuratore. C.* Namque inquit, nil melius bona fide. & notandum *Bald. aut* pro bonis mercatoribus, & contra falſos mercatores, qui arripiunt fugam cum pecuniis alienis: & vide *Nic. Boc. deci. 25.* & antequam veniam. Quæ igitur placuerunt, ſervent mercatores, & à cavillationibus ſint alieni, neve Thraces imitentur, in pactis cum hoſtibus aliquot dierum induciis, nihilo ſecius noctu populabantur agros hoſtium. Et cum quererentur adverſarii, tanquam inducias illi violaſſent. Reſponderunt, nihil præter pacta feciſſe. Dies autem pepigiſſe, noctu tantum incurſaſſe dixerunt. Unde vetus illud Adagium, Thracium Commentum, diverſas eas, qui pacta eludunt callido commento. Hæc enim pactio induciarum per aliquot dies, & ad noctes proculdubio referebatur, de quo meminit *Cicero off. lib. 1. And. Tiraq. in cõſu utroque ret. §. 1.*

Digitized by Google

gl.11.num.9.pag.161. & ſcribit *Bertr. Conſil.* 298. *Volu.* 2.nu.8. De decori magno tribuendum mercatori, qui pactionem ſervare recuſat: cui addes *Angel. Conſ.* 77. ſuper primo puncto, *col.*1. Plane callidum mercatorem laudamus, & qui ſine dolo malo per diſſimulationem deſerviat, & ſua, vel aliena tueatur, ut inquit *Iuriſc. l.*1. *in* §. *dolum. ff. de dolo. Vbi fiscuſ.* in verbo deſerviunt: finge, inquit, in mercatoribus, qui mercium dominium in alium transferunt, ne deprehendatur: *in qua gl. ſententia vide Aug. ibidem* & quæ late *Nicol. Boer. ſcripſit deciſ.*300.*num.*4. Finge aliud exemplũ, *in l.*2. *C. de commer. & mer.* aurum ſubtili ingenio barbaris auferre: ubi *Accur. ait* hunc bonum eſſe dolum. Experientem etiam maluerim mercatorem: Plurimum enim in mercatura valet experientia. Unde plerunque vidi mercatores valde ſuperlucratos eſſe, qui aliorum prius inſtitores fuerunt. Ex alienis enim negotiis (ut Comicus ait) ſibi exemplum ſumpſere: contra vero novitios quoſdam, qui cum ſe mercaturæ vix dederunt, in mercimoniis ſe implicantes, rem ſuam male geſſiſſe. Placet etiam mercatorem literarum non ignarum, & qui ſua prudentia inſtructus ſit. Nam (ut comicus ait) dii immortales, homo homini quid præſtat, ſtulto intelligens quid intereſt! & profecto imperitos mercatores multis captionibus ſuppoſitos, multorumque inſidiis expoſitos, experientia videmus. Non enim laudo, non, inquam, ô mercatores, vos imperitos laudo, in quibus finxit exemplum *Bar. in Auth. ſed nouo iure. C. ſi cer. per. & Saly. ibidem.* Quomodo enim, illam æquitatis formulam cuſtodiens? de qua in ultima parte diſſeremus. Ait enim idẽ comicus, homine imperito nihil quicquam iniuſtius, qui nihil niſi quod ipſe facit, rectum eſſe iudicat.

Socinus etiam noſter, mercatores Florentinos pecunias & merces dormire, ait, non ſine re, *in conſ.* 87. *col. penult. volum.*1. In præſenti conſultatione. Scribit etiam, diligentes eſſe, & mercatorem noſtrum huiuſmodi eſſe deſideramus, & fidelem, diligentem amamus. §. *fin. inſtit. de ſuſpect. tut.*

In ſumma mercatores probe ſe agant, circa omne officium ſuum, & temperent ab his, quæ ſunt prohibita, ut eleganter *iuriſc. ait in l.*1. *in* §. *prætores. ff. de offic. præfect. urb.* & actus ſui rationem diligenter conficiant. *l. argentarius. in princ. ff. de edend.* & calamo non parcant. Omnium enim habere memoriam, mortalitatis non eſt, ſed divinitatis potius. §. *omnium in l.* 2. *C. de vet. iure enucl.* Infirmitas enim memoriæ (quæ labilis eſt) damnum plerunque mercatoribus ſolet afferre. Servent igitur quæ de rationibus ſtatim dicemus.

Quæritur, an mercatores ſint urbibus utiles & neceſſarii? Nec puto deeſſe, qui negarent. Ipſi enim alieni regni (quod non convenit) ſcrutantur arcana, ac detegũt, mercatores. *C. de com. & mer.* Unde legimus Carthaginenſes diſtincta diverſoria mercatoribus ſtatuiſſe, nec ea illis cum civibus communia eſſe voluerunt. Cæterum mercatoribus in forum via patebat. Ad navalia autem & ſecretiora urbis loca ne aſpectus quidem concedebatur. Et græci in urbes minime recipiebant. Sed, quo cives à ſuſpicione periculorum eſſent alieni, à pomariis non longe forum venalium ſtatuebant: legimuſque, varias gentes mercatores ad ſe accedere prohibuiſſe, quod mores depravarent. Ab ipſis enim monopolia legibus prohibita. *ut C. num. l. uni.* ab ipſis plerunque tonſuras utraque pagina deteſtatas: ab ipſis nova queſtus cauſa commenta, quibus locorum cives pecuniis & facultatibus exinaniunt; ab ipſis denique (ut experientia docet,) diverſa incommoda atque mala proficiſcuntur: & hæc ſententia lege ipſa probari videbatur. Innuit enim Imperator *in l. nobiliores. C. de commer. & merc.* in illis verbis perniciosum urbibus mercimonium. Contra autem urbibus neceſſarios & utiles eſſe videbatur, idque probari ex his, quæ ſcripſit *Bart. in l. ambitioſa num.*23. *ff. decre. ab or. fa.* Item ex his, quæ notavit *Accurſ. in l. uni. C. de mund. in verb. locorum.* dum ait: habet magnum commodum, eo, quod propter fotum terra eorum impinguatur. Et cum mercatores neceſſaria ad victum quoridianum transferant, atque aſportari curent, remuneranda eorum pericula; quid etiam cohortanda præmiis merito placuit, ut qui muneribus publicis cum periculo & labore fungerentur, à domeſticis vexationibus & ſumptibus liberarentur, ut inquit *iuriſconſ. in l. ſemper in* §. *negotiatores. ff. de in. iure immu.* ex qua Iuriſconſulti authoritate hæc ſententia ſatis probari videbatur. Et populum Romanum id ſenſiſſe, locus Ciceronis indicat *in oratione pro lege Manilia*, Ait enim, populum Romanum ſæpe mercatoribus ac naviculatoribus iniurioſius tractatis bella geſſiſſe. Rurſus nulla regio, non provincia, nedum civitas ſibi ſola ad omnia ſufficit, ſed altera alterius ope & auxilio indiget. Hæc enim frugibus, illa auro & argento, cæteriſque metallis aliiſque rebus abundat, contra alia prædictis, vel horum aliquibus vacat, idque belliſſime poeta innuit *Georg. lib.* 6.

India mittit ebur, molles ſua thura Sabæi,
At Calybes nudi ferrum, viroſaque Pontus
Caſtorea, Eliadum palmas Epiros equarum.

Unde & Plinius victus cauſa mercaturam inventam dictabat, & ſummæ prudentię atq; authoritatis apud Græcos *Plato in dial.* 2. *qui inſcribitur de Rep. vel de iuſto*, inquit; conſtituere civitatem in eo loco, in quo devectionibus non indigeat, ferme impoſſibile eſt. Et certe mercatoribus nos indigere probat. Item expedit Reip. ſubditos habere locupletes. §. *fin. inſt. de his qui ſunt ſui vel al. & in auth. ſine quoque ſuffr.* §. *cogitatio.* & mercatores quæſtus cauſa laborant, & omnis eorum vita eſt ad quæſtum. Legimus etiam ambiguis iura mercatoribus in ipſis mercimoniis ſeu mercatura favere, ut ſenſit *Alex. in conſil.*130. *in fin. vol.*7. Nec deſunt iuris interpretes qui in hac ſententia fuerint. Nam Albericus *in rub. C. de com. & merc.* urbibus neceſſarios & utiles mercatores eſſe, putavit: *citat. l.* 3. *ff. de mund.* Quæ tamen lex in caſu ſuo locum habet, videlicet, vel in ſtronibus, vel in officialibus, publice ad id ſpeciatim deſtinatis: ut *Accur. in gloſſ. fin. eius l. ſcripſit, Bald. in l. Macedoniani in fin. C. ad mac.* inquit mercatores eſſe, publice eſt utile. Prætereo multa & quidem conſulte ac de induſtria, quæ hinc inde dici poſſunt. Verum brevi quid ipſe ſentiam, habeto, in hac quæſtione (ut noſtri loquuntur) brocardicari poſſe pro & contra, brocardica vocantes, quæ rectius perplexa dici poſſunt: & his addes, quæ *Corn. Ag. ſcripſit in lib. quem de inter. & vsur. ſcientiarum inſcripſit rub. de mercatore*, C. 72. *& ſeqq.* ubi omnia, huc facientia, enucleatiſſime & commodiſſime

dissime explicata habentur, quem æquus lector ipse sibi consulat.

Subnectit Stracha etiã hanc quæstionẽ. An mercatores inter honoratas personas habendi sint, & mercatura sit sordida, nec ne? Respondetur ad primam quæstionis partem: Si manifestæ prædæ avidissima vorago apud eos latet, ut notat *d.C. Agrip.* certe non immerito dubium hoc succurrit. Nec adeo pridem fuit quidam inter mercatores præcipuos nõ ultimus, qui, quum aulico cuidam arcana lucrorum astuta aliquo modo explicaret, ipse decisionem talem edebat, asseverando eam de se & suis similibus, dicens: Quod si, mi Domine, centum videas inter se congregatos mercatores; profecto vix unus est in toto numero, qui non nequam designet, ita nonaginta novem certus pro fraudulentis, &c. possis habere. Forte is ex suo ingenio iudicabat cæteros, quod etiam protenus in negotio aliquo demonstrabat. Verum, si virtus quem nobilitat, par est, ut tales rerum indagatores quoque facto fidem exprimant, ut honestatis & pietatis veri sectatores dici queant. Altera pars quæstionis alibi explicatur. Vide Straccham; nec litem hanc facio meam. Jehova faciat potius, ut saltem quilibet eorum hoc peragat fideliter, quod Christus adeo sancte cuivis inculcat: Quod tibi vis fieri, alteri quoque præstes: & sic minus peccabis.

EPILOGI ANNEXUM EXEMPLARI DENOtatione explicatum in Helvetijs.

QVÆSTIO.

Num fœdera veram Reipublicæ faciem parere, aut ex se procreare possint?

FOEderum varia genera ex diversis caussis supra *cap.* 12. designata, & adumbrata quidem fuerunt; sed veri fœderis natura num in solidam & justam Reipubl. formam converti possit, id controversum est apud non omnes, nisi sint acutioris ingenij mortales. Etenim Reipubl. cuiusvis constitutio ita sibi in conformitatem suam redigit cohærentias ordinum, ut nihil exuberans admittere possit, iuxta harmonicum concentum. Hinc adeo fœdera à vera Reipubl. forma discrepare videntur, ut hæc fœderibus nihil infensius, magisque oppositum sibi habeat. Imo fœdera, quoties potentiæ suæ se opponunt, hostilitatem eidem inferunt, & belli acrimoniam denunciant. Nihilominus mirifice se heic ostentant argutiæ mortalium, ne in speciem rebellionis concedant. Ideoque qui sunt prudentioris naturæ homines, ne in importunitatem rebellionis incidant, neutralitatem prætendere pro libertatis cultu solent.

Libertatis enim adeo amabilis omnibus ratio apparet, ut subiectionis formam plenioris abhorreat, & quo magis se servitute aliqua exuere possit, eo potius liberum sibi statum adscribere non desinat. Hinc est illud vulgare eloquium, quod inter æquales non detur subjectio, sed sociali jure utantur. Atque hæc genuina, & propria fœderum vere essentia putatur, ut inde par in parem nõ valeat exercere potestatem, aut iurisdictionis dominium sibi adsumere. Quod si fiat, fœdus omne naturam suam amittere videatur. Dissimilitudo enim similitudinem ullam nequit prorsus induere, absque injuria sui vigoris. Quare in circuitu suo semper amat iustos, & æquales terminos. Si vero in se æquali cohæreat rite facultate, potius æmulationem admittit alteri, & vicino, quã quod eius tolerare in fœdere queat Imperium.

Ubi omnes enim similes sunt in Imperio, ibi gratior affulget libertas, ac neminem deterioris conditionis censeri debere, fas æqualitatis quidem exigit; sed prorsus nequit absq; aliqua regiminis specie gubernari, præsertim si fœdera talia in defectionis diuturnæ durationem abeant. Velut id in *Helvetijs* videre est, quorum tres populi, nempe Urii, Suitenses, & Underwaldi, ex instigatione paucorum primitus hominum ita in conjurato inter se Ann. 1308. convenere fœdere, ut inde ex tot seculis omnes vicini, se cum illis conjunxerint, & successive in tale concreverint corpus 13. *pagorum*, in quo adhuc firmiter florent. Ideoque operæ precium est, ut, antequam ad fœderis *Hanseatici* pleniorem deductionem perveniamus, illud heic in exemplo suo paucis declaremus; quum multa necessitas causset sæpius, quæ sui defensionem, & conservationem ad posteros extendat pro libertatis acquisitæ studio.

Helvetiæ autem perquam antiquum est nomen, quod inde latini maxime huic regioni adsignatum retinuerunt, licet alias *Helvetij* vetustissimam gentem ex *Celtis* denotent, quæ non tantum in hisce habitarunt locis, sed etiam sub regimine Tarquinij Prisci Romanorum Regis, & sequentibus temporibus circa annum 600. ante Christum natum, se in Germaniæ aliquot fines effudere, præsertim quum Boij Bohemiam occuparent.

Quamdiu vero Helvetij Germaniæ fuerint illic possessores, non adeo constat, velut nec de iis certa est relatio, à quibus proprie suppressi fuerint, aut quorsum se receperint. Pro certo hoc habet Cluverius cum nonnullis, quod ante Iulij Cæsaris tempora, Germaniæ populi, nempe *Marcomanni*, *Seducii*, *Harudes*, terram illam omnem, intra Danubium, Rhenum, Mœnum fluvios, usque ad Bohemicos montes, cuius circuitum omnem Helvetij illi antiqui possederant, in suam redegerint ditionem. Unde conjectura hæc facilis desumetur, Helvetios tales, quum à prædictis populis ultra Rhenum expulsi essent, in suam antiquam concessisse iterum sedem. Accrescente autem multitudine nimia huius gentis ita, ut finibus suis admodum angustis amplius includi minime possent, adsociarunt se Teutonis & Cimbris, inque Italiam, & Romanorum provincias fecerunt excursionem densissimam; velut non iniqua est eorum opinio, qui bellum hoc potius Helveticum, quam Cimbricum vocare solẽt. Postea in Galliam pro extensione sedis suæ varias quidem tentarunt impressiones, sed à Iulio Cæsare, ut mox patebit, sunt fortiter repulsi.

Erant vero eorum fines in longitudine ab ortu Rhodani inter Curiensem, & Sedunensem diœceses, montesque Brigam, & Sancti Bernardi, usque fere in Bellicensem diœcesim, cuius populi, ut conjectura est, olim Sebusiani sunt dicti. In latitudine autem à monte Iura circa Basiliensem, & Constantiensem agros, usque ad ortum fluminis Rhodani, quæ latitudo

tudo ab inde usque in finem lacus Lemani, ubi pons est, & civitas Genevæ, angustior fiebat. Quibus limitibus adhuc XII. Helvetiorum pagi, ut tempore Cæsaris, consistunt. Berna caput nunc gentis, Zuricum, Lucerna, Turegium, qui olim pagus *Tigurinus*, *Verbigenus*, &c. dicebantur. Qui sæpe ultra Rhenum transeuntes, bella cum Bavaris, Suevis, & aliis trans-Rhenanis finitimis (quos altos Alemanos nominamus) seu cum his, qui tunc loca illa incolebant, quæ nunc Constantienſis, Curiensis, Tridentinæ & finitimarum sunt diœcesium, gerebant. Hos, cum per Galliam, provinciam Romanorum transire prohibiti essent à Cæsare, angusto, & difficili itinere, vix qua singuli carri ducerentur, per loca, ubi claves, & Iugni Castella nunc sunt, in extremis Sabaudiæ, & Burgundiæ finibus, in Sequanos, qui nunc comitatum Burgundiæ habitant, penetrasse creditur, & ad Aratim fluvium circa Surregium, & Viredunum Castella, id flumen attingentia, ac in Æduos, ubi nunc ducatus est Burgundiæ, contendisse. Hi à plerisque Suitenses, à nonnullis Fœderati dicuntur: agrosque, & vicos possident in Italia citra montem, qui sancti Gotthardi dicitur, in diœcesi Mediolanensi.

Contra hos Cæsar suo, ac suorum equis amotis, se prælium commisisse refert, & cum VII. Legionibus, equitatuque & auxiliaribus copiis, duobus præliis, uno ad Aratim fluvium, altero in Æduis, Helvetios ad CCLXIII. millia, eorum, qui ferre arma poterant, fudisse: & tamen ancipiti prælio pugnatum diu, atque acriter, ut toto prælio, cum ab hora diei VII. usque ad vesperam pugnaretur, aversum hostem nemo videre potuerit. Hi cum sæpe in Italiam erumperent, à Carmaniola, duce Philippi, Mediolanensis Principis, prælio victi, intra fines se suos postea continuere.

Sed eo tempore, quum C. Iul. Cæsar Helvetios Imperio Romanorum subjugasset, fecit 4. eorum pagos, quum in eos divisos fuisse dicat. Duorum autem saltem, nempe, Verbigenum, & Tigurinum, mentionem subnectit, quibus alij Aventicensem, ac Antuatem adijciunt, ut postremus iste se à Losanna usque Genevam extendat. Ideoque Cæsar longitudinem Helvetiæ Veteris in 240000. passus excurrentes facit; latitudinem 180000. passuum censet: Velut inde Iohan. Henr. Quiserus tali Veteri Helvetiæ 70. Urbes & oppida adsignat, exceptis urbibus confœderatis, & devastatis, quas singulariter numerandas putat. Unde communis opinio est, quod Basilæa, Leichtenstallium, Siesiacum, Lauffenberga, Lauffenfeldium, & tales, quæ nunc Helvetiæ accensentur, civitates, huic circuitui, iuxta Cluveri sententiam, non adnumeratæ fuerint.

Nunc autem tota Helvetia in 4. partes divisa est, melioris regiminis causa; nempe in Zurichgoviam, Wiflisburgoviam, Argoviam, & Turgoviam. Ex Veteribus Helvetijs alij ita populum hunc principaliter dictum esse affirmant, cum quibus Saxones, Sueci, & Cymbri commixti fuerint. At Beatus Rhenanus singulariter incolis hisce nomen à populo Saxonum, quos *Vitæ* vocat, impositum esse scribit; Atque ab eo non dissentire multum Felix Fabri videtur, quando affirmat, quod Carolus Magnus hunc populum Saxonum magno cum sudore transtulerit, quum Gens illa, in laboribus adeo sudorifera extiterit, ut inde quoque iis signum belli Sanguinei Colonis attribuerit, quasi in perpetuo sudore, & labore vixerit, quod Germanis est Schweitzen / quod inde Sueizeri dicti sint. Alij aliter sentiunt, inter quos est Franc. Sansovinus, qui asseverare non dubitat, quod Sueonum 6000. & 1500. Frislandorum, sub ducibus, *Remo*, *Suicero*, & *Duadislao*, huc se contulerint, Celtis, aut Gallis devictis, atque montosos istos locos occuparint.

Alij putant, Alemannos, à Suevis huc extrusos, provincias has occupasse, & Helvetiorum antiquorum nomen retinuisse sibi maioris tranquillitatis gratia, imprimis Suitensium nomen præfloruit, ex nimia libertatis affectatione, quum Suitenses, Urienses, & Underwaldenses primi alias fuerint, qui libertatem huius populi à servitute vindicarint tunc maxime, quum *Rudolphi I. Cæsaris* filius *Albertus* penitus per suos præfectos sibi subiugare nimis fervido imperio eos studuisset, uti de hac occasione Iosias Simlerus sat multa refert, quod præ aliis *VVilhelmus Tellius Urienſis* Austriacæ domus prætorem, nomine Gieslerum ob tyrannidem nimiam ictu globuli trajecerit, & hinc facto tali peracto ad *Suitenses* concesserit, qui illum ex adsociatione *VVerneri Stouffacheri* in defensionem susceperint, quibus se mox ex generositate singulari Waltherus, Princeps, sive Fürst Urienſis, & *Arnoldus Melchtalerus* Underwaldensis adiunxerit, quasi autores subsecuti fœderis.

Inde uti nunc describitur, fere Helvetia, & Confœderatorum terra appellatur, eius longitudo à Geneva ab occidente quasi usque in Orientem, Cõstantiam, & Rhætas, sive Grisones, 240. milliarium, & latitudo à Septentrione versus Alsatiam usque in meridiem versus Sabaudiam 160. milliarium se extendit; ut Rhenum, & Alsatiæ partem, qua Basilea conspicitur (quæ civitas 13. pagis hodie accensetur) heic pro finibus habent.

Regio omnis salubri fruitur aere: montosa est usque adeo, ut reliqua Europa universa tot ingentia montium cacumina, tot fastigatas, ad nubes usque rupes; tot ingentes, perpetuo nive induratos montes in collium verticibus nusquam exhibeat, atque hæc regio. Valles rursum tantæ profunditatis, ut abyssum intueri videaris. Ita tamen aspera, duraque hæc tellus, incolarum indefesso labore, industria ac cultura mitescere cæpit, ut nulla parte sterilis sit, quin ad vitam sustentandam producat non solum necessaria, sed & ea, quæ luxui, ac deliciis inserviunt. Frumentum abunde profert; quanquam plerisque in locis, nisi gleba exusta fuerit, sementem frustra projeceris. Verum huic incommodo agricolorum labor, & industria occurrit. Vinum multa loca adeo generosum producunt, ut Rhenense longe superet, & virtute, & sapore.

Helvetii præterea armentis abundant, unde magna ipsis annonæ facilitas accedit: quam augent venatio frequens, aucupium singulare, piscatio ditissima tot non solum fluminum, sed lacuum etiam amplissimorum, ac piscosissimorum. Et cum infinitus fere fluminum ex montibus Helvetiæ scaturientiũ sit numerus: eorum ortus, cursusque omnes specialiter referre angustia non patietur. Nominatissimus tamen lacuum Bodanicus est, quem & Brigantinum à Brigantio oppido, & Acronum, seu Acronium, Constantiensem quoq; appellant, cum Rhenus perlabitur, nec miscens aquam suam, incorruptus inde exit.

exit. In occidente habet lacum Neoburgenſem, Lacum Lemanum.

In meridie ſunt Verbanus lacus, Gauni lacus, Larius lacus, Sevinus lacus, Benacus lacus. Mediterranei autem lacus ſunt, Lucerianus, Tigurinus, Rivanius, ac nonnulli alii. His miraculi cauſa annumerabimus etiam lacum Pilati, qui in monte, quem Montem fractum vocant, inter Lucernam, & Sylvaniam, in ſummo pene montis iugo paludinoſo, ſolitarioque ſitus, ſylvis undique circumdatur, ne ſcilicet à quoquam irritetur. Fertur enim, ſummas ſæviſſimaſque tempeſtates eum cauſari, ſi quid data opera iniectum fuerit, quod accolæ experientia ſibi notum eſſe teſtantur. Locus eſt viſu horrendus: Aqua ſuo alveo incluſa, nec exitum habet, neque flumen in ſe recipit aliquod, nec pluviis augetur, nec nivibus: Vento etiam minime agitatur; quin ſemper ſui ſimilis, nigras ſuas tuetur undas, nec fas eſt peregrinis, eum adire locum, ne temere quid iniiciant, unde vicina periclitetur regio. Montes hic enumerare opus hauderit, cum notiores ſint per orbem montes Rhetij, quam ut quiſquam eorum nomina deſideret. Sylvæ ſunt innumeræ, thermiſque ſalubertimis regio hæc abundat.

Sed interim Helvetij, ut ex variis hiſtoricorum monumentis apparet, iam ab antiquis temporibus rei militaris gloria floruerunt, ut qui multos variarum Nationum profligarint exercitus: ut Romanorum annis centum circiter ante Chriſtum natum interfecto Lucio Caſſio Conſule: quum hominum multitudinem alere non poſſet, inito cum vicinis fœdere, iidem de univerſa Gallia ſubiuganda cogitarunt; jamque incenſis quamplurimis pagis, quo ſpem reditus ſuis omnem adimerent, belli initum fecerãt, ſed à Julio Cæſare exercitus tum in Galliis habente, ſubito oppreſſi, temerarii cœpti pœnas dederunt. Helvetiam quoque ingens Cimbrorum, quos maris innundatio ſaribus exegerat, inundavit multitudo. Hi tranſitu per Germaniam facto, magnam Galliæ Belgicæ partem occuparunt: ſed quum neque hæc tantæ multitudini alendæ ſufficeret, ad Rhodanum conceſſerunt, & à Romanis ſedem ibi flagitarunt: qua negata, pars eorum in Italiam irrupit, ubi multis utrinque datis, & acceptis cladibus, à Romanis duce Mario, tandem ad internecionem ſunt deleti. Reliqui, qui cis Alpes manſerant, eam Helvetiæ partem, quam hodie Suitij, & Urij colunt, tenuiſſe à quibuſdam putantur.

Alij ſcribunt, tempore Sigiberti Suecorum Regis, tantam in Septentrionalibus illis regnis incolarũ fuiſſe multitudinem, ut novas terras quærere coacti fuerint. Superato ergo Rheno eos Galliam occupaſſe: inde metu conſternatos vicinos populos Legatos de pace ad eos miſiſſe, quibus illi reſponderint, ſe nihil aliud petere, quam tantum terræ, ubi ſine damno aliorum ex eius cultura vitam ſuſtentare queant. Ab Helvetijs ergo in patriæ interiora receptos, quæ pars fere tota montibus & lacubus occupatur, ſed à novis incolis magno labore, & aſſidua cultura multo fertilior, & populoſior etiam tandem facta eſt. Proditum quoque apud nonnullos hiſtoricos legitur, ad Oceanum tres olim populos habitaſſe, ut Saxones nimirum, Anglos & Vittos. Ex his Anglos cum Vittorum parte, in Inſulam, quæ hodie ab illis Anglia dicitur, navigaſſe, & ſedem ibi fixiſſe. Reliquos Vittos in Helvetiam veniſſe, & non procul à Tigurino agro conſediſſe, unde & hodie Svitij (vulgo Svizzri) à Vittis appellentur.

Porro magna Helvetiæ pars, labeſcente Romano Imperio, primo ſub Sueviæ Duce, ac deinde ſub aliorum fuit dominatu, donec tandem incolæ paullatim in hanc, qua iam fruuntur, libertatem ſe aſſeruerunt, ut breviter dicemus, initio à primis huius libertatis auctoribus, Uriorum ſcilicet, Suitiorum, & Underwaldiorum pagis, facto. Inter Helvetiorum autem pagos Urij non quidem viribus aut dignitate, ſed fœderis antiquitate primi nominantur. Apud hos nullæ ſunt muratæ civitates: ſed regionis caput eſt Artolfum locus apertus, à Lucerna, qua in Italiam itur, uno milliari Italico diſtans, ubi aſperrimi ſunt montes: eiuſque iuriſdictio ultra montem S. Gothardi extenditur. Volunt nonnulli, hanc civitatem Iulij Cæſaris temporibus Taurim dictam fuiſſe, à tauro, quẽ Germani Uri Brochſen appellarint: indeque hodiernum nomen promanaſſe. Argumento etiam eſſe, publicum gentis, quod hodieque uſurpant, inſigne, caput ſcilicet *Tauri nigri in* area ſive *campo flavo*. Incolæ ipſi ſe à Gothis, & Ungaris, qui in eam venerint regionem, & fidem Chriſtianam poſtea amplexi ſunt, deſcendiſſe ferunt. Poſt multorum dominatus, hanc Uriorum gentem à Germania egreſſam, ad Tigurum conceſſiſſe, eo fere tempore, quo Romanum Imperium ad Germanos translatũ eſt, & omnes fere Imperii Civitates in libertatem ſe vindicarent, & inſtar Rerumpublicarum adminiſtrari cæpiſſent, nec alium ſuperiorem agnoſcerent, niſi ſacrum Romanum Imperium: ut videre eſt è privilegiis à Rudolpho primo Habsburgenſi Comite, poſtea Anno MCCXCI. Romanorum Imperatore, & aliis ſequentibus, prædictæ Helvetiorum genti conceſſis: quam nonnulli volunt, Auſtriæ Ducibus nunquam ſubiectam fuiſſe, ſed Imperatoribus tantum ex ea familia, non vero Auſtriæ Archiducibus paruiſſe.

Suitiorum pagus ad ripam iacet Lucernenſis lacus, ad dextram, qua Lucerna Altorfum itur. Ab Oriente finitimos habet Underwaldios, infra & ſupra ſylvam, ab altera parte lacus, ubi populi, Roma quódam exacti habitarunt, poſitus eſt ad occaſum. Pagis his olim, iam aſſerta libertate, Romani Imperatores iudices dederunt, qui tamen nullam adminiſtrandæ Reipublicæ, ſed ius tantum dicendi poteſtatem, habebant. Horum aliqui eiecti, aliqui etiam ab hominibus libertati aſſuetis, male multati, & morte etiam fuerunt affecti: quod munere ſuo ad ſcelera & libidines aburerentur, ut quidam apud Underwaldios ſive Sylvanos, qui robuſtum juvenem, tanquam bovem iugum ſuſcipere iuſſerat: quod quum ille facere recuſaſſet, per vim eum cogere voluit: & fuga elapſo iuvene, iratus petulantiſſimus judex, miſero hominis patri oculos effodi iuſſit. Alius quidam eodem in pago honeſtam fœminam, marito abſente, balneum ſibi parare, & una ſecum lavare iuſſerat. At fœmina rem eo uſque diſtulit, dum maritus reverteretur: quare intellecta, iuſta indignatione accenſus, iudicem ſecuri occidit.

Apud Suitios & Urios alius quidam iudex mera petulantia, vel ſtultitia potius inſtigatus, palo in loco publico iuxta viam pileum ſuum impoſuit, addito mandato, ut omnes illac prætereuntes, pileo illi ſuo

honorem, & reverentiam exhiberent. Id quum Guilielmus Tellus, cordatus homo facere nollet, iudex vocatum ad se acerbe increpavit : deinde pomum capiti pueri (is vero ipsius Guilielmi erat filiolus) impositũ, sagitta petere, & ferire iussit. Per aliquot dies tergiversatus miser pater, tandem, quum vim sibi patratam cerneret, rem aggreditur periculi plenam, artis suæ (erat enim iaculandi pertissimus) & Dei imprimis beneficio adiutus, illæso filio, pomum ferit. Quum vero duas sagittas in promptu haberet, rogatus à iudice, quidnam altera illa facturus fuerit? Ego, inquit, si charissimum mihi filium læsissem, alteram illam statim in te fuissem contorsurus. Iratus præfectus, hominem captum navigio imponi, & domum suam abduci in carcerem iubet: at homo locorum peritus, delusis custodibus, per asperrima montium iuga aufugit, & ad populares reversus, vehementi oratione, & gravissimis querelis, & eorum, & vicinorum omnium animos accendet.

His iniurijs, & aliis præfectorum sceleribus, tres illi populi, Urij scilicet, Suitij, & Underwaldij irritati, Iudices omnes, sive præfectos suis regionibus eiecerunt, communi inter se facto fœdere, cui postea reliqui etiam pagi, ut infra ordine dicemus, nomen dederunt. Anno MCCCIV. exorto gravi in Romano Imperio schismate, quod Electores Septẽviri alij Ludovicum Bavarum, alii Fridericum Austriacum ad Imperium vocassent, iam dicti tres pagi Austriacum pro Imperatore agnoscere recusarunt, ut qui pauciorum suffragiis electus esset. Quare Austriacus Leopoldum filium cum exercitu ad Suitiorum pagum oppugnandum misit: tanto faciliorem sibi promittens victoriam, quod à Bavaro illis auxilium ferri non posse, quasi pro certo haberet. Vix Legionem ingressus Leopoldi, quamvis lectissimus exercitus, mox undique à tribus illis populis cæsus, ac profligatus est, loci imprimis commoditate adiutus, hinc montibus, illinc aquis & stagnis undique cinctis; nec parum profuit eis tum temporis commoditas, viis passim glacie adstrictis: adeo, ut equorum in prælio nullus omnino fuerit usus, sed vel solo lapidũ, è montium iugis iactu, tantus hosti terror incussus, ut multi ultro se in lacum præcipitarint.

Circa idem tempus idem Imperator Fridericus Stamburgio comiti, Underwaldiis finitimo, eos oppugnandi negotium dederat, quem tamen illi, quãvis nullis exteris auxiliis adiuti, facile aditu prohibuerunt. Postquam vero tanti belli onus iam dicti tres pagi per biennium sustinuissent: tandem, ut dicere cœpimus, in unum quasi Reipublicæ corpus sese colligarunt, quod trium pagorum dictum est, icto in certas leges fœdere.

In nomine Domini, Amen. Quum hominum memoria sit valde debilis, & rerum successus, qui perpetua memoria conservari debebant, oblivioni facile tradantur: utile sane, & necessarium est, ut res, quæ ad pacem, quietem, utilitatẽm, & honorem spectant, scriptis & Instrumentis publicis, sive diplomatis consignentur. Quare nos Sympatriotæ, Urj, Suitij & Underwaldi, notum facimus omnibus, præsentem hanc scripturam lecturis, aut legi audituris, quod ad occurrendum temporis difficultatibus, pacem, quietem, & concordiam inter nos conservandam, & vitam ac bona nostra tanto melius tuenda, communi consensu fœdus fecerimus, idque stabili, & perpetuo iuramento firmaverimus, ac promiserimus, nos consiliis invicem adiuturos, & personas nostras, & fortunas impensuros, tam extra, quam intra patriam, contra omnes illos, qui vel personis nostris, vel fortunis vim inferre, aut quidquam, quod in damnum cuiuscunque nostrum redundare possit, tentare cõnati fuerint: Contra hos tales promittimus nos, vim passis auxilia pro viribus præstituros, & iniuriarum auctores, vel vi, vel ratione ad satisfactionem coacturos.

Secundo, conclusum inter nos est, & stabilitum, ne cuiquam nostrum Cantonum sive pagorum, multo vero minus cuiquam privato liceat dominatum occupare, aut dominũ recipere, sine aliorum consilio, & consensu, sed potius, ut omnes utriusque sexus, in debitis, & honestis rebus, veris suis dominis obedientiam præstent, iis tamen exceptis, qui ferro patriã invadere, aut iniustum aliquid imperare præsumpserint, quibus, quamdiu à nostris dissidebunt, nullum omnino obsequium, & servitium est præstandum.

Tertio, conclusum item est, & stabilitum, ne quisquam nostrorum pagorum aut confœderatorum, extraneum quemcunque, sine consilio, & consensu reliquorum pagorum, & confœderatorum, auxilio iuvet.

Quarto, conclusum item est, & stabilitum, ne quis confœderatorum cum extraneo quoquam, sine reliquorum confœderatorum assensu in ullam transactionem descendat.

Quinto, si quis forte aliquem dictorum pagorum civem prodiderit, aut in aliorum manus tradiderit, aut quidquam horum supra & infra scriptorum non observarit, illum pro turpi proditore, & nullius fidei homine haberi, pagorum magistratibus tradi, & bona eius publicari iubemus.

Sexto conclusum item, ne quis uspiam toleretur iudex, seu iuri dicundo præfectus, qui vel pecunia, vel alio illegitimo modo munus illud sibi acquisierit, aut qui non sit Sympatriota.

Septimo, si inter confœderatos dissidium, aut etiã bellum exsistat, eorum est, qui meliores, & prudentiores habentur, sese interponere, & discordiam, turbas, aut bellum modis omnibus tollere & sopire, contradicentem vero, sive æquas suscipere conditiones recusantem, ipsius contradicentis sumptibus, ac damno ad officium, communi auxilio revocare.

Octavo, si item inter pagos ipsos discordia, aut bellum ortum fuerit, & unus eorum æquis rationibus acquiescere nolit: reliqui pagi cæteris contra hunc contumacem, & inobedientem, & quidem huius ipsius sumptibus, & damno, succurrere teneantur.

Nono, si confœderatorum quis alterum occidat (nisi defendendi sui causa, coactum id se fecisse probarit) & fuga sibi consulat: tum hic, qui talem hospitio susceperit, aut defenderit, itidem pro bandito, sive proscripto habeatur, nec in patriam reverti ei liceat, nisi communi pagorum consensu admissus fuerit, & absolutus.

Decimo, si forte confœderatorum quis alterius domum incenderit, & aufugiat, ei nulla unquam in patriam revertendi concedatur venia: qui vero talem hospitio susceperit, aut auxilio iuverit, damnum passo id resarcire teneatur.

Vndecimo,

Vndecimo, nemo confœderatorũ de altero pignus aliquod capiat, aut auferat, niſi ſecuritatis cauſa, neque id ſine ſuo facere poſſit iudice.

Duodecimo, omnes, & ſinguli ſuo quiſque iudici, ſive præfecto, obedientiam præſtare, coram eo comparere, & cauſam dicere teneantur.

Decimo tertio, ſi quis iudici ſeſe oppoſuerit, aut ei obedire recuſarit, vel ſua obedientia cuiquam confœderatorum damnum cauſſatus fuerit, reliquorum confœderatorum eſt, talem ad officium reducere, & ad ſatisfaciendum ei, qui damnum paſſus eſt, cogere.

Decimo quarto, ut fœdus hoc, & capitulatio, & omnia ſupra ſcripta, & comprehenſa in perpetuum firma ſint, & ſuum vigorem retineant, Nos Sympatriotæ, & concives, Urij nempe, Suitij, & Underwaldi, ſigilla noſtra præſentibus litteris appendimus, quæ ſcriptæ ſunt in Uren Anno M CCCXXV. Kalend. Martij poſtridie S. Nicolai, &c.

Porro eodem anno Ludovicus Imperator ſupradictis pagis omnia privilegia confirmavit & rata eſſe iuſſit. Nos poſthac in cæterorum pagorum deſcribendis fœderibus tanto erimus breviores, quod primum hoc ſit quaſi cæterorum fundamentum & exemplar.

Sopitis, quæ diu ob prædictum ſchiſma, Imperiũ afflixerant, diſſenſionibus, exemplo, & libertatis dulcedine invitatæ reliquæ Helvetiorum urbes, ſive pagi, quum irritare eas, ac laceſſere potentes vicini non deſinerent, idem fecerunt, & inita cum prioribus (*Uris* ſcilicet, *Suitiis*, & *Underwaldis*: qui confœderationis, ut diximus, initium fecerant) & inter ſe ſocietate, eaque arctiſſimis fœderum legibus devincta potentiam confecerunt vicinis facile parem, quæ ſociorum acceſſione, & victoriis adaucta, iiſdem etiam formidabilis evaſit.

Lucerna fœderi trium pagorum, quod ann. Chriſti M CCC VIII. factum fuerat, prima acceſſit, Anno M CCCXXXII.

Tigurum fœderi nomen dedit An. MCCCLI.

Berna fœderi Helvetico iũcta eſt An. MCCCLV.

Tugium ſive Zug, An. MCCCLII.

Glarona cum Tugio ſimul & eodem tempore in fœdus recepta eſt.

Friburgum & Salodorum ſimul A. MCCCCLXXXI. in fœderis ſocietatem venerunt.

Baſilia Anno MDI. ſe decem pagis fœdere iunxit.

Eodem Anno Schafhuſa in numerum pagorum recepta, cum undecim pepigit.

Abbatis Cella Anno MDII. numero pagorum eſt accenſita. Et hæc prima Helvetiæ pars eſt, XIII. pagis (quos Cantones vocant, uti diximus) conſtans.

Hi ſoli hoc iuris habent præ aliis confœderatis, quod de omnibus, ad Helvetiorum Rempublicam ſpectantibus, in publicis conventibus deliberant, & ſuffragia ferunt, omnium totius civitatis commodorum, & incommodorum participes ſunt. Præfecturas, quas communibus viribus acquiſierint, pari iure adminiſtrant, & reliquæ prædæ publicæ exæque ſunt participes. Secunda pars ſunt Fœderati, ut Abbas, & oppidum S. Galli, fœdere iunctum quatuor pagis Helvetiorum Anno MCCCCLV. & poſtea Anno MCCCCLVI. cum ſex pagis, Tiguro, Berna, Lucerna, Suitia, Tugio & Glarona in perpetuum. Rhætorum populus, ſive *Griſonum* (vulgo Graupuntner) cum VII. veteribus pagis æternum fœdus pepigit Anno MCCCCXCVII. Curienſes vero, quorum ſocietas *Domus DEI* vocatur, Anno MCCCCXCVIII. Tertia ſocietas, quæ *decem Iudiciorum* vocatur, cum Helvetijs non pepigit: ſed quia duabus prioribus æterno fœdere cohæret, etiã Helvetiis amicitiam, & fidelem ſocietatem præſtat.

Sedunum cum Valeſia tota, æternum iniit fœdus cum Bernatibus An. MCCCLXXV. Et poſt, quum religionis cõtroverſia orta eſſet, Hadrianus Epiſcopus Sedunenſis, & ſeptem Decumæ Valeſianorum, fœdus fecerunt 1532. Friburgi cum ſeptem pagis Helvetiæ, Lucerna, Uria, Suitia, Underwaldia, Tugio, Friburgo, Salodoro, ex integro Romanæ religioni adhærentibus.

Rotweil primo fœdus iniit cum Helvetiis Anno MCDLXIII. in annos quindecim: quod aliquoties renovatum, Anno 1519. perpetuo ſancitum eſt.

Mulhuſen Anno MCDXX. Helvetiis ſeſe coniunxit. Bienna Piel, Bernatibus ſe fœdere aſtrinxit annis 1303. 1306. 1352. ac 1367. arctiſſimo. Geneva ius civitatis cum Bernatibus pepigit, idque arctius firmavit Anno MDXXXVI. nondum tamen communi pagorum civitati, ſive corpori inſerta eſt.

Tertia in parte ſunt præfecturæ, armis aut ſpontanea deditione acquiſitæ. Turgovia A. MCCCLX. in poteſtatem Helvetiorum redacta. Cui VII. veruſtiores pagi imperant. Aquenſis, ſive Badenſis ſubiugata 1415. cui 9. primi pagi imperant. Rheguſci, Anno MCDCI. conquiſita, à VII. primis pagis, & XIII. regitur. Sarunetũ, Sargãs vulgo, A. MCDLXXXIII. à Georgio Verdenbergenſi Comite VII. primis pagis venditum, quibus etiam regitur. Liberæ provinciæ captæ Anno MCDXV. ſeptem veterum pagorum agnoſcunt Imperium, Lugana, Locarnum, Médreſium, Vallis Madia. Hæ quatuor præfecturæ, ex dono Maximiliani Sforziæ Ducis Mediolanenſis, Anno MDXIII. in Helvetiorum poteſtatem venere. His omnes pagi præſunt, excepta Abbatiscella. Belitonum, vel Bellizona, cuius imperium ad III. pagos ſpectat, eiſque confirmatum eſt An. MDXIII.

Valeſia, quæ itidem Helvetico fœdere comprehenditur, tres populos, ac proinde triplex complectitur fœdus. Duo priores ſunt Viberi, & Seduni, qui uno nomine liberi Valeſii ſuperiores dicuntur, & in ſeptem conventus, quos Decumas vel Decinas vocant, diviſi ſunt. Veragri, qui & Valeſiani inferiores, ſuperiorum imperio parent. Omnium tamen Princeps eſt Epiſcopus Sedunenſis, qui ſummam, tam in Eccleſiaſticis, quam civilibus rebus auctoritatem obtinet, & Comes, atque præfectus Valeſiæ nominatur.

Porro Helvetiorum Reſpublica ex optimatum, & populari imperio miſta eſt. Etenim ex his populis, quibus tota civitas conſtat, quidam Democratico imperio utuntur, ubi totius plebis conſilio fere omnia aguntur, veluti in his pagis, qui nulla habent oppida, uti ſunt Urij, Suitij, Underwaldi, Glaronenſes, & Abbatiscellani, & par ratio eſt Tugiorum: quamvis hi oppidum habeant. Alii ab optimatibus reguntur, ut omnes urbes Helveticæ: Tigurum, Berna, Lucerna, &c.

Sed quum poteſtas ſumma penes populum ſit, à quo Magiſtratus eliguntur, miſtæ ſunt hæ Reſpublicæ, & aliæ plus Ariſtocratiæ, aliæ plus Democratiæ, habent/

habent: ut ſic inde longe firmiori inter ſe cohæreant robore propter conformitatem ingeniorum, præ cūctis vicinis, & iis, qui ſe in Monarchico ſtatu prædicant maxime glorioſos. Etenim Helvetij ferme ſoli tunc fuerunt à principio, qui fundamentum veri regiminis reſpexerunt, in quo unice ſitum ſit, quod alii præ nimia animi vaſtitate adeo contumelioſe in dilectione Dei, & proximi ſui negligunt, ut inde nil, niſi perpetuo odio, invidiæ & æmulationi ſint obnoxii. Nihil enim fortius, & conſtantius conſtringit hominum ſocietates, quam mutua dilectio, & amor: Iſte ſi concidat, facile quoque omnis expirat veneratio, reverentia & metus; ac quiſque in aſtutam abit deſperationem; unde tot bella civilia, & motus exurgunt. Quod certe ibi non eſt metuendū, ubi populatis ſtatus æquali amoris, & Iuſtitiæ colligitur, conſervaturque vinculo. Quippe quid eſt Reſpublica, niſi umbra conglutinationis, quæ non potentiam ſuam ex populi viribus, & virtutibus adſumere ſibi rite noſcat? Quare fit, ut etiam peſſime illi Rempubl. adminiſtrent ſæpius, qui præ granditate dignitatis ſuæ neſciunt potiſſimum reſpectum in populum conicere. An non illi, qui ſuccū & ſanguinem cum vita Imperio, aut Reipubl. alicui pro iuſta conſervatione, & fomentatione ſubminiſtrant, ſuum debitum ſemper mereantur reſpectum? Imo ante omnia ſemper in quavis durabili Republ. populi cura principaliter habenda eſt.

Etenim ſi communio cernit, ſe non tantum deſpectui eſſe ijs, in quos eius potentiam, & nervos boni ſtatus cauſa contulit, ſed etiam emunctionibus nimiis, & exactionibus eorum ſe exponi, nunquam non certe contraria ex inſtinctu quaſi naturæ moliri pergit; nec deſiſtit à technis ſuis unquam, donec ſervitute hac ſe denuo expediat, & in libertatem, cuique ingenio liberali innatam, vindicet, quod tot civitatum ſeditiones & tumultus: præſertim motus illi crebriores in Civitatibus Hanſeaticis luculentiſſime teſtantur, ubi ſat ſemper frequētes fuerunt, quoties vel inſolentia regentum, vel exactiones novæ eorum fuerunt ſuſpectæ vulgo. Quare recte fecerunt Helvetij præ cunctis aliis populis, & Nationibus, qui ſatis accurate perſpecto hoc regiminis fundamēto, in populi mutui amorem omnem depoſuerunt regiminis ſui formam: Velut & contra omnes illi peſſime agunt, qui populi favorem tam ſupine negligunt, nec id magni æſtimant, quod tamen omnium principaliſſimum eſt, & eſſe debet in quovis ſtatu regiminis. Tyrannidem ergo illi potius, non iuſtam adminiſtrationis exercēt gubernationem, qui quidvis ſibi licitum ex potentiæ ſplendore putant, & hinc non verentur axioma confingere tale, *quaſi in cauſis iuſtitia ſemper pro magiſtratu præſumi quid debeat*, quum tamen nemo facilius in errores, & peccata: imo & delicta quævis gravia incidat, niſi magiſtratus, locū ſuperſtitioſius in inſolentia tenens.

Tam facile omnis potentiæ dignitas excæcare ſolet homines; nec tamen populum quid acerbius offendit, quam deſpectus ſui, quum noſcat, & ex naturæ inſtinctu intelligat ſat debite, omnem honoris in hoc cultum cum robore èx ſe apud tales, quos ſibi ſuperiores fecit, & decrevit ſua electione, ſumpſiſſe originem. Hinc quam iuſtiſſime confœderati Helvetij ſe inter ſeſe fratres appellitant, abſque ullo religionis in diverſitate articulorum reſpectu; quaſi omnibus æqua paritas in amore Reipubl. competat ſimul; ne ſuperior præ inferiori quid ſibi adſcribat ſingularitatis, ut æquior forma, & Chriſtianitati accommodatior, vix uſpiam alia affulgeat. Sed de Helveriorum regiminis forma, tam univerſali, quam ſpeciali poſtea quid plenius explicabimus, modo iam Cantonum conditiones paucis hoc perluſtraverimus.

Univerſa igitur Helvetia, uti ex iam dictis appareret, in 13. pagos diſtributa, unaquæque eorum ſuam propriam Iuriſdictionem, propria quaſi iura, Iudicium, regimen, & cognitionem cauſſarum particularium habet: Communes autem, & publicas cauſſas, quæ communem concernunt ſtatum, & privilegia, libertatemque eius univerſalem, in communi diſcutiunt conſilio, quibus ſua conſtituunt comitia, ubi per legatos ſuos, qui mittuntur cum inſtructionibus certis, ſingula peragunt. Cum corona Franciæ fœdus pepegerunt ſub Rege Ludovico II. quod poſtea cum iiſdem Franciſcus I. Rex renovavit. Unuſquiſque pagus quotannis ex fœdere hoc pro utilitate ſua ſibi 3000. Coronatos aureos fructum ſumit, & eo fruitur nunc in hac, nunc in alia ſpecie: velut ſatis perſpicaces, & providi in hoc ſunt, ſi quid lucri, & utilitatis ex vicinis in publicum ſalutem cōvertere poſſint ſuam. Gallis quidem ex vicinitatis iure favent ſatis; attamen quum res illorum internæ ita diſtractim ſe habeant, ut motu leves ſint, nec facile ad ſolidam pacis tranquillitatem redigi queant, 7. Canthones Catholicæ fœdus quoque cum Hiſpania inierunt tale, quod minus ingens illis afferat commodum, quod ex Ducatu Mediolanenſi ad eos confluere queat; præterea alia honoraria, & optima accidentia, quæ quotannis inde ex variis cauſſis adiiciuntur.

Ut vero nonnihil ordinatim de iis in particulari dicamus, ita ordine inter ſe cōvenienti ponuntur cōfœderati Helvetij. Primum locum tenent Tygurini inter pagos & Canthones, quoties in publico conventu conſiliorum communium comparent: quibus etiam hoc adſignatum eſt tunc officium, ut publico nomine omnium Regum, & Principum Legatos, ad eum locum miſſos, gratulationibus, aut ſalutationibus excipiant, honoreſque debitos iiſdem deferant. Hos ſequuntur Bernenſes, quum reliquos potentia, dignitate, & ſplendore aliquo ſitus exuperare videantur: Velut & Lucernenſes poſt hos ſibi tertium ex pari ferme ratione locum adſcribunt: Urienſes his proximi ſunt in quarto ordine. Switenſibus autem quintus hinc locus adſignatus eſt, quod omnium vetuſtiſſimam ipſis Helvetiis deputent gloriam nominis & confœderationis, licet non adeo divitiis, quam animoſitate præpolleant. Underwaldenſes ſexti in tali habentur ordine: Zug-ſive Tugienſes ſeptimi: Glarienſes octavi: Baſilienſes noni: Freiburgenſes in Nuchtlandia decimi: Solothurnenſes undecimi: Schaffhuſani duodecimi; ac demum Abbatis cellēſes decimitertij, quorum ſedes octo oppidis verſus Rhetiam ultra civitatem Sanct. Galli incluſa tenentur.

Pagis vero his 13. pedetentim inter alios, uti ſupra indicatum eſt, acceſſere tandem Mulhuſani, Rotweilenſes, & alii plures vicinitate locorum, & regionum iuncti, ut nunc confœderatorum tractus 22. pagis, aut Canthonibus circumſcribatur in potentia

tentia vivida, & ſolida, nec ullam inter membra ſua diſtractionem admittant. Tanta fidelitate fida conglutinati conſtanter cohærent: inter quos Abbas S. Gallenſis eſt cum civitate eiuſdem nominis, licet Principis Germaniæ locum in dignitate defendat. Verum brevibus principales hos locos iuxta dictum ordinem percurremus, ut eo manifeſtior totius rei comprehendatur elucidatio.

1. TIGURUM Urbs perquam antiqua perhibetur ad lacum cognominem, ſive ab ea ſic dictum, cuius longitudo ad 30000. paſſus ſe extendit, ſita. Qui accuratam ipſi attribuunt originis ſuæ ſupputationem, affirmare non dubitant, quod anno 16. poſt Trevirenſis Urbis ædificationem, exordium ſumpſerit ſuum; alij ad 30. annum excurrunt. Alii ipſi annũ 1700. ante Chriſtum natum attribuunt, ut ipſius Conditor Suevus, Rex Germanorum, & Sueviæ extiterit, & mox Duregum, quaſi civitas duorum regũ inde vocata ſit, quod à duobus regiis ſucceſſoribus ſit perfecta. Alij geminum hoc appellationis nomen ipſi à Thurino Rege Arelatenſe potius adſcitibunt, ut eius origo ad annum 1917. ante Chriſti nativitatem foret reiicienda. Verum quum de talium rerum obſcura ambiguitate, determinata veritas inter tot dubia minus queat conſtitui, relinquemus illis verſiculos ſuos, quos diverſarum tot opinionum, & memoriæ non inglorioſæ cauſa in letopetario ſuo publico depingi curarunt. Illis autem temporibus, quum maximo prædominio præ aliis gentibus fulgerent, vigerentque Romani, & ſe Tigurini hi cum Cymbris adſociaſſent, ut reſiſterent illorum viribus, ac poſtea à C. Iul. Cæſ. eſſent victi, ſortiti ſunt ita præclarum nomen, ut non tantum inde eorum Imperio accenſiri fuerint; ſed etiam cum novis incolis Alemannis Regibus Galliæ paruerint, perque ſubſequentia ſecula Germanis Imperatoribus obedientiam præſtiterint, à quibus ob virtutes ſingulares, præſertim Friderico II. & Rudolpho I. multis ornati ſunt privilegiis, velut etiam, in luculentum eius rei teſtimonium, dictus Rudolphus Cæſar illis inſigne hoc addidit, quod coronam Imperialem exprimit. Ac quum ipſi bellum eſſet cum Rege Bohemiæ, centum eorũ cives nobili equitum ordine affecit, quos in fronte certaminis ob fortitudinem animi collocabat, ut primum exciperent conflictum, in quo maxima pars eorum occubuit. Inde Magiſtratus Tigurinus in æternam facti huius memoriam, ſinguli & cuiuſque inſigne in templi parietibus appingi curavit. Quum primum An. 1351. fœdere vicinorum excipierentur Tigurini, quintus quidem à principio locus illis attributus eſt; ſed mox ob antiquitatis, & præpotentiæ gloriam primatus in conventibus & legationibus expediendis ipſis conceſſus eſt.

Ditio huius civitatis, & territorium amplitudine ſua 9. maiores, & 22. minores præfecturas complectitur, inter quas comitatus Kiburgenſis, & Lauffenſis ad Rhenum numeratur, gaudetque ſingula ſuis propriis privilegiis. Ac licet Vitodurũ, ac urbs Steinavia, ſuos proprios agnoſcant Magiſtratus, & tempore belli ſua geſtent ſigna propria; tamen ditione Tigurina continentur. Iucundus eſt huius urbis poſitus in ea extremitate lacus, ab ea ſic dicti, ubi Limmaticus fluvius ſe effundit, in duas civitatem dividens partes, quarum una maior ex magnitudine, altera minor dicitur: Connectuntur tamen iterum inter ſe admodum ſcite artificio in trinis nunc pontibus extructo. In medio cuiuſque pontis iucundiſſimi aſpectus fons eſt, per lepidos canales exprimens limpidiſſimas aquas, quæ totis ſuppoſitus ſic ebulliunt: quin etiam urnæ illi appendent, quibus ex flumine Limmatico undæ hauriri, & extrahi queant. Serenitas aquæ huius tam pellucida eſt, ut usque ad imum perſpiciatur eius fundus.

Cives & incolæ huius urbis uſque adeo libertatis ſunt amantes, ut nunquam extraneorum principum, aut regum fœderibus ſe inquinari, aut vinculari ſe ſinant, velut nec ullo aliis ſe exponunt precio, quod moris alias eſt apud reliquos Helvetios; quam gloriam inde ſibi quaſi peculiarem fecerunt præ ſociis ſuis. Quare & Tigurenſium conſtantia in maximo cenſetur æſtimio; velut etiam prudentia eorum non minor eſt: in coactione conſcientiarum nefas recte putant ſibi quid imperii ſumere, aut vendicare: unde pietatis ſtudium libere exercetur apud cordatos, quo nihil potius habent, quam ut vere religioſi, non fucatim, cunctis appareant. Odio proinde extremo habent, qui aliud quid ore promant, quam facto præſtent. Vitam & actiones ita ſemper conformes verbis in quovis expetunt, qui velit in veritate à bonis amari. Quare non mirum eſt, quod virtutes omnes tam ſapienter veritati accenſeant. Hanc laudem certe inſignem in nuperrimis literis ſub dato Tig. 1. Septembr. An. 1639. ad me vir optimus inde Dn. Matthias Hirtzgarterus, Mathem. & Medicus inſignis ita confirmat, ut unicæ cauſſæ tranquillitatis, quod ibi adhuc integra inter tot Germaniæ tumultus floruerit, citra offenſionem ullam, communis faciat. Etenim quid non ambitio, & avaritia, ſi nimiam ſibi affectationem adſcribat, in publicis deſignat. In quæ non ſe præcipitat pericula, aut quibus parcit ignominiis, ſi plus æquo in amorem ſui quid convertere conetur?

Nec ſane exiguæ eſt prudentiæ, virtutes veras Chriſtianas à falſis, & ex opinione præſumptis bene diſcernere, quum hodie ferme deſipiant in hac ætate omnes, ut virtutis nomine id ſumme collaudent, quod maxima fomentat vitia, & crimina extrema inculcat omnibus. Nec minus tamen Tigurenſibus ſua non deſunt exercitia in politicis actionibus. Si opus ſit, poſſunt ſuos ſatis exercitatos producere cives; velut etiam perquam bono inſtructi ſunt armamentario. Conſpicitur ibi area quædam inſignis, lapidibus levigatis elevata, in qua plures conſitæ ſunt tineæ, ſub cuius frondibus poſitæ inveniuntur undique menſæ, ad quas tempore æſtivo colloquii, & recreationis cauſa cives confluunt; ubi etiam non deſunt, qui arcu iaculantur, aut ſimiles luſus ſerios intermiſceant pro lubitu. Sclopetarium autem extra urbem poſitum eſt, ubi cuivis ſua proponitur meta, ſi extra ordinarium exercitium quis quid affectet. Qualis vero regiminis ſit forma illis, id poſtea inter cæteras explicabitur civitates. Sufficit hoc ſaltem hoc ſcire, quod ſingulæ tribus ternos conſilio minori, & magiſtratui urbico nobiles vere ſenos homines adiungant præter ſex alios, qui liberis ſuffragiis in magiſtratum eliguntur. Sed convocatio ſenatus diverſimode ſe habet, quod ſuo explicatur loco. Regio circa eam civitatem ſatis eſt fructifera, ut fœcundos in vino, omniſque generis frumento, & quæ ad vitæ neceſſaria requiruntur, proventus paſſim circa ſe

caſe quidem edat; ſed vini maturitas potiſſimum ex eo exurſit, ſi per aliquot annos in cellis conſervetur. Frumentarium tamen habet adeo promptum, ut ſingulis ſeptimanis ex eo quid divendatur; ſicut & piſcium multitudinem Lacus cum fluvio Lindmago ſat largam civibus, & incolis ſuppeditat.

2. BERNA verſus occaſum hinc ad Aram, ſive Arolam fluvio ſita eſt Urbs; licet, ut inde ſe primum An. 1352. confœderatis adſociarit, non adeo vetuſta ſit; tamen potentia, & civilitate, & inde ſecundum merita eſt locum, prævalet. Arola fluvius ita heic obliquatur curvitate ſua, ut ferme undique urbem inſtar peninſulæ includat. Diſſidet ſex milliaribus, ſi cuique milliari hora una attribuatur, à Friburgo Nuchtlandiæ, cui ad medium itineris huius curſum fines conterminos obiicit. Nomen autem urbis ſplẽdidæ & elegantis ex Germanico eſt, illi à conditore ipſo non ſine convenienti inſtituti ratione impoſitũ. Etenim quum Duci Berchtoldo Zaringenſi diuturna lis eſſet cum ſuis, & vicinis nobilibus, nec deeſſent variæ perſecutiones clandeſtinæ, Dux ille cogitationes de condenda civitate, ſecuritatis maioris cauſſa ſuſcepit. Non procul ab Arce eius Nidecca diſſita erat ſylva maxime ex quercubus denſiſſimis conſtans; in qua quum exerceret venationem ex præſtituto, inter feras maiores urſus quoque captus eſt, unde ſtatim nomen urbi ſuæ addicere, & imprimere ipſi libitum fuit, ut quaſi terrori eſſet invidis æmulis ſuis in omine tali, & loco, ubi urbs condenda erat, utpote quæ commodiſſime ex huius ſylvæ, in ſacco ſic dicto ſitæ, lignis & arboribus extrui poſſet. Mortuus eſt autem Dux ille An. 1175. in ipſo operis incepti fervore, ut aiunt, ac reliquit filium unicum hæredem eiuſdem nominis, quem Bertholdum V. nominarunt. Is comitis Kiburgenſis filiam in matrimonium duxerat, quæ ipſi duos peperit filios. Sed quum apud nobiles inveteratum odium evelli nequiret, in hoc incubuere toti, ut ſtirpem huius Ducatus funditus diruerent. Ideoque omnem quæſiverе occaſionem, ut tenellos filios eius è medio tollerent, quod etiam veneno tandem obtinuerunt: quæ iniquitas, & malitia ſumma adeo commovit principem hunc, ut eo excitatiori conatu in odium, & opprobrium nobilium, opus huius urbis inceptum perficere ſtuduerit, & paucis annis iuxta optatum voti huius propoſitum aſſecutus ſit. Unde eius abſolutiorem vigorem ad annum 1191. referunt, quod alij tamen ſucceſſive factum putant; licet paulo ante privilegiis peculiaribus cives novos ſuos donarit princeps, & poſtea ad Romanum Imperium tranſtulerit, uti memoriam huius rei æternam deſcriptione fecerunt in turri ad ædes Urſinas, ubi id legitur, quod An. 1191. Urbs hæc ſit condita, & Regis Rom. Friderici Privilegiis ornata. Tum quoque in rei iucundæ, & fructuoſæ adeo recordationem conſtitutum eſt, ut ſemper 4. urſi in loco deputato ſuſtententur, abſque intermiſſione. Ac germanicus turri dictæ inſcriptus eſt hic rithmus:

Du Holtz nun laß dich hawen gern/
Dann dieſe Statt ſoll heiſſen Bern.

Diem ſuum autem ultimus illius familiæ Dux Anno 1218. obiit, ubi tunc Imperator Fridericus II. huic Urbi iuxta communem conſuetudinem prætorem quidem præfecit: ſed quum fidem eius promptam in civibus perſpexiſſet, poſtea liberiori ſtatu & privilegiis eos adauxit ita, ut ſuum proprium ſibi eligerent & conſtituerent Magiſtratum pro libera regiminis forma. Hac fortuna & occaſione ſic uſi ſunt poſtea Bernates, ut non deſtiterint variis modis ſuos extendere fines, præſertim quum vicini eorum comites Kyburgenſes, Habsburgenſes, & Sabaudiæ Ducet bellis atrocioribus infeſtarent urbem, quorum vindicta eo ſæpius fuit acerbior, quam ut æquitate poſſent aliqua conſopiri. Quare negotiis & expeditionibus ſuis ſat vigilantes in talibus caſibus ſe pro commodo civitatis ſuæ exhibuerunt, ut nunquam ſine lucro iis aliquis ceſſerit motus; præſertim quum populoſitas tali bellica virtute accreſceret, uti dici ſolet, ibi favor & concurſus vulgi, ubi fortuna. Namq; refertur, quod ultra 20000. milites ſæpius in campum producere potuerint, ut ſic conſternarint hoſtes viriliter. Præſertim magna ditionis auctio illis ex Germanis, & Sabaudiæ provincia acceſſit, quum ſimul Epiſcoparum Loſannenſem in ſuam redegiſſent poteſtatem; ut nunc 40. oppida inde plenis occupationibus poſſideant, quibus ſuas Præturas, ſive Satrapias, & præfecturas pro commodiori regiminis forma adſignarunt, ex quibus 27. Teutonicæ, 8. Sabaudicæ ſive Gallicæ, & 4. civitati dicatę feruntur: Tum quoque 4. præturas communi iure ex pacto ſingulari cum Friburgenſibus poſſidet, uti eſt Murdenſis, Schwartzenburgenſis, Granſonica, & Scherlinica, præter Cœnobia 9. Teutonica, & 3. Sabaudica, quæ itidem in præturas diſtribuit, quum Eccleſiaſtica bona non admittant, nec perferre poſſint, ut terreſtres poſſeſſiones corporales ſpiritualia dicantur bona: imo aiunt, homini Chriſtiano vero hoc competit, ut ſpiritualis ſit, & in Chriſto vere renatus, alias nil mũdani proprie ſpirituale dici, & eſſe poteſt. Sic iuxta D. Paulum ſpirituali homini, omnia ſunt ſpiritualia, ut non tantum clero, quod dici ſolet, ſed cuivis homini vere Chriſtiano, id eſt, in Chriſto, & ſpiritu eius renato merito ſpiritualitas adſcribatur; nec homo Chriſtianus proprie ſit, niſi idem ſpiritualis, quod omnibus Eccleſiæ miniſtris non peculiariter, ſed plane communiter competat cum ſingulis. Unde omnes quidem miniſtri in verbo Dei docti præ reliquis eſſe debeant, non tamen ſoli ſint ſpirituales, quod commune hoc habeant cum omnibus vere piis, & in Chriſto enutritis, qui iuxta hominem internum vivant. An. 1528. proinde religionis mutationem adſumpſerunt Bernates. Patrocinium quoque præſtant protectorii quodam inter ſe iure tribus oppidis liberis in pago Verbigeno, nempe Zoffingæ, Aroviæ, & Bruggis.

Inter bene meritos de ipſorum Republ. maxime numerant prætorem Nagelinum, cuius imago ad Armamentarii latus depicta eſt, quum ille Loſannã cum circumiacente ditione uſque ad Genevæ terminos occuparit: tum quoque Ulrici, & Rudolphi ab Erlach bellica fortitudine excellentium nomina apud illos inclita habentur. Et etiamnum (ſic anno 1601. ad conſules Albertum Manuelem, ac Ioh. Rodolph. Sagerum ſcribit quis ex Loſana Schola) ædificiorum pulchritudine, ſtructura, ſerie, & vicorum deſcriptione eleganti, civium multitudine, induſtria, robore; familiarum, maiorum imaginibus illuſtrium, nobilitate; pulchra legum moderationes Iudiciorum æquitate; pace concordi quæ ſunt Urbium fulcra: Senatorum ſapientia, auctoritate præſtantium,

ſtantium, qui Conſilio publico, & communibus negotiis, in curia, foro, & iudiciis præſunt, numero: complurium comitatuum, ſatrapiarum, præfecturarum, urbium, oppidorum, populorum diverſæ locutionis, ſive linguæ, latiſſimæque ditionis, quæ ampliſſimum Ducatum æquare, aut etiam ſuperare poſſet, ſibi ſubiectæ benigniſſimo Imperio ſic floret, ut merito ſplendidiſſimum totius Helvetiæ iubar cenſeatur, &c.

Etenim ſunt nonnulli, qui Bernenſium ditionem, & potentiam cum Mediolani Ducatu comparare ita ſolent, ut in talibus nuſpiam huic cedat: Velut etiã in ſplendore ædificiorum publicorum, & privatorũ non minor luxuria ibi conſpicienda eſt. Tres ſunt plateæ tamen civitatis huius principaliores, & oblongæ, quæ eam quaſi in tres regiones dividunt; ac ædificia ita condita, ut maximæ ex parte ſub fornicibus ab iniuria pluviarum tutus quis per urbem ambulare queat. Eſt uſitatiſſimum ſuperiori in Germania, & Helvetia genus monetæ, quod Batzænios vulgo dicunt, quorum 18. duplicati Imperialem cõficiunt thalerum, velut apud Belgas Stuverini ſunt, quorum duplicati 25. æſtimantur pro thalero. Taliũ Bazeniorum inventores, & incuſores fuerunt Berhates, qui nomen huic monetæ ex memoria ſui ſic impoſuerunt, quum Urſum, ſive Beren, quoque Bazen dicant, quaſi ex impreſſione figuræ ſuæ Bernatium divitias argenteas auguat. Anno 1341. inceperunt ſplendidiſſimum erigere templũ, in quo omnia victoriæ ſuæ ſigna appendi curarunt, ut inſtigamento ſint populo, & ſubiectis cunctis, quaſi potiſſima ipſis vigeant ſacraria. Campanæ magnitudo ſimul hic notabilis eſt, quum 237. centen. in pondere exprimat, & pelvinar eius 570. libras. Sic & armamentarium habent inſigne, ut ultra 20000. milites ibi armis inſtrui poſſint ſufficientiſſime cum omnib. inſtrumentis & munimentis, ad talem exercitum bellicum. Per portas autem ſaltem 4. patet aditus in civitatem, mœnibus, & vallis ſuis bene cinctam: Magiſtratus autem eligitur à civibus, ut in reliquis.

3. LUCERNA. Pagus hic nomen habet à Lucerna civitate: quæ initium, ut nonnulli volunt, è quodam monaſterio Anno DCCCLX. ſub Ludovico II. Francorum Rege cepit: cuius quidem etiam hodie extra civitatem ad alteram Ruſæ fluvij ripam veſtigia monſtrantur. Sicut & turris eſt ad ſuperiorẽ pontem, in qua lucerna poſita fuit, noctu uſui navigantium inſerviens, unde urbs nomen Lucernę accepit. Etenim ſita eſt ad Ruſam fluvium, qua is effluit ex Lacu amplo, Lucernenſi à dicta urbe dicto, & per quem ad tres pagos navigatur, ad pedem altiſſimi montis, quem fractum, & Pilati montem vulgo nuncupant. Locus urbi commodus eſt, quod hac iter ſit in Italiam per Alpes Lepontias, quem mõtem Sancti Gothardi hodie vocant, hinc merces ad Alpes ſubvehuntur, indeque in Italiam clitellariis iumentis, & viciſſim Italia merces per lacum, & Ruſam fluviũ in Rhenum, ac porro in Oceanum deferuntur. Urbs eſt ſatis amœna, & elegans, & dignitate, ac opibus florens, commune emporium Soitiorum, Uriorum, & Underwaldorum. Fœderi acceſſit Anno MCCCXXXII. ut ſupra dictum eſt: Cuius hæc vis eſt.

Primo Articulo Cæſarea Maieſtas, & S. Romanum Imperium excipiuntur, ut ipſa Lucerna civitas, ne ſcilicet quid unius vel alterius iuri, privilegiis, & antiquis conſuetudinibus per hoc derogetur.

Secundo eſt de finibus, antiquo more regundis.

Tertio & Quarto, ut pars una apud alteram cauſam dicat: & de iniuriis partis unius, reliquæ cognoſcant, & iniuriam facientem ad officium communibus auxilijs cogant.

Quinto, auxilium ſuis quiſque propriis ſumptibus ferat.

Sexto, ut controverſiæ melioribus, & prudentioribus ex unoquoque pago delectis, decidendæ permittantur, eorumque ſententiæ ſtetur, & detrectans ſuo damno, & ſumptu ad officium reducatur.

Septimo, ſi controverſia inter tres pagos exiſtat, & duo conſentiant, ut tertius Lucernatum opera ad concordiam reducatur, niſi manifeſta duorum pagorum utilitas aliud ſuadeat.

Octavo, ne alii ſine communi conſenſu in fœdus recipiantur, aut fœdera cum aliis ineantur.

Nono, ut nemini confœderatorum, niſi iudicis interventu, ab altero pignora capere liceat.

Decimo, ſententiæ ſe opponens, damnum in alios redundans, reſarcire teneatur.

Undecimo, ab uno pagorum proſcripti, in cæteris proſcripti indem habeantur, & tales ſuſcipiens, in eandem pœnam, non tamen capitis incurrat.

Duodecimo, ut fœderis huius caput aliquod violans, pro homine nullius fidei habeatur.

Orta deinde, de arbitrorum ad lites componendas, utrimque deligendorum numero controverſia, in conventu Sangallenſi decretum eſt, ut in tali caſu è Lucernatibus tot, quot à tribus pagis, ad hoc deligantur, & æqualitas, ubique, ſive tres pagi inter ſe, ſive à Lucernatibus, aut hi ab uno, aut duobus eorum diffideant, ſervetur. Occaſio huius fœderis, quum ex eo notabilis ſit valde, quod ex minima flãma in tantam incendii (ut dici ſolet) evaſerit conflagrationem, non incongrue à Ioſia Simlero ad notationem huius urbis ſic recenſetur; Habuerat autem hac (ait) Urbs ſub Abbatum (Murbacenſium, à quorũ uno Dux Albertus Auſtrius hanc emerat) imperio immunitates multarum rerum, & præclara privilegia, neque merum Imperium penes Abbatem erat: Cives ipſi oppidum ampliarunt, mœnia condiderũt, urbem ſuo arbitratu etiam tum temporis munierũt. Auſtrius quoque Princeps eorum privilegia ſe inviolata conſervaturum eſſe oſtendebat; uti nunquã in pollicendo liberalitas illi deerat. Sed non ita multo poſt ſub Auſtriorum imperio gravibus oneribus preſſi, bellum quoque cum finitimis pagis maximo ſuo incommodo gerere coacti ſunt. Nam & primi pagorum incurſionibus expoſiti erant, & domi maximo ſumptu præſidia alebant. Turris, Seburga hodie nominata, teſtimonium præbet noſtræ narrationi, in qua excubias ad lacum adverſus claſſium irruptiones agebant: quumque neque bellum apertum eſſet, neque pax fida, ab Auſtriis non defendebantur iuſtis copiis, & nihilominus commercia peribãt, agri vaſtabantur, cives ab hoſte ſæpe intercipiebantur. Accedebat huc, quod una cum Glaronenſibus bello adverſus Ludovicum Imperat. Orthonem Ducem Colmariam ſecuti, promiſſis ſtipendiis defraudabantur: & quum in aliis bellis ſumptus feciſſent, & accepta Syngrapha non parum pecuniæ præfectis Auſtriorum credidiſſent, non modo nihil recipiebãt,

sed ita tractabantur, ut omnis solutionis spes illis periret. NB. Assiduis igitur iniuriis commoti, quum sæpe Austrios interpellassent, & suppliciter ab iis petiissent, uti pacem cum pagis facerent, frustra re tentata, ipsi tandem pacem cum tribus pagis fecerunt, integris tamen Iuribus Austriæ domus, &c.

Sic desperationes sunt præcavendæ prudentibus, quæ extrema quævis tentare, & subire non metuunt. Lacus autem iste Lucernensis Ursam, nunc vulgo Rusam fluvium initio statim Urbis fundit, à quo in duas medio quidem discinditur partes; sed tamen tribus pontibus, & longitudine, & quod undique tectæ sint, conspicuis mirifice iterum connectitur, & adornatur. Ex his longissimus ad superius Collegium ducentos pæne passus extenditur: unus porro nudus Urbem quambrevissime nectit. Viros edit animi magnitudine præstantes; ingenia vero non aspernenda. Aliquot iam præfecturas possident: velut & sub eorum protectione est Surssæa & Sempachium: Ac licet hæc oppida bina suum proprium habeant Magistratum: tamen prætor Surssensis Lucernatibus iuramento obligatus est, & ijdem Sempachiensibus quendam prætorem ex solis civibus constituendi potestatem habent. Distat à Lucerna Uria quatuor, Suitia tribus, & Sylvania uno milliari Germanico, de quibus, ut primis Auctoribus fœderis Helvetici nunc agemus paucis.

4. Uria sequitur in hoc ordine, quæ & Urania dicitur: Est oppidum apertum, quod muro non est cinctum, quú iaceat in loco præruptis montibus obvallato. Uranij autem veteres dicuntur, quod sint à Taurisci orti, quorú regio Uria appellatur, quæ nil aliud est, quam communitas quędam pagorum communium, ad quam non facilis patet aditus, quum vallem non teneant magnam, montibus præcinctam. Etenim ab oriente versus Austrum Crispallo monte altissimo, per quem ad Rhenum anteriorem, & Rhetos, sive Grisones iter est; A meridie Gothardo, & summis Alpibus, qua Italiã respicit, in semicirculum, scenamq; velut cingitur: Inde vero monte frigido bifurcato quasi, quem & inde Furcam vocant, conclusionem accipit. Versus septentrionem autem Lacum Lucernensem attingit, ut non nisi navigio, aut per dictum montem Gothardi periculosa via queat aditi. Viros habet cordatos, prudentes simul, & vere contemptores vitæ, ubi pro libertate, & iustitia est dimicandum, uti confœderationis suæ exemplo id luculenter demonstrarunt, quo excitatos ita reddidere vicinos.

5. Suitia quoque sic est congeries pagorum, velut Uria, intercluſa nec minus montibus suis; longe tamen amœnioris, facilioriſque aditus est in situ suo. Septem milliaribus à S. Gallo distat. Robustos certe, animosos, belloque potentes, ac obstinatos in proposito, si quis eos offendat, edit homines; unde frequenter hostibus suis incussérunt terrorem. Volunt illis nomen Suiciorum à Suecis sic impositum, quum huc ex Suecia profugissent, qui novas sedes heic sibi velut in secessu quodam firmo quæsierant. Unde oppidum quoque Suitense ab origine conditum non tantum huic Canthoni nomen; sed etiam postea ob fortitudinem indefessam, & inemarcessibilem in universam Helvetiæ confœderatæ nationem se effudit, ut sic inde Helvetij passim etiam Swiceti, aut Schweizeti communi vocentur appellatione. Vitam sustentant ex his adminiculis, quæ terra compascua illis suppeditat, ut tenuiori victui sat sint adsueti, nec inde quid sibi imminui pati queant.

Quare non mirum, quod tam diuturnum, & indelebile per quadringentos fere annos cum Monasterio D. Virginis ad Eremitas, ob subducta pascua, & limites subtractos, bellum continue fere gesserint. A tempore enim Otthonis Magni, quum circa annum 950. Imperator iste Suitensibus his montes aliquot pascui talis ex possessione eripere, & Monasterio tribuere voluisset, licet & ab aliquot Imperatoribus Eremitani confirmationem obtinuissent, usque ad novi fœderis 10. annorum cum Urijs, & Sylvanis initionem An. 1303. cogi non potuerunt, ut animum possidendi à limitibus suis, & pascuis dimoverent: Etiamsi Eremitæ varias insidias, belli molitiones apud potentiores in Suicios hos magno conatu & adsiduo indesinenter tentarint, & conieceriut: donec tandem ex Abbatis Eremitani, & Comitis Montfortij instinctu Leopoldus Austriacus Alberti fil. circiter 20000. milites numero in Suicios educeret quidem pro sui exercitus parte dimidia, & alteram comiti Strasbergio contra Underwaldios deputaret. Sed licet Uriorum 400. Underwaldiorum 300. & sexcenti ex ipso Suitio pago, ac ita omnes mille trecenti in oppido Suitia convenissent, ut exiguus posset censeri numerus respectu Exercitus, quem hostis tam immensum in bina parte ad invadendum eos miseros produxerat; tamen die Othmari in loco, qui Morgatem dicitur, ita illustrem reportarunt victoriam, ut præter peditatum hoc prælio 1500. equites, quam plurimis suffocatis, & dissipatis, equorumque pedibus obtritis, perierint. Sic & Underwaldenses alteram partem Exercitus eodem die non minori virtute audaciæ exceperunt, ut Dux eius Comes Strasbergius ad primum impetum statim fuerit conturbatus, & milites eiusdem dispersi. Hæc victoria, *ait Ios. Siml.* fundamenta firmavit Helvetij fœderis. Itaque tum demum tres pagi fœdus, quod ad decennium saltem fecerant, in perpetuitatis durationem pepegerunt, & in literas retulerunt. Ab hoc fœdere Helvetij nomen acceperunt, ut dicantur Eydgnossen, quasi dicas iurisiurandi participes, aut eodem iuramento devinctos. Exteri Suizeros vocant, à Suitio pago; forte, quod primum pro libertate totius patriæ, & Nationis, pro uxoribus & liberis in eorum agro pugnarum sit: aut quia diutissime cum Eremitanis ob erepta pascua contenderunt, & primi omnium ex pagis tribus Austriorum irruptioni expositi fuerunt; & inter tres pagos maxima eorum fuit potentia, nomine eorum ut celebriori reliqui eorum pagi sunt comprehensi; & ab his deinde nomen ad omnes confœderatos demanavit, &c. Quin insuper pro maioris fidei constantia observanda, & perpetuo exercenda, ac ad mandatum Christi retinendum, in perpetuam rei memoriam quisque privatorum ad se invicem mutuo Fratres sese appellare non verentur honesto more, quod alii turpiter sibi dedecori putant. Suitiorum autem regio divisa est in 6. partes, quas nihilominus Quartirias vocant per abusum divisionis in hoc nomine.

6. Sylvaniæ pagus, aut Cantho, nomen sortitus est à Sylva interiacente Unterwalden, ut ita quidem duplex sit, superior, & inferior, & vocatur

inde

inde altera pars Lacus Lucernenſis 4. Waldſtetenſium. Multis pagis abundat, montoſa prorſus, latiſſimis tamen, atque fœcundiſſimis pratis referta eſt. Sylva interiacens appellatur Carna. Superiores Surnæ, vulgo Sarnenſe conſilium conſtituerunt, eoque univerſæ gentis ſigillum contulerunt: Inferiores Stantij, vulgo Stans, unde Stanſtadium præcipuũ oppidum eſt interſecantis terræ verſus Lacum Lucernenſem non procul ab angulo ſitum. Licet in conventu provinciali unum ſaltem teneant votum; tamen ſemper duos ad comitia pro impletione locorum mittunt Legatos. Sunt qui incolas Unterwaldenſes ab exulibus Romanis derivare non dubitant. Etſi fuerint Abbatibus monaſticis aliquo modo, & certis pactionibus ſubiecti; tamen ſua quadam peculiari libertate gaudentes, præfectos ab Imperio Rom. accipiebant, qui utebantur non abſimili Iuriſdictione, velut olim Burggravij apud Germanos. Si quid ſit dividendum ſtipendiis, vel aliis rebus, ſuperior Sylvania, quæ maior eſt, duas, inferior autem unam portionem accipit, ac nihilominus tota regio Unterwaldiæ nomine comprehẽditur. Tres hi proxime prædicti Canthones inter Rhætos, Lepontios & Viberos ſiti ſunt.

7. TUGIUM, vulgo hodie Zug, lautum eſt oppidum inter Tigurinos, & Suitos verſus meridiem inclinans ſitum ad Lacum eius nominis, qui quaſi intermedius eſt inter Tigurinum & Lucernenſem Lacum. Tugij Dux Leopoldus Auſtriæ cum toto Exercitu ſe aliquo uſque continebat, quum invaſionem in Suitios adornaſſet, & locum oportuniorem putaſſet, ex quo eos obrueret: Sed quum nobilis quidam Hunebergius ex eo loco clam epiſtola Sagittæ alligata pagos hos monuiſſet, præventione prudenti inde diſperſi eius ſunt milites, uti ſuperius dictum eſt. Apud Strabonem Toigeni vocantur, ut urbs hæc vetuſta puretur, cuius incolæ cum Cymbris in Italiam excurrentibus ſe coniunxerint. Mœnibus, & turribus ſatis munita eſt: aiunt tamen olim longe ampliorem fuiſſe, quum Anno 1435. Lacus inſidians ipſi duas ſubmerſerit plateas cum inhabitantibus cunctis. Extra muros parum habet Imperii. Poſt bella Inſubriæ augmentum accepit in ea facie, in qua adhuc cernitur: ac Anno 1352. veluti ſupra dictum eſt, ſe proxime iam dictis adſociavit pagis, ut cum illis pari frueretur libertate, & ſe ex nobilium ſurriperet perſecutionibus. Quippe cogebatur perpetuo alere præſidia, quibus Tigurini & Suitij infeſtabantur.

8. GLARONA, ſive Clarona, aut Glaris vulgo dicta, eſt oppidum apertum, nec ullo cinctum munimento: nihilominus tota ditio ita ſimul denominatur, quæ inter montana iacet altiſſima. Quippe vallis eſt iuxta Limagum fluvium non adeo ampla, ſed longitudine trium milliarium Germanicorum, cincta eſt à tribus partibus altiſſimis Alpium iugis, à meridie, & oriente Rhætos, ubi Limagum fluvium à Schwandenio egredientem excipit; ab occaſu autem Urios, & Suicios attingendo conterminos habet; à ſeptentrione Lacum minorem montibus incluſum ijs, qui ſe verſus Marchiam uſque ad Lacum ſuperiorem Tigurinum extendunt, reſpicit. Ubi vero verſus ortum Limagus fluvius ad oppidum Næfelinum, aut Nenfelium decurrit, aditus aliquis ad hanc regionem patet, quum alias undique ſecuriter obvallata munimentis montoſis videatur. Homines heic ex ſuis vivebant legibus, & Magiſtratum habebant ex numero quidem civium, ſed tamen electio, & conſtitutio eius erat penes Abbatiſſam Monaſterii Seconienſis, cui ita ſubiecti erant, ut tamen liberi eſſent ab omnibus exactionum & vectigalium oneribus, modo decimas cum conſtitutis redditibus, & cenſus certorum fundorum quotannis ſolverent. Ius autem Advocatiæ, & ſuperioritatis olim competebat Imperatori Romano ante Friderici Barbaroſſæ tempora, quum is ob vicinitatem, & propiorem inſpectionem Otthoni Palatino Burgundiæ id ceſſione aut donatione obtulerit. Sed quum pleniorem principatum in Helvetios affectaret Albertus Auſtriacus, etiam hunc locum ambire non deſtitit, ubi à Burgundiis Advocatiæ titulum acquiſiviſſent Habſpurgici; ideoque ſub eo prætextu Imperium abſolutum in Glaronenſes invitos vendicare cæpit ita dictus Albertus, ut iis quoque præfectos imponeret, ac quum Suandius Baro, illis locis charus & potens, patriæque amans, huic novitati ſe nonnihil opponeret verbis, ejectus eſt in exilium, & bona eius ſibi vindicavit fiſcus Habſpurgicus; quod etiam aliis obtigit familiis, qui urgere cæperunt promiſſum publicum, quod Albertus Auſtriacus Seconienſi Monaſterio, & Glaronenſibus ſub primo ingreſſu dederat, ſe iura, & pacta nunquam violaturum, aut à ſe alienandum quid ſuſceperum eſſe. Quare non tantum in diffidentiam incidere graviorem, ſed etiam, quum præfecti aſperius populum tractare inciperent, nec ius æquitati conſentaneum dicerent, nec vulgi querelæ apud principem quid valerent, inſolentias impatienter ferre cæperunt pridem.

Forte etiam ab ea parte, & quaſi à tergo Urios, Suitios, & Underwaldenſes invadere decreverat Auſtriacus; hoc cum ſenſiſſent, Helvetij prævenire apud non invitos amicos potius maluerunt. Ideoque eodem anno 1352. copias ſuas Glaronani duxerunt, ſacramento obſtrinxere, & fœdere ſimili ſibi perpetuo adſociarunt, ut ipſi ſuum conſtituerent ſenatum in libera populi electione. Ac ne irruptioni alicui obnoxii eſſent, prope vicum Næfelium vallem ſuam muro foſſaque profunda clauſerunt. Quamvis Waltherus à Stadio Auſtriorum præfectus, qui ſub mutationis huius tempore Weſenam conceſſerat, collecto aliquo exercitu Glaronenſes vindicare cuperet; tamen ab incolis ita prælio victus eſt, ut ipſe cum multis nobilibus obierit diem ſuum, & inde Glaronenſes à confœderatis hucuſque ſeparari nequiverint, licet varia molimina tentata ſæpius fuerint in iſta belli diuturnitate.

9. BASILÆA, quæ cum ditione ſua nonum in ordine conſtituit pagum; Urbs hæc amplitudine & ſplendore vincit omnes reliquas confœderationis, quum olim Imperialis fuerit libera, cui multa auxilia in diverſis bellis, ceu caput Rauracorum, præſtitit; multa ſimul pericula variis modis pertulit. De vera eius origine, velut & nominis deſignatione, non omnium eadem eſt opinio. Erenim ſunt, inter quos Cluverius, qui Baſiliam, non Baſilæam eam vocari rectius putant, quum non tantum in veterum libris Baſilia, ut apud Ammianum Marcellinum videre eſt, nominitetur; ſed etiam à nonnullis perhibeatur, quaſi à Baſilio quodam Romano Capitaneo

sit condita; alij potius volunt, à Basilina, Iulij Imperatoris matre sic denominatam esse; alii putant, ibi idolon quercui impositum fuisse, quod Basil, velut Babel olim tempore Valentiniani, & Ethnico more incolæ coluerint, unde Imperatori Valentiniano huic eius erectionem adscribunt, quod illam Anno 374. condiderit. Alii regium nomen ipsi attribuendum putant, ut Basilæa Græco nomine, quasi à Regibus Romanis præcipuis privilegiis inhabitantes eam donati sint, non incongrue dicatur: Alii fabulantur, quod ibi basiliscus sit enecatus. Potior autem eorum sententia habetur, qui ex Augustę Rauracorum (quæ Colonia Romanorum fuit) reliquiis enatam ferunt eam; unde sunt, qui non verentur Augustam Raurac. eandem in suppletionem prioris dicere. Namque non procul ultra milliaris Germ. spacium adhuc vicus visitur, Augst dictus, qui metropolis quasi, & principalis Rauracorum civitas fuit, & à Vandalis ac Gothis tum funditus subversa, ut vix rudera eius amplius appareant, velut & tempore Iuliani Imperat. divastata fuit. Hinc in urbem Basilæam id nominis transferunt. Alius hinc censendum relinquimus, quid Beat. Rhenanus de passu dictum comminiscitur, quod ibi traiectus in eo loco Germanorum Gallorumque, sive merces suas commutantium, sive exercitus in alterutram ripam exponentium, fuerit, ne Augustam attingerent. Affirmat, à Romanis quoque turres duas in eum finem erectas fuisse, quarum altera in capite pontis adhuc conspiciatur, altera paulo inferius, ubi sal adservetur, ut ita Basilea, quasi Pasilea dicta sit. Sic etiam cuiusvis sit æstimij, quid iudicare velit de Grasseri sententia, qui primam originem huius urbis ad Annũ 1272. reiicit, quod tunc demum muris & vallo munita fuerit, quũ tamen constet quod tẽplis, aliisq; publicis ædificiis ab Henrico I. sive Aucupe, & Henrico II. Imperat. sit aucta & ornata, quorum exemplum alii simul Impp. sunt secuti, per terna usque secula prius, ut non saltem mera piscatorum ibi semper fuerit, & continua habitatio, sed etiam aliorum civium frequentia non aspernenda, qui varia ædificiorum, & commerciorum genera exercuerunt, uti loci situs ipse arguit. A principio autem duplicem fuisse Basilæam superiorem ultra, & inferiorem cis Rhenum, facile concedi potest, velut adhuc mediam ferme dividit, quæ tamen ponte, ex quo amœnissimus est prospectus, insigni connexa est, ut ex duabus partibus unam faciat, & consolidet urbem.

Varios passa est casus, quum Anno 917. ab Hungaris misere fuerit divastata, ut ipse confitetur Gesnerus, prioris sententiæ immemor. Pertulit etiam alias belli clades, imprimis quum Rudolphus adhuc comes Habspurgensis diuturna obsidione eam premeret contra Episcopum Henricum. Forte autem quum Anno 1273. electus esset in Imperatorem, & literæ annunciationis huius à Moguntino Basilienses essent missæ, illi sub oblatione earum ita veniam ab Imperatore impetrarunt, ut subita pace donarentur, quod statua eius ad portam D. Iohannis in Bursa, in manu literas tenentis adhuc indicat. Sic mire infestata fuit tempore Ludovici IV. Bavari, quum ipsi Anti Cæsar Fridericus Austriacus opponeretur ex excommunicatione pontificis Romani; unde fœdus mutui auxilii Anno 1327. cum tribus Helvetiæ pagis primis iniit: uti & Anno deinde 1345. cum Tigurinis peculiare per biennium contraxit, quod tamen in quintum extensum fuit annum. Anno 1373. iure monetæ donata fuit. Anno 1346. templum Cathedrale damnum pertulit ex terræ motu, qui anno 1356. iterum se exeruit 6. Octobr. & quidem longe violentiori concussione, ut etiam civitatis magna pars diruta fuerit, velut & Anno 1374. 1416. 1428. 1433. & 1535. factum. Quum anno 1348. Leopoldi Austriaci auspiciis. Exercitus Anglicus Alsatiam misere vastaret, Argentinam obsideret, & eandem calamitatem Basilææ, quæ tunc ex terræ motu, & incendio perpesso penitus exhausta erat, intendendo necteret, Helveticæ urbes præsidio suo eam firmarunt, & alias quoque pluribus sequentibus temporibus patrocinio exceperunt, donec tandem ex nimio nobilium odio, & Austriorum persecutione adsidua commoti Anno 1501. se perpetuo fœdere decem pagis Helvetiis coniunxerit, & pace tuta frui ex eo perrexerit. Urbs est omnibus modis commendabilis. Situs quippe iucundus, longus, & oculis mirifice blandiens undique prospectus, quum maior urbs inter duos montes lepidissimam vallem occupet, & ab altera parte Rheni minor urbs planitiem vestiat, singulas plateas canalibus suis abluens. Fontes undique limpidi & dulcissimi sunt, cælum salubre, ædificia magnifica, templa, atque monasteria multa, omnium rerum ad vitæ sustentationem exuberantia, Respublica ex populari statu, & tribubus bene constituta, Academia clara, & eruditis plena, campi fertiles: Flumina, præter Rhenum, Byrsa & Wiesa, quorum ille ex Iura monte per valles lapsus Basilæam maiorem multa ligna defert: hic ex adversa parte è Nigra Sylva, quæ Helvetiorum veterum eremus est, minorem Basilæam variis molis ornat, multis inserviens officinis. Ditio eius 5. præfecturas insignes & maximi proventus continet, quum passim culturam suam egregiam populositas exerceat.

10. FRIBURGUM Uchtlandiæ, & Aventicæ partis à Friburgo Brisgoviæ distinctum est, licet utraque urbs eundem conditorem, & Auctorem, Berchtoldum nempe 4. Ducem Zæringensem agnoscat, paucis ante Bernam annis. Quippe Anno 1127. ultimus comes Uchtlandiæ Guilelmus, quum esset mortuus, & ab Imperatore Lothario Conradus Dux Zaringiæ obtinuisset regionem eam, filius huius Berchtoldus Anno 1152. post obitum parentis successorem egit, necessumque habuit, ut se muniret contra invidos, & æmulatores; unde urbium aliquot structuræ vitam impendit perquam prudenter, & hanc ad Sanam fluvium erexit, ut à persecutionibus etiam in hac parte regionis suæ esset liber, quæ caussa duplicem ipsi libertatis arcem, sive urbes duas peperit, quum tamen tempore Henrici V. Imperatoris Anno 1120. Friburgum Brisgoviæ condidisset, uti ex versiculis apparet his binis.

Anno milleno, centeno, bis quoque deno
Friburg fundatur, Berchtoldus dux dominatur.

Friburgum autem Nuithlandiæ Anno 1152. privile-

giis,

gis, maxime à ſuo Duce donatum autumant, quæ ab Imperatoribus poſtea ſint aucta & confirmata. Anno 1249. expirante hac ducum ſtirpe ad Comites Kiburgenſes pervenit. Anno vero 1260. Eberhardus comes Habsburgenſis quidem aliquouſque eam urbem poſſedit, qui eandem Rudolpho I. Imperat. vendidiſſe dicitur, quum adhuc comes eſſet. Quippe Anno 1273. is ad dignitatem Imperii evectus eſt. Incolæ tandem mutationem & infeſtationem pertæſi libertatem magno ære ab Auſtriæ domo redemerunt: manſerunt tamen certis conditionibus in obedientia eius familiæ, donec contra ducem Burgundiæ Bernatibus militarem copiam miſerunt, ex qua occaſione Anno 1481. confœderationem cum Helvetiis pepigerunt, ac inde nunc decimum conſtituunt pagum; quumque in 19. præfecturas ſe extenderet, præter 4. illas, quas cum Bernatibus communes poſſidet, ut ſupra dictum eſt. Ius obſtagii heic adhuc locum habet, quod peculiare ſibi ex ordinatione ducum Zaringenſium ſervant. Sana fluvius eam urbem in duas dirimit ita partes; ac ſitum habet talem, ut verſus Septentrionem, Orientem, & Meridiem altiſſimis munita, & cincta ſit rupibus; verſus latus occidentale autem profunda foſſa tegatur. Qua ratione factum eſt, ut aliis mœnibus ac propugnaculis non egeat; nihilominus ditionem ſuam tueatur à Senſa fluvio ad rivum Moconenſem, & à Villaria prope Moratum Plaſeram uſque trium ferme horarum ſpacio una circum terrarum ſpacio. Quocunque autem flectas greſſum, & pergas, eſt tibi vel aſcendendum, vel deſcendendum. Ager eius profert omnia neceſſaria præter vinum, quod ubertim importatur. Prætorium habet in præcipiti rupe eminenter poſitum, ut indicet, arcem ibi olim fuiſſe; ædibus quoque ſplendidis exornata eſt. Regimen autem fovet reliquis civitatibus ſimile, ut ſenatus magnus ex 200. perſonis, minor ex 24. conſtet.

11. SOLODURUM, aut Saloturum, ſive Solothurnum, ut hodie dicitur rectius, ſi nominis derivatio ita ſe habet, quæ ipſi à nonnullis aſſignatur. Quippe vel à turri ſolis, vel Germanica originatione à turri vectigalis, quod Zoll vocant, dictam volunt urbem. Eſt perquam antiqua, quum eam 20. annis poſt Treviram conditam iactitent. uti vetuſta turris in medio civitatis poſita indicium facit, in qua hi verſus leguntur:

In Celtis nihil eſt Solodoro antiquius, unis
Exceptis Trevyris, quorum ego dicta ſoror.

Sita eſt ad Arolæ profluentis ripam, quæ originem ibi, ubi Rhodanus exilit, ſuam ſumit, & ab ea in maiorem, & minorem partem dividitur, ita tamen, ut Baſilææ non abſimilis, ponte connectatur perquam convenienti, & amœno. Ferunt olim regno Arelatenſi addictam fuiſſe. Extruxit autem in ea Eccleſiam Collegiatam Werthrada, Caroli Magni Mater: & cincta eſt validiſſimis mœnibus, in qua etiam plurima antiquitatis monumenta eruuntur, inveniunturque ibi variæ inſcriptiones Romanæ. Ob martyrium Thebæorum 66. militum, qui ſub Diocletiano ex Agauno venientes cum Urſo duce illic obtruncati ſunt, veneranda ſemper eius loci memoria extitit; velut etiam monumentum marmoreum ſub altari, quum Anno 1519. illud maius extruerent, reperrum eſt, in quo duo corpora erant poſita, inque alterius capite lamina cum hac inſcriptione: *Conditur hoc tumulo Sanctus Thebaides Urſus.*

Infeſtationes, & diruptiones etiam non minores pertulit, ut aliquando reſtaurata, & Epiſcopatui Genuenſi ſubdita fuerit. Poſtea tamen ſub Germanicis Imperatoribus in numero Imperialium urbium habita eſt. Quum vero Ludovicus Bavarus cum Friderico Auſtriaco bellum gereret, & civitas hæc partes Bavari ſequeretur, eam ob cauſſam à pontifice excommunicata, & ab Auſtrio obſeſſa eſt; ſed miſſis Berna 4000. militum fortiter ſe defendit, cui quoque fidele auxilium contra comitem Kiburgium præſtitit. Unde Anno 1351. cum Bernatibus perpetuum inivit fœdus. Tandem finito bello Caroli Burgundici, in quo Solothurnenſes animoſe ſtrenueque omnium conſenſu ſe geſſerunt, una cum Friburgenſibus in pagorum numerum plene excepti, & adſcripti ſunt, Anno 1481. vel ut alii volunt 1488. Ager urbis planus, & undique ſatis cultus, neceſſariis ad vitam ſpectantibus, niſi quod vinum non procul ex Bula petatur, & advehatur. Inprimis ſingulare hoc ibi eſt, quod in vicinia taxus ingenti copia creſcat, cuius uſus maxime arcubus inſervit, ob ſtrenuam flexibilitatem, & duritiem mixtam rubei coloris, ut inde commercium aliquod præbeat incolis in Angliam, & alios diſſitos locos avehendum. Propter fœdus, quod cum Gallo fovent Helvetij, ordinariam heic tenet habitationem Legatus Regis Galliæ, ut eo propius adſit comitiis, quoties Badeni celebrantur.

12. SCHAFFHUSIA, ſive Schephuſia, ut ab aliis appellatur, quum non eandem nominis deductionem habeat, à vulgo, quod nova veris præferre ſolet, vocatur Schaffhuſium, quaſi ab ove aut ovili, quod Domini à Randenburg ibi poſſederint, ita dictum ſit, in cuius rei teſtimonium ovem integram in inſignibus geſtent. Alii à navibus illi nomen deducunt, quod naves, quæ ſecundo Rheno ex Acronio, & venero Lacu deſcenderent, illic exonerarentur, quum ob cataractas, Rhenique præcipitia, paulum infra eum locum, ulterius progredi nequirent; ſed vecturis commercia tranſportari per Scheffhuſiam cogerentur, ut ibi denuo navibus imponerentur. Urbs non adeo antiqua eſt, quum illi initium Monaſterium dederit, quod S. Salvatoris in Scheffhuſia dixere, Anno 1052. à comite Ebethardo Nellenburgico ibi erectum. Sita eſt urbs in ripa Rheni dextera, quod Germanicum ſolum vocant; pons tamen ex urbe ad Helvetios pertinet. Ædificiis bene eſt exornata civitas, nec minus amæna, quum fundum undique fœcundum foveat, & vinum nobile, quod vineæ, quæ Auſtrum ſpectant, ſoli aperto ſint expoſitæ. Colligitur autem eo in loco ingens portorium, præſertim ex ſalis vectura. Quum adhuc ſub Abbatis poteſtate eſſet, Magiſtratus mediam partem ipſe eligebat; ex cuius tamen poteſtate paulatim civeſe exemerunt, & Imperatorum beneficio multis immunitatibus ſunt donati. Oppignorata eſt poſtea ab Imperatore Ludovico V. Auſtriæ duci & domui, cui per 85. annos paruit. At quum Fridericus Auſtriacus in præſcriptionem incidiſſet, exutus eſt omnibus bonis, & ita Schaffhuſia Imperio reſtituta fuit; quam tamen Fridericus III. rurſus Anno 1454. ita ſibi vendicare ſtuduit, ut relictis

Digitized by

privilegiis cunctis, uni se obstringerent iuramento. Res dura hæc in desperationem Schaffhusanos coniecit. Ideoque velut anno 1345. cum Tigurinis ad paucos annos fœdus inierant; ita nunc fœdus non tantum cum Helvetijs sociis omnibus ad 25. annos extendere non dubitarunt; sed etiam, quum se masculè admodum in bello Burgundico contra Maximilianum I. gessissent, una cum Basilienſibus Anno 1501. in perpetuam fraternitatem plene recepti, & civitatum Helveticarum iure donati sunt.

Bene munita est civitas, dulcissimæ aquæ fontibus repleta, cuius arx, sive castellum in elevatiorem locum sic subvectum, & vallo cinctum forti, ut tota urbs inde commodissime possit defendi. Cives sunt perquam excitati animi, & armis prompti, si provocentur. In loco palęstrico ante portam, ubi arcuum iaculationibus se exercent incolæ, visitur tinea eius magnitudinis, ut 17. mensę ipsi sint applicatæ, ubi se compotationibus, & colloquiis recreent.

13. ABBATISCELLA, sive Appenzellium iuxta Germanicam locutionem, sibi regionem constituit ex 8. oppidis, inter quæ præcipuum est illud, ad Sintriam fl. situm, quod nomen gestat à Monasterio Cella, non ultra 800. passus hinc dissito, cui Abbas præest, unde nominis huius compositio extat, quæ & huic oppido, & simul regioni applicata est. Cellæ autem sive Zellæ quum multæ sint in Germania, & Rom. eius imperio, ut est Zella Luneburgica, Zella ad lacum Acronicum, Zella Hamersbachia, Zella Wurtenbergica, &c.

Zella hæc Abbatis nomine contra distincta est, quod olim Abbati S. Galli pareret, qui etiam arcem Clanxiam extruxerat, ac inde Abbatiscella dicta fuit. Incolæ heic primum armata manu, post quoque pace facta, & magna pecuniæ summa se in libertatem asseruerunt: uti etiam per 7. annos cum Abbate Cunone, ex familia Stoufliana, & eius adhærentibus, bellum gesserunt, in quo aliquot prœliis victores extitere, arcesque supra sexaginta, vel cepere, vel diruere: unde cum vicinis quidem Helvetiæ confœderatis fœdus inierunt primum; sed tamen An. 1408. Rupertus Imperator dissidium omne inter eos & hostes illorum Constantiæ composuit, ubi illis suæ forma Reipubl. confirmata est, qua etiamnum utuntur. Regio autem hæc supra S. Galli oppidum sita, altissimis montibus iuxta Rhætorum fines inclusa est, ut loci fortitudo inde audaciores fecerit. Nec minus quum Anno 1425. ex nova lite cum Abbate S. Galli in proscriptionem Imperii incidissent, hi populi ad fœdus cum Helvetiis redierunt, qui executionem banni avertebant. Ac licet nobiles vicini illis infensissimi erant, tamen Anno 1445. coemptis Hagavillanorum bonis, ex eorum adiunctione à proscriptione liberati sunt. Ut vero in posterum tutiores viverent in terra sua, An. 1452. perpetuo fœdere se 7. pagis Helvetijs adsociarunt, donec tandem An. 1513. in plenum numerum pagorum adscripti reciperentur. Hi proinde 13. pagi veram corporis Helvetici Rempubl. interne constituunt.

Iuris enim isti pagi hoc habent præ accessoriis, & reliquis confœderatis, quod de omnibus rebus ad communem Helvetiæ statum spectantibus in publicis conventibus deliberent inter sese, & sua conferant suffragia. Deinde omnium totius Reipubl. commodorum, & incommodorum simul participes se faciunt. Tertio præfecturas, quas in potestatem suã redigunt, æqualiter pari iure administrant, & sic reliquarum prædarum divisionem ex æquo inter se cõmunem faciunt. Ac quamvis aliquid discriminis inter 8. vetustiores pagos, & 5. recentiores teneant, tamen eadem fere sunt fœderis capita, nisi quod pagi recentiores sine consensu 8. pagorum bellum nec movere, nec fœdus cum quoquam facere queant: ac si inter vetustiores quid dissidii acrioris, aut guerræ oriatur, hi neutri parti adsistant, sed sint intermedii.

Ex his igitur membris essentialibus Corpus, quod ita in Reipubl. modum status popularis, quum idem ius civitatis inter se colant, transformatum est, quidẽ constat; nec minus tamen habent suos socios, partim incorporatos, partim honorarios, quum potius æmuli sint, & à populari statu plane aversi, ac vicinitatis saltem respectu pro temporis ratione cum illis cohæreant, quam quod veram intentio talis possit denotare amicitiam. Socios autem incorporatos, & solidioris naturæ maximos, duplex necessitatis ratio cum dictis iam Helvetiis conglutinavit, quod fecit situs commoditas, & ne in rapinas confœderatorum, aut potentiorum principum inciderent; tum quoque popularem statum libertatis studiosissimum, & mutui auxilii promptissime paratum cernerent in puritate sua: Numerantur vero sic in ordine suo. 1. Abbas & oppidum S. Galli, 2. Rhæti cum Veltlinis, 3. Valesiani, 4. Bienna, 5. Geneva, 6. Rotevila, 7. Mulhusiũ, 8. Neocomum, 9. Bada, 10. Bremogartum cum Mellinga, 11. Rapersvila, 12. Frawenfeldum, 13. Novem præfecturæ, quorum 4. Italicæ, cæteræ 5. Germanicę dicuntur, ut sunt Badensis comitatus, liberæ provinciæ in Wagenthall, Turgea, Sarunetes, Rheguſci, Luganenses, Locurnenses, Mendrisij, & Madeavallis. 14. Bilitionum oppidum. Ex his præcipua quædam decerpemus, & paucis indicabimus memorabilia.

1. ABBATIA igitur S. Galli principem locum heic tenet, quum Abbas inter principes Imperii sit numeratus ita, ut 47. sit in ordine eorum, & possideat comitatum Toggenburgensem iuxta Limagum fluvium ad caput Lacus Tigurini situm. Ex admodum exiguo incremento sumpsit originem. Etenim Gallus natione Scotus, & vir religiosus, quum per 16. annos in locis Helvetiæ plurimis Christum prædicasset, tandem in montana loca supra Lacum Acronum concessit, & scandala mundi abhorrens, cellam solitariam sibi & discipulis suis extruxit, quæ post annos 80. ab obitu S. Galli Cœnobij formam accepit, quum eius discipuli à comite Waltramo sibi præsulem præfici poscerent, qui illis Otthomarum præposuit, quem postea Pipinus Caroli Martelli filius Abbatem fecit, unde opibus & potentia in hanc ditionem usque excrevit, ut eius Abbates non possent sine petulantia, & sumptuositate vivere, velut Georgius Abb. 47. A. 1361. Argentoratum 1000. equitibus pomposissime ingressus est. Quum vero in variis dissidiis pontificum & Cæsarum Abb. 52. Caspar Landbergius, & ipsi bellum cum Abbatiscellanis esset, deserereturr, cum 4. pagis Tiguro, Lucerna, Suicia, & Glarona æternum fœdus iniit ita, ut non tantum defensores libertatis suæ essent, sed etiam ius civitatis donatus reciperetur; quod singulis Abbatibus renovatur, & iudices eos habet in con-

controversiis, unde semper per biennium 4. pagi Senator ei assidet, qui dividat cum illo multas.

Oppidum autem S. Galli ab Imperat. Romanis in odium Abb. cum quo civibus lis assidua erat, Imperio unitum fuit, & privilegiis, immunitatibusque donatum, licet tempore Arnolphi Imp. circa 892. muro demum sit circumdatum. Abbas autem quum se 4. pagis devovisset arctissime, cives huius oppidi cum 6. pagis, nempe 4. prioribus & Bernensi, Tugioque additis simul perpetuum fecerunt fœdus Ann. 1454. quod Iuramento publice in præsentia 1500. hominum confirmarunt, quamvis antehac quoque cum Tigurinis, Constantiensibus, & Schaffhusanis An. 1312. & 1347. cumq; aliis vicinis An. 1329. fœdera pepigissent. Incolæ civitatis ex nobili Societate, & tribubus constant. Senatus maior 66. personas, minor senatus 24. pers. continet, quib. præsunt tres consules.

Cives divitias pro loci ratione sat amplas possident, quum assidui sint in commerciis exercendis, nec laboris parci, qui non sine prudentia astuta ex variis Abbatum persecutionibus, se in hanc vindicarunt libertatem.

2. RHÆTIA, sive gentis Rheticæ, aut Grisonũ, quos nos Grabunter vocamus, regio sita est Helvetiis versus Austrum, & meridiem, inter flu. Lagarum, sive Languartum, qui in Rhenum se effundit non procul à finibus Helvetiæ, & Aduam Veltoninam, longitudine usque ad Lacum Comanum dividentẽ. Rhenus in hac regione nascitur bicornis, ut priorem, & posteriorem, quorum hic fontem in pede mõtis Vocellani ebullientem fovet, fluvium dicant. Versus ortum comitatum Tirolensem habet, ac tendit ad Sabaudiam versus occasum, ubi ad Lepontios, & Vallesiam excurrit. Seculis aliquot ante Christum natum Thusci à Gallis domo expulsi, Duce quodam Rhæto, Alpes hasce occuparunt, ut inde nomẽ gestent antiquissimum. Olim pars Sueviæ, & Bavariæ quoque Rhætia fuit, & populi eius à Germanis Cani, quasi seniores, & prudentiores in suis fœderibus Graupunter vocitabantur, quum sibimetipsis inter se arctissimis fœderibus cohærerent cõglutinati primitus. Etenim tria inter se Rhætorum sunt fœdera. Primum à loci situ, inter bicornem Rhenum versus eius fontes, & Helvetiam, nomen accepit, quasi sit superius fœdus, der Ober-oder Grawpundt / quod 19. cõmunitates complectitur. Alterum fœdus Domus Dei, ab Episcopatu Curiensi, quum curia domus sit sacra, appellatur fœdus, quod itidem 19. communitatibus constat, inter quas duæ Germanica, reliquæ Italica utuntur lingua. Tertium 10. iudiciorum fœdus, ex 10. communitatibus, quas continet dicitur. His annexi Veltolini cohærent. Vallis autem Veltolina, per quam Adua sive Ada fluvius profluit, omnium vallium optima totius Europæ putatur, quum omnium proventũ feracissima sit, & inprimis nobilissimum procreet vinum. Abundat variis munimẽtis arcium, civitatũ, oppidorũ, & vicorũ adeo, ut ultra 100000. eam inhabitare perhibeantur homines. Principales autem loci præ reliquis sunt: Bormium, Tyranum, Sondorium, Postlasium, Morbinga, Clavenna, metropolis totius vallis, comitatum eius nominis ultra Meiram fluvium continens. Olim Ducatum Mediolanẽsem sibi superiorem agnovit; sed propter nimias infestationes belli se Grisonibus adsociavit, à quibus præfectos accipiunt suos: velut illi confœderati alias quoque valles cum civitatibus suis, nempe Brisiacũ, Luggarim, Luganum, & Bellizonam vindicarunt. Populi hi omnes in summa libertate vivunt securi, nec minus vigilãtes, ob bonam Reipubl. in statu populari institutionem, quam sibi liberam acquisiverũt in tanta montium præruptorum munitione, quæ nõ facilem ad eos admittit aditum. Velut hæc causa est, quod exterorum vis minus ipsis sit metui, quam pro nihilo ferme habent, modo à civilibus inter se abstineant motibus.

Ut vero tutiores essent, tam Grisones, quam Domus Dei confœderati; An. 1419. cum Tigurinis ad annos 51. fœdus inierunt, sicut & cum Glaronensibus, & Uranijs antehac firmam contraxerant amicitiam. Postea vero ambæ regiones cum pagis Helvetiorum Catholicis Anno 1497. fœdus perpetuum fecerunt, quod etiam An. 1498. ob Episcopi Curiensis conspirationem cum Tirolensibus repetitum fuit. Capita utriusque fœderis sunt. *Primum* solidæ amicitiæ, & mutui auxilii ligamentum est, ac ne quis alterius hostes hospitio, commeatu, aut ulla alia re iuvet. *Alterũ* est de controversiis componendis, si quæ inter confœderatos oriantur. *Tertium*, quo iure utrinque nomina exigantur, ne quis alterum, quam debitorem, aut eius sponsorem arresto subiiciat. *Quartum* de annona, & foro libero utrique parti absque ullius oneribus concedendo. *Quintum & postremum*, ut neutra pars fœdus ullum novum faciat, in quo hoc non excipiatur, salvumque maneat; Item ne bello orto, altera excluſa pacem faciat.

Hinc secutum est bellum Suevicum, in quo fideles socios se præstitere Helvetiis, & quum Basilææ cũ Maximil. 1. Imp. pacem Helvetij firmarent, Rhætij simul huic inclusi sunt. Postea quum Rex Galliæ Frãciscus eorum fidem cerneret mutuam, Rhætos quoque sibi An. 1516. adsociavit, quod pactum An. 1521. confirmatum est, nec minus ab Henrico II. An. 1549. velut & An. 1564. cum Carolo IX. ac demum ab Henrico IV. An. 1602. repetitum est. Rhætis in perpetui fœderis devotionẽ se adiunxerunt Veltolini An. 1513. quod publico instrumento Iantij corroboratum est, cuius originale in Archivo Curiensi adservatur.

Est autem hoc: 1. Debent & volunt incolæ Veltolinensis Vallis, & communio Tilionensis cuique Episcopo Curiensi, & 3. Confœderatis æterno tempore in omnibus æquis & iustis caussis obedientiam præstare, & dediti esse. 2. Debent prædicti incolæ Vallis Veltolinensis, & communitas Tilionensis nostri, id est, Episcopi Curiensis, & omnium 3. Confœderatorum amici, & fideles confœderati esse, atq; manere, etiam omni tempore, quando necessitas id exigit, ac quoties ad conventum vocantur; in consiliis una, & nobiscum adsidere, ac de omnibus consultare, quæcumque communitatibus suis utilissima inveniant: Et quãdo ea ratione, uti iam auditum est, conveniũt vocati, potestas iis erit, ut ex communione Tilionensi consiliarium quempiam mittant. 3. Incolæ Vallis Veltolinensis, & communitatis Tilionensis, omnibus privilegiis, & consuetudinibus, quas ab antiquo habuerunt, modo talia privilegia, & consuetudines Iuri sint consentanea, nec contra Deum, utantur & fruantur libere. 4. Prædictus Episcopus Curiensis, & omnes 3. Confœderati, sæpius nominatis incolis Vallis Veltolinensis & Communitati Tilionensi tenentur obligati, ut re, & consilio adsistant

apud

apud Rom. Cæſ. Maj. & Ducatum Mediolanenſem. Velut etiam in aliis locis, ubi neceſſitas requirit, ut ab omni cõtributione penitus, ſicuti *Landſaſſij* 3. Cõfœderatorum ſimiliter liberi ſint, nec propterea uſpiã exactionis quid patiantur. 5. E contra incolæ Vallis Veltolinienſis, & communitas Tilionenſis tenentur obligati, ut quotannis perſolvant, & Epiſcopo Cutienſi, omnibuſque 3. fœderatis, 1000. Tarnenſes in parata pecunia exponant, quas illi ab omnibus, & ſingulis, qui bona ſua in prædicta valle poſſident, ſive exempti, aut non exempti ſint, libere exigant, &c.

Sunt etiam aliæ confœderationes, quas partim cũ Gallo, ut ſupra dictum eſt; partim cum Ducatu Mediolanenſi potiſſimum anno 1531. partim cum domo Auſtriaca, & cum Venetis inierunt. Unde in varias incidere inter ſe diſtractiones; præſertim quũ an. 1603. in vicinia ad lacum de Como in apice petræ alicuius caſtrum Fuentes erigeretur, ubi ditio Mediolanenſis originem ſumit, & fluvius Adda ſe in Lacum dictum Comanum effundit.

Incolæ hi Vallis Telinæ, ſive Volturenæ, caſtrum Fuentes in præiudicium fœderis de anno 1531. quum deprehenderent ſibi conditum, noluerunt id perpeti. Ideoque variæ hinc exortæ fuerunt utrinque machinationes, donec tandem anno 1637. renovaretur fœdus 9. Martij Styl. nov. in huius fœderis articulo ſecundo complacitum eſt, ut caſtrum ſolo æquaretur, & abrogaretur penitus. Confœderationis norma expreſſa eſt in libello, quem pro defenſione ſua 3. fœderatæ communiones Anno 1619. in publicum ediderunt, ubi ſimul formam regiminis ſui ſic depingunt. Forma noſtri ſtatus, aiunt, Democratia eſt. Quippe electio, & abrogatio Magiſtratus, omniumque præfectorum, iudicum, & præſidum, tam in liberis, & dominantibus regionibus, quam nobis ſubiectis, penes populum eſt, qui potentiam, & facultatem eam habet iuxta multitudinem, ut ſtatuta ordinent, eademque rurſus abrogent, fœdera cũ principibus aut ſtatibus faciant, bella pacemque diſponant, & iuriſdictionem in quoſvis exerceant per ſuos miniſtros.

Hæc iura Maieſtatica quum pauci quidem ſibi adſcribere inciperent, donis & muneribus exterorũ corrupti, non levis inde exortus eſt motus, qui ferme per triennium, uſque ad annum 1620. duravit, donec rei publico convincerentur iudicii proceſſu, de quo publica extant ſcripta, & quinam illi fuerint. Comitatus huic eſt Clavena, quaſi clavis Germaniæ, ubi in Italiam tenditur, dicta, montoſis faſtigiis undiq; obſepta. Nec minus tamen comitatus iſte tam in iugis, quam planitie excultus inhabitatur, & diviſus eſt in duas præfecturas, quarum una Commiſſariatus, altera poteſtativus dicitur.

Ita duas continet communiones, nempe Plûrs, & Wildam. Commiſſariatus autem tres principales comprehendit partes. Quod ad nobile, & variis palatiis expolitum oppidum Plûrs attinet, illud Anno 1618. die 25. Auguſti miſerabile, & exitioſum plane pertulit fatum. Etenim veſpertino tempore, quum ad pedem montis prærupti eſſet ſitum, ita in momẽto deſuper obrutum eſt à monte illo, ut nuſpiam amplius eius veſtigia appareant, quum aquarum cumulus ibidem accreverit. Laſcivæ ſuperbiæ incolarum admodum luxuriantium hoc adſcribitur, quod Deus pœna hac illos affecerit: Velut & non levis fuit prænunciatio futuræ calamitatis, quàm huc uſque totus iſte circuitus in variis mutationibus pertulit.

3. VALLESIA, ſive Valeſianorum, quam & Vallem Pœninam dicunt, regio, altiſſimis montibus circumcirca cincta, unde perpetuã vallem ad Rhodanum & Morſiam à Furca monte per longum tractum in occaſum, poſtea ſeptentrionẽ verſus refert, ut tota ditio itinere trium dierum vix poſſit perfiniri. Montium altitudo aliquot in locis ad 5. milliaria Italica ſe extendit, in quorum ſummitatibus copia damarum viſitur, quarum natura eſt, ut frigore maxime recreentur, alias cæcæ fiant. Dividitur autem Valeſia in ſuperiorem, & inferiorem: Ab ortu Rhodani uſque ad Morſiam fluvium, qui infra Sedunum, ſive Sittam Rhodano miſcetur, tractum totum olim Viberi & Seduni incoluere, & ſuperior inde dicitur. A Morſia autem uſque ad Agaunum, quod nũc S. Mauritium vocant, vallem totam Veragri tenuerunt, per quam Rhodanus Lacum Lemanum petit, & inferior appellatur. Superior 7. Decumas, ſive Conventus, & præfecturas, quas Defenas vocant, continet, & ſibi pleniorem libertatem adſcribit.

Veragri autem Iuberis, & Sedunis inde parere dicuntur, quod ab his victi ſint, quum 16. arces illis deſtruxiſſent: præponuntur illis iudices, ſive prętores à Sedunis Viberis in ſubiectionis ſignum. Horum tamen populorum omnium Princeps, & Primarius Præfectus eſt Epiſcopus Sedunenſis, cuius civitas ſola muris cincta eſt in tota Provincia. Atque quum huic Epiſcopo iuriſdictio omnis ſecularis, & Eccleſiaſtica ſit concredita, nomen Comitis & prætoris per totam Valeſiam geſtat: eligiturque à Canonicis Sedunenſibus, ac Legatis 7. Communionum, ſive Decumaniorum. Proximum ab illo gradum tenet Balivus, ſive Supremus Capitaneus, qui per bienniũ ſaltem regimini præeſt. Singuli Decumani ſuum habent Maiorem & Caſtellanum, qui cum ſuis adſeſſoribus etiam criminalia exercet: his ſubſunt præfecti, quos Ambtmannos vocant. Ex quovis conventu ad comitia provinciæ totius poteſt appellari, quæ bis quovis anno habentur, ubi ſimul Epiſcopus comparere tenetur, & vota Balivus colligit. Lingua Germanica & Sabaudica utuntur.

Ferunt, Carolum Magnum circa annum 805. S. Theodolo hanc donaſſe provinciam. Quum ſe in libertatem exerere inciperent, varia coluerunt cum vicinis fœdera, ſed temporario modo. Sic cum Bernatibus anno 1250. ad decennium conſtituerunt fœdus. Poſt quum illis cum Guiſcardo patre & Guilielmo Ravoniis eſſet bellum, quinque decimæ Anno 1417. cum Lucernatibus, Urianis, & Underwaldis fœdus inierunt, cui per tranſactionem, quum Ravonii patriæ reſtituerentur, Bernates ſe adſociarunt: quod tamen, Anno 1475. perpetuitatis robur tum accepit: Poſt autem de dogmate religionis quum exorta eſſet gravis concertatio, Epiſcopus Sedunenſis cum 7. Conventibus, aut Decimis Anno 1533. Friburgi cum ſeptem pagis Helvetiæ, Catholicæ religioni addictis, nempe Lucerna, Uri, Tugio, Suitiis, Underwaldis, Friburgo, & Soloduro fœdus perpetuum ſancierunt in defenſionem ſui.

Urbis Sedunenſis ſive Sittæ ſitus lepidus, & mirabilis eſt, quum ad montis bifurcati pedes ſe extendat: qua vertex ad Rhodanum exurgit, illi impoſitum eſt templum Cathedrale novum, Valeria vocatur. Ad

ſiniſtrum

siniſtrum verolatus longe præruptior eſt altitudo montis, & cum arce caput elevat ſuperbum : inde Tyrbile, quaſi bellam turrim nominant. Ager vicinus fertilis eſt, abundatque ſatis rebus ad uſum vitæ neceſſariis. Anno 1595. die 24. Maij haud procul à Seduno Cataclismus ingentem edidit ſtragem, parte montis in vicinum pagum devoluta; ex qua obſtructione fluvii non tantum multi ſunt homines abſumpti, ſed etiam Octodurum, ſive Martinacum aquis hauſtum eſt; & cadavera in Lacum Lemanum miſerabili adſpectu devoluta fuerunt. Ad Agaunum, ſive D. Mauritij Caſtellum montium utrinque fractus ita ſe contrahit, ut nihil niſi Rhodanus interveniat, qui per locum eum anguſtum ſe verſus Lacum Lemannum eſinuat. Quare ibi pons Rhodano impoſitus eſt non adeo oblongus, quum una formice expediatur. Hoc in loco totius provinciæ ingreſſus fortiter obſervatur. Poſtquam Rhodanus ab origine uſque perfluxit Valleſiam in Lacum Lemanum.

4. Bienna, ſive Biennium, aut Bipenniũ, alias Biel oppidum eſt lautiſſimum ad exitum Lacus amœniſſimi ſitum: Epiſcopi Baſilienſis Iuriſdictioni olim ſubiectum quidem: ſed quum is nimium infeſtaret eius cives, nec liberari poſſent à prædonum expoliationibus, Anno 1303. cum Bernatibus, Argentoratenſibus, Baſilienſibus, Friburgenſibus, & Soloduris per triennium fœdus fecerunt. Deinde fœdus peculiare cum Bernatibus ſancte coluerunt. Sed quum Epiſcopus Iohannes de Urana crudelius eos premere inciperet, fœdus quod Ann. 1352. cum Bernatibus fecerant, Anno 1367. ita renovarunt, ut penitus in ius civitatis Bernenſis ſint recepti, quæ eius patrocinium ita fideliſſime gerit, ut nemo hoſtilem animum amplius ipſi imputet.

5. Geneva civitas, vulgo Genff dicta, libera & Imperialis, Helvetiorum finibus proxima, in extremitate Lacus Lemani, qua Rhodanum Gallis emittit, ſitã, à prima origine antiquiſſima habetur, quum ſint, qui Anno mundi 2794. eam conditam à filio Paridis Lemano affirmare auſint, quod ab aliis fabuloſum habetur. Nomẽ autem ipſi inditum à Iuniperis putant alij, ut inde primitus Geneva fuerit dicta. Alii affirmant, quod Colonia Romanorum ſit, & Urbs Imperialis, quaſi natura ſua inde facta, quum Iulius Cæſar quoque mentionem eius faciat, & pontem ibi Rhodano impoſuerit, velut & incolæ Aquila bicipiti muro vetuſto infixa id comprobare ſtudent. Pertulit autem varias fortunas, & perſecutiones, unde tempore Antonini Heliogabali circa An. Chriſti 222. ferme funditus exuſta eſt, & deſolata iacuit per annos 52. ad Imperium Aureliani circa ann. 273. qui eam reſici curavit ita, quaſi novum accepiſſet conditorem, ut hinc quoque nomen Aureliæ Allobrogum ſortita ſit, quum ipſi nova privilegia, & ius nundinarum conceſſerit, cui addunt alii ius cudendi monetam. Epiſcopum etiam habuit peculiarem, ſed immunitates regiminis ſecularis ſibi fideliter ſemper conſervavit, & pacta cum Epiſcopis ſuis ita diligenter coluit præ aliis, ne quid damni in libertate pateretur, ob quam ſimul comites Gebennenſes ipſi varias inſidias intentare ſoliti ſunt; velut etiam ſæpius coacti ſunt, ſua iura, & privilegia contra comites, & Duces poſtea Sabaudiæ forti manu, & armis defendere; in quibus acres ſe præſtitere ſalutis ſuæ vindices, præſertim quum comitum Gebennenſium ſtirpe deleta, Feudi ratione ditió ea ad Com. Sabaudiæ tranſiiſſet. Quippe aſſeritur, quod Fridericus I. quem Barbaroſſam dicunt, Epiſcopatum, & civitatem hanc circa an. 1160. ſingularibus auxerit privilegiis. Ac licet comes Sabaudiæ tempore Caroli IV. ab Imperatore eo Vicariatum Imperii in iuris ſui prætenſi confirmationem obtinuerit, tamen per interpoſitionem Epiſcopi circa an. 1356. factum eſſe, affirmatur, quod iura, & libertas illæſa ipſis manſerint. Sic quoque Imperator Sigiſmundus inhibitionem, ſub pœna 21000. Coronatorum Sabaudiæ Duci Amadæo, fecit, ne in regalibus ſuis civitatem amplius turbaret.

Circa ann. 1421. inter varia diſſidia eiuſmodi, non raro reſpexerunt ad vicinitatem, & amicitiam Helvetiorum, quorum adiutione, & conſilio per intervalla ſæpius uſi ſunt. Quum vero nihilominus Duces Sabaudiæ ius ſuperioritatis in urbem hanc adſcribere non deſinerent, & Imperat. Maximilianus I. generum ſuum Philibertum Sabaudiæ Ducem pro vicario Imperii illis in locis declararet, indeque demũ Carolus Philiberti Frater Genuates infeſtare inciperet, Anno 1519. iſti cum Friburgenſibus apertum inierunt fœdus : licet antehac ad certum tempus etiam cum Bernatibus & his facere ſoliti fuerant. Tandem quum & Epiſcopus, & Princeps Sabaudiæ An. 1534. ferventiori bello civitatem hanc aggredi non deſiſterent; Anno 1536. perpetuum fœdus cum Bernatibus pepigerunt, & mutuo iure civitatis ſuæ arctiſſime conſtrinxerunt. Unde Epiſcopus mutata demum religione ex urbe ſe in Nicyam recepit, ibique ſedem fixit ſuam, quod commodo civitati ita ceſſit, ut ſe plenius exerere libertate ſua potuerit.

Quas vero prætenſiones adhuc Dux Sabaudiæ ſibi adſcribat, notat Thuan. Hiſt. lib. 125. Igitur quoties occaſionem is arripere poteſt, non intermittit eos infeſtare, ceu in Annis 1561. 1578. 1579. 1581. & 1589. factum eſt. Sic Anno 1602. & 1609. magna per inſidias conatus eſt, ut noctu conſcendi civitatem curaſſet; ſed ita excepti ſunt Sabaudi, ut eius rei memoria in templo S. Gervaſii lapidibus ſit inſcripta. Invidiæ ferme ingenti quum ſe obnoxiam hinc noſcat, præter fœdus cum Bernatibus initum, ſe quoque tutelæ Henrici IV. Regis Galliarum ſubmiſit, & aſſiduum præſidiarium fovet militem, ad quem Rex Gall. fomenti ſimul partem adiicit. Cives autem urbis huius licet nonnihil ſint auſteri, tamen manſuetioris ingenii inveniuntur, qui mercaturæ dediti ſunt, & aliarum gentium viderunt mores. Propugnacula habet multa, bombardis expolita, ubi vigilanter excubiæ aguntur, velut & in ipſa fit curia ſingulis noctibus, in qua 25. Senatores cotidie conveniunt. Urbs à Rhodano in duas dividitur partes, ut etiam Inſulam in medio conſtituat, in qua turris veruſta adhuc conſpicitur à Iul. Cæſaris temporibus ſuperſtes. Minor civitas ſaltem unam habet portam, & in Maiori non procul à foro granario, Collegium reperitur ſatis nitide, & laute extructum; admodum ſuperſtitioſe ſeveri ſunt præ aliis in puncto religionis, quod tot exemplis demonſtrarunt ſat rigidis, uti hiſtoriæ aliorum teſtantur.

6. Rotevila, alias Rotweil, vocata, ad Necarum non procul à Danubii origine ſita, cui nomen à

congesta militum manu inditum putant, oppidum Imp. Rom. non incelebre habetur, velut indicio est Curia Cæsaris à Conrado III. ibi instituta, & appellatur aulicum inde iudicium, cuius privilegia singularia anno 1602. Francofurti edita extant, quod à vicinis regionibus in gravibus causis illuc fieri possit provocatio. De eius antiquitate varia feruntur: sed bellum Suevicum fecit, quod se sub Friderico III. fœderi Helvetico Anno 1463. submiserint certis pactis, quod aliquoties ab illis renovatum est, donec Anno 1519. cum omnibus pagis Helvetiorum perpetuum sanciverint certis conditionibus ob dissitum locum, quibus conformem se præstare cogitur, ne temere bellum exciter, sed omnia tum cum consilio, & præscientia confœderatorum suscipiant, nec ullum fœdus cum aliis absque Helvetiorum voluntate faciant.

7. MULHUSIUM in Sundgovia olim quoque Imperialis Urbs fuit, quorum præfectus erat Episcopus Argentoratensis; Quum vero inter Rudolphum I. & Episcopum illum esset bellum exortum, eius potestati plane subducta est, ac arx ibidem plane diruta, ut inde libertatem suam acquisiverit. Primum fœdus Anno 1464. cum Bernatibus, Solodurris, & Friburgensibus iniit. Postea quum plenum ius civitatis Anno 1506. apud Basilienses obtinuisset, An. 1519. ab omnibus pagis Helvetiis in fœdus perpetuum recepta est. Habetur & Mulhusium Thuringiæ, & aliud in Marchionatu Badensi.

8. NEOCOMVM oppidum in Aventicis, sive Wiflispurgovia ad Lacum eius nominis situm, dicitur alias Neoburgum; Gallis Neuf-Chastell. Adiacet heic comitatus Neocomensis olim appellatus, cuius hæreditaria fuit dominis illis possessio: postea pervenit ad comites Hochbergios, à quibus ad Duces Longevillanos Quum bellum esset Helvetiis cum Ludovico XII. Gall. rege, Bernates eum occuparunt vi. Verum An. 1529. certis pactis Iohannæ Hochbergianæ viduæ Ducis Longevillani restitutus est, ut hinc cum Bernatibus, Friburgensibus, Lucernatibus, & Solodurris cohæserit quidem, tamen nunc perpetuo fœdere cum urbe Berna coniunctus sit.

9. BADA oppidum nomen habet à calidis aquis, ad Lemagum fluvium situm, & celebre nomen habet ab Helvetiis comitiis, quæ quotannis ibi exercentur, est simul antiquissimum unum ex Helveriis, ceu Tacitus eius mentionem facit. Quondam proprios habuit comites. Anno 1415. Constantiensis concilij tempore iussu Imperatoris occuparunt, & sibi inde retinuerunt. Prætor heic obsignat omnes litteras, quæ publico nomine Helvetiorum concipiuntur: ac si vota in senatu Helvetico paria sunt, iste voto suo dirimit dissidium. Pertinet quoque ad eius præturam, Klingenovium, & Cæsaris Sella, ubi simul suum prætorem habet Episcopus Constantiensis: sed mulctæ maximam partem sumit sibi prætor Badensis.

10. BREMGARTVM distat à Lucerna 2. milliaribus, quondam itidem Imperiale fuit oppidum, in vicinia proxima ipsi sita est Mellinga ad Rusam fluv. duo oppida ista simul Tigurini Anno 1415. in suam potestatem quidem redegerunt; tamen octo pagi ambas has civitates regunt, quum à Sigismundo Imperatore fuerint illis oppignorata.

11. RAPERSVILA olim sedes comitum eius nominis, sita est in medio ad Lacum Tigurinum, ubi ponte superior ab inferiori secatur, per quem Hurdenam tenditur. Pervenit in manus Helvetiorum Anno 1458. quum illi ex bello Constantiensi reverterentur, & cives inter sese dissiderent, ubi tunc sibi eos iuramento adstrinxerunt.

12. FRAWENFELDUM principale oppidum Turgeæ ditionis, quod Helvetii itidem biennio post Rapersvilam VII. Pagi cepere bello, ut inde Anno 1460. totam Turgeam occuparint.

13. *Præfecturæ* hinc novem sunt, quæ hisce locis interiacent, & communiter à 7. pagis reguntur, velut etiam 4. Italicæ trans Alpes sitæ, quibus etiam adsociatur regio illa ad Rusam flu. quam liberarum provinciarum nomine insignunt, quod tres heic vici, nempe, Meyenbergum, Richensæa, & villa Verbigena sua propria fruantur iurisdictione. Quæ regio olim Rore, aut Rorea vocata fuit, uti appareret ex privilegio, quod Cœnobio Murensi Imp. Henricus V. dedit.

14. BILITIONVM oppidum, Mediolanensibus vicinum, Misaucorum comitum proprium quondam fuit, cuius causa multa bella ab Anno 1422. gessere Helvetii cum Mediolanensibus, donec Anno 1500. Bilitionenses Uriis se dederent, & postea tribus pagis confirmaretur à ducibus Mediolan. Continet autem hæc ditio 3. Præfecturas, videlicet Bilitionum, vallem Palensam, & Riveram, quæ à tribus pagis inde per vices administrantur. Et hæc de incorporatis singulariter sociis Helvetiorum sufficiant, ut satis hinc ex enumeratione talium partium pateat, quæ constitutio sit Helveticæ Reipubl. ex qua sic firmiter inter se cohærent. Fuit constantia maxime confœderatorum, & eorum vigilantia, quod non facile separationem ab invicem admittant; nec vicini Reges aut principes eos inclementius infestare auliut; sed potius ita reverenter eos habent, ut singulari pactorum, & fœderum cultu eos observent, quod magni Helvetiis per tot secula constitit laboris.

Multa quoque de ipsorum regiminis forma possent referri; sed quum non sit huius loci, ne compendium hoc in immensum excrescat, aliis id relictum cupimus. Saltem mentio heic subnectenda est eorum, cum quibus extra corporis sui constitutionem fœdera temporaria communis tranquillitatis causa, & ut eos in æquilibrio conservent, colunt. Inter Imperatores fuerunt potissimum Sigismundus, Maximilianus, Carolus V. Ferdinandus, & sequentes. Sic & Ducatus est Mediolanensis; Reges Galliæ, Veneti, Duces Sabaudiæ; imo & inter pontifices, Sixtus, Iulius II. Leo X. Clemens VII. Duces Wirtenbergici. Episcopi Constantienses, Suevici, accolæ Rheni. Inter hos qui continuata adhuc cum illis observant fœdera, suos ibi, diversis tamen in locis, Legatos habent ordinarios, ut cum iisdem de rebus præsentibus sua conferant consilia. Nec raro, mittuntur extraordinarii, si quod necessitatis nova occasio temporis, & actionum, quæ fœderis cuiusque negotia concernunt, exigat.

Hæc tria enim nationum genera sub forma quasi Reipubl. quam montium præruptorum tractum, qui perinde ac totius orbis tractum refert, numerosissima incolant, non exiguas inde patiuntur subagi-

tationes

tiones, velut populari ſtatus ſemper reliquorum perſecutionibus expoſitus eſſe ſolet. Omnes tamen ſimul iunctis viribus, non amplius ſexaginta millia hominum tractandis armis idonea ſuppeditare ſolent, quinquam in populum longe maximum excreverint. Ac licet inter illos religionis cauſſa interdum plurima diſſidia vigeant, unaquęque tamen gens hoc ſummo ſtudio cavet, ne plurimos indigenas ad extera ſtipendia emittat, ſcilicet verentes, ne adverſa pars invaleſcat, & nonnihil detrimenti, inimiæve alteri machinetur. Quippe occurrentia ſunt varia, & quales involutæ actiones ſæpius ibi emergant, apparere poteſt, aut colligi, ex oratione æmulatoria, quam Anno 1630. 15. Martij in pleno conventu confœderatorum illorum Solothurni Baſſampirius Reg. Gall. Mareſchallus extraordinarius Leg. tunc habuit, quæ ex publice edito ſic conſtat ſcripto & in latinitatem converſo, cuius tenor iſte fuit.

Magnifici Domini, ſi ante aliquot annos, quum frequentes technæ & invaſiones pacem & tranquillitatem huius ſtatus turbarent, Rex, Dominus meus, quicquid horum fuit, ſapienter prævidit, & per hoc advertentiam dedit ſui conſilii partim utilis & neceſſarii, ad infringendum molitiones; Atque ſi tunc, quum illæ ingruerent, ipſe per oblationem adſiſtentiæ ſuæ, & per potentes effectus Regii ſui roboris, aut potentiæ contribuit omne, quicquid bonus & gratioſus Princeps poteſt, ac debet præſtare, ad ſuccurrendum & adiuvandum veteres veros, & fideles confœderatos; ſane idem exquiſitam in corde diſplicentiam percepit, ubi tantas in ſe ſuſcepiſſet moleſtias, ad ſuccurrendum aliis magnatibus oppreſſis; nec defuit iis, quibus ille, mediante ita longa, & haud interrupta confœderatione, ſtrictiſſime obligatus eſt, velut etiam probos eiuſmodi Reges omnes, eius anteceſſores, propter quamplurimas generoſas actiones, & affectiones eorum, fidelitatemque erga Coronam Francicam, in ſe receperunt.

Nonego iam vobis, Magnifici Domini, in minutis enarrabo, frequentes illas admonitiones quas Rex Dominus meus toties perfecit, offerendo eas per ſuos ordinarios Legatos, quos vobis conſtituit, ut eo rectius curioſe conſervationem veſtram obſervaretis, ubi pernicioſiſſimas contra regionem veſtram conceptas intentiones perceperat. Nolo vobis plures Legatos extraordinarios nominare, quos ad vos ablegavit ad exhortandum, ut apprehenderetis generoſas reſolutiones pro ſalute veſtri ſtatus; velut ille ſe obtulit ſimul de die in diem, ad auxilium vobis præſtandum, ut malo tali præveniri poſſet, priuſquam vobis appareret, & priuſquam regiones illæ, quæ vobis obligatæ ſunt, invationes paterentur; Neque intermiſit quid, ad recuperandum caſus: ſed vobis dico ſolummodo, quod omnia ea, quæ vobis acciderint mala, ille tam vividiſſime ſecum, quam propria ſua in ſinu perceperit: Cor ipſius vere regium non potuit patienter concoquere iniuſtas illas, & tyrannicas oppreſſiones non ſolum ſuorum confœderatorum, & fidelium; ſed etiam omnium quotquot modo cumque ſint.

Atque potiſſimum ſignum, quod Rex unquam edere potuit, eſt hoc, quod ille in præterito anno toti mundo ob oculos poſuit, ubi laſſus, & defatigatus ob longam & laborioſam obſidionem, inter incommoditates aſperrimæ hyemis, ac diſcrimina difficilima viarum, quæ non tantum illum circumderant magna nivium copia; ſed etiam unde impedimenta ipſi ſunt obiecta, per fortitudinem potentis perſonæ, & generoſi principis. Ille tamen ſuperavit difficultates has omnes, & obſtacula; relinquens quaſi in præda ſtatum ſuum iis, qui arma contra illum parabant, ut ſuccurreret Duci Mantuano, qui iniuſte turbatus eſt in poſſeſſione ſuæ legitimæ ſucceſſionis, & hæreditariæ, quæ ipſi nuperrime ceſſit. Iudicet igitur, Magnifici Domini, quicunque capacitatem habet cenſendi, & hoc in veſtram accipite gratiam, qui tamdiu veteres eſtis confœderati eius Coronæ, & qui in omnibus occaſionibus tam libere veſtras expoſuiſtis perſonas, & operas veſtras pro conſervando ſtatu iſtius: Et iudicate, quam ſupra modum gravi dolore ille videat iam Griſones, communes veſtros confœderatos, ſub iugum duræ ſervitutis redactos, illorum regionem ſubverſam, & veſtros fines occluſos caſtris, & munimentis.

Hæc ponderoſa conſideratio, Magnifici Domini, iuncta cum miſerabili ſtatu Italiæ, in quem nunc eſt redacta ea, coegit illum, ut fortem & potentem conſcriberet exercitum, quem per pedites miſit quidem, ſed non ut alterius violenter occuparet ſtatum, aut iniuſte principes debilitatos ſpoliaret, velut ex proceſſu ſuperioris anni ſatis manifeſte appareret, quænam eius ſit intentio. Namque quum eſſet ſtipatus ſexaginta millibus militum, tam ſuorum, quam confœderatorum, quum Italia eſſet nudata ab omni ope, & ſuccurſu, & potuiſſet abſque ulla reſiſtentia optimam partem illius ſtatus occupare, qui alios diſpoliare voluerunt, noluit, unde plus quam ſufficienter ſuam demonſtravit intentionem, dum Italiam in pace, ac libertate reliquit, ut dixi.

Arma ſua, dico, Magnifici Domini, ſuſcepit propterea, non quod iis particulari ambitioni ſatisfacere cupiat; ſed ut magis detentionem iniuſtam, oppreſſionem violentam, & uſurpationem nimiam, & ſatis certe tyrannicam alterius iis impediat. Rex Dominus meus cauſſam generalem defendit: atque hoc non tantum Ducem Mantuanum inquietatum, nec ſolum Griſones ſpoliatos, quos in protectionem, & reſtitutionem Rex meus recepit, concernit, ſed vellet, quod integra Chriſtianitas, in qua ille tam eminenter elatus eſt, eſſet libera, & quiſque Magnatum in ea ſui ſtatus pace & tranquillitate frueretur: Atque ſic ſe declarat hoſtem cuiuſcunque, qui velit iniuſte quem moleſtare.

Hæc eſt illa ſubiecti cauſa, Magnifici Domini, ob quam me miſit tam ad vos, ut vobis hoc atteſter, cur milite amplo inſtructus, in Italia præſto ſit, nec negligat eam curam, quam veſtræ ſaluti debet, & libertati oppreſſæ Griſonum noſtrorum communium confœderatorum.

Primario vobis explicandæ ſunt ita cauſæ, quibus commotus ad apprehendendum arma, in eum finem, ut vobis approbaret, iuſtam illam & Regiam intentionem, cuius non alius eſt ſcopus, quam bonum, & tranquillitas publica.

Ideoque considerabitis præsentem deploratum statum Nationis Helveticæ generalis corporis in eum finem, ut oculos vestros reflectatis, ceu debetis vos ad generosas intentiones totos destinare, pro rei necessitate, atque ut ita hoc eminenti voto ille potiatur.

Ad quam intentionem, Rex Dominus meus, intervenit cum tanta potentia, & sumptibus Regiis, ac mihi mandavit, ut non solum hoc vobis offerrem, sed etiam summi Imperii & salvi conductus curam sustinerem: atque hæc est ista caussa meę heic præsentiæ: quia Dominus de Leon, qui eminentioribus partibus me superat, non opus habuit collega ullo ad directionem negotiorum Regis in hac regione.

Dicam itaque vobis, Magnifici Domini, quod obitus, qui accidit ante biennium in ultimo Duce Mantuano, investituram aperuerit Duci Carolo iam regnanti, cuius pater fuit germanus patris eius, qui defunctus est ultimo; sicuti legitimus inde, & principalis hæres, & ducatus Mantuani, & Montferati est, quorum investitura data fuit ab Imperatoribus omni lineæ masculæ huius Domus: & dictus Dux Carolus, qui statim obtulit officia, & submissiones secundum consuetudinem exhibendam Maiest. Imperiali, tum receptus fuit à statibus illis novæ successionis sine contradictione, & cum lætitia atque applausu sui populi: sed fuerunt hæc brevi turbata armis Hispanicis, qui venerunt primo ad occupandum aliquot loca in Montferato, tandem & obsidendum etiam Casalam, quæ civitas est capitalis; idque fecerunt sine omni iure & prætextu, nisi eo, ut locupletarent Ducatum Mediolanensem hoc statu exiguo.

Tantum virium habet insatiabile desiderium alterius bona occupandi, ut nulla summa iurisdictio, nulla possessio immemorialis, nulla legitima successio maiorum, cursus ipsorum retrahere potuerit. Obsidio Roschellarum, qua tum occupatus fuit Rex, non adeo diu durabat, quam sperabant Hispani, & hæc Casalina longe diutius: Quod occasionem Regi præbuit adcurrendi cum potenti exercitu in auxilium oppressi ducis; nec tempestas anni, nec oppositio Alpium, quæ dura erat, impedire potuerunt transitum Regi in Italiam. Quo quum extendisset pedem, offerebatur quidem ipsi per pacis speciem securitas, & quies Ducis Mantuani: quod inde acceptavit ille, quamvis esset in ipsius potestate, in Italiam progressus sat notabiles facere. Verum simulac Rex paululum secesserat retro, & Hispani eum viderant intestino occupatum bello, statim denuo absque omni prætextu novam persecutionem Mantuani susceperunt. Evocarunt simul ex Germania admodum fortes, & exquisitas copias, & hoc quidem sub nomine Imperatoris; sed in rei veritate evidenter stipendia illis ex argento Hispanico per officiarios eius persoluta sunt, velut etiam conducti fuerunt ad ruinandum Montferatum, expoliandum Mantuanum, & dictum iam ducem in civitate sua principali ad obsidendum. Inde coactus est Rex meus, ingentem exercitum sub regimine Domini Cardinalis Richelij, tanquam Generalis sui locum tenentis in Italiam mittere; ut auxilio esset Duci Mantuano, & reliquis principibus, qui adeo diriter armis Hispanicis oppressi erant. Ex convolentia sua usque generali hanc expeditionem suscepit, quod non amplius vestigia pacificationis apparerent, & illi datam promissionem violare pergerent.

Sed offensio, quę intimam cordis vitam Regi tágit, est iniqua & iniustissima usurpatio Grisonum, antiquorum eius confœderatorum, vestrorumque, tum etiam ingens istud imminentissimum periculú, & ruina, quæ mox toti incumbet Helvetiæ, nisi iam promptissime forti huic succurratur manu; veluti à sua parte plusquam propensus est ad id perficiendum. Aſt ego satis mirari nequeo, quod sensus animi, & choleram tam diu emortuam vobiscum cohibere potuistis. Ad hoc fortasse respondeatis, factum id esse, ut viam apertam in Italiam retineretis, & eo rectius Grisones, finito bello, libertati pristinæ restituere possetis.

Pro primo vero hoc vobis persuadetur, quum illi hoc non tantum haudquaquam desiderent, sed ipsi etiam in æternum sibi omnia retinere cupiant. Et quoad secundum, fidem aliquam huic apponere possèmus: si unquam vidissemus, reddidisse illos quidquam eorum, quæ semel occuparunt, nisi magnis viribus, & armis fortissimis eo compulsi sint, ad quid restituendum. Existimatisne vos, Magnifici Domini, sermones eorum posteriores veriores esse prioribus? quibus continue comprobant asseverando, vires eorum in vestris finibus nihil aliud esse nisi ut contineant Sueviam in officio, & ut perficiant executionem decreti generalis restitutionis bonorum Ecclesiasticorum: imo omnia tendere in securitatem Imperii. At sub istis speciosis prætextibus facilitatem fidei Grisonum, & vestram deceperunt; quibus hoc impedierunt, quod non in tempore remedia necessaria adhubueritis, ad opponendum vos eorum invasionibus, & ad demonstrandum, ut intelligerent, qua fraude, & indignitate vestrorum hanc actionem perfecerint.

Fuitne postulatus à vobis transitus per Grisones secundum eum modum, qui usitatus est inter Magnates? fuitne hoc illis denegatum? est inde oblatum quidem pactum, sed admodum duris cõditionibus, in quibus abnegatum prorsus fuit, ut se victu & aliis rebus necessariis munirent ad eorum transitum. Nihil horum quidquam est, Magnifici Domini, nec in minutissimis quid præstiterunt impletionibus, ut contumelia Grisonibus, & eorum confœderatis, illata esset totaliter perfecta, & ipsi medium vobis cognoscendi exhiberent, ut inde perciperetis, qualis in hac invasione esset vestræ sensibilitatis conceptus, & patientia.

Credite itaque, Magnifici Domini, quod patria Grisonum non in hunc finem sit occupata, ut haberent transitum liberum in Italiam, sed etiam maxime, ut corda vestra perpenetrarent, & cognoscerent penitus, quo usque vestra patientia in tali usurpatione possit retardarier. Quemadmodum vos turpiter heic dedistis non sine admiratione vicinorum vestrorum, qui caussam satis suspicari nesciunt, quid sit, quod vestros animi sensus adeo tenaciter retardando retraxerit. Horribile est visu, quod tam bellicosa gens, atque ea quidem, quæ à multis iam seculis sine perditione aut iactura eorum, quæ semel acquisiverunt, semper victorius adsiduis suum augmentavit statum, patiatur, iam se tam misere suis optimis spoliari partibus. Hoc ita vestro effectum est silen-

tio,

tio, quod illi tantam nacti ſunt audaciam ſe ſtabiliendi, & mutandi propoſitum, ex ſimplici tranſitu in reſidentiam, & manſionem perpetuam; extruendi ſimul ibidem caſtella permulta in finibus Helvetiæ; & clare monſtrandi vobis, quid primo adepti ſint hoc lucro Griſonum ſupra vos; quodque iam eos contra vos manutenere queant. Non credite vero, Magnifici Domini, quod hæc, quæ profero, dicantur ad animandum vos ad intereſſe mei Regis: ſunt hæc veſtra particularia, de quibus agitur, quæ ipſum non concernunt: non ſpectant ad Regem meum, niſi veſtræ confœderationis communionem. Veſtra eſt hæc porta, ad quam pulſatur! Griſones non adeo noſtri ſunt vicini, veluti veſtri ſunt. Neque per Griſonum regionem intrare ſolemus Italiam: Neque eſt fortis diſtrictus aut pons Rheni: neque ibi quidquam eſt, unde noſtris provinciis quidquam incommodi obiici, aut exoriri queat. Quod ſi Griſones ſunt ſuppreſſi, nonne ſtatim inclamant veſtram opem, ut poſſint liberari ex captivitate, in quam deducti fuerint? An non obſtupeſcitis iam vos, Domini Magnifici, ad vocem illam, ad ſermones tales, ad querelas eas, quæ tam lamentabilem edunt ſonum? imo ita iam iacent conſtricti, ut non habeant amplius vocem aut ſermonem, & quæſtus miſeriæ ſuæ, qui etiam miſerabilibus maxime competit & permittitur: ſed calamitas eorum pro ipſis loquitur. Infortunium eorum veſtrum inclamat auxilium, neq; quidquam ita movere nos debet ad ſuccurrendum iis, quam quod nullum à vobis petant auxilium.

Adiungam his Magn. Dom. tres conſiderationes principales, ut eo melius cognoſcatis, & ſenſu ipſo percipiatis damnum veſtrum in perditione regionis Griſonum, & eo rectius occaſionem ceuſeatis, qua principes veſtri vicini, tam ardenter deſiderant fœdus veſtrum, qui etiam nullis parcunt ſumptibus ad procurandum illud. Prima eſt hæc apprehenſio, quod arma veſtra victorioſa non deberent facere impetum in eorum ſtatus. Secunda eſt exiſtimatio, quam conceperunt (principes & vicini ſcil.) de veſtra Natione. Tertia, utilitas veſtrorum tranſituum. Permittite igitur mihi, ut ego ex libertate viri boni, qui maximam partem concepit ſua affectione ſyncera erga veſtrum intereſſe, vobiſcum colloquar, quod veſtra patientia & uſurpatio pacis in Griſones diminuerit, & deſtruxerit cauſſas, ac rationes, quæ eos ad fœdus ineundum mutarunt.

Nam quemnam habere poſſimus timorem, ut antiqua illa impetuoſitas ſit in vobis renovata, dum perpeti id valetis, quod ita vobis vires veſtræ occupentur in regionibus vicinorum veſtrorum; & ſi ita impune feratis invaſionem veſtrorum vicinorum & membrorum Helveticorum? Adeo, ut nec in hac quidem cauſſa ſenſum ullum digne demonſtretis valoris & magnitudinis ex ea animoſitate, quæ vobis hæreditarie innata videtur?

Quænam ibi adſit apparentia ad requirendam defenſionem alterius ſtatus, de talibus, qui ſinunt occupare ſua ſine omni evidenti reſiſtentia, nec quid reſolutionis concipiunt recuperandorum illorum? Et quænam haberi poſſit neceſſitas exigendi quid veſtrorum tranſituum; quandoquidem principales & maxime commodi ex veſtra vobis erepti ſunt poteſtate?

Sed hæc dicta ſunt, Magn. Dom. ab homine meæ profeſſionis, & ad vos de veſtris, ſpecialiter vos concernentibus, ſubiectis, quę ipſa de ſe talia loquuntur; quæ etiam vos magis commovere debeant, quam omnes rationes, quæ unquam heic poſſint vivide repræſentari.

Quamobrem quoque finiam ſermonem meum, & offero vobis nomine mei Regis in hoc caſu, quod ſi iuſtum hoc propoſitum recuperandorum Griſonum aggredi velitis, & procurare ſimul victualia, tormenta, & munitiones, bello neceſſarias, quarum rerum pretium à Regia Maieſtate vobis perſolvetur: & erigere laborabitis exercitum, quod in eius nomine à vobis expeto, ex ſex mille hominum veſtræ nationis conſtantem; Et aderunt tunc uno tempore quatuor mille peditum, & quingenti equitum Francorum ad executionem huius propoſiti. Quum tandem Deus vobis calamitatem Griſonum ob oculos ponat, inſpiret idem vobis quoque præſenter ſanctam & laudabilem eam reſolutionem, ut acceptetis ſupradictam oblationem armorum & auxilii ex aſſiſtentia Regiæ ipſius Maieſtatis, in probam & æſtimationem talem, quam continuare ſtudeatis in magnanimitatem veſtræ Nationis: Hoc proderit ad alias occaſiones, & eius negotia, nec non conducet actionibus meis: Manens in ea conſolatione, quod fœderis terminos ita obtinuerim, ceu reddidit ille vobis officia veri, ſynceri & cordialis amici, atque ego relinquere volui ipſius nomine hoc monumentum poſteritati ipſius regiæ vigilantiæ, & ſingularis affectionis ſignum ad bonum, ſalutem & conſervationem veſtræ patriæ.

Ex quibus, & aliis ſimilibus ſatis patet, in quantum ſtatus popularis concutiatur, & variis, tam potentum quam Ariſtocraticorum odio, & invidia obnoxius ſit, quum tamen interim abnegari non poſſit, quod omnis potentia à ſubditis, & multitudine populi dependeat. Imo nec ulla Monarchia, aut Ariſtocratia ſine eius viribus, & robore diu ſubſiſtere, aut in ullum florem perduci rectum queat. Populi enim robur, & facultates ex benedictione Dei faciunt, quod ſalus Reipublicæ alicuius in quocunque ſtatu rite excitari, & conſervari valeat. Ac quid eſt Reſpubl. niſi populi communio ipſi fundamenta ſalutaria ſubſternat. Unde recte dicitur, quod ſalus populi ſemper ſuprema lex eſſe debeat, ut norma inde unice cunctis Reipubl. præſidibus ſit ſumenda. Quod omnibus certe bene conſiderandum venit in quovis ſtatu, & forma, ſive Monarchia, ſive Ariſtocratia, aut mixta ſit, ne quid damni populus patiatur. Si illi ruina necteretur, profecto quilibet ſibi manus, & pedes abſcindere, imo cor ipſum enecare, & propria viſcera erodere videtur. Præſertim tamen hoc ſtatus popularis præaliis ſibi præcipue proprium, & peculiare habet, quod nuſpiam rectius virtuti, & pietati ſua genuina excuſatio ſubminiſtrari queat. Quum enim ſummi, & imi, atque ad unum omnes videant, ſibi portas honoris non præcludi, ſed magis apertas eſſe, quo maiori virtutis, & pietatis ſtudio exornarint ſeſe, eo ferventius iis rebus cunctis incumbunt, quæ integritatem cordis perficiant: maxime ibi & accreſcit humanitas, fides, mutuus candor, & unanimitas in boni publici procuratione, quum in reliquis quiſque ſuum proprium intendat, ſolam ſibi auctoritatem cum pleonexia arrogando, velut id maxime videre eſt in Ariſtocratia, qui ſtatus

inter omnes maxime, si insolentior præ concivibus geratur, criminibus scatere solet, utpote ubi pauci omne non tantum in se commodum, sed etiam honores, & potentiam cum superstitiosa quadam arrogantia, & superba fastus præsumptuositate variis technis pertrahere semper, ac in se derivare non desinunt, præsertim si invidiose alios corde rectos persequi incipiant. Etenim non facile perferre valent, ut sint eruditi, qui clandestinitates eorum introspiciant, examinentve acutius. Ideo potius in simplicitate obtusos, quam alti ingenii animos generosos, aut prudentes amant, ut ipsi soli semper præfulgeant, & populum variis modis premendo exagitent, exhauriantque, quod pro summo habetur secreto seditionis avertendæ caussa, ne sint, qui machinationes tales acutioribus introspiciant, & observent oculis. Ipse vidi memorabile exemplum, quum vir, optime diu de multis meritus, & in omnis generis negotiis politicis exercitatus, ibidemque à Maioribus natus, forte ex promissione toties ipsi facta, ambiret locum debitum, quid ipsi à primario inter proceres sit responsum. Non verebatur ille ita scribere: *ubi neque virtus, neque meritum respicitur, favoribus ambeundum est, &c.*

Egregium sane de Republ. sua id proclamare voluit testimonium, quasi nihil ibi valeat præcipuum, nisi quod omnia venali precio exposita sint. Nimirum genus illud avarissimum hominum quidvis ex merce censet, aut nulli patet aditus ad locum magistratus, nisi quid vel precio ematur sufficienti, aut viam connubialem in affinitate quis sibi eligat catus. An vero ibi non omnia sint corruptissima? Imo neque ipsa iustitia locum ullum tutum acquirit, aut invenit ibi, quam quem Regina pecunia rerum demereatur. Quæ vero heic non subrepant vitia in talem Rempubl. & formam status plane informem? Quare populi regimen in eo longe præclarius est, quod pietati, & virtuti omni potior pateat locus. Etenim ex tali studio maxime eius præstantia censenda venit, quum omnis conatus contrarius criminibus & flagitiis non careat suis. Tum ingenuæ libertati hoc proprium est, ut omnibus æqualiter competat, & communis sit singulis, & quo magis hæc efflorescit, eo amabilior cunctis extat, & affulget. Quippe pietati, & virtuti apud ullum sua nunquam, & nusquam præcludi debet via, quum & naturæ humanæ maxime hoc conveniat, ut in his se exerceat semper enitentius, & perfectius. Si vero præ nimia cupiditate potentiorum, sive hæc in ambitione, sive avaritia, aut arrogantia insolentiori sit posita, pietatis sanctæ, & virtutis charæ. Iustitiæque studium alicubi exulare incipiat, in monstrum suum abit protinus, quod maxime sequitur interitus horrendus, quum contemptus populi non desinat odio fremere, & invidia, in quibus sibi vindictam ex desperatione ut plurimum quærere solet.

Velut etiam rei potentes hinc ex nimio amore sui non verentur subditorum sanguinem vilipendere, quod ante pauculos annos quoque in Urbe Magdeburgica vidimus oculariter, quam miserabilem toti mundo exhibuerit tragœdiam cum deformi interitu. Etenim quum popularem statum, satis loco conuenientem, pauci insolentiores odio inciperent habere, & clandestinitatibus malignis ferventius eum persequi, non potuerunt quiescere, donec se cum suis penitus subvertissent. Tanti res abortus fuit horrenda, ut pauci illi, qui gubernaculum populi tribubus sedecim, ex quibus bene constitutum per secula aliquot floruerat illud regimen, per adsecias suos, non bene informatos, ac minime competentes, ex plasculis annis clancularie flagitatum, sibi eripuerant, potius pessum ire execrando modo, & secum in crudeliſſimam præcipitare ruinam voluerint 28. mille homines, quam obsequio iusto illos destinare, cui omni iure id debebant. Quæ durior protet via, & in instituto ditior excogitari poterit? Sic ubique aberratur granditer ubi insidiosæ technæ libertati decenti supponuntur, & studium proprii commodi saluti præfertur publicæ. An non ubi publice bene est, ibi privato cuique sua subministrātur commoda simul? Ac quid rectius sit in natura? vel num quid convenientius verbo Dei, & mandato eius excogitari poterit? Etenim si cuiusvis hominis officium proprium ex natura, & iussu Dei requirit, ut proximum diligat, sicut semetipsum; atque alteri faciat, quod sibi præstari, aut fieri velit; certe dignitatem suam non in damnum, multo minus exitium alterius, & maxime eius, quem corporis sui membrum constitutum novit, pertrahet, aut pertrahere debebit. Sed in æqualem omnes ingenii, & industriæ piæ defensionem diriget.

Hinc perpetuo fœdere iuncti nunc Helvetii, satis congruentem universali corpori Iustitiæ administrandæ modum applicarunt, ut supra ex parte ostensum est, & plenius Simlerus lib. 3. hist. Helv. eum describit. Vires itidem suas non incongrue distribuunt, sive extetis, sive domesticis sit succurrendum. Qui namque inter sese interioris naturæ iurata societate cohærent, circiter quindecim optimorum peditum millia sine ullo publicarum virium detrimento ad exteros mittere possunt. Quibus Rhetorum populi adiuncti, Curiensis videlicet, Agnellinus, & Tomiascus, qui Bergomatibus in Mediolanensi ditione, & Tirolensi Comitatui adiacent, decem circiter armatorum millia extra patriam queunt mittere: hisque adnexi Vallenses, qui ad Lemanum lacum, & ad fines Pedemontii, nec non Helvetiorum siti sunt, sex millia hominum ad externæ militiæ usum in promptu habent: præter quos, populi Labatenses. Appatellenses cum oppido S. Galli 4000. conscribunt. Omnes hi populi in militibus deligendis, sive ad exteros transmittendis, hac utuntur consuetudine: primum in unaquaque communitate tam Duces, quam milites tot, quod requisiti fuerint, eliguntur: ita tamen, ut ne idonei homines è domesticis præsidiis detrahantur. His communitas pro stipendiis, si forte ea ab ipso, cui militant, non persoluta fuerint, fideiubet. Lectis his, vexilla tolluntur, sive moventur: contra quæ nemini civium, ubicunq; illi fuerint, arma ferre fas est, sub capitis etiam pœna, & omnium bonorum confiscatione. Vexilla hæc multa sunt & diversa, singularum fere civitatum, sive pagorum. Præcipua sunt duodecim, vel tredecim pagorum.

Habent quoque Grisones, sive Rheti, Valesij, Abbatiscellenses, & Sangallenses unum vexillum generale, quod tamen nunquam effertur, nisi educatur talis exercitus, in quem Duces, & milites ab universa communitate decreti, & missi fuerint: quod tamen perraro contigit, cum ipsius communitatis nunquam fuerit consuetudo, ut omnes simul milites

congre-

congregent, niſi ſi ditiones ſuas ab hoſtium impetu defendendi neceſſitas ingruerit: deliguntur autem, ac decernuntur milites communi conſilio, vexillumque hoc generale confœderationis vexillum vocatur, contra quod nemo militum, communitati ſubiectus, arma ferre poteſt ſub pœna confiſcationis bonorum, & amittendæ vitæ, in eoque omnia comprehenſorum locorum inſignia depicta cernuntur. Præter quod generale vexillum 13. Helvetiorum pagi peculiare gerunt vexillum, expreſſis ſingulorum vexillis, neque attollitur, aut elevatur in publicum, niſi eodem modo, uti diximus, publicus accedat conſenſus, & adverſus ipſum nemini Helvetiorum militare fas eſt, ſub pœnis, quas recenſuimus. Habent præterea tres pagi Suitiorum, & Underwaldenſium commune vexillum, quod tres illæ communitates erigunt, neque ſubditis contra illos arma ferre licet. Habent Rheti ſimiliter vexillum ſub iiſdem conditionibus. Vallenſes pari ratione ſuum educunt, itidemque Abbatenſes, Appatellenſes, & Saugallenſes.

Quamobrem periculoſum eſt principi ex Helvetijs conducere militem, niſi ab ipſa communitate, ſubque eius vexillo electum. Id magno ſuo cum incommodo expertus eſt Ludovicus Sforcia, qui in principatum ſuum reverſus, magnum Helvetiorum numerum, ſtipendiis conductorum, ſub ſignis habuit ex eorum numero, qui quorumvis principum militiam ſequuntur, nullo patriæ, aut communitatis decreto ſuffulti. Contra vero Gallorum Rex milites ab ipſa, tredecim pagorum communitate, electos, ſervatis ipſorum inſtitutis, ſub publico vexillo ducebat, unde factum eſt, ut voluntarii Helvetij, Ludovico inſervientes, ipſum prodiderint, ideo quia contra commune Reipubliçæ quiſque ſuæ vexillum arma ferre nollent, ne patriam, & patrimonia ſua amitterent: quod idem in præſens eædem gentes univerſæ dubio procul efficerent.

FINIS.

CONTENTORUM IN INTRODUCTIONE TRACTATUS GENERALIS de Rebuſp. Hanſeaticis conſpectus.

DE Imperij Romani Germanici duratione, fundamentis & columnis veris, eiuſdemque ornamentis illuſtrioribus & munimentis. Pag. 1
Mutationes & paroxyſmi Imp. Romani. 2
Comparatio Imperij Romani cum corpore humano generalis. 2
Comparatio Imperij Romani cum corpore humano ſpecialior. 3
Membra Imperij Romano-Germanici alia interna, alia externa. 3
Membra externa Imperij quæ? 3
Vires Germaniæ. 4
Situs & natura Germaniæ. 4
Status Imperij quid & qui? 5
Numerus Statuum in generali diſtributione. 5
Differentia Statuum Imperij generalis. 6
Differentia Statuum ſpecialis iuxta diſpoſitionem claſſium. 6
De civitatibus, tanquam tertio membro. 7
Enumeratio Civitatũ iuxta ſubſellia Imperij. 7
Vera diviſio Statuum ex dignitate privilegiorum deſumpta. 7
Civitatum vera diviſio, iuxta modernam Imperii Germanici formam. 7
Optima & boni Imperij nota ex Diſtingavio. 8
Imperium Rom. Germanicum unde in circulos diviſum? 9
Circuli ſive Provincia quot? 9
Circuli cuiuſque contenta qua? 10
Ordinatio Circulorum in quibus conſiſtat? 10
De conventibus & Comitiis Imperij. 10
Comitia quid & quotuplicia? 10
Univerſalis Conventus ſive comitia in quibus conſiſtat? 11
Cauſæ & negotia Comitiorum ordinaria. 11
Extraordinaria comitia qua? 11
Conventus particulares. 11
Conventus Electorales. 11
Conventus Circulares. 11
Officia publica Electorum in comitiis Electoralibus qua? 11
De vicariis Electorum, qui ſint. 12
De origine Electorũ Imp. Romano-Germanici. 12
De præeminentia S. Rom. Imperij. 18
Concluſio Proœmij. 20

INDEX CAPITUM

Primæ partis tractatus generalis de Rebuſpublicis Hanſeaticis.

CAP. I.

DE univerſitate, communione & origine civitatum. Ubi inſignis ex hac occaſione locus Platonis ex ſympoſio eius, iuxta Teutonicum, explicatur. Pag. 20

CAP. II.

Ulterior explicatio loci Platonici de fundamẽtali origine ſocietatis; &, de myſterio regiminis paradiſiaci, ſanctæ ex Teutonico informatio. 24

CAP. III.

Caput hoc membra continet duodecim.

Membrum I. *De ſocietate univerſim, quid ſit; & eius veris ſive genuinis ſpeciebus, & quomodo inter ſeſe differant, opinionis via prius remota, & re ad veritatem complanata.* 27
Membrum II. *Verbum Iehova minime à politicis negotiis ſeparandum, quum unice veras iis ſupponat concluſiones.* 29
Membrum III. *Summaria Societatis enumeratio.* 29
Membrum IV. *Plenior Societatis & ſolidior explicatio.* 30
Membrum V. *De Societate privata.* 30
Membrum VI. *De Societate coniugali.* 30
Membrum VII. *De Societate paterna & filiali, & utriuſque officio.* 32
Membrum VIII. *De Societate familiæ, & eius notatione.* 33
Membrum IX. *De Societate herili, & eius poteſtate.* 34
Membrum X. *De iure patrisfamiliæ & patronatus.* 35
Membrum XI. *De ſervitutis ſpeciebus apud Romanos.* 35
Membrum XII. *An ſervitus ſit à natura?* 36

CAP. IV.

De ſervitute; quomodo libertati ſit oppoſita natura? quod exemplis declaratur.
I. *Romanorum.* 36
II. *Germanorum mores, antea ſemper libertati addictorum, à Romanis infecti.* 37
III. *Franci maxime primi ſervitutis introductores in Germaniam.* 37
IV. *Hiſto-*

IV. *Historica deductio, quomodo Saxones per aliquot secula libertatem conservarint suam contra quamvis vim forti manu: cum correctione aliquot Historicorum.* 38
Error Chronici Buntingi. 40
Locus notabilis Reyn. Reneccij. 42

CAP. V.

De callida & secreta quadam servitutis dura suggestione, & eius effectibus diris. 43
Privilegium Sigismundi Imperatoris contra nimiam subiugationem iudiciorum, &c. 43

CAP. VI.

An iuste Imperator in Florentino refutetur ab aliquibus, quod servitutem contra naturam statuat? 47

CAP. VII.

In quo servitutis definitio, ut ab Imperatore est promulgata, & à ICtis explicata, iuste defenditur, & à calumniis vindicatur. 52

CAP. VIII.

De iustitia belli, & servitute eius, disquisitio & examen. 59

CAP. IX.

De libertate vera, & servitute Christiana; quomodo hac accipienda, & quid proprie sit. 65

CAP. X.

De fructibus Christiana servitutis, libertatem demonstrantibus genuinam: deque occulte subrepentibus servitutis speciebus aut modis. 71

CAP. XI.

De residuis privata societatis speciebus accidentalibus & accessoriis. 74

CAP. XII.

De republica Platonica: quod illa proxime ad Christianismum accedat, & pra reliquis quam commodissime ad veram caritatem reduci possit. 80

CAP. XIII.

Illustratio reipublica Platonica ex causis politia Teutonica; unde speculum & comparatio generalis reliquarum rerumpublicarum peti queat. 88

INDEX CAPITUM
Partis II.
Tractatus generalis, de Rebuspublicis Hanseaticis.

CAP. I.

De vicis, villis, castellis, & pagis, deque eorum differentia ac distinctione propria. 93

CAP. II.

De oppido, urbe & civitate, in vulgari acceptione, earumque differentia. 96

CAP. III.

De pagis, districtibus, sive territoriis, provinciis, regionibus, & regnis: quomodo inter se differant. 100

CAP. IV.

De terminis, finibus, & limitibus cuiusque circumferentia & loci continentis; deque eorum iuribus & privilegiis. 103

CAP. V.

De collegiis, sodalitatibus vel sodalitiis, consortio, & ordinibus in Republ. 105

CAP. VI.

De civitate, sive reipublica effectu proprio, & utriusque discrimine; in quo iam multi ita graviter hallucinati sunt: deque civitatum vera divisione, iuxta Imperii Germanici iura. 108

CAP. VII.

De veris & genuinis requisitis atque notis libera reipublica in civitatibus, & serva: cum elucidatione evidenti introducta distinctionis de iisdem. 112

CAP. VIII.

De corpore & universitate societatis publica. 115

CAP. IX.

De Republica, & maxime in statu Christianitatis, quid sit. 116

CAP. X.

De Privilegiis, unde & quid sint, ac quomodo iure concedantur suo. 118

CAP. XI.

De fœderis natura propria in genere, variisque eius acceptionibus, & definitione vera. 119

CAP.

CAP. XII.

De fœderum varijs generibus, & licitorum requiſitis neceſſarijs, ſecuritatis cauſſa. 122

CAP. XIII.

De ijs, qui fœdera icere poſſint, & cum quibus fœdus ineundum. 124

CAP. XIV.

De conditionibus fœderis, & modo contrahendi aut conſtituendi pactiones firmas. 126

CAP. XV.

De ſolemnitatibus & ceremonijs fœderum: deque officio confœderatorum, & quanam in re id proprie conſiſtat. 129

CAP. XVI.

De duratione & effectu fœderum, nec non ſolemnitatibus, quæ in modo contrahendi advertenda ſunt. 132

CAP. XVII.

Num fas ſit quandoque Principi aut Reipubl. fidem violare; præſertim ſi iniquæ conditiones, quas inire coactus eſt, & temporis commoditas id iubeat? 134

CAP. XVIII.

An fœdus & bellum pari paſſu ambulent? 137

CAP. XIX.

De fœderibus improprie ita dictis, & cognatis eorundem. 140

CAP. XX.

De contrario fœderum, & eorum diſſolutione. 142

CAP. XXI.

Quæſtio, de homicidio in Burchardo 29. Archiepiſc. Magdeburg. commiſſo, quomodo ſit deciſa; & de Erroribus aliquot Pomarij in Chronico Saxonico. 144

Capitis huius conſpectus.

Documentum mutui, quod ſub aditu Archiepiſcopatus Magdeburg. Burchardus Scrapelevienſis Comes à civitate accepit, ad conficiendum iter Romanum. 148

Documenta aliquot reliqua, ex quibus probantur gravamina, quibus contra omnem æquitatem civitatem Magdeburgenſem ſupprimere, & privilegijs ſuis exuere conatus erat ille interfectus in curia Archiep. Burchardus. 148

Privilegium à Cunrado II. Imperatore Magdeburgenſibus conceſſum. 148

VVilbrandus ex liberali donatione dedit & conceſſit Magdeburgenſibus duo iugera pro ampliſicanda civitate. 149

Littera Domini VVilbrandi Archiepiſcopi Magdeburg. confirmationis privilegiorum. 149

Precariarum impoſitionum remiſſio extra civitatem, quæ ex agricultura ſolvebantur. 149

Littera reſignationis Alberti Ducis Saxoniæ Burggravionatus & Banniin Magdeburgk. 150

Littera defenſionis Domini Ludovici Quinti Imperatoris circa cives Magdeburgenſes. 150

Littera confirmatoria Ludovici Quinti Imperatoris, ſuper privilegijs Magdeburgenſium. 150

Abſolutoria eventuales à banno littera Ottonis XXXI. Archiepiſcopi Magdeburgenſis, ex familia Landgraviorum Haſſia oriundi, & à Papa Iohanne XXII. ipſo Aviniene Gallia degente, tunc temporis contra Henricum Comitem Stolbergenſem electi. 150

Diploma privilegiorum ab Imper. Ottone IV. anno 1208. Magdeburgenſibus conceſſorum. 152

Diploma aliud de anno 1216. Friderici II. Imperatoris. 153

Civitatis Magdeburg. abſolutio à banno propter occiſum Archiep. Burchardum, Imperatoris Ludovici Bavari. 154

CAP. XXII.

De reliquis fœderum diſſolutionibus. 154

Epilogus. 155

Epilogi annexum. 161

JOHAN. ANGELII

WERDENHAGEN

J. C. C.

De

REBUSPUBLICIS

HANSEATICIS,

Et earum nob. Confœderatione, Tractatus Alter, ſpecialis.

INTER HANSEATICAS CIVITATES ET RESPUBL.

post quatuor Metropoles, olim & partim nunc principalium maximeque præcipuarum urbium oppidorumve:

Bremæ,	Dordraci,
Hamburgi,	Amstelredami,
Lunæburgi,	Enckhusæ,
Hildeshemij,	Brielæ,
Monasterij,	Wiringiæ,
Goslariæ,	Middelburgi,
Tremoniæ,	Ziriczeæ,
Uratislaviæ,	Arnemundi,
Eimbeccæ,	Domburgi,
Duderstadij,	Ultrajecti,
Neomagi,	Daventriæ,
Arnhemiæ,	Svvollæ,
Zutphanię,	Campeni,
Embricę,	Hasselti,
Bommelię,	Harlingæ,
Hardervici,	Staveræ,
Elburgi,	Hindelopiæ,
Wageningę,&	Worcumij,&
Thielę.	Groningæ.

Dnn. Consulibus, Syndicis, Pensionariis, Camerariis, Scabinis, Quæstoribus & Senatoribus;

VIRIS Generis, muneriſque Nobilitate, Experientia, Doctrina, eruditione & rerum usu clariſſimis, eminentiſſimis; Dnn. Fautoribus atque amicis omni obſervantiæ ſtudio colendis;

Illis Tractatus huius ſpecialis primam: at His ſecundam partem

S. C. P.

IOHANNES ANGELIUS WERDENHAGEN, I. C. C.

Digitized by Google

GEnus certe ſapientiæ uti tutiſſimum, ita etiam merito ſuaviſſimum à rectè ſentientibus habetur, Viri Ampliſſimi, & muneris dignitate conſpicui, Fautoreſque optimi, quod quis aut experientia addidicit pie, aut exemplo aliorum in uſum ſuum ita pertraxit. Nam conſummatio ſapientiæ in ore fideli ſita eſt, ait *Eccleſ. in Syrac. cap.* 34. *v.* 8. *&* 9. Ἀνὴρ πεπαιδευμένος ἔγνω πολλὰ, καὶ ὁ πλύνων ἐνδιηγήσεται σύνεσιν· ὃς ἀνεπιστήμων ἦν, οὐδὲν ὀλίγα. ὁ δὲ πεπλανημένος, πλησμονὴν πανουργίας. &c. id eſt: *Vir edoctus, novit multa: & multarum rerum peritus doctrinam explicare poteſt. Qui non expertus eſt, novit panca: qui vero deceptus eſt, promptitudinem operis omnem habet.* Ceu quoque Tragœdus ille idem affirmat, dicens:

Non, quod putas te ſcire, ſcis, ſi uſus deeſt.

Sic etiam exempla ita fortiter movent, ut rerum ipſarum informatorium ſecum afferant; quod toties ipſa S. Scriptura inculcat nobis. *Deut.* 3. 21. *&* 24. 9. *&* 29. 22. *Eſai.* 51. 2. *Ierem.* 7. 12. *&* 26. 6. 18. *&* 44. 21. *Am.* 4. 11. Validiora enim ſunt exempla, quam verba, & plenius opere docetur, quam voce, *ait Leo Pap. in ſerm. de Ieiun.* quum exempla faciant, ut non tantum rem melius, & velut occulta fide intelligamus. *Bal. in l.* 1. *num.* 2. *ff. de Iuſt. & Iur.* ſed etiam inducant confirmationem. *Bart. in l. nemo. C. de ſent.* & ipſam rem clariorem reddant. *l. prætor. §. quoties. ff. de coll. bon.* Velut omnino exemplis opus eſt, quæ ſequamur, aut vitemus. *l. aut facta. §. fin. ff. de pœn.* Quippe *l. ead.* dicitur:

Exemplo alterius ſæpe docetur homo.

Factum inde eſt, quod tanto cum ſtudio paſſim hiſtoriæ commendetur utilitas; ſicuti quoque Plutarchus prudentiæ, & ſapientiæ initium in hiſtoriarum cognitionem reponit; atque Saluſt. teſtatur magno uſui, rerum geſtarum eſſe memoriam; quum ibi prudens inveniat, unde ſapientior fiat, uti *Var. ait lib.* 8. Debebat id quidem ita fieri: Verum hoc adeo rarum eſt hodie, ut vix mortalium quiſpiam amplius reperiatur, qui in vitę pręſentis imitamen gratum quid inde convertere laboret. Scire enim cupiunt omnes, ſed facto id, quod quis cognoverit in hiſtoriis, comprobare nemo expetit. Sæpius audimus uſque ad tædium, infinitos cum magnis amphiboliis non ſine immenſa jactantia cōgerere diſcurſus naſutulos, ut ſeſe in multivaria lectione venditent grandiloquentes: quod ſi vero penitius acta & facta illorum examinentur, nil niſi futilitates & vanitates crepantes cenſeas. Namque quiſnam eſt omnium, qui maiorum hiſtorias priſcorumque ſeculorum antiquitates propterea recolat, quod in præſentem vitæ correctionem cuncta pertrahere velit? An non potius ſinguli id agunt, ut ſaltem inde oſtentationis gratia quem doctrinæ aut ſcientiæ cumulum ſibi comparaviſſe videantur? Uſque in eam perverſitatē ſane excurritur ferme à quibuſvis, ut ſaltem ſcire & legiſſe præterita, atque futura prænoviſſe ac vaticinari inde multa queant. Nemo eſt, qui domi proinde ita ſecum habitare ſtudeat, ut ex maiorum virtutibus imitandis aut vitiis evitandis exemplum vivum & vere vividum ſibi ſumere adoptet. Imo potius quilibet id ſibi noxium & maxime criminoſum putat, quum omnes uſque adeo ſuperbiſſime ſapiant omnia. Sic igitur fit, ut etiam pueri præ ſenioribus & rerum expertis naſum rhinocerotis habere ſe ſibi ſomnient. Si quis ſit, qui moneat ea, quæ in pietate vera Iehovæ debentur; continuo non ſine contumeliis & vitæ acerbiſſima perſecutione cum veritate ſua expellitur is foras. Quis eſt, qui non ethnicos deteſtetur cultus quoslibet? Si quis vero cuipiam talem in actionibus vitæ ſingulis denotet, aut demonſtret conatum horribilem; is certe eo ipſo verbo ſtatim in extremum calamitatum omnium detruditur exitium. Tam egregii ſe depromunt omnes ſolidæ pietatis & virtutis amatores! O mortale genus hoc, in beſtialitate ſua & cœcitate infatuatum! Ore quidvis arduum ſanctumque denotant

multi;

multi; at in cordis abyſſo profundiſſimam nequitiarum colluviem abditam tacite fovent. Nec ſe ſupremus aut imus heic facile eximet, niſi quis in Chriſto renatus vivat Iehovæ. Namque, ut nunc in mundo eſt comparatum, penitus amor cœleſtis in ardore ſancto vigens erga Deum & proximũ, ab omnibus etiam iis, qui ſe veros Chriſtianos profiteri ſatagunt, exulat. Ita mundus plane ſibi pœnæ loco vivit, quum nuſpiam non rideatur Spiritus Chriſti. Imo Chriſtiani ſunt abſque Chriſto & Spiritu eius; quia ſibi in proprio carnaliter ſapiunt cerebro, atque pudori hoc ſibi ducunt, ſi in quibuſvis actionibus aut privatis aut publicis, negotiationibuſve & commerciis ad pietatis & Verbi Cœleſtis normam revocentur. An non continuo ad diſtinctionem talem recurritur: aliud eſt politice, aliud theologice quid tractare? Quaſi Politicis rebus & actionibus nihil commune eſſet deberet cum vita ſancta & imitatione Chriſti. An vitam hanc propterea vivimus, ut Deus Iehova debeat blaſphemari à nobis, aut in Verbo ſuo nequiter vivendo refutari, & proximus odio, fraude, ignominiave affici, & tamen cœlum ingredi aut nobis promereri velimus his flagitiis? Qualem ſibi homo heic ſomniat ſalutem aut cœlum? Carnale regnum, carnalem in exitu ſuo lacrymabili nanciſcetur ſortem. Nec tamen Iehova ſane beſtiales, aut nequitiis ſuis immerſas ſuo regno recipiet animas. Si Chriſtus in vita, via & veritate eſt centrum; profecto ex hoc progredi omnes & profluere debent vitæ Chriſtianæ operationes, nec ab illa citra iacturã ſalutis veræ derivari poterit. Quorſum igitur recedent tot odia, inimicitiæ, defraudationes in commerciis, depeculationes, ſpolia bellica, vis aperta & clancularia, rebelliones, calumnię perfidę, & reliqua crimina vitæ? Si Chriſtiani vocari cupimus, quur non tales nos ipſis vitæ actionibus & factis noſtris probamus? Chriſtus paſſus eſt pro nobis, ait Apoſtolus, relinquens nobis exemplum, ut ſequamini veſtigia eius, 1. *Pet.* 2, 21. Verum, proh dolor! in ea incidimus miſeri tempora, in quibus ethnici longe probiores ipſis cenſeri queant Chriſtianis. Quæ cauſſa? Quia quaſi cum lacte ethniciſmum in educatione ſtatim prima imbibimus, & potius inde quid, quam ex Dei ore ſapere cupimus; nec tamen quis eſt, qui hoc rite animadvertat. An non igitur iuſte nos Deus tot afficit extremis flagellis? Sed veluti neque mortales ſinguli quid, abſque ſolida pietate, boni perficiunt; ita neque minus in ipſis Rebuſpubl. multa cotidie committuntur errata. Hiſtoriæ, ſi ſemper veritatem profitentur, multa nos docere quidem poſſent: Verum quæ non ſuo veſtiuntur pallio! Nihilominus id laudabile merito inter civitates cenſetur omnes, præſertim Germaniæ, quod mutua conſervationis ſuæ catena ita fideliter cohæſerint ſemper, ut mutuo ſibi eſſent honeſtatis fulcro, in commerciis maxime. Inde Fœdus illud, quod Hanſeaticum dicunt, ex longa antiquitate vires ſuas non illaudabiles obtinuit. Res geſtæ eius plurimæ fuerunt & egregiæ. Sed non omnes conſtant. Quas perſpicere mihi contigit, dum conſiliis Hanſæ ex aliquot annis interfui, connotare volui paucis. Cognovi in ipſo decurſu huius ſpacii, quod non raræ ſint urbes, quæ ſui incrementum & fortunam proſperiorem huic debeant. Proinde magni cenſebatur olim, ſi quæ urbs Hanſeatica dici poſſet: id laudi & honori putabatur non ultimo. Sed quid ad priſca recurramus tempora? An non hodie exemplum inſigne ante oculos eſt nobis in urbe Amſtelredamenſi? Quænam exigua eius exordia fuerint, alibi diximus. Verum incolarum induſtria in commerciis fecit,

Nomen ut iſtius totum iam pervolet orbem.

Notabile ſane & pluſquam memorabile eſt carmen, quod de urbe hac veſtra, ô Amſtelredamenſes felices, vobis nuper compoſuit Clariſſimus D. Pet. Scriverius. Iure & urbis veſtræ, & amici mei ſummi hoc facio, quod verſus eos, qui nunquam antehac videre lucem publicam, heic interſeram; qui ſic ſe habent:

Quæritis, Hanſeas inter cur cenſear urbes?
Emporiumque ingens Amſtela Nympha ferar?
Cur mea per totum volitent nunc carbaſa mundum?
Cur ſubeat leges Indus uterque meas?
Cernitis Auguſtam, qua ſum decorata, Coronam,
Et nitidum tollo celſa per aſtra caput!
Non hedera, ut vulgo, eſt; furioſave ſtemmata iactо.
Auctorem, & cauſas hæc habuere ſuas.
Inconſulta ſuum petulantia Flandrica Regem
Cepit, & innocuo ſanguine tinxit humum.

Hinc genitor movet arma: ſcelus nec linquit inultum,
Liberet ut natum, trux Fridericus adeſt.
Romanaque adſunt aquila; atque exercitus omnis.
Itur in excidium, maxima Bruga, tuum.
Protinus obſepto migrant commercia portu:
Amſtela tum Sacro digna favore ſui.
Senſit captivus, ſenſit Rex liber Yaot
Amſtelioſque ſuo pectora fida Duci.
Quid faciat? iam tum Gradivo tum perdere vellet,
Me caput è Batavis tollere iuſſit aquis.
Cæſareaque meos illuſtrans luce Corona,
Tradite (ait) terris, tradite iura mari.

Multa & magna profecto tangit paucis, oculis iſte litteratorum. Namque Imperialis illius Coronæ Inſigne, cuius mentionem facit, ex inſignibus meritis, & quidem variis erga ipſum Imperat. Max. I. & maiores, Philippique Regis (ut habent verba Diplomatis ſub dato in urbe noſtra Schiedamenſi 11. Februarii *Anno* 1490.) Urbi & inclutæ Reipubl. Amſtelredamenſi attributum eſt à Maximiliano Cæſare. Quum ſplendor autem & potentia huius Reip. ub. ptæ cunctis antiquis Hanſæis in tantas vires accreverit, uti nunc patet undique, non ſine fatali omine, à ſummo orbis Capite ipſi additam Coronam hanc pro inſigni (quaſi Corona civitatum omnium pridem eſſe deberet) vir iſte Clariſſimus rite cenſet. Sed etiam alias laus ſua debita, & earum quamque ſuo loco manet prędicatio. Non patitur anguſtia huius pagellæ, ut id perſequar omne, quod optarem. Intētio tamen mea & votum ex ipſa apparet inſcriptione tituli, & dedicatione huius. Nulla eſt civitatum omnium inter Hanſeas, cui non ſolidam ex benedictione Iehovę apprecer ὁλοκαρδίως proſperitatem & beatitudinem. Ipſe libellus iſte quoque dictitat, quur vobis, ô civitates & earum Præſides optimi, eum deſtinaverim. An à veſtro iure vobis peculiari unquam excludi queatis? Quicquid heic dictum aut ſcriptum, veritatis amori dabitis; cuius etiam errata, inter beneficia, numeranda erunt; quum ad excuſationem & laudē ſatis ſit, amaſſe. Et quis tam dirus & durus, qui non plurima ignoſcat amori? Facietis idem vos pro pia benignitate, quæ etiam iuſtæ indignantiæ aut inclementiæ leges ſuas æquitatis imponere ſolet. Quantum in me eſt, non potero hac turbulentiſſima tempeſtate, quid comprecari cuique veſtrum rectius, quam ſi ex eadem S. Scriptura ſubnectam votum, à qua incepi: Vnde felicitas omnis in vos plenius redundabit, ſi rite obſervetur. Sic ait *Syrac. cap.* 33.3. Ἄνθρωπος συνετὸς ἐμπιστεύσει νόμῳ, καὶ ὁ νόμος αὐτῷ πιστός. *Homo intelligens credit legi, & Lex quoque ipſi fida erit.* Ideoque: Ἀκούσατε Μεγιστάνες, καὶ οἱ ἡγούμενοι ἐκκλησίας ἐνωτίσασθε. Verſ. 19. *Audite Magnates, & duces congregationis (Hanſæ) populi accipite auribus.* Cap. 34.15. φοβουμένου κύριον, μακαρία αὐτοῦ ψυχή. *Timentis Dominum beata eſt anima.* Iehova ſit maneatque omnium tutor. Valete, Havete. Dat. Lugduni Batavor. &c.

AD

Digitized by Google

AD CANDIDUM LECTOREM,

DE NOMINE HANSAE

genuina explicatio.

Mundus omnino diſciplina ſua iuſta carere nequit, quum pertinax ea ſit ubique perverſitas mortalium, vt alias aut nequitioſa protervia, aut ſecuritate nimia in perniciem irrueret ſui ultimam.

DUÆ *ſunt proinde, Amice Lector, communiones, quæ ex totius mortalitatis & multitudinis eius* Univerſitate, *ſibi corpora quædam in Politia conſtituunt; quorum alterum ex legitima ordinatione naturæ, ceu iam in corrupto hoc vitæ ſtatu correctionem diſciplinarem accipit, iuxta Dei nutum enaſcitur: alterum vero in æmulatione aliqua, iuxta peculiaris intentionis inſtinctum, ſibi ſchematis formam potius acquirit, quam quod verum corpus repræſentare queat. Illud prius, veri regiminis dum modum ſimplicem ſequitur, Reipublicæ naturam rite in politica hominum converſatione induit: Atque proinde aut Monarchiam ſub dominatu vnius, aut Polyarchiam progenerat. Hac iterum duplicem Reipublicæ faciem, modo rite introſpiciatur, oſtendit. Si enim ex ſuffragio omnium ſit, qui aliquam vitæ degendæ cauſſa ſocietatem contraxerunt publicam; Democratia dicitur, ſeu popularis ſtatus, in quo cives univerſi, aut maxima pars cæteris omnibus tum ſingulatim, tum viritim coacervatis imperant: ſive centuriatim, tributim, ſive curiatim iura maieſtatis cum auctoritate libera uſurpant.* Bod. lib. 2. de Rep. c. 7. *Talis fuit in Republ. Romana, quum populus ius, & poteſtatem vitæ necisque haberet, quæ viguit ab exactu regibus uſque ad Cæſares, ut rectè idem* Bodin. contra communem ſent. defendit hoc cap. 6. Meth. Hiſt. *Quod ſi vero Polyarchia non eſt omnium, ſed optimatum ſaltem, Ariſtocratia dicitur, quum minori parti civium, pauciſque inter eos, ſive nobilibus, ſive egentibus, ſive bonis ſive malis principalis poteſtas conceditur in reliquos ſingulos & univerſos in Repub.* Bod. d. l. c. 6. *Corpora autem hæc, ſive Monarchicum ſive Polyarchicum ſit aut Mixtum, ceu legitimæ ex Dei vicariatu in terris ſuam publicam exercent poteſtatem: ita etiam merito iuſto, in ordinatione dignitatum, ſua fruitur & utitur ſtatu, qui nulli temere concutiendus aut labefactandus venit. Namque omnis poteſtas à Deo ſecundum ius eſſentiæ eius his ſolummodo attributa eſt; nec ad alios ſine permiſſione iſtius principalis originis tranſferri poteſt aut debet. Proinde etiam poteſtas talis auctoritativa aut eſt principalis ſuperior; vel acceſſoria inferior. Principalis enim ſuperior habet Imperium à ſemetipſa, neminemque ſuperiorem niſi Deum agnoſcit, propterea que dicitur Imperatoria Regiave ea poteſtas, & Maieſtas, ſummum vel merum imperium ſibi conſtituens.* l. penult. ff. de Iuſt. & Iur. tit. ff. ad l. Iul. Mai. Bod. de Rep. lib. 1. c. 6. & ſeqq. *Acceſſoria autem inferior eſt, quæ ad unum ex principalibus ſuperioribus ſtatibus Regiminum legitimorum accedit, ita tamen, ut, inde dependentiam ſuam tenens, ab eodem aliquo Imperium omne habeat, ceu quoque exinde ICti inferiorem hanc iuriſdictionem Imperium mixtum appellitant.* l. 3. ff. de iuriſd. Cur. lib. obſ. 21. c. 30. *quum ſit quaſi depoſitum, aut, ad magiſterium aliquod, concreditum iis, qui Magiſtratus nomen inde ſibi obtinent.* Bod. lib. 1. c. 8. Geil. lib. 1. obſ. 17. *Magiſtratus igitur eſt poteſtas publica eius, qui imperio ſive Reipubl. præeſt in ſtatu regiminis, iuxta formam præſcriptam à ſuperiore. Veluti etiam tales Magiſtratus alij fuerunt* Urbani, *alij provinciales & extra urbem.* Urbanique iterum aut *Ordinarij, aut Extraordinarij. Ordinarij enim ſingulis annis ad munus ſuum ordinarium obeundum à populo apud Romanos ſolemniter comitiis centuriatis creabantur: Extraordinarij vero è contra. Atque utrique his Magiſtratus erant Maiores vel Minores: de quibus cognoſci poteſt* Roſ. de antiq. Rom.

Alterum vero corpus aut ſceleton potius, quod ex Univerſitate *mortalium colligitur, poteſt dici illud, quod ex confœderatione una aut pluribus diverſo reſpectu conflatur aut conſuitur. Hoc autem quum non ita ſolida & legitima rationis forma coeat, uti prius iam dicta refert, ſed ſaltem ex pactis mutua benevolentia & conſenſus ita componatur, ut ordinem nullum ſuperioritatis ad invicem admittat cum potentia coactiva: proinde quoque nullum Reipubl. fundamentum per naturæ ſuæ eſſentiã, nec ſtatum ullum firmum dignitatis eiuſmodi admittere valet. Sed quoties ſociorum ſuorum æqua-*

litatem & paritatem in hanc vel illam poteſtatem politicam ſive ordinem transformat, vel ſolummodo in minutiſſimis etiam inclinat, ſi atim à naturæ ſuæ genuina conſtitutione eſſentiali diſcedit, nec fœderatum corpus aut ſceleton eius amplius repræſentat: veluti id plenius in parte 4. cap. 17. *explicavimus. Etenim impoſſibile prorſus eſt, ut corpus tale ex eiuſmodi membris inter ſeſe ita coaptari poſſit, ſicuti Reſpubl. vera requirit talia. Namque uti ordo ſuperioritatis, & diſpoſitio eius ad inferius omnino nequit perferre aut recipere paritatem; nec par in parem imperium habet ullum; ita nec fœdus ſociorum uſpiam Rempubl. aut eius formam novit citra corruptionem eſſentiæ ſuæ. Ex quibus conſtat, in quam craſſum & plane inexcuſabilem prolapſi ſint multi magni Politici errorem, qui fœderi alicui Ariſtocratiam aut . eipubl. cuiuſdam formam adulatorio modo adſcribere auſi ſunt, uti etiam nuperrime id quidam compilator, in conatu tamen ſuæ inſcitiæ ſatis ſero demonſtravit, quam rerum politicarum abſque fundamento ſit ignarus; licet in pluribus ſe perquam glorioſum oſtentare geſtiat. Abſurditas certe eſt talis, ut prope eam exuperet, quam in civitatis conſtitutione commiſſam à politicis paſſim ſcriptoribus ſupra diximus, qui effecti huius locum ad ſubiecti rationem in Republ. retrahere ex ignorantia non ſunt veriti. Veluti etiam non abſimile quid committunt, qui cæci omnem rerum abſtruſarum cognitionem in vanas conjiciunt ſyllogiſticationes, quibus miſere nobiliſſimam ætatis partem fruſtra iuventutem conſumere Doctores, & operoſe ſumptus inanes in ijs perdere, iubent, quum tamen eo ipſo ſatis luculenter demonſtrent, quod cæcos cæcitatis humanæ patronos ſe ſaltem præſtent. Etenim quæſo, quidnam vanorum terminorum connexione tali efficiunt aliud, quam ut anguſtias cordis in ſcrupuloſitates varias abripiant profundius. Miſerum illud rationis lumen, quod nil niſi cæcas metiri novit & innectere ſibi tenebras. An inde luminis quid cæcæ rationi affulgeat, quod ipſum luce caret ſua? Quum olim acris cum quodam, qui ſe talium in Acad. Iul. anteſignanum ferebat, Corn. Mars. de dictamine hoc falſo rectæ rationis ſcilicet eſſet concertatio: tandem poſt longa ſubterfugia egregie pro cathedra, ex conſcientia vi, coactus eſt confiteri:* Quod homo à priori poſt lapſum nihil amplius poſſet cognoſcere, ſed inde omnis ſyllogiſticatio ſummum eſſet argumentum maximæ imbecillitatis rationis humanæ. *Sic ſuis involvebatur noriombus primis & ſecundis, ut eas in lapſu Adami prorſus agnoſceret à priori amiſſas, quum neque per illas differentia graduum ligni & lapidis in commixtione elementari poſſet deprehendier, nedum quod ſpiritalis Fidei conceptus in divinis quid diſtaret. Quorſum non opinio pertinacior in erroribus ſuis abripit corda mortalium! Niſi Verbum Dei undique lucernam pedibus noſtris, ut ait David Pſal. 119. præferat, facile in quævis devia præcipites ruimus: At huic quæ propiora in omnibus, ea quoque veriora cum eodem in æternum manent. Alias enim hæc genuina errorum efficacia eſt, ut credatur mendacio, 2. Theſſ. 2. 11. Proinde ait Sir. cap. 33. 2.* Ἀνὴρ σοφὸς νομισθεὶς νόμον· ὁ δὲ ὑπερεχόμενος ἐν ἀπορίᾳ ὡς ἐν καταιγίδι πλοῖον. *Vir ſapiens nequaquam odit Legem: In hac autem ſimulatione utens, eſt tanquam in procella navis.* Namque quod impurum eſt, quomodo puritatem edere valet? Et quomodo falſum, poſſit eſſe verum? *Ibid. cap. 34. 4.* Imo Verbum Dei ſufficiens eſt, ſi quis recta docere velit. *Ib. 8. Eſt ſic, inter cætera humanæ conditionis mala, etiam hoc ludibrium non ultimum, ſed prorſus primarium, ut ex nominibus, aut verborum lenociniis ſibi ſapientiam plurimi fingant, quum tamen res ipſas nedum tangere didicerint. Alij quoque ex invidia multa diſſiciunt nequiter. Quod ne pluribus proſequamur exemplis, utemur eo, quod noſtri eſt inſtituti. Hanſa nomen, quis eſt, qui non ex tot ſeculis cognitum habeat? Quis interrogatus, dicat, ſe minus id inaudiviſſe? Sunt tamen, qui auſint negare, quaſi quidpiam magni ſub ea lateat. Ceu nuper quoque fuit, qui admodum incompte putavit, quod vix lectione dignum quid de iis poſſit proferri: & tamen Corraſorem hiſtoriarum ſe profiteri voluit. Sic alter incognita calamo tradere, ſcripturientium more vanorum, deque ijs minas ſerere non veritus fuit. Quis non ineptias rideat inanes? Fœderis enim Hanſei & nomen & origo ſatis arduum eſt, atque cotidianis tamen commerciorum utilitatibus egregijſque rerum geſtarum actionibus refertiſſimum, ut plurimas exuperarit regnorum hiſtorias, ſi omnia extarent. Qui namque reges, & terrarum Domini fuerunt ad ſeptentrionem, qui nam ad occaſum aut meridiem, ortumve Europæum, qui non Hanſaorum, huius vel illius Reipubl. ope, auxilio, uſu commerciorum, navium, negotiationum, adſiſtentia commodoque in aſſiduis mercimonijs, uſi fuerint? Quæ non fulcimenta ipſum S. Imperium inde ſentit? Quæ non in ipſis viſceribus ſuis Germania nutrimenta experta eſt? Quas non infinitas utilitates belli & pacis tempore ex iſdem percepit? Normannorum nunquam tanta fuiſſet audacia in excurſionibus variis, præſertim poſterioribus ſeculis, niſi ab Hanſeis ſuas adſumpſiſſent vires in commeatu negotiationum. Nec toties Normanni ex irruptionibus in Albim, Viſurgim & Rhenum flumina expulſi deterritique fuiſſent, niſi Hanſei vires & vigilantiam ſuam adhibuiſſent ſedulo. Nonne etiam alij hoſtes virtute eorum repreſſi ſunt? Annon ille, cui Hanſa civitates adſiſtentiam ſuam*

præſtiterc,

præſtitere, ſæpius cauſa ſua extitit victori? Quis igitur auſit illis communis patria denegare cuſtodiam? Nonne & ipſa Anglia illorundem ope & auxilio ſe ſalvam in tot rerum conflictionibus conſervavit? Quid non teſtantur eorum acta, res geſtæ, & privilegia? Non certe fruſtra à circumiacentibus Regibus conceſſa ſunt cum tantis libertatis immunitatibus. Imo & ipſa Provinciarum Belgicarum Vnio, cui ſui imitaminis & amulationis debet veſtigia? Quinam fuerunt qui modum eum ab Hanſis huc tranſtulere? Nec novum tamen eſt nomen Hanſæ inclutæ, quum ex natione gentium ſuam trahat auctoritatem. Imo & fuit tale fœdus apud Saxonas, antequam Hanſa convenientiori ornaretur vocabulo à Vandalicis populis. Habebant enim olim ante ſecula plurima Saxonica civitates & Urbes ſuum caput in commerciis, à quo dependebant, quum nondum Lubecca eſſet condita. De Bardovico, nobiliſſimo tunc totius Germaniæ cum VVineta Emporio univerſalis non omnia conſtant publice, quæ in Archivis aliquot antiquiorum urbium latent. Multa inveni & vidi in Magdeburgenſium phylacio chirographico. Lubecca ipſa, Hamburgum & Luneburgum exitio Bardovicenſi ſuam fortunam partim originariam partim ſplendentiorem omnino debent. Poſtea vero, quum Saxones, in urbes Vandalicas, ſuas tranſtuliſſent quoque Colonias cum commerciis, combinatio ea prioris fœderis rationem cũ nomine commutavit, & ſic vocabulum Hanſæ in illuſtriorẽ abijt uſum apud omnes vicinos & exteros. Etenim Hanſa duplex erat ex Vandalico intellectus, ut & Onus & congregationem denotaret, velut adhuc apud Dravanos illos eius rudera loquelæ apparent. Namque lingua Vandalica non priſcam ſemper retinuit radicem, quum in 13. generales diſceſſerit pridem diſruptiones, quarum tamen medium Bohemica tenet; præter alias particulariores, ut iam per tres orbis terrarum partes penitus diffuſus habeatur eius uſus, nec ita vilis aut levis ſit, ut vulgi inexpertum ferat iudicium. Idem mihi nuper vir magnæ auctoritatis, & 12. linguarum peritiſſimus de Hanſa noſtra affirmavit, quod acceptio eius talis appareret adhuc in diverſis dialectis. Manſit tamen Hanſeaticis ea in potiori receptione, qua Onus determinatur, uti prima talis id non ſolum expreſſit fœderis notula; ſed etiam extraneorum itidem hoc comprobavit locutio, quæ adeo vulgaris & popularis fuit, ut quoque hiſtorici eius mentionem faciant; Velut idem apud Meierum in hiſtoria Flandriæ videre eſt. Locum illuſtrem Litteratorum decus inſigne D. Pet. Scriverius mihi communicavit, cuius verba non immerito huc referam: Diligentiſſimus (ait) rerum Flandricarum ſcriptor Iacobus Meyerus Annalium lib. 5. ad Annum 1160. *ponit: Conditum abs Theodorico Principe (Flandriæ Comite* 18.) *opidum novum in pago D. VVillibrodi,* Novus Portus *primo vocatus; dehinc* Gravelinga, *ubi arx nunc ab Carolo Auguſto inſignis educta. Idem ad Annum* 1168. *Eodem anno nova Privilegia, leges, & inſtituta tradita ſunt à Philippo Comite* Neoportuensibus, *quos in Latinis inde confectis tabulis appellat Oppidanos ſuos de* Novo Oppido, *&c.* Niewe Poort *enim ſignificat, Novum oppidum, & oppidani vocantur* Poorters. *Hic Theodoricus de Elſatia Flandriæ Comes obijt apud Grevelingos Anno Domini* 1168. *Patri ſucceſſit Philippus Elſatius, Comes* 19. *magnus & glorioſus Princeps. De quo idem Meyerus lib.* 6. *Ipſe hoc anno (*1168.*)* Zandes-Hovienses, *hoc eſt,* Neoportuenses *ab omni telonio ac* Hansa *(quam vocant. NB. fecit liberos, unde alibi edidimus tabulas. Ecce, (inquit Scriv. porro) in veteribus oppidis Privilegijs Hanſæ mentio fit ita, ut uſurpata ea plane videatur pro onere & exactione tunc, quum primam capit Fœdus Hanſeaticum ſive Hanſaticum. Locus certe egregius, & qui unice probando ſit, Hanſam ſive Hanſeam Onus, ſive quoddam exactionum genus notare. Alij proferunt etiam ex veteri Codice Novi Teſtamenti, ubi pro eo, quod Latine dicitur, Concilium fecerunt in eum, Germanice legitur, fecerunt Hanſam, &c. Sic etiam hodie conſuetudinem inaugurationis habent mercatores Hanſeatici, ut illum* Hanſelen *dicantur, qui nondum in aliqua civitate Hanſæ fuerit. Quam mire autem ICti & Politici aliæ in huius vocabuli explicatione ſe torſerint, id ex ipſis patet Imperij aliquot Receſſibus, uti inferius hoc in* ca. 22. de Megapol. *explicatum fuit, cum quibus potius faciendum eſſet, ſi ad Germaniſmi ſenſum quid, propter auctoritatem Imperatoris, & in honorem Imperialium Conſtitutionum foret retrahendum. Sed nec minus plurimos vocabulum Gothicum Anſi, quo proceres ſuos inter ſemideos referebant ea gentes, ut Iornandes de rebus Gothicis lib.* 17. *meminit, ſollicitos tenet: Gothi, ait Iornand. proceres ſuos, Romanis devictis, Fuſcoque Duce extincto, quaſi qui fortunam vincebant, non puros homines, ſed Semideos, id eſt, Hanſos vocavere. Unde etiam Hanſiones vel Hanſones viri præcellentis fortunæ & magnates inde dici ſoliti ſunt. Sed quur civitates Hanſeæ hoc ſuperbo nomine notari nolint, dictum eſt alibi. Sic etiam de Anſariis Romæ, in Caſiorum Viridario tabula marmorea, è via Salaria illuc adducta Epigraphe hæc legitur, quam Dn. Petrus Scriverius, vir antiquitatis ſtudioſiſſimus & litteratiſſimus, ita mihi communicando delineavit:*

IMP. CÆSAR. M. AURELIUS. ANTONINUS.
AUG. GERMANICUS. SARMAT.
ET
IMP. CÆSAR. L. AURELIUS. COMMODUS.
AUG. GERMANICUS. SARMATIC.
HOS. LIMITES. CONSTITUI. IUSSERUNT.
PROPTER. CONTROVERSIAS. QUÆ. INTER.
MERCATORES. ET. MANCIPES. ORTÆ. ERANT.
UTI. FINEM. DEMONSTRARENT.
VECTIGALI. FORICULARI. ET ANSARI.
PROMERCALIUM.
SECUNDUM. VETEREM. LEGEM. SEMEL.
DUNTAXAT. EXIGUND.....

Quum vetuſtate inſcriptio hæc nonnihil attrita appareat, non iniquè coniecturis indiget, in nonnullis, quæ ſubſtitui videntur. Al. MVNICIPES. tamen Mancipes viarum, ut notat Scriverius noſter, in alia quoque inſcriptione vocantur. Sic & Al. FOVENCVLARIS. habetur. Sed dubium eſt vocabulum, nec certo conſtat, quid per Foricularium vectigal intelligi velit; An potius Foricularijs cum Anſarijs certamen fuerit? alias Anſarium vectigal nimis oneroſum foret; an potius Anſarij promercalium ſc. rerum præoccupatores fuerint? uti Colum. lib. 11. c. 1. *loquitur in his verbis: Pecuniam domini neque in pecore, neque in aliis rebus promercalibus occupet. Videlicet in re empta pretium ita occupatur & hæret, quo minus in alium uſum transferri queat; quum fœnori ita locari, aut merci impendi pecunia debeat, ne otio langueſcat, &c. Sed etiam plures cognationes hoc vocabulum apud priſcos invenit adeo, ut etiam quaſi proprium nomen multis fuerit attributum, ſicuti idem ex alia inſcriptione ibidem Romæ videre eſt, in muſæo Carpenſis Cardinalis, hoc modo:*

ANSIO. CÆS. MINISTRAT.

ERASTUS. VEDI. CÆSAR. MINIST. LICCEIA. L. O. L. D.

Ita ANSIVS quidam, ait rectè Scriv. d. n. Cæſaris miniſtrator fuit. In alijs quoque inſcriptionibus eſt; Anſicius, ut L. Anſicius Iuſtinus: item L. Anſicius Quintinianus. Verum quum hæc pluribus examinanda nobis veniant in 5. parte, ubi de Emporiis univerſalibus & eorum iuribus, privilegijſque agendum hiſtorice nobis erit, tunc ulterius id deducemus. Interim, bone Lector, hæc tibi pro nominis Hanſæ ratione quaſi noviſſe ſufficiant. At quæ facies in reliquis huius ſit libelli, ipſe cognoſces facile, quum non pauca ex ipſa experientia produxerim, ita tamen, ut ex ſcriniis & Archivis quædam non inutilia mihi fuerint ſuppeditata: velut etiam ſummi viri minime dubitarunt, non improbandum hunc laborem noſtrum patriæ Illuſtrandæ natum eſſe. Obtrectatoribus vero qui ſatisfacere queat, cum nemo mortalium adhuc inventus eſt, ita nec ego in eo multum laborabo; ſed potius optimo genere vindicta, contemptu, altitudine quæ animi pij, & propoſiti recti conſcientia libere calumnias & nugas iniurioſas quam citò retundam. Faveas itaque, pie Lector, mihi, & ſalvus mantes din, & gratus hæc accipias, bonæ menti addictus ſemper. Val. Lugd. Batav.

IN

Digitized by Google

In Hanseatica
HANSI ANGELII
WERDENHAGII,

Viri Clarissimi, Doctissimi, & in ea materia versatissimi.

OEDERIS HANSÆI libertas, saucia dudum,
Iam prope perpetuæ filia noctis erat.
Non mercatores priscæ commercia famæ,
Non urbes norant pristina iura fori.
Non maris imperium, terra fluviisque vagatum,
Exciderantque Albe nomina tanta suo.
Nec, nisi cum vitio, poterant numerare Senatum;
Ipsum etiam nomen delituisse ferunt.
Non tulit Helmstadiis doctor dimissus Athenis,
Et Magdenburgæ Syndicus ille plagæ.
ANGELUS excussis reddit commercia chartis,
Narrat & historica pristina iura fide.
Eruit HANSÆAS priscis annalibus URBES,
Ingentique animo suscipit illud ONUS;
Prodens VANDALICÆ moniment. fideliter HANSÆ.
Accipe præconem, nobilis Hansa, tuum.
Ille triumphantis perrumpit nubila noctis;
Navigerasque suo lumine clarat aquas.
Sic tractare HANSAM, res HANSI nomine digna,
(Conveniunt rebus nomina sæpe suis.)
Et quia Semi-deos proceres Geta nuncupat Hanses;
Angelus hic HANSI nomine dignus erit.

P. SCRIVERIVS.
Lug. Bat. III. Id. Decemb. 1630.

In Eadem ad Eundem.

PER varia ivisti Tu pridem munia vitæ,
Explorata velut cuncta tenes animo.
Ergo quis melius Te noscat singula cursus?
Publica quid Res sit, nemo tenet potius.
Et tamen haut magno tibi sumis nomine mentem,
Gloria cen plures tollit inepta animos.
O utinam multi possent hæc cernere tecum,
Sanctior eveheret quemlibet hinc Pietas!
Ah pereant, belli quos sic juvat usque libido,
Hos vita in pœnas dum rapit ira Dei.
Non decet hoc Christos; sed fœdus pangere tale,
Dissipat artifices, nec ereas inde fidem.
An pius is possit dici, qui vivere Christi
Verbo non satagit, sed trahit orbis amor?
Talibus hæc præsens imbuta est moribus ætas;
Instruis & sobolem talibus usque parens.

Divitias

Digitized by Google

Divitias ut hians fulvo sibi congerat auro,
Et teneat cultis sugera multa soli;
Magnificas ut in exhaustis sibi sumptibus ades
Extruat; hincque aliis nobilis esse queat.
Haud cordi est pietas cuiquam, syncera que virtus:
Sed cari servus quilibet esse cupis;
Unde honor atque fides, morumque politior ordo
Desiit, ac vitiis dedita vita manet.
At Tibi debentur maiora encomia, quando
Nos Christi in vitam vertere cuncta iubes.
Ceu simul historia tractas monumenta, doceſque,
Mundus ut in vanum qualibet arripias.
Hæc certe ingenuos animos industria signat;
Hoc sane est solida cognitionis iter.
Nil, nisi in Eusebia, dum concipis, actaque cuncta,
Ad pietatem hominum quando adeo retrahis.
Fœdera sic nobis commonstras vera, doceſque
Fœdere cum cœlo nectere Christicolas.
Cœlica quod sapias, dedit hoc tibi cœlica virtus:
Hinc etiam referes sancta trophæa Tibi.
Alma Trias, precor, ut tantos Tibi prosperet ausus;
Omne quæ cedant auspicioque bono.

GERLACHIUS LUTHERUS
Fris. Or.

IN RESPUBLICAS ANSEATICAS

Amplissimi & Consultissimi Viri,

DN. JOHANNIS ANGELII WERDENHAGII,

Jurisconsulti celeberrimi, & Politici Clarissimi.

EPIGRAMMA.

CEu furit in validos bellatrix machina muros,
Sulphureo, & rapidos, egerit, igne, globos:
Machina livoris, sic contra ANSATICA ſæpe
Fœdera, deſævit, virus ubique vomens.
Fortiter his, IANUS, furijs, WERDHAGIUS obstat:
Obstat monstrando, dexteritate sua.
Quid celebrata diu *Respublica* iuris & æqui
Possideat, quicquid vendicet, hæcque probat
Cæsaris assensu *Caroli* firmata potentis,
Ordine qui quartus, quando creatus erat:
Conventum facies, quid consuetudo requirat;
Observata fori, cunctaque lecta diu
In certam methodum redigit, cultuque venustat,
Invidiam calamo, crimina iure domat.
Ut docet egregia, contextus hic, arte, libellus,
Ingenij ſpecimen, iudiciique decus.
Clarior ast operis laus est, quo clarior ille,
Sub cuius celebri nomine præla subit:
Sic clare testis, *Brunonia Iulia* famæ,
Quæ genui prodit tot monumenta tui:

Eximii

Eximii teſtes, per Teutona regna Dinaſta:
Hallenſis teſtis, Rexque potens Daniæ:
Teſtes imperii conventus nobilis, alto
Eloquio adiuti, conſilioque tuo.
Perge ergo antiſtes Themidos, iuriſque perite,
Ingenii fructus, edere velle, bonos:
Sic merita *Angelij* quivis colet angulus orbis,
Nomen in Eois, Heſperiiſque locis.
Quod ſupereſt, toto ſubnixe corde peropto,
Complexus quondam, qua probitate patrem
Collegam certum, intra Hanſatica munera pridem,
Digneris tali me pietate, fide.

Conſcriptum à
MARTINO TANCKEN, Megapol.

Ampliſſimo & Conſultiſſimo Viro

DN. JOHANNI ANGELIO WERDENHAGEN, ICto,

ſuum de Rebuspubl. Hanſeaticis tractatum edenti.

WERNHAGI, crena cuius ſcribente, Quiritum
Decreſcit perpes Graingenumque labor,
Intactis, Cives, dum prodis Fœdera, pennis;
Hanſatici teneant quo ſua pacta modo:
Hanſaticum vox es, pleno cantaris honore,
Et te cantatum gloria caſta notat:
Nec modo Te Cives dicunt. ſed, pectora quorum
Ingenium tenet hinc, indicium inde ſagax,
Incumbis Fama, qua, me non augure vano,
Te vehet ad gentes, Te ſuper aſtra vehet.

honoris ergo
I.
GERHARDUS MEIER, Lubeccenſ.

Mirabile Auctoris fatum.

NVlla dies ſincera mihi profluxit ab ortu
Solis ad occaſum, nec fuit hora bona:
Quin homines etiam tot perfida damna, furores,
Et vitæ technas ſuppoſuere ſuas:
Quodque bonum volui, mihi mundus ſemper in atras
Convertit ſordes, nequitiamque ſuam.

Nihilominus

IEHOVA SALUS MEA,

Votum cotidianum permanet.

IHESU principium meum,
Idem finis ades mihi;
Facta, oro, mea tempera,
Sancto in vulnere ſanguinis
Abſtergens mihi crimina.

Fac, ut

Digitized by Google

Fac, ut cum Patre Spiritus
Adſit perpetuo mihi,
Me ducat, regat, incolat:
Nec deſit tua gratia
Cordi, cœlica nec Fides,
Ceu promiſſio fert tua:
Sed lucem mihi præferens,
Tu duc tramite me tuo,
Verbi dico viam Tui;
Ac da, rebus in omnibus
Abs Te ſemper ut ordiar,
Fidus progrediar Tibi,
In Te denique deſinam,
Ac vivam & moriar Tibi,
Arbor ne ſterilis ſiem:
Mundus nil alias mihi
Lucro proderit in ſuo,
Et vita minus in ſua,
Ipſe hoc rite ſat ut mones.
Ni Tu des, miſeri nimis
Nobis proficimus nihil;
Quin & nil ſimul hinc ſumus:
Quum nos ſimus id unice
In Te, quod dederis bonus.
Ergo principium meum
Es Tu, finis & hic manes
Vitæ perpetuo mihi;
Id Tu perficias modo,
Quod crux, mors, meritum, cruor,
Et promiſſio fert tua.
Audis hoc, Deus? Audias
Iehova hoc cotidie, precor.

Sirac. cap. 33. v. 3.

Ἄνθρωπος σωφρὼν ἐμπιστεύσει νόμῳ· καὶ ὁ νόμος αὐτῷ πιστὸς, ὡς ἐμφανὴς φήμη.

Homo intelligens certa fide Verbum Dei amplectitur: Et lex ipſi certa eſt, tanquam ſermo clarus.

DE

Digitized by Google

DE

CIVITATUM HANSEATICARUM

Antiquo celeberrimoque Fœdere, eius origine & fundamentali Constitutione vera,

TRACTATUS SPECIALIS

Pars Prior,

alias respectu antecedentium

TERTIA.

PROOEMIUM.

Rationem connexionis indicans.

QVi tam diu, quasi dedita opera, in hoc detudarunt unice, ut tandem dulcissima nostra Germania in hanc, quam ante oculos nunc (proh dolor!) videmus, confusionem, quæ proximo gradu ab ultima eius ferme ruina abesse appareret, protruderetur; iis etiam inter alia commoda patriæ communis antiquum illud, & maxime inclutum Fœdus Hanseaticarum civitatum extremo fuit odio, quod miris hucusque oppugnarunt modis. Quum enim ex eo, nescio quâ, obductam ante conspectum suum æmulationem sibi putarent malevoli, perpetuo studio hoc egerunt, ut non tantum illi invidiam apud plurimos concitarent; sed etiam suspiciones varias superioribus contra idem & eius membra instillarent. Atque ut eo rectius ad scopum suum præfixum collimare possent, ferventioresque inde persecutiones potentiorum in hoc convocare illis non adeo esset difficile, (ceu ingeniosam semper se exhibet arguta procacitas) miris usi sunt artificiis. Alii in dubium vocarunt eius originem, & ex meris factionibus illud ortum dixerunt: alii eius constitutionem subdolam putarunt: alii eius libertatem & iura iniqua clamarunt atque intolerabilia: alia civitatum aliquot flagellarunt statum, ut inde conclusiones contra illud firmiores ex earum ineptitudine consuerent: alii alias confinxere rationes illicitæ intentionis, atque eas calumniis interdum satis atrocibus conspersérunt. Nec pauci fuerunt, qui omnino libertatem cunctam membris eius abscinderent. Qui in opinionibus suis & affectibus ita præpediti hærent, nûquam sane verum de re quacunque iudicium concipere & depromere noscunt. Ideoque, hunc quû ita in illis mordacem deprehenderem errorem, coactus sum ex amici alicuius mei scriptis & suggestione antecedentes duas partes fundamenti generalis loco præmittere, ut sanioribus oculis non tantum hunc præsentis negotii tractatum introspicere & secum exactius examinare, sed etiam alia penitius, quę ad politica fundamenta in reliquis cunctis pertinent, intueri discerent. Etenim qui in primo principiorum vestibulo aberrat, ille pederentim in quævis absurda proclivi abripitur ita lapsu, ut non facile inde emergere valeat. Velut quoque illi omnes, qui tot præiudiciis variis civitates Hanseaticas & earum nobilissimum fœdus hucusque supprimere cônati sunt, ex ipsa didicere experientia, [illegible]alem exitum inutiles nanciscantur plærumque lites & rixæ. Annon vetustissimum est proverbium, quod concordia res parvæ crescant, & discordia etiam maximæ dilabantur? Nonne etiam pueris & impuberi ętati sedulo id inculcare solemus? Quei fit tamen, quod seniores ad eam prudentiam & pietatem non perveniant, aut incapaces eius semetipsos reddant, quæ pueris promptior aderat? An ita prorsus nobis ipsis excidimus, ut, præ affectuum nimia vehementia, nostræ non amplius simus mentis compotes? Merito igitur de nobis pœnas & supplicia tot atrocissima Deus sumit, quum stulti tam crassam virtutis & pietatis omnis occœcationem & ignorantiam nostri officii tanto affectemus studio.

Digitized by Google

Sed ut tandem isti osores fœderis huius optimi cernant, quid boni sub eo lateat, & quod magis toti Imperio Romano-Germanico honori emolumẽtoque sit summe necessario, quam quod eidem incommodi quid creet, in sequenti libello id plenius explicabimus. Nõ certe quid indulgebo affectibus, à quibus alienissimus esse cupio, quũ eorum importunitatem in cunctis hodie satis accurate perspexerim, & didicerim ex mortalium actionibus. Vidi & expertus sum quanta eorum sit sævitia & stoliditas furiosa, qui se nimium fervidi, omni melioris rationis gyro excludunt. Veritatis palma solummodo porrigenda est vere candidis: unde nec adulatorem heic agam. Nec sane causſam ullam habeo civitatibus ablandiẽdi. Etenim quam crudeli persecutione me petierint aliqui istorum hominum id publice constat, & in ore fuit quamplurimorum, etiam eorum, quibus mea non adeo integre cõstiterunt merita. Quamvis itaque ansam satis palpabilem haberem & causſæ sufficientes adessent, quur parti adversæ eorum & osoribus magis me adsociarem, quum tam ingratissimi imo & crudeles in me, qui per tot annos non ultima pars & membrum fui ipsorum consiliorum, extiterint, tamen absit, quod potius affectibus mancipium meis me dolorique, quem iustissimum prætendere possem, quam veritati debitũ sistere clientem velim. Non criminantibus criminationes regerendæ sunt: sed Christianum me piũ rectius ostendere conabor in omnibus. Vindicta est Iehovæ, & homini vere Christiano nihil nisi dilectio proximi competit; nec id curabo, quod tam turpiter aut misere me expoliarint aliqui, mortisque generi crudelissimo innocentissimum destinare, & petulantius sub specie amicitiæ dedere non veriti fuerint. Tum quoque ex publico bono omnia veniunt censenda; & facile errat, qui non ex verbo Iehovæ, iuxta eiusdem præscripta, & salutis publicæ rationẽ aut ædificationem iudiciũ sibi de re quavis format. Dicã quod res est placide, nec me movebit ingratitudo, quæ cuique ingrato sua suo loco reponit supplicia. Neminem enim bonum decet propterea in malitiam concedere, quod ipsi vicinus sit malus. Provoco ad eorum, qui mihi assidere in publico consiliorum consessu solebant, conscientiam; nihil nisi æqua & pia unquam quæsivi, absque ullo mei commodi respectu. Attamen quis calumniantibus calumnias regerat, nisi bonas commaculare aut perdere potius velit horas temporum? Gaudeo in eo, quod plus boni præstiterim, quam insidiatores potuerint mali retribuere mali. Nisi Iehova fuisſet, ait David, tutamen forte, in miseriis concidissem proculdubio illis victima, aut præda. Sic titulus Christianitatis valde multas contegit ferocitates quidẽ; at væ illis, qui se tanta malignitate in Angelum lucis transformare student, ut sub Christi specie summe acutis proximum eludant dolis ac periculis. Quisque malus suum sibi satis commodo tempore consarcinando præmium deproperabit. Quod bonum & utile quis deprehendit mecum, quur illud suas apud bonos non inveniat laudes & encomia? Nec rei usus propter abusum malorum convellendus aut condemnandus, reiicienduſve est. Si qui sunt, qui adhuc Fœdus hoc nobilissimum & antiquissimũ variis argutiis explodere non desinant, non tam eius scitam compactionem certe, quam eius abusum tangere poterunt. Et quis est sapientum, qui non defectum potius & morbidam vim, quam rectitudinis intentionem ullam improbet? Res ipsa ex sequenti id descriptione attestabitur, quæ fœderis talis multivaria commoda sint, si modo quis absque invidia hoc censere rite, & ad Liberratis eius statera, distinctionem civitatum tam ratione privilegiorum, quam originum pensitare iuste noscat. Etenim non ita magna est diversitas inter civitates Vandalicas & Saxonicas iuxta iuris Germanici constitutionem & consuetudinem, at magna inter reliquas passim, quæ tales exemptiones nullatenus agnoscunt, ut in antecedentis tractatus *part. 1. c. 4. & 5. & part. 2. ca. 6. & 7.* luculenter satis demonstratum est; quod eum in sequentibus ipsius fœderis Hanseatici conditionibus res tota clarius explicatum dabit. Saxones autem quum semper in tuenda libertate fuerint ferventiores & præstantiores, eamque tot periculis evicerint, de iis primo loco agendum est omni iure, ut civitatum earum liberior status magis inde pateſcat.

Cap. I.

De origine civitatum Saxonicarum, cum gentibus earum: ubi simul non leves aliquot historicorum deteguntur errores.

AB eo tempore, quo Tuisco sive Tuistho aut Tuizo Gomeri filius, à quo Germani dicti sunt Noachi nepotes, ab avo missus est cum 20. Ducibus in Europam anno 131. post diluvium, iuxta Chronologorum affirmationem, atque regnum Germanorum Sauromatarumque condere cœpit, variæ quidem gentes & populi, ab auctoribus suis variis nominibus insigniti, mutuis incursionibus commigrationibusque variis, & miris in Germania, & maxime in eo tractu ad mare Orientale sive Balthicum, quod nunc ex aliquot seculis fortissimi Saxones feliciter possident, se defatigarunt. Veluti etiã Gambrivii Cimbri sive Cimmerii, Suevi & Vandali primi semper usque ad Alemannorum, Hunnorum, Boiorumque ætatem præcipui floruerunt: Hæ tres vero posteriores nationes nec minus sibi primas miris & variis motibus per aliquot secula vendicarunt partes. Donec Franci cum propagine Sickingeri Celtis, Gallis & Illyricis suã quoque exererent, ante Romam conditam, fortitudinis eminentiam. Sed Illyrici postea facile Romanis ceu viciniores in subiugationem concesſere; qui tamen Romanis Boii, Suevi & his commisti, nomine adhuc alio simul notato, Saxones, quorum parentes Cimmerios recte vocat Goropius Becan. in orig. Antwerp. lib. 6. circa fin. Romanis fortes & indesinentes facerent impressionẽs adeo, ut etiam Suevorum Dux Brennus circa annum Mundi 3570. id est ante nat. Christ. ann. 401. ad Hebdom. Daniel. initium 9. Romam occuparit. *Alfred. in Chronol. c. 21.* Saxones vero sive Chauci aut ut tunc fuerunt appellati à locis Campestribus Angriarii, &c. Cimbris suis tanquam maioribus à principio quidem præliminares præstitere vires & opem adversus quasvis aliorum populorum incursiones: verũ postea quoque admodum dissilire inceperunt, ut mutatio rerũ & animorum mometanea prope id fert: veluti præ-

ferrim

ſertim Germania aſſiduis conflictata & flagellata fuit litibus, bellis, & diſtractionibus. Etenim nulla terra Europæa tam mitis & crebris frequentibuſque mutationibus expulſionibuſq; ac mutuis lanienis & conflictionibus, propter obſtupeſcendam fertilitatem omnium fructuum & faciliorem cultum vivendi, æque fuit obnoxia, quam Germania. Unde etiam non tam conditione urbium aut civitatum fuerunt ſolliciti eius incolæ, quam ut ſibi in maritimis locis & remotioribus, maximeque uliginoſis udoſiſve tutá conſtituerent habitandi ſedem; velut id expreſſe videre eſt in Cimbris & Gambriis, qui ſe receperunt ad Cherſoneſum, & illam Cimbricam, quam lutiá hodie dicimus, & inſulas adiacentes Fioniam, Falſtriam, Sielandiam & Lalandiam, unde rectius conſervationi poſteritatis ſuæ invigilare & ſe ab iniuriis aliorum defendere poſſent. Boii vero pulſi in ſuperioribus temporibus ex Boiemia ſua Hercyniaque à Marcomannis Sueviæ populis, veſtigia priorum, rege Ciconio, ſequuti ſunt, & pedem ulterius protulerunt. Atque quum iam inter amnem Padum, Alpeſque omnia occupaſſent, Pado traiecto, non Hetruſcos modo; ſed etiam Umbros veteres colonos agris pepulerunt, Anconam uſque omnia in poteſtatem ſuam redigendo. Cis Appenninum tamen ſe tenuerunt. Atque ut eo firmiores haberent ſedes, nec facile inde repelli poſſent, rectiorem modum ſe ſuoſque conſervandi, & ſtatum ſuum muniendi didicerunt, exemplo eorum, quos debellaverant. Condiderunt itaque cum Brenno Duce Suevorum ſimul Mediolanum, Ticinum, Comum, Hochoſenam, Teutoniam, Senam, Brixiam, Veronam, Bergamum, Tridentum, Vincentiam, Mutinam, Parmam, Bononiam, Laudem Pompeiam, & alia quædam oppida inſtaurarunt: Fuerunt autem Boiorum tribus in Italia 112. Et Bononia caput fuit illius Reipubl. ibi erectæ, quæ ipſis Boiobonia dicta eſt. Unde Brennus perquam diuturnum bellum cum Romanis gerere non deſtitit, quod adeo continuarunt poſteri, donec etiam Romam occuparint, ut antea dictum eſt. Ac niſi Camillus ingenti clade Senones expuliſſet, Romamque tanta fortitudinis alacritate liberaſſet, tota ſubiugata ceſſiſſet illis Italia. Etenim ſic tuta habebant receptacula in civitatibus illis, quas circa ea tempora, quo Romæ Capitolium fuerat erectum, Anno Mun. 3360. ante Chriſtum natum Anno 611. condiderant, ut non facile poſſent ſuperari. *Alſted. in Chronol. c. 21. pag. 203.* Quippe poſſederunt eam partem Italiæ ultra 400. annos, donec P. Cornelius Naſica Scipio illos vi extrema coegit, ut ex Italia uſque ad Noricos & Tauriſcos remigrarint, & inter Danubiũ Dravumque ſedes receperint. Quum vero Germania interim adeo multitudine populorum cotidie accreſceret, inde in varias partes terræ excurſiones & migrationes inſtitutæ fuerunt, de quibus alii agunt paſſim Hiſtorici, quibus quoque in his ſuas linquimus relationes. Saxones vero, ſive Gambriviorum filii, quum nec minus numeroſa multitudine poſterorum accreſcerent, & fruſtra, abſque nominis eorum crebra mentione facta, aliis ſe ſubmiſcuiſſent populis, tandem ex angulis ſuis Cimbricis & Albidos atque Viſurgis alluvionibus continua terrarum proximarum occupatione, extenderunt potentiam ſuam, & poſſeſſiones tales ſuis firmioribus nonnihil viribus munire cœperunt, ut eo feliciores poſſent facere in intentione ſua progreſſus: *vide Bunting. in princ. Chron. Bruſ.* Ideoque ante Chriſt. nat. Anno 320. ſecundo poſt obitum Alexandri Magni anno Hebdomadis Danielis 20. ſtatim poſt Iubilæum mundi 73. & Moyſis 23. *Anno Urb. Rom. Cond.* 432. quo tempore à Samnitibus apud Caudium ſimul victi Romani fuerunt, Chauci ſive Saxones, qui etiam aliis nominibus vocati ſunt, ut patet ex Tranſalbinorum, Normannorum Nortluidorum, Angivariorum, Ciſalpinorum, &c. appellationibus, Stadam oppidum ad Albim primum, quo ſe pridem ex Cimbria receperant, fortioris tutaminis ergo conditum, uti propterea antiquiſſima urbium Saxoniæ perhibetur, exerexerunt, & muris obvallarunt. Namque quum haberent inimicos Danos, totque obruitiones & diſiectiones gentium cotidie cernerent, & hoc ex defectu munitionum fieri obſervaſſent, hanc curam fortiorem inierunt, quod à Boiis ita in Italia & à Brennone vicino, velut etiam à Grunone, fratre Regis Sicambrorum, qui *ann. Mund.* 3586. *ante Chriſt. nat.* 378. *Urb. Cond.* 374. *Groningiam* Urbem Friſiæ condiderat, factum eſſe addidicerant. Verum non eodem uſi ſunt ſemper ſtudio, quum ſaltem montibus & locis eminentioribus arces imponerent, at paluſtribus & udoſis aut campeſtri planicie aliter ſe accommodarent. Velut etiá propterea, Saſſones dicti ſunt, quod firmiter ibi ſederent & poſſeſſionem obvallarent, quam ſemel acquiſiverant, quod in nomine Holſatorum, quaſi ſylvis inſidentes, quoque ſatis clarum eſt. Inde ex his Saxones progreſſi ſimul fuerunt, atq; ex talibus angulis ulterius progredientes totum illum tractum, quicquid ab Holſatia Albis, Viſurgis & ulterius prope Friſones uſque ad Hercyniam ſylvam & Thuringiam intereluditur regionum conterminationibus, occuparunt, & id omne in eorum ceſſit ditionem. Tribus autem poſtea potiſſimum celebrati ſunt, à diverſæ regionis ſitu, nominibus, ut alii verſus ortum circa Hercyniam ſylvam & Albidos fluminis ripam habitantes Oſt-Saxones, aut Oſtvali, reliqui Weſtphali & Angarii dicti fuerint. Novi quidem, quam mire heic hiſtorici de appellatione & origine Saxonum ſe torqueant, uti etiam *Albert. Crantzius in præfatione Saxoniæ ſuæ* confitetur, quod pudor & confuſio faciei illum occupet, quoties ad antiquitates tales eruendas recurrat; idem etiam atteſtatur *Reiner. Reineccius Commentatione ſua de origine Saxonum*, quod potius ritu quam confutatione dignos cenſeat eos, qui Francis Troianorum, & Saxonibus Macedonicam proſapiam aſſerant. Lõge rectius ſentit, & veritati propius adſtipulatur Saxo Grammaticus vir Sialandicus, qui Saxonicum nomen etiam ſupra mille annos ante Chriſtum natum cognitum introductum eſſe affirmat, ut mirari merito quis poſſit, quur nihilominus Cranzius tam operoſe hanc rem diſputet, num indigenæ, an vero advenæ ſint Saxones. Unicam habet rationem, quod maiores illis nolit adſcribere Cimbricos, quod Dani quaſi perpetuos hoſtes implacabili odio ſemper inſectati ſint Saxones. Verum quam fragilis ea ſit ſuſpicio, id cuivis rem altius impenetranti facile patet. Namque an non intra patrem & filium ſæpius talia exercétur odia, ut vix intermori ea poſſint, ceu quoque fratrum gratia rara eſſe ſolet, iuxta poetæ Ovid. effatum. Quis eſt hodie, quem lateat, quam perpetuis inimicitiis mutuo ſe illæ binæ Suecorum & Da-

norum nationes defatigent? Nonne inveteratum ita habetur diſſidium, ut prope in naturam converſum apud eas dicatur? Interim tamen hiſtoriæ utriuſque partis teſtantur ſatis aperte, quod prima Danorum regii regiminis forma, quæ huc uſque viget, à Suecico profluxerit. Ita enim hiſtorica narratio Erici Daniæ Regis, Wratislai 7. Ducis Pomeraniæ fil. habet, quod tempore Davidis Regis Iſraelitarum Dan ex natione Suecica filius Humblæ, à quo Cimbri nomen Danicum mutuati ſunt, ipſorum Rex & auſpex regni talis fuerit; qui vixerit Anno Mundi 2898. ante Chriſtum natum anno 1050. iuxta Bertii ſententiam in German. ſua. Sic & Frothonem 4. quem alii 26. alii 27. Regem Danorum faciunt, ac ſub quo Chriſtum Ieſum natum hiſt. Erici iam dicta aſſeverat, non tantum Sueciam, Britanniam, Hyberniam, Scotiam, Norvegiam, ſed etiam Saxoniam, Friſiam, Ungariã & omnis Orientis uſque ad Græciam ſubiugaſſe adeo gloriantur, ut etiam reges & incolæ omnes eidem ſervierint. Ex quo patet, Saxonum nomen ſatis tunc amplificatum fuiſſe in gente ea, nec non apud exteros vicinoſque, velut etiam inde eorum fama increbuerat, ut etiam poſtea Ptolomæus, qui ſub Antonino Imperatore floruit, anno poſt Chriſtum natum 141. eorum mentionem in ſcriptis ſuis fecerit, licet & poſtea potuerit aliquo uſque propter varios caſus intermori. An vero Ptolomæus Saxonas ſic nominaverit primus, uti putat *Rener. in diſt. lib. de Orig. Sax.* dubitari merito poſſet: Sed videat cum aliis, quomodo ille ſalvare velit originem Saxonum, hos dum ad Scythas & Sacas maxime reiicit, propter derivationem nominis à Sacis Aſiaticis deſumptam. Egregie tales inutiles denominationes irridet *Crantzius in diſſ. præf. Sax. lib. 1. pag. 4.* ubi ita ait: Omnes enim refugiunt in vaſtam illam Aſiæ ſolitudinem, & Scythiæ latitudinem, quoties ignotæ gentis originẽ requirunt. Inde falſo producunt Gothos & Hunos, quum ſint notiſſimo omnium borealium teſtimonio Gothi ex Sueciæ regno orti: in quo etiam hodie ſtirps gentis cum nomine perſeverat: Huni quoque Beroſi atteſtatione patre nati Huno, Tuiſconis filio, inter Europæos citra Tanaim, etiam cum Germanis annumerantur: quomodo Suevi (vetuſtiſſima Germaniæ gens) & Marſi, quorum reliquiæ ſedent ad exitum Albis fluminis Thietmarſi, cum vicinis, qui Marſorum referunt vocabulum. Sed hæc quum ſit pars Saxoniæ, ad Saxoniæ tamen nomen, quod iam dudum requirimus, nihil pertinent. Hæremus ergo in ſententia Taciti, *Cattos ipſos vocari Saxones*; quando & regionis termini, & gentis mores conſentiunt eius teſtimonio, &c. Optime quidem agit heic Crantzius, quod Saxones indigenas faciat Germaniæ, & cõcedere nolit omnino, quod ſint advenæ & extranei; ſed tamen nihil magis ipſi imponit, quam nominis derivatio, quam, quum non poſſit accurate invenire, refert eos ad Cattos ſive Haſſos. Quamvis vero maiorem in ea opinione mereatur fidem, quam ille Reneccius, tamen ſic potior foret ſententia Buntingi; qui *in Chron. Brunſv. pag. 4.* non quidem magnopere contrarius vult videri Crantzio, ſed tantum mediã quaſi invenit viam nominis cauſa, & Saxonibus natalitias Chaucorum non immerito adſcribit: Contingit hoc ſæpius, ait, apud Romanos, quando exterarum nationum nomina in ſuam transferunt linguam, quod tum litteram unam pro altera euphoniæ gratia ponant; velut C. pro S. & ſimiliter, aut quod etiam litteram plane tranſmutent, tranſponant, & alii loco per metathefin aſſignent: ſic, inquit, confer hæc inter ſeſe duo nomina Chauci, Sachſen; invenies facile, quod Chauci hac ratione Sachſones fuerint, &c. Non incompte quidem hæc profecto dicta ſunt, quum tantum laborem ſpeculationis ſibi Crantzius ex origine nominis Saxonici confecerit. Sed idem illud quoque Buntingus in rei veritate attingit, quod ſuperius ex Iohan. Goropio Becano attulimus, qui Saxonum maiores omnino in Gambrio Marſo exprimit, quod etiam ipſam linguæ idioma oſtendit, Saxones non ex aliis procreatos eſſe parentibus, quam quos Teutonica natio admittit. Et quid prohiberet, quin Haſſorum potius nomen à Saſſis olim, qui nunc euphoniæ gratia & propter conſtantiam animi fortes aut cordati Saxones dicuntur, per ſubſtitutionem litteræ H pro S. eſſet denominatum, ſi ita in nominum derivatione ſemper foret ludendum tempus? quum vulgus quoque hodie noſtræ gentis in aliquot locis ſe Saſſones vocet, & ſic appellari adamet, quod etiam *Rener. in diſt. lib.* affirmat. Sed quum libellus ille non ſit in manu omnium, iuvat ipſum plenius loquentem introducere: *Pag. 7. & 8.* ſic ſe eius habent verba: Nobis quidem, ait, adducere exempla iſta placuit, quod hodie Dani Saxonibus proximi, Danis Sueci. Ergo Sacæ à Græcis ſic nuncupati: Unde Saca peregrinus Poeta, de quo Suidas. Cõtra Romani initio Saxas dicere maluerunt. Arguit hoc Decidiorum & Vocaniorum cognomentum, quum id ita invaluiſſet, ut de Getis, & Gallis, Boiis, Cimbris, & ipſis noſtratibus Nationibus, familiarum aliarum cognomenta invaluere. Primus omnium Ptolomæus Saxones indigitavit. Licet ille ipſe auctor Saſſones in Scythia collocet (ergo manifeſta apparet ſeparatio) quod ubique gentis reliquiæ manſiſſent, quemadmodum noſtra tempeſtate Hungaria & Bulgaria in Aſia ſeperant. Enim vero Saxones patria prolatione hodie ſe Saſſones vocãt, ſuperiores vero Germani Saxones. Quod ad ſedium diverſitatem attinet, nihil de Danis, nihil de Suecis (hæc enim nomina, uſu hodierno notiſſima, retineamus) repeto. Conſiderentur amborum cognati Getæ, Gothi, Gutæ. Ubi enim hi non palarunt? Quæ in Illyrico, Dacia, Pannonia, Italia, Gallia, Hiſpania regna condidere? ut in Taurica, utque inter Danos & Suecos etiamnum nomina eorum reliqua. Inferat nunc aliquis, unde Saxonum appellatio, unde origo deducenda ſit? Non nego, utrumque caput controverſum eſſe. Primo loco poſterius enucleemus. Sive Cimmeriorum, aut Cimbrorum, ſive Aſcaniorum, aut Teutonum poſteros, Saxones ſtatuerimus, res eodem redibit. Nam Aſcanes, à quo Aſcanii, & Tuiſcones, Gomerum, à quo Cimmerii, & Cimbri, patrem habuit. Illud inficiari nemo auſit, cum nomen Teutonum in Germania exoleviſſet, vel ſaltem à ſcriptoribus uſurpari deſiiſſet, Imperatorum Saxonicorum dominatu revocatum. Hinc enim qui Otto Magnus omnium primus Rex Teutonicorum vocatur: hinc qui Saxones generatim exteros appellant Vndeutſche/qui reliquis Germanis Welſche. Et fieri potuit, ut eodem tempore Francia Teutonica dici cœperit, quæ hodie Imperium: Nam antea Francia tam Galliam, quam Germaniam complectebatur: Utrè contrario in annalibus exinde Teutonici

inscul-

inculcantur, & Gallorum Franci, Romani cognominantur: quippe cum quibus non modo Armerici pulsi à Britannis, quos Angli nostri pepulerunt, sed etiam Romani per Galliam milites coaluissent, testibus Procopio & Iornande. Addo de Teutonica Francia denominationem istam etiamnum Heinrici V. Imp. ætate durasse, post pro ea literariorum usurpatione Germaniæ vocabulum in Imperatorum Titulis obrepsisse. Evincit alterum Heinr. V. diploma, datum Monasterio Gottes Aw / in Marchia Badensi ad Annum Christ. MCX. alterum in hunc usque diem permanens usus. Etsi satis constet, ante Rupertum Bavaricum, vel eo nomine contentos fuisse, vel Reges Romanorum se appellasse. Quidnam Saxones vocabulo hoc imbuerit, definire difficile est. Rectissime videmur sono inhærere posse, nisi quod & hic coniecturis agendum. Et mirum cum ipsi se vocent Sassen / per prolationis huius significatum in gentis idiomate commodum nullum occurrere, sed superioribus Germanis denotare αὐτόχθονας, indigenas, habitatores. Similiter dictio Sachse iisdem, non Saxonibus, in usu est, designatque causam in foro disceptandam. Unde rursum Sachsen id est, Saxones. Cum Sate vox Saxonica, ad Sacas alludat. Apparet autem diversitatem omnem in tempora diversa conferendam. Sint ergo Saxones iudices, disceptatores, forsitan à iustitiæ laude, & iudiciorum æquitate. Enimvero notæ Saxonum leges, nota est Bonifacii, Archiepiscopi Moguntini, ad Echelbaldum Epistola, in matrimoniis tuendis, libidinibus puniendis severitas. Taceo eodem propemodum fato evenisse, ut Romanæ leges à Lothario II. Saxonici sanguinis Imper. in lucem reductę sint. Quamquam, si cui suspicari libet, Saxones ita se olim appellasse Sassen / quomodo etiamnum Grossum appellamus, ut sunt dictiones quarum illâ modo efferimus Saten / unde Holsati, & nemorum incolæ; hanc vero sono quidem eodem, sed cuius notio sit à magnitudine, quæ Saxonibus die Grote / nihil reclamo. Verum ista hactenus.

Proximum est, ut Quo pacto Saxones in Germaniam migrarint, quæramus. Et quærere utique nobis licet: certi nihil afferre possumus. Si quid tamen coniecturis dandum, mari appulisse crediderim. Hinc enim de Saxonibus & Thuringis apud Widekindum monachum fabula. Hinc Piratica ipsorum apud Romanos scriptores. Ut ne commemorem, eadem ratione eos Britanniam anteriorem, quæ hodie Anglia, occupasse, uti Scoti ulteriorem. Nec dissimilia his, quæ de Herulis à Procopio memoriæ prodita *lib. II. de Bello Gothico.*

Posteaquam vero se in Germania confirmarunt, veteribus Germaniæ gentibus cum iis se coniunxerunt Angrivarii & Angli. Nam inde Bonifacio archiepiscopo ad Zachariam Papam Saxonia Transmarina, quæ eadem Anglia, nempe de Anglo-Saxonibus, à quibus Angliam occupatam, ostendimus, Inde Angurii, tertia Saxonum natio. Addit Beda Vicas, qui & Prolomæo Gutæ sunt, hodie Iutæ, ut elementi unius μεταθεσιν auguremur, sicuti I & G in distinctionum nostrarum principiis Dialectorum usurpatione nunc confunduntur, nunc discernuntur. Forsitan enim Danorum armis prævalentibus iisdē sese sociarunt eo pacto, quo Ducatus Slesvicensis Anglorum patria, item Holsati & Ditmarsi cum illis *συμμιγεῖς* cœpere. Nec ambigam plures alios populos in Saxonum nomen coaluisse. Arguit hoc de Quadis Zosimi locus *l. 3. alter Procopij l. 4. de Bello Gothico* è MS. de quo Britannia Camdeni: arguit ipsorum potentia, arguunt latissimi fines. Nec obscurū, quid de Francis, quid de Alemannis evenerit. Cæterum distinxere Saxones in hæc tria genera,

OSTVALOS
WESTVALOS
ANGARIOS.

De novissimo vocabulo paulo supra diximus. Idem cum medio in hunc usque diem durat, usu tamen utriusque non modice discrepante. Primum quandoque latina dictione orientalis commutatur. Documenta assertionis istius subministrant Benedictini Monachi annales Francici, leges Saxonum à Basilio Heroldo editæ, *VVidekindus* Monachus. Imprimis de Patria Saxonica hac in parte optime meritus est Saxo *ἀνώνυμος lib. 1. de gestis Caroli M.* Carmen tale est:

——Generalis habet populos divisio ternos
Insignita quibus Saxonica floruit olim.
Nomina nunc remanent, virtus antiqua recessit.
Deniq; VVestfalos vocitant, in parte manentes
Occidua, quorum non longe terminus amne
A Rheno distat. Regionem solis ad ortum
Inhabitant Osterlingi, quos nomine quidam
Ostvalos alij vocitant. Confinia quorum
Infestant coniuncta suis gens perdita Slavi.
Inter prædictos media regione morantur
Angarij, Populus Saxonum tertius.——

Ubi notandum, quod Ostvalos, alio nomine Osterlingos vocat: quippe quam enunciationem etiamnum Belgæ retineant. Et annumerandi iisdem Transalbiani, seu Saxones ultra Albim, alio nomine Normanni & Nortluidi, *ut annales Fran. ad an. DCCXCIIX. & seq.* Quos ut Carolus M. migrare cum uxoribus & liberis in Franciam coegerit, iidem annales *ad annum DCCII.* meminere. Hactenus ille. Sed quid de origine Saxonum in his sentiendum sit; id antea declaratum est. Quur non hac ratione etiam, si semper conlecturis sit locus, à Dacis possent dici? Quippe Daci, Gothi, Gepidæ & Gethi, Germaniæ Magnæ, quæ ultra Vistulam ad Boryslenem & Pontum Euxinum excurrebat, populos fuisse, nemo abnegare potest. Sed constat ita Saxonas variis nominibus sub diversis temporibus insignitos fuisse; unde etiam tot distortæ opiniones exortæ sunt auctorum, quas æquo iudici censendas linquimus. Quare manet omnino nostra sententia, quod iuxta antiquum morem loquendi Saxones Patriæ suæ Germaniæ germani sint filii, & Saxones propterea dicti, quod volut Holsati, firmiter locos omnes, quos in potestatem suam redegerant, possiderent, ut hodie etiam in iure Saxonico Landsassi dicuntur, cum ex munitionibus & fortalitiis possessiones firmas confecerint sibi. Unde miror quod Cranzius & alii eo non respexerint. Velut etiam Senones & Longobardi in Saxonum hinc numero fuerunt, quorum illi civitatem vetustissimam 12. milliaribus à Magdeburgo & hodie in Marchia antiqua sitam, nomine Seehusium, quasi domus & habitatio propria Senonum, *ante Chr. Nat. annis* 400. condiderunt: isti circa *annum Mundi* 3653. *ante Christ. Nat.*

nat.318. Solt quellam quinque milliaribus à Seehusio distantem urbem, sic à Sole & Domo, quum *VVel & Hus* in antiqua Saxonum lingua synonyma sint, dictam extruere inceperunt, ut ex Enzelio in annal. March. Brandeb. *Andr. Ang. lib. 1. pag. 4. & 6.* refert. Sic etiam Senonum nomen Strabo ex Græco suo derivat, quod propter honestam & virtuti aut placato studio addictam vitam σεμνοὶ nuncupati sint. At quāvis Longobardi tum sedem in ditione & terra ea, ubi hodie Magdeburgum est, principaliter habuerint; tamen mixtim incoluerunt quoque vicinos locos. Nominis rationes varias referunt historici; alij à personis deducunt & barbis eorum, quod amatores lōgitudinis talis fuerint; alij ab armorum genere, quod Germani dicebant Hellebarten. At plærique consentiunt in eo, quod à situ loci illis impositum fuerit nomen, à longo videlicet districtu terræ, quam incolebant, & quod potissimum terra ea præ aliis maxime cultus apta & frumentaria esset, quod Germanis *Barverde* est: velut etiam hodie districtus ille circa Magdeburgum illud nomen obtinet, quod *Boerde* Magdeburgensium dicatur propter fundum præ cūctis feracem. Ita Angrivarii etiam ab agris, quē Germani *Anger* appellant, antiquitus dicti sunt, & habuerūt Longobardi vicinos eos, qui ab aliis Angli Suevi vocabantur, & Angermundam oppidum circa ea tempora, quibus Seehusium conditum est, ad confluentem Anagri, qui *Tangerus* hodie corrupte audit, & Albidos extruxerunt. *Andr. Angel. in Chron. March. Brand. lib. 1. p. 4.* Unde Angli-Saxones quibusdam dicuntur: Suntq; iidem qui Angliæ nomen dederunt, ait *Renec. in comment. suo de Angriv.* Nam ea genti antiquissima sedes attribuitur: Unde progressi cum Chamavis, in Bructerorum finibus, uti est apud Tacitū, hoc est ad Amisiæ caput, & Visurgis Lippiæque ripā consedere; atque inde adhuc Ducatus ille & oppidū in Westphalia supereſt, cuius titulo quidem utuntur Duces Saxonici Lawenburgenses; sed quum oppignoratum fuerit antehac Comitibus Ravensburgiis, ex hac occasione eius possessio in Ducem Iuliacensem ante ann. plusculos pervenit. *Renec. in dict. com. de Angr. & Angel. in Chron. Brand. d. l.* Angermunda autē licet in commodo satis loco sita sit; tamen propter vicinas urbes, & migrationes suorum conditorum non potuit ita excrescere; veluti ex sequentibus patebit. Sic & in an. 420. ante Christ. nat. qui est annus quintus post tertiam Monarchiam & annus Mundi 3646. Gothi ingentem in omnes istas regiones fecerunt irruptionem; & quum sedem circa Hercyniam Sylvam sibi meditarentur, in Thuringia condiderunt Gotham, ubi & ulterius versus Hercyniam Sylvam, in Saxonia, urbem Hanseaticam antiquam Gottingam struxere, quæ adhuc ex eorum memoria ambæ nomen retinuerunt. *Andr. Angel. d. l. Chron. Brand. p. 6.* Unde in urbe Gothana quoque Gothorum Insigne, Draco nimirum contortus & alatus, in basi vetustissimæ turris saxo incisum, conspicitur. *Stigel. in Orat. funeb. de Albert. Com. Schvvartzburg.* Simili modo inter antiquissimas hodie Saxoniæ urbes refertur Brandeburgum, quod à maioribus quoque Brennoburgum appellabatur, quum à Brenno Suevorum Duce & Rege *An. mundi 3555. quinto 90. Olympiad. Romæ cond 336. ante Christ. nat. 416.* arx cum urbe hac esset condita. *Inst. Sab. Sur. in par. theat. urb. Encel. Alb. & Angel. d. l. 1. Chr. Brand.* qui etiam affirmat, quod Brennus singulare oppidum aulicæ vitæ destinatum intra Salam & Albim condiderit & incoluerit, Acona sive Aken dictum, quod inde quasi metropolis quædam Suevorum habitum fuit. Ex quibus patet, in quantum illi aberrent, qui tantam Germanis insciitiam & defectum communis sensus adscribere solent, quod illi usum calcis & coctilium lapidū aut laterculorum, cementorum, ferruminumq; talium ante adventum Romanorum eorumque invasiones in Germaniam nullum prorsus, licet non exactum agnoverint; quum tamen non tantum Germani & Teutones iam ante aliquot secula primi irruptiones in Italiam fecerint, sed etiam ibi quamplurimas ædificarint civitates, ut supra ostensum est, ibidemque ultra quatuor secula in coloniis vixerint, & inprimis illi populi Teutonicorum, qui Saxones postea dicti fuerant, primas semper meriti fuerint partes in talibus inventionum & fortitudinis defensionumque exercitiis; ceu etiam ipse Tacitus *lib. prim. ann. & de mor. Germ.* civitatum toties mentionem facit, in hoc sibi contrarius; imo etiam alios instigarint vicinos, præsertim quoties ex necessitate multitudinis migrationes essent instituendæ. Velut etiam post annum *Urbis cond. 640. Anno Mund. 3859. ante Christ. nat. 112.* Teutones (quod nomen maxime in generali usu præpollebat) Cimbri, Ambrones, &c. cum regibus suis Celeo, Teutobocho & Bolo transcenderunt Rhenum, & Romanos multis affecerunt cladibus; Ac principio Cn. Papirium Carbonem Cons. cum exercitu deleverunt, vexato Illyrio. *Buch. in Chronol. ad hunc Ann.* Deinde ad Helveticos profecti, illisque sibi adiunctis totam Galliam occuparunt, transgressi Pyrenæos montes Hispaniam invaserunt, magna illata clade & calamitate. Inde pulsi à Celtiberis in Gallias remigrarunt. Dehinc quū omnem occupassent Galliam quidem; tamēn noluerunt illis nimio esse oneri; sed in provincias Romanorū propius perrexerunt, Divicone Principe: ubi Lucium Cassium Cons. in finibus Allobrogum cum exercitu diruerunt. Mox missi fuerunt Legati ad Senatum Rom. qui petebāt, ut populus Romanus ipsis aliquid terræ concederet ad incolendum quasi pro stipendio: & ut manibus atq; armis eorum, si placeret, libere uterentur. Verū quum repulsam in æquis postulatis paterentur, adeo ignominiosum hoc existimarunt nationi suæ, ut armis id petere constituerent, quod honestis conditionibus impetrare non potuerant. Itaque M. Iunium Syllanum alterum Cons. aggressi, castris exuunt, & cum exercitu cædunt. Inde Scaurum Aurel. Cons. & M. Manlium atque Servilium Cæpionem Procons. vicerunt. Atque ita continuando furorem Germani ea tempestate quinque simul Consulares exercitus populo Roman. abstulerunt; quo metu omnis Italia contremuit. Actum igitur iam prope fuisset de Romanis, nisi C. Mario in tempore, qui in Africa bellū feliciter gesserat contra Iugurtham Numidarum regem, decreta fuisset solemnis illa contra Germanos expeditio. Ille enim duobus prœliis Teutonas & Ambronas vicit, Teutobocho rege capto: Tertio prælio Cymbros cum sociis Sax. dissipavit: Celeo rege trucidato, Tigurinisq; fuga ignobili dilapsis. Verum interim Saxones in obfirmatione & extensione sedis suæ non acquieverunt; sed circa *ann. Mundi 3915. ante Christ. nat. 47. an.* quum eo in loco, ubi nunc Magdeburgum est, & Mesovium iuxta *Ptolem. lib. 2. Geogr. ap.*

Scla-

Sclavorum autem idiomate Meziboſum, *Spangenb. Chron. Manſf. cap.* 74. culturam Iſidis ad Albim, quæ ſingularis Dea Suevorum habita eſt, inveniſſent, oppidum cum caſtello amplificarunt, cuius veſtigia antiqua adhuc ibi apparent. Magdeburgum illud idem fatum, quod de Saxonibus ipſis attulimus, olim paſſum fuit, quum ipſis apud omnes populos non idem quovis tempore nomen manſerit, quod etiam Bilibaldus Pirkaimerus in Geograph. ſua confitetur, quando dicit: Poſtea erant Lotobardi (Longobardos putat) ſub quibus Dulingi, ubi nūc eſt Marchia antiqua, & Epiſcopatus Magdeburgenſis, cuius ſunt civitates Meſovium, Meydenburg vel Meden. &c. Sic & Ptolom. ait: Civitates Germanię in climate Septentrionali, & in tractu, qui ſub hoc climate eſt, hæ ſunt: Trophæa Druſi. Luppia, Meſovium, Argelia, &c. Unde patet, Magdeburgum ante Chriſti nativitatem aliquot ſeculis fuiſſe celebrem; velut inde quoque alludere poſſit, quod ante Chriſti in orbem adventum bella cum Danis, Suedis, Finnonibus & Vãdalis geſſiſſe legantur Saxones. Quæ vero heicalii de ſeptem arcibus, ſive Caſtellis à Iulio Cæſare in Saxonia erectis, quas in honorem ſeptem Planetarum conſtituerit, ut ſunt Areſpurg, ſive Marſpurg in Weſtphalia; domus Veneris ſive Magdeburgk vel Parthenia & Partheno polis; Hartzburgum ſive ædes Saturni; Solis Caſtellum ſive Soltquedel; Lunæburgum; Iſenburgum ſive Iovis fortalitium; ac tandem Iulianum Mercurii, ſive Wolgaſtum; meminerunt: eſt fabula. veluti eas quoque nugas recte *Cranz. in Sax. lib.* 1. *c.* 25. ſatis acute exagitat. Etenim hoc liquidiſſime ex ipſius Iul. Cæſaris confeſſione & cunctis Romanorum hiſtoriis conſtat, quod nunquam Romani hucuſque viribus ſuis penetrare potuerint: Sed potius ex ſingulari confœderationis Saxonum occaſione, quam cum vicinis pepigerant Germaniæ populis, & fœdus illud magnum proclamatum fuerat, factum eſt, *anno Mundi* 3956. *ante Chriſt. nat.* 15. quod Romani in Germaniæ interiores demum partes allecti ſint. Etenim quum in Galliam irrumperent, multaſque & ingentes ederent ſtrages paſſim, Romani quidem primitus Marcum Lollium avariſſimum hominem cum aliquot eximiis legionibus pro diverſione inſtituenda in meditullium ablegarunt Teutoniæ, qui etiam uſque in Saxoniam pervenit, & 18. mill. hominum prælio vicit: unde Sicambriæ Rex Francus per filium Clogionem, cui 40. millia hominum adiunxerat, auxilium Saxonibus præſtitit, ex quo Romani penitus exſi ſunt, Lollio trucidato, & Aquila quintæ Legionis ſigno combuſto. Aſt Imperator Auguſtus inde commotus adeo fuit, ut privignum ſuum Claudium Druſum cum innumerabili fere exercitu mitteret in Germaniam, ad incolas omnes penitus ſubiugandum. Druſus itaque anno 9. ante Nat. Chriſt. in loco Ubiorum, apud Coloniam traiecit Rhenum, & occupavit omnes locos, gentesque ſubiugavit fortiter uſque ad Albim; quam etiam ſimul procul dubio traieciſſet, niſi Suevi pacificationem cum eo iniiſſent. Verum ubi ſequenti anno hybernatum verſus Moguntiam cõceſſerat, confœderati cum Saxonibus populi Sicambri, Suevi, &c. ſtatim illum ex inſidiis ſecuti ſunt, & in valle conſidentem obtruerunt ita, ut maximam partem exercitus ipſi quidem diſſiparint: ſed quum nimium inhiarent prædæ, ſe ſatis ſecuros exiſtimantes, interea recollegit vires Druſus, & ob ſpolia opima inter ſe diſſidentes denuo acriori pugna aggreſſus eſt, ac in fugam converſos acerrima perſecutione ſuppreſſit; Atque ne nova rebellione reſurgerent, devaſtata undique caſtella & oppida, in commodis locis, fortificatione ad Romanorum morem refici curavit, in Saxonia præficiendo quendam Clodium. Unde etiam Maſovitarum ſive Magdeburgenſium Idolon Iſidis in Veneris formam tranſmutatum eſt, & adiunctæ eidem ſunt Charites quaſi famulæ, quas Saxones Megde ſuo idiomate dicunt, cui propter caſtellum adiunctum nomen Burg Germanicum proprium, non ab aliis mutuatum, additum eſt, ut huc uſque Magdeburgum inde vocitatum ſit. Nihilominus denuo victus eſt Druſus à Germaniæ populis non procul à Moguntia, ubi quoque mortuus ex fracto crure, & poſtea à fratre Tiberio Romam ad ſepulturam C. Iulii Cæſaris delatus. Velut hæc *Angel. in Chron. Brand. ex Trithem. Dion. lib.* 54. *Vellei. Pater. lib.* 2. *& Flor. lib.* 4. quoque refert pluribus. Atque hæc eſt cauſſa potiſſima, quod poſtea Tiberius Claudius Nero ſtatim quarto anno poſt Nativit. Salvat. noſtri Chriſti Ieſu, victiæ admodum ſtudioſus & cupidus, ut confitetur *Corn. Tac. lib.* 1. *Annal.* ſub conſulatu Sex. Ælii Cati & Sentii Saturnini, ubi ab Auguſto Cæſare in filium adoptatus eſſet, cum tam ingenti exercitu ſit Germaniam ingreſſus, & devictis Marcomannis, Boiohæmiis, Pannoniis, Noricis, Cattis, tandem iterum ad Albim pervenerit, Saxonaſque cum Longobardis, Suevis & Senonibus ſuis ſubiugarit. Quo tempore partim civitates devaſtatæ, refectę & extenſæ ſunt; partim novæ cum caſtellis erectæ; velut ſunt Salisquella, Gardelebia, Iſenburgum, Oſterburgum, Crumcovia, Gladigovia, &c. Gardelebiæ nomen inde impoſitum exiſtimant, quod propter amœnitatem vividam multi ibi excolantur horti; qui Germanis Garten dicuntur: alii à Tiberii legionibus, urbi huic primitus attributum eſſe nomen, quod ibi plena habuerint caſtra primitus, & plenius ibi propter commodum locum vivere potuerint, quaſi Garda legionum fuiſſet. In arce autem ibidem antiqua Romana, quam hodie Nobiles ab Alvensleben poſſident, cultus profanus Idolo Teutonum communi Iſidis, ex Maſovio illuc translatæ, exhibitus fuit. Unde Iſoburgum ea vocata eſt. poſtea propter protectionem fortem & munitum fortalitium Iſernburg, quaſi ferreum eſſet & inſuperabile, quod Teutones Iſern dicunt. Vandali etiam quum diu locum hunc oppugnaſſent, nec ſubigere aut diruere poſſent, ex indignatione furenti Iſern Schnippe inclamarunt, quaſi Os ferreum, ſeu fauces ferreas. Iam Civitati extra muros adiacet.

Oſterburgum vero ad Biſam fluvium ſita civitas eſt, inde nomen habens, quod tum Romanis verſus ortum non procul ab Albi vel caſtrum porrexerit, aut arx eſſet oppoſita illis, qui verſus ortum ultra flumen Albidos tunc, ceu Vandali, habitabant, quum crebras illi facerẽt ibi invaſiones. Enzelius ait, quod Druſus in Valle Biſæ in memoriam ſui Caſtellum Oſtrorum ædificarit, ubi Uchta, Biſa, & Alanda confluunt, & inde ſit Oſtroburgum dictum, quod verſus ortum quaſi in angulo ibi ſitum ſit.

At Gladigovia eſt arx hodie direpta in antiqua Marchia, non ultra miliare Germanicum ab Oſtroburgo diſtans, cuius crebra fit mentio in hiſtoriis

noſtris. Nomen hoc à Claudio Tiberio Nerone obtinuiſſe, dicunt, quod ad Claudii pratum fuerit ſitum, quaſi Claudii Awe, vel ars Claudii: alii volunt quod à primo Marchione Clodio, quē iis locis Tiberius ſtatim poſt nativitatem Chriſti præfecerat, ſic appellatum ſit. Priuſquam hæ, quæ huc uſque enumeratæ ſunt, fuerunt conditæ, etiam aliæ in Saxonia urbes, longe iſtis antiquiores, vix ab hiſtoricis tamen extraneis unquam cognitæ aut nominatæ, velut eſt Iulinum, wineta, & Bardevicum. Namque ignotum, ait *Meibomius in hiſtor. ſua pag. 6.* de hac urbe, manſit Bardevicum tam Romanis, quam Græcis ſcriptoribus, ſicut omnis pene Germania, exceptis, quæ à Cęſare, Paterculo, Tacito, Strabone, Ptolomæo aliiſque paucisſimis ſtrictim & breviter commemorantur. Solus Rhenanus, neſcio cuius fide, *rerum German. lib. 1.* auctor eſt, Tiberio imperante, Longobardos prope Bardevicum ſedes habuiſſe: quam aſſertionem in medio relinquimus. Vero tamen ſimile eſt, floruiſſe Bardevicum cum Iulino & wineta urbibus nobiliſſimis: *vid. Crantz. lib. 2. c. 33. de Vand. & Chytr. in Chron. Sax. lib. 1.* Quarum quum hæc inteſtinis odiis, civilibuſque diſſidiis exhauſta defeciſſet: illa à Danis expugnata deletaque eſſet, ſuperſtes utrique Bardevicum emporium fuit continentis longe celeberrimum. Innotuit demum annalibus per occaſionem Evangelii de filio Dei Chriſto Ieſu illic prædicati minime tamen admiſſi. ſcribit enim Henricus Herfordienſis (Trithemio & aliis perperam Erfordienſis) Monachus Dominicanus ædis S. Paulinæ apud Mindenſes S. Ægeſtum unum ex 72. diſcipulis Chriſti, mandato Divi Petri Apoſtoli in Germaniam profectum, Bardevicum fluvium Elmena, una cum Mariano diacono ſe appuliſſe, ibiq; parœciam erexiſſe: poſtmodū utrumque à barbaris eius loci martyrio coronatum. Hæc ex Herfordienſe repetit *hiſtoria Eccleſ. Magdeb. cent. 1. lib. 2. c. 3. & 10.* & inde Michael Uranius *tractatu de 72. diſcipulis Chriſti.* Veteres Schedæ idem habentes addunt Thurios (quos equidem plane ignoro) cædis iſtius auctores, &c. Antiquitatem autem Bardevici & dictarum urbium tam remotam eſſe, id ſtatim in principio eiuſdem hiſtoriæ confitetur, ubi ſic ait: Bardevicum, ſive Bardorum vicus, ſi vera eſt fama, antiquiſſima fuit Urbs totius Saxoniæ, ſeptentrionalis Germaniæ. Etenim Roma veruſtiorem faciunt: Buntingus prima parte Chronici Brunſvicenſis annis centum & duobus: Eberus in Calendario ducentis: *Spangenbergius Chronic. Saxoniæ cap. XXIII.* ducentis quadraginta duobus: Alii ducentis triginta quinque. Qui poſteriori ſubſcribunt ſententię, innituntur verſuum Leoninorum, qui etiam hodie leguntur inſcripti foribus Baſilicæ cathedralis in Ruderibus Bardevici. Recitantur à Caſparo Bruſchio in Catalogo Epiſcoporum Verdenſium: repetitque eoſdem Lucas Loſſius in Farragine Epitaphiorum in ſuperiori Saxonia exiſtentium qui liber prodiit Vitebergæ anno M D XXC. verſus ſunt hi:

Abram dum natus, mox Treviris incipit ortus.
Hinc annis Bardiæ mille, ſex X. quoque quinque.
Poſt Bardiæ Roma duo C. cum quinque triginta.
M. C. poſt Nat. iunctis octoginta novemque,
Dum Brunſvicenſis Dux Henricus Leo dictus
Simonis in Feſto Bardiæ ſubvertit in alto.

Si fidem merentur verſus, urbs condita eſt anno mūdi MMDCCCLXXXV. ante natum Chriſtū DCCCXC. anno poſt diſtractionem Regni Salomonis XIV. Nomen urbs accepit, non à Bardone fundatore, ut Crantzius opinatur Saxoniæ *lib. VI. cap.* & Vandaliæ *lib. 3. cap. 6.* Cui coniecturæ ſubſcribit Adrianus Romanus in Theatro urbium, & Buntingus citato loco: ubi neſcio qua licentia, Bardonem iſtum Regem facit: ſed à Bardis gente Boreali: quam etſi apud nullum ſcriptorem ſe legiſſe locis citatis idem Cranzius affirmet, venire tamen in mentem ipſi debuiſſet, minime eos præteriri, tum ab Adamo Bremenſe, tum ab Hemoldo, quos equidem ipſe legit, peneque de verbo ad verbum exſcripſit, nominare vix dignatur. *Adamus Bremenſ. li. 1 cap. 3.* mentione quamvis obſcura, indicat Bardos: diſertius expreſſiuſque *Hemeldus lib. 1 cap. 16. 25. & 26.* ubi Stormariis, Holſatis & Ditmarſis confines, Magnoque Bilingano ſubiecti fuiſſe commemorantur. Hemoldi verba ipſe Cranzius repetit *Saxon. lib. 9 cap. XXVII. Vandalia lib. 3. cap. 6. 7. 9. & 20.* Eoque minus ignorare Bardos potuit. Quid quod vetus interpres Iuvenalis, editus à Pithœo, *ad Satyr. XVI.* Bardos vocat gentem Galliæ. Comprehenſos autem Gallorum appellatione etiam Germanos nemo doctus ignorat.

Bardorum nomen mere eſt Germanicum, apud Saxones nec dum deſitum, dictum à qualitate loci. Eſt autem Saxonibus tam Ciſveſerianis, quam Tranſveſerianis vocabulum *Borde*, locus planus & uber, ut Ioannes Neowaldius I. C. Commentario de Antiquis Weſtphaliæ colonis. *Penterus lib. IV. Chron.* Cario-Philippici intelligit Planitiem montibus ſubiectam, quæ fertiliſſima, & quaſi horreum vicinarum regionum, hinc ſuos reditus atque proventus annuos percipientium. Suffragatur utrique *Spangenbergius Chron. Saxon. cap. XIII. iſtis verbis*; ex Germanico translatis: Borde, id eſt, terra perquam fertilis & frugifera, quæ frumenta & proventus ditiſſimos edit. Nec diſſentit *Chriſtop. Entzelius in Chron. Vet. March.* ubi hæc habet: Eſt autem Borda iuxta veterem Germanicam locutionem, quaſi horreum, quod terram ex frumentis divitem denotat. Inde Bordæ Magdeburgicæ, una alta, die Hohebordē / altera Sylvatica, die Holtzbordē / quamvis & tertia adiici poſſit, Salinaria cis Albim, & quarta trans Albim, quum totus hodie Archiepiſcopatus in quatuor dividatur circulos, qui iis nominibus exprimuntur. Et ſecundam has Borda Halberſtadiana, Gottingenſis, & Embeccenſis cis Viſurgim: ultra eum Suſatenſis, & Wendena in agro Lippienſi, &c. Eſt autem Borda nihil aliud, quam terra cultui apta, quaſi *Bavverde*, unde & agricola *Bavver*, qui terram frumentariam ædificat. Quemadmodum etiam paluſtrium locorum incolæ nominati ſunt à paludibus Brokeri, Romanis Bructeri: paſcuorum inhabitatores Marſcher, iiſdem Rom. Marſi, ſic à fundis feracibus nomen ſumſere Borderi, Latinis Bardi, à quibus Bardis noſtratibus, non à Bardis Gallicis Sacerdotibus, nomen ſuum quoque habuit Bardevicum, quaſi Bardorū Caſtellum, quum Wiec, teſte Alfredo Anglo-Saxone, antiquis Saxonibus Caſtellū ſignificarit.

CAP.

CAP. II.

De origine vera urbis Brunſvicenſis, Luneburgenſis, Bremenſis, & aliarum adhuc Saxon. &c.

SIcetiam idem prope refertur de Brunſviga aut Brunſvico, quaſi Brunonis vicum dicere velis, ex quo toti Ducatui poſtea nomen ortum eſt. quum longe prius vicus fuerit, quam alterum nomen adiectum ſit. Namque Wigam, *Knich. in Encyclop. ſua cap. 2. n. 104.* ubi urbi Brunſvicenſi ſatis aſperam & fruſtraneo conatu barbaram litem in quæſtione ſtatus ſui movet, villam ipſe facit, longe antiquiorem, quam ipſi Brunones Dynaſtæ fuerunt, & confiteatur quoque, quod alii Brunones extiterint ante Carolum Magnum, ceu ex narratione hiſtorica Georg. Fabric. de Orig. Saxon. convictus, & ſimul ex Annalibus Brunſvigiis id adſeverat, Werechinũ quendam duos filios Witikindum M. & Brunonem procreaſſe, cuius mentio fiat Anno Chriſti 775. Nã, inquit, poſtquam Oſto-Saxones in verba Caroli Magni iurarant, occidentales ad villam Wigam, ubi dein Brunſviga ædificata, cum prædicto Brunone quoque occurrerunt, quo defuncto filius Ludolphus ſucceſſit, imperavitque Saxonibus cis Viſurgim & in Herciniis. Enitescit igitur Ludolfum neuti quam orientalem Saxoniam avito Veſtvaliæ regno adieciſſe; ſed 160. annorum intercapedine quæſitã & ſubiectam ſucceſſione continuaſſe. Namque Saxones ex Nortalbingia adventantes, & ex Vnſtroto flumine redeuntes, Clotorio annuente, Ann. Chriſt. 630. devictis Vinulis, Oſtvaliæ partem adhuc poſſidentibus, Francorum ſubſidio occuparunt, illique à ſe victoribus Saxoniæ nomen impoſuerunt. Oſtvaliæ tamen denominatio uſque ad Carolum Magnũ promiſcue perduravit. *Suffr. Petr. d. ſa. 13. f. 26 ſa. 14. f. 265. & 279. c. 15. f. 296. & 299.* Quamvis *Knich. d. l.* ipſe de fide dictorum dubiter; tamen maxime ita profert, ut ex iure ſucceſſionis & forma regiminis cõvincat, Brunſvicenſes ſemper cum urbe ſua ſubiectos fuiſſe, abſque ulla exceptione & iure exemtitio, Ducibus Guelphicis. Sed quam graviter heic bis impingat & ſibi contradictorius ſit, id ex antecedentibus, & mox ſequentibus *n. 114. d. l.* manifeſtiſſime apparet. Etenim in præcedentibus *ſub n. 67. 68. & 69. & ſeqq.* cum veritate rei ipſe ita locutus & aperte confeſſus eſt, quod ſtatus Saxonum fuerit ſemper libertimus, & illi regiones ſuas, tanquam libertimus populus occuparint, poſſederint atque texerint adeo, ut gens Saxonica cõſtiterit ex Senatu ac populo, uti Aimoinus *lib. 4. c. 71. fol. 208.* teſtatur. Ubi igitur regiminis forma ex ſenatu & populo cõſtat, ibi certe nõ datur ulla regiminis ſucceſſio hæreditaria, ſed, velut olim apud populum Romanum, maximi vigoris eſt electio: ſicuti ipſe quoque luculentius id *num. 70. & 71.* exprimit, quod non tantum Saxonia tot Duces habuerit, quot pagos, *Reiersius. de vit. & mor. VVeſtphal. p. 2. c. 4.* ſed etiam quod Senatus delectus fuerit ex primoribus, ut ex omnibus pagis delecti 12. Nobiles, ſemel in anno conſilium generale in media Saxonia iuxta fluvium Veſarim in Marcklo coegerint; &, bello imminente, ſorte dilectus fuerit Dux regia dignitate coruſcans, *num. 73.* quod etiam ita ponit *Meib. in Irmenſula ſua cap. 4.* In quibus certe ipſe ſibi contradictorius eſt Knich. & opinionem ſuam, de ſucceſſione regiminis hæreditaria, plane ſubvertit: unde etiam alterum conſequens, quod *d. l. num. 123.* ponit, quaſi Carolus Magnus cuique Dominorum & procerum reliquerit ſuas hæreditarias ditiones, ceu id *repetit num. 146.* ſimiliter collabaſcit, & ſubvertitur; quum *num. 163.* expreſſe confiteatur, Carolum Magn. nullos conſtituiſſe Archimyſtas, ſed tantum Epiſcopos aut potius parochos & doctores; In politicis vero nullos deſignaſſe Duces. Quippe hoc propter libertatem populi, quam ſalvam tandem propter tot reſiſtentias, & ut rebellandi occaſiones omnes tunc præſcinderet, illi cõcedere coactus erat, non potuit, quum populus Comites ſive Iudices & Magiſtratum iure ſuo conſtitueret. Inde quoque condendi urbes & erigendi propugnacula ius, ſemper liberum habuit atque retinuit, quum ſaltem defenſioni ſuæ, neceſſitate ingruente, caput aut Ducẽ eligerent. Deinde alteram ſibi ipſi conſtruit contradictionem, dum civitati Brunſvicenſi ſuam *num. 114.* abnegare ſtudet hoc abſurdo libertatem, quod ante Carol. Mag. Brunſvicenſes nondum in rerum natura fuerint: Nihilominus antea *n. 105.* confeſſus eſt & conceſſit, quod Ann. 775. ad villam Vigam Oſto-Saxones in verba Caroli Magni jurarint. Si Viga fuit, neceſſum quoque eſt, quod Caſtellum tale extiterit, apud quod habita fuerit talis tranſactio, licet nondum plenum nomen Brunſvigæ fuerit: Quamvis nec hoc concedendum. Namque heic quæſtio maxime movetur, de diverſis Brunonibus, ut ipſe iterum fatetur *Knich. d. l. num. 14.* quorum illum priſcũ, & alterum poſteriorem vocat. Si à priſco nomen accepit Urbs, iam ante Carolum Mag. extitit certe; nec tantum ante Carol. Mag. ſed etiam longe altius eius origo repetenda erit. Nec refert, quod mutatio nominis toties inciderit. Etenim Brunſviga Ptolomæo, qui ſub Antonino Pio Imper. *circa ann. Chr. nat.* 141. vixit, iuxta Franciſci Irenici ſententiam Tubiſurgium, ceu idem *Munſt. in Chron. ſuo* probat, vocata eſt. Ideoque recte Braunſvicenſium Syndicus in Ulterioribus & Notoriis exceptionibus de novo emergentibus, contra Ducem Henricum Iulium, in Camera Imperiali *Anno 1602. 19. April. Spirae in puncto homagij mutuae obligationis præſtandi, productis art. 23.* aſſeverat, ex veritate rei hoc cõſtare, quod Urbs Braunſvicenſis conſpicuas præeminentias, & præſertim iura capitis Provinciæ (id eſt Metropolitanæ) & maximæ civitatis Saxoniæ poſſideat, atque ita iuxta *ius Saxonicum Rom. Caſ. Maieſt. & ſacro Imperio* in cauſſis Appellationis immediate ſubiecta fuerit, priuſquam unquam Provincia ea Braunſvicenſis in Ducatum transformata & inveſtituram Imperii acceperit: *quod etiam in 6. ſeqq. artic.* plenius explicatur; nec *ipſe Knich. d. l. num. 40. 41. & 42.* diffitetur, quod Otto Magnus demũ Ducis veri titulũ in publicis Imperii Comitiis primo acceperit, etiã tandem Fridericus II. Imper. An. Chr. 1235. renovatione ſua confirmarit. Ita accidit ſæpe, ut eadẽ res alio atq; alio nomine ſalutetur, qñ vel circumſtantiæ mutantur, aut aliquid amplificationis priori adiicitur fundamento. Non tamen propterea originis primæ ſtatus ſubvertitur.

Simili modo id de Lunæburgo quoque affirmari poterit, quum ante compoſitionem illius novi nominis, originis eius fundamenta ex priſcis temporibus conſtiterint ſibi: Etenim licet plane ſit fabuloſum, quod Iul. Cæſ. arcem Lunæ aut Caſtellũ ibi dedicarit; tamen ex ſuperſtitionibus Idololatricis aliis hoc abnegari non poteſt, quod Idolis variis Saxones fuerint obnoxii adeo, ut etiam templa, caſtra & propu-

pugna-

pugnacula iisdem consecrarint, quum ex historicis hoc satis constet, & supra dicta simul declarent. Nec abnegat id *Meib. in Irmensula cap. 2.* ubi & Idolo Martis cogitur suum adsignare castrum. Crantzius, inquit, in Saxonia loco supra citato, monté Eresberg à Castro sive propugnaculo Mersburg distinguit; quam bene, iudicent eruditi. Idem præter rem disputat, *an Mersburgum, sive Eresburgum, fuerit in veteri Saxonia, vel ad Salam Thuringiæ fluvium?* ubi hodie quoque Urbs Episcopalis Mersburgum (cui nomé non à Marso prisco isto Heroe Teutonico; neque à Merowigo Francorum Rege; verum à loco depresso, ut Petrus Albinus in progymnasmatis historiæ Saxon. *pag.* 70. innuit) quum Chronicon Saxonicũ vetus diserte rem definiat his verbis: Hæc erat forma Idoli Martis Marsburgi, quod Carolus Mag. destruxit in Westvalia. Accusat idem Crantzius præter meritum scriptores Gallicos, quod perturbate rem explicent, omnia confundentes. Certe annales satis plani, &, si quid heic dubii, ex solo Widechindo tolli potest. Is enim bellum civile, quod Otto Mag. Cæsar cum fratre Danemaro (*Ditmaru lib. 1. vocat Tammonem, &c.*) gessit, describens, deque eodem Eresbergo loquens, non in Thuringia, sed in Westvalia bellatum ostendit. Meminit enim villæ Stela, qui locus hodie etiam supereste regione Werdenæ Monasterii Imperialis ordinis Benedictini: Meminit præsidii Badiliki, quod hodie Bellick dicitur, infra Ruden oppidum ad Ruram fluvium, &c. Ita utriusque loci differentiam de Martis Idolo satis accurate ponit, de quo tamen *Spangenb. in Chron. Mansfeld. lib. 1. c. 28.* aliter sentit, & Mersburgum ad Salam quoque à Marte dictum asseverat his verbis: Inter alia castella, quæ Drusus in Germania ædificavit, est etiam antiquum propugnaculum & arx Marspurgensis ad Salam, quæ olim regia sedes fuerat. Quum vero circa ea tempora Reges & Dynastæ regionis illius ut plurimum in Bohemia degerent, Marsburgum nonnihil desolatum fuit, quod Drusus renovavit ædificiis suis; unde quoque ad nostra usque tempora, vetusta arx Romanorum appellata fuit, ceu testatur *Dithma. in Chron. Merseburg.*

An non idem in loco Lunæ dicto præstitum sit? Namque non tantum templum huius Idoli tempore Caroli sed etiam Castellum inventum esse constat, & facile colligi potest ex circumstantiis, quum nuspiã prope Idoli sacellum institutum sit, ubi non simul Saxones iuxta ritum & mores aliarum gentium arcem pro defensione eius erexerint. Sicuti etiam tale Idolon Saturni in Castello Hartzburgensi, monti non procul à Goslaria, ad Hercyniam Sylvam versus Bructerum, impositio Saxones colebant, quod Crodium in sua nuncupabant lingua, cuius rudera adhuc ibi conspiciuntur, quomodo à Carolo Magno sit diruta. *vid. Chron. Sax. pag. 28. & 29.* Sed quid multis? an non Monachus Egolismensis in vita Caroli Magni, locum Luini corrupte nominat, ubi Witzan Obotritorum Rex, qui tanquam socius ex fœdere Francico contra Wiltzos, Sclavos & Saxonas septentrionales Carolo auxilium præstabat, in ipso alveo fluminis ad Albim interemptus est? Quod nec dissimulatur à *Meib. in historia Bardevici pag. 9.* ubi ait: Idem (*Monach. Egol.*) locum, ubi Witzhan occubuit, vocat Luini, qui annalibus Fuldensibus Liuni, Reginoni *Hiuini*, vulgo corrupte *Hiluini* legitur, *Hiuini* scriptum, ut *Hludovicus*, *Hrenus*, & similia. Est; sine dubio Lune prope Lunęburgum, ubi hodie illustre Cœnobium Monialium. Cædes Witzanis incidit *in annum 795. &c.* Witzanis nomen videtur à lumine sumptum. Nam, Emsero teste, Witz-Henera lingua est lumen, uti idem probat *in Irmens. Sax. cap. 12. p. 21.* Et quamvis *Meibom. in hist. Bardev pag. 25.* negare videatur, quod unquam Lunæ castrum tempore Caroli fuerit, dum ita loquitur: Quod in rerum natura nunquam fuit, destruere ille nequaquam potuit; sed saltem ex ruderibus Bardevici in civitatem reductam esse Anno 1190. *pag. 27.* tamen in sequentibus non tantum oppidum maximum Ottonis idẽ hoc vocat, sed etiam *pag. 19.* asseverat, quod Castrum Lunæburgum ab Adelberto Urso sit occupatum; Verba eius hæc sunt: Defuncto Lothario, quod accidit An. 1137. mense Decembri, novi tumultus coorti sunt in Saxonia. Occasio hæc fuit: Adelbertus cognomento Ursus, Marchio Soltwedelensis, quod matrem haberet Elicam Magni Billingii filiam, Saxoniam sibi deberi contendebat. Sed vivo Lothario nihil movere ausus fuit. Audita illius morte, armata manu avi materni ditionem invasit, Castro Lunæburgo, & Brema ac Bardevico urbibus occupatis. Nortalbingii nulla necessitate cogente victori se submiserunt, &c. Sic & *pag. 17.* hoc profert de Henrico Leone, quod ille cum altera parte exercitus sui septentrionem versus processerit, Lunæburgum propugnaculum, & Lubecam, loca oppido munita obsessurus, quum Bardevicenses Cæsarem cum copiis adventantem, nulla interposita mora, recepissent. Ex quibus omnibus omnino convincitur, quod Lunæburgum ante aliquot secula iam cum arce fundatum & communitum fuerit, priusquam ab Henrico Leone in talis civitatis formam redactum sit. Namque & Ditmarus *Merseburg. lib. 4.* Lunæburgæ mentionem facit, narrans prodigiosum terræ motum, & ex eo hiatum, qui ibi contigerit Anno 1013. imperante Henrico II. Scribit Ditmarius illic Luinberg corrupte, & Civitatem vocat. Sic & fontes Salis erupisse volunt sub Ottone M. Proinde errat quoque *Crantzius lib. 6. cap. 43. Saxon. Chron.* quod tum Lunęburgum nondum fuerit oppidum, quum Lamberti Schafnaburgensis testimonium sit in contrarium, & eidem ad *Annum* 1073. id dicatur oppidum maximum Ottonis Ducis Saxoniæ, situm in confinio Saxonum & Luticiorum. Quum igitur, & Castrum, & oppidum & civitas fuerit ante tempora eversi ab Henrico Leone Bardevici, nihil obstat, quin incrementum splendidiorum ædium & amplificationis ex demolitione & ruderibus Bardevici acceperit, atq; ab altera parte ad pedem montis Calcarij viculus sive pagus nomine Modestorp aut Moierstorp, sive Heimerstorp situs fuerit, qui facile aut removeri, aut novo fortalitio includi potuit. Quod vero tum demum ex viculo illo fundationem acceperit, contradictorie oppugnãt superius ex ipso illo auctore illata. Qui cum ipso facere volent, videant prius, quomodo veram conciliationem dispicere queant. Ipsa enim natura montis Calcarii & commoditas fluminis Elmenavi, ac amœnitas camporum satis indicio sunt, quod Saxones, qui nullũ prope munitũ locum incultũ reliquere, haut potuerint ratione intentionis istam negligere, commodo maximo suo inservientẽ, montis locique opportunitatem. Namque mons

non

non ſaltem ſpeculæ inſtar uſui accommodatus eſt, ſed etiam natura ſua ſingulare incolis fortalitiũ largiendo exhibet. Quare etiam Sebaſt. Munſterus in ſua Coſmographia de hac urbe loquens in plurimis corrigendus erit: velut cum ſano intellectu percipiendum hoc eſt, quod ex ruderibus Bardevici in civitatem ſit redacta, quum antea iam oppidulum fuerit, & non aliter id, quam de amplificatione & fortiori munimine affirmari queat. Necà Iulio Cæſare, nec alio quopiam Lunæ ſimulacrum, niſi ab ipſis Saxonibus, introductum fuit, quod ad Caroli Magni tempora permanſit. Inde *& Albert. Crantzij* aſſertio non ſubſiſtit, quod Heinrico IV. Imper. qui Sextus fuit ab Ottone Magno, arx ſolummodo ſine oppido extiterit, quum tamen ſtatim Munſt. ſubnectat, quod Otto I. locum iſtum in Comitatum erexerit, adiunctis ei prædiis de terra Mekelnburgẽſi. Quomodo vero ſe res habeat. & quomodo Otto Ducis titulo & dignitate ornatus ſit in publicis Comitiis, id ſupra relatum eſt. Ideoque etiam heic vacillat Munſt. cum aliis quod de Friderico II. affert, quod ille Anno 1235. ex Comitatu Ducatum fecerit. Sed ipſe ſibi quoque contrarius eſt, dum ſtatim addit, quod hanc ditionem una cum Dominio Brunſvicenſi tres Ottones Imperatores atque poſteri eorum poſſederint, uſque ad Henricum Leonem, qui exutus Bavaria, Saxonia & omni ditione ſua, ſaltem Brunſvigam & Lunæburgenſem Ducatus retinuit. Sed de ſtatu huius urbis moderno, & quem lapſum nuper Ann. 1619. cõmiſerit, infra plenius referetur.

Urbi autem Lunæburgenſi eſt civitas Ulyſſæa alias Vltzen dicta, quæ quinque milliaribus ab ea diſtat, quæ olim quoque Membrum Hanſeatici fœderis fuit, & ſemper protectione Lunæburgi uſa, quamdiu libera fuit. At Ann. Chr. 1389. penitus à Ducibus Lunæburg. fratribus Bernardo & Henrico ſubacta & capta eſt ex inſidiis. Quum itaque plane libertatem ſuam amiſiſſet, quamvis oppidum lautiſſimum & feſtive ſatis munitum, ædificiiſque egregiis ornatum, pedetentim tamen recedere coactum eſt. *Vid. Bunt part. 2. Chr. pag. 25.*

Sed pauca etiam de Bremenſibus ſubnectam. In Bremæ Urbis nomine & exordio eius principali eędem habentur & inveniuntur difficultates. Etenim quod Chaucorum maiorum ſedes in ea regione fuerit, abnegari nequit. Qui inprimis ſibi locum, ſecundum mores illorum ſeculorum cultum ſatis, incoluerunt, quem Ptolomæus Phabiranum vocat; unde facile colligendum eſt, quod antiquitatẽ diuturnam referat. Celebre quidem iam nomen eſt tã nobilis urbis; ſed tamen quum non ſatis omnia referantur, lubet potius audire ea. quæ Wilhelm. Dilichius in Chronic. Bremenſi, ubi ex profeſſo de origine eius agit, recenſet, cuius verba hæc ſunt: Brema utrum à ruborum ibi naſcentium multitudine, ut vulgo placuit, an ex Ptolomæi Phabirano nomen acceperit, unicuiuſque permittitur judicio: Sane Phabirani ſitus quum Bremæ uni reſpondeat, merito Geographi Phabiranon de Brema unanimi conſenſu interpretantur: Indeq; patet iam tum, nempe circa annum Chriſti 139. quo Ptolomæus floruit, Bremam extitiſſe.

Anno 449. cum Imperium Romanum Vandali, Alani, Suevi, Burgundi & alii diriperent, & præter hos, Galliæ Romanorum Provinciæ Attila Hunnus, immanitate reliquos longe ſuperans, immineret, & ſub Imperatore Valentiniano Aetius Dux Romanus Galliæ præſes, Legionem, cuius præſidio Britannia (quæ itidem à Iulii Cæſaris uſque temporibus Romanis paruerat) hactenus contra Pictos atque Scotos defenſa fuerat, ut Gallis conſuleret, revocaſſet, & ſuis ſe viribus aliquamdiu ſuſtinere juſſiſſet, Britones Romano præſidio nudati, Angilos Saxones propoſito ſtipendio advocarunt, vel ut Witekindus & Cambdenus referunt, legationem ſupplicem ad Saxones miſere, quæ ipſis expoſuit, Britonum terram latam ac ſpacioſam, & omnium rerum copia refertam, ditioni ipſorum parere: ſub Romanorum hactenus clientela ac tutela liberaliter vixiſſe: Poſt Romanos, meliores Saxonibus ignorare: ideo ad alas virtutis Saxonum fugere, ut ipſorum virtute atque armis hoſtibus ſuperiores inveniantur; quidquid impoſuerint ſervitij, libenter ſuſtinere velle. Itaque Saxones Ducibus Horſto & Hengiſto, apud Britones autem regnante Vortigerio (quem Beda Vitigerium nominat) tribus lõgis navibus Bremæ adornatis Inſulam ingreſſi, Scotos & Pictos repreſſerunt.

Poſt 70. vero annos, ſecundum Albini computationem, cum plures ſuos populares Saxones, Angilos, Friſios, Iutas evocaſſent, hoſpites Britannos in continentem Galliæ Armoricam pepulerunt, & ſaltem reliquias, quæ Wallenſes appellantur, in niveis montibus & ſaltibus coarctarunt, atque hoc modo Inſulam prope univerſam occuparunt. Unde ei, ut ab Angilis Anglia nunc dicatur, nomen dediſſe exiſtimantur.

Hinc minime mirum, quod Carolus Magnus, cum XII. annis, & poſt reconciliationem exortis unius atque alterius principum novis rebellionibus, in 20. annum cum Saxonibus eorumque Principe Witekindo decertaſſet, & victor per Saxoniam aliquot Epiſcopatus conſtituiſſet, Bremæ An. 788. Epiſcopum dedit Wilhadum Anglum, quod patria harum regionum lingua uteretur, eoque nomine, præſertim ob pietatis ſtudium ſingulare, quo præ aliis enituit, maxime idoneus eſſet, ad populares ſuos è poteſtate tenebrarum liberandos. Totus enim in eo fuit Carolus, ut quemadmodum ipſemet ſcribit, Saxones priſtina libertate donatos, Deo tributarios & ſubiugatos devote addiceret.

Brema vero utrum pagus tum fuerit, an oppidũ, non difficulter conjectari poteſt. Muros nõ habuit: ſed nec muri civitatem efficiunt: Fuiſſe autem locũ cæteris eminentiorem, argumento eſt non tantum Phabirani nomen, ſed & Epiſcopalis ſedes, ibi conſtituta, & quod Wilhadus à Carolo privilegia, quę pagis dari non ſolent, impetravit, eaque Carolus conſpicuo Rolandi teſtimonio publice poſteris omnibus obſignavit tum maxime, quod ex Privilegiorum verbis apparet, ea ius civitatis non dare, ſed ornare.

Ad gubernationis formam quod attinet, colligi poteſt ex multis, gubernationem ut unius non fuit, ita nec omnium, ſed pauciorum fuiſſe. Ante Carolum (inquit Hiſtoricus) Saxoniæ Gens libertatis tenaciſſima, cum regibus ſubiici nollet, duodecim primarios vitos toti Provinciæ præfecit, qui de bono publico in medium conſulerent: Annuus erat inter illos per vices Magiſtratus: Quem vero

vero publicum ab exteris illatum bellum deprehendisset, is durante bello Rex appellabatur, cuius Imperio parerent universi: Bello finito, regium pariter nomen deponebat. Caroli etiam tempore, cum is agros Ecclesiæ fructificantes discerneret, & terram Ecclesiastico iuri subesse, eique de decimis primitiis & oblationibus respondere vellet, erant (idē inquit) in his locis viri potentes, qui subiectos agros cum plebe tenebant. Nec voluit Carolus, neque debuit suo tempore quenquam iure dispoliare.

In urbe Brema potentes illos vetusta historia potestates, & iudiciariam manum, recentior vero Proconsules & Consules appellat.

Brema magis ac magis videbatur efflorescere, nisi furor Hunnorum, quos nunc Hungaros appellamus, bis eam incendio delevisset. Erat enim Hunnis tota Germania exposita, donec Heinricus Auceps Cæsar ad impediendam ipsorum tyrannidem ędiceret, ut ex Agrariis militibus nonus quisque in urbes sese reciperet, easque muniret, concilia & conventus omnes, atque convivia in urbibus celebrarentur.

Anno 934. cum Gubernatores civitatis iure suo abuterentur & administratio ad Oligarchiam plane deflexisset, Adalhagus Archiepiscopus, ubi primo ingressus est Episcopatum, fecit, ut Brema longo prius tempore potestatibus ac iudiciaria manu cōpressa præcepto Regis absoluta, & instar reliquarū urbium immunitate, simulque libertate donata, vel potius ei restituta fuerit.

Etsi pleræque civitates adversus Hunnorum incursiones muniti cæperunt, Brema tamen anno demum Christi 1000. quando piratæ Dani Saxoniam ad vastitatem vocabant, (Ascomanni appellati fuerunt, quod raro latius, quam ipsis ex pera seu folliculo, quem Dani Ascham appellant, victus atque esca suppetebant, excurrerent) muro firmissimo muniri cæpit.

Inde etiam accuratiori munitioni urbis causam dedit, quod Otto I. Cæsar, propterea quod ei sæpe in Italiam commeandum erat, Hermannum Bilingium in Pago Luneburgensi, Stibbekeshorn natū, ann. 965. Saxoniæ Ducem fecisset, Nepos autem ipsius Bernhardus Dux, in proferendis finibus totus prope esset: Proinde Brema contra insidias atque insultus Bernhardi Ducis aggere munita fuit.

Hoc anno Emnia, Luderi Comitis (qui frater Bennonis Saxoniæ Ducis erat) vidua, civibus pascua dedit, quæ civium appellantur.

Sub idem tempus & præsertim sub Annum 1035. civitatis murus perfici cæpit, additaque est ab occasu portæ turris perampla, Italico munita opere, & septem distincta Cameris, quam annales Pietati Archiepiscoporum ex parte tribuunt, &c. Ita pedetentim quidem civitates pleręque ad ea fastigia evectæ sunt, ut tandem successu temporis sæpius recuperarint, quod à principio illis debebatur. Bremenses tamen exploratæ fidei incolas se semper exhibuerunt erga Cæsares, quamvis multis implicati fuerint à tempore Caroli difficultatibus propter amabile libertatis studium, quod illis in iure naturæ imminutum videbatur. Et quamvis Archiepiscopus Limarus ius Advocatiæ pro sui redemptione Anno 1089. Lothario II. Supplingburgensi & Querfurtensi, cui postea Henricus V. emortua Billingiorum familia, Ducatum Saxoniæ, & Henrico V. defuncto, Imperii Principes Imperium detulerunt, cesserit, unde Duces Saxonię Advocatiam talem, sive iudicium temporale hæreditario iure sibi vendicabant; tamen urbs libertatem adversus Duces tueri & asserere non destitit. Atque ut eo rectius commodo civitatis suæ invigilarent, animositatis & fortitudinis virtute & laude semper pristinum libertatis statum ambiebant; Præstabant se fortes Visurgis & commerciorum defensores mari & terra; Et quū auspiciis Henrici IV. ex instinctu Pontificis Vrbani expeditio Hierosolymitana contra Saracenos susciperetur, huic exercitui quoque suas adiunxere copias: unde Cæsar illis inter alia fori privilegium plenius concessit. Talibus præmiis magis erecti fortiora & sublimiora subire non veriti sunt; sed quum Anno 1147. sub Cæsare Conrado tres numerosi exercitus partim in Saracenos terra marique, partim in Sclavos à Christianis regibus ac Principibus ducerentur, Bremenses classe instructa, quum multos ex Saxoniæ & Westphaliæ militibus socios adsumpsissent, vento primum in Angliam adacti, inde in Galliciam appulerunt, & rogatu Adolphi Regis, Vlyssibonam occupando, ejecerunt ex ea omnes Saracenos, eamque Christianorum fecerunt coloniam: Quo nomine apud eum hanc inierunt gratiam, ut in commerciis eodem iure cum indigenis frui deberent. Exinde ad maiora adspirare auli sunt, quumq; hominem artis nauticæ peritissimum nacti essent, Anno 1158. honoris, gloriæque & commerciorum quærendorum causa ad mare Orientale cursum sūm direxerunt. Atque quum tempestatibus in fluvium Livoniæ Dunam adacti essent, confederant in eo loco aliquo usque, ubi postea Riga extructa est. Livones vero eos pro Danis, quos tunc inimicissimos sibi experti fuerant, habentes, gladios primum atque arma in Bremenses strinxere. Cognito tamen demum errore, datisque hinc inde & acceptis muneribus, hostilitatem in amicitiam converterunt mutuam, & commerciorum ius pacti sunt. Quæ res, ut ex sequentium annorum historia apparet, non tantum inter Livones & Bremenses usum commerciorum frequentissimum; sed etiam propagationē Christianæ religionis, & exædificationem novæ civitatis, quam Rigam dixere, peperit. Licet *Crantz. lib. 7. Sax. c. 13.* nonnihil rem invertere & tantæ occasionis laudem, pro more, in Meynardum quendam derivare studeat; tamen illud approbationis haud obscurę loco acceptandum est, quod addit, virum istum bonum per aliquot annos cum mercatoribus eo navigasse, & operi pietatis devotum institisse. Quum autem Livonia vario commerciorum genere abundaret, & locus Rigensis iis maxime accommodatus esset, adsociarunt Bremensibus (uti in tali accrescentis fortunæ statu fieri solet) se aliæ Saxoniæ atque Wandaliæ civitates, & proinde crebertimæ in eam Provinciam mercandi gratia habitæ sunt navigationes, unde ab utraque parte magis animi populorum talium coalescere & prius quasi in tacitum fœdus coire cœperint. *Crantz. d. l. cap. 13.*

Superius paucis mentionem Stadę quidem iniecimus; sed quum ea quoq; clara portio cum Boxtehuda fœderis Hanseatici fuerit, non ita sicco pede prætereunda erit. Etenim varias à prima origine sua pertu-

pertulit sortes, & faciem regiminis non uniformem sensit. Namque, ut supra ex Sialando notavimus, omnium in hac Germaniæ parte antiquissima censetur, ante Christ. natum annis 320. condita, quod primam ibi stationem exhibuerit Saxonibus aut Chaucis, quum ex Nortalbingia, sive Cimbria ipsa eos ejiceret Albim, qui semper inde Ditmarsos socios habuere, quæ causa quoque fuit, ut notat *Crantz. lib. 6. Sax. cap. 5.* quod Comitatus Stadensis terram Thietmarsiæ transalpinam tenuerit inclusam; quamvis ille etiam aliam consequentiam annectere videatur. Locum autem illum, quem sibi Saxones à principio usque selectum habuere, quod per tot secula usque ad Caroli Magni tempora, qui Anno *Chr.* 800. imperator factus est, adeo fortiter conservatunt, id non in minimis habendum est. Pro mutatione rerum ob populorum incursiones varias, procul dubio miros sæpe sustulit casus. Designavit quoque more Saxonum antiquorum suum pagum in ditionis talis jurisdictione, quum locus semper fuerit principalis ad Albim in eo tractu, licet *Meib. in Pag. Saxon.* putet, quod ad Pagum Woltzatorum Stada sit relatum, mentionem faciens Diplomatis Philippi Imperatoris, Heinrici VI. fratris, & filii Friderici Barbarossæ, quod datum sit anno regni ejusdem secundo, id est *Anno Christi* 1199. Verba illius ibi sunt: Pagus Woltzatorum. Meminit diploma Philippi Imp. donantis Ecclesiæ Bremensi Comitatum Stadensem, Anno regni secundo. Sit ita, nec impugnatur Imperiale Diploma, quod Philippus iste, quem nonnulli eius nominis tertium faciunt, donarit Ecclesiæ Bremensi Comitatum Stadiensem: sed quomodo ad Pagum Woltzatorum ita referatur Stada, ut propria ditione, in qua tamen Comitatum designat, ceu ipsum diploma loquitur, excluſum fuerit; id quæstionis est. Ait Meibom. Testatur Chronicon Rastedense, quod Udo Marchio inter ceteras ditiones Waltsatiam tenuerit. Neque hoc impugnatur: Sed illud; quur Comitatus Stadensis non propriam ditionem obtinuerit, quum tamen hoc de natura sit Comitatus iuxta veterem Saxonum consuetudinem, ut pagus quivis suum haberet Comitem, sive iustitiæ & gubernationis præsidem. Alias enim non posset Comitatus dici aut vocari. Ait igitur ille porro: In hoc pago fuit Burgwardium, Stade, Dithmaro *lib. 4. Stethu.* Quid hoc? An non directo sibi contradicit, quando in præfatione libelli illius de pagis veteris Germaniæ ita ponit: Moris fuit tam Saxonibus, quam reliquis Germanis, quoties loci alicuius situm exprimere volebant, describere solitos, in quo pago, & ad quem fluvium is situs esset, & (N.B.) pagus in quo Comitatu, &c. Si igitur Comitatus adeo porrectus fuit locus, ut aliquot pagos contineret, & describeretur pagus in quo Comitatu esset situs; certe nullatenus Stada Comitatus imo etiam Marchionatus subiectus fuit Pago alicui, sed aut ipse expressit pagum, aut plures continuit in sese. Velut ipse Meib. quoque id innuit & exemplis *in præfatione d.* declarat, inquiens: Sic in diplomate Conradi Salici pagus Entergow est in Comitatu Bernhardi Ducis: in alio eiusdem diplomate pagus Valim est in Comitatu Dankmari Comitis, &c. Imo addit: Erat enim tota etiam Saxonia in Comitatus divisa, &c. quod sane ita convenit consuetudini Saxonum, qua regiones iuxta iudicorum præfecturas erant distributæ.

Mirum igitur est, quod diplomati Philippi Imperatoris, qui anno 1198. ad Imperii coronam electus erat, adscribere voluerit, quum tamen pagorum usus ante 100. annos esset sublatus, ceu ipse *in d. præf.* itidem confitetur, dicens: Appellatio (pagorum) usurpari desiit circa an. Christi 1100. quum pagi in Ducatus, &c. migrarent. An maior potest contradictio fingi? Proinde rectius prævalet sententia *Crantz. lib. 6. Sax. cap. 5. & Iob. Petr. part. 1. Chron. Holst. p. 75.* quod Comitatus Stadensis, ad quem referebatur olim Ditmarsia, comprehensus sit iis terminis regionum, quas Imper. Carol. M. donavit Ecclesiæ Bremensi. Verum, quum Episcopus, propter incursiones Danorum & Normannorum, littora ea tueri ab hostibus non posset, proinde non tantum in Marchionatum mutatus est; sed etiam ab Imperatoribus eius defensio in Duces Saxoniæ translata fuit: sub quorum protectione terra ea cum civitate mansit, usque ad tempora Henrici I. Imp. qui dicebatur Auceps, ubi præfuit iis locis Heinricus Calvus, sive Crassus, Iohannis filius, circa an. Chr. 921. cuius sedes fuit in arce Rosenfelda quam condidit an. 1140. ubi nunc monasterium Herisefelda est, antea itidem Comitatus, tribus milliaribus à Stada dissitus. Filios is habuit Ottonem, cuius filia nuptit Woldemaro Ascaniæ Comiti, & Henricum Bonum, qui ex coniuge genuit filios Sigfridum & Tyadericum Marchiones. Sigfridus Stadam alia ratione amplificando communivit, & arcem addidit contra hostium incursiones. Translatum ferunt de alio loco, ubi Doistadium vocaretur. Anno 988. Dani & Normanni, qui sibi Dominium in omnem Saxoniam vindicare studebant, trajicientes Albim oppidum hoc ad Suingam fluv. cum arce ceperunt, & captivos Principes abduxere: verum Sigfridus ope nautæ evasit, quum alteri nasum abscinderent nequiter. is reliquit filias Odam & Matildin. Soror autem fratrum horum in coniugium data fuit Comiti Ascaniæ Ernesto. Sigfridus statim in auxilium advocavit Bennonem Ducem Saxoniæ, qui victoriam obtinuere, & Danos omnes captos suspendio necarunt, unde locus ille Würgebawr dicebatur. Sigfridus ex coniuge Adila Ducissa Bavariæ, genuit Sigfridum II. & Luderum sive Hluderum Marchionem Soltquellensem. Hic ex amita Rudolphi Suevi, quem Saxones regem creatum opposuere Imp. Henrico IV. genuit Udonem primum, qui factus est Marchio Brandeburgensis Anno 1085. & Luderum II. qui prope Merseburgum An. 1080. in bello obiit. Udo I. Marchio Brandeb. & Stad. genuit Udonem II. Rudolphum, Henricum Longum, & obiit An. 1089. cui successit primitus filius Udo II. qui obiens Anno 1106. reliquit quidem filium Henricum, sed veneno mox extinctus est. Rudolphus factus est Successor & Elector Brandeb. qui duxit Idam Imp. Henrici III. ex fratre neptem, & genuit Rudolphum II. & Hartwicum Magnanimum Archiepis. Bremensem. Rudolphus autem II. Elector Brandeb. una cum coniuge VValpurgi à Ditmarsis subditis suis in arce Bocklemburga interfectus & in aquam abiectus est, cuius filius Otto obiit puer. Proinde tertæ omnes una cum Marchionatu Stadensi & Ditmarsia transiere ad Episc. Hartwicum, qui mortuus est An. 1168. Quum vero Rudolphus II. insignis esset amicus, tãtam perfidiam in Ditmarsos vindicavit acriter, & illis præfecit quendam Reinhol-

dum: antiquum quoque Dominium Stadæ occupavit, ut suo loco indicatum est. Verum Anno 1180. Siffridus Marchio Brandeb. & Archiepis. Bremens. cum Friderico Barbarossa Imp. ita rem supposuit, ut una cum Philippo Archiepisc. Colon. ex potestate Henr. Leonis ipsi licitum esset Comitatum eum eripere, & in ditionem suam recipere; quod ita peractum est. Sed An. 1187. invasionem aliam civitas ea ab ipsis Bremensibus pertulit; donec Philip. Imp. donatione superius dicta Comitatum salvis Civitatis privilegiis Archiepiscopatui adiecit: quamvis An. 1206. Henrici Leonis filii iterum sibi Stadam in divisione terræ adscripserint. Anno 1310. utraque civitas Brema & Stada fœdus inter sese pepigerunt, pro recuperanda Vorda, & Diœcesi restituenda. Sic & An. 1487. inter Bremens. Hamburg. Stadenses & Boxtehudenses convenit, quod nullum frumentum per Albim in mare evehi deberet, sub confiscationis pœna. At quam iniqui in hoc passu Hamburgenses fuerint in civitates cõfines, id quis apud Chytræum *Sax. lib. 18. p. 490.* cognoscat. Velut etiam iustam sententiam An. 1619. 19. April. Camera Imperialis publicavit: uti infra patebit.

Tribus infra Hamburgum milliaribus, Boxtehuda situm est oppidum Hanseaticum, quod, fundato per viros Nobiles à Buxtehuda virginum cœnobio veteri, crescere & augeri cœpit, donec Rodolphi I. Cæsaris temporibus, civitatis iuribus & privilegiis, à Giselberto Archiep. donatum est. Civitatem Esta fluv. ex ditione Lunæburg. promanans, perfluit, & inde in Albim delabitur, cuius occursu ita excrescit, ut naves onerariæ ex remotis locis tuto ad urbem appellere possint. Hansis fructuosa satis fuit; sed nunc itidem ab Hamburgensibus premitur, ut suo loco patebit.

CAP. III.

De Hamburg. civitatis origine, & statu aliarum quoque civitatum Hanseaticarum inferioris Saxoniæ.

SEd quum neque Hamburgum heic prætereiti debeat, etiam de urbe hac quædam erunt nobis inserenda. Licet vero eius nominis ratio non exiguas quoque historicis obiiciat difficultates; tamen expressius id patet, quod antiquitatem suam cum originis fundatione Saxonibus debeat priscis: atque hoc ita quidem, quum illi adhuc ultra Albim Holsatiæ limites incolerent, ut supra dictum est. Quatuor autem potissimum sunt de nomine Hamburgensium opiniones, velut in egregio suo discursu Nicolaus Cisnerus, quem Præfationis loco præfixit Cranzii Saxoniæ, eas connotavit, ubi nec Crantzii ipsius explicationem admittit, quam merito ut fabulosam reiicit, ubi nomen eius ad Hamam quendam gentis Saxonicæ pugilem refert, quem eo in loco civitatis illius certaminis duello à Starcatero Dano victum scribit. Sic irrisionis quandam speciem id præ se fert, & quasi mores Hamburgensium aliquo acri fumo & fuco adspersos dicere vellet Goropius, quando vocabulum Ham illud heic ad pernas suillas & fumo siccatas refert, & inde quasi carnis porcinæ mercatum urbi illi attribuit, quum alias & Germani & Galli proverbio communi porcorum non multas adscribere soleant virtutes. Ideoque rectius ad eam derivationem recurrimus, quæ magis seria determinat. Nec immerito Cisnerus ibi reprehendit Crantzium, quod nimiam fidem & auctoritatem adscribat Saxoni Grammatico, quē tamen non tanti in nimium fabulosis facere debuisse, ait; quum tamen adeo absurdum non sit, quod locus aliquis à cultu superstitioso idoli sui denominationem accipiat. Velut non frustra id attestatur auctor Chron. veteris Marchiæ, quod Teutones præcipue aliquem Deastrum coluerint, quem dixere Hama Magnum, cui fanum Hamaburgi etexerint, ut non tã ab Hama pugilatore, quod vult Sialandicus, quam ab isto Hamago; unde etiam idem asseverat, quod lucus sive Sylva cum flumine in veteri Marchia dicta fuerit quædam Hamaica ab isto Hamago; quem ille in Iovis Hammonii observantiam ipsi ita attribuit, quum etiam ante exiguum ipsius tempus apud pagum Kotzeby fanum inventum fuerit, quod olim Hammonis templum incolæ dixerunt. *Chron. Sax. Pom. pag. 43.* Hæc opinio potius historiæ assimilari quam illa nugax pugilatoris fabula potest, præsertim quum in Sylvis & nemoribus sacra facere consueverint prisci præ aliis locis: Sed tamen magis veritati vicinum videtur, quod Cisnerus de sua mente asseverat, cui etiam *Buntingus in Chron. Brunsv. adstipulatur, pag. 3.* Proinde lubet ipsum heic audire Cisnerum: Etsi vero, inquit, urbs hæc Germanicæ appellationis originem præ se ferre videtur: tamen quum Gambrivii quoque antiquissimi Germaniæ populi fuerint, & prior sive syllaba sive vox nominis non illi propria, sed toti vicinitati communis sit, consentaneum, est à Gambriviis reliquum esse. Nam licet Gambriviorum sedes alii in aliis locis constituant, atque ex iis quidam Cameracenses, quidam Sicambros manasse opinentur: tamen verisimilius est, Cimbriis & Marsis finitimos, Albis ripam Aquilonarem habitasse. Atque eiusmodi nominum mutationes in multis regionibus, civitatibus, oppidis, pagis, atque locis à doctissimis viris observatas, eorum scripta testantur. Nec dubium est, quin Gambrivium maiorem cum Hamburgo cognationem habeat, quam Treva; quam apud Ptolomæum Bil. Birckaimerus de Hamburgensi urbe accipit. Quod si vero rationem huius nominis quis ex nostra lingua reddere velit, æque eam à genere retis piscatorij (quod Hamen vocamus) quam à pernis insumatis deducere potest. Quin hæc etymologia cum sententia Goropii, de Anglorum similiumque Germaniæ populorum appellationibus, multo magis congruit, atque ea, quam de vi nominis Hamburgensis urbis exponit. Nam quum ille Anglos Saxonas tum Holsatorum, Dithmarsorum & Hamburgorum sedes tenuisse, tum propter studium in mari prædandi ac aliena acquirendi, ab hamo piscatorio *Angel*, nominatos statuat, eadem ratione Hamburgum quoque præcipuam eorum urbem ab alia voce, idem illorum rapiendi desiderium notante (id est, à genere retiũ piscatoriorũ) appellatum esse, apposite magis quis æstimaverit, quã ab illa vocis Ham significatione, unde vim nominis derivat. Perinde enim ut Hamo, sic retibus quoq; (quæ à nobis Hamē dicuntur) pisces capiuntur. Itaq; tam convenienter hac voce, atque hami piscatorii, appetitio illa aliena acquirendi exprimitur: à qua ut generatim Germanos quasi

Roman (id est, viros acquirendi, congregandique ac corradendi desiderio captos) sic speciatim pleraſque eorum gentes dictas esse, ille quidem censet. Quare ut belle omnia hæc inter se consentiant, multo probabilius Hamburgi nomen ab hac retis piscatorii, quam illa carnis porcinæ significatione, meâ quidem sententia, petere licet, &c. Hæc quidem Cisneri sententia non incompte prolata videri possit; sed *Meibom. in libello de veteris Saxoniæ finitimarumq; regionum Pagis* potius facere videtur in hoc cum *Chron. Saxon. veteri Moguntino* edito olim, quod tamen alias in pluribus extreme detestatur, quando omnes tales opiniones Cisneri reiicit, & accomodatius dici putat, si Hamburgi nomen à sylva vicina Hamme vocata, velut superius innuimus in Marchia quoque Hammaicam sylvam inventam fuisse, deducatur. Et veritas huius opinionis magis inde confirmari valet, quum hodie etiam, prope Wansbecam, sylvulæ talis nomen, in cuius complexu horti amœni aliquot civium & inter alios Meinonis ab Etzen siti sunt, superstes habeatur, cuius circuitum ipse Meino, vetus amicus mihi, monstravit. Meibomij autem verba lubet audire de Pago Stormariorum. *Adamus Bremensis pag.* 46. tres facit Transalbinorum Saxonum populos, Thiatmaersgoos, Holtzatos, & Stormarios. Stormarios reliquis nobiliores esse, & nomen habere vult à seditionibus, quib. agitentur. *Die Störmer.* Rectius fortasse *Cranzius* loci appellationem deducens à flumine Stora, qui Reginoni & Adamo Sturia. In hoc pago Castellum Hamaburg, nomen habens non à Iove Hammone, neque ab Hama pugile, vel pernis salitis & fumo siccatis, ut ociosi quidam fabulati sunt; sed à sylva vicina Hamme dicta, teste *Adamo Thracigeno in Chronico Hamburgens. M. S. Ort.* Forte non frustra est, quod tot allusiones ad nomen Hamburgensium confinxerint scriptores, quum etiam facta hodie de eorum ingeniis & de indole obruscata gentis lubricæ & versatilis plurimi testantur, ceu confœderatorum non exiguæ inde audiuntur querelæ. Sed constat igitur quod in pago Stormariorum Castellum antiquum hoc fundatum & in eodem pridem ante secula aliquot Caroli M. comprehensum sit. Ideoque merito id Membrum Holsatiæ paucos adhuc ante annos juxta tempora etiam posteriorum seculorum fecit & appellavit *Dav. Chytræus Chron. Sax. lib. 2. pag.* 69. ubi sic loquitur: Membrum autem Holsatiæ, & in solo Holsatico sita est Hamburgensis civitas: de cujus antiquitatibus à Caroli M. memoria repetitis, & primo in ea Religionis Christianæ exordio, & Episcoporum ac Principum illius primorum serie, pauca colophonis loco addemus. Caroli magni ætate, angustis adhuc pomœriis Hamburga conclusa, collem solum, cui nunc D. Petri & Cathedrale templum insistit, complexa fuit, & Albioni Principi Nordalbingiorum Witekindi patruelis paruit, cum quo, accepta fide, in Saxoniam, ad Carolum Albion profectus, sese dedidit, & Christiana religione initiatus est. Hamburgæ Carolus pastorem Ecclesiæ primum Heridagum, ac Udonem Ducem cum præsidio, constituit. Postea rebellantibus Nordalbingis, multa millia in Flandriam tum incultam & Brabantiam transtulit. Sexennio post, Heneti vicini, odio Christianæ religionis, oppidum expugnatum incenderunt. Quo deinde auspiciis Caroli & Ludovici Pii restituto, S. Ansgarius, ex Monasterio Corbeiensi ad Somam, Archiepiscopus gentium Septentrionalium à Ludovico Pio ibi collocatus est. Vastata autem denuo à Normannis per Albim ascendentibus urbe: Ludovicus Germanicus Bremensi Ecclesiæ tum vocanti Ansgarium præfecit, quam Pontifex postea ex Colonien sis jurisdictione exemptam, cum Hamburgensi metropolitana conjunxit & univit. Secundus Archiepiscopus fuit Rembertus, Ansgarii discipulus, sub quo Dani & Normanni Hamburgum denuo cremarunt. 3. Adalgarius, ab Arnolpho Imperatore constitutus, libertatem Ecclesiæ Bremensis adversus Archiepisc. Colonien sem, qui eam sibi subiectam esse volebat, defendit. 4. Hogerus à Ludovico imperatore; sub quo Hamburga quarto ab Henetis & Danis vastata. 5. Reginuvardus. 6. UNNI, à Conrado Imp. institutus, post victos ab Henrico Aucupe Danos, & Marchionem Slesuici collocatum, in Dania & Suecia Euangelion docuit, obiit 646. 7. Adalgagus Cancellarius Ottonis I. Imp. post Ottonis victoriam de Danis partam, Episcopos Slesuici, Ripæ, & Arhusiæ ordinavit. Benedictum Papam, quem Romani contra Leonem seditiose elegerant, captum Hamburgum duxit, qui in exilio Haburgæ 966 obiit. Politi cum urbis imperium ad Hermannum Billingum, quem Ducem inferioris Saxoniæ Otto I. creaverat, translatum est. Cui Benno filius dux Saxoniæ successit. Sub quo Adalgagus Archiepisc. cum 54. annos præfuisset, rebus humanis exemptus est 8. Libentius mort. 994. 9. Unwanus, primum fossa & aggere parvo Bremam munivit, 1010. 10. Libentius II. obiit 1033. 11. Hermannus, primis muro Bremam cingere cœpit. 12. Betzelinus, oppidum Hamburgam muro duodecim turribus distincto circumdedit, mort. 1046. 13. Albertus comes Bavaricus, templum Hamburgi ex lapidibus ædificare instituit. Bernhardus Saxoniæ Dux Arcem Hamburgi primum ad Elistrum, ubi jam civitatis equile est, deinde ad confluentem Elistri & Albis *die Nienburg* extruxit, unde initium est novæ urbis, in qua Dux Saxoniæ aulam habuit: in veteri Archiepiscopus, qui 1072. obiit. 14. Liemarus, sub quo bis uno an. à Vandalis Hamburga cremata, mort. 1102.

Deinceps sub Comitibus Holsatiæ Hamburga, viris & opibus aucta crescere & florere cœpit. Magno enim postremo ex Hermanni Billingi posteris Saxoniæ Duce mortuo, Lotharius Dux Saxoniæ, Adolphum Comitem Schawenburgium, Holsatiæ & urbi Hamburgæ præfecit, qui usque ad annum 1137. præfuit. Cuius nepos Adolphus III. profecturus in Palæstinam cum Barbarossa, & insigni ad eam expeditionem pecunia per Hamburgenses adiutus, amplissima civitati privilegia dedit, eorumque confirmationem ab Imperatore impetravit: ne quis arcem, intra duo milliaria, ad urbem ædificetur: ut immunes sint à vectigalibus in Albi usque ad mare; & ab omnibus belli oneribus Comiti Holsatiæ præstandis. Nec bona civium uspiam in Holsatia Arresto detinere liceat. Absente autem in Palæstina comite, Heinricus Leo ex Anglia rediens, Stadam & Hamburgam recepit, & Bardevicum evertit. Reversus igitur ex Palæstina Adolphus, auxilio Bernhardi Ursi Ducis Saxoniæ, Hamburgam & Lubecam denuo recuperat; Verum paucis post annis, Waldemarus Dux Slesuicensis, Hamburgum & Lubecam, auspi-

ciis Daniæ regis fratris Canuti VI. occupat, cum Adolphum prælio victum antea cepisset. Qui renunciato suo iure, quod in Holsatia habebat, omni in patriam Schowenburg, ex priori potentiæ & dignitatis gradu & Holsatia tota deiectus, redire cogitur. Hamburgæ Albertus Comes Orlamundensis (frater Adolphi uterinus) à Rege præficitur, qui deficientibus à Dano Holsatis, & Waldemaro rege per Heinricum Comitem Suerinensem capto, ius suum in urbe 1500. marcis argenti senatui vendidit. Quod libertatis Hamburgensium plenioris secutæ initium fuit. Genealogia eius hæc est. Henricus Comes in Querfurt progenuit Mathildam, quæ prius nupsit Adolpho II. Comiti Holsatiæ, cui genuit Adolphum III. Com. Holsatiæ, qui Adolphum IV. habuit filium ex hac linea nepotem Mathildis, cuius tamen coniux & maritus alter fuit Henricus Comes in Orlamund. cui peperit Albertum Comitem Orlamundensem, supra dictum. Adolphus autem IV. ex comitatu Schawenburgensi evocatus in Holsatiam contra Danos, quum Waldemarus Rex Daniæ ab Henrico Comite Suerinensi captus esset, confirmavit libertatem & privilegia Hamburgensium, & Lubecenses, excusso Danorum iugo se in libertatem vindicantes, cum aliis principibus adiuvit, ut, profligatis ad Bornhovedam Danis, victoria insigni potirentur, à quo tempore Lubeca urbs Imperii libera fuit. Hamburga titulotenus sub Comitum Holsatiæ imperio mansit. Adolpho IV. monasticum institutum Hamburgæ professo, filii, Ioannes Wagriæ Dominus, cui filia Alberti Ducis Saxoniæ nupta fuit; & Gerhardus Holsatiæ & Stormariæ Princeps, cuius uxor filia Iohannis Theologi Megapolitani fuit; privilegia Hamburgensibus confirmarunt, &c. Hactenus Chytræus. Patet igitur ex ipsa confirmatione, qualia iura Dominii Ducibus Holsatiæ aperta sint & fuerint in urbem Hamburgensem, quod etiam actio in camera Imperii instituta adhuc loquitur. Hamburgum autem tam vetustam esse civitatem, ipsi quoque Hamburgenses in petitione articulata pro Restitutione in integrum, adversus latam in camera Imp. sententiam contra Duces Ottonem & Franciscum Ottonem Lunæburg. *art.* 23. iudicialiter confitentur; cuius verba hæc sunt: Verum etenim, quod si urbis Hamburgensis status & conditio, quemadmodum non tantum ab initio & ante Imperatoris Caroli Mag. tempora Metropolis totius Nordalbingiæ Provinciæ fuerit, atque inde à Cæsaeius Maiest. & filio eiusdem Cæsare Ludovico pio Metropolitana Ecclesia ibidem erecta sit, sed etiam urbs hæc postea à multis diversis Imperatoribus & Romanis regibus eximie splendidis privilegiis & iuribus clementissime & benignissime donata sit, aliquo usque examinabitur & considerabitur, satis inde constabit, quomodo & unde urbs hæc tale nominatum, per immemoriale ex præscriptione iuris & vigore possessionis tempus acquisitum, vectigal & ius stapulæ nacta sit. Siquidem verissimum, aiunt, & tam ex diversis historicis, quam principaliter ex Nicolai I. Pontificis, super coniunctione vel unione Ecclesiarum Hamburgensis & Bremensis, circa tempora Ludovici II. Imperatoris, emanata bulla, cuius exemplum ad fidem suæ historiæ inseruit *Alb. Crantz. in Metrop. lib. 1. c.* 38. conspicue patet, quod urbs Hamburgensis unica sedes & castellum Nordalbingorum fuerit, & inde in ea tanquam in Metropoli Nordalbingiorum Archiepiscopalis sedes eorundem constituta fuerit. Atque præcipue hoc verum, quod Helmoldus scriptor antiquissimus illarum partium, qui vixit circa tempora Henrici IV. Imperat. *in Chron. Sclavor. lib.* 1. *c.* 4. expresse ponit, quod Ludovic. I. Imper. civitatem Hammēburg constituerit Metropolim universis borealibus populis, &c. Sed reliqua de mutatione & aliis conatibus eorum, quomodo ex studio proprii commodi vicinis & adiacentibus confœderatisque sua infringere iura atque omnia in sese derivare studuerint, alibi explicabuntur.

Hamburgo vero recte subnectimus Hannoveram ipsi coætaneam, ratione originis, & non minus laudabile fœderis Hanseatici decus. Cui prope similem *Albert. Crantzius* affingit originem. Quod enim Hamburgo nomen de pugile suo adscribere conatus est, hoc etiam urbi Hannoferę de Duce Saxonico Haneffo antecessore Schwertingii confingere studuit, quasi ille eo in loco, ubi nunc sita est hæc civitas, contra superbientes nimium Danos, cum Rege Frothone prælium admodum durum subierit, in quo ipse occubuerit Dux; &, quum Fro semen significet, quod in eius conflictus acerrimi & Ducis interfecti memoriam, quasi novum nominis semen ibi excitatum sit. Sed merito *Buxtingius in Chron. Brunsv. pag.* 7. hanc fabulosam reiicit sententiam, & meliorem, quæ ab historicis passim quoque ita approbatur, substituit, dicens: Olim priscis temporibus, eo in loco, ubi nunc suburbium Hannoveranum habetur, Comitibus de Rhode, quorum familia ante aliquot secula pridem ex mortalitate sublata est, arx quædam fuit & fortalitium, quod Lawen Rhoda vocabatur. Hoc comites dicti, qui etiam postea monasterium Werderanum ædificarunt, incolebant; atque ex hac arce pons quidam, eo in loco, ubi nunc civitatis domus equorum condita cernitur, Leinæ fluvio impositus erat, unde etiamnum hodie platea ea arcis Burgstrasse appellatur. Quemadmodum nunc consuetudo communis fert, ut principales aulæ ministri domus & habitationes suas, in adversum è regione erigant; ita tum quoque factum est, ut ædes aliquot fuerint ex altera parte Leinæ exstructæ, quarum numerus successu temporis & annorum pedetentim succrevit, donec continuatio talis oppidum peperit. Quum vero tum Comes in Rhoda de ministris suis quæreret, eorumque præsentiam expeteret, responsum ipsi est, juxta Germanicæ linguæ idioma, quod ultra Leinam essent: Er ist honnover: inde civitas nomen hoc accepit, quod Hannovera tandem nuncuparetur. Hanc sententiam ita simul *Dav. Chytr. in Chronici Sax. lib.* 14. *pag.* 352. approbat: Floret autem hoc tempore, ait, Hannovera, inter cæteras Saxoniæ urbes, non aggeribus solum, muris & fossis firmiter munita, & civium bonorum ac fortium virorum frequentia & ædificiis stipata; verum etiam prudenti, pio & gravi senatu, legibus, judiciis, ac disciplina publica & domestica: ministerio Ecclesiæ, ad veram Dei agnitionem & honestam disciplinam, & communem civitatis tranquillitatem & concordiam utiliter serviente; & schola bene constituta, & pietatis ac litterarum studiis, Dei beneficio, præclare ornata. Oppidum ad ripam Leinæ fl. è regione vetustæ arcis Comitum à Lawenrode, iam Henrici Leonis ætate circa *An. Chr.* 1156, cui quod trans fluv. situm esset, au-

lici Hannover nomen dederunt; arci subjectum fuit. Quam quum Albertus Saxoniæ Dux, Ottonis & Agnetę postremi Ducis Luneburg. Wilhelmi natę filius, à civitate & proceribus ditionis Lunæb. de consensu Caroli IV. Imp. ad excutiendum Magnum Torquatum vocatus, auxilio civium Hannoverensium expugnasset: facultatem diruendæ arcis, & oppidum muro cingendi, & legibus suis, sub patrocinio & tutela ipsius, libere vivendi, civibus præbuit. Ab eo tempore, intra ducentos annos, incrementa paulatim sumens, in hanc amplitudinem & splendorem, quem hodie cernimus, sub Illust. Ducum Brunsv. ac Lunæb. patrocinio excrevit, &c. Huic civitati singularis quędam cerevisia adscribitur, à cuius auctore Brohana dicitur, cuius blandimento in sorbillationibus & gutturis abligurition, ita gens illius loci afficitur, ut disticho aliquo dulcedinem eius exprimere voluerint, quod ita se habet:

Grandia si fierent toto convivia cælo,
Broihanam superis Iuppiter ipse daret.

Sunt vulgi deliciæ. Inprimis vero in hoc omnibus hucusque laudem præripuit civitatibus Saxoniæ passim, quod iuventus & adolescentia in literarum cultura nuspiam ita prope ad veritatis studium adduci potuerit. Inde tot excellentissima eius civitatis schola protulit ingenia, ut etiam Academiis in hoc præripuerit palmam, quod non exiguam ipsi apud disciplinarum obfuscatores & profanæ Logomachiæ compilatores sacres, qui nil aliud, quam ut veram Philosophiam cum Theosophia supprimant, & verum Christianismum ad nugas disputatorias à vivido vitæ & Spiritus amorisque Christiani fonte revocent, didicerunt, peperit invidiam. Sed recte agit Magistratus, quod nugas tales à sua abarceat educatione & politia; velut etiam egregiis laboribus eiusmodi conatum auxerunt nomine clarissimi Buscheri & Beckmannus, quorum claritatem optimo etiam nuper insigniter adauxit Statius Buccherus libello, solida veritate Christianitatis adornato, cui nondum quid simile ea ratione in latina lingua quispiam passim Doctorum præstitit. Inscribitur libellus, S.S. Theologiæ synopsis Methodica, juxta normam Verbi divini ad iuventutem scholasticam in studio veri Christianismi informandam constructa. Optavi sæpius, ut saltem eximiæ eruditionis plenæ præfationes binæ à proceribus Germaniæ attente perlegerentur, quibus vitia & errores plurium Doctorum & populariter eruditorum in studiis exercendis deregit. utinam saltem crimina errantium agnoscerentur talia, facile fundamēta Politiæ Christianæ in Rebuspubl. alio possent curari modo. Sed quæ in laudem Hannoverensium meorum, unde mihi mater orta, heic depromere coactus fui, nemo vitio mihi vertet: saltem hoc opto, ut plures urbes ideam educationis syncerioris inde sibi sumant; quamvis in veritatis cultura nondum omnia videat; sed saltem propius, præ cunctis adeo obstinate Ethnicismo detestando & adeo abominabili profanitati inhærentibus, vestigia ad eam quærere cœperit. Sed heic ex cōdolentia pia, quod Christianæ iuvētutis studia literarum tam misere corrupta, & nihil nisi meras ambiguitates profanas, nugas gentiles, ac tenebras profundas spirantia videam, obiter heic tangere volui; saltem ut iis melior conatus imprimatur, quibus hoc officium incumbit: illi videant, ut Iehovæ in talibus sanctiora & magis pia ac vitæ Christianæ rectius inservientia curent: Dies aliquando erit coram Deo rationis reddendæ. Hoc cogitent.

Verum nec Goslaria heic præteriri debet, quum fœderis Hanseatici non ultimum fuerit antehac membrum. Etenim licet pósteriora nonnulla originis suæ & nativitatis inverierit tempora; tamen magnæ auctoritatis habuit auctorem, videlicet Heinricum Aucupem imperatorem, *quod Alb. Cranz. lib. 4. Chron. Sax. c. 43.* ita quoque affirmat, dicens: Eodem tempore Imp. Henricus ingentibus regni floreſcens opibus Goeslariam in Saxonia urbem mirifice ornavit, quam de parvo (ut dicitur) molendino vel tugurio venatorio, quo Henrici priores & iste nunc tertius in tam magnam (sicut hodie cerni potest) urbem bono provexerat auspicio. In qua regale palatium hic Imperator magnifice extruxit, &c. Velut etiam *lib. 3. c. 12.* aperte de Henrico Aucupe id testatur; ubi sic scribit: Inter multas autem huius Henrici laudes ea præcipua est, quod in Saxonia Provincia sua primus verum rebus ordinem dedit. Urbes immunitas iussit muris & fossis cingi, propter incursiones Ungarorum, etsi postea barbari claustris Scythię erumperent; quod longe post fecere Turcę, fecere Tartari: Sed Ungari iam diu pro muro erant reliquæ Christianitati ab illorum incursionibus. Deinde etiam urbes legibus & motibus formavit: iuventutem ad arma iussit exerceri: unde etiam, ubi opus evenit, in expeditionem secum duxit, quos etiam militaribus suis coæquavit. Agros distinxit, constituens quantos quique pedites in arma mitterent ad generalem terræ expeditionem. Ab initio ipse urbes aliquot fundavit, Quedlingborg & Goslariam; quāvis eam urbem nonnulli inscribant Henrico III. Sed ille consummavit, quod iste inchoavit. Misnam quoque urbem ad Albis ripam Henricus communivit, constituens in ea primus Episcopum, ut esset incursioni Ungarorum vel primum repagulum. Urbem Mersborg hic Rex veterem renovavit, & in sublime extulit. Paruit autem tum Misna & magna Thuringiæ pars Saxonibus; quæ ab illa die divulsæ sunt, quum Henricus Leo dimoveretur à Ducatu, aut quum Otto I. Saxoniam permitteret Hermanno Billing gubernandam. Nomen autem urbi unde sit impositum, quod Goslaria, aut Goslar sit dicta, non recte à plurimis exprimitur, quum multi ignorent esse compositum, ut ex Buntingio apparet, qui *in Chron. Brunsv. pag. 26.* simpliciter à flumine civitatem perlabenti, & Gosa muliere quadam venatoris, id nomen eam gerere & impressum ipsi putat. At *Meibom. in Irmens. Saxon.* rectius id observavit *cap. 12.* in explicatione Castri Vechteler, quod interpretor, inquit, sedes sive castra pugnæ. Nam Fechten priscis Germanis est prælio decertare. Lar vero vel Lar sedes vel castra significat, voce Lager vel Lager dissyllaba, more Germanico, in monosyllabam contracta. Sic Bredelar, de quo infra, significat castra lata: Fridislar, cuius meminere annales Francici ad Annum Chr. 774. Castra pacis. Goslar, castra sive habitationem ad Golam fluvium. Locus enim ille eius urbis in radice mōtis Rahinni positus, ex omni parte prope ab incursione tutus est, ut adversus hostes quosvis, iuxta illorū temporū mores & modos bella gerendi, castra posset satis firma præstare. Quod mons au-

tem ille prope Goslariam metallifer esset, id tempore Ottonis I. inventum est, ceu *Bunt. d. l. & Chron. Sax. pag.* 125. nec non *N. Reusner. in tract. de urb. Imper.* id recte adseverant: Et quum tantæ in Ottonem confluerent divitiæ, inde XIX. tonnas auri in Cathedralem Ecclesiam Magdeburg. contulisse dicitur, præter alia dona: ceu quoque Mater eius Mechtilda idem præstiterat, in diversis Monasteriis erigendis præsertim Northausen & Poleda. *Crantz. Sax. lib.* 3. *cap.* 12. Reusneri verba hæc sunt: Goslaria Imperii urbs in Saxonia antiqua & celebris, ad Gosam fluvium sita in Hercynia: fructibus & frugibus varia, venis item scatens argentariis atque plumbariis: quas Ramelli cuiusdã equi ungula olim erupisse ferunt: ex quo monti Ramello nomen inditum est. Sed & auri fodinas heic fuisse quondam constat, quas Otto Magnus Imperator aperuisse, iisque tantopere ditatus fuisse scribitur, ut in eius rei memoriam tria sacerdotum collegia, & palatium Regium magnifico opere extruxerit: quum paulo ante Henricus Auceps, pater Ottonis, ex minutis quibusdã gurgustiis urbem fecisset: & fossa muroque septam, ac delubris spaciisque communibus distinctam, cõmunivisset iure civitatis & legibus: in quam & posstero seculo ambo Cæsares Henrici II. & III. studia & beneficia contulerunt quamplurima. Hæc vero quum infringere nonnihil Otto IV. Imp. illis cuperet, adversarios sensit fortes, uti *Meib. in Pag. Saxon.* de Pago Harlingou loquens, id innuit: Meminit enim huius (pagi) diploma Ludovici Pii, inquit, ac Halberstadensi Ecclesiæ assignatum affirmat. Fuere in eo Halberstadium & Dernburgum. Crediderim pagum hunc nomen dedisse arci Herlingsburg, quã Otto IV. Imp. contra hostes suos Goslarienses construxit: Principes Saxoniæ Anno Chr. 1291. funditus demolitu sunt, quod ex ea Henricus Mirabilis Dux Brunsvic. vicinos infestaret. *Arnold. Lubec. lib.* 6. *cap.* 5. Harlungesberg nominat. Conservavit se Goslaria in libertatis suæ statu adeo, ut hodie quoque libera sit Imperii civitas.

Quinque milliaribus altera Hanseatica urbs distat à Goslaria versus Visurgim & Sylvam Sollingam Eimbecca, ab aliquot alveis, qui ibi in unum aliquẽ coeunt fluvium, sic dicta, velut *Lezner. in Chron. Dassel. & Eimbec.* 28. fontes, & rivulos nominat, qui in Ilmada illum fluvium, priusquam Eimbeccam perluat, sese exonerent, & ex amplissima Sylva Sollinga exoriantur. *lib.* 8. *c.* 10. Postea hoc nomine Ilmi aut Ilmade se in Leinam præcipitat limpidissimis undis. unde hæc civitas Eimbecca maxime claret nomine optimæ cerevisiæ: & est coætanea Goslariæ. Olim autem Comitum à Dassel, ad Sollingam saltum, ditioni adiuncta fuit: at quum ferocitatem eorum sæpius experiretur, & potentiori patrocinio se indigere putaret, Alberti Magni Ducis Brunsvicensis tutelæ primum certis cum pactorum conditionibus circa *Ann. Christ.* 1270. se addixit. *Chyt. lib.* 11. *Chron. Sax. pag.* 281. *Crantz. in Sax. lib.* 8. *c.* 28. *& Letzner lib.* 3. *ca.* 9. *Chron. Dasselien. & Eimbeccens.* Unde etiam huius civitatis titulo semper postea usus est Heinricus Mirabilis Dux Brunsvic. quem secuti in eo sunt eius posteri. Confœderatæ quidem semper inter se fuerunt civitates ex Saxoniæ; sed tamen ius tutelare in frequenti fuit usu, quod etiam innuit *Crantz. in Sax. lib.* 12. *cap.* 1. ubi de variis succursibus civitatum agit: Inter alia dicit: Contenderat eo tempore Landgravius Hassiæ occupare Embicam, quod nonnihil in eã haberet quæstionis. Sed principes eorum Domini Albertus & Henricus Duces Brunsvic. de Grubenhagen, quantum poterant armis, & vicinæ urbes Gottingen, Northem, Goslaria, Brunsvicum tulere suppetias. Hoc quum Hassus compertum haberet, retro tulit pedem, &c. Circa *An. Ch.* 1480. *Vide Bunting. part.* 4. *Chron. Brunsv. pag.* 95. Eimbeccenses autem promptos & expeditæ homines fuisse resolutionis, Crantzius etiam alio loco innuit, *lib.* 12. *c.* 23. *Sax.* ubi ait: Quo tempore (An. Ch. 1479.) Embickcenses cives, ad arma semper præcipites, stratagemate circumventi temeritatis suæ pœnas luunt. Solent enim in frequentibus Saxoniæ urbibus cives, etiam artifani, arma sua in prompto servare; ut quum signum propinquantium hostium è specula dederit, effusi sine ordine, sine ductore ruant. Id sciens Wilhelmus Iunior Dux Brunswici, cum Henrico filio, qui hodie rerum potitur, adsumpto in societatem expeditionis Hassiæ Landgravio, ac Comite de Stalberge, videndum se cum aliquot præbuit, maiori agmine ad insidias delitescente. Ad primum hostium conspectum sonuit de turri signum. Cives musſantes arma corripiunt, portis proruunt, & hostes insequuntur. Illi pectora diu præbuere venientibus, missilibus certantes, donec cives magno numero conglobati audaciores incumberent. Tum cedunt retro militantes simulatione timoris, ut sequentes & urgentes cives protrahant ad insidias collocatas. Tum vero hostes consurgunt è tergo, & intercluso ad urbem itinere cives intercipiunt, capiunt, cædunt, pertinaciter resistentes. Nongenti tum cives sunt periclitati, cæsi, captique magno civitatis detrimento, quę temeritatis suæ damna tam luit insigniter. *Bunting. part.* 4. *Chr. Brunsv. pag.* 98. *f.* 2. Quarta linea Ducum Brunsvicensium ex Henrico Mirabili Alberti Magni filio, postquam Mirabilis illius nepos Otto Anno 1376. totam ditionem Eichsfeldensem Archiepiscopo Moguntino vendiderat levi summa pecuniæ, semper usa est titulo Dominatus Eimbeccensis, ne quid dignitati nominis decederet; unde sæpius gravissimæ liteortæ sunt, & infestatio belli superius posita, quum nollent à pactis recedere, & suam semper defenderent libertatem. Tandem Anno 1538. 6. Iunij lis hæc diuturna per mediatores Principem Wolfgangum Anhaltinum & Albertum Comitem Mansfeldensem, ita composita est, ut illis libertas religionis relinqueretur. Ideoque ad partes Protestantium solemniter in conventu publico Brunsvicensi concesserunt. Ultimus Ducum illorum fuit Wolfgangus, in quo ea expiravit linea.

Non procul ab ea civitate sita est Northeimia, ad Rhumam fluvium, quæ olim quoque præsidem agnovit Comitem, & ex connubiali fœdere transiit ad Ducatum Brunsvicensem. Huius civitatis origo adsignatur quoque Gothis, ut equæva Gottingæ putetur, velut supra indicatum est; unde etiam nomen accepit, quod Gothi ex regione septentrionali, quod Germani North dicunt, illuc venientes una prope Gottingam sedem sibi fixerint, ut ita ibi domi, id est, iuxta Germanicum morem loquendi, daheyme essent & mansione subsisterent à parte septentrionali Gottingensibus vicinis suis. Solent enim (*ait Bunting. in part.* 2. *Chr. Brunsv. pag.* 47.) plerumque civitates à

tes à fundatoribus ſuis nomina accipere, vel à ſitu loci: & interdum utrumque coincidit, inde eo acceptabilius habetur. Civitates illæ circa eum diſtrictũ ad Hercyniam Sylvam, ut ſunt Brunſviga, Goslaria, Hildeſia, Eimbecca, Hamelia, Oſteroda, Duderſtadium, Heiligsſtadium, Geveldehuſium, Hannovera, Northeymium, Aula Regia, quæ hodie Aelſium dicitur, fideli ſemper inter ſeſe fœdere, ex antiquiſſima & tot iam ſeculis maiorum comprobata conſuetudine, coiverunt, ut reciproce quaſi cauſſam inter ſe communem foverent, & ſemper mutuo ſuccurſu, ſi quis hoſtis eſſet profligendus, aut quædam inter illas iniquius premeretur, auxilia præſtarent. Maxime inter Saxones antiquos præ cunctis aliis populis iſte prævaluerat uſus, ut inde ratio fœderis Hanſeatici profluxerit: tamen, ſi non opus, ut omnes coirent, vicinior ad expeditionẽ prompta fuit. Sic An. 1485. Eimbeccenſes cum Northeymenſibus & Duce Grubenhagenſi Henrico, Hildeſienſibus, quum à Bartoldo Epiſcopo ſuo nimium coangustarentur, egregiam præſtiterunt opem, ut in libertate ſua conſervarentur. *Bunt. part. 4. Ch. d. f. 96.*

Hildeſiæ autem ſive Hildeshemii origo certior, quam ſuperiorum aliquot urbium longe vetuſtiorum conſtat, quum hiſtorici etiam eius occaſionem recenſeant. Carolus Magnus enim, quum primum Saxoniam ingreſſus fuiſſet, & aulæ, in commodiſſimo illo oppido, quod in angulo ſitum eſt, ubi Sala amnis in Leinam ſe effundit, ſedem conſtituiſſet, ædificavit ibidem templum in honorem D. Petri, quod Eccleſia Aulicenſis & Palatium eius Aula Regia dicebatur. Vulgus autem & plebs inuſitato modo illo loquendi non adſueta, quum nequirent tam multas facile obſervare phraſes, velut etiam Saxones inprimis verborum ſunt abbreviatores, ex Aulicenſi ea locutione confingebant ſibi vocabulum Aultze, & tandem ad ſubtiliorem pronunciationis formam idem redigendo, inde conficiebant Aelze, quod nomen oppidi uſque in hunc manſit diem. Etiamſi autem Car. Mag. in rei huius memoriam conſtituerat Collegium ibidem erigere ſacrum; tamen quum nimio ſemper diſtraheretur labore, perficere intentionem requievit; ſed onus hoc Filio Ludovico reliquit. Ludovicus igitur, qui quaſi natura ſacris deditus erat, unde etiam Pius ſalutabatur, quum defuncto Parente ann. Chriſt. 814. 28. Iun. in vicinia ea Corbeiam primitus fundaſſet; & in venatione ſimul locum illum ad Inneram flu. amœnum, non procul à ſaltu Hilles diſtantem inveniſſet, recordatus ſimul eſt Matris nomen Hildegardis, quod bene inter ſe convenirent: inde cogitationes ſuſcepit de urbe condenda, & collegio Canonicorum inſtituendo, quod pater Aelſenſibus deſtinarat. Accidit quoque ut ſingulari caſu propter ſcandalum commune præcavendum illuc ex veteri in Ciſveſeranam Saxoniam Irmenſula Eresburgenſis transferretur. Hiſtoriam *ex Letznero Metb. de Irm. Sax. cap. 8.* refert, quæ huc non pertinet. In actu vero translationis quum ita alacriter Cæſariani ad Inneram pergerent, vigebat ibi, ait Letznerus, Ludovicus Cæſar, quaſi domi ſuæ; & novæ inde urbi, cui à vicino ſaltu, der Hilles appellato, nomen Hilleshæmiæ indidit, condendæ, ſimulque novæ & ampliori baſilicæ ſive templo Dominico, inuſum Epiſcopi & Canonicorum, quos Aulicam ad Salæ & Leinæ confluentem, ubi Carolus M. ſedem cathedralem erexerat, relinquere, & ad Inneram fluvium migrare iubebat, erigendo, largiterque dotando, totus incumbens. In novum iſtud templum Armenſula, prius tamen ſolemnibus ceremoniis luſtrata, & à noxis, quibus in templo Ethnico inquinata credebatur, interventu piarum precum rite expiata, cum tripudio introducta, atque ad preſbyterium, ſive chorum, ut vulgo vocant, ubi templi medium, collocata eſt. Ibi etiam hodie conſpicitur, ſuſtinendis luminaribus, quæ feriis ſolemnibus accenduntur, deſerviens, &c. Ad nominis autem Hildeſiæ notationem quod attinet, quum ambiguam aliqui ſine cauſa facere velint, non incommoda ſunt, quæ ibi *Meibom. in notis ſuis addit ad pag. 29. lin. 2.* Non ignoro, ait, *vetus Chronicon Saxonicum, & Bruſchium tomo 1. de Epiſcopatibus Germaniæ, in hiſteria antiſtitum Hildenſemenſium, & Antonium Mekerum in Orat.* de Hildonshemio, affirmare, nomen urbis huius promanaſſe à nive quadam miraculoſa cœlitus delapſa. Quam etymologiam *Cranc. in Metrop. lib. 1. cap. 10.* non veretur affirmare fabuloſam, nec diſſimulat, unde originem ſumpſerit. quæ omnia in medio relinquo. Apprime autem non arridet coniectura de ſtatu iſto, qui etſi urbi Hildesheimenſi non eſt contiguus, haut tamen procul abeſt: & fuiſſe olim porrectiorem nemo dubitaverit. Nam nec ſylva Hercynia illud hodie implet ſpacium, quod ei Cæſar tribuit *lib. 6. de bello Gallico.* Noſtri maiores plerumque à ſylvis, amnibus, & fontibus, opidula, burgos ac vicos, quos ſparſim raroſque habebant, denominarunt, aſſura vocula aliqua, manſionem, propugnaculum, tabernaculum, caſtra vel locum ſignificante, qualia ſunt Buttel, Heym, Horſt, Lage, Haus, Stede, Burg, Wille, & frequentiſſimum in Saxonia & Thuringia Leben, quod veteres annales & diplomata ſcribunt Love, unde ortum barbarum illud Lebũ, pergulam ſignificãs. Quemadmodum igitur à Ganda fluvio, Gandersheymium, à fõticulorum frequẽtia Bornheymium nomen accepere; ſic ab Hilles nemore derivo Hillesheimium: Ea ratione, qua Hamburgum ab Hama, Hüesburgium ab Huio, Elmesburgum, ſedes olim Commendatoria Ordinis Teutonici, quæ nunc eſt in pago Weding (prope Goſlariã) ab Elmo, vicinis ſaltibus, appellationẽ traxere. Sic etiam ad Hercyniam ſylvã, ubi exagris eruerentur arbuſta & arborum trunci, ꝙ Germani Roden dicunt, habentur Geringeroda, Heynenroda, &c. conſulat quis ulterius *Bunting. in prine. Chron. Hildesh.*

Urbs Hamelenſis, quæ olim antequam ad eam perfectionẽ *an. 1133. perduceretur.* Quernhamelen vocabatur, ad Viſurgim ſita eſt. Ratione privilegiorum & libertatis in eadem ferme conditione viget, qua Hannovera. *Helmoldus lib. 1. cap. 43.* vocat villam publicam. Memorabilis habetur ibi hiſtoria, quæ anno 1284. contigit, & in ore omnium prope ea eſt, de pueris aliquot & puellis tenerioris ætatis, ab inauſpicato quodam circulatore, ipſa die nativitatis præcurſoris Chriſti, neſcio quonã magico cantu, ex urbe evocatis, neq; poſt unquam viſis. Etſi nonnullis ſuſpecta ſit; veriſſima tamen eſt. quod multa evincunt nempe, Maiorum quædã in archivo adſervatæ conſignationes, fama conſtans per manus tradita, picturæ in tẽplis, & rythmi ac verſus veteres ibi Curiæ inſcripti, quibus annus & numerus puerorum, quod 130. fuerint, exprimuntur, & indicatur ſimul locus,

ubi absorpti sint, nimirum monticulus sive collicu-lus vicinus, quem miraculose dehiscentem pueri in-gressi perhibentur. Versus recitantur quoque tales in *Chron. Corbeien. cap. 17. à Letzner:*

Centum terdenos ubi magus ab urbe puellos
Duxerat ante annos, condita porta fuit.

Qui vero addunt, infelicem hunc casum, novam peculiaremque Hamelensibus peperisse epocham sive Æram: ne illi vehementer falluntur, inquit *Meibom. pag. 32. in Bord. vide Bunting. in Chron. Brunsf. part. 3. pag. 50. fol. 2.*

CAP. IV.

De Magdeburgens. varia confœderatione cum civitatibus circumiacentibus.

VEluti autem urbium & civitatum ab hac parte versus sylvam Hercyniam & Visurgim firma semper fuit, ob ius libertatis conservandæ & promovendi mercimonii, concordia, & inde propagata confœderatio, quarum caput Brunsviga extitit, ita quoque versus Albim & Salam ab altera parte Hercyniæ eundem civitates observarunt modum, in libera mercatus sui conservatione, quoties se quis exereret hostis, qui eas subiugare, aut in cursu commercii impedire alicubi tentaret. Et quum præcipuas partes Otto Magnus in defensione adversus Vandalorum & Sarmatarum Hunnorumque incursus, aut cuiusvis alius suppressionem, Magdeburgensibus concredidisset, ad eius nutum se facile reliquæ circumiacentes composuerunt civitates: ceu est Hala, Northusium, Halberstadium, Quedlingburgum, Aschersiebium sive Ascania, Calba, Helmæstadium, Salza, Borgium, Srassfurtum, Bernburgum, Haldensiebium, Servesta, &c. De quibus singulis quidem modo aliquid pro iure libertatis earum, dicendum nobis foret, nisi iam commoditate excluderemur, & nimis longum foret. Sed quum iis alium destinaverimus tractatum, sufficiant iam pauca protulisse & monuisse. Quum vero Magdeburgensium præeminentia & dignitas hoc loco, uti ex superius allatis *part. 2. cap. penult. & part. hacc. 1.* constat, cunctis confinibus civitatibus ita prælata esset, ut quasi ea præsidium commune illis præstaret in defensione publica contra hostes & in caussis iustitiæ, id nunc paucis pertexendum est; unde facile coniici poterit, quomodo ad fœderis Hanseatici tandem consociationem pervenerint. Non autem rectius inde iudicium percipi poterit, nisi de secundariæ originis libertate quid constet: quod nulla ex re poterit melius, quam ex fundatione urbis, quam Ottonicam dicunt, percipi: de prima enim origine huius civitatis antehac actum est. Quum igitur Magdeburgenses sive Saxones Longobardici eo in loco diu se hostibus imperii opposuissent, & locus esset commodissimus, qui non tantum Imperium Romano-Germanicum novum ab incursionibus ulterioribus hostium communium tutum præstare; sed etiam subditos omnes in fideli erga Cæsarem & Imperium conservare devotione posset: ne facile deflecterent, huic castello & civitati, quæ Magdeburgum dicebatur, insigne Otto Magnus privilegium pro libera Reipublicæ amplioris formatione & extensione concessit; cuius copiam *Melch. Goldast. in Collect. constitutionum Imperialium*, ita posuit:

Ottonis I. Imperat. August. Constitutio, de locatione & privilegio Cameræ Imperialis Magdeburg. An. Christ. 947.

IN nomine Domini, Amen. Nos Otto Romanorum Imperator semper Augustus, significamus hoc scripto nostro omnibus qui illud vel visuri, vel audituri fuerint, quod accedentes nostram Cæsaream Maiestatem fideles ac strenui, Imperii Romani subditi egregii Saxones declararunt, constituisse in animo in tranquillitate Dei sedes simul locare suas, civitatemque extruere, ubi & auctoritate nostra locū sibi delegerunt, quem colere inhabitareque vellent, supplicantes, ut gratiæ prærogativis primum condonati, simul & perpetua pace firmata à Maiestate nostra legibus quoque & iuribus instituerentur. Nos illorum precibus moniti, simulq; expendentes, tum illorum amorem & ardorem, quē erga fidem Christianam gerunt; tum etiam illorum strenue gesta atque indefessa obsequia, quæ & nunc præstant & antea Romano Imperio præstiterunt, cum scientiā sanctissimi patris nostri Papę Martini, qui ad hęc auctoritate sua & Sancti Petri pacem suam largitus est, quam & nos confirmamus, de scitu & consilio Principum Imperii, & accedente consensu terræ, eisdem Saxonibus, fidelibus nostris dilectis, facultatem cōcessimus, concedimusq; civitatem extruendi ac muniendi, atque in ea ius municipale instituendi, ita ut antiquitus ius municipale observari solitum est.

2. Concedimus præterea fidelibus nostris dilectis, atque illorum successoribus perpetuam in ea civitate pacem, gratiā, libertatem, quod eo iure, provt à nobilibus & generosis Constantino & Carolo, egregiis Saxonibus atque Provinciæ datum est, uti & frui debeant, ad honorem & emolumentum civitatis, secundum iuris formam, generaliter & specialiter, nisi forte quis iuribus carere declaratus fuerit, iureque existat privatus.

3. Insuper liberos pronunciamus illos perpetuo à nobis & successoribus nostris, ita, ut civitas atque eius incolæ perpetuo liberi sint ab Imperio, quamdiu ipsi suam libertatem, ut iuris est, servaverint.

4. Adhæc illi civitati, quæ Maydeburgum vocatur, ex nostra concessione liberum esse volumus, ut quidquid illius præfecti cum insigniorum ac prudentium consilio & populi assensu ad civitatis honorē, emolumentum, tum & tranquillitatem statuerint, id firmum & stabile esse debebit, perinde, ac si ab ipso Imperio concessum & statutum foret, atque illud ipsum plebiscitum, si annum & diem duraverit, servari debet, si ipsimet voluerint. Quod si pacifice post id tempus iudicialiter servatum sit, robur iuris scripti obtinebit, siquidem non repugnet iuri scripto & sacrosanctæ fidei Christianæ.

5. Quare auctoritate nostra Cæsarea mandamus omnibus Principibus nostris & Imperii subditis, Dominis, Equitibus Auratis, Ministralibus, & omnibus Officialibus tam spiritualibus quam sæcularibus, ne eandem civitatē Magdeburgensem atq; eius incolas, in illorū iure, libertatibus & immunitatib. à nobis gratiosē concessis impediant aut ulla ratione gravēt, sive violentia, sive mandatis, exactionibus, sive etiā bellicis subsidiis, aut aliis quibusvis gravaminibus.

6. Damus insuper illis potestatem dominandi iure municipali, circa quod conservare illos volumus; & proinde nemo huic contravenire audeat. Alioquin quisquis id fecerit, succumbet potestati nostræ

noſtræ Cæſareæ: & ſi quid præiudicij eis inde acciderit, volumus nos & ſucceſſores noſtri eandem civitatem atque eius incolas indemnes reddere.

7. Cæterum damus eidem civitati atque eius incolis in verum tutorem, ſacroſanctum ius, iuſtitiam, Romanum denique Imperatorem cum Principibus, [Electoribus] ſpiritualibus & ſæcularibus, qui adſtent clypeo militari in omnibus utilitatibus atque emolumentis.

8. Ad perpetuam igitur memoriam, cum aſſenſu Sacri Romani Principum Imperii, cumque voluntate terræ iuxta illorum laudem omnes gratiarum prærogativas, libertates, iura, articulos, inſtituta, & plebiſcita cõfirmavimus, ratificavimus, & obſignavimus ſigillo aureo Maieſtatis noſtræ Cæſareę, quod appenſum eſt. Datum à nativitate Chriſti Anno nongenteſimo quadrageſimo ſeptimo; Imperii noſtri anno ſecundo die ſeptima menſis Iunii eo in loco, ubi nunc Maydeburg ſituata eſt.

Accuratam talem fundationẽ civitatis vix alicubi quis inveniat; Cauſa enim huius conceſſionis prægnantes ſuas habet rationes, quum non ipſi ſaltem Burgenſes, uti olim illi vocabantur, qui caſtella aut oppida incolerent, ſed univerſa natio illius regionis, & provincia tota intereceſſione ardenti & flagitatione ſupplici interpoſita, id à Cæſar. Maieſt. impetrare non deſtiterit, velut etiam ipſe Imperator hanc motivam ſingularem privilegio Imperiali potiſſimũ inſeruit, quum maxime eorum merita in conſtanti fidelitate ita aſſidue præſtita reſpexerit. Atque ut eo firmiores acquireret Conceſſio hæc Regia obtineretque vires, ex conſilio, conſenſu & approbatione totius imperii Procerum Cæſar hoc privilegio civitatis illius incolas, & cives ſive Burgenſes, atque totam nationem donavit. Inde in Landrecht *l.3.art.62.* & Weichbild. *art.2.* & *10. as gloſſ. ibid.* antiquiſſima urbs & Metropolis merito vocatur. *vid.cap.1.diſt.99.* Oſores eius optimæ urbis, qui Privilegium hoc impugnant, & inde civitati quæſtionem ſtatus movere ſtudent, quatuor potiſſimum utuntur argumentis. Primo, quod in originali non amplius id producere queant: Secundo quod Data cum Germanico originali non conveniant; imo *in iur. VVeichbildico* tale ponatur datum, quod plane ab Imperatoris Ottonis I. vita exorbitet, quum Anno 999. antepenultimus fuerit Ottoni tertio, quum is ex veneno chirothecarum, quas ipſi Creſcentii vidua amoris fucati colore obtulerat, 28. Ianuarij Anno 1002. ad Paternum in Italia obierit. Tertio quod Martinus Papa ſecundus, cuius mentio fit in Privilegio, neque Ann. 939. *neque* 940. *neque* 947. ullus extiterit, multo minus Anno 999. vixerit. Sed quod Anno 939. die 6. Iunij mortuus ſit Leo VII. & ſucceſſorem habuerit Stephanum VIII. qui ſub finem Anni 943. die 21. Octobr. diem ſuum obiit, & tum demum hunc ſecutus ſit Martinus II. uſque ad annum 946. & diem 14. Maij, poſt quem Agapetus 9. annis & 7. menſ. Romę ſedit. Quarto, quod nec annus 940. nec 947. ſecundus regiminis Ottonis fuerit, quum Parẽs eius Heinricus Auceps Memlebiæ 2. Iulii mortuus, & ille anno ſequenti ſaltem Aquiſgranæ ab Archiepiſcopo Mogunt. Hildeberto coronatus faſces imperii acceperit. Hæc & ſimilia obiicere ſolent huic urbi. Sed ſi quis veritatem hiſtoriæ rite ſequatur, facile poterit iis obviam ire, & tot diſjicere calumnias. Ete-

enim quomodo ſe res habeat de inſidioſe ſubducto originali, id in penultimo ſuperioris partis capite explicatum eſt, nec expedit eadem heic repetere, quum potius pudorem incutiant, quam quod veniam mereantur eiuſmodi delictorum ſpecies. Deinde, quod ad Data diverſa attinet, id normæ loco obſervandũ eſt, iuxta omnium hiſtoricorum conſenſum, Magdeburgum Edithæ coniugi ab Imperatore Marito Imperatore in dotem datum Anno 939. (velut etiam ipſa totam ſpacii amplitudinem curru circumivit & eam primitus delineavit,) urbẽmque eo tempore inſtauratam ſimul eſſe, cui etiam hæc maxima ſubſervit, quod Imperator, ceu mortalium omnium fuit modeſtiſſimus, & ab omni ſuperbia & tituli affectatione alieniſſimus, unde quoque propter humanitatis inſignem ſuavitatem Amor mundi dicebatur, utpote, qui omnibus naturæ donis foris & intus abundabat, ceu loquitur *Crantz. Sax. lib.3.cap.11.* noluerit ſtatim poſt acceptam coronam ſalutari Cæſar; ſed tantum Anno 938. ſolemnem adierit Imperii gubernationem. Hæc duo fundamenta ſi rite obſerventur, facile inde dubia cuncta removeri poſſunt. Etenim ſi tempus dati referatur ad annum 939. momentum donationis, edicto factæ, in eo determinatur, & annus regiminis numeratur à coronationis tempore. Si vero Datum Privilegii, ceu Crantzius facit, aſſignetur anno 940. diei 17. Iunij, annus regiminis eſt ſecundus iuxta ſolemnitatem initus. *Vide Sax. Chron. Caſ. ad vit. Ott. M. c.5.* Et hæc data habentur in Germanice ſcripto privilegio. Quod autem præfixum eſt iuri Weichbildico, in ea manifeſtus error amanuẽſis deprehenditur, quum 999. pro 939. numerus annorum poſitus videatur. Latinum vero Privilegium exprimit temporis illius datum, quo ex Germanica lingua translatio hæc & à Martino II. Pontifice ſummo approbatio pridem facta, & tum publicata fuit. Namque quum ille Imperator, præ reliquis Chriſtianitatis & pietatis eſſet cupidus, voluit etiam novas urbes non ſine auſpicio Papæ erigi aut ædificari. Ideoque correctionis ergo tam Germanice antehac, quam Latinè poſtea compoſitis privilegiis Nomen Martini Papæ inſeri iuſſit, ut diſtinctis temporibus concepta & translata in boni ominis auſpicio ſimul convenirent. Præterea etiam hodie hoc ita practicari cernimus, & patet, idem in privilegiis Sigiſmundi obſervatum eſſe, quod eiuſdem tenoris litteræ in Cancellariis Principum non niſi mutatis mutandis in nominum adiectione aut omiſſione ſæpius deſcribantur. Proinde, quum hoc privilegium aliquoties propter interventus varios coniugis & intereſſentium fuerit repetitum, nomen ubique Papæ, qui inaugurationis benedictionem adiecit, inſertũ, nec ita ſtricte annus regiminis regalis obſervatus fuit, quum ratum illud ſatis haberetur, ſi annus Chriſti Datum temporis ſolummodo exprimeret. Poſſent heic longe potiores plures excuſationum rationes addi, ſi opus foret; ſed quum inſtar omnium ſit renovatio & confirmatio Ottonis II. qui Ruffus olim apud hiſtoricos dictus fuit, atque illa omnes uno ictu funditus proſternat cavillatorum argutias & ſophiſmata, eam heic ex Germanico in Latinam linguam translatam de Anno 978. ſubnectemus, quæ ſic ſe habet:

Regis Ottonis Secundi confirmatio fundationis Magdeburgenſis, & eiuſdem Privilegium adiectum.

IN nomine Domini, Amen. Nos Otto Dei gratia Romanorum Rex ſemper Auguſtus, confitemur & notum aperte facimus hoc ſcripto, quod honorati & fideles incolæ noſtræ civitatis Magdeburgenſis coram nobis comparuerint ſupplices, & nobis oſtenderint præſenter, quemadmodum Parens noſter Imperator Otto Magnus, cui Deus ſit propitius, civitatem Magdeburgenſem Provinciæ Saxonicæ in commodum & utilitatem eius devoverit ad ius Weichbildicum, ſive municipale; ac quemadmodum illi ius hoc Dei & Imperii cauſſa propagare, & iniuſtitiam imminuere debeant ſuper omnes ſtatus atque omnes terras, qui ex illa urbe & illa provincia ortum duxerunt, aut fundationem acceperunt, tum etiam in eos, qui iuſtitiam ab illis expetunt. Talia nos merito reſpeximus in illis Magdeburgenſibus, & præſertim addiximus hæc terræ Saxoniæ privilegia cuncta & favorem, & nominetenus cum omnibus quibus Parens noſter illos donavit, & concedimus illis principaliter ea, ut urbis cómodum iis procurando præſtent, & civitatis noſtræ tribus per iuramenta inveſtire debeant, quod iuramentum etiam Seniores & prudentiores prædictæ civitatis in ſe ſuſcipere debent, in eiuſmodi viribus, quaſi nos ipſi eſſemus præſentes. Præterea largimur nos iis, qui civitatis Scabini ſunt, ad accipiendum infeudationem ipſorum ab Epiſcopo, quando ille Regalium à Rege Romano inveſtituram accepit. Scabini nullo inconvenienti modo caſſari debent, niſi quis illorum iuris ſui perdiderit cauſſam: velut etiam in Scabinatum hæreditarii ſucceſſores erũt iuxta ius feudale. Porto concedimus illis talem gratiæ favorem: quando Scabinorum ſententia culpatur, quod tum in nullum alium locum recurrendum ſit, quam ad Electores noſtros, aut Pfallantiam noſtrã, atque tunc ibi ad illa invitentur Electores: quod ſi illi non ſiſterent ſe, tunc conciderent illa Imperio. Atque etiam illis concedimus talium mulctam, ne propter diiudicationes damnum aliquod pati cogantur. Et quodcunque ius iuſtitiæ inveniunt, quod nos & omnes poſteri noſtri id conſecutioni demandare velimus. Quare nos omnibus imperii noſtri ſubditis, ſive ſint ſpirituales, ſive ſæculares, mandamus, quod neque voluntate, neque verbis, neque facto, neque conniventia ſupradictæ civitati damnum aliquod in libertate eius aut iure eorum creent. Sit vero quicunque velit, qui hæc oppugnare tentet, ille eo ipſo in pœnam vitæ & bonorum incidet, ſi fuerit in hoc convictus. In æternam huius rei confeſſionem, præſens hoc privilegium corroboravimus ſigillo aureo Maieſtatis noſtræ. Datum cum prudentiorum conſilio, tanquam cum ſacri Imperii præfectis, cumque terræ (N.B.) plenipotentia poſt nativitatem Chriſti, Anno nongenteſimo ſeptuageſimo octavo; in primo noſtri regiminis anno, die Lunæ ante pentecoſtes feſtum in Pfallantia Magdeburgenſi.

Ex hoc renovato Privilegio, cui inſerta eſt priorum confirmatio, ſatis patet, quam accurata cura & fideli auctoritate iura Libertatis, quæ tam civitati, quam toti Saxonicæ nationi competebat, & ab Ottone Magno illis conceſſa erat, Magdeburgenſibus utilitatis publicæ cauſa commendarit. Ac ne quid protectioni & propagationi talis libertatis deeſſet, iudicii ſupremi locum cum regalibus & feudo imperii conceſſit, quem Palatinatum vocat, ut ſit ſuprema ſedes & Camera quaſi iuſtitiæ: Addit quoque pœnã criminalem, ſi quis impugnarit civitatis eius ſupremæ in Saxonia iura, aut in diſputationem dubiam ea pertraxerit. Ac ne quis heic quid vani erroris ſubeat tentetve, ipſe moneo amice omnes. Namque Originale inſtrumentum unius Privilegii, ipſe non ſemel vidi & perlegi, ſed etiam ſingula examinare ſolebam verba. In pergameno litteris iuxta temporis illius morem admodum luculentis in forma antiqua ſcriptum, manu Divi Imperatoris Rufi & Sigillo eius corroboratum, ut miter, quod pœnas illas non criminatoribus ſuis Magdeburgenſes legitime denuncient. Quotquot antiquitus inter Imperatores veritati Chriſtianæ ſtuduerunt, ii etiam ſemper unice huic incubuere labori, ut ſubditos præſertim in civitatibus ſuis haberent liberos, tanto odio & faſtidio ipſis rite fuit ſervitus, quam inde quoque naturæ cõtrariari ipſi conſtituerunt, ut ex parte prima huius operis patet. *& Clingius idẽ part. 3. tit. de iur. perſ. §. ſecundum de iure provinc. Sax. adfirmat.* dicens: Ex quo bella orta ſunt, & captivitates ſecutæ, & ſervitutes, quæ ſunt iuri naturali contrariæ, &c. Non memini, me luculentius exemplum in ulla inveniſſe hiſtoria, quam Ludovici Pii, qui ſimul in publicis comitiis conſtituere non veritus fuit hoc pro Libertatis iure, ut omnes ex conſcientiæ ſuæ iure viverent libere devoti. Quum igitur tanti res momenti ſit, & non omnib. cognitum, lubet eius Decreti huc referre ſpeciem *ex Goldaſt. Conſtit. Imper. collect. pag.* 149. quod ita ſe habet:

Ludovici Pii, Imper. Auguſti Decreta Comitiorum Aquiſgranenſium de Anno 814. *eicona boni Principis eximie referentia.*

IMperator Ludovicus Auguſtus in conventu Procerum Imperii ad Aquas Graneas, ſacramenta apud ſe dicere, maxime Prætores prorſus nihil munerum accepturos, iubet. 2. Ipſis pauperes ſummopere commendat: vetat inſuper, ne populum, extraordinariis tributis, noviſque ſervitutib. expilent. 3. Nulli delegavit officium, ut non adijceret: Vide, quid agas: Non hominis, ſed Dei Optimi Maximi miniſter es, eiuſdem ſacramento auctoratus es: Et agamus, ne quis popularium nos accuſet. Quodcunque iudicabis facturuſve es, in te redundabit. Ita tecum agetur, quemadmodum cum alio egeris. Non eſt enim apud Dominum noſtrum iniquitas, aut cupido, acceptiove perſonarum. Rex Deus omnibus idem, qui nos ad rerum humanarum faſtigium provexit, ut inopes plebemque ſuam ab iniuria potentiorum, ſervituteque divitum defendamus & aſſeramus, non, ut populi labore, atque ſudore partis abutamur, ditemurque. Cardo & ſumma Religionis Chriſtianæ in amandis, promerendiſque egenis conſiſtit. Hi cœlos poſſident, ab ipſis his locupletes & potentiſſimos quoque mercari oportet. Exiguo conceditur miſericordia: potentes potenter tormenta

cormenta patientur. Honoratissimus atque maximus titulus, quem Deus peculiariter sibi vendicat, usurpat, Pauperum Propugnator; pupillorum Tutor; viduarum Curator. Huic administrati Imperii sui reddemus rationem.

In hoc plusquam aureo Decreto publico & Comitialiter pronunciatio iane singula verba singularis sunt ponderis.

Uterque Imperator in instituti sui ratione quam optime inter sese conveniunt. Quum pietatem in dilectione proximi tam raram & pene abolitam inter mortales inveniant, non tam ad bellum, quam ad iustitiæ sacellum confugiunt; hic amica persuasione & hortatione gravi id urgendo, alter Dicasterium sacrum constituendo. Quomodo vero iustitiæ præesse & præsidere quisque in tali muneris functione debeat; id iste gravissimis Iehovæ comminationibus inculcat cuivis: alter securitatem cum invitatione blanda ad præmiorum & dignitatis munia accipienda promittit singulis. Quis non talibus obedientiam præstet liberam Imperatoribus? O cœlitus mortalium generi missos Reges & Cæsares!

Verum ut de tali iustitiæ solio, quod Magdeburgensibus suis in commodum & utilitatem universæ Nationis Saxonicæ Imperat. Opt. Otto II. adiecit, & eorum præeminentiam splendidiorem effecit, quid rite constet, paucis id explicandum est.

Cap. V.

De Prærogativo iure Magdeburgensium & Palantiis reliquis Saxoniæ.

Quam late se Germanica natio olim cum omnibus populis suis in longinquis etiam regionibus, (quum à barbarica feritate ibi mortales ad humaniora vitæ studia & Christianismi culturam nonnihil revocari inciperent) iustitiæ observatio ut esset firmior & vitæ commoditati conformior, instituti fuerunt quidam Palatinatus diversi; veluti Bavari, Thuringi, Rhenani & Saxones, suum quæque gens habuit Palatinatum: Verum præ cunctis Saxones in hoc ordine præeminentiam sui splendoris aut dignitatis obtinuerunt. Auctor autem Palatinatus Saxonici primus fuit Otto II. ut ex supra posito clarum est privilegio, & multas obrationes Magdeburgum eo ornavit, quum q; eius ditio Nationis adeo ampla esset, subordinavit eidem adhuc quinque Palantias civitates, in quibus Imperator Romanus, quoties Saxoniam ingressus fuerat, aulicam suam vitam regaliter agebat. Namque Pfallentia nihil aliud est, aut determinat, quam Imperii Romani, & Cæsaris aulam: Unde & Comes Palatinus, est Iudex Palatii Cæsarei, qui iudicio & iustitiæ, in regione ab Imperatore subacta, quas provincias vocabant Romani, præsidet: Et quem Latini Comitem dicunt, vocabant olim Germani Gravium, id est iudicem. Nominis huius originem ad tempora Caroli M. alii referunt; velut *id ius Sax. lib. 3. art. 83. in text. & gloss.* indicat. Comitatus enim dicitur prætorium, id est, domus prætoris, seu consistorium magnorum virorum, iudicium mero & mixto imperio ornatum habentium, ut inde iurisdictionem plenam exerceant: quem Comitatum nos curiam vel palatium dicimus, id est alias Palantia, sive Comitatus Consistorialis à Consistorio Principis, id est Imperatoris, dependens, in quo Comes consistorialis suum iuredicundo exercebat gerebatque officium. Hic olim post quæstorem & Magistrum scriniorum in consilio præerat. Et huius officium erat secundum præceptum Principis, id est, Imperatoris vel Quæstoris, convocare iuris peritos, & Principis Consiliarios, illos quum necessum esset in Consistorium Principis introducere: Ita dicit *Lucas de Penna Dott. Gallicus in Rub. C. de Comitib. Consistor. lib. 12.* de quibus etiam tangit *textus in l. 1. C. de his qui per met. appell. omi.* Et qui æquiparantur spectabilibus Proconsulibus. *l. 1. C. eod. tit. l. 12. de quib. Proconsul. hab. & C. l. 1. tit. de off. Proconsl. & legat.* Nihilominus multi sunt in ea opinione, quod & audacius affirmare non verentur, Palatinos dictos quasi à Monte Palatino urbis Romanæ, & antiquitus fuisse Romanos. Sunt etiam alii, qui scribant, Comitatum Palatinatus originem suam sumpsisse à Germanis & à Palatio Imperatoris, cui præfuerunt, dictos, quia tum Imperatoribus in Provinciis militabant. Et ideo *Ammianus Marcellinus lib. 20.* nominat Palatinatum, Palatii Decurionatum, non ultimæ dignitatis ordinem: velut etiam locus Palatii tribunalis sacer dicitur, qui omnibus asylum præbeat tutum. *Frecc. de subfeud. lib. 1. tit. de Magn. Seneschal. num. 6. Don Garf. de Magistr. lib. 3. cap. 9. num. 61.* unde & nemini licet ibi habitare, nisi officialibus & Magistratibus publicis. *ad text. in l. nulli 1. ubi Bart. C. de offic. Rector provinc.* cuius verba hæc sunt: Nulli iudicum, qui provinciam regunt in civitatibus, in quibus sacra Palatia, aut prætoria sunt, liceat, his relictis, privatorum sibi domos ad habitandum, veluti prætoria vindicare, sed sacratissima modis omnibus inhabitare palatia, seu prætoria, ut hac necessitate compellantur eorum reparationi prævidere, *gloss. & Platea in l. unicam. C. de palat. & domib. lib. 11. authent. Præsides gentium C. de Episc. aud. Garf. de Magist. lib. 3. c. 9.* Ita quoque res se se habet, quod Pallantia Saxonica in suprema fuerit dignitate posita; sicuti ius Sax. multa eidem tribuit, uti videre est *in iur. Weichb. art. 12. 13. 14. & 15. in text. & gloss.* Namque in vetustis illis temporibus nondum fuit iudicium Camerale; sed ibi iudicia integre exercebantur. Atque hæc gratia singularis ab Imperatore Saxonibus, quum propter virtutum eminentiam & constantiam in tanto haberentur favore, concessa est, præ cunctis aliis, privilegii loco, ut eo expeditiorem haberent Iustitiæ opem in actionibus cunctis, nec esset necessum, ut appellationibus ad ipsum recurrerent Imperatorem, qui sæpius longius in aliis regionibus aberat. Proinde Appellationes omnes ad iudiciū Palatij illud deferebātur. Ingenté sane hoc libertatem arguebat Saxonum, quod merito ad pristinum esset revocandum statū. Namque, *ait Chron. Sax. pag. 160.* quantis cum difficultatibus ius hodie Camerale expediatur, quantaque temporis mora ibi consumatur cum sumptibus intolerabilibus, experientia docet ipsa. Beneficium hoc vero singulare, quo Otto II. Saxones ornavit, inter alia privilegia sane primum meretur locum. Ideoque Imperator ille Palatinatum hunc transtulit Schartovium ad Albim, ubi antehac Ducatus Saxoniæ suam sedem, ipsi à Carolo Magno adsignatam, habuit. Etenim quum Otto II. Comitatum Ascanien-

sem,

enſem, & arcem Leburgicam huic iudicio adiiceret, principalem quoque dignitatis locum ipſi adſignavit. Nec nobiliorem eidem addere potuit. Nam quũ Carolus Magnus, *ait Chron. Sax. p. d.* Witekindum in Ducem Saxoniæ crearet, & ipſi mutaret inſigne ſuum, dignitas ea Oſt-Saxonibus eo in loco Schartovienſi maxime acceſſit. Atque Ducatus ille ibidem perduravit, uſque ad Ottonis Magni tempora, qui Ducatum hunc Saxonicum per Hermannum Billingium ad Lunæburgenſes verſus Winſem tranſtulit. Poſtea Ducatus Schartovienſis ſecundo Archiepiſcopo Gislario Magdeburgenſi anno 932. dono oblatus eſt, de quo *gloſſ.* Weichb. *ad art.* 16. agit paucis, velut etiam de Hermanno Billingio à Stubkeshorn hæc innuit *text. & gloſſ.* Weichb. *art.* 12. 10. *&c.* Quomodo vero huius Palatii tribunal exercendum, quinam & quot perſonæ ad hoc requirantur, quis Præſes, quinam Scabini, & unde ſumendi ſint ſumptus ac expenſæ, quæ mulctæ, atque quod ab eo iudicio non detur appellatio, id ſatis abunde *ius VVeichbildicum & Municipale* explicat. Sic & officium Palatini in aula Imperatoris dilucide quidem depingitur *in tit. C. de off. Com. ſacr. Palat.* Sed civitates Palantiæ apud Saxones inde dependentiam habuerunt, quod nonnihil diſſimulat *Meib. in Irmenſ. ſua c.* 13. Nihilominus ipſum heic quoque audiamus, quum *Specul. Saxon. lib.* 3. *art.* 62. explicationem aliquam afferre velit. De civitatibus Palantiæ *text. d. iſta refert.* Quinque civitates, quæ Palantiæ dicuntur, in Saxonia inveniuntur, in quibus Rex legitime debet curiis præeſſe. Prima dicitur Grona: Werlitz ſecunda, quæ modo in Goslariam tranſlata eſt: Walhauſen tertia: Alſtede quarta: quinta Mersburg nominatur. Hæc ibi. *De Grona ad Viſurgim* non poſſunt multa ulterius prædicari, quum eius conditio uſque plane imminuta ſit, ut etiam nobili alicui à Munchauſen in hypothecam pridem abierit. Wertzium vero, ſine dubio eſt Werla diœceſis Colonienſis (Widechindo Corbeienſi & Gobelino in Coſmodromio Werlaon, Urſpergenſi cum adſpiratione Werlahen.) Huc tempore impreſſionis Hungaricæ, alibi intutus, decedit Henricus Auceps, ut Widechindus & alii plures docent. Eius loci Palatinatus ſine dubio per hanc occaſionem tranſlatus eſt Goslariam, quod huic urbi, recens ab Henrico primo Cæſare conditę, ab eius nominis ſecundo amplificatæ; à tertio & quarto ut plurimum habitatæ, aliquis ex his, quicunque ille, nonnihil ſplendoris conferre voluerit. Cui hoc abſque dubio in mentem venit, quod præter Werlenſem Saxonia Tranſveſerana haberet Merſeburgenſem: Nam omnino Merſeburgum quintam civitatem Palatinam, ſeu Palantiam, intelligo de Eresburgo, quibuſdam hoc nomine venit. Sic igitur Eresburgo indultus fuit honos ſedis Palatinæ, vel à Carolo Magno, qui ut *Fabricius Originum Saxon. lib.* 1. affirmat, Albionem Adelhardi F. Diterici Saxonum Regis nepotem, primum in Saxonia Palatinum conſtituit: vel (quod veriſimillius ſit) à Saxonici generis Cæſaribus, ſive is fuerit Henricus Auceps, ſive eius fil. Otto Magnus. Nec mirum videatur cuiquam, in ſpeculo Saxonico uſurpari nomen civitatis de iſtis locis, quæ tum temporis (ut etiamnum hodie Grona & Walhuſium) vix fuere oppidula, burgi tantũ, hoc eſt, arces & præſidia oportunis locis condita. *Nam Dithmarus lib.* 4. Walbecum præfecturæ Werenigenſis pagum Helmæſtadio vicinum civitatem vocat: & in veteribus inſtrumentis fundationum, donationumque monaſticarum, pluries deprehendi aſſerit, pagorum incolas cives indigetari. Si quis vero à nobis diſſentire, & quintam ſedem Palatinã ad Salam Thuringicam, ubi hodie Mersburgum civitas Epiſcopalis, collocare velit, ſecutus *Erneſtum Brotuffium in Chron. Mersburg. lib.* 2. *cap.* 10. Ei reſpondeo, Weſtphaliam, quæ *Cranzio Saxon. lib.* 2. *cap.* 3. *lib.* 4. *cap.* 14. vera & vetus Saxonia (etſi *Suffridus Petri Friſiorum de antiquitate, lib.* 2. id neget & perneget) quum porrecta & populoſa ſit regio, minime gentium ſede Palatina ſpoliandam eſſe. Præterea non ſit veriſimile, Mersburgi ad Salam fl. fuiſſe ſedem Palatini, quum is locus intrutus admodum eſſet, propter cotidianos Sclavorum incurſus: neque ea erat loci facies (quod nõ diſſimulat Georgius Hahn Ditmari Mersburgenſis interpres Germanicus in ſupplemento) quæ huiuſmodi ſplendorem caperet. In Brotuffii antiquitatibus cenſendis nullam heic ponemus operam, quum conſtet hominem iſtum non pauca poſteris tradidiſſe, quæ fidem omnino non merentur, quod non ſemel inculcat Dominicus Breverus in genealogiis Saxonicis M. S. teſtantur etiam alii, & nos per occaſionem manifeſtum faciemus, &c. Admodum heic quidem infenſus eſt Meibom. Brotuffio: Sed ſi rem penitius introſpiciat quis accuratus cenſor, inveniet facile, quod uterque eodem laboret morbo aut affectu. Etenim quod iſte Mersburgenſibus adſcribit, id quoque in ſuas populares derivare ſtudet Meibomius, in cuius tamen verbis plurima eſſent examinanda. Vir multis fuit admodum propriæ laudis ſtudio cognitus, & mihi in plurimis familiaris, unde deprehendi, quod raro purus à commotione animi, aut præconcepta opinione inveniri potuerit. Ipſe expertus ſui aliquando, quod omnia, quę illi antehac in hiſtoria Brunſvicenſi quis retulerat, cui interfuerat adſiduus, invertiſſet, ut aliter divulgarentur publice plurima, quam ex eo percepterat, atque acta vera adhuc teſtari queant, quod ipſi tum ſatis acriter exprobravit, haud obſcure indicando, quod inde fere omnium hiſtoricorum fides ſuſpecta haberi queat. Ideo indulgendum eſt aliquid imbecillitati humanæ. Heic vero ego quæro, quur non inſtitutum, quod in ſe ſuſceperat de quinque civitatibus Palantiis, ita rite perſequatur, ſed potius ſaltum faciat, nec VValhuſium & Alſtede, ſtudio prætereundo, tangat? Res longe aliter ſe habet, quam ipſe explicationem huic conceptui addit. Etenim ex ſitu locorum facile poteſt deciſio ſumi, quũ diſtantia eorum talis non ſit, quam ille fruſtra heic affert. Ideo quoque Alſtede & VValhauſen tanto involvit ſilentio, ne fucus eius nimis apertus inde appareat. Namque VValhauſen & Alſtede, quorum prius oppidulum ad radicem Hercyniæ ab ea parte, qua Thuringiam reſpicit, milliari uno à Sangershuſio ſitum, alterum in comitatu Mansfeldenſi, inter Bornſtadium & Arteriam locatum, Ducemque Saxoniæ Iſenacenſem hodie agnoſcens Dominum, vix tribus inter ſe ita diſtant milliaribus. Sic & valde VVerla à VVerlitz nomine multum & re ab invicẽ diſſident, quum VVeſtphalia, quæ veris Saxonibus propagationem ſuam debet, ut ſupra demonſtratum eſt, non bene cum Hercynia poſſit combinari. Deinde ipſe ſibi contradicit, dum Mersburgum ad Salam fl. non

ſi, non tantæ putat capacitatis, ut idonea fuerit & accommoda ſatis ſedi Palatinatus, quum tamen Gronam & Walhuſium vix tum temporis oppidula fuiſſe dicat. Si vero in tam exigua & abiecta tenuitate Grona & Walhuſium potuerunt digna haberi ſede Palatii, quur non multo magis Mersburgum ad Salam, quum non tantum capacitatem ſatis porrectam præbeat, ſed etiam tutam, & circum circa perquam amœnam ſituationem incolis porrigat, & binis fluviorum includatur complexibus Elyſtri & Salæ. E contra Walhuſium, quod hodie cum Grona eandem ſervitutis patitur fortunam, ut cuidam nobili ab Aſſeburgk pareat, ita ab una parte Hercyniæ monti cereali obvium eſt, ut vel lapidis iactu ferme inde tangi poſſit, ut nuſpiam prope æque intutus vixerit Imperator atque ibidem, licet neque Alſtedium ſatis munitum, ſed obtuitionibus quibuſvis fortioribus expoſitum ſit; quod certe de Mersburgo nunquam ita poterit affirmari. Quum vero auctor ille nunquam in illis locis fuerit, quod certus novi, ut ſituationes & qualitates regionis illius perluſtrare potuiſſet, proinde ex coniecturis propriæ opinionis ſibi talia compoſuit concluſa, ut eo maiori laude ſuæ patriæ extolleret provincias & civitates. Ceu id quoque haud obſcure ipſe innuit, quod Weſtphalia, quum porrecta & populoſa ſit regio, minime gentium ſede Palatinatus ſpolianda ſit. Verum quum Weſtphalis non tam liberale ius conſtitutũ fuerit, ut Oſtvalis aut Saxonibus maxime Auſtralibus, quæſo, quomodo ſibi poſſint tantas arrogare Palantias? Ius Weſtphalicum, quod *Crantz. in Sax. lib. 2. cap. 21.* occultum appellat, & vulgo Vehmrecht dicitur aut Vetitum merito à Sylvio & Rolevincio appellatur, quam abſurdum illis per Conſcios & Scabinos ſuos impoſitum ſit à Carolo Magno, id *parte prima cap. 5.* indicatum eſt, & *VVern. Rolevincius in antiq. Saxon. par. 2. cap. 6.* nec non *Æneas Syl. de ſtatu Europ. ſub Frid. 3. cap. 29. It. Aventin. in Annal. Boi. lib. 4.* Felix quoque Faber *in hiſt. Suevor. lib. 1. cap. 7. It. Ioan. Bæm. in deſcript. orb. terr. lib. 3. cap. 14.* non ſine querelis enumerant; quod adeo ab omni æquitate iuris alienum fuit, ut etiam naturam omnis cognitionis & defenſionis naturalis penitus tolleret. Miſera ſane ea Pallantia, quæ executiones mere infernales & tam lamentabiles introduxit, ait ille, ut nihil in eo iudicio fuerit, quod non vitioſiſſimum vitium, aut Vemum, ſeu Væ mihi, intulerit. Errat igitur iterum *Meib. in Irmenſula, cap. 12.* qui Wittium heic legendum putat contra Freherum, ex antiquato Germanico Witti, quod prudentiam determinet. An id prudentiam promoveat, quod ſit contra omnes prudentiæ leges & regulas iuris naturalis? Quis heic non exclamet; Væ perſonis illis, qui obtorto collo in arborum patibula, inaudita cauſſa, abrepti ſunt! Væ patronis illis, qui tam abominabilia fuco contingere & blanditiis oppalliare non verentur! *Vide Chytr. in Sax. lib. 3.* Lapſus ingens eſt, & plurium maiorum cauſſa, quæ vix per aliquot ſecula reſarciri potuit, quod Nemeſis hæc Eretbergi deliberata, Padibornæ vero in Comitiis, Ordinibus Francicis & Germanicis ſuffragantibus, ſolemni modo promulgata fuerit: Quinetiam eiuſmodi Palantiæ in agro aperto, ut ait *Letzner. in vita Carol. M.* exercitatæ fuerunt horrendis cum ceremoniis: unde etiam quis horrorem induat, quando ad calamum tam abſurda notatu revocat. Longe meliori & fautiori omine Scabinatus Halenſis cum aliis aliquot Magdeburgenſi ſubordinatus eſt, ut plenius id *ex Specul. Sax. & iur. VVeichbildico* apparet. Ubi enim hæc ſplendida An. Chriſti 981. ab Ottone ad Salam ex pago antiquo Doderſola aut Doderbobra, ut alii volunt, extructa eſt, ad Salmas pridem ibi inventas, & non tantum Dicaſterio ſacro & Scabinatu legitimo adornata, ſed etiam privilegiis Imperialibus ita dotata eſt, ut diu liberæ civitatis Imperialis titulo uteretur, priuſquam Archiepiſcopatui adiceretur. *Bunt. in Chron. Brunſ. part. 1. pag. 47. Buchol. Chronol. p. 308. & Chytr. in Sax. lib. 2. p. 52.* Namque ea fuit dignitas Halenſis civitatis apud Saxonas Orientales, ut ſecundum merita fuerit locum à Magdeburgo, quum Hala ex Magdeburgo ſui acceperit iuris originem, uti *VVeichb. ius art. 10. & 11.* habet, cui quoque propterea gentes hę ſubordinatæ erãt, videlicet Poloni, Bohemi, Marchiaci, Miſni, & Luſati, ut inde ius ſuum peterent. Quod ſi vero Halenſis Scabinatus nequiret ſe veræ accommodare iuris ſententiæ, recurrendum ipſi fuit in caſibus eiuſmodi ad Magdeburgenſium Scabinatum, qui dependebat ex Palatinatu ſummo Cæſaris. Ut ita eſſent gradus appellationum, Scabinatus diverſi ſunt Saxonibus ordinati, quorum infimus fuit Lipſenſis ab Halenſi dependens. De jure Canonico quidem per ſaltum, at de civili non niſi gradatim appellatur. Sic à civitatibus ad civitates, poſt demum ad ſuprꝛmum judicium Magdeburgenſe & hinc ad eius Palatinatum, ceu Imperii ſummum locum in Schartow appellatum fuit. Palatinus tamen non habuit ius ſuperioritatis, niſi ex ſingulari Imperatoris commiſſione ad caſum quempiam directa. Iam vero loco Palatini eſt Archiepiſcopus, ſi Imperii inveſtituram acceperit, quum ea ratione quidem ſimul talem acciplat commiſſionem, ſed tamen ad eundem non niſi ex pacto cauſſæ civiles per provocationem perveniunt. Inde nil juris aliud, quam Palatini tum nanciſcitur Archiepiſcopus quia ſubrogatum retinet naturam eius cui ſubrogatur. Attamen antehac nunquam eo appellatum fuit, ut ſtatuta Magdeburgica expreſſe docent, niſi ex pacto ſpeciali ſecundum cõtenta tranſactionis Bergenſis *de* Anno 1558. Proinde etiam à tempore Ottonis Magni uſque ad Annum 1550. ſemper die Pentecoſtes quotannis Statuta Senatui & civibus prælecta ſunt, pro conſuetudine provinciæ obſervanda, ut teſtatur *Levinus ab Embden Syndicus Magd. in Conſ. ſuo.* ne Imperatori ſuum in civitatibus talibus Saxoniæ ius concideret aut facile ſubverteretur. Namque Imperatores priſci admodum ſolliciti ſemper fuerunt pro incremento civitatum, quum omnem in eas deponerent fortitudinis & roboris defenſionem. Nam plane impoſſibile eſt, ait *Dauth. in reſpon. iuris ſuo pro civit. Magd.* quod civitas quædam plene & univerſaliter Archiepiſcopo, ut Domino territoriali, immediate, Cæſareæ autem Maieſtati (haud quaquam immediate, ſed) mediate eodem reſpectu ſubeſſe queat. Quia, inquit, civitas hæc quoad regalia ſua atque merum & mixtum Imperium, imo & regulariter atque abſque omni dubio (quod pluribus ibidem particulatiter demonſtrat) cum Archiepiſcopis nihil commune habet; neque illos, ſed Cæſaream Maieſtatem & Imperium recognoſcit. Lõge impoſſibilius eſt, (ſic pergit ille) ut diverſarum conſideratiõnum reſpectu, tam Cæſareæ Maieſtati, quam

Archiepiſcopo civitas Magdeburgenſis plene & univerſaliter atque immediate ſupponatur; quum illa diverſa territoria aut dominia non obtineat; quorũ reſpectu plena & univerſalis ſubiectio conſtitui poſſit. Ideoque quum Archiepiſcopi aliquot antehac oblique (ceu poſtea Burchardus Scrapelovicus ſe maxime in his & alia nimii ambitione æmulum Imperatoris exeruit) quid maius & altius officio ſuo affectarent, Lotharius Saxo Cæſar Anno 1136. in ſpecie ſingulari cura Magdeburgenſibus ſuis Privilegiũ Ottonicum ſupra poſitum confirmavit Hirſfeldiæ, in præſentia prope omnium procerum Imperii & Archiepiſcop. Magdeb. Idem An. 1180. Fridericus Barbaroſſa Erfurdii in curia, ad inſtantiam ſimul, quod ab eo obtentum erat, Wichmanni Archiepiſ. Magd. indictione 14. 17. Calend. Decembris in præſentia XL. procerum Imperii fecit. Sic & tempore Erneſti Archiepiſcopi, quum Imperator cerneret, quod ipſi apud civitates ſubiectio debita imminueretur, Cæſar Fridericus III. Alberto Electori Brandeburgenſi, qui Achilles Teutonicus dicebatur, & Epiſcopo Wilhelmo Aichſtadienſi hanc commiſſionem obtulit, & ſevere mandavit, ut maxime ſuum & Imperii Romani intereſſe in compoſitione litis inter civitatem & Archiepiſcopum obſervaretur, ne quid inde detrimenti in ſubtractione ſubiectionis caperet, ut ex ſubiecto Diplomate apparet; quod in tranſlatione ita ſe habet:

Mandatum expreſſum Cæſaris Friderici III. in quo Dnn. Commiſſariis, & ipſi civitati Magdeb. imponitur, ut Cæſaris & Imperij privilegia ac iura iuxta antiquam conſuetudinem contra Archiepiſc. rite defendant & obſervent, An. 1483.

NOs Fridericus Dei gratia Romanus Cęſar, ſemper Auguſtus Imperii, Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, &c. Rex, Dux Auſtriæ, Styriæ, Carinthiæ & Criniæ, &c. Comes Tyroliæ, &c. his confitemur & notum facimus. Poſtquam nos generoſo & venerabili Alberto Marchioni Brandeburgico ſacri Romani Imperii Electori & Archicamerario, Stetini, Pomeraniæ, Caſſubiorum & Vandalorum Duci, Burggravio Norinbergenſi & Principi Rugiæ, noſtro dilecto Agnato Electori & compatri, atque VVilhelmo Epiſcopo Eyſtadienſi, noſtro Principi, Conſiliario & amico devoto, in univerſum ambobus his, aut cuiquam eorum ſingulariter, per noſtras litteras Cæſareas commiſimus, & noſtram poteſtatem ac plenipotentiam obtulimus, ut illi iurata, quæ nos & Imperium ab una parte, & venerabilis Erneſtus prognatus Dux Saxoniæ Adminiſtrator Diœceſis Magdeburgenſis & Halberſtadienſis, Princeps noſter & dilectus devotus ab altera parte, in civitate Magdeburgenſi obtinemus, etiam pœnam, imputationem, gravamina & impoſitionem, quas ille Adminiſtrator contra honorabiles, noſtros & Imperii dilectos fideles Conſules, tribuum Magiſtros, Senatores & communitatem prædictæ civitatis veteris Magdeburgenſis, contra talia noſtra & ſacri Imperii iura, & eiuſdem civitatis Magdeburgenſis Privilegia & antiquam conſuetudinem ſibi attribuit, & iis illos à Nobis & Sacro Imperio in ſuam poteſtatem abſtrahere, & in aliis viis iniquis modis ſupprimere conatur, cognoſcere & intentare debeant, an illæ partes propterea benevole inter ſe convenire poſſint: aut ſi hoc fieri nequeat, ut tunc nobis rationes & formam cauſſæ, prout ea in ſuis occaſionibus inventa eſt, in ſcriptis proprie explicent, ut nos ulterius, ſecundum competentiam in eadem, tranſigendi modum diſpiciamus. Veluti etiam id noſtræ Cæſareæ litteræ ipſis propterea tranſmiſſæ expreſſe declarant & teſtantur, quod nos in eum finem nominatis Cõnſulibus, tribuum Magiſtris & Senatui dictæ civitatis veteris Magdeburgenſis noſtram poteſtatem & Mandatum dedimus, & ſcienter etiam damus vigore harum litterarum, ut noſtri ſacri Imperii & ſui ipſorummet cauſſa, per ſen etipſos, aut eorum mandatarios, quibus noſtram hanc poteſtatem ulterius obferent, coram deſignatis noſtris Cæſareis Commiſſariis in univerſum aut ſingulariter illorum aliquo compareant, & talia noſtra & ſacri Imperii iura, etiam ipſorum privilegia, antiquam obſervantiam & inde enata gravamina producant, & unumquodque in his perficere debeant, ac valeant, quodcunque in amicabili compoſitione iuxta prædictam noſtram Cæſaream commiſſionem decentia requirit. Hæc noſtra eſt benigna voluntas, & omni tempore hoc ita firmiter ſervabimus, quaſi nos ipſi id perfeciſſimus; Ne tamen illi nobis aut ſacro communi Imperio, in talibus amicabilibus compoſitionibus, quidpiam, quod nobis & Imperio competit, dilapident, & omnia ſint abſque dolo, in eius rei teſtimonium has litteras noſtro Cæſareo appendente ſigillo obſignavimus. Datum Graetz die decimo ſexto menſis Septembris, poſt nativitatem Chriſti milleſimo quadringenteſimo & octuageſimo tertio, Regni noſtri Romani quadrageſimo quarto, Imperii trigeſimo ſecundo, & regni Hungarici vigeſimo quinto anno, &c.

Ad Mandatum Domini
Imperatoris, &c.

Sic Imperatoribus prudentioribus ſemper non minor conſervationis, quam ædificationis & amplificationis cura ſua conſtitit, quod ſedulo obſervandum cunctis, quibus libertas naturæ cordi eſt, cui adeo favet *ipſa Imperatoris lex publica l. 4. libert. ff. de ſtat. hom.* cum qua hoc mandatum & nobilis eius commiſſio unice congruit. Sed hoc quoque unice honeſtis & fidelibus liberiſque civitatibus competit, ut caveant, ne nimirum inde criſtas exporrigant, aut inſolentiæ incumbant, nec talem libertatem ex iure naturæ in abuſum iniquitatis pertrahant. Namque talis ſuperbiæ arrogantia raro pœna deſtituitur ſua, ut multis id poteſt demonſtrari exemplis, nec ipſi Halenſes valebunt id difficeri domeſtico malo. Etenim Anno 1130. ex eo, quod aulicos & legatos Imperatoris Lotharii cum miniſtris contra ius gentium occidiſſent, ab eodem imperatore Civitas Hala obſeſſa, & ad deditionem compulſa eſt; ſumptum quoque ab iis ſupplicium, quietus facinoris auctores fuerant. Sic etiam Anno 1264. Archiepiſcop. Magdeburg. Rupertus à comite Manſfeldico adjutus, Halenſes multis incommodis affecit, & grandi pecunia mulctavit, quod auctores

ctores fuiſſent Iudæis illic agentibus, ne Archiepiſcopo cenſum ſolverent. Tolerabilior vero eſt ſtatus civitatum, ſi ſuis ſe contineat terminis; quamvis nec tunc ſatis æquitati ſtudere videntur, ſi incolis ſuis nimirum ſint oneri, & tunc quoque Deus avaritiæ vindices ex inſperato ſæpius concitat. Sic magiſtratus Halenſis Anno 1426. imponebat civibus ſuis contributionem exactam, quod quum percepiſſet Guntherus 38. *Archiepiſ. Magd.* qui eiuſdem intentionis erat, ut ille potius ſibi ſuos ex Salinis Halenſibus fontis Teutonici & Gutiariani ultra decimas extenderet proventus, nec tamen directo quid tentare contra civitatem auderet, inſtigavit Ulmannum Korzenium Præfectum arcis Gubichenſteynenſis, ultra 2000. paſſus non ab urbe diſtantis, & Ammendorfios, poſſeſſores tum arcis & comitatus Wettinenſis; qui aſſiduo diſpoliatione afficiebant cives Halenſes. Confœderatio autem civitatum Saxonicarum quum eſſet prompti vigoris, præſertim ſi turbatio fieret commerciorum; ita querelas has ad vicinos Brunſvicenſes, Goslarienſes, Helmſtadianos & reliquos detulerunt Halenſes. Proinde ſtatim illis opem præſtiterunt copia ſufficienti militum, & comitatum Wettinenſem & ſedes nobilium Ammendorfianorum expugnarunt. Ne vero in direptione & ſpolio pergeretur, Comes Anhaldinus Bernhardus una cum ſenatu civitatis Magdeburgenſis ſe inter Archiepiſ. adhærenteſque eius & civitatem Halenſem interpoſuerunt, atque inſtituta eſt tranſactio in Magdeburg, die Nicolai, ubi concluſum eſt, quod iniquiſſime tali perſecutione Archiepiſ. civitatem Hal. infeſtaſſet, quum ipſis pro neceſſitatis & ſalutis publicæ ratione competeret collectio civium ſuorum. Ut vero certus ipſi ex Salinis dictis quotannis, & ex feudali recognitione ſin ſingulis caſibus eſſet reditus, firmo inter ſe convenere pacto, quo ipſi ex fontis Teutonici ſingulo aheno aut clibano 45. groſſi, & ex fontis Gutiariani quarta parte tres 60. groſſi adiudicati ſunt; quod quidem ita Archiep. acceptavit; ſed paulo poſt tamen novam illis litem movit ex contractu, quo illis Comitatum Salinarum cum monetæ jure ad 9. annos pro 18000. florenis oppignoraverat, ut exactis annis, dimidia ſumma pecuniæ redimeretur. Verum quum civitas interruptionem ipſi concedere nollet contractus, hoſtes illi conciravit duos Duces Brunſvic. Marchionem Brandeburg. Epiſcopum Halberſtad. Comitem Henricum Schwartzburg. & alios: unde Trota pagus, Frideburgum, Diſcovia & Bruckendorfium comburebantur, donec iterum lis componeretur. Nihilominus in odium civitatum commercia turbabantur, & mercatores præſertim Lubecenſes & alii ſpoliabantur. Proinde quum hæc querela ad civitates Hanſeaticas deferretur, explorarum fuit, quod Comes Bernburgicus potiſſimus eſſet auctor facinoris huius. Unde ſtatim 1600. equitum copia ex civitatibus concurrebat, præter ingentem militum manum, adoriebantur civitatem eam cum arce, ac niſi Dux Lunæb. Wilhelmus à Friderico Marchione Brandeburgenſi rediens interveniſſet, ac ita compoſuiſſet cauſam, ut intra 5. annos ablatorum iuxta pretium fieret reſtitutio, captivum abduxiſſent Comitem, aut ſubvertiſſent arcem eius. Anno 1433. quum Magdeburgenſes Archiepiſcopum ſuum coram Concilio Baſilienſi iuris actione perſequi inſtituiſſent, nec tamen ſententiam ullam obtinere poſſent, multo minus quod tranſactio Stasfurdiana, quam Comes Anhaldinus Bernhard. cum civitate Halenſi ſubierat, quid efficere valeret, ob hanc pertinaciam Archiepiſcopi Magdeburgenſes in auxilium advocarunt Iohan. March. Brandeb. Henricum Ducem Brunſvic. Comitem Roppinenſem, ac civitates Brunſvicenſem & Halenſem. Inde civitatem Calbenſem cum arce occuparunt, confugiente Archiepiſcopo Sundershuſium ad fratrem; mox etiam Stasfurtum, Salzam, Schonbeckiam, Aqueviam, Borgium, Loburgam, Moccekam, Nigrippium cum Taucha in ſuam redegerunt poteſtatem. Quare Archiepiſcopus ad Baſilienſe Concilium confugit, & ibi ſub Papæ Eugenii auctoritate excommunicationem utriuſque civitatis Magdeb. & Halenſis obtinuit. At quamvis Halenſis Senatus videretur flectier, tamen cives omnia eius membra in carcerem abripuerunt; quum per tale factum civitatum fœdus frangier putarent. Quod vero quum cernerent civitates Magdeburgum, Brunſvic. Halberſtadium, Aſcherslebium, Quedlinburgum, ſtatim renovatione fœderis inter ſe convenere, & liberarunt Magiſtratum Halenſem ex mortis hoc periculo. Præſules autem cernentes parvi fieri bannum à civitatibus, Electorem Fridericum Saxoniæ magna vi pecuniæ conduxerunt, ut ille ope Lantgravii Thuringiæ, Haſſiæque, & Comitum Schwartzburg. Mansfeld. Stolberg. & Honſteyn. Halam obſideret. Sed Halenſes à ſociis adiuti, fortiter ſe defenderunt. Unde tertio anno poſt 1436. ita tranſactum eſt, ut Halenſes & Magdeburgii omnia redderent, quæ bello occuparent, cætera oblivione perpetua involverentur. Ita ex banno Pontificis, & proſcriptione Cæſaris in integrum cum honore ſunt reſtituti. Quæ vero Anno 1488. interna fuerit Halenſibus cum Dominis Salinarum pernicioſa contentio, ea legatur in *Pomar. pag.* 52. Sic & alibi conſtabunt eorum modernæ actiones & facta.

CAP. VI.

De reliquis Saxoniæ civitatibus fœderi Hanſeatico annumeratis.

EST quoque Northuſium antiqua Imperii urbs, inde ſic dicta, quod Thuringis verſus ſeptentrionem ſita ſit, quam Henrici Aucupis coniux ſtatim poſt mortem eius Monaſterio donavit, ut *Crantz. habet in Sax. lib. 3. cap.* 12. vel ut etiam conventibus publicis clara tum fuit, & maxime Anno Chr. 1105. quum Synodus ibi eſſet ſub Henrico V. qui rebellione iniuſta ſe opponebat patri Henrico IV. & in malitia confirmabatur, ut notat *Crantz. d. Sax. lib.* 5. *c.* 17. Qua finita, Imperator Principibus atque omnibus regni ſubditis, ſua cuique iura renovavit, contra & præter parentis Henrici IV. voluntatem. Qualem ſe & quam probum tunc ſimulaverit, odium ſecum conceptum tacito corde obtegens, & quinam ibidem fuerint tum multus ac motus, id ex *Crantz. d. l. & Chron. Thur.* quis percipiat: Hiſtoria eſt memorabilis, quæ merito incutiat terrorem legenti, & omnibus inobedientibus maxime, qui tam atroci facto ſe parentibus opponunt contra rationis humanæ naturam, licet ſit corruptiſſima ſatis. Alias autem ſatis vivide *N. Reuſner. inter urbes Imperiales*

periales p. 90. ita eam describit. Northusa, urbs vetus Cheruscorum in confinio Misniæ, & Thuringiæ ad Semanum Sylvam posita: quæ, auctore Ptolomæo, Cheruscos à Suevis disterminat: per cuius agros fluit amnis Zorgenga in Helmam influens. Sic Northusa appellata est, quod ad Aquilonem conversa sit, quasi Aquilonis domus; id est, Limes Thuringiæ Septentrionalis. Locus urbis admodum est aere salubris; hortis amœnus; campis fertilis; saltibus jucundus, fructibus varius: Caput nimirum vallis amœnissimæ, quam Aurea Tempe nominant; quæ veluti lumen est quoddam & medulla totius Germaniæ. Magnis hæc urbs beneficiis & privilegiis est ornata à Theodosio II. Cæsare, & Merovæo Francorum Rege; ex quo antiquitas eius facile perspicitur. Post multis eadem modis sæpius afflicta & vexata ab Henrico Leone, & Hermanno Comite Provinciali Thuringiæ, ac demum ab Otthone IV. & Adolpho Cæsaribus Romanis. Comitiis etiam aliquot Imperii hæc urbs celebris est, Philippi Imp. anno Christi 1206. Henrici VII. anno 1223. & Cunradi IV. anno 1251. habitis. Collegium Virginum eadem in urbe instituit Mechtildis Henrici II. Augusti coniux, fano augustissimo extructo, in quo etiam sepulta est. Curiam Principum & Equitum in hac urbe quondam convocasse scribitur Henricus I. Landgravius Thuringiæ, Marchio Misnensis: & in ea hortum parasse amœnissimum; in quo fuit arbor foliis aureis & argenteis: multis ibidem expansis tentoriis seu tabernaculis. Tripudiatum in eo fuit decentissime, & curribus equestribus decertatum, ita, ut qui victor hastam suam frangeret in adversario, utroque in sella manente, dono acciperet folium argenteum; altero vero sella excusso, aureum. Duravit tunc celebritas illa dies octo, sumptibus etiam Cæsare dignis. Mentionem huius rei facit in Marchionibus suis Misnensibus *Georg. Fabricius in his versibus*:

Ut platanus quondam celebris fuit aurea Xerxis,
Regales cuius texerat umbra dapes:
Non minus audita est Henrici argentea quercus;
Quam Northusa Equiti ponit in urbe suo.

Sic & Milhusium quamvis Thuringiæ finibus inclusum sit, quinque milliaribus prope à Northusa distans; tamen adhuc circulo Saxoniæ inferioris accensetur, quum Imperialem referat civitatem, ab aliquot seculis eo nomine satis claram. Est autem hoc oppidum, *ait Reusner. dict. lib.* ad Unstrum amnem positum loco amœno & opportuno maximeque fertili. Ab Henrico Leone Saxoniæ Duce olim misere direptum & vexatum: in quo etiam Berchtoldus Zaringiæ Dux contra Philippum Cæsar electus fuisse scribitur. *vide Chron. Saxon. p. 279.* Bello præterea rusticano, in proximiori seculo, nobilitatum: obsessum à Principibus quibusdam Germaniæ, & in potestatem redactum; ac demum ob rebellionem magna vi pecuniæ mulctatum; in quo & capitis supplicium luit seditionis agrestium auctor præcipuus Pfeiferus una cum socio duce suo Muncero, Francohusij postea capto, & capite mulctato. Clarior velut etiam hæc urbs ex conventu solenni Electorum Iohannis Schweickhardi Moguntini, Lotharii Trevirensis, Ferdinandi Colonien sis, Iohan Georgii Saxon. Maximiliani Palatini & Ducis Bavariæ, nec non Ludovici Landgravii Hassiæ Darmstad. Ann. 1620. mens. Mart. reddita est, & ex eo, qui An. 1620. ibidem celebratus est ab iisdem Elector. Fluvius qui alluit urbem, se postea in Werram exonerat, ubi perdit nomen suum, ceu id *Nic. Reusnerus* in versibus his indicat:

Tu quoque fas felix campis, atque ubere gleba,
Imperio, Milhusa, fidem nomenque dedisti;
Qua ripam effusis superans sæpe Unster habenis
Angustam, taciteque secans Tempe aurea cursu
Labitur, & Werra se denique condit in alveo.

Halberstadiū nec minus antiquissima urbs est, clara inde, quod simul cum Magdeburgensi ditione Longobardis sedem exhibuit, ut *Bunting. in Chron. part. 1. p. 4.* docet, qui sub auctore suo regni Longobardici Alboino Rege temporibus Iustini iunioris Imperatoris Anno Christi 568. irruptiones in Galliam Cisalpinam fecerunt. Hemipolis vero hæc urbs dicta est, quod vix dimidiatam in exacta ædificatione obtinuerit partem, quam primitus concepta erat, velut adhuc rudera designationis ibi versus orientem, quando tenditur Harslebiam in via, qua itur Quedlinburgum, nec procul à minori Quenstadio, ubi Holtema profluit, conspiciuntur. Postea vero, quum Carolus Magn. circa Annum Christi 780. aliquot laboriosas expeditiones contra Ostsaxones ab una parte circa Hercyniam Sylvam ad radices Bructeri confeciſſet, & ex iusto metu ipsi Carolo populi ac incolæ eius loci occurrerent in deditionem, & Christianam religionem baptismate confiteri inciperent, ita lætatus est Imperator, ut Salingstadii, quasi in loco salutiferi nuncii, qui postmodo Ostrovicum nuncupabatur, Ecclesiam Cathedralem An. 780. in honorem D. Stephani conderet, cui præficiebat S. Hildegrinum. Ille autem Episcopus, quum ampliorem sibi exoptaret locum, & versus Austrum rectius cedendum putaret, eligit dimidiatam eam civitatem Hemipolin, & exinde, quod ad Austrum vel orientem longius cederet, cum consensu Imperatoris ex oppido Salingstadio, istud ita Ostervicum appellatum est. Oriens enim sive Austr. Saxonibus Osten; & cedere Wieken dicitur: unde Osterwieck nomen compositum est, quod locum cedendo hunc cum Halberstadio tanquam ampliori spacio permutasset. Mansit tamen utrobique patronus ipsi D. Stephanus, & præstuit ita Ecclesiæ Salingstadianæ per septem, Halberstadiensi vero per quadraginta annos, ubi adhuc eius sepulchrum in summo monstratur templo: ut error iterum *in Chron. Saxon. Pomarij* manifestus sit, qui *pag. 37.* inverso modo omnia ratione temporis accipit; quod tamen *Bunting. in Chron. Brunsv. part. p. 151. rectius explicat.* Velut etiam heic multum errat *Petr. Bertius in comment. rer. Germ. lib. 3. pag. 565.* quando dicit translatam esse sedem Episcopalem ad confluentes amnium Albis & Oræ, atque ex eo urbi nomen inditum initio Alberstadium, quod postea transierit in Halberstadium. Namque Ora ultra 7. milliaria distat ab hac urbe, & Holtema ex proxima Hercynia perfluit eam, quæ Groningæ se in Bodam fluvium effundit, qui per amœnissima prata tractu 7. milliarium in Salam excurrit, ut ita nusquam heic Albis attingatur: Unde

etiam

etiam nominis appellatio falsissima apparet. At velut omnibus regnis & Rebuspubl. hoc commune adhæret vitium, ut tempore tranquillo vix careant motu interno, ita etiam populus ille in semetipsum ferociam exercere suam sæpius ausus fuit, si Crantzio & aliis tuto credendum est historicis. Propterea maxime, ait *Crantz. lib. 2. Sax. cap. 24.* Carolus Magnus in ea provincia (Saxoniam putans) Episcopos aut Pontifices Verdensem, Myndensem, Padebornensem, Osnabrugens. & ultra Weseram Halberstadens. &c. Regalibus donavit, quod intelligeret populum infrenem religione contineri, armis vero minime placari posse. *vide Bunting. d. Chr. Brunf. part 1. pag. 72.* qui etiam explicat, quanto exitio aut clade Episcop. Ulricus eam afficerit urbem, quum ita crebris & atrocibus infestationibus Henricum Leonem Duc. Brunsv. temere irritaret, quæ historia notatu digna est. *Chyt. Sax. p. 52.*

Quæ autem Bertius dicto loco de situ quodam Ecclesiæ eius notat, verissima sunt. Ac notabile est ibi in templo sepulchrum Senecæ Theutonici, qui magus insignis perhibetur, ut una nocte tres missas Parisiis, Coloniæ & Halberstadii celebrare potuerit. Quum fulminis ictu interisset, versus hi eius monumento insculpti sunt:

Est, erit atque fuit, qui desiit esse Iohannes;
Dogma tuum viguit, florebit omnibus annis.
Lux Decretorum, Dux Doctorum, via morum;
Hic iacet, & placet, ut vacet à pœnis miserorum.

Duobus milliaribus ab Halberstadio distat Quedlinburgum, quam civitatem in amæno & fructifero agro sitam præterlabitur & perluit Boda fluvius, ac versus meridiem respicit Hercyniam sylvam montesque eius, versus Geringerodam Cœnobium nobile; dum ab occasu mirabilem Comitum quondam Regensteynensium arcem & sedem montoso saxo intercluſam sibi vicinitate junctam tenet. Ipsa quoque olim arce monticulo elevato imposita ornata fuit, & speculis variis circumdata, ut ab incursionibus variis & tot locorum anfractibus tuta esset, unde ipsi nomen ex tali Burgo vexato impositum dicitur. Verum Heinricus Auceps Imperator gloriosissimus, qui circa Annum Christ. 920. adeptus est Imp. Rom. & regnavit an. 17. ceu curam Saxoniæ suæ inprimis singularem accurate gessit in omnibus; ita maxime semper sollicitus fuit, quomodo subditos ab insolentium hostium crebertimis incursionibus & depopulationibus tutos conservaret. Etenim in ea inciderat tempora, ut consopitis Burchardo Suevico & Arnolpho Bavaro, perpetuos prope experiretur hostes Bohemos, Hunnos, & Vandalos, Havelanos, Veranos atque Sorbonicos ultra Salam accolas, qui indesinenter Germaniam & maxime Saxoniam cladibus variis defatigabant. Ideoque non tantum Anno Christi 929. contra Sclavos ad Albim ædificabat urbem, quam à tivulo ibi decurrente Misenam appellabat, & Marchionatum ibidem instituebat; sed etiam alias civitates maxime muris & vallis versus eas regiones cingi curabat, & privilegiis necessariis ornabat, ut eo animosiores redderet cives, & in adsidua fide retineret officii debiti, simulque haberent reliqui campestres tuta receptacula, ad quæ tempore necessitatis confugerent. *Mich. Sax. in vit. hui. Imp. cap. 5.* ubi etiam valde notabilia de eius sapientissimo enumerat regimine. Inprimis vero frequentavit & visitavit sæpius loca inferioris Saxoniæ ad Hercyniam Sylvam, Albim & Salam respicientes, ut sunt Northusium, Sangerhusium, Quedlinburgum, Magdeburgum, Vallerslebium, Brunsviga. *Bunt. in Chron. Brunf. part. 1. pag. 25. & 26.* ubi inter alia hæc habet: Præ reliquis singulari curæ Cæsari huic fuit Quedlinburgum, quam civitatem muro circumdedit, atque ibidem in honorem D. Servatii virginibus cœnobium deputavit singulare, quod tamen non plene ante obitum absolvit. *vid. Chytr. in Sax. lib. 2. pag. 52.* Idem quoque testatur *Crantz. lib. 3. cap. 12. Sax.* his verbis: Quo etiam tempore Henricus Rex collegium Canonicorum, quod fundarat Wedekindus abavus eius in Angria, ipse transtulit in Vallerscleben, constituens ibi Episcopum nomine Marcum, virum incomparabilis sanctitatis. Sed neque diu ibi permansit. Nam Otto, Henrici filius, rerum potitus (quod dicemus suo tempore) transtulit in Magdeburgum, Archiepiscopatum inde erigens. Quedlinburgum autem urbem singulari cura respexit, Monasterium ibi erigens Dominarum, in quo primam fecit Abbatissam filiam suam Mathildam: Ecclesiam autem in honorem Servatii iussit consecrari. Henrico autem morieute, quod deerat & urbi, & monasterio, implevit relicta eius Mechtilda: &c. Unde iterum patet, quanta antiquitas competat civitatibus Magdeburgensi & aliis, præ Monasteriis introductis. Velut autem Henricus Auceps locum amœnum præ reliquis sibi deputaverat Quedlingeburgum; ita quoque post obitum Parentis Otto Magnus præ cunctis Magdeburgum selectissimum sibi habuit. Proinde etiam, quum Magdeburgensibus favorem ulteriorem adiicere studeret, publica provinciarum illarum comitia Quedlinburgi instituit, *uti Crantz. lib. 4. Sax. cap. 17.* testatur his verbis: Erat post natum Christum Annus 974. quum Imperator Otto Paschæ solemnitatem in urbe Quedelenborg cum filio Principum magno conventu peregit; & multa constituens in provincias, respexit inprimis Magdeburgensem urbem & Ecclesiam: quia illam requieti suæ providit. Insignem virum Adelbertum primum illi fecit ordinari Archiepiscopum, illique subiecit omnes Episcopatus per Wandaliam, quam tunc dixere Sclavoniam: &c.

Inde quoque clara est hæc civitas, quod Anno Chr. 1142. post obitum Primislai ultimi regis Vandalici Brandeburg. Marchionis Soltquellensis & Ascaniæ, Alberto Urso ibi tota illa ditio inter Albim & Oderam, quam ipse occuparat, ab Imperatore Conrado III. per investituram Imp. adsignata fuerit. Unde postea post obitum Elector. Cunradi Comitis Plotzkensis in Comitiis Mersburgensibus ad Electoratum Anno 1153. ab Imperat. Friderico evectus est. Erat autem hæc civitas Quedlingburg non minus, quam Magdeburgum & reliquæ vicinæ à Carolo Magno privilegio & statua Rulandica donata quidem: verum Ernestus Dux Saxoniæ & Marchio Misniæ propterea eam maxime expugnavit, quod obedientiam Abbatissæ, quæ Soror erat Principis, in omnibus cives denegarent. Direpta est urbs, ait *Crantz. lib. 12. Sax. c. 16.* à militibus, & in extremam paupertatem perducta: quin & tantæ fuerunt obsti-

naciæ cives, ut noluerint possessiones suas redintegrare, quamvis ab auro mundas haberi manus præciperentur: ita vivebant in diem, & tempora labore agriculturæ conterebant, quum antiquum illud libertatis signum penitus illis esset deletum & ereptũ. *Chron. Sax. pag.* 527. hæc ad annum 1475. refert. Ex eo tempore tutoribus usi sunt Dominis Saxonicis. Anno autem 1539. post obitum Georgii Ducis Saxon. Abbatissa Anna Bothonis Comitis Stolbergensis filia dominante, mutationem religionis Magistratus ibidem suscepit. *Chr. Sax. p.* 646.

Qua Hercynia sylva longius inde à Quedlingburgo & Gerinroda ad duo milliaria se ad Austrum versus Salam extendit & Lacum Gaterslebiensem attingere propius videtur, Ascania sive Aschersiebium ab antiquissima familia Comitum eorum nomen gerens, civitas omni frumentorum genere abundans sita est, quondam sedes Comitum Ascanien sium, quorum propagator olim fuit Bernhardus Princeps Anhaltinus. *Elias Reusn. in Isag. hist. de princ. German. p.* 602. Quondam autem in liberiori statu vixit, quã ex aliquot hucusque temporibus. Nihilominus certo pacto paret Episcopatui Halberstadensi, dum contentio adhuc fervet de ea cum Principibus Anhaltinis, qui eam non tantum suæ inclusam dicunt provinciæ; sed etiam iure successionis sibi deberi volunt. Antiquissima enim domus Principum Anhaltinorum ad fastigia talia in Imperio Germ. evecta est, ut duo Fratres filii Alberti Ursi, exoptati uno tẽpore Electores fuerint. Otto I. succedebat parenti Anno 1169. in Electoratu Brandeburg. Bernhardus vero An. 1180. in Comitiis Würtzburgens. à Frider. Barbarossa Elector Saxoniæ creabatur. Quod notabile. *vide Andr. Angel. in Chr. March. pag.* 90. *& Chr. Sax. pag.* 285.

Eiusdem conditionis porro fuit olim civitas Calbensis ad Salam sita, à nobili familia Calbiorum, quæ ante Ottonem Magnum pridem floruit sic dicta, ut ex *Andr. Angel. Chron. March. lib.* 1. *pag.* 37. *patet.* Est locus iste, ex quo se fluvius ille Sala per Comitatum Barbiensem in Albim exonerat. Terra est supra modum fertilis, & omni frumẽtorum genere abundat, unde & civitas ea semper libertatis studiosa fuit, & sæpius se fœdere Magdeburgo adsociavit. Est & aliud oppidum in veteri Marchia huius nominis cũ arce duobus mil. à Gardelegio, qua Bismarkium tẽditur, distans, loco udoso circumseptum, quem Werderum dicunt, ut sit Calba in Werder ad differentiam alterius ad Salam, quæ itidem ex propagatione illius Familiæ originem accepit. Sedes hæc ante an. Christi 1204. Familiæ Krocherianæ fuit, priusquam hanc Marchio Albertus Electoris Ottonis frater plane ex hac ditione eiecisset, ut *notat Andr. Angel. in Chron. March. lib.* 2. *pag.* 94. Postea vero quum Anno Chr. 1243. ingens bellum inter Marchionem Ottonem & Willebrandum Archiepiscopũ Magdeburg. glisceret, nec facile extingui posset, Calba hæc una cum Osterburgo, Gladigovio, Crũmkovio, Altenhusio, Wolmerstadio & aliis aliquot oppidis penitus devastata fuit. *Enzelius, & Andr. Angel. Chron. March. lib.* 2. *pag.* 100. Pervenit vero oppidum hoc iure emptionis tandem Anno Chr. 1324. in possessionem Alvenslebiorum, ut id affirmat *Cyriacus Edinus lib.* 2. *de orig. & stat. famil. Alvens.* his verbis:

Albertus frater primo sub flore inventa, &c.
Hic primus Calbam fossis ingentibus arcem
Et vallis hodie septam, multo ære redemit,
Et generi addixit propriam, nataſque reliquit
Tres numero, casti felicia germina lecti;
Unde Alvenslebia gentis dimanat origo;
Scilicet illa hodie Calbam quæ possidet arcem.

Addit auctor hic, in notatione marginali, quod id ex litteris contractus in arce Calba reservatis appareat. Quum vero oppidum esset ab omni munitione denudatum, obtinuit Gebhardus cum fratribus ius muniendæ urbis & arcis Calbæ, ut elegantissimus *ille Poeta & I. C. Cyriac. Edin. in lib.* 1. *de orig. & stat. fam. Alv.* recte notat, circa ann. 1380. his versiculis:

Fratribus his etiam maior concessa potestas,
Urbanas Calbæ sedes incingere portis,
Atque paludosis circum vallare fluentis,
Aggereque excelso, & turritis mœnibus arcem
Munire, & fossis aditum prohibere profundis.

Calba autem altera ad Salam hodie subiecta est Archiepiscopo Magdeburgensi.

Porro inter Calbam & Magdeburgum duobus æque milliaribus ab his distãs urbibus sita est Salza, civitas itidem quondam libera & vetusta, atque è regione ad Albim iacentem vix ultra stadii spacium adspicit Schonbeccam. Est autem Salzæ nomen ab insignibus Salinis ibi inventis, ubi prima Comitia tandem post multos labores, edomitis & victis Saxonibus Carolus Magnus celebravit, quæ hoc encomio notabili describit *Letzner. in vita Carol. Mag. cap.* 41. Quum igitur Saxones penitus humiliati essent, & maxima ex parte in subiectionem redacti, Carolus Cæsar Salzæ, quæ civitas non longe à Magdeburgo distat, Comitia provincialia instituit, atque ibidem cum Saxonibus æternam pepigit pacem, eosdemque patrocinio Romani Imperii suscepit; unde eo tempore simul multi Christum confiteri inceperε, & baptismate sacro initiari sunt. Quibus propterea singularia privilegia & ius libertatis non tantum promisit & concessit, sed etiam integre semper & sincere ea servavit. Conventui huic publico præsens interfuit Widekindus, Dux magnus Saxoniæ, Dominus Angariæ & Iburgi, qui ex eo tempore, ex quo conversus est ad Christianismum, fideliter Cæsari adhæsit, nec mutari amplius se passus est, licet varii tumultus fuerint redintegrati. In hoc conventu obtinuerunt hoc, quod inde Liberi semper Saxones vocati sint, quum illis contributiones Romanæ annales & servitutes duriores condonarentur. Tum etiam (NB.) plena libertas commerciorum omniũ & artificiorum illis concedebatur, ut iis liberum esset, omni genere navigiorum in Mari & cunctis fluviis Albidos. Salæ, Visurgis, Amesis, Havelæ, &c. & passim per universum Romanum Imperium uti, pro libera facultate rerum. Inprimis illis vectigalis onus in Albi omne remissum est, velut etiam Otto II. Imperat. id confirmavit postea, ut *supra tract.* 2. *cap. pen.* ex Documento eius id apparet, quod Magdeburgensibus concesserit, sub dato An. Chr. 972. &c. Præterea autem ordinavit, ut in usum Eccleſiæ decimas pastoribus & ministerio Saxones persolverent quotannis,

annis, ex proventu agrorum. Aſt quæ alias antehac libertas ipſis fuerat & privilegia, ea cuncta illis abſque exceptione confirmavit & approbavit; ac conceſſit illis, ut in caſu neceſſitatis, liberum eſſet iiſdem ad Imperium commune appellare. Hæc acta ſunt An. Chr. 803. Indict. 11. Quo anno etiam Megapolitanis locum certum ad Albim pro firmitudine ſedis addixit, ut ibi ſibi civitates conderent: Ita quoque Eccleſiam & templum Merſburgi in Thuringia in honorem D. Iohannis Euangeliſtæ erexit, & Canonicos regulares eidem deputavit, qui Epiſcopatui Salingſtediano ſive Oſtervicenſi ſubiecti eſſent: poſtea tamen ſingularem Epiſcopatum Halbe. ſt. determinavit. Velut ſimul eodem anno Zeizenſem, Naumburgenſem, & Baſilienſem Epiſcopatum inſtituit. Iam vero ea civitas Salzenſis paret Archiepiſcopo Magdeb.

Tribus hinc milliaribus diſtat Stasfurtum, inde ſic dictum, quod Stationem portus ad Budam fluvium deſignet. Olim hæc civitas ſemper addicta fuit Magdeburgenſibus, velut & ſocia eiuſdem urbis in pluribus fœderibus: Unde etiam Magdeburgo hoc debet, quod An. Chr. 1278. non ſit penitus ſubverſa à Marchion. Brandeburg. Namq; quum in electione Archiepiſcopali reiiceretur Ericus March. Brandeb. & reciperetur Guntherus Comes de Schwalenburgk, non tantum occupabatur civitas Acenſis; ſed etiam obſidione acri cingebant Brandeburgici Stasfurtum arcemq; eius; ac niſi tunc Archiepiſcopo ad imploratione aliquot factas eius, cives Magdeburg. opem tuliſſent, de civitate ea penitus actum fuiſſet. & forte in cineres abiiſſet, ut minæ erant. Acris tunc pugna fuit, unde & Marchio Otto ſagitta ita in capite vulneratus eſt, ut non potuerit inde evelli, ſed coactus eſt aliquo uſque in capite geſtare ſagittæ acum, ex quo caſu ipſi nomē impoſitum fuit, quod appellatus ſit Marchio Sagittifer aut Sagittarius. Poſthæc & eiuſmodi iacturam, Marchio exercitum ſuum in Principis Ottonis Anhaltini ditiones educebat. Quod itidē Magdeburgenſes mordebat, eos denuo inde expellendo, dum perſequebantur tales ſpoliatos uſque ad Quedlingeburgum, Halberſtadiumque, nec non excurſiones continuabant uſque ad Stendaliam veteris Marchiæ. Stasfurtum autem claret ſimul ex ſaliniis ſuis, ceu ſatis uberem copiam ſalis proximis & vicinis locis ſubminiſtrat.

Verſus Auſtrum exinde conſpicitur ad Salam Bernburgum, quaſi diceres Bernhardi Comitis Alcarcem, ultra milliare Germanicum à Stasfurto non diſtantem. Civitas hæc nulla in re, quoad fertilitatem agrorum, cedit reliquis. Paret hodie etiam Principibus Anhaltinis, quamvis etiam litem occultam ſuſtinere à vicinis Canonicis cogatur, q tamen non curat, quū tutela Principū ſuorum ita licite fruatur.

CAP. VII.

De reliquis civitatibus, Saxoniam verſus, & in veteri Marchia ſitis.

QUod ſi inde ad occaſum verſus Brunſvigam te convertas, & priuſquam iter abſolvas uſque ad quinque milliaria non procul ab Elmo, quaſi ſylvis circumſepta Ibi interjacet Helmæſtadium, cui nomen alii impoſitum inde putant, quod ex bello Vandalico, & Hūnorum, multæ galeæ & arma ibi inventa fuerint ab agricolis terram vomere findentibus; quum Galea Germanice ein Helm ſignificet. Sed quum ipſa ſylva, quæ adhuc hodie Elmus vocatur, ſatis luculentam interponat proteſtationem contra eiuſmodi figmēta, quod ſit civitas Elmi aut Helmi, relinquamus hęc vana ſuis auctoribus. *Albert. Crantz. Metropol. lib. 1. ca.* 10. videtur non procul ab eius fundatione aberraſſe, quem propterea quoque ſequitur in adſtipulatione ſua *Chytræus lib. 2. Saxon. Chron.* ubi agit de Ducibus Brunſv. *p.* 54. cuius verba mutuata hęc ſunt: Paulo ante, oppido (ferme) medio inter urbem Brunſvigam & Magdeburgam ſinere, Helmæſtadium, nunc Academiæ ſede inſigne, Wilhelmus Dux Brunſvicenſis, Henrici pater, à Werdenſi abbate, cui parere cives inſolentiores recuſabant, certa pecuniæ ſumma Abbati numerata, redemptum in ſuam poteſtatem redegerat. Munire id oppidum Carolus Caroli Magni filius, adverſus Sorabos & Vilſos bella gerens cœperat, idque S. Ludgero primo Epiſcopo Monaſterienſi tradiderat, ut id populis à Carolo ſubiugatis prædicanti, tutus receptus eſſet. Id Ludgerus poſtea cœnobio Benedictino Werdenæ ad Ruram fl. à ſe fundato, in quo moriens ann. Chriſt. 809. ſepultus eſt, attribuit. Eius cœnobii longius diſſiti Abbatem Dominum civitas Helmæſtadienſis hucuſque agnoſcebat. Sed quum trunci Domini civis tæderet, Ciconiam regem hoc tempore adepti ſunt. Quod ſuis verbis Crantzius, non nihil acrius poſſeſſores novos perſtringens, ita exprimit: Pœnituit oppidanos mutaſſe Dominum. Sed quando ranæ regem contempſere ignavum, accepere pro illo Ciconiam, quæ regit in virga ferrea ſubiectos. In qua locutione non adeo plurimum aberravit. Namque quum Duces Brunſv. variis implicarentur bellis, miram ſæpius & luctuoſam ſubiit civitas fortunam. Sic quum tandem An. 1568. à morte Patris ad Iulium Ducem Brunſvicenſem ſucceſſio devolveretur, & is cogitaret de Gymnaſio aliquo inſtituendo, idque primitus Gandershæmio civitati, ad Gandam fluvium ſitæ verſus Embeccam, deſtinaret; poſtea vero, quū privilegia Academica ab Imp. Maximil. II. per Henricū de Lulie impetraſſet, in commodiorem locum transferre conaretur; & licet maxime Gottinga eam ſibi ſortem adoptarat; tamen propter certas cauſſas An. 1576. Helmæſtadium hac beare voluit: ubi etiam 15. Octob. ſolemni feſtivitate introductio talis celebrata fuit non ſine pompa. Floruit quidem primitus ſatis ſplendide propter claritatem aliquot Profeſſorū, præſertim Theolog. & ICtorum: & quod libertas profitendi ſtudia liberalia minus eſſet conſtricta: ceu etiam 14. Principum & Comitum filii ibi in litteris uno tempore vivebant: Aſt quum ſecta horrenda Stagirica Ann. 1593. nimium crudeli arrogantia ſibi imperium in bonos & liberalis Philoſophiæ artes nonnihil ferventius ſumere, alioſque variis & clandeſtinis ſubagitationibus dire perſequi, & quoſvis obvios prope titulo muli Arcadici deſcribere atrociuſq; taxare inciperet, donec randē Spiritu vertiginis omnia involveret; ceu falſa damnatio alicuius optimi viri D. Hof. id demonſtrabat: factū eſt tādem, quod ita pedetentim in ſui ruinam retruſa ſit iſta bona Iulia, & ex uno malo in aliam deciderit; ſecumque totam provinciam turpiter collapſam duxerit, præſertim quum omne piū & ex fontibus Iſraelis petitū barbara barbaries proclamaretur, & nihil Chriſtianum

ſtianum vere cenſeretur, quod non barbarum in impuriſſimis falſæ Philoſophiæ elegãtiis ſaperet Ethniciſmum: quod & publico ſtatuto, in perpetuam Academiæ ignominiam, confirmatum eſt. Tandem ipſe non ultimus auctor tantæ ſeductionis & corruptionis Iuvenilium animorum I. Cal. eum C. Mar. quaſi conſcientiæ ſtimulo compunctus, 6. Id. Quinctil. An. cIↃ IↃCVI. haſce calamitates publico carmine confiteri coactus eſt, ad Academ. Iuliam in funere Iunioris Principis Henrici Iulii id dirigens hoc modo, quod ſtrictim tangendum eſt:

Diva parum felix à primis Iulias annis,
Caſibus adverſi varijs obnoxia fati;
Dũ roſa pungentes per ſpinas ardua ſurgis, &c.
Fallor? An hanc legem cunctis tulit Arbiter avi?
Ut nihil eximium in reliquis emergere poſſit,
Quin mira ratione diu multumque prematur.
Res quia tum demum verum decus ardua ſervat,
Omnia perpetuis ubi vicerit aſpera curis.
Sin homini cedant ex votis omnia primum,
Diffluimus toti miſere, faſtuque perimus.
At tu, ter decies annos qua multa tuliſti,
Fac, deinceps animo quoque ſis præſente, Virago,
Iulias: ante mali ſpecies tibi nulla pepercit:
Dira aliquando fames, ſed crebro lurida peſtis,
Et ſocia, quarum ſeriem cognoſſe moleſtum eſt,
Irrupere vias noſtras, ſtragemque dedere.
O Eri, noſtra modo ſi nunquam templa petiſſes,
Aut hodie ſaltem fugeres viridantibus hortis!

Nimirum hæc erat illius conſortii elegans & aſtuta verſutia, ut ipſi auctores funeſtarum litium, culpam omnem torquere in bonos & verbi cœleſtis amatores fideles, omnia non bene invertendo, poſſent: atque ne in ullo tantæ ambitionis noxii deprehenderentur, egregias induebant adulationum aulicarum perſonas; adulatores tamen interim variis ſcriptis maxime taxãdo: ceu ſolet fieri, ubi ſuppoſitis technis res agitur. In ſumma, quum victores cauſſæ ſe ſibi ſomniarent, nemo magis barbarus erat, quam qui veritati Verbi cœleſtis in ſimplicitate falſæ illorum philoſophiæ contradicendo, abſque reſpectu Ethniciſmi ſtudebat. Verum quamnam barbariem funeſtam hæc nobis barbaries barbara nunc procreaſit, quum impietas talis deteſtabilis cum ſecuritate ita per ſucatam illam terminiſticam philoſophiam, quę nihil rei & veritatis continet, in propagatione Ethniciſmi horrendi apud iuventutem accreverit propter perniciosam hanc ſeductionem, id calamitoſiſſima hæc tempeſtas & iuſtum iudicium Iehovæ in obſtinatos directum, ſatis luculenter demonſtrat. Patria tota collapſa merito iam deploratur. An non homines ambulent in tenebris, ubi nox furva pro die lucido, & falſum pro vero; iniuſtumque pro ipſo iure adoptatur & ſeligitur ſtudio? Meus olim in talem calumnioſum proceſſum & iniquitatem iudicii, quum cernerem omnia contra pietatem & verbi cœleſtis debitam curam ſubverti, ex Mimeſi A. Clam. hanc pro leniendo dolore parabolice applicavi odenamicus:

Olim Cucullo & Luſciniæ fuit
Certamen atrox, re ſuper ardua,
Nempe utra earum dulciores
Alituum modulos teneret.
Ventum fuiſſet forſitan ad manus,
Pugnante ſummo utralibet impete,
Ni derepente viſus eſſet
Retia ponere certus Anceps.
Huic iudicandæ quum cuculus daret
Litis poteſtatem ingenioſo,
Quanquam futurum Athis videret,
Ut caderet, tamen acquievit.
Ergo aure iudex eminula ſtupens,
Ambas, ſecundum ſe, iubet alites
Sub myrteo arboris flagello
Sidere, perque vices ſonare.
Ibi illa primum gutture muſico
Celebris ales ſuſcipit: adſonat
Ineptus eiuſdem integrator
Vocis, idemque ſubinde tinnit.
Mox, abſolutis cantibus, arbitri
Senſim ad tribunal itur, ibi hic novam
Sententiam rogatus, edit:
Macte pari ingenio volucres,
Ut quæque veſtrum non mediocriter
Viſa eſt mereri præmia laureæ!
Ut expedite temperaſtis
Ad numerum lepida ora motu!
Quod pace veſtra mi liceat tamen,
Viſa implicato Daulias eſt ſono
Supra modum uti, carneaſque
Non cecinisſe melos ad aures.
Ergo priores deferimus tibi,
Ut arbitramur, mi Cucule, optimo
Iure, & meo ſis arbitratu
Victor in hac bonitate cauſſæ.
Si, Daulias, te hoc mordeat, audies
Sententia mox quid gravius mea:
Hoc bilioſo corde fervens
Impero, ni taceas ſilendo,
Poſthac canoris cantibus abſtinens,
Nil fulminoſas gutturis efferi
Lenibit iras, quin tibi mox
Monſtrificum caput amputabo.
Natura præceps atque ferociens
Diſcordioſam ſi violentiam
Ferventer exercere tendit,
More canis rabidi notatur.
Re indicata ſic, cuculus malus
Recte ſonores promeruit ſibi,
Athique ſanctæ clara raptim
Vox inhibetur hiante lingua.

In futura mala proſpiciens ſic etiam alibi exprimere

mete voluit is eandem tragœdiam & verbi Iehovæ perſecutionem vaticinando:

Vates futuri ſum minus: attamen
(Heu! cogar hoc quod dicere) mox ita
Plures ruinas iſta ſecum
Ducet, apertius ut videbis,
O Iehova, fortis, niradij tua
Lucis viciſſim ſplendidius micent,
Et barbarorum ius recedat,
Non poteris tolerare criſtas.

Scandaloſiſſima præcipitantia quantos lapſus cauſarit, id videre paſſim boni, & dolores ſimul experti ſunt haud leves: quicquid alii glorientur: Sed nec defuit ruina ruinæ ipſi præſidi, quod dolendum, unde & poſteri habent, quod luant modo. Nec minus prope eadem paſſus fuiſſem, quum ratione officii ibi ſaniora docendo monerem. Quid ungues unci valeãt, didici ſat anguſtiis contortus,

Eſſe unquamne queat ſolida pietatis amator
Acceptus patriæ?

Iehova miſereatur noſtri tandem, & convertat mortales; ut molleſcant duriſſima pectora, nec ſemper ſua amentia in peccatis tantis damna. Ille revocet cunctos ad ſeriam pœnitentiam, ut unice in verbo eius acquieſcere & inde ſolidam vividamque cordis ſapientiam, non ex puridis opinionum falſarum lacunis, & petere & ſalutariter haurire diſcant: quod merito patriæ & omnibus Chriſtianis meritoque ex animoque apprecor.

Sed Helmæſtadium in ſylvis amœnioribus nunc relinquamus, & revertamur ad penſum hoc talium civitatum abſolvendum. Inde recurrendo ad Albim verſus Wolmerſtadium ſedem Archiepiſcopalem hodie Magdeburg. ibi ad Oram & Biveram fluvios ſitum eſt Haldenſlebium.

Olim ante Henrici Leonis Ducis totius Saxoniæ dominationem civitas hæc iuxta ea tępora propter paludoſum locum & muros cinctos munitiſſima fuit, & plurimis ſudes in oculis fuit; inprimis mentem ad eam flexerat Archiepiſcop. Magdeburg. 16. Wichmannus, Comes Segenburgenſis ex Bavaria, quem Fridericus Barbaroſſa ex plenitudine poteſtatis ſucceſſorem Friderici comitis Wettinenſis ibi conſtituerat & præfecerat. Hic, velut præ reliquis fuit cupidus magnam cogendi ditionem, ita quoque omnẽ queſivit occaſionem, quomodo hanc civitatem Comitum illius loci & nominis antehac, at tunc Henrici Leonis propriam ſibi vendicaret. Et quum ſummo favore polleret apud Cæſarem, ſubſidiariumque ab eo obtinuiſſet militem, in ſocietatem ſimul adſumpto Epiſcopo Colonienſe, obſidione severa eam cinxit, Anno 1181. Dux Saxonicus ei tum præfecerat Comitem Lippenſem Bernhardum, cui multi imputabantur exceſſus. Civitas aggreſſu non erat facilis quidem, ut fruſtra aliquot menſes in obſidione conſumerent: attamen aquarum copia poterat ad extrema perduci. Simili ſtratagematis inventione quum Anno 1605. Dux Henric. Iul. contra Brunſvicenſes ſit uſus, iuvat etiam hoic ex *Chronico Lauterbergenſi* M.S. C. annectere. Qui in Civitate erant, inquit Chronicon, adhuc ſi poſſent eam amplius munire cogitabant: cum enim fluvius Ora, ex una eam parte præterfluens valde muniret, alium tamen fluviolum, qui Bivera dicitur, ad alteram eius partẽ derivantes inacceſſibilem penitus reddiderunt: Aquis enim circumquaque ſtagnantibus, quaſi inſula videbatur. Sed hæc res civitati perditionem procuravit. Deprehenſum eſt enim ex hoc ſitu terræ conſiderato, quod ſi decurſus aquarum aggere iacto prohiberetur, civitas aquis ſurſum creſcentibus mergeretur. Hoc etiam ad obſidionem Epiſcopum Wichmannum mox revocavit. Labore itaque maximo infra tres menſes & duas hebdomadas aggere conſummato in tantum aqua excrevit, ut pene ſuper muros civitatis influeret. Tunc demum Epiſcopus naves armatorum plenas civitati iuſſit applicari. Obteſti autem & captivati rebus ſuis & corporibus ſalvis civitatem ipſius tradiderunt poteſtati, quod conſecuti bono omine diſceſſerunt. Epiſcopus vero civitate potitus, eam funditus evertit, uti'e nimis opus perficiens & valde ſuis poſteris profuturum. Hucuſque Lauterburgenſe Chronicon. Hæc vero eſt altera obſidio Haldenslebii: prior incidit in An. 1168, quæ qua occaſione ſolata ſit, ex eodem Chronico Lauterbergenſi libet referre. Civitas in palude ædificata erat triplici vallo & muro forti munita. Palus autem circa civitatem porrecta non patens, ſed ſub cęſpite latens erat, & cęſpes ipſe non ſolidus, ſed veſtigiis cedens quaſi immerſionem deſuper ambulantibus minabatur. Super hunc machinæ multæ diverſi generis multo labore & ſumptibus magnis ad capiendam civitatem conſtruebantur. Interim vero hi, qui obſeſſi fuerant, ſtultum iudicantes nihil per ſe agere, quoniam huiuſmodi materies flammæ admodum capax eſt, cęſpitem ex ea parte, qua extremo civitatis vallo iungebatur, obſeſſoribus ignorantibus incenderunt. Ignis autem ſubterraneo meatu ſerpens cito dilatatus eſt, qui cum ad locum machinarum veniſſet, cęſpes ſubter igne exeſus, molem ſuperpoſitam ferre non valens, repente ſubſidit, totaque illa ſtructura cadendo ſecuta copioſum igni pabulum miniſtravit. Hactenus iterum *Chronicon Lauterb.* Cum autẽ Haldenſlebium annis circiter quadraginta tribus in ruderibus jacens triſte ſpectaculum vicinis civitatibus præbuiſſet, ſub Alberto Archiepiſcopo, ex Comitib. Hallermundiis nato, ipſo in Italia cum Imperatore abſente, accolis illuc confluentibus iterum inſtauratum urbis veterem formam auſpicato reſumſit,

Fuit vero hic Comes Bernhardus Dux copiarum ſub Heinrico Leone, cuius partes cõtra æmulos maſculo tutatus eſt animo, mulctatus hoc nomine ab Epiſcopo Colonienſi Philippo Feudis, quæ ab iſta Eccleſia tenebat. Eam jacturam compẽſavit Heinricus Leo, data ei præfectura Engerienſi, antiquorum regum & principum Auguſtali. Haldenſlebium viriliter defendit à prima obſidione uſque ad poſtremam: ubi contra naturam pugnare non potuit. Salvo præſidio & arce ſuæ fidei cõmendata, eruptionibus crebris, rapiniſq; vicinos fatigavit, auſus ſubinde uſq; ad muros Magdeburg. prædabundus excurrere. Exſtat Iuſtini cuiuſdam Lippienſis poema vetuſtum titulo Lippiflorii, ſcriptum ante Annos circiter 360. Seculo eſt barbaro pene eruditius comitiuſq;, quo Bernhardi vita & res geſtæ delibantur: cũprimis prolixe ibi deſcribitur, quomodo poſt longinquam militiam, factas cædes, & illatas adverſantibus iniurias, ut mature Deum placaret, proque delictis ſatisfaceret, relictis coniuge, liberis, omnibuſque negotiis mundanis, in Cœnobio Marixfeldenſi cucullum induerit: mo-

ſit: monachatui adiunxerit peregrinationem, ſive bellum ſacrum in Livoniam, eo eventu, ut ibi in novo Epiſcopatu Leahlenſi cathedram indeptus ſit. Vide Encomium eius apud Stadenſem ad Annum 1228. Meminit *Cæſarius, Heiſterbacenſis monachus, illuſtrium miraculor. lib. 9. cap. 37. & lib. 10. cap. 55. Meib. in hiſt. de Henr. Leon. pag. 22. & 23.* ubi etiam Genealogiæ partem Comitum illorum ponit.

In veteri autem Marchia milliari uno ab Angermundo, de quo ſupra actum eſt, diſtat Stendalia, quam civitatem Anno Chriſti 920. Heinricus Auceps Imperator condere incepit, velut etiam & alias civitates. Occaſionem huius intentionis ipſi præbuere incurſiones Vandalorum ad Havelam & aliorum, ut eo rectius eos ſubiugaret. Atque ne ex propoſito excideret, ſed eo citius civitatem eam ad perfectionem deduceret, propterea ultra quinquaginta familiis nobilium, quos in eum finem, ut ipſos ſibi fidelitate ſingulari obſtrictos teneret, hac dignitate donarat, eam implevit, quibus ſua aſſignavit habitacula, & civitatem maximis ornavit privilegiis. *Andr. Angel. in Chron. Brand. lib. 1. pag. 37.* nomina familiarum non incompte pluribus enumerat. Quum vero Vandali Hunnos & Pannoniæ gentes in auxilium advocarent, quas tum Anno 923. debellabat, urgere propoſitum ferventius cœpit, ut vindices pœnas de Vandalis & Megapolitanis ſumeret. Ideoque non tantum frumenta plurima convehi curavit aliaque neceſſaria, ad talem expeditionem facientia; ſed etiam multa caſtella & fortalitia præſertim in veteri Marchia renovari & refici iuſſit, ceu eſt Oſterburgum, Seehuſium & arces atque caſtella ad Biſam: ſimul antiquum oppidum Varinum ad Albim, quod Verbena vocatur, quaſi victoriam exinde comparare (quod Germani erwerben dicunt) vellet ſibi. Præterea Cæſar trans Albim intra Havelam ſingulare Caſtrum cum vallis arduis erigebat in proximo monte, & appellabat eum Montem victoriæ, ceu adhuc locus ille nomen tale retinuit.

Tum etiam Gardelebiam, Angermundam & alias urbes atque caſtra muniebat. Qui erant militum fortiſſimi, iis tales concredebat locos, qui inde Burgenſes vocabantur, propter conſervationem Burgiorum, caſtellorum vel arcium; velut ex hoc quoque in hunc uſque diem cives Burgeri Germanice dicuntur. Quum igitur tales Imperator munitiones per ann. 924. 925. & 926. paſſim perficeret, atque ſimul Arneburgi ibidem ad Albim quamproxime ſelectiſſimas copias ad præſidium firmum ſibi ſuſtentaret; attentiores quoque reddebantur Vandali, Heruli, Obotritæ, & Megapolitani, qui ſimul de neceſſariis belli ſibi accurate proſpiciebant omnibus, & inprimis Brandeburgum communiebant. Stendaliæ tum Ann. 926. vivebat Cæſar, quum Miſtzlaus Rex Vandalorum per legatos bellum ipſi denunciaret apertum. Dimiſſis vero legatis blanditer, ſtatim Comitia inſtituit & maxime Senones ſuos, Saxonas, cum Thuringis alioſque convocavit ſubditos, quibus atrocitatem Vandalorum indicavit. Sed ut eo promptiores fortitudine & animi cōſtantia eos ſibi devinciret, in præſentia Ducum, Principum, Marchionum & Comitum, omnes aulicos ſuos, & quos præ reliqua plebe animoſiores putabat, etiam artifices in civitatibus, ad nobilitatis dignitatem evexit hiſce verbis: Adel/ Edoel/ iſt Ehr-haften; quaſi diceret: Virtus nobilitatis & generoſitatis conſiſtit in firma fidei obſervatione. Finitis his Comitiis Stendalienſibus, omnia ad bellum præparavit, traiecitque cum univerſo exercitu Albim, ubi generale præfecturæ militaris officium Johanni, Henrici Calvi filio, Marchioni Stadenſi, quem vere Heroico animo præditum noſcebat, commiſerat. Sub initio igitur Anni 927. caſtra transferebat & obſidione acri cingebat Brandeburgum, quod Vandali iuxta ſuum Idioma Schorlitzium nominitabāt. Atque ſic tandem in eas coniecit eos neceſſitates, ut cogerentur armis ſe dedere Cæſari, unde & omnes prope deleti ſunt, ac ipſe ſuis nobilibus novis civitatem cum vicinis locis deſtinavit, quæ cauſſa eſt, quod præ cæteris terris ibi & circiter tantus inveniatur nobilium cumulus, ceu idem in Thuringia quoque ad eius rei exemplum deprehenditur. Vandali autem quum recolligere vires & Cæſarem in Monte victoriæ ad caſtra ſua obtuere tentarent, ſecunda vice illos ibi diſſipavit, ingenti ſtrage edita. Proinde commotus eſt Imperator, ut novum ibi circa Landsbergum, Salam, & Marchiam Mediam Marchionatum Brandeburgicum conſtitueret, contra Vandalos reliquos. Atque ſic Anno Chriſti 928. ad huius muneris rationem ſuſtinendam inveſtivit publice Siegfridum Comitem Ringelheimenſem, Coniugis ſuæ Mechtildis fratrem, & ſimul ipſi Vicariatum Imperii cum novo inſigni obtulit, videlicet Aquilam rubeam in pectore cornuum geſtantem in Clypeo albo; Memoriam ut exprimeret hanc, quod Vandalos ibi multo ſanguine Imperio ſubiecciſſet; Ubi ſimul Luna Corniculata indicat inconſtantiam illius populi, qui ſæpius ex agnita Chriſti veritate & obedientia debita reſultet, &c. *Bretuff. lib. 4. Chron. Anhal. cap. 1.* Nobilium autem novorum deſignationem longo catalogo recenſet *Andr. Ang. in Chr. March. lib. 2. pag. 39.*

Hinc quoque eſt, quod civitas Burgenſis tribus milliaribus à Magdeburgo diſtans in itinere, quo ex Stendalia Zerveſtam tenditur, ex arce & caſtello ſuo nomen retinuerit. Eſt vero non minoris magnitudinis in capacitate ſua hæc urbs, quam Stendalia, imo non cedit in hoc Magdeburgo: quamvis non ita munitum ſit, tamen in commodo iacet loco, ut ex valle Roſenthalia optimus ipſi Albidos uſus applicari poſſet; niſi Magdeburgum potiori privilegio & iure Emporii aut Stapulæ abſolute præ cunctis locis ad Albim in Archiepiſcopatu frueretur: unde ſæpius lites antehac ortæ ſunt, ut ipſe quoque nuper aliquo ſolemni actu Anno Chriſti 1619. 17. Martij tali Burgenſium attentato nomine Magdeb. contradixerim. Præcipua autem & fere principalis hæc eſt urbs hodie poſt Halam, inter 28. quæ parent Archiepiſcopo Magdeburgenſi. Alias quoque ſemper fidelis ſocia in pluribus fœderibus contra hoſtes quoſvis patriæ olim cum reliquis vicinis civitatibus extitit, quum adhuc in plenſori eſſet conſtitutæ libertate.

Quando ex Magdeburgo ad ortum verſus Vitæbergam tenditur, quinque milliarium ſpacio ab eo diſtat Zerveſta, ſive Serveſta, uti ab aliis nuncupatur, civitas, quæ nomine optimæ & temperatæ cerevisiæ admodum clara eſt, & celebratur undique per Germaniam, Principum Anhaltinorum antiqua ſedes. Inde nomen tranſlatum gerit maxime, quod olim ante Caroli Magni tempora, imo à Druſi Romani

uſque

usque seculis in veteri Marchia ad Bisam fluviolum & Zeram arx vetustissima sita fuerit Servestia dicta, quasi sehr vestes Schloß, id est, admodum firma arx. Herus illius loci appellatus est Dominus de Zera, aut Zeramundio, quasi ad ostium Zeræ gubernatorem ageret. Carolus autem Magnus quum in veteri Marcha iterum Anno Christi 804. victoriam ageret contra Saxonas, Senones & Longobardos, & convertisset Geronem, Dominum Zeremundanum; Comitem eum Osterburgensem & Altenhusanum effecit. Postea vero Anno Chr. 1155. quum sub Imperatore Friderico Barbar. Albertus Ursus Marchio & Elector Brandeburg. ratione officii Iasonem Vandalorum Principem, & Regis Primislai defuncti ex sorore nepotem ex Brandeburgo ope Wichmanni Archiepisc. Magdeburg. expelleret, in conflictu & expugnatione tali Wernerus II. Comes Osterburgensis Alberti ipsius ex sorore nepos interfectus est. Inde parens eius Wernerus I. ex nimia condolentia antiquam familiæ suæ arcem Zerveslam in Cœnobium Virginale convertit, id B. Mariæ Virgini devovens, unde & hoc Mariævallense nuncupari voluit: Ast incolæ quum huic locutioni assuefieri nequirent, nihilominus illud Zerveslam, mox per metathesim Creveslream dixerunt. *Vide Andr. Ang. in Ch. March. lib. 1. pag. 27. & 28. lib. 2. pag. 87.* Quum vero VVernerus I. iste Comes coniugem haberet Eulaliam Com. Ottonis Anhaltini, cui Divitis nomen adiiciebatur, filiam, quæ soror & Alberti Ursi, Elect. Brand. ac ne nomen antiquissimæ domus interiret, factum est inde, quod quoque ea urbs Servesta sit dicta, quæ ipsa in loco frugifero sita est, & multa in necessitatibus vicinis præsticit.

Annexum huius capitis de Erfurto Thuring.

CIvitatibus iis quoque Erfurtum accensenda veniret in Thuringia, quum & ipsa superioris Saxoniæ circulo includatur; sed paucis id Hanseatico fœderi, cui parum operæ præstat, sufficiat. *Michael Neand. in succinct. Orb. terr. expli. pag. 136.* ex ore rusticorum Thuring. non civitatem, sed regionem hyperbolice eam vocat, & quod eodem anno cum Venetiis condita, id est, Anno Christ. 421. extructa sit. Satis ampla quidem est hæc civitas, adeoque ut in circumferentia prope exuperet supradictas omnes; sed tamen nimis larga est & liberalis locutio talis, quum muris inclusos tot hortos, vineas & monasteria ampla agrosa teneat. Etenim privilegiis nunquam eo usque potuit extolli, ut æquipararetur vel minimis inter civitates Imperiales, quum iugo Elect. Moguntinensis & Saxon. ita penitus prematur; unde & illi toties obiectum ab illis est quidem, quod Erffurtum non sit libera civitas: quod ipsi in publicis confitentur scriptis. Nihilominus Anno Chr. 1584. apologia quadam testatum fecerunt egregie, & explicarunt singulari libello, quæ iura libertatis in statu regiminis & Reipubl. illis competant. Triplicia enim ibi produxere concordata aut pactiones, quas tam cum Elector. Moguntinens. quam cum Elect. Saxon. & Comitibus Gleichianis inierunt: atque *circa finem in* 45. membris demonstrarunt, quæ iura in Regalibus suis sarta tecta reservaverit, quorum exercitium & possessionem continuam allegarunt. Sunt hæc quidem satis notatu digna; sed dum plurima heic & alibi non diffitentur, quæ potioris & eminentioris sunt vigoris, inde proculdubio factum est, quod causam omnium in Camera Imperiali *in Instantia Revisionis* obtinere minime potuerint, velut etiam sententia definitiva, quæ nuper illis dictata est, id luculenter declarat, quod actione exciderint penitus, nec ullo beneficio iuris resarciri queat. Ideoque gratias insignes debent Electori Moguntino, quod tam clementer in puncto tali eminentiorum Regalium eos foveat. Homines fuerunt antehac non adeo liberali ingenio ab antiquis nati, nec tantam spirarunt ingenuitatem, qualis in aliis civitatibus deprehensa est: sed, quum nil aliud, quam horrorum, ventris, vinearum & agriculturæ, &c. curam tanti æstimare didicissent, vix antehac inventi sunt, qui alias & præsertim exteras regiones frequentare studuerint. Quum domi sordescerent ita, nihil æque quam divitias & possessiones terreas, sive avaritiæ studium liberis suis commendando inculcabant, præ quarum venatione nimia vix virtutis cultura respondere in iis altius potuit. Unde etiamnum rustici in vicinis pagis multa in eorum stupiditatem variis historiis dicteria iacere solent. Qui vero in senatu vixerunt, præ reliquis sibi intelligentiæ quid vendicabant: nec raro tamen (præsertim si novas exactiones confingerent) civibus suis suspiciones varias moverunt, velut & Anno 1508. inde valde turbata est eorum Respubl. populo scilicet in senatum acrius inquirente, *ut ait Dresl. part. 1. Mill. 6. pag* 68. Quem tumultum pleniori historia persequitur *Dav. Chyt. lib. 6. Sax. pag.* 167. Republica enim (ait) ære alieno obstricta, senatus novis tributis cives onerarat: nec tamen tutum existimabat, civibus omnia Reipub. arcana, & in quos usus collata esset pecunia, patefacere. Ideoque diu dilatis rationibus alias alio modo elabi conati sunt, &c. Quum cives Elect. Moguntinum, & senatus Elect. Saxon. Fridericum pertinacius implorarent, bellum inde exortum est fervidum, & duravit seditio *sex annos*, donec tandem Imper. Maximiliani auctoritate res discussa & composita est. *Dresl. d. l.* Simile exemplum etiam nuperrime vidimus in eo motu, quem ex eadem causa specietenus concitarunt aliquot ambitiosi: sed quum illi potius locum senatus summum, quam aliud quid ambirent, his facile adoptatis auctoribus & in curiæ dignitates evectis, dempta fuit. Quum autem (*inquit Chyt. d. l.*) populosissima Thuringiæ Metropolis sit Erfordia, ad vadum Hieræ flum. unde & nomen habet, in fertilissimo agro, vini & frugum omnis generis feracissimo sita: breviter hoc loco, de veteribus Thuringiæ Dominis, & qua occasione Erfordia potissimum creverit, pauca annotabo. Multo enim vetustior Erfurdiensi urbe Northusia est, quam Theodosii junioris tempore, sub Merwigo Thuringorum rege, Francorum regis cognato, conditam referunt annales; cuius Merwigi ex filio Bassino nepos aut pronepos fuerit Ermenfridus Thuringorum Rex, Clodovei Francorum regis gener, qui à sororio Theodorico Francorum rege Metensi postea cæsus est. Et quia Saxonum auxilia Theodoricus in eo bello habuerat, Thuringiæ partem ad Unstrud fluvium, versus Hercyniam sylvam eis attribuit, à quibus arx Saxenburgk huc usque nomen retinet. Deinceps igitur sub Francorum regibus Thuringia & Hassia coniunctæ, usq; ad Carolū Mag. & Henrici Aucupis tem-

tempora manserunt. Dagobertus enim Magnus Rex Galliæ & Franciæ Collegium D. Petri in monte, quod iam Erfordiæ mœnibus inclusum est (*anno Christ. 638. & Ultraiectum anno 624.*) condidit. Pipinus Caroli pater Cœnobium Heresfeld in Hassia, item Fuldam, Amerbachium, S. Mariæ in Erfort. Anno Christ. 745. Collegium Fridislariense in Hassia & alia fundarunt. Ita sub Francorum regibus annos 366. Thuringia mansit. Tandem Carolus Crassus Imp. Ducem Thuringiæ præfecit Ludoicum, cuius nepos Burchardus ἄπαις ab Ungaris cæsus est. Quare Henricus Auceps Imp. Thuringiam occupavit; cuius successoribus Saxoniæ Principibus in hodiernum usque diem subiecta est. Etsi enim post Wilhelmum, Ottonis I. Imp. filium, qui Archiepisc. Moguntinus fuit, Thuringiã permissu patris tenuit, successores ipsius, Archiepiscopi Moguntini, merum Imperium in urbem Erfordiam, quod adhuc retinent, & totam Thuringiam sibi aliquantisper vendicarunt: quorum Vice-Dominus, sub Conrado Saliquo Imperat. Ludoicus Barbatus aliquandiu fuit: tamen posteri Barbati, Landgraviorum titulo, Thuringiam ad hæredes transmiserunt, donec ad Misniæ Marchionem, ex Wittekindi Saxonis posteritate ortum Henricum illustrem, Theodorici filium, & Hermanni Thuringiæ Landgravii ex Iudita filia nepotem, circa an. Christi 1250. pervenit, &c.

Academia autem quæ Erfurti habetur primitus ibidem à Dagoberto anno Christi 650. est instituta, & à Bonifacio IX. an. Christi 1391. velut etiam post anno 1460. à Pio II. variis ptivilegiis ornata. Verum anno Christi 1391. restaurata fuit, quum Academia Wurtzburgensis propter diuturna bella eo transferretur, & augeretur hoc accessu; unde magnus studiosorum confluxus ibi fuit, præsertim quum Academia Pragensis turbaretur, & multi Lipsiam confugerent.

Cathedralem autem eius urbis Ecclesiam ulterius S. Bonifacius, qui circa annum Christi 720. in Germaniam venit, perficere studuit. Iccirco templum Beatæ Mariæ magnis sumptibus ædificandum curavit, & sedem Episcopi ibi esse voluit; sed papalibus litteris ab instituto, susceptoque consilio revocatus, Episcopatum Moguntiam transtulit. Remansit tamen cathedrale templum B. Mariæ, cui adiunctum est alterum templum S. Severi, quorum utrumque suos habet Canonicos, Archipræsuli Moguntino subiectos. *Dresf. in part. 2. Mill. 6. pag.* 291. In templo autem B. Virg. ingens campana visitur, qua maior non perhibetur in Germania, quam Ditericus II. Brennensis & Wettinensis Comes Anno Christi 1243. quum à grandi ære alieno, quo prope oppressus erat, à Marchione Theodorico II. protectore Naumburgensis Ecclesiæ per immunitatem exactionum omnium liberaretur, illi loco consecravit. Quur autem Monasterium S. Cyriaci in monte supra urbem positum, ex concessione Imper. in arcem commutarit civitas, id *in dict. Contord.* Senatus satis explicat; quod ibi poterit cognosci.

CAP. VIII.

De politico regimine civitatum Saxonicarum, fida consociatione, & conservatione legali, & exemplo Eimbeccensi.

PAtet igitur iam ex supradictis, quanta vetustas, & in originatione antiquitas, quæ virtus, gloriaque in perpetuo libertatis respectu Saxonum & eorum civitatum fuerit, & quam fideli conglutinatione Fœderum inter sese cohæserint, ut semper unanimitatis in communi periculo & promotione boni publici exiterint studiosi. Nihil antiquius illis fuit, quam infallibilem conservare fidem, & secundum promissa in regulari observantia vivere. Etenim in simplicitate bonam perpetim amabant disciplinæ formam, & communi conversationi non se leviter destinabant, sed veritatem gravem undique commiscebant seduli. unde etiam Respublicas suas indesinenter ad talem revocabant intentionem, quæ pietati & honestati maxime congrueret. Atque ut eo rectius suam Nationem in firmo loco conservare potuissent, non tantum dispexerunt id, quod externe civitates eorum munirer, sed maxime quod ad internam faceret conservationem. Ideoque quoties fundabatur civitas, non tam ipsum confluxum populi curabant, quam eius iustã in cohabitatione mutuam dispositionem. Deinde, quum Respubl. nulla diu absque iudicio, in quo leges & statuta atque regulæ recte cohabitandi suum inveniant vigorem, consistere possit, proinde iurisdictio iudicialis Magistratui cuiusque loci & præfectis iudicii attributa est. Tertio nullum quoque remedium fortius est, quod æque colliget populos, quàm amor pacis & studium mutuæ Concordiæ in libertate sua. Ita etiam Natio hæc Saxonica quoties ad certam sedem se converterat, pro libertatis suæ iure ex membris corporis sui elegerunt sibi tales, quibus honorem capitis cum viribus regiminis deferrent. Quare semper soliciti fuerunt in Electionibus de viris eiusmodi, qui integritatis, iustitiæ, fidei conscientiæque & pacis essent amantes, ac maxime in honore habebant Seniores, & quos ætatis experientia informaverat optime, utpote qui intelligerent, quæ vis libertatis esset. Aliam successionem odio semper habuerunt, quum virtutis & integritatis libertatisq; censura nusquam citius expiret, quam ubi successio electioni præfertur. Etenim facile sic accidit, ut bona regiminis forma in eam libidinem abripiatur, cui successor talis per naturæ vitium se exposuit, quo nihil pestiferum magis & perniciosius Reipubl. adiici potest. Natio itaque Saxonica hoc unice perpetuo egit, ut sibi constituerent maximæ integritatis & æquitatis pacisque amãtes viros, quos præfecerunt corpori Reip. iisque omnem fidem, amorem & obedientiam præstiterunt; Ac ne curia esset eorum vacua, subministrarunt illi facultates liberali manu. È contra Magistratus & proceres populi obligati sunt in omnibus, cuivis iustitiam, securam pacem, & tutelam præstare iuxta iuramenti fidem, ut ita salus populica sive publica rite apud omnes florere posset. Quod si vero, aut internus quis, vel

Digitized by

vel externus exurgeret hostis, nec sufficerent domesticæ vires, visa tutissima apud eos fuerunt fœdera, quæ ex iure naturæ etiam sibi confingebant. Domi autem suæ unaquæque communio, sua rite conservabat statuta firmiter, ne quid subreperet mali, aut discordiæ.

Ante omnia tamen Mediocritatem ceu genitricem Concordiæ & civici vinculi in æqualitate amplexi sunt: quemque sub iustitiæ clypeo protegebant; & commerciorum summi erant patroni: proprium commodum, lucrum in proximi enervationem tendens, & talia odio habebant. At veluti pluralitas legum utplurimum maximas in interpretatione varia parit corruptiones; ita prorsus abhorrebant ab iis, quæ à moribus eorum quid alienum introducere videbantur. Quapropter simplicitatem magis & apertam frontem in legibus amabant, quã longam & inanem perplexitatem in ambiguitatibus consistentem. Ubi dilectio proximi caput est rerum, ibi facillimi sunt leges regiminis omnes. Saxonicæ eiusmodi virtutis vestigia adhuc in civitate Eimbeccensi apparent, quæ heic exempli loco producam, ut inde possit iudicium de reliquis civitatibus sumi, ac quibus moribus coierint, & in quantum hodie à priscorum candore deviarint plurimæ. Aperta est locutio talium statutorum in omnibus, quæ Anno 1573. sunt renovata ita, ut bis singulis annis pro maiori inculcatione apud populum publice possint proclamari, veluti fit primo iudicii die post festum Paschatis, atque itidem post festum Michaelis.

Verba sunt plana undique, quæ sic se habent contracto modo:

1. QUilibet civis ante omnia abstineat à contemptu Dei & impietate omni. Assiduus sit in exercitio pietatis, & simul fidelem se verbi cœlestis auditorem factoremque exhibeat. Qui vero die Sabbathi sub concione, in foro aut alibi in civitate otiosus & rebus ludicris incumbens invenitur, toties, quoties hoc committit, absque ulla remissione, marcam Eimbeccensem publicæ utilitati solvet.
2. Cella vinaria publica singulis Sabbathi diebus & feriatis plane occlusa manebit, nec in iis temporibus ullus ibi admittetur hospes.
3. Sic & feriatis diebus talibus in publicis diversoriis nuspiam sit ullum convivium per civitatem totam, præsertim sub concionibus. Quod si quis in hoc delinquens deprehendatur, uterq; hospes, tam recipiens quam recepti solvent marcam pro mulcta.
4. Quin & in nullo diversorio civitatis ulla inhonesta aut suspecta mulier recipiatur aut toleretur sub pœna arbitraria.
5. Sic nec ullum ludorum genus, aut in diversoriis, aut aliis locis perferatur, ut sunt alea, charta lusoria, &c. sub pœna 5. Marcarum.
6. Diebus feriatis nec tympani aut sonus talis audiatur, nec commercia tractentur sub pœna 1. Marc.
7. Tempore messis & festis diebus curruum tumultus in civitate nullus sit, sub pœna 2. Marc.
8. Adulterii pœna erit 40. Marcarum primitus, & relegatio ad biennium, postea apertam sub receptione pœnitentiam in templo agat.
9. Quod si vero excessus sit nimis palpabilis, corporalem pœnam vitæ sibi reservat Senatus. Scortatio autem simplex viro iuveni imponet 20. Marc. mulieri 10. Marc. cum relegatione unius anni.
10. Qui puellæ virginitatem eripit, ducat eam, aut dotet in tantum, ut pro qualitate conditionis alteri nubere queat. Alias tam diu ex urbe exclusus erit, donec res sit transacta penitus. Attamen respiciatur, cuius culpa corruptio facta sit.
11. Si maritati in dissidio vivant, illi audientur coram Senatu, & nisi compositionem admittant, penes quem culpa fuerit, relegabitur ex civitate, donec ad saniorem mentem redeat.
12. Si quis compaternitatis iure ad S. Baptismatis usum vocetur, & is deneget, incidet in 15. Marc. pœnam.
13. 14. 15. 16. 17. Agunt de ceremoniis, sumptibus, & honorariis huius actus sacri, quibus omnia ad parsimoniam revocantur.
18. usque 27. Agitur de matrimonio legitime contrahendo, & maxime de solemnitate nuptiarum, quod omnia iusto tempore, sine magnis impensis fieri debeant, tam in vestitu, quam convivio, ad quod certus numerus sub pœna 4. 5. Marc. solũ invitari debeat, nec ultra 4. edulia apponantur.
28. Nec vidua ulla ad secundum procedat coniugium, nisi prius ordinati sint tutores liberis ex priori matrimonio, & iusta divisio bonorum sit facta in præsentia 2. Senatorum & civitatis Secretarii, sub pœna 10. Marcar.
29. Omnium tutorum fides hoc requirit, ut statim in exordio inventarium bonorum componi legitime curent, & inde quotannis rationes reddant proximis pupillorum agnatis & 2. Senatoribus, sub pœna arbitraria.
30. Quisque cerevisiarum Coctor in Eimbecca, sub pœna 1. Marc. in suis ædibus in promptu habeat situlam vel urnam ex corio confectam, Item scalam unam atque alteram appendicularem, Item ligones incendio inservientes, item Vannum cum incerniculo, Laqueum & funem, nec non cribratorium aquæ, & similia instrumenta.
31. Nemo quoque in Eimbecca hordeum aqua madidum in maltam rediget, ut rude germen erumpat, nec enatis inde ligulis id torrebit, nec mola confringi curabit, multo minus coquet cerevisiã, nisi propriarum ædium sit Dominus, aut locum ædium talium possideat, & in bonis ad 40. Marc. obtineat, sub pœna 50. Marc.
32. Intra festum Pentecostes & Iacobi nemo sibi coctorum maltam conficiat, sub pœna 5. Marc.
33. Nec ulli adolescenti ædes vendantur, nisi sit 25. annorum, nisi forte ducet ante pleniorem eam ætatem civis filiam, tunc admittendus est.
34. Nemo coquat cerevisiam in ædibus, nisi æque inhabitet eas iuxta exemplum vicinorum, sub pœna 50. Marc.
35. Nec quis focum in cupreis vasis coctilibus per duas noctes foveat, pro coctione cerevisiarum, sub pœna 5. Marc.
36. Quilibet aut quælibet civium, non ultra quid hordei, tritici, lupuli & ligni coemat, quam ipsi victus & commercii loco per anni spacium sufficiant, sub pœna arbitraria.
37. Nec civium ulli concedetur, ut in pagos excurrat,

rat, & frumentis vendendis creet præiudicium, ceu antehac factum, sed in foro aperte emat, aut alibi certum substituat emptorem, qui ipsi prouideat necessariam utilitatem. Qui hanc fregerit legem, certa pœna certus afficietur.

38. Quibus vero in propriis agris hordeum, triticum & lupulus nascitur, si quid superfluum sit, id vendant absque suppositione aliis, in legitima mensura, nec fiat permutatio pro cereuisia facilis, nisi taxatio facta sit prius à Deputatis Senatus.

39. Agricolis inhabitantibus Eimbeccam, qui vecturis lignorum utuntur, concessum est, reliquis concivibus pro iusto precio aut permutatione iustæ cereuisiæ vendere ligna absque dolo, si evitare velint nominatam pœnam.

40. Nec coquatur in Eimbecca cereuisia ex malta, quę ex aliis locis sit apportata, sub pœna 30. Marc.

41. Nemini alterius nomine licitum sit cereuisiam vendere, aut vasis includere, sub pœna 5. Marc.

42. Ex ædibus ijs, in quibus coquitur cereuisia, non efferatur subductitius ignis sub pœna 1. Marc.

43. Ministri coctioni cereuisiali inservientes non cariori precio quam hactenus factum est, alantur; nec carbones ignitos usquam ex ædibus cereuisialibus auferant secum.

44. Quisque Coctor cereuisiarum, aut quicunque tales incolat ædes, frumentis necessariis ante omnia suas ædes instruat; & præsertim ut circa Festum Iohan. Baptistæ adhuc secum 2. Malderos Siliginis aut totidem similaginis & farinæ adserver, sub pœna 5. Marc.

45. Sic & Fabri Vannorum ad unum Malderum siliginis obligati sunt circa idem tempus, sub dicta pœna, nec ulla valebit exceptio.

46. Nec posthac in Eimbecca ad concoctionem cereuisiæ admittetur, nisi qui parietes omnes domus bene obfirmarit contra vim ignis.

47. Idem præstabunt vasorum fabri, aut utrobique senatui 5. Marc. pœnæ loco solvent, & tamen id peragent.

48. Si periculosa sint loca & igni facile exposita, atque in iis stramen, linum, lignum & similia inveniantur, quamvis dicta talibus sit pœna 5. Marc. tamen Provisores & Visitatores id indicabunt Senatui sub pœna 1. March. ut eo rectius damna præcáveantur.

49. Nec servus aut famula, quæ non in servitio vivat, aut alia suspecta persona in nostra perferatur civitate, nisi civium iure recepta sit, sub pœna 10. Marc. quæ solvet recipiens.

50. Quæcunque serva aut minister operas suas in civitate nostra elocat, id servet; quod si vero alii itidem se obliget, & fidem priorem frangat, ille aut illa tamdiu relegabitur ex urbe.

51. Quod si autem ministrum aut famulam Dominus prior dimittere nollet, & talis ulterius Domino huic operas addixerit, tunc tenetur minister aut famula id posteriori Domino in mensis unius spacio indicare; quæ si non debite facta sint, aut relegabitur ex urbe, aut præster alteri fidem.

52. Si forte famulus aut ancilla ante tempus obligatum discedere à Domino suo tentet, statim excludetur ex urbe, aut præstet fidem.

53. Quicunque famulorum aut servarum in civitate nostra continuabit & absolvet 10. annos apud unum Herum, debitum officium honeste persequendo, 10. Marcas lucrabitur in comparando iure civium.

54. Omnis ex sexu masculino, aut fœmineo, qui cómune ius civitatis ambit, solvet pro sua parte senatui 21. Marcas.

55. At qui ius particulare in coctione cereuisiæ experit, solvet 52. Marc. si simul collegii huius filiã ducat aut viduam, & è contra. Alias, qui plenaria iura quærit tribuum, solvet 104. Marcas.

56. Si quis extraneus antehac comparaverit sibi ius civitatis, & postea extraneam ducat, is solvet adhuc suo nomine 4. Marc. pro cóiunge vero 21. &c.

57. Qui damnum incendii pertulerunt, & collegiũ coctorũ cereuisiæ ambiunt, solvent ipsi 15. Marc. reliqui 26. Marc. adijciant.

58. Civis cuiuscunque generis aut filius eius, qui spacio 2. annorum non recognoscet iura civitatis apud Camerarios, amisit illud, nisi subsit casus, &c.

59. Quilibet civium & quælibet etiam liberorum, qui alio se convertet, & transferet arbitrationem absque consensu senatus, amittet ius civitatis, sic & qui ita alibi nuptias contrahat.

60. Qui coram senatu aut in iudicio alterum iniuria afficit, statim in loco arrestabitur, nec dimittetur, nisi mulctam solverit.

61. Sic & qui senatori alicui iniuriam inferet, cuique 60. Schillingos debet, ut ita 12. floreni solvantur ærario publico, absque respectu.

62. Qui vero rebellionem caussare studeant, illi pro qualitate delicti pœna corporis aut confiscationis afficientur.

63. Nemo in ædificiis erigendis alteri obscuret lumen, nec fenestra offendat alterum: sed observentur leges Ædilium.

64. 65. 66. 67. 68. 69. 70. 71. Agitur de commoditate & necessitate ædificiorum eorumque ordine & maturitate, ac usu, &c.

72. Qui criminalem actionem contra quem tentaverit, spacio sex septimanarum id probabit. Si caussa gravis, adiicientur 14. dies. At qui non sufficienter hoc spacio probabit, 5. libras argenti Senatui pro malitia solvet.

73. Qui atrocem iniuriam in quempiam commiserit, & in hoc convictus fuerit, ille 10. vecturas lapidum ex latomia civitatis curabit ad designatum locum, & solvet parti, quod ipsi sententia iudicialis ulterius imponet.

74. Singulis annis quisque partem suæ plateæ restauret sub pœna 3. Marc.

75. Nemo quid in platea absque Senatus consensu mutabit sub pœna 1. Marc.

76. Singulis annis prætor cum adiunctis visitet stateras, libras, ulnas, mensuras, modios, &c. & examinet, num cum Senatus prescripto concordent, & signa impressa rite sint. Si defectus inveniatur, pœna erit 10. Marc. Ita & vini cereuisiæque mensura examinabitur; Et quoties placeat illis.

77. Quãdiu singulis sabbathi diebus ex curia signo id civitatis indicatur, nemo quid emat in monopolii sui lucrum, quod Vorkauff dicitur, sub pœna 5. Marc.

78. Singulis annis die Mercurii post festum Pentecostes quisque cum armis suis in vallo civitatis compareat sub pœna 2. Marc.

79. &

79. & 80. Nemo arma ſua vendat ſub pœna 5. Marc. Et quiſque coctor cereviſiarum & huic collegio affinis Galeam cum Chlamyde ſibi comparet.

81. 82. 83. 84. & 85. Agit de purgatione fluviorum & platearum, atque quo tempore id fieri debeat, ſub pœna certa.

86. Qui inter arandum vicini agro quid detrahet, pro quaque fiſſura ſenatui marcam ſolvet.

87. Qui limitem tranſportat, aut opprimit, aut foſſa obvertit, ſingulis vicibus tres libras argenti Senatui ſolvet pro delicto hoc.

88. Qui damnum aliquod alterius horto, ſepibus, arboribus, &c. proprietario ſatisfactionem præſtabit & Senatui 5. Marc. ſolvet pro damno infecto: at ſi furto adſimulari hoc queat, ſeverior pœna ei rèſervabitur.

89. Bona quæ ad hæredes exteros transferuntur portionem ſolvent Senatui proportionalem.

90. Mortui non diu ſuo ſepulchro careant.

91. Civium nemo abſque Senatus conſenſu in ulla actione ad alterius iuriſdictionis forum pertrahatur, niſi in caſu denegatæ iuſtitiæ, ſub pœna 60. Marcar.

92. Qui non legitime appellationem inſtituit, aut eam rite perſequitur, item Senatui 60. Marc. ſolvet.

93. Quiſque civis abſque mandatario in debiti aut crediti actione ſuus ſit ſibi patronus, niſi adſit corporis defectus.

94. Nemo ceſſiones in debitis ſibi emat ab alio contra concivem, niſi coactus.

95. Periurus iudicialiter in perniciem alterius, pœna ordinaria punietur.

96. Proprium paſtorem nemo habeat, ſed utatur communi civitatis ſub pœna 10. Marc.

97. Vltra 3. dies nulli pecorum mercatori in prato communitatis libera erit paſtio, aut pro ſingulo Marc. ſolvat cotidie.

98. Qui alteri emptionem aut contractum aliquē interturbat, pro pœna ſolvet Marcam.

99. Nemo quid emat extra civitatis muros præſertim ligna, &c. ſub pœna 10. Marc.

100. Nemo gramen aut frumenta alteri demetat ſub pœna 10. Marc.

101. Atque quum fœneratio omnis contra conſcientiam pugnet, & tamen pro peccato non habeatur, ſed quiſq; addictus ſit huic depeculatui; proinde nemo in Eimbecca ultra 5. pro 100. uſuras ſolvat, nec aliud quid, quam argentum penſet; alias quarta pars ſummæ ipſi confiſcabitur.

102. Nemo armatus incedat, niſi cui licitum, ad iuſtum modum, ſub pœna 1. Marc.

103. Nemo in civitate aut intra hortos & confines locos ſclopeti ictu utatur, aut damnum quid inde cauſet, ſub pœna relegationis.

104. Si quis quempiam interficeret caſu, nec deprehenderetur, exul erit per 10. annos; & ſi cum defuncti agnatis tranſigat interea, ſub reditu Senatui 60. Marcas ſolvet.

105. Quod ſi vero caſus ſit mere fortuitus aut inculpatæ tutelæ, & ſufficienter probatus, 5. ann. exulabit & 30. ſolvet Marc.

106. Qui arreſtatus fuerit à Senatu, & id violabit quis, incidit in relegationem Senatus.

107. Præfectus vicinæ cuiuſque hoc obſervet, ut ſingulis ſeptimanis quiſque civium ſuam purget plateam ſub pœna 6. Schilling.

108. Vltra 3. dies funus non patietur in plateis, ſub pœna arbit.

109. Si quis noctu turbas moveat, is eiicietur ad certum tempus è civitate, nec ſine mulcta denuo recipietur.

110. Hyberno tempore poſt horam 8. & Æſtivo poſt 10. abſque lumine nemo in plateis conſpiciatur, ſub pœna arbitr.

111. Loca privilegiata ſunt Curia & Oenopolium civitatis, qui ibi aliquid iniuriæ aut violentiæ exercet re aut verbis, 60. Marc. ſolvet Senatui.

112. Nemo exerceat bacchanalia ullo indicio ſub pœna 1. Marc.

113. Nemo putredine lini fluvium inficiat, ubi ſe in civitatem effundet, ſub pœna 2 Marc.

114. Sic nec quis ſordidas deductiones in fluvium ibi derivet ſub pœna 5. Marcarum.

115. Sic nec piſcatores reticulis nimium conſtrictis utantur in devaſtationem piſcium mollium & primitus germinantium, ſub pœna 5. Marc.

116. Sic & obſervari debent tempora procreativa leporū, ne tunc turbatio fiat, &c. ſub pœna eadem.

117. Quiſque relegatus obſervet ſententiam dictam, ne ſub pœna corporis alicubi latere tentet poſt eius promulgationem.

118. Qui pullulaſcentes arbores aut nuper plantatas evellet, aut perdet in prohibitis locis, pro quavis 3. libras argenti Senatui ſolvet cum ſatisfactione.

119. Nemo quoque ultra dimidiam partem evictionis, quam tenet in ædibus ſuis, oppignorabit, ſub pœna arbitr. Quam ob cauſſam obſervatio inſtituetur ſingulari regiſtro.

120. Præterea nemo poſthac particulam ullam ab ædibus ſuis aut poſſeſſione loci abſciſſam abſque conſenſu Creditoris hypothecarii divendet, alias ipſa venditio nulla erit.

121. Cui excubiæ ad Portam competunt, is muneris ſui rationem habebit, aut id perficiet per alium civem, alias pœna 1. Marc. ipſi dictabitur.

122. Magiſtratus bona ſint ab omni violentia tuta, ſic & pecora, feræ & piſces.

123. Quilibet abſtineat à calumniis, nec quid acrius in Senatum eiuſve membra evomet, ſub pœna turis ordinaria.

124. Quod ſi tempore hyemis neceſſum ſit aperire glaciē in foſſis civitatis, quilibet hoc faciat prompte, aut pœnam vicinorum 10. Shil. ſubibit, vel ſi hoc deneget, Senatui 1. Marc. ſolvet.

125. Si incendiii periculum adſit, nec ſtatim advolēt cives aut filii eorum cum debitis inſtrumentis, ius civitatis amittent.

126. Ita etiam ſi inflammatæ ſint ædes aut habitacula alicuius, nec in tempore indicium faciat, amittet ius civitatis, & ad damni refectionem tenebitur.

127. Quod ſi quis ēt in convivio aut alio ſympoſio litē adſeclis moveat, tunc hoſpes imponet ſilentiū & pacē litigantibus, ne ulterius re aut verbis quid tentent. Qui vero non obedientiā præſtabit, abſque remiſſione Senatui ſolvet 5. Marc. Si autē pacē domeſticā quis frangat, ſupplicio graviori mulctabitur, ꝙ per expreſsū Magiſtratus ſibi reſervat.

Quum veteris Saxoniæ mores, & integritas, atque diſciplina vere civilis in hoc Schemate appareat,

unde ſtatum ſuum civitates in ſimplicitate candidiori conſervare potuerunt, & cum aliis civitatibus, etiam longe diſſitis, in firmam ſocietatem coire & coaleſcere, exemplum hoc heic producere volui, ut civitatum honeſta intentio pro libertatis defenſione eo magis enitescere queat. His & ſimilibus enim legibus facile Reſpubl. quælibet conſolidari, & cives in debitam obſervantiam procerum ſuorum retrahi, inque mutuo officii amore conſervari poſſent; ut non opus foret ingenti Volumine tot confingere leges absque efficacia; modo Magiſtratus ipſe ſuo rite fungatur officio, & exemplum præbeat iuſtum ſubditis. Saltem vere Chriſtianam iuventuti accomodet educationem, quæ baſin ſolidam porrigit, ſi abſit & rite excludatur ethniciſmus, ut alias oſtenſum eſt. Apparet autem ex talibus conſtitutionibus, quæ mutuo opere ex ſententia & approbatione populi profluunt, quanta ſit & ſemper fuerit libertas civitatum Saxonicarum, quod ipſæ leges particulares pro conſervatione ſtatus ſui figere, extendere, & imminuere aut prorſus refigere queant: velut ſingulare reſervatum hoc ſibi ſemper cum aperta proteſtatione vendicant. Veluti etiam, quanta populi ſit in civitatibus talibus poteſtas, ſatis hoc patet ex tot mutationibus, quæ variæ paſſim fuerunt in auctione aut imminutione numeri eorum, qui ad Magiſtratus officia extolluntur, &c. Sed nunc expedita prima parte huius Societatis, ad civitatum Vandalicarum, quibus primaria in Fœdere Hanſeatico propter originem eius adſignatur auctoritas, enumerationem & deſcriptionem, cum eiusdem gentis deſignatione originali, tanquam ad ſecundum huius Fœderis membrum nos convertemus.

CAP. IX.

De Vandalicæ gentis origine, & eorum anteceſſoribus Suevis ad Mare Balthicum.

QUum Vandalicæ civitates in fœdere Hanſeatico potiores ſibi vendicent partes, nec minus æquum erit, earum accuratam habere curam, & quæ de gentis eius laude memorabilia prædicari queant, quatenus tamen ad hanc informationem faciant, annotare. Ideoque ante omnia obſervandum, quid nominis huius ratio importet, & quæ ipſi competant. *Hadrianus Iunius in hiſtor. Batavia ſuæ cap. 21 pag. 371.* de Vandalorum voce hæc habet: Vandalos, ait, à peregrinando dictos volunt, quaſi ambulones, à Wandelen / quod eſt ambulare, & ſpacia facere: Quos ego potius à Daliis populis (unde exierunt colonias quæſituri) nuncupatos iudico. Extant namque hodie in parte Scandiæ, quæ Norvagia dicitur (Plinio Nerigos appellata haud dubie, modo integra ſit lectio) è regione Cimbricæ Cherſoneſi, Coperdalia regio, Oſterdal, Ubdal, Zuyderdal, Nydal, Foſdal, Sundal, Mondal, Ganzendalia, Holmdal, Socknadal, Caperdalia, & id genus plures quum vici, tum oppidula, è quibus egreſſi, traiecto freto, vix unum miliare lato, continentes terras inundarunt. Egregia quoque militiæ laude nobiles ibi ſunt Dalcarlii, ſive Dalecaroli rectius, natio bellicoſa, & in quam apte quadret quod de Æacidum gente extulit Heſiodus:

Pralia quæ pluris ducit, quam fercula menſæ.

Quibus ludus eſt nuda capita gladiorum ictibus exponere; quod omnia habeant ſpiſſiſſima duriſſimaque: quæ ſauciata iniecta medicati lardi tomo perſanant. Sunt, qui Windos & Henetos cum Vandalis confundunt, &c. Hactenus Iunius, ubi tamen ſuum in varietate Nominum talium ſuſpendet iudicium, velut etiam derivatio nominis, quam ille adducit, duplici ratione vacillat, ut poſtea explicabitur, ſi prius cognomina ſint detecta ex aliis. Namque etiam Winuli interdum dicuntur, & Sclavi; quamvis *Crantz. Metropol. lib. 4. cap. 11.* Winnidos partem Vandalorum velit, & addit hæc: Generale quidem & antiquiſſimum huius gentis vocabulum eſt, ut Wandali vocitentur: Sed corrupto (ut fit) vocabulo, tum Winuli dicebantur, & nunc apud omnes Sclavi, quod ipſum nomen Bohemi vetuſtiſſimum ſuo inſcribunt honori, à memoria etiam turris Babylonicæ, quod verboſos ſonat. Sic & *David Chytræus in lib. 1. Sax.* eoſdem Henetos & Venedos dictos fuiſſe affirmat, his verbis, ubi de eorum ſede ſimul agit: Univerſam Balticilittoris oram, Heneti ſeu Venedi populi, quos Germani Wenden / Itali Sclavos, quidam noſtrates etiam Vandalos appellant, circa ann. Chriſt. 500. poſt fatales illas gentium migrationes occuparunt, & à mari Balthico, ad Albim, à fontibus, (ſeu rivis undecim, antequam Boemiæ montes exeat, in eum confluentibus, unde nomen Elve fluv. factum exiſtimatur) fere ad oſtia illius aliquot ſeculis conſederunt, & late dominati ſunt; donec ab Henrico Aucupe & Ottone Magno primum ad Albim & Havelum aliquantulum repreſſi; deinde ab Hentico Leone annis poſt primam illorum immigrationem ſexcentis continuis partim cæſi ac deleti, partim ſervitute extrema oppreſſi; & una cum religione Chriſtiana, novæ Germanicorum populorum & Saxonum coloniæ in has regiones inductæ ſunt, tametſi in hodiernum uſque diem, paſſim ad ripam Albis miſeræ gentis Henetæ ſeu Sclavicæ reliquiæ in Luſatia & alibi hærent. Ab his veteribus incolis Henetis ſeu Wendis, quos Vandalos aliqui vocarunt, totum hunc tractum Germaniæ inter Mare Balticum, Viſtulam, & Albim interiectum, Vandaliam Crantzius appellat, quem hoc tempore ſex urbes Vandaliæ, ditio Megapolitana, Pomerania, Marchia Brandenburgenſis, Luſatia, Boemia, occupant. Et orientem verſus Moravi, Poloni, Ruſſi, Moſchi, Circaſſi, ſicut ad Slavum & Danubium & Mare Adriaticum Illyricæ gentes, Carni, Croatæ, Boyſini, Raſci, Servii, Bulgari, Hiſtri, Dalmatæ, & omnes in univerſum Slavonici populi, eadem cum Bohemis, Polonis, & noſtris popularis uſus hoc tempore latius in Europa pateat, & pluribus in regionibus & amplioribus regnis, imo in Turcici etiam Imperatoris aula colatur, quam Vandalicæ ſeu Heneticæ.

Certum eſt autem, eiuſdem gentis, quam Wenden Germani appellant, appellationes eſſe, Henetos, Venetos, Venedos apud *Ptolemæum lib. 3. cap. 5.* tenent Sarmatiam, maximæ gentes Venedæ per totum Venedicum ſinum, Venedos & Tennos *apud Tacitum*, Sclavos apud *Gregorium Papam*, *Blondum* & alios plurimos, Servios & Sorabos, à Sarmatis veteribus nomen habentes inter Salam & Albim, Winitas & Winulos apud *Helmoldum* Chronici Slavorum ſcriptorem, ac *Plinius de ſuxino agens, diſerte ſcribit*, Venetos, à Græcis Henetos vocari proximos Pannoniæ,

niæ, circa mare Adriaticum, ubi & Herodotus Henetos collocat, quos ab Antenore Troiano, poſt everſum Ilium, ex Paphlagonia eo ductos eſſe, Livius initio ſuæ Hiſtoriæ adfirmat, cum prius in Aſia minore, prope Phrygiam ſedes habuiſſent, quæ poſtea à Paphlago Phinei filio, Paphlagonia dicta eſt teſte Homero: Παφλαγόνων ἀπὸ γῆς πολυμήλου λάσιον κατὰ ἰξάνθην. Sive igitur à veteribus illis Henetis, cultiſſimæ genti Ionicæ in Aſia vicinis, & in Europam ad Mare Adriaticum deductis; ſive ex Sarmatiæ Europæ & Aſiaticæ campis latiſſimis, olim progreſſi Wendi ſeu Slavi, utramque Iſtulæ & Viadri ripam uſque ad Albim conpleverunt: Certum eſt hunc maris Balthici tractum, in quo vivimus, annos circiter ſexcentos ab iis habitatum eſſe eorumque imperio paruiſſe. Sicut adhuc veſtigia nominis in vicina Hexapoli, & in ditione Megapolitana Principatus Wendorum, cuius Guſtrovia, Malchin, Robel, Waren, oppida ſunt, & in Pomeraniæ ducum titulo, Caſſubii & Wendi, & in Marchia ac Luſatia ad Boemiam uſque habitantes Wendi incolas veteres demonſtrant. Etſi autem de nomine Vandalorum quidam vere diſputant, non recte illud his populis, quos Wendos & Sclavos vulgo vocamus, aſſignari: cum inter Germanicas gentes *Tacitus & Plinius lib. 4. cap.* 14. Vandalos recenſeant: *& Procopius* initio belli Vandalici, quod Bellitarius Iuſtiniani Imp. auſpiciis in Africa geſſit, Vandalos Gothicam gentem, eadem cum Gothis (Germanicè locutos non dubium eſt) lingua uſos fuiſſe, adfirmat: tamen cum vel à nominum affinitate (vicina enim inter ſe nomina ſunt Wenden & Vandali) vel à ſedibus iiſdem, quod poſt migrationem Vandalorum in Gallias, Hiſpaniam & Africam Henetiſeu VVendi eorum terras poſſederunt, (ſicut poſt migrationem Boiorum ex Boemia in Bavariam, nihilominus novi incolæ Zechi ſeu Slavi, veterum incolarum nomen retinent) hæc appellatio Heneti, à multis annis aliis noſtræ ætatis hominibus eruditis, tum vero ab Helmoldo etiam, qui Chronica Slavorum ante quadringentos annos Lubecæ ſcripſit, tribuatur; communem uſum nominis Vandaliæ nos quoque retineamus.

Indicat autem Helmoldus, primam in hoc littore Baltico ad orientem Slavorum nationem eſſe Ruſſos, (ipſe Ruzos appellat) deinde Polonos: His ſuccedere, qui antiquitus Vandali, nunc autem VVinuzi ſeu VVinden vocentur, quorum primi ſint Pomerani inter Viſtulam & Viadrum ad Mare habitantes. A Viadro occidentem verſus Leubuzi, & Wilzorum ſeu Leuticorum populi: Tolentii ad fluvium ὁμώνυμον, Neobrandeburgum & Treptoviam alluentem. Redarii ab urbe Rethe (forte Rotel hodie.) Circipani, ad Panim fl. in cuius ripa ſunt oppida, Marchia, Demin, Anclam, Wolgaſt. Kyzini forte in comitatu Gurzgow. Nam Rugianos ſeu Ranos, gentem fortiſſimam, Helmoldus, inhabitare inſulam Wilzis oppoſitam, refert. & VVilzis finitimos verſus occaſum VVernavos ponit ad Varnum ſeu Arnum fl: qui Sternebergam, Butzovium, Cygnæam & Roſtochium præterlabitur. Inde Obotritos, quorum Metropolis ſit Mekelenburg prope VViſmariam. Polabi ad Raceburg. VVagrii ad Lubecam & Aldenburgum. Heruli & Heœldi ad Havelum fl. Bryzani forte nunc Prignitii, quorum Metropolis Perleberga. VVilinos & Stoderanos ad Berlinum & Brandeburgum collocant, quæ loca ante Vandalorum immigrationem, Senones Suevi tenuerunt: ſupra quos mare Balthicum verſus Teutonarios & Teviones, ubi nunc Roſtochium & VViſmaria Megapolitanæ urbes florent, & ſupra Teutonarios, occaſum verſus, Saxones, in collo Cimbricæ Cherſoneſi, Ptolomæus collocat, &c. hucuſque Chytræus. Quamvis igitur de ſede & nominibus populi Vandalici hæc conſtent, tamen non poteſt derivatio Hadriani Iunii eum hoc invenire locum, qi em ipſe putat, ut ſupra allegatum eſt. Duo enim errata hoc maxime evitanda ſunt, quæ non facile poſſunt ſalvari. Etenim quod ille Vandalos, quaſi ambulones dici putat, id ratio ſermonis & linguæ omnino non admittit, etiamſi reſpectu Germanorum hoc vocabulum à Wandelen derivare velit. Namque ipſe *in eodem cap 21. hiſt. Batav. pag.* 391. id teſtimonium de Germanismo affert Romanis, quod illi nequaquam potuerint ita commode reddere vel pronunciando vel ſcribendo vocabula Germanica, ſervata nativa prolatione, quin ſuo more adjicerent ſemper aliquid aut detraherent. Si igitur ab ambulonibus diterentur, certe non concedit id ingens diſcrimen linguæ Vandalicæ & Latinæ, quæ infinitis modis inter ſeſe diſſident adeo, ut neque quidquam veſtigii inde appareat, nedum quod cognatio quædam inde confici queat. Quippe neque Germani ſic à Latinis in deſignatione populi huius id potuerunt mutuari, ſi ſuo nomine proprio ita dicti fuerunt Vandali: Sed ſi Vandali id habent à Germanis, quod propter illud perpetuum Wandelen/ dicti ſint VVandali aut Vandali poſtea, certe ad Latinitatis Originem ea vox nunquam detorqueri poterit, quum ab inconſtanti ſedis loco & facili motu obtinuiſſent hanc appellationem, quod Germanis dicti fuiſſent Wandelerø/ quod etiam longe veriſimilius apparet, quum iiſdem vocati ſint quoque Wenden, quod eſſent verſatiles, tam in levitate mentis, quam motus externi, quum ſic varie vertere ſe & Inverti poſſent. Verum hæc Iunius ex aliorum locutus eſt atteſtatione. Aſt longe alienior eſt à re ipſa & ab omni fide hiſtorica, quod Vandalos à Daliis populis derivare velit, quum ea opinio ipſa rerum veritati & populorum nationi in hiſtoriis contradicat. Etenim quũ Suevi vel Sueones cedere cogerentur Vandalis, non hi ex Suecia in eas partes terræ ad Mare Balticum venerunt, ſed potius ita expulere Suevos, ut trans mare in Sueciam magna ex parte commigrare coacti ſint; unde etiam Suecia nomen ab his gentibus accepit. Tum quoque Daliorum nomina longe ſunt poſteriora. Et teſtatur ipſe *Helmoldus Presbyter in Chron. Sclav. cap.* 1. quod Sueones, quos illi tunc Northmannos vocarunt, vicini fuerint Danis in Septentrionali littore huius maris, & Sclavorum nationes littus Auſtrale incoluerint, ut primi eorum fuerint Ruzi ab oriente uſque, deinde Poloni, &c. *Fridebornius in Chron. Stetin.* ordine id recenſet, ceu omnia accurate collegit & *ex Sigiſmund. Scherkely præf. in Helm.* ut plurimum in patriæ ſuæ honorem & laudem deduxit, unde non immerito ipſi fidem rectius applicamus. Is ita loquitur: Hiſtorici Romani confitentur aperte, quod temporibus Iulii Cæſaris & ſequentibus in illis (circa mare Balticum) locis ab hac parte & præſertim intra Viſtulam, Oderam & Albim uſque ad Slyam Holſatiæ, Suevi ſive Schwabeni habitarint: unde ipſum mare

Orientale tunc ab accolis his Suevicum mare, velut etiã totus ille tot regionum tractus Suevia dicta fuit. Non vero illi Suevi sive Sueones unius generis fuerunt, sed in illis confinibus & circuitu eo variæ habitarunt Nationes, quæ etiam proprias regiones & provincias determinatas cum suis propriis nominibus obtinuerunt, sicut & procul dubio in moribus & dialectis linguarum discriminatæ fuerunt; veluti in Pomerania fuerũt primo Lemovii & Hermiones, quibus primitus intra Poænam & Vkeram sedes fuit; postea vero se in eum contulerunt locum, ubi hodie Dantiscum situm est. Rugii Insulam, quæ ex ipsorum nomine adhuc dicitur, occuparunt, qui etiam urbem extra hanc Insulam, quæ Rugium vocabatur, condiderant, non procul à fluvio Poæna sitam: sunt tamen, qui putant esse Rugewaldium. Suiones maxime in eo tractu habitarunt, qui Vsedomium vocatur; unde fluvius illuc prorues adhuc Swinæ nomen retinuit, qui ductum suum in Othũ maris Baltici exonerat. Burnis sedes fuit in regione Barthensi, ubi etiam tum civitas sita fuit Burnitium dicta. Inter Oderam vero & ultra Poœnam usque ad Varnum olim habitarunt Sidini. Ptolomæus enim scribit, quod Sidini inter Suevum & Viadrum (sive Oderam) habitarint, & potentissimos fuerit populus. Suevus autem ipsi est absque dubio, qui nobis Varnus appellatur. Namque *idem Ptolom.* ait, quod Pharadini ad eum fluvium Suevum confederint olim. At Pharadini sunt Megapolitani, qui hodie etiam ad Varnum locos amœnos inhabitant. A Pharadi is enim fluvius ille Pharnus primitus, & postea Varnus nominatus est. *Tacitus* populum hunc Sidones vocat, & addit hoc, quod reliquis Suevis in omnibus moribus similes fuerint, saltemque in hoc inventa sit discrepantia, quod fœmina dominaretur.

Ab istis gentibus urbs Stetinensis Sedinæ nomen à principio accepit; quia antiquissima est, & *ab Helmoldo & Saxone Grãmatico* Stetina insignitur. quo nomine quam proxime ad Sidinã acceditur, nisi quod postmodum littera T interiecta sit. Fuerunt & Ulmeragii, qui proximi à mari Baltico fuerunt, non procul à Rugewaldo dissiti. Burgundiones vero ad Wartam habitarunt, inde ad Rhenum digressi, ubi ex extructione multarum arcium illis hoc nomen impositum est, ut habet *Chron. Colon.* & demum in Gallia confederunt. Rutichi & Hilleviones ultra Viadrum versus Vistulam, ubi hodie Wendeni & Cassubii habitant, locum suum habuerunt. Sed non opus est, ut omnium populorum Suevicorum nomina, qui intra Albim, Sprevam, Havelam & Hercyniam Sylvam & alibi vixerunt, enumeremus, cum sint Marcomanni, Senones, Angili, Varini, Hermunduri, Elysii, Quadi, &c. quum eorum descriptio ex *Iul. Cæs. Tacito, Ptolomæo, Plinio, Iornande* & aliis peti queat.

Quo tempore autem, & ex quibus locis gentes hæ in istum tractum maris Baltici pervenerint, nusquam in historiis describitur, nisi quod nõnulli opinentur, quod originem suam ex Scythis traxerint, & proinde moribus suis admodum barbari quidem extiterint: attamen in bello fortes & severi, unde etiam *Plutarchus* primam ipsis laudem inter Germanos attribuit. Atque quum Suevi ad agriculturam nullam adsuefacti essent, sed solũmodo ex lacte & pecoribus alimenta aut victum quærerent, & in adsiduo bello spolisque viverent, nec non exinde victus causa sui, in vicinorum locis circumvagarentur, quod Germanis est Schweben / nomen à Germanis hoc illis impositum est, quod Suevi sive Schwabani dicerentur. *Iul. Cæs. lib. 4. de bell. Gall. in princ.* sic eam gentem describit: Suevorum gens est longe maxima & bellicosissima Germanorum omnium. Ii centum pagos (id est ditionum regiones) habere dicuntur, ex quibus quotannis singula millia armatorum, bellandi causa, suis ex finibus educunt. Reliqui, qui domi manserint, se atque illos alunt. Hi rursus invicem anno post in armis sunt; illi domum remeant. Sic neque agricultura, neque aratro, neque usus belli intermittitur; sed privati ac separati agri apud eos nihil est: neque longius anno remanere uno in loco, incolendi causa, licet: Neque multum frumento, sed maximam partem lacte, atque pecore vivunt; multumque sunt in venationibus, quæ res & cibi genere, & quotidiana exercitatione, & libertate vitæ (quod à pueris nullo officio, aut disciplina adsuefacti, nihil omnino contra voluntatem faciant) & vires alit, & immani corporum magnitudine homines afficit. Atque in eam se consuetudinem adduxerunt, ut locis frigidissimis neque vestitus, præter pelles habeant, quarum propter exiguitatem, magna est corporis pars aperta, & lavantur in fluminibus. Mercatoribus est ad eos aditus magis eo, ut, quæ bello ceperint, quibus vendant, habeant; quam ullam rem ad se importari desiderent. Quin etiam iumentis, quibus maxime Galli delectantur, quæque impenso parant precio, Germani importatis non utuntur; sed quæ sunt apud eos nata parva atque deformia, hæc cotidiana exercitatione, summi ut sint laboris, efficiunt. Equestribus præliis sæpe ex equis desiliunt, ac pedibus præliantur, equosque eodem remanere vestigio assuefaciunt: ad quos se celeriter, quum usus poscit, recipiunt. Neque eorum moribus turpius quidquam, aut incertius habetur, quã ephippiis uti. Itaque ad quemvis numerum ephippiatorum equitum, quamvis pauci, adire audent. Vinum ad se omnino importari non sinunt, quod ea re, ad laborem ferendum, remolliscere homines, atque effeminari arbitrantur. Publice maximam putant esse laudem, quam latissime à suis finibus vacare agros, &c.

Quamvis hæc *Iul. Cæs.* de Suevis occidentalibus referat; tamen etiam orientalibus eosdem fuisse mores, facile ex superioribus convincitur. Quum itaque homines essent infracti laboris, Germanorum Nationes & vicinos undique in suam redegerunt potestatem; Unde tam Treviri, quam Usipetes & alii populi *apud Iul. Cæs.* de ferocitate eorum admodum conquesti fuerunt, locum sub eius patrocinio petendo; ubi simul indicarunt, se unis Suevis concedere, quibus ne dii quidem immortales pares esse possint: reliquum quidem in terris esse neminem, quem non superare possent. Quod etiam *Iul. Cæs.* re ipsa ita expertus est, quum frustra pontem bis Rheno imposuisset, & re infecta recedere coactus esset.

Ac licet nonnulli velint, quod Augustus Cæsar Suevos debellarit tandem, atque iisdem locum in Rhetia inter Rheni & Danubii fines incolendum adsignarit; tamen hoc non de omnibus, sed saltem de aliquibus occidentalium accipiendum est. Namque Suevi orientales non minus cum sequentibus Imperatoribus, Tiberio, Caligula, Antonio Philos. Aureliano, Constantino & aliis multa commisere bella,

& in

& in poſſeſſione regiones eas obtinuerunt, uſque ad tempora Theodoſij & Honorij, ubi ex inſtinctu Stiliconis maxima pars in Galliam & deinde in Hiſpaniam conceſſit. Poſtquam vero proculdubio ex ſingulari Dei providentia circiter An. Ch. 400. in Europa & Aſia multi varijque populi ſe ita movebant, ut, prioribus ſedibus derelictis, novas quæſierint regiones, easque occuparint, ut ſunt Longobardi, qui ex Scandia & Norvegia in Inſulam Rugiam & Stetinorum fines; Gothi, qui in Italiam; Huni, qui in Thraciã, Armeniam & alias regiones irrumpebant; Burgundiones, qui ad Rheni provincias ſe extendebant: Vandali, qui ex Rheni locis Hiſpaniam & Africam petebant: Item Franci, qui trans Rhenum in Galliã irruebant: Normanni ex Norvegia in Britanniam, Galliam: &c. Saxonum Angili in Britanniam, (ex quibus duabus gentibus Nationis Germanicæ regnum Franciæ & Angliæ tum nomen ſuum novum mutuati ſunt) ſuum dirigebant curſum. Sic & aliarũ gentium permutationes inde ſecutæ ſunt pluribus modis. In fatali hoc motu univerſali tot Nationum, tum ſimul Vandali & Sclavi ex Polonia, Moſcovia & aliis Orientalibus locis plena multitudine trans Viſtulam & Viadrum in illam terram ad Mare Balticum irruptiones fecere, atque ita maximam partem Germaniæ novis complevere populis, & coniunxere ſe Wagriis in Holſatia; quam etiam ſine motu poſſedere, donec circa An. Chriſt. 927. primitus ab Henrico Aucupe & eius filio Ottone Mag. ad Albim & Havelam, ut ſupra notatum eſt, victi & in ſubiectionem contributionis redacti ſunt; unde quoque Chriſtianæ fidei ſe ſubmittere inceperunt. Per ſex ſecula ferme poſſeſſionem talium regionum à primo adventu Vandali obtinuerant, quum Henricus Leo Dux Brunſvic. circa Ann. Chr. 1160. efferatam hanc gentem plenius adſiduis bellis ſubiugare inciperet. In ſervitutem igitur talem ius redactis, Chriſtiani homines ex Germania & maxime Saxonia una introducti ſunt, qui pedetentim Vandalos à ſe propulerunt: ſicut etiam in Pomerania factum eſt, ut temporibus Schwantiburi, ipſius filii duo Ratiburus & Uratiſlaus linguam Teutonicam in Antipomeratiã receperint; Unde factum, ut huius Uratiſl. filii Bogiſlaus II. & Caſimirus II. Ann. 1180. ſe Friderico Barbaroſſæ eo promptius ſubmiſerint, qui titulo Ducum eos ornavit: Duo autem reliqui fratres, Schwantipoldus & Bogeſlaus linguam Sclavonicã cum moribus eorum conſervaverint, & ſe à dictis fratribus ſeparârint in Pomerania poſteriori, quæ regio in diviſione illis attributa fuerat, unde etiã poſtea ſe Polonis ſubiectos fecerunt. Velut id quoque *Sigmund. Scherkelus in nuncup. ad Helmoldi Chron.* confitetur his verbis. Illud certum eſt, reliquiis Vandalorum ad mare Balthicum admixtos fuiſſe Sclavos, & hos lingua oſtendit fuiſſe partem vetuſtæ & multorum litteris celebratæ gentis Henetę, quæ vetuſtiſſimis temporibus ex Aſia in Europam tranſgreſſa, multas in ea provincias complexa eſt. Sclavi itaque, poſt Suevos, Anglos & Burgundiones, tenuerunt totum illum maris Baltici tractum, & præterea alias etiam Germaniæ regiones non paucas. Quumque eſſent in eo littore à Pruſſia uſque ad Holſatiam & uſque ad Albim fluvium multi Slavorũ populi, quos *cap. 2. Helm.* recenſet; celebertima ex iis gens Pomeranica tempeſtive & religionem Chriſtianam, & ſocietatem Imperii Romani amplexa eſt. Reliqui vero Sclavorum populi ad mare Balticum propter incredibilẽ in tuendis Idololatriis pertinaciam, & crebras rebelliones, ab Imperatoribus & inclutis Ducibus Saxoniæ, longis bellis attriti & in ſervitutem redacti, poſtremo maxima ex parte deleti ſunt. Et è Saxonia, & Friſia & Germania inferiore deductæ ſunt Coloniæ Germanorum in ea loca, quæ Sclavi tenuerant, quod tempore Imper. Friderici I. accidiſſe Helmol. recitat. Tot ac tam varias populorum imperiorumque mutationes, una hæc littoralis Baltici maris ora intra Annos 1200. perpeſſa eſt. Ex quibus ſatis apparet, quam omnia humana ſint mutabilia, caduca & incerta, &c. Quamvis igitur gens ea ad tam exiguam paucitatem iis in locis redacta ſit, tamen merito quis miretur, unde ſit, quod Vandalorum ſuppreſſio tam inique duret adhuc paſſim, & quur Sclavi ita ſint exoſi, ut etiam in præcipuis Germaniæ civitatibus ad nullas dignitates & officia vel collegia artificum admittantur; ſed in omnibus nativitatum teſtimonialibus plane reiiciantur, ac proinde omnes emergendi rurſus viæ inter Germanos ſint præcluſæ; quum tamen Heneti ſive Vandali ante aliquot ſecula potentiſſimus fuerit populus, ex quorũ numero etiam hodie ſex civitates Vandalicæ, quarum caput Lubecca refert, eminentiam nominis & tituli ſui maxime oſtentant. Imo hæ civitates gloriã præcipuam ſuam in hoc deponunt ita, ut ſingulares conventus ſuos, præ reliquis confœderationis Hanſeaticæ urbibus, celebrare ſoleant, ut infra mox patebit. Præterea nulla eſt prope lingua in Europa, quæ æqualem uſum præbeat, quam hæc, utpote, quum ea utantur Bohemi, Poloni, Muſcovitæ, Ruſſi, Croati, Dalmati, Sclavones & alia regna ac populi; imo & in aula Turcica uſitatiſſima ſit. Verum ſicuti propter Idololatriam, ſuperbiam, nimiam vim, crudelitatẽ & iniuſtitiam ſæpius univerſa regna cum gentibus ſuis à Deo diruuntur & ſubvertuntur penitus; ita quoque populoſiſſima hæc Natio Vandalica, poſtquam adepta eſt fatalem periodum ſuam, iis in locis deleta fuit, ut iam Rom. Imperio æternum exhibeat contemptum. E contra vero exurrexerunt & in lucem hanc vindicarunt ſe populi Germaniæ & maxime Saxones; velut etiam ex Magdeburg. & Brunſvicenſ. Colonia, ferme tota Pomerania propagationem ſuam accepit. Merito heic quidem notandum venit, quod *Syracid. cap. 10. v. 17. & 18.* monet: Radices gentium ſuperbarum evellit Dominus, & earum loco plantat humiles in gloria. Regiones gentium ſubvertit Dominus, &c. Sic etiam hodie bene obſervandum id venit nobis, quum mores gentium ſuperbarum adeo hoc ſeculo nos inceſſerint & pluſquam reddiderint tumidos, ut penitus barbaricis ferocitatibus diffluamus, & nil aliud, quam meros Ethniciſmos, in vita, imaginatione, & quavis actione redoleamus. Forte quoque talis periodus fataliter conſtituta imminet noſtris cervicibus & univerſæ patriæ, quum Verbum cœleſte tanto ſit ludibrio cunctis, nec inveniatur, qui tantam profanitatem quid alicuius momenti cenſere velit; ſed potius omnes in malitia hac ſibi voluptates nectant, & deliciis in ſecuritate nimium ſupina quærant: nedum quis ſit, qui ſeriam pœnitentiam vitæ & cordis in Chriſto recolligere ſecum exoptet. Sed ut ad ſcopũ perveniamus, hoc addendũ eſt de Pomerania; quod

olim versus Megapolin aliis terminata fuerit terminis, quam nunc. Etenim tunc se extendebat usque ad Varnum, quum modo fluvius Rekenitzius, qui inter oppidum Ribbenitzium Megapolitanum & Oppid. Damgardium Pomeranum se in sinum maris versus cornu Darserianum effundit, fines utrique Ducatui interponat. Et quamvis plures Pomerania contineat civitates, quæ fœderi Hanseatico accensentur; tamen præferuntur Stralsundium & Grypswaldiũ, quum arctiori fœderi Hansæ præ cunctis aliis nomen suum dederint antehac. Errat igitur admodum *David Chytræus* in enumeratione sex civitatum Vandalicarum, quas *lib. 1. hist. Sax. pag.* 40. ita recenser, quasi sint hoc tempore dictæ Lubeca, Hamburgum, Rostochium, Sundium, Wismaria & Lunęburga. Quęso unde Lunæburga Vandalica dici potest, quum ab origine usque Ducibus Saxonicis etiam sub Billingo suum debeat fundum? de quibus suo loco plura. Pomerania vero demum nomen inde retinuit semper, quod ultra 55. milliaria se ad mare suum Balticũ exporrigat ab occasu versus ortum, ad Pomerelliam sive Borussiam. Namque Pommertzi est vocabulum Vandalicum, quod significat idem, quasi vicinum & proximum situm ad mare, quod ipsi incolæ tum ita huic peperere, & ita in usu manst suo. Sed nunc ad occasum nos quoque convertemus, ut inde plures civitates Vandalicæ nobis pateścant.

CAP. XI.

De Megapolitanis & VVagria Vandalia, & civitatibus earum.

IN regno igitur Vandalico superest, ut Megapolitanus & Wagriæ tractus explicetur cum suis civitatibus, huc ad intentionem nostram facientibus. Etenim Megapolitana ditio cum VVagria ita diu cohæsit, ut per aliquot secula uni subiectæ fuerint regi aut Domino, ut merito heic coniungendæ veniant. Dicta autem est Megapolitana Regio sive Mecklenburgk à principali civitate sua, iuxta opinionem aliquot historicorum. Prope coætanea est Stadæ antiquissimæ urbi ante Christ. nat. 320. conditæ. Paulo enim post ab Anthyrio I. Herulorum sive Mecklenburgensium Domino & Duce primo, non procul ab eo loco, ubi nunc VVismatia sita est, extructa perhibetur, uti id *Iohan. Petra. in Chron. Holf. lib. 1 pag.* 92. approbat, & asseverat, quod Anthyrius ille originem ratione patris ex Herulis traxerit, matrem vero habuerit suam ex genere Amazonum, unde & diu militem egisse sub Alexandro Magno & meritum fuisse stipendium. Post obitum vero Alexandri, dicunt, illum reversum ad suos esse, cum magno numero militum, quos ob versicolores vestes appellarint Obotritos, id est, versicolorem phalangem. Huic quidem Princeps Gothorum Rex in thalamum collocasse filiam suam Simbullam, dicitur, ex qua decem filios procreavit sibi, videlicet Anthyrium II. Anavam, Fredebaldum, Radagustum, Sucherum, Brandebartum, Visibertum, Dominicum, Barvanum & Teverium; alii quoque plures numerant; ex quibus tamen Anavas progenerationem habet Anthyrii maxime usque ad Ptivislaum, qui ultimus regum Vandalorum, atque in sacro baptismate Henrici nomen adsumpsit, & An. Christ. 1146. mortuus ac in monte Harlungio apud Brandeburgum sepultus est: Atque licet ab Anthyrio I. usque ad Privislaum Henricum, 33. generationes numerentur; tamen num ab obitu Alexandri Mag. usque ad Nativitatem Christi, ubi iuxta computationem aliorum 322. anni interveniunt, istud spacium in regno Herulorum Obotritorumve Vandalicorum quinque reges absolverint solummodo, quam sub Hothero, qui quintus fuit ab Anthyrio, id valde dubium movet talia dispicienti. Sed linquamus hæc Chronologicis rectius examinanda. Mecklenburgum ita urbs *ultra* 300. *annos ante Christum nat.* condita erit, ut sic inde suum hodie Ducatus ille ex antiquitate gerat nomen, veluti & Brunsv. ac Lunæburg. Ducatus, nec non Brandeburgensis & Misnensis Marchionatus ex urbibus suam similiter accepere denominationem, &c. Coniacent illi, qua Occidens Holsatia ad Albim excurrens, ad Meridiem habet Marchiam, ad Septentrionem mare Balthicum. Egregia & particularis descriptio iuxta delineationem accuratam finium est ea, quam *Chytræ.* habet *in Chron. Sax. lib. 1. pag.* 40. Quamvis autem hodie Holsatiæ VVagria annumeretur; tamen distinctio ea, quam antiquitus habuit, ut optime denotat *in Chr. Holf. Iob. Petræ.* Totus ille tractus ab extremitate veteris Gammæ ubi Albis in insularum aliquot diremptionem se effundere cœpit, non procul à Lawenburgo usque ad Iutlandiam, quæ nomine Holsatiæ iam depingitur, erat olim Nortalbingia, sive Normannia: ast in quatuor provincias sive Ducatus divisa fuit, velut vestigia talia adhuc extant; ceu sunt: Stormaria, Ditmarsia, Holsatia & Wagria. A Gamma ad Albim & Bilva usque ad fluvium Stoarium sive Stoer, decem milliaria complectens, dicitur Stormaria, in cuius ditione & territorio sita est Hamburgum: à Stoario fluvio usque ad Eydoram & novam urbem Fridericostadium continetur Dietmarsia, quæ tres potissimũ civitates fovet, Meldorpium, Heydenam & Lundinum. Inde ab occasu peninsula Eyderstadium cum insula Nortstrandio, quæ 14. complectitur pagos vulgares ditissimos, tuetur Holsatiam, quæ versus septentrionem Iutiam ultra Flensburgum, versus Tunderam & Appenradium attingit, ubi versus ortum in mari Baltico Insulam Alseniam, in qua sita est Arx ducalis Sunderborgium, clara *ex* 14. *Ann. incarceratione* Christierni Regis Dan. qui sororem Caroli V. in matrimonio habuit. Hinc ad Selyam, unde Slesvici nomen est, in terra continua includitur ipsi Anglia; & inde iterum mari dicto terminatur prope Kyloniam urbem, ubi incipit iterum Suentinum fluvium agnoscere, & excurrit usque ad Segebergum, quod ex adverso versus occidentem respicit in conductione Itzehoam. Ultima vero pars, quę vere Wagria est, ab Holsatia versus occidentem separatur, per fluvium iam dictum Suentinũ, qui versus septentrionem in mare Balthicum ad sinum Kyloniæ excurrit, ubi mare illud per octo milliaria usq; ad Femeram Insulam eam partẽ claudit, & ibi cornu formans per octo milliaria se extendit, ubi ad Australe latus Trævæ fluvii Ostium excipit. Ille autem fluvius Træva, qui aliis Dravus dicitur, ferme meridionalem partem ultra Segebergam omnẽ Semicirculo suo circumcingit, donec perluat Lubecã. Provincia igitur hæc continet in se ampliss imam & famosissimam iam ab aliquot seculis urbem Lubecam,

Rein-

Reinfeldium, Oldesloam, Segebergium, Plœniam, Præzæum, Nyenhusium, Hilgenhavium, Borgium in Femera, Oldenburgium alis Altenburgum, Oytinam, Grobium, & Arensbœckium. Hæc Wagria non nisi fluvio Dravo à Mecklenburgo separata est, & satis diu per aliquot secula eundem agnovit Dominum Vandalorum. Omnes enim sedem suam principalem in civitate Meckelnburgo obtinuerũt, ubi etiam Anno Chr. 980. Billingus potentissimus ille ac 25. Vandalorum Dux, quem nonnulli patri suo Wislslao ex Caroli Magni sorore natum volunt, Christianismo se addixit, & in huius rei memoriam Monasterium Virginum ibidem erexit. Duas hic habuit coniuges. Cum prima progenuit tres filios, Miciilaum, Nacconem & Sidericum: Ex altera vero, quæ III. Episcopi Altenburgensis in Wagria, Wagonis nimirum filia fuit, unicam filiolam Hediceam excepit, quam statim in juvenili ætate novo monasterio in civitate Mecklenburgensi ceu Abbatissam præfecit; licet ipse postea ex suasu filii Micislai iterum à Christianitate defecerit, & coniugem secundam repudiarit turpiter. Sed quum Nortalbingia illa ex diversis conflaret Nationibus, uti iam dictum est; ea quoque linguarum discrepantia fuit, ut nullatenus inter sese convenirent, in Ethnicismo tamen cõveniebant omnes. Holsati enim (*ait Iohan. Petr. in Chron. Hol. præfat.*) & Stormari oriundi erant ex vetustissimis Saxoniæ populis, ceu supra etiam id probatum est, *cap. 1. b. part.* At Ditmarsi quoque peculiarem suam coluerunt linguam, velut adhuc aliquo modo potest id animadverti. Quæ vero Vandalorum lingua fuerit, notum satis est. Non veretur *Iob. Petr. in Chron. Holf. lib. pag.* 81. affirmare, quod à tempore Tuiscon is in Wagria semper habitarint Vandali, donec Comes Adolphus II. eos ex his ejecerit locis. Quod si hoc verum, quur non coæquales possent haberi Saxonibus? Sed quænam difficultates, nisi de Sueonibus Helmoldi id accipiatur, ut supra dictum est, hic obiici queant, ex superioribus patet. Hoc vero in confesso est, quod in Sylva penes Oldenburgum versus ortum solis Idolon, nomine Prono, coluerint Vandali, quod ibi in excelsa quercu ita erectum erat, ut ab omnibus circumstantibus, quoties in pompa populi sacra fiebant, posset conspici. Circum circa hanc arborem ultra 1000. Idola minuscula alia cernere erat, ex quorum numero alia bifrontia, alia trifrontia, &c. apparebãt. Quercus eã tam sacra æstimabatur, ut nemo eandem vel minimo digitulo tangere auderet; ideo sepimento erat firmo circumdata, quod duas continebat fores, per quas sacerdotibus ingressus solis patebat, & abarcebatur à sacro illo accessu populus: Quoties autem dies festi instituti erant, nemo ad sacra tanta sine munere admittebatur. Quisque paterfamilias tenebatur aut taurum, aut aliquot oves ad minimum offerre, præsertim si se cum familia tota sisteret, reliquis alia concessa erant pro facultate munera. Interdum etiam victimæ huic consecrabantur homines. Sacris vero peractis, bene poti & ebrii choreas ducebant & saltabant furibundi circa arborem execrabilem. Tã cœca, absurda quoque, & crudelis barbaries fuit huius gentis, ut raro parentum mortem expectarent liberi, sed honestati convenientissimum putabant, & quod quam optime de parentibus mererentur, si prævenirent eorum morti naturali, & eos vivos insenectute provectiori defoderent, sepulcrisque obruerent. *Iob. Petr. in Chron. Holf. lib. 1. pag.* 83. Alias fuit bellicosissima natio, quæ sæpius Daniam, Iutiam, & Holsatiam infestavit; maxime tamen se Christianis ex eo tempore, quo Albion Holsatiæ Dominus sui generis ultimus cum VVitekindo in civitate Mindensi Anno Christi 800. ex persuasione Caroli Magni Christianæ confessioni se addixerat, opposuerũt, & adiutores fuerunt Danis, Pomeranis aliisque, ut toties Hamburgum vastaretur. Nec minus etiam Holsatis & vicinis reliquis, ex quo Carol. Mag. post obitum Albionis Principis, istas provincias omnes in Præfecturam Ducibus Saxoniæ subiectam redegerat, & illis Udonem Præsidem, qui primus Hamburgum circa Ann. Chr. 786. munire cœpit, dederat, perpetui fuerunt hostes; donec tandem Imper. Otto Magn. coactus est illos penitus debellare & in imperii retrahere potestatem. Atque ut eo mitiores redderet, Altenburgi, quæ post Mecklenburgum principalis sedes erat Principum eorum, An. Christ. 952. constituit Episcopatum, cui præfecit Marconẽ, ut esset Caput ecclesiarum per Mecklenburgum & VVagriam simul à Schlesvico, usque ad fluvium Peænam & civitatem Daminum. Episcopus ille præfuit ecclesiis per 19. annos, & novem adhuc quidem habuit Successores. Verum quum nimiæ servitutis & contributionis impositiones, ex mandato Imperatoris, cogerentur, ut Vandali utriusque terræ Episcopo ex singulo aratro modium frumenti, 40. manipulos lini & 12. argenteos nummos, & exactori suum salarium ac unum nummum, præterquam quod ex habitationis iure quotannis pro certo solverent (quos modos exactionis Dux tertius ex Billingio avo Saxoniæ Bernhardus, quem Avarum dixerunt, postea, ubi arx in Hamburgo erecta, exaugere cœpit per suos præfectos, qui nec minus huic pessimo dediti erant studio, ut nulla prorsus vestigia superessent iustitiæ, quæ non extitissent venalia) Vandali inde ad tale iugum Christianorum vanorum & crudelium minus adsueti, per 84. annos se Christianis adeo opposuerunt, ut etiam nec propriis parerent Ducibus; velut etiam Godeschalcum Pium, avum Pribislai Henrici Regis Brandeburgici, & Nicoloti II. Ducum Megapolitanorum, propagatoris veri ex genere & linea Anthyrii, qui ipse cum Popone suo Pastore concionatorem sæpius egerat, crudeli in rebellione propter Christi professionem Lenizii Anno Christ. 1066. 6. Iunij interfecerunt, quum binos reliquisset filios Buthicæum & Henricum. Misere ita enecato Godeschalco Pio, ex urbe Mecklenburgo immanes illi Vandali & rebelles coniugem defuncti Principis Syritham, Regis Daniæ & Sueciæ filiam, penitus exuerunt, & cum tota familia in exilium ejecerunt. Atque, quum ita se plenam libertatem recuperasse debite putarent, in eam abiere lævitiam denuo, ut passim vicinas regiones Holsatiam & Stormariam ditissime depopularentur: Hamburgũ etiam sexta vice, quod esset firmior Christianorum sedes, igne & ferro penitus subverterunt: sicut quoque arcem Ducis Bernhardi Saxon. ad Alsteram situm diripuere, & Sclesvicum, quæ iis in locis tunc urbs erat maxima, funditus demoliri tentarunt. Dux eorum fuit Pluso defuncti Godeschalci Sororius, qui tamen, crudelitate hac peracta, statim à suis agnatis similiter interfectus est. Vandali Christianorum

rum jugum, propter nimis duras ſervitutum conſi-
ctiones & impoſitiones, adeo extreme deteſtati ſunt,
ut undique non tantum eorum exhorrerent nomen;
ſed etiam atrociſſime illud perſequerentur, & prius
vitam cum bonis perdere, quam ad eorum conſortio-
um redire cuperent. Unde & Epiſcopatus *intra* 84.
Annos, uſque ad tempora S. Vicelini *circa an.* 1144.
non potuit reſtitui. Iam iterum neget ille impugna-
tor legis Imperatoriæ *Arniſ. de ſervitutibus*, & addiſcat
ex hoc iterum exemplo, an non ſervitus merito con-
tra naturam quid importare à Florentino ICto ſta-
tuatur? Peracta hæc ſunt ſub regimine Imp. Henrici
IV. *An. Imp. eius* 8.

In Holſatia variæ & miræ fuerunt mutationes,
priuſquam tandem ex donatione & inveſtitura Lu-
deri Ducis Saxoniæ, qui poſtmodo Anno Ch. 1128.
ad Imperii dignitatem evectus eſt, Comitatum hunc
ad Adolphum I. Comitem Schawenburgicum An-
no 1114. tranſtulit. Namque poſtquam ſub ſtemmate
Billingiano Ducum Saxoniæ Holſati, Stormari &
Dietmarſi *per* 150. Annos vixiſſent, & ultimus Dux
Magnus, (quem Henricus V Imperat. ita captivum
duxit, ut in carcere mortuus ſit) poſt obitum fratris
Ottonis Comitis Holſatiæ ultimi (quum ipſi duo fi-
lii in bello periiſſent) ne in novas provinciæ incide-
rent diſtractiones, amico cuidam Gothfrido conſti-
tuit Comitem Holſatiæ & Stormariæ, qui in arce
Hamburgenſi habitavit. Is vero quum à Vandalis in
Sylva ita obtrueretur, ut caput ipſi amputaretur, ſi-
militer nullum reliquit hæredem, unde ex Luderi
Saxonici Imperat. qui Comes erat Supplenburgen-
ſis prope Helmæſtadium, provinciæ hæ in Comitem
Schavenburgenſem Adolphum I. tranſlatæ ſunt, qui
per 17. Annos pacifice profuit ſubditis ſuis, & Anno
1131. mortuus eſt, reliquit ſucceſſorem Adolphum II.
atque is demum totam Wagriam poſt obitum Pri-
viſlai, qui aulicam ſedem in Lubeca veteri habuit,
ope ſubditorum ſuorum ſubiugavit, & cum ſuis pro-
vinciis in unum redegit corpus. Explicatis igitur
nunc his, quæ ad cognitionem Vandaliæ univerſæ, e-
ius circuitum ac originem faciunt, ad civitates eas
præcipue digrediendum eſt, quæ fœderis Hanſeatici
principales dicuntur.

CAP. XII.

De Lubeca, & origine eius Hiſtorica, quatenus cum civitatibus Vandalicis ad fœderis Hanſeatici facit indictionem.

OMnes civitates Hanſeatici fœderis divi-
dũtur primo, ut infra patebit, in civitates
Vandalicas, & ultra Vandalicas, Germa-
nice juxta Hanſeaticam locutionem in
Wendiſche & Vber-Wendiſche Stätte / quaſi Van-
dalicæ civitates fuerint, quæ reliquas, cuiuſcunque
loci ſint, in ſocietatem hanc, qua ipſi primo inter ſeſe
coierunt, receperint. Lubeca igitur poſterior ſive
nova quum ſola præ cunctis aliis civitatibus Vanda-
liæ ad culmen hoc evectum ſit propter virtutes, ut
libera Cæſarea & Imperii urbs vocetur, nec minus
una ſit ex 4. primariis totius Germaniæ, ceu quadriga
hæc eſt, Auguſta, Aquiſgranum, Metis & Lubeca,
quæ ſublimiori dignitate præfulgent, ideo etiam di-
rectorium obtinuit, atque hucuſque præ ſocus ſuis
retinuit. Tum etiam propter ſplendorem, amplitu-
dinem & ſitus commoditatem, quod commercia in-
de in omnes Germaniæ provincias facile diſpergi
poſſint, merito corona omnium reliquarum civita-
tum, quæ 12. ad mare Balthicum numerantur, à *Chytræo in Chron. Sax. lib. 6. inprinc.* vocatur, uti mox po-
ſtea eius verbis utemur, ubi prius ex penitioribus
hiſtoriis iſtius urbis originem deduxerimus. Eſt illa
urbs Wagriæ præcipua inter omnes veteres, poſt-
quam Wineta maxima omnium, quas Europa clau-
dit, à Rege Daniæ primitus direpta, poſtea periit &
aquis abſorpta fuit, Wandalicas & maritimas civi-
tates, ſita hodie inter ripam Travæ & lacum Wake-
niſſam, ab utroque latere irrigua. Olim autem ſita fu-
it in Schwartaw in optimo matis portu, & à piſca-
toribus, nautis & negociatoribus inhabitata, quam
Gotſchalkus ille Chriſtianus Princeps Wagriæ &
Meckelnburg, ſive Obotritorum & Herulorum, ut
ſuperius dictum eſt, circa Annum Chr. 1040. inchoa-
aſſe dicitur, & extructo in eo Burgo ſive arce aut ca-
ſtello nomine Filii Butham appellaſſe: ac Henricus
Buthi aut Buthonis frater vocavit eam Coloniam
magnam. Paſſa tamen multas eſt afflictiones potiſſi-
mum à Rugianis Principibus, incolatum ſubiuga-
tionẽ ibi quærentibus. Unde illi ex conceſſione Prin-
cipis Critonis inde cedere, & civitatem, quam olim
Iudandi (ut mox pluribus patebit) inceperãt conde-
re ad VVakeniſſam, An. Chriſt. 1140. redintegra-
runt. *Joh. Petr. in Chr. Holſ. pag.* 120. Nihilominus Ru-
giani iterum infeſtarunt utrumque locum; at quum
Henricus Dux eorum Stormaros & Ditmarſos in au-
xilium advocaſſet, in monte Robiano prope Lube-
cam, qui inde nomen retinuit, magno eos prælio vi-
cit, & penitus ex ea terra, multis captis, expulit, ac
poſtea eos uſque in Rugiam ſecutus ſibi tributarios
fecit. Sedes quidem Principum Herulorum, præſer-
tim Pribiſlai fuerat Lubeca vetus; ſed quum Cærus
ex poſteris Critonis ſæpius eam infeſtaret arcem an-
tiquam, ſupervenit tandem Adolphus II. Schawen-
burgicus, & circa Annum Chriſt. 1140. eam plane
à mari ad locum ſuperiorem tranſtulit. Dum vero
ponit fundamenta, invenit rudera priora, ubi Cym-
bri olim (ut putatur) urbem conſtruere ſategerant,
propter loci oportunitatem; ſicut idem Crito Ru-
gianus Obotritorum Princeps, acerrimus Chriſtiani
nominis perſecutor, poſthabita veteri Lubecca, in
Schwartow paulo ante ad ripam eiuſdem fluvii
Travæ moliri ceperat. Sed neque Cymber, neque
Vandalus illa ſua molitione id perficere potuerunt,
dilabentibus brevi & evaneſcentibus initiis cœptæ
urbis per graſſantia bella & alias averſiones plures.
Servatum fuit hoc decus Adolpho huic, qui cernens,
quam optime Cymbrorum olim dux & deinde Cri-
to VVandalus inter lacum VVakenitz & flumen in
colle urbis mœnia inchoaſſent, ſed tempeſtatibus
belli impliciti ab opere deſtitiſſent; Tertius iſte fun-
damenta auſpicatiori conatu & ſucceſſu cepit iacere,
Lubecamque de Schwartow cum nomine tranſtu-
lit in ſuperiorem illum locum, qui Bukaw dicebã-
tur, ubi Adolphus, ruderibus eiectis, in formam op-
pidi vallo muniti omnia diſpoſuit & iunxit. *vid. Helm. in Chr. Sclav. c.* 58. quippe maiores eius partes iam flu-
mine & lacu præmuniebantur. Sicut etiam inde Lu-
becæ nomen hoc impoſitum ipſi Lubeccenſes adhuc
affirmant à primo inſpectore & indagatore loci Lu-
bovio, qui quum piſcatoriam vitam ageret, &
communi uſui & commerciis Schwartovium in-
veniſſet,

veniſſet, ibi cum ſociis conſedit, & loco huic à vicinis & notis nomen ita impoſitum manſit, ut etiam in novam ſedem tranſlatum fuerit, quaſi omine felici eidem impreſſum, quod commercialis debuerit eſſe civitas à primordio uſque.

Adolphus autem II. Schawenburgicus, quum ſtudioſus eſſet vicinitatis & pacificus, atque ut eo magis ſtabiliret civitatis Lubeccenſis ædificationem renovatam, fœdus amicitiæ, cum Nicoloto Principe Megapolitano iniit, & Segebergam dirutam reparari fecit. At, quum Imperator Conradus An. 1147. ingentem ſubiugationi Nicoloti Megapol. exercitum præpararet, & Adolpho tanquam membro Imperii non competeret, ut ſe opponeret Imperatori & benefactori ſuo; hoc adeo affecit Nicolotum, quod in hoc caſu audiri ſollicitatio eius non potuerit, ut confeſtim ante adventum Imperatoris convocarit clam ſuos, & totam devaſtarit Wagriam, navibus illuc trajiciens. *vid. Helm. Chron. cap. 64.* Celebrabantur eodem tempore nundinæ Lubeccenſes, ut vino ſomnoq; ſepulti quaſi eſſent ibi homines: ideoque in ea ſecuritate obruit civitatem protenus, nec tantum ſpolio expoſuit ſingulos, ſed etiam ultra 300. necavit, & diripuit urbem, ac divite cum ſpolio & plurimis captivis evaſit, priuſquam Adolphus ſuos colligere poſſet ſubditos. Nihilominus Comes hic ut redimeret captos, denuo cum infideli vicino fœdus pepigit; ex quo etiam egregiam præſtitit operam auxilii, quum Anno 1150. Megapolitani rebellione ſe dura moverent contra Nicolotum, unde tanta eorum mutua conflata eſt animorum coniunctio, ut ſæpius Lubecæ inter ſe duo iſti convenirent, & pax cum commercio Lubeccenſibus ubertim accreſceret, præſertim quum negociatio ex ſalinis Oldeſloenſibus illis adiecta eſſet, unde confluxus ex omnibus Maris locis mercaturæ ipſis famam peperit. Heinricus Leo Dux Saxon. videns eam urbem maxima Bardovico ſuo importare damna, quum mercatores undiquaque cumulatim Lubecam tanquam maritimam urbem peterent, priore relicto emporio; interpellabat Comitem vicinum his verbis: Duo ſunt, quæ magno rerum mearum detrimento tibi videntur accedere: bene feceris, ſi ad æquitatem reſpiciens, moderari rem pro dignitate patiaris. Lubecam dico urbem novam, & ſalinam tuam in Todeſlo, quæ mihi non mediocrem rerum mearum afferunt jacturam, dum in tuam ditionem mercatores fere omnes commigrent, & Salinæ meæ nuper ſub Lunæburgo repertæ præ tuo ſale evecto nimium vileſcant. Ideo æquum erit, ut mediam urbis tuæ ditionem nobis permittas, & itidem ſalinæ medium, ne in reliquum tempus ulla nobis poſteriſq; noſtris controverſiæ ſit materia. Verum, quum Comes annuere nequiret; ſed oraret, ut fortunæ eius, quam miſerator Deus ipſi conceſſerat, non invideret, Dux mercatoribus cunctis, quantum potuit, aditum Lubecanum præcluſit, interdixitque inſuper venas ſalinæ Todeſlovianæ; uſus eſt etiam hoc præterea clandeſtino artificio, ut immiſſis aliunde aquis ſalinæ Todeſlovianæ, omnem fructum interturbarit Comiti. *vid. Helm. cap. 77.* Ac veluti nulla calamitas ſola, ita accidit, quod Anno 1158. gravi incendio abſumeretur. Hoc infortunium Comitis quum commodo cederet Henrico Leoni, noluit concedere, ut Adolfus rurſus inſtauraret civitatem; Ipſe enim conſtituerat in ſua ditione non procul ab eo loco novam erigere civitatem: Ideoque ne penitus tanti Ducis potentiæ cuius Vaſallum agebat ſuccumberet, Comes civitatem eam vicino ſuo ceſſit, *An. 1158. Serb Cal. vult. 1159.* unde in Ducis Leonis territorium tranſiit: ceu ex duobus malis minus eligendum eſt. Videbat enim Comes, quod neque ipſe proventum ulteriorem ex eo loco expectare poſſet, & quod ruina ſubditorum ante fores ipſi latitaret, quodque Ducis tanti indignatio graviores minitaretur exitus, præſertim quū eius ageret Vaſallum, & provincias ſuas ab eo maxime in feudo recognoſceret, hæc & tot damna ut evitaret, Dominoq; feudi reverentiam exhiberet; quaſi Vaſallus ceſſit in hoc Hero maiori.

An. 1154. mortuus eſt Epiſcopus Vicelinus Oldēburgenſis in Wagria, pridie Id Decembr. quum per quinquennium ibidem Epiſcopum egiſſet, & antehac per plures annos apud Holſatos varias perſecutiones Evangelii cauſa pertuliſſet. In eius locum ſuffectus eſt D. Geroldus Ducis Henrici Leonis concionator aulicus, qui An. 1155. Oldenburgum pervenit. Quum locum deſolatum offendiſſet, plane ab hominibus deſtitutum, inde ſe Lubecam contulit ſub eo tempore, quum ibi nundinæ quædam celebrarentur, & magnus Holſatorum Vandalorumque adeſſet confluxus, quos revocavit ſedulo ab Ethniciſmo, illis Chriſtum fideliter prædicando; cui ex hac occaſione quam plurimi ſe devovere cæperunt, & converſi ſunt. Aſt Lubecenſes An. 1156. ingens perpeſſi ſunt iterum damnum ex incendio. Quippe omnes illis ædes conflagratione nimia abſumebantur, quū caſas humiles & ædificia, confuſe inter ſe conditas, abſque ullo ordine haberent: Variæ quoque infeſtationes hoc efficiebant, quod mercatores omnino à nova ædium erectione abſtinerent in priſtino loco ſedis Lubecæ antiquæ, præſertim quum Dux Henricus Leo nonnihil infenſus propter aliquot inhibitiones illis iniectas in commerciis videretur. Ideoque ad eum ſe contulerunt, indicaruntq; eidem cauſam, ob quam nollent priori ſe amplius concredere loco, adſerendo, potius ſe ſub ipſius patrocinio & clypeo vivere velle, ut eo tutius mercimonia exercere per mare, & maxime per terras valerent. Unde ſupplices rogarunt, ut novum illis, & commodum ad talia negotia adſignaret, & concederet locum, ubi ſtationem ſuam ædificiis idoneis erigerent de novo.

Hoc petitum civium veteris Lubecæ quum valde Duci Henr. Leoni arrideret, egit cum comite Adolpho Holſatiæ, ut ab eo ſpatium illud, ubi abraſa erat Lubeca, obtinere poſſet: quod tamen Comes penitus ipſi abnegavit, nec potuit ullis rationibus ad cōſenſum talem perduci. Re igitur ita plane diſiecta, Dux Henr. Leo in ditione ſua prope Wakenizam ſtagnantem illis conceſſit, ut ibi ſuam erigerent urbē, & ex eius nomine Leoſtadium vocarent. Sed quū mercatores, locum navigiis & exonerationibus cōmerciorum non ſatis eſſe aptum, atque ab oſtio, portuque matino nimis diſſitum, in facto deprehenderent, ab incepto deſtiterunt opere, præſertim quum nec talis Urbs poſſet obvallari commode, nec ſatis tuta ibidem eſſet habitatio contra incurſiones Vandalorum maxime inſtituenda. Hoc mordebat valde principem: Animadvertente id Comite Holſatiæ, qui nimiam præpotentiam Ducis Leonis metuebat admodum, ut averteret à ſe ſuiſque futura damna, &

incur-

incurſiones, conventum eſt inter eos de loco Lubecenſi priori ita, ut eundem Dux in ſuam cum Arce perttaheret ditionem, & fines ſic extenderentur. Continuo cīvium & mercatorum huc ad reædificādum confluebat concurſus. Atque ut eo excitatiores tedderentur ad intentionem hanc perficiendam, non tantum civibus libera prata & campos pro paſcendo eorum pecore in ſuo concedebat territorio vicino; ſed poteſtatem lignandi iis in ſylvis ſuis adiiciebat ad uſum ædificiorum, quantum per diei ſpacium ab ortu ſolis, uſque ad occaſum eiuſdem convehi poſſet. Sic & Comes Holſatiæ Duci acquiſita ſua iura ad Travam Fluvium in pratis & campis relinquebat, quos alluvio ea conringebat.

Ex talibus liberalitatis cōceſſionibus factum eſt, ut Leoſtadium Dux ſuum diſſolvendo, omnes tranſferret vires ad commoditatem Lubecæ novæ corroborandam, unde huc, per Dei gratiam, uſque in eo loco floret, ubi ſita nunc eſt: Quin & inſuper Dux talibus privilegiis cunctis augebat civitatem hanc, quæ ad commercia libere propaganda per mare, perque terram facerent, ultra ea, quæ antehac comes Holſ. iiſdem in priori loco conceſſerat, ut ita cuiq; liberum eſſet, qui ibi in hac civitate vivere, ædes ſibi erigere, & iure commercii civiumque frui vellet; nec ulla erat præcluſio mercimonia conficiendi, ſtapulandi & exportandi. Quæ libertas non tantum mira alacritate ad promptiorem extructionem civitatis incolas excitavit; ſed quum fama rei aliis in locis increbeſceret, magnum huc confluxum exterorum hominum allicuit, ut brevi temporis ſpacio An. 1158. Vallis & ſepibus Urbs includeretur, portiſque ſuis muniretur. Teſtantur Annales eius, nullam unquam fuiſſe civitatem, quæ in tam exiguo temporis intervallo, exevereverit ad ſuam completionem, velut inclyta hæc Lubeca. Velut & commerciis ſtatim ædes ſatis aptatæ fuerunt, non ſine ſplendore pro conſuetudine iſtius ſeculi. Magnam quoque huic urbi famā adferebat hoc, quod Dux Henr. Leo huius negotiationis publicas intimationes in vicinis regnis ac provinciis, maximeque in Ruſcia & Moſcovia emitti curaſſet.

Paulo poſt accidebat, ut Imp. Fridericus ſecunda vice iter in Italiā adornaret, quumq; Dux Henricus ad concomitantiam eius cum exercitu ſuo adſciſceretur, & Rex Daniæ non in levi metu ob incurſiones Vandalorum hoſtiles hæreret, Dux iſte Leo vocatus Regem Obotritorum Nicolotum ad ſe accivit, eidemque admodum ſeveriter hoc præcepit, ne in abſentia ſua hoſtilitatis quidpiam contra Danum tentaret, aut committeret, cum ea comminatione firma, ſi quid eſſet ſuſcepturus, quod paci foret inimicum, ſe id per omnes illius ditiones ſtrenue in reditu ſuo eſſe vindicaturum ſine remiſſione ulla. Licet Nicolotus multa ſincera fide promitteret, quod nil hoſtilitatis eſſet tentaturus; tamen Vandalicam hanc fidem quum admodum fluxam cerneret Dux iſte, illi pro maiori ſecuritate hoc impoſuit Leo, ut omnes naves ſuas cum naviculis cunctis in portum Lubecenſem ad Travam uſque ad reditum ſuum transvehi curaret. Quod quidem itidem Nicolotus promiſit, ſed minus id implevit, quum ſaltem naves confractas, & vetuſtate contritas ad Travam adduci ſineret, reliquas omnes, incurſionibus paratas, ſibi in ſuis reſervabat portubus. Hinc protinus poſt diſceſſum Ducis cum Cæſare, Vandali parum fidei & promiſſi memores, ſubitam excurſionem in Regnum Daniæ perfecere, cum ingenti clade & damno peracto.

Rex Daniæ vero, quum nequiret ſatis in Vandalis hoc vindicare, omnem indignantiam in ditionē vicinam Ducis Leonis, Holſatos, nec minus Lubecenſes coniiciebat, ut quaſi in ſummo periculo Lubeca eſſet conſtituta; tamen ex interpoſitione Epiſcopi Oldenburgici Geroldi factum eſt, ut cauſæ iſtius, & damni cognitio uſque in reditum ducis cum vindicta differretur: Sicut etiam poſtea, reverſo ex Italia duci, non ſolum Rex Danię, ſed etiam Holſati, Lubecenſes, cum ſubditis eius, fractionem hanc pacis explicarunt, & graviter Vandalum incuſarunt, quod adeo exacerbavit ducem, ut continuo ad arma ſuos convocaret populos, & ſelectum ſic ſatis cogeret exercitum, pœnam dignam de Vandalis ſumpturus. Hanc iram quum cerneret Leonis rugientis Nicolotus, nec ipſi eſſet ſpes alia reconciliationis, aſtutum ſecum concepit conſilium, ut cor Leonis hoc in loco nimirum Lubecam obruitionis quadam occulta vi in poteſtatem ſuam redigeret. Ideoque clam binos ſuos filios Pribiſlaum & Uratiſlaum ſubitaneo aliquo exercitu, nullo indicto bello, nec feciali miſſo, uti mos erat, inſtruebat. Atq; iſti non minori calliditate rem aggrediebantur, adornabant omnia, ut ante crepuſculum matutinum cum primo diluculo portam Auſtralem occuparent & inde urbem totam obruerent. Sed forte fortuito prædicator quidam nomine Athilo, quem Æthelium dicebant incolæ, cuius habitatio erat prope pontem Wakenizæ impoſitum, exercitum Vandalicum feſtinanter appropinquantem conſpicabatur. Is animoſe ſtatim in occurſum eo uſque ivit, ut pontem in conſpectu hoſtis elevaret: ſimul ac clamore magno vicinos ad arma excitavit, qui cum reliquis civibus ſe fortiter opponebant, ut in fugam hoſtis ſe converteret: Unde ita ope iſtius viri ſacri tota civitas ex præſenti periculo eripiebatur. Qua vero ratione Dux hanc perfidiam Vandalorum vindicarit, ex Chronico eius cognoſci poterit.

Sic ex tutela huius Ducis, qui optime cupiebat ſemper Lubecenſibus ob commercii communis propagationem, per aliquot annos ſecutiores nonnihil fuerunt in negotiationibus ſuis. Anno autem 1154. (quod datum inauratis literis ita in Cathedrali templo Lubecēſi deſcriptum habetur talibus verbis: Anno Domini M C L I V. Henricus Leo, Bavariæ & Saxoniæ Dux, tunc temporis huius civitatis Dominus, & huius Eccleſiæ Fundator, Geroldum primum Epiſcopum Lubecenſem hic introduxit: (Licet veterum Chronicæ ad ann. 1163. id factum, credibilius referant) Epiſcopatus ex Holſatiæ Oldenburgo, quæ antehac egregia & potens in mercimoniis ad maritimum locum Urbs fuerat, Lubecam tranſlatus eſt. Namque quum Epiſcopus ille Geroldus cerneret, quod incluta hæc civitas in divitiis, ædificiis, ſplendoribus commercii, & bono rerum ſucceſſu indies amplior fieret, & frequentia hominum accreſceret, impetravit hoc à Duce ſuo priſco Henrico Leone, ut ex loco illo ob creberrimos incurſus penitus devaſtato & deſolato cathedram ſacram iſtam transferret, quod ita in gratioſa affectione, qua dux utebatur erga Lubecenſes, obtinuit, ut ipſe

ut ipſe dictus iam Dux in eam perveniret civitatem præſens, qui & ipſemet locum & ſpacium ibi circumſcribendo determinavit Templo & adſignatis habitationibus monaſterii inſtar. Quippe Canonici tunc nondum in eiuſmodi dominatione conſtituti erant ſecularis potentiæ, uti ſucceſſu temporis eam ſibi in detrimentum aliorum acquiſiverunt; ſed ſuis in ordinibus vivebant Eccleſiæ Chriſti devote addicti, velut id toties D. Alb. Cranzius in ſua Metropoli demonſtrat, *culpando eoſdem ſatis graviter, quod ita obſtinate ſpiritualem vitam exuerint veram, & potius ſeculorem adſumſerint.* Licet ipſe fuerit præclarus Häburgi Canonicus; tamen non fruſtra eorum ſtudium inconvenienſ ita reprehendit, dicens: Canonicus ſecularis, hoc eſt, Regularis ſine Regula. *In Metrop. lib. 4. cap. 1.* Helmoldi quoque hæc verba ſunt in Chronico de fundatione Cathedr. Eccleſ. Lubecc. Et deſignavit, *inquit*, Dux locum, in quo fundari deberet Curatorium in titulum Matricularis Eccleſiæ & areas clauſtrales. Et ſtatuerunt illic præbendas duodecim Canonicorum, canonice viventium. Porro tertia decima præpoſiti eſt. Et dedit Epiſcopus in ſtipendia patrum decimas quaſdem, &c.

In quem finem autem pro Dei gloria in Chriſti regno promovendo hæc ex ſimplici devotione facta ſunt, facile quis percipit. Quod tamen modernus peſtilentialis malitiæ & avaritiæ mos in priſtinum arripuit abuſum, plus quam palam quidem eſt; ſed tamen nemo eſt omnium, qui inde conſcientiæ maculam ſibi impreſſam putet, aut pudore aliquo afficiatur. Libri Capitulares etiam hoc atteſtantur, quæ tam Dux Henricus, quam Adolphus, Comes Holſatiæ Capitulo huic privilegia in honorem Dei, & propagationem verbi cæleſtis conceſſerint. Gratitudinis autem cauſa factum eſt, pro præſtito beneficio in liberatione Lubecæ, uti ſupra relatum conſtat, quod vir ille ſacer Ahilo ad preſbyterium iſtius Eccleſiæ ſit evectus, ut primus preſbyter heic ſit conſtitutus.

Eodem tempore ſimul Dux Henricus, præter prius dicta, & quæ ſuæ civitati Lubecenſi Comes Holſatiæ applicaverat beneficia, addidit etiam, appropinquavitque illi pagos proximos ultra ripam, quæ vocatur Hogebekia, ſitos cum omnibus agris, pratis & ſpacioſis campis, ſive cultivatis, aut cultura vacantibus, exceptis Heyerſaleſtorpia & Levonia, quorum fundus tamen cum omni ditionis iure ad civitatem transferebatur: *Tum valorem monetæ in civitate ea conſtituebat, & veligalia, ac nundinas in quavis ſeptimana bina*, nempe, die Lunæ, & Solis perpetim, unde ſolemnitates aliæ quotannalium nundinarum plane expirabant. Plenus autem magiſtratus nondum erat inſtitutus; ſed ſaltem quatuor præſides, ſive Cõſules omnium officiorum vices ſuſtinebant, & cunctas actiones iuxta æquum & bonum dirigebant. Id quum videret Dux, & diligentiam in omnibus excitatiſſimam cum fide haud dubia animadverteret, eo magis ad promovendum huius civitatis commoda inflammabatur, ut ita cives cum ſuis præfectis, in honore, reſpectu, & accretione bonorum & mercimonii rectius conſervarentur. Ideo Conſulibus ſuos Senatores adiiciebat, & eorum Electionem approbriabat Magiſtratui deſignato, ſed ut eſſent prudentes, integri, rerum gnari, liberi, & Libertati fideliter addicti, velut adhuc id conſuetudo, mos & uſitatus ex ea antiquitate modus fert. Inter alia reperitur in ſcriptis Chronicis Copia privilegiorum, uti ex ſequenti forma cognoſci poterit. Simplex fuit ſtylus & fides veterum Germanorum: Exigua verba multa continent, ne quis heic erret. Laudabilis ſic fuit antiquitas præ multa verboſitate magniloquentium noſtratium, ut vix in media Germania amplius veros in Germanica fide Germanos invenias. Sed

Copia Privilegij Ducis Henrici Leonis de electione Senatus Lubecenſis hæc eſt:

NOs, Dn. Henricus ex Gratia Dei, Dux Bavariæ, Braunſvicenſis & Saxoniæ, annunciamus omnibus, quibuſcunque hoc ſcriptum ad legendũ, aut audiendum porrigitur, quod decreti æterni inſtar hæc ſint, & inde ſic loquimur: Nempe ſic ſe res habet, quod admodum intenti ſimus in honorem, & commodum noſtræ probæ civitatis Lubecenſis & fidelibus noſtris civibus; inde conſtituimus & mandamus, quod hæc ſingula conſtanter, præciſe ſervari debeant: Quod ſi quis eligatur ad ſedendum in Senatu, quod ille liber eſſe debeat ab oneribus in Senatu, niſi id per preces ab eo habeatur: Conſtituimus quoque, quod nemo ad Senatum adhibeatur, niſi ſit ex coniugio libere natus, & nullius mancipium, neque officium ullum ab alio habeat Domino, & ſit vir bonę famæ, atque ex libera matre genitus, quæ nullius ſit mancipium; nec ſit homo Eccleſiaſticus, nec filius Eccleſiaſtici ullius qui habeat propria bona pugillatoria intra muros; nec quis vi, aut inſidiis cogatur ad iuramentum ſuum, nec qui victum manuali artificio quærat. Atque ut hæc conſtitutio perpetuo firma maneat, propterea ſcriptum iſtud noſtro ſigillo corroboravimus, &c.

Ex his nunc *lector amice*, cognoſcis, quam egregiis Dux ille Leo civitatem hanc, donarit, & exornarit beneficiis, ut vel ſaltem ex ſolo iſto diplomate liquido appareat, quod Princeps hic omne beneplacitum ſuum in iſtam depoſuerit civitatem, & apud ſemetipſum in prognoſticatione ſua certam ſpem cõceperit, Lubecam potentem & famoſam commerciorum Metropolim eſſe futuram in Imperio Germanicæ nationis, quum inter tot regna & provincias, quaſi in meditullio ſita ſit, ubi commercia varii generis commodiſſime exerceri poſſent. Quapropter ſevere mandavit, ne ullus manualis artifex ad Senatum adhiberetur in Lubeca, quum tamen in propria ſua civitate Brunſvicenſi, & omnibus aliis ipſius Urbibus Saxonicis, artifices tales locum habeant ſuum in Magiſtratu.

Quod autem ad alia puncta huius ſcripti attinet, multa in Privilegiis Cæſareis correcta, & in melius tunc quum Anno 1182. ſe Friderico Barbaroſſæ ex diuturna obſidione devoverent verſa ſunt. Utinam adhuc ita plani in verbis ſuis eſſent homines, & præſertim Aulici ſic faverent civitatibus digne.

Eodem tempore etiam Dux ille inclutus, & Heros optimus, civitati ſuam *propriam conceſſit praturam.* Unde mos eſt, quod quotannis ter, nempe die Lunæ poſt feſtum Paſchatos, Michaelis & Nativitatis Chriſti, in foro ſub dio, hora 8. totus Senatus ex templo D. Mariæ compareat, ubi tunc prætores

cum iudicii scriba ad mensam, mappa ornatam, cui idea Templi imposita est, sedent; Senatus vero nudato capite sub cœlo circumstat, & aperturam Iustitiæ petit, ut ab iis diebus iudicialia reassumantur, quæ per duas aut tres septimanas clausa fuerant. Hactenus Chronicon Lubecense scriptum. Revertimur iam ad reliqua, quæ superiorem continuant introductam Historiam.

Lubecenses interea suæ (N.B.) invigilando causse per Leonem apud Daniæ Regem Woldemarum obtinuerunt, ut pro exercendis commerciis illis liber & securus accessus in regnum Daniæ pateret, quod etiam pactis confirmatum fuit Anno 1159. Atque iste primus gradus fuit, ex quo postea fœdus plurium civitatum eo facilius contrahi potuerit.

Erat tum temporis notabilis controversia Imperatori Friderico Barbarossæ cum Adriano Papa XXXI. suborta, quod is ex suggestione civit. Mediolanen. & Cremonens. Imperatorem non tantum excommunicare tentasset, sed etiam omnes civitates Italiæ ab eius obedientia absolvisset. *Helm.ca.* 81. Huic in succursum mittebant uterque Dux Leo & Comes Adolfus exercitum; hoc Nicolotus Megapol. videns, ipse quoque ambire tentat Lubeccâ, & ex insidiis prope occupasset eam, nisi Atelo sacerdos quidam id præsensisset, & portam Wakanissæam ponte versatili occlusisset. Ex clandestina hostilitate tali occasionem arripuit Leo, ut plurimis victoriis potiretur adversus Vandalos & Obotritos, velut etiam ipse Nicolotus in prælio capite truncatus est. *Vid. Bunt. part. 1. Chr. p. 65 66. & 67.* cum quo etiam alii Historici consentiunt. *Helm. c. 88.* Errat igitur multiformiter *Iohan. Petr. in Chron. Holf. lib. 1 pag.* 155. & 156. quod Adolph. cum Leone Anno 1159. & 1160. ulteriusque in Italia ipsi abtuerint, quum tamen iis temporibus usque ad Annum Chr. 1163. quô Anno 1161. tota esset Vandalia devastata, maxima bella contra Vandalos & aliosarserint, & Leo talia perfecerit feliciter.

Anno vero Christ. 1163. consentiente Henrico Leone Episcopatus Aldenburgensis ex consilio & instinctu Episcopi Geroldi translatus est Lubecam, licet hoc factum esse putet Sethus *Calv. in Chronol sua Anno* 1155. quum tamen post restaurationem Lubecensem id Geroldus primum ab Duce Henr. Leone obtinuerit, & tum inceperit templum Beatæ Mariæ Virginis ibidem ad forum erigere; velut idem quoque *Helmold.* manifeste exprimit, *in hist. Sclav. cap.* 90. quod non tantum post obitum Nicoloti translatio Episcopatus facta sit, sed maxime tum, quum Albertus Ursus Marchiam Brandeburgensem, expulsis Sclavis, aliis Germaniæ populis incolendam dedisset. Interea crevit ita Lubeca, quum ab Henrico Leone privilegiis & Emporio esset honestata, ut incredibilis prope visa fuerit auctio supra fortunam ascendens. *vid. Cranz. Sax. lib. 6. cap.* 26. Vix autem ad petitionem Ducis H. Leonis Archiepiscopus Hamburgensis investituram & consecrationem Episcopatus translati, in præsentia Ducis ac Comitis Adolphi, perfecerat, tum mortuus primus Episcop. Lub. Geroldus, in cuius locum surrogovit Dux Contadum Abbatem Riddagshusanum germanum Geroldi, qui statim cum Henrico Leone in terram sanctam An. Chr. 1171. abiit, & in itinere mortuus est, ut Tyri sit ille Episcop. sepultus, cui idem Dux successorem substituit Conradum Abbatem Monast. Brunsvicens. ad S. Ægidium: iste Anno 1177. Monasterium S. Iohan. Benedictino ordini in Lubeca erexit, & promotor Ecclesiæ Cathedralis ibidem magnus fuit in ædificatione templi. Lubecenses interim quum commoditatem maris Baltici cum tanto lucro perciperent, aliis civitatibus in commerciis tractandis exemplum præbuerant, & socios allicere ad se cœperunt, ut eo tutius negotiationes subirent, & averterent pericula: unde commeatus mutuus in locis maritimis extitit, ac ne intentio illis præcideretur, pacisci inter se inceperunt, dum alii in terris bella gererent, unde Societatis Hanseaticæ origo existit.

Quamvis autem Adolphus II. fidelem undique amicum in omnibus bellis contra Vandalos, ceu etiam in tali conflictu prope Damminum cum Comite Reinholdo Ditmarsorum occubuit, Duci Henrico se præstiterat; tamen reiectis tutoribus Brunone & Marcrado, præfecit defuncti provinciis quendam Heinricum Orlamundanum Com. cui Adolphi II. vidua, ut filio Adolpho III. salvaret ditiones suas, nubere coacta est, cui peperit Adelbertum, quem Rex Daniæ Woldemarus, expulso Adolpho III. postmodo Administratorem regionum earum fecit. Sicut & ipse Dux Leo hunc Anno 1179. quum ipsi auxilium in bello contra Colonienſem præstitisset, Comitem gratitudinis ergo è patria sua exturbavit. Verum quum, præter hæc vitia, ob nimiam ferociam & superbiam non tantum omnes Rom. Germ. Imperij principes in sese concitasset, coniugem etiam primam fere nullam ob causſam Anno 1155. repudiasset (*Seth. Calv. in Chron. sua*) & *Anno* 1175. Imperatori auxilium suum surripuisset, ut inde ex defectu auxilii cogeretur cum Papa transigere tandem; sed etiam ipsi Imperatori in summis suis angustiis contra rebelles Italos, ad eius instantissimas preces, quibus eidem in ipsis Comitiis Imperialibus, præsentibus omnibus Imperii proceribus, ad genua procidus supplex fiebat, adsistentiam debitam protervissime denegasset, ac in absentia Imperatoris optimi contra eundem cum Cæsaris hostibus fœdera clancularie iniisset (*Seth. Cal. in Chron. ad An. Chr.* 1175.) varioſque contra Cæsar. movisset motus: propter tot varia turbationis delicta, & inprimis Crimen læsæ Maiestatis, atque quum neque in Comitiis Wormatiensibus, Magdeburgensibus, Goslariensibus, ac Wurtzburgensibus comparere vellet, ab omnibus Imperii statibus Anno 1180. banno addictus & condemnatus fuit. Licet verò à principio masculè se defenderet contra executores, & eos, quibus distributæ erant regiones ipsius, victoria prope adsidua per biennium superemineret: tamen Fridericus Imper. ne Imperij decreta vana essent, ipse cum ingenti exercitu contra eum profectus est, propellendo ipsum è tota Saxonia, Anno Chr. 1182. Unde tandem ad Lubecenses suum recepit refugium, mox Rendesburgum, &, arcibus castellisque ibi munitis, quum à Woldemaro Rege Daniæ audiri nequiret, rursus Lubecam reversus est, & rebus ibi pro necessitate dispositis, quum Bardovicenses illum contumelioſe à se abarcerent, concessit Stadam, inde signum ulterius rerum gerendarũ editurus. Interea vero Imper. Frider. succensus Lubecensibus, obsedit eorum urbem, cogitque eos ad deditionem. Illi tamen prius Principis sui consilium requirentes, jussi sunt sese ac-

com-

commodare tempori & neceſſitati. Ab eo igitur tempore Anni 1181. Lubecca ſubiecta non tantum fuit Imperio, ſed etiam novis ſubinde ſuffulta eſt privilegiis. Adolphus quoque III. in obſidione Lubeccenſi ſemper à latere fuit Imperatori, atque inde eius ope Holſatiæ Ducatum ſibi recuperavit, tum etiam, ut quædam eſſet recognitio, quod Parens ipſius fuiſſet reſtaurator civitatis Lubeccenſis, Cæſar dimidia parte proventuum ex civitate vectigaliumque & infeudatione molarum Lubeccenſium donavit illum. Sic & idem Comes tunc pro Hamburgenſibus ſplendida impetravit privilegia. Woldemarus I. quoque Rex Daniæ adfuit ibidem Imperatori, & devotionem amicitiæ obtulit: qua oportunitate iterum uſi ſunt Lubeccenſes, & quæ ad libertatem commerciorum facerent, ſibi & ſuis impetrarant amicis, ex quo ſocietas vicinarum maritimarum civitatum maiores ſumere vires cœpit.

Anno Chriſt. 1184. autem quum novam materiam litis contra Lubecam liberalitas Imperat. Friderici I. ſuggeſſiſſet Adolpho III. ille plurima in civitatem eam moliri cœpit, dum ei mox novos imponere ſtuderet vectigalium modos, mox caſtellum imponere Travæ tentaret, mox fundos & agros civibus eripere, imo eos captivos ad Tolenſloum ac Hamburgum abducere. Inde ingens querela ad Imperatorem delata eſt, ut Cæſar utrique parti diem iudicii denunciari juſſerit: ubi controverſia ita transactione liquida compoſita eſt, ut Lubeccenſes Comiti pro omni iure redituum & vectigalium 300. Marcas, ac pro fundis pratiſque ad Travam à Travæmundo uſque ad Tuſcebecum 200. Marcas argenti ſemel pro ſemper contractu emptionis ſolverent, & ſuis in poſterum libere uterentur privilegiis: quæ cuncta ab ipſo Imperatore ita ratificata & confirmata habentur.

Quum autem poſtea anno Chriſti 1188. Fridericus Barbaroſſa ſecum Adolphum III. Comitem in Aſiam ad recuperandam à Turcis Palæſtinam abduxiſſet, & optimus Imperator Anno 1190. in fluvio Armeniæ ſuffocatus eſſet; interea Henricus Leo abſente Imperatore in Germaniam reverſus fuerat, & in primo ſtatim regreſſu per adiutionem Hartwici Archiepiſcopi Bremenſis Stadam comitatum cum civitate receperat, ubi ſimul Holſati & Hamburgenſes ipſi ſe dederunt. Hinc Bardovico expugnato & penitus deleto, Lubecam quoque deditione cepit. Occupata Lubeca, toram Holſatiam, Stormariam & Wagriam ſubiugavit, excepto Segebergo, quod Comes Adolphus Daſſelienſis, frater conjugis Comitis Adolphi III. Holſat. quem ille in abſentia Adminiſtratorem reliquerat ſuis, fortiter per ſuos defendit. Comes itaque Daſſelienſis plurima creavit incommoda Lubeccenſibus, & aliis, qui ſe Henrico Leoni dederant. Inde eruptiones aliquot ex Lubeca fecit Leo per Comit. Bernhardum Razeburgicum, &c. & prælio quidem magno apud Travam coiere; ſed fugati ſunt Lubeccenſes, & Comes Helmoldus Suerinenſis atque Iordanus Truchſeſius capti. Henricus VI. Imperator bellum hoc inteſtinum conſopire cupiens, ante reditum Adolphi III. tranſactione fic inter utramque partem inſtituit, ut Leo reſtitueret Adolpho ſuas ditiones; Lubecam inter ſeſe diviſam tenerent: Sed Dux Leo nihil eorum obſervavit: Proinde quum Anno Chr. 1192. reverſus eſſet Adolphus III. vicinorum Principum auxilio terram ſuam cum Comitatu Stadenſi & Lubecam ſimul deditione poſt multos conflictus recepit, velut & ipſe Imperator opem præſtitit: Sed tamen Lubeca ſalvis ſuis privilegiis fidem dedit. Mortuus autem eſt Dux Heinricus Leo Brunſvigæ Anno 1195. Quinquennio poſt, id eſt, Anno 1200. Woldemarus Dux Sleſwicenſis, frater Canuti Regis Dan. bello acri & obſidione coegit Hamburgum & Lubecam ſub regnum Daniæ, potius ex invidia, quam juſta ratione commotus; ſed tamen ita, ut libertatis privilegia illis ſarta recta manerent, ſe dedidere, anno 1200. *Crantz. lib. 6. Dan. cap.* 10. & 11. ſub quo multum profecerant Lubeccenſes cum ſociis ſuis, an. 1203. Defuncto autem Rege Canuto ubi coronam Regni Dan. nactus erat Woldemarus II. tanquam Rex Daniæ ingreſſus eſt Lubecam, quem ita quoque cives exceperunt anno eodem, ac inde Lawenburgum occupavit & vicinos locos ad Albim, quibus pro continuanda poſſeſſione Comit. Adelbertum Orlemundanum præfecit. Anno 1209. urbs Lubeca magno conflagravit quidem incendio uſque ad quinque domos; Sed Woldemarus reſtaurari curavit cum arce, & ut Lubeccenſes in devotione retineret ſua, quum videret, quod commerciis toti dediti eſſent, non tantum illis confirmavit privilegia anteceſſoris ſui Woldemari I. ſed etiam ſtudium eorum promovit in multis, & aliarum ad ſe attraxit civitatum favorem interdum. Inprimis quum Woldemarus Epiſcop. Bremenſ. & Dom. Holſat. tot ipſi inſidias ſtruere pergeret, & Imperator Otto IV. Leonis filius recuperare Imperio ſtuderet Holſatiam, libertatem commercia agendi per Daniam & Norvegiam pleniorem Lubeccenſibus & eorum ſociis conceſſit; Verum quod una manu concedebat, altera duplici modo illis iterum ſubtrahebat, præſertim quum Ottonis IV. infelices ſucceſſus imperii & multiplicia cerneret odia, inde multis auctus victoriis contra Vandalos, littora Baltici maris prope cuncta occupavit. Nihilominus accidit, quod ſe Lubeccenſes ſingulari cura in libertatem vindicare ſemper laborarent quidem; tamen tempori inſerviebant ex neceſſitate, quum magnum lucrum caperent ex halecum captura in Scandia. Interim evenit, quod fratres duo Comites Suerinenſes Guntzlinus & Heinricus arcem Graboviam occuparent, ſurripiendo eam Iohan. Ganſio, qui ſtatim in ſubſidium advocabat Regem Woldemarum: is vero per Adelbertum adminiſtratorem ſuum Holſatiæ acriter oppugnabat Comites fratres, quod bellum continuabatur *ad an.* 1223. ubi ad compoſitionem Rex citavit Comites. At alter eorum Henricus noctu, excubiis non bene diſpoſitis, Regem navi captivum abducebat uſque in Ducatum Lunæburgicum & arcem Dannenbergam ultra Albim, ubi per biennium adſervatus fuit. Interim Adolphus IV. Comes Holſatiæ ope & auxilio vicinorum Principum & agnatorum recuperare cœperat ditiones ſuas: & quum Lubeccenſibus intolerabilia onera qui arci præerant Dani impoſuiſſent, per ſecretam legationem à Friderico II. Imper. An. Chriſt. 1225. mandatum ad vicinos Principes & terrarum Dominos, quorum auxilio à Danorum dura ſervitute eruerentur, impetrarunt. Lubecenſes igitur præ cunctis rebus hoc egerunt, ut arcem civitatis primitus occuparent, quod etiam occultis gladiis enecando Danos omnes

perfecerunt, & postea ex denunciatione Mandati Imperialis à vicinis & Comite Adolpho IV. auxiliũ postularunt. Quamvis autem Rex ignominiam hãc ingenti exercitu vindicare studeret: tamen magna vi vicini & præsertim Ditmarsi heic se clãculum obtulerunt, (quamvis essent à parte Regis) ac in prælio confluxere apud Bornehudam. Conflictus acerrimus fuit; at Ditmarsi ipsi Danos interficere à tergo non destiterunt, ut Adolphus IV. cum Lubeccensibus ingentem reportaret victoriam, qua non tantũ Comes plene terram suam recuperavit; sed & Lubeccenses priori libertati restituti sunt; ex quo facto Fridericus II. pluribus eos donavit privilegiis. Mutavit itaque urbs ista in 60. annis sæpe Dominos, & variam expertus est fortunam, ac nisi studio indefesso commercii se præ reliquis civitatibus sociis extricare ex tot confusionibus immensis & difficultatibus perplexis novisset, funditus pridem summersa mansisset, præsertim quum tot casibus aliis internis & damnis conflagrationis exposita fuerit. Verum ita artificiose omnia tractare didicerunt incolę & cives, ut non tantum tempori rite inservire; sed etiam animos potentiorum studio commercii ad se pertrahere, & novis privilegiis in libertate talium negotiationum sibi devincire, inque ipso furore potentiores complacare nosscerent. Ideo potius ministros, quam ipsos Reges & Principes experti sunt toties inimicos. Et quid non invidia designat? Invidus alterius rebus marcescit opimis, *ait Horat.* Ita quoque id accidit Lubeccensibus, pro rerum & temporum varietate, & affectione hominum. Namque (*ait Iob. Petr. in Chron. Holsf. lib. 2. pag.* 194.) quum Rex Woldemarus II cerneret, quod urbs Lubeccensis de die in diem accresceret, & propter commercia citius exurgeret, nec non cives in ea Comiti Holsatiæ iura denegarent, quæ quidem Fridericus I. ipsis concesserat, sed tamẽ eodem Cæsare auctore redemerant & titulo onoroso sibi denuo recompararant; Inde uterque Rex & Comes infensissimi hostes civitatis evasere, & ingẽtem exercitum terra marique conduxere, cum quo appulerunt Travemundam, bina erexere ab utraque parte castella, & ipsam Travæ fluvii profunditatem veteri navi lapidibus onerata oppilarunt. Ast cives non tantum fortitudine alacri, & forti alacritate se illis opposuere, sed etiam aliam profunditatis faucem excavarunt, ut hostis in vanum laboraverit. Quum igitur hostes perspexissẽt, quod obstructionibus talibus civitati non posset importatio commerciorum occludi, ferream catenam consarcinarunt, ut eã fluvio superinducerent. Verum, quum eodem tempore aliquot naves fortiores commercii causa Revelam in Livonia sitam missæ essent, ac in reditu cernerent, quod fluvius catena esset occlusus, oportunitate venti usæ sunt, & plenis velis interrupere ferreum vinculum, atque vadum ita apertum cursui reddidere, ut ait Poeta:

Ausi sunt vada clausa cita decurrere puppi.

Quas secutæ sunt ex aliis locis aliæ naves. Quum itaque maximum navium numerum Lubeccẽses secum haberent, milite & civibus satis armatis eas impleverunt, qui tantum in hostes fecerunt impetum, ut Travemundam linquere & se in fugam convertere cogerentur. Belli & subiugationis novæ tentamine perfecto, quum deprehenderet re ipsa Adolphus, quod non ita facile contra Lubeccenses quid efficere posset, transactio instituta fuit, & tota dissensio ex errore orta quievit, abiitque in amicitiam firmiorẽ. Hoc itaque signum memoriæ loco relinquere voluit Woldemarus II. Rex, quum paulo post diem obiret suum An. Chr. 1241. *regni vero sui* 39.

Circa Annum 1283. postquam à Banno papali Monachi & Canonici Lubecenses per Cardinalem S. Mariæ in via lata de Columna ibi tunc præsentem absoluti erant, & reversi in civitatem, nova difficultas obiecta est mercatoribus & civibus Lubecensibus. Etenim Rex Norvagiæ, & eiusdem officiarii supra modum se petulantes offerebant in negotiatores tales commerciorum, nec minore damno ac via aperta contumeliosis sane eos afficiebant: Proinde mercatores de acerbissimis iniuriis graves querelas suo denunciabant magistratui. Is licet sæpius crebras propterea ad Regem daret literas, nec intermitteret, multis eundem defatigare Legationibus pro minuenda atrocitate; tamen res ita frustra peragebatur, ut etiam eo insolentior Rex cum suis officiariis insurgeret contra Lubecenses, damnaque damnis exaugeret cotidianis. Quippe Rex persuasus erat omnino, quod Regnum eius facile carere posset Germanis negotiationibus. Quum vero nullum inveniri valeret remedium aliud huic malo publico, & Rex perseveraret in sua pertinacitate, id ansam civitatibus ad novum consilium ex necessitate obvia præbuit.

Anno igitur 1284. omnes civitates ad mare Orientale & Occidentale, simul, quæ tunc Hanseatico fœderi adstrictę erant, arctiori vinculo inter sese coibant, exceptis Bremensibus, qui fœderis huius constrictionem ex proprii commodi studio aversabantur, quum quasi peculiare plane sibi Bergense illud asservent commercium.

Nihilominus principaliter conveniebant inter civitates ita, quod nemo omnium quid commercii mittere deberet in Norvegiam: Interim insignem adornabant ex locis suis navium classem. Hac bene confecta, & omnibus necessariis ad militiam pertinentibus instructa, protenus in Norvegiam impetum faciebant, ubi ingentes edebant quidem clades, sed tamen aliquot naves in septentrionali portu Nortsundio dicto non leve patiebantur damnum, nec minus in aliis locis vadosis, ubi præcavebatur ne quid frumenti ex omni genere, neque cerevisia, neq; panes, & alia vitæ necessaria Norveganis incolis apportaretur, aut illuc invitis confœderatis adveheretur. Inde tanta publica fames apud plebem maxime exurgebat, & oriebatur passim, ut Rex cogeretur cum civitatibus transactionem certis pactis inire. Ideoque ne quid inhonestatis committeret contra dignitatem suam, instigabat subornando & commovendo Regem Sueciæ Magnum nomine, ut ille arbitrio suo inter utramque se partem interponeret. Atque quum utrinque partes hæ cognitionem causæ Regi Sueciæ dicto submisissent, transactio talis instituta & inventa est. Primo, ut mercatoribus Germanicis quidem licitum esset securissime tuto navigationes liberas suas in Norvegiam exercere, sed pro recompensatione damni, quod ipsi in regno suo esset datum, ut certam summam argẽti solverent Regi. Bona autem, pro secundo, ex rapina & alias per vim & armatam manum acquisita liberum erat, ut civitates inter se pro proportione sua inter se dis-

tribuens

tribuendo, & cuique suam portionem adsignando dividerent. Hæc summa erat totius transactionis.

Rex autem Norvegiæ rancorem diu in corde gerebat erga Ericum Regem Daniæ, quod cum civitate Lubecensi pacem confeciſſet, quum tamen omnes Maiores eius & prædeceſſores nihil aliud potius intendiſſent, quam ruinam ultimam eius civitatis. Alterum odii tanti ſufflamen erat, quod civitati Lubecensi liberum cursum navigationis per Oresundium ſuum, & portus liberos per regni fines ſui conceſſiſſet in prædicto bello.

Quum itaque Rex Daniæ à ſuis propriis nobilibus miſere Anno 1186. interfectus & enecatus fuiſſet, ac multi ex eo regno hanc ob cauſam perfidam, qui rei putabantur, excedere cogerétur, tales omnes malignos ſua ditione non tantum excipiebat, & iiſdé locum quendam certum prope Daniam adſignabat, qui Helma dicebatur, ut ibi arcem ſibi peculiarem bene munitam conſtituerent, unde ingenti clade per aliquod tempus Danos ſuos populares affecerunt. Atque hinc Helmeſtadium Danicum originem ſuã ſcilicet memorabilem poſteris accepit. Verum quũ Anno 1288. nimium prædationes per terram accreſcerent, quibus Dux Saxoniæ favebat admodum, Meckelnburgici & Vandalici Duces fœdere firmo ſe cum civitatibus Vandalicis, & maxime cum Lubeca contra omnes prædones conglutinabant ita, ut ubicunque deprehenderetur talis quiſpiam, ſtatim is abſque ulla miſericordia ſuſpenderetur furi cuivis ſimilis. Quod fœdus ſtricte obſervabatur. Acetiamſi prædones principales ſatis magnum acervum ex plebeio numero ſibi adſciſcerent, Ducemque Saxoniæ in iuvenili ſua ætate per Vicedominum ſuum & Capitaneum Hermannum Riken ſeductione prava in ſocietatem hanc nequitioſam adſumerent, ut inde ingens bellum & tumultus exoriretur: tamen (ait Chronicon) ſatis gravem pertulere cladem, ut hinc Lubecenſes Ratzeburgum expugnarint, alioſque prædonum nidos viriliter devaſtarint. Erat Dux Saxoniæ tunc Albertus Imperatoris Rudolphi I. gener inde putabat ille dictus Hermannus Rike, quod nemo confœderatorum adverſus ſuum Dominum quid tentare auderet: ſed falſa hæc perſuaſio nimis damnoſa fuit huic genti & ſubditis, ut plenius in Chronicis id videre eſt.

CAP. XIII.

De primaria fœderis Hanſeatici cauſſa, & commercio in Norvegia.

PRiuſquam heic ulterius progrediamur, neceſſitas poſtulat, ut paululum heic quid etiam de Norvegia interſeramus, quum omnes reliqui hiſtorici ſicco pede hanc prætereant narrationem: quæ maxime ad illuſtrationem fœderis & Societatis Hanſeaticæ facit: unde tot querelæ apud Politicos paſſim exortæ ſunt, quod nunquam ad certitudinem originis eius pervenire potuerint. Miracerte omnium fere hiſtoricorum & temporis obſervatorum aut ſocordia aut negligentia, maximeque veritatis ex meru vano & puerili admodum fuga eſt, quod nunquam ad medullam animamque actionum omnium in humana vita penetrarint; ſed vix ſuperficialia cutarint, in expeditionibus cruentis, tyrannicis perſecutionibus, & truculento armorum ſtrepitu, & tamen necdum perfecte talia conſignarint: Quum multo rectius id attendi debuiſſet, quæ conſilia, quæ negotia interna, quæ cauſſæ motuum præceſſerint, unde homines in tantos furores concitati, & mutationes variæ exortæ fuerint. Ah vera virtus quam diro premitur ſilentio à crudelitatum omnium narratoribus, quum tamen virtus vera non fucata æternas potius laudes & commendationes mereretur. Sic enim vere de virtutibus, & vitiis mortalium iudicium ſumi & imitatio in bonis ſuſcipi potuiſſet. Namque hiſtoriarum omnium finis genuinus is eſſe debet, ut inde prudentiam piam in imitamine grato & communi correctione addiſcamus, & quævis vitia abſurditatumque horribilia exempla, quæ toties occurrunt, evitare omni conatu expetamus. At nunc potius in hiſtoriis nihil niſi beſtialitatum furentium perpetuas enumerationes, nec raro apertas commendationes invenias, & præſertim in bellicis tumultibus, & plus quam ferinis ſanguinolentiis, fortitudini id adſcribitur, quod ipſius animæ humanæ ſalutem æternam penitiſſime ſæpius ſubvertit. Nihilominus quum id ex falſa perſuaſione ſibi adeo ſancte commendatum legat iuventus, inde heroicos animos in perniciem ſui ſub falſa ſpecie induit, carnalitati frenum indulgens, omnem pietatem ſecum exuendo. Unde non mirum, quod etiam in ipſa Chriſtianitate vix ſint, qui veram pietatem noſcant, quum talia peſſimæ & rabiei & beſtialitatis exempla addiſcantur, quæ hominem à vera cognitione ſui & Verbi cœleſtis, cultuque veri Dei prorſus abripiendo, ſeducant. An non igitur ſelectus eſt aliquis accurate habendus? Sed ne in aliam longe difficiliorem heic abripiamur digreſſionem, ſaltem *Helmoldi Presbyteri hiſt. Lubecenſ.* querelam, quod hiſtoriæ à multis parum bona fide ſcribantur, & cauſſas mendaciorum, quum ad illuſtrationem huius loci faciat, ſubnectemus, inde continuaturi reliqua. *In exordio lib. 2. Chr. Sclav. hæc habet*: Inter deſcriptores hiſtoriarum rari inveniuntur, qui rebus geſtis deſcriptionis fidem integram ſolvant. Sane diſparilia hominum ſtudia plerumque è corrupto fonte naſcentia, in ipſa narrationis ſuperficie ſtatim dinoſci poſſunt, dum videlicet ſuccreſcens in corde hominis veluti ſuperfluitas quædam humorum, indebitus amor ſive odium deflectit narrationis impetum, derelicto veritatis tramite in dextram ſive ſiniſtram. Multi enim aucupantes favorem hominum palliaverunt ſe amicitiæ ficta quadam ſuperficie, & propter ambitionem honoris ſeu cuiuſlibet emolumenti locuti ſunt placentia hominibus, aſſcribentes digna indignis, laudem quibus non debebatur laus, benedictionem, quibus non erat benedictio: Quo contra alii odio concitati minus pepercerunt obloquiis, quærentes locum calumniis, & quos manu nequibant, acrius lingua inſectantes. Tales profecto ſunt, qui ponunt lucem tenebris, & dicunt noctem diem. Sed nec aliquando defuerunt inter ſcriptores, qui propter damna rerum & cruciatus corporum impietates principum publicare timuerunt. Venalius autem eſt veritatem tacuiſſe ob puſillanimitatem ſpiritus & tempeſtatem, quam ob ſpem inanis lucri finxiſſe mendacium. In exprimendis ergo actibus hominum, veluti in exſculpendis ſubtiliſſi-

tilissimis cœlaturis, sincerum semper oportet esse considerationis intuitum, qui nec gratia, nec odio nec pavore à veritatis via deducatur.

Quod quia multæ peritiæ est, imo maximæ solertiæ, gubernaculum videlicet sermonis inter hæc scopulorum impedimenta inconcussum dirigere, divina mihi pietas diligentius est exoranda, ut quia navem descriptionis ausu quodam improviso magis quam temerario in altum deduxi: ipsa opitulante & flatus secundos dirigente, perducere merear ad littus debitæ consummationis: Alioquin ob difficultatem ingravescentium causarum, & depravatos mores principum, facile perturbabor à timore hominum. Magnum autem consolationis firmamentum omnibus veritati innitentibus, quod veritas, etsi nonnunquam impiis odium pariat, ipsa tamen, in se inconcussa permanens, non offenditur, sicut ægris oculis odiosa lux est, quod non lucis, sed oculorum ægritudinis culpa dignoscitur. Sed & omnis considerans vultum nativitatis suæ in speculo, non speculo, sed sibimet imputabit, si quid in se pravum aut distortum viderit, &c.

Ita etiam *Albert. Crantz.* valde conqueritur aliquoties de iis, qui Annales consignare voluerunt, quod minus observarint ea, quæ ad veram historiarum faciunt naturam, ceu hæc adeo negligenter, ait, commissa, ut quoque sæpius ipsa nomina regum aut Principum prorsus omiserint. Nihilominus egregium in eo præstitit laborem, quod historica relatione sua maxime Septentrionalia regna illustrarit, & singulari ordine discriminarit. Alias enim mira confusione ab aliis tradita sunt, quæ de Norvegia habentur; imo in plurimis quasi silentio ab aliis præteruntur; ab aliis pro Danis Normanni habentur, ceu etiam nuper fecit continuator *Mellificij historici in Sleid. Lampadius in vita Ludovici Pii*, filii Caroli Magni, ubi de Normannorum invasione in Galliam agit. Verum adeo distincta fuerunt regna Norwegia, Suecia, & Dania, ut non tantum proprios per aliquot secula habuerint Reges, sed etiam Gothia & Iutlandia aliquando suos singulares habuerunt Reges, à Dania distinctos, ut recte id notat *Ioh. Petr. in Chron. Holf. lib. 1.* Normanni vero, præ cunctis in Boreali tractu populis, constantes & fideles fuerunt, quum reliqui admodum levi & falsæ mobilitati, non absque barbara crudelitate obnoxii semper vixerint: at hi tamen in simplicitate severi, & graves, qui summum dedecus putarunt, si quis fidem semel datam frangeret; egregii in omnibus imitatores Saxonum, ex quorum sanguinis propagatione multum hauserunt; unde etiam confusio est ea, quod Nortalbingii & Northmanni à plurimis pro iisdem populis habiti sint. Velut etiam hodie adhuc multi neotericorum, inter quos sunt, qui Geographica & Chronologica conscribere gaudent, uti *Neander*, *Quadus*, *Funcius*, *Ditmarsus*, *Theodoricus*, (qui tamen præ cunctis sibi correctionem assignavit) *Alstedius*, & alii, qui plane amplissimum & antiquissimum regnum, quasi nunquam in rerum natura fuisset, omittunt. Iniuria vero fit & nationibus diversis, & tempori, & veritati historiarum, quum tanto studio aut ignorantia ea supprimuntur. Nec historia Hanseatica rite describi potest, nisi huius gentis conditio nonnihil luculentius delineetur. Ideoque necessum est, ut propter temporis notationem Regum Norvegicorum catalogum paucis subnectamus, modo prius ex Iacobo Zieglero & Crantzio loci & nationis huius conditionem percipiamus paucis.

Norwegiæ igitur etymon minime obscurum esse potest, quum North septentrionem, & weg viã, quasi septentrionalis tractum in tali via & itinere denotet, velut *Zieglerus in Schand. sua, pag.* 487. recte notat, cuius verba hæc sunt: Norwegia, id est, septentrionalis via. Fuit regnum hoc aliquandiu admodum florens, & imperium tenuit per Daniam & Frisiam, & late per insulas; donec domesticum imperium per hæreditariam successionem administratum fuit. Postea sub interregno, consensu procerum, institutum est, ut reges per electionem susciperentur: arbitrati eos hoc æquius administraturos regnũ, quo minus forent confirmati per novitatem. Sed evenit (dum quisque opibus, ambitione & favoribus affinitatis præstitit, ita in spem maiorem venit regni assequendi) ut factionibus distraherentur, seseque etiam inferrent ad occasionem capiendi regni externi, qui adjuvarent & destituerent partes concertantes, ut visum sibi è re fuit. Itaque est hoc tempore sub potestate Danorum. Hi non legitimos modo reditus & tolerabilia vectigalia imperant, sed omnia commoda corradentes, transferunt in Daniam, videlicet diuturnitatem imperii constituentes in infirmitate subiectorum; quod non unum exemplum est hac ætate in re Christiana. Postquam omnes virtutes, quæ Principem (id est patrem patriæ) vere spectant, relictæ sunt, superbumque Domini supercilium solum retentum, quod aperuit ad subiectorum iniuriam, licentiam: secutum illud est, quum Dynastæ nihil præsidii reliqui fecerint sibi in amore mutuo populari, ut, in vi & omnium fortunarum extenuatione, quærant incolumitatem status sui. Hæc fortuna est Nordvegiæ: neque ipsa ædificia urbium suam amplitudinem & dignitatem veterem tueri possunt, nec spes est status reparandi: Publici enim conventus in rem non admittuntur: nemo ex arbitrio suo referre quid audet, aut opere tentare, incertus de omnium voluntate. Ad hanc difficultatem accedit qualitas locorum. Habet enim Dania in potestate navigationes omnes Nordvegianas: neque hæc exercere mare potest, neque exportare merces, hoc rege hoste. Præterea à cœlo, à tellure, à mari nequaquam humilis aut parum fœlix existimata. Hæc mittit in reliquam Europam piscem ex genere asellorum, frigore induratum, & extentum in fusté, unde & eum Germani dicunt Stock-Fisch. Captura eius laudatissima est Ianuario, quando supereſt frigus, ut induretur. At qui clementioribus mensibus fuerunt capti, marcescunt, neque sunt idonei, ut exportentur, &c. Rem certe acu tetigit in his omnibus. Verba sunt pauca, sed certe maximi ponderis, si quis recte examinet. Sic cum eodem iudicio consentit *Crantzius in Norveg.* sua, qui nomen Norvegiæ à Germanis impositum dicit: unde etiam paucis illum audire libet, ut inde meliot constet informatio: Incipit autem, inquit, à prominentibus scopulis Baltici freti. Deinde reflexo in aquilonem dorso, postquam ferventis Oceani marginem suo circuit ambitu, tandem in Riphæis montibus limitem facit: aliquot autem sinus includit, multis milliaribus navigabiles. Circumhabitantes piscationi indulgent. Nam genera piscium grandia cum mediocri-

doctribus, aeri exponunt torrefaciendas: quæ sic arefacta, per Germaniæ littora devehuntur. Nostris mercatoribus (Bergas Latini vocant in regno) piscatores afferunt, de longinquo venientes demorantibus. Ea autem regio propter intemperiem algoris, sterilior Dania atque Suecia, apta tamen pecoribus. Robustissimos educat viros, qui nulla frugum luxuria molliti, sæpe impugnant alios, quam impugnentur. A multis retro seculis partim inopia adacti, partim freti viribus (quæ facile faciunt mortales insolescere) mare Britannicum diu tenuere infestum. Nonnunquam soli, aliquando Danis juncti, Britanniam & Gallias sunt populati: nec quievere, donec de suo nomine Normanniam, in littore Galliarum, constituerent. Quamquam Gallorum scriptores rem perturbantes, omnes ab Aquilone venientes, soliti sint appellare Normannos, non discernentes inter Danos & eos, qui veri sunt Normanni. Ab hac tamen gente Danorum & Normannorum, in littoribus Galliarum demorante, propagati sunt & illi Normanni, qui penetrarunt in Italiam: & primum in Apulia, inde in Sicilia, post comitatum atque ducatum, regna, quæ hodie extant, constituere. Post susceptum vero Christianissimum (quod factũ sub Olao rege, qui in Anglia baptisatus, &, circa Annum Christ. 994. rèx Norvegiæ factus, in omnibus regni provinciis populum baptizari curavit) melioribus imbuti disciplinis, didicerunt pacem diligere. Sed quum nefandis maleficiorum artibus ea gens ab initio, super omnes gloriaretur mortales, nunc simpliciter cum Apostolo confitetur Iesum, & hunc crucifixum, &c. Ita omnis tunc regio dudum Christiana fuit, exceptis, qui trans montes ad Oceanum Borealem agunt. Nam illi magicis artibus & incantationibus ita serviunt, ut, se scire, renunciareque, polliceantur, quid in toto terrarum orbe rerum agatur. Hi sunt Lappones, agrestes & vagi, ferarum solis pellibus in tanto regionis frigore usi pro vestibus. Et loquentes invicem, frendere quam ulla verba proferre dicuntur, ita ut vix à proximis queant intelligi. Ibi tanta est ferarum copia, ut plurima pars regionis ex solo venatu vivat. Capiuntur uri, bubali, elaces, bisontes, etiam in Russia & Polonia. Vulpes ea regio habet nigras, & lepores ursosque albos.

Metropolis autem civitas Normannorum est Trundennis, nunc appellata Nidrosia, à Nidero fl. & Rosa, quod templi nomen est, propter tumulum sanctissimi Regis Olai Martyris. Vulgo Trundheym dicitur; 50. milliaribus Noricis seu 100. Germanicis, recta versus Boream à Berga distans. Amplissime potentem diœcesin habet, in qua plurimus piscis, Bergam postea ad emporium devectus, & pelles pretiosæ colliguntur. Bergæ autem propter commoditatem portus & frequentem navium ex aliquot partibus terræ confluxum, emporium totius regni datum est olim, ut esset horreũ universæ Norvegiæ & promptuarium omnium necessitatum. A freto Carsund 10. milliaria versus Corum (Nordwest) & à Lindes 24. milliar. à Bahues secundum flexuosa littora 100. milliaribus abest, sub gradu latitud. 61. Eundem cum oppido Staffanger præfectum habet regium. Quinque vero, in tota Norvegia, hoc tempore arces regiæ & præfecturæ præcipuæ sunt, quarum principales iam dictæ sunt. Extrema autem adhuc versus meridiem & nobis proxima est Bahusia, Nilosiæ oppido regni Sueciæ vicina, cuius præfecturæ subsunt, Marstrandium in peninsula scopulosa situm, & halecum captura quondam celebre, Kongeefac Oddewold. Notandum heic, quod regnum Sueciæ angusto inter Norvegiam & Hallandiam, per Trolheltam flu. exitu, unicum in Oceano occidentali portum, infra Nilosiam ad Elsburgam, possideat, ubi etiam ante pauculos annos novum oppidum Colberga erectum est. Quarta arx est Aggershusia, Aslloiæ oppido vicina, 24. milliaribus supra Bahusam in intimo sinu 7. mill. longo sita. Provincia hæc inde celebris est, quod celsissimi mali navium, & asseres querni, abigeni & ligna ædificiis idonea ingenti copia quotannis in Hollandiam, Hispaniam & ad alias gentes inde evehantur. Oppida provinciæ alia sunt: Fonsberg 7. milliaribus ab Aslloia occasum versus sita; Frederichstad, Saltzburg, & Schim vel Skon, ubi fodinæ cupri & ferri sunt, Hammaria maior & minor. Qua Bergam contingit aut respicit regio, ante pauculos annos argentifodinæ inventæ sunt tantæ puritatis, ut metallum incoctum 100. librarum continuerit 80. libras argenti puras, quod antehac inauditum fuit, præsertim in iis locis frigidioribus, velut nobis Cap. Weissius Helveticus vir militaris antehac perquam industrius, at nunc veræ philosophiæ supra modum studiosus, quem Rex modernus laudatiss. Christianus IV. per biennium rebus metallicis, propter insignem eius artis peritiam, nuper præfecerat, id retulit; de quo pluribus alibi. Extrema versus Aquilonem & Eurũ Norvegiæ & Christiani orbis arx est, Wardhus aut Wahrhus, quæ parvulæ insulæ Wardæ, ambitum milliaris Nordwegici cum dimidio habenti, insistit; in qua præfectus regius æstate habitat, & diffusissimum illius littoris Norici tractum, in zona frigida, sub gradu latitud. 71. usque ad Russiæ fines, gubernat, ubi ab idibus Maij usque ad medium Iulium, non modo diem continuam esse; verum etiam Solis corpus supra horizontem circumferri, nec unquã occidere, ex oculatis testibus didici. Nec duo, sed unum solummodo in hoc Norico littore Wardehusum est, quod à Berga Emporio 144. milliaria Norica, quæ 300. fere German. constituunt, distare accepimus. Inde ad Emporium S. Nicolai Russicum, prope Dividnæ flu. ostium, circulo Arctico ad grad. longit. 65. subiectum, ducenta Germanica seu 108. Norica numerantur, &c.

Præter hæc terræ continentis longissima spacia, multæ Oceani Septentrionalis insulæ huic regno Norvagico subiectę sunt, *seu refert Cranz. d. l.* Ab occiduo ibi sunt, air, Orchades insulę, more Cycladum sparsæ; quarum 20. memorantur desertæ, & 16. incoluntur. Vicinæ sunt Electrides, quæ à nascente ibi Electro nomen tenent. Igitur Orchades inter Normanniam & Britanniam Hyberniamque locatæ, fervẽtis Oceani ludibunde minas rident. Ad eas à civitate Trondina una die navigatur. Simile intervallũ in Angliam Scotiamq; est, &c. Ultra autẽ eas excurritur ad Islandiam, olim à veteribus Thyle sive Thule dictã, ut quidã existimant. Est illa sub circulo arctico à gradu longitud. 352. ultra 100. milliaria Germa. versus ortum porrecta, & circiter 60. lata; quæ per immensum (*ait Cranz. d. l.*) à cæteris secreta longe sita est in Oceano: Vix à navigantibus agnoscitur. In ea æstivo Solstitio, sole signũ Cancri transeunte, nox

nulla: brumali Solſtitio perinde nullus dies. Nomen habet à glacie, quæ illi ad Boream perpetuo adhæret: nam ibi jam incipit mare congelatum. Tam grandis Inſula, ut populos multos contineat ſolo pecorum paſtu, & nunc captura piſcium, victitantes: ſpecus inhabitant plerumque, aut ad montium latera excavatis manſiunculis: communi tecto, victu & ſtrato gaudent cum jumentis. Itaque in ſimplicitate ſancta vitam peragentes, cum nihil amplius quærant, quam natura concedit, læti cum Apoſtolo prædicant, habentes victum & amictum, his contenti ſumus. Nam & montes habent pro oppidis, & fontes pro deliciis. Beata gens, cuius paupertati nemo invidet: & inde beatior, quod Chriſtianiſmum acceperit. Sed Mercatores Anglici ac noſtri quieſcere gentem & ſuo eſſe contentam non ſinunt. Nam ob piſcaturam evehendam, terram illam frequentantes cum mercibus omnigenis, vitia quoque noſtra invexerunt. Nunc enim & fruges aquæ miſcere in potum, & ſimplicis undæ oderunt hauſtum: nunc aurum & argentum cum noſtris admirantur. Rex Daniæ (qui & Norvegiæ) quotannis præfectum immittit genti. Multa inſignia in moribus eorum. Omnia enim fere inter eos communia ſunt. Præter uxores (videat heic iterum ille futilis exagitator Reip. Platonicæ, an non poſſit talis Idea dari inter homines, ſi malitia abſit: Pudeat merito quoque Arniſæum ſuæ inverſionis & adferti putidi) catulos ſuos atque pueros æquo habent in pretio: niſi quod à pauperioribus facilius impetres filium quam catulum. Ita beatos putant, qui in regionem noſtram transportantur. Vidimus utriusque ſexus juvenes à pueris illinc eductos, qui præter nomen nihil gentile retinuerant. Nam linguâ alienam perdidicerunt, ſuam neglexerunt. Epiſcopum ſuum colunt pro rege: ad cuius nutum reſpicit omnis populus. Quicquid ex lege, ex ſcripturis, ex conſuetudine aliarum gentium conſtituit, quam ſancte obſervant. Jam tamen præfectum (quod diximus) accipere coguntur à Rege. Quod exinde inolevit, quod mercatores ingreſſi, multa ibi lucra faciunt: unde & Rex tributum depoſcit. Adalbertus Metropolitanus Hamburgenſis, anno Chriſti milleſimo ſeptuageſimo, vidit ad Chriſtum converſos: licet ante ſuſceptam Chriſti fidem, lege naturali viventes, non multum diſcrepantes à lege noſtra. Itaque petentibus illis ordinavit quendam virum ſanctum primum Epiſcopum, nomine Iſleph: qui ab eadem regione miſſus ad Pontificem dictum, aliquandiu apud eum retentus eſt cum ingenti venetatione, perdiſcens noſtra, quibus rudem populum in fide erudiret, &c. Sunt autem plures aliæ in Oceano dicto Inſulæ, quarum non eſt minima Gronlandt, profundo in Oceano ſita, contra montes Sueciæ & Riphæi inga. Ad quam inſulâ à littore Normannorum ferunt vela pandi quinque aut ſeptem diebus, quo modo ad Iſlandiam. Homines ibi à ſalo cærulei; unde regio illa nomen accepit. Qui ſimilem Iſlandis vitam agunt, excepto quod immaniores ſunt, raptuque piratico remigantibus infeſti. Holagland inſula Scritifinnorum, eſt Suecis continuata: de qua ſupra in Suetia diximus. His Inſulis longe extra arcticum circulum poſitis in æſtivali Solſtitio nulla nox, in Hyemali nullus dies. Stupenda res & incognita auſtralibus: qui neſciunt diſparem dierum longitudinem contingere per ſolis acceſſum & receſſum, &c. Iſlandia vero in littoribus matis paſſim ab hominibus, ex piſcatu potiſſimum & re pecuaria vitam ſuſtentantibus, incolitur. At mediterranea loca ob Alpium altiſſimarum perpetuis fere nivibus obrutarum aſperitatem, infrequentiora ſunt. Panis bis coctus, (quo importato non niſi lautiores utuntur: cæteri enim piſce ſiccato, panis loco veſcuntur) farina, polenta, cereviſia, ferrum, cuprum, pannus Anglicus, & inſtitorum merces claſſibus advehuntur quotannis per mercatores Hamburg. Lubeccanos, Bremenſ. Haffnienſes, & alios, qui viciſſim frigore duratorum ſtrues, & ſulphuris in ea inſula effoſſi moles, Balænarum pinguedinem, butyrum, ſevum, carnes & coria boum, tajas, pannum Warman, pelles vulpinas & ovillas evehunt. Portus in meridionali littore nominant nautæ: Hainaford, ubi Beſſeſted præfecti regis domus eſt; Strom, Watloswick, Kibbelwick, Buſſandi, Turlock, & Orback, qui nautis maxime noti. Iter autem ex Albidos, ad ſinum Iſlandiæ Buſſandi, eſt milliarium circiter 300. Gronlandiam vero nautæ & mercatores, quum polo proxima ſit, in navigationibus ita obſervare coguntur, ut in Junio ibi adſint, ad capturam cetorum, qui ibi maximæ ſunt longitudinis, velut *Plinius quoque lib.* 32. cetos ſexcentorum pedum longitudinis, & trecentorum latitudinis, intraſſe in flumen Arabiæ non contra fidem affirmat, quod alii dicunt. Sunt enim tantæ magnitudinis, ut ſi aquis ſupernatent inſulæ videri queant. Quomodo autem hæ moles pœne incredibiles capiantur, ipſe ab Enchuſanis referri audivi, quum Societas ibi ſit mercatorum, qui quotannis illuc mittat numerum navium cum inſtrumentis & naviculis applicatoriis ac funibus immenſæ longitudinis, qui cylindraceæ machinæ aut rotis involvuntur celerrimi motus. Alias enim, ſi balænæ alicui vel ipſis cetis, dum ſuperficiei aquarum indormitant, ſpiculum ferreum inſtar ſagittæ binis aculeis affabre reflexis ih dorſum immittent, ac non ſtatim recedendo funem, ad quem appenſum eſt ſpiculum, citiſſima volubilitate exſolvant, ipſæ naviculæ cum hominibus à cetis dolore affectis in fundum profundiſſimum abripiuntur præcipites. Ante pauculos annos ingens numerus cetorum ibi captus eſt, adeo, ut non ſufficerent vaſa, quibus oleum aut bitumen liquidum, quod *Traen* dicunt, & ex balænis conficitur, auferre potuiſſent. Ideoque ſemper magnam partem in ſpecubus ibi relinquunt, quam ſequenti anno avehunt, quum non niſi una vice quotannis illuc conficiant negociationem; velut & in Auguſto menſe coguntur illinc ſolvere: Et fabula eſt, quod Gronlandia non ſemper poſſit inveniri. Ab hac parte vero infra Iſlandiam meridiem verſus, itidem ad regnum Norvegiæ pertinentes ſunt Inſulæ Farræ, ad gradum latit. 64. cui verſus occaſum oppoſita eſt Friſlandia, tertia parte minor, quam Iſlandia; & his meridionaliores verſus Auſtrum Herlandicæ, quas Thilenſel vocari quidam annotant; quibus Orcades, ut ſupra dictum eſt, uſque ad littora Scotiæ pertinentes cohærent, quæ Scotorum Regi Iacobo III. dotis nomine à Chriſtiano oppignoratæ ſunt.

Quamvis autem civitates maritimæ, quum tot caſibus ſortis variis expoſita eſſet Norvegia, diu ſatis commercia in Norvegia exercuerint, incolis illius loci omnia neceſſaria ad victum & bellum facientia porrigentes; tamen quum initio ſuſcepti Chriſtianiſmi

nismi *circa Annum* 994. pontifices ſuos ab Hamburgenſibus Epiſcopis (legatione perpetua in Aquilonis regna iuxta inveſtituram VVormat. an. Chr. 833. *Crantz. lib. 1. c. 20. Metrop.* fungentibus) ſemper accepiſſet: hoc tempore (hoc eſt, *ait Crantz. in lib. 5. Norv. cap. 7. ad annum Chriſt. poſt* 1054.) Nicolaus, qui poſtea in apoſtolatu factus eſt Adrianus IV. tum Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, Britannicum mare permenſus, Norvagiam in Eccleſiaſticis rebus tum Lundenſi Archiepiſcopo parentem, immunitate conceſſa, magni pontificatus, hoc eſt Archipræſulatus titulis inſignivit, Trondennis cõſtituens totius regni Metropolitanum, ubi nunc Nidroſienſis dicitur. Hæc occaſio frequentiorem auxit iis in locis non tantum commeatum, ſed etiam animoſiores & confidentiores reddidit mercatores, unde & Lubeccenſes veteres ibi Hamburgenſibus Bremenſibuſque quidem ſe adſociare cæperunt; ſed quum temporis & mutationis iniuria illud interrumperet, diſtractio ingens facta eſt. Accidit præterea, ut uſque ad Limari Archiepiſcopi tempora, & aliquandiu ſub eo Hamburgenſis Eccleſia honorem ſuum integrum ſervarit, atque eſſet matrix, quæ ſola Metropolis diceretur: Sed poſteaquam Dania cæpit habere ſuum Archiepiſcopum, paulatim defecit, & deperiit illa univerſalis legatio; cæpitque exinde poſthaberi talibus Eccleſia Hamburgenſis. *Crantz. in Metrop. lib. 5. cap.* 18. Quæ res non uno temporis momento peracta; ſed multis annis deliberata, & tandem elaborata, temporibus huius pontificis eſt conſummata, &c. Unde Suecia, Dania, Norvegia, retraxerunt obedientiam ſedi Hamburgenſi, deſiitque legationis ſuperioritas. *Id. lib. d. cap.* 31. Idem etenim quum Anno Chriſt. 1043. Adelbertus Boiarius ſucceſſorem Alebrandi in Epiſcopatu Bremenſi & Hamburgenſi, cuius tranſlatio à Lothario Imperat. circa An. Chriſt. 848. pridem facta erat, conamen in ſe ſuſceperat, ut ſedulo non tantum viſitaret ſuam ſolam Eccleſiam, ſed etiam legationis dignitatem reſpiceret, nec non remitteret Pontificibus vicinis laborem longinquæ peregrinationis in provincias Aquilonis.

Inde primus Archiepiſcopus Bremenſis factus eſt Hubertus Limari Succeſſor, *circa An.* 1101. ut ex eo tempore ſemper talis apud eam Provinciam dignitas manſerit. Refert vero *Crantz. lib. 6. Metrop. c.* 14. quod paulo ante aut circa ea tempora ſedes adhuc fuerit Principum Vandalicorum in veteri Lubecca, atque quod ibi à mercatoribus ſacerdotes Ludolphus & Folcardius perquam benigne & liberaliter habiti ſint, donec Rugiani penitus veterem Lubeccam cum arce ſua demoliti fuerint. Nihilominus beneficio mercatorum reſtituta eſt Lubecca quidem; ſed tamen tempore Pribiſlai, quum eſſent Principum Chriſtianorum diſſidia pernicioſa, Lubecca vetus iterum diruta fuit; unde Anno 1140. ad eum locum, ubi rudera Critonis inveniebantur, tranſlata eſt. *Crantz. d. l. cap.* 17. Ea eſt, inquit, quæ nunc floret civitas opulentiſſima, omnium urbium Saxonici nominis ornatiſſima, cœperantque inhabitari deſerta VVagrienſis provinciæ: & multiplicabatur numerus accolarum eius, de variis nationibus, quos invitavit datis agris Adolphus II. immunitatemque præſtabat per certos annos tributorum. Venerant ex VVeſtphalia, Friſia, Hollandia qui accolerent. Hæc res adeo ſolertes, ingenioſos & laborioſos iterum effecit cives Lubeccenſes, ut per mercaturæ exercitium, præſertim quod ad Norvagias & paſſim in mare Baltico uſque in Moſcoviam extendebant, denuo eouſque accreverint, ut etiam invidiam Ducis Sax. Leonis & viciniorum ſibi conciliaverint. Unde occaſio enata eſt, ut civitates maritimæ fœderis conglutinatione coierint, & eo tutius commercia perageret. Sicut etiam Bremenſes animorum magnitudine exſuſcitati, qui anno 1158. per mare ſe moverunt, novi honoris gloriæque & commerciorum quærendorum cauſſa, tempeſtatibus adacti in fluv. Dunam, & ita Dunemundæ, uno milliari infra locum ubi poſt An. 1198. Civitas Riga extructa eſt, conſederunt. *Chro. Brem. VVil. pag.* 71. ubi & expreſſe additur, quod Livones amicitiam cum eis, & ius commerciorum pacti ſint. Ex quibus patet, quæ occaſio & cauſſa, in commerciis defendendis & rite inter ſe dividendis, populis & civitatibus maritimis fuerit. Velut & Lubecenſes tum primariam intentionem cum vicinis in Norvagiam direxerant, quum perſpexiſſent, quanta ibi rerum Germanicarum copia expeteretur, ut ſupra dictum eſt. Illic etiam cum Anglis talem inceperunt ex jure commercii amicitiam & pacta colere, quum illi pannos & alias ad eam gentem res diſportarent, ne eſſet commerciorum confuſio.

CAP. XIV.

De Regibus Norvegiæ, & à quibus Hanſeaticæ civitates ſua maxime ſibi acquiſiverint commerciorum privilegia, ac ius Emporii perpetuum.

QUum Regni Danici in mare Orientali tanta poteſtas ſemper fuerit, ut commerciorum importatio nunquam recte florere apud civitates littoris Baltici potuerit, ut ſupra *ex Zieglero & Crantz. lib. 1. Norv. c. 2.* oſtenſum eſt, niſi Regum eorum gratia & favor in conceſſis privilegiis obſervatus fuerit. Itaque civitates hæ, præſertim Lubecca, ceu caput earum, variis in tot caſibus mire ſe accommodare eorum nutui coactæ ſunt; nec raro pactis certa forma vectigalis conſtituta fuit. Maximum vero tunc lucrum ex Norvegia accepere. Ut eo rectius igitur ratio temporis conſtare cuivis poſſit, quod alii paſſim Chronici & hiſtorici præter Crantzium neglexere, id in enumeratione Regum Normannorũ brevibus expediemus.

Norvegiæ autem regnum inter ſeptentrionalia prope antiquiſſimum eſſe etiam ante Chriſti nati tempora, & ipſi Daniæ imperaſſe, ab hiſtoricis perhibetur. Verum quum temporum ſeries certa, nec à Saxone, nec à Crantzio, &c. diligentiſſimis hiſtoricis, prodita ſit, ad certos annos eius hiſtoria & in Chronologiam rite referri nequit, uſque ad Gothonis tempora, qui *circa* annum Chr. 800. vixit, & maxime Biornis imperium. Nihilominus exordium ulterius cum Crantzio à Suibdagero, qui vixit iis temporibus, & imperium in ſuo tenuit regno, quum Gram ſive Granus, ut ab aliis vocatur, IV. Danorum Rex gubernaret.

Catalogus Regum Norvegiæ, quorum Chronologici plurimos & Hiſtor. præterierunt in ſuis libris & ſcriptis.

1. SUibdagerus, qui occiſo Grano Rege Danorum & Sueconum tribus regnis imperavit.

Hic

Hic reliquit filium Haſmundum ; At Gram ex Gro coniuge Gotorinum, quem alii Gothurnum dicunt; ex altera vero Signe Haddingum filios habuit, quorum hic vindex paterni fuit funeris.

2. Haſmundus, qui ab Haddungo Sueciæ rege victus Vpſalæ ſepulchrum invenit, cuius coniux Gunilda, ne viro ſupereſſet, ſpiritum ſibi ferro eripuit, virumque fato inſequi, quam vita deſerere præoptavit. Iacet itaque, aliquanto ſpecioſius ibidem buſto, quam tori ſocietate complexa.

3. Haddingus hac victoria iterum trium regnorum rex quidem aliquouſq; factus, tamen mox eum

4. Uffo ex Suibdageri ſanguine natus ex parte Norvagiæ & Sueciæ toto regno exuit.

5. Haquinus 1. per filiam Haddingi, quæ annulum vulneribus eius abdiderat, ut eum ſibi nuberet commodius, Norvagiam recuperavit.

6. Interregnum Procerum Norvegiæ tẽpore Hotbrodi regis Sueciæ qui Hotherum filium Gewaro concredidit.

7. Gewarus prævalere incepit reſtauratione nova regni.

8. Helgo regulus in Hologia Norvegiæ, Hotheri Succici amicitia uſus in coniuge ducenda.

9. Interregnum 2. Procerum.

10. Collerus regno pleniori Norvagiam recuperavit, quum Roricus Rex Danorum præeſſet imperio. Fuit Collerus ab Horvvendello Iutiæ præfecto in duello extinctus.

11. Interregnum 3. Procerum diutinum uſque ad tempora Frothonis 2. Fortis ſive Vegeti Danorum.

12. Frogerus reſtauravit quidem regnum Norvagiæ tempore Frothonis 2. ſed idem amiſit, quum Frotho eius victor eſſet in duello.

13. Frotho Vegetus ſive 2. Daniæ regnum cum Norvegia coniunxit, ſed non adeo diu.

14. Herwillus vindicavit patriam à Fridlevo 1. Daniæ rege.

15. Gotarus tempore Frothonis 3. Dan. Regis quietum ex conſilio Erici primitus habuit & excoluit regnum, poſtea propter filiam Frothoni ſubductam in bello periit.

16. Rollerus veram regno formam auxilio Frothonis 3. Danor. regis reddit, & tamen ab eodem 3000. Navium ope opprimitur, & iterum Norvegia Daniæ adiicitur.

17. Frotho 3. de quo in Dan. hiſtor.

18. Duodecim Germani fratres defendunt patriam, quos Fredlevus Froth. filius delevit.

19. Haſmundus I. Hetmarchiæ in Norvegia Reguli filius, qui inde, quod legatos Fridlevo Dan. filiam eius petentes, occidiſſet, à Fridlevo victus periit.

20. Helgo, qui Ingelli Reg. Dan. filiam ope Starcateri duxit.

21. Hatherus, cuius filiam Thotildam Haldanus Rex Dan. duello promeritus fuit, ex qua genuit Haſmundum: à quo ſe Norvegiæ reges originem duxiſſe magni æſtimant, ab Haldano ſolemnem generis ſui ſeriem retexẽtes. *Crantz. Norv. li. 1. c. 23.*

22. Haldanus nuptiis ex obitu Hatheri Norvegiam in ſe tranſtulit.

23. Haſmundus 2. filius Haldani.

24. Regnaldus, ob filiam ſpecu abditam à Gunnaro Rege Sueciæ opprimitur, unde tyrannus ille in ignominiam genti (N.B.) Canem Norvagię Regem dedit.

25. Gunnarus Rex Sueciæ tyrannus, qui à Borcan armis extinctus eſt.

26. Hildigerus ex Gunnaro & Drora matre natus, ſævitiæ paternæ æmulus, mutuis viribus membrorum regni attritus obiit.

27. Haſmundus 3. Regulus, cui Soror natu minor bellum atrox adeo intulit, ut Haraldũ Reg. Dan. in auxilium contra fœmineas audacias vocarit, qui ſponte etiam opem tulit, ut deregeret ſexus contumeliam, quod adverſus militares viros inſoleſcerent fœminæ.

28. Olo ex Haraldi Sorore & Haſmundo editus, oculorum fulgore excellens, ut nemo adſpectum eius ferre poſſet; à Starcatero perfoſſus, quum tyrannum agere inciperet, imperavit quoque Danis.

29. Ringo interea in Norvegia regnavit, qui propter abnegationem filiæ, quam expetebat nuptiis ſibi adſociari Omundus, ab eodem interẽptus eſt.

30. Omandus Olonis filius Norvegiæ & Danorum Regno imperitans, Ruſſam virginem cum fratre Trundo hoſtem habuit, quæ de rerum ſumma cum eo conflictavit, quam tamen poſt multas clades ſuppreſſit, circa annum Chriſti 200. *Crantz. lib. 1. Norv. cap. 27. & cap. 33.*

31. Defectus hiſtoriarum per 600. annos. Vide *Crantz. lib. 1. Norveg. c. 34.*

N.B. N.B. *Certior temporum ratio nunc ſequitur.*

32. Gotho Rex ex liberalitate clarus, in tali virtute Gotfridum aut Gotricum, Gorini filium habuit æmulum: Attigit Caroli Magni tempora, circa Annum Chriſti 800. & vaſtavit Friſiam cum Flandria.

33. Siwartus I. qui præfuit maximæ parti Norv.

34. Siwardus II. qui Gottrici Reg. Dan. filiam meritus fuit, & eidem regno præfuit.

35. Regnerus filius Siwardi, Danorum ſimul Rex, cui Landgerda virgo cum multis aliis, pro pudicitia pugnantibus, contra Regem Fro Sueciæ, opem tulit ita, ut victor extiterit felix, ſed malus fidei præſtitæ retributor.

36. Biornus vel Biornis à patre Regnero Norvagiæ præfectus eſt, quum Ludovicus Pius Imp. agere Romanum An. Chr. 830. incepiſſet, quod cadet in an. 831. Sed mox eiectus, defraudatus ab Haddingo, in Friſiam conceſſit. Sub hoc rege, qui tẽpore Ludovici Pii vixit, Normanni varias in Saxoniam Galliamque perfecere excurſiones; imo & Antwerpiam ad Scaldim, & Wijcland Emporium ſitum ad Oſtium Moſæ vaſtaverunt, & Friſones ſibi tributarios fecerunt.

37. Roricus, qui 600. naves an. Chr. 845. per Albim fl. in mare Germanicum adverſus Ludovicum direxit, & Hamburgum vaſtavit. velut his & ſequẽtibus temporibus & maxime Ann. 852. in Friſiam 250. navibus & ad Ligerim uſque excurſiones fecerunt Normanni.

38. Haddingus navibus Galliam invaſit, inde circa Hiſpaniam An. Chr. 857. ad Rhodanũ pervenit, paſſim plures An. 862. deprædationes per Weſandum Ducem cum 200. navibus, Sequanam inva-

Invadendo, perfecit adeo, ut an. 869, Rex Franciæ coactus sit, regni sui diremptionem à Normannis auro redimere. Sic Ludovici 2. Imperat. tempore Anno 876. in Germaniam irruptiones perfecere, & maxime pervere Saxoniam, ubi Bruno Dux Brunſ. periit. Ac rursus Anno 880. ad Ligerim in Galliam pervenere. Quod etiam aliis temporibus & maxime 895. quum Arnulphus esset Imperator, in Franciæ littoribus reiterarunt. Depopulationes tales continuatæ sunt usque ad Haraldi 5. Reg. Dan. tempora. Interea quoque varia fuit regiminis forma in Norvegia.

39. Haraldus parens Aquini 1.2. (cuius nomen latere vult *Crantz. l. 3. c. 1.*) inter Adalstenum Edelbrandis regis Anglici filium, & Haraldum 6. regem Dan. præveniendo litem successionis in Britannia armis diremit & pactis. Ann. Christi. 924.

40. Haquinus 2. in Anglia educatus, inde in Norvegiam perveniens, est coactus Heraldum quendam hostem patriæ internum evincere, & tamen telo miraculoso perfossus ex aere concidit.

41. Heraldus 2. Gunildæ filius, habuit cognominem Regem Daniæ; tempore Ottonis I. Imperatoris regnum Norvagiæ occupavit maxime, quum imperator Iutiam Anno 949. invaderet, & debellaret Haraldum 6. Dan. Reg.

42. Olaus 1. deceptus à Suennone Dan. binis nuptiis, in navali pugna se in mare præcipitem dedit, victoriam hostis non sustinens. Anno 994.

43. Suenno Rex Dan. inde factus Norvegiæ Dominus quidem, sed non diu imperavit, morte præventus in Anglia Eboraci, quum præfecisset Norvegiæ Anno 999. Ericum Iarlem.

44. Olaus 2. electus propter virtutes, quum esset vir pietati deditus, & in Anglia Anno Chr. 994. baptizatus, Norvegiam quidem recuperavit, propagandæ religioni, ferendis legibus, idololatriæ, magicisque artibus abolendis operam sedulam navavit; sed hoc veræ pietatis & iustitiæ zelo quum in procerum odia incurreret, regno ejectus est, ac postea reversus ab iisdem interfectus, & martyrii corona donatus Anno Chr. 1006. Hinc in Norvegia tamen maxime constanter Christiana religio retenta fuit. Mortis caussam quoque ad Canutum 2. Reg. Daniæ referunt, quod subordinatis technis ipsi eam curarit, ut ipse reciperetur hoc regno, quod factum.

45. Canutus Magnus, Vandalis, Norvegia, Anglia subiectis, tandem & ipse Rotomagi mortuus est Anno Chr. 1026. longe prius ante obitum tamen divisit regna, Suenoni Norvegiam, Heraldo Angliam, & Canuto 3. sive Duro Daniã adsignavit.

46. Suenno Canuti 2. filius præfuit regio nomine Norvagiæ, quandiu vixit parens eius: at ubi nuncius venit de obitu Canuti, derrectantes imperium Dan. Normanni, Magno Olai filio id detulere circa Conradi 2. Imper. tempora An. 1025.

47. Magnus 1. Olai martyris filius terrori fuit Canuto 3. Regi Daniæ adeo, ut hic cum Magno fœdus percuteret de mutua successione regni Danici & Norvegici, iuramento confirmatum. Quum igitur biennio post Canutus moreretur ann. Chr. 1045. Magnus etiam Regnum Daniæ obtinuit, sed in venatione cum equo præcipitatus obiit.

48. Heraldus 3. divi Olai frater ex Constantinopoli redux, occupat vi Norvagiam, transfert bellum in Daniam.

49. Magnus 2. filius Heraldi cum Olao fratre imperavit patriæ regno, compulit Ingonem Sueonum Regem, ut ipsi filiam nuptam daret, & in fœdus simul ipsum reciperet: unde provenit, ut Magno iam mortuo eadem mulier Nicolao Danorum regi in sacra cõiugialia concederet, ex qua is Magnũ filium suscepit, obiit autẽ Nicolaus An. Chr. 1135.

50. Magnus 3. Magni 2. ex primo coniugio filius, Heraldi nepos ad Erico Daniæ Rege, per Haraldum Hybernicum victus in Monachatum detrusus est, quum oculis & genitalibus eum privassent, ne aut videns regnum resumere conaretur, aut gignens ultorem procrearet.

51. Haraldus Hybernensis præfuit, donec capiebatur à Siwardo.

52. Siwardus 2. erat è proceribus Norvegiæ, qui Haraldum interceptum subinde sioni maris quidem condemnarat; sed astutissime elapsus per filios tres novo bello Siwardum hunc capi curavit, unde inauditis tormentis indignissime ad mortem contusus est.

53. Ingo inter Haraldi filios solus legitimo matrimonio procreatus, sed gibbosus, promeruit regnum; multas tulit insidias, propter defectum corporis, & quamvis se animosum satis demonstrarit; tamen tandem hostium dolo glacie subsidente inter præliandum perit.

54. Haquinus Herdebredius 3. Ingonis æmulus, qui Siwardo cuidam forti viro se & rem bellicam concredidit, sed ille heri proditor propter impensas belli ad Erlingum & eius filium Magnum, Waldemari I. Danici Regis propinquum defecit, unde in prælio occubuit.

55. Marci cuiusdam alumnus optimæ spei adolescens, ab adsertoribus Aquini & populo electus est in Regem; sed Magnus Erlingi filius ita dissipavit eos, ut cum Rege suo ad Carolum Suetiæ Regem confugerent.

56. Erlingus Scackius per Waldemari I. Danici transactionem aliquousque receptus est, unde in solitudines recessit, donec filius Mag. meliores acquireret vires.

57. Magnus 4. Erlingi filius libera postea potestate regnavit in Norvegia, vivente adhuc Patre, apud quem consilium & auctoritas regni, apud Magnum vero labor & regis inane nomen fuit. Per Burisium tamen quendam regii sanguinis in Dania, Waldemaro male subditum, contra Reg. Daniæ concitantur: unde diuturnum bellum exortum est, donec tandem in Coronatione Canuti 6. filii sui Waldemarus, datis mutuo obsidibus, ad pacificationem admittuntur. Ubi inter Erlingum & Waldemarum talis transactio procerum instinctu peracta est: ut esset Waldemarus uterque parens & filius Duces Norvagiæ, ac quod si filius Erlingi Magnus sine prole discederet, Regnum Norvegiæ ad Woldemarum perveniret. Interim vero Norvegia Danorum regi obstricta sit ad bellum cum classe 60. navium, &c. *Crantz. lib. 5. Norv. c. 12.* Waldemarus tunc amicus insignis fuit Friderici Barbarossæ Imper. atque Ducis Henrici Leonis Saxoniæ & Brunsvic. nec non Alberti Ursi circa Annum Chr. 1164. unde magistimendus

mendus erat, quum essent potentissimi, cum quibus totam Vandaliam expugnarat. Anno 1162. Verum postea Magnus 4. cæditur à Suero Haquini proximi fratre, quod ipse juste succederet, ne in Successionem Danorum incideret regnum. Anno 1176.

58. Suerus igitur perquam circumspecte regnum administravit, imperavit quoque subditis potentissime; & quum ille externa simul adamaret media, proinde mercatoribus libertatem pleniorem concessit, ut ita ditaret regnum, & eo potentius id defenderet. Ex hac caussa se coniunxere civitates maritimæ, & Societatem, impetratis privilegiis Norvegianis & locis portus firmi, consolidarunt fœderis certi formam, ut infra patebit.

59. Etlingus 2. quem anno Dom. 1204. expeditione facta in Norvagiam Waldemarus 2. Rex Dan. constituit, si Historiæ Erici Daniæ Regis, Wratislai 7. Ducis Pomeraniæ fil. fides habenda.

60. Haquinus 4. Senior, qui restituit regnum, eodem anno obiens.

61. Haquinus 5. Iunior successit anno 1208. quum Daniæ præesset Woldemarus 2. Is diu tranquillissime usus est regno. quum omnem vitæ necessitatem sibi & subditis apportari ex Germaniæ civitatibus confœderatis cerneret, majori libertate eos affecit, ut ex diplomate apparet Haquini & sequentium regum. Hoc maxime se dedecoravit crimine enormissimo, quod filium quendam mania corruptus Anno Christ. 1240. propria ingularit manu & gladio, velut etiam eodem anno ab ipso occisus est Seulo Dux Norvegiæ potens cum filio. *Histor. gent. Dan. p. 93.* [N. B. *hic etiam alius Haquinus ponitur, qui Ann. 1253. fuerit in Dania. Hist. gent. Dan. pag. 96.*]

62. Magnus 5. quem alii Olaum 3. faciunt, in regno surrogatus est: quietam primitus quoque duxit vitam, at postea Mercatoribus Hanseaticarum civitatum per malevolos infensus redditus, bellum cum iis gessit: Unde civitates confœderatæ, quũ rebus & veteribus in terra ea consuetudinibus, quibus erant invitati, velut ex diplomate eius apparet, uti non sinerentur, navibus suis ex jure confœderationis portus Norvegiæ undique occuparunt, ne quidquam regno uspiam importaretur. Etenim Rex contra datam fidei publicæ concessionem & confirmationem antiquorum privilegiorum his illam intentabat invidiam. Quum vero populus inde, adsuetus frugibus Germanicis & cerevisia ali, seditionem minitaretur, Olaus usus est intercessore Erico Rege Sueciæ, qui dissidium hoc inter civitates Hanseaticas & Olaum Regem composuit ita, ut mercatores huius Societatis suis rebus, Privilegiis & antiquis consuetudinibus restituerent, dato ipsis ab Rege ingenti ære, quo damna recompensarentur. Ita veterem res nacta est institutionem Ann. Chr. 1280.

63. Ericus illi surrogatus est, itidem quiete vixit. In hoc tamen fortunatior cæteris existimatur, quod nulla clade eius tempora insigniuntur, tam potenter abundanterque sub eo floruerunt commercia civitatum Hanseaticarum, ut eorum præsidio tutus in regimine quiesceret. Inde in tranquillitate regnans tempora sua in senectutem honorabilem perduxit, quum interim Dani in Holsatos & Sueciæ reges frater in fratrem armarentur. Tantus fuit fœderis Hanseatici respectus, ut etiam aliquot civitates Hanseaticas in familiaritatem suam referret, ceu quoque speciales regni adsumpsit Bremenses. *Chron. Brem. pag 90.*

64. Haquinus 6. Erici regis frater, quod ille prolem masculam non reliquit, successit in sceptra Anno 1309. quamvis eius socius in regno semper fuisset, ut ex diplomatis extracto apparet. Filiam, quam solam habuit, Haquinus honestis nuptiis collocavit: ipse ducens coniugem, filiam Comitis de Rapin ex Germaniæ Marchia, cui erat mater filia Dominorum Rugianorum. Longinquis ille in Germaniam nuptiis ius sibi affinitatis quæsivit, (N.B.) sibi regnoque prospiciens, ut si quod à Germanis (N.B.) mercatoribus (N.B.) (uti avorum memoria factum) novaretur, promptum ex iisdem littoribus haberet auxilium. Senserat enim, (N.B.) (quod res erat) Norvagiam, iam pro magno (N.B.) piscationis quæstu habitatoribus (N.B.) plenam, non nisi aliunde invectis frugibus, avectis inde piscibus aridis, (N.B.) posse consistere. *Crantz. lib. 6. Norveg. cap. 4.* Tandem à Magno Sueciæ rege oppressus bello est, unde regnum Norvagiæ Suecico adsociatum fuit, Anno Christi 1318.

65. Magnus 6. Sueciæ rex, adiit quidem regnum Norvagicum, sed non diu ibi subsistere potuit, unde filio Haquino deputavit regnum hoc, & ipse postea reversus est in Sueciam. Interea tamen, quum disponerent res in Norvagia, & maxime civitatum Hanseaticarum amicitia delectarentur (quum potissimam Regni Norvagici fortitudinem in defensione ab externis hostibus sitam cernerent, & quod omnes in colæ ex earum viverent commercio) statim illius societatis privilegia confirmarunt uterque, pluribus additis beneficiis, ut extractum Diplomatis demonstrat inferius adductum Anno Christi 1319.

66. Haquinus 7. Magni 6. Sueciæ regis filius, patre sic iubente, regni huius sceptrum tenuit, sed patrem, qui anno Chr. 1326. mortuus erat, statim secutus est.

67. Magnus 7. frater Haquini, Norvagiam cum Suecia coniunxit, ut pater eius fecerat. celebravit nuptias Rostochii anno 1336. cum Euphemia Alberti Megapol. Ducis filia. Satis autem diu ambobus præfuit regnis, donec filium, ex se natum Haquinum 8. ad regendam Norvagiam deputaret, & nuptiis filii destinatam Elisabetham Gerhardi Magni Holsatiæ filiam, ex persuasione Woldemari 4. Regis Dan. qui & Reprob⁹ dicebatur, defraudaret, unde à proceribus Sueciæ per Albertum Alberti Megapolensis filium regno exclusus est, (*vid. Chron. Hols. pag. 259.*) quamvis per Woldemari filium suum tria consolidare studeret regna. Insigniter autem eum decepit Woldemarus Reprobus, abusus simplicitate huius Regis, ac dolo exustis omnibus litteris.

68. Haquinus 8. huius Magni filius, duxit Margaritam Helvig. Waldemari 4. Regis Dan. qui infeliciter cum Hanseaticis civitatibus diu bellum gessit, filiam, & patri exuli diu suppetias tulit contra Albert. Suecicum, sed frustra; filium unicum Olaum 4. reliquit, & obiit Anno 1388. quum tri-

ennio

ennio ante civitatibus Hanſeaticis privilegia confirmaſſet, ut infra eſt.

69. Olaus 4. filius Haquini 8. vix ſeptem annos præfuit regnis ſuis, obiit adoleſcens, ut dictum iam eſt. Anno 1387.

70. Margareta hæres filii, in regnis illis poſt obitum patris, mariti & filii, miræ fœmina induſtriæ, ſic circumiens provincias & regna omnia luſtravit, providit, circūſpexit, pacemq; ubiq; fovit, ubi victrix Alberti Regis Sueciæ extiterat, ex cui⁹ captura, Sueciā Coronæ Danicæ adiecit. Scaniam Vandalicis ſive Hanſeaticis Urbibus pater eius pignori dederat, pro damnis irrogatis, quam illa expleto tempore recepit. Timebant eius induſtriam mali, reverebantur omnes boni. Ita factum eſt, ut longæva pace ſub fœmina florerent regna. Attamen quam inſidioſe callidis & violentis technis incubuerit Ducibus Holſat. *id refert Holſ. Iob. Petr. part. 2. p.* 286. *&* 290. hiſtoria eſt memorabilis, velut etiam ſtupendi motus, qui graviter percuſſerunt civitates Vandalicas, ut infra patebit. Mirum dictu, quod reges viri non potuerunt præſtare, quæ fœmina artium & ſimulationis facili nutu. Uſque adeo etiam callido duxit civitates Hanſeaticas verſutiæ ſuæ favore, ut Norvagia ſub eius imperio fuerit quieta, donec Albertus rex foret relaxandus, ubi piratæ Vitaliani Bergam Emporium mercatorum omnium Germaniæ promptiſſimum deſpoliarunt crudeliter; ſed civitates Hanſeaticæ eos diſſiparunt. Tunc ex procerum conſenſu, qui ex ſanguine regum Daniæ Succeſſorem expetebant, ſororis ſuæ Ingelburgis, Henrico Duci Megapolitano nuptæ, ex filia Maria nepotem, Ericum, Patre Wratiſlao 7. Pomeraniæ Duce, Bogiſlai 5. Filio, Wratiſlai 4. ad quem Rugiæ principatus primum pervenit, nepote, prognatum, adoptavit: qui Margaritæ An. 1412. poſtquam tribus regnis 25. annis ſola præfuiſſet, ſucceſſit: Alias tamen anni 37. numerantur à Patris Waldemari 4. obitu, uſque ad eius mortem; quibus feliciter Daniam cum Senatu regni gubernavit. *Chytr. Chron. Sax. lib.* 4. *p.* 111. Ab hoc tempore Daniæ & Norvegiæ regna coniuncta manſerunt.

71. Ericus Dux Pomeraniæ, à Margarita ſenio confecta adoptatus, trium regnorum Rex, diuturnis ac difficilibus bellis cum Sleſvicenſibus Ducibus, cum fœderatis civitatibus Hanſæ, & Suecis rebellantibus, geſtis, tandem pertæſus moleſtiarum gubernationis, & ingeniorum Danicorum, &c. relictis regnis, in Pomeraniam Anno 1438. rediit, ubi amplius 20. annos adhuc ſuperſtes in ocio & quiete vixit, & Anno 1459. primum deceſſit; de cuius vita multa notabilia *infra cap.* 16. continet, unde conſtabit quis fuerit in civitates.

72. Chriſtophorus Palatinus Rheni Dux & Bavariæ, Iohan. Palatini & Sophiæ Waldemari 4. proneptis, Erici 10. Sororis filius, Ruperti Imperat. nepos, à proceribus Dan. electus eſt, Anno 1439. ad quem recurſus factus erat, quod, propter contemptum Erici, infeſti eſſent Pomeranis amplius Dani. Lubeccenſes eum in regnum deduxere: bellum poſtea quidem in Hanſæ paravit urbes; ſed mole nimis gravi deterritus eſt, quamvis Lubeccenſium odio valde concuteretur: vix decennio peracto, quum neque ex Dorothea regina quidquam liberorum ſuſciperet, in lecto reſignavit coronæ, & obiit Anno 1448. Fuit autem Norvagia ſub eo tota quieta.

73. Chriſtiernus, ſive Chriſtianus I. Comes Oldenburgenſis, à proceribus Daniæ & Norvegiæ ad imperium inde vocatus eſt, quod Adolphus Dux Sleſvicenſis propter ingraveſcentem nimis ætatem regnum repudiaſſet, & Sororis huius ſuæ Hedwigis ac Theodorici filium, heroica animi & corporis celſitudine à ſe educatum ipſis præpoſuiſſet. Quum vero Chriſtiernus Chriſtophori anteceſſoris coniugem duceret, trium regnorum gubernacula ſimul in dotem adſumpſit. Norvegia quoque tum pacem habuit aliquouſque. Sueciæ quoque magnam amiſit partem. Civitatibus Hanſeaticis infenſiſſimus clam fuit hoſtis, quāvis earum privilegia Anno 1455. confirmaſſet de conſueto, ut patet ex obligatione: Hinc iis ex inſidiis multa intulit damna, pertulit tamen quoque plurima, unde cum Lubeccenſibus ob illarum damnū tandem ita tranſegit, ut oppidum Kiloniam in pignus daret, &c. obiit Anno 1481. quum 34. an. præfuiſſet regnis.

74. Iohannes filius huius, primus eo nomine Daniæ regnum (jam pridem tamen ', *anno videl.* 1478. electus & conſecratus) iniit, Norvegiam cum fratre Friderico legitima ſucceſſione poſſidens, niſi quod Rex imperii teneret adminiſtrationem, & frater titulo hæreditarii juris maneret cōtentus. Sueciæ quoque electus rex ferebatur, inſertis conditionibus, quas non probaret: quievitque, donec armis regnum recuperaret. Redintegravit variis ſimulationibus litem cum Hanſeaticis civitatibus, ut tractatus ſemper eſſent infructuoſi; Lubeccenſibus quoque duas naves mercibus onuſtas eripi permiſit, aut potius curavit, quæ res prope in bellum iterum abiiſſet, niſi Duces Megapolitani & Holſatiæ interveniſſent. Suecos rebelles armis reprimere ſtuduit; tandem quum in Ditmarſos converteret vires, & hoſtiliter eos invaderet, à paucis agreſtibus ruſticis victus documentum mortalibus præbuit, nec fortunæ, nec magnitudini virium confidendum, nec fiducia potentiæ bella movenda; ſed victoriam ſoli Deo in omnibus relinquendam eſſe. Nulla enim potentia & virtus, quantumvis excellens videatur, felix eſt, niſi pietas vera ſit informatrix, quæ dulciſſimæ manſuetudinis victoriam in regno Chriſti unice expetit, nec unquam proximi ſitit ſanguinem; quum tantum inter regnum iræ Dei & gratiæ regnum ſemper interſit diſcrimen. Quod quis ſeminat, hoc metet certe; ait Chriſtus.

75. Succeſſores Iohannis huc uſque fuerunt quidem 5. adhuc reges Daniæ, Chriſtianus 2. (quem tyrannidis nomine ſatis acriter malevoli veritatis ſuppreſſores apud veræ hiſtoriæ ignaros diffamare auſi ſunt, ceu vulgus ex eventu ſortis pendet, quum tamen res interna rectius eſſet examinanda, quod monitione non caret juſta) Fridericus I. Chriſtianus 3. Fridericus 2. & Chriſtianus 4. ſed ex quo hæreditatis nomen ſubmixtum habetur, ſolida fuit regnorum coniunctio ita conglutinata, ut nunc libertatem eam penitus Norvegiæ incolæ amiſerint, quam olim tam maſcule per

aliquot ſecula defendere non verebantur. Velut talem conſtantiæ in perferendis laboribus laudem, præ cunctis aliis *Crantz. lib. 6. cap.* 11. iis adſcribit: Verba eius ſunt notatu digna: Nimirum populus eſt, ait, qui in rupibus ſuis induravit, non facile mobilis ab eo, quod ſemel apprehenderat. Ante Chriſtum agnitum, nulla gens pertinacior errorum; poſt ſuſceptam Chriſti fidem, nulla immobilior. Ferunt aliquando terra ſua qualibet ex cauſſa peregrinatos; quum primum redierint, terramque tetigerint, pronos cadere in terram; &, facto ſigno Crucis, eam in terris oſculari. O, inquiunt, terra Chriſtiana ante omnes! Adeo generis ſui cultum attollunt, cæterorum contemnunt, &c. Procul dubio hiſce ſalutationibus terræ ſuæ reſpuunt aliarum gentium vanitates, & mutabilitates morum animorumque, quos experti ſunt, deteſtantur: in quo certe ſua ſimplicitate longe feliciores & beatiores exuperant reliquos omnes.

Sed priuſquam heic ſubnectantur documenta aliquot veritatis Regum nonnullorum ſupradictorum, pauca quædam, de ſerie & enumeratione eorundem Regum, & errore quodam Crantzii heic notanda erunt. Qui paulo penitius hiſtorias introſpiciunt, & ſecundum temporis & actionum humanarum conditioniſque rationem quælibet momenta rerum diſponere ſatagunt; certe confitebuntur paſſim, quod ita obſcure multa, imo confuſe etiam quamplurima conſignata ſint, nec pauca negligenter aut invidioſe omiſſa, ut nec regnorum, nec regum, nec rerumpubl. certa hiſtoria & continuatio alicunde pertexi queat. Sic etiam in hac brevi recenſione Regum & ſtatus Norvegiæ id mihi accidit, quum computationem diſponerem ſecundum ea documenta, quæ mihi ad manus iam erant. Etenim nec numerus Regum, nec temporis ſpacia concurrebant. Tum etiam pauci ſunt inter hiſtoricos, qui omnia ita ſedulo obſervant. Sunt enim qui 42. reges Norvagiæ numerant, alii vix 38. vel ut etiam Elias Reuſnerus in *Iſagoga ſua hiſtorica pag.* 556. *& ſeqq.* quidem 38. Reges ordine diſponit, nihilominus plurimos ſubmiſcet Duces, unde fit, ut non in omni diſpoſitione cum ſupra enumeratis heic concordare queant. Similiter defectus quoque in aliis deprehendo toties; Exempli cauſa: Ionas ab Elvervelt conſcripſit catalogum familiarum Holſatiæ, in qua expreſſe reperitur bis *pag. mihi* 289. *& 316. quod Ann. Chr.* 1203. *Id. Novemb.* Abelus Rex Danorum, Sclavorum, & Dux Iutiæ dederit privilegium Hamburgenſibus de navalibus (ut dicunt) paſſis, &c. quum tamen tunc nunquam adhuc fuerit Abel ille, qui fratrem Ericum 6. Reg. Anno 1252. tandem interfecit, ut ei in regno hoc ſuccederet. Conſarcinet quis ea iam inter ſe longe diſtantia tempora. Niſi ſubſit ſphalma aliquot ſcripturæ, vix locus correctionis erit. Et tamen adduntur utrobique teſtes certi qui tunc vixerunt; ceu verba habent: Teſtis inter reliquos Epiſcopos & Comites Holſatiæ fuit Marquardus de Rantzow & D. Dethlevus à Bockwolden, eques auratus, &c. ſuum cuique relinquendum eſt in talibus judicium. Me tamen in hac ſupputatione certiorem fecerunt documenta ſubſequentia: ac niſi eorum ope niſus fuiſſem, ipſe Albert. Crantz. me aliquoties hæſitantem ſuis reddidiſſet intricationibus. Sic E. g. *lib. 5. Norveg. cap.* 14. ſub Haquino 5. Iuniore Rege Norvagiæ notat, quod tunc Waldemarus 2. Rex Dan. crebris victoriis regnum illuſtraret contra Saxones pugnans, quum illi tum primum littora maris Baltici occuparent, & quod tunc fundatæ ſint urbes Sundenſis, Roſtock & Wiſmaria atque floreſcere cœperit Lubecca. Quum tamen ex aliis hiſtoricis liquidiſſime hoc conſtet quod anno Chriſt. 1162. à Woldemaro I. Reg. Dan. Henrico Leone Duc. Sax. & Alberto Urſo ingens bellum adverſus Vandalos ſit adeo motum, ut Dux Vandalorum Nicolotus ipſe ſuas urbes in tanto diſcrimine, Megaloburgum ampliſſimum, Suerinum & alias, præter Warlam devaſtarit; unde ita tota Vandalia deſerta & depopulatione exuta fuit, ut aliæ gentes ex Hollandia, Flandria, Friſia & Saxonia excitatæ fuerint, à quib⁹ iterum hæ regiones excultæ, & urbes inſtauratæ ac conditæ, excepto Megaloburgo, ſint. Velut & Chro. Stetin. expreſſe teſtatur, quod in iiſdem prope temporibus Saxones ex Magdeburgenſi & Brunſvicenſi urbibus atque ditionibus in Pomeraniam confluxerint. Sic & Roſtochium anno 1160. muris à Bribiſlao circumdatum eſſe & An. 1168. à Friderico Barbaroſſa Imp. privilegia accepiſſe, patet, &c. quod etiam de vigore Lubeccenſium affirmandum manet; ut ita magnum diſcrimen interponatur temporum; quū etiam ante ann. Chriſt. 1200. fœdus Hanſeaticum floruerit. Sed talibus ambiguitatibus quum hiſtoriæ ab ipſis auctoribus intricentur, fit inde, quod tot dubia ſæpius politicis in actionibus rerum & actis hominum moveātur, quæ vix longis poſſint evolvi diſputationibus. Verum paucis nunc Extractus quidam privilegiorum Hanſeaticis civitatibus conceſſorum ſubnectendi ſunt, ex quibus reliqua de diuturnitate & præſtantia huius famoſiſſimæ ſocietatis Hanſe colligi aut coniici facile poterunt.

CAP. XV.

Fœderis Hanſeatici quædam documenta in forma Extractorum heic depromuntur.

LOnge quidem adhuc veruſtiora documenta in hoc negotio me vidiſſe circa ann. Chr. 1194. data, memini; ſed quum iam ad manus non ſint, præſertim quum mutatio multa diſſiparit; ſufficiant ſequentia; ex quibus id ſatis quoque dilucide apparet, quod aliis innitantur, quæ præceſſerint: Veluti etiam tota Magni 5. quem Crantzius Olaum 3. facit, id ſatis expreſſe loquitur, quod propria & Haquinorum privilegia mercatoribus his temere expugnare contra propriam fidem & commodum regni ſtuduerit. Sequentia autem ita ſe habent:

Extractum ex Regis Magni, qui & Olaus III. dicebatur, Privilegio ſub dato Tunſbergh. Anno 1278.

MAgnus, Dei gratia Rex Norvegiæ, univerſis Chriſti fidelibus, &c. Dignum duximus quasdam immunitates mercatoribus linguæ Teutonicæ hoſpitibus & advenis, regnum noſtrum cum mercimoniis frequētantibus, ad Dei honorem & eorum utilitatem ex noſtra munificentia elargiri. Inprimis igitur ex ſpeciali gratia indulſimus de conſilio diſcretorum

rectorum Regni noſtri, quod prædicti Mercatores & hoſpites advenæ, qui non conducunt hoſpitia ad annum vel dimidium, ad excubias non teneri debeant, &c.

Extractum ex Regis Erici & Haquini VI. Privilegio ſub dato Tunſbergh. Anno 1294.

IN nomine Domini Amen. Nos Ericus Dei gratia Rex Norivegiæ & Haquinus eadem gratia Dux Norvegiæ, Notum facimus univerſis, &c. Volentes inſuper dictarum civitatum incolas univerſos, qui regnum noſtrum mercandi cauſſa tanquam hoſpites duxerunt frequentandum, amplioribus Privilegiis munire de gratia ſpeciali, ut cognoſcant, ſe ad noſtra beneplacita eo fortius obligatos.

Ex eodem.

Item de qualibet nave annonam deferente ad civitates vel villas forenſes regni venienti dabitur unum melius talentum, annona in eodem exiſtente pro telonio, quod procurator noſter eligendum duxerit, excepto flore tritici, quod Flur in Norito nuncupatur.

Extractum ex Regum Magni VI. & Haquini VII. Privilegio. Anno 1319.

MAgnus Dei gratia Rex Siveriæ, & Haquinus filius eius eadem gratia Notivegiæ, &c. Noverint igitur univerſi præſentes homines & futuri, quod Nos de fidelium & conſiliariorum noſtrorum beneplacito & conſenſu honorabilibus viris conſulibus & univerſis civibus ac mercatoribus civitatum Romani Imperii, videlicet Lubeck, Hamborch, Stadis, Bremis, Wiſmer, Roſtock, Stralſund, Gripeswoldt, Demin, Anclam, Stettin, & Colberch, nec non univerſis & ſingulis civitatibus & Mercatoribus Hanſæ Teuthonicorum & eorum nuntiis per quoſcunque Regnorum & Dominiorum noſtrorum terminos in Siveria, Norivegia aut alias quoviſcunque proficiſci, ad quaſcunque provincias cum rebus & mercimoniis ſuis eundi pariter & redeundi quorſumcunque & quotiens ipſis placuerit, tam per aquas quam per terras, & in regnis ac Dominiis noſtris undique moram faciendi ſeu manendi quando & quandiu voluerint, & mercaturas ſuas inibi exercendi, ſub noſtro hæredum & ſucceſſorum noſtrorum ſecuro conductu liberam & plenam concedimus facultatem: Et quod per nullum advocatorum officialium de regnis vel in regnis ſeu Dominiis noſtris, impediri, occupari ſeu moleſtari debeant quovis modo. Sed dato antiquo & conſueto theolonio ad nihilum ultra angarientur quomodolibet, vel graventur. Promittimus inſuper per præſentes, quod ſi dicti cives vel eorum aliqui vel mercatores ſeu eorum nuntij (quod Deus avertat) infra Regnorum & Dominiorum noſtrorum terminos bona aliqua amiſerint in ſpolio, &c.

Ex eodem.

Eoſdem etiam cives, Mercatores & eorum nuntios ſeu eorum quemlibet intra regnorum & Dominiorum noſtrorum terminos ab omni conſuetudine ſeu iure emendi terram ſepulturæ, &c.

Ex eodem.

Statuimus ius & edictum perpetuo duraturum & volumus per omnem modum firmiter obſervari in omnibus finibus Regnorum dominiorumque noſtrorum ſeu terrarum, ut ſi quemquam ex dictis civibus mercatoribus ſeu nunciis Hanſæ prænotatæ intra Regnorum & Dominiorum noſtrorum limites, vel etiam extra, ubicunque naufragium pati contigerit, &c.

Ex eodem.

Volumus etiam & ordinamus, quod cum aliquis ipſorum Burgenſium mercatorum aut nunciorum ipſorum Hanſæ prænotatæ in nundinis deceſſerit, &c.

Ex eodem.

Volumus inſuper, ut ſi quiſquam civium, mercatorum aut nunciorum prædictarum civitatum in Regnis vel Dominiis noſtris deliquerit, &c.

Ex eodem.

Præterea concedimus ipſis per præſentes, quod cum ipſi vel aliquis eorum ad civitates vel villas forenſes regni noſtri Norivegen pervenerint, dabitur de qualibet Navi unum melius Talentum, annona in eadem exiſtente pro theoloneo, excepto Flore tritici, quod Flõre in Norico appellatur, & ſi ipſi Mercatores memoratæ Hanſæ ab omni Theoloneo ampliori intrando & exeundo regnum prædictum erunt quiti penitus & ſoluti, inſuper omne novum theoloneum, quod temporibus maiorum noſtrorum, & poſtea Illuſtriſſ. Haquini Regis Norvvegiæ noſtri proavi chariſſimi felicis memoriæ ipſis civitatibus, eorundem incolis & Mercatoribus Hanſæ prædictæ impoſitum fuerat, abdicamus & deponimus per præſentes, volentes ut ipſi & mercatores prænotatæ Hanſæ apud Antiquum Theoloneum permaneant, quod temporibus Inclitæ Erici Regis Norwegiæ ſolvere & dare ſolebant.

Extractum ex Regis Haquini Privilegio ſub dato Kallingburg. An. 1376.

UNiverſis & ſingulis, &c. Haquinus Dei gratia Norivegię & Sivetiæ Rex ſalutem, &c. Sic quod deinceps in perpetuum omnium & ſingularium civitatum prænominatarum, & in iure earum & confœderatione comprehenſarum Mercatores, Cives, Burgenſes, incolæ & familiares, poterunt civitates, villas, portus & limites regni noſtri Norwegiæ, cauſa mercandi vel negotiandi tam per aquas, quam per terras libere ac ſecure viſitare, ibique bonis mercibus, & rebus ſuis pacifice frui, eſſendo pro nobis ac hæredibus & ſucceſſoribus.

Ex eodem.

Debent etiam prædictarum civitatum Mercatores & incolæ in Regno noſtro Norwegen ac ipſius civitatibus, portubus, limitibus uti, & gaudere omnibus & ſingulis ſuis libertatibus, iuſtitiis, Privilegiis & antiquis conſuetudinibus, quibus ibi unquã liberius & incolæ omnium & ſingularum civitatum

Digitized by Google

prænominatarum ſentiant gratias noſtras apud ſe magis favorabiles, & efficaces, & ut eos amplioris beneficii præſidio gratioſe proſequamur cum effectu, ipſis omnibus & ſingulis Conſulibus, civibus & mercatoribus nominatarum civitatum maritimarum, ac cæteris omnibus Hanſæ Teutonicæ Romano Imperio ſubiectis omnes iuſtitias, libertates, gratias, Privilegia & antiquas conſuetudines ac literas ipſis vel ipſarum aliquibus communiter vel diviſim ab Inclyto Principe Domino ac Patre noſtro chariſſimo piæ memoriæ Rege Magno ac ab aliis Progenitoribus & Prædeceſſoribus noſtris Regibus Norwegiæ qualitercunque datas & indultas auctoritate præſentium innovamus, approbamus, ratificamus & confirmamus.

Ex eodem.

Promittimus igitur bona fide in his ſcriptis dictis Conſulibus, civibus, Mercatoribus, incolis & nunciis prænominatarum civitatum & earum cuiuslibet pro nobis, hæredibus, ſucceſſoribus ac Regno & terris noſtris, perpetuam pacem & amicabilem compoſitionem cum omnibus & ſingulis articulis ſupradictis firmiter & inviolabiliter perpetuo obſervare, &c.

Extractum ex Regis Magni VII. Privilegio, ſub dato VVardberg. An. 1339.

IN nomine Domini Amen. Nos Magnus, Dei gratia Regnorum Norvegiæ & Sivetiæ, atque terrarum Scaniæ & Hallandiæ Rex, recognoſcimus, & tenore præſentium firmiter proteſtamur, quod propter gratuita ſervitia, quæ nobis civitates (NB.) maritimæ Orientales exhibere ſtuduerint, videlicet Lubeck, Hamborch, Wiſmar, Roſtock, Stralſand, & Gripswaldt, ipſis civitatibus iam dictis & earum incolis, nec non univerſis mercatoribus de Hanſa Teutonicorum ſpeciali gratia & munificentia damus & concedimus per præſentes, quod cum ipſi aut eorum aliquis ad civitates vel villas forenſes regni noſtri Norvegiæ pervenerint, dabitur de qualibet navi unum melius talentum annonæ in ea exiſtens, pro theoloneo; excepto flore tritici, quod Flur in Norico nuncupatur: Et ſic ipſi ac mercatores memoratę Hanſæ ab omni ampliori theoloneo, intrando & exeundo regnum prædictum, erunt quiti penitus, & ſoluti. Præterea omne novum theoloneum abdicamus, &c.

Extractum ex Regis Chriſtiani I. quem Dani Chriſtiernum dicunt, Privilegio ſub dato Segebergk. Anno 1469.

Ex Saxonica Idiomatis lingua translatum.

ET quando Regnum noſtrum Norvegiæ, frumentis, granis, farina, hordeo toſto, panno & cereviſia à Germanico mercatore (ſecundum delineationem aliquot privilegiorum à nobis & noſtris maioribus Regibus pluribus Norvegiæ liberaliter conceſſorum) repletum & conſtanter in vigore conſervatum fuerit, velut mercatores illi nobis in antecedentibus temporibus in his ingentia præſtiterunt officia, & pro regni noſtri corona curam benevolam, propter frumentorum talium cotidianam largitionem, in ſe ſuſceperunt, & realiter demonſtrarunt; quod Nos & omnes poſteri noſtri pro iure Emporii & ſtapulæ Bergenſis, & mercatoris Germanici, omne damnum avertere & reformatione bona, quantum in nobis eſt, præcavere, & omnia in ipſorum commodum convertere velimus ac teneamur. Ideoque unumquemque rogamus & adhortamur, &c.

Extractum ex Regis Chriſtierni, ut Dani loquuntur & Norvegi, ſive Chriſtiani I. Privilegio, ſub dato Elvitzborch. An. 1455.

Ex Germanica Saxonici idiomatis lingua translatum.

NOs Chriſtiernus Dei gratia, Daniæ, Norvegiæ, Vandalorum & Gothorum Rex, Comes de Oldenborch & Delmenhorſt, confitemur & conteſtamur publice in & cum his litteris, quod nos & noſtra regna in Conſulibus & Senatoribus, civibus, mercatoribus, miniſtris, & incolis civitatum, quarum nomina ſunt, videlicet Lubeck, Roſtock, Stralſundium, & Wiſmar, & omnes reliquæ quæ iam in eorum Hanſa Teutonica comprehenduntur, deprehendimus, & nos noſtraque regna eandem in poſterum in iis ſperamus & concepimus nobis fidelitatem, &c.

Ex eodem.

Prædictis civitatibus & earum Conſul. Senatoribus, civibus, miniſtris, & incolis concedimus plenam poſſeſſionem cum ſecuritate, & confirmamus omnia & ſingula illis privilegia & libertates, quæ cuique ſingulariter, aut cum univerſis à p.m. noſtris parentibus & maioribus, Regibus Norvegiæ feudi iure dari & concedi illis unquam potuerunt, &c.

Extractum ex Regis Chriſtierni II. Privilegio, ſub dato Kopenhagen Anno 1513.

Ex Germanica Saxonici Idiomatis lingua translatum.

NOtum & manifeſtum ſit, &c. quod Mercator omnis Bergæ in Norvegia habitans, ibi in omnibus rebus benevole foveri, protegi, & à nemine ulla iniquitate affici debeat, quum omni gratia & favore promotos, & nullis contributionibus præter iuris cognitionem ullum oneratum velimus, &c.

Ex eodem.

Atque hæc obligatio, debet mercatori una cum aliis eius conceſſionibus & Privilegiis, quæ omnia ſimul cum ſingulis in hoc nominantur, confirmata haberi, ut nihil ipſi in præiudicium vergat, &c.

Extra-

Extractum ex Regis Friderici I. Privilegio ſub dato Kopenhagen Anno Chriſti 1524.

Ex Saxonico Idiomate Germanica lingua tranſlatum.

NOs Fridericus Dei gratia, &c. Notum facimus, &c. quod honeſti, prudentes & noſtri dilecti Seniores & tota communio mercatorum Lubeccẽſium & aliarum civitatum Teutonicæ Hanſæ, qui in regno noſtro Norvegiæ ac in civitate ibidem noſtra Bergenſi præſenter negotiantur, atque intrando & exeundo commercia advehunt & avehunt, à Nobis confirmationem omnium Privilegiorum ſuorum inſtanter petierint, & ſollicitarint: ad quod propter prudentiſſimorum Lubeccenſium & reliquarum civitatum multiplicia Nobis & Regnis Daniæ atque Norvegiæ lubentiſſime præſtita officia ex ſingulari prorſus favore illis obligati tenemur, &c.

Extractum ex Regis Friderici II. Decreto, quod Anno Chriſti 1549. 16. Maii, Regia Maieſt. Kopenhagii per Dominum Adrianum de Barbey Cancellarium Germanicum Legato Hanſeaticarum civitatum reddidit.

EXtranei quoque Mercatores, qui Hanſæ minus adſociati, aut huic affines vel incluſi ſunt, apud cives noſtros hoſpitia colant, nec per hybernum tempus ibi in Berga ſe ſuſtentent; ſed non ulterius, quam à die una crucis uſque ad alteram in Berga negotiantes tolerari debent: nec ullus mercator ad põtem habitans, tales extraneos mercatores domo excipiat, aut ſecum foveat in alimento porrigendo. Ille vero qui membrum Hanſeaticum refert, & ex numero eorum eſt, quamvis non expreſſam Societatẽ ad pontem cum reliquis colat, prorſus omni hoſpitio excipiatur, nec impediatur ipſi manſio hyberna, &c.

Extractum ex Tranſactione Odenſeiana Fyonia.

POſteaquam multi extranei Mercatores, qui civitatum Hanſeaticarum & earum privilegiorum nullatenus ſunt participes aut conſortes, tentant & non verentur in communionis mercatorum & civium Bergenſium noſtrorum damnum ibi hybernare; inde illud in poſterum prohibebitur, ut caſſatio talis fiat, nec amplius extraneus Mercator, qui in Societatem Hanſeaticam & Computum ad Pontem non ſit receptus, hybernum ibi tranſigat tempus. Atque ut eo magis hoc procuretur, omnis extraneus hoſpitium ſuum apud Pontanos habeat, nec alius quis Germanicus Mercator qnempiam, qui non ſocius aut membrum ſit Hanſeaticum, apud pontem foveat aut recipiat, &c.

Extractum ex decreto Regis Chriſtiani IV. quod Anno Chriſti 1615. 6. April. per Cancellarium Germanicum ſuum Doct. N. Metzlerum Legatis Hanſeaticis exhibitum & inſinuatum fuit.

Ex Miſnico Idiomate Germanica lingua tranſlatum.

REgiæ Maieſtati Daniæ, Norvegiæ, &c. Clementiſſimo noſtro Domino, Honorabilium & inclutarum civitatum Hanſeaticarum Bremenſ. Hamburgenſ. Stralſundenſ. Wiſmar. Dantiſcæ, Stetinenſ. Daventrienſis, &c. Legatorum ſubmiſſa declaratio, quemadmodum videlicet illis à Dominis Senioribus & Proceribus, in Inſtructionibus ſuis ſingulariter per ſe, remotis illis, qui quidem plenipotentiam illis tradidiſſent, nec tamẽ in locõ eſſent, cum prædicta Regia Maieſtate tractandi rationes, & tentandi, qua ratione & quibus modis negotiatio Bergenſis, nec non heic in Regno Daniæ in poſterum & futurum procurari & promoveri poſſet, facultas & mandatum impoſitum eſſet, cum ſubiecta debita diligentia relatum & explicatum eſt, &c.

Extractum ex Decreto Fridericoburgenſi Chriſtiani IV. Reg. Dan. quod Lubeccenſibus Legatis Anno 1621. ibidem exhibitum fuit.

DEnique quod ad acciſam cereviſiæ & vini attinet, etiamſi M. Reg. poteſtatem & cauſſam haberet eam à mercatoris Teutonici potu exigendi, velut in Vandalicis & Hanſeaticis civitatibus, à tẽpore tranſactionis Odenſehanæ, in præiudicium incolarum huius loci, varia onera nova cereviſiæ & aliis rebus impoſita ſunt, velut etiam iſte punctus de cereviſiæ acciſa, in dicto iam Receſſu pleniori tranſactioni reſervatus eſt: attamen R. M. benigniter cõcedit ut Germanicus mercator, ab hoc onere, quoad cereviſiam & vinum, quod inter ſeſe ad pontem venale habent ſibi tales, & etiam avehunt in vaſorum copia & ſub navali põdere, ſoluto dimidio thalero pro unoquoque vaſe aut menſura Omæ, donec res tota tranſigatur, liber ſit: Verum interea, omnino à venditione particularis menſuræ extra pontem civitatem verſus, abſtineant, ne M. R. damnum aliquod in acciſa ea patiatur aut ſentiat, &c.

Ex his & ſimilibus documentis, varia & multa colligi poſſunt. Quæ nimirum vere civitates Vandalicæ, quæque primitus in Societatem Hanſeaticam coierint; quæ occaſio & anſa fuerit: quo tempore tale fœdus inceperit: Item nomen Hanſæ unde ſit, quum tam varie & mire ſe heic torqueant rerum politicarum & hiſtoriarum ſcriptores; Item quam variam & miram paſſum ſit hoc fœdus invidiam, fortunam; unde inviti ſæpius ſocii Hanſæ in bellum protracti fuerint: quantam molem pro conſervatione tantæ ſocietatis ſuſtinuerint; qua authoritate & virtute nec minori prudentia iniuſtitiam non raro ſummam & vim à ſe propulerint, atque quam fortes ſui iuris acquiſiti extiterint propugnatores. Velut etiam inde patet, quo loco talia iura ſint habenda; & an reſpectum quendam ad feudi recognitionem ſibi

ſumere aut vindicare poſſint? Quis nam niſus & conatus fuerit Regum, Ducum & aliorum potentiorum in diſſolvendo hoc incluto fœdere: Quot vicibus id conaminis repetitum ſit: Quam variæ extent negociationes; & in quibus conſiſtant proprie commerciis: Quam accurata ſit diſciplina eorum: Quantis beneficiis vicinos affecerint: Quæ civitatum bene merita per mercatores ſuos: quanta onera ſubierint in purgatione & liberatione maris à piratis & ſpoliatoribus, &c. Hæc & eiuſmodi ubertim ex talibus documentis poſſunt colligi, ſi modo ſanis ea introſpiciantur, & examinentur oculis, modo invidia & affectus importunus, qui nunquam quid recti ſuadet, in iudicio rite exercendo, abſit, & ſaltem id penſitetur, quod negotii dignitas, & rerum explorata veritas expetit. Sed ut omnia eo planius & plenius conſtent veritatis cenſoribus; tempus nunc erit, ut hiſtoriam Lubeccenſium Hamburgenſiumque cum reliquis civitatibus Hanſeaticis in reliquo adhuc pertexamus; & ſic poſtea numerum reliquatum abſolvamus.

CAP. XVI.

Continuatio hiſtoricæ utriuſque civitatis Lubeccenſis & Hamburgenſis, & quæ civitatibus Vandalicis in fœdere Hanſeatico accenſeantur, tum de earum dignitate & diligentia in commerciorum defenſione.

PRiuſquam ad reliquas civitates Vandalicas veniatur, abſolvendum eſt, quod ad fœderis Hanſeatici accretionem ſive extenſionem facit, & eius paroxyſmos præſertim in Lubeccenſiũ & Hamburgenſium mirabili fortuna & caſibus variis, toties perpeſſos, *ut ex cap.* 12. iam ſatis patet, quæ hanc continuationem exigunt. Waldemari II. autem Regis Dan. qui anno Chr. 1203. poſt obitum Canuti VI. fratris ad regni faſtigia evectus eſt, quænam fuerint expeditiones & molitiones multiplices, atque ut Hamburgum Lubecamque non ſolum ſubingarit cum tota Holſatia, adeo ut diſtributiones heic fecerit provinciarum iſtarum inter filios; etiam ultra Albim fines regni ſui extendere conatus fuerit, ſuperius ſatis indicatum eſt. At bene heic notandum venit, quod non ſine iuſta Dei vindicta factum cernitur, eius ibi avaram nimium ambitionem, vix ægre exſaturatam, terminum inveniſſe, quam Comites Suerinenſes Anno Chr. 1223. utrumque Waldemarum patrem & filium in inſula Lydoe ex lectis ſuis captivos noctu extraherent, & eoſdem ultra Albim ad Goezæ fluvii arcem Dannenbergum, 6. milliaribus à Boyzemburgo, quod ille Rex Anno 1208. fœde deſtruxerat, ponte ibidem ultra Albim ſtructo, diſtantem, deducerent, ubi per integrum triennium in cuſtodia ſunt adſervati, donec 60. millia marcarum in pondere Lubeccenſi à Danis cum præſtita cautione de non ulterius lædendo, ſolverentur. Nunquam ille Rex antehac ita quietus fuerat, terras & regiones circa mare orientale undique infeſtando & occupando: ſicut & Miſtwinum Ducem Poloniæ Anno Chr. 1210. tempore Leſci 6. cognomento Albi ſibi ſubiectum fecit. Atque ut etiam eo magis oneri & terrori eſſet utrique civitati, Hamburgenſi ac Lubeccenſi, anno 1216. circa Hamburgk duo caſtra conſtruxit, quum Anno priori ſe Ottoni 4. Imperatori dedidiſſet, at tantem recepit ille civitatem: Anno autem 1217. impoſuit hoc Comiti Alberto, ut ille in ſuppreſſionem commodiorem Lubeccenſium caſtrum ad Travæ oſtium ædificaret, quod inde Travemunda dictum fuit. Hanc violentiam & ſervitutis ſpeciem aliquouſque patienter perferre coacti ſunt: attamen lucrum commercii Danici & Norvegici illis interim ſemper fuit ſolatii loco adeo, ut etiam tempore capturæ, in eius manſerint devotione, quamvis tota Nortalbingia Rex eſſet exutus. Comites enim & nobiles vindices fuerant libertatis patriæ, & invitarant Ducem Albertum, ut ſuas occuparet ditiones, & ſimul urbem Lubecam, quæ quaſi Helena erat amata Regi, tueretur. Sed ignorabant nobiles, ait *Crantz. in Dan. lib.* 7. *cap.* 19. iam ſibi cives conſuluiſſe de ſua libertate apud Fridericum 2. Imperat. obtenta conſcriptione tacita militum, & libertatione ſui, quũ obſervato tempore, arcem urbis, deturbatis cuſtodibus, reciperent, & confactam in alios uſus converterent. Rex autem, his ad plenum compertis, quod inter ſe conſpiratent nobiles cum urbe Lubecca, paravit arma ad recuperandam Nortalbingiam, inde convocatis vicinis principibus, urbs Lubecca anno 1227. & Albertus Sleſwicenſis Dux regem prope Bornhovedam in fugam coniecere. Inde Waldemarus cum Comite Holſatiæ Adolpho extrema contra Lubeccenſes tentavit, ut ſupra dictum eſt, ſed fruſtra. Namque Lubeccenſes claſſe ex Revalia domum reverſa aucti, nuncio admonuere Wandalos Borwini filios, ut regem à terra, illi à mari adoriantur. Nihil erat opus multis ſtimulis in eam gentem, quæ ſua ſponte ex odio antiquo Danis infenſi erant. Rex igitur tandem utrinque expugnatus fortiter, defatigata claſſe ſua, redire coactus eſt in regnum. Ita Lubeccenſes, deiectis præſidiis, Travæ portum ſuum in antiquum modum reformavere; at Rex poſt annos 4. huius noviſſimi belli deceſſit anno 1242.

Interea vero filii defuncti Regis Ericus 7. & Abelus interna bella alebant, & mutuo ſe tollere conabantur, velut quoque iunior Abelus fratrem cautum in lacu Slya ad oppidum Sleſvicenſe crudeliſſime ſecuri necari iuſſit, & cadaver Saxo alligatum ſubmergier, quod tamen ſupernatare poſtea cum cervice adhuc corpori per cutem adhærente inventum, & in oppidi ſepulchrum tranſlatum eſt. Anno 1251. Hoc tamen ſupplicium ipſe Abelus, quum in Friſia infeliciter pugnaret biennio poſt, ex ruſtica plebe in ſe quoque tranſtulit. Licet autem tum Lubeccenſibus cum ſociis ſuis in Dania pax vigeret; tamen tunc cum Magno 5. quem alii Olaum 3. faciunt, ipſis continuũ fuit bellum, donec Rex ille à civitatibus Hanſeaticis in tantas anguſtias eſſet redactus, ut Ericum Sueciæ regem ad compoſitionem advocaret, veluti *ſupra cap.* 15. explicatum eſt. Similiter etiam ſine ſucceſſu hoc fuit, quod Chriſtophorus I. Rex Dan. ultimus Waldemari II. filius tentavit, quum à Iohanne & Gebhardo Comitibus Holſatiæ ipſe cum Regina captus, in Hamburgumque perductus, & inde ex mœrore Anno 1259. mortuus ſit. Quamvis etiam Iohannes ex amico ſe in hoſtem convertiſſet Lubeccenſibus, ob iuſtitiæ cauſſam, quum ipſe in platea nobilem quendam gladio perfodiſſet; tamen & hoc

pru-

prudenter avertere potuerunt Lubeccenſes, & devorare tot damna cum iniuriis, donec ille agmina militum diſperſiſſet: ubi ſat oportune quidem totam pervaſtando Wagriam & Kiloniam oppidum, ulti ſunt iniurias ſuas, & deprædationibus multis peractis pacem impetrarunt, circa annum Chr. 1258. Quum vero civitates Hanſeaticæ ex tot caſibus perdidiciſſent, ſine fideli conſociatione ſe non ſubſiſtere & impetus tot perferre poſſe, Anno 1270. firmius inter ſe cõpoſuere fœdus, ac priorem formã maiori cõformarunt robore, cuius antiqua forma adhuc in archivis habetur. *Eremb. de fœd. cap. 2. n. 44.* id ét innuit.

Erici autem duo, Reges Daniæ, videlicet. 8. & 9. quorum primus ſucceſſor fuit patris Chriſtophori admodum adoleſcens, & ſuorum conſpiratione confoſſus Anno 1286. alter vero, qui Sueciæ Regis Burgerii ſororem duxit coniugem; ambo fuerunt pacifici erga civitates Hanſeaticas, ut etiam Lubeccenſes regem decennio elegerint hunc defenſorem, per ſingulos annos ipſi mille marcas dependentes, ut eo tutius fruerentur commercio per mare utrumque. Econtra vero cum Ducibus Megapolenſibus Lubecæ urbi grave interceſſit diſſidium, quum propter prædones turbarentur negotiationes civitatum; unde etiam commoti Lubeccenſes antea Darſoviam diruere coacti fuerunt, quum ita continuis vicibus mercatores ibi ſpoliis afficerentur. Ne vero diſcordia in apertum erumperet bellum, Ericus 9. Rex in ſuam ad ſe convocavit diſſidentes, & rem amice compoſuit. Roſtochienſes ſe quoque ei ſubiecerunt Anno 1314 quum cernerent, quod ita bene cuperet civitatibus. Circa ea tempora quoque bello interno laborabat Comes Gebhardus Holſatiæ, & quum aliquot nobiles ſe in civitatem Lubecam recepiſſent, ægre hoc tulit Comes, & Lubeccenſibus acriter exprobravit: Quamvis ſe vero excuſarẽt, quod nõ ini gnominiam eius foverent in vicinia natos, ſed ut potius maiora ab ipſo Comite & civitate præcaverent tanto beneficio damna, nobilibus in deſperationem adactis. Sed quum nullam Comes admitteret excuſationem, Caſtellum ad oſtium Travæ erexit, ut commeatum mercium illis præcluderet. Inde in hoſtilitatem utraque pars conceſſit, ac Rex Ericus, tanquam Dominus tutelaris, ad imploratione Lubeccenſium, iis Ducem Sclesvicenſem Waldemarum ſuo nomine præfectum belli ordinavit. Ac quamvis Henricus Comes Megapolitanus ſuccurſum præſtaret Gebhardo, caſtraque locaret ſua in ſylva Schartoviana; tamen utriuſque vires diſſiparunt Lubeccenſes, funditus everſis caſtris, ab utraque parte Travæ poſitis. Tandem ſecunda vice Rex Ericus litem hanc æqua cẽſura conſopivit; qui paulo poſt mortuus eſt ſenectute tranquilla An. Chr. 1321.

Erat tum temporis in Wagria Comes Iohannes, qui beneficus merito dicebatur, quum res adeo in terris putaretur rara: is procuravit, quod uterinus frater eius Chriſtophorus II. ſucceſſorem ageret in regno Daniæ fratris Erici 9. quamvis moriens rex hoc vetuiſſet. Inde Chriſtophorus gratitudinem demonſtrando, non tantum Inſulam Femeram antehac Vandalis ereptam, reſtituit, ſed etiam ius Emporii, quod hucuſque Lubeccenſium proprium fuerat, tranſtulit Kiloniam, unde magnus divitiarum confluxus cives ibi intumeſcere fecit. Lubeccenſes iterum prudentiam heic demonſtrarunt ſuam, dum circumſpexere, quod Comes Iohannes liberalitate eſſet inſigniter præditus; Ideoque occaſionem aucupando induxere Comitem, ut illis Travemundam æquo precio 4000. Marcarum Lubeccenſium venderet, id prætexendo, ne amplius tam gravis eſſet materia litis. Comes, ad liberalitem exercendam pronus, ſtatim turrim Travemundanam & capturam Salmonum aut Elocum iiſdem adiecit. Atque ita Lubeccenſes oppidulum Travemundam & portum eius cum omnibus iuribus & privilegiis in plenam & hæreditariam ſibi acquiſiverunt poſſeſſionem. Contractus iſte adimpletus eſt in pago Suſſelio circa Annum Chriſt. 1321. *Ioh. Petr. in Chron. Holſ. p. 2. pag. 213.* Inde quum ſibi cum ſociis civitatibus vicinorum conflaſſent invidiam præſertim Principum Megapolitanorum, Chriſtoph. Rex adiutor illis fuit adverſus Lubeccenſes & omnes Hanſeaticas civitates: in quo bello magnæ utrinque calamitates illatæ ſunt ideo, ut ipſi bellatores inter ſeſe diſſidere inciperent: tandem rex accepta pecunia Dominium in Roſtochienſes in Duces Megapolitanos tranſtulit, & omni renunciavit iuri accepta pecunia. *Cranz. in Dan. lib. 7. cap. 29.* Chriſtophorus autem Rex iniquitatis plenus, quum crudelitatem in ſuos, proceres regni necando Anno 1332. exercuiſſet, ſubditis & agnatis in omnibus actionibus exoſus, convaſato omni theſauro in fugam ſe recepit primitus Roſtochium, deinde quum Dani Comitem Holſatiæ 12. annorum puerum in Regem elegiſſent, Lubecam ſe contulit, ubi amicos ita ſollicitavit, ut per eorum interpoſitionem certis pactis agnatis ſuis Comitibus ſit reconciliatus, quibus adiectum eſt, ut 80. mille Marcarum pro damno Rex ſolveret ſuis, atque tunc tenerentur agnati ad reſtitutionem dignitatis, cederetque interea Woldemarus III. electus: Velut & indemnitatis cauſſa ſylva Danorum in Iutlandia Comitibus oppignorata fuit. Unde contra voluntatem Danorum Comites illum in regnum ſuum reduxerunt uſque ad Werdinburgum; ubi ſtatim novo ſe implicuit Comitum Gerhardi & Iohannis uterini bello, in quo captus & transactione facta mortuus eſt An. 1333. & reliquit filium Ottonem, qui bellum, cum Comite Gerhardo Holſatiæ fruſtra redintegravit, quum ipſe captus Segebergi aſſervaretur. Unde commotus eſt Imperat. Ludovicus Bavarus, ut Comitem Gerhardum Hennebergenſem cum aliis ad civitatem Lubeccenſem mitteret, quibus Imperat. imponebat, quum tanta eſſe: eorum amicitia & auctoritas apud Comites Holſatiæ, ut ex interpoſitione civitatis Otto poſſet liberari; quod quidem tandem obtentum eſt; verum Otto minus ſterit promiſſis. Interea tamen quum Regno Daniæ ceſſiſſet Woldemarus III. Dux Sclesvicenſis, Lubecæ peracta transactione per Ludovicum Marchionem, adiutor fuit VVoldemarus III. ut Chriſtophori Regis defuncti alter filius cognominis eius Waldemarus IV. qui tunc in exilio à ſuis pulſus undique in metu hærebat, regno reſtitueretur. Verum uti Rex inquietus erat, ceu etiam non ſine cauſſa Reprobus dictus fuit cognomento aliquo, ita in omnibus, ſuis & exteris, nec non agnatis & civitatibus Hanſeaticis ingratus fuit. In quod vitium inſatiabilis avaritia, ac infamis perfidia eum detruſerunt, unde ita irritabilis dicitur in omni re, ut etiam facile fidem reliquerit, quod infra patebit.

Accidit interea, quod multiformes exſpoliationes, quibus mercatores paſſim & præſertim in Northalbingia afficiebantur, diſſidium inter Comites ac Duces Holſatiæ & civitates Lubeccenſ ac Hamburg. concitarent: Etenim quum iuſtitia quaſi ſepulta jaceret apud Duces, nec audiri poſſent civitates; tandem à Iohanne Comite Wagriæ obtinuerunt, ut concederet illis 200. equitum præſidiarios, qui ex Segeberga tutelam præſtarent mercatoribus per illas terras. Hoc vero quum adeo morderet reliquos Comites, nec impetrare poſſent à Com. Iohanne, ut civitatum milites ex Segeberga dimitteret, illi noctu congeſtis copiis, eos obtruerunt. Vim & iniuriam hanc enormem ſtatim detulerunt civitates ad Ludovicum Imperatorem, defenſionem petentes; qui confeſtim præfectum militiæ ſuum Fridericum de Locken cum aliquot cohortibus equitum miſit, cuius auxilio civitates damnum omne recompenſarunt expoliando vicinas terras. E contra vero Comites Holſatiæ opem Regis Sueciæ Magni imploraruntque, qui Lubeccenſium quidem cives & bona arreſto detinuit; verum quum civitates Hanſeaticæ repreſſaliis non tantum mutuis bona & incolas Suecicorum urgerent, ſed etiam Fridericum à Locken cum magno numero navium in Gothiam & Sconiam mitterent, ut ibi invaſionem perficeret, ſecumque is ſpolia ampla cum multis captivis abduceret, Comites interpoſitionem Imperatoris quæſiverunt, qui per filium Ludovicum & Equit. Henricum Bock omnia compoſuit. *Ioh. in Chron. Holſ. par. 2. p. 239. & Chron. March. Andr. Angel. lib. 2. pag. 153.* refert hæc ad Annum Chriſt. 1348.

Ubi Rex Waldemarus IV. Pruſſiam, Lithuanos, Pomeranos, Megapolitanos, Holſatiam, Gotlandiam ferro & igne partim ſatis pervaſtaverat, odium quoque grave contra urbes maritimas Wandalicas & Socias fœderis Hanſeatici concepit. Quod quum pertinacius foveret, quam contra alios, quos ſibi confecerat hoſtes, coactæ ſunt civitates claſſem adornare validam. Ubi in primo prælio filius regis ex lapidis ictu concidit. At mox ubi terreſtri præda incumberent civitatenſes, claſſe negligentius habita, potitus eſt rex ſex optimis navium. Inde varii fuerunt conflictus in mari & terra. In portu Wiſmarienſi communis erat navium confluxus, propter oportunitatem & commoditatem loci: Illuc mittebatur pars navium regis cum præfecto. At cives, quibus clandeſtinitas innotuerat, armati ita exceperant Danos, ut victi non tantum cederent, ſed etiam Præfectus navium caperetur, qui tamen ſingulari aſtutia ex manibus civium elapſus eſt. Furor regis quum non ab omnibus in regno approbaretur, nec fortuna correſponderet intentioni, ſuſpectam habere cœpit ſuorum fidem, quaſi cum Hanſeaticis conſpiraret, & ſub eo prætextu cum magno theſauro ſe per Germaniam contulit in Gallias, & ad Papam pervenit, cui tunc in Avenione curia erat. Inde autem quum reverſus eſſet, nec audiret ſuos, ſed libertatem commerciis undique abſcinderet, Hanſeatici conventum publicum negotio huic communi Coloniæ indixerunt, ut eo rectius ibi altera fœderis Hanſeatici pars comparere, & ſtratagema propoſitum eo inſenſibilius perfici poſſet. Itaque in Colonia ad Rhenum concluſum eſt, ut ex oppido Campenſi, ad Iſelam ſito, enavigarent in regna Daniæ, quaſi non maritimarum (quæ vocantur Wandalicæ) civitatum cauſſa eſſet, ſed omnium mercatorum. Multa per Daniæ Inſulas edita eſt vaſtitas, multa incendia, infinita præda: rex ipſe ceſſit regno, ubicunque peregrinatus. Civitatum imo mercatorum agmina armata, arcem Coppenhagen obſidione cingentes, oppugnavere vehementer, & expugnaverunt, multa inde præda convecta. Quum ergo copias ubique victrices circumtuliſſent, multas arces oppugnando & expugnando, proceres terræ regem non habentes, perpetuæ regni ruinæ proſpicientes, inito tractatu, terram Scaniæ ſedecim annis civitatibus conſignarunt cum ſuis proventibus, in recuperationem & compenſationem damnorũ, quæ per aliquot annos civitatibus ex regno provenerant. Quibus annis decurſis, civitates ſuam implentes fidem, terram ipſam cum omni iure reddiderunt regno. Eodem tempore invaluit controverſia ipſa de nuptiis Elizabeth quæ Soror fuit Henrici & Nicolai Comitum Holſatiæ: quæ primum Aquino Norvagiæ Regi, inde etiam Magno Sueciæ Regi deſponſata fuit, utrobique reiecta, &c. Waldemarus autem Rex pertæſus longævæ peregrinationis, in regnum redire contendit, comprobatis conditionibus pactis inter Proceres & Vandalicas civitates. Ibique non diu manens, infirmitate correptus cum ægritudinem augeret adverſitas, in pace Chriſti quievit, *poſt. mille trecentos ſeptuaginta quinque*: Poſt mortem Patris *per annos quadraginta duos* regno varie jactatus. *Crantz. lib. 7. Dan. c. 39.*

Ita magna vis fuit civitatum Hanſeaticarum, quoties virtute & viribus unitis concurrere voluerunt. Nec certe quid ſine conſilio certo unquam ſuſceperunt, quod ſeduli & adſidui ipſorum convenrus demonſtrant. Namque dum illis res fuit cum hoc impetuoſo & arrogantiſſimo Woldemaro, ne res eſſet nimium ſenſibilis, variis in locis ſua celebrarunt conſilia. Sic, quod *Chr. Stetinenſe lib. 4.* indicat, Anno 1365. quũ Stetinenſes hoc fœdere eſſent recepti, habuerunt conventum Hanſeaticum Roſtochii. Anno 1368. iterum Roſtochii ſua comportarunt conſilia. Anno 1370. comitia Stralſundii celebrarunt. Anno 1371. Lubeccæ. Tanta autem civitatum Hanſeaticarum potentia admirationi quoque fuit Imperatori Carolo IV. Et quamvis ipſe obſidione Ulmam civitatem Imper. urgeret, tamen, quum cerneret quod civitates Sueviæ confœderatæ imitarentur exemplum contra comitem Wittebergenſem, ſe Lubeccam tum recepit eodem anno, quo Waldemar. IV. Dan. mortuus erat, ubi ſplendidiſſime exceptus fuit. At importuno prorſus tempore Häburgenſes cauſſæ ſuæ contra Duces & Comites Holſatiæ nimium fervidi conſulere ſtudebant, ut infra explicatur. Anno 1381. conventus Hanſeaticus Lubeccæ fuit, ubi inter alia actum eſt de receptione Brunſvicenſium, qui propter tumultus internos per octennium ex fœdere excluſi fuerant. *Crantz. lib. 9. cap. 7. Vandal.* Nec fuit Lubecca ſine interna concuſſione. Etenim An. 1385. aliquot cives cum nobilibus & proceribus Holſatiæ conſpiraverant, qui nocte S. Lamberti ſenatum enecaſſent, & civitatem Holſatis tradidiſſent, niſi quis ex numero nobilium anteriori die conſulis Iohan. Paſſevalii filio modũ proditionis omnẽ revelaſſet. Unde ſenatus tum plures militũ ordinavit excubias, & omnes cives armatos in carceres abduci curavit, quos deprehẽderant: qui quũ auctores

indi-

Indicassent, supplicio debito affici iussit. Postquam autem ab obitu filii Olai, qui Anno 1387. decesserat, & per 11. annos Rectrix Daniæ & Norvegiæ exstiterat Margarita Haquini 8. vidua, indixit omnibus proceribus & statibus regnorum comitia Neoburgi, ubi simul inter alios comparuerunt Dux Schlesvici Gerardus, cum patruo Nicolao & Adolpho fratruele: Atque tunc hæreditarie Comitibus Holsatiæ Ducatus Schelswicensis adsignatus est, ita tamen ut iuxta regni iura feudum à corona Daniæ recognoscerét, & in cõtroversiis mutuis se binis Danicis ac Holsaticis arbitris submitterent totidem, imo & quintum adsociarent, si res non posset componi, qui decideret caussam. Mox suborta est controversia Margaritæ huic cum Alberto Sueciæ rege, quem cum filio evicit, & sic etiam tertium regnum suis adiecit, beneficio & transactione civitatum Hanseaticarum, ut mox patebit, modo callliditatem & ingratitudinem Reginæ prius explicaverimus. Inde tanta altitudine mentis accrevit, ut non desineret invidere civitatibus Hanseaticis & fortunam & potentiam; omnia tamen simulatione contegebat; donec tandem quoque pœnitere inciperet eam, quod Ducatus Schlesvicensis successionem hæreditarie in Comites Holsatiæ transtulisset. Ideo varias cum Proceribus confingebat caussas & modos, quibus non tantum transacta subverteret, sed etiam Hanseaticas civitates impugnaret. & ex felicitate sua deturbaret. Forte gliscebat inter Duces Holsatiæ atque subditos controversia, quæ in rebellionis nervum erumpere incipiebat: tum Regina putans vigilandũ esse, concilium publicum suis indixit, ubi propositio ea fuit, quomodo Holsatia cum Ducatu Schlesvicensi non tantum plene subingari, sed etiam civitates Hanseaticæ tam terra quam mari supprimi & dissipari in fœdere hoc potentissimo possent. Conclusum fuit, rem periculosam non rectius quam ex insidiis tentandam esse. Tum perquam astute blanditiis & munerum variorum corruptelis id obtinuit, ut createtur Curatrix & tutrix minorennium Ducum. exponebat quoque argentum, ædificabat non necessaria, mutuo dabat pecuniam, oppignorari sibi arces curabat, &c. sed res nimis lente procedebat, ideo adoptabat in filium Ducem Pomeraniæ Ericũ Anno Christi 1411. ut sotium haberet laborum, per quem exequi posset propositum. Multæ lites intentabantur quidem per Regem Henrico Duci Schleswicensi, at muliet Regina longe astutior, se ad viduam Ducissam confert, sub specie, quasi detestaretur Regis institutum & rigorem, obfert se mediatricem rei: interim quoque petit ut Gottorpium arx Ducatus Principalis quietioris vitæ caussa concederetur. Ducissa in metum coniecta concedit, quum sanctam fidem integritatis Regina promisisset. Sed vix arcem ingressa Regina osculatur parietes, & claves sibi dari postulat, unde intentionem prodebat. Sed forte accidit, quum in mensa accumbenti eques Scharpenbergius referret ex errore, quod in turri armatos vidisset milites, illa continuo in conscientia convicta exurgit cum multis deprecationibus & lamentis in Ducissam directis, ac aufugit, suspicans quasi cohortes militum in arce latitarent. Querelas falsas dedit ad Regem Ericum, & ipsa discessit in Sueciam, ut interim rex ad arma perveniret, & illa posset mediatricem agere, si forte res non bene succederet, ut postea factum est. Etenim quum bello expugnare studeret Duces Schleswicenses, illi in auxilium advocarunt Duces Brunsvicenses & Schawenburgicos Comites, qui totam ita devastarunt Iutiam, ut Regina se interponeret inducis certis. Et sic coacta fuit abstinere ab iis insidiis, quas intentaverat Vandalicis quoque civitatibus fœderis Hanseatici, præsertim quum illæ internis motibus se gravissime mutuo in muris suis (ubi subditi tam Lubecenses quam Hamburg. Rostochienses & Wismarienses magistratus suos rebellione mira premebant) confligerent. Sed ut ea historia quoque recte percipiatur ordine, recurrendum est nonnihil ad Historiam Alberti Regis Sueciæ, quam heic referemus *ex Chron. Stetin. Paul. Frideb. lib. 1. p. 67. ubi ait: Anno* 1398. Lubeccæ iterum fuit Hanseaticus conventus, quo missus fuit Consul Stetin. Busso à Dollen. Atque tunc inter alia simul deliberatum est, quomodo piratæ, quibus in mari Orientali omnes mercatores hucusque prædæ fuerant, tandem penitus extirpari possent. Ideoque classis bellica approbata fuit, ad quam unaquæque civitas Hanseatica suæ cogebatur conferre partis quotam: res autem ita se habet. Quum An. 1395. Rex Sueciæ Albertus, Dux Megapolitanus, ex instinctu & suggestione Consiliariorum suorum, quos secum in Sueciam deduxerat, Suecis novas & antea inauditas contributiones imponeret, non tantum subditi rebellionem concitarunt, sed etiam Margaritam, Reginam Daniæ & Norvegiæ, stimularunt, ut tertiam subiret coronã. Unde ex suppositis caussis bellum inter Regem & Reginam conflatum est, in quo tamen Rex cum filio ita victus est, ut uterque in carcerem 7. annorum inciderent, velut supra ex parte dictum est. Civitates autem Hanseaticæ variis modis se interposuerunt, donec tandem per earum transactionem ex custodia liberati sunt. Præsertim autem 7. civitates, velut Lubecca, Stralsunda, Gripiswalda, Torunia, Elbinga, Dantiscum & Revela molem omnem negotii ita in sese receperunt, & cum Regina transegerunt, ut illa Regem Albertum & filium eius in liberas quidem tradiderit manus; sed sponsio talis è cõtra ab Hanseaticis illis civitatibus Reginæ præstita est, quod si Rex intra triennium promissam pecuniæ summam non solveret, aut alia ratione satisfaceret Reginæ, illum restituere custodiæ vellent.

Conditionẽ hanc non tantum Rex Albertus acceptavit, sed etiam 7. Civitatibus in maiorem certitudinis adsecurationem cum ratificatione filii arcem & urbem Stockholmiam oppignoravit, & fide ea tradidit; Velut etiam Hanseaticæ illæ civitates urbem illam cum arce occuparunt, & cives sibi iuramento homagiali obligarunt, præfectumque præposuerunt iis, cui omnes defensionis provisiones destinarunt. Sed ante triennii expirationem obiit filius Alberti, & rex omnino abdicavit regno; unde Hanseaticæ civitates, ut liberarentur ex spõsione, Reginæ coronæ potissimam tradidere partem. Quum vero nondum in Suecia certum adhuc esset Caput, piratæ Gotlandiam occuparunt, ut inde omnes expoliarent mercatores mari. Id Hanseaticas civitates ad arma excivit, unde Anno 1398. in festo Paschatos coegerunt consilium, præsertim quum cernerent, quod Regina & Principes vicini adeo in fœderis Hanseatici ruinam intenti essent, & piratis quasi

fomenta

fomenta ſuppeditarent: ubi concluſum eſt, quod univerſum mare Balticum à talibus piratis liberare, & penitus expurgare vellent. Unde diſtributa eſt in omnes quota; velut Stralſundenſibus & Stetinenſibus impoſitum fuit, ut binas naves cum 200. militibus mitterent, atque his adjungerent neceſſaria reliqua. Navibus omnibus deſtinatus eſt dies aſſcenſionis Chriſti, ad inſulam Bornholmianam confluendum, quod factum. Inde expurgatio incepta eſt, & quotquot interceperunt piratas, ſtatim Wisboviam miſerunt, ubi ſupplicio debito è medio ſublati ſunt. Anno 1407. itidem Lubecæ Conventus Hanſeaticus celebratus eſt; velut & An. 1410. Hamburgi, quũ Lubecæ tumultus vigeret. Verum ſub illis temporibus Lubeccenſis civitas tam gravem perpeſſa eſt commotionem, ut Magiſtratus quoque è loco moveretur, quum nollent exactionibus novis gravari cives. Ad quorum exemplum quoque exciti ſunt VVismarienſes, & Roſtochienſes, qui idem perfecerunt; nec audiri potuerunt vicini Principes. Præreliquis autem Lubeccenſes plane adeo in furorem abierant, ut vix crebris excurſionibus poſſent exaturari. Exſpoliabant omnes, quos antehac inimicos deprehenderant, velut etiam Molnam ſimul à Duce Saxoniæ recuperabant ſibi. Sic nec modeſtiores fuerunt Hamburgenſes, qui eodem tumultu Senatui 60. viros ſurrogarunt, qui publicis conſiliis perpetuo adeſſent. Conſulares viri Lubeccenſium exules apud Romanum Imper. queſti ſunt, & Heydelbergæ quidem jus ab Imperatore Ruperto obtinebant; ſed tamen non admittebantur in civitatem; unde quum Anno 1411. Sigiſmundus Caroli IV. filius ad faſtigia Imperii eſſet evectus, & is Conſtantiæ indixiſſet Concilium, exulantes ibi inſtiterunt, ut Ruperti ſententia pro illis lata executioni mandaretur. Factum eſt, *ait Alb. Crantz. in VVand. lib.* 10. *c.* 20. ut de integro reaſſumeretur omnis cauſſa, ſub novo Commiſſario. Sperabant enim novi Præſidis aures novis allegationibus, vel auri ſonitu onerare. Nihilominus ſententia fuit priori compar: ſed ne executio ulterius protraheretur, expromiſſa ſunt 25. aureorum millia ab adverſariis; quod in ſuum converterunt commodum Lubeccenſium Oratores, & cum Camera Imperatoris ita tranſegere, quod ipſi eſſent ſummam ad certum tempus enumeraturi; at ſi non reſtitueret Imper. quod bannum tunc Imperiale ſublatum cenſeri deberet. Obtinuerunt omnia, & cives Lubeccenſes non rite informati, quum Nuncii Imperialis quoque ori offa eſſet iniecta, ne rugiret, ut ait *Crantz. VVand. lib.* 10. *cap.* 20. ſolverunt lubentiſſime ſummam. Ut vero talis improbitas iterum arte eluderetur, exules adiere Regem Ericum Daniæ, qui ſtatim ad petitionem eorum executionem contra Lubeccenſes ſuſcepit, & 400. piſcantes cives Lubeccenſium in Scania arreſto detinuit cum merce omni. Quum res igitur denuo ad Imperat. deferretur, miſit ille Legatos ſuos, quorum auctoritate quidem 18. decollati ſunt tumultuantes: verum à Rege Daniæ nil impetrare potuerunt propterea in relaxatione civium, quum ingentem à civitate peteret ſummam pecuniæ, & varia eſſent imperii negocia in contentione trium Paparum, qui de electione in Concilio contendebant. Donec tandem Anno 1416. per alios Imperat. Commiſſarios, tranſactione cum civibus facta, exules, quorum 8. erant, quum reliqui omnes intra hoc octẽnium morte obiiſſent, revocarent; ubi ſimul nova Reipubl. forma introducta & confirmata fuit ita, ut ex novo concilio illis 4. adiicerentur, deinde adhuc ſex ex priori ſtatu, & 4. ex numero mercatorum, ac demum duo ex ordine patriciorum. Igitur rebus in hunc modum compoſitis, Legati Imperatoris magnifice munerati alacres diſceſſerunt. VVismarienſes ſecuti hoc exemplum, ut eorum noxa apud Principes aboleretur, 10. millia marcarum pœnitentiæ loco ſolverunt, & reſtituerunt ejectos. Lubecenſis vero Senatus jam repoſitus rempublicam adminiſtrabat: nec dum tamen privatarum, quiſque rerum ſuarum poſſeſſionem tenebat. Nam per annos octo multæ ſunt in urbe factæ poſſeſſionum tranſlationes: nec poterant in ſua cauſa ſibi jus dicere. Placuit communi Senatus & civium voluntate, ut compromitterent in vicinarum urbium ad hoc ſpecialiter miſſos oratores. Venerant de Hamburgo, Roſtockio, Sundis, Lunæburgo, VVismaria, Gripeswaldo, ad hoc miſſi conſulares. Sedent in Conſularibus Subſelliis miſſi civitatum oratores: ſtat una ex parte Senatus Lubeccenſis, ab altera cives ipſi. Modeſte impetunt, juſtitiam de ſuo poſcentes: nec minus cives pro ſua parte reſpondent, aut ſe coemiſſe expenſa in publicos uſus pecunia, aut aliunde juſto titulo perveniſſe in ſuam poſſeſſionem, quod vendicabatur. Tanta erat rerum intricatio, tanta perplexitas, ut univerſa quindena in eius rei diſcuſſione conſumeretur. Diligenter auditis impetitionibus, penſatisque reſponſionibus, & quæ quisque in auxilium ſui juris adducebat: convenit inter arbitros, ut rem qualitercunque componerent, conſtitutis pœnis in eos graviſſimis, de voluntate partium, qui rebus conventis aliquando niterentur contraire: omnibusque iam, prout res paſſa eſt, compoſitis, in ſua redierunt.

Octavus decimus erat annus in hoc ſeculo, cum in urbe Lubecca (quod ſæpe ante & poſt) ſolennis erat conventus oratorum, ab urbibus de communione Hanſæ Teutonicæ, de VVeſtphalia, deque Traiectenſi diœceſi, de Saxonia, deque maritimis VVandaliæ, de Pruſſia, deque Livonia, ſuper rebus Mercaturarum, in diverſis quæ tum quatuor floruere emporiis, in Flandria, Anglia, Norwagia & Ruſſia. Hi cum conveniſſent viri prudẽtes, primum miſſis è ſuo numero quibusdam in Daniam, pertenerunt res tam magno bello tumultuantes, componere: quod civitates VVandalicæ ſe iam rebus implicuiſſent pro Ducibus Sleſvicenſibus. Sed nihil tum magnum ex ea legatione provenit. Quod autem ad negotiationes & mercaturas pertinet, multa conſtituerunt ſalutaria, de navibus deque navigantibus, de communicandis privilegiis aut denegandis, deq; aliis rebus, quæ intercurrunt negotiis mercatorum. Eaque diligenter ſunt redacta in Scripturam: Cuiq; in ſuam civitatem datum exemplum conſtitutionũ: Receſſus ipſi vocant: Quamvis iuſtius ſtatura ac placita dicerentur: Quia illis, velut legibus, utuntur ad omnia negotia & cauſas diſceptãtium in iudicio coram Senioribus, qui concilio publico aſciſcuntur in locis memoratis, ubi eſt ſolennis mercium & rerũ convectatio (Stapulam ipſi vocant, Emporium dixere Latini;) quibus in locis communiti ſunt Mercatores principũ privilegiis quæ cõmunia ſunt ei generi hominũ de cõmunione Hanſæ. Sed hæc clarius ex ipſis confœderatæ Hanſæ conſtitutionibus poſtea patebunt.

bunt. Quum vero Rex Ericus Daniæ, exulantibus, & nunc reſtitutis Lubeccenſibus, regio favore ſemper addictus fuiſſet, curarunt Lubeccani, quod etiam reliquæ civitates & maxime Vandalicæ, videlicet Hamburgum, Lunæburgum, Wiſmaria, Roſtochium, Stralſunda, &c. ut cum Danis fœdus inierint, præſertim quum etiam commercii ratio potiſſimum ſubeſſet. Fundamentum fœderis fuit hoc, quod ſi neceſſitas exigeret, ut tunc ſocius ſocio 1000. numero militum adſisteret. Nihilominus onus omne in diſſiciendis piratis redundavit in civitates Hanſeaticas. Ericus Rex ſemper tum erat intentus, quod ex Regina Margareta didicerat, in recuperanda Nortalbingia, & quum Duces Holſatiæ iuvenes admodum ſtipendiarios milites ſuopte lucro aut damno in mare mitterent, magis Hanſæ ſocii à Ducibus abalienati ſunt. Inde Lubeccenſes, quum piratæ infeſtum mare tenerent, ſuos quoque emiſere gregarios, qui incolumem navigationem præſtarent mercatoribus; velut etiam in Portu ſacro (Hilligen haven) plurimos cepere, qui gladium ibi ſunt ultorem perpeſſi. Sic & Lubeccenſes cum Hamburg. per terram ſe coniungere coacti ſunt; atque quum ex arce Bargedorpio multa latrocinia perpetrarentur, oppidum illud diripuere. Similiter manus militarium virorum prædæ & ſpoliis apud Molnam ferventer admodum incumbebat, ut mercaturis nullus prope curſus eſſet tutus. Coniunxere iterum ſe Lubeccenſes cum Hamburgenſibus; at quum latrones ſe ad Ericum Ducem Saxoniæ Lawenburg. reciperent, urbici coegerunt Ducem, ut in manus prædones traderet, qui vitam, præſtita ſecuritate de non vindicando, redemerunt ære non exiguo. Rex iterum adornabat ingentem claſſem, ut occuparet Inſulam Alſen, ſed quum fruſtra id tentaret, ac ne inanes eſſent ſumptus, aliquot Hamburgenſium naves prædæ loco Danis fuerunt. Hoc dum vindicare cupiunt Hamburgenſes, adorti ſunt à parte occidentali Iutiam, & una aliquot naves Danicas ſecum abſtulerunt. Quamvis autem Hamburgenſes addicti eſſent Ducibus Holſatiæ; tamen Lubeccenſes adhuc fovebant partes Regis. Is igitur quum vi nil obtinere poſſet, alia rem aſtutia aggreſſus eſt, & publicis ſcriptis iniuſtos detentatores appellavit Duces Holſat. in quo ipſi adſtipulabantur Lubeccenſes & reliquæ civitates: ſicut & Lunæburgenſes interdicebant publice civibus ſuis, ne amplius quid commercii exercerent cum Holſatis. Ita etiam Lubeccenſes in favorem regis convocabant Holſatos in templum Oetynenſe, ubi Conſul Lub. Iohan. Pleskovius in præſentia omnium peroravit, Regi Daniæ omnẽ Nortalbingianam ditionem adiudicando. Commonuit igitur eos, ut coram iudicio Imperatoris comparerent cum rege, & addidit nomine civitatum Hanſeaticarum admodum fulminantes minas hiſce verbis: Atque nos etiam nomine civitatum Hanſeat. quum rex nil aliud, niſi quod iura decernunt, expetat, ſi iudicio Duces veſtri ſe ſiſtere nolint, aut ablata non reſtituant, nos certe Conſules, & Magiſtratus civitatum regi in hoc iuris poſtulato auxilium præſtabimus. Etenim bellum hoc diuturnum maris terræque amplius perferre nolumus. Cui Schacko Rázovius reſponſum dedit pro re nata, & demonſtravit, quod iuſtiſſimi eſſent terræ illius poſſeſſores Duces. Rex peragebat admodum callide hoc negotium apud omnes Imperii Rom. proceres & ipſum Imperatorem Sigiſmundum, ut inde præiudicialem auferret ſententiam: contra quam à Pontif. Romano Duces adverſam inhibitoriam obtinebant.

Verum quum Lubeccenſes & reliquæ civitates Hanſæ actiones Regis Erici X. penitius introſpicerent, examinando ſingula, quorſum aſtutis tenderet conſiliis, ut non tantum Duces ſupplantaret, ſed etiam civitatibus ruinam inde nectere ex hac Ducum & civitatum ſeparatione inciperet, diutius ſe continere non potuerunt. Præſertim quum Rex non ſolum inſigniter corrupiſſet monetam in detrimentum mercatorum, ſed etiam militares eius copiæ per mare & terram ſine diſcrimine prædarentur, & mercaturam in regno variis conſtringeret modis. Inde conventus Hanſeaticus Roſtochii habitus eſt, Anno 1426. ubi Legatio quædam ad Regem decreta fuit, ut ad pacem variis rationibus cum Ducibus Holſatiæ ineundam perſuaderetur. At rex omnino noluit monita admittere, recurrendo ad ſententiam Imperatoris Sigiſmundi. Ideoque confeſtim ad partes Ducum Holſatiæ ſe convertere ſocii Hanſæ, facta confœderatione, & iuncti cæteris Wandaliæ ad Orientem urbibus Lubeccenſes, ad exemplum Hamburgenſium, qui idem antea fecerant, apertis litteris denunciavere Regi bellum, unde urbis Sleſwicenſis & arcis obſidio ſoluta eſt. Orientale ergo mare Lubeccenſes cum vicinis tutati ſunt. Hamburgenſes cum cæteris altera parte, occidentale latus Iutiæ divaſtarunt, inventaſque naves, quas pridem Dani ademerant Holſatis, ipſiſque Hamburg. quum neque vela, nec anchoras, neque reliqua armamenta haberent, iniecto igne concremarunt, & opima cũ præda domum reverſi ſunt. In Baltico autem mari (à peninſula Bathia ſic dicta) Lubeccenſes cum orientalium urbium viribus graſſabantur mire in hoſtem. Iam rex Hollandorum naves paratas in portubus regni armare conſtituerat, & civitatum claſſi opponere. Prævenientes urbici, anchoris, velis & funalibus eas privavere; quumque rex ita inermis eſſet redditus, pacis curavit mentionem quidem fieri, ſed vix loco conſtituto, tetraxit fidem. Conſilium enim regis fuerat, urbium communitatem longis & infructuoſis gravare impenſis, ut exorto murmure plebs in magiſtratum conſurgeret: pace interim foris conſtituta, diu intus tumultuarentur; quod aſtutum conſilium poſtea nihilominus perfecit.

Ann. Chriſti 1427. ſtatim in verno tempore cum Duce Gerhardo civitates maritimæ rediere ad expeditionem, in Daniam paſſim irruendo: per inſulas digraſſati, ingentem prædam navibus ſtiparunt, capta ſimul eſt Flenſburga propter commoditatem loci. Ubi Henricus dux ad omnia impiger & nimis curioſus, quum ex ſcala deſuper hoſtium caſtra introſpicere cuperet, per ſepis rimam cuſpide percuſſus concidit. Ingens inde mœror omnes invaſit adeo, ut nemo non ſe in lacrumas propter virtutes heroicas tanti Principis effuderit. Hamburgenſium negligentiæ mors huius imputata eſt, unde Conſul Hamburg. Iohan. Klezen pœnam luit. *Iob. Petr. Chr. Holſ. part. 3. pag. 330.* Eadem ætate grandem ſocii Hanſæ claſſem confecerunt, ut mare ſecurum navigantibus præſtaret. Etenim venturas ſciebant onerarias naves de occiduis partib⁹, magnas multorũ opes ſubrecturas. Verũ qui claſſi præerant, obliti mãdatorum

rum avidiores pugnæ erant, unde à Danis victi, & aliquot Hamburg. naves captæ sunt. Quum autem reliqui vix aufugissent, venere expectatæ naves Baianæ, & victoriam quoque alteram Danis adiecerunt 30. navibus. Nihilominus duravit bellum & continuata est institutio omnium. Hoc mordebat Regem acriter, quod non possent defatigari civitates Hanseæ. Ideoque aliud consilium astutius secum coquere cæpit, ut interna dissensione Respublicas dilaceraret. Videbat novam apparari vim. Namque Anno 1428. primo vere quævis civitas suas adornavit naves, ut numero ad portum Wismariensem, solito more, confluerent 260. naves, & copia militum erat 12000. cui Gerardus Dux 800. Vitallanos suos adducebat; Constitutum erat, quod Hafniam ipsam expugnare ante omnia vellent, velut & tentarunt; sed pugna ibi fuit inanis, unde in Iutlandiam impressionem fecerunt, & non absque spoliis rediere. Interim rex executus est propositum, & literas misit ad communitates urbium passim, accusando proceres, quod adversus antiqua fœdera, pacta, & permissiones in regno plurimas (quæ magno essent urbibus incremento) iniquissimo à magistratibus urbium bello premeretur: Misit simul in manus plebis concordiam nuper initam; & minas addidit, nisi desisterent à bello, & potius adimplerent fœdera, quod cives urbium esset ex regno in commerciis excluſurus, & aliarum nationum mercatores invitaturus; è contra si pactis starent, omnibus favorem singularem exhibere vellet. Hisce litteris obtinuit, quod voluit, quum non eodem adspicerentur ubique vultu, ceu id vulgi fert iudicium variabile. Sundenses iam pridem in partem Regis à civitatibus defecerant, quum coctores cereviſiæ sibi inconcessa licere vellent. Rostochienses tumultuantur; 60. viros constituentes nova confingunt statuta, & fugientibus maioribus eligunt novos Senatores. Wismarienses simili insania unum atque alterum ex Cõsulibus gladio in foro publice percutiunt; quos & sequebantur Hamburgenses. Verum licet tumultus esset in urbibus, tamen animosiores à bello externo defensionis gratia noluerunt desistere. Quare cum classe, superius dicta, perrexerunt: & mirum perfecissent urbium præfecti stratagema, nisi Rex cautionem adhibuisset averténdo malum, unde variæ & diuturnæ secutæ sunt conflictationes. *An. vero* 1429. Regina Philippa Coniux Erici 10. non minus cupida belli, 75. mittebat naves cum 1400. militibus, qui cives à Senatu (qui regi favebat) dissidentes & civitatem obruerent. Verum Sundenses obviam suis ibant navibus, & victoriam abstulerunt, periculo diu perpesso; Interea Vitaliani adsociarant se aliquot civitatibus, & Regi Norvegiæ intercepere suos ex Dania proventus, unde opulentam Rostochienses & Wismarienses nacti sunt prædam, qui eam cum Vitalianis diviserant. Forte eodem tempore Stetinensis senatus collectam imponebat civibus, ut Ducibus suis mutuum darent, quod commovit ita plebem, ut à magistratu calculum rerum omnium sibi fieri postularent. Inde deturbati quidem nonnulli sunt ex Senatu; sed Principes statim eos restituerunt & reos criminis supplicio affecerunt.

Urbes vero Hanseaticæ, examinata suorum defatigatione, cæpere sæpius An. 1429. mentionem pacis facere, ut cotidianum quæstum mercatoribus suis resuscitarent ex vicinis regnis. Quum hoc perlatum esset ad regem, per amicos illis locum Nycopingam nominavit; ubi de pace differentiisque variis diu agitati sunt sermones, & rixæ mutuæ. Delatio varia fuit regis, ut separaret civitates, quod ex parte obtinuit, donec tandem approbatum fuit, quod tribus capitibus pax posset comprehendi. 1. ut damna compensarentur, aut ab arbitris æquarentur. 2. ut civitates pro defectione à fœdere satisfactionem præstarent regi. 3. ut fœdera prima illibata manerent in perpetuum. Sed quum Legati Hanseatici ea referenda putarent: Rostochienses nutui regis se accommodarunt à fide fœderis Hanseatici deviando; quod etiam fecere per consulem Stralsundenses: sic studium proprii commodi unioni huic vim magnam intulit An. 1430. At Hamburgenses Ducibus suis à principio huius tractatus addicti manserunt. Nihilominus Lubecca, Lunæburgum & Wismaria pertraxerunt pertentare regem sæpius; ac iam apparebant vestigia compositionis, nisi vir paci inimicus Ericus Krummedieck salutaria magnis promissis victoriæ instantis consilia dissipasset. Posthæc irruebant Dani in Insulam Alsen, & plura alia tentabant sed frustraneo adsultu; tamen Flensburgum miris modis flagellabatur An. 1431. Interea vero, quum diem ex die belligerantes protraherent, mercatorum res semper in mari erant periculo expositæ, nec in regnis negotiatio ulla florebat, quæ res alienigenis mercatoribus & maxime Hollandis ingressum huius maris & portuum peperit. At Dani cum suis copiis, observavere in mari mercatorum de Livonia transitum, deque Prussia, vel in eas provincias navigantium: An. 1432. quatuor eximiæ naves mercibus preciosis onustæ ex Riga tendebant Lubeccam, quarum tres cum mercatoribus à Danis intercipiuntur cum opimo spolio. Lubecenses argute rem pensitantes, naves Revaliam petere solitas grandiores perarmant, impositis satellitibus, qui hostibus pares viderentur; subordinant simul alias cursu celeres mercatoribus; cæteras ad pugnam solis implent armatis. Ericus videt classem adnavigare, & quum se imparem cerneret, cedit. Eius vero præfectus Broderus constituit quod postremas velit invadere, in quibus latitabant armati; soli erant in transtris nautæ. Ubi vero invaduntur à Danis, exiliunt armati, & ultra 250. capiunt hostes, aceos cum navibus Lubeccam retro ducunt. Tota obviam civitas effunditur, hostes cernere cupiens vindictæ causſa. Hinc An. 1433. tentata est iterum concordia, missis in Daniam Vandalicis urbibus 4. Lubecca, Hamb. Lunæb. Wismaria in arcem Schwineburg. Aderant prælati, proceres regni magno numero. Nemo æquis oculis adspexit Teutonicos, quod opera civitatum Hanseatic. Danis subtracta esset Flensburg cum monte suo. Rex ipse videri se non est passus: per mediatores res agebatur: verbis reddita sunt verba. Ne tamen nihil actum videretur, alius tractatui huic deputatus est dies in Wordinburgk. Proinde An. 1434. circa tempus præstitutum Lubecæ conventus agebatur publicus, solennis, ubi & mercatores Hanseæ Teutonicæ & Legati aderant: Deliberatio erat communis de multis præiudiciis mercatorum, deque variis disruptionibus immunitatum & privilegiorum, quæ Principes ac Reges olim ante aliquot secula, ut ad sese invitarent mercatores, concesserant. Consultabant de

diutur-

diuturno in Dania bello, &c. in eo tum cætu quoque aderant Magdeburgenſes, tanquam excommunicati propter interfectum ab ipſis Burchardum Archiepiſcopum: Horum igitur ob præſentiam toto menſe facta eſt intermiſſio divinorum, quum eſſent excluſi ab Eccleſia. Placuit tum communi conſilio, legationem ſolennem facere in Pruſſiam, ut interpelletur Magiſter ordinis Teutonicorum ſublimis, ad habendam intelligentiam cum urbibus memoratis, cenſereturque protector earum ad iuſtitiam: quod in diverſis locis mercatores eorum premerentur ab iure & iuſtitia ſua. Miſſi ſunt Colonienſis, Lubecenſis, Hamburgenſis proconſules ſolenni comitatu: Exceptique magnifice audiuntur. Placide illis ad omnia reſpondetur. Non recuſavit magiſter tantæ communionis iuſtam defenſionem excipere, gaviſus honore delato: fœdera ineunt ad certam formulam, quæ literis invicem datis roborarentur. Placuitque ut idem ſublimis magiſter, principibus, in quorum finibus ſint emporia, ſuper iis quæ iuſtis querelis mercatores deferebant, ſcriberet mitteretque uti opus eſſet oratores. Idque mox per literas tentatum: quum decernerentur ad reges Angliæ Daniæque, ducem Burgundiæ, aliaque in loca opportuna urbibus & communitatibus. Hiſque conſtitutis ex ſententia, domum ingreſſi ſunt oratores. Interea alii ex eodem cætu oratores miſſi ſunt ex conſtituto in Daniam in arcem Werdingborg, Lubeccæ, Hamburgi, Lunæburgi, & Wiſmariæ proconſules, ſecum honoris gratia ducentes duos Pontifices, Verdenſem & Raceburgenſem. Rex autem iam advocaverat ex amicis Principibus Bavariæ, Pomeraniæ, Sterinenſem, Abonenſem, Ripenſemque Pontifices. Quumque diu multumque invicem contuliſſent ſermonem, nihil venit in medium, in quo utriſque partibus complaceret. Ineum tum modum diſceſſum eſt, ut concepta regiæ dignitatis maioribus quiſque ſuis referret, certificaturi deinde regem, quod in his complaceret, idque per literas. Redeuntes ergo Lubeccam, ex Dania ac Pruſſia oratores referebant cætui, quid cuique in ſua legatione contigiſſet, quidve ſit peractum. Placuit ex hoc numero deputare, qui anno proximo in ſingulis emporiis civitatum eſſent futuri oratores, quidve per ſingula foret conſtituendum: In Anglia, Flandria, Norwagia & Nouguardia, quid agendum iis, qui mitterentur. Quibus iam pro tempore reſolutis, in ſuam quiſque abierunt terram. Quum vero circa ea tempora Sueci Danorum inſolentius dominantium rigorem diutius perferre nequirent, ac ſe novis exactionibus eorum emungendos ſemper exponere nollent, loco moverunt avaros præfectos. Rex in Sueciam perveniens ubi intentaret arma, in tantam incidit calamitatem, ut ſe vix ſubducere potuerit: ita totum in eum & Danos concitatum erat regnum. Atque iam Compoſitionis dies, quem Rex Ducibus Holſatiæ & Hanſeaticis civitatibus deſtinarat, appropinquabat, in quo Wahrenburgi comparuerunt cum magno cumulo, Duces, proceres Regni, & Status, ac Legati Hanſæ. Tractatum eſt diu abſque fructu & fine, adeo ut civitatum legati diſceſſum cum proteſtatione damni, quodque ignominiam ulterius perferre nollent, adornarent. Danorum proceres iamdudum bellorum pertæſi, regem monebant inſtanter rogando, ut tandem pax fieret. Permiſit vero rex, ut omiſſis ambagibus, arbitratu ſuo proceres rem componerent, ubi inveſtitura Ducibus conceſſa eſt: deinde complacuit, ut vectigalia vetera à mercatoribus in regno pendenda manerent, nec regnicolæ in urbibus ullis novitatibus gravarentur. Concordiam vero hanc maxime ſubminiſtrabat tumultus Sueciæ, quum Dani & rex in timore viverent, ne forte civitates Hanſeaticæ cum Suecis facere inciperent. Tranſactio hæc facta & approbata eſt Anno 1435. quum bellum hoc prope per 30. an. duraſſet. Aſt rex ita poſtea internis motibus & ſuorum præſertim Danorum perſecutionibus delaſſatus, quum ſpes nulla eſſet recuperandi quietem, propter multiformia odia, theſauris in naves comportatis, cedere regno putavit tutius conſilium. Ideoque Anno 1439. in Pomeraniam ſuam ſe recepit. Dani vero inde ita infenſi fuerunt regi, ut vix nomen eius amplius ſuſtinere poſſent: velut hiſtorici illorum in gratiam procerum iniurioſe ſatis illum depinxere.

Mirum certe eſt, qualem ipſi deſcribant. Sed num regem laborioſiſſimum rite ita, an potius ſe in his ſecundum affectus ſuos, delineent, id ex Lindenbr. ſuo percipiant, cuius verba hæc ſunt de Rege loquentis: Qui cum erga omnes eſſet perfidus & iniquus; tandem ab utroque regno detrudatus, elegit Gotlandiã inſulam, tanquam exilii tutiſſimum præſidium: unde piraticam in Suecos perpetuam exercuit: Danis interim parcens, à quibus etiã recedens, & in Pomeraniam rediens, tradidit totam Gotlandiam poſſidendam & aſſervandam. Adverſus hunc Ericum feruntur multa ſcripta accuſationum capita, quibus palam eſt, illum fuiſſe è regno iuſtiſſime profligatum: ac inter cæteras graviſſimas querelas, 27. proditiones capitales & infames. Quumque diu regnaſſet, multis adulteriis opertus, voluptatibus deditus, rapina, perfidia, violentia, tyrannide, ac proditione ſceleratiſſima, conſpiratione ſolemni omnium procerum regni, publicam libertatem optimo iure aſſervantium, conſternatus, ſibi male conſcius in Gotlandiam fugit compilatis regni theſauris, ac comitatus unica concubina, præ cæteris chariſſima, cui nomen Cæcilia, quæ non minimam præſtitit expulſionis cauſſam, quum eſſet illi multorum malorum inventrix & conſultrix, &c. Hactenus ille Regum Daniæ recenſor. An hæc vera effigies Regis talis fuerit, cenſeat bonus quivis. Ultra 24. annos ſane ſatis laborum pertulerat. Ac quis negare auſit, quod ſe non ad nutum procerum accommodarit? Unica certe hiſtoria Civitatum Hanſeaticarum ſatis id teſtari queat. Quid enim ipſi negotii fuit cum confœderatis Hanſæ, niſi Danorum cauſſa id perficere coactus fuiſſet? An non ultra 20. annos ſuperſtes in ocio & quiete vixit? Cuinam tunc incommoda creavit? Aut cuinam moleſtus fuit? An deceat ita gratitudinis loco reges beare pro exantlatis laboribus? Quod à Danis ipſis aut eorum concitatione Civitatibus & Rebuſpubl. Hanſeaticis tot ſub eius regis imperio mota ſint bella, id evidentia ſatis docet: Et Danorum animum erga civitates, quodque ſequentem regem Chriſtophorum eodem inflammarint fervore, iſtud idem ille Hiſtoricus in vita Chriſtophori 3. Reg. ſatis abunde teſtatur. Libet iterum ipſummet audire: Rex Chriſtophorus Dux Bavariæ, ait, etiam Waldemari pronepos: hic eſt electus in Regem conſilio Erici regis. Cui ſi contigiſſet vita diuturnior, evaſiſſet valde

glorioſus, præcipue adverſus (N.B.) petulantiam civitatum, quæ Hanſeaticæ dicuntur. Nam ad illarum petulantiam coercendam ac refrenandam (qua etiam regnis ac principibus minitabantur) videbatur valde (N.B.) idoneus. Vehementer enim dolebat, Lubeccam à Danis extructam, Danorumque regibus ſubiectam, ſic per proditionem libertatem vendicaſſe, ut illi nunc dominari cupiat, cui prius ſubiecta ſerviebat. Ad eam igitur rem perficiendam collegit ab univerſo regno magnam pecuniarum vim: unde offenſi Aquilonares Iuti, excitata gravi ſeditione, rebellare tentantes, à rege victi, graviterque mulctati ſunt, &c. Hactenus ille. Annon in his manifeſte & vivide auctor animum Danorum per regem novitium, quem extraneum ſibi tunc elegerant in odium Erici, in civitates Hanſeaticas exprimit? Lubentiſſime ita novo ſupprimere ſtuduiſſent bello eas, niſi in propria viſcera ipſorum gladium convertiſſet Deus. Ita fit, ut ſibi maxime ſit noxius, qui damnũ aut invidiam aliis nectit. Ac incidit in propriam quiſque ſibi foveam. An petulans is iure appellari queat, qui immunitatibus ſuis excubias iuſtas ponit? Inde Lubeccenſes odio ſemper fuerunt Danis, quod prudentem illis demonſtrarint vigilantiam. An vero à Danis ſit extructa Lubeca? Ex ſuperiori hiſtoria omnia patent. Ac quod non Chriſtophorus ex conſilio Erici electus ſit, licet id ſatis declaret res ipſa; tamen etiam ad hoc figmentum huic auctori reſpondet *Crantz. lib. 8. Dan. c. 22.* ubi ſic loquitur: Poterant (Dani) propiorem delegiſſe ſibi principẽ ex Pomeraniæ Ducibus: ſed infeſti erant huic generi, propter contemptum regis ſui Erici, &c. Ampliſſimus Anno 1441. conventus civitatum Hanſeaticarum fuit, ubi & Uratiſlavia, Soltquella, Campen, & aliæ diſſitæ comparuerunt civitates. *Chron. Stet. lib. 1. p. 91.* Lubeccenſes vero cum Hamburg. Ditmarſos inteſtino bello invicem debachantes, ad concordiam reducere ſunt conniſi. Et poſt quum Adolphus quoque Anno 1446. damnum à Ditmarſis ad 3. tonnas auri excurrens repoſceret, itidem duarum civitatum arbitrio cauſſa hæc ſubmiſſa eſt, ita ut qui nollet parere ſententiæ, 10000. flor. loco mulctæ illis ſolveret. Interim Danorum invidia ſemper graviter preſſit Hanſeaticos, quamvis rex Chriſtophorus III. ſe imparem iis agnoſceret, unde ita Anno 1448. mortuus eſt.

CAP. XVII.

De Lubeccenſium varia fortuna & cladibus internis & externis.

CIvitatibus Hanſeaticis cognitum quidem ſatis fuit odium Danorum; tamen quum iſti elegiſſent Chriſtianum I. Comit. Oldeburg. omnem ipſi exhibuerunt devotionem & ſervitii amorem. Etenim quum Anno 1449. ſolemnem celebraſſent Lubeccæ civitates conventũ, & quoque multi principes ac Rex iſte Wilsnaci concilium quoddam inter ſe contra civitates, ut rumor erat, habuiſſent, miſere Hanſeaticæ Reſpubl. ad regem Legatos, duas ob cauſſas, ut confirmarentur illis privilegia & immunitates, deinde ut certa eſſet tranſactio in damnis & iniuriis tamà piratis, quam ab exactoribus & iniquis regni præfectis perpeſſis. Abſtulerunt quidem confirmationem; ſed, quum præteritorum non eſſet relnitio, nec piratæ intimante regis, promiſſio facta eſt de averſione futurorum. Nihilominus quæ ex obliquo inferri damna civitatibus poterant, exquiſite obſervabantur, velut etiam 4. naves Anglorum mercibus onuſtas cæpit & diſtrahi curavit, quæ res infinitos mercatoribus Germanicis in Anglia peperit labores. Sic & quum rex mitteret aliquot naves armatas in Sueciam rebellantem, & mercatoria illis obviam fieret, ſtatim eam occuparunt & merces diripuere, quod ex hoſtica veniret terra. Idem obtigit ex Livonia venientibus: & quamvis ad manus regis pervenerint; tamen querelæ nullæ ſunt auditæ, tam nulla erat gratitudinis memoria eius, quod Lubeccenſes triennio ante Anni 1446. in ſumma neceſſitate regi ingentem pecuniarum ſummã mutuo dederant, velut etiam fideiuſſores Holſati Nobiles propterea in anguſtiis extremis relicti ſunt, pecunia ab ipſis reſtituta Lubecæ. Tandem quum rex Lubecæ ex interpoſitione huius urbis, ut teſtatur *Cranz. lib. 3. cap. 3. Vandal.* cum Suecis tranſactionem inſtituiſſet, ibi liquidato civium damno, oppidum Kilonem cum arce in pignus tradidit, ſoluto tamen ſimul alicuius debiti ære Anno Chriſti 1469. unde quum ſequenti anno rex cum fratre Gerhardo bellum iniiſſet, maxime inſtructus Lubecc. & Hamburg. urbium viribus, eum expugnavit. Sic prudenti comitate & beneficentia præveniendo multa averterunt Lubeccenſes mala, quam diu uſque ad Ann. 1481. iſte rex in vivis fuit: licet infeſtationes ſubdolas ſatis plures evincerent, quod ſatis acriter mordebat Danos. Interim tamen ex multis annis bellum maritimum fuit Hanſæ cum Anglis, ut infra explicabitur. Quũ vero Iohannes Chriſtiani I. filius jam pridem adoptatus Anno 1482. regnum adiiſſet adminiſtrandum, duriores Lubeccẽſium & Hanſeaticarum civitatum redditæ ſunt partes. Namque licet Anno 1483. ad comitia mitterent Legatos, ſuorum mercatorum privilegia in regnis confirmari poſtulantes; tamen propter vanam Iacobi Comitis Oldenburg. obiectionem, (quæ minus ipſi eo loco competebat, ut inde facile coniicere poſſent Socii Hanſæ, quæ clandeſtinitas ſubeſſet, modo vindictã ſubminiſtraret occaſio, quæ ita anxie circumſpiciebatur,) nihil omnino obtinuerunt, ſed mera fuit eluſio. Velut etiam Narrator Regum Dan. id non diſſimulat, ubi in Vita huius Regis hæc habet verba: Cæterum bello navali erat fortunatior, quo frequenter triumphavit, ac præcipue adverſus Lubeccenſes, perpetuos Danici regni oſores, &c. An non hæc eſt rerum inverſio? An illi poſſint dici oſores, qui unice omnibus actionibus amicitiam quæruntꝰ Sed quam non diffidentiam pariunt eiusmodi malevolorum calumnioſæ ſuggeſtiones! Hoc vero quum ægre ferrent civitates Hanſæ, pleno cum numero, quarum tunc adhuc 72. fuerunt, Lubeccæ Anno 1492. convenere, & firmum defenſionis fœdus pro libertate commerciorum pepigere, atque omnia bono cum ordine renovarunt. quod Regi Daniæ & vicinis Principibus adeo terrori fuit, ut tangere eas amplius noluerint, ſed ſuis implicati viribus ſe mutuo proſtituerunt. Quare licet pacatæ ſemper, quamdiu rex bello Ditmarſorum & Suecorum implicatus vixerat, uſque ad Annum 1502. quietis negotiationibus incubuiſſent civitates Hanſeaticæ; tamen quaſi vi aliqua ſuperioti in certamen & diſcor-

diam

diam abreptiſunt, quum rex propter negotiationes in Sueciam exercitatas, totam hanc ſocietatem & maxime Lubeccenſes pro hoſtibus declararet. Miſerat quidem Legatos ad Conventum Hanſæ Anno 1502. qui intet dicerent illis commercia Suecica: ſed quum ſtatum fundamentalem, ut ſatis tum Reſpublicæ illæ demonſtrarunt, hoc poſtulatum illis & navigationi liberæ ac communibus commerciis ſubverteret, ipſum ius naturæ & gentium flagellaret, merito regem ad æquitatem naturalem revocarunt. Velut in eandem ſententiam Iacobi IV. Scotorum Regis Oratori, eadem nomine Avunculi Daniæ regis poſtulanti, paulo poſt reſponderunt. At quum rex fruſtra ſe apud Lubeccenſes & Hanſas laboraſſe cerneret, emiſſa in mare claſſe armata, ſtatim propterea illis naves cum mercibus eripi juſſit. Sic & bona & cives in portubus cunctis regni ſui arreſto detineri fecit & pro hoſtibus declarari. E contra igitur Lubeccenſes cum Sociis ad defenſionem progrediuntur omnium gentium more. Nec mora erat quin naves bellicas inſtruerent, ut vi ablata ſibi ſuisque repeterent. Unde Fridericus Holſatiæ Lubeccam profectus, fruſtra componere negocium ſtudet. *Chyt. Chron. Sax. pag.* 127. Nihilominus tamen in ſummo fervore belli, ex interpoſitione Raimundi Cardinalis S. Pont. Legati, qui miſſus fuerat Lubeccam, tranquillari ita ſe paſſi ſunt, ut etiam Anno 1503. Legatos ad Suecos mitterent, pro liberatione ex captura Chriſtinæ Reginæ Danicæ. *Vid. Chytr. Chron. Sax. lib. 5. p.* 110. Ac quamvis Lubeccenſes Legati regi ipſi reducerent Hafniam; tamen nec ad colloquium, nec ad adſpectum quidem eos admiſit, ſed in hoſtilitate, contra pacta tunc novata, ſubſtitit. Unde coactæ ſunt civitates Hanſæ, & maxime Vandalicæ, ſeſe mutuo arctiori fœdere ad communium privilegiorum defenſionem, adverſus quoſcunque denuo devincire. Et quamvis Gottorpii & poſtea Bordesholmii Status Holſatiæ in publicis comitiis ſe maxime propter Lubeccenſes interpoſuerint; tamen rex audire noluit, ſed potius quod hoc die promiſerat, ſtatim altero retractavit; ceu ex actis illis apparet *quæ Ioh. Petr. Chron. Holſ. part. 4. pag.* 418. recenſet. Interea Lubeccenſes quoque cum Henrico Duce Megapolitano ex ſuperbæ mulieris alicuius fictis querelis bello implicabantur Anno 1506. quod biennio poſt vix ægre conſopitum eſt, uti pluribus id deſcribit *Chytr. in Chr. Sax. lib. 6. in princ.* Et quamvis ſe Regi Anno 1507. accommodarent, & in Sueciam mitterent Legatos Hanſæ cum Lubeccenſibus; atque rex Nycopingæ fidem promiſerat, quod naves omnes eſſet ex arreſto dimiſſurus; tamen novem Riga cum precioſiſſimis mercibus venientes Lubeccenſibus intercepit. Unde in mari Baltico bellum illud multo funeſtius per 8. annos integros recruduit Anno 1509. Hamburgenſes interea tamen per totum hoc temporis ſpacium, ut omne lucrum commerciorum aſtute in ſe transferrent, omnino à Lubeccenſium & reliquorum ſocietate abſtinuerunt, & ſoli tuto in Dania, Norvegia, cum Hollandis, Anglis, Flandrisque negociari ſunt, unde mire opibus aucti creverunt. *Vid. Chytr. Chron. pag.* 169. & 172. Nihilominus Annus 1511. tandem Lubeccenſibus interna victoria lucroſus fuit. Aliæ quoque civitates ex Hanſa, velut Hildeshæmium, bello intricatę ſunt: unde Goſlariæ Anno 1522. conventus fuit, nec ſocios diſſuadentes audivit Hildesheym; interim tamen Lubeccenſes nonnihil ab Anno 1518. abſtinuerant, & Guſtavum ex regio ſanguine liberatorem Sueciæ clam ex conſilio Nicolai Bromſii in Sueciam Anno 1519. 18. Maij avexerant. Et quamvis Lubeccenſium ſuggeſtione Anno 1520. Chriſtianus II. coronam Sueciæ obtinuerat; tamen tantam egit tyrannidem, ut Guſtavus ardente amore ſalutis patriæ tyrannidem tandem talem Anno 1521. diſcutere à regno Sueciæ feliciter inciperet, adiutus virtute Dalkerlorum & Lubeccenſium, qui ad eius petitionem Anno 1522. novem navium claſſem optime inſtructam mittebant; unde Anno 1523. Guſtavus rex Suecorum ſolemni ritu, obtenta victoria, deſignatus eſt. Unde ſtatim in principio regni Lubeccenſibus, Dantiſcanis, coniunctisque, eximia & ſingularia iura ac privilegia ſuis & Senatus regni litteris gratitudinis ergo tribuit. *Vid. Chron. Chytr. Sax. lib.* 9. *p.* 242. *&* 243. Ex qua cauſſa commoti Hanſæ, ut non tantum pergerent fortiter in auxilio ferendo Regi Guſtavo; ſed etiam publico ſcripto eodem anno hoſtilitatis contra Chriſtianum II. Reg. Dan. cauſſam, ſub dato, die Lunæ poſt Invocavit Anno 1523. explicarint, quod etiam fecere & Dani ipſi & Sueci; unde omnibus exutus eſt regnis.

Ac quamvis Lubeccenſibus cum Rege Dan. Friderico I. qui An. 1524. d. 7. Aug. coronatus erat, quãdiu per decennium vixit, convenerat, tamen non defuerunt interni motus, quod ſenatus civibus reformationem religionis denegaret, & nihilominus novis contributionibus eos onerare ſtuderet ob perpeſſa bella. *Chyt. in Sax. p.* 324. *&* 331. unde mutatio ſenatus ſecuta eſt: Quum in conventu Hamburgenſi à Carolo V. inſtituto, de reſtitutione Chriſtiani 2. nihil effici poſſet, Anno 1532. Friderico I. Reg. Daniæ tale auxilium præſtiterunt Lubeccenſes cum ſociis, ut, impreſſionem tunc novam tentans, Chriſtianus II. ipſorum ope captus ſit: *Chyt. pag.* 334. Etenim quũ Lubeccenſes pro claſſe 15. navium, quam ultra anni ſpacium ipſius ſtipendio aluerant Anno 1530. in obſidione Holmiana, ſolutionem peterent, & inde indignationem cernerent Guſtavi, nolebant etiam Friderico I. Dan. deeſſe in neceſſitatibus ſuis, præſertim id ita temporis ratione exigente. Namque civitas interno motu adhuc novi ſenatus cauſſa flagrabat propter diſceſſum duorum Conſulum: tum etiam commercium ſibi ab Hollandis ſubtrahi cernebant: ſimiliter & inter binos adverſantes & indignantes hæſitabant reges, apperebantque maxime Danorum perpetuam inde confœderationem, quod eluſorie Sueco referebant Dani Anno 1532. Unde Guſtavus omnium privilegiorum & immunitatum conceſſarum fidem aperte retractabat, atque ſic omnibus externis regionibus Baltici maris negotiationes deferebantur, donec Anno 1546. inducias decennales cum Guſtavo paciſcerentur ita, ut, exeunte decennio, qui non ulterius inducias ſervare vellet, uno anno ante renunciaret, & interim omnis quieſceret violentia. Importunitati unius viri Conſularis Georgii Wolweberi nimis indultum undique fuit, ut ex uno in alium impelleret civitas Lubecca ſcopulum, velut etiam pro liberatione Chriſtiani II. cum Chriſtophoro Comite Oldenburgenſi ſe conſociavit Anno 1534. quum poſt obitum Friderici I. eſſet interregnum à Proceribus Daniæ inſtitutum; unde acrè novum

vum conciratum eſt bellum; quod adeo mordebat cives, quum ſe tot ſumptibus impares deprehenderent, ut priſcum ſenatum per legatos Vandalicarum civitatum expeterent, & pacem cum Holſatis reduci: quippe Dux ipſorum Chriſtianus, qui mox declarabatur Rex Daniæ, obſidione eos enervarat. Cum Rege Chriſtiano III. Dan. ſtatim Guſtavus contraxit amicitiam, & auxilium ipſi miſit, unde Lubeccenſes multis externis cladibus fracti ſunt.

Diſceſſerant ex Lubecca An. 1531. duo conſules ſupremi Nicolaus Bromſe & Hermanus Plonnies, q̃ novus ſenatus 60. virorum illis diſpliceret, qui anxie ſollicitabant in Camera Imperiali veteris ſenatus reſtitutionem: proinde Anno 1535. tandem res in conventu civitatum Hanſæ, quas ſenatus Hamburgenſis Lunæburgam primum convocaverat, eo deducta eſt, ut novos ſenatores cum Wolwebero officio ſe abdicarent, & Nicolaus Bromſe Conſul, & veteres ſenatores, civium 60. antiſenatu remoto, circa finem Auguſti in priſtinam dignitatem reſtituerentur. quibus protenus præcipuæ curæ fuit, ut, cõpoſito & ſublato cum Danis bello, pax Reipub. domi & foris redderetur, unde mox tragico periit Wolweber exitu. Chriſtianus etiam rex hoc nomine tertius, tanta mole belli, cuius iam in 3. annum impenſas & ſumptus ingentes ſuſtinuerat, levari cupiens, ardenter pacem ambiebat. Itaque Iohan. Fridericus Elect. Sax. cum Philippo Landgravio Haſſiæ, ſicut & civitates Brema, Hamburg, Magdeburg, Brunſviga, utrique parti, religionis & aliorum fœderum vinculis iuncti, per legatos, durante adhuc obſidione Hafnienſi, Hamburgum miſſos, bellum inter Chriſtianum 3. & Lubeccam ac reliquas confœderatas urbes compoſuerunt, ac veterem inter Daniæ regnum & Hanſæ Saxonicæ civitates pacem atque amicitiam reſtaurarunt. Lubeccenſes & ſociæ civitates, ſua in regno Daniæ privilegia & immunitates antiquitus uſurpatas retinuerunt, una cum uſufructu inſulæ Bornholm ad Annos 50. Tum quoque ſi Albertum Ducem Megapolitan. & Chriſtophorum Oldenburg. comitem ex regno Daniæ abducant, 15000. aureos inſuper acciperent. Eadem pace Guſtavus Rex Sueciæ, Albertus Dux Boruſſiæ, & reliqui Danotum amici continebantur cum ea conditione, ut Guſtavus Lubeccenſium privilegia in regno Sueciæ ſalva relinqueret. Controverſiæ, quas cum Guſtavo Lubeccenſes, Iohan. Comitis Hojenſis heredes, ac cæteri habebant, intra ſemeſtre ſpacium coram Chriſtiano 3. cognoſcerentur & dirimerentur. Quod ſi latæ à Chriſtiano ſententiæ Guſtavus adſentiretur, nulla ei contra hos auxilia Dani ferrent. Senatus Lubeccenſis inde pacem factam ſtatim Alberto Duci Megapol. & Chriſtophoro Oldenb. Com. denunciarunt, & revocarunt ſuũ militem. Verum hi Burgundicum auxilium expectãtes, parere nolnerunt, quum tamen turpiter voto exciderint poſtmodum, An. eodem 1536. Quamvis autem Guſtavus rex ægre ferret pacem Hamburgi initam cum Lubeccenſibus, tamen ex interpoſitione Chriſtiani 3. quum de ſumma rei non poſſent inter ſe convenire, quinque annorum induciæ pactæ ſunt. Sic & An. 1541. uterq; rex adiunctis regnorum Daniæ & Sueciæ ſenatoribus, in utriuſque regni limitibus ad Bromſebroũ menſe Maio pacem ad 50. annos & fœdus adverſus quoſvis hoſtes poſterorum cauſſa renovarunt; quod cum iiſdem paulo poſt Franciſcus rex Galliæ quoque pepigit. Bellis ſic conſopitis, tandem quoque Chriſtianus 2. iuribus ſuis reſignavit in carcere, An. 1546. 14. Iulij, ut ex reditibus arcis Callenburg & inſulæ Samſoe viveret privatus uſque ad mortem, quæ ipſi An. 1559. die 15. Ianuar. obtigit. An. 1562. Rex Sueciæ quidem offerebat privilegia Lubeccenſibus; ſed quum prorſus in præiudicium civitatum Hanſæ tenderent, & priorem fidem ſubverterent, ac nihilominus naves arreſtaret eorum, nec quid curaret interceſſionem Ferdin. Imperatoris, alia conſilia conſuerunt. *Vide Chyt. lib.* 20. An. 1563. quum Ericus Sueciæ novus rex Lubeccenſibus & reliquis civitatibus Hanſeaticis confirmationem privilegiorum in acceſſu regiminis ſui denegaſſet, Lubeccenſes ſe Regi Frederico II. Dan. fœdere adſociabant, qui bellum tum contra Suecos adornabat, cuius vis ingens fuit. Ideoque ad Bornholmium & portum Sundenſem ſemper etiam hyemis temporibus aliquot Danorum & Lubeccenſium naves excubarunt, ne quid in Sueciam tranſportaretur, donec An. 1564. 22. Maij Erici claſſis 48. navium improviſa adveniens, eas diſſiparet; unde liberato ab excubitoribus mari 60. naves onerariæ vino, panno, nitro, &c. ex omnibus locis in Sueciam traiecerunt, & ab aliis paſſim vectigal exegerunt; uti & Prætoria Lubeccenſis proprio igne conflagravit. Secutum eſt prælium navale atrox & diuturnum. An. 1565. Pomeraniæ Duces pacis cauſſa ſe interpoſuere: ac licet reges non abhorrerent ab ea: tamen Danus ad fluv. Suarteram victoriam adeptus eſt. Inde interea Angli, qui cum Moſchis ad Nervam Livoniæ commercia exercere ſolebant, alium verſus Polum Arcticum ſub gradu 68. quæſivere portum. Ferventè adeo nimium bello An. 1567. Imperator Maximilianus II. utriq; regi pacificationem Sundij indixit quidem, ſed Suecus non comparuit; Nimium crudeliter arrogans erat. Inde quoque An. 1568. quum indignam regio nomine concubinam in coniugium ſibi tradi curaſſet, regno privatus eſt à fratre Iohanne 3. proceribus conſentientibus. Et quamvis ipſe in pacem inclinare videretur; tamen nimio ſucceſſu tumidus, conditiones Friderici & Hanſæ reſpuit. Ideoque Danica & Lubeccenſis claſſis armata, ex improviſo obruit Revaliæ portum, & pleraſq; mercibus onuſtas naves abduxit divite ſpolio. An. 1570. tandem auſpiciis Imperatoris Romani Maximil. II. variis difficultatibus ſepoſitis, Stetini pax confecta eſt, ut limites antiqui utrique regno manerent. Navigatio quoque in Nervam utriuſque regni ſubditis & civitatibus ſecundum morem antiquum libera permiſſa eſt: velut etiam inter Regem & Lubeccam, extinctis utrinque diffidiis funditus, benevolentia mutua reſtaurata fuit; belli impenſis ſimiliter compenſatis, uti & Lubeccenſibus à regis ſubditis debita flagitare liberum manſit. Si quid ex naufragis bonis ad præfectos vel ſubditos Sueciæ perveniret, repetere ea Lubeccenſibus omnino licitum eſſet: velut etiam duas arreſti naves in Pomerania detentas cum tormentis bellicis recipiebant: Tum etiam navigatio Narvica & ad Ruſſos antiquo more ab omni interdictione plene liberata fuit: tamen ſi quid Imperator & Electores de ea ſtatuerent aut ordinarent, quod deberent à Lubeccenſibus & ſociis obſervari: Ac, quum Revalia & aliæ Livoniæ provinciæ reſtituteren-

ruerentur Imperio, ut caverent ne Moschos armis roborent, &c. Tum in controversiis deberent 8. arbitri eligi, qui omnia decideren. Captivi denique sine lytro dimissi sunt. Hæc transactio liquidissime à rege Sueciæ, Carolo fratre, & senatu regni subscripta & Lubeccensibus tradita est, velut & transactionis exempla 4. obsignata fuerunt, 16. Febr. An. 1570. Verum licet Imp. Maximil. 16. Iunij per Iohan. Offenburgerum repetierit, & Lubeccenses navigationem Nervicam intentarint; tamen nihil eorum servavit Iohan. 3. Rex Sueciæ: sed fidem in omnibus prope retraxit. Unde An. 1572. civitates Hanseæ ex conscriptione eorum qui loco Lubeccensium erant deputati, circa ineuntem mensem Iunium conventum celebrarunt publicum. Et quum ingentem hactenus laudabilis hæc societas Hanseatica passa esset paroxysmum cum lethali vulnere inflixum, dum admodum Emporiorum privilegia illis essent imminuta & societas à pluribus civitatibus ex studio proprii commodi discussa; diversi ad civitatum quaterniones adiptædeliberandum articuli solito more sunt missi. Ut itaque omnia in fundamentis curarentur incommoda & vulnera, totius tractationis & deliberationis potissimum capita fuerunt: 1. De instauranda societate Hanseatica & renovando Rerumpubl. talium fœdere. 2. De commerciis cum Russis in Emporio certo deinceps continuandis. 3. De recenti Narvicæ navigationis interdicto per Suecum facto. 4. De contributione ad domum Orientalium Antwerpiensem, ære alieno liberandam. 5. De aliis aliquot capitibus ad domus illius commoda pertinentibus. 6. De legatione in Galliam & Belgium pro confirmatione & amplificatione privilegiorum, & amolitione gravaminum obtinenda. 7. De domo Hanseæ Brugensi. 8. De Emporio Londinensi, quod per concessam Anglis Hamburgensem navigationem prorsus labefactaretur, & concideret. 9. De gravaminibus Emporii Bergensis. 10. De vectigali Danico den Øastzoll dicto nimis aucto & extenso. 11. De piratis Principis Uragniæ in mari Britannico coercendis. 12. De sumptibus variis Lubeccensium, bello Suecico factis. 13. De civitatum contributione siteordinandis & levandis aliis. 14. De pleonexia opificum, & nautarum moderanda avaricia aut precionum extensione, &c. Quæ in his & similibus ventilata & decreta fuerint, partim suo loco particulariter explicabuntur: tamen gravamina contra Reg. Sueciæ graphice sunt depicta, & per Legatos eidem detecta, utquasi in genuino se secundum actionum suarum proprietates egregie & ad vivum depictum speculo agnoscere potuisset. Verum quum resplendentiam illam virtutibus minus accommodatam censeret, omnia silentio excepit, & involuta contexit secum, ac nihilominus naves Lubeccensium Nerva redeuntes, hostiliter captas, Revaliam & Stockholmiam duci, ac merces omnes in fiscum redigi curavit, quod novos quidem concitavit motus; sed tamen adhortatione, & interpositione vicinorum cõsopitum fuit. In eo conventu Hanseæ autem, qui Lubeccæ An. 1576. fuit habitus, non tantum Bremenses, quiante 14. annos ob seditionem adversus Senatũ, (cuius pars maxima urbe exesserat) ex Societate exclusi fuerant, iterum recepti sunt: sed etiam tunc plenius actum est de confœderationis Hanseaticæ formula renovãda, quæ cura Conf. Lubeccano D. Hermanno de Vechel concipiendi caussa démãdata fuit, ut suo loco plenius constitutio talis recensebitur. An. 1579. Conventus iterum quidem Lubeccæ indictus fuit; sed saltem duo Metropolium Colonienssium & Brunsvicensium Legati cum paucis aliis comparuerunt. Proinde solummodo de pœna ex recessu Anni 1556. actum est emanentium, & de articulorum novæ confœderationis Hanseaticæ prælectione. Anno vero 1581. omnes quatuor Metropoles Hanseæ cum Vandalicis comparuerunt, & corpus, hucusque ex studio proprii commodi dismembratum, redintegrarunt aliquatenus, ubi simul de libertate commerciorum pristina Londini in Anglia recuperanda actum est, ut infra patebit plenius. Sed mox hoc nobile corpus alium subire morbum coactum est, quũ Rex Frider. II. vectigalia in Hellesponto suo & alibi commerciorum non tantum supra modum contra pacta augeret, & novis subinde accessionibus onerum cumularet; sed etiam Lubeccensibus An. 1582. talia duplicaret. Ex conventu confœderatarũ civitatum quidem cum interpositione Imperatoris ad regem missi fuerunt Legati; sed nil prorsus obtinuerunt; imo inde eo maiorem susceptit offensionem, ut rigorosiorem se in postulata Cæsaris ostenderit. An. tamen 1583. mense Iulio, quum Socerum Ulricum Ducem Megapolitanum cum amita ad filii Iohannis baptisma Haderslebiam invitasset, ibi eius interpellatione Lubeccenses in gratiam recepit, ac vectigal reliquis simul civitatibus ad æquitatem reduci passus est. E contra vero Rostochiensibus naves & merces in Daniæ portubus arresto detinuit; donec ab Ulrico Socero suo documentum transactionis adferrent; quod novas quidem controversiarum concitavit illi civitati difficultates; sed tamen Rex simul paulo post mitigavit suum socerum, ut non tantum ad obedientiam compellaret Rostochienses per repressalias suas; sed etiam transactionem Gustrovii peractam interponeret. Ita paci quidem fuit addictus semper; sed ut non esset absque auctoritate superiorum. Præeminentiæ suæ gravitatem in cunctis prævalere cupiebat, ut regiæ dignitati suum conservaret respectum. Idem hoc illustri declaravit exẽplo in caussa religionis. Quum enim ante aliquot tempora usque ad An. 1576. motæ essent plures controversiæ, quę impugnarent atrocius conscientias Christianorum, & tamen nonnulli fabrilia ita adhiberent artificia huic distractioni, ut interpretationem sacrę Scripturæ imponere studerent publicam: valde hoc offendit Regem, quum putaret, ꝙ eiusmodi glossæ ex humanis inventis productæ, Verbo Dei & Spiritui sancto suam in Ecclesia Christi imminuerent auctoritatem, ceu verba eius ad Legatum Augusti Electoris Saxonici Sororii sui fuerunt expressa, quum ille librum Concordiæ ad receptandum & publicandum in regnis suis per hunc offerret; ibi respondit ita: Verbum Dei sapientibus in Spiritu Dei tam luculenter scriptũ est, uti talium glossis superinductis nullatenus indigeat. Atq; ut rex præscriptionẽ affinis sui aut offensionẽ eius se non magni facere, nec oblationes tales aut interpretationes rationales hominum Verbo Dei æquiparandas esse ostenderet, statim duo Edicta per totum regnum publicavit, quibus Concordiæ illi libro vias regni sui præcluderet. Horum

primum, quum non sint in manibus omnium, ceu ab amico communicatum est mihi, ad petitum eius inserere heic debui, quod ita se habet:

Diploma Serenissimi Danorum Regis Friderici II. de libro Concordiæ non importando aut distrahendo.

FRidericus II. Dei gratia, Daniæ, Norwegiæ, Vandalorum, Gothorumque Rex. Gratiam nostram & favorem singularem. Cum liber ille, quem Opus Concordię vocant, nupperrime typis in Germania editus, cuius etiam nos exemplum nacti sumus, eam contineat Doctrinam, & dogmata complectatur, quę nobis & nostris Ecclesiis inusitata plane sunt, & nimium quantum adversantur; adeo ut nisi nostra summi Magistratus matura intercederet providentia, facile eiusmodi libris divulgatis unitas religionis & consensus, qui Dei beneficio in hoc regno hucusque viguit, perturbari ac dissolvi posset, præsertim quod neutiquam dubitemus, quin multi tam inter nos, quam in exteris, avidi novitatis, inquieti & ad discordias serendas proni reperiantur: vos magnopere rogamus, imo mandamus ac serio iubemus, ut continuo omnibus & singulis in vestra Diœcesi Bibliopolis severe interdicatis, ne ullum ex his libris Concordiæ dictis in has regiones atq; provincias importare aut divendere sustineant, sub pœna amissionis omnium facultatum, & capitis supplicio inevitabili. Vestrum quoq; erit peregrinos & exteros Bibliopolas, qui apud nos commercia exercere solent, sedulo admonere & cohortari, antequam merces suas exponant, ne prædictum opus cuiquam vēdant, vel ullibi distrahant: qui secus faxint, omnīū librorum aut mercium iactura multentur. Universis insuper Diœcesis vestræ concionatoribus, & verbi divini ministris, iuxta ac Ludimagistris, & iuventuti erudiendæ præfectis, per literas nostris verbis quam primum indicetis ac præcipiatis, ne ullum huius libri usum habeant, nec eūdem apud se inter privatos parietes reservēr, nisi ab officio suo, & functione amoveri, & pœnam Regij edicti prævaricatoribus debitam subire discupiant. Huius nostræ voluntatis executioni circumspecta vos cura incumbere decet, & sedulam dare operam, ne à quoquā ea violetur aut contemptim habeatur. Quod si per vestrā sive negligentiam, sive indulgentiam, in hoc terrarum tractu vetitum illum Librum posthac venalem prostare contigerit: idoneum magis hominem nobis prospiciemus, qui vestrum in locum subsititurus maiorem muneris sibi concrediti rationem habere, & attentiore inspectione mandatis nostris satisfacere velit. Hæc etenim summa curarum nostrarum, hæc summa votorum est, ut vera & sincera fides, ac minime fucata concordia in hisce Regnis & ditionibus nostris sarta tecta conservetur; utpote in qua & educati à teneris sumus, & hactenus firmi constanterque permansimus: quo nomine deinceps quoque omnia impedimenta, quibus incorrupta doctrina labefactari, pax & tranquillitas convelli, & simpliciores seduci queant, divino auxilio freti avertere conabimur. Id quod & vobis ex vocationis vestræ præscripto unice præstandum iniungimus. Commendantes vos Domino. Antworskoviæ. Die 24. Iul. 1530.

Sub nostro Sigillo

FRIDERICUS.

Nobis dilecto, Clarissimo Doctissimoque Viro, Doctori Paulo Matthiæ, Superintendenti Salandiæ.

Simile fatum hæc apud Ducem Brunsvicens. Iulium, & Comitem Oldeburgensem alios; Germaniæ principes, qui penitius rem pensitarunt, & non æquo tulerunt animo, quod Augustana Confessio ex authentica sua & liquida forma sine authoritate in tales disputationes aut retractiones non absque scandalo detruderetur, concordiæ conscriptio tulit, quum loco concordiæ tot distractiones animorum discordiasq; miras pareret. Nam, ait, Iohannes Major; ἐπιλύλω voluit cudere, cudit τέρα. Sed ad Lubecensium historiam revertimur. An. 1591. Lubecæ civitatum Hansæ comitia diuturniora, propter varietatem negotiorum celebrata sunt mense Iunio, Iulio & Augusto, in quibus ante omnia de privilegiorum suorum, in emporiis exterarum gentium, conservatione ac defensione, & multiplicibus incommodis, quibus ea imminui ac labefactari videbant, avertendis, deliberatum est. Nam & Angliæ Regina plurimas Hanseaticorum naves, frumentum in Lusitaniā vehentes, interceperat, & frumēto omni denudarat. Tum quoque Hollandi ac Zeelandi inusitatis antea immensisq; exactionibus merces, eo delatas, onerare solebant, ac passim in emporiis, Londini, Bergæ & alibi, multa subinde incommoda & detrimenta capiebantur. Verum propter præsentium temporū difficultates, ad multas iniurias connivendum, & moderatius ac cunctantius, quam maiores ipsorum solebant, agendum existimabant. Interim tamen illi qui damna passi fuerant, nihil inde solatii percipere potuerunt. Proinde flaccescere nonnihil prior incepit fervor, quo omnes civitates exsuscitari solebant, ad fœdus commune Hanseaticum alacriter viribus communibus fulciendum & sustentandum. Quum plurimæ essent querelæ de varia navigantium confusione, eodem in conventu egregiam commerciis & navigantibus destinarunt constitutionem, ceu ea *in 53. art.* iuri Statutario Lubecensium annexa est. Utinam saltem usum suum rite inveniret! Verum uti fit, quod privatus respectus sui & in sese reflexus semper disturbet publicum; ita quoque heic id accidit. Etenim aliæ aliis Rebuspubl. suam non tantum invidebant invicem fortunam; sed etiam haud obscure insidias struebant, quibus rivos commodi alterius in suæ deflectere ac trahere possent ambitum peræ. Velut in exemplo hoc satis notabili demonstraru nt Hāburgenses contra socios & vicinos Stadenses in commercio pannorum, quod Angli tum Stadæ exercebant & Embdæ. Namq; licet sub nomine monopolii Anglos Hanseatici omnes ad Imperatorem & Status imperii detulissent, tamen rei eventus demonstravit, quod, quum edito Imperatoris, An. 1596. mense Aug. editio, intra certum tempus sub amissione mercium, Angli ex Germania cedere iuberentur, id maxime ex suppositione ita tractatum fuerit, ut postea demum contra communem civitatum Hanseaticarum consensum & conclusum, Hamburgenses proprii cōmodi caussa ex aliis locis exclusos Anglicos Mercatores, quos Adventurientes dicebant, in suum receperint locum. Stadenses per legatos ad Imperat. missos prorogationem executionis flagitabant; quod quidem obtinuerunt dicto anno; sed ad instantiam aliorum tamen, & quod Regina Britanniæ mandaret ita, Angli ante diem constitutam negotiatio-

gociationes suas Stadæ concluserunt. Nihilominus quum res hæc variis interpellationibus distraheretur; atque aliæ intervenirent causſæ ac concussiones sociorum, resuscitatæ ita sunt Hanſæ, ut de fœderis renovatione cogitarent. Animum quoque illis hoc addidit, quod non tantum An. 1597. Rex Poloniæ Sigismundus III. per Legatum suum Paulum Dyabinū apud Reginam Angliæ causſam Hanseaticam satis commode ursisset, unde etiam Regina graviter se cōmovit; sed quoq; Rex Hispaniarum per Ambass. suū Don. Franciscum de Mendoza, Admirantem Arragoniæ, An. 1596. Imperat. Rudolphum II. nomine suo & Archiducis ac Cardinalis Alberti adhortatus fuisset, ut civitatibus Hanseaticis adversus insolentiā & sævitiā piratarum Anglicorum auxilium & adsistentiam præstaret. Ideoq; Imperat. omnes querelas civitatum Hanseaticarum, non tantum clementissime excepit; sed etiam commerciorum causſam omni conatu contra adversantes Hanſæ promovere cœpit. Atque ut Rex Hispaniarū adhuc luculentius favorē suum clementissimum erga Hanſæ socios demonstraret, nomine suo & Cardin. Alberti Austriaci per Dom. Florentiū de Barlamonte & Lalain, Baronem Hiergesium, Eq. Aur. Vell. Doctor. Georg. de Westendorp, & Iohan. Neokirchium An. 1598. ad eos misit, cum clementi oblatione, quod non tantū eos & ministros navesque eorum in suam protectionem recepturus; sed etiam liberam commerciorum negotiationem per Hispaniam Portugaliamq; concessurus esset. Cui denunciationi hoc annexit, ut maxime simul negotiationes suas in Flandriæ & Brabantiæ portus præ Hollandicis converterent, promisitque simul firmum illis contra Anglos auxilium in mari. Quod quidem cum gratitudine acceptarunt; sed tamen in Anglico negotio, quum An. 1604. urgentibus id maxime Brunsvicensibus, fœdus renovassent Hanseaticum, splendidam in Angliam ad Reginam ex Lubecensium, Dantiscorum, Colonienſiū, Hamburgensium & Bremensium, deputatis Legationem propter veterum privilegiorum renovationē, miserunt, gravaminum abolitionem petentes; sed quum promotoriales ipsis deesſent, infructuosa fuit omnis tractatio. E contra vero apud Regem Gallīæ Henricum IV. ita benevole sunt habiti, ut omnis amicitiæ gratiam illis sit pollicitus. Interea quum etiam An. 1598. Comitia iterum per tres menses, Iunium, Iuliū, & Augustum Hanſæ Socii celebrarent, novum interiectū illis est negotiū à Brunsvicensibus. Quum civitas hæc esset una ex quatuor Metropolitanis Hāsæ, querelas suas de violentia Ducis Henrici Iulii ad socios deferendo continuavit. Etenim licet ille propter homagium præstandum eas antehac toties infestasset, & causſam quoque hanc ad Processum Cameræ detulisset, tamen propter sententiam mere interlocutoriam An. 1595. die 21. August. in Camera Imp. publicatam, propriam intendebat executionem, iniquitet ferens, quod Brunsvicenses per novam instrumenti oblationem 27. Octobr. eiusdem anni talem refutasſent. Impatienter igitur Dux processum, in quo ipse Actor erat, ferens, quasi nulla plane esset litis pendentia, à Brunsvicensibus cum minis postulabat homagium. Moderate illi respondebant semper, nec denegabant, imo offerebant se satis commode, si homagium tale acceptare non recusaret, quale transactio de An. 1569. cum parente Duce Iulio inita expresse poneret, ut civitati quoque privilegia manerent salva, & ante omnia præstitis præstandis gravamina è medio tolleret, quorum ingentem enumerabant cumulum. Ille absolutum dominium affectans, non poterat verba pactitia, exemptitia & talium jurium, nec nomen gravaminum perferre: abhorrebat quoque ab omnibus imperatorum privilegiis. semper ludens sub prætextu transactionis alicuius de An. 1535. ad tempus illud relatæ, quasi indem nulla à parente An. 1569. sub dato Braunsweich die D. Laurentij, id est, 10. August. instituta alia transactio fuisset. Ut vero eo callidius ad scopum perveniret propositum, & aperto civitatem infestare posset bello, An. 1600. ex propria auctoritate absque litis pendentiæ respectu 22. Iun. contra Brunsvicenses Declaratoriam rebellionis publicavit, quod ipsi Brunsv. art. 3. excep. suarum, causſa neque audita neque defensa, contra omnem naturalem & civilem iustitiam factum esse, affirmant. Et quamvis talis molitio ab ipso Imperatore statim cassata sit; tamen plane hostiliter civitatem impugnavit, primitus omnem commeatum illis præcludendo, postea statim armis eam aggrediendo: quod quidem ab Imperatore sub dato 17. Ian. An. 1601. ipsi inhibitum aperto fuit mandato; sed tamen ille propositum continuare studuit. Ideoque interea civitates cogitarunt de renovatione fœderis Hanseatici, ut infra patebit. Atque quum non desisteret, sed pergeret in adornatione armorum, nec tot interpositiones civitatum An. 1600. & 1601. imo nec quid ipse Imperator An. 1602. posset publica & Imperatoria auctoritate per Legatos quid obtinere, cœpere civitates Hanseaticæ quid de contraria conservatione sociorum Brunsvicensiū dispicere. Eodem tamen in conventu concluſa est Legatio solemnis ad Mag. Ducem Moscoviæ propter commercia & privilegia renovanda. Quod autem inæqualiter esset expedita, inde magna lis est exorta inter Lubeccenses & Stralsundenses, quod suo loco pluribus explicabitur. Interea autem quum de his & aliis Lubeccæ consultaretur, Rudolphus II. Imperat. usus est hac occasione, & per Legatum ab Hanseaticis tanquam à singulari corpore in usum belli Turcici auxilia postulavit; sed illi honesta excusatione, quod ex alio respectu, tanquam vel membra imperii mediata per obliquum, vel immediate per directum suas quæque portiones solverent, hæc declinarunt. Proinde ad civitates particulares Hamburgum, Bremam, Magdeburgum, &c. recursum fuit, quarum unaquæque seorsim non exiguam argenti summam Cæsari pendere coacta fuit. Rumor erat, quod talia ex stimulatione fierent, ne forte reali resistentia sese opponeret Duci Guelphico. Sed ut ut sit, quum Dux ille haut posset à proposito retrahi, & sufflatores aulici non sine gravissimis calumniis magis extimularent Principem, ut præcluderet civitatibus commeatum commerciorū versus Brunsvigam, Hanseaticæ civitates primitus fœdus commune redintegrandum putarunt. Ideoque Lubeccæ per integros Menses Martium & Aprilem Anno 1604. de variis rebus & gravaminibus commerciorum communibus actum est, & Legati Muscovitici relationem deposuere expeditionis, ubi lis ingens orta, adeo ut Lubeccenses prope exclusi fuissent, tamen re bene composita, ac singulis rite perspectis, tandem nova confœderationis for-

ma, ut in 4. parte patebit, constituta fuit. Adfuerant tunc quoque Legati Ducis Magni Muscoviæ, & Regis Poloniæ. Postea vero, quum cernerent, quod Metropolin hanc Hanseaticam Dux Brunsvicensis ulterius adeo infestaret, ut eam funditus pessumdaret, aut ad minimum ea fœdus Hansæ dismembrando, ademptis privilegiis, privaret, nec non stratagemate periculosissimo, quod *Metteran. in Histor. Holl. lib. 26. p. 25.* egregie & integre, uti etiam mihi cognitum est, describit, die Galli 16. Octobr. Anno 1505. obrueret, obsidioneque supra modum hostili cingeret, consilio cum Duce Lunæburgensi inito, de arctiori fœdere defensivo & auxilio civitati præstando, deliberationes varias Bremæ, Lunæburgi & in ipsa civitate Brunsvicensi, quum ab obsidione, per adsistentiam civitatum Hanseaticarum, & quod vallum, ad obstruendam aquam fluvii Oueri compositum, esset diruptum, liberata fuisset, cogitationes fuscepterunt. Ideoque cum 6. civitates Lubecca, Brema, Hamburgum, Magdeburgum, Brunsviga, & Lunæburgum, cum Duce Christiano Lunæburg. & Episcop. Mindensi fœdus iniissent, etiam civitates dictæ inter sese singularem Anno 1607. pepegerunt confœderationem, quæ 30. Iulij plene approbata & subsignata fuit, ceu ex utroque inferius patebit. Atque eodem in conventu tandem complacita fuit Legatio egregia in Hispaniam, quum toties per Colonienses etiam illis indicatum esset, quod multa in vectigalibus minuendis privilegia possent obtineri; uti quoque factum. Coloniæ Legati convenere sub abitu, & principales fuerunt Syndicus Doct. Iohan. Domannus, Consul Heinricus Brokes, & Colon. Legatus, ac Hamb. Hieron. Voglerus, &c. Felix eorum admodum fuit expeditio, ut non tantum vetera ipsorum privilegia confirmata Lisbonæ & Siviliæ, sed etiam à novis vectigalium oneribus, videlicet trigesimæ & centesimæ liberata sint commercia. Ipsi quoque Legati admodum splendide fuerunt habiti, ut frustra ille perversus & impudentissimus cavillator nos hoc stigmate urere soleat, quasi plane ignotum in Hispanica aula nomen Hansæ tunc extitisset. Quum Regiæ Mai. se obtulissent Legati illi, Latina ratione Domannus omnia recte perfecit, & quidem cum laude. Iter autem ex Colonia Bruxellam, inde in Galliam, ubi quoque à Rege Henrico IV. satis benigne excepti sunt, inde per Navarram in Hispaniam pervenere, quod iter quoque in reditu observarunt. Interea glicebat semper controversia Hanseaticis cum Anglorum Adventuriis. Anno vero 1603. tentabatur transactio, quod ex *Chron. Brem.* notari potest his verbis: Multos iam annos controversiæ intercesserant Elizabethæ Angliæ Reginæ cum Christiano IV. Rege Danorum: Ad eas componendas cum Reges conventum Bremam indixissent, 25. Septembris die sub meridiem Illustres, generosi & Nobilissimi Viri Rudolphus Fure Baro, &c. Consiliarius in partibus Borealibus, & Iohannes Herbert Eques Auratus sanctioris consilii Secretarius alter, & Daniel Dun. I.C. Supplicum libellorum magister, & unus è magistris supremæ curiæ, &c. denique Stephanus Loserius Angli, paulo post autem Manderop à Parsberg consiliarius, & Arnoldus ab Huidfelt Cancellarius Regni, & Ionas Charisius I.C. consiliarius Regius, Dani, urbem solenni pompa ingressi, & ab ea honorifice excepti sunt.

Actio regiorum commissariorum, quam in publico civitatis prætorio habuerunt, duravit ad 26. Novembris diem, quo Dani in Daniam retrocesserunt. Anglos detinuerunt controversiæ, quæ inter Regnum maxime mercatores Angliæ, quos Adventurarios appellant, & civitates Anzæ Theutonicæ intercedunt. Etsi enim, ut suo loco diximus, Anno 1474. omnes lites per concordiam Traiectensem sopitæ, & concordia à Richardo III. Heinrico VII. & VIII. Eduardo VI. & Maria Regina firmata esset, firma tamen non fuit amicitia, sed quemadmodum sub Eduardo VI. & Maria concordia in disputationem vocari, ita in primis sub Elisabetha Regina confirmatio concordiæ negari, & cives & subditi civitatum novis impositionibus urgeri, & mercatores Angli, cum An. 1564 Belgio excluderentur, in Germania, præsertim Embdæ, Hamburgi & Stadæ pedem figere, civitates vero id male habere: Tandem in Anglia anno 1574. contra civitatum privilegia pronunciari, imo fœderatarũ civitatum cives ac subditi anno 1578. in Extraneorum ordinem redigi, & vicissim in consilio civitatum, imo Cæsaris & Imperii, annis 1582. & 1594. contra mercatores Anglos gravius decerni & Anno demum 1597. edictum pœnale publice proponi cœpit. Hæc controversia ut dirimeretur, & amicitia Imperii atque Angliæ regni sarta tectaque conservaretur, convenerat inter Cæsarem atque Reginam, ut Bremæ amica compositio tentaretur. Quamobrem legati Angli, Cæsaris legato Baroni Minckwitio permiserunt, ut curaret conventum ad initium anni sequentis indici.

Commiserat actionem hanc Cæsar An. 1603. una cum Minckwitio, Iohanni Adolpho, Holsatiæ Duci: At cum ei de tempore & loco actionis cum Legatis Regiis non conveniret, suffectus in locum eius est Ernestus Comes à Schaũburgk. Itaque mente Martio Baro Minckwitius, & Comitis subdelegati, inprimis vero Eberhardus à Weihe ICtus, civitatum autem nomine Lubeccenses, Bremenses, Hamburgenses, Stralsundenses, & Lunæburgenses Bremam convenerunt. Cum autem Elisabetha Regina die 24. Martii finem vitæ faceret, insuper civitatibus quoque ipsa actio multis nominibus displiceret, mense Aprili re infecta tunc discessum est. Unde tandem Adventurii, quum edictum Imperat. quod antehac Anno 1598. publicatũ erat, vim suam repeterent, Stadam relinquere hoc an. coacti sunt. Verum Hamburg. suo id deputantes commodo, novas ædificari ædes in sua urbe curarunt, quibus Adventurios excepterunt; quod adeo momordit Stadenses, ut noluerint postea in conventu Hansæ comparere, quum id contra ius confœderationis actum dicerent. Lis etiam hodie inter utramque viget urbem. Interea vero nec quievit Dux Brunsvic. Henricus Iulius; sed mira scripta edi curavit, tam contra civitatem Brunsvic. quam civitates Hanseaticas, ad quod ipsi egregie, quum Fœdus hoc antiquũ Conspirationem, pactum contra bonos mores, ius publicum, & conventum Hansæ, conventiculum, &c. ignominiose vocaret, responderunt per Syndicum D. Iohan. Domannum. Ac ne quid conatui ipsius deesset, non tantum apud S. Cæsar. Maiest. Rodolphum II. Dux impetravit, ut civitatibus Hanseat. per mandatũ publicum dimissio militis, sed etiam editio virium omniũ, Capitulationum & confœderationum cũ numero civitatum

omnium

omnium imponeretur. Sed quum neque hoc ſufficeret, ipſe Pragam ad Imperatorem profectus eſt, ut eo ferventius rem contra Brunſvicenſes urgeret, velut ipſe rationes tales reddit in declaratione ſua, quâ de abdicatione exercitus Paſſavienſis concepit. Nec enim tantum ſe convocationi Electorum & Principum in April. an. 1610. lubens obtulerat, ſed quoque compoſitionem inter fratres Imperat. Rudolph. & Matthiam Ungariæ ac Bohemiæ regem laborioſe ſatis quæſiverat, ut eo promptius obtineret proſcriptionem Brunſvicenſium: Ac licet Civitates Hanſeaticæ hoc intellexiſſent, & propterea non tantum Lubeccæ conveniſſent; ſed etiam Legatos ad novum Bohemiæ regem interceſſionis cauſa, ut pernicioſius avertereturmalum, miſiſſent; attamen præſentia Ducis, qui Pragæ erat, plus valuit, ait *Thuan. in Hiſt. ſuor. lib.* 4. Proinde, quod diu variis modis ambiverat, voti ſui compos factus eſt, & ſub finem menſis Iulii diploma ad Georgium Fridericum Comitem Hohenloium, & Erentrudum Mincovitſium, Cæſ. Maieſt. in comitiis Saxoniæ, quæ Halberſtadii celebrabantur, commiſſarios, miſſum fuit; quo proſcriptionem contra ſenatum populumque Brunſvicenſem promulgare jubebantur. Summa illius proſcriptionis erat: Senatum & populum Brunſvicenſem multoties pacem publicam violaſſe, Duci ſuo inſidias ſtruxiſſe, & auſu nefario ditionibus & ſubditis ipſius plurimum damni intuliſſe: quo nomine pure & ſimpliciter læſæ Maieſtatis Cæſareæ declarabantur, & omnia ipſorum bona fiſco ducis addicebantur, niſi intra annum ſe illius imperio rurſus ſubiicerent. Eodem tempore Imperator literas ad civitates maritimas dedit, quibus ipſis mandabat, ne Brunſvicenſes milite aut conſilio juvarent, ſub pœna quæ præſcriptorum fautoribus indicta eſſet. Fecialis Imperatoris Brunſvicum miſſus, ut proſcriptionem denunciaret, urbem, metu plebis, ingredi noluit, ſed Magiſtratui ſignificavit, ſe ante portam urbis eſſe, ut ipſum ac cives literis proſcriptionis ab Imperatore contra ipſos publicatæ obtemperare iuberet. Quidam ex Senatu ad eum prodierunt, & exemplum illarum literarum ab eo petiverunt, quod ipſis dedit. Declaratio autem Banni 19. Martij an. 1610. concepta erat in aula Cæſarea Pragæ & 17. Iunij Halberſtadij publicata, cui inſignem Brunſvicenſ. proteſtationem, cum reſervatione ſolenni omnium iuris remediorum, & præſertim reſtitutionis in integrum petitionem oppoſuere, ob evidentiſſimum nullitatis & interruptionis proceſſum, velut ea deductio omni iure fundata fuit. Quum itaque ea ratione intētio Principis iterum ſuſpenderetur, ac cerneret ſimul, quod civitates Hanſæ (utpote quæ ſingularem Generalem belli præfectum in Comite Friderico an. 1608. 24. Iunij, iuxta eius conductionem, ſibi elegerant) in vigilantia paratæ viverent, obtinuit Dux novum ab Imperatore mandatum avocatorium & inhibitorium, ne Brunſvicenſibus tanquam proſcriptis auxilium præſtarent, ſub dato Pragæ 4. Martij An. 1611. ut infra plenius explicabitur. Et quamvis Brunſvicenſes contra declarationem banni Proteſtationem ad Vicecancellarium Imperii Pragam miſerant, tamen noluit recipere; ſed remiſſa eſt cauſa ad conventum Electorum, qui Norinbergæ inſtabat, ut plura Germaniæ incommoda præcaverentur.

CAP. XVIII.

Continuatio hiſtorica 3. Lubecenſ. in propioribus hiſce temporibus, ubi etiam de renovatione antiqui fœderis Belgici agitur.

ACcidit autem quod non tantum An. 1612. Imperat. Rudolphus $\frac{20}{30}$ Ianuar. mortuus ſit; unde tunc vigilare ulterius civitates ceperunt, miſeruntque ad Electores. Sed quum diſcordiæ limes mire diſtraheretur, atque Illuſtres Ordines Confœderati Belgii fidelitatem civitatum in ea unione cernerent, factum eſt inde, ut ipſi ambire quoque amicitiam civitatum talium Hanſæ cœperint, & ſe per internuncios iiſdem obtulerint. Bellum quoque erat inter Daniæ & Sueciæ Reges, unde Rex Dan. Urbibus Hanſæ, & præſertim Lubecenſibus, quod in Sueciam negotiarētur, infenſiſſimus erat. Cuius archithalaſſus perceperat, quod 20. naves mercibus onuſtæ in portu eſſent, in Sueciam tendentes, hoc ut impediret claſſiariis ſuis, adortus eſt portum, ſed repulſus cum damno ingenti. Hæc & talia multum commovebant Lubecenſ. *vid. Thuan. cent. hiſt. lib. 5. ad fin.* Fuerunt etiam aliæ rationes plures, quas non incompte partim tangit & indicat *Meteranus in hiſt. Belg. lib.* 31. Etenim ipſi Belgæ & unitæ provinciæ non exiguam imitationis partem ex Hanſeatica confœderatione mutuatæ erant in ſua confœderationis notula, pro ſtatus novi ratione. Et certe veriſſimum, quod ſi civitates Hanſeaticæ tam continua potuiſſent includi terra, velut provinciæ Belgicæ, longe excellētius ſuas excoluiſſent Reſpubl. opibus, potentia & firmitudine, ceu id facile percipi & diiudicari poteſt ex eo, quod ex tot ſeculis contra tot & tam potentes perſecutores ſui ordinis ſe defendere, & in unanimitate conſervare potuerint. Itaq; ſatis congrue heic loquitur Meteranus rem talem fœderis novi his verbis delineans:

Quum noſcerent Domini Statici, quod regimen eorum & ſtatus adhuc aliquouſque novus, & inter ſummos Dynaſtas eſſent aliqui, qui minus ipſis recte cuperent; uſi ſunt hoc prudenti conſilio, quod tam vicinorum regum, ac principum, quam Rerumpublicarum aliarum confœderationes ſalutares & profícuas ipſis ambierint. Ante omnia autem placuit illis hoc, ut cum præcipuis Hanſeatici corporis civitatibus formam & fidelem correſpondentiam ac fœdus componerent ſibi; velut in hac æſtate (Anno videlicet 1613.) Magdeburgi factum eſt, ubi primitus via huic negotio præparata fuit, &c. Quem vero reſpectum civitates Hanſeaticæ habuerint, & quæ eorum cauſſæ urgentes extiterint, ex ſuperius allatis aliquo modo patet. Nihilominus tamen res lentæ admodum fuit maturationis, quum variæ conſiderationes & quidem ſatis diffuſæ ſe ſtatim in primo intuitu offerrent iis, quibus negotium commendatum erat. In primis maximæ ſe oſtentarunt difficultates, quum capitulatio prima in articulos ſuos & partes dirimeretur. Tria enim maxime præcavenda putabant civitates Hanſeaticæ; ne in imperatoris & imperii indignantiam incurrerent; deinde ne novis & alienis ſe implicarent negotiis, quod ſubeſſe cernebant. atque demum, ne nimiis contributionibus fruſtra ſe enervarent. Res fuit variis modis deliberata. Uſi ſunt eo magis Illuſtr. Ordin. Belg. quo illæ magis

magis denegare quid tentarent. Inſtabant quoque Comitia Ratiſbonenſia, ubi ad propoſitionem formandam deputatus ferebatur Henricus Iulius Dux Brunſvicenſis, quem cernebant omni conatu Brunſvigam eſſe ſuppreſſurum: ideo & Brunſvicenſes magis inclinabant ita, ut ex parte in menſe Maio correſpondentia in quæſtione an, ſit complacita. Sed eo ipſo tempore, ſub ingreſſu Imperatoris Matthiæ, quum Ducis illius adventus expectaretur, annunciabatur obitus eiuſdem, inde & alias ob cauſas quoque quum ſaltē de bello Turcico ageretur, nec gravamina imperii abroganda aut moderanda locum invenire poſſent, diu non durabant, ſed mature illa imperii diſſolvebantur Comitia. Poſt varias tamen diſcuſſiones difficultatum omnium, ad poſtulatum Illuſt. Ordinum Belg. & promiſſum in menſe Auguſto ex conventu factum, deputati ſunt trium civitatum Legati Hagam, ut ibi plenius particularia contenta articulorum examinarentur. Verum non potuere inter ſe rite convenire in principalioribus, ubi præſertim 5. articulus de ſatisfactione & partitione contributionum mire diſtraxit partes; donec tandem 20. Septembr. An. 1613. deputati Dnn. Ordinū videlicet C. Rieſman, Diricus Baſſ, Magnus vander Aylva, Ab. Condors concederent Legatis Hanſeaticis, ut prius talia, quæ in diſputatione erant, ſuis referrent Dan. Committentibus, quod ſingulari receſſu ita utrimque approbatum fuit. Civitatum autem tum Legati erant ex Lubeccenſi Republ. Doct. Martinus Nordanus Syndicus Magdeb. Thomas Francius D. & Syndicus, Brunſvicenſ. Hermannus Schrader Conſul, & Iohan. Olemannus Secretar. Etiamſi iam prope convenerant in reliquis; tamen ſatis diu civitates iſte articulus diſtraxit per Annum 1614. & tamen acriter, ex inſtinctu capitularium Magdeb. ſe huic negotio opponebat Elect. Saxon. ut infra explicabitur, ex litteris ſub dato 11. Feb. an. 1614. ad imperatorem & civitatem Magd. datis. Interim ex carcere quiſpiam liberatus, confugiebat in Belgium, & ferventius hoc negotium maxime in odium Ducis Brunſvicenſis, vindictam eius intendēs, urgere apud nonnullos incipiebat; ſed quamvis operoſe ſatis id perficere tentaret; tamen neque dum res poterat tranſigi; donec Dux Brunſvicen. Fridericus Ulricus An. 1615. cum Wuſtrovio facta parentis reaſſumeret novis conſiliis bellicis. Quàm fervide res hæc contra Brunſvig. & civitates Hanſæ ſuſcepta ſit, vix aliquis calamo exprimat; atque quod ſufflatores cruentorum conſultorum non defuerint, id facile quivis intelligens diiudicare poterit. Quinam inter alios obſervati fuerint, id carminibus aliquot notatum eſt inferius. Princeps iam conſcribere militem inceperat, quum denunciaretur Brunſvicenſibus, aut ad ſubiectionem tranſactio, aut aliud quid gravius ſubituros. Confugiebant illi ad Hanſas, & mittebantur Lubecca, qui compoſitionem ita quærerent, ut Brunſvicenſibus iura libertatis & privilegia illæſa manerent. De hac re primo Hannoveræ actum eſt, ut refert recte *Meteranus lib. 32. Hiſtor.* Poſtea vero ubi Ritterhuſij iterum convenerant, admodum ſupplices ſe demonſtrarunt Brunſvicenſes, adeo, ut non tantum aulæ ſtatum certum Duci in urbe cum ædificatione novæ arcis concederent, ſed etiam ſe conformare cuperent ut plurimum reliquis provincialibus, niſi quod armamentarium, portas & vallum cedere non poſſent; quod mirabantur civitatum Legati, uſque cupidi & ſtudioſi erant pacis; nec abnuiſſet Princeps, niſi Wuſtrovius nimis ampla, in mera omnis ſervitutis ſubiectione, ambiiſſet, & retraxiſſet annuentem Ducem. Atque licet etiam in hoc duriſſimo ſervitutis totalis extremæ telo ad medii inventionem ſeſe offerrent Legati, & ſpacium 14. dierum pro deliberatione peterent, ut relatio talis poſſet fieri civitatibus arctioris fœderis Hanſeatici; tamen in totum hoc ipſis abnegabatur. Quum igitur acri obſidione 1. Auguſt. cingere inciperet Dux civitatem Brunſvicenſem, non tantum ita offendit id Hanſeaticos, ut novum conſcriberent militem, ſed etiam rem omnem ad Ordines Illuſtr. Belgii deferrent. Unde conventus inſtituebatur Lunæburgi, ubi non tantum fœderis tractatus reaſſumpti ſunt, ſed etiam ſpe omnia abſolvendi, quæ reſtabant, promiſerunt certum ſuccurſum: quē adeo accurate obſervarunt, ut etiam in ipſo præſtituto die Illuſt. Princeps Auran. Henricus Fridericus cum 6000. peditum & 12. ſignis equitum, 600. curribus munitionū, in Ducatu ſe ſiſteret. Rem hanc quoque apud Illuſt. Ord. Belg. & Principem Mauricium Auranienſ. tunc ſummus Hanſeaticorum amicus, Rex Iacobus VI. Angliæ litteris ſingularibus promoverat. Exercitus Hanſeaticarum ſub Duce Friderico Comite Solmēſi 20. Octobr. quoque affluebat, & erat conflictus ingens in Campo Altfeldico, ut interim ſuccurſum & munitiones afferret civitati. Unde 22. Octobr. caſtra ſublata ſunt, & de pacificatione, paulo poſt, quū 14. Novembr. Legati Hollandici & Hanſeaticarū civitatum ingreſſi fuiſſent Urbem, inceptum eſt agi; & antecеſſere induciæ 10. dierum, quæ 23. Novembris publicatæ ſunt, donec tandem 20. Decembris plena concluderetur Steternburgi tranſactio. Interea quoque data hac occaſione, Legati Hollandici & civitatum Hanſæ tempori huic ita inſenſibiliter inſervierunt, ut ſimul uno opere de confœderatione pridem incepta perfectio quædam inſtitueretur, ubi inter alia maxime differentia ad 5. articulum de partitione & ſatisfactione contributionum reaſſumpta eſt, & quum reliquorum Electorum ac Principum commiſſarii diſceſſiſſent, die 26. & 27. ſerio de perfectione tractatuum horum conſultatum & concluſum eſt, ut poſtea explicabitur. Adfuerunt nomine Statuum Belgic. Iohan Biel Doct. Fridericus vande Sande, & Diericus Stieke, qui etiam ſubſcripſere tractatus. Lubecca, Hamburgum & Brunſviga ſingulariter tranſegerant in hoc capite: At nomine Roſtock, Stralſund, Wiſmar & Anclam ex mandato ſubſcripſit Iohan. Domannus D. & Syndicus Hanſæ, civit. Magdeb. Georg. Heinricus Bolfras D. & Syndicus, & civit. Lunæburgenſis Iohan. Melbeccius D. & Conſiliarius Reip. Atque ut talis cōfœderatio, quæ cum tot difficultatibus tandem exorta fuerat in ipſo neceſſitatis tempore, eo firmioti coleretur & obſervaretur fide, placitum eſt, quod mitterentur Hagam, qui mediante juramento omnia ratificarēt, uti ita ſimul ſolemnis ſubſcriptio fieret partium. Antequam autem inſtituebatur talis cum Duce Frider. Ulrico Duce Brunſvicenſ. pacificatio, & quum res adhuc eſſet in dubio, quorſum belli fervor aut victoria inclinare poſſet, cum Duce Lunæburgenſi Chriſtiano à civitatibus Hanſeaticis Saxoniæ inferioris renovatio confœderationis Anno 1606. inſtitutæ redin-

redintegrata & in pluribus auctione defensionis extensa est ita, ut primitus unaquæque pars 350. equitum copiam, atque 1400. peditum, inter quos debebant esse 1000. Sclopetarii & 400. hastarii cū plena armatura; deinde unaquæq; civitas mitteret singulariter 200. milites & 50. equites: præterea 3000. libras laqueorum sclopetariorum, 200. centenas libr. pulveris tormentarii, & tormenta fulminalia maiora, pro necessitate casus, ceu infernus ipsum loquetur instrumentum. Acta hæc sunt & placita Lunæburgi 19. Octobr. An. 1615.

Quum vero in confœderatione Belgica pergeretur strenue; ut tandem absolveretur diu agitatum opus, novas difficultates Magdeburgēsibus ex instinctu Capitularium Dn. Administrator intermiscuit; cui tamen optimum civitas dedit responsum sub dato 30. April. An. 1616. ut infra constabit. Nihilominus Dux Megapolitanus Iohan. Albertus certior factus de confœderatione Hanſæ cum Duce Lunæburgico, eandem quoque acceptavit, & id cum iisdem inivit die 10. Iunij. An. 1616.

Circa Maium autem eiusdem anni Legati arctioris fœderis Hagam (unde Sphalma *in antecedenti tractatu c. 15. p. 790. de An. 1617.* corrigendum est) ad cōpletionem iuramento perficiendam missi. & instructi sunt ita, ut expresse bellum Hispano-Belgicum, sic & Iuliacense eximerent, & quod nullatenus ea in parte obligari esse vellent, ceu documēta illa instructionis aperte testantur, ut infra patebit. Erat igitur *Thuanus in Contin. Hist. lib. 6. pag.* 558. quod hanc ante bellum Brunsvicense Confœderationem conclusam esse referat; velut etiam nec enumeratio articulorum aut contenta eorum ita cum veritate correspondent. Res enim & tractatio longe alia ratione disposita & transacta est, tum quoque 14. non vero 12. articulos continet. & totum fœdus absque ullius præiudicio ad 12. *Annorum* spacium extensum est, uti id postea in collatione explicationis declarabitur. Mereranus autem *in lib. 33. Hist. Belg.* omnia, quæ huc faciunt, propius attigit, cuius verba postea allegabimus, modo adhuc unicū explicetur intervenies.

Quamvis vero nulla fœderis ratio melior, quam quæ in paritate consistit, tamen ista Confœderatio, inter duo hæc corpora instituta, adeo exosa & suspecta fuit multis, ut varii de ea sint non tantū sparsi rumores, sed etiam, ut antea dictum est, aliquot Principes huic se per directum & indirectum opposuerint. Unde sapienter fecerunt, quod civitates Hanſæ contenta fœderis ad Imperat. miserint. Atque quum etiam Seren. Archidux Austriæ Albertus talē confœderationē quīd præiudicii Regi Hispanorum suisque provinciis importare existimaret, non tantum Anno 1616. Legatum Iacobum de Sommer ad Directorium Hanſæ Lubeccam & alias civitates misit, qui verum confœderationis modum perciperet, & civitates moneret, ne quid præter necessitatem in tali unione in se susciperent, quod libero commerciorum cursui & privilegiis eorum damnum crearet, &c. Excusarunt quidem honeste hoc civitates. & partim responderunt ita, quod nihil in præjudicium Regis Hispaniarum susciperent, & non esset novum, sed antiquum fœdus, aliquot civitatum Belgicarum, quod nunc cum Dnn. Staticis renovassent, &c. Verum, quum in interpretatione hac Seren. Archidux non acquiesceret, iterum sub dato 12. Febr. & 26. April. ad Lubeccens. & reliquos Hanſæ socios scribebat, atque categoricam petebat responsionem; an aliquid contra Reg. Mai. Hispan. esset in eo fœdere accipiendum, quum illi non tantum ambigue in generalibus terminis respondissent, sed etiam in ipso fœderis tenore continerentur talia, quæ explicatione indigerent. Proinde coacti sunt Legati civitatum ex conventu 2. Iunij plenius se se expectorare scripto, quod etiam in majorem sententiæ suæ fidem, præter consuetudinem trium civitatum Lubec. Hamburg. & Bremensis sigillis, quum alias sola Lubecca litteras fide & nomine communi subsignarer, An. 1617. corroboraverunt, ut infra ex ipsa patebit resolutione. Quū verba *Mereani lib. 33. Hist.* de hoc fœdere notabilia sint, paucis ea interferenda erunt, ut supra indicavimus: In hoc anno, inquit, tandem Ill Ordines Belgici diu expetitam & desideratam confœderationem cum Hanſæ civitatibus perfecere concludendo; quod factum Hagæ 31. Iunij, An. 1616. stylo novo, & civitatum prædictarum deputati, qui negotio interfuerunt huic, extiterē sequentes nominati: Doct. Iohan. Domannus Hanſæ inclutæ Syndicus, Doct. Martinus Nordanus, Syndicus Reipubl. Lubeccensis, Diedericus Hoierus Consul Bremens. & Doct. Gerlachius Buxtorf Syndicus Reipubl. eiusdem, Item Henricus de Capellen Senator civit. Bremens. Iohan. Datichenus Consul Reipubl. Hamburgens. Doct. Vincentius Moller Syndicus ibidem, Doct. Georg. Henricus Bolfras, Syndicus Magdeburg. Henningus Haberlandt Consul Reipubl. Brunsvicensis, Iohan. Olemannus Secretarius ibidem. Reliquarum autem civitatum Hanſeaticarum Mandatarius fuit D. Domannus. Quota vero contributionum, quibus invicem binæ partes sibi obligatæ tenebantur, in talem partitionem digesta erat. Quod si Ill. Dnn. Statici 100000. florenos in usum fœderis conferrent, quod cū quoque unaquęque civitas ita suam deberet solvere particulā. Lubecca 5½. Brema 1½. Hamburgum 3½. Rostochiū 1. Stralsunda 1. Wismaria ½. Magdeburgum 1. Brunsviga 2. Lunæburgum & Griphswaldia ½.

Nota. [De contributionibus, quibus inter se se sibi mutuas socii Hanſæ debent collectas, infra quid constabit. Fecit autem ista partitio inæqualis, de qua toties conquestæ sunt aliquot civitates, quod civitas Hanſeatica Anclam, nomen suum omnino heic subduxerit, quum tamen antea se simul satis prompte offerret.] Non vero attinet iam plura de motivis & causis urgentibus heic quid ulterius monere, quum *Mereranus dicto loco huius lib. 33. hist. sua pag. 568. & 569.* ex superiori satis sollicite & curiose non frustra eas repetierit, cui etiam veriorem præ Thuano formam fœderis cum toto actu annexit. *pag. 570. 571. &c.* ut infra constabit. Offensionem itaq; quum inde caperent plures vicini Principes, non ultimus inter eos fuit Dux Brunsvicensis, qui propterea variis modis transactionem Steterburgensem Brunsvicensibus subvertere in aliquot quærebat articulis. Namque licet aliquot capita litium transactioni pleniori arbitrorum, qui ex parte nominati erant, Frider. videl. Elector & Comes Palatin. ad Rhenum, Illustriss. Ordines Belg. & civitates Hanſeaticæ, commissa essent; tamen hoc unice agebatur, ut interpositione Sociorum horum & confœderatorum Brunsvicenses privarentur; ceu litteræ

Illustr.

Illustr. Elect. & Comit. Palatin. Friderici sub dato Heydelberg, 16. Mart. An. 1618. & 22. Maij eiusdem, ubi loco Dominorum Staticorum & civitatum Hanseaticarum tres civitates Norimbergam, Argentoratum & Ulmam exigit, satis luculenter id testantur. Quæ rei inversio ad querelas Brunsvicensium factas male habuit Hanseaticos; & quum alias quoque gravamina ex aula Guelphica Brunsvicensibus accumularentur, contra apertos pactorum dictorum articulos, eodem anno in conventu Lubecæ de Legatione ad Ducem Brunsvicensem nomine communi mittenda actum est : Verum quum in communi negotio civitatum , & præsertim propter nimiam auctionem vectigalium in Hellesponto Danico , Syndicus Hanseæ Doct. Iohan. Domannus, Hagam ubi quoque mortuus est, rebus nondum expeditis, mitteretur ; in dilationem reiecta sunt omnia. Habitabat Syndicus ille Rostochii, unde An. 1618. 28. Iulij discessit. Hagam venit 21. August. obiit ibidem 20. Septembr. sepultus vero est 8. Octobris. Aliæ quoque legationes hoc anno ad Electorem Saxoniæ, qui novis impositionibus Lipsiæ oneraverat commercia, & ad Regem Daniæ confectæ sunt, sed dispari expeditione. Etenim ad Electorem Saxoniæ Syndicus Lubeccens. Iohan. Faber Doct. mense Aprili missus, præparavit multa; unde postea illi, quibus mense Septembri in ampliori legatione res eadem cõmendata fuit, obtinuerunt promptiorem gratiam in abrogatione vectigalis , præsertim quum civitates imperiales superioris Germaniæ, velut Norinberga, Augusta, &c. illis se adsociarent. Verum quamvis Synd. Lubeccens. D. Iohan. Faber, Hamb. Doct. Petrus Moller, & Bremens. D. Gerlachius Buxtorf, cum Alberto Ostmanno in Dania Hafniæ omnem adhiberent diligentiam, & ibi usque in Decembrim detinerentur; tamen res in pristino statu relicta est, nec profuit, quod bis promotoriales à Statibus Hollandicis oblatæ fuerint. Proinde circa 12. Ianuarij An. 1619. conventus civitatũ arctioris fœderis institutus est Lubeccæ, ubi non tãtum de istis rebus omnibus deliberatio, facta relatione, plenior habita fuit; quomodo commerciorum variis gravaminibus succurri posset: Sed quoque litteræ aliquot missæ sunt ad Princeps Albis conterminos, propter exactiones vectigalium illicitas, &c. Atq; quum etiam esset quæstio de novo Hanseæ Syndico constituendo, ac immensæ monetæ corruptione , quomodo in ordinem redigenda esset, & deprehenderetur, quod tales causæ omnes ad totum merito referri deberent corpus Hanseaticum, concluſum est in communi consessu quod comitia generalia circa initium 2. Iulij merito essent indicenda, uti tunc simul de materia articulorum actum est. Interim tamen quam Brunsvicenses exhiberent instructionis formam, quæ continebat longum catalogum gravaminum, quibus à Ducis Brunsvic. consulentibus transactio illa Sterterburgiana de anno 1615. mire eludebatur, & simul legationem, pro adimpletione illius contractus, & gravaminum abrogatione , peterent, ne novæ belli lites contra voluntatem inde exurgerent, facta correctione instructionis, legationi certæ personæ deputati sunt, qui etiam in Martio perfecerunt eam , sed frustraneo cum labore.

Aliud quoque se tunc civitatibus ostentavit incommodum, ex tumultu & seditione Lunæburgensi; ubi cives propter impositionem centesimæ se magistratui ita fervide opponebant, ut discordia hæc magno non careret periculo, præsertim quum cives à Senatu suo rationes sumptuum & reditum exigere inciperent. Aiebant uno ore omnes, se satis diu tantas observasse iniquitates, & suppressiones aut enervationes bonorum communium. Quærebant, quorsum tenderent, nisi communis civitatis oneri commodum præstarent? Ceu fieri solet, ubi vulgus fulmina minantia sub prætextu passæ iniuriæ disseminare incipit. Tum quoque iis, qui curiæ præsidebant, & ex salinis sibi nobilitatem vendicant, nimiã adscribebant arrogantiam & avaritiæ sordities, quæ cæteris civibus meram importaret ruinam, &c. Hoc adeo momordit Senatum, ut nil aliud magis, quam subitaneam exquirerent vindictam : nec deerant ipsis stimulatores. Inde factum est, ut obliti fuerint, aut in fervore nimio recordari minime potuerint fœderis antiqui, & quid pacta Hanseatica in tali casu sibi deposcerent. Mirabantur civitates confœderatæ omnes, quod nullum sociorum consilium, nullam opem expeterent, quod ita sedulo observarant Brunsvicenses, velut id exemplum adhuc ante oculos fervebat illis. Forte hunc fatalem traxere & sibi confecere ipsi lapsum. Namque tali præcipitantia magnam eos amisisse libertatis antiquæ partem, dum se tam inconsulte relictis sociis, utrinque submisisse dicebantur Ducis iurisdictioni & æstimio contra privilegiorum vigorem, velut ipsorum etiam id clare in plurimis testatur transactio, ut posteaex ea patebit: imo id paulo post 2. Iunij missum ex aula Cellensi ad cives contra Franciscum Tobing directum demonstravit mandatum, in quo præiudicialem actum ferebant occultatum, quod tunc in ipso conventu Hanseatico mire perturbavit animos, ut dubium esset, an amplius Lunæburgenses ad omnia consilia admittendi & capabiles talium haberi possent? ceu etiam aliquoties in gravioribus postea ex confessu ipsis cedendum fuit. Iisdem quoque temporibus miserat Rex Sueciæ Legatum ad Lubeccenses, ut non tantum civitatibus maritimis, & præsertim Dantiscanis innotesceret, quod Rex Sueciæ Regem Poloniæ pro aperto hoste haberet; sed etiam omnis munitionum succursus & militum conscriptio Regi Poloniæ denegaretur : Interim quoque Rex Sueciæ, quod principale maxime erat, civitates sibi fœderis alicuius vinculo in devotionem attrahere cupiebat. Propositi erant articuli infra delineati, quæ correctioni aut accommodationi civitatum Hanseaticarum submittebantur.

De his & aliis in publico civitatum omnium conventu mense Iulio deliberatum est, præsertim principalia fuerunt, reassumptio Danici negotii, & quod tandem ultima vice litteris adhuc pro confirmatione privilegiorum & gravaminum abrogatione, tam à parte civitatum Hanseæ , quam à parte Ordinum Belgicorum sollicitari deberet: deinde postulatum Regis Sueciæ in puncto confœderationis ; ubi ex communi placito decretum fuit, quod per Legationem gratulandum esset Regi de adita regni gubernatione, & simul confirmatio privilegiorum & gravaminum abrogatio petenda; etsi tunc ulterius urgeret fœdus, ut perciperentur articuli intentionis. In reliquis actum est de visitatione Emporiorum Antwerpiensis,

pienſis, Lundenſis & Bergenſis, quod munus oblatum eſt Bremenſibus, cui etiam annexa fuit lex monetaria, & quomodo huic malo in extrema corruptione ſuccurrendum, ne imperiale numiſma ultra valorem ulterius extenderetur, ubi varia media propoſita fuerunt. Sed quum quæque civitas id omne ad ſui reflectere cuperet commodi curſum, diſtractum manſit negotium. Tandem de communis commercii meliori diſpoſitione & ordine, item gravaminibus ad Albim & Viſurgim ita actum eſt, ut diſtractio mercium in civitatibus paſſim curari poſſet. Sunt etiam partes Syndici Hanſeatici Doct. Lamberto Steinwigio Conſuli Stralſundenſi oblatæ, donec plene ille ſe poſſet officii cauſa reſolvere. Paulo poſt non tantum Fredericus Palatinus Rex Bohem. ſed & Unionis membra ex ſuperiori Germania civitates Hanſæ ad adſiſtentiam & auxilium ſecunda vice provocarunt, atque, quum periculum in mora putaretur, Lubeccenſes vota reſponſionis per ſingularem tabellarium à civitatibus in principio Anni 1620. conquiſiverunt, unde certa concluſio non potuit confici. Eodem fere tempore Dux Chriſtianus Lunæburgenſis mutuabatur partem exercitus militaris à Duce Frider. Ulrico Brunſvicenſi, & cum frigus acre cogelaſſet fluvios, cum tali manu copiarum noctu tranſgrediebatur Albim, &, iure executionis propriæ, quam ſibi competere ex ſententia Cameræ Anno priori 1619. 19. April. contra Lubec. & Hamburg. publicata putabat, partem illam terræ finitimæ, quam locum Gammericum dicunt incolæ, occupare & plene in poſſeſſionem ſuam prioris fluminis ductum aperiendo redigere conabatur. Intentione hac peracta, uſus eſt Dux hac cautione, haut improvida, ut ex confœderationis initæ jure, ceu ſupra dictum eſt, in adſiſtentiam advocaret civitates, ne pacta fœderis cum illis initi violaſſe videretur. Lubeccenſes vero cum Hamburgenſibus ſtatim civitates arctioris fœderis ad medium Martii convocari curarunt; ſed Lunæburgenſes in hoc plene comparere noluerunt, quum ipſi in hac cauſſa cum Duce contra Hamb. facerent, velut ipſorum Syndicus D. Melbeccius erga Legatos Hanſæ in aula Cellenſi 30. Martii eiusdem ingenue confeſſus erat, quod in hac cauſſa tanquam conſortes litis cum Duce facerent. In conventu autem illo, unice ſepoſitis reliquis communibus negotiis actum eſt de vi illata poſſeſſionibus Lubeccenſium & Hamburg. & re deliberatione varia examinata, concluſum eſt, quod media transactionis quædam eſſent inveſtiganda & proponenda, in quorum numero principale fuit, ut una cum Illuſtr. Ord. Belg. ordinario Agente & Viceſyndico Hanſæ Steynwigio Cellam ex civitatibus Bremenſi, Roſtochienſi & Magdeburgenſi deputati mitterentur, qui Lubeccæ 25. Martii viam ingreſſi 28. eiusdem Cellas pervenere. Horum inſtructio tria continebat capita. I. exaggerationem facti, & quod in confœderationis præiudicium vergeret, quum An. 1555. eſſet conſtitutũ, quod nulla pars fœderis Hanſeatici conſors proprio motu quid tentare deberet, niſi prius à ſociis eſſet compoſitionis conſilium ſubminiſtratum. 2. continebat poſtulata, ut libertas commerciis relinqueretur, hoſtilitates omnes & armorum vis deponeretur, damnumque datum reponeretur cũ annexis ablatis. 3. erat tranſactionis modus; cui etiam additum fuit, ut fieret interceſſio pro Brunſvicenſibus, quum Dux ſubditis interdixiſſet cunctis lignorum advectionem. Sed nihil obtinuerunt, niſi quod Dux ad compromiſſum ita ſe obtulerit, ut ſimul læſæ civitates renunciarent reverſioni & reſtitutioni in integrum, quum in iis à Camera impetraſſent inhibitionem cum citatione. Interim litteris Illuſt. Ord. Belg. amicabilibus tanquam adſiſtentes invitari ſunt ad compoſitionem, & Magdeburgenſes gravamina contra Hamburgenſes in puncto ſtapulæ violatæ ad Albim, & nimium ſuppreſſi commercii civitatibus ſociis exhibuerunt, ſimul allegando intereſſe in publicata Spiræ ſententia, quum illis eadem libertas iuxta Ottonis 2. Imperatoris indultum & privilegium in Albi fluvio omnibus modis competeret, quod Hamburgenſes contra iura, cum ſuppreſſione commerciorum communium, ſibi adſcriberent, unde petitum fuit, ut aut ad æquitatis compoſitionem aut compromiſſum certum compellerentur. Poſt hæc aliquot articuli tranſactionis cum Duce Lunæb. concepti ſunt, & quum etiam interponentium adventus expectandus eſſet, conventus diſſolutus & ad Maium menſem reiectus eſt, ut interim de omni re cum pleniori inſtructione ſuos poſſent civitates mittere legatos. Interim propter turbulentum Bohemiæ ſtatum multæ allatæ ſunt Lubeccam Monitoriales & dehortationes à diverſis partibus, velut à S. Cæſ. Maieſt. à Rege Hiſpan. & Archiduce Alberto, item à Rege novo Bohemiæ & aliis, quibus omnibus menſe Majo ex conventu ita eſt reſponſum, ut civitates innoxiæ manerent & haberi poſſent. Et quum ab Illuſt. Dn. Ord. Belg. tres legati miſſi eſſent, nec minus ſe aliquot principes ad compoſitionem obtuliſſent, poſt varias deliberationes locus tractatuum deputatus eſt utrimque Boitzemburgum, ſitum in Ducatu Megapolitano ad Albim, ubi convenere omnes & partium & interponẽtium legati, qui infra nominantur, & res controverſa eo modo poſt multiformes diſputationes compoſita eſt, uti tranſactio ſub dato die Iacobi An. 1620. id inferius declarat. Interim tamen Dn. Nicolaus de Vogt, conſul Arnheym. primarius ex numero Belgicorum legatorum in cauſſa & negotio Danico remiſſus eſt in Belgium, ut conſultaret cum Ordin. & Principe Mauritio, quum tertias interceſſionales ad Reg. Daniæ denegarent illi civitatibus, ac omnino contra reputationem illis videretur, niſi adderetur cõpulſio violenta ad æquitatem adimplendam, an illi putarent de tempore eſſe, ut certo modo quid tentaretur contra Regem Daniæ? Quod tamen minus iam conveniens judicatum fuit, quum civit. ipſis ſatis non viderentur ad ſeveriora paratæ. Civitates igitur ut ad quamvis expeditionem promtiores ſe offerre poſſent, de alia forma confœderati corporis inſtituenda cogitationes ſuſceperunt: atque ne ſemper opus eſſet ad ſingulum caſum convocare conventũ, & ſecreta eo facilius poſſent expediri, conſilium perpetuum ex ſuggeſtione aliorum inſtituendum cum perpetuo milite & ærario publico putarunt, qua de re ſingulares meditationes conſcribere iuſſus eſt Viceſyndicus ille Hanſæ, ut ex concepto apparet. Interea Legati, qui à civitatibus Lubec. Roſtoch. & Stralſund. deputati erant, videlici Ioh. Vinhagen Senat. & D. Benedict. Winkler Viceſynd. Lubec. Iohan. Lutterman Roſt. D. Ioh. Gerdes Synd. Stralſ. abiere in Sueciam, ut non tantum gratularentur Re-

gi de regni aggreſſu; ſed etiam privilegiorum confirmationem & gravaminum abrogationem peterent. Ac ſi novi fœderis mentio fieret, ut Regis intentionē ſaltem audirent, nilque ulterius adderent, iuſſi ſunt. De corrupta quoque moneta multæ querelæ & deliberationes fuerunt inſtitutæ; ſed quum circuli inferioris Saxoniæ membra ita diſſoluta inter ſe diſſiderent, mediorum ratio alii loco reſervata eſt. Tandem ſe quoque Hāburgenſes coacti ſunt, in cauſſa Magdeburgenſi, civitatibus ſubmittere, & deputati ſunt civitates Lubeca & Bremen, ut audirent negotium, atque litem eam ſecundum æquitatem dirimerent; de qua controverſia diuturna poſtmodo agetur plenius. Anno 1621. de nova fœderis conſolidatione inter Regem Daniæ & Illuſt. Ord. Belg. tractatio incepta fuit, & quum propterea maxime Dn. Caſparus à Vo ad Regem miſſus eſſet, iter ſuum menſe Februario Lubecam flexit, atque ibi monita Ill. Ord. Belgicorum, de futuris periculis, Lubeccenſibus detexit, qui etiam promiſere, quod in proximo ſequenti conventu hoc eſſent propoſituri confœderatis civitatibus. In menſe Martio autē Lunæburgi comitia Circuli inferioris Saxoniæ celebrata ſunt, ubi decretum fuit, quod civitates eæ, quæ ex triplicati ſubſidii debito adhuc tenerentur Circulo, ultimis Monitorialibus deberent ad executionem efflagitari. Proinde Lubeccenſes in Camera Imperiali Mandatum Inhibitorium de non offendendo ſine clauſula 20. April. contra Circulum inferioris Saxoniæ procurarunt, quod Directori quoque eius ſolemniter inſinuatum fuit. Quamvis ex Brunſvicenſi Ducatu omnis mali origo in corruptione monetæ profluxerat, utpote in cuius ditione ultra 72. loca monetaria inventa erant contra ordinationem regularem, quæ non ultra 9. in toto Circulo exigit; tamen adhuc, ut penitus negotia mercatorum enervarentur, propria auctoritate nova & inaudita vectigalia communi impoſuerat commercio, unde hoc onus novum reliquis Imperii civitatibus, & præſertim Norinbergæ, Auguſtæ & inde Argentinenſibus ſub 14. Maii, ex conventu Hanſæ denunciabatur, ut ſimul de remediis juris cogitarent, quod etiam factum. Nec minus pro conficiendo fœderis tractatu cum Ill. Ord. Belg. Rex Daniæ Cancellarium Regni Iacobum ab Ulfeld Hagam 11. Febr. miſerat, ubi quoque 13. Maii, An. 1621. tota unio 8. capitibus incluſa eſt: Quod quum civitatibus in conventu referretur, nonnihil ſuſpicionis iis movere cæpit; & magis auxit ſcrupulum, quod eodem tempore auxilium aliquod ex fœderis iure per ſuum ordinarium Agentem peterent; tamen alia interpretatio poſtea dubia omnia ſuſtulit illis. Bis quoque Imperator Ferdinand II. miſit Legatos hoc anno, quorum primi Dux Iulius Henricus Saxon. Lawenburg. & Hieronym. ab Elvern potiſſimum ſollicitarunt, ne ſe civitates implicarent bello aliquo, alter Iohan de Werthern, contributionem extraordinariam ſollicitavit. Ac quum propter rem monetariam Rex Daniæ conjunctionem ab aliquot civitatibus expeteret, nec ſatis Legati civitatum ad eiuſmodi capita inſtructi eſſent, alius ad menſem Octobris indictus eſt conventus, ut in his, atque propter confœderationem Succicam in quæſtione, An ſe rectius reſolvere poſſent? velut etiam integre Legati ſupradicti, quæ mens Regis Succiæ, & quomodo fœderi Belgico includi eam optaret, retulerunt, quodque eousque confirmatio privilegiorum & gravaminum abrogatio reiecta eſſet. In conventu igitur proxime ſequenti de iſtis rebus omnibus actum eſt, & placuit civitatibus Vandalicis, ut ſe Regi Daniæ ac Principibus Holſatiæ & Megapolenſibus in reductione monetæ conformarent, unde adhuc valor unius thaleri in tribus ſubſtitit marcis. Fœdus Succicum, ut ex diſcurſu adiecto apparet, non adeo improbatum fuit, ſicut & octo articulis ultra Belgicum illud quod his inſerebatur, à maxima parte Hanſæ extenſum fuit. Nihilominus alia intervenientia, quū Rex Sueciæ in Septembr. hoc Anno 1621. occupaſſet Rigam Hanſeatici fœderis membrum, id retraxerunt. Tum quoque novæ difficultates ex novis oneribus cereviſiæ in Dania & Norvegia obiiciebantur, quibus tunc remedium aliisque gravaminibus pluribus quærendum erat. Velut quoque eodem tempore Sereniſſima Elizabetha Clara Eugenia Infantina Hiſpaniæ Legatum Dn. Iohan. Iacobum Zum Pfütz I. L. mittebat, cum ea commiſſione, ut civitates moneret, ne ſe cum Belgis bello implicarent, &c. Sic in contrarium Ill. Ord. Belg. per ſuum ſollicitabant completionem fœderis: unde iterum novæ emerſere difficultates, quæ aliud deliberandi tempus efflagitarunt. Quapropter 7. articuli de novo ad proximum reiecti ſunt conventum, quibus octavum addidere Norinbergenſes litteræ, quum conſilium & auxilium Hanſeaticarum civitatum, contra diverſos exercitus illius loci, ſub dato 22. Octobr. Anno 1621. peterent. Et quum civitates contra Ducem Brunſv. in Camera imperiali Mandatum pœnale ſine clauſula de caſſando novo vectigali ac reſtituendo obtinuſſent, eidem hoc legaliter inſinuatum fuit, cui paritionem præſtare coactus eſt, ut communia commercia hoc onere fuerint levata. E contra iterum Hamburgenſes heic ſuum contra proprios ſocios Lubeccenſes non adeo gratum ſtudium denuo prodidere, quum hos ad Cameram Imperialem detuliſſent, quaſi naturalē libertatem illis commercandi in portu ſuo denegarent, ut etiā his, velut antea Stadenſibus, Lunæburgenſibus & Magdeburgenſibus ad Albim fecerant, in ipſo mari Baltico, à quo tamen ipſe naturæ ſitus (ut querela erat Lubecc.) Hamburgenſes remotos ſeparaverat, commercii ſolidum uſum quaſi è manu in ſeſe transferendo ſubducerent, aut idem iuris, quod Lubeccenſibus in ſuis portubus naturali & tot ſumptuum vi competit, in ſeſe communiter derivarent, atque ita per compendium ſibi viam promptam in mare Orientale aperire poſſent, ut Rex Daniæ in ſuo eluderetur vectigali, nec cogerentur merces per Danicum Helleſpontum traducere. Intentionem hanc variis deprehenderunt Lubecc. obfuſcatam coloribus, uti ex eorum id deductum eſt ſupplicibus, quibus ſub dato 11. Ianuar. An. 1622. Mandatum de non impediendo libero commerciorum uſu & reſarciendo damno cum clauſula ex Cam. Imp. extraxere: unde varii inter civitates fuerunt diſcurſus, quod illi, qui ſocii inter ſeſe eſſent, nimia ſui cupiditate illecti, nunc quoque alteri bolum ſuum ex ore præter fas, & prætextu nudo iuris, eripere ſtuderent, ac quod in aliis improbarent, maxime ipſi perſecutione ſui ordinis perficerent, &c. Ex proximo conventu Hanſæ aliquot adhuc reſtabant articuli, quorum reſolutio ad novum in April. men. conventum dilata erat; interea vero hoc accidit,

dit ; quod ingens tumultus 19. Februar. in civitate Magdeb. propter monetam nimiam è Senatus conceſſione, & quod contra ordinationem Imperii locum monetæ cuidam fabro monetario elocaſſent, exoriretur, ubi cives armati per aliquot dies pleno furore concurrebant, & non tantum ædes ſuſpectorum corruptorum ſpolio communi exponebantur, ſed etiam in ſummo erat Senatus periculo, quẽ vi armata ex curia detrudere conabantur, niſi ab I. A. W. me eſſent cives emolliti, & extremum hoc blanditer averſum damnum. Civitates vicinæ Brunſviga & Hildeshæmium mittebant Legatos, ut res vix ægre conſopiretur; proinde factum, quum talis compoſitio ad aliquot excurreret ſeptimanas, ut minus Magdeburgenſes ad conventum Hanſæ Lubeccam mittere poſſent; ſed commiſere ſuas partes Brunſvicenſium Legatis; ubi de variis gravaminibus emporiorum in Norvegia, in Flandria & Anglia actum eſt, & quæ remedia forent quærenda; item quid Ill. Ord. Belg. ad poſtulata reſpondendum. Comiti vero Friderico Solmenſi, qui toties prorogationem ſui officii petierat, tandem ſignificatum fuit, quod civitates ſummo bellicarum rerum præfecto non indigerent. Reliquæ reſolutiones ſequenti, qui ad initium Novembris indictus eſt, conventui reſervatæ fuerunt: ſed neque in eo aliud quid decretum fuit, quã q̃ diverſæ litteræ eſſent ad Reges & principes mittendæ, ſicut etiam propter ædes Emporiales Antwerpienſes ad Seren. Infant. Hiſpan. ſub dato 3. Novemb. An. 1622. ſupplices dirigebantur, ut vaſtatio ædium talium à militibus cauſſata inhiberetur. Sic & Norinbergenſibus reſponſum eſt, ad imploratio-nem factam, quod mala perferenda quidem, ſed ſimul interceſſionales ad Reverendiſſimos Illuſtriſſimos Dn. Electores ipſis mittebantur. Quum vero indies tot ingraveſcerent calamitates & Germaniæ devaſtationes, tum quoque circuli Saxonici inferioris ſtatus apud civitates nonnullas actius contributionem exigere pergerent triplicatam pro defenſione, ſicut vocabant, circuli, conſtitutum eſt apud civitates, ut de his & aliis gravaminibus & in omnem eventum de extenſione nova fœderis Hanſeatici An. 1623. ad diem 16. Febr. quid prædeliberaretur. Verum Lunæburgenſes indignantiam aliquam Ducis ſui metuentes, nolebant, ut in talibus ibi fieret tractatio, ceu litteræ eorum ſub dato 21. Ianuar. id haud obſcure loquuntur. Ideoque communis conventus ad 16. Martii indictus & decem capitibus deliberatio deſtinata eſt. 1. Quid Ordinibus Belg. ad poſtulata reſpondendum? 2. Quæ nova defenſio civitatibus competere poſſet, ſi quid contra earum aliquã violenter tentaretur? 3. Quod remedium gravaminibus Emporii Antverpienſis quærendum? 4. Quid Comiti Solmẽſi pro ſalario deberetur? 5. Negotiatio Hiſpanica quomodo per conſulem loci ibi reſtaurãda? 6. De Agente civitatũ Hanſeat. apud Belgas, ut communicatio vera inſtitui poſſit, & de eius ſalario. 7. Quis novus deſignari Corpori Hanſeatico Syndicus queat? 8. De rectificatione rei monetariæ, an ſolida inſtitui valeat conformitas? 9. Quomodo differentia utriuſque civitatis, Hamburgenſis & Magdeburgenſis, componi tandem debeat, quum Hamb. meris ſemper inſiſterent illuſionibus, nec ullam reſpicerent æquitatem aut fœderis coniunctionem? 10. Quid Principi Urang. reſpondendum? Ubi ſimul etiam Lipſtadium cõtra Ducem Chriſt. Brunſv. auxilium & opem ſollicitavit. Omnium autem primum & principale habitum fuit commune & imminens civitatibus periculum, quum ingentem tempeſtatem rite proſpicere ſibi viderentur. Heic ſolliciti fuerunt omnes quo modo & ratione anteverti aut dimoveri clades poſſet. Nec aliud inveniri potuit remedium, quam ut confœderationes arctiores de An. 1607. & 1615. ad caſus præſentes applicarentur, quum nullatenus conſultum arbitrarentur, quod ulla civitas particularem ſubiret defenſionem, cui neque par foret, neque univerſalibus iſtis motibus in particulari diſcurſione quid inde detrahi poſſet, velut etiam maxime ad inſtantiam Stralſundenſium deputati ſunt, qui notulas ambas ſupradictas revideren t, & tempori in extenſione accommodarent. Hanc ob cauſſam & propter negotiationes Anglicanas, Brabanticas, Norvegicaſque, ac quod Oſnabrugenſes quoque litteras miſerant imploratorias, dies iterum ad initium quidem Decembris nominatus eſt; ſed tamen interim concluſum, quod Lipſtadianis, Oſnabrugenſibus & aliis idem reſponſum dari poſſet. velut etiam poſtea ſub dato 11. Decembr. Anno 1623. Regi Daniæ ex loco directorii memorabiliter reſponſum eſt, ad poſtulatum de victima Norvegianis præſtanda. Non intermiſerunt autem Magdeburgẽſes & inter alias civitates maxime Stralſunda inceptum negotium firmioris confœderationis urgere, præſertim quum & per Magdeb. Dn. Adminiſtr. tali fœderi per obliquũ ſe inſinuare adoptaret, quod Magdeb. in ſe ſuſceperant apud civitates promoturi. Etenim metuebat Adminiſt. quum non eſſet Imperii Romano-Germanici matricula debite receptus nec inſcriptus, quod ſedem non adeo firmam poſſideret, niſi fundamentum ipſi civit. Magd. ſuggereret, quod hucuſque Capitulares impediverant nimio ambitionis propriæ ſtudio implicati, ceu id ex capitulatione Anno 1614. Wolmerſtadii, data 14. Decembr. iuramento confirmata apparet, quæ 71. articulos continet, uſque in 37. art. exaucta ab ea, quam Archiepiſcopus & Marchio Albertus Anno 1513. ſub dato Coln ad Sprevam poſt Dominicam Iudica iniit. Mira in ultima illa invenias altitudinis ſpirantia indicia, quæ ſtatum Magiſtratus plane novo modo enervant, & propterea digniſſima ſint exactæ examinationis. Quod adeo male habuit illum Adm. ut coniunctionem civitatis Magdeb. & defenſionem ulteriorem aut vindictam per hoc medium quæreret. Ideoque Lubeccenſes toties inſtigati ſub dato 26. Anno 1624. egregio & notabili ſcripto cõvocarunt iterum civitates ad 29. Februarii, & eidem 10. articulos ſolito more pro materia deliberãda adiecerunt. Primus fuit, de periculoſiſſimo rerum ſtatu perturbatæ Germaniæ & patriæ communis. 2. De Regis Sueciæ legatione propter Dantiſcanos: quod Lubeccenſibus & Hamburgenſibus quidem ad perficiendum relictum eſt, tamen etiam expetitum eſt ſimile quid litterarum à reliquis civitatibus. 3. De querela Regis Dan. quod cives Bergenſes neceſſariis vitæ alimentis deſtituerentur, ubi monitiones ad mercatores confectæ ſunt, ne damnum ſibi crearent. 4. De Negotio Hiſpanico & Conſule mercatorum Hanſeaticorũ Iohan. Camferbeccio, quod illi committenda liberatio arreſtatarum navium, & ut recte agnoſcãtur certificationes, ne confuſiones oriantur

inter naves liberas & minus liberas. 5. De commercio Ruſſiaco & Muſcovitico, quod Revalienſes tractare & perficere in ſe ſuſceperant, qui propterea moniti ſunt, ut novationibus prævenirent, donec ex conventu communi ulterius res ad perfectionem dirigi poſſet. 6. De Emporio & ædibus commercialibus Antverpienſibus, quod tandem per legationem Colonienſium obtentum eſſet liber ædium illarum ſtatus, unde etiam reparandæ forent. Altera vero domus, Kleine Oſterſche Hauß dicta, divendita pridem quum eſſet, & emptor à quatuor Metropoleſin exigeret aſſecurationem evictionis, ad ratificationem ſolummodo Colonienſium recurrendum fuit, quibus indicatio talis facta eſt. 7. De novo Agente Hagenſi conſtituendo, qui ſollicitationes & actiones civitatum apud Ill. Ord. Belg. promoveret. 8. De Emporii Bergenſis gravaminibus & paſtore novo vocando, quod declarationi Seniorum & Secretarii ulteriori relictum eſt. 9. De re monetaria, ubi quæſtio principalis fuit, num in conformitate ante biennium Hamburgi cum Rege Dan. & ducibus aliquot inſtituta perſiſtendum eſſet, quod conſultius viſum fuit, ac ne Dux Pomeraniæ interruptionem ad mare Balticum introduceret, incommoditates ipſi per litteras explicatæ ſunt. 10. De Viceſyndici Hanſæ D. Steynwigii remiſſione, & novo ſubrogando, ubi de perſonis aliquot actum eſt, ſed dilata res ad communem conventum.

Quum primus articulus propter imminens periculum pondere ſuo exuperare cenſeretur, de eo aliquot motæ ſunt quæſtiones. 1. An mutui ſuccurſus cauſſa, quid extenſioni fœderis inferendum, atque quot numero civitates ſic coire inter ſe vellent? 2. Quibus negotiis talis confœderatio ſuperinducenda, ne de qualificatis caſibus quæſtio eſſet inſtituenda in neceſſitatis tempore. 3. Quibus mediis auxilium præſtandum in milite, ære & munitione? nec non qua proportione virium quid vis expediendum? 4. An quoque interea reliqua fœdera in vigore ſuo cõſervanda eſſent? 5. An non, & quouſque civitas unaquæque ſe neceſſariis alimentis, forralitii reſtauratione, & munitione confirmata reddere debeat ut primum cuiuſque hoſtis impetum uſque ad reliquarum ſuccurſum, ſuſtinere poſſit? 6. An Generalis præfectus belli officio ſuſcipiendus, & quod ſalarium ipſi deputandum? &c. Ubi tamen pro communi placito maxime approbatum fuit, quod certiora fœdera merito in uſu conſervanda eſſent, donec de neceſſariis alia poſſet diſpoſitio conquiri. Præſertim quũ alia intervenirent; & maxime (1.) Illuſtr. Ord. Belg. poſtulata ac monita admodum ſerio urgerent; velut (2.) etiam propter vectigal novũ ad Viſurgim, quod ibi inhiabat Comes Oldenburgicus, ad Cæſ. Maieſt. ſupplices ad inſtantiam Bremenſium miſſæ ſunt. Ita etiam (3.) propter ædium Emporii Londinenſis renovationem & rationes eius diſcuſſiones factæ ſunt; Atque quum Rex Mag. Britan. (4.) publico progrãmate inhibuiſſet, ne quis alius præter Anglos mercimonia ex locis circa Dantiſcum in Britanniam afferret, decretum eſt, quod informatio Reg. Maieſt. Brit. inſinuari deberet. Sic & (5.) de novatione contra tranſactionem de Anno 1618. cum Electore Sax. in vectigali Lipſenſi inſtituta actum fuit & communi ſuffragio concluſum, quod denuo ad Elect. Sax. ſcribendum eſſet. nec minus (6.) de contributionibus annuis & extraordinariis certitudo adornata fuit. Ac demum (7.) propter novum Damizianum & Boitzenburgicum ad Albim vectigal, quomodo à Ducib. Megapolit. exaugeretur, miſſæ ad Duces ſunt litteræ, cuius rei indicium quoque Elect. Sax. & Brand. atque Admin. Magdeb. propter commune ſubditorum intereſſe faciendũ fuit. Eodem an. ad 18. Iul. aliquot civitatũ iſtius partis Brunſvigæ conventus fuit, ubi iterum deliberatũ fuit de firmiori fœderis nexu, & maxime hoc ad inſtantiã Dn. Admin. Magd. expetitũ ita fuit, ut ille ſic per Magdeburgenſes locũ in eo invenire poſſet. Sed quũ altioris res conſiderationis putaretur, nihil aliud, quam negotii commendatio obtenta eſt. In re monetaria quidem hoc quoque expetitum fuit, ut in minori ſorte pecuniæ poſſet excogitari quædam practicabilis conformitas. Quum vero Dux Brunſvicenſis iam publicaſſet publicum ſuæ intentionis edictum, molimen hoc fruſtraneum civitatum iudicatum fuit. Variæ autem conſiderationes & inconvenientiæ extenſionem fœderis arctioris civitatum interturbabant; unde Lubeccenſes ab ulteriori conventu, donec melior temporis occaſio ſeſe offerret, plane abſtinendũ putabant. Quod quum nonnullæ civitates ſentirent, & confœderati Belg. Ord. tantam improbarent langueſcentiam aut frigefactionem, utrinque directores denuo non tantum ſcriptis, ſed etiam miſſione legatorum excitandos putarunt, ut ita coacti tandem ad 26. Iun. Anno 1625. conventum indixerint civitatibus iis, quæ cum Belg. Ord confœderationem colunt. Nihilominus Roſtochienſes & Wiſmarienſes ob provincialem conventum Ducatus Megapol. non comparuerunt; Sicuti & Stralſundenſes propter anguſtiam temporis & Syndici ſui obitum ſe excuſarunt. Et quum nova confœderatio ferrum candens rite cenſeretur, nemo præſentium, antequam Directores manifeſtius animum oſtendiſſent, quid ea de re tangere voluit; ſed æquius viſum fuit, ut id urgeretur ab eo Agente, qui dudum ſuggeſtiones tales ſubminiſtrarat, & ſcripſerat ſe mox adfuturum. Proinde ab hoc ſcopo digreſſio facta eſt ad gravamina Emporii & ædium Antwerpienſium, item Bergenſium, ac indicatum, quod propter combuſtionem illic factam Secretarius ſocietatis Bergenſ. eſſet miſſus, ut immunitates aliquot obtineri poſſent à Rege Daniæ ob damna tanti incendii perpeſſa, ubi ſimul de petulantia miniſtrorum eius loci actum eſt, & quomodo in ordinem redigendi forent. Sic, ob negotium Ruſſicum redintegrandum, Revalienſes ſcripſerant, ut Rex Sueciæ id confirmaret, unde quæſtio exorta eſt, quonam id commode modo perfici poſſet? Tunc quoque Anglicani Emporii aut domus præfectus conceſſerat Hamburgum, unde novus erat huic officio deputandus, quæ vices cuidam Ioh. Heldt deferebantur: tum ſimul conſtitutum eſt, ut nomine communis Hanſæ Regis Iacobi VI. Filio Carolo de faſcibus imperii per Legatos gratularentur. Advenere eodem tempore Ordinarius Agens Illuſtr. Ord. Belg. & à Reg. Daniæ miſſus Legatus D. Heiſtermannus Capit. Bremenſ. Syndicus, quorum hic 30. Iunii in pleno auditus, alter vero propter ſecreta ſingulariter apud deputatos commiſſionem pro adſiſtentia & contributione circuli Saxonici depoſuit. Verum quum res ab utraque parte ardua cenſeretur, nec tamen omnes intereſſentes civitates, ad tale in-

ter-

terveniens inſtrui potuiſſent, dilatio 5. ſeptimanarũ pro reſolutione tanti negotii petita eſt, uti ſimul locus novi & commodioris conventus ad 7. Auguſti abſque ulteriori litterarum convocatione Lunæburgæ inſtituendi nominatus eſt. Verum Lunæburgenſes cautiores redditi, 11. Iulii ſe excuſarunt, quod in talibus præiudicialibus non poſſent conventum admittere? Unde Dnn. Directores Bargedorfium denominarunt ad diem 7. Aug. præſtitutum, ubi quoque dicto rempore Lubeccenſes, Bremenſes, Roſtochienſes, Wiſmarienſes, Magdeburgenſes, Hamburgenſes & Lunæburgenſes comparuerunt; Reliqui & Stralſundenſes & Gryphswaldiani ſe excuſarunt, quum putarent negotium illud adſiſtentiæ ſaltem ad membra inferioris Saxoniæ circuli ſpectare, cuius nollent participes videri in illis conſiliis Borgerdorfianis, præſertim quum publico Edicto Imperatoris eſſet illis tale quid prohibitũ. Ita & Brunſvicenſes alterationem negotii pro excuſatione allegarunt, & propterea reſolutionem civitatibus diſſuaſere hoc tempore: quod tamen inique acceptũ fuit. Nihilominus in communi diſcurſus deliberatione omnes confeſſi ſunt legati, quod negotium Hanſeatici fœderis, cum circulari non poſſet confundi, nec ratione civitatum ullum aliud aliquod genus contributionis aut auxilii, quod fœdus Hanſæ in commerciis ſuſtentãdis & conſervandis ſubire aut in ſe ſuſcipere prorſus non valerent, nec ratione civium, qui ſuis magiſtratibus in onere ferundo obligati eſſent, Rebuſpublicis competeret. Ideoque putarunt, quod honeſte ſatis tam Regi Daniæ quam confœderatis interceſſoribus Belgis id poſſet denegari, præſertim quum id ipſi Imperatori & Regi Hiſpaniarum antehac eſſet denegatum; tum etiam res infinitæ conſequentiæ omnino evitari propter ſcandalum & onus inexuperabile deberet. Ac quamvis tum Agens Belg. cum Legatis Regis Daniæ Mitzlavio, & Regis Galliæ Dn. de la Picardiere ſe offerret, ut ex propoſitione eorum patet; tamen acquieverunt omnes in hoc conſenſu, quod Hanſeatici corporis conditio non eſſet, ut extra fœderis intentionem quid ſuſciperent, niſi quid vel ad conſervationem commercii & membrorum defenſionem faceret. Veluti reſolutiones id ſatis declarant. Difficile quidem fuit civitatibus reſponſi quid dare in ſcriptis, quum illis non adeſſet ſigillum civitatis Lubeccenſis, quo ſemper uti ſolent. Itaque variæ fuerunt diſputationes de ſubſigillatione, an alius iam quam uſitatus adhiberi deberet ſtylus, & num aliquot civitates hoc in ſe ſuſcipere deberent, aut ſaltem ſubſcribere? quod omnino denegatum fuit; & tandem medium hoc inventum eſt, ut per Secretar. Lubec. à Legatis quæreretur, an nudo ſcripto contenti eſſe vellent, quum deeſſet ſigillum, & quum petiiſſent recredentiales, quod ex ſtatim illis Hamburgum deberent tranſmitti, hoc ita acceptarunt. In puncto autem novæ confœderationis iterum non potuerunt civitates inter ſe convenire, quum alii putarent fœdera ſuperiora ita ſufficere, alii tamen non ſufficere, velut id ex exemplo Brunſvicenſium eſſet clarum. De gravaminibus Bergenſium in Norvegia plurimi quidem fuerunt diſcurſus; ſed quum à Rege Daniæ ad mercatorum ſupplices eſſent reſponſiones expectandæ, à concluſo eo uſque abſtinendum putarunt. In ipſa iſtius conventus diſſolutione allatæ ſunt litteræ à directoribus cũ adiunctis à Dn. Generaliſſimo Tyllio, ad quas Lubeccenſes conſilium & reſponſum civitatum petebant; ſed quum iam abiiſſent Roſtochienſes & Lunæburgenſes, res arbitrio Directorum poſt varias diſputationes relicta fuit. Cognitũ erat civitatibus, quod maxime eorum peteretur iugulum; propterea noluerunt præcipitare; ſed, quod prudentis eſt, ad eventum reſpiciebant. Inſtigabantur quidem ſæpius, nec non provocabantur ad intricationem tantarum calamitatum: Verum ſocios alterius mali ſe præſtare noluerunt. Proinde, dum Brunſvigæ inter Imper. Generales & Duces militiæ Illuſt. Ducem Friedlandiæ ac Com. Tyllium per menſem Octobr. An. 1625. uſque ad Martium An. 1626. tractatus habebantur pacis, civitates Hanſæ conventum celebrarunt iterum: ſed propter abſentiam plurium tam genuina Hanſeatici fœderis, quam extraordinaria negotia & defenſionis materia diſtracta fuit. Adhortabantur Lubeccenſes ſæpius ſerio, ut privilegiorum tanquam Imperialis urbis liberæ ſedulos ſe exhiberent conſervatores: Ideoque cum ex Friſia orientali cum exercitu ſuo Anno 1626. in confines locos & ditionem eorum Comes Erneſtus Mansfeldenſis, qui ſe Marchionem Caſtelli novi dicebat, traiiceret, & crudeliter aliquot illis pagos divaſtare ac ſpoliis exuere inciperet, cum fortiter ex finibus expulerunt ſuis, multis talium trucidatis, quod adeo momordit eum, ut acri ſcripto factum hoc Lubeccenſium perſtringeret. Verum quum ita periculum accreſceret finibus ipſorum, ad 28. Februar. convenere civitates Hamburg. & Bremenſ. Lubeccam & de arctiori cõſultarunt inter ſe fœderis conjunctione, quo etiam Legatus Reg. Magnæ Britan. & Ill. Ord. Belg. eodem pervenere tempore, ut ab illis certũ extorquerent reſponſum pro adſiſtentia Reg. Dan. velut & ipſe Rex Dan. miſerat. Sed, ut quis eorum ſcribit, Alphabetum hoc in ſuo Alphabeto perſeveravit, ut incaſſum ibi laboratum à Dnn. Legatis fuerit apud homines, in ſucceſſum cauſſæ ſollicitos, ceu actiones & conſilia omnia ipſorum edocent. Quod nemo prudens in illis improbare poterit, quum ſtudium proprii commodi apud omnes, qui de publico ita glotiantur, in ſolo & unico ſit reſpectu. Sic & fœdus, quod civitates Hanſeaticæ Anno 1615. cum Illuſtr. Ord. Belgic. inierant, prope ſuum conſecutum erat finem; unde Ill. Ord. confœd. Belg. Anno 1627. prorogationem poſtulabant à civitatibus. Forte eodem tempore navigationis & liberi commercii cauſſa iiſdem tam ab Imperat. quam Rege Hiſpaniæ ingentes offerebantur immunitates, veluti etiam peculiares mittebantur Legati, qui expetebant conventum, unde in fine Novemb. ille Lubeccæ habitus eſt: ſed quũ res putaretur altioris deliberationis, nec inſtructi ad omnia comparuiſſent civitatum legati, in dilationẽ abiere res. Interea mira & varia iterum tentata ſunt, præſertim quum Regis Daniæ ditiones omnes per univerſam Holſatiam & Iutiam uſque ad extremam Wentſuſſeliæ Cherſoneſum à Duce Generali Imperat. Sereniſſimo Dn. Friedlandio eſſent occupatę. Sed quum fortitudo civitatum, & quod maxime Lubeccenſes prudenter ſe ab omni parte interponerẽt, Anno ſequenti 1628. in menſe Septembri publicus conventus civitatibus & aliis indictus eſt, ceu litteræ ex Hamburgo ſub dato $\frac{18}{28}$. Septembr. Anno 1628. à viro magnæ auctoritatis miſſæ id teſtabantur, quatum

rum tenor notabilis ille erat, quod ſic etiam eventus docuit: Lubeccæ non tantum Hanſeaticus, ſed etiam compoſitionis cum Rege Dan. celebratur conventus; ubi multorum Regum, Principum, Dynaſtarum, etiam Imperatoris & Generalium Dnn. Ducis Friedlandiæ & Com. Tylli Legati adſunt, quibus cum civitatibus talis intercedit tractatus, ut res poſſit omnis tuto tranſigi. Inprimis adeſt ibidem Legatus Elect. Saxon. qui inter alia in ſecreto hoc quærit, ut ipſe fœdere Hanſeatico poſſit recipi, velut quoq; (N. B.) jam tertia vice ſecretiſſimum quendam ad Regem Sueciæ miſit, ut cum illo in omnem eventum clancularie ſe poſſet coniungere. Quæ heic ſubſit diffidentia, mox innoteſcet pluribus. Sed tamen hoc verum, quod tractatus concordiæ nunc tandem ita inter ſe cohæreant, ut, quæcunque pars conditiones pacis acceptare noluerit, quod interpoſitores una cum civitatibus Hanſeaticis vires ſuas coniuncturi ſint, renuentem ad concordiam compellere valeant, &c. Verum, quum plurimæ heic moverentur difficultates, & tractatus tales in quartum ſequentis anni excurreterent menſem, interea civitates inter ſeſe novum commune confirmarunt renovaruntq; fœdus Hanſæ, donec tandem in menſe Maio An. 1629. plena Pacificatio cum Rege Dan. concluderetur; ubi ſic demum omnes ditiones Regi reſtitutæ ſunt, & ab exercitu Cæſ. omni liberatæ. Tandem quoq; tres civitates Lubecca, Hamburgum & Brema arctiſſimum & reciprocum mutuæ defenſionis, quod per aliquot annos inter ſeſe digeſſerant, ſeparatim & à reliquis civitatibus ſegregatum, compoſuere fœdus, quum cernerent, quod ſocii reliqui ad tale ſubeundum illis non eſſent pares. Velut etiam poriſſima hæc fuit cauſſa, quur tam diu aliorum oblationes & monita ſubterfugerint; ceu ſuo loco aliquando plenius ea aſturia prudens explicabitur. Qui Lubeccenſium acta rite intime percenſere novit, certe negare nunquam poterit, eos inter temporum filios primum occupaſſe ſemper ſubſellium: Ita undiquaque ſatis acute perpetuo hoc circumſpexere, ne temere in ulla re ſe præcipitarent, niſi aliquando nimium præpediti fuerint ſuis affectibus. Quod etiam in his demonſtrarunt, quando tam fortiter evincere potuerunt Reg. Dan. tot ſuppreſſiones, velut quoque modernum Regem 22. legationibus convenere propter confirmationem privilegiorum.

Hæc propterea maxime pleniori curſu ad hæc uſque tempora, ſtrictim tamen omnia tangendo, deducere coactus ſum, ut inde conſtet, quam non tantum ſeduli undique cuſtodes tam antiqui & laudatiſſimi Fœderis fuerint Lubeccenſes, ſed etiam in nonnullis auctores, ut Saxonicarum civitatum coniunctiones mutuas ex antiquitate uſque priſca in ſuũ attraxerint uſum. Sed quæ heic enarrata fuerunt, ſaltem hiſtoriam eam reſpiciunt, quæ ad Vandalicas civitates maxime pertinet, quatenus Reges Norvagiæ, Sueciæ, & Daniæ propter Emporium Bergenſe in Norvegia concernunt, quum illud principaliter examinandum putaverimus. Iam quoque neceſſum foret, ut eodem contextu & ſerie hiſtoriarum reliqua tria Emporia, videlicet Muſcoviticum, Anglicanum, & Flandricum, iuxta compendioſam delineationem continuaremus. Verum quum res nimis longa eſſet futura, & plus ſpacii requirat, quam nunc poſſit abſolvi; quanta brevitate fieri valebit, omnia principalia includemus iis, quæ ſuo loco in ea parte ultima de Emporiis ſingulis ſumus commonefacturi. Reſtat heic iam, ut paucula adhuc quædam de Hamburgenſibus, pro pleniori ipſorum ſtatus & intentionis informatione, quæ detegant, unde nunc Vandalicis civitatibus accenſeantur, ſubnectamus.

CAP. XIX.

Plenior hiſtoria Hamburgenſis, iuxta ſtatum eius explicatio; quomodo per eam fœdus Hanſeaticum decreverit quidem, ſed nec ſine incommodationibus eſſe cæperit.

HAmburgam & Lubeccam non tantum ſitus loci & perpetua fœderis aſſidui coniunctio fideli ſocietate conglutinavit; ſed etiam fati quaſi paritas in eandem ſortis diſpoſitionem coniecit, ut quaſi in una ſimul cohærerent urna. Quæ ad civitatis Hamburg. originalem conſtitutionem faciunt, ſuperius quidem ſatis explicavimus; uti videlicet ex Burgo ad Hamam Sylvam ſito, quod Vandalorum olim fuiſſe dicit *Bert. com. rer. Germ. lib. 3 p. 569.* (quum tamen vix credibile, niſi de illis Vandalis accipiat, quorum mentio fit à *Schorkelio ad Helm. lib. 1. c. 2.*) nomen ad oppidum ſit translatum: verum qua ratione ea Vandalicis accenſeatur, licet id aliquo modo ex ſupradictis itidem colligi queat; tamen nonnulla hiſtorica heic ſimul ſubnectenda manent, ex quibus clarius quid ad amplificationem & reſtaurationem illius, quando nimiam ſibi antiquitatem *in art. 54. Actor. reſtit.* contra civitates aliquot adſcribunt, elici poſſit. Etenim præter factum eſt talis gloriatio, quæ proximos lædit. Hamburgam, non Vandalicæ vero nationi proprie includi, id ex eo conſtat, quod non tantum originarius eorum ſtatus Holſatis ſive Nortalbingis & Saxonibus priſcis, ſicuti ipſi in actis contra Duc. Lunæb. & civitates vicinas ponunt, debeatur: ſed etiam cum conterraneis & incolis ex ordinatione Caroli Mag. per præfectos Ducibus Saxoniæ Hamburgenſes ſubiecti ſemper fuerint, velut quoque poſtea Otto I. ſive Magnus urbis imperium ad Hermannum Billingium tranſtulit. Uti jam ſuperius dictum eſt. Ante Caroli autem Magni tempora ſub Albione Duce Nortalbingiorum, qui cum Witekindo Mindæ baptizatus eſt, & nomini Chriſtiano ſe addixit, ſaltem vicus fuit: Aſt quum Anno Chr. 785. poſt obitum Albionis huic provinciæ Uthonem Præfectum & Ducem cum præſidio certo præpoſuiſſet Carolus, Anno 787. oppidum hoc iſte munire cœpit, ut ibi tuto Dux ipſe habitaret. Namque gens adhuc cruda, facile ſeditione aliqua commoveri poterat, ceu Anno 788. factum, ut etiam uſque in Megapolin contra Principem Traſium excurſiones fecerint: Unde Imperator Carolus coactus eſt Albim ipſe traiicere, & idolon illorum, quod ibi in Hamburgo colebant, ex templo delere. Atque quum nondum à rebellione deſiſterent, Anno 804. multa millia virorum cum uxoribus & liberis in Flandriam, tunc incultam, & Brabantiá tranſtulit: Et è contra ex Megapolenſi ditione Vandalica recipiebat ibi, qui ſedẽ ſibi figerent.

Et

Ex Nortalbingis illis prognati sunt populi Teutonici, qui adhuc Brabanti & Flamingii vocantur. Iohan. *Petr. in Chr. Holf. part. 1. pag.* 9. & 10. Eridagus sive Heridagus tum à Carolo missus erat in Holsatiam, ut prædicatorem ageret, & Ecclesiam Christi conderet, qui in Hamburgo ædes suas inhabitare solebat. Verum Heneti vicini usque ex Pomerania in odium Christianæ religionis confluxerunt, & oppidum hoc expugnatum incenderunt, ac Cæsaris Præsidem expulere protinus. Ast Carolus Mag. statim sequenti anno restaurari hunc locum cum firmiore munitione curavit, & restituit Præfectum suum. Post obitum autem Caroli, quum filius eius Ludovicus Pius An. 14. gubernasset, & Haroldus 6. quem alii 60. alii 63. alii 65. alii 67. &c. regem Daniæ faciunt, An. Christi 826. per filius Sigefridi ex regno expulsus, ad eum Moguntiam supplex perveniſſet, opem pro restitutione petens, in quo ipsi gratificatus, quod Christianitati cum uxore & fratre Erico se devovisset; unde per Saxones ex iussu Imperatoris in regnum adductus est; Inde quum sanctus Ansearius, quem alii Ansgarium dicunt, cum Gundberto in Daniam à Ludovico Imperatore & Sueciam missus fuisset, ut ibi converteret gentes, circa An. 833. Archiepiscopū gentium septentrionaliū Hamburgi ordinavit. Constituer at quidem Carol. Magn. ibi talem in honorem Christi figere sedem; sed quum nimia esset sævitia populorum & crebertimæ incursiones, filius eius id perfecit hac temporis commoditate. Verum nec diu durare aut subsistere id potuit. Etenim vastata denuo à Normannis & sociis Danis, per Albim ascendentibus, urbe, Imperator Ludovicus Germanicus separari eam fecit. Ansgarius vix effugerat periculo vitæ nudus cum suis: quum vero An. Chr. 849. Bremensis Ecclesia vacaret, eidē quoque Imperator hunc Ansgarium propter bene merita, & ut ipsi semper tutus in tot crebris devastationibus esset recursus, præfecit. Inde cum pontificis Nicolai consensu hanc postea ex Coloniensis iurisdictione exemptam, cum Hamburgensi Metropolitana idem Imperator coniunxit & univit. Tam varias autem oppidum hoc pertulit vices intra seculi spacium, ut sexies & ultra penitus exustum ac subversū fuerit. Et quamvis Otto Magn. Imperat. postquam superiorem ab inferiori Saxonia diviserat, superiorem sibi servando & inferiorem amico suo Herm. Billingio attribuendo, Hamburgum protectioni huius Ducis & eius posteris submisisset; tamen nec penitus à sævitia vicinarum gentium & Obottritorum liberari potuit. Proinde quidem nepos Ducis Hermanni & filius Bennonis post obitum Thiermari fratris, qui Comes Holsatiæ fuerat, sibi arcem peculiarem & munitam quidem primitus ad Alistrum, ubi iam forum equinum ex parte est, extruxit; sed, quum nimia contributione subditos suos premeret, & contra Henricum 3. Imperatorem seditionem moveret, à Mistevone Vandalorum Duce arx eius direpta fuit. Unde filius eius Ordolphus pronepos Hermanni arce nova sibi sedem ibi & aulam fixit circa An. Chr. 1060. quamvis sint, qui Bezelino Episcopo hoc adscribant, quod is circa Annum 1046. muro eam sepserit & 12. turribus firmaverit. Nihilominus bis uno An. 1074. à Vandalis, Duci suo Godeschalco pio pessime & nequitiosissime rebellantibus, exusta & penitus devastata fuit arx cum oppido. Nec tantum eiusmodi calamitates sub Magno Electore Saxoniæ Ortholphi filio & Hermanni Abnepote, qui ultimus ex hac fuit Billingiana familia masculi generis, pertulit, sed etiam postea fatum admodum variabile sensit, quum Dux Saxoniæ Lotharius Suplingburgensis, in quem Imperat. Heinricus V. Successionem Saxoniæ per novam investituram post obitum Magni Ducis transtulerat, Adolpho primo Schawenburgico Stormariam sub infeudatione concessisset. Comes iste Adolphus I. quidem de novo muniverat Hamburgam, unde & per 17. annos satis viriliter usque ad obitum, qui An. 1131. secutus est, gubernavit: sed filius eius Adolphus II. possessione tali ab Alberto Urso Marchione Brandeb. ejectus & in eius locum Heinricus Badewigius substitutus est. Ac licet Comitatum hunc auxilio Henrici Guelphi Bavari recuperarit; tamen idem Badewigius sub discessu Hamburgum iterum cum reliquis arcibus illius ditionis penitus exussit & cōcremavit, infestavitque eo usque terram eam, donec per transactionē Ducis Saxon. Henrici Leonis & eius coniugis comitatum Ratzeburgensem An. 1140. obtinuerit. Quum vero Fridericus Barbarossa Imperator expeditionem in Palęstina recuperanda An. 1189. susciperet, & inter alios Germaniæ Principes una cum illo iviſſet Adolphus Comes Holsatiæ, eam occasionem neque sibi Henricus Leo, absente Imperatore, redux post triennale exilium negligendam tunc esse putavit. Itaque dum sua, delero An. 1189. 28. Octobris Bardovico, recuperare conabatur, statim Hamburgum & Holsatiam recepit, ejecto inde Comite Dasselensi Adolpho, quem alter Adolphus IV. Holsatiæ Præsidem & administratorem ditionum suarum reliquerat. *Seth. Calv. in Chronol.* Vix autem per triennium occupaverat Henricus Leo dictiones eas Ultra Albinas, dum Adolphus Comes Holsatiæ & ipse redux auxilio Imperatoris Henrici VI. atque maxime Ducis Saxon. Bernhardi & Marchionis Ottonis fratris eius, nec non Bernhardi Comitis Ratzeburgensis Hamburgum An. 1192. ac reliquam terram in suam redegit possessionem. Sed nec heic diuturna fuit Hamburgensibus in eo quies, quamvis ex Bardevici excidio ingentem sibi conficerent fortunæ prosperitatem. Etenim, quum Adolphus An. 1200. atrox bellum contra Regem Daniæ Canutum & fratrem eius Woldemarum Ducem Holsatiæ subiisset, coactus est Hamburgum deserere & ultra Albim ad Stadenses refugere. Unde Hamburgenses obviam ivere Waldemaro, & eidem se in deditione devoverunt, secuti Lubeccensium exemplum ex An. 1092. ubi se Adolpho dederant, uti mox iterum An. hoc 1200. Canuto se submiserunt, salvis tamen juribus, ut antea dictum est. Nihilominus Hamburgenses Comitem suum Adolphum cum exercitu quodam ab exilio receperunt: sed Waldemarus ita obsidione eum cinxit, ut ex intercessione Gunzlini Comitis Suerinensis Lawenburgum ipsi cedere coactus sit, & simul in custodia manserit captivus. *Iohan. Petr. Chr. Holf. part. 2. pag.* 183. Unde Hamburgum iterum Danis deditum cessit, præsertim quum post obitum Regis Canuti IV. Waldemarus II. in regni successionem à proceribus adoptaretur. Is adeo ferox erat in debellatione omniū ditionum trans Albim, quum occasione temporis adeo feliciter uteretur, dum Germania infinitis cladibus ex duorum Imperatorum, videlicet

Philippi Suevi, Henrici VI. Cæsaris filii & Ottonis Henrici Leonis filii electione, de An. 1198. afficiebatur, ut etiam vicinos quosvis penitus confundere conaretur. Namque didicerat hoc, Lucrari in tempore, optimum est; *Fronte capillata, post hæc occasio calva.* Durum igitur fuit Hamburgensibus jugum istud Danicum, quod per octennium pertulere, donec pace in Germania inter duos Imperatores constituta An. 1209. Otto IV. Imperator, (quod alias Cæsar Philippus ex communi placito in se susceperat, nisi Otto Wittelsbachius Palatinus illum in lecto ex venæ sectione decumbentem nequitiose interfecisset. *Seth. Calv. in Chronol.*) auxilio & ope fratris Henrici Palatini, & Ottonis Marchionis Brandeburg. nec non Waldemari Episcopi Bremensis, Hamburgum Imperio ex manu Dani recuperaret. Unde hoc oppidum sine medio Imperio subiectum dicebatur, quum Ottoni præstitisset iuramentum. *Crantz. in Dan. lib. 8. c. 17.* Verum anno sequenti 1210. quem *Iohan. Petr. in Chron. Holsat. pag.* 189. facit 1216. quum novis difficultatibus cum Pontifice Romano Otto IV. Cæsar, bello Italico occupatus, implicaretur, urbs hæc denuo à Rege Woldemaro II. & Comite Otlemundano Adelberto Administratore Ducatus Holsatiæ obsidione acri cingebatur. Atque ut Rex eo magis premeret urbem, Castellum ei proxime ab ea parte, ubi nunc templum D. Nicolai extructum habetur, & platea novæ arcis adhuc in rei memoriam vocatur, apposuit. Nondum enim tantæ magnitudinis oppidum fuit, ait *Crantz. in Dan. lib. 8. c. 17.* Comes Adelbertus castrum locatum versus Eurum, non procul à pago Scipbeka tenebat. Ne vero diutius ibi distineretur, atque eo citius ad deditionem cives cogeret Rex, omnem illis in fluviis commeatum, palis ab utraque parte riparum fixis, & catenis invicem arctissime coniunctis, præclusit. Occupatam igitur Hamburgam Rex statim, ut penitus incolæ & cives essent subiugati, Comiti Adelberto Otlamundano iure hæreditario in æternum possidendam tradidit. Nuda tunc erat civitas, & ab omni ope sui iuris destituta. Ideo ex singulari gratia novus iste Dominus ad eorum petitiones ipsis ius Saxonicum & maxime Lubecense Anno 1218. concessit, ut secundum eam normam iudicia exercerent, ceu quoque Adolphus postea, recuperatis tertis his, id Ann. 1233. aliis indulsit suis civitatibus, Itzehoënsi, &c. At Comes Otlamundanus tanquam novitius Herus molliter tractare Hamburgenses primitus voluit, ut eo magis sibi novis beneficiis pro firmiore possessione devinciret: Velut quoque postea dum Waldemarus II. captivus erat Suerini, quum cerneret, se non firmo stare amplius fundamento, Hamburgensibus ius suum vendidit pro 1500. marcis argenti An. 1425. *Seth. Calv. in Chron.* Nihilominus sibi subiectos tenuit usque ad conflictum Bornhoudanum, An. 1226. ubi Rex Waldemarus II. cum filio Christophoro vix se vitæ periculis fuga subducere potuere, unde Comes Adolphus IV. ditiones suas integre cum civitate Hamburgensi recuperavit, & amplificare cœpit fortiori munitione. Istis demum temporibus arctiori adhuc consociatione inter se civitates Hamburg. & Lubeccens. quamvis Rex cum Adolpho in utilitatis contra Lubecam conspirabat amicitiam, coire cæperunt, propter odium in Danos; ac reliquas quoque civitates, ut prævalerent cõmerciis, ad se attraxerunt. Circa Annum 1260. Christophorus I. Rex Daniæ quum Ducatũ Schleswicẽsem tacite ambire inciperet, & Comites Holsatiæ Iohannes ac Gebhardus prætextum ob Abelis regis An. 1253. ab Eydorienſibus Frisiis occisi & Sororis educationem filio Erico fictam observarent, periculum imminens antevertere studuerũt. Ingens erat inde belli ab utraque parte præparatio, donec Anno 1261. die Panthaleonis in loco ericato Loheydam dicto magno coirent cum Rege conflictu. Cruenta fuit hæc strages admodum, & diu ambigua fortuna; tandem multis occisis atque captis inter eos non tantum Rex ipse, sed etiam Regina, quæ spectatricem tantę crudelitatis, contra fœminei sexus rationem, agere satagebat, captivi Hamburgum abducti sunt, ubi tam diu in custodia commorari coacti fuerunt, donec Comes Gebhardus Duci Iohanni Lunæburgico filiam Agnetam suam elocasset circa Annum 1264. *iuxta Bunt. computationem in Chron. Lunæb. pag.* 18. quum Albertus Magnus frater Iohan. natu maior Dux Lunæbur. toties frustra amicabili transactione se interposuisset. Nihilominus nova affinitas id obtinuit inter utramque familiam, ut tandem Rex ingente summa pecuniæ persoluta, & omni iuris prætextu renunciato, se per compositionem horum Ducum liberarit ex carcere Hamburgico. Ex alacritate civium & adsiduo commerciorum studio, præsertim quum fœdere civitatum reliquarum vigere inciperet, factum est, quod Hamburgum opibus & amplitudine ita accreverit: sed nec defuit diu infortunium.

Etenim Anno 1284. prope dimidia civitatis pars incendio gravi consumpta est, ubi simul multi homines flammis ex inopinato passim dispersis periere. Comites vero Holsatiæ quum cernerent, quod Hamburgensis urbs tam facili sorte ex studio commercii se recolligere posset, ac velut simul reliquarum confœderatarum civitatum pinguedinem in sese derivaret, modum exactionis novum pedetentim excogitarunt: quem tandem Comes Heinricus An. 1310. aperte ita introduxit, ut magistratus, quãvis admodum cives refragarent, vectigal certum, q ex commercialibus bonis esset perpetuo solvendum, imposuerit; velut etiam adhuc in civitate ad forum mercatorum ædes Comitis Schawenburgici ædificatæ vigent, ubi vectigal illi ante omnia persolvitur. Accrescentibus autẽ tam in civitate Lubeccensi quã Hamburg. commerciis & negotiationibus, accrevit simul vicinorum nobilium & Comitum ipsorum invidia, unde mercatoribus & civibus urbium talium vix amplius iter tutum fuit per eorum ditiones. Atque licet civitates sollicitarent in aulis & vias exigerent securas, nihil tamen obtinuerunt. Proinde circa An. 1340. ingens discordia inter principales fœderis Hanseatici illas civitates & Comit. Holsatiæ exorta est, quũ plane audiri in querelis suis aut animadversione in facinorosos nequirent, sed potius Comitis nobilis & eorum emissitios spoliatores contra ius gẽtium in odium civitatum defenderent. Converterũt se igitur binæ istæ civitates ad Ducem Iohannem Wagerlandiæ, & ad eundem, quum nosceret eum magis iustitiæ studio addictum, de tot cotidianis expoliationibus detulerunt per legatos suos querelas. Ipsæ quoque ad onera talia, quæ pro viarum defensione necessaria essent, perferenda & exponenda

nenda ſeſe obtulerunt. Itaque hoc ſtatim obtinuerunt, ut illis liberum eſſet, pro ſecuritate mercatorum hinc inde commeantium binas equitum copias ad 200. Segebergam transferre, ut ibi ſuccurſum & obſervantiam præſtarent. Quod adeo Comites alteros Holſatiæ Henricum & Nicolaum momordit, ut diverſionem hoſtilitatis à Iohanne expeterent: ſed quum ille hoc ipſis denegaret, proprio facto executores extitere. unde Imperator Ludovicus Bavarus in vindictam huius rei civitatibus miſit auxilium, ut ſupradictum eſt. Hamburgenſes igitur exeo ſemper quærebant occaſionem, quomodo ſe Imperio Comitum Stormariæ & Holſatiæ ſubducerent, & in libertatem plenam vindicarent: unde ſemper uſi ſunt auctoritate & patrocinio Imperatoris, nec minus per mare & terram undique maxime apud Anglos commerciorum auctioni incubuere ſtrenue, quod adeo animoſos eos pridem & ebullientes effecerat. Quoties occaſio ferebat, haut negligebant interpoſitionum ſuarum actus. velut An. 1349. factum, ubi quum nobiles illi ab Hemmelsbuttel, (quos tamen Ionas ab Elvervelt in enumeratione familiarum nõ obſervavit) arcem Hogenſtegianam hæreditaria poſſeſſione adhuc tenerent, & inde perpetuis ſpoliis incumberent negotiantibus mercatoribus, ex iure confœderationis Hanſeaticæ civitates Lubeccen. & Hamburg. advocatis in auxilium Comitibus Holſatiæ, oppugnare cœperunt, quod etiam continuarunt ita Comites, donec direpta arce illa nobiles eos penitus ex ditionibus ſuis expuliſſent. Inde vero tantus reliquorum nobilium, quorum capita erant, Marquardus Weſtenſehe, & Luderus à Krummédick, motus fuit, ut etiam iſti Rendeſburgum ſibi oppignoratum prorſus adſignarent. Quod, quum Hamburg. & Lubeccenſes cernerent, ſua ſponte magna equitum & peditum manu Comitibus ſuppetias tulerunt, & hanc civitatem recuperarunt ſibi. Iis temporibus Comes Heinricus, quem propter indefeſſos labores & gloriæ adſiduæ ſtudium Ferreum dicebant, ſuis intentus erat moliminibus apud exteros, quod Hamburgenſibus quoque ex uſu erat, qui eadem laborabant æmulatione, ut magis in cõmerciis & potentia fluminis Albidos exditeſcerent. Ideoque inſinuarunt ſe aulæ Imperat. Caroli IV. primitus Anno 1359. ut contra piratas & ſpoliatores obtinerent Mandatum: Quod quum bene ſuccederet illis, iterum quid tentarunt An. 1365. & Comitibus ac ſociis non animadvertentibus obtinuerunt quoddam privilegium. Utriuſque tenorem ipſi ita in actis contra Ducem Lunæb. Chriſtianum ac conſortes litis in Camera, quum reſtitutionem An. 1620. peterent, produxere, & ita ſe habent.

Commiſſio Protectorialis à Carolo IV. Imperat. Hamburgenſibus pro tempore Anno 1359. conceſſa.

CArolus IV. divina favente Clementia, Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, & Bohemiæ Rex, Conſulibus & communitati civitatis Hãburgenſis, Bremenſis Diœceſis, fidelibus ſuis dilectis, gratiam ſuam & omne bonum. Imperialis thronus, à quo iuſtitia & iudicium procedit, æquum exiſtimat, ut iniqui bonorum pacem & quietem turbantes, debitæ ultionis gladio feriantur. Sane pro parte veſtra Iohannes Decanus Eccleſiæ Hamburgenſis noſtra Maieſtatis præſentia conſtitutus propoſuit, Quod Mercatores & aliæ perſonæ in mari ac fluvio Albeæ, nec non alias ad civitatem veſtram accedentes à piratis & ſpoliatoribus ſtratarum publicarum frequentes iniurias ſuſtinent & iacturas. Unde, ut malefactores prædicti à flagitiis retrahantur, pronunciamus, declaramus & dicimus, Piratas naves invadentes, bona mercatorum & res rapientes, aut naufragium patientibus, in navibus & aliis rebus ſuis quomodolibet iniuriam irrogantes, ſeu agricultores, dum terram colunt, & operi ruſticali operam dant, animalibus vel inſtrumentis ſuis ſpoliantes, vel ipſos capientes, infames eſſe & omni honore ipſo iure privatos. Quo etiam piratas & ſpoliatores infra territorium veſtrum perquirendi & capiendi, & ſecundum ſacras leges debita pœna damnandi cum receptatoribus & defenſoribus eorundem, vobis tribuimus liberam poteſtatem. Bona quoque veſtra & poſſeſſiones quaſcunq; noſtra Imperiali protectione cẽſemus gaudere, donec nos aut ſucceſſores noſtri Imperatores ſeu Reges Romani præmiſſa duxerimus revocandum, & dummodo vos in obedientia, fidelitate & ſubiectione noſtra & Imperii fideliter maneatis, præſentium ſub Imperialis noſtræ Maieſtatis ſigillo teſtimonio literarum. Datum Pragæ, Anno Domini milleſimo trecenteſimo quinquageſimo nono, indictione duodecima, ſecundo idus menſis Octobris, Regnorum noſtrorũ anno quartodecimo, Imperii vero quarto. Per Dominum Imperatorem Conradus de Siſenheym.

Imperat. Caroli IV. de An. 1365. Conceſſio pro nundinis annuis, annuatim civitati Hamburg. data.

IN Nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis feliciter, Amen. Carolus IV. divina favente Clementia Romanorum Imperator, ſemper Auguſtus, & Bohemiæ Rex. Ad perpetuam rei memoriam. Inter cæteras ſollicitudinum curas, quibus circa gubernationem Sacri Romani Imperii noſter frequenter diſtrahitur animus, illa tamen nobis eſt cura præcipua, & ad illa ſedulum ſemper deſtinamus affectum, quæ commune bonum promovere videntur, & fælicis Reipublicæ generare continuum incrementum ſacratum terratum Alamanniæ, & eas inhabitantium profectum uberem, & eorum ſtatus meliorationem: gratuita conſideratione penſantes, præſertim, quod fluvius Albea dictus è Regno noſtro Boemia fluens ad mercimonia ſive merces ſuper ipſo hinc inde ducendas aptus ſit & valens, ſic quod multis circumiacentibus locis fructum & utilitatem poſſit importare, ex certa noſtra ſcientia, animo deliberato, ſanoque Principum, Comitum, procerum noſtrorum, deliberante conſilio, ex nunc in antea annis ſingulis duabus ſeptimanis ante feſtum Pentecoſtes, & octo diebus poſt dictum feſtum continue ſequentibus, in civitate Hamburg. ſuper fluvio Albea prædicto nundinas annuales, quę alias annuale forum vocantur, auctoritate Cæſarea, & de plenitudine Imperatoriæ poteſtatis ſtatuimus, indulgemus & decernimus perpetuis affuturis temporibus celebrari per tres ſeptimanas prædictas numerandas continuo annis ſingulis duraturas.

Ita

Ita videlicet, quod univerſi & ſinguli ad dictas nundinas, de quibuſcunque partibus accedentes, ibique per prædictarum trium ſeptimanarum ſpatium, vel circa morantes & abinde recedentes, omnibus libertatibus, bonis conſuetudinibus, iuribus & gratiis gaudere debeant & perfrui, quibus in & ſuper aliis nundinis civitatum Imperii gaudent vel quomolibet potiuntur. Decernimus inſuper & expreſſe volumus quod cives & univerſitas civitatis Hamburg. prædictæ, Mercatores & advenas, nundinas præfatas tempore præſcripto viſitantes, una cum eorum bonis & rebus, ab omni moleſtia, iniuria ſeu violentia iuxta ſuam poſſibilitatem tueri, manutenereque ſine doli ſcrupulo debeant, & fideliter defenſare. Requirimus igitur & hortamur attentè univerſos & ſingulos Principes, Eccleſiaſticos & Seculares, Comites, Barones, Nobiles, civitatum & oppidorum communitates, qui præſentibus fuerint requiſiti, fideles noſtros dilectos, eiſque & eorum ſingulis ac aliis omnibus noſtris & Imperii Sacri fidelibus, præſentibus pariter & futuris, auctoritate imperiali firmiter præcipiendo, mandamus.

Quatenus univerſos & ſingulos ad prędictas nundinas, tempore ſupradicto venientes & abinde etiam recedentes in nullo moleſtent, ſed eis potius per loca & territoria ſua de ſecuro tranſitu & conductu prouideant, eoſque à violentiis & iniuriis quibuſlibet protegant & defendant, nec permittant ab aliis quomodolibet impediri, ſed in ſupradictis libertatibus, iuribus & bonis conſuetudinibus, protegere debeant, & efficaciter defenſare. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc noſtri ſtatuti, indulti, decreti & mandati paginam infringere, ſeu ei quovis auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præſumpſerit, indignationem noſtram graviſſimam, ac pœnam mille marcarum puri auri, toties, quoties contra factum fuerit, ſe noverit irremiſſibiliter incurſurum, quarum medietatem ærario ſeu fiſco Cameræ noſtræ Imperialis, reſiduam vero partem iniuriam paſſis decernimus applicari.

Signum Sereniſſimi Principis ac Domini, Domini Caroli Quarti Romanorum Imperatoris invictiſſimi, glorioſiſſimi, Bohemiæ Regis.

L. S.

Teſtes huius rei ſunt Illuſtres, Rudolphus Dux Saxoniæ, Sacri Romani Imperii Archimarſchallus. Otto Marchio Brandeburgenſis, Sacri Romani Imperii Archicamerarius, Principes Electores venerabiles. Iohannes Sanctæ Pragenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus. Bertoldus Eyſteten, Imperialis noſtræ aulæ Cancellarius. & Albertus Luthoniuſſelen, Eccleſiarum Epiſcopi illuſtres: Henricus Bregen, Rubertus Lognicea, Kazmirus Stetinen, Duces ſpectabiles, Burchardus Burggravius Magdeburgenſis. Iohannes Landtgravius Luchtembergen. Heinricus Comes de Montfort. Nobiles Slabco & Borſo fratres de Roſenburg, Fridericus & Theodoricus, fratres de Schonemburg, Thymo de Koldis, Petrus & Iano de Wartemberg, & quam plures alii noſtri & Imperii Sacri Nobiles & fideles. Præſentatum ſub Bulla aurea Typario noſtræ Maieſtatis impreſſa teſtimonio literarum. Datum Pragæ, Anno Domini milleſimo trecenteſimo ſexageſimo quinto, Indictione tertia, quarto Calendarum Febr. Regnorum noſtrorum Anno decimo nono, Imperii vero decimo. Et ego Bertoldus, Dei & Apoſtolicæ ſedis gratia, Eyſteten: Epiſcopus, Sacræ Imperialis aulæ Cancellarius, vice Reverendi in Chriſto Principis, Domini Gerlaci Moguntinenſis Archiepiſcopi, Sacri Romani Imperii per Germaniam Archicancellarij, recognovi, per Dominum Imperatorem. Petrus Iamen.

Inde igitur, quum Hamburgenſes animis altius exurgere tentarent, ut non tantum ſociis in Hanſeatico fœdere lites moverent, & alio conamine ſe ultra Bremanos extollere ſatagerent (ceu Bremenſibus controverſiam de prærogativa in conventibus publicis Anno 1374. apud Hanſas movebant pro recordatione priſtini Archiepiſcopatus, ubi tamen cauſa conciderunt ex deciſione confœderatorum, ut infra explicabitur plenius) ſed etiam contra Comites Holſatiæ inſurgerent, altiora ambire cœperunt. Quum enim ex his & talibus dictis iam privilegiis particulariſſimis ſane, quæ ſaltem meras partim nundinas ad certum tempus indulgent, partim ad petitionem Archiepiſcopi onus executionis illis imponunt, ſingularem ſtatum talem ſibi confingerent, quibus ſe ſubiectioni Comitū Holſatiæ ſubducere conabantur; & ipſi Comites prætudicia eiuſmodi, quæ per novam interpretationem ſibi arrogabant, impugnarent fortius, nec eos ex ſubiectione ob talia artificia, quæ ipſis inſcientibus machinati primitus Hamburgenſes fuerant, dimittere poſſent; factum eſt, ut Imperator ipſe Carolus IV. An. 1375. Lubeccam ſub hac diſputatione perveniret, ubi ita ſplendide habitus fuit, ceu ſupra dictum eſt. Comites quoque Holſatiæ occaſionem hanc non prætermittendam putarunt; ſed ipſi ſimul ſe ad debita ſervitia obtulerunt Cæſari. Sic & Hamburgenſes ſibi & ſuæ civitati invigilandum duxerunt, quod opportune accidit Comitibus. Litis igitur huius cauſſa publice à territorii Dominis propoſita fuit, ubi maxima ſimul fuit querela de nimia Hamburgenſium elatione, & quod dictis artibus in prætudicium Dominorum ſuſceptis, penitus ſubiectionem & obedientiam Dominis ſuis debitam diſſicere, & ſe plane propter talia privilegia ſtatum nullum mutantia, ſed meras nundinas concernentia, ex poteſtate eorum eximere ſtuderent. Hamburgenſes è contra legitimi tituli exiſtimabant ſua privilegia, & ſupplices rogabant, ut Liberis Imperii civitatibus accenſerentur. Quare quum ſe utraque pars litigantium iudicio Cæſaris ſtatim in loco abſq; ulteriori dilatione ſubmitteret, cauſſa ſatis cognita, talem Imperator Carolus IV. pronunciavit ſententiam; Quod civitas Hamburgenſis nulla cum ratione ſolida eiuſmodi ſibi adſcribere poſſet libertatem, quæ penitus eam ab obedientia debita & à Comitum Holſatiæ dominio eximeret; ſed quod merito & omni iure Comites Holſatiæ tanquam ſuos Dominos territoriales agnoſcere deberet; cui declarationi etiam expreſſe annexa fuit ea interpretatio privilegiorum, quod nullarenus in prætudicium ullius eſſent ipſis conceſſa; ſed ut ſaltem communi Imperio Romano iis inſervire deberent, abſque alterius detrimento & damno. Ceu in eundem modum *Cranz. lib.* 10. *cap.* 2. *Sax.* talia ferme refert.

Nec

Nec ſolum Lubeccæ dictata fuit Hamburgenſibus ea ſententia; ſed etiam Imperator Carolus IV. ex Tangermunda reſcriptum ad eos miſit, quo præcipiebat illis, ut Ducibus Holſatiæ debitam obedientiam deinceps præſtarent. vide *Chyt. lib. 22. pag. 599.* Hanc quum ſententiam bis deciſoriam Imperatoris abſtuliſſent, adeo admomordit eos, & uſque ægre tulerunt, ut in reditu ſuo confeſtim ſtatuam Rolandicam, quam pro ſigno libertatis ſuæ in ponte, qui inde adhuc ita vocatur, erectam tenebant, furore pleni deſtruxerint & diripuerint. Exinde poſtea Comites Holſatię pro Dominis iuxta prolatam ſententiam & pacta ulteriora agnoſcere coacti ſunt. *Iohan. Petr. in Chron. Holſ. part. 2. p. 263.*

Etenim nimia talis extentio (ut in actis iudicialibus Cameral. cauſſæ huius, à Duce Lunæb. & conſortibus contra Hamb. toties vocatur) iuris ſuis limitibus circumſcripti merito in ordinem erat redigenda, ne præiudicium pareret Dominis provinciarum, aut vicinis aliis, nec iterum in alium detraheretur abuſum. Magna fuit hæc inſcitia Hamburgenſium, (uti Dauthius loqui ſolebat) quod ita inſipide Rolandum ſuum deiecerint, quum nec ipſi, neque Duces Holſatiæ vim ſententiæ intellexiſſent. Etenim tacite quid iuris ratione regalium ſibi Imperator reſervabat, quibus renunciare illi inconſulte facto ipſo viſi ſunt. Nihilominus iterum variis modis, & quidem è longinquo moliti ſunt quid ſimile, ubi ea uſi ſunt Hamburgenſes argutia, ut cum vicinis civitatibus paciſcerentur, ne ab illis querela ad ſuperiores deferretur, ſicut ipſi in actis haud obliquè id innuendo confitentur, idemque in exemplo cum Wortſatiis initi contractus de Anno 1116. evidenter declarant, ut ſit: Turim Novæ Ocht ſive novi operis, alias Nigewerck, in ſuam redegerint poteſtatem, cuius rei approbationem quaſi à Bonifacio ſub prætextu altaris portatilis petiverè, &c. Proinde etiam eiuſmodi conatus ſub & obreptionis in ſcripto aliquo publico, quod declarationem eorum ſubterfugiis oppoſitam vocat, Martinus vander Meden amicus meus, nuper Anno 1622. ſub dato Stadæ 18. Febr. in cauſſa defenſionis pro libertate navigandi in Albidos flumine publico illis obiecit. Et notabile in primis eſt, quod *pag. 5. & 6.* ponit, in hunc ſenſum iiſdem exprobrando, quod non tantum in ignominiam maiorum, ſed etiam contra ſententiam & mẽtem ipſius Imperatoris, gratioſum illud privilegium & beneficium ſupra poſitum & ſpecialiter in nudas nundinas certo tempore quotannis definitas, & circumſcriptive determinatas, contra ſcientiam & cõſcientiam in detrimentum proximorum ac maxime confœderatorum ad ius Emporii & Stapulæ extendere ſtuduerint. Hamburgenſes ipſi in petitione articulata pro reſtitutione in integrum adverſus latam ſententiam Cameræ art. 72. confitentur ingenue, ut eorum habent verba: Quod quidem hodie navigatio libera ſit in maribus & fluminibus; ſed ſalvo iure Geranii, ſiſtendi & ſtapulæ (N.B.) ex cauſſa publicæ utilitatis, &c. Verum quum ſub hoc mutuatitio prætextu cauſſæ publicæ maxime non tantum proprium commodum, ſed etiam ſuppreſſionem proximi, confœderatorum, vicinorum principum, & Domini proprii, adeoque monopolium & ante omnia dominium ſingulare in Albim, uti nunc id in aliquot propoſitionibus ad Reg. Dan. haud obſcure detegerunt, quærerent potius, ait Medenus, ſe inde Patriæ ſuæ & veritatis in hoc ſtudioſum præſtare voluiſſe; Etenim, ait, nonnihil exactius ſecundum hiſtoriæ ſeriem examinare, & nævum illum, quem Hamburgenſes confœderatis civitatibus & vicinis diffamatione haut convenienti affricare non veriti ſunt, ſcripto aliquo detergere debui. Quamvis autem hoc ſcriptum adeo fundamentaliter omnia deducat iuxta hiſtoriarum verificationem, ut vix refutari ſolidis rationum argumentis queat; tamen, quũ etiam ſumme neceſſaria moneat, quid videlicet inter nundinas & ius Stapulæ, quod plurimi ignorant litterati, interſit, & quomodo ſub eo prætextu novæ exactiones navigantibus & commerciis paſſim imponi, item monopolia ita occulte inſtitui, & libertas navigandi reſtringi aut inhiberi poſſint, ac demum quodnam inter commiſſionem Cæſaris pro vindicandis piratis & fluminis publici purgatione, atque Dominii inde falſa appropriatione, diſcrimen tenendum ſit, id hac occaſione propter informationem meliorem rei & facti nonnihil iuxta Medeni deductionem erit perluſtrandum; præſertim, ut inde in ulteriori Hiſtoriæ huius deductione poſſit vera cognitio rei hactenus artificioſe ſuppreſſæ colligi, eoque rectius diiudicari.

CAP. XX.

De nundinis, iure Stapulæ, & foro promercali, vectigali, exactionibuſque, quomodo inter ſe differant, nec non Dominio in flumen Albidos Hamburgenſium, & quale ſit.

PRo vulgivago axiomate hoc Phyſici venditant, quod unius corruptio alterius ſit generatio; ita quoq; hoc dici poteſt de Hamburgo. Namque facies quam varia & ſtatus durus incolarum talium fuerit, id partim ex ſupradictis facile colligi poteſt. At poſtquam Bardovicum, urbs Germanorum & Saxoniæ antiquiſſima ab Henrico Leone eſſet extincta, atque inde Lunæburga florere magis inciperet ex navigatione & ſalis commercio; ſtatim quoque illi æmulam ſe quidem Hamburga exerere voluit, ſed quum nimis adſpiraret, & auctores urbis ipſos tot machinis impeterent, ab Imperatore Carolo IV. pertulit eam ſententiam, ut iam dictum eſt. Quid igitur aliud heic iudicari poterit, quam quod merito à primordio tituli, poſterior ſervetur eventus? Nam qualis tum fuit præſens ſtatus, ex ea ſententia & pacto demolitione que ſtatuæ Rolandinæ patet; ſi talis præſumitur nunc, fuiſſe originem ſimilem, facile concludi poſſet *ſecundum gloſſ. communiter. Boer. deciſione 42. Veſq. in lib. Illuſt. qq. cap. 1. nu. 16. ad fin. cap. 47. nu. 9. uſque ad fin.* & alibi paſſim. Nihilominus mirum cuivis bono merito videtur, quod contra naturam conſociati amoris, propter nimium ſui commodi ſtudium, tam acri & pluſquam ſarcaſtico ſtilo vicinas & confœderatas civitates, videlicet Lunæburgum, Stadam, & Boxrehudam, *in art. 53. 54. & ſeqq.* petitionis pro reſtitutione in integrũ An. 1619. contra notorietatem apertam Hamburgẽſes compungere atque iiſdem commoditatis & naturalis iuris ſtatum abnegare aut ſutripere voluerint: dum mox ſibi ex iure quæſito vendicant ius ſtapulæ in ſi-

in fistendo & exonerando commercia *art.* 38. mox fluctuando ex dominio maris & fluminis arrogatione, sibi sua dubitanter conficiunt axiomata. *art.* 70. mox sibi contradicendo privilegia ex Caroli Magni ac filii eius Ludoviti Pii fundatione, quum eam urbem in Ecclesiasticis Metropolim constituerit, conjecturaliter conficiunt: *art.* 34. &c. Inde Martinus à Meden adeo cupide commotus est, ut Refutatorium illud composuerit scriptum, in quo libertatem verâ commerciorum solide, & è contra Hamburgensium violentas coactiones ad vivum depingit. Velut etiam non sine admiratione eorum axioma, quod *art.* 70. ponitur, cognosci poterit, quum contra ipsum naturæ ordinem & constitutionem ponant; Quod etiam in mari, quo tamen nihil plane æstimari communius possit, aliquod ius imo etiam dominium (ita imperterriti loquuntur) ad navigationem pertinens adquiri; Unde minus dubii hoc habere potest, in flumine publico, qualis est Albis, &c. Verum quis, si non careat integris sensibus, sibi hoc persuaderi sinat? Facile quidem est, quidpiam affirmare pro vero; sed quod ipsa natura extra proprietatem alicuius constituit, quomodo id in dominium tale cogas? Quia naturæ ordo hoc commune esse non permittit, sed iubet, ait auctor *in lib. de mari libero cap. 5. pag. 21. Vide Donell. lib. 4. com. ca. 2.* Proinde non tam iure gentium, quam ipsius naturæ quibusvis ad quosvis libera manet navigatio in mari. Namque nec ibi valet titulus inventionis, donationis, occupationis, præscriptionis, aut consuetudinis, &c. nedum ius ullum Dominii, ut *cauß. dict. aliquot cap.* id satis luculenter demonstrat. Nec obstant, quæ *ex part.* 2. *Heg. quæst. 40. num. 54. aut Bod. lib. 1. cap. 10. pag. 267.* quis obiiciat, quum ius naturæ & gentium iure civili longe sit validius. Tum etiam ex ipsa lege civili præscriptione aut tali modo consuetudinario acquiri prohibetur, quę in bonis esse nequeunt, *l. sed Celsus. ff. de cont. empt. l. usucap. ff. de usucap. l. sine ff. eod. sine poss. de R. S. in 6. l. alien. ff. de v. sig. l. si fund. ff. de fund. dot. l. præscript. C. de oper. publ. l. diligent. C. de aqua duct. &c.* Attamen ipse Prodinus & auctores reliqui confitentur ingenue, quod si quodammodo quid iuris attribuendum in mari veniat, id ad neminem alium nisi ad Principem sive Imperatorem spectet. Nec dubium est quin ipsi id confiteri velint, quum ita fluctuabunde ad nomen Metropolios in Ecclesiasticis, tanquam ad sacram anchoram convolent; quum inde salvationem aliquam adsertionis suæ petere satagant. An vero quem latere potest, in qua re Metropolis tunc illa Hamburga dicta & cõstituta sit cum reliquis? An in commerciis? an vero rebus Ecclesiasticis? Quæso cui rei locum Metropoliticum hunc consecravit D. Imperator? Mire Helmboldi antiquitatem, quod ille circa tempora Henrici IV. id est, An. 1096. &c. vixerit, extollunt *art.* 25. & eius auctoritatem præ reliquis valere volunt. Quur igitur supprimunt materiam subiectam, de qua ille loquitur? An ibi de dominio maris, & instrictione navigationis, & iure Emporii, aut commerciis ullis agit? An potius de cultu Domus Dei, & animarum regimine? Audiatur heic historicus ipse, si forte sit, qui ignoret, & fucus detergetur illi: Hic (inquit, Ludovicus sæpius) ubi super Hammenburg, Patris sui (Caroli Magni) comperit vorum, communicato statim sapientum concilio, sanctissimum virum Anscarium, quem & aliquando ad Danos & Suedos prædicatorem direxerat, Hammenburgensi Ecclesiæ ordinari fecit Archiepiscopũ, statuens eandem civitatem Metropolim universis, (N. B.) ut legatio verbi Dei exinde uberius pullularet in omnes barbaras nationes. Quod & factũ est, &c. Ergo & sic Metropolis ad instantiam Pontificum (ut ulterius testatur) dissemination Verbi Dei facta est. Videatur quoque *Chytr. de Metropol.* ubi late vim & intentionem talem explicat, & quomodo ac quur Germania in 6. Metropoles, seu Archiepiscoporum sedes divisa sit. Quur itaque non hodie quoque est Metropolis? An non quia sedes Archiep. Bremam translata est? Ergo cessante causa etiam cessat effectus, quod simul exprimi debuisset. Verum quũ neque hoc satis firmum putarent fundamentum, ideo quidem ad partem ultimam ostii Albiae recurrunt, & ibi simul producunt concessionem altaris portatilis, quod supplicibus An. 1296. à Pontif. Bonifacio 8. ad Missam faciendam pro iis, qui in turri novi operis excubias ad extremitatem istorum finiũ agunt, obtinuerint; producunt quoque simul connivantiam & specialem amicitiam, quam Anno 1316. feria quinta ante festum Palmarum cum Iudicibus, Consulibus & universitate terræ Wortsatiæ inierunt: verum quo artificio totum istum tractum Ritzbutelensem in suã potestatem redegerint & à Lappenis olim illis Nobilibus sedem tantum sibi appropriarint, eam historiam plane silentio ficco supprimunt, ne fortasse inde omnia reliqua in ullam suspicionem vacillationis abripi aut trahi possent, aut apertius de variis aliis pateret iudicium. Ita etiam mire se confundunt, dum australe brachium *art.* 44. & 45. quod ante 300. unquam fuerit, negant, quo ipso clare demonstrant, ac semetipsos convincunt, quod ex obstructione, quam ipsi loco Gammerico tunc obiecere, violentiam eã fluvius ab altera parte caussarit. Verum quum variis fluctuationibus suis in eo publicato scripto iuxta articulos tales semetipsos oppugnent, ut ait Meden, nec aliud firmius in conquisitis latibulis fundamentum sibi & causæ fragili inveniant, toties relabuntur ad Caroli IV. mandatum specificum, nundinis annuis solummodo deputatũ. Miratur proinde Medæus, quod ex tam sinistra interpretatione huius illustris mandati, de alia prorsus re loquentis, sibi ius talis stapulæ, quod ipsi contra omnes vicinos & accolas in eorum extremum detrimentum tam male practicantur, confingere & iudicialiter id probare conentur? Verba eius sunt: Nimium est, quod posteri hi (inquit) in despectum malorum suorum, tam nimia confidentia, præter decorum, ex simplici tali Privilegio nundinarum, vectigalis & stapulæ ius sibi confingere & probare ausint, ac non vereantur coram supremæ iustitię iudicio aut laudabili Cæs. Cam. tribunali nec nõ publicis typis idem in conspectum totius mundi nimis temere producere: Imo nec erubescant hoc quasi fundamentale omnibus reliquis Cæsareis Mandatis, Privilegiis & confirmationibus (quas iuri stapulæ suo cum magna reputatione iuxta eorum opinionem produxerunt) præferre & extollere. Quum tamen ipsa veritatis manifestatio testetur hoc, quod, si dictum Privilegium, aut potius respectu civitatis Hamburgensis Mandatum Carolinum iuxta tenorem rite examinetur, ex eo cuivis rationis cõpoti hominum statim pateat; istud rescriptum nil magis, nec ulterius quid impor-

importasse, quam (1.) meram dispositionem aut nudam ordinationem nundinarum; atque eam (2.) certo & nominato tempori cuiusque anni sequentis destinatam, videlicet duabus septimanis ante & uni post festum Pentecostes, quod, tempus sæpius in eo repetitur: hoc modo (3.) & cum tali conditione libertatis, veluti in aliis passim locis nundinæ in Imperio Nationis Germanicæ celebrantur: Atque (4.) id omne in communem salutem omnium reliquarum ad Albim terrarum & locorum, provinciarum & civitatum, & quidem pro securitate & libera consuetudine omnium mercatorum, qui tunc (5.) propterea nullo plane onere gravari aut premi, sed multo magis tam ab Hamburgensibus ipsis, quam etiam ab omnibus Principibus & magistratibus vicinis in & extra Hamburgum contra iniquitatem inferentes defendi & protegi debeant; Atque hæc omnia sub dictamine pœnæ in mandato nominatæ, &c. Hactenus Medænus.

Unde patet, & ipsum Mandatum id aperte loquitur, quod in nullius loci aut negotiantis detrimentum ex eo quid vergere queat; nedum quod ad alia extendi debeant generalia, quæ ipsa prorsus ignorat littera: velut etiam tradunt Dd. à verbis privilegiorum & propria eorum significatione non esse recedendum: *Paris. cons.* 22. *n.* 6. *lib.* 4. Ubi etiam scribit nullum verbum in Privilegio censeri frustratorie appositum, & sine effectu operandi. Quæ cum pluribus aliis similibus copiose deducit *Iob. Petr. Anchar. q.* 23. *n.* 5. *v.* 7. 8. *Alvar. Valasc. decis. Lusitan.* 58. *n.* 8. 9. *Rol. à Vall. cons.* 2. *n.* 7. *usque ad fin. maxime n.* 47. 48. *lib.* 4. *Cephal. cons.* 431. *n.* 220. *cum seqq.* Stat ergo fixa & irrefragabilis sententia & intellectus privilegii, quod de specie certa & determinata loquens, nulla ratione ad universalem locutionem aut genericam possit in altitudinem retrahi, quum specifica differentia omnem à se excludat genericam acceptionem. Nundinæ, ceu ex ipsa nominis appellatione ac re ipsa apparet, toto cœlo à iure stapulæ, fori mercatorum, emporii, & appulsu principali mercium distant. Etiam qui sensu communi prope careat, rectius hæc posset distinguere. Sed non mirum, quum proprii commodi studium & amor, tam fortes possit gignere mortalibus mentium impressiones, ut inde etiam erranti lingua quid sequius proferatur, modo appetitui id suum in exaturatione sistat scopum. Nihilominus iusta & rectiora sapientibus paucula quædam de Nundinis & iure stapulæ, quum hoc vocabulum apud ICtos veteres non adeo usitatū sit, afferemus, ut quivis in tali certamine quod hodie admodum frequens est, huic avarissimo mundi seculo, quid certi iudicii sibi inde concipere queat.

Nundinarum igitur vox ipsa indicat, quod certe non adsiduum appulsum & cotidianum appellendi & advehendi actum denotet, sed ipsa denominatio id manifeste exprimit, quod intercapedinem temporis octo dierum sive tot partium dissidium interponat, quasi dicerentur Novendinæ à die nono, ac iste dies esset paganorum & institorum mercibus dicatus; unde Festus ait: Nundinas feriatum diem esse voluerunt antiqui, ut rustici convenirent mercandi, vendendique causa, eumque nefastum, ne, si liceret cum populo agi, interpellarentur nundinatores. Quod ita & asseverat Paulus. Attamen Titum de feriis scribentem, Nundinarum dies non inter ferias retuliſſe, sed tantum solemnes vocasse, & idem hoc Iulium Modestum ita fecisse, quod nundinæ non possent feriæ videri, refert *Macrob. Saturnal. lib.* 1. *c.* 16. Verum id Iulius Cæsar prorsus negavit, quod die nundinarum concio posset advocari, id est, cum populo tunc agi; ideoque nec nundinis Romanorum habeti comitia potuisse: attamen & lege Hortensia effectum, ut festæ essent postea, uti rustici, qui nundinandi causa in urbem veniebant, lites componerent. Nefasto enim die Prætori fari non licebat. Alias enim apud Romanos feriarum quatuor fuerunt genera; Stativæ, Conceptivæ, Imperativæ & Nundinæ, ut notat *Alex. ab Alex. genial. dier. lib.* 5. *cap.* 7. *vid. Rosin. lib.* 4. *de antiq. Rom.* qui ibi etiam originem earum ex sermonibus Macrobii explicat, cum Varrone & Rutilio id faciens maxime, quod Romani instituerint nundinas, ut octo quidem diebus in agris rustici opus facerent, nono autem die, intermisso rure, ad mercatum, legesque accipiendas Romam venirent, & ut scita, atque consulta frequentiore populo referrentur, quæ trinundino die proposita, à singulis atque universis facile noscebantur. Unde etiam mos tractus est in Germaniam, ut simili modo in civitatibus passim singulis septimanales nundinæ vel potius mercatus minores celebrentur, sed legibus aliis; nō ut nonus sit dies; sed septimus, velut norma Scripturæ sacræ & Verbum Dei id exigit, ut septimo die quies sit sancta omni carni. Unde & septimana quidem recte, distantia tot dierum dicitur, & eæ tunc celebrantur semel rusticis in singulo hebdomade nundinæ, quas **Marcktage** vocant. velut *Colum. de re Rust.* idem comprobat ex vetustate, quod Villicus, non urbem, non ullas nundinas, nisi vendendæ aut emendæ rei necessariæ causa, frequentaverit. *Lamb. in Aul. Plant. pag.* 133. At die trinundino leges aut novæ aut correctæ aut repetitæ promulgebantur, unde & tunc frequentior multitudo plebis adfuit: Ceu eundem morem adhuc in vegeto usu retinet civitas Magdeburgensis, quum ibi Metropolin Saxonicis suis determinet, ubi undecies singulis annis proclamatio publica fit legum, quam illi **Baurding** appellant. Nundinas vero septimanales, sive mercatus quælibet civitas ex Magistratus sui iussu celebrare valet, quum regalibus non adeo stricte accenseantur, & commercatus quasi tunc ex concessione superioris loci illius actus puterur. Magna tamen differentia est talium nundinarum, quæ singularem solemnitatem in annuo aliquo spacio continent, quū non unius ditionis concursum mercatorum, sed plurium etiam dissitarum regionum incolas & merces, quæ publicis indigent securitatibus per publicas vias, connectant, confluentiamque & distractionem commerciorum exigant, ut immunitates multæ ad tales actus maxime publicos, & negotiationes requirantur. Ideoque merito singularis ea observatur distinctio, ut Nundinæ aliæ sint vulgares & hebdomadariæ, aliæ autem annuæ & solemnes, quæ ab illis plane ita separatæ sunt, ut illæ nihil dignitatis habeant, &, quum solummodo ad usum commodiorem & sustentationem vulgi faciant, nec vici iis carere queant, à quovis Magistratu sine ullo privilegio institui possint. *Thesaur. decis.* 264. *n.* 4. *Bald. in l. unic. C. de nund. Sichard. ad rubr. ibid. n.* 2. *Cuiac. in parat. d. t. Boer. de regal. c.* 2. *n.* 239. Ideoque recte hanc dicto loco distinctionem ex *Cuiac. parat. d. C. de nund.* observat,

Quod etiam heic Nundinæ & Mercatus differant. Nundinæ, inquit, sunt celebriores Imperii vel unius provinciæ mercatus, qui habentur certis, statisque temporibus maximo conventu mercatorum in his locis, quibus ius eos habendi datum est beneficio Principis, aut longa consuetudine, [quales in Germania sunt nundinæ Francofurtenses, Lipsenses, Naumburgicæ, Magdeburgicæ die Mauritii quotannis, &c.] Mercatus vero sunt parvæ nundinæ, unius civitatis, aut vici, non ita celebres ut nundinæ, *Cuiac. in parat. d. t.* Atque hæ nundinæ & mercatus omnino nequeunt sine ullo privilegio aut Principis summi concessione aut licentia, dictas ob rationes, quod regalia quoque eius ingrediantur, institui. Imo solus Imperator maxime solemnes annuas concedit. *l. un. C. de nund. Ius Sax. lib. 3. art. 66. & lib. 2. art. 26.* Ac potest etiam eas civitati aut loco alicui pro lubitu cum caussa auferre & alio transferre. *Gail. 2. obs. n. 24. Tessaur. decis. 264. n. 2.* Velut ipsi ius erigendi civitates competit, quod concedendi nundinas sive mercatus publicos in sese complectitur, de quibus textus sunt expressi *in l. 1. ff. de nund. ibi.* nundinis impetratis à Principe. & *l. d. un. C. eod. Knich. de Sax. non prov. iur. verb. ducum. c. 5. n. 437.* Ceu huc facit, quod ferias solus Imperator indicere queat. *l. 4. C. de fer.* Nundinæ enim sunt feriæ, ut supra ex Macrob. patet, quod Iul. Cæsar omnino voluerit, ut etiam novenales essent feriæ, quod lege Hortensia simul approbatum fuit, & id liquidius probatur *ex d. l. un. C. de nund. Donell. lib. 24. c. 7. Mollerus ad novell. Const. Elect. Aug. part. 1. Const. 30. n. 6. cum seqq. Sichard. ad d. l. un. per tot. Eynsid. de reg. c. 2. n. 210.* Unde etiã talibus nundinis quasi sacrum quoddam tempus iuridice adiectum est cum privilegio quasi singulari, ne mercatores in exercendis commerciis & negotiationibus liberis, quæ bono publico inserviunt, impedirentur, ut in nundinis nemo conveniri sub prætextu privati debiti, ac molestiam pati, præcludique, seu, ut nunc loquuntur, arrestari possit *l. uni. C. de nund. & Const. Elect. p. 1. 30. Moller. ibid.* Quapropter hoc sequlo observatur, quod persona aut bona debitoris in nundinis arresto detineri haut valeant, priusquam illarum finitatem signum per campanam publice ad certum tempus detur. *Matt. Coler. de proc. execut part. 2. cap. 3. n. 156. Dan. Moll. lib. 1. Semestr. quæst. cap. 12. Bocer. de reg. cap. 2. n. 239. Carpzov. de regal. th. 4.*

Eam quoque ob causam, ne talibus publicis commodis quid impedimenti aut nocumenti improvide obiiciat Imperator, tam caute in eo procedere solet, & usus ita quoque communis id obtinuit, quod Cæsar aut Princeps summus nunquam alicui nundinarum talium privilegium dare consuevit, nisi prius adiacentibus & vicinis civitatibus & pagis aut eorum Dominis, quorum interesse posset, auditis. *Gail 2. Obs. 69. n. 26. Bocer. d. l.* Propterea que hodie in Gallia privilegium nundinarum à Rege impetratum ad Ballivos vel Senescallos dirigitur, ubi audita intercessione vicinorum omnium, ex litteris regiis ius nundinarum admittitur vel denegatur, *Godofr. ad l. 1. ff. de nund. Eynsid. tract. de Reg. cap. 2. n. 211.* Alias enim ni ita legitime res talis obtineatur, & maxime ex intercessione vicinorum, plerumque dolus heic sub nimio proprii commodi studio sepultus latet. Ideoque certe privilegium Magdeburgensium cum eorum fundatione tanti momenti est, ut omnibus dignitatem & palmam cum summo honore in his auferat, quum ex totius populi Saxonici imploratione talia privilegia nundinarum & reliquarum concessionum ab Imperatore Ottone illis sint impetrata. Ac nisi solemnitas hæc subsit, merito dici potest, quod per sup & obreptionem quid sit extractum. Namque in genere omnia iura civitatum à Sacra Cæsarea Maiest. & imperii supremitate dependent: Iura autem specialia consensu populi introducta sunt. *Dauth. in disc. cont. Com. Barbiens.* Ac nisi ita constent, non carent extremo vitio. Velut etiam Cic. acriter tales nundinationes *in M. Ant. Philip. 2.* reprehendit, imo ad fraudulentas actiones eius reiicit. Cuius domus, inquit, quæstuosissima est, falsorum chirographorum officina, agrorum, oppidorum, immunitatum, vectigalium, flagitiosissimæ nundinæ, &c. It. Imperium populi Romani huius domesticis nundinis imminutum est, &c. & *5. Phil. Orat.* de eodem hæc repetit: In interiore ædium parte totius Reip. nundinæ, &c. tantum videlicet damnum toti imperio & Reipubl. unius hominis aut civitatis sæpius nundinatio fucata vel παντηγυρία inferre potest, nisi cautio legitima adhibeatur. Quis igitur non iam claris hoc perspicit oculis, quid proprie genuina sua acceptione sint Nundinæ? An heic submisceri aut subintelligi queat ius stapulæ, aut Emporii quoddam continui, universalitatem quandam continentiæ secum inducens? Ubi determinatio rei certa, ibi sane nec indefinita potest accipi, quum mutuo sibi contrarientur, nec temporis intercapedo possit dici aut accipi de continuo. *Vide Gaef. Mastril. de Magist. lib. 3. cap. 10. num. 11. & seqq.*

Verum paucis quoque nunc patebit, quid sit ius stapulæ aut Emporii, sive forum publicum mercatus. Quamvis hoc ius valde fuerit semper in usu, & cum ipsis à principio cum commerciis florere inceperit: tamen inter ICtos vix sunt aliqui, qui ex professo quid de eo conscripserint. Unde etiam adeo confuse à multis accipitur, ut neque id, quod Emporii vigor exigat, recte diiudicetur. Inter ICtos Germaniæ inveniuntur tamen nonnulli neoterici qui parce satis eam tractarint materiam, ut *Mynsing. cons. 19. Sixtin. 2. de Regal. cap. 3. nu. 39. Henning. Goden Consil. 3. quibus Natta addi potest Consil. 657.*

Alias enim antehac non adeo hoc ius stapulæ secundum eam appellationem in usu fuit; sed ex Emporiis Hanseaticis in consuetudinem traductum est, ut proprium eorum dicatur verbum, ceu **Stapelen** nil aliud est, quam merces exponere, & iterum compingere. Inde quum ius Emporii etiam stapulæ in caussa Hamburgensi vocaretur, illis est à Camera Imperii impositum, ut novo libello id explicarent. *Meden. in Refut. sua pag. 99.* Notius alias enim est nomen Emporii, ut videre est *apud Cic. lib. 5. ad Att. Epist. 2.* ubi mentionem Emporii Puteolanorum facit. Ast hodie quæ Dauthius de hac stapulæ conscripsit materia, nondum videre lucem. Ut tamen aliquid perfectius percipiatur, ante omnia Synonyma & locutiones genuinæ sunt observandæ. In iure Weichbildico Saxonum *art. 9.* refertur, quod Mercatores Cæsarem sollicitarint, ut illis ius altius commercii concederet; & habet textus hæc verba: Atque tunc Rex concedat illis alia sublimiora & talia iura, qualia ipse cotidie in sua observabat aula, &c. Dauthius, qui præ reliquis ICtis in talibus fuit accuratus, ex

compa-

comparatione Colonienſis civitatis, quæ cum Magdeburgenſi in eadē collationis paritate, *art.1.Weichb.* conſtituitur, rite tali Iuri adſcribit ius Emporii, Geranii, ſiſtendi, præſentandi & exonerādi, ſtapulæ, & vocat hoc forum Mercatorum contradiſtinctum à foro cauſſarum, ceu illud rite ex ipſo textu *art.9.d.* expeditum ſapienter reddidit. Signum autem huius iuris attributum eſt ſpeciale in Emporialibus ædibus, ſive forenſibus talibus, quas textus Weichcuſer dicit. Ceu etiam *Iohan.2.v.16.* οἶκος ἐμπορίου domus mercatus talis locus vocatur.

Quid vero ædes eiuſmodi forenſes ſint, id gloſſa in triplici ſignificatione ibidem plenius explicat, &c. Ex quibus manifeſte apparet, quod domus talis publica Weichauß dicta, non tantum curia aut forum cauſſarum ſed etiam forum maxime Mercatorum, ſive communis appulſus domus aut Depoſitorium ein Fluchthauß / ad quod omnis generis commercia & merces pertrahuntur & deponuntur, & præſertim quæ per maria ac flumina navigabilia illuc adſiduo & cotidiana continuatione tranſportantur. Quod enim Græce ἐμπόριον ab ἐμπορία id eſt negotior, vel potius ab ἐμπόρος, Matt.13.45. quod & mercatorem, & vectorem, qui mare traiicit, quaſi mercatores nomen ſuum à peragrando & proficiſcendo habeant, denotat: Emporium id Latine rite per forum deſcribitur; non autem ſecundum Iſidorum, qui forum à fando vult denominari; ſed potius iuxta Varronem vel à ferendo, quod ibi omnia venalia, etiam cauſſæ, conferantur: vel à foras, quod ſub dio fiant tales negotiationes, derivatur. Recte dicit Feſtus, quod 6. modis forum intelligatur. Primo negotiationis locus, ut forum Flaminium, forum Iulium, ab eorum nominibus, qui ea fora conſtituenda curarunt, quod etiam locis privatis, & in viis & in agris fieri ſolet. Alio, in quo iudicia fieri, cum populo agi, conciones haberi ſolent. Tertio, cum is, qui Provinciæ præeſt, forum agere dicitur, cum civitates vocat, & de controverſiis eorum cognoſcit. Quarto, cum id forum antiqui appellabant, quod nunc veſtibulum ſepulchri dici ſolet. Quinto locus in navi; ſed tum maſculini generis eſt, & plurale. Sexto fori ſignificant Circenſia ſpectacula, ex quibus etiam minores forulas dicimus. Inde & forare, & foras dare, & fores, & foras, & forecula id eſt oſtiola dicuntur. Hæc ille. Verum nos cum Roſino *lib.9.cap.7.de antiq. Rom.* omiſſis reliquis, de iis tantum foris, quo res conferrentur, dicimus. Quorum quidem duo apud Romanos fuerunt genera. Alia enim ad urbis ſplendorem facta erant, in quibus hominum conventus fiebant, vel negociorum civilium, vel delectationis cauſſa: Alia ad communes populi uſus parata negotiantibus patebant. Quæ vero fora negotiis civilibus tractandis fuerunt comparata, hæc ſunt: Romanum, Cæſaris, & Auguſti. Romanum forum, quod & antiquiſſimum fuit, & propterea vetus appellatum, varia inſuper habuit nomina. Nonnunquam propter excellentiam ſimpliciter Forum dictum eſt, frequentius Romanum, à dignitate ſcilicet urbis, interdum Latinum, &c. Velut etiam hodie in eius rei imitationem Argentorati, & Francofurti Curiæ vocantur Romerianæ. Cæſaris forum ab auctore ſuo habet nomen, ubi ſibi ſtatuam erigi paſſus eſt. Sed Auguſtus forum conſtituit propter hominum, iudiciorumque multitudinem, ut feſtinantius abſolverentur. Quartum forum incepit Domitianus Imper. quod Nervas perfecit, & tranſitorium dictum fuit, quod ſtatuas, coloſſos omnibus cum titulis, & columnis æreis ac rerum geſtarum ordinem contineret. Quintum celeberrimum Trianus adiecit, cuius quidem admirandus ſplendor fuit, ſed inde merito optimum omnium habetur, quod in eo foro M. Antonius proponi edictum mandavit, in quo Chriſtianos pœnarum crudelitate exemit, eosque vocari in ius propter religionem prohibuit: delatorem vero eorum cremari vivum præcepit: quod tamen atrox merito cenſetur. Fuit & Saluſtii forum, Aurelii, Archimonii, Ceditii, Argentarii, Iugarii, &c. ceu *Alex. ab Alex. Gen. dier. lib. 2. cap. 12.* tredecim recenſet fora.

Verum alterius generis Fora erant hæc, boarium, olitorium, piſtorium, ſuarium, cupedinarium, piſcarium, ruſticorum, ſive ſuburbanum, & agonium, in quibus ea, quæ ad victum erant neceſſaria, vendebantur, ceu adhuc in omnibus civitatum bene conſtitutis Rebuspubl. tales neceſſitatis commoditates conceduntur cotidiano uſui. Ipſe igitur mos Romanorum hanc diſtinctionem nobis in manum largitur, ut inde agnoſcamus, quæ in ipſis Foris fuerit differentia. Etenim non tantum iudiciorum & promercalium ſimpliciter rerum; ſed Forum maxime mercatorum in præcellenti habitum fuit æſtimii dignitate, cui ſingularia quoque iura & privilegia ſunt attributa. Sic ex eius rei imitatione, vel potius ex ipſius naturæ dictamine Hanſeatici Germani tale forum Emporii ex ſuæ nationis vocabulo inſignire voluerunt, & Stapulam eiusque competentiam Ius Stapulæ nominitarunt, ſive eine Niederlage / appellatione ab appulſu, exoneratione, principaliori ſcilicet Emporii parte deſumpta, ut recte loquitur *Dauth. in Product. Magdeb. contra Comit. Barbienſ.* Ingens eſt abſurdum, ait Meden, quod in petitione Reſtit. Hamb. *art.75.& 82.* ponatur talis confuſio, quæ Nundinas & Stapulam pro Synonymis habeat. Tum etiam ipſi Hamburg. eo ſibi contrarii eſſent, quum nundinæ omnibus civitatibus communes ſint, & à quovis Magiſtratu ſubditis ſuis concedi queant. Quid ergo privilegii loco in hoc habebunt, ſi omnibus eſt commune? Sed affectata eſt ignorantia, quum differentiam ſatis pro commodo noſcant & intelligant. Quemadmodum enim à ferendo (ut antea dictum eſt) nomen habet, quod in eum locum controverſiæ, atque merces deferantur, quum Græcis forum eſſet Baſilica, id eſt, domus ampla & ſpacioſa, quæ ita ſolebat ædificari, ut in ſuperiori parte iudicia, in inferiori parte negotiationes exercerentur? ceu ex Vitruvio rem hanc in officia Ciceronis, Georgius Cracovius exponit: Ita Stapulam vocamus, ait Dauthius, mutuato de Germanica lingua iuxta Hanſeaticorum conſuetudinem vocabulo, aggeſtionem & comportationem mercium omnium, quæ id genus ſunt, ut ſervando ſervari poſſint. *Crantz. in Vandal. lib. 8. cap.36.* Conficitur igitur ex his omnibus, (ita pergit Dauthius) quod etiam ipſe locus talis publicus, & mandatum aut Imperatoris indultum & privilegiaria conceſſio in tali continuatione longe quid ſublimius & ab nundinis ſupradictis magis ſeparatum requirant & ponant, quum hæc res generalitate & amplitudine ſua nec non dignitate omnium commerciorum maxime ſe regalibus Principis ſummi inſinuet,

sinuet, utpote, ex qua amplissimi fructus vectigalium & teloniorum expectari queant. Imo & ipsa verba textus in *iure VVeichbildico Sax. art.* 1. & 9. hoc ostendunt, quod Imperator sit, qui singulari mandato & cum singulari solemnitate tale ius sistendi & Stapulæ mercatoribus aut civitati mercatorum concedat; absque cuius speciali privilegio hoc nullatenus valet acquiriet. Namque eandem paritatem habet, quæ observatur in condenda civitate. Etenim iuris est manifesti, quod Cæsaris hæc sit potestas, & pertinere hoc ad eius splendorem, ut ipsius authoritate civitas Imperii condatur. Ita de Cæsare est *text. in l.* 1. *C. Metropol. Beryth. lib.* 11. *Casp. Valasc. l. imperium n.* 73. *ff. de iurisd.* Et quæ sine Cæsaris authoritate constituitur civitas, privilegia civitatis non habet, *Innocent. c. cum ab Eccles. n.* 1. *de off. ordin.* Sic & nullatenus ibi est ius sistendi aut Stapulæ Emptive, ubi non id singulariter concessit Imperator. Est enim iuris vulgatissimi, verba contractuum, privilegiorum, & omnium dispositionum secundum subiectam materiam, & naturam illius rei, de qua agitur, intelligenda esse. *l. si uno. in princip. ff. locat. l. si olei. C. eodem. l. damni infecti. ibi Angel. ff. damni inf. l. fin. C. non nume. pec. Clem. ex uni. de verb. sign.* multa cumulat *Natta, Clem. sepe. coll.* 4. & 64. *de verb. sig. Everhard.* in loco à subiecta mater. *Alex. cons.* 26. *n.* 6. *lib.* 3. Et quale ius Imperator civitatibus indulget, talem quoque inde habent civitates formam, quoad statum servam, aut liberam, mixtam aut plene liberam, ac quoad commercia emporialem aut citra Emporium & saltem in nundinis annuis consistentem. Ita Fridericus I. Casalensibus ius civitatis habendæ dedit. *Natta Cons.* 636. *n.* 100. Sic Imperat. Otto I. Magdeburgum ita fundavit, ut non modo civitas Imperialis esset libera, sed & prorsus Franca, atque liberis, & excelsis Italiæ civitatibus, quoad exemtionem, æqualis esset. Imo & in genere iure omni Stapulæ, mercatus & Emporii præ omnibus aliis in fundatione sua donavit, ac *in iure VVeichb.* eadem ipsi emporii privilegia in hoc attribuit, quæ civitati Colonensi, ceu verba in textu expressa habentur. Quod si Hamburgum tam insignibus privilegiis esset ornatum, velut in Magdeburgo videre est, tunc certe posset aliquid exemptionis fortioris sibi aut gloriæ in iure tali arrogare.

Etenim in supra posito Mandato nusquam tam generales imo & vniuersales concessiones inueniuntur, velut in fundatione Magdeburgensis ciuitatis; sed admodum constricta ibi in Hamb. concessione speciali locutio est de nundinis tantum annuis. Magdeburgenses vero obtinent ius Stapulæ & Emporii universum sibi concessum. Verba enim generalia generaliter sunt accipienda; & generalitas tantum operatur, quoad quamlibet speciem in ea expressã, quantum operatur d spositio specialis. *Dauth. in prod. contr. Com. Barbiens. mihi pag.* 34. Ergo à dispositione generali, nullus casus excipiendus est. *l. pretio. ff. publ. in rem act. Duen. reg.* 133. *Schrad. in tract. feud. p.* 3. *cap.* 1. *num.* 5. *p.* 9. *cap.* 2. *num.* 79.

Genere enim non simpliciter, sed universim posito, quamlibet speciem necessario inferri, iura & communis sensus etiam dictitant. Hinc constat verba universalia longe maioris efficaciæ esse, quam generalia; quum sint præcisa, & omnes omnino casus etiam non expressos contineant: neque ullam plane restrictionem admittant. Imo eiusmodi verba ampliant significationem verbi, cui adiunguntur, & hoc operantur, ut verba quibus adsociantur, ad latissimã significationem extendantur; in tantum, ut comprehendant etiam casus, qui secundum impropriam significationem sub illis verbis includi possunt; & quæ alioquin sub iisdem non comprehenderentur. Quare nulla omnino dubitatio esse potest, ubi genus ponitur, species sub se comprehendens, & illi nota universalis, ut in Magdeburgensi privilegio adiicitur, quin necessario omnis species includatur & inferatur. Verum ea ratio non procedit à specie ad genus, velut Hamburgensium concessio præter reliquas obiectiones statim in mera specifica forma nundinarum certo tempore circumscriptarum consistit. Quemadmodum enim qui de omni animali universaliter sermonem habet, de homine etiam necessario intelligendus est: Ita sacra Cæsarea Maiest. quæ omnem mercatus formam alicui loco tribuit, etiam ius stapulæ, ceu universalius, necessario concessisse intelligitur; quum hæc universalis orationis vis atq; efficacia genuina sit, ut multis deducit *Schrad. de feud.* 2. *part.* 9. *part. princ. sect.* 3. *num.* 52. & luculentissime *part.* 10. *sect.* 5. *n.* 71. *cum seqq.* At qui hominem, & inter eos adhuc hunc vel illum ponit, is certe omne superius & generalius excludit ab isto subiecto. Verum ut igitur in proposito tali concludatur oratio, certissimum est, etiam in privilegiariis concessionibus, idem iuris esse; privilegium de genere universim loquens, singulas generis species comprehendat, & è contra. Ita tradunt *Ang. in l. fin. ibi Iason n.* 33. *tit.* 1. *de constit. Princip. Panorm. c. cum olim. de Verb. Signif. Ias. in l.* 1. *in fect. num.* 18. *C. de S. S. Eccles. Dec. l. in omnib. cauff. num.* 12. *ff. de Reg. I. idem in c. Cum accessissent. nu.* 14. *de Const. princ. Grat. Cons.* 130. *num.* 16. *lib.* 1. Et quando privilegiaria concessio est universalis & præcisa, uti certe Magdeburgensium est, non poterit nec debet aliter restringi, sed est standum formæ & verbis Concessionis. Iate *Tiraquel. in l. si unquam. verb. libertas. n.* 8. *C. de revocand. donat. Natta consil.* 160. *nu.* 33. Ubi dicit: Verba privilegii exemptionis accipienda, uti sonant. Unde tradunt Dd. à verbis privilegiorum & propria eorum significatione non esse recedendum. Consulatur in simili quæstione *Henr. Boer. de Regal. cap.* 4. *num.* 5. ubi satis exacte omnia determinando explicat. Hactenus Dauthius, &c.

Quod heic de nundinis & iure stapulæ aut Emporii non nihil pleniusex Dauthio deductum est; Idem quoque in puncto de flumine publico navigabili, & vectigalibus novis instituendis aut veteribus augendis omnino statuendum venit. Etenim unice hæc regale absolutum imperii nec tantum Imperatoris, sed universum Reipubl. communis statum & formam concernunt. Unde Imperatori in solidum erigere vectigal, aut augere vetus, non est liberum, ait Dauthius, nisi principum Elect. accedat consensus, per capitul. Caroli V. *Sleid. lib.* 1. *Goldast. Const. Imperial. tom.* 1. *fol.* 1. *Boer. de reg. cap.* 2. *num.* 184. *Buxt. ad aur. bull. cap* 9. *th.* 91. *Thom. Mich. de iurisd. concl.* 11. *litt. C. Paurm. de iurisd. lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 7. Eodem modo in Regno Galliæ, Angliæ, Hispaniæ, Daniæ, Poloniæ, &c. hoc regale, quod omnem tangit undique populum, in voluntate procerum simul & ordinum regni distractum hæret, ut causæ ac necessitas prius rite examinentur, ne fiat præcipitatio. *Eynsid. de reg. c.* 2. *n.* 232. Huc respiciens *Cic. pro l. Manil.* Vectigalia quidem

dem pacis ornamenta, & belli ſubſidia apellitat; ſed eadem quoque pacis inverſionem ac belli pernicie cauſſat, ſi non ſit modica impoſitio talium, aut æquitatem ignoret. Si quid enim ad alienandum animos ſubditorum à ſuperiore potens eſt, & ad mille incommoda diſtractionum generandum, profecto exactiones, tributa & vectigalia id citiſſime præſtant. *Ventur. de Valent. in Barth. litter. lib. 1. c. 6. n. 25. Clapmar. de arc. rerumpub l. 4. cap. 25. l. 1. 2. & 3. C. de Vect. nov. inſt. Kopp. deciſ. 30. n. 1. & 2.* Si quis hiſtorias penitus perceniſcat, is invenit, quod maxime civitatum tumultus, motiones Rerump. rebelliones populorum & ſeditiones inde ortum ſumpſerint ſuum. *Vide Thuan. hiſt. lib. 5. fol.* 103. Ideo non temere adeum modum deveniendum eſt, & non cuivis competit Magiſtratui, quum teſſera ſit ſupremi Imperii. *Cran. Conſ.* 814. *num.* 4. ac retinaculum eiuſdem, *Novell.* 8. *cap.* 10. §. *oportet. Novel.* 149. *cap.* 2. Nec conſtitui debet aut poteſt, niſi neceſſitate publica exigente, *l. vect. C. de vectig.* Ac quum inconſultis principibus conſtitui nequeat *l.* 3. *C. eod.* multo minus id quædam civitas aut aliquot civitates decreto ſuo conſtituere valebunt, uti in hoc caſu expreſſus eſt text. *l.* 2. *C. tit. eod.* Velut nec ſolvi debet ultra antiquam conſuetudinē *l.* 4. *C. eod.* quod ſi fiat, exactum non tantum reſtitui debebit, *l.* 3. *C. vect. inſt. non poſſe. Vide in plurib. Henr. Klok. de vect.* Sed etiam ſi inferior quis, non expectata permiſſione legitima, ſuo iure & iudicio novum inſtituat aut exaugeat, pœna legis Iuliæ ambitus tenetur. *l. un. §. 3. ff. de leg. Iul. amb. & legis Iul. de vi publ. l. ult. ad leg. Iul. de vi. Schonb. pol. 4. c. 25. Mind. 2. de mon. extr. c. 42. n. 1. Rul. de comm. part. 3. lib. 3. c. 7. n 1. Eynſ. de reg. c. 2. n. 237.* & maxime *num.* 239. ubi recte in quæſtione de civitatibus formata cum fundamento refutat Klokium. Memorabile eſt dictum *Cominæi lib.* 10. ubi ait: Nemo eſt omnium Principum, qui ius habeat, vel teruncium unum exigendi à ſuis, præter inſtitutum annuum cenſum. Et paulo poſt: Sunt Principes, quibus hoc frequens in ore eſt, ſe habere privilegia, ut quantum velint, à populo exigant. Certe Galliarum rex omnium minime cauſſam habet, ut iſtud de ſe iactet: nec enim ipſi, nec cuivis alii licet, &c. Quod ſi igitur non Regibus id liberū, quomodo civitatibus conceſſum erit ſine ſpeciali conceſſione aut conſenſu ſupērioris?

Sic etiam idem iudicium faciendum manet de fluminibus publicis & navigabilibus: Quippe flumina navigabilia, & ex quibus fiunt navigabilia eodem modo inter regalia referuntur, quo viæ publicæ. *Tit. 56. quæ ſint reg. l. 2. feud. & l. præcipimus. 32. in fin. C. de appell.* Hancce enim fluminum & viarum publicarum ſimilitudinem non tantum iſtud innuit quod *in ff. lib. 43. tit. 11. de via publ. & 12. de flum. item in d. tit. 56. quæ ſint*, loci iſti tam arcte connexi habeantur; ſed etiam hoc certius evincit, quod iure nomineque conveniant, quum videlicet viæ & flumina publica ſint & vocentur: Id quod rem totam declarat. *Eynſ. de reg. c. 2. n. 279.* Flumina enim regni ſunt regis, ait *Affict. deciſ. Neapol.* 388. *num.* 13. unde & regalia dicuntur, *l. quo minus. ff. de flum.* Quia ſunt Imperatoris univerſaliter etiam. *Bald. in l. pen. col. 4. C. de condit. inſert.* Et quum publica ſint, *l. adeo* 7. §. 4 *ff. de flum. & l.* 24. *ff. de damn. infect.* merito in iure populi ſunt, patentque commodis omnium. *V Veſemb. Inſt. lib. 2. §. 3. & l. ergo. §. alluvio. ff de rer. diviſ.* Namque fluminis uſus communis eſt, ſicut viarum & littoris. *l. fluminum. in pr. ff. de damn. infect. Bocer. de regal. c. 2. num.* 163. Ideoque, ut omnibus commerciis & navigantibus tuta ſint, incumbit Imperatori & aliis ſuperiorem non recognoſcentibus, nec non Ducibus, & Marchionibus, aliisque Principibus, aut quibus Imperator id conceſſerit, ut curent ea, quæ ad ſecuritatem faciant. *Vult. de feud. lib. 1 c. 5. nu. 6. pag.* 85. Unde patet, cur Imperator Carol. IV. Hamburgenſibus commiſſionem hanc anno 1359. Id. 2. Octobr. ratione officii & protectionis ſuæ obtulerit. Namque alias non potuerunt ſibi quid huic poteſtatis arrogare, ut uius omnibus in ſecuritate integer contra piratas & ſpoliatores maneret, ut volunt *ICti, Bald. Alvarot. Iſern. Affict. & alii, quos ibi, d. l. pag.* 86. *Vult. allegat.*

Unde hoc omne ex iure commiſſionis delatę, non iure dominii ſui, ſed ex mandato, & nullatenus ex conceſſione hoc officium defenſionis præſtant navigantibus, & commerciorum patronis aut mercatoribus. Congruit hoc cum eo, quod ex uſu Imperii ſit, ut flumina publica navigantibus & negotiantibus ſint tuta, quum cuilibet liceat iis uti, modo ſine iniuria alterius hoc fiat. *Roſenth. de feud. c. 5. concl. 23. num. 2. Iacobin. de ſanct. Georg. de feud. in verbo Et cum flum. Sixtin. de regal. lib. 2. c 3. num.* 31. *Carpz. de regal. th.* 55. Merito igitur Dux Lunæb. civitas Lunæb. Stadenſis & Boxtehudana in his Hamburgenſibus ſe oppoſuerunt in Camera, quum iſti in eam prolaberentur ambitioſam habendi cupiditatem, ut ex commiſſione Imperatoris ſibi dominium tale adſcribere auderent, quod poſſeſſionis ſpeciem importaret. quo ſane nihil magis contrarium menti Imperatoris & ipſi iuri gentium effingi aut excogitari poterit, quum in præiudicium non tantum omnium vicinorum, ſed etiam cunctis navigantibus vergat, ut toties loquitur Medenus, addens quod res inſignis audaciæ vel inſolentiæ avaritiæque non ſit abſimilis. Sed quū tria hæc ſint arcana Hamburg. quibus maxime non ſine damno & iniuria vicinorum ita accreverint, & potiſſimum Magdeburgenſes admodum ſuppreſſerint, paululum accuratius ſecundum iura hæc ex Medeno illo fuerunt repetenda. Utinam ex animo & ex corde vero hæc ab illis eſſent pronunciata, *quæ in art.* 315. his verbis proferuntur, ubi id ita cum iure naturæ affirmant; Quod nemo debeat cum alterius damno vel incommodo locupletari; ſed quod cuiuſque eſt onus, cum commoda quoque ſequi debeant! O quam optata talis locutio accideret Magdeburgenſibus, quæ tot annis ac tantis enervationibus ſui non exigua illis ſuſpiria expreſſit! Sed de his in ſequenti hiſtoria ulterius.

CAP. XXI.

Continuatio hiſtoriæ de Hamburgenſium renovato ſtatu, & alio renovationis ſtudio eorundem inter civitates Hanſeaticas.

QUum igitur Hamburgenſes, ſicuti in 20. cap. antecedenti relatum eſt, ita non tantum per Caroli IV. perquam iuſtam ſententiam Anno 1375. Lubeccæ interlocutorie prolatam, ſed etiam per proprium ſuum factū,

quo ſuam Rolandi ſtatuam, quod libertatis Saxonicæ ſignum peculiare habebatur, ex ea primaria intentione, qua plenum liberarum, & Imperialium civitatum Imperii affectabant ſtatum, penitus excidiſſent, & ad debitam paritionem obedientiamque Comitibus ſuis Holſatiæ & Stormariæ præſtandam, ſalvis tamen pactis & exemptionibus iis, quas Imperator ſibi magis tacite quam explicite reſervarat, prorſus eſſent remiſſi; rem alia ſibi aggrediendam putarunt via. Etenim quod hoc modo conatus rei iſtius non proceſſerat, id rubori ipſis videbatur, & admodum, quum pœnitentiæ morſu ſecum acriori torquerentur, eos mordebat. Ideoque quomodo ex hoc probro ſe eruerent, atque in tacitam aliquam vindictam huius ignominiæ alacriter reſurgerent, media alia diſpicere inceperunt. Situs quoque loci, occaſio temporis, vicinorum incauta imprudentia, & ſocordia, nec non variæ diſtractiones rerum, præſertim quum ab obitu Woldemari 3. Reg. Dan. de Anno 1375. Haquinus rex Norvegiæ filius Magni Smeg acre bellum adverſus Albertum Regem Sueciæ moveret, Margarita Woldemari 3. filia poſt obitum Haquini coniugis ac Olai ſibi illud glorioſe per plures annos perficere ſtuderet, cui ſimul vicini Principes & Comites Holſatiæ ipſi implicati erant, illis Hamburg. in manus multa largitæ ſunt, & tradidere. Quapropter duplicia, quibus occulte de novo altius accreſcere valerent, remedia invenerunt, quæ partim per clandeſtinas ſuppoſitiones, partim per violentiam deprehenderunt expedienda. ut innuit in dicto ſcripto Medenus. Ante omnia autem, viderunt ipſis recurrendum fore ad oſtium extremum Albidos, ut ibi portubus vicinorum, præſertim ab altera parte verſus Archiepiſcopatum Bremenſem, frequentiam commerciorum nonnihil diſturbarent. Subſidium inſigne hoc illis præſtitit, quod iam pridem ibi in ultima extremitate turrim ſub ſpecie promotionis commerciorum pro vicinis ſibi ædificatam circa annũ 1290. obtinuiſſent, cui indultum Papale de Anno 1292. & ſimul citra conſenſum ſuperioris Domini Archiepiſcopi Bremenſ. Wulfatios An. 1316. ſibi obligatos coniunxiſſent, velut ex confœderatione eorum ſequenti patet. Etenim ex portubus illis in orificio Albidos maxime floruerat & adhuc florebat frumentorum & aliorum fructuum commercium adeo, ut ibi ex Hollandia, Brabantiaque, & Hardervico Geldriæ magnus ſemper fuiſſet concurſus navium in tali mercatura, ceu ipſi *in art.* 102. confitentur. Unde ad Annum 1218. 22. Septembr. compoſitionem cum Hardervicenſibus, in præiudicium tertii factam, ut eo rectius commercia talia in coactionem redigere potuerint, allegant, quamvis etiam rem inter alios actam, dicat Medenus. ſub cuius prætextu tunc iterum inceperunt rem maxime liberam & communem commercantibus cunctis in proprium & privatum contrahere aut retroducere uſum. Præſertim quum etiam variis blandimentis eouſque perduxiſſent Wurtſatos; ut ſuæ intentioni obſequentes tenerent ſub ſpecie dicta, & quod piratæ eſſent communi ſumptu expellendi, inde in præiudicium ſui proprii Magiſtratus & Archiepiſcopi vinculatos ita traxerunt, ut ex confœderatione ſub dato Anno 1399. id apparet. Factum itaque ſic fuit, ut ſub eodem prætextu protectionis, quam ſibi commiſſam tam ab Imperatore, quam ex confœderatione putabant, illi juriſdictionem aliquam arrogarent, & ut hoc etiam eo melius obtinerent, nobilem illum poſſeſſorem arcis Ritzbuttelianæ ex familia Lappiana, in carcerem ſub ſpecie delicti alicuius abripuerunt, & ſic in ſuam poteſtatem per huius renunciationem coactam, eum locum redegerunt, ut ibi vicini hæredes & Domini Hadleriorum & Wurtſatorum eſſent, pleniuſque perſquerentur Dominii & iuriſdictionis intentionem ac ſcopum. Sed talis hiſtoriæ documenta, quum ipſi exhibeant, iuvat ea heic cognoſcere, quæ ſic ſe habent.

Pontificis Sum. Bonifacij VIII. de Anno 1292. Conceſſio Altaris portatilis in turrim Novi operis ad Oſtium Albidos.

BOnifacius Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, dilecto ſuo filio Decano Eccleſiæ Sanctæ Mariæ Hamburgenſis, Bremenſis Diœceſis, Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Sinceræ devotionis affectus quem dilecti filii Proconſules, Conſules & univerſitas Oppidi Hamburgenſis, Bremenſis Diœceſis, ad nos & Romanam gerunt Eccleſiam, promeretur, ut votis eorum, illis præſertim, quæ ex devotionis fervore prodire conſpicimus, quantum cum Deo poſſumus, favorabiliter annuamus. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dictorum Proconſulum, Conſulum, & univerſitatis petitio continebat quod iuxta portum fluminis Albeæ & prope mare Oceanum, ſita eſt quædam turris Nigeo, alias Niegewerck nuncupata, dictæ diœceſis, diſtans à prædicto oppido fere per decem & octo Leucas partium Alemanniæ, quarum quælibet pro quatuor miliaribus partium Italiæ computatur, quodque huiuſmodi mare qualibet die naturali bis ibidem fluit & refluit, dictaque turris per Proconſules & Conſules & univerſitatem ſupradictos ſeu eorum prædeceſſores magnis laboribus & expenſis fuit conſtructa, & hodiernis temporibus per eos ſeu familiares eorum ſub maximis expenſis conſervatur & cuſtoditur, ut venientes ad dictum portum, & navigantes ab eodem, plenam ipſius portus cognitionem poſſint habere, ad obviandum periculis & naufragiis, quæ multoties evenire poſſent, & evenirent, ſi dicta turris ibidem ſituata non eſſet, ac nulla alia cognitio dicti portus habetur quam de turri ſupra dicta. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubiungebat, eadem turris in ſolitudine maris poſita ſit, ac fere per duas huiuſmodi leucas à fidelium habitatione, & præſertim Parochiali Eccleſia, ubi cuſtodes huiuſmodi & alij in dicta turri degentes, Eccleſiaſtica ſacramenta recipere tenentur, diſtare noſcatur, propterea tempore neceſſitatis propter fluxum maris & refluxum cuſtodes & degentes huiuſmodi pro miſſis audiendis prædictam Eccleſiam, aut Rectorem eiuſdem Eccleſiæ pro Sacramentis Eccleſiaſticis, cuſtodibus & degentibus ipſis miniſtrandis, dictam turrim interdum difficulter, quandoque vero nullo modo poſſunt adire in magnum cuſtodum & degentium huiuſmodi periculum animarum. Quare pro parte Proconſulum, Conſulum & Univerſitatis prædictorum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ipſis, quod in dicta turri Altare portatile habere, ſuper

quo

quo ſingulis, etiam tempore quo prædicta Eccleſia fuerit Eccleſiaſtico interdicto ſuppoſita, per Sacerdotem Idoneum Miſſam ac in die feſti nativitatis Domini noſtri Ieſu Chriſti plures Miſſas celebrari, nec nō degentibus huiuſmodi in dicta turri, ad eam venientibus Eccleſiaſtica Sacramenta miniſtrari facere valeant, concedere de benignitate Apoſtolica dignarentur. Nos igitur huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſi eſt ita, præfatis Proconſulibus, Conſulibus & univerſitati, quod in dicta turri habere altare portatile cum debita reverentia & honore, ſuper quo in loco alias ad hoc congruo & honeſto Miſſam ſingulis diebus, & in diebus feſti prædicti plures Miſſam etiam tempore, quo dicta Eccleſia fuerit Eccleſiaſtico interdicto ſuppoſita, in degentium & ad ipſam turrim venientium huiuſmodi præſentia per Sacerdotem idoneum, excommunicatis & interdictis excluſis, celebrari, ipſiſque degentibus & venientibus Eccleſiaſtica Sacramenta miniſtrari facere poſſint, dummodo degentes ſeu venientes huiuſmodi cauſam non dederint interdicto, nec id illis contigerit ſpecialiter interdici Apoſtolica authoritate licentiam largiaris, iure tamen dictæ Parochialis Eccleſiæ & cuiuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo. Datum Romæ apud Sanctum Petrum 4. Idus Novemb. Pontificatus noſtri Anno ſecundo.

Confœderatio & amicitia contractus Hamburgenſ. cum VVortſatis, Anno 1316. pro defenſione Novi operis & ibidem Turris noviter erecta.

NOs Iudices, Cōſules & Univerſitas terræ Wortſatiæ recognoſcimus, & tenore præſentium firmiter atteſtamur, quod cum honorabilibus viris & amicis noſtris ſpecialibus & dilectis Conſulibus & Univerſitate civitatis Hamburgenſis, quadam ſpeciali amicitia & mutuo iuvamine perpetuo duraturis compromiſimus nos & confœderavimus per hunc modum, quod ipſos in terra noſtra, & uticunque poterimus, debebimus fideliter promovere, & ſingulariter, ſi aliquis, ſeu aliqui Principes, Baronesaut terrarum Domini, ſive quicunque pacis æmulatores Turrim novæ Ocht, quam dicti Conſules & cives Hamburgenſes, pro ſalute noſtra & omnium Mercatorum exſtruxerunt & cuſtodiunt multis laboribus & expenſis, infeſtaverint, obſederint, vallaverint, ſeu præſumpſerint expugnare, debebimus una cum ipſis, & ipſi una nobiſcum huiuſmodi invaſoribus & pacis æmulatoribus totis terræ noſtræ viribus armata manu concorditer reſiſtere, & eorum iniuſtas violentias mutuo iuvamine repellere fideliter & conſtanter, in cuius rei Teſtimonium Sigillum terræ noſtræ duximus præſentibus apponendum. Datum & actum in nova Ocht, Anno Domini milliſimo trecenteſimo decimo ſexto, feria quinta ante feſtum Palmarum.

Hæc conſociatio miro Hamburgenſibus ceſſit lucro. Etenim ex tali occaſione primitus tentarunt contributionis quid Hamburgi ex commerciis ibi allatis ab exteris mercatoribus & nautis exigere, ceu Medenus quoque id *in dict. ſcript. pag.* 69. expreſſe teſtatur, & minus ipſis unquam competiſſe, affirmat. Ac quum res feliciter ex hac ſuppoſitione & nominis ſubtilitate ſuccederet, pedetentim tractu temporis progreſſi ſunt ad altiora, & civitati Stadenſi, cui verum ius Emporii aut Stapulæ competebat, vectigal ſuum infringere ac imminuere cœperunt, quod ex hoc titulo Novi operis liberæ eorum naves onerariæ eſſent, nec ſolvere quid vectigalis uſitati tenerentur. Interea tamen quoque Stadenſium ordinarium vectigal ſimul variis ſubagitationibus & modis oppugnare veriti ſunt adeo, ut etiam arbitros in ea cauſſa ſibi conſtituerint civitates Hanſæ, velut id ex tranſlato documento ſequenti facile eſt colligere.

Copia tranſactionis in puncto vectigalis Stadenſis cum Hamburg. Anno 1340.

IN Nomine Dei Amen. Nos (N.B.) Senatores ex Hamburg notum & manifeſtum facimus omnibus illis, qui hanc epiſtolam lecturi & audituri ſunt, quod ob cauſſas & lites, quæ exortæ erant inter ſapientes viros, Dominos Senatores & communitatem civitatis Stadenſis ab una parte, & nos & noſtram totam civitatem ab altera parte, nos ita acceſſerimus ad honorabiles viros Dominum Conſtantinum & Dn. Hermannum de Weickede Senatores Lubeccenſes, item Dn. Godeccium Nakedenium, & Dn. Henricum Doneldingum Senatores Bremenſes, item Dn. Borckhardum de Luchow, & Dn. Henricum de Mola Senatores Lunæburgenſes, tanquam amicabiles compoſitores & arbitros, qui propterea à Senatoribus & civitatibus miſſi erant. Iſti prædicti Senatores ſecundum noſtræ utriuſque partis teſtimonium, litteras, verba & veterem conſuetudinem nobis ita ſententiam dederunt, velut in ſequentibus ſcriptum eſt: Primo, quod nos Senatores & cives Hamburgenſes non teneamur ad ius ſiſtendi noſtras naves Stadæ, nec teneamur quid vectigalis ibi ſolvere. Præterea quod ſi nos aut noſtri cives Compagniam parvam aut magnam colant in navibus cum quibuſdam hoſpitibus, ij Stadæ obligationem ſuam iure præſtabunt, atque illæ naves Stadæ ſe debent ſiſtere, & debitum ſuum ſolvere per ſe. Porro, nos Senatores & cives Hamburgenſes non debemus vectigal ſolvere pro noſtra navis & mercis parte, velut ſuperius ſcriptum eſt. Præterea Stadenſes & Strandfriſij, qui forum ſuum Stadæ quærunt, plane liberi eſſe debent ab onere vectigalis ad Novum opus: Quod ſi vero Strandfriſij uſque Hamburgum altius pernavigarent, ibi tenebuntur ſuum verum perſolvere debitum, velut alii hoſpites. Ut cauſſa & capita hæc rite obſervari queant, promiſſum dederunt Dn. Olricus & Dn. Thidericus à Kerckaw, Dn. Luderus & Dn. Iohan. ab Hagena Senatores Stadenſes nomine totius Senatus & civitatis Stadenſis ab una parte, & Dn. Nicolaus Fraſoyſer, Dn. Iohan. Harborch, Dn. Bartramus Tolnerus & Dn. Albertus Lunæborgius Companus (id eſt collega) Senatus noſtri Hamburgenſis ab altera parte. In teſtimonium harum rerum has

litteras ſubſignari curavimus civitatis noſtræ ſigillo. Actum & tranſactum in Weichbildico Boxtehudano poſt nativitatem Dei 1340. Anno, die veneris in hebdomade Pentecoſtes; Ubi teſtes erant, prudentes, honorati viri, Dn. Nicolaus Præpoſitus S. Georgii in Stada, Dn. Georgius à Borch Eques, Dn. Wernerus ab Hoia Canonicus S. Anſcharii in Brema, Dn. Segebadus à Ride Paſtor, Iohan. Moylike, Iohan. Grip, Hermannus Bredehofet, & Bartoldus Korthaſius, Senatores Boxtehudani, &c.

Ex quo multa patent, & præſertim quam melioris fundamenti ſtatus fuerit Stadenſium, quodque Hamburgenſes propterea ſocietates commerciales coluerint cum Stadenſibus: Verum quomodo ſe tam levi tranſactione extricarint, & auxerint vectigal ſuum Novo operi quaſi deſtinatum, non indiget ulteriori declaratione. res ipſa ſatis manifeſte teſtatur omnia. Sic quoque ulterius progreſſi ſunt Hamburg. in pluribus exactionibus. Quum vero talem intentionem vicini & extranei manifeſtius ſentire & percipere inciperent, ac præterea eſſent, qui occupationem incompetenter ſpecie iuris palliatam & à Lappeno extortam arcis Ritzbuttelianæ vindicare ſtuderent, iterum propter ſecuritatis præſtationem, non ad ordinarium magiſtratum eius loci confugerunt; ſed conſultius putarunt commodis ſuis ſecretioribus, ut in amicitiam novam Wurtſatos contra proprios Dominos, uti verba expreſſe habent, pertraherent. Atque ut eo promptiores hos ad omnem defenſionem aut protectionem ſui & intentionis ſuæ haberent, non ſaltem uſi ſunt promiſſis ingentibus; ſed etiam talem denuo cum iiſdem æternalis quaſi conſpirationis conſociarunt contractum, ut ex ſequenti copia, quam ipſi in Camera imperiali produxerunt Hamburgenſes *ſub lit. C. in actis ad art. reſtit. in integr. patet.*

Wurtſatiorum cum Hamburgenſib. contra proprium Dominum propter Ritzbuttelia vindicationem, &c. iurata conſpiratio.

NOtum ſit omnibus, qui hanc epiſtolam vident, aut legi audiunt, quod nos ſedecim conſulentes, & omnes illi, qui habitant & panem edunt in terra Wurtſatia, confiteamur & atteſtemur aperto in hoc ſcripto, quod nos amice contraxerimus, coniurando conſociaverimus, in tempora ſempiterna, cum honoratis, prudentibus, & diſcretis viris, Conſulibus, Senatu & tota multitudine civitatis Hamburgenſis, hoc modo: Quod ſi Dominus noſter Bremanus, aut ullus alius Dominus & bonorum potens in Diœceſi ea, habitet ille in civitatibus, arcibus, terris, ericoſis tractibus aut campis pratoſis, qui illos iniuſte damno afficere vellet, nec tantum ab illis (NB.) accipere vellet tantum, quantum honoris & iuris cauſſa tenerentur ſolvere, & tantum, quantum nos & alii æqui viri diceremus, quod iuſtum & amicabile eſſet: tunc debemus, & volumus cum omni robore noſtro in cuncto honore & neceſſitatibus fideliter apud eos permanere. Præterea, quod ſi quiſpiam extraneus aut ex Diœceſi Bremenſi hoſtis fieret Hamburgenſium, aut præfecturæ Ritzbuttelenſis, illos neque domo excipiemus aut defendemus, nec ullo modo protegemus ope aut promovebimus. Atque nec volumus nec debemus concedere, ut quisquam ex popularibus noſtris ipſorum efficiatur hoſtis, Hamburgenſium videlicet & prædictæ præfecturæ Ritzbuttelienſis. Quod ſi vero quis iure quid novit flagitare, id excipere debemus & ſolvere tantum, quantum diſcreti homines dicunt, ab utraque parte, quod æquum atque amicum ſit. Atque ſimul volumus & debemus nos illis pro defenſione Albis auxilium præſtare, quando hoc à nobis exigunt & neceſſitas id poſtulat; & ſuccurrere iiſdem debemus 50. aut 100. aut plusminus, uti neceſſitatis id erit, & ab utraque parte idem nobis conducibile videbitur; atque ad hoc nobis mittere debent naves, ſumptus & neceſſaria requiſita, & propterea debemus nos noſtri perferre iacturam: ſi quid lucri inde acquiramus, ab utraque parte erit partitio, uti ſors fert. Præterea nos remittimus, &c. Concluſio. In magnum veritatis teſtimonium ad prædicta ſcripta capita omnia, ita nos 16. conſulentes, & nos vulgaris ſortis homines in hac terra Wurtſatia, noſtræ terræ ſigillum in noſtra præſentia cum ſcientia & tota voluntate appendi curavimus ad hanc epiſtolam, quæ data & ſcripta eſt poſt Dei nativitatem tredecimo centeſimo anno, in nonageſimo nono anno. (id eſt 1399.) in ſancto die Divi Petri & ſanctorum Apoſtolorum, &c.

Litteras has obligatorias Wurtſatorum in authentica quidem forma à ViceDecano Capituli Bremenſis Anno 1464. tranſumi curarunt, quum forte ab tali æternitate contra honeſtatem tendente ſe liberare ſtuderent Wurtſati: Verum manifeſtiſſime ex his apparet, & ſatis liquide convincitur, quod vicini & alii tantas machinationes Hamburg. non ſolum in facto deprehenderint ipſis noxio; ſed etiam agnati & vicini Lappianæ familiæ ægerrime ferre inceperint, quod ita artificioſe nimis poſſeſſores hæreditarios à ſua poſſeſſione Ritzbuttelianæ arcis privarint & penitus excluſerint: ceu id quoque *Medenus in d. tract. pag. 71. & 77.* non obſcure innuit. Ne vero agnati aut conſanguinei id ſibi cum auctoritate ſuperiorum vendicare poſſent; inde contra Magiſtratum ſuperiorem & proprium ſuum hoc coniuratæ conſpirationis fœdere æterno ſibi conſociate inſipide Hero ſuo recalcitrantes Wurtſatos Hamburg. iſti ſtuduerunt. Tum etiam Hamburg. litem acrem ex aliquot annis cum Bremenſibus agitarant, de prærogativa in conventibus publicis. Etenim Hamburg. inde ſibi primas deputabant partes ante Bremanos ex præeminentia ea, quam olim Ludovicus Caroli Magni filius in aſſignatione Archiepiſcopatus attribuerat. iure antiquitatis quidem nihil obtinere poterant, neque libertatis quippiam, quum agnoſcerent, quod in eo ſtatu minores eſſent Bremenſibus. Et quamvis Anno 1374. ut ſupra indicatum eſt, controverſia hæc, quæ nil aliud quam elationem animi importabat, à civitatibus Hanſeaticis iuſta deciſione & interlocutione eſſet compoſita; tamen ſemper eos mordebat tacite hæc concepta ſemel & altius impreſſa cordis radicibus ambitionis opinio, quæ aſſiduis repullulaſcebat in illis motibus, nec cōcoquere eam poterant, quū indeſinenter Metropolitanæ civitatis ēt in exteris cōmer-

cijs

cis honorem continuo sibi efflagitarent postulatione. Verum Bremenses cedere ignari, constanter inniterentur præsentibus, &, non quid olim, sed quid hodie essent, intuendum contendebant, unde nullatenus flecti poterant. Inde invidia & odium tantum fuit, ut Hamburgenses nunquam ab insidiosis clandestinitatibus desisterent, quas ita quoque per 44. Annos eousque extendebant, ut Anno 1418. in conventibus Hanseaticis iterum non sine acri acerbitate hanc litem renovarent. Nihilominus constantia in defensione sui maior fuit, quam quod ex tot Hamburgensium impetitionibus se diverti sinerent; velut etiam Hanseæ confœderati iterum ad confusionem Hamburg. penitus suo adegerunt decreto: ut plane ita huc usque in ea loci & sessionis designatione a. quiescere coacti fuerint. Quæ vero ulterius in adducta confœderatione Wortstatorum essent notanda, studio præterimus, quum non adeo gratiosi sint coloris, & multa inde vestigia processus circumducti appareant: velut etiam non frustra abruptio sequentium capitum facta videtur: Inprimis autem heic id præteriri minime debet, quod *Meden. pag. 62. & 70.* quoque monet, quum Hamburgenses nullum titulum iustum vectigalis ullius, multo minus possessionem talis concessionis haberent, quod tunc supradictis modis & adiumento obliquo Wortstatorum in suam quid civitatem, ex ipso ostio & ore extremo Albidos, ubi sic portum Ritzbuttelianum acquisiverant, derivare studuerint. Etenim ibi portus usque ad Annum 1392. & paulo ultra summe & in magna floruerat frequentia. Verum heic alio adhuc usi sunt artificio, ut non tantum vectigalis nomen sibi stabilirent & lucro facerent, sed etiam tacito pede quasi ad dominium aliquod plenius in Albim progrederentur. Quum enim essent passim in orificio Albidos extremo varia loca vadosa, sub eo prætexta signa vasorum ibi posuerant, quæ profunditatem navigantibus monstrarent. Proinde sibi quoque fortiorem alicuius jurisdictionis aut dominii modum adscribebant, prætendentes ingentes expensas in eiusmodi fluminis indicationem; unde quoque à navigantibus exactionem sub titulo contributionis alicuius sibi adsignarunt, quod vocarunt Tonnen & Baken Gelt/ parum curando, quod Domini loci esse nequirent; ac protectio nil iurisdictionis tribueret, *Gail. lib. 2. obs. 54.* sed potius apportatio mercium satis ipsis lucro esset. Tum quoque ipsi, non veram fluvii profunditatem in effusione ea, ubi se in mare præcipitat, invenerant aut indicarant; sed extraneus quispiam cum nave armata circumvagans, qui accuratior fuerat locorum ibi observator, longe meliorem notarat Albis effluxionem; unde tandem à turri novi operis longius spacium dissitum quærere, & ibi locum vasis suis notare coacti sunt. *ut d. script. indicat. Med. pag. 77.* Tales contributiones quū ita in usum aliquem coniecissent, locum persolutionis ex ostio & portu ultimo Albidos in civitatem suam ultra 18. miliaria Germanica propria auctoritate iterum absque ulla concessione Imperatoris aut Ducum Holsatiæ speciali transtulerunt; & novum vectigal illud specie Tonnen & Bakengelts diu satis occultarunt, prætendentes quod sumptus ingentes in turris Novi operis & vasorum instaurationes consumerent; quum tamen hoc verissimum, quod loco unius oboli exposita aliquot mille thaleros Imperiales quotannis lucrati queant, adeo, ut etiam unus mercatorum, se obligare ausus fuerit quod ille omnibus sumptibus esset satisfacturus, si sua navi saltem esset liber, *ut rite notatū vult Med. d. l.* Nec res caret ratione, quum saltem unus sit, ait, qui excubias non necessarias in turri agat dicta, uti nuper Adm. Magdeb. Anno 1627. ita invenit, quum Ritzbuttelium arcem occupasset, & turrim quoque eam in suam redegisset potestatem. Ac licet protectio non tribuat vectigal ullum; tamen hæc inventio arguta tantæ fuit potestatis in astutia sua, ait, ut etiam loci contra ius mutatio augmentum varium talium exactionum & vectigalium subministratit; velut egregie id *Medenus d. l. pag. 67. & 69.* explicat, cuius verba notabilia iterum hæc sunt: Quamvis Hamburgenses nullum titulum & originem iustam ullius vectigalium in actis, aut præsentibus articulis, qui de materia hac loquuntur, demonstrent: tamen alia multivaria ab his separata vectigalia, impositiones & extractionū onera ab ipsis mercibus imposita & pedetentim successu temporis supra modum in præiudicium totius Germaniæ exaucta & amplificata sunt, &c. unde onera hæc omnia in vicinos & omnes reliquos redundant, &c. Inprimis notabile est, quod *pag. 69.* habet. Prædictum vectigal vasorum & turris ante hac pro fasciculis cistis, complicamentis, vasis & talibus convoluns persolutum fuit, postea vero secundum æs & libram nec non pretiositatem mercium & bonorū, in extensionem communem pretiorum cariorum, & commune omnium onus ac perniciem pedetentim omnia sunt extensa & exaucta; Nec meruerunt illis leges, ius, iustitia, æquitas aut ipsæ Imperii constitutiones respectum, quamvis crimina certis cohibeantur pœnis, &c. *Sic & pagina 63. & 67.* de vectigali Schawenburgico hæc memorabilia ponit: A principio (uti supra dictum est) in Hamburgo nullum aliud fuit vectigal, quam vectival Schawenburgicum (ut vocatur) quod etiam solummodo in prima Hamburgensium articulata conventionis actione expressum tenetur. Attamen Hamburgenses iam olim ante hanc actionem, ut eo magis omnia in suam redigerent potestatem, & violentas inde perficerent intentiones, huic se immiscuerunt regali Comitum, & per plurium annorum conductionem primitus & pignoris loco pro dimidia parte in suum converterunt usum, ut sic commodius ius alienum in suum proprium postea converterent, ceu tandem titulo emptionis istam dimidiam partem acquisiverunt sibi. Forte tum Lubeccenses interno flagrabant dissidio, inde Anno 1410. conventus Hanseaticus Hamburgi celebratus est, ubi de variis actum est difficultatibus: sed Häburg. egregii manserunt undique occasionum captatores. Namque quum Regina Daniæ Margarita Anno 1411. Ericum Ducem Pomeraniæ sibi adoptasset pro filio, & inde is ad triplicis regni dignitatem, ut supra dictum est, elevatus esset, subiugare quoque studuit ex instinctu Reginæ Comites Holsatiæ: maximam etiam partem in suam prope potestatem redegerat occupando: Inde coactus est ex cōsilio Heinrici Brokdorphii ad Hamburg. confugere ut eorū uteretur ope. Quū vero multas moverent Hamb. difficultates, interea rex Schlesvigā occupavit. Etenim civitates Hāseaticæ

featicæ fœdus cum rege Erico inierunt, ut supra ex historia Lubecensi apparet. Hæc potissima erat Hãburgensium excusatio. Interim tamen ex casu hoc dicto & quod Domino hæreditario magis obstricti essent, quam socio fœderis, ita commovit Comes Heinricus Hamburgenses, ut renunciationem fœderis per litteras denunciarent Regi, qui tunc Gottorpium sedem principalem Comitum Holsatiæ obsidione acri cinxerat: sed acceptis his litteris ex metu consilium mutavit, suadentibus id consiliariis, ne omnes Hanse socios sibi inimicos redderet, & fœdus disrumperetur. *Hist. plen. vid. apud Henr. Petr. in Chr. Holst. à pag. 296. usque 304.* Facta & gesta hæc sunt Anno 1416. Ex tanta autem auctoritate ferociores redditi Hamburgenses, pergebãt strenue, in auctione & confectione vectigalium, impugnationes vicinorum ad Albim, præsertim civitatis Stadensis, Dominium sibi fluvii occulte adscribendo, quæ omnia & singula pro singularibus habebant arcanis, & id studium die noctequeunice urgebant minis & quavis violenta protervia, ut ita liberum commerciorum cursum flagellarent, & ad suam constringerent urbem, imo etiam inferiores partes Albidos premere incipiebant in impediendo liberam navigationem, quæ omnibus competit accolis. Hanc igitur intentionem quum manifestis observassent vicini signis, & obstructionem Albidos adderent inferiori in parte; diutius non putarunt quiescendum; inprimis Duces Lunæburgenses per iuris ordinariam viam factum hoc insolens Hamburgensium ad Cæsarem Sigismundum detulerunt, qui etiam clementissime has excepit supplices, & æquitati caussæ patrocinium suum Imperiale rite suppeditavit. Cernebat enim, quod tales turbationes libertati commerciorum & navigationi liberæ in flumine publico Imperii concedi nequaquam deberent. Ideoque tale Mandatum publicari curavit, uti copia sequens monstrat:

Imperatoris Sigismundi Mandatum, quo Duci Brunsv. & Lunæburg. ac reliquis adsistentibus protectio aterna Anno 1417. Albidos fluminis committitur.

SIgismundus Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus, ac Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ Rex, &c. Ad perpetuam rei memoriam, notum facimus tenore præsentium universis. Etsi sollicitudo Regiæ dignitatis, in qua nos conditor orbis omnipotens, ex sola dignationis suæ gratia dignatus est collocare, incessanter nos urget & frequenter admonet, iugiter esse sollicitos, & voluntarios subire labores, quemadmodum à nostris & sacri Romani Imperii fidelibus generaliter universis incommoda submoveamus & scandala, ac pacis eis & quietis compendia ministremus: Ferventiori tamen affectu in illis exercendis cor nostrum accenditur, quæ sacri decus Imperii ac eius Illustres Principes, illorum iura, libertates, & observantias laudabiles, quadam specialitate concernunt; ubi nos tanto ardentius decet intendere, quanto nobis constat evidentius in eorum excellentia Imperii magnificentiam altioribus titulis & honoribus decorari. Sane ad Regii nostri culminis audientiam, pro parte Illustrium Bernhardi, Ottonis & Wilhelmi, Ducum Brunsvicensium & Lunæburg. Consanguineorum & principum nostrorum dilectorum (quod displicenter accepimus) est perductum, qualiter Proconsules, Consules, Cives, & Universitas civitatis Hamburg Bremensis Diœcesis, suis finibus non contenti Naucleros, Mercatores & Nautas per publica flumina, videlicet Dradenaw, Holverelve, & Suderelve vulgo nuncupata quæ ad præfatos Duces & ipsorum Ducatum Lunæburgensem, qui à nobis & sacro Imperio dependet, in feudum pleno iure spectare dicuntur, cum suis navibus & mercimoniis, de civitate Lunæburgensi & in aliis locis navigio euntes & redeuntes, ut ad prædictam civitatem Hamburgensem, ad quam licet directum iter à prædictis fluminibus navigandi non existat, contra eorundem mercatorum & nautarum voluntatem & propositum declinare cogantur, & per certas dies, ad vendendum ibidem merces suas stare & manere debeant, pœnaliter arctantur: Et quod satis temeratium esse videtur, eisdem nautis & mercibus exactiones ab olim inconsultas, & theolonia, quæ solius Romani Regis vel Imperatoris est imponere, ab eisdem Mercatoribus & Nautis aliquoties recipere & exigere, ausu temerario præsumpserint ac præsumant. Et Mercatoribus & Nautis ad civitatem Hamburgensem prædictam declinare navigio recusantibus molestias diversas inferant & iacturas: Quanquam ab antiquo Nautis & Mercatoribus quibuscunque liberum fuerit & licitum, quocunque vellent, per eadem flumina se transferre: Et omnes aquæ ad prædictum flumen Dradenovæ & in ipsum de civitate Lunæburgensi sine medio decurrentes, ad prædictos Duces & Ducatum ipsorum Lunæburgensem adeo libere pertinere noscuntur, quod prædicti Proconsules, Consules, cives, & universitas Hamburg. in prædictis aquis seu fluminibus, nullam hactenus ditionem iustam vel potestatem habuerunt, feceruntque, præfati Duces nobis instanter supplicati, quatenus ipsis & ipsorum subditis, contra præsumptiones, & molestias prædictas de benignitate Regia oportuno providere remedio dignaremur. Nos igitur attendentes plurimum expedire Reipub. quod nostra & Imperii sacri ac Principatuum suorum iura nostris temporibus non minuatur, sed potius tandem nomen Augustale, nobis, ut firmiter speramus, divinitus collatum, nedum illæsa conserventur, sed etiam augeantur: quodque pro parte dictorum Ducum de præmissis, plenam habuimus informationem, ipsorum supplicationibus benigniter inclinati, supradictis Proconsulibus, Consulibus, civibus, & universitati civitatis Hamburg. coniunctim & divisim autoritate Romana Regia & sub infra scriptis pœnis distinctius inhibemus, ne Naucleros, Nautas seu Mercatores per prædictas aquas Dradenaw, Holverelve & Suderelve, à civitate Lunæburg prædicta, ad civitatem Stadensem vel alia loca quæcunque ad mercandum aut alias euntes, & abinde redeuntes, contra ipsorum voluntatem, cum suis mercimoniis, personis & navibus civitatem Hamburgens. adire, vel ad standum ibidem ullatenus arctare præsumant: Quin potius ipsos & eorum quemlibet, cum navibus, rebus & mercimoniis suis singulis absque thelonio, ac omni

penitus

penitus exactione seu cuiuscunque alterius solutionis genere, ipsis Hamburgensibus solvendo, libere & absque impedimento transire permittant, nec propter hoc eisdem Mercatoribus & Nautis quascunque molestias in personis aut rebus inferant seu iacturas. Quod si forsitan Proconsules, Consules, aut cives seu universitas Hamburg. coniunctim vel divisim, per se vel alios, publice & occulte, directe vel indirecte contra præmissa in aliquo facere, vel Regiis nostris inhibitionibus quomodolibet in hac parte resistere præsumpserint, pœnam centum Marcarum auri purissimi, quam contra facientibus, authoritate Romana Regia imponimus, ut quotiens contra fecerint eo ipso se noverint irremissibiliter incursuros, quarum medietatem Regali nostro erario, residuam vero partem præfatorum Ducum Lunæburgensium, qui pro tempore fuerint usibus applicari decrevimus, & præsentibus applicamus volentes huiusmodi pœnam commissam de bonis & rebus Hamburgensium prædictorum ubicunque repertis per Duces Lunæburg. quos ad hoc cum requisitione auxilii nostrorum & sacri Romani Imperii fidelium, si opus fuerit, quibus etiam districte præcipimus, & illos super his perpetuos executores tenore præsentium facimus & constituimus, toties quoties occurrerit, integraliter exigi, & usibus prædictis volumus assignari: Non obstante, si forsitan præfati Proconsules, Consules, cives, seu universitas Hamburgensis à quibuscunque prædecessoribus nostris Romanis Imperatoribus vel Regibus in præiudicium dictorum ducum Lunæburg. seu Ducatus & subditorum ipsorum, quascunque literas, concessiones seu gratias, Privilegia, vel indulta aut confirmationes quascunque quomodolibet impetrarunt, aut in antea impetraverint, quas & quæ authoritate Romana regia, quo adhuc nullius esse volumus roboris vel momenti; & nihilominus universis & singulis nostris & sacri Romani Imperii fidelibus, cuiuscunque dignitatis, præeminentiæ, Status & conditionis fuerint præsentibus requisiti, coniunctim & divisim districte præcipiendo mandamus, quatenus prænominatis Ducibus Lunæburgensium & eorum Successoribus, nec non Consulibus & civibus Lunæburgensium coniunctim & divisim in executione, omnibusque aliis & singulis articulis præmissis, auxilio, consilio & favore fideliter adsistant, ac eosdem Duces ac Consules atque cives in præmissis seu aliquo præmissorum nequaquam impediant, seu impedire faciant, per se vel alium, seu alios, publice & occulte, directe vel indirecte, sub pœna præmissa, & sicuti nostram & Imperii sacri indignationem gravissimam voluerint arctius evitare, Præsentium sub nostræ Maiestatis sigillo. Datum Constantiæ, Anno millesimo quadringentesimo decimoseptimo, vigesimo octavo die Iunij, Regnorum nostrorum Anno, Hungariæ, &c. tricesimo primo, Romanorum vero septimo.

Quum in hoc mandato non tantum Ducibus Lunæburg. & eorum posteris, sed etiam omnibus Principibus & Statibus Imperii cura talis negotii publici & adsistentia imposita sit, ut ea paratior esse posset executio, diligentiam debitam D. Executores Mandati perpetui legitime insinuando Hamburgensibus adhibuerunt; in quo etiam acquiescere coacti sunt; Et addit *Med. in d. script. pag. 52. & 53.* quod ultra 100. annos partitionem ibi exhibuerint. Implicati autem sunt Hamb. aliquot difficultatibus, quum non tantum circa Annum 1421. civitates Hanseaticæ inter se dissiderent, & diversas partes Regis Dan. & Ducum Holsat. hostilitate mutua laborantium sequerentur; sed etiam Dani aliquot naves Hamburgensibus eriperent, quæ causa magni fuit conflictus, in quo tamen victoriam ita reportarunt Hamb. ut tres naves cū 120. militibus captivas abducerent, *Henr. Petr. in Chron. Hol. part. 3. pag. 312.* Sed paulo post civitates cum Holsatis rediere in gratiam, quum astutam Reg. Dan. Erici 10. intentionem perciperent rectius, ut supra *cap. 16.* explicatum est. Obtinuerat Rex contra Duc. Holsatiæ sententiam ab Imperatore Sigismundo, qua ipsi attribuebatur quidem aliqua iuris successio, quem oppugnabant Papæ contraria sententia Duces. At rex ad possessionis occupationem armata manu properabat, ubi tunc iterum ad postulationem Ducis Hamburg. succursum laudabilem eidem præstiterunt. Quomodo vero An. 1426. Dux Holst. Henricus culpa, ut ferebatur, Consulis Hamburg. Ioh. Klotzen, misere perierit, ex supra dictis patet, velut ille propterea capite trúcatus est. Sed An. 1427. quum civitates numerum satis magnum onerariarum navium in Emporia orientalia maris Baltici misissent, coniunxere vires navales Hamburgens. & Lubeccenses, ut tuto merces transportarentur. Convenere ad Hellespontum Danicum quidem; sed belli nimis cupidi militares præfecti, ante adventum mercalium navium, separati sunt ab invicem, &, profugatis Lubeccensibus, Hāburgenses maxima ex parte captivi cū navibus perducti sunt Hafniam, velut etiam inde naves mercatorum omnes in manus Danorum incidere. Iactura hæc adeo momordit civitates Hanseaticas, ut Anno 1428. novis coirent vicibus, & 160. naves cum exercitu 12000. militum adversus Danos ex portu Wismarienſi quidem mitterent: sed potentia successu caruit suo, uti supra cap. 16. dictum est. Tandem post multos labores belli varii An. 1435. pax inter Regem Dan. & Duces Holsat. atque civitates Hansæ constituta est. Interea tamen nec defuerunt Hamburgensibus motus propiores. Etenim Anno 1431. Ditmarsi quoque se exerebant hostes eorum, quum illis liberum frumentorum commercium impedire inciperent: Unde Ditmarsi turrim Novi operis oppugnarunt. Et quum diu hostilitates mutuas exercerent, Hamburgenses coacti sunt armatas ibi naves sustentare, quæ securitate in Flandriam & Brabantiam navigantibus mare tutum redderent; atque his præfuit quis ex senatu nomine Martinus Schwartzopf. Verum manus hęc militum quum impressionem in Ditmarsiam tentaret, ex insidiis eos ita oppressere Ditmarsi, ut vix aliqui evaserint. Capitaneum non tantum perfoderunt, sed etiam stomachum ipsi exsecuerunt, atque lanceæ cuidam infixum, quam mulier præferebat militantibus, tanquam victoriæ signum imposuerunt. Sed quum durum hoc videretur Hamburgensibus, atque ut eo magis suo proposito obsequentes ducerent vicinos, transactione pacis cum illis renovarunt amicitiam. *Petr. Chr. Holf. p. 351.* Velut etiam paulo post An. 1437. cum civitate Lubeccens. motum intestinum eorum ipsi composuerunt. Anno vero 1448. quum

ad Co-

ad Comites Oldenburgicos eſſet tranſlata electio Regis Dan. & poſt obitum Adolphi Ducis Holſatiæ, qui Anno 1459. ſine prole mortuus erat, & linea Schawenburgica, cum Rege Chriſtiano I. multis ea de re per multos annos habitis diſputationibus, ac mediante omnia Imperii Commiſſario Dom. Arnoldo Epiſcopo Lubecenſi nomine Imperatoris in ultimo huius cauſæ conventu Todeſloenſi diviſio terrarum iſtarum eſſet inſtituta. tandem An. 1460. pervenit Rex Hamburgum, & devotionis debitæ obligationem ab incolis accepit, ita, ut *Crantz. in Dan. lib. 8. c. 29.* notat, contentus videlicet rex homagio ſimplici, licet non eſſet iuſiurandum additum. Etenim Holſatia & Stormaria ipſi attributa erat in ea partitione; Hamburgenſes tamen ſibi ſua privilegia, quibus Imperatori ſe adſtrictos dicebant, reſervarunt. Quippe iterum illi ſuæ amplificationi invigilaverant ſedulo, dum tanta eſſet occaſio diſcordiarum; unde etiam potiſſimi Privilegii iura ſibi à Friderico III. Imperatore de An. 1442. adſcribunt, iuxta *art. 228. & ſeq. l. de reſtit. in integr.* contra Duc. Lunæb. Proinde non deſierunt ulterius intentionem ſuam in dominio Albidos perficere. Atque quum cernerent, quod commercium rei frumentariæ ab illis, qui prope Albidos oſtium habitant, frequentius agitaretur, invenere viam, quomodo conſtrictionem aliquam cum civitatibus ſociis conciperét, cuius cauſſa uſi ſunt variis ſemper perſuaſionibus, donec Anno 1487. treshæ civitates, Brema, Stada & Boxtehuda ſic inter ſe ſuper hoc negotio compactionem cum illis inierunt, velut ſequens oſtendit in tranſlatione ſua copia.

Confœderatio 4. civitatum de Anno 1487. pro commercii frumentarij reſtrictione, in flumine publico Albidos.

NOs Conſules & Senatores civitatum Bremæ, Hamburgi, Stadæ & Buxtehudæ, confitemur & atteſtamur manifeſte in hac epiſtola coram quibuslibet; Quum nos Hamburgenſes ab antiquo tranſvectionem frumenti ex Albi impediverimus, in harum civitatum commodum & utilitatem ita, ut frumentum tale non in mare exportetur, ſed hiſce in locis ſitas civitates & terras, nimirum Bremam, Hamburgum, Stadam, Boxtehudam & Holſatiam pervehatur, atque ibidem uſui ſuo deſtinetur: Quare ſinguli, qui frumenta vehunt, infallibiliter debent certificare & aſſecurare, quod facere id velint, quú tamen ſæpe & multiformiter in abuſum ſit pertractum. Sed ut nunc bona cum prudentia huic proſpiciatur, inde nos prædictæ civitates unanimiter nobiſcum conſultavimus & decrevimus, quod ſecundum laudabilem conſuetudinem id obſervari debeat, velut ante hac conſuetudo fuit ita, ut nemo noſtratium quidquam frumenti ex Albi verſus mare navibus avehat; ſed in prænominatas civitates & terras, uti prædictum eſt, ubi etiam tunc manebit, & uſui deſtinabitur abſque dolo. Quod ſi vero quiſpiã factum his contrarium iubeat; tunc nauclerus partem navis, & quodcunque in ea habebit navi, & mercator mercem perdere debet ſuam: Tum non amplius cives erunt, vel manebunt; nec ſecuritatem habebunt in ſupradictis noſtris civitatibus, nec ullum in iis quærent victum: Quod nobis prænominatis civitatibus ita unanimiter cunctis & ſingulis placuit, & nos acceptavimus præſentes in vigore harum litterarum, quarum quatuor ſunt, atque apud unamquamque civitatem una. In teſtimonium ulterioris ſcientiæ noſtrarum civitatum ſigillis obſignatæ ſunt. Datum poſt Chriſti Domini noſtri nativitatem quatuordecimo centeſimo, & in octuageſimo ſeptimo Anno, die Marci Sancti Evangeliſtæ.

Num talis confœderatio in præiudicium liberi commercii & cuiuſvis bonorum de iure ſubſiſtere poſſit, id facile quidem diiudicabunt iura naturæ & gentium. Quamvis tamen civitates illæ æquali ſocietate inter ſe convenerant, & ex hoc contractu iure æquali frui omnes conſtituerant; nihilominus eventus ſtatim hoc edocuit, quod omnia non aliter, quam pro ſui commodi ratione obſervarint, ut ait Medenus, cuius etiam verba *pag. 60. & 61.* hæc ſunt: Non fuit eorum intentio quid ſervandi; quippe is ſcopus illis ſemper erat præfixus, ut in monopolium ſuum omnia & maxime rem frumentariam converterent, & protractis quibuſlibet rebus in ſuam civitatem, ipſi precium rerum ac præſertim frumento præſcriberent, nec tamen venditores merces ſuas avehere poſſent, etiamſi venditores extremum inde facerent damnum: unde (ut habet *pag. 67.*) omnibus vicinis immenſa impoſuerunt ſuæ civitatis onera ferenda. Nec tantum civitatem Stadam variis modis retundere conati ſunt, imo eam plane exhauſiverе & commerciis ſuis exuerunt, ſed etiam infra civitatem ſuam ſub ſpecie protectionis ſibi fluvii ad locum Gammæ curſum obſtruxerunt. Quibus mediis autem uſi ſint, id legat quis ulterius apud Medenum *pag. 89. & ſeqq.* res foret nimis longa in hac compendioſa explicatione. Quum Comites Barbienſes circa an. 1488. etiam ab Imper. Friderico III. obtinuiſſent Privilegium tranſportandi libere commercia Hamburgum, ut ibi permutationem pro rebus aulæ neceſſariis exercerent, adeo acriter hoc impugnarunt Hamb. ut etiam contrariam actionem inſtituerint contra Comites, ut ipſi *in art. 232.* &c. confitentur. Quem tandem quoque proceſſum contra Stadenſem civitatem intentarint, id quis cognoſcat apud *Med. pag. 108. & ſeqq.* Et quamvis hi uſi ſint multiformi interpoſitione Hanſeaticarum civitatum; tamen in meras minas & eluſiones tractatio omnis abiit, velut etiam in ipſa Camera Imperiali iis uſos fuiſſe Hamburg. idem Medenus *pag.* 105. docet. Nemo autem rectius auſteritatem & iniquitatem Hamb. in tanto conamine iuris reſtringendi & dominandi in Albi deſcribit heic ex annis pluribus, quam *Chytr. li. 18. Chr. p. 490. & ſeqq.* qui accurate heic legatur, dum multa dicit. Ubi proinde ſuas actiones Dux Lunæb. Lunæburga urbs, Stada & Boxtehuda coniunxerunt. Quum igitur ſuis rebus nimium eſſent intenti Hamburgenſes, vix curarunt ea, quæ fidei ſyncerioris fuerunt. Etenim dum Sociæ civitates variis modis pro libertate commerciorum cum Rege Daniæ per totum octennium continue acri dimicarent bello, Hamburg. ſui commodi gratia plane à ſociis ſuis abſtinuerunt, ut interim quæſtum cum Hollandis, Anglis, Francis, &c. ſuum in negociationibus perficerent; parum curantes ſociorum conflictus. Anno

1514.

1514. iussi sunt Hamburgenses à Rege Dan. securitatem in Albi navigantibus præstare adversus piratas, ex quo An. 1580. sibi ius Dominii adscribere voluerunt in commissione Regis, ut infra patebit. Sed eodem prope modo, quo olim socios in superiori parte Albidos Hamburgenses in suam obligationem pertraxerant, iidem quoqu Magdeburgenses anno 1538. sub dato, die Martis post Matthiæ festum, in negotio frumentario & cerevisiæ devincire laborarunt; in qua transactione optimum, quod tentationis ergo res ad quinquennium saltem directa fuit, & quod pactorum vel revocatio aut melioratio libera relicta fuerit contrahentibus: ut eo magis voluntati Hamburgensium sese Magdeburgenses accommodarent, usi sunt prætextu, quod Principes in Albi nimis acrem sibi arrogarent iurisdictionem, summo quæ cum damno inde esset commerciis noxa. Sed ea ratione, si utraque civitas rite inter sese corresponderet, posse omnia in pristinum statum reduci. Licet vero Magdeburgenses damnosum hoc continuo sibi & communi civitati invenerint; tamen cedere noluerunt Hamburgenses, donec tandem circa Annum 1570. caussa hæc, una cum vectigalibus Ducum Lunæburgensium, ad cognitionem & æquam decisionem S. Cæsar. Maiest. Maximil. II. submitteretur. velut etiam Anno 1574. in mense Augusto per decretum publicum interlocutio talis facta est, uti mox ex extracto patebit, modo prius heic percipiatur, quali homagio Hamburgenses obstricti teneantur Regi Daniæ tanquam Duci Holsatiæ. Postquam enim Christianus III. Friderici I. filius ex Procerum Daniæ electione Anno 1535. successit in regno, Hamburgenses quoque Domino suo hæreditario Anno 1538. tale præstitere iuramentum, cuius verba in trâslatione ita se habent.

Vera verba formalia homagii Christiano III. Danorum Regi tanquam Duci Holsatiæ à Senatu Hamburgensi Anno 1538. præstiti.

ILlustrissime & magnipotens Rex, celsissime Princeps, clementissime Domine, &c. Postquam vestra Regia Maiestas iuxta voluntatem Dei in hanc (N.B.) vestræ Mai. urbem pervenerit, proinde sistimus nos Senatus & cives plenipotentiarii ex tota cõmunitate, & confitemur, nos esse membra terræ Holsatiæ & Stormariæ, & volumus vestræ Regiæ Maiest. eiusque minorenni fratri, tanquam principibus Holsatiæ & Stormariæ dediti esse, eosdemque habere in omnibus decentibus rebus, velut probis hominibus id suis naturalibus terræ Principibus ac Dominis præstare competit, & velut maiores nostri Principatui Holsatiæ & Stormariæ dediti fuerunt, uti sic etiam nobis nostra privilegia, iura, libertates, & antiquæ consuetudines maneant, & ea retineamus: Ac rogamus vestram Regiam Maiestatem, simul loco minorennis fratris, ut in his nos recipiat, nostra privilegia, iura, libertates & antiquas honestas consuetudines confirmet & nobis tueatur, etiam nos velut reliquos vestræ Regiæ Mai. (N.B.) subditos secundum iustitiam foveat ac defendat.

Regia Maiestatis Christ. III. responsum fuit iuxta hunc tenorem.

NOs & in Nomine nostri minorennis fratris, recipimus vos tanquam membra principatuum Holsatiæ & Stormariæ: Volumus vos iuxta vestra privilegia, iura, & antiquas honestas consuetudines defendere, & tueri, vobis eas confirmare, uti sic, ut nos, noster minorennis frater & hæredes, in nostris antiquis hæreditariis supremis principum Regaliis, superioritatibus, & privilegiis & iuribus maneamus, quorum neque his præiudicium ullum subibimus.

Ex quibus mutuis promissionibus & reservationibus facile poterit diiudicari Status Hamburgensis Reipubl. & quousque liber sit. Quæ ex ipsius civitatis iurib. ita petita & descripta sunt, ut diffiteri subiectionis certam aliquam speciem nequeant, qua obligati teneantur Domui Principum Holsatiæ, quos ceu hæreditarios Dominos, & territoriales, quum membrum istarum ditionum expresse se confiteantur, agnoscunt. Unde etiam frustra totali exemptioni tantis conatibus studere pergunt, quum tam accuratos habeant dominii obseruatores sui.

Translatio & extractum Cæsaris Maximiliani II. Viennensis Decreti de Anno 1574. in caussa Ducum Lunæburg. &c. nec non Magdeburg. cum Hamburgensibus pro libera navigatione in Albi.

P.P. &c. Primo navigatio duabus illis civitatibus Hamburgensi & Magdeburgensi in Albi fluuio sursum & cum omnis generis mercibus, nihilo excepto, (præter sal marinum, Boysaltz dictum, quod ita accipiendum, ut postea certo articulo id explicabitur) liberrima erit, atque hinc iterum ante & ultra civitatem veterem Magdeburgam simili modo cum omnibus mercimoniis, nihilo excepto, iuxta eius legitimi emporii & stapulæ ius, absque impedimento ullo cõcederetur. Quod vero ad præter navigationem civitatis Hamburgensis, quum caussa ea inter Ducem Wilhelmum Brunsuic. & Lunæburg. atque dictam civitatem Hamburgensem in Imperiali Camera ventiletur, atque etiam in ea ad conclusionem causæ processus directus sit, iste punctus decisioni Cameræ Imperialis relinquetur, & alias omne, quod ab una aut altera parte sub huius (N.B.) transactionis negotio in hoc primo articulo proponitur, nulli parti pluris quid, quam antea obtinuit, concederur, aut in iure uni aut alteri præiudicabitur, sed suum ius cuique parti expresse reseruatum & conseruatum manebit; interea quoque, & usque ad absolutionem instituti iudicialis processus à nulla parte quid de facto attentari debebit. Secundo, &c.

Sed quid prosint tot transactionum modi, si non ambitionis & habendi tetminus sit? Quid auctoritas Imperatoris valeat, si semper rebus sic stantibus quidpiam erit accipiendum, & potentia insolentior interpretationem legibus, fœderibus, pactis, transactionibus, amicitiæ vinculis imponat? Tum quoque

si lubricitas æquitati palmam eripiat ? Magdeburgenſium præcipitantia & nimia facilitas certe non magnum illis attulit lucrum. Quum enim civitas Hamburgenſis (ait *Chyt.l.23.Chr.Sax.p.618.*) multos iam annos in Albi, ius reſtringendi ſeu prohibendi exportationem frumenti, omnibus ad utramque fluminis ripam infra urbem per 18. milliaria uſque ad illius oſtium incolentibus, ſibi vendicaret, etiam in inferiori parte Albidos idem quærebat per obliquum, quod animadvertere debuiſſent Magdeb. Sero ſapiunt Phryges, ut eſt in proverbio. Sed & audaces fortuna iuvat. Sic Hamburgenſes indefeſſi ſemper eidem incubuerunt ſtudio pertinaciſſime. Tum inter arcana illorum hoc quoque non eſt ultimum, quod ſemper aliquid tentent pro commodo & temporis occaſione, nec curant, ſive ſuccedat ſive minus. Si non ſuccedat, didicerunt exhibere ſupplices, ut recuperent ſua; interim tamen quoq; perfecerunt actum, quem iuris ſalvandi cauſſa ſe præſtitiſſe dicunt, quo & robur maius iuri acquiſiverint. Sic licet Anno 1561. propter Friſicam navem, quam ex littore Ditmarſiæ anchoris firmatam & fruméto Ditmarſico in urbem ſuam abripuerant pro diſtractione frumenti, Hamburgenſium naves & quod contra edictum Regis ex Islandia ſulphur avexerant, in Helleſponto Danico arreſtarentur, ac 10. millia Ioachimicorum pro violentia pendere, nec non in reliquis iuribus biennium ad perducendam cauſſam compromittere cogerentur: tamen nihilominus An. 1572. eandem facti ſpeciem attentare auſi ſunt. *Vid.Chytr.d. Chr.l.20.p.536.* Etenim collocata in Albi perpetuo excubante Navi, præſidio militum & tormentorum apparatu inſtructa, enavigaturos cum frumento Albis accolas ſurſum Hamburgam tendere cogebat. Cum igitur hoc anno aliquot Wilſtriorum & Crempenſium Marſorum, Regi Danię ſubditorum, navigia, per Storam fluvium in Albim, mare verſus, frumentum vehentia intercepiſſent, & Hamburgam duxiſſent: Rex Daniæ viciſſim omnes Hamburgenſiũ naves, in Helleſponto Danico, & Bergæ in Norwegia, ac cęteris Regnorum ſuorum portubus deprehenſas, circiter triginta, arreſto integrum ſexennium retinet, omniaque civium Hamburgenſium commercia in ſuis regnis impedit ac prohibet. Etſi autem variis mediis, per Electorum & Principum intercęſſiones, & iudicii Cameræ, cui ratione Albis fluminis Imperii, de cuius iuribus controverſia erat, Regem Principem Holſatiæ ſubiectum eſſe rebantur, citationes & mandata, recuperare amiſſa, vel ex æquo & bono cum Rege tranſigere cupiebant: tamen animum Regis, quod contra tranſactionem cum Hamburgenſibus initam egiſſe regem, & nullam cauſſam tantæ aſperitatis ac violentiæ erga civitatem Hamburgẽſem exercendæ iuſtam habuiſſe, apud Cæſarem & Principes Imperii queſti eſſent, magis etiam exacerbabant, & indignationem augebant. Donec Auguſto Saxone Socerio & Ulrico Megapolitano, regis Socero, intercedentibus, Flensburgi tandem promiſſis Regi centum millibus Ioachimicorum, & libera ſubditis regiis exportandi frumenti facultate relicta, donec principalis cauſſa de iure reſtringẽdi in Albi ad ulteriorem tranſactionem reiecta, amice vel iure componerentur, Regi conciliati ſunt.

Sed quum Hamburgenſes ſemper antiquum obtinerent, non intermiſere cum ipſis ſociis Hanſæ diſcordiam propter Anglicum Monopolium ſubire, quod per integrum decennium uſq; ad Annum 1580. turpiter cum illis exercuerunt. Res autem quum ſit altioris conſiderationis, de illa ſuo loco in ſequenti parte agemus, veluti etiam aliqua ex parte id *Chytr.in Chron.ſui lib.24.p.668.& lib.25.* recenſet. Interim quoque controverſia eorum cum Rege Dan. novas An. 1579. Flensburgii ſumpſerat vires, unde an. ſequenti 1580. Chilonii indictus fuit convẽtus, ut de ea re coram Legatis Auguſti Elect. Sax. & Ulrici Megapolitani ageretur, & tentaretur compoſitio. Sed poſtquã fruſtra ibi aliquot dies in diſputationibus conſumpti eſſent, 8. Septemb. diſceſſerunt ab invicem. Totam actionis formam & materialia eius *Chytr. lib. 24. Chron. Sax.p.668.& ſeqq.* deſcribit, ubi egregie & fundamẽtaliter ad omnia Hamb. effugia Henricus Ranzovius reſpondet, quæ notatu digna ſunt. Sic etiam idem *Chytr.* ſatis accurate recenſet *lib.22. Chr.S.pag.598.& ſeqq.* quid de iure exemptionis Hamb. in Comitiis Imperii Spiræ Anno 1570. inter utriuſq; partis Legatos agitatum ſit. Non minus lis, quæ Magdeburg. civitati cum Hamburgenſi fuit, per ſingularem actum An. 1598. inſtinctu maxime Capitularium Magdeb. adornata ita accrevit. Capitulares Magd. quum per diſceſſum Adminiſtratoris Ioachimi Friderici Marchionis, qui poſt obitum Parentis Iohannis Georgii hoc An. 1590. menſe Ian. Electoratus hæreditatem adierat, ſedis vacantiam obtinuiſſent, & ſibi ſubiectam reddere cuperent civitatem Magdeburgẽſem, nec tamen melius, quam diſtractione & annullatione privilegiorum perficere id poſſent, aliquot mercatoribus Hamburgenſibus tacite aperiebant locum cõmodum Stapulæ apud pagum Derben ad Albim 7. milliarib. à Magdeburgo diſtantem, ut ibi coëmerent & aveherent frumenta. Hæc quum in ruinam privilegiorum & mercatus civitatis eius tenderent, nec tamen inhibitio à capitularibus obtineri poſſet, ut actum turbatorium poſſeſſionis intertumperent, ſenatus exemplum ſecutus eſt Hamburgenſium, & naves cum mercibus ad ſuam coegit civitatem, ibique emptores vendere ac ſiſtere prius coëgit, quod eo confidentius perficiebat, quum ſe in longe firmiori poſſeſſione fundatum noſceret præ Hamburgenſib. in ſuis attentatis. Hamburgenſes quidem mercatores mulctæ ſe deſtinabant propter violationem privilegii: at quum Capitulares illis ſuggererẽt, quo ipſi talia diſputarent Magdeb. privilegia. Hamburg. Senatus id arripuit, & civiũ Magdeb. bona aliquot repreſſaliis detinuit. Inde ingens diſcordia exorta eſt, & varii fuerunt tractatus. Namq; primo inter ſe amicabilem compoſitionem agitabãt Lunæburgi an. 1599. 17. Aug. ſed ut fruſtra eſſet omnis conatus, & an. ſeq. 1600. de renovatione confœderationis Hanſeaticæ agẽdũ maneret, noluerũt ſe prius explicare Magdeb. donec differentia hæc inter diſſidentes iuxta Hanſæ articulos conſopiretur. Et quamvis An. 1600. 5. Apr. ex conſenſu Hanſæ deputati eſſent in publico eo cõvẽtu civitates Lubecca, Brema, Roſtochium & Stralſundium; tamẽ nec quid, quam meræ proteſtationes & acrimoniæ excitatæ fuerunt. Notabile fuit D. Finkelthauſii Synd. Lubecc. iudiciũ, qui tali eſt uſus voce ad Magdeb. Cauſſa facile tranſigi hæc poſſet, & facillima eſſet via ad eam cõponendam, (N.B.) *ſi Hamburgenſes*

burgenſes eſſent tales, quales eſſe deberent. Tetigit certe & taxavit vere naturam ingeniorum, lucrum omne honeſtati præferentium. Ita mira fuerunt effugia eorum, ut ea reprehenderint in Magdeb. quibus affines ſemper fuerunt ipſimet ipſiſſimi, ceu acta luculenter id teſtantur, aut Dauthius. D. Colero tamen Syndico Magdeb. in nonnullis pleniori hiſtoriatum & contractuum defuit cognitio, quibus in pluribus adverſantes rectius retundere potuiſſet, ceu id in cauſſa Regis Dan. ab Henrico Ranzovio factum ſuperius ex Chytræo relatum eſt. Anno 1601. 21. Octobr. ab iiſdem Deputatis denuo hæc res audita & tractata fuit; ſed quum media tranſactionis ſurdis auribus exciperentur, horum in vanum omnis abiit labor, acerrime id ferentibus Deputatis. Diſcordia hæc fecit, ut renovatio fœderis Hanſeatici uſque in 4. annum dilata fuerit. Rex Daniæ Chriſtianus IV. Anno 1603. cum Hamburgenſibus tractatus homagii diu ſatis perfecerat: quare quum in menſe Octobri ingreſſus fuiſſet urbem, homagium tale ab iis accepit, ut ſequentia declarant formalia.

Homagium Chriſtiano IV. Danorum Regi, & Iohanni Adolpho Ducibus Holſatiæ, Anno 1603. menſ. Octobr. ab Hamburg. præſtitum.

CLementiſſime Rex, & Clem. Princeps, Poſtquam veſtra Regia Mai. & Princip. gratia iuxta voluntatem Dei in hanc (N.B.) veſtræ Regiæ Mai. & Princ. clementiæ civitatem pervenerint, inde apparemus nos Conſules, Senatores & devoti cives, qui à tota communitate plenipotenter ad id deputati ſumus, confitemur, nos eſſe membra principatus Holſatiæ & Stormariæ, & volumus nos veſtræ Regiæ Mai. & Principali Clem. ac eorum hæredibus, & in futuris temporibus regentibus Principibus Holſatiæ & Stormariæ dediti eſſe, eoſdemque habere in omnibus decentibus rebus, velut probis hominibus, id ſuis naturalibus terræ & nativis Principibus & Dominis præſtare cõpetit, & velut noſtri maiores Principatui Holſatiæ & Stormariæ dediti fuerunt, ut veſtræ Reg. Mai. & Prin. ip. Clementiæ id in ſufficientiam accipere poſſint, uti ſic etiam nobis noſtra privilegia, iura & omnes iuſtæ honeſtæque conſuetudines maneant: quas ut nobis ſimul confirmet & tueatur & foveat, rogamus, nos quoque velut reliquos veſtræ Reg. Mai. & Princ. Clem. ſubditos iure foveat ac defendat.

Reſponſio Regis & Ducis ſuis.

NOs pro nobis, noſtris hæredibus, & in futura tempora regentibus Holſatiæ & Stormariæ recipimus vos tãquam membrum principatuum Holſatiæ & Stormariæ & tanquam fideles ſubditos. Volumus vos iuxta omnia privilegia, iura, & antiquas laudabiles conſuetudines defendere & manutenere, uti ſic & nobis & noſtris hæredibus atq; poſteris noſtra antiqua hæreditaria principatus regalia, ſupetioritates, privilegia, Dominationes & iura maneant, in quorum præiudicium nihil hiſce ſubibimus.

Iſte tunc actus variis ſolemnitatibus & ſplendidis ceremoniis celebratus eſt. Sed quũ interim Brunſvicenſibus ex ſimili homagii hæreditarii diſputatione cum Duce Guelphico Henrico Iulio ingens periculum accreſceret, Anno 1604. urgere non deſtiterunt renovationem fœderis Hanſeatici, ac niſi hæc cauſſa Brunſvicenſium, quum cerneretur quod magna præparatorie moliretur Dux ille, maturationem huius renovationis obtinuiſſet, Magdeburgenſes non ſe tãcito donec his eorum cum Hamburgenſibus penitus complanata fuiſſet, huic negotio publico in honorem Hanſæ accommodaſſent. Proinde etiam quum ad 27. Febr. in exordio Anni 1604. Lubeccę conventus eſſet inſtitutus, non tantum in termino prædeliberationis 17. Febr. Brunſvigiæ tanquam Metropoli in Quaternione hac Saxonica iuxta ordinarium ſtilum habito Magdeburgenſes ſibi hanc reſervarunt cauſſam; ſed etiam poſtea in ipſo Lubecenſi convẽtu proteſtatione ſolemni id inſinuarunt Hanſæ communi, quod non aliter propter neceſſitatem Brunſvicenſibus incumbentem ad renovationem progredi vellent, quam ut civitates quoq; ulterius ad æquitatem debitam Hamburgici diſponerentur. Septendecim fuerunt articuli, fundamẽta confœderationis concernentes, ut infra explicabitur. Quamvis autem tunc confecta fuerit confœderationis renovatio; tamen quum non ſufficeret ad defenſionem mutuam, & bellum Brunſvicenſe intercederet, arctius quoque fœdus ſequentibus annis, & præſertim Anno 1607. conſtitutum fuit, ut infra patebit. Interea autem quũ impete ſtratagematio Anno 1605. Dux Brunſv. contra civitatem eam Hanſę Metropolitanam excideret, ut tunc calamo potius quam armis oppugnandam hanc & corpus univerſum Hanſæ putaret Princeps ille, atq; inde quietem gratiorem ſibi conficerent civitates, rediere quoq; ad tractatus differentię & pignorationis Hamburg. & Magdeburgenſes. Dies dictus fuit Saliſquillę in veteri Marchia ad 18. Sept. An. 1609. Verum quum magno conatu tum Hamburgenſes 21. gravamina mercatorum cõſignaſſent, & Magdeburgẽſes ſe à ſcopo pignorationis ſuę iuſtę & Hamburgẽſium repignorationis iniuſtæ ſeduci non paterentur, eluſio inde Hamburgenſium clarior emanavit, quũ triduum in hac diſputatione non abſque acerbitate mutua fruſtra cõfeciſſent Legati, quæ res iam plenius ob anguſtiam chartarum explicari nequit. licet multum illuſtrationis afferret intentioni huic. Sed ſatis per ſe & ex ſupradictis apparet, quorſum tendant eiuſmodi, quæ ſociis ſuppreſſionem gignunt, ut inde dominium proprių eo altius exurgat. Velut ita gratioſum Hamb. id accidit, quod An. 1618. 6. Iulii contra Principes Holſatiæ ex Camera Imperii in puncto exemptionis publicata fuerit ſententia; unde quoque mandatum Camerale ad Circulum inferioris Saxonię ſine clauſula, in puncto, ut ad Circularem conventum non tantum citaretur, ſed etiam ipſi votum & ſeſſio certa adſignaretur, obtinuit. Verum quum è contra Rex Daniæ cum agnatis Ducibus Holſatiæ non modo debito tempore reviſionem petiiſſet, ſed quoq; legati Circuli inferioris Sax. propter ſub & obreptionem, ex capite nullitatis (ut verba formalia habent illius receſſus) non parendum putarent, quod res tanti ſcandali in præiudicium reliquis Statibus vergeret, proinde publico decreto 31. Septembr. Anno 1610. in conventu Circulari Brunſvigiæ habito conſtituerunt idem, velut iſtud etiam Anno 1621.

conventu Lunæburgenſi *in menſe Maio* repetitum fuit, quod res tanti momenti cum conſenſu Electorum eſſet demandanda, &c. Quam ob cauſam etiam narrationem falſi poſſeſſorii, quod Hamburgenſes in petitione Mandati nulliter allegarant, per ſingularem advocatum in Camera conſtitutum, debite refutari curarunt, ceu inſtructio tunc concepta fuit. Quum vero tam acrem Statuum circuli Hamburg. reſiſtentiam animadverterent, tranſactioni, quæ ad 8. Julii Anno 1621. eodem Steynburgi in Holſatia inſtituta erat, ſe ſubmiſerunt cum promiſſione aperta, quod non ſaltem pendente reviſione debitam obedientiam ulterius Ducibus Holſatiæ exhibere, ſed etiam poſt obitum Regis filio ſtatim tanquam legitimo ſucceſſori & reliquis Ducibus Gottorpianæ ex ſtirpe Principum lineæ, prævia uſitata aſſecuratione homagium (ſupra poſitum) & realiter (ut verba ſonant) præſtare vellent. Unde quoque & ipſi eo uſque in gratiam recepti fuerũt, iuxta illud ſcriptum, quod in eum finem in arce Gottorpiana ſub dato Steinburck 8. Julii Anno 1621. depoſitum adſervatur. Sed etiam alia huic ſubmiſſioni cauſſa ſubfuit, ex ſuperiori anno illis maxime conſiderabilis & ponderoſa. Etenim Anno antecedenti Rex commerciis Islandicis & Coldingenſibus inhibitionem impoſuerat, ne quid amplius ex illis locis Hamburgum tranſportaretur, tum quoque vaſa & ſigna navigantibus verſus Gluckſtadium in Albi fluvio conſtituerat. Adeoque ex tribus his cauſſis moti Hamburgenſes tres miſerant Hafniam legatos, qui orando ſupplicibus haſce difficultates amolirentur, & præſertim poſſeſſionem Dominii in Albi docerent, &c. Verum quum Rex non ad votum reſponderet, & ipſe novam civitatem ad Albim commerciis ſuis aptam adornaret, aliter pro temporis ratione ſuæ intentioni inſerviendum conſultius putarunt. Reſponſum Regis quale fuerit, ex tranſlatione extracti ſequentis patet.

Extractum Reſolutionis Chriſtiani IV. Regis Dan. Hamburgenſium Legatis Haffnia 29. Martij, Anno 1620. datæ.

REgia Maieſt. Dan. Norvegiæ, &c. Clementiſſimus Rex noſter & Dn. benigniſſime & conſiderate penſitavit, quidnam heri in loco conſiliorum ſuæ civitatis Hamburgenſis deputati, &c. nomine ſeniorum ſuorum & ſuperiorum dictæ civitatis ſubiectiſſime petierint & propoſuerint, &c. Ad quæ Regia eius Maieſt. Clementiſſimus noſter Rex & Dn. ſe in ſequentem modum reſolvit; Primo quod ad merces Islandicas ſpectat, quum R. E. M. terrarum harum neceſſitas requirat, ut tales in regno retineantur ad ſubditorum proviſionem, non poterunt Hamburgenſes R. E. M. in hoc paſſu, quod iis ſubditos ſuos harum terrarum promovere & ipſorum commodo eas inſervire pro diſpoſitione congrua expetat, quidpiam præſcribere. Secundo quod ad paſſus Coldingenſes pertinet, quum eiuſmodi ad Regale à R. E. M. laudatiſſimis regiis maiorib. in eius M. ſtemma tranſlatum ſit, non putat R. E. M. ſe obligatam teneri, ad reddendam rationem, cui videlicet paſſus hos attribuere velint; tamen omni tempore obſervatum fuit, ne plures paſſus diſtributi fuerint, quam conditio loci perferre potuerit. Quod ad Albim fluvium & allegatam (3.) quietam poſſeſſionem ſpectat, adhuc in memoria Hamburgenſibus hærebit, quidnam R. E. M. parentis p. m. tempore *huius fluvii* cauſſa contigerit: unde quod allegata *illa* quieta poſſeſſio male fundata ſit, facile poterunt agnoſcere. Porro, quod Hamburgenſes navem vaſa fluvii cuſtodientem in Albi ſervarint, nec poterit hoc intentionem eorum tali ratione confirmare, quum ſæpius in multorum Dominorum fluminibus etiam armatę naves in ingenti copia inveniantur, & tamen propterea nullatenus ſibi ſuperioritatem aut iuriſdictionẽ talium locorum adſcripſerint aũt adſcribere potuerint. Velut quoque turris vel ſpecula in novo opere poſita Hamburgenſibus ad intentionem contra R. E. M. nihil conducet, quum R. E. M. omnino exiſtiment, quod non ab hac parte Albidos aut in fundo Holſatico & terra condita ſit. Præterea, quod Hamburg. in Albim tanquam ad R. E. M. fundum vaſa alligarint, id R. E. M. ſuperioritatem & iuriſdictionem in fluvio Albidos minus impedit, quum iuxta ſolidã rei conſiderationem hoc Hamburgenſib. tanquam R. E. M. ſubditis, non tanquam regale, ſed ſaltem pro onere & ſervitute permiſſum & conceſſum ſit. Sicuti etiam heic Hafniæ urbs iſta plurima vaſa expoſuit, & tamen propterea ſibi ius aliquod in flumine nunquã adſcripſit, uti id ſimul alia exempla plura in aliis atteſtantur locis. Quod Hamburgenſes ulterius nullum ſpeciale privilegium in Albim ad vaſa ibi exponenda à Rom. Cæſar. Maj. habeant, id R. E. M. ſat novit, velut quoque Deputati, in communicatione huius, quantum illis cognitum, ipſi confeſſi ſunt. Attamen utut ſit, quum negocium hoc R. E. M. Clementiſſ. noſtrũ Dn. non ſolum, ſed & totam Domum Princip. Holſatiæ concernat, & ad eam tanquam hæreditariam ſuperioritatem & iuriſdictionem pertineat, cum Dnn. agnatis Ducibus Holſatiæ ulteriorem communicationem de his inſtituet. Demum concludendo, quod R. E. M. clem. affectionem aliquo uſque remiſerit, in hoc nihil magis R. E. M. optaret, quam ut Senatus Hamburg. in priori illorum ſubiectionis debitæ devotione ſubſiſteret, & moderatiora conſilia, quæ illis ſemper ante hac in bona tranquillitate proficua fuerunt, omni ſtudio obſervarent. Quod ſi igitur Hamburgenſes in poſterum, ceu obedientes & fideles ac iuramento obligatos ſubditos decet, ſe gerant, Clementiſſimum è cõtra Regem, terræ Principem & Dominum experientur & offendent. In teſtimonium huius ſub R. E. M. ſecreto ſigu. & datum in R. arce Hafniæ 29. Martii Anno 1620.

Eodem anno iterum Magdeburg. in conventu Hanſeatico Lubecæ per aliquot menſes celebrato ſingulare Memoriale ſollicitarunt contra Hamburgenſes, & petierunt, ut tandem compoſitio inſtitueretur. Ideo quidem dies ad 24. Novemb. dictus eſt, & deputati ſunt Mediatores Lubeccenſes ac Bremẽſes. Sed Hamburgenſes priſtinum eluſionum obſervarunt Stratagema. Atque licet nihil magis optarent Magd. quam ut ad compromiſſum certum differentia reduceretur, ad quem etiam ſe obferebant toties; tamẽ Hamburgenſes magis ordinariam actionẽ, quę

ipſis

ipſis maximo lucro quoque contra alios in Camera fuerat, experiverunt. Quum vero itidem compoſitores id convenientiſſimum putarent, ut per compromiſſum lis abſolveretur, accidit, quod Syndicus tum Hamb. vir alias ſat bonus nonnihil acrius eos refutare inciperet. Ideoque evocando Magdeb. hoc notabile illis regeſſit, dicens: Quæſo, quur ita importune exigitis compromiſſum? Num exiſtimatis, quod eo citius & melius cauſſam erga nos ſitis obtenturi? Hoc certe nunquam erit, aiebat. Etenim credite firmiter, quod facile optima cauſſa ita poſſit ſubverti. Addebat hoc; Ego iam per 28. Annos in praxi vixi, & vidi atque expertus ſum plurima. Hoc dico confidenter, quod nuſpiam ſit facultas quædam in Publicis Scholis, nec ullus iudicii locus, ſupremus ſive infimus, ubi non venalia mihi poſſim comparare iura & legum Sententias. Ita aurum medios valet perrumpere Satellites, &c. Sed quum eidem obiiceretur, quod ipſis inſcientibus in locos diverſos extra quoque Germaniam poſſent acta ad deciſionem ab Arbitris mitti, prorſus à tali forma abhorrere inceperunt, ut oſtenderent apertiori vultu, quem ambirent compoſitionis modum. Nec etiam in ſequenti anno ad ullum amplius civitatum monitum reſponderunt, nil curantes, quod per 22. Annos à ſociis ad nullam æquitatis aram ſive per tranſactionem vel per iuris compromiſſum, iuxta receſſum Imperial. de Anno 1594. potuiſſent reduci. Sed actionum negotia talium ſatis cognita ſunt mundo, & ipſe etiam Dominus hæreditarius eorum (uti ſe vocat) Rex Daniæ totiesid expertus eſt, unde procul dubio R. E. M. non adeo pridem in nova differentia eos ad mitiora conſilia retrahere ſtuduit, utiid ex ſequenti R. M. E. reſponſo apparet; quod Legatis eorum in puncto iuris talionis aut repreſſaliarum Gluckſtadii dedit, ubi Rex ſingulari ſtudio de induſtria Hamburgum ſuam nominat civitatem: cuius tenor in translatione ita ſe habet:

Reſolutio Chriſt. IV. Reg. Dan. Deputatis Hamburgenſium 20. April. Anno 1630. in puncto repreſſaliarum aut repignerationis Gluckſtadij data.

REg. Maieſt. Dan. Norvegię, &c. Clementiſſimus noſter Rex ac Dn. ex conſiliariorum ſuorum relatione benigniſſime cognovit, quidnam ipſi Conſulum & Senatorum ſuæ civitatis Hamburgenſis Legati tam orali explanatione quam in ſcripto proponi curarint, quod eo directum eſſe clement. animadvertit; Quemadmodum illi à ſuis percepiſſent, quod illorum excurrentes & redeuntes naves ad hoc regium caſtrum Gluckſtadienſe retraherentur, & gravi vectigali onerarentur. Quum autem hoc abſque ſingulari Rom. Cæſareæ Mai. & laudatiſſimi Electorum collegii ratificatione nec non aliorum intereſſentium neceſſitate in S. Rom. Imperio perfici non poſſet, atque etiam à talibus vectigalibus conſervatio & reſpective commerciorum Hamburgenſium imo ipſorum ſtatus totus præcipue dependeret, velut etiam inde commercia in alios locos ſine totali illorum ruina ſic non transferri poſſent, unde nec Senatus cives ſuos tunc ad contentationem reducere poſſent, multo minus vicinæ provinciæ & regiones tale vectigal ſimiliter ſibi imponi perferrent. Proinde in ſubiectiſſima hac viverent ſpe, quod R. E. M. conſtitutiones & leges S. Rom. Imp. fundamentales eſſet benevole ſervatura, & ex eo illorum civitatis ruinam, abſque ulla cauſſata culpa, minime expetitura, ſed potius illos in ſtatus ſui manutentione iuxta clementiſſimam in explicationem animi relecturā foret, &c. Ad hæc & eiuſmodi prædicta R. E. M. Dn. Legatis pro regia reſolutione id benigniter indicandum clementiſſime iuſſit, quod R. E. M. intentio & mens nunquam fuerit, nec adhuc ſit, quaſi aliquod ordinarium vectigal in Albi fluvio erigere, multo minus ulli exteræ nationi, provinciis, aut regionibus tale quid imponere velit, veluti etiam hoc emiſſa & publicata Edicta non continent; ſed levis hæc exactio, & R. E. M. extorta iſta retorſio in hæreditarios & iuratos ſubditos eius, Hamburgenſes, quam ita vi expreſſerant, ſolummodo & voice directa eſt & manet, quum illi per aliquot annos contra ullam Cæſaream conceſſionem & Electoralis collegii conſenſum, etiam R. E. M. tanquam terræ huius & eorum Domino inauditum, contra omnia iura ex propria voluntate motu auſi fuerint ex ipſius R. M. propriis bonis, & eius ſubditorum mercibus ac frumentis, perquam gravem & ſupra modum accumulatum vectigal vi exigere ſua, & multiformiter extorquere, unde mercimonia in R. E. M. & ſuorum extremum damnum & perniciem penitus detruſa fuerunt. Sicut etiam notorium & id publice conſtat, quod nuper ante exigui temporis effluxionem non ſaltem novum & incompetens vectigal cereviſiæ contra manifeſtam conſuetudinem & contractus adornarint: ſed etiam præcipue R. E. M. ſubditis inconſuetum ſatis vectigal, nempe in pondus centenarium 2½. thaleros, novo & hactenus inuſitato modo impoſuerint, & adhuc cotidie illis tale vi extorquerent. Ut taceatur, quam Hamburgenſes R. E. M. miniſtris & dependentibus multiformes deſpectus, ignominias, minas & violentias cum ſuppreſſionum perſecutionibus, tam in quam extra civitatem ingeſſerint & adiecerint. Omne hoc omnino notorie per mundi famam patet. Quamvis autem honoratiſſima R. E. M. eiuſmodi de Hamburgenſibus tanquam hæreditariis & iuratis ſubditis ſibi nunquam perſuadere potuiſſet, in ulteriori conſideratione, quod R. E. M. iiſdem multifariam regiam gratiam & favorem, etiam ex prima regia florente ætate hucuſque clementiſſime continuando præſtiterit, dum illis non tantum in R. E. M. Helleſponto Danico exauctionem vectigalis, per 43. annos (quod ab R. E. M. p. m. Domino Parente, rege Friderico II. tum temporis impetrare nunquam potuerunt) clementiſſime imminuerit; ſed etiam omnes à R. E. M. maioribus contra illos inſtitutos proceſſus, exceptis acceptationibus, ad inſtantes multas eorum ſupplices, pro eorundem immenſis commodis & proſperitate, ex regia gratia remiſerit & perdonarit, quum omnino conſideret, quod tales & ſimiles etiam alias in multis modis præſtitas regias beneficentias iuxta debitam obedientiā & devotionem agnituri, & conveniētem inculpabilem obſervātiā exhibituri eſſent. Verū quū Hamburgenſes cōtra præſtitū hæreditarium homagium ſubiectionis, cōtraq; debitū in iniquo propoſito perſe-

verarint, opinantes, quod per iniusta attentata eiusmodi ullam ulteriorem superioritatem acquirere sibi possent; inde R. E. M. tale cunctum & quoque omnem sibi & suis ingestum despectum, violentiam, impetitionem, & inauditam despoliationem inexcusabilis vectigalis præter offensionem R. E. M. reputationis, non amplius perferre potuit aut voluit: sed ab ipsismet illis adhoc inevitabiliter quasi cum vi detrusa est, ut iusta media, quæ tam sublimi Dynastæ contra adstrictos hæreditario iuramento subditos, à toto mundo concessa sunt, ad manus sumerent; atque secundum ea civitati Hamb. nude saltem iure retorsionis, & nullo alio modo, exiguam hanc exactionem imponeret pro iustitiæ manutentione, & ex eadem R. E. M. damni sui perpessi & ignominiæ aliquo modo reluitionem accipere valeret. Uti & pro ulteriori declaratione R. E. M. intentionis totum hunc processum Rom. C. Mai. ad clementissimam eius informationem iuxta amicam indicationem circumstantialiter retulit, nil dubitans, qua in ea hanc R. E. M. contra suos hæreditario iuramento obligatos subditos inceptam & sibi extortam retorsionem in Cæsareo favore exceptura & benignissime interpretatura sit, nec minus sibi contra omnia ulteriora inexpectata iniqua attentata opem exhibitura atque porrectura sit manum. Quod R. E. M. Dnn. Legatis pro regia resolutione ad ipsorum subiectissimam propositionem benevole indicare iussit, & regia gratia illis addicta manet. Datum Gluckstadii 20. April. Anno 1630.

Mirum quod Hamb. id, quod ipsi coditie toties perpetrant, in proprio Domino culpant: sic iudicium ubique promptum est festucæ. Sed è contrà multa hoc responsum regium continet & eximia depromit historica; nec quis, ea, cui modo interiora cognita sunt, R. M. dixisse, abnegare poterit, quin sint verissima, & tamen satis minuta, vel si quis saltem ad talia recurrat, quæ in proximis superioribus annis, dum R. E. M. bello Germanico implicata vixit, contra Reg. M. ipsam, eius ministros, subditos & devotos alios satis protervè Hamb. exercuerint, ut sibi inservirent. Sed rectius plurima silétio prætereuntur quam gravi exprimuntur probro, quum Iehova sibi vindictam reservarit. Quæ vero motiones ulterius, ac status quis eorum modernus sit, quomodo nec non suâ præterea fortunam urbemque artificiis variis amplificarint, non attinet pluribus explicare, quum nimia contineant arcana, quæ suo loco rectius & plenius explicantur, ne forte odio sint prolata, nec res in immensum heic excrescat; dum paucula adhuc de civit. reliquis Vandaliæ nobis hac vice pro conclusione supersunt enarranda.

CAP. XXII.

De reliquis Vandalia, in Mecklenburgo civitatibus, quæ fœdere Hanseatico comprehenduntur, & earum origine paucula, cum nominis Hansa, Mecklenburgig, explicatione; nondum rite enucleata.

QUantos labores in commerciis rite instituendis & per Germaniam maxime distribuendis civitates iam dictæ subierint, id facile ex historia earum huc usque deducta patere valet. Atque quum tot varias pertulerint tempestates, vix eas exuperare potuissent, nisi beneficio fœderis istius, quod Hanseaticum vocarunt, id feliciter perfecissent, quod imitamen maxime à Saxonicis civitatibus, ut supra dictum est, mutuari sunt & sumpserunt. Etenim, inter omnes populos Saxonici maxime prævaluerunt consociatione fidei, quod tam in terra quam aqua & mari fidem semel promissam usque ad mortem intrepidi ad invictem servabant. Unde etiam longe propius inter eos, qui de etymo vocabuli Hansæ disputationes varias conficere solent, ad veritatem accedit *Wheurus in obs. pract. ad loc. de Hanseestätten/ sive Hanseaticis civitatibus.* Ubi recte ex constit. Imper. *de anno 1542. §. 88. & an. 1566. §. die Hayn & Seestätte/ & an. 1576. §. 22. &c.* id observavit, quod illæ civitates confœderatæ dicantur Hayn & Seestette. Etenim res nulla rectius quam suo cómode appropriato vocabulo exprimi & denominari potest. In fœdere vero Hanseatico non tantum comprehenduntur civitates maritimæ, nec Vandalicæ, sed maxime Saxonicæ, quæ ut plurimum in convallibus amœnis aut campestribus locis, ita tamen ut iucundo fluviorum alluvio potissimum gaudeant, sitæ conspiciuntur. Tum etiam illæ fundamentalia fulcra, in distrahendis mercibus, maritimis emporiis præstant, ut ex recessibus Hanseaticis hoc lucidissime apparet. Ideoque nimis confidenter id *in Pol. libr. 2. c. 6. numer. 11.* decernit *Besold.* quando *ex Hadr. Iun. Bat. pag. fol. 73. & 99.* vocabulum hoc ab Ansi Gothico verbo, quod proceres tales, qui cæteros mortales fortuna & opibus antecellant, imo & semideos denotat, civitatibus Hanseaticis impositum adseverat, quum tamen nulla tam insipide ambitiosa inter omnes inveniatur, quę sibi eiusmodi arrogantiam adscribere velit. Sicut etiam magno studio id in singulis conventibus earum publicis observatur in pronunciatione, quoties mentio fit istius vocis, quod non Anse, sed potius Hansee aut Hanseestätte cum diphtongi longa protractione efferatur; qui mos quoque ab antiquissimo usu ita retentus est & manet adhuc hodiè in vegeta consuetudine: ut inde apparent, quam ipsæ civitates Hanseaticæ derivationem sui nominis in hoc fœdere faciant & amplectantur. Quæso igitur, quibus maior authoritas in hac dissensione & fides adhibenda est, num his, qui ipsi primitus hoc nobile pepigere fœdus, an vero talibus, qui meras scrupulositates in vanis quærunt disputationibus? Proinde longe accommodatius loquitur *Petr. Bert. in Comment. sus rerum Germ. lib. 3. cap. 4.* & propius ad rem accedit, quando fœdus hoc à civitatum Hanseaticarum situ sibi nomen acquisivisse censet. Sed præstat heic ipsum paucis loquentem audire, quum satis luculenter explicet, quæ ad rem faciant: Magna quondam Hunnorum aliarumque Barbararũ gentium fuit in Germania vexanda immanitas, eoque magis formidanda, quod iam Saxoniæ maritimæ vicinisque Pomeraniæ & Megapolensis ac Brandeburgensis tractus regionibus imminerent. Eo tempore feruntur, adversus Barbarorum excursiones, & ad mercaturæ commodum utilemque usum coisse in Germania urbes maritimæ, quæ-

que

que adſitæ fluminibus cum maritimis illis commercia exercebant, conceptis certis quibusdam fœderis capitibus. Conſpirarunt autem in eam ſocietatem inde à Finnico ſinu, quod eſt in ultimo receſſu maris Baltici, uſque ad Rheni Oſtia urbes præcipuæ; nomenque ſibi indiderunt Anzeaticarum, vel à mari Teutonico, quod ad illud ſitæ eſſent, hoc enim eſt An Zee/vel à fide quam dextra pangere receptus gentibus moſeſt, manum enim Germani Handt/vel ut aliis placet, à fœdere & concilio, quod priſca Germanorum voce Hanſam dici aiunt, prolato etiam ex veteri codice Novi Teſtamenti loco inſigni, ubi pro eo quod Latine dicitur, Concilium fecerunt in eum, Germanice legitur, fecerunt Hanzam. Iidem ab immunitatibus quoque dicti ſunt Frye Hanſſen. Qui autem Francos ex eo nomine contracto derivant quaſi Franſſen/manifeſte errant. Neque enim Franſos appellamus ſed Francos, quæ vox non ab Hanſis vel Anſis, ſed à Franck/quod libetum ſonat, originem trahit. In eam vero ſocietatem recipiebantur non niſi civitates Germanicæ maritimæ, quæ ius habebant portarum ſuarum claudendarum & aperiendarum, ſive illę principem agnoſcerent, ſive omnino eſſent liberæ, &c. Tale etiã iudicium non incongrue quis ferat, de reliquis derivationibus, de quibus etiam alibi pluribus agemus. Æquius enim eſt, ut cum Germanica & maxime Saxonum faciamus lingua, quam ea, quæ ab ipſis civitatibus Hanſeaticis aliena eſt, præſertim quum quoque ipſæ imperii conſtitutiones cum hac ſententia faciant, ut ſuperius dictum eſt, quæ nolunt, quod vocabulum ita ſimpliciter accipiatur; ſed ſimul omnes civitates tam maritimas quam reliquas ad interiores Germaniæ Saxoniæ partes ſitas includat, ut vox Hayn antiquum Saxonicum eas exprimat, quæ non ad mare ſint ſitæ. Hayn enim denotat convallem, ſive locum late acclivum ſive campeſtrem, uti *Gen. 13. v. 18. & c. 14. v. 13.* Abrahami domicilium, quod ſibi apud Hebron à poſſeſſore loci Mambræo confœderato conſtituerat Patriarcha, recte vocabulo ex antiquitate linguæ Germanicæ iſto Hayn appellat Lutherus, & Piſcator planitiem ſive locum planum, in der Ebene iuxta modernam locutionem facit. Unde etiam merito vox Hanſeeſtätte non compoſitum, ſed decompoſitum repræſentat, ut neque *Rein. Reinec. in proleg. hiſt. Iulia, fol 25. tom. 1. cap. 3. nec Iſac. Pont. 2. orig. Francic. c. 8. & lib. 3. c. 1. fol. 181. nec Georg. Bruyn in Theat. civit. orb. terr. lib. 2. in deſcript. Londini*, hoc audiendi ſint, nec quidquam alterius cuiuſpiam opinio valere poſſit, niſi quod potius *P. Bertii ſententia ex receſſ. Imper. de An. 1576. §. 22. & An. 1521. §. 26. & An. 1546. §.* Vnndals *47. & §. 48.* velut etiam eandem *Matth. Steph. lib. 2. part. 2. de iurisd. c. 3.* approbat, licet & explicationis gratia hoc addat, quod Hanſeeſtätte/quaſi Handelſtätt iuxta modernam locutionem Germanicam dicantur. Et hac ratione facile uno pronũciato earum omnium propriũ & genuinũ efferatur Eſſe, ut inde conſtet, quid propriũ eorum officiũ & cauſſa finalis ſit in hoc incluto Fœdere Hanſeatico. Etenim propter defenſionem ſtatus in commerciis maxime & principaliter ita inter ſeſe coiere, ut ex ſequenti confœderationis renovatæ nota id luculentius patebit, & declarari poterit. Germanis quippe noſtris Handeln/nihil aliud eſt, & determinat, quam negociari, commercium tractare, aut exercere mercimonium. Sicuti inde quoq; ex eo, quod mäcklen in commerciis apud Hanſeaticos genuinum eſt illud, proxenetam agere, ex cuius interventione negotia in commerciis inter emptorem ac venditorem conficiuntur, ut putem, quod Mäcklenburgum primum inde acceperit nomen, uti poſtea id mox explicabitur.

Dictum eſt ſupra, quod in Baltico Germaniæ littore, à ſinu Codanico, in quem Drava fluvius ad dorſum Cimbricæ Cherſoneſi ſe exonerat, uſque ad Coni, quem nunc Memelam vocitant, oſtium extremum, Boruſſiam à Livonia dirimens, circiter 12. urbes maritimæ portubus celebres, & commerciis multarum gentium admodum frequentes ſitæ ſint: videlicet Lubecca, Wiſmaria, Roſtochium, Sundia, Gryphiſwalda, Anclam, Stetina, Colberg, Stolpa, Dantiſcum, Elbinga, & Köningsberg. De quarum prima Lubecca hucuſque multas ob cauſſas nonnihil fuſius agere coacti ſumus, quum non tantum caput ſit: ſed etiam penes eandem archivum & hiſtoria originalis Fœderis Hanſeatici potiſſimum lateat: cui quoque Hamburgum adiiciendum fuit, ut ratio originis in fœdere Hanſeatico inde magis elucidaretur. Civitates autem Vandalicæ, quum maxime in iſtis provinciis contineantur, primo de iis agendum erit, quæ in maris littore ſitæ ſunt, unde poſtea de reliquis pauca nonnulla ſubnectere poterimus. Sed formæ & temporis neceſſitas nobis hoc imponit, ut brevibus multa involvere cogamur. Hodie iſtæ maritimæ civitates maxime ditione Megapolitana Pomeranica & Boruſſica comprehenduntur.

Megapolitæa autem dictio non proprie genuina voce applicata huic Ducatui, ſed euphoniæ gratia ex peregrina ipſi attributa eſt lingua. Namque Germanice alias iuxta communem locutionem dicitur Mecklenburg ab urbe antiqua eiuſdem nominis, quæ *Helmoldo in Chron. Slavor. c. 2.* vocatur Mikelnburck iuxta idioma ſui temporis, velut Ducatus Brunſvicenſis, ut ſupra dictum eſt, à Metropoli ſua Brunſviga id nomen ſibi impreſſum gerit, & Miſnia ab urbe Miſna ſive Miſſena ab Henrico Aucupe *Anno Chriſti* 930. contra Bohemos, Polonos atque Sileſios condita, quam poſteris Witikindi Iunioris pro Marchionatu regendum dedit Cæſar: ſic & Wirtenbergicus Ducatus ab arce primaria prope Eslingam Wirtenberg nomen habet. Magna polis à Cranzio appellatur, quod re & ſignificatione talis eſſet hæc Mecklenburg *lib. 6. Vandal. cap. 36. nec non lib. 7. cap. 11.* unde ita ex Græco & Latino compoſitum eſſe ait, quod propterea plane indignum putat, quum Græcæ Linguæ idiotiſmus à tali compoſitione plane abhorreat, in comm. Rer. Ger. *lib. 3. cap. de VVinnar.* Nec ſane in eo aberrat, quod compoſitio talis male cohæreat, ſi ex binis ita linguis diverſis conſolidari deberet. Etenim Mecklenburg nomen nullatenus inde derivari poteſt, quum nec uſus, nec natio hominum, nec lingua id ita ferat, quod ex nominibus circumiacentium ſatis apparet civitatum & oppidorum. Sed potius ex ſitu & conditione incolentium eam ſortita eſt hæc urbs appellationem, uti ſupra monuimus, quod aliis quoque oppidis idem acciderit. Namque quum ſedes eſſet Mecklenburgum Regum Vandalorum & Obotritorum, ingens ibi commerciorum concurſus confluebat, ceu quoque id magnitudo eius, quæ adhuc non ultra milliare à Wiſmaria in ruderibus paſſim obviis con-

ſpicitur, oſtendit, quum & amplitudine ultra milliare Germanicum circumferentiam deſcribat. Neque tunc ulla civitas, vel Lubecca vel Roſtochium, præter Bardovicum, longius inde diſtans, erat, ubi nunc ita florent commercia; ſed inde victum & neceſſaria vitæ petebant vicini omnes. Quid autem iuxta antiquam vocem Mecklen Germanis & maxime civitatibus Hanſeaticis ſit, ſupra diximus: velut etiam Mäckler proxeneta eſt & propola ſive pararius, μεσίτης, ſive μεσιτικὸς, qui *iuxta l. 2. ff. de proxenet.* interventor vel mediator dicitur in contractibus, & maxime commerciorum negociis, conſiliator aut indicator eorum, velut & propolam *Cic. in l. P.* eum declarat, qui mercatur à mercatoribus, ut iterum vendat. Budæus propolam exponit minutiarium negotiatorem qui à ſolidariis coempta pluris divendit. vide *Cuiac. in parat. ff. hoc titul. & ad tit. C. de ſponſ. arr. & proxen. & 11. obſ.* 18. alias dicitur Großier/aut Meckler/ qui in Emporiis ſemper ſunt ad manus, ut ex iis ſtatim cognoſci queat, quænam merces advectæ in parato ſint. Proinde vocabulum hoc Mecklenburg potius ab ipſis profluxit incolis terræ eius, quam quod ullo indigeat Græciſmo, ceu quoque propterea rectius Vandalo Germanicis adiicitur, ut præter iuſtam rationem ita mire corrumpatur, quum etiam burgenſium ratio ſatis conſtet, qui cives alias vocantur, ut ſingula monuimus. Et maxime Burgum huic urbi attributum eſt quoque, quod Regum Vandalicorum ab antiquiſſimis temporib. ſedes aulica fuerit. Unde recte Mecklenburck/ quaſi dicatur communis mercatus civitas, ein Handelſtatt. De antiquitate autem huius urbis ante Chriſtum natum & eius regibus ab Anthyrio uſque ad Nicolotum, unde ita per 38. gradus continua ſerie ſuam Duces Megapolitani deducunt originem, & quomodo ea deſtructa ac diſerta, indeque Wiſmaria plenior enata ſit, ſuperius quędam cap. 14. circa finem monuimus. Quamvis vero iſti Obotriti Vandali admodum odio Chriſtiani nominis fervebant ſemper propter ſuas Idololatrias, quas *Cranz. lib. 5. Vand. cap.* 12. deſcribit, de Arconæ urbis ad Waldemarum 1. Regem Dan. deditione circa annum 1168. agens; tamen ſupra modum hoſpitalitatis virtute eos præpollentes laudat, ceu etiam tempore Henrici Leonis firmam cum eo adverſus Danos coluerunt ſocietatem. Unde pedetentim ſe iſtis terris inſinuantes Saxones nomine commercii uſque ad Damynum civitatem, quæ novitet erecta ope Saxonum contra Danos admodum creſcebat, Wandaliam occuparunt plenius adeo, ut advenæ Saxones prorſus exoſum habere cœperint nomen Vandalorum, & quum præpollerent aſſiduitate negotiationum, in ſuis collegiis & ſocietatibus non paterentur amplius ullum, qui non ex parentibus Tentonicis eſſet ortus. Magna gentis iniuria, ait *Cranz. lib. 7. Vandal. cap.* 10. quę patrio ſolo exturbata, in ipſis ſuis nativis ſedibus non ſinitur habitare & vivere; retruſa in mediterranea, ubi pro duriſſima ſervitute, multis dilabentibus, & Saxonum ſe populis immiſcentibus, vix pauci ad agrorum culturam, ſub graviſſimis tributis reſederunt. Unde ipſi quoque adeo Sclavi dicti ſunt, quum Germanis hoc nomen idem velit, quod Latini mancipium appellãt. Magna certe hæc fuit auguſtiſſimæ gentis minutatio, & metamorphoſis. Quod maxime inde evenit, quum Lubecca, Roſtochium & aliæ noviter conditæ civitates commerciorum vigore per Saxonas adimplerentur, qui etiam ex hac occaſione non tantum opum potentia nativos terræ huius exuperabant incolas, ſed etiam fœderibus ſuis, quæ ex collegiorum conſtitutione naſcebantur, penitus Vandalos reprimebant. Ut vera & fundamentalis origo Societatis Hanſeaticæ ſatis inde elucidari queat. Etenim Saxones ex longa conſuetudinis & ipſius experientiæ uſu, iam id pridem edidicerant, quid talis poſſet confœderatio civitatum, ſi fideliter coleretur: unde etiam paulatim arctiori tali vinculo ſeſe invicem conſtringere non deſtiterunt. Et monſtrant ipſæ renovationes tot fœderum Hanſeaticorum, quantum ſemper prudentiæ accreverint. Quum ita inſenſibiliter procederent ſucceſſu temporis, tanta inde firmitudo potentiæ exorta eſt. Proinde merito *Cranz. libr. 7. Vandal. c.* 10. hæc ſuo ſubnectit diſcurſui: Titulus autem (ait) gentis remanſit apud principes: qui morientes, proxima ſucceſſione illum tranſmiſerunt ad duces Magnopolenſes: quibus hodie patet terra quæ Wandaliæ nomen retinet, ex latiſſima Europę totius latitudine redacta in brevem angulum: ut latiſſima natio antiquũ nomen niſi in illo mundi angulo conſervet. Remanſere principes antiquæ originis in ditionibus ſuis, manſit nobilitas in paternis prædiis & poſſeſſionibus: ruſtica plebs effugiens durum iugum imminuta eſt, tranſfugio deſerens agros, & abſcondens externis gentibus originem. Facit hoc contemptus gentis, ut nemo, niſi quem lingua prodit, ſe fateatur eſſe origine huius gentis, hodie per Chriſtianiſſimum (ut diximus) diffuſiſſimæ. Quid enim attinet erubeſcere originem Wandalicam, cuius gentis patres tam amplas res geſſerunt in Galliis, Hiſpaniis, Africa, & quotidie gerunt in Ruſſia, Polonia, Bohemia, Dalmatia, Hiſtria, Bulgaria, (quæ, teſte lingua communi, gens una cenſetur) quas ſupra commemoravimus?

Guncelius patri cognominis, Zwerinenſem Comitatum tenet poſt patrem, quem ille ab Heinrico Leone promeruit. Hic ergo filius quum Mecklenborg pro ſui magnitudine oppidum cerneret immunitum (quod diſtentum in longum, nullis vallis ac muris potuit firmari) vicino loco ad mare contiguum urbem cœpit commoliri, quam Wiſmariam (incertum unde ducto nomine) appellavit. Si Latini rem geſſiſſent, ſuſpicarer Ciſmariam vocitatã. Nunc quum Saxones fundamenta iecerint, in obſcuro manet unde ſit nomen ductum. Wiſmariam tamen nomen eſſe Wandalicum ex aliis meminimus. Potuit ergo vir in gente nobilis, ibi habitans, loco relinquere nomen, ut ex Wiſmaro Wiſmaria, quo modo ex Romulo Roma diceretur. Ad eam Saxonici generis multi habitatores ſe contulere, brevique coaluit in tantum, ut omnem memoriam veteris oppidi Mecklenburg (hoc eſt magnæ urbis) penitus aboleret. Unde ſibi titulum ſumpſere principes nunc Magnopolenſes, abolito veteri Obotritorum vocabulo. In quo Dux antea Sleſwici Kanutus, de Regio Danorum ſanguine, aliquando regnabat, vir inter primos optimus, tempore Lotharii Imperatoris de Domo Saxonię noviſſimi: quod ſupra ſuo loco commemoravimus. Erat autem tum à Chriſto 38. poſt mille ducentos. Monaſterium quod prius inerat Magnopoli, cum arce Wandali rebellantes (quod ſupra diximus) ſubruerant. Sunt autem locis aliis in ea terra non paucis erecta virginum monaſteria, quę

pri-

primam illam ruinam magnificè compenſarunt, &c. Fuit quoque Epiſcopatus in urbe Mecklenburgo, ab Adelberto Magno Epiſcopo Hamburg. quum Wagriæ Aldenburgenſem Eccleſiam & eius ſedem principalem ab Ottone I. ibi inſtituram, in tres ditimeret Epiſcopatus, Mecklenburck/Raceburck/& Aldenburgenſem, illuc translatus: ſed poſtea ſedes hæc Suerini collocata eſt, circa Annum Chr. 1178. *Helm. cap. 70. Crantz. lib. 6. Sax. c. 23. Vand. lib. 4. c. 36. Dreſſ. mill. 6. par. 2. pag. 289.* Unde apparet, quam paulatim quoque decreverit hæc urbs Mecklenburck/quum civitates mari adiacentes magis Saxonum induſtria & fœderis Hanſeatici colligamento potentiores ſumerent vires. Et quamvis Wiſmarienſis urbis initia, ſecundum communem opinionem, ad hæc tempora, uti quoque *P. Bert. dict. Com. lib. 3. p. 715.* eidem circa Annum 1240. cum aliis attribuere videtur, quaſi tunc ſaltem ex ruina Mecklenburgæ urbis originem petat ſuam; tamen conſtat ex actis Ottonis II. Imperat. & regni Danici quod ille ad initium Anni Chriſti 975. conventum ſolemnem & Comitia publica Wiſmariæ indixerit, ubi cum Daniæ Rege Suenone Haraldi VI. qui ab Ottone I. ad Chriſtianiſmum perductus erat, filio tranſactum eſt de finibus, & de iure obligationis ad Imperium. Bohemus inde Dux quum comparere noluiſſet, ideo bello tunc petitus eſt, quo ſubactus imperata fecit. *Sethi. Cal. Chron. ad An. hunc.*

Quare non adeo fabuloſum eſt, uti Pet. Bertio videtur, Wiſmaria nomen à Wiſmaro quodam rege Vandalorum qui circa tempora Conſtantini Magni poſt nat. Chriſt. an. 320. maxime floruit, ſibi inditum foveat, quum Wißmar Saxonica ſive Germanorum lingua certum mare ſignificet. Conſtat enim ex hiſtoriis quod ab Anthyrio 1. undecima ſanguinis ſerie natus fuerit Viſimarius Rex qui imperarit Vandalis, cui etiam initia huius urbis adſcribuntur; nec obſtat, quod Wißmar certum mare ſignificet, ut ille vult. Nam quur non & auctor & ſitus eo certiorem & firmiorem nominis impoſitionem urbi huic clariſſimæ gignere potuerint? Ideoque non bene hoc in eo Crantzium exagitat quod Wiſmariæ nomen Vandalicum dubitanter ſtatuat, quamvis alias in plurimis quoque is errarit. Rectius ſentit Munſterus, qui putat nomen urbi tam à ſapienti præſide, quam certitudine marini portus inditum eſſe. Quid enim Witz & Witti olim in antiqua lingua apud Germanos fuerit, ſupra explicatum eſt. Niſi locus tutus munituſve & oppidum etiam ante Gunzelinum longe fuiſſet celebertimum, Otto Imp. II. non ibi Comitia inſtituiſſet. Verum eſt tamen, quod Bert. ex Coſmographia Munſteri adducit, cinctam eſſe urbem eam oppidis undique minoribus, ex quibus ingens copia rerum ad vitam neceſſariarum advehatur: tum quoq; portum habet ſupra modum præ reliquis civitatib. maritimis accommodatiſſimum, oneratas naves quantumvis ſatis amplas & capaces recipientem, unde in bellis navalibus Hanſę ut plurimum claſſium primus ibi fuit conventus, & in conflictibus dubiis ad eundem recurſus. Floruit diu ſemper divitiis & varia commerciorum opulentia, præſertim quum adhuc cives in Hiſpaniam navigationibus ſuis uterentur. Verum poſtea circa Annum 1586. quum Hamburgenſes Hollandos & Belgas pleniori confluxu, illuc ex tempeſtate ſævitiarum ſua confugientes, reciperent, & ex eorumdem ſuppoſitione ebriorem in Hiſpania exercerent commerciorum commeatum, civitates ad mare Balticum, & præſertim Wiſmaria ſuis ſe conſumere viribus paulatim cœpit. Frequentiam autem urbis, quæ æquali ſpacio à Lubecca & Roſtochio diſtat, velut & opes priſtinas, magnificentia templorum & maieſtas auguſta fori, curiæ, cellæ vinariæ, ædium que privatorum amplitudo & ſplendor adhuc ſatis declarant. Sunt etiam, qui eam Gothorum ex Wisbuia Gothlandiæ Metropoli, quæ & ipſa ex Winetæ urbis Vandaliæ (ut mox patebit) excidio, quum fluctibus demerſa eſſet, initium habuit, deductam affirment. Creduntur enim in Gotiæ locis olim leges nauticæ communi mercatorum conſenſu conditæ, quum ibi Wisbuienſe Emporium fuerit celebertimum, ex quo apud civitates Hanſæ fuerint magis excultæ. Sed Henricus Hieroſolymitanus Dux Megapolit. Iohan. Theologi qui in Pariſienſi Academ. litteras & Theologiam didicerat, gradumque Doctoris aſſecutus erat, filius ius Lubeccenſe, & juriſdictionem propriam Civitati Wiſmarienſi demũ Anno 1266. conceſſiſſe fertur. Anno 1407. mortuus eſt Albertus Rex Sueciæ, Dux Megapolenſis, & reliquit filium, qui cum fratris filio regionem eam partitus eſt. Forte hoc quoque tempore Stralſundenſes ad luxurioſa convivia inter cives comprimenda, ſtatuto certo caverant, ne poſthac amplius tam ſplendidas commeſſationes in exequiis defunctorum celebrarent, quum potius in damnum Vulgi, quam eius emolumentum tantus luxus vergeret. Id quum cerneret Sacerdos Vagedehagenſis, Conradus Benovius, quod ſibi non eſſet proficuum, adeo illud ſtatutum improbabat ex generali inſpectione, quam in Eccleſias Stralſundenſes gerebat. Ideoque concitabat novos motus, ut ſibi non tantum Eccleſiaſticos ſuos, ſed etiam prędones, præſertim ex nobilium numero adſociaret. Rem ex inſidiis ita componebat, ut nocturno tempore non tantum ſe adpropinquaret cum ſuis complicibus ad urbem, & illis primo diluculo omnia armenta ſurripiendo vi abigeret, ſed etiam exſpoliabat, & deprædabatur omnes circumiacentes pagos, ruſticos, & incolas, interficiebat, nec parcebat, miſeris hominibus, quibus urbs pro baiulatoribus utebatur, quibus manus pedeſque pręſcindi peſſimę curabat maxima ex parte. Rumor autem ille quum in urbe diſſeminaretur inter cives, qui potiſſimum miſericordia erga mercenarios ducebãtur, continuo in forum publicum novum 13. Eccleſiaſticos pertrahere, ingentem ignem collatis lignis in furore coorto extruere, atque tres ex numero hoc ſeligere conabantur, nempe Iohannem de Colonia, qui officialem Epiſcopi Swerinenſis, & Archidiaconum Tribbeſehæ, Paſtoremque ad D. Nicolaum, & Wilhelmum Capelanum, ſive Sacellanum ad eundem D. Nicolaum. Tres hos mercenarii illi affigebant ligamentis ſchalæ alicui ligneæ, & proiiciebant in ignem, atque comburebant illos miſere. Epiſcopus Swerinenſis indignantiſſime hoc ferebat, & propterea banno percutiebat totam urbem, ita, ut pœna excommunicationis omnes prohiberet ceremonias, in cantu, tympanorum ſono, Baptiſmate exercendo, mortuorum ſepultura, &c. Tum quoque litteras ad Papam mittebat, remque omnem ad Romanum Epiſcopum non ſine fuſis querelis deferebat. Papa nuncium ſuum plenipotentiarium Sundium ablegabat; at quum Sundenſes ſatis pecuniæ huic

ſubmiſ-

subministrarent caro, delictum omne illis condonabat. In pœnitentiæ tamen signum imponebatur Stralsundensibus, ut fornicem in Cathedrali templo Swerinensi conderent, cum eo voto & promissione, quod in perpetuo vigore opus hoc essent conservaturi suis sumptibus. In memoriam istius rei æternam, & opprobrium sui perpetuum cogebantur id perferre, quod Episcopus ad parietem supra instrumentum Organicum maius istius templi Cathedralis aureis litteris maiusculis historiam adscribi curaret: Verba ex Germanico translata ita se habent. An. 1417. contignatio huius arcus, sive fornicis ex sumptibus, & numis, quos pœnitentiæ loco Stralsundenses exponebant pro tribus illis pastoribus, inhumaniter, & innocenter in foro suo combustis, exstructione perfecta est. Talis scriptura istum in modum usque nunc depicta ibidem legitur. Anno 1420. Dux Uratislaus Pomeraniæ virum fortissimum, & Stralsundorum singularem amicum, Degenerum Bruggenhagen nobilem, nō procul ab urbe habitantem, una cum duobus Consulibus urbis ad convivium in Hydromylam prope Sundium invitari curabat, ut cum ipso quasi hilaritatem lætam exercerent. Verum quum Consulibus nota esset principis illius astuta fallacia, ne pro dape assaria, & pulpamento pugiones devorare, aut gustare cogerentur, domi se continebant: peculiarem vero salvum conductum quum Dn. Degenero cum fide sancta reddidisset, iste vir se integrū sistebat. Sed Dux ille sanguinis istius innocui cupidus, sub medio epuli gaudio, de subito illum interfici curabat, quod adeo constans Sundensium esset amicus. Fama igitur hæc quum ad urbem perveniret, statim illi, qui ad portam habitabant, mittebant, qui familiæ Degeneri nefandum facinus hoc, & mortem heri denunciarent, ut locum bene munitum conservarent suis, ne obtruitio fieret. Male item Stralsundenses hoc factum principis ita habebat, ut omnibus, qui scelerato huic convivio à Ducis parte interfuissent, & rei conscii, pacem renunciarent, eosdemque bannitos efficerent. Dux peracta hac cæde, Degeneri Satellitem proximum, qui ipsi semper à latere, & cubicularius esse solebat, statim defuncti Domini vestitu indui curabat, ipsi adsociando aliquot equites, qui ædes Degeneri clancularie invaderent. Verum qui in arce erant, avertebant dolum detectum fortiter. Ex hoc facto commoti Stralsundenses, & Gripswaldenses, quum noscerent, quod Dux complicibus cædis istius, & correis suis arcem Vredanam ad incolendum tradidisset, ut vindictæ huius caussa eum locum invaderent. Sed quum in media oppugnatione executionis essent, nebulones illi clā ex altera parte se, per occultam portam aufugiendo, subducebant. Arcem tamen eam binæ civitates sibi bene munitam in hac occupatione reddebant. Vix autem octiduo elapso annunciabatur Sundensibus, quod homicidæ illi in arce Messerovia degerent. Quare quam citissime milite suo obsidebāt circumcirciter arcem eam, quibus & succurrebant nobiles Moltkenii, ac vi impressionis occupabant arcem, secumq; 16. nobiles in urbem abducebant, arce ea funditus dirupta. Capitaneus interim, nomine Nicolaus Sterkovius, quum cerneret, quod effugium ipsi esset præclusum, cymbæ se concredere conabatur, sed in ipso insultu subversa est, & ille submersus, chlamyde indutus. Post 6. septimanas inveniebatur iam ferme putrefactus, nihilominus pelli bovinæ involutus, & rotæ ad spectaculum publicum ante portam urbis imponebatur. Ac quum ipse interfector fuisset nobilis Iohan. Behre, ille nudus verrebatur circa terram per plateas, ac rota confringebatur vivus usque ad mortem. Atq; sic, cum tam acri fervore vindicabant civitates hæ cædem malignam fortissimi sui amici, in perpetuam rei memoriam, & exemplum malignantium, ut abstinerent se posthac socios facere criminis in principum favorem, qui civitatibus non bene cuperent. [Alias tamen Comites Megapolitani postea salutati sunt, donec post obitum Wilhelmi ultimi Principis Henetorum, qui sine liberis Anno Christ. 1430. è vita exiit, Anno 1349. Albertus & Iohannes ab Imperatore Carolo IV. Duces Imperii crearentur; & iste Comitatus in Ducatum mutaretur. *Chron. Bohem. & Seth. Calv. Chron. Dreff. in mill. 6. par. 2. pag.* 530. Singularem urbis lapsum vide apud *Crane. Vand. lib. 7. ca. 50.*]

Sed non minus memorabilis est casus, quem non sine turpitudine Chronicon Lubeccense refert scriptum. Anno 1409. quum cives Lubeccenses tumultuoso motu, & impetu deturbassent suum Magistratum ex suo loco, novumque instituissent illegitimis modis senatum: auctores talis seditionis aliquot, nēpe Conrad Semelow, Iohan Flaten, & Heinrich Bloyenborn ex urbe emigrantes, se cōferebant Wismariam, ut eodem furore inficerent ibi cives. Quum successum propositi aliquem invenissent, inceperunt cum aliquot malignis, & perfidis civibus clandestina agitare consilia, quibus id variis surrogarunt instigationibus, & persuasionibus, ut cives illi Wismarienses Magistratum suum variis premere inciperent suspicionibus, & invidiæ acerbitate, præsertim quum eosdem exemplum Lubeccensium afficeret, quod illi ex mercatoribus, & tribuum numero suum nunc constituissent novatione aliqua senatum. Ex instinctu talium nefariorum Communioni Wismariensium valde sibi proficuum id videbatur, si eundem sequerentur modum: inde coditie seditio accrescebat, adeo, ut simile studium cōtra Magistratum suam non vererentur subire.

Quum igitur tales Lubeccani, motu hoc suscitato, iterum discessissent, instituebant Wismarienses conventicula diversa, in quibus tandem LX. Viros ex numero suo creabant, qui una cum Magistratu nō tantum omnia civitatis negotia pertractarent, sed etiam inquisitionem instituerent, si quid minus ad captum eorum esset ordinatum, id pro suo corrigerent arbitratu. Verum LX. Viri non in mandato hoc suo subsistebant; sed toties communionem civium ex falsa delatione convocabant, variis modis senatum traducentes, quod non minus commode pro salute civitatis administrarent officium suum; donec tandem obtinerent, ut ex consensu civium priorem Senatum è Curia detruderent, novumq; eligerent Magistratum ad eum modum, quem illis 3. cives Lubeccani præscripserant, quibus nec satis fuerat, ut ibi motum concitassent; sed itidem Rostochium se convertebant, ubi in simili ratione seductione nequitiosa compellebant cives, ut senatui suum eriperent officium. Inde non tantum aliquos ex eorum numero turribus custodiæ includebant, sed etiam plane alios ex urbe expellebant nequiter: velut nec modum nec modestiam talis novit servare populus fremens, ubi

semel

semel fines impudentiæ transivit. Hinc novus utrobique senatus tam Wismariæ, & Rostochii omnem in se regiminis potentiam derivabat.

Quum vero per varias querelas res tumultuosa delata esset ad principes Megapolitanos, Ducem Iohannem, & Albertum fratres, atque hi cernerent, quanta petulantia tam Wismaria, quam Rostochium difflueret; Ipsi pacis, & compositionis caussa Wismariam perveniebant, novum senatum confestim ad se vocando, ex quo quærebant, quid caussæ subesset, & ex cuius concessione, aut potius præsumptuositate sellam & administrationem Magistratus occupassent, sibiq; tantam sumpsissent Dominationis potentiam, ac eum senatum, quem parens ipsorũ p.m. sancte adeo confirmasset, destituissent, penitusque expulissent; adiiciebãt administrationis gravioris minas. Hoc sermone audito, statim quisque ex plebe domum confugiebat rabiosius, & se gladiis, fustibus, hastis, macharis, hastilibus, pugionibus, & aliis instrumentis hostilib. armantes, irruebant furentes in palatium, & aulam principum; omnia conclavia, & cameras, cum cubilibus percurrendo, lectosq; perforando, ut interficerent suos Dominos: ac nisi fuisséraliqui in civium numero probiores, qui principes clam subduxissent, de eorum vita actum fuisset; nec ausi sunt postea per longum temporis spacium in furentem redire civitatem. An. 1410. etiam Hamburgenses hoc atrox exemplum Lubeccensium in suum abripiebant imitamen, sub prætextu contra pacta captivati à senatu civis, nomine Heino Brand.

Conveniebant cives in cœnobio ad D. Mariam Magdal. ubi LX. viros, ex quovis Caspelio (ut vocant) quindecim, sibi creabant, qui in arduis æquali regimine adlisterent senatui ipsorum. Verum nec isti LX. viri suis contenti erant officii terminis, sed supra Magistratum se elevantes, omnes actiones senatus sinistre apud Vulgi plebem interpretabantur. Quodcunq; senatus ordinabat pro commodo civium, hoc illi invertebant pessime; donec tandem itidem Magistratum ordinarium ex curia expellerent, novumq; ex suo crearent, & substituerent numero. Quin ea tyrannide exuperabant reliquas civitates (ait Chronicon) singulari, ut etiam exules senatores, & exulantium coniuges sub pœna vitę ex sua expellerent urbe. Civitatum harum misera facies per aliquot duravit annos, nec ad pœnitentiam debitam reduci prius potuerunt, quam donec tandem An. 1416. Imperator Sigismundus per solemnem Legationem restitui curavet priorem senatum Lubeccensem. Eodem vero anno primi tunc erãt Wismarienses, qui, quum cernerent, quod Cæs. Mai. tanto cum fervore, & splendore priscum senatum in dignitatem suam regiminis revocasset ex exilio, incipiebant metu, & terrore duci. Ideoque alium induebant animum, variisque viis id tentabant, ut Ducibus suis ante omnia possent reconciliari, atq; prioribus suis Dominis suum reddere regiminis statum. Quippe huc usq; à tempore deturbationis, & ejectionis senatorum suorum, in summa principum suorum disgratia, & persecutione vixerant. Quare ut novam sic initent gratiam, eligebant ab exulibus aliquos, quos maxime dignos putabant, qui pristino restituerentur loco. Ex hac occasione capta mittebant ad principes rogatum, ut non saltẽ cõdonarent crimen ab ipsis admissum, sed etiam ipsi interposito res agerent, ad plenam omnis dissidii transactionem.

Clementia principum tanta erat, ut certum ad se conventionis diem, & terminum iis constituerent. Novus itaq; senatus cum principalibus civium dicto die conferebant se ad principes suos, Dn. Iohan. & Albertum, ad quorum adspectum confestim in genua procidebant cum devota precatione, ut se & cives omnes in gratiam clementer reciperent, delictaque grandia illis ex affectione benigna remitterent. Principes in gratiositate magnanimi quum cernerẽt civium animos pœnitentes, deprecationi hoc deferebant benignissime, quod illis omne delictum, licet fuisset enormissimum, condonatum ex misericordia vellent; quam promptitudinem illis quoque solemniter promittebant. Quæ principum libera probitas, & clementia adeo affecit missos, ut pro luenda culpa illis 10. mill. Marc. Lubec. offerrent. Ac rogabant humiliter, ut ita in gratiam, & tuitionem eorum plene recepti, secure foverentur. Pro confirmatione igitur totius reconciliationis ipsi principes cum missis ex civitate conscendebant equos, & Wismariam ingrediebantur, secumq; aliquot adhuc exulantium adducebant ex senatoribus. Congratulatio ingens erat sedati populi. Ideoque se in curiam statim conferebant, Magistratus locum occupando, & ad se accisi ante omnia iubebant priscos senatores cum consulibus: quos sibi adsidere mandabant. Postea ex novo senatu, & præcipuis civibus, nempe Gabelium, à Stella, Iohan. Frisium, Henricum ab Haren, & Petrum Wildium, ita seligebant simul, ut numerus compleretur novus. Verum ex tribubus nullum adoptabant amplius, ob rationes ipsis cognitas, præsertim quum potissimus civitatum maritimarum motus ex eorum turba, omnium ferventissime excitatus exacuerit, ut ipsi simul adsessores agerent Magistratui, minus dignitatibus, & locis prudentiæ aptos. Constituto ita senatu denuo, principes omnia antea acta, statuta, & decisiones novi senatus annullarunt, & totam civitatem ad priscas revocarunt consuetudines, quas ipsis cum privilegiis confirmarunt liberaliter. Inde iste dies omni populo ita lætus fuit, ut insuper debitas principibus egerint gratias. Licet autem Consules Wismarienses, Dn. Iohan. Blanshow, & Henricus ab Haren, optime meriti essent de Republ. ea tamen quam mundi iniquam gratiã his reposuerint: id postea explicabitur. Eod. hoc an. 1416. paulo ante festum Nativitatis Christi etiam Rostochienses ad exemplum vicinæ iam dictæ urbis & sociæ resipiscere incipiebant, ut pœnitentia itidem erga priscum Magistratum afficerentur. Atque licet ante hac se inramẽto mutuo inter se constrinxissent, quod neminem ex prisco senatu in civitatem penitus recipere vellent: tamen aliter nunc affecti erant, ut exulantes ultro revocarent suos, illisque pristinum cederent dignitatis debitæ locum, ne quid præiudicarent sibi. Quare inter se ita transigebant, ut non ad exemplum Lubeccensium (velut compendium Chron. Hamb. ab Adam. Tracigero conscriptum loquitur,) novus senatus destitueretur, sed manebat una cum prisco senatu in regiminis pleniori statu, donec ad solitum numerum pedetentim mortalitati abdicarent. Quamvis Tracigerus iam dictus multa acerbiora dissimulet in Chron. suo: tamen in rei luculentius testimonium

nium LX. virorum nomina omnium, qui An. 1410. à civibus deſignati erant, ita ordine ponit. In circuitu, aut Caſpelio D. Petri eligebantur.

Ex Caſpelio D. Petri.

1. Lydæus Luneburgh,
2. Hilmarus Woldehorn,
3. Henricus Boxtehude,
4. Albertus Dornſtede,
5. Chriſtianus Buſchkamp,
6. Sibertus Goldbeccius,
7. Marquardus Hourſtede,
8. Bernhardus Kulben,
9. Ludolphus ab Eytzen,
10. Wernerus Rometchlagen,
11. Ericus à Zeven,
12. Otto Bremetus,
13. Petrus Scherpenberg,
14. Petrus Mildehofet,
15. Bernhardus Vermeſſius.

Ex Caſpelio ad D. Nicolaum.

1. Eilhardus Stapelfelde,
2. Otto Brochberck,
3. Iohan Becherus,
4. Iohan Nienkerke,
5. Heino Backwinkhagen,
6. Heino Steinbeck,
7. Eberhardus Lemſpringe,
8. Heinricus Binshorſt,
9. Simon Alverſchloe,
10. Iohan Grunaw,
11. Helvigius Sineuſen,
12. Iohannes Renzelius,
13. Luderus Kleiſe,
14. Eberhardus Becherhold,
15. Heinrich Wuthaſe,

Ex Caſſelio D. Catharinæ.

1. Hilmarus Blomenberg,
2. Iohan Wolffius,
3. Henricus Segelke,
4. Iohannes Hitfeld,
5. Bernhard Hune,
6. Tydæus Munſter,
7. Alexander à Fechte,
8. Iohan Brechſtede,
9. Iohan à Munden,
10. Sickæus ab Have,
11. Iohan Thoſtede,
12. Iohan Stratæus,
13. Godekæus von der Elve/
14. Iohan Hanſtede,
15. Gerhardus Hals.

Ex Caſſelio D. Iacobi erant.

1. Albertus Grevingh,
2. Chriſtianus von der Heide/
3. Nicolaus Kottingh,
4. Heino Kleitzen,
5. Heinricus Buſchkamp,
6. Iohan Veichard,
7. Iohan Weidenmuhle,
8. Annonius Ordeland,
9. Iohannes Brandt,
10. Ludolphus Alſtervogt,
11. Henningus Elthopius,
12. Iohan ab Almerdingen,
13. Cuno Elſtorp,
14. Iohan Kleitze: poſtea ſenator,
15. Chriſtianus Sachſendorp.

In Magiſtratu autem ordinario præter 4. Conſules numerabantur tunc 16. ſenatores, quibus ſupradicti inſpectores adſociati erant An. 1410. Sed de his ſuo loco. Iam ad Chron. Lubec. recurrimus in continuanda Wiſmarienſium hiſtoria notabili. Quum Ericus 8. Pomeranus dictus Rex Daniæ, & Margaritæ ſucceſſor per aliquot annos fervens admodum geſſiſſet bellum contra Duces Sleſvicenſes Holſatiæ, & An. 1426. ingentem Exercitum ſupra centum millenos equitum peditumque coegiſſet, redux tum ex Palæſtina, ut penitus eos, iuxta ſententiam Imperatoris ſubiugaret; civitates 6. Vandaliæ, nempe Lubeca, Hamburgum, Roſtochium, Sundium, Wiſmaria, & Grypiswaldium (quibus & Lunęburgenſes adſiſtebant) ad petitionem Ducis Holſatiæ ex conventu Lubeccano, quum ſibi quoque periculum vicinum imminere putarét, interpoſitionis cauſa mittebant ad dictum Regem Legatos ſuos, videlicet ex Lubecca Dn. Henricum Rapeſulverum conſulem, & Dn. Tydemannum Zerrentium ſenat. ex Stralſundio Dn. Cunradum Biſcopium conſulem, & Iohan. Burovium ſenat. ex Roſtochio Dn. Fickium à Thuenen conſ. & Henricum Grenzæum ſenat. ex Wiſmaria Dn. Iohan. Bantzhovium conſ. & Petrum Wildium ſenat. Hi octo egregii viri ad Regem, qui tunc Haderslebiæ commorabatur, ſe conferebant, omni conatu, & ſtudio hoc agentes, ut pacis obtinerent culturam.

Verum Rex potentiæ ſuæ totus erat deditus, tum quoque prætendebat ius ſuum, quod Imperator Sigiſmundus ipſi in manus tradidiſſet per ſententiam, ut plane omnem, & interpoſitionem, & tranſactionem reſpueret. Quamvis tamen Rex numero immenſe copioſo militum exuperaret Holſatos, tamen ſemper inferior fuit in fortuna belli, ut etiam Holſati prope Flensburgum in conſpectu exercitus ipſi 3000. capita armentorum vi eriperent.

Quum vero civitates prædictę cernerent ſe ita à Rege in intentione bona, & iuſta contemptui haberi præ nimia potentia eius; ac luculenter ſatis ſimul ex colloquio cum Rege habito percepiſſent ea, quæ nunquam antehac, vel coniectura alias aſſequi potuerant, nempe, quod Rex nulla ex alia cauſſa cum civitatibus ad latus maris Teutonicum ſitis amicitiam iniiſſet, quam ut per earum adiutionem, aut neutralitatem, & abſtinentiam Ducatum Schleſvicenſem, totamque Holſatiam in ſuam poteſtatem redegiſſet; poſtea tempus monſtrare deberet, quinam eventus etiam civitatibus eſſet dictarus. Quæ periculoſa locutio Regis, quam aliquoties non ſine fervore effutierat, valde commovebat civitates, ut in tempore futuro malo rectius conſultum vellét, præſertim quú cernerent, quod longe alia intentio Regis ad poſtulationem amicitiæ talis nunc eſſet, quam à principio prætextum geſſerat.

Ideoque ſtatim à civitatibus prædictis in conſulta-

ſultatione hac concludebatur, ut omnes Civitates Vandalicæ maritimæ verſus Roſtochium conſcriberentur, ibidemque ad feſtum exaltationis crucis comparerent. Iugulum enim ſibi peti, ex ipſius ore Regis percepetant, unde neceſſum exiſtimabant, ut quid certi inter ſe de communi ſuorum ſalute decernerent. Interim quiſque legatorum domi ſuæ referebat, quæ ipſe cognoverat, eademque vicinis cõmunicabantur civitatibus, ut eo paratius cum certo concluſo comparere poſſent. Quare in termino præſtituto dicti diei conveniebant Roſtochii Lubeccani, Hamburgici, Wiſmarienſes, Stralſundenſes, Grypſwaldani & Anclamenſes cum plena poteſtate, ſingula acta bene perluſtrandi, examinandi, & pro communi ſtatu ſalvandi. Collatio fiebat ſatis conveniens inter Regis & Ducum Holſatiæ cauſſam; nec minus ſententia Regis Romani, in eo negotio lata, multũ diſputationis excitabat, ut in plurimis propterea dubii hærerent.

Quum tandem tamen ſuum, & commerciorum maximum periculum ſub ea re verſari ſimul cernerent, concluſum eſt, neceſſariam ſibi diverſionem impoſitam eſſe. Ideoque, ſummam utilitatem hoc exigere æſtimabant, ut ſuccurſum præſtarent Duci Holſatiæ, velut amico vicino, cum quo ſimul in eadem, ex intentione Regis finali, verſarentur navi. Addebatur itidem, in tempore præveniendum talibus eſſe extremis: Ac Rex quid difficultatis illis obiiceret, conſtituebatur, ut plenius coram de re omni cum Duce Holſatiæ poſſet agi. Quum Iſa. Pontan. rer. Danic. accuratus quidem ſcriptor, omnes actus hos iſtius 1426. anni in ſua Hiſtoria omiſerit, nec rationes, pro civitatibus pugnantes, introduxerit, ut culpa quaſi tacite quædam illis forte inuratur, operæ precium fuit, ut ex oblivione temporis talia eriperentur.

Non enim præcipitanter ex temeratio motu id factum eſt, quod civitates monitorias iterum cum eventuali clarigatione miſerint ad Regem ſuas. Sed propterea ex Roſtochienſi conventu civitatum prędictarum Legati ſe Lubeccam contulerunt, ubi ad ſe invitabant Ducem Holſatiæ, qui tunc Reinfeldii 3. milliaribus à Lubecca diſſiti degebat, cum ſummo deſiderio eorum expectans reſponſionem. Itaque ingreſſus eſt Lubeccam, & cum civitatibus tale pepigit fœdus, quod communem omnium conſervationem in hac neceſſaria defentione ſaltem concernere deberet, nec ulterius extendi. Conſentiebant quidem omnes; ſed Grypſwaldani, & Anclamenſes abſtinebant, qui cauſſam hanc non iniquam prętendebant, quod nequirent fœdus inire hoc, quum Dux Pomeraniæ eorum Dominus, & Frater eſſet Regis, & etiam parti eius in iſto inſtituto admodum faveret. Unde rogabant, ut hac ratione excuſati exciperentur, quod etiam complacitum ibi ita eſt publice, ſed ne alias inde quid conſequentiæ ſumerent alii confœderati ſocij. Decretum tunc ſimul eſt, ut monitoriis adhuc ſuis Rex deterreretur à propoſito, niſi vellet admittere, ut unaquæque quidem civitas ſuam Regi denunciationem belli faceret.

Interim quoque hoc conſtitutum fuit, ut ad certum diem quæque civitas ſuas clarigationis litteras Lubeccam mitteret per peculiares ſuos, qui una cum Lubecenſi tabellario ad Regem excurrerent, & inſinuarentur uno ita omnes clarigationes die, ceu inter omnes erat ſingulariter hoc conventum, ne quid in eo mutaretur. Velut itaque ſingulari cura, & ſtudio erant hæc complacita; ſic tabellarii iſti omnes & ſinguli ex Lubecca uno die excurrebant, die autem S. Lucæ ad Regem pervenerunt, cui litteras eas una vice obtulerunt, quibus ſignificatum erat, quæ damna hucuſq; durante bello Holſatiæ graviſſima, pertuliſſent, & quot nauibus contra pacta conventa deſpoliati à Danis fuiſſent. Etiam exprobrarunt Regi reiectionem pacis, toties oblatæ, ut ita demum coacti eſſent in hoſtium partes plane invito modo inclinare.

His perlectis litteris, quum percepiſſet Rex, civitates hoſtium partes tueri, ſtatim in 3. regna ſua miſit nuncios ſuos, qui illis denunciarent civitatum conamen bellicum, ut plane abſtinerent ab earum cõmercio. Interim varii committebantur conflictus, tam in Holſatia, quam mari. Civitates adornarant quoque claſſem ingentem 100. navium cum 6000. militum copia, bene armis inſtructa. Dies dictus erat omnium Sanctorum quando confluebant omnes naves in maris loco prope Wiſmariam, qui littoris albi nomine appellatur, ubi ipſis indiciũ fiebat, quod Dux Holſatiæ Gerhardus cum claſſe ſua in Balthico mari civitatenſium naves expectaret. Sed dum è die in diem venti opportunitatem expetunt, tempeſtas continua omnem illis eripiebat ſucceſſum, ut cogerentur domi hyemare. Ideoque An. 1427. denuo civitates Vandalicæ, nempe Lubecca, Hamburgum, Stralſundium, Luneburgum, Wiſmaria & Roſtochium, ad diem trium Regum conventum Roſtochii inſtituebant, ad quem ex Hamburgo deſtinabantur Dn. Henricus Hoierus Conſ. & Bernhardus Boſtelius Senator, ubi iterum nova claſſis conſtituebatur cum omnibus præparationibus contra Danum; Atque ut eo certius parata eſſet circa quadrageſimale tempus claſſis, partitio cuique civitati ſua deputabatur, cum electione capitaneorum; Lubeccenſium erant D. Iohan Behre, & Bartholdus Rulandus Senatores, Hamburgenſium Dn. Iohan. Kletzke, & Simon ab Utrecht, Senat. &c. quibus omnibus tamen loco Generalis præficiebatur Dux Holſatiæ Gerhardus, qui ſatis cupide expoliabant Inſulas, Lalandiam, Bornholmium, Geſariã, & alias regni Danici & Suecici partes, niſi quod infeliciter oppugnationem arcis & oppidi Flenſburgenſis non ſatis præparati ſuſceperint die aſcenſionis Chriſti cum amiſſione Ducis Henrici, vix 30. annorum Herois fortiſſimi, cuius iactura innocue imputabatur Hamburg. præfecto D. Iohan. Kletzken, & inde morte afficiebatur non merita.

Paulo poſt 6. Civitates Vandalicæ iterum claſſem inſignem, & bene cum 8000. militibus inſtructam adornabant, cui præficiebantur Dn. Tidemannus Stein Senat. Lubeccenſis, Dn. Henricus Hoierus Hamb. Conſ. cum mandato ſtricto, quod ex freto Danico, ſive Nortſundio nequaquam diſcedere deberent, antequam claſſis corbitarum, ſive navium commercalium Baycarum ſub eorum tutela per fretum traieciſſet, qui finis principalis tunc erat civitatum. Sed quum ſecundo quidem vento in dictum freti locum perveniſſent, & in occurſum ijs iviſſent bellicæ naves Danicæ, diremptio eſt facta inter claſſem civitatum, ut Hamburgenſes, fortiter pugnantes ex incuria deſereret Dux Lubeccanus, & inſuper ce-

deret retro ad partem Germanicam maris, dum interim Corbitæ Bajanæ adveniunt, numero 46. & quum præsidio classis civitatensis destitutæ essent, Dani in spolium suum abducunt. Perditio hæc tot 46. corbitarum, & damnum supra modum ingens, mordebat mercatores in civitatibus, ut tumultus non leves inde excitarent Magistratibus, velut & culpa omnis in præfectum Tidemannum Stein Lubeccens. conjiciebatur, qui hanc ob caussam per triennium custodiæ in arce Lubeccensi tradebatur.

Quum diu optatam occasionem nactus sibi videretur Rex Ericus, huic studio maxime nunc invigilandum putabat, ut seditiones populorum in civitatibus exaugendo exasperaret erga Magistratus suos. Etenim spe ducebatur, quod subditi & cives in furorem abrepti pleniorem, tunc eum essent, uti antea à Magistratibus factum, in auxilium advocaturi. Ideoque litteras seditiosas non ad senatum cuiusque civitatis, sed plebem communem evulgari curabat, quibus indicabat, quomodo ille secretum fœdus cum Magistratibus absque scientia communionis iniisset, ac nihilominus bellum contra se, & regna sua instituissent, quum tamen civitatibus semper bene cupivisset. Ideo volebat, ut communiones hoc bene considerarent secum, quæ utilitas inde ipsis exsurgeret, si inter regna Sueciæ, Daniæ, & Norvagiæ, & Civitates pax & concordia coleretur: Sic facile concedi posset, ut cuique liberum esset, turo sua tractare undique negotia navigationibus liberis. Ex tali autem jam dissidio, quod ipsi caussassent, possent omnes percipere, quantum inde damnum perpeti cogerentur, velut nec ipsis esset gravis contributio, quod Regem cordolio propter cives innocuos afficeret non levi.

Quare hoc consuleret candide in medium, ut communiones suum Magistratum ad pacem compellerent, atque damni dati restitutionem apud tales procurarent: se velle tunc Germanorum permanere amicum semper constantem, &c. Quum tales in Civitatibus disseminarentur litteræ, certe haud exiguum concitarunt apud plebem tumultum, cui semper summa est voluptas in eo, si de Magistratibus quid mali dicatur. Hinc variæ murmurationes in populo exoriebantur, præsertim agitabantur tales siniſtræ suspiciones in commessationibus, in Oenopoliis & tonstrinis, ut tandem clancularia inde exurgerent conciliabula vulgi. & quisque erga Magistratum sui loci suum apertius exereret odium, non sine calumniis, quasi regimnis eiusmodi forma non amplius esset tolerabilis. Maxime tumultus iste vires exordiumque suum sumebat in patria mea (ait scriptor Chronici) Wismaria, unde nonnihil plenius heic depingere eum cogor, ut habeant etiam alii, quod potissimum caveant.

Regis igitur tales litteras præ reliquis ij, qui in tribubus vivunt, pro commodo suo interpretari incipiebant, præsertim quum illis maxime noxium, & inutile istud videretur bellum, quod commercia, ad victus rationem facientia, ex Dania non amplius, velut antea, ita ubertim illis affluerent. Cum hoc plebis genere consentiebant mercatores, ad penuriam redacti, velut & nautæ, qui navigationem in ea regna exercere solebant cotidie frumentis, sale, lupulo leguminibus farina, secalibus, &c. Quibus se quoq; adsociabant duriores nonnulli inter cives, ad statum regiminis adspirantes in Wismaria. Hi non levia pro commodo suo subministrabant seditionis fomenta; ubi ante alios se exerebat quispiam dicax fabulator, & protervia deditus singulari nomine Nicolaus Iesup, præcipuus inter pellliones, qui sæpius conventicula inter sui similes primitus cogebat, inque iis hoc potissimum urgebat, quod essent in senatu, qui clam cum Rege Daniæ facerent, licet alia simularent, ut ita commodius, aut noctu dieve Regi posset Urbs ea proditorie in manus tradi.

Hinc argute rebus suppositis, die S. Laurentij iste Iesopius manifeste seditiosum concursum contra senatum excitabat, curabatque, ut sui similes in foro sub parte curiæ, ubi Cancellaria habetur, comparerent, ubi amplum est spacium: Compellabat hoc sermone eos, dicens. quod quispiam ex Steneberga esset missus ad indicandum civibus monitionem hanc, quasi collectio esset quædam tacita militum in hac provincia, ut appareret, quod Wismaria suos haberet proditores, quum civitatis portæ ferme per octiduum non fuissent occlusæ; collectioni quoque, aiebat, esset inditum hoc mandatum, ut pedetentim ingrederentur equitatu Urbem, eamque noctu occuparent, atque ante omnia tribuum socios enecarent, reliquosque incolas in captura abriperent. Ad quæ verba erant nonnulli adornati, ut locutionem Iesopij adfirmarent, adseverando hoc, quasi porta Lubeccensis, & Megapolitana apertæ fuissent inventæ: Item quasi feræ portales aliquoties noctu extitissent reseratæ: Item quod aliqui essent in senatu de quorum collusione hoc constaret, quod cum Rege Daniæ clanculum facerent, ut nocturno tempore ingrederetur Urbem, ubi inventurus esset portas apertas. Alii itidem erant, qui adseverabant, quasi ad portulam Hellæam versus littus maris 100. armati milites visi essent; quum vero locum eum occlusum repertissent, aufugissent statim, ne proditio sentiretur.

Licet hæ insimulationes omnes essent confictæ, tamen plebs pro veritate hæc adsumebat, & inde supra modum exacerbabatur adeo, ut eodem statim momento senatum interemissent. Attamen erant nonnulli bonorum, qui id inhibebant. Verum Iesopius cum suis adsectis se in curiam ad senatum cōferebat, & supradictas insimulationes in osillis effundebat. Senior consulum Iohan. Blanskovius tunc innocentiam senatus his demonstrabat; ac, ne quid malæ suspicionis in se transferient, offerebat his sociis claves portarum, ut ipsi adservarent portas civitatis, sed ea sub conditione, ne quid inde Urbi, & incolis dilectis periculi enasceretur.

Hoc quum obtinuisset pro primo ille malignus Iesopius, protenus inter cives distribuebat claves, quorum 100. erant. Isti excubias agebant ad portas, & in plateis per aliquot dies. Paulo post concursus fiebat tribuum, inter quos erant, qui ante undecim annos in senatu fuerant, quum senatus esset deportatus. Hi conciliabulo conveniebant in domo mercatorum, ubi iuramento inter se conspirabant firmissimo in solidum, ut inquireretur in eos, qui noxii essent, quod Dux Holsatiæ esset in fugam conjectus, & naves ex Sundio dimissæ, sive is in senatu, aut extra eum in cōmunione viveret. Iesopius etiam hanc adhibebat calliditatem, ut iuraret, digitis in cœlum exporrectis, se defensionem agere sena-

tus

tus velle, nec unquam sellam ullam in senatu expetere, etiamsi ipsi locum essent adsignaturi. Facta hac conspiratione, eligebantur 20. viri ex numero civiũ, & 10. ex tribubus, qui inter communionem, & senatũ ad tractandum mediatorum vices sustinerent.

Sed quum hoc consilium non satis ratum putarent, res ita mutabatur, ut ex quavis parochia 20. viros eligerent; & sic numerus 60. Virorum compleretur, qui sæpius infestabant senatum nunc his, nunc aliis inventionibus, ut tandem scopum dirigerent in optimum virum Dn. Henricum ab Haren captivationis causa. Hoc quum aliqui bonorum civium animadverterent, varia consilia disiiciebãt, ut sæpius inde conventus inutiles redderẽtur. Hinc toties noctu conciliabula in ædibus Iesopij, & Tidemanni celebrabantur; quodq; hoc concluſum erat, id sequenti die 60. viris, & communioni pro veritate affirmabatur. Quum itaque consensum omnium in se transtulissent, decernebatur quid certi de captivando Dn. Henrico ab Haren. Ut autem firmum huic nequitiæ robur adderent, convocabant totam plebis colluviem in forum: reliqui cum 60. Viris convẽtum habebant in domo mercatorum. Quumq; denuo hoc decrevissent, totam plebem in curiam sequi iubebant; ubi post varias insimulationes vocem populi communem postulabant, an non Dn. Henricus ab Haren in turris custodiam concedere deberet? Ubi omnium fiebat conclamatio, quod omnino ita esset pergendum. Etiamsi autem vir optimus innocentiæ suæ responsum expeteret; tamen nullatenus poterat audiri, sed captivus detineri cogebatur.

Postero die rumor dispergebatur in cons. Iohan. Blanskovium, quasi ille solus esset in culpa, quod Rex Daniæ naves saliuarias in arrestum Oresundij perttaxisset, nec Kropelinus suæ navigationis cursum versus ortum observasset: Item quod Blanskovius bona sua partim ad Neomonasterium, partim Stetinum ad indicationem evasionis transmisisset. Item aiebant alii, quod iste consul summus esset amicus Principissæ, quæ eum manu ex templo nuper duxisset. Talia figmenta coniiciebantur quoque in Blanskovium, ut similiter incarceratione eum persequerentur. Erant forte boni qui tam nequitiosa ad consulem deferebant, simul ipsi summum vitæ periculum explicando, unde eidem auctores erant, ut paulisper cederet furori vulgi. Ille dicto audiens, cũ prudentia fieri putabat, si prius in foro conspiciendum omnibus se exhiberet. Occasionẽ inde apprehendisse se putabat; postea ad portam per plateam Danckwerdianam tendebat; sed res non carebat observatoribus; præsertim infensissimi ei erãt pistores, quod mandasset, ut panum pensitatio iuxta libra statuti fieret; inde Homborg. quidam à tergo eum sequebatur, qui adiutores secum sumebat extra portam Mecklenburgianam, ubi eum ad signum S. Crucis sublimitus tollebant, manus pedesque illi constringendo ac non sine magno suspicionis clamore retro in Urbem portabant miserum.

Istud quum audiret Iesopius, continuo ad arma universam concitabat plebem, innuens, quasi consulis cognati, affines, & amici turbas excitarent concursu armorum: at iste nebulo ditiorem vulgi rabiẽ & promptiorem Senatus suppressionẽ intendebat. Itaque brevi temporis spacio ultra 3000. homines in foro confluebant. Quum vero senatus, & 60. viri cernerent, quod tanto in furore vulgus concurreret, confestim cum consule Blanskovio curiam conscendebant, unde plebs circumdabat curiam cum ingenti tumultu, ut omnes in curia se morti destinatos putarent. Hac occasione commoda arrepta, & ipse Iesopius in curiam ad senatum se conferebat, magnis multisque querelis debacchãdo in populi furorem, quasi ipse plane excusatus esset. Tandem pro consilio suo hoc suggerebat, nullum superesse remedium, quam ut Dn. Iohan. Blanskow in turrim sponte sua abiret, sic rectius posse tunc plebis tumultum dissolvi. Admodum anxia hinc fuerunt senatus consilia. Blanskovius autem ut averteret à Magistratu eo rectius periculum præsens, se conformare necessitatis tempori constituit, & promisit custodiam sui. Quare Iesopius cum aliquot ex 60. viris ex curia in fotũ ad plebem descendebat, adhortans omnes, ne quid violenta manu contrectarent, aut vim alicui inferrent, quum Banskovius ad voluntatem populi esset in turrim concessurus.

Senatus quidem fideiubere pro binis innocuis viris studebat; sed quum Iesopius subornasset hoc, ne quis ex foro de plebe discederet, donec in custodiam quoq; Banskovius abiisset, quod non sine dolore senatus peractum est; atque ita concursus populi armati illum in turrim protrudebat, ubi ambobus innocuis viris cõpedes durissimi iniiciebantur, vigilesque undique & portas & carcerem obsidebãt. Ne vero res diu differretur, civium potissima pars in mercatorum compagniam convocabantur, instigãte Iesopio cum 60. viris, ubi ante omnia de morte Dn. Senatoris Henrici ab Haren deliberabatur. Licet autem commune esset concluſum, ut secundum ius Lubecense strictissimum cum illo procederetur; tamen id omnino Iesopius, tanquã tumultus dictator nolebat; sed denuo in forum convocari curabat tribus cum reliqua furiosa plebe, quibus suggerebat, ut sine ullo strepitu longo iudicii Dn. ab Haren morti traderetur. Proinde acciri in curiã statim curabat Magistratum, ad quem ex conciliabulo Iesupiano aliquot ex 60. viris cum Advocatorũ novissimo mittebantur, qui proditionis supplicium absque mora Dn. ab Haren dictarent nomine plebis, atque ut is propterea in Carnificis manus, & mansionem traderetur.

Senatus attonitus ad tale iniquissimum postulatum petebat per Deum & Sanctam Iustitiam, ne tãta turpitudo inhonestatis contra conscientiã, & posteris cunctis ignominiosam admitterent cives, & incolæ, offerendo se ad ius strictissimum Lubecense. Iesopius cum 60. viris suis hoc ad deliberandum quidem acceptabant, sed mox revertebãtur cum hoc decreto populi, quod omnino Dn. ab Haren esset moriendum, alias neque Magistratui ipsi amplius mortis periculum præcaveri posset, dum quisque ad impetum in foro staret paratus: Cogebantq; Senatum, ut non tantum in manus Carnificis perveniret optimus ille Dn. Henricus ab Haren, sed etiam ad iudicii criminalis consessum properaret præter cum suis adiunctis, ubi ex loco Carnificis adducebatur Dn. ab Haren, non tam ut causam ageret suam, sed ut ab executione sententiam malignantium perversorum iuxta libidinem eorundem audiret. Nefarii enim isti substituerant carbonarium quendam loco mandatarii regis Danici, qui adseverabat, quomodo

ille Henricus ab Haren pridem ceu proditor civitatum, Schleſwicenſiumque in freto Danico eſſet cõvictus, ut inde ſupplicio digno cum amiſſione capitis traderetur.

Optimus ille vir ab Haren locum dicendi ſibi factum ratus, commiſſionem ſemper pro Civitatibus honeſte expediviſſe ajebat, enumerando rationem totius expeditionis. At quum onus probãdi contraria iuxta verum iuris proceſſum accuſatoribus imponeret, nemo quidem erat, qui debito iure illum culpare potuiſſet; tamen omnes vociferabantur, conclamatum eſt, ut moriatur: dictetur illi ſententia; à qua ad Senatum provocabat: Aſt neque hoc admittebatur: Sed ex inſtinctu Ieſopij clamabant omnes cum minis, ut ad mortem abriperetur. Senatus ad ſe in curiam 60. viros vocabat, petens, ut ſententia mitigaretur, qui ſub ſpecie aliqua fideiuſſionem à fratre prius poſcebant. Is, licet ad omnia conſentiret, & offerret pro nutu 60. virorum, tamen, dum litteræ conciperentur, innocuus ille vir ab Haren interim in forum deductus, nequiter capite plectebatur; ac poſtea in templo nigrorum Monachorum prope Altare ſepultus eſt ſolemni in pompa.

Gaudebat hinc in ſinu ille Ieſopius cum ſuis, rem hanc ita pro lubitu ſuo proceſſiſſe, ideo ulterius pergebat, ut itidem Dn. conſulem Iohan. Banskovium extingueret. Quare ad velatorum Compagniam (ut vocant) denuo ſuos adſeclas è populo cum 60. viris convocabat; ſed quum iſti non ſatis ad nutum huic reſponderent, continuo ad arma plebem omnem concitabat, & inde ad reliquos in Compagnia adcurrebat, eos omnes evocando, ut ſe ſub pœna proditionis in foro plebi armatæ ſiſterent, ubi ſine intermiſſione inclamabatur Senatus, ut iudicium formarent condemnatorium Banskovio. Tandem non ſine magno labore id obtinebat à Ieſopio, & 60. viris, ut ex turri Conſul optimus in Carnificis domum deduceretur, quod non ſine haſtis, & ſpiculis furioſi fiebat populi, ubi ita detinebatur, ut alia inveniretur media, cum liberandi.

Innocui Conſulis agnati, affines & amici variis modis complacare ſtudebant illum ſeditionis magnum Magiſtrum Ieſopium, velut & mœſtiſſima Uxor Dn. Conſulis huic nefario aliquot 100. aureos florenos dono obtulit, quos quidem accepit, cum promiſſione, quod eſſet facturus, quæ poſſet; ſed tãdem dixit, turrim D. Mariæ monſtrando manu: cõpatriſſa mea, quod ſi veſtri mariti cervix huius turris amplitudinem & duritiem exuperaret magnitudine, tamen caput eius humeris impoſitum permanere nequit. Quare eo ferventius nequam iſte 60. viros inſtigabat, ut maturarent huic Conſuli cum funere mortem. Sed quum cerneret, eos moras nectere, populum concitabat univerſum, ut denuo armis ad forum concurrerent, & à ſenatu iudicium criminale in continenti expoſtularent cum minis extremis. Inde ad conſeſſum in prętorio ex carcere adducebatur innocuus ille Dn. Conſul, & confeſtim à Roggendorpio advocaturæ ſubſtituto proditionis reus agebatur, & quod contra iuramentum fuga deſtituere voluiſſet civitatem, ut inde ſatis convictus eſſet. Quicquid exceptionis opponeret Conſul, ſuos enumerãdo labores pro ſalute patriæ exantlatos, tamen in nullis audiebatur, ut tandem his verbis alloqueretur Advocatum: Mi Roggendorpi, tu ipſe noſti me plane innoxium eſſe, & nil quidquam eorum commiſiſſe. Cui reſpondebat ille: Ah mi Dn. Conſul, innocentiſſimum te quidem in conſcientia novi, ſed ex vitæ metu hæc ita iuſſus loqui cogor: Peto, ut mihi ignoſcas: Hinc mox ſe ad prætorem convertebat, condemnatoriam poſtulans. Quum vero nec is ſtatim inveniret ſententiam, Carnifex inſtigatus proclamabat, quod extra portam reus eſſet extrahẽdus, rotæ imponendus, & collo ad patibulum ſimul ſuſpendendus.

Sic demum (ait Chronici ſcriptor) bene meritis de Republ. qui ſummam eius ſalutem in conſervatione privilegiorum, & diſcriminibus variis, ac vitæ diſpendio pro patria curarunt, ſuum cum ſceleſtiſſima ingratitudine perſolvitur. Senatus autem, & Collegæ innoxiorum hominum nullatenus ſunt excuſati, quod tam ſtulti, & ita parum prudentiæ apud eos fuerit, ut non potuerint auxilio Principiſſæ, aut civitatum autoritate, vel interpoſitione, aliiſve mediis in tempore motum unius hominis apud plebem conſopire. Pudeat eos in æternũ, ait ſcriptor, quod tam inertes, & nullius conſilii fuerint, in tam diuturna vacillatione civium. Forte dormitarunt in cõſcientia, quod innocentiſſimo ſanguine tali ſuam conſperſerint civitatem.

Interponebat ſe filius cum matre, atque agnatis pro iniuſte condemnato Banſovio; filio potiſſimum reſpondebatur, ſi alter filius Banſovii, & frater huius cum genero, qui Lubeccam aufugiſſent, conſentirent, quod parentis mortem non eſſent ullo violentiæ, aut iuris modo vindicaturi, tunc poſſe conſulem decollatione ſimplici donari. Volebant malignantes, ut illi ex Lubecca ſe quoque ſiſterent; ſed dum peſſimo nequitioſo proceſſui, & perfidorum ſalvo conductui fidem non haberent, nolebant iſti prodire ex Lubecca.

Interim Epiſcopus Ratzeburgenſis, cui ſuprema inſpectio Wiſmarienſium competebat, populo palpum obtrudens, conſulẽ Banſovium à peccatis, peccator maximus abſolvebat, confeſſionario modo; id eſt, ut ſe ſubſtitueret huic ſeditionis malitiæ, & ſanguinis innocui effuſioni perfidæ. Proinde eodem in loco fori, ubi Dn. Henricus ab Haren decollatus erat, optimus ille Banſovius Conſul in tanta multitudine populi, primitus à carnifice attonito, in ſcapulam gladio percutiebatur, ut tandem ipſi crudeliter caput abſcinderetur. Hinc cruore commaculatum corpus, uti iuſſerat vivẽs adhuc, ſepulcro in ſolemnitate decenti pro innocentiæ teſtimonio demandatum eſt.

Quantæ efficaciæ Regis Erici Daniæ ſuppoſititia epiſtola in ſeductione populi fuerit hoc in loco, iam ſatis ex hac patet Tragœdia Wiſmarienſium, quos etiam imitabantur Roſtochienſes, qui nec minus ſatis diu litteras Regis, ſeditioni communi deſtinatas, ſecum in diſputationem perverſam abripuerãt, donec tandem naſutuli cives inter ſe aliquos confingerent quaſi pro ſalute publica articulos, quos expetebant, ut Senatus ſubſcribendo approbaret. Sed Cõſules longe prudentiores V Wiſmarienſibus, qui claves portarum in vulgi manus exponebant, callidis verbis plebem ſuſtentabant, quaſi illis hoc gratum accideret, quod eſſent inter cives, qui tam ſapienter commodum Civitatis publicę noſcerent conſcribere; ajebant, ſe libenter ſubditis in favorem præſtaturos

ros quidem esse, sed hoc saltem petere, quum non iam omnes essent in senatu, quibus res tam gratiosa perlegi deberet, ut saltem ad posterum acquiescerét diem, quo omnes possent convocari. Vulgus ad placitum omnia se obtinuisse putabat; sed Consul Senior Henricus Katzovius summo mane in negotio necessario Civitatis simulabat iter, unde dilatio in sequentem diem fiebat. Mox vero adhuc duo Consules Dn. Henricus Bock, & Fridericus à Thunen sequebantur, quod etiam quartus Dn. Ioh. Otbrechtus observabat, ne cum communione in discrimen se præcipitaret, & Ribbenitium proficiscebatur.

Quum hæc rumore dissiparétur, quod Dnn. Cósules omnes discessissent, communio universa undique concurrebat; sibi eligebant 60. Cives, qui negotia publica civitatis in administrationem susciperét: tandem conferebant se in curiam, & quasi edictaliter citabant 4. absentes consules: qui quum non statim comparerent, nec processus talis illis notus esset, communi bannoeos excludebant ex urbe.

Idem malum creabant Regis Erici litteræ apud Hamburgenses, qui denuo non tantum 60. Cives creabant in præsidium civitatis, sed etiã Dn. Iohannem Klerzkovium senatorem capitis supplicio pridie conversionis Pauli ex invidia afficiebant: dum ita sæviebant hoc anno civitates undique ad mare Orientale, Lubeccenses exemplo proprio rectius edocti ad tumultus tales acquiescebant.

An. 1428. pestis regiarum suprædictarum litterarum quoque prorepebat ad Stralsundenses, ut essent inter cives, qui eundem motum contra senatum suum tentare conarentur. Verum Senatus exemplo aliorum prudentior redditus, statim inquirebat in autores seditionis, qui in torrura confitebantur omnes machinationes, unde postea capite plectebantur in publico foro, nec quis amplius simile quid meditabatur. Rostochienses autem tumultuantes concludebant cum 60. suis viris, quod senatum antiquum ferre nollent, sed novum sibi eligere. Ideoque interdicebatur congressus ulterius in curiam senatoribus, nec pervenirent in plateas, nisi comites ducerent aliquot cives.

Ut vero eo rectius pervenirent ad propositum 60. viri, Catharinam Ducissam Megapolitanam in suas pertraxere partes, ut nomine filiorum Henrici & Iohannis, quorum tutrix tunc erat, electionem, & constitutionem novi Senatus ipsis concederet. Hanc veniam quum impetrassent, in curiam ad se advocabant Dn. Iohan. ab Aha, qui Senator Magistratus fuerat, atque illi supremam Consulis dignitatem adsignabant cum ea potestate, ut ipse sibi socium eligeret, quem vellet. Is statim quinque prioris Senatus Collegas sibi constituebat: Sex isti ex mercatorum genere eligebant 18. adsecias; nihilominus 60. viri adiungebant duos Consules. Domino Aha, nempe Dn. Gerhardum Wendemannum, & Dn. Henricum Berndes, qui tres postea officia senatoris distribuebant inter reliquos.

Quum vero audivissent Wismarienses, quod mutatio Senatus Rostochiensibus ita bene cessisset, confugiebant ad idem remedium, ut à Ducissa Catharina impetrarent potestatem creandi novum Magistratum, sub eo prætextu, quasi prior Senatus cum Rege Daniæ fœdus iniisset contra Ducatum Megapolitanum: inde seducta Ducissa hanc fidem calumniantibus habebat, ut potestatem talem illis concederet, qui confestim ex 60. viris, mercatoribus, & tribubus sibi novum constituebant Senatum, cuius 4. Consules erant, Everhardus Grote, Nicolaus Iesopius, egregius ille nebulo pellionum, Petrus Loftæus, & Iohannes Sassius. Atque ut eo confirmatius res procederet, Ducissa cum filiis ambobus in civitate comparebat, ubi iuniores Principes in curia cuique suum manu adducendo, & consulibus, & Senatoribus adsignabant locum.

Rex quidem Daniæ in sinu gaudebat, quod tales in Civitatibus motus excitasset: Deus tamen ita direxit omnia, ut Principalem scopum attingere nunquam potuerit. Quippe spes unica ipsius hæc erat, quod ea ratione omnem belli conatum civitatum à se posset divertere: Attamen Lubeccensium prudentia hæc potior erat, qui ad novas vires convocabant cæteras civitates: Ideoque sex Civitatum Vandalicarum ad mare Orientale classis nova circa festum Paschatos Wismariæ comparebat. Præficiebantur huic classi ex singulis Civitatibus Senatores, quorum Generalissimus erat Gerhardus Dux Holsatiæ: Numerus navium erat 260. quæ 11000. milites continebant. His quoque Dux Gerhardus suas addebat naves, quibus quoque adsociabant naves 800. hominum, qui nolebant dici Victaliani, sed proprio se nomine delineabant, æqualitatis distributores; velut etiam cum his se coniungebat Capitaneus communis Civitatis Rostochiensis, Sundensis & Wismarensis Bartholomæus Vogdius, qui se adsistentem vocabat. Classis ita posset assimilari Græcorum illi, quum expugnationem Trojanam suscepissent. Completo hoc numero omnium, die Lunæ Paschatos ex Wismariensium profunditate cursum omnes in Daniam dirigebant, petentes Haffniam, ut ibi portum occuparent Revesium.

Sed Rex duo ibi Castella erexerat, ut expeditio non ad nutum eorum procederet. Multum impendebant operis, ut profunditatem portus explerent machinis: Sed Wismariensium imprudentia factum est, quod navis ad eum conatum destinata, inversa fuerit. Proposito hoc disrupto in varias partes direpta fuit hæc classis, ut nihil, nisi spoliationes, maxime in Norvegia, perfecerint. Mirum tamen, quod à scriptoribus tam ampla expeditio non rectius explicetur: sed nec prodest iam ad nostrum scopum.

Anno autem 1430. Lubeccam perveniebat Iohannes filius Consulis decollati Wismariensis Iohannis Banskovij, secum adferens mandatum Imperatoris ad Senatum, cui demandata erat executio contra Wismarienses in causa iniusta communionis istius, quod binos Consules suos morte indebita affecissent, & insuper novum sibi adsignassent Magistratum. Ut vero Senatus Lubecc. eo felicius procedere in hoc negotio posset, conscripsit ad hoc Hamburgenses, Stralsundenses & Lunæburgenses. Lubecca deputabat duos Consules, Dn. Conradum Brequoldium, & Henricum Rapesulverum, cum Paulo Oldenburgio Secretario; ex Hamburgo aderant Dn. Henricus à Berga, & Henricus à Thesmon; ex Stralsundio Dn. Conradus Episcopius; ex Lunæburgo Dn. Iohannes Schelpenerus, & Fridericus Hogehertius. Cumque perveniissent Wismariam, comparuerunt ibidem Ducissa Ca-

tharina Megapolitana cum filiolis ſuis duobus, Hẽrico & Iohanne, nec non prꝛcipui inter nobiles. Cognita, & examinata cauſſa legitimo modo, inventum fuit, quod 60. viri novus Senatus cum civibus ſuis in grave incidiſſent ſeditionis. & rebellionis crimen, & merito inde afficiendi eſſent pœna debita, cum innocuos viros Banskovium, & Henricum ab Haren plus quam nequiter è medio ſuſtuliſſent.

Sed quum ex mortuis non poſſent reſuſcitari, cõiecta res eſt in talem tranſactionis, & pœnæ modum, qui quidem 23. articulis expreſſus eſt, ſed quum nimis longum foret contenta omnia explicare, non opus eſt, ut omnia referantur; inprimis illis imponebatur publica deprecatio, quæ ea ratione fiebat, ut in prælentia Principiſſæ, & duorum principum flexis genibus confiterentur, binis innocentibus viris iniuſtiſſimum intuliſſe ſupplicium, atque hinc rogarint, ut agnati, & affines Civitati, eiuſque incolis, & Magiſtratui ob miſericordiam Dei tale condonarent crimen. 2. Ut ſe conferrent in templum, atque ibi celebratis ſacris novas funerum deductiones ſolenniter perficerent. 3. Ut ſacellum erigerent, in quo ſuſtentarent duos vicarios, velut etiam adhuc ſacellum tale in urbe ea verſus Boream conſpicitur; item ut in foro erigeretur ſignum Crucis, ubi decollati eſſent bini Conſules, in perpetuam rei memoriam; item ut perſolverentur Agnatis 600. floreni aurei; demum novus Senatus plane eſt dimiſſus, & in locum eius revocati ſunt priſci Conſules, & Senatores ſub ea conditione, ut Homagium Ducilſæ, & eius filiis præſtarent hiſce formalibus: Iuramus, quod nos noſtris Dominis, Duci Henrico, & Duci Iohanni, atque eorum veris hæredibus, nec non noſtræ clementiſſimæ Dominæ eorum Matri, eorumque nomine fideles, & obedientes Conſules, ſenatoreſque eſſe velimus, eorumque civitati, & incolis Wiſmarienſibus præſidium, & adminiſtrationem debitam præſtaturi ſimus, velut honor, iuſtitia, & æquitas requirit, ſicut nos Deus adiuvet, atque omnes Sancti eius.

Eundem in modum iuramentum præſtiterunt cives Magiſtratui huic, cum promiſſione ea, quod nunquam in aliquam rebellionem vellent iterum deflectere: Quæ facta ſunt Anno 1430. die Martis in dimidiato tempore Quadrageſimali. Nequeo heic intermittere, quin ex Chron. Lubecc. ſcripto interſeram quid de nomine & origine Wiſmariæ, cui etiam magis adſtipulandum video. Lib. 2. Chr. illius ſtatim in exordio hæc ponuntur. Anno 1231. mortuus eſt excellens Heros Comes Henricus Sueſinenſis, qui certe dignus eſt, ut in Annalibus Lubeccenſibus ſimul eius memoria integra conſervetur, quum non tantum haud ultimus inter Heroas Germaniæ fuerit, ob tot res geſtas admodum viriliter præſtitas; ſed etiam quum ille ipſus ſit, quid Lubeccenſibus anſam præbuerit, & in eodem conatu auxilium forte exhibuerit, ut eo felicius iugum Danicũ, per 23. Annos perpeſſum excutere, & in libertatem Germanicam ſe vindicare, & Imperio Rom. le rurſus adſociare potuerint. Comes iſte præ reliquis laudandus, hoc anno diem ſuum obiit, & reliquit filium Gunzelium, qui in regimine ipſi ſucceſſit.

Iſte Comes commoditatem, & ſitum ſuę provincię quum paulo exactius conſideraret, cerneretq; ex exemplo Lubeccenſium, quãtæ divitiæ affluere poſſent commoditati locorum ex communi cõmercio, recte diſpoſito, ſicut & tacite Lubeccenſibus ſuam invidebat fortunam. Inde An. 1232. locum, mari proxime idoneum, diſpiciebat, ubi tranſportatione aliqua Wiſmariam erigere incipiebat. Quippe non procul abhinc quidem verſus Auſtrum diſſita erat Mecklenburga civitas ſatis potens & vetuſta, nimis à littore maris remota reſpectu commerciorum; ſed quum cotidie ex Lubeccenſium proſperitate illa decreſceret, imo iam in devaſtationem inclinaret, ad ipſas oras maris propius civitatem novam condere comes voluit. Quare id eo conſideratius perficere ſtuduit, ut ſuæ ditioni quoque feliciorem fortunam pertalem civitatem, quam Wiſmariam appellabat, excitaret. Vidi multos Chronicorum ſcriptores, qui per quam ſedulo in nomen huius urbis inquirere nõ deſtiterunt, unde ſit, quod ita dicatur. Sed omnes ferme aberrarunt: veritas tamen hæc eſt rei, quod, ante conditam hanc urbem, pagus non exiguæ amplitudinis verſus oriẽtem dextrorſum, ſi faciem verſus ſeptentrionem convertas, ſitus fuerit, ubi adhuc templum aliquod in memoriam eius æternam erectum habetur, quod veteris Wiſmariæ templum vocatur (de qua Wiſmaria etiam intelligenda ſunt ſuperius allegata, & quod tempore Ottonis acciderit) Hiſce & vicinioribus Incolis impoſuit iſtud comes, ut ad oras maris propius accederent intentione commercali atque ita ſibi civitatis commodioris locum deſignarent, quod non adeo difficile erat, quũ deſolatæ Mechlenburgæ cives cupidiſſimam opem ſuam huic ſimul conferrent.

Sic civitas ea in veram ſuæ deſcriptionis formam redacta eſt. Potuiſſet nova Mecklenburga vocari; ſed Comes nomen veteris Wiſmariæ, à Maioribus ſimul ortum, magis approbabat, & inde etiam ob ſitum propiorem maris Wiſmariam eã vocitari volebat. Tum ea ſpe fovebatur, quod ſic Lubeccæ aliquid fortunæ poſſet detrahi, & ſuę ditioni adjici. Etenim cernebat, quod incluta Lubeca apud omnes vicinos populos, Principes, & Reges in ſummo eſſet ob divitias, & ſolida commercia, æſtimio; ſed etiam in cunctis neceſſitatibus, quaſi tuto aſylo, illa uterentur. Sic plane diſſimilis fuit huius filii Comitis Gunzelij à parentis ſui Henrici opinione ſalubri. Quod parens in bonum ſuum converterat, ut ipſi Lubeca ſemper eſſet ſummo auxilii ſolatio, id filius in odium, aut invidiam ſuam pertrahebat, & cum Rege Daniæ in hoc conſentiebat, ne Lubeca nimis alta opibus exurgeret: Velut etiã Comes Adolphus Holſatiæ omnia beneficia, à Lubeccenſibus ipſi variis in caſibus præſtita, penitus obliviſcebatur, quum tamen unice his totius ſui comitatus, & ditionis reſtitutionem deberet. Ita mirabilia ingenia ſunt hominum: ingratitudo autem peſſima meretrix omniũ vitiorum, &c. Sed tamen non male ceſſit hoc opus huius novæ urbis, quæ ſociam potius, quam hoſtem in multis ſe Lubecæ vicinæ exhibuit.

Eodem modo, quo ſupra VViſmarienſes, eodemque Anno 1430. Conſules Roſtochienſes, qui deportati erant, & ex civitate excluſi, multum perfecerunt laboris, ut recipi poſſent; præſertim autem Dn. Henricus Bock Conſul ab eadem Principiſſa hoc impetravit, ut in ſecreto aliquot copias militum colligeret, velut etiam in auxilium advocarat Ducem Ottonem Lunæburgicum, Ducem

Ericum

Ericum Lawenburgenſem, item Epiſcopum Sueri-nenſem, Comitem Iohannem Hojenſem, alioſque vicinos proceres.

Erant in Urbe Roſtochienſi quam plurimi cives, qui exulantibus Conſulibus ex animo favebant. Hi quum promiſiſſent iſtis Conſulibus, quod illis nocturno tempore portas aperire cuperent; hinc Duciſſa hac promiſſione nitens, cum copiis ſuis, & dictis Principibus pervenit quidem noctu ad portas, ſed res prodita erat, ut cogerētur tacito modo rurſus diſcedere: Quippe Dux Wilhelmus Wendenſis indicium eius rei fecerat novo ſenatui.

Roſtochienſes autem putabant, ſe magna ignominia affectos, atque propterea ſequenti die ſtatim irruebant in Warnamundam; hinc divaſtabant nobilium aliquot habitationes, præterea aliquot oppida, & pagos exſpoliabant, ipſamque Duciſſam in tantas conjiciebant anguſtias, ut illa tranſactionem expeteret, ubi ſimul complacebatur, quod exules Conſules cum Senatoribus in æternum deberēt ex urbe excludi, nec in tota tolerari Provincia.

Quum vero graviori hac ignominia afficeretur priſcus Senatus Roſtochienſis, non tantum implorarunt Civitates Hanſeaticas, earumque promotione uſi ſunt ad aulam Imperatoris, ſed etiam miſſi ſunt aliquot eorum ad Concilium Baſilienſe: ubi Anno 1436. obtinuerunt, ut totum negotium reſtitutionis committeretur Abbati ad D. Michaelem Lunæburgenſi, qui etiam partes ad ſe citavit, & cognita cauſſa impoſuit novo Senatui Roſtochienſi, ut veterem reſtituerent, ipſique loco cederent ſub pœna banni maioris Eccleſiæ: Novus autem Senatus appellabat ad Papam, quam tamen appellationem Abbas nullatenus admittebat, quum non tantum eſſet frivola, ſed etiam plane protervа; addens, quod authoritas Concilii plus eſſet, quam Papæ; tum Concilium dignitate exſuperaret Papam, uti ante hac in Concilio Conſtantienſi eſſet decretum: Ideoque non poſſe appellari à Decreto Concilii ad Papam.

Quare omnem ſacri adminiſtrationem inhibebat ſacerdotibus, & Monachis Roſtochienſibus; nihilominus erant pauperes in numero Clericorum, qui pro pecunia illis ſacra præſtarent: reliqui tamen ex Urbe excedebant. Quum vero exulantes veteris Senatus cernerent, quod Adverſarij eorum ſententiæ Abbatis parere nollent, retulerunt hoc ad Imperatorem, qui Civitatem Roſtochienſium banno percutiebat; atque licet Roſtochienſes confidentiam reponerent omnem in Regem Daniæ, qui illis patrocinium ſuum præſtabat in nonnullis; attamen tandem Anno 1439. interponebant ſe Civitates Hanſeaticæ, ut reſtitutio fieret priſtini Senatus, tamen admittebantur ſimul novi Senatores in æqualitate regiminis. Circa eadem hæc tempora ſimilis hiſtoria accidit Bremæ, ubi cives innocentiſſimum ſuum Conſulem Iohannem Vaſmerum interfecerunt, de quo ſuo loco.

Roſtochium, quæ olim Lacinium (iuxta Pet. Lindeb. topogr.) & corrupte Rhodopolis ac Laciburgium vocata eſt, proxime Wiſmariam ſequitur. Namque (ait Lindeb.) urbs eſt Vandalica Anſeatica, maritima & Megapolitana, & præ multis aliis Germaniæ, cuius hæc ad Boream limes, urbibus præcipuis, littorario ſimul & mercatorio emporio clariſſima. Megales poleos Principibus ſemper paruit, à quorum Maioribus circa Epochæ Chriſtianæ Annum 329. levibus initiis inſtar Pagi ad Varnā amnem condi inepta, & poſtea à Godeſchalco Obetritarum Rege in oppidulum converſa, ac demū Anno Deihominis 1160. à Pribislao, ſeu Primislao II. Nicoloti filio, & Obetritorum ſeu Herulorum Rege quadrageſimo & ultimo, ex vicinæ, & tum ab Heinrico Leone deſolatæ, urbis Keſſini, (terræ Laciniæ Metropolis) ruderibus, muro cincta, foſſa munita, inque urbis formam eſt reſtaurata.

Nomen urbis Vandalicum eſt, diverſionem ſeu diſſolutionem aquarum ſignificans. Et Roſtock vel Rotſtock olim fuit appellatum, ut Poloniæ Hiſtoriographi, qui terram uliginoſam vocabulum illud interpretantur, & ſigillum urbis maius adhuc atteſtantur. Alii, à vicino urbi Roſarum horto, & fragrantibus Roſis nomen deducunt ut eſſet Roſtock q. Roſenſtock. Quibus ego non ſubſcribo, quod ſententia eorundem nec authoritate nitatur nec rationibus & urbs antiqua longe ante Roſarum hortum ſit condita. Alii, ut laudatiſſimæ urbis Maſſiliæ Græcum nomen à piſcatoria nave & portus commoditate ortum, ita hanc urbem nominatam exiſtimant, à columna rubeis inſignibus notata, ad quam piſcatores propter fluminis & propinqui maris ubertatem in vicinia habitantes uſitato more ſoliti ſunt cōvenire, ut eſſet Roſtock q. Rodeſtock. Alii alias vocabuli comminiſcuntur interpretationes, quas lubens prætereo. Urbis partes tres ſunt. Antiqua, quæ tribus templis, nimirum D. Petri, D. Nicolai & D. Catharinæ, nec non Iuriſconſultorum Collegio inſignis eſt. Media, quæ brachio Varnæ ab antiqua ſeparata, templis D. Mariæ, D. Iohannis, nec non curia & Grapheo, pulcerrimiſque ædificiis, & civium flore ſplendet. Et nova quæ collegiata D. Iacobi Eccleſia, tribuſq; aliis, Spiritui Sancto, D. Michaeli & S. Cruci dicatis templis, nec non Academiæ Collegiis octo exornatur.

Longitudo urbis 2166. paſſuum eſt, latitudo 825. ambitus 5500. Si paſſum ulnæ æquiparēs. Ac parum diſtat longitudine ſua ab Imperiali Lubecca, quæ 2150. paſſus longa, & 1300. ferme lata eſt. Fora urbis tria ſunt: vetus, lupuli, & equorum. Vici ſive plateæ, ab uno angulo ad alterū computando, 140. numerantur. Mercatura maritima maxima dedit urbi incrementa, & civium multos ad inſolitam evexit opulentiam, qui farinam, cereviſiam in Daniam, Norvegiam, Islandiam & Sueciam; Olyram, triticum & aſſeres Noricos in Belgicam, Scotiam, Britanniam, Galliam, Hiſpaniam, Italiam aliaſque ampliſſimas Europæ regiones ſumma copia importarunt, & viciſſim ex illis butyrum, pecudes, piſces muriaticos, & induratos, ligna, trabes, tabulas querceas, pineaſque, ferreas laminas, &c. ex his ſal, aromata, pannum, varia vina, eaque precioſiſſima reduxerunt, & magno lucro divendide.e. Cereviſia Roſtochienſis, cuius plus minus 250000. tonnæ ab 250. certis tantum zythepſis quotannis coquuntur, & longe lateq; navigiis avehuntur, cunctis Septentrionalibus, ob bonitatem & excellentiam ſaporis, præſtantior & ſalubrior eſt. In extructione & amplificatione huius urbis ſeptenarium numerum in primis ſacrum fuiſſe, velut olim apud Thebanos, ex eo conſtat, quod ibi 7. fuerint portæ quarum duę

jam ſunt obturatæ. 7. plateæ principales ex foro extenſæ, 7. portæ templi Mariani. 7. pontes mercatorum. 7. turres in curia. 7. campanæ in horologiis. & 7. arbores horti &c. Varias pertulit ea urbs ſortes, multis adverſitatibus obnoxia adeo, ut *Crantz. lib. 7. cap. 49.* malo ſydere fundatam protulerit. Etenim maximè Ericum Daniæ regem hoſtem & oppreſſorem ſenſit An. 1313. qui tali eos obſidione preſſit, ut inter ſe cives & ſenatus tumultuarentur, & tandem magno ſe ære liberarent, bono civitatis concilio partim ejecto, partim cæſo, uti ait *Crantz. lib. 7. Vand. cap. 53.* Et quamvis novis ſtatutis inter ſeſe cojiſſent, tamen Anno 1314. dolo & ſtratagemate currus intra portas admiſſi, cui introeuntes rotam dilabi curavere, urbs occupata eſt; inde cives poſtea arcem Ducis demoliti ſunt funditus ad Warnoviam, una relicta turri, quæ quaſi ſpecula ad navigantibus lucerna noctu inſervit, *Anno 1322. Crantz. lib. 8. Vand. cap. 7.* Anno Chr. 1419. Dux Iohan. Academiam ibi inſtituit, cum patruele ſuo Alberto & Senatu urbis. Hic etiam Sueciæ rex factus eſt, ut ſupra innuimus. Academia vero hæc ex Erfurdenſi & Lipſenſi, quaſi quædam colonia deducta, & Martini 8. Pontif. Roman. Privilegiis exornata eſt. Motus ibi tamen ita fuit adfiduus, ut omnibus eſſent odio, ita crebro ſuos ejiciebant magiſtratus, quos tamen ex interpoſitione toties receperunt, ut Anno 1416. & An. 1439. *Crantz. in Vand. lib. 10. cap. 25. & lib. 12. cap. 9.* Sic & Anno 1490. factum, quum ſub Iohan. Dan. Regis arbitrio ipſi & Wiſmarienſes à Ducibus ſuis diſſiderent. Velut eandem Tragœdiam Anno 1560. repetiverunt, quum ob nimiam frumenti, cereviſiæ & alia onera, ad diſſolvendum principis æs alienum, Senatum cum reliquis Provinciæ ordinibus ſe obligaſſent; unde conſulem ſuum ab officio removerunt, & 60. cives adminiſtrationi rerum præfecerunt. Sed Dux tandem Iohan. Albertus introducto clam in urbem milite Anno 1565. rem compoſuit iuſſu Imperatoris, ubi 73300. Ioachimicos ipſi ſolvere pro impenſis, & militem per 9. menſes alere coacti ſunt, omnè deprecantes culpam. Itidem vulnus hoc Anno 1573. recrudeſcebat, ubi ſimul magna erat de privilegiis civitatis diſputatio: attamen tandem res ita compoſita eſt, ut in ſe Roſtochienſes reciperent, quod Principes Iohan. Albert. & Ulricum fratres pro ſuis hæreditariis Dominis agnoſcere vellent, quod Anno 1574. quoque ſub dio iuramento confirmarunt. *Chytræus in Chron. Sax. lib. 23. pag. 620. & 622.*

CAP. XXIII.

De civitatibus Vandal. Hanſæ in Pomerania ſitis.

HInc nunc ad mare progrediendo ſequitur Stralſundium in Pomerania principalis inter Hanſeaticas civitas. Pomeraniæ autem deſcriptio & ut nomen à Vandalico Pomerzi, id eſt, quod proxima mari ſit tota regio, habeat, ſuperius nonnihil indicatum eſt. Nam totus eius tractus ad mare ſe extendit, donec attingat Viſtulam. Attamen olim Pomerania in longitudine & latitudine maior fuit, quam nunc deſcribitur. Namque ab occaſu à Varno, ubi nunc Roſtochium ſitum eſt, ultra Viſtulam per Pomerelliam excurrebat; ac verſus meridiem Vkeriam, & Novam Marchiam includebat, quam regia manu & potentia poſſidebat Scwantiburus I. Aſt quum ille Anno Chriſti 1107. eſſet mortuus, 4. ipſius filii Anno 1108. inter ſe diviſionem Pomeraniæ inſtituerũt. Ratiburus II. & Uratislaus priorem partem; Bogislaus autem & Scwantipoldus poſteriorem partem Pomeranicæ regionis nacti ſunt. Anno 1239. Dux Barnimus terram Veriam in dotem dedit ſorori, quum nuberet Brand. Iohanni; Sic & Neomarchia per compacta ad Brand. Marchiones poſtea translata eſt. Anno 1325. Rugia Inſula, quum Uratislaus IV. ſine ſobole decederet, Pomeraniæ adiecta eſt. Totus autem ille tractus iam continet in ſeſe Ducatus, Principatus & Comitatus ſequentes cum civitatibus. 1. Eſt Ducatus Stetinenſis intra Poænam & Inam ſitus, comprehendit civitates, Stetinum, Anclam, Demminũ, Paſewalkum, Pyriziam, Gaartzam, Greifenhagiũ, Dambium, Treptoviam ad Tolenſam, Vkermundam, & Inſulam Vſdomium, actres Abbatias, Colbitzium, Podiglam, & Stolpiam. 2. Ducatus Pomeraniæ prior ſive anterior inter Inam fluv. & Wipperam ſitus eſt, ac Caſſubiam continet cum civitatibus, Stargarda, Treptovia ad Regam fluv. Greifenberga, Golnovia, Cammino, Wollino, & Comitatu Neogardenſe. 3. Ad Caſſubiam vero referuntur civitates, Colberga, Coslinum, Belgardia, Dabera, Corſinum, & Stetinum novum: ſed Caſſubia habet nomen maxime à veſtitu incolarum, quum Caſſubitzch plicas veſtium denotet, quibus gens hæc à reliquis dignoſcitur. 4. Ducatus Pomeraniæ poſterior complectitur Vandaliam, & Pomerelliam, ac quod inter Wipperam & Lebiam fluv. interiacet. 5. In Vandalia igitur ſunt civitates, Stolpa, Rugewaldium, & Sclaga, & Bukovia Abbatia. 6. Principatus Inſulæ Rugiæ 7. milliaribus quoad longitudinem & latitudinem, duas olim potentes urbes Arconam & Carentiam continebat, ubi nunc oppida ſaltem rot habentur. Quondam captura ingens halecum fuit, quæ poſt in Daniam ſe ſubduxerat, ubi tamen adhuc vix veſtigia ſuperſunt. 7. Terra Bartenſis inter Rekenizam & Trebelliam fluv. ſita eſt, & concludit ambitu ſuo civitates, Stralſundium, Barthium, Grimmam, Tribbeſeſium, & Campam Abbatiam. 8. Comitatus Gützkovienſis continet civitates Grypſwaldiam, Loyzam, Gützcoviam oppidum cum Eldenovio Abbatia. 9. Wolgaſtum propriam deſcribit ditionem. 10. Sic & Lawenburgũ, atque Butovia, quarum hæ duæ urbes ſub nomine Baronatuum à rege Poloniæ recognoſcuntur. Inter urbes autem horum Ducatuum Pomeraniæ omnes ſolummodo Hanſeatico fœderi hodie adhuc accenſentur decem, videlicet: Stralſundium, Stetinum, Deminum, Anclam, Grypſwaldia, Colbergia, Golnovia, Stargardum, Stolpa, & Rugenwaldium; quas nunc paucis breviſſime pro temporis nutu quidem perluſtrabimus: ſed ut antiquitatis ratio in commerciis huius loci ex reſpectu civitatum nonnihil pleniot conſtet, atque ſimul fœderis Hanſeatici primordiis hoc adiiciatur, duarum civitatum antiquiſſimarum maximarumque mẽtio adhuc & quomodo interierint eæ, inſerenda eſt, quum inde conſociatio ſtudii commerciorum promptior colligi ſatis queat; & quur ita cupidiores huius conſervationis ibi inveniantur homines.

Ubi

Ubi Odera fluv. qui Ptolomæo Οὐίαδος est, & alias Viadrus dicitur, Stetinum prætetlabens in mare Balticum deproperare incipit, prius in amplũ aquarum spacium, quod ad 8. milliaria lõgitudine & prope 4. latitudine se extendit, & Poenã, Vkram fluv. Plœnam, Inamque recipit, se effundit, vocaturque hæc, Palus sive Stagnum recens, aut Frisch-Haff. Circa dimidiam partem huius Stagni perrumpit flumine suo & duas Insulas nomine novo Suinæ dirimit, quarum una versus occasum, ad sinistrã partem vocatur Vsdomia 5. milliaribus se exporrigens versus Pœnam, altera propter amœnitatem suam Wollinæus Campus, sive Iulina dicitur. In Vsdomia hac olim sita fuit antiquissima & amplissima urbs Wineta, quam *Helm. in Chron. Sclav. c. 2.* Vimnetam nominat, ubi per totam Europam celebratissimum fuit Emporium, quã Vandali primi ædificarunt; de quibus loquitur *Scholion ad Helmold.* Fuit sane, ait Helmoldus, maxima omnium, quas Europa claudit, civitatum, quam incolunt Sclavi cum aliis gentibus permixtis, Græcis & Barbaris.

Etiam Saxones tum parem habuerant cohabitandi licentiam; si tantum Christianitatis titulum ibi cõmorantes non publicassent. Omnes enim usq; ad excidium eiusdem urbis, paganicis ritibus oberrarunt. Cæterum moribus & hospitalitate, nulla gens (N. B.) honestior aut benignior potuit inveniri. Civitas illa mercibus omnium nationum locuples, nihil non habuit iucundi aut rari, &c.

Pauca sunt verba Helmoldi, at summæ commendationis. Ecce enim, quid non libertas commerciorum ferat! O utinam id Christiani quoque intelligerent, qui tam insipide adeo suas constrictiones usq; ad invidiam rediguntur, ut neque pudeat eos, hominũ conscientiis imperare velle. Urbs ea vasto admodũ circuitu maxima ex parte ad maris appulsum exporrecta fuit. Iam vero fundamenta eius ultra milliaris dimidium procul à terra obruta mari jacent, velut tũ sub undis perspici possunt, si quis ex Wolgasto Damero viam traiiciat: & apparent rudera satis notabilia & splendide erecta, sed etiam ipsæ plateæ possunt tueri, unde adhuc constat ex tali figura, ingentem urbis fuisse amplitudinem. Namque ea pars, quę minuta fertur, longe exuperat Lubeccam magnitudine, quum tamen mare potissimas absumpserit partes, quæ non amplius apparent. Discordia interna prius dilapsam esse, aiunt; postea vero à rege Daniæ ultra 850. Annos abhinc funditus subversam. Unde Sueones tunc navigiis suis ex Gotlandia profectos esse, &, quicquid ex operolissimis eius urbis structuris marmoreis, ferreis, æneisque, aut ex instrumento stanneo, æreo, argenteo salvari potuit, abactis vento aquis, eruisse, vel per urinatores eduxisse, & in Gothlandiam transportasse; inter cætera vero æneas duas maximi ponderis portas eodem transtulisse, ferunt. Hinc illæ Wisbyensibus divitiæ splendidæ, quibus tanto sumptu tam fastuosas ædificaverant ędes, quę Noribergensiũ & Colonienſium palatia exuperarẽt. Altera insula Iulina dicta ab urbe Iulino, quæ similiter amplissimum habuit Emporium, paulo minoris tamen fuit magnitudinis, quam Wineta. Huc itidem magnus fuit mercatorum & gentium confluxus, ex Finnonia, Sclavonia, Dania, Suecia, Græcia, & Russia, &c. quo etiam Circipani & Iudæi venere, & singula natio suas singulares incoluit plateas, ut d stincta eo citius ad manus emptoribus essent mercimonia. Ac licet edictum publicarit, quod Christianitatis non deberet fieri mentio, tamen An. 1124. urbs tota ab Ottone Episcopo conversa est, & in initio 1130. baptizati sunt homines. Sueno III. Rex Daniæ, quum eam infestaret toties, ter eius capturã expertus est. Unde VVoldemarus primus Rex Dan. paulo ante obitũ suum circa An. 1167. maxima classe per fluv. Divennum ex insperato obruit urbem, & misere devastando omnia totam concremavit. Ex quo tempore priori dignitati nõ potuit restitui, præsertim quum mercatores se ad alias civitates converterent; sed saltem rudera & arcis vallum adhuc conspiciuntur, & ab eius loco non procul civitas VVollinum condita est, quæ hoc nomen Iulinum ita mutatum accepit propter loci amœnitatem. Ruina harum urbium per littus Balticum passim commercii frequentiam distribuit, & homines reddere cœpit cautiores, ut inde in confœderationem firmiorem ex hac intentione coirent, ne facile iterum vicini reges libertatem commerciorum ex invidia aut odio subverterent.

Floruit pridem ante Iulini excidium quoq; Stetinum, quod eius antiquitatis censetur, ut de auctore genuino nihil certi affirmari possit; tamen supra ostensum est, quod Sedini urbem hanc pridem ante Henetorum adventum, qui circiter An. 400. post Chr. nat. accidit, condiderint. Quum vero in commodissimo & amœnissimo situata esset loco, meruit non tantum caput dici Pomeraniæ; sed etiam Duces Pomeraniæ sibi ad Oderam ibi sedem regiminis & aulæ elegerunt. Christianam religionem admisere quidem An. 1120. quum Dux Bogislaus I. noctu civitatis muros conscendisset, & cives in Uratislai I. Ducis sui devotionem planã stratagemate hoc pertraxisset: sed quum non posset vi ista quid perficere, Ottonem Episcopum Bambergensem ad se vocavit, cui commissionem informationis sanctioris obrulit, qui etiã Anno 1124. in apertis plateis, iuxta D. Pauli morem, populum informavit sedulo, & Idolon Triglaffi ipsis tandem expugnavit. Postquam An. 1181. Christianismus vigere ibi incepisset, confluxus Saxonum in tanta ibi fuit frequentia, ut etiam urbem novo modo condere & disponere non desierint, præsertim, quum illi ex statuto communi reliquarũ civitatum Sclavos à suis societatibus & collegiis ac dignitatibus exclusissent, brevi tempore commercia cuncta accreverunt. An. 1245. Dux Barnimus I. jure curiæ & plena jurisdictione eos donavit, iusque Magdeburgensium cum Scabinatu civibus indulsit. Circa An. 1313. Uratislaus I. Dux VVolgastiæ recuperavit Stetinum à Cunrado I. Elect. Brandeb occupatũ, mortuoque Uratislao V. absque hærede Rugię Ducatu potitus est, quem posteri eius adhuc possident. Unde & in huius fidem Sundia urbs, salvis tamen privilegiis & immunitatibus, sese cõtulit. *Dresser. mill. 6. p. 2. pag. 536.* Ducis autem Barnimi III. tempore circa Ann. 1364. Societati Hanseaticæ urbs hæc se addixit, & statim in conventibus Hanseæ Rostochii An. 1365. & An. 1368. ibidem, ac 1370. Stralsundii habitis diligenter per Legatos suos cõparuit, velut etiam in sequentibus annis factum est. Forte civitas sibi plura acquisiverat bona, adeo ut etiam Anno 1321. oppidum Politzium & Anno 1335. theatrum Messinense obtinuerant: Sic etiam Lacum Damminensem

nenſem hypothecæ loco à Ducibus ſuis ultra 108. Annos poſſederant, quum Anno 1491. Bogislaus repetitionem eius inſtitueret. Ne vero in malum grauius inciderent, cedere iure ſuo potius voluerunt, quam inclementiam perferre Principis, & pacis amorem ſemper prætulere commodo proprio. Rarum certe exemplũ, ſi ex libera affectione profluxiſſet. Sed tamen non caruit quoque motu ſuo interno. Namque Anno 1524. concitatus eſt tumultus ciuiũ contra Senatum ex ſuſpicione malæ adminiſtrationis, unde à Duce Georgio & Barnimo res ita compoſita eſt, ut Senatui 48. cives adiuncti ſint. Anno 1570. feliciter in hac pacis ciuitate demum illud funeſtiſſimum bellum, quod inter Reges Daniæ Fridericum II. & Sueciæ Iohannem, nec non ciuitatem Lubecceenſem per 7. Annos integros cũ magna pernicie commerciorum duraverat, iuſtis modis & cõditionibus compoſitum eſt, ita ut Daniæ rex omni iuri & actioni in regnum Sueciæ renunciarit: & Sueeus viciſſim omni iuri ſuo in Norvegia, Gotlandia, Hallandia, Scania, Belkingia, & Daniæ ac Norvegiæ inſignibus in perpetuum ceſſerit. Sic & Lubecam Rex Sueciæ in gratiam recepit, & ipſis privilegia in regno Sueciæ, iuxta formulam iuſtam confirmavit, quod etiam proceres regni approbarunt, nec minus navigatio in Nervam Ruſſiæ libera permiſſa fuit. Quæ tranſactio inde Pax Stetinenſis dicitur. *Chytr. Sax. lib. 22. & Frideb. lib. 2. Chr.* Sic Anno 1612. variæ differentię civitatis huius cum Duce Philip. II. quæ 11. capitibus continebantur, inter quæ 4. 5. & 6. potiſſima de iuriſdictione in flum. Oderæ, iure ſtapulæ, vectigalis, &c. fuerunt, penitus compoſitæ ſunt, & civitas ſe in plurimis accommodavit debite.

Stralſundia autem, quæ nunc merito huic ſubnectitur urbi, ab Inſula Strale vicina, & freto, quod Rugiam à Germaniæ extremæ continente dirimit, & Rugiæ principatum medium interlabitur, nomẽ habet, quaſi Stralæ Inſulæ, ſive Stralæ faux, & Slund aut Sundt diceretur: *Cranz. lib. 7. Vand. c. 5.* Sunt tamen, qui antiquitatem magnam ipſi adſcribunt, & à Sunnio 2. Francorum rege Anno Chriſti 144. qui Francofortum cõdidit, extructam primitus dicunt. *Ang. in Chron. March. p. 15.* Alii Rugiæ Principem Iarimarum, poſtquam ibi pridem aliquot mercatores & incolæ commodum habitandi locum & portum, à Iulino uſque dirempto, inveniſſent, urbem An. 1209. deſtinatam, & à filio illius Wislao Anno 1231. plene abſolutam eſſe affirmant, quod eandem iure Lubeccenſi ac libertate, qualis civitati Roſtochienſi à D. Burewino collata eſſet, is donarit; quibus Sylvam, agros, paſcua, portum, ius piſcandi & vectigalium immunitatem, ut eo citius poſſet ſe recolligere, addidit. Unde paulo poſt, quum mercaturis per mare, per terramque increviſſent, ferocire in Lubeccenſes incipiebant: at hi vindices ſuæ iniuriæ ſtatim obruebant Sundiam eam prorſus expoliando. *Vide Crantz. lib. 7. Vand. cap. 15.* Quamvis diu fuerint hoſtes: tamen ita rediere in concordiam ut ſe Hanſæ adſociarint. Ab Anno 1116. uſque 1319. graviſſimum iterũ culpa maxime Wislai Rugiæ Principis bellum pertulit urbs ab rege Erico IX. Daniæ & eius confœderatis, in quo maſcule ſuas defendit portas. Occaſio autem tantę calamitatis ſic ſe habet: Creſcebant tum in littore Baltico, commerciis, potentia & opibus novæ civitates, Wiſmaria, Roſtochium, Sundia, Grypſwaldum: quas privilegiis ſuis ad contumaciam adverſus Dominos ſuos alendam abuti, principes querebantur: & paulo ante Ericus IX. Daniæ Rex, quem Roſtochienſes Dominum & defenſorem urbis & Privilegiorum ſuorum Anno 1310. adverſus Marchitas receperant, cum Waldemaro Marchione Brandeburgenſi Ribbenide congreſſus, amicitiam & fœdus inierat: ac ſequente æſtate conventum viginti principum, quos Marchio adducturus erat, & ludos ſolemnes, Roſtochii indixit. Quo cum appulliſſet Ericus, Roſtochienſes periculum libertati ſuæ anno 1311. imminere metuentes, portas urbis clauſas tenuerunt. Itaque in horto Roſarum & vicinis campis principes ſub tentoriis degentes, ludos ſuos peregerunt. Tandem de ulciſcenda Roſtochienſium contumelia, qui urbem regi ac Domino ſuo non patefeciſſent, & Wiſmarienſium petulantia, qui Heinrico Principi ſuo facultatem in urbe nuptias celebrandi negarant, puniendi, decretum faciunt. Wislaus etiam de Sundenſium ſuorum inſolentia queritur. Cumque Lubecca eo tempore aliis de cauſſis à vicinis civitatibus diſſidens, Ericum Daniæ Regem, tutorem ad decennium recepiſſet, facilius perficere inſtituta ſe poſſe principes iudicabant.

Civitates de Principum decreto edoctæ, antevertere volentes claſſe armata inſulas Daniæ rapinis ac incendiis vaſtant, ut Regem domi diſtineant, & portus ſubs tueantur. Sed nihilominus, Waldemari Marchionis & cæterorum Principum copiæ cum Regiis Ribnicium tranſportatis, conjunctæ, Roſtochium An. 1311. obſident. Cumque Roſtochienſes mari aperto, nihil curare obſeſſionem illam intelligerent, ad portum maris deſcendentes, ad utramq; Warni oſtio vicinam ripam caſtella erigunt, a cpręſidiis mununt: Et dimiſſis in fundum aliquot naviculis, grandi lapidum mole omnibus, portum obſtruere moliuntur. Sed redeuntibus domum confœderatis Principibus facili negotio à Roſtochienſibus caſtella deiecta, & novum caſtellum ſeu Turris munita eſt. Quam quum Ericus cum ſociis denuo aliquot menſibus obſeſſam, deditione accepiſſet: tres circa illam turres, muris junctas, & foſſis aggeribusq; cinctas excitavit: Quarum unam Regis Daniæ, alteram Waldemari Marchionis, tertiam Henrici Megapolitani præſidia aliquandiu tenuerunt. Interea Rex terra nõ ſatis feliciter pugnabat; ſed Marchio Woldemarus Brand. cum confœderatis Ducibus Pomeraniæ & confœderatis civitatibus Roſtochio, Sundio, &c. ſuperior erat. Unde Wislaus Rugiæ Princeps coactus eſt pacem petere: qua occaſione uſi ſunt Sundenſes, & Ann. 1314. obtinuerunt pro nutu ſuo, ut Wislaus ipſis novo diplomate privilegia à maioribus ipſius data, in ſpecie confirmarit, in quibus & proprietatem urbis, ac omnium intra fines territorii illius titorũ civibus attribuit, cum intriſdictione & libera appellatione ad Lubeccenſem civitatem. Ac licet ſequenti anno hanc gratiam reſcindere ſtuderet, propterea que cum Rege Daniæ & multis principibus conſpiraret: tamen poſt varios & terribiles labores ſe fruſtra defatigavit, atque denuo coactus eſt cum urbe hac pacem inire An. 1317. At quum inde clementiore animo cives eos fovere inciperet, Anno 1319. gratiam maioribus auxit erga civitatem privilegiis, illam ab omni exactione & tributo

principi

principi pendendo immunem reddens, advectionem omnium mercium liberrimam concedēdo adeo, ut nunquam civibus impediri deberent. Sic & concessit illis, ne intra duo milliaria arx erigeretur, & quod agri ad milliare unum circa civitatem coempti eius proprii essent, &c. Anno 1370. ibi conventus Hanseæ celebratus est, quum Waldemar. 4. Rex Dan. adeo hostem infensissimum civitatibus se exereret. Vide supra. Anno 1497. Rex Daniæ premebatur à Lubeccensibus & fœderatis civitatibus bello, ubi quum Sundenses supra modum acres sentiret, apud Ducem Pomeraniæ Bogislaum obtinuit, ut retraherentur, *Chytr. Sax. lib. 6. p. 170.* Non iuvat nunc addere, quæ nuper an. 1628. aggressi sint facta; sed ea alibi explicabuntur, dum ad vicinam eius civitatem progredimur.

Grypswaldia quoque non ultima est in Hanseatico fœdere inter Vandalicas; sed merito secundum à Stralsundio mereretur locum, quum tam constanter hanc nobilem semper huc usq; coluerit societatem, nec reformidarit etiam arctiora inire defensionis fœdera. Distat autem ea saltem duobus inde milliaribus, & habet in Pomerania cognomines civitates, Greifshagium in Ducatu Stetinensi, & Greifsbergium in Cassubia sitam, ut pateat compositio nominis à sylvestro primum loco; nec à Gryphone Pipini fratre, ut quidam putat; Sed originem primam à monasterio Eldena habuit, & iure Lubeccensi donata est, *Chyt. lib. 10. Sax pag. 253.* ac pertinet ad Comitatum Gutzkovienſem. Quum portum etiam accommodatum habeat & locum Emporii, commercia non minus huc usque in ea urbe floruerunt opipare, quam in reliquis. Atque ut etiam Princeps eo gratiori locum hunc & universam Pomeraniam afficeret beneficio, an. Christi 1457. ibi Uratislaus 9. Dux Pomeraniæ in Wolgast & Rugia Acad. fundari curavit. Occasionē autem maxime præbuerat Academia Rostochiensis. Namque quum Rostochiū 18. anno, postquam ibidem erecta esset Academia, maximo ferveret tumultu, & interna seditione cives Anno 1436. fremerent, Cæsareo & Ecclesiastico anathemate feriebatur urbs; unde & severissimo cōcilii Basiliensis mandato iussi sunt Professores ex ea secedere. Quare locum mansionis & docentes & discentes in Grypswaldia sibi elegerunt, quum ibi humanitati maxime addictos invenirent homines, ex qua occasione Colonia quasi Rostochiensis facta est Grypswaldia. Etenim quum post sexennium res esset transacta, & inde Anno 1443. Professores cum studiosis in antiquam sedem remigrarent, à civibus assuefactis & vicinis hoc consilium Principi suggestum fuit, ut ipse quoque suam tali bono exornaret provinciam, quod quidem tunc An. dicto 1456. factum fuit: sed licet principia Academiæ satis fuerint læta; tamen quum magis Rostochiana floreret iterum usque ad Annum 1518. obscurationem exinde passa est Grypswaldensis, donec tandem ann. 1547. Philippus Dux Pomeranorum eam restaurare inciperet, ex quo florentiorem quoque Professores & maxime scriptis suis eruditissimis de iure publico clariorem effecere Matthias & Ioachimus Stephani: Ceu, sicut etiā Medicus optimus Franciscus Ioel ēgregium Systema Medicum conscripsit, quod discipulus eius Matthæus Backmeysterus M. D. Phys. Lunæb. p. m. amicus meus summus in publicum edidit, quum inter Saxonas eius loci vix quid simile prodierit. In quo nihil desiderari potest, quam quod nimium credulus fuerit iis, qui Chimiæ & Medicinę luci oculoque unico & veriori ex mera insciția fuerunt iniquiores. Grypswaldenses autem integritati & fidei solidæ semper cum reliquis fuisse addictos, constat ex historia Ducum Henricorum duorum Megapolitanorum, qui ann. 1326. quum rebus humanis Uratislaus Dux Pom. exemptus esset, infantibus trinis relictis Ducatū Pom. astute surripere & in præiudicium tantillorum occupare conabantur. Stralsundium, Grypswaldia, & Demyna nec precibus nec precio tunc potuerunt à Megapolitanis corrumpi, ut in tale facinus consentirent, quamvis magnam occupassent partem Ducatus; sed potius omnibus tribus vicinis, videlicet Daniæ regi, Megapolitanis Ducibus, & Marchioni Brandeburg. qui uno tempore per 22. annos belli conatu Pomeraniam ambiebant, fortiter se opposuerunt: ceu etiam Grypswaldenses, quum minus tuto Wolgasti & alibi in suis arcibus Principes infantes commorari possent, in suam urbem cum matre, quæ posthumū Uratislaum apud eos enixa est, receptos defenderunt, & sua virtute, fide ac sumptibus, molem belli præcipuam potissimum sustinuerunt *Chyt. Sax. lib. 5. pag. 137.* Tanta prorsus eximia & insignis trium harum civitatum pietas, fides, integritas & constantia erga Principes suos fuit.

Heic memorabiliter inse endum est, quod in scripto Lubecc. Chronico exprimitur, cuius verba ita se habent: Cæteræ civitates Vandalicæ in adsiduo tunc erant conatu circa Annum 1310. quomodo se satis opponere suis Dominis & vindictam suam exercere possent absque ulla discretione: Velut & bonum Lubeccensium consilium sæpius eorumque interlocutionem repudiabant. Ideoque valde id conducere puto, ut heic reliquarum civitatum, nempe Rostochij, Stralsundiiq; actiones paucis attingam. Namque Anno 1310. conventus notabilis Ribbenizij inter Regem Daniæ Ericum, Marchionem Woldematum aliosque Principes instituebatur, ubi lis ea & dissidium, quod per aliquot annos durarat inter eos, consopiebatur, atque inter alios articulos complacebatur, quod in proxime sequenti anno splendidissimæ institui deberent nuptiæ à Rege Daniæ, in quibus Marchio cum centum aliis, ræcipuis personis ad Equitum auratorum ordinem solenni ritu evehi deberet; adiecta tamen fuit hæc conditio, quod inter centum hos esse deberent viginti Principes, & reliqui nonnisi nobiles tales, qui factis generosis suam ex numero communi exercuissent virtutem, & hoc loco digni possent haberi.

Rex igitur Daniæ hunc splendorem ultra semestre spatium anni sumptuosissima præparatione adornabat, ne quid solemnitati huic præsumptæ deesset; ac constitutum manebat, ut omnes istius rei conscij prope Rostochium debito tempore cōfluerent. Interim quum fames admodum duriter Flandros, Anglos, & Hollandos premeret ob frumentorum defectum, mercatores recursum quærebant suum apud Megapolitanos & eius loci vicinos, omnis generis frumenta in magna coemenda copia: ex qua annonæ fervida flagellatione etiam istis provinciis suus exhauriebatur proventus ita, ut ferme non minori urgerentur fame. Erant quoque mercatores

tores ex Lubeca, qui huic rei ſuam navabant operam: Proinde civitates iſtæ, Roſtochium, Wiſmaria, Stralſundium & Grypſwaldia, (quæ tunc adhuc recens nata erat) in conſilio proprio quodam per ſe conveniebant, excluſis Lubeccenſibus, atque inter ſeſe certum conficiebant ſtatutum, quod nemo amplius quid frumenti ex his locis exportaret, ſub certa pœna & mulcta. Lubeccenſes huius rei ſpectatores agebant egregios, finem negotii expectando; quod ſane ingenti commodo illis accidit, uti poſtea audiemus.

Hæc conglutinatio civitatum etiam hoc efficiebat (ait Chronicon) ut Principes in propoſito occulto cõtra prædictas civitates, Roſtochium, Wiſmariam & Stralſundium confirmarentur, præſertim quum cernerent ſibi lucrum non leve poſitum eſſe in hoc civitatum mutuo diſſidio, quod procul dubio in has inſidias non allicuiſſet Principes, niſi occaſio illis quaſi in manus ex hac anſa data fuiſſet. Intentione hac à reliquis civitatibus animadverſa, qualis conatus principum ſubeſſet, pœnitentia ducebantur. Quare novi conſilij conventum Roſtochij inſtituebant, quo etiam Lubeccenſes alliciebantur ex obliquo: at Lubecani id averſabantur, ne forte inde Rex Daniæ offenſionem arriperet aliquam, quum eorum tunc patrocinium in ſe recepiſſet: altera ſimulratio erat, ne viderentur pactis illis contra Principes vicinos ſubſcribere aut contra eoſdem quid moliri.

Anno itaque 1311. mediæ æſtatis ferme tempore Rex Daniæ magna cum pompa navium & hominum mare Balticum traiecit, venitque in Warnaviam fluvium. Conſtituebat quidem plane civitatem Roſtochienſem ingredi cum ſuis; cives autem ſibi male metuentes, nolebant locum ſuum nimiæ concredere potentiæ, ne quid damni in privilegiis ſuis paterentur. Ideoque occluſas quum retinerent portas, Rex ad militandum minime inſtructus ſed nuptiali ſplendore plenus cogebatur hic quieſcere; & hortum illum, quem Roſarium dicunt cum comitatu ſuo regio occupabat, in quo caſtra militiæ erigebat ſua, expectando adventum Marchionis & reliquorum invitatorum Ducum & Principum. Dici non poteſt, quanta populoſitas ex cunctis undique locis ac civitatibus ſimul huc confluxerit, ad ſpectandum nuptiales has ſolemnitates, ut natura hominis eſt novitatis ſemper avida. Adventabant huc quoque Archiepiſcopi, nempe Magdeburgicus, Bremenſis, Leodienſis, Epiſcopi Hildeſienſis, Halberſtadenſis, Caminenſis, Schleſwicenſis, Brandeburgicus, Lubecanus, Schwerinenſis, Ratzeburgicus, Havelbergenſis, Roſchuldenſis, Odenſehenſis, Ahrburgicus, &c. Sic & ex multis civitatibus Pomeraniæ, Marchiæ & aliarum Regionum. In ſumma advenerant ultra 6600. homines ad ſolemnitates has nuptiales ſpectandum. Nemini preferentia quædam adiiciebatur, ſed quiſq; Principum ſuam propriam aulam adſervabat, & iuxta ſtatum ſuum excolebat. Varia itidé equeſtria exercitia & ludi ſe cotidie exerebant, ut in omnibus affluentia ſingularis appareret. Sicuti etiam avenæ copia in campo aperto inſtar montis accumulata & congeſta cernebatur, ut cuique pro lubitu inde quid pro neceſſitate petere licitum eſſet: nec minus ſerenitas cœli generis omnis lætitias augebat, nec erant venti aut pluviæ; Tum & Lunę lumẽ noctem illuſtrabat ut plurimum. Piſces, carnes, vina, ferina edulia & reliqua neceſſaria nuſpiam deerant.

Quum vero feſtivitatis nuptialis appropinquaret dies, & omnes conveniſſent Principes, duas ædes Rex erigi & panno rubeo veſtiti undique curabat in medio campo. Primo tunc ſtatim ſub diluculo Rex cum ſuo equitatu in pompa ſplendidiſſima egrediebatur in campum, ubi ſe ipſi Comes Woldemarus Holſatiæ cum 300. equitibus plus quam gratioſe & precioſe exornatis, nec non ſex alii Principes ac comites adſociabant cum Cataphractis ſuis: ac quiſq; Principum comitumq; ſigniferam haſtam in manu gerebat. Poſtea quoque Marchio cum Ducibus ſuis Germanis omneſque in lucente armatura iuxta ordinem ſpecioſum ſe offerebant Regi non ſine ſonora iubilationis acclamatione, qua totus implebatur aeris ambitus, Regioque ſe ſiſtebant throno, ubi Rex ſedebat. Ibi iſte Rex tunc in Germania noſtra (quod ipſi ſingulari erat oblectamento) incipiebat, quaſi ipſe Cæſarem ageret, primitus Marchionem Brandeburgicum, & deinde alios Germaniæ Duces, ad Equitum auratorum evocare & evehere ordinẽ. Hi omnes flexis genubus coram Rege (an non eidem ridendo cor exiſteret) procidebant. Hinc demum præcipuis inter præcipuos Nobilibus, ex Holſatia, Pomerania, Megalopoli, Saxonia & Marchia oriundis, eandem conferebat equeſtrem dignitatẽ. Quibus ſingulis Rex priori die ſigillatim pallium rubicundiſſimi coloris ex ſubtiliſſimo panno (Germani Scharlaken vocant) confectum, cum tunica vellere cineritio ſubducta, & cuique equum fortem cũ clypeo nitenti & gladio miſerat, ut iſto die tot equites auratos efficeret Rex, qui & in Anglia & Francia numerus ſatis fuiſſet. Actu tali abſoluto, menſa, cibi, & edulia delicatiſſima peculiari ceremonia apportabantur. Quippe equis pannis pompoſe veſtitis, ſingulariter ad munus hoc precioſiſſime inveſtiti inſidebant, qui fercula in patinis cibariis afferebant, & alii permutative eas menſæ imponebant. Omnia ita opipare & laute adornata erant, ut ſplendor iſte vel ipſius Romani Imperatoris ſolemnitati vix cederet aulicæ. Similiter nec ludi, & eorum inventiones, ac exercitia equeſtria cum rebus ludicris, quæ per aliquot dies celebrabantur, ſatis deſcribi poſſunt? hiſce locis plane incognita antea ſpectabantur.

Non opus eſt, ut ad nauſeam vanitates mundi, quibus ſe ita perdite inſolentia mortalium devovet, pluribus deſcribamus. Ac quid non prodigalitas, indebite profundit ſæpius. Sed tamen cuncta hæc æquis oculis evinci poſſent, modo abundans gaudiũ talis ſpectaculi non ſe deformaſſet in Tragœdiam eius finis: velut talium Magnatum & Principum id conſuetudo ut plurimum fert, ut eiuſmodi eorum lætitiæ non ſine ſanguine innocuo ad exemplum D. Iohannis concludantur. Sic etiam huic accidebat; Licet inter ſat bene in eodem humore convenirent; tamen in Iohannis cuiuſdam infortunium latens ſuum venenum effundere cupiebat.

Quum igitur aliunde non poſſent petere obiectum iuæ argutæ crudelitatis, in civitates invidiam omnem conficiebant, quæ illis videbantur ob fervens commercii ſtudium odio digniſſimæ exitiali. Hinc conſilia occulta agitabant ſedulo, qua ratione civita-

civitates iugo eorum ſubmitti valerent, & iuſta quaſi effingi cauſa ſatis ad coronationem hanc valeret: Item à qua exordium ſumendum. Exemplum in promptu erat. Quare primum furorem incepti in Roſtochienſes coniiciendum putabant, utpote qui noluiſſēt ſuam hiſce vanis inſolentiarum exorbitantiis concedere civitatem, quæ cauſa omnibus ſufficientiſſima videbatur: imo addebatur, in ignominiam Regis id vergere, quod nuptiis eius tam pompoſis præcluſiſſent portas. Inde Rex cum præſentibus Principibus ſingulare inibat fœdus; inprimis ſe Dux Megapolitanus ad hunc conatum paratiſſimum offerebat, ut vindicaret Rex iniuriam hanc in Roſtochienſibus; ſed cum ex repromiſſione, ut Rex non minori ipſi eſſet auxilio in Wiſmariæ occupatione, ne portus marini in manibus eſſent civitatibus, Rex huius negotii cupidus confeſtim id pollicebatur, quum exercitu navali ad proximi ſequentis Anni æſtatē certus eſſet adfuturus, modo & Principes à parte terræ idem præſtarent. Dux interim Megapolitanus imitari exemplum Regis ſtudebat in ſimili actu. Ideo à civitate Wiſmaria poſtulabat, ut ipſi liberum eſſet, illic ſuas celebrare nuptias. Hoc autem quum itidem Wiſmarienſes abnuerent, indignantia ſumma efferveſcebat ille Princeps, & exitiale illis minitabatur bellum.

Paulo poſt in hoc eodem 1311. Anno ingens diſſidium inter mercatores Lubeccenſes & Danicos in Falſtria exoriebatur ita, ut ad arma concurreretur, & res in internecionem aliquot hominū erumperet. Id quum præventione ſua à Danis ad Regem deferretur, ſtatim is mercatoribus Germanicis omnia eripiebat bona, & maxime damnum Lubeccenſibus incutiebatur. Ideoque cives Lubeccenſes ex Schonia domum redeuntes, de iniuria & privatione bonorum illata acres querelas coram ſenatu nectebant, ſuam innocentiam ſimul demonſtrando. Lubeccenſes inde continuo ſuum Secretarium ad Regem, Rotſchildi tunc degentem, mittebant, per quem obnixe rogabant, quum protector civium & civitatis huius eſſet, nec quid adverſi ab eius Majeſt. ſibi metuerent, ut ablata illis integre reſtituerentur. Rex igitur informatus, quod Lubeccenſes non incluſi eſſent novo fœdere, quod civitates prædictæ, Roſtock, Wiſmaria & Stralſundium contra regem inter ſe confeciſſent, ſtatim læto vultu ablegato illi hoc reſponſum dedit. Si ulterius quietam vitam degere Lubeccenſes, nec contra ſe bello reliquarum adiſtere vellent, quod tunc omnia bona iiſdem reſtitui deberent. Quare Anno 1312. circa feſtum Paſchatos iterum Lubeccenſes ad Regem Legatum mittebant, ut exploraret, num fides à Rege data in effectum deduci poſſet, nec ne, aut quid gratiæ illis à Rege dicto foret expectandum. Quum autem eſſet iſte Legatus adhuc in itinere, inveniebat naves claſſicas civitatum Vandalicarum paſſim per Daniam maritimos locos expugnantes, deprædantes & igne conſumentes.

Forte Dux Ericus Sueciæ, ex Germania (ubi peccatorum remiſſionem ſibi acquiſiverat) redux per Lubecam in Falſtriam traijciebat, quumque ibi claſſicas naves civitatum dictatum Impreſſionem, vel potius vindictam ob damnum, quo illas ſuperiori autumno affecerant, de Danis ſumere, tentarent, Dux iſte cum ſuis maſcule eaſdem abegit. Interim Legatus Lubeccenſis ad regem pervenerat, qui non tantum hunc libenter audivit, & etiam publico edicto cunctis ſuis officiariis mandavit, ut ubicunque bona Lubeccēſium laterent, confeſtim iis redderentur abſque ulla mora. Verum regis Frater Chriſtophorus, qui potiſſimam ſibi acquiſiverat bonorum partem, ſe exemptum putabat, quod maximo incommodo accidit Lubeccenſibus; velut & à Magnatibus paſſim huic rei incumbebatur unice, ut ex diſiunctione civitatum pedetentim eæ viribus ſuis exui, & tandem in deſolationem detrudi poſſent. Inde factum eſt, ut, quum Anno 1312. Roſtochienſes turrim ſuam Warnemundanam in oſtio ad mare bene munitam & variis neceſſitatibus adverſus impetus proviſam, erexiſſent, Rex Daniæ magna copia militum advolaret, turrimque fortiter per tres menſes impugnaret. Quum igitur vis eſſet maior, nec ſubſidiariis illis præſtaretur ſufficiens ſuccurſus, cogebantur iſti ſe tandem Regi dedere, qui occupata hac turri, ſtatim eam vallo, muris & foſſa circumdabat, ſpacio aliquo addito ita, ut brevi tempore in Arcis ſingularis ac bene munitę formam totam molem redigeret; unde putabat, ſe in hac provincia pedem firmum fixiſſe.

Quum vero cives Roſtochienſes Regis intentionem cernerent, erant inter eos quam plurimi, qui varia ſuſpicione afficiebantur; alii omnem culpam in Magiſtratum, quaſi quædam colluſio cum Rege ſubeſſet, coniicere non verebantur, nec reſpiciebant ad hoc, quanta potentia Regis fuiſſet in hoc conatu perficiendo, dici vix poteſt, quantus tunc furor civium & populi Roſtochienſis extiterit; quaſi inſanientes in plateis circumcurrebant non ſine magno clamore, & calumniis ſine fine in Senatum effuſis: ferme omnium una erat vociferatio, Magiſtratum diutius in vivis non tolerandum eſſe. Quare partem Senatorum in carcerem abripiebant, partem nequiter trucidabant, partem quaſi iudicialiter gladio decollabant, alios rotis imponebant; pauci admodum clam ſe periculis iſtis ſubducebant, in exilium aufugiendo. Capitaneus huius deteſtandæ ſeditionis inter cives vocabatur Heinrich Rugge, qui fratrem inter incarceratos habebat, qui immiſericorditer tractabantur. Inde amici eius pro fratris dimiſſione ita ſollicitabant hunc capitaneum nequam, ut ille ſe apud cives pro liberatione fratris interponeret; quum eorum favorem quaſi in manu teneret ad nutum ſuum. At perverſus iſte homo reſpondebat beluina prorſus voce; Quid? Nam proditorum ſum Patronus? Imo, velut iſti ſe conglutinarunt mutuo, ita quoque coniuncti maneant & moriantur.

Cauſa huius malitiæ (ait Chronicon) erat, quod ſciret, ſe non poſſe locum una cum fratre in Senatu habere propter ſtatuta civitatis. Quum vero cives Roſtochienſes omnem furoris rabiem ſatis in Magiſtratum ſuum expuiſſent, animoſque ſanguine innoxio ſatis exaturaſſe viderentur, Novum ſibi creabant Senatum, nec non novos ſtatutorum abſurdos conficiebant articulos & leges, quas novus ſubſigillatione cōfirmabat Senatus. Inter eas erant eiuſmodi, nempe, quod poſt hunc diem, nemo in Senatum eligi deberet abſque præſcientia nobilium in maioribus tribubus. Item, quod nemini civium contributio aut mulcta imponi deberet ſine conſenſu eorundem & Seniorum. Item quod nemo civium te-

neretur pro nobili aliquo fideiubere; ac ſi quis ciuiũ Roſtochientium pro nobili ſpopondiſſet, tamen ab ſolutione omni eſſet liber, &c. Tales & huiuſmodi leges, honeſtati non adeo congruas, plures ſtatuebant. Ac ut eo tutius compactata talia adſervarentur, arcãm ferro bene munitam confici curabant, in qua hæc ſcripta adſervarentur; cuiuſq; claves ita diſtributæ erant, ut cuique tribui ſua attribueretur ſera; tanta ſcilicet erat diligentia cuſtodiæ, ne Theſaurus vanitatis dilapidaretur facile; ſed diututnũ eſſet teſtimonium apud poſteros huius malitiæ pudendæ & crudelis. Interim exules & incarceratorum amici & conſanguinei media huius calamitatis communis deſpexerant, ut miſeria hæc diſcuteretur urbi.

Quum igitur omnia apud Ducem Megapolitanum eſſent bene ſubordinata, Anno 1314. iſte princeps in feſto trium Regum non ſine artificioſo ſtratagemate ingrediebatur Urbem Roſtochium. Res ita erat ſuppoſita: Sub veſpertino tempore quiſpiam civium ad concivem illum, cui claves portæ, lapideæ dictæ, concreditæ erant, accedebat, illi explicans, quod duo currus, aut vehicula ad portam eſſent, ad id onuſta, ut principi ſuppellectilem ſuam verſum Dobberanam averherent. Civis iſte ſtatim paratus erat; ac porta recludebatur. Currus hi duo provehebantur tractu tardo, interim ſubornatio erat facta, ut in media porta currui rota confringeret. Dum laborabatur in refectione tali, continuo Stratagema hoc ante portam expectantes confertim civitatem incurrebant à Principe miſſi. Rumor iſte inter cives exoriebatur, qui deſubito ſe in plateis ſiſtebãt, ac ferme hoſtes nocturnos ex civitate expuliſſent, quum Dux cum reliquo milite nimis diu adventum protraheret, nec ita maturus adeſſet. Aſt Amici & conſanguinei exulantium & incarceratorum Senatorum id procurarant ſedulo, ut maxima amicorum pars ad portam ſe ſiſterent, & in ædibus ibi proximis latitarent, qui lapides in concives tumultuoſos conjicerent; unde confuſio inter eos orta eſt ita, ut retrocederent, & multi fuga ſe ſalvarent; donec & ipſe Princeps cum captis ſuis urbem ingrederetur: Cives irritati catervatim concurrebant, aciem quandam exerendo, ut iam facies præſentiſſima adeſſet magni conflictus mutui: Verum Dux ſapienter civibus hoc annunciari curabat, ſe non veniſſe ad vim ullam exercendam, aut ſanguinis effuſionem, ſed quod omnibus æque cuperet, utque cuique ſua luſtitia pateret in gratia & pace. Audiente hoc Henrico Ruggio, qui principalem tenebat locum inter tumultuoſos, protinus conſpicuum ſe offerebat civibus, atque ex curru carbonario, quem conſcenderat, alta voce ſic increpabat omnes, ut deſiſterent à furore, & ſe ſecuros confererent quiſque in domum ſuam, quum Princeps gratioſo & minime truculento animo ingreſſus eſſet urbem: tum quoque pateret cuique iuris ſui acceſſus ad principem clementem, quod nemo recuſaturus eſſet. Tali ſermone huius plebs & cives omnes complacabantur quidem; ſed iſte proclamator publicus diffidens cauſæ ſuæ, clam ex urbe ſe ſubducebat eodem nocturno tempore.

Princeps autem ſine mora ſequenti die convocabat omnes exules Senatores cum reliquis, qui ſupereſſent; & vindicari publice curabat; ſi quis eſſet, qui iuſte hos incuſare, aut culpare poſſet, ut iudicio ſolemni ſe ſiſteret. Ipſe enim omnibus eſſet paratus, ut cuique ſuum ius tribueretur. Quum vero nemo accederet, quærebat Princeps ab exulibus, num ipſi quid iuſtæ haberent contra adverſarios querelæ, & qui nam eſſent. Iſti iniquitatem & perſecutionem omnem in aliquot cives, quorum multi ſe ſubduxerant, conjiciebant; reliqui, qui præſentes erant, capitibus plectebantur ſuis. Dura quidem res civibus hæc videbatur; tamen culpam ſuam luere tales cogebantur; Quippe Rex Daniæ & Marchio Warnemundam adhuc poſſidebant, ut ita ab omni commercio & neceſſariis vitæ eſſent exuti. Interea quum Lubecenſes ſatis diu diſcordes cum Burchardo Epiſcopo & Capitularibus vixiſſent, hoc anno ita tranſactio eſt inſtituta, ut Epiſcopus cum Capitularibus in civitatem reciperentur quidem; ſed ut à banno rectius abſolvi poſſent, tam Senatus, quam Epiſcopus quempiam, & ita binos ad Papam, Romam mittebant.

Verum antequam iſti Romam pervenirent, diem ſuum obibat Papa Clemens V. & vacabat ob varia litigia ſedes papalis per biennium cum quinque mentibus integris, at ita tandem Legati iſti Anno 1317. ex Avinione Galliæ cum impetrata venia domum revertercntur. Tamdiu Ceremoniis Eccleſiaſticis & uſu tympanarum caruerãt Lubecenſes. Statim poſt mortuus eſt iſte Burchardus Epiſcopus in ſumma ſenectute, quum Annos 120. ſupervixiſſet, quem Crantzius recte tam diuturnum Lubecæ flagellum vocitat, cuius Succeſſor fuit Henricus Bockhold, civis Lubecenſis filius, qui duodecimus fuit Epiſcopus per 23. annos, ac pacificam egit vitam. Anno 1315. autem Lubeccam Comes Iohannes Holſatiæ perveniebat, qui iam diu in propria arce ſua Chilonienſi captivus detentus fuerat: is ſe clam ex cuſtodia ſubduxerat, & quum nuſpiam, neque apud ſubditos, neque apud Nobiles, neque apud agnatos aliquid ſolatii aut fidei inveniret in Provincia ſua, ad Lubecenſes fidenter cõfugiebat, qui per integrum anni ſpacium ipſi fidele præbebant hoſpitium, donec auxilio ipſi poſſent, ut tuto Chiloniam reverti valeret. Iſte optimi ingenii Comes certe omnibus bonis exempli loco ante oculos ponendus eſt, quantus malorum cumulus in eius verticem effuſus ſit brevi temporis ſpacio. Etenim quum hilarem ſe in menſa aliquando exhiberet, cum Equite aliquo nobili, qui eius morionem Marquard vocatum, acri exercitabat vexatione; inde morio irritatus ira, apprehendens os aliquod, quod quidem in Equitem conjicere conabatur, ſed vacillando forte aberrabat, & comiti alterum oculorum, ictu tali extorquet.

Non diu poſt filius eius, perquam ſpecioſus & humanus Princeps, quum matutino tempore in cubiculum ſuum reverti cuperet, ex interceptione malignantium è feneſtra præcipitatus eſt arcis Chilonienſis, ut protinus expiraret. Sic & paulo poſt alter ipſius filius Adolphus in arce ſua Segebergenſi in lecto coniugi accumbens ſceleſtiſſime interficiebatur: Ipſe comes tandem ex arce Granhoſtia captivus abductus, cunctis opibus & ipſa regione ſua privabatur; qui fructus illi ex conſœderatione Marchionis enaſcebatur, ut inde omni deſtitueretur ope. Anno 1316. Lubecam ingrediebatur Gothardus Comes Hol-

Holſatiæ cæci Comitis Gerdeſii filius, cum coniuge & comitatu omni: quippe agnatus & nobiles eius in hunc metum ipſum conjecerant, recordans, quid comiti Adolpho Segebergenſi obtigiſſet à perfidis ſuis. Proinde tædio ipſi erat adeo Holſatia, ut aliquando præ indignantia diceret; Si certam & præſentem pecuniæ ſummam quis ſibi ſolvere vellet pro ditione ſua, ſe libenter Holſatiam alicui in venditione traditurum & relicturum eſſe. Tam perverſa erat malitia & proditoria, nobilium potiſſimum. Quum hoc Regi Daniæ Chriſtophoro indicaretur, is ſubornabat aliquos, qui inſidioſe in contractum certum pertraherét Comitem pro fratre ſuo, quem nobilem Iohannem dicebant, unde Comes nunquam ex Lubecca egreſſus, ſed ibi mortuus eſt, unico relicto filio Lubeccæ nato.

In hoc anno Rex Daniæ cum multis in vicinia Principibus fœdus iniit: ex eo curavit nõ tantum in Dania multas præpararier naves; ſed etiam quam plurimas undique ex Suecia & aliis coemebat locis: Sicut & omnes confœderati Principes ſuos cogebant in magna copia populos: Sed intentionis ſcopus plane incognitus erat, ut quiſque miraretur, quorſum impetus vergere poſſet, quod tamen poſtea in experientiam erumpebat, quum tunc demum ſentiretur, ſudem in oculis Regi eſſe Stralſundium, cui infenſus erat Rex, quod cum Marchione ſuperiori feciſſent, quum ex ſummo amico, hoſtis ſummus eſſet Regi redditus. Appropinquante igitur die, expeditioni occultæ dicto, Dux Ericus præ cunctis aliis Ducibus, ex nimia effervescenti rapinæ cupiditate, ſuum cogebat clam exercitum, & deſpoliabat Stralſundos, caſtra in Heimana Sylva ſua ponens, ut ibi expectaret Regis per mare adventum, donec reliqui Principes ſe quoque in ſuis ſiſterent armis. Stralſundenſes minime cauti, quum in hoc negotio & admodum ſecuri fuiſſent, omni ope deſtituti erant, nec ullam præparationem belli fecerant; Ideoque ad hoc recurrebant medium, ut omnem ex vicinia convocarent ruſticanam gentem cum nobilibus ſuis, ac ſimul Grypſwaldenſes ſibi adſociarent cum reliquis civitatibus. Una ſic nocte magnus in ea civitate hominum numerus confluebat, cum quo primo ſub diluculo excurſionem & impetum in hoſtem faciebant; quod opus bene ceſſit illis. Quippe una cum Duce Saxoniæ multos nobiles alioſque ſecum in urbem captivos abducebant.

Vix res expedita hæc erat, quum Rex Daniæ cum Rege Sueciæ Rugero & magno adventaret exercitu & navibus ſuis. Hi obſidebant Stralſundium à parte maris: Dux vero Albertus Miſnenſis, Dux Gueno Schleſvicēſis, Dux Canutus Pontius Hollandiæ, Comes Gerhardus, & Iohannes Holſatiæ, Comes Adolphus Schawenburgicus, Comes Gunzelius Wittenburgicus, Comes Henricus Swerinenſis, Dux Henricus Megapolitanus, Dux Pribislaus Vandaliæ, aliique à parte terræ eandem urbem obſidione premebant, ut omnes vires cum conatu forti, nec non inſidiis, in hanc urbem converterentur. Verum Cives admodum vigilantes nunc redditi animoſe ſuam urbem defendebant, nec deerant excurſiones, ut cotidie captivos ſecum abriperent. Hanc alacritatem fortitudinis cum cerneret Rex cum ſuis Principibus, ne id quoque damno eſſet Duci Saxoniæ cum reliquis captivis, relaxabatur inde animus hoſtilis, & tam Rex, quam reliqui obſidionem diſſolvebant, ac quiſque in ſuum cum pudore revertebatur locum. Ita Deus Conſilia Principum in vanitatem redigit. Quis enim credere potuiſſet, quod tanta potentia & vis tam facile diſſipari valuiſſet, cui alias nec totum regnum ſufficeret. Stralſundenſes Duces captos Saxoniæ & Wolgaſtiæ Marchioni Ludovico tradunt, qui Ducem hunc per triennium in cuſtodia detinebat, donec ipſi 18000. Marcas puri argenti ſolveret. Hoc eodem anno mercatores Germanici ita animoſi redditi erant, ut in Falſtria magnum conflictum cum Danis haberent. Vera tamen cauſa belli adhuc latet.

Anno 1323. Roſtochienſes hoc obtinebant à Duce Megapolitano, quod illis licitum eſſet, arcem Warnemundanam penitus demoliri, ut ſic liber illis eſſe in mare excurſus, & refloreſcere apud eos inciperent commercia. Cor autem & fundamentum commerciorum, quum ſit pecunia, pauca heic de eius valore ſubnectemus. Namq; an. 1325. Hamburgi obulorum moneta cudebatur: Libraria Marca pura continebat 14. uncias, cuius transformatio valebat 42. Schillingos & 8. obul. Emptio argenti ufti erat 3. marcarum & 15. Schilling. Ex quibus patet, in civitatibus his puram argenteam & auream fuiſſe, quæ paulo poſt cum ſucceſſu temporis valde imminuta eſt. Velut mox cudebantur nummi aut obuli in valore 13. unciarum 1. quint. transformatio valebat 48. Schilling. Emptio uſti argenti erat 3. marcarum 2. Schill. ex quibus 16. Schill. Lubeccenſ. valebant 4. Unc. 1½. quint. Florenus Lubeccenſ. erat 10. Schilling. Item moneta numorum 12½. Unciarum, quorum transformatio erat 53. Schill. ut valerent ex his 16. Schill. in contento 3. unc. 2. quint. Sed qualis adulteratio monetæ nũc eſt, ut merito Daniel Proph. atteſtetur, quod ex aureo capite & brachiis argenteis, ſequantur terrei pedes in regnis.

Sic etiam Gripſwaldenſes cum Anclamenſibus ſemper in fœdere Hanſeatico perſeveranter fidi inventi ſunt, ut etiam arctius fœdus Anno 1615. cum Belgis initum maxime promovere non deſierint, & alias quoque non defuere neceſſitatibus, quas commune exegit commercium.

Eſt autem Anclam civitas Ducatus Stetinenſis, ſicut eius ſocia Damyna: & quamvis non ſtatim ipſum attingat mare, ſed prope milliare à ſtagno Friſchenhaffio, ubi ſe Poœna ex adverſo, ad apicem Vſdomiæ in ſtagnum dictum effundit, ceu etiam Poœna fluv. quam proxime verſus ſeptentrionem à Damyna Hanſeatica decurrens eam attingendo præterlabitur. Locus eſt utrique civitati perquam amœnus & abundans omni genere frugum, à quo omnes pagi iuxta planitiem Brandeburgici Wetderi dependent, qui vitæ neceſſaria inde ſibi conducunt, ut hæc potiſſima ratio ſubſit, quur ita commercii communis rationem in fœdere Hanſeatico ſtricte teneant. Vere triangulatem ſitum reſpectu Grypſwaldiæ & Damynæ poſitum repræſentat, quum tertium ſic angulum in ea æqualitate ſua conſtituat utraque hæc civitas, dum ita Poœna fluvius ambas quaſi in linea quamvis non æquali ſecundum curſum connectit.

Stargardium ſexta eſt Pomeraniæ in fœdere Han-

seatico urbs, & principalis huius Ducatus, quæ non ultra tribus à Stetino ab altera Oderæ parte versus ortum miliaribus distat; apud eam Ina (quæ se ita antea diviserat) duplici fluvio iterum consolidatur, & præterlabendo eandem hinc per amœnitatem sylvarum adiacentium longo & obliquo tractu non procul à Golnovia in mare sive stagnum Daminense excurrit. Antiqua etiam urbs est, ceu ipsum indicat nomen, quæ nec minus eximia meruit à Ducibus suis privilegia, quum tantas præstiterit iis fidelitates adversus hostes illorum. Nihilominus anno 1283. quum Marchio Cunradus Brandeb. Bogislaum IV. Ducem Pomeraniæ bello iniquè infestaret, urbs ea ita ex improviso obruta fuit, ut eam cum Bernsteynio simul occuparit. Verum Dux imperterritus statim in auxilium advocavit Stetinenses, atque sic 28. Octobr. eodem anno, civibus Stargardiæ id promoventibus, recuperavit: unde simul fidem eorum ita Dux approbavit, ut non tantum è vestigio omnia illis confirmarit privilegia, sed etiam ampliarit, & iuramento se adstrinxerit, quod eorum iura in perpetuum salva & integra subsistere deberent; ac res omnis Stetini transacta & consopitum fuit omne odium, quod Princeps erga cives aliquot conceperat. *Frid. in Chron. Stet. lib. 1. pag. 46.* Sic etiam quum Duces Stargardiæ Ulricus & Iohannes Marchionem aliis implicatum bellis ita circa 1401. infestarent, ut sua recuperarent, non iis defuerunt auxilio. Verum quum an. 1454. quo tempore Dux Otto III. minorennis adhuc apud tutorem Marchionem Brand. Fridericum degeret, propter navigationem frumentariam inter Stetinenses & Stargardienses ingens discordia exoriretur, & Stetinenses nimis procaciter palos fluvio Inę infigendo Stargartensibus obstruerent navigationem, factum hoc ad Ducem alterum Wolgasti residentem Ericum II. detulerunt, & obtinuerunt ibi repressalias. Quæ res in tantam erupit acerbitatem, ut anno 1458. ex improviso Stetinenses Stargardiam summo mane obmerent, & totam exspoliarent urbem; ac licet Lubecenses se interponere studerent; tamen utraque pars suam defendit causam, & duravit discordia per aliquot annos. Accidit tamen quod Rex Ericus Daniæ quondam obiret diem suum, & his quoque inter ipsos oriretur Duces, qui bello simul mutuo relictas hæreditates sibi vindicare cupiebant: Tunc Stargardiani urbe sua receperunt Ducem Ericum II. Wolgasti. Stetinenses è contra Uratislai Ducis & Ottonis III. quidem tenuerunt partes: Sed Dux Ericus totam nobilitatem sibi adsociavit, quæ se expressum erga Stetinenses litteris publicis confitebatur hostem. Et quum Stetinenses Stargardensibus pecora an. 1460. adimerēt, inde de novo omniū Stetinensium naves ex Dania cum magna halecum copia redeuntes Wolgasti arrestatę sunt, donec tandem hæc lis transactioni Ducum, quum de hæreditate Erici Regis paciscerentur, inclusa fuit. Anno 1580. 7. Febr. quum civis quidam in Stargardio pulverem sclopetarium in aliud vasculum transfunderet, forte ancillæ scintilla ignis ex manu in illud incidit, unde aliquot ædes vicinæ funditus subversæ sunt, & ultra 24. homines ruina ea interfecti. Annum continet hic versiculus: Pulvis edit Stargardt quoque tormentarius ignis. Quod præludium gravioris fuit incendii. Namque anno 1583. 9. Iun. tempestas subito exorta, fulminis ictu incendit ita urbem, ut 487. ædes quasi in momento consumerentur. *Frid. Chr. Stet. lib. 2.*

Quum fluvius Ina tales naves admittat quæ usque à Stargardia avehant frumenta Lubeccam, multo vicinior est mari septima Hanseatica inter Pomeranicas urbs Golnovia, quæ eodem utitur fluvio & privilegio portus, ut inde commune Fœdus Hanseæ observet, quamvis non ita sit famosa, uti reliquæ, quum in hac Ducatus parte eum non mereatur locum, quem Stargardium obtinuit. In commodissimo tamen illius fluminis navigabilis loco sita est, maxime ubi cursus sinuosus aquarum per sylvam amœnam versus stagnum Damminense, quod Odera permeat, se flectere incipit, ut ipsi in mare tuto omne obvium sit iter.

Ex Golnovia per Greiffenbergum & Treptoam novam, ad Regam fluv. sitas urbes, pervenitur ad Colbergam urbem 8. Hanseaticam, quæ in extremitate fluminis Persantis, ubi in mare Balticum, Belgartio & Corlino urbibus ablutis, excurrit, sita est. Repræsentat ea principalem Cassubiæ civitatē, & territorium quoq; proprium continet, per quod pars Regæ fluv. ultima in mare se exonerans labitur. Unde quoque Colbergenses partem eam fluvii Regę quondam molibus obiectis Treptovienſibus obstruxerant; Verum hi Abbatis Belbugensis auxilio novum portum versus occasum, fossa manuducta, aperuerunt iterum, quem anno 1456. ab Ottone III. & Erico II. Ducibus Pomeraniæ confirmatum, pro suo postea defenderunt contra Gryphenbergenses, quum illi publicum fluminis usum & privilegia sua allegarent. Portu ibi optimo ex Persante fluv. utuntur Colbergenses, quum locus mercaturæ sit convenientissimus, unde etiam urbs ista legum honestarum, iudiciorum & disciplinæ custos fidelis perhibetur. Frequentia quoque civium ea est, ut ædificiis, opibus, commerciis & aliis civitatum ornamentis illis in partibus terræ nemini cedat. Hollandi quoque & Belgæ eo portu in lanæ coemptione & frumentorum frequenter hodie utuntur.

Inde si ad littus maris Baltici ultra Coslinum excurratur ad Ducatum posterioris Pomeraniæ, ubi Cassubia desinit, & Vandaliæ nomen populis relictum est, acceditur ad fluvium Grabovium, qui utramque Pomeraniam quasi dissecat, &, ubi in Wipperam non procul à mari influit, Rugewaldium in finibus maris ibi situm est, omnino à Rugewaldio, prope initium Regę fluv. sito, distinctum. Urbs autem hæc propter commoditatem situs Pomeranicæ illius partis versus Vandaliam metropolis una habetur, quum inde omnis generis commercia ad victum & amictum facientia petantur. Sclagam quidem habet vicinam urbem; sed commoditate loci longe eam exuperat. Est quoque terra ea aquis irrigua, dives agris, pascuis & sylvis, ut inde pecore, piscibus, necessario frumento, butyro & melle & similibus rebus ad aliquot milliaria, ubi non montosa est, satis abundet.

Sic etiam Stolpa Eoæ Pomeraniæ altera metropolis, ad fluvium eiusdem nominis sita, bonorum ingeniorum ferax; honesta gubernatione, civium frequentia & commerciis scholaque bene constituta per aliquot hæc tempora iuxta loci qualitatem sane admodum floruit. Etiam ab antiquis temporibus

eorum

torum virtus præcellens habita fuit & pietas, quod egregio incolæ olim demonstrarunt exemplo. Etenim huius civitatis in Principes suos ea observantia & fides fuit, ut à Magistro & fratribus ordinis Teutonici in Borussia, quibus, pro ingenti summa auri, ditio Stolpensis oppignorata erat, proprio ære & facultatibus se redemerit, & Principibus Pomeraniæ Bogislao, Barnimo, & Wratislao fratribus, Wratislai filiis, circa annũ 1340. se rursum adiunxerit. Quippe æquius putabat sub nativi Domini tutela in libertate pactorum & privilegiorum vivere, quam alterius dominium insolentius in servitio impatienter ferre, quum nec sic fœdus Hanseaticum rite colere potuisset, quod tam inique ab ordinis Teutonici collegio alias tractabatur sæpius, uti id alibi refertur.

Prinsquam ulterius ad Borussiæ Emporium metropolitanum Gedanum progrediamur, paucis heic nobis subnectendæ veniunt urbes his locis vicinæ, quæ ad Hansam quoque spectant, ceu sunt Francofurtum ad Viadrum, Berolinum, Brandeburgum, & Uratislavia.

Francofurti autem origo Sunnoni 2. Clodomiri filio & Rechimeri Regis Francorum, qui colonias 18000. hominum ex suo regno consensu aut potius ex consilio Witekindi Reg. Saxon. & Hermanfridi Reg. Thuringiæ, usque in Marchiam, ex quo Vandalos & Gothos tunc An. Chr. 103. propulerant, deduxerat, & iis filium Sunnonem 1. præfecerat, pronepoti adscribitur. Is enim in memoriam eius rei, quod ibi Franci sui hostes Vandalos persequendo & necando traiecissent Viadrum, urbem hanc erigere & provincias suas hac exornare voluit, quam ita pro æterno gestarum rerum testimonio exstruxit, & sic Traiectum Francorũ appellavit, an. Chr. 146. ut inde ad Annũ 1630. eius antiquitas in Annos 1485. excurrat. Sita est ad Viadrum, 2. mill. distans ab arce Kustrin, ut finem Mediæ Marchiæ addat, ceu eius regionis 8. sunt provinciæ. Verum ea varias pertulit vices, quum finibus hostium opposita fuerit. Unde An. 1253. Iohannes I. Marchio Brandeb. ex ruderib. suis per Gedanum de Hertzberge restaurari voluit, cui etiam Otto Iohãnis frater calculum adiecit. Maxime enim illis arriserat urbis positus, quod cõmerciis esset aptissimus, quum eo tempore ita floterent Hansæ. Ideoque amplificationi eius Marchiones ultra 120. mansa agrorum ipsi adiecerunt, ut perfectũ esset opus, & merces, quæ vel adverso vel secundo flumine vel etiam curribus veherentur, eo loco tuto deponi & navigiis concredi possent. An. 1318. Marchio Waldemarus paulo antequam bellum contra Ericum Reg. Dan. susciperet, hanc urbem fortalitio & iurisdictione pleniori aliisque privilegiis ornavit. An. 1325. quum Poloni, Lituani & Borussi magnas irruptione sua strages ederent, cives Francofurtenses in pago Zetschenovio eos oppressserunt; sed quũ nimium fervidi essent, & Episcopum nimis inquietum Goritzensem, cui causa tantæ calamitatis imputatur, simul secum captivum abducerent, liberatus ex carcere hic excommunicationem à Pontif. Iohan. 21. obtinuit. Et quamvis in ea exclusione per 18. annos vixerint; tamen nihilominus Ludovicus Romanus Elect. & Marchio urbem An. 1351. maioribus libertatis iuribus & privilegiis vectigalium & pensionum ornavit, eidemque confirmavit eiusmodi; donec tandem An. 1353. à Papa Innocentio VI. restitutio fuit impetrata sub ea conditione, ut Ecclesiæ Lebusianæ pro direptione & damno 12000. Marcas Brandeb. binis vicibus solverét, ceu eius transactionis fuerunt mediatores Dux Henricus Glogoviensis & Com. Günther. Schwartzburgicus. Anno 1379. Marchio Sigismundus civibus Francof. plenam libertatem commercia exercendi cõcessit, quum fœderi Hansæ se addixissent. An. 1381. ingens pertulit incendium, ut aliquot 100. ædes sint igne absumptę. Post vero Anno 1432. Hussitæ Bohemorum adeo sæviebant, ut etiam usque ad hanc urbem excurrerent, divastationibus variis perpetratis. Marchio enim Fridericus adversarius eorum erat; inde non solum suburbium Gubischium ibi concremabant; sed etiam obsidione eam urbem gravi premebant. Verum à civibus Francof. retundebantur fortiter. An. 1504. Episcopus Lebusianus apud Elect. Ioachim. I. March. tantum contra Francofurtenses obtinuit, ut illis iurisdictionem superiorem eriperet, quod eius intercessionem pro prædone nobili non curarent, sed eum festo Pentecostes decollarent, cui pœnæ etiam suum adiecit Bannum. Sed à Ioachimo II. Marchione cuncta redemerunt. Interim Ioachimus I. & frater eius Albert. Archiepisc. Mogunt. & Magdeb. postea factus, ibi An. 1506. 27. April. Academiam introduxerunt, quo vocabantur Professores ex Acad. Lipsensi. Annus his versibus exprimitur:

ErIgItVr LVDVs penes aLta fLVenta VIaDrI,
CresCat VteVeCtIs artIbVs aqVVs honor.

De urbe Brandeburgensi supra cap. 1. actum est, quæ hac vice sufficiant pro temporis ratione; saltem hoc de novo Brandeburgo addendum puto, quod ea Marcomiri IV. filium Brandonem auctorem agnoscat, quum ab illo post nat. Chr. an. 230. condita dicatur. *Ang. Chro. March. p.* 16. Itaq; interstitium à primo cõdita veteri urbe Brennonis ante Christ. n. An. 416. usq; ad originem novæ urbis est An. 646. Postea varias sensit occupationes & direptiones, ceu An. 340. à Vandalis capta est, & in eorum potestate mãsit, usq; ad Caroli Magni tempora circa an. 789. qui Harlungos eo traduxit, donec Anno 890. Billungus rex Vandalorum denuo eam subegit, & Schortizium dixit. Hanc Imp. Henricus Auceps An. 927. iterum recuperavit, imperioque incorporavit anno sequenti, & investivit hoc Marchionatu Comitem Sigfridum Ringelheimensem. Exinde Metropolis nomine mansit totius Marchionatus & omnibus successoribus. Sed quoties expiravit linea familiæ, statim ad alios translatus est Marchionatus; ceu Otto I. Geroni Comiti Albenburg. & Merspurg. Anno 239. hunc contulit. Post obitum huius idem Imper. donavit eo Comitem Brumiconum Wettinensem. Sic transiit quoque ad Cunradum Comitem Stadẽsem hic Marchionatus circa an. 1021. Inde Albertus Comes Soltquellensis Brandeburgum cum Marchionatu obtinuit An. 1042. Postea Albertus Ursus Com. Anhal. anno 1154. ab Imper. Frid. locum hunc accepit. Hinc An. 1321. Imp. Ludovicus Bavatus filio Ludovico donavit. Sic & Imp. Carolus IV. sibi ære recuperavit Marchionatũ, & VVenzeslao filio hũc

ceſſit An.1374. Tandem An.1412. Imper. Sigiſmundus, ſoluto ære alieno huius Marchionatus VVilhelmo Marchioni Miſniæ, præfecit eidem Fridericum V. Burggravium Noricum. Ac quum ille Anno 1415. pro Marchionatu 400000. flor. ſolviſſet, Cæſar inveſtitura publica Coſnitzii in eum contulit ius Domin. ut ita plus quam decies à tempore Billungi uſque ad hanc familiam Zolleriorum Comitum Noricorum Marchionatus Brandeburg. mutationem ſenſerit.

Quum circa an. 1390. inter Francofurtum, Brandeb. & Berlinum fœdus Hanſeaticum floreret maxime, & hæ civitates illud favorabiliter colerent, & tamen civitates Marchiæ perpetuis expoſitæ eſſent prædis, alias quoque in ſingulare ad ſeſe pertraxerunt fœdus, atque Ann. 1399. defenſivum commerciorum Brandeburgi conſociarunt, ceu fuerunt, Brandeburgum, utrumque Berlinum, Colonia, Francofurtum, Croſſonia, Münchbergum, Landsbergum, Miltwaldia, Neoſtadium, Eberswaldiũ, Bernovia, Spandovia, Nawium, Brizena, & Belizium. Fœderis huius contenta refert *Angel. in Chr. March. lib. 2 pag. 174.* Brandeburgum alias in diuturna diſcordia & belli motu vixit cum Magdeburgenſibus ab anno 1191. uſque 1403. & ulterius, donec mutua eſſet defatigatio, & bellum cum Pomeranis Anno 1412. interveniret, atque pax recuperata fuit inter vicinos, uti par eſt, & ipſa hoc exigit naturæ ratio. Eſt vero hodie totius regionis principale tribunal, & multa habuit privilegia ab Imperatoribus & regibus, ceu adhuc Statua Rolandina indicat, quę ſtricto gladio ibi vilitur, ut nuſpiam alio in loco. Nunc parent ita ut reliquæ civitates, &c.

Berlinum ad Suevum fluv. quem vulgo Spream dicunt, urbs in media Marchia ſita eſt, cui adiacet Colonia, quæ fluvio ſaltem ab ea ſeparata viget, ita tamen, ut ſponte ambæ cohæreant. Nomen ab Alberto Urſo Ottonis 9. Comitis Anhaldini filio impoſitum dicunt tunc illi, quum anno Chr. 931. oppidum hoc antiquum ampliori donaret ſpacio, & muris includeret; Velut etiam eodem tempore alias condidit urbes & arces, ſuo nomine eas inſigniens; ut Bernoviam, Beerwaldium, Bernſteynium, Beroliniam, Bernevigam, &c. Urſus enim in Germanica lingua Beer ſignificat, ceu ipſi nomen Urſi ab inſigni additum eſt, quo adhuc ita Principes Anhaltini utuntur, & id ſedulo conſervant. Spandovium binis milliaribus verſus occidentem inde diſtat, ubi Spreę Havela nomen abſorbet. Quamvis ob commoditatem ſitus & civium induſtriam & laborẽ brevi accreverit ſatis; tamen Anno 1380. incendium ingens urbs ea paſſa eſt, ut prope omnes ibi combuſtæ fuerint ædes, ut verſus hi tempus & diem deſignant:

TIbVrtI feſto BerLIn perIt Igne MoLesto,
Et ſIC In CIneres ſoLVItVr VrbIs honos.

At Sigiſmundus Elect. frater uterinus Wenceslai Imper. qui eum hoc Marchionatu donarat, plurima ipſis Berlinenſibus præſtitit ſubſidia, & auxit privilegia eorum, ut ſe eo citius recolligere valerent. Sed Anno 1440. cives ferociores ex ſucceſſu commerciorum facti, in ſuum ſunt admodum tumultuati ſenatum, magno urbis incommodo, ut refert *Crantz. in Vand. lib. 12. c. 10.* Dum enim illi (ait) mutuis & inteſtinis armis fovent diſſidium, Fridericus Marchio interveniens utriſque, impoſuit urbi atcẽ, frænum antiquæ libertatis. Senere tum in commune omnes, quantum ſit malum inteſtino bello laborare. Fit enim, ut (quod Veneti ſcribunt in titulo Sancti Marci in locis ſubiectis) grave ſit non ſapientibus, non habere rectorem. Quem interea Berlinenſes ſuſcepere, dum libertati ſuæ nullum modum poſuere: exemplo futuri comparibus urbicis, ne per I centuam inſoleſcant. Nihil enim magis expedit communitatibus urbium, quam æqualiter vivere, agnoſcere quemque ſui ordinis gradum. Ea dum in oblivionem tranſeunt, ut vel gubernatores permiſſa abutantur poteſtate, vel minores laſciviant nimia libertate, venit rerum arbiter aliunde. Ad hoc enim eſt poteſtas omnis à Deo conſtituta, portans gladium ad pœnam malorum, &c. Ita quoque factum eſt, quod poſthac ſedem ſuam aulæ prorſus eo tranſtulerint Marchiones, ut nunc aula ſplendidiſſima exinde ibi colatur, nec ampliuseius ſint cives libertatis, quam ante ſibi adſcripſerant.

Reſtat nunc, ut pauca etiam de Uratislavia, antiquo Hanſæ membro, ſubnectamus. Eſt illa Sileſiæ Metropolis ad confluentes Oderę & Olanæ amniũ, à Wratislao Bohemiæ Rege condita, cuius etiam nominis primam litteram in ſuis inſignibus honoris cauſſa geſtat. Volunt tamen nonnulli, quod Ptolomæo ſit Budorgis: Dugloſſ. ſcribit eam à Mieslao Duce Poloniæ paulo ante annum Chriſti milleſimũ exſtructam eſſe. Alii opinantur ex ruinis Budorgios reſuſcitatam eſſe Uratislaviam, quod ſæpius factum, ſuperius toties declaratum eſt, & veriſimilius apparet. Etenim in Auſtrali ripa Oderæ adhuc tres vel 4. domus turritæ extant, ex quarum veſtigiis eximiæ vetuſtatis ſitum colligere facile eſt; quod ibi Duces Quadorum habitarint, quum ex veterum ſcriptis conſtet, Quados cum incoluiſſe locum, qui ita à Saxonibus Quadi dicti ſunt, quod toties eorum malitiam in crebris infeſtationibus experti fuiſſent, quum ſic quoque Sileſii Polonica vel Sclavonica lingua dicantur, dũ Sileſiũ eſt, quod Germanis Quaed aut Böſe: velut gens ea ex variis ad malitiam confluxit locis, plura deſtruens quam extruens. Crevit autem urbs tractu temporis per res adverſas, non tantum ſtructuræ dignitate, quum ex commerciorum honeſtiori ſtudio mitiores redderentur; ſed etiam legibus. Inde Poloniæ rex Caſimirus, poſtquam ab exilio ex monaſterio Italię reductus eſſet in regnum, Anno 1056. paulo ante obitum Epiſcopatu urbem hanc adornavit, quibus incrementis aucta ita eſt, ut eius civitatis Antiſtites aurei Epiſcopi, ob divitias & rerum abundantiam, dicerentur: addita quoque eſt urbi præſidii & tutelæ cauſſa arx, cuius hodie ſuperſunt veſtigia in loco, quem Burg vocant. A Polonis ad Boleslaum procerum devenit urbis juriſdictio, qui primus Uratislavienſium & Lignicenſium Princeps factus eſt à Friderico Imper. an. MCLXIII. Boleslao ſucceſſit Henricus Barbatus; huic Filius Heinricus Pius, ſub quo Tartarorum incurſione adacti cives, deſerta urbe, quod lignea eſſet, parumq; munita, ſeſe in Inſulam, ubi principum arx erat, recepere, incenſa urbe. Sub Heinrico III. Anno 1260. Uratislavia novis ædificiis ornari cæpit: murus quoque eius interior, qui adhuc multis locis exſtat, jactus eſt. Tamque grata fuit Principi in ea amplificanda civium

civium magnanimitas, ut is multis immunitatibus, & privilegiis crescentem civitatem ornarit, testatusque sit, se post Deum optimum maximum fidelibus & charissimis civibus suis Uratislavien sibus Ducatū illum debere, quorum virtute factum esset, ne iterū in Polonorum potestatē veniret. Sub Henrico IV. qui probus dictus fuit, commissa est tota civilis gubernatio civibus, quos Princeps videbat libertatis suæ impense esse studiosos: nec potuit incendium duplex, quorum prius Anno 1172. posterius quadriennio post accidit, ardorem istum civium restinguere, præsertim cum ipse etiam princeps animos ipsis adderet, vetaretque, ne quis nisi ex lapide cocto vel vivo quid ædificaret. Anno 1280. exstructum est Collegium S. Crucis. Henrico Probo successit Hēricus IV. Dux Lignicensis: Huic Henricus V. qui Uratislaviam constituit Metropolin omnium suarum urbium. Sub hoc recepit se civitas in clientelam Bohemiæ Regis Iohannis: itaque eo defuncto Rex Patronus eius factus multas immunitates civibus concessit, eosque novo jam incendio ad extrema redactos animavit, consilioque adiuvit, cunctaque in eam formam redegit, quæ nunc cernitur, quaque supra omnes fere Germaniæ urbes caput extollit. Carolus IV. Cæsar partem eam urbi adiecit, quæ in ulteriori eius ripa cernitur trans flumen Olam; in eaque templum B. Dorotheæ exstrui curavit, ac tandem Anno 1348. ipse Uratislaviam venit, eiusque urbis Senatui præfecturam totius agri vicini concessit. Wenceslaus eius filius tanta in cives quoidam liberalitate & indulgentia usus esse dicitur, ut etiam tumultui qui Anno 1418. accidit, occasionem dederit. At frater eius Sigismundus biennio post urbem ingressus, supplicium cepit de 22. seditionis autoribus, & adhibito temperamento salutari cavit ne vel Aristocratia in Oligarchiam inposterum prolaberetur, vel plebs de optimatū potētia queri posset, adhibitis etiam in senatum de plebe quibusdam viris prudentioribus. *Bert. d. l.* Anno 1511. mense Ianuario Uladislaus rex Bohem. cum filio quinquenni Ludovico ab Uratislavien sibus exegit iuramentum, secumque ducebat Hungariæ Senatores, qui suo regno id adquirere hoc actu studebant, unde saltem promissum dederunt regi soli, salvis privilegiis. Tunc rex Emporii veteris iura, quæ in fœdere Hanseatico pridem exercuerant, iis renovavit, addiditque, ne quis Polonus aut Germanus negotiandi causa Uratislaviam præteriret, sed utraque gens ibi merces suas deponere ac vendere cogeretur. Unde è contra Sigismundus rex Poloniæ Uratislavien sibus commerciorum viam præclusit in suo regno, donec quadriennio post Anno 1515. in congressu regum Polon. Ungariæ, & Romani, abolitis Emporii privilegiis novis, in pristinum statum negotiationes illarum gentium Viennæ restituerentur. *Angel. in Chron. Brand. lib. 3. pag. 279. & Chytr. lib. 6.*

NOTA. In enumeratione civitatum Hanseaticarum Pomeraniæ Chytræus & omnes, qui eum secuti sunt, videlicet, Thuanus, Meteranus, Wechnerus, Bertius, & alii, erraruut admodum graviter, quod Demynam urbium primæ confœderationis Hanseaticæ non ultimam protsus omiserint, quum tamen ipsa non in minori precio, quam reliquæ, sit habenda; ceu etiam in Regum Notvegiæ Magni 6. & Haquini 7. privilegio ipsi locus præcipuus ante alias applicatur. Etenim cives & magistratum habuit tales, qui semper bono publico commerciorumque promotioni addicti fuerint, & fidi Dominis territorii, ut supra id occasione civitatis Anclamæ explicatum est.

Hic quoque id notari debet de antiqua dispositione Pomeraniæ & Megapolios, quod olim tota hæc Sclavonia ad mare Balticum hucusque deducta cum parte Marchiæ in 18. pagos distributa fuerit, ut refert *Adamus Bremensis pag.* 5. quæ ex eo repetit *Helmold. lib. 1. cap.* 14. quos ita recenset *Meib. in pag. suis*: Pagus Brizanorum, Circipanorum, Doxanorum, Herulorum sive Helvedorum, Kizinorum, Leubusiorum, Linonum vel Lingonum, Obotritorum, Polaborum, Pomeranorum, Redariorum sive Riaduriorum, (qui alio nomine etiam Tolenzi dicuntur) Rugianorum sive Ranorum, Stoderanorum, Tollenzorum, Wagirorum, Warnavorum, Wilinorum & Wilzorum. De quibus consulatur *Adamus Bremens. pag.* 47. *Helmold. lib. 1. cap.* 2. & *Rein. Reneccius* in appendice ad *Helmold.* & *Petrus Albin. Chron. Misnens. pag.* 371. Nunc vero in tot Ducatus & Comitatus diremptī sunt, uti ideam ex superioribus allatis facile colligere possit attentus lector.

Nec prætereri heic debet id, quod de nomine Silesiæ controvertitur inter Historicos. Olim pagus quoque Silensis dictus fuit, uti id *ex Ditmarf. lib. 7. patet.* Nomen ab Elysiis derivat Curæus in annalibus Silesiæ. Alii à novis colonis Sclavis, prolatione nonnihil mutata. *Vide Peuc. libr.* 4. *Chron. Phil. Cromerum libr. 6. Histor. Sarmat.* è vocabulo Polonico Slesack convenas interpretatur. *Celtes lib. 2. amor. eleg.* 5. à Slesio flum. quod in Oderam currit, deducit. Alii veram nominis originem à monte excelso & grandi iuxta Dithmar. cui nomen Silensi, derivant. Vulgo mons iste dicitur Sabothus, de quo vide Poema Francisci Fabri, cui titulus Sabothus, & descriptionem montium Germaniæ Davidis Milesii, Nissenī Silesii.

Silesiæ universæ, & eius Ducatuum descriptio brevis.

NOn absre fuerit, totius Silesiæ descriptionem paucis heic attingere, velut olim eam Atlanti Maiori applicuimus. Regioni autem huic non idē semper nomen fuit; sed prout irruptiones gentiū incolas cuiusq; loci miris obtenebrationibus obruerunt, & prævaluerunt dominationes tyrannicæ; ita quoq; pro temporū ratione nomina vel fuerunt suppressa, aut mutata, & corrupta. Veluti in primis Germania nostra ex aliquot, & pluribus seculis commune quasi fuit receptaculū tot passionum, & divastationū, ex Gentium variarum invasione. Fecit id cōmoditas, opportunitasq; loci, omni genere prosperitatis abundans, quem unaquæq; gens præpotentior occupare insolentius gaudebat. Inde variis quoque tempestatib. obnoxia fuit hæc provincia, quam nūc Silesiam dicimus, & olim Quadi ac Ilingi cum vicinis versus Occidentem Marcomannis, versus Boreā

& Eurum Lyſijs, ſive iuxta Ptolom. & Strab. Luyis, Arijs, Helveconibus, Manimis, Elyſijs, & Naharvalis, verſus Auſtrum Pannonibus occupatam tenuerunt. Quos populos aliquoties Gothi, Vandali, Finni, Venedi, &c. obruerunt, ut vix reliquiæ eorũ fuerint relictæ; in primis poſt Attilæ tyranni tępora periculoſiſſima, quum regio hæc ferme exhauſta videretur, Sarmatæ ſive Henetorum poſteri, eam in ſuã maxima ex parte redegerunt poſſeſſionem. Unde eadem ferme per 800. annos regno Poloniæ Lechico adhæſit, ut refert Ioach. Curæus in Annal. pag. 2.

Nomen autem hoc unde ipſi conſtet, non convenit inter omnes. Polonici ſcriptores vocem hanc Sileſiorum à Slezacis, id eſt, ex varia congerie multitudinum, dictum volunt, quũ ex diverſis nationibus, Suevorum, Saxonum, Bohemorum, & Moravorum, una cum incolis coalita gens ſit; cui tamen ſententię ſe Curæus opponit, & potius ab Elyſiis nomen vult iſtud derivatum. Alij à novis Colonis Slavis, prolatione nonnihil mutata, id deducunt: Celtes Lib. 2. amor. eleg. 5 à Sleſo fluv. quem in Oderam, ſive Viadrum ſe exonerare, affirmat. Alij veriorem eius originem dicunt, ſi à monte excelſo, & grandi (ut loquitur Dithmarus) cui nomen Silenſi, ſumatur. Eruditi, & Franc. Fab. Sabothum, Vulgus hodie den Zotten-Berg appellant. *Dith. Merſp. Lib. 7. ac Dav. Mileſ. Niſſ. Sileſ. de mont. Germ. vetus & Dithm. d. l.* Pagum Silenſem florentiſſimam hanc regionem dicit; ut inde pateat, quo tempore nomen iſtud acceperit, quum in Germanorum poteſtatem perveniſſet. Ex quibus conſtat, quod vetuſtiſſimi Sileſiæ populi Quadi, & poſtea Lyſij præcipueq; Elyſij, Naharvali, & Manimi, nec minus Ilingij, aut Luſati extiterint; quamvis hodie Luſatia, & Sileſia diſtinctæ inter ſe habeantur regiones.

Quod ſi vero utriuſq; conditio iuxta ſitus diſpoſitionem conſideretur, ferme in quadratam ſe extendit formam, ut longitudo eius ultra 40. mill. Germ. excurrat; at latitudo vix 20. interdum milliar. contineat. Initiũ longitudinis à 36. gradu uſque ad 42. excurrit; in latitudine elevatio Poli concernit 52. gradum, ultra 51. & dimidium eius. Verſus Orientẽ terminus lateris attingit fontem Viſtulæ, non procul à Teſchina Urbe, atq; Poloniam adſpicit in lateris exporrectione. Verſus occaſum fluvius Neuſa ferme Luſatiæ, & Sileſiæ terminum indicat, ubi in Viadrũ ſe effundit; inde tamen fines Spreva apud Fürſtenwaldium interſecat, & Mittelmarchię latus claudit, iuxta Albim ſe retro convertens ad fontes Spreva. Ubi montes, Ptolomæo Suderes dicti, Bohemiam à Sileſia, uſque ad Iabalunkam in finibus Moravię diſcriminant ultra 40. milliar.

Quum Boleslaus III. nomine Diſtortus Ethnarcha Poloniæ circa annum æręChriſt. 1139. diem obiret ſuum, & regnum ſuum inter 4. filios diſtribuiſſet, nõ exigua inde diſtractio exorta eſt. Etenim Uladislaus II. ſupremus Poloniæ, & primus Sileſiæ Dux, qui parenti ex primo coniugio natus erat, contraxerat nuptias cum Imperatoris Henrici V. filia Chriſtina; ex cuius perſuaſu reliquos fratres quidem ditionibus ſuis expellere conabatur. Sed res ita infeliciter ſucceſſit, ut ipſe exilio ſuo id experiri cogeretur 7. anno regiminis apud Poſnaniam, quod intentarat ex ſanguine proximo natis; unde ad Imper. Conradum 3. Amitæ filium profugit.

Hinc ita factum, ut Sileſia ferme ab initio talis regiminis malo cũ omine per aliquot ſecula regni Polonici, & Bohemici diſtractionibus variis expoſita fuerit; cui etiam hoc acceſſit infortunium, quod pedetentim in minutiores Ducatus tota ſit diviſa, penituſque priſcũ amiſerit reſpectum, præſertim quum etiam Boleslaus IV. à Friderico Barbaroſſa Cæſ. An. 1158. cogeretur, ut non tantum fratrem expulſum cũ 3. filiis reciperet; ſed etiam damni cauſſa ſe iudicio, & iuribus Magdeb. ſubmitteret, unde ius Saxonicum adhuc in Polonia viget. Tres iſti fratres, Boleslaus Procerus, Miceslaus, & Conradus ab obitu parentis An. 1163. univerſam Sileſiam primitus in 3. diviſerunt partes: Media Uratislavienſis Boleslao deputabatur: Ducatus autem verſus Moraviam, & Cracoviam in ſuperiori Sileſia, videlicet Ratibora, Oppela, Teſchena, &c. Miceslao attribuebantur: & demum inferior pars Regionis huius verſus Marcam, & Poloniam magnam, nempe Lignizia, Glogovia, Sagana, Croſſonia, &c. Conrado ceſſit, qui etiam Glogoviam, à parentis fratre ipſo divaſtatam, reſtauravit, & aulæ ſuæ ibi ſedem fixit; ceu Ratiborę Miceslaus. Luſatiæ autem utriuſque, & ſuperioris, & inferioris cauſſa variæ fuerunt inter Marchiones Miſniæ, & Bohemos concertationes; donec tandem Victoria plena ſibi acquirerent eam totam Bohemi. Per Henricum I. quem & Barbarum dicunt, eiuſque coniugem Dn. Heidwigen, Ducis Iſtriæ, & Meraniæ, ſive Voitlandiæ Bertholdi filiam. nec non eius filium Henricum Pium, Civitates Sileſiæ eximium, tam in Politia, quam ædificiorum elegantia, exantlata barbariſſima Tatarorum circa An. 1241. expugnatione, augmentum acceperunt, quod Henrici II. filii, nempe Henricus III. Uratislavienſis, Boleslaus Lignicenſis, & Conradus Glogovienſis, Sagan. & Croſſen. Duces continuarunt: Attamen quum inter ſe Duces iſti mire diſſiderent ſemper, ut etiam Henricus IV. Uratislavienſis, quem Probum vocitare ſolebant, ſub ſpecie Convivij An. 1281. Henricum Lignizenſem, & eiuſdem nominis Ducem Glogovienſem, Poſenenſemq; Primislaum (qui poſtea in Regem Poloniæ Anno 1295. electus fuit) captivos detineret, quos non ſine ditionis, & potentiæ ſuæ auctione dimiſit; Licet Leſcus niger Dux Cracovienſis ſe armis interponeret. Henrici V. frater Boleslaus factus eſt Dux Schweinizenſis circa Annũ 1290. & quum tres haberet filios, Bernhardum ſuæ ſedis hæredem conſtituit, duobus reliquis alios Ducatus attribuit, nempe Henrico Iawerenſem, Boleslao Münſterbergenſem. Sic & Henrici Fidi Saganenſis filii diviſionem ulteriorem perfecerunt, ut Oltz, Stenovia, & Gurovia Ducatus peculiares fint redditi.

Accreſcebat itaque non tantum numerus Principum in Sileſia; ſed etiam diſſenſiones, quibus partim inter ſeſe, ac maxime à Polonis diſſidebant. Etenim Poloni Duces Sileſiæ ex eo ſuſpectos habebãt, quod in partes Germanorum inclinarent, & inde cõiugia ſtabilirent ſibi, reciperentq; inde undiq; Saxones; unde cohæredes eos nõ amplius in Regni ſui gubernationẽ eligendo admittebãt. Quod adeo Duces hoc offendit, ut à Polonorũ regimine abhorrere incipe-

incipetent, præſertim quũ iiſdem plurimæ ditiones in Polonia ex ſuggeſtione Epiſcoporum ſurriperentur. Quod quum ſenſiſſet Henrici VII. Imper. Filius Iohannes Rex Bohemiæ, qui etiã Regem Poloniæ ſe vocabat, ſub eo titulo mire ineſcavit Principes eos. Forte Boleslaus Dux Münſterbergenſis circa An. 1325. debitis graviter premebatur, hinc ab eo Rex Comitatum Glocenſem emebat parata pecunia.

Nec minus Boleslaus Dux ab Henrico VI. fratre abſque ſpe prolis vivente permutationem ſedis ſuæ Uratislavienſis poſtulabat, illum acriter ſimul perſequendo. Quod adeo commovebat fratrẽ, ut protectorem potentiorem ſibi quæreret, & Regi Bohemiæ varias ob cauſſas ſe devoveret, quem quoq; pacto ſingulari ſibi hæredem conſtituebat An. 1327. pro cuius recompenſatione Rex Comitatum Glocenſem ipſi ad vitæ ſpacium adſignabat. Inde Urbs Uratislavienſis in manus Regum Bohemiæ pervenit, reliquis Civitatibus non fruſtra congratulantibus. An. 1331. Regi itidem Uladislaus Maſavienſis Dux ius ſuum in Ducatum Lignicẽſem cedebat, unde & Boleslaus Regi ſe ſubmittebat. Eodem modo Iohannes Dux ſuam partem, quam in Glogovienſi tenebat Civitate, vendebat Regi, qui propterea totam occupabat Urbem, quum ipſi Henricus Princeps Saganenſis reſiſteret. Verũ An. 1337. obiit Henricus VI. & plenam hæreditatem ita ſibi acquiſivit Rex Iohan. cuius quoque honeſtiſſima erat intentio, ut Uladislao Loctico Regi crudeli Poloniæ eo rectius obviam iret in defenſione huius Regionis, ne amplius ita miſere excurſionibus eius eſſet expoſita; unde & urbes paſſim oppidaq; muniri curabat.

Sic Regno Bohemiæ Sileſia adiecta fuit, ut eius Regi maxima ex parte pareat; ceu primus extitit Iohan. Caroli IV. Patens, & nunc 17. Ferdinandus III. Imperator. Ex variis igitur tot ſucceſſionibus, & diſtractionibus univerſa Sileſia, præter Epiſcopatus, Comitatus, aliaſque Dynaſtias, iam in 16. Ducatus dividitur, quorum unuſquiſq; iuxta metropolin ſuam denominatur: Verſus Orientem (1.) Ducatus Teſchenenſis, fines Hungariæ, & montes, partimque minorem Poloniam in extremitatibus iuxta fontes Viſtulæ, & Sobi flu. attingit, aliosque fontes Elſæ, Oſteræ & Tetshini adſpicit. Hunc proxime contigui (2.) Ratibornenſis, & (3.) Troppavienſis, & (4.) legerndorfenſis ſequuntur, qui ab una parte verſus Auſtrum uſque ad Bohemicos montes ſe extendunt, ubi apud Gibeam oppidum Oderæ, aut Viadri, fons conſpicitur. (5.) Oppelenſis Ducatus ultra Viadrum verſus Boream Poloniæ minori vicinus eſt, & interiacet quaſi inter Brigenſem, Monſterbergenſem, ac Ratibornenſem. Sic & (6.) Brigenſis Ducatus ubi ultra Viadrum excurrit, Poloniæ ſe inſinuat. (7.) Neuſſenſis, & (8.) Uratislavienſis mediterati Sileſiæ accenſentur; tamen Uratislavienſis magis ad Boream excurrit ultra Viadrum, atque ibi (9.) Olſnicenſem limitibus ſuis attingit, qui ad maiorem Poloniam ſe extendit. At tres hi (10.) Munſterbergenſis, (11.) Schweidnicenſis, & (12.) Iauricenſis cis Viadrani ſunt, ac verſus meridiem uſque Bohemico tractui, montibuſque ſe accommodos tradunt finibus ſuis prope Comitatum Golzenſem. (13.) Lignizenſis ad Ratzbachium fluv. cis Viadranum verſus Eurum Schweidnicenſem reſpicit. (14.) Verſus Boream autem contermination attingit Glogovienſem Tranſviadranum, qui inde Poloniam, Brandeburgenſemque à latere habet boreali. (15.) Saganenſis ad occaſum reſpicit Luſatiam, & verſus ſeptentrionem ad (16.) Croſſoniam inclinat, terminaturque, ubi Nieſſa fluv. in Viadrum iuxta Francofurtum ſe inſinuat influendo.

Accenſentur quoque Ducatibus his duo ſequentes, nempe Bernſtadenſis, & ſub Neiſſenſi Urbe Grotha, ſed quum Bernſtadium ſedes viduæ fuerit, & hæc Urbs Neiſſa Epiſcopo Uratislavienſi à Duce Lignicenſi donata ſit, eo nomine non amplius particulariter ita inſigniuntur ex hac diſtractione. Ex Ducatibus autem his novem iure hæreditario poſſidet Imperator, ceu Rex Bohemiæ, nempe Uratislaviam, Schweidnicenſem, Iauricenſem, Monſterbergenſem, Glogavienſem, Saganenſem, ſive ut Poloni loquuntur, Zeiganenſem, Oppelenſem, Ratibornenſem, & Troppavienſem. Inter reliquos Ducatus quoque duo, videl. legerndorfenſis, & Croſſonienſis fuerunt Regij, ſed ex liberalitate Regis Ludovici Hungariæ, & Bohemiæ legerndorfium, cuius ditio antehac Troppavienſi Ducatui incorporata fuit, ad Georgium Marchionem Brãdeburgenſem, quod Regis fidelis tutor fuiſſet, per permutationem tandem An. 1524. pervenit, ſicut & domus Brandeburgica ex oppignoratione per compactionem ſingularem Croſſoniam obtinuit. Quum vero ex antiqua Ducum Polonicorum, partim & regia familia, tria adhuc ſuperſint Stemmata in Sileſia, eorũ Principes primi Ligniciam, & Brigam poſſident. Secundi ab his ſunt Teſchenicenſis familiæ, qui etiam in priſcis temporibus ex parte Glogovienſis Ducatus poſſeſſores fuerunt.

Duces autem Monſterbergẽſes, Olzenſes & Glozenſes ex Georgio Podibradio, Rege Bohemiæ, originem ſuam trahunt, qui ab Imperatore Friderico III. impetravit hoc, ut filios ſuos Ducum dignitate afficeret; unde & Ducatum Olzenſem à Rege Uladislao in permutationem acceperunt. Duces hos ſequuntur præcipuæ Baronũ familiæ, ceu ſunt Kurtzbachij in Trachenberga, & Militſch, &c. Item Dom. Wartenbergici, & Pleſſiacij Dom. ac Bromnitzij, &c. Sicut habet etiam quam plurimas nobilium nobiles familias, qui ſuis ſubſunt Principibus, & tamẽ Regi Bohemiæ abſolute parent. Univerſa igitur Sileſia adhuc ex antiqua diviſione eam obtinet diſpoſitionem, ut in ſuperiorem, & inferiorem dividatur, ita ut Uratislavia medium teneat, quum quaſi in meditullio ſita ſit.

Sic etiam alia ratione tota hæc Regio in duas diſſecari poſſet partes iuxta naturæ ductum, quum Odera, ſive Viadrus principalis fluvius ex origine ſua prima in extremitate Moraviæ verſus Auſtrum ſcaturiens, per obliquum quaſi in ſeptentrionem tendens, in medio ferme undiq; diremptam flumine pedetentim ampliori teneat, dum ex omnibus locis amnes in eum prolabentes augent ripas. Faciunt lætiſſimæ paſſim convalles, & varii ductus piſcoſorum fluminum, ut nuſpiam non ſit ager prope fertilis, & frumentis ſuis abundans, veluti nec deſunt riguis locis paſcua convenientia. Unde & maxime floret Urbibus, oppidiſque multis cum numeroſiſſimis pagis quos 19000. eſſe volunt; veluti Urbes, & oppida 161. numerari hodie poſſunt, iuxta Ducatũ ſuorum poſitum ſatis commode digeſtæ,

ita

ita ut vix duobus, aut tribus milliaribus ab invicem diſtent. Ducatus enim Uratislavienſis continet urbes, Uratislaviam Metropolin ſummam ad confluentes Viadri, & Olanæ ibi ab Uratislao Bohemo amplificatam, cuius etiam nominis primam litteram in ſuis inſignibus, honoris, & memoriæ cauſſa geſtat; cui nomen Budorgeos ex Ptolomæo adſcribunt alii: deinde Neumarkiam, Nambsloviam, & Liſſam.

In Ducatu Schweidnicenſi ſitæ ſunt hæ urbes: Schweinitzium, Strigovia, Reichenbachium, Polkenheina, Landshutum, Freiberga, Zobtenium, Friedberga, Friedlandia, Waltberga, Golſberga, Lubenia, Iohansberga. In Ducatu Iauricenſi, Laurium, Lemberga, Buntzlavia, Schonavia, Greifenberga, Lachenium, Friedberga altera, Lubenthalium, Schmiedberga ultra milliare excurrens, Naumburgum ad Queiſſam fluv. Kupferberga, & Hirſchberga. In Ducatu Glogavienſi, Glogavia, Freiſtadium, Guhravia, Sprottavia, Gruoberga, Schwibiſſina, Polkwiza, Beuthenium, ubi Gymnaſium eximium viget, Schlawavia, Wartenberga, Neuſtadium, Primkavia, Robenium. In Ducatu Saganenſi, Saganium, Prebuſium, Naumburgum alterum, & Freiwaldium.

In Ducatu Troppavienſi, Troppavia, Laslavium, Odera, Kranowizium, Holtſchuna, Wagſtadium, Kunsberga, Wigſtadium, Neukirchena, & Freudenthalium. In Ducatu Oppelenſi, Oppelium, Glogavia minor, Koſelia, Beuthenium alterum, Gleibitzium, Toſtia, Neoſtadium, Groſtrelitzium, Falkenbergia, Zilzium, Roſenberga, Lublinitzium, Schiergaſtium, Krapitzgia, Weiskrotſchamia, Leſnizium, Gorzoba, Dobradinum, Steinovia, Friedlandia altera, Strelizium minus, & Groſmuckium. In Ducatu Ratibornenſi, Ratiborna, Oderberga, Sora, Ribenkium, & Pillawitzium.

In Ducatu Teſchenenſi; Teſchena, Freiſtadium, Bielitzium, Fredeckia, Schozavia, Strumenium, Miſchkavia, & Iabalunka. In Ducatu Neiſſenſi, Neiſſa, Grotha, Otmachavia, Patſchkavia, Iavernicka, Weida, Zigenhalſium, Warſenium. Zuckmantelia. Freiwaldia, Oyzieſtum, & Hoheplozzium. In Ducatu Lignicenſi, Lignizium, Goltberga, ubi inſigne Gymnaſium, Hayna, Lübenium, Prachovitzium, Grerzberga, Nicelſtadium, & Walſtadium. In Ducatu Briegenſi; Briega, Ohlavia, Wolavia. Strelenia, Stenia. Raudenú, Winzika, Hernſtadium, Ritſchena, Pitſchina, Kreutzberga, & Nimbtſchavium. In Ducatu Monſterbergenſi; Frankenſteinium, Munſterberga, Reichſteinium, Warthena, & Silberberga.

In Ducatu Olſenſi; Olſa, Trebenizium, Strupena, & Feſtenberga. In Ducatu Bernſtadenſi; Bernſtadium, & Khienſtadium. In Ducatu Iegerndorfenſi, Iegerndorfium, Lübſchützium, Bentſchena, Beutenium alterum, Tranowitzium, Oderberga, Zauditzium, & Boberavia. In Ducatu Croſſonienſi, Croſſena, Zollichium, Boberſberga, & Sommerfeldia. In Baronatu Pleſſiano, Pleſſenium, Mikolavia, Berobnium, & Miſchlowizium.

In Baronatu Wartenbergenſi; Wartenberga, & Brallinum. In Baronatu Milizenſi; Militſcha, Freyhanium, & Zulaufium. In Baronatu Trachenbergenſi; Trachenberga, & Prauſnizium. His annumerantur præfecturæ Canthena, & Auraſia, &c. Habentur in eadem Regione 7. Cathedrales Eccleſiæ, & Epiſcopatus in Principalibus Urbibus; in quorum numero maxime præeminentiam tenet Epiſcopus Uratislavienſis, quum divitiis, & ditione reliquis præpollet, adeo ut aureum inde eius Epiſcopatum dixerint antiquitus.

Honor autem ex origine potiſſimus debetur Epiſcopo Gotfrido, qui primus Roma in hanc regionem à Pontifice Iohan. 13. Anno 966. miſſus, Schmogræ ſub Duce Miceslao Poloniæ, Scholam Chriſtianam erexit; unde reliquis Monaſteriis fores patefactæ ſunt ſucceſſu temporis. Veluti & 12. Monaſteria numerantur, & 14. Cœnobia virginum. Presbyteria autem habentur 4. Omnia hæc Uratislavienſi loco addicta ſunt. Poſtquam vero Regio univerſa Regi Bohemiæ ſubiecta fuit, novam prorſus in Regimine induit faciem, adeo ut Rex ſummum præfectum toti Sileſiæ ex numero Principum præponat, qui regium Adminiſtratorem agit ibidem: tum quoque unicuique Ducatui ſuum capitaneum addit cum conditionibus adiectis. In Urbe Uratislavienſi quorannis ſupremum exercetur iudicium, ubi etiam ipſe Rex ſuos ſiſtere cogitur reos. Atque ut rectius iura unicuique ſua conſtent; ibidem Camera inſtituta eſt Iuſtitiæ, & Regimini conventiori. Luſatia utraque non quidem accenſetur Sileſiæ, quum ſerius à Polonia fuerit ſeparata, ut volunt; unde & proprium ſuum, ac peculiarem ſortita eſt præfectum ſummum, Regis vices ſubeuntem. Attamen incolæ ingenio, moribus, conſuetudinibus, & lingua Sileſiacis ita ſunt ſimillimi, ut vix natura eoſdem ab his diſcriminatos velit.

Aer quamvis paulo frigidior, tamen mitis, & clemens eſt, ut etiam aliquot in locis vinum alat. Vulgus Ceteviſiam potat, & maxime laudatur Schepa. Thermas habet prope Hirſchbergam ad Zackam fluvium ſub montibus Bohemicis, ubi Sulphur, Sal nitri, & alumen effoditur. Eſt & terra ſigillata Strigonienſis, quæ terræ Lemniæ præfertur: velut & circa Lignitzium alia candida reperitur, quæ à chimicis axungia Lunæ vocatur. Sic & apud Frankenſteinium Thermæ ſunt. Mineris quoque non deſtituitur, præſertim apud Beuthenam ſub monte Carpatho: Veluti ex aurea vena Goltbergæ nomen indium eſt, ubi & fluvius Karzbach volvere arenas aureas olim viſus eſt. Ferrum in magna copia commercium exhibet civibus, ſimulq; nobilibus lucrum porrigens non leve.

Civitates undique populoſæ habentur, quibus nec deſunt artificia varia: In lineamentis, & panno conficiendo admodum ſunt homines induſtrii, & laborioſi, ut etiam ex his, & ſimilibus mercimoniis ſat ampla vis pecuniæ in hanc advehatur terram. Urbes vero maxima ex parte per Ariſtocraticam Reipublicæ formam adminiſtrantur, & gaudent tali privilegio, ut civibus non facilè pateat ſeditio, modo conſcientiis non imperare ſtudeant inſolentius: Sed tunc à ſuperiori cohibentur judicio. Gens tamen eſt paſſim mitis ingenii, & perquam affabilis, nec non hoſpitalitati graviter addicta, ut populis vicinis aliis in iſto humanitatis cultu laudem præripiat. Inprimis non tantum præ aliis nationibus literis eſt dedita humanioribus

nioribus & pietatis studiosa admodum; sed etiam in solida simplicitate eruditis litteratisque valde faver. Si boni & pii eiusmodi sint, in eorum conversatione se maxime oblectare gaudent omnes, ut apud eâ nationem in vivida forma illud sit cernere, quod ait Poeta:

——didicisse fideliter artes
Emollit mores, nec sinit esse feros.

Quasi in studia humaniora omnem vitæ deposuissent innatam genij voluptatem.

CAP. XXIV.

De civitatibus Hanseatici fœderis in Borussia & Livonia sitis, & earum Metropoli ac Emporio universali & subordinato Hansæ.

UT tractum illum universum Baltici littoris compleamus iuxta seriem eam, quam ratio Fœderis Hanseatici sibi hoc exigit, necesse est, ut nunc ad Borussiam & Livoniam accedamus. Sed omnia nequeunt ita commode explicari, uti constitutio plena requirit, quum loci & temporis commoditas id non sinat. Ideoque paucis constringemus necessaria, reliqua alii loco reservantes. Urbes autem in istis regionibus quæ fœderi Hansæ suum nomen dederunt in Borussia sunt undecim; Dantiscum, Elbinga, Koningsberga, Culma, Thorunia & Braunsbergum: in Livonia, Riga, Derbetum, Parnovia, Revalia, Nerva, quæ hoc capite explicandæ sunt nobis, quod brevibus fiet.

Quanta vero virtus & efficacia sit commerciorum, attestari quoque valet Gedanum sive Dantiscum, quæ hodie florentissima urbs est Borussiæ. Borussia autem ab aliis & communiter Prussia dicitur. Posterius vocabulum à Bructeris derivarum putant nonnulli, quum illi ex Westphalia à Charmannis & Angrivariis ejecti secesserint in Sarmatiam ad Balticum mare, domitis ibi & expulsis Vlmigeris, Subariis & Wigewonibus Vandalorum. Alii cum Erasmo Stella faciunt, qui Borussos populos, quorum olim sedes, teste Ptolomæo, fuit ad Riphæos montes, non longe qua Tanais ex eis erumpit, egressos patria & in hæc loca delapsos esse dicit, ut sic inde Brussia appellata sit unius litteræ suppressione. *Chytræus tamen lib. 1. Sax. Chr.* à vicinia Russorum nomen ipsis non incompte deducit. Occidentalem vero suum terminum habet à Vistula, & inde 50. milliaribus German. se exporrigit ad sinum maris usque ad Chronum fluv. quem Memmel hodie dicunt, in finibus Lithuanorum versus ortum: à meridie Masovia & Drevaneia fl. paululum supra Thoruniam in Vistulam illabens, eam claudit; Atque continet aut dividitur tota regio in Ducalem & regiam provinciam: Ducalis pars orientalis, quæ Chrono seu Pregelio fl. adiacet, adsignatur, Schalauniaque & Graudia vocatur. Alias à Veneduso Principe olim in 12. Ducatus divisa fuit, quos ad 6. retrahit Stella. Miram & variam calamitatem ab eo tempore, quo sub Friderico II. Imperat. Teutonici ordinis equites, anno videlicet 1215. subiugarunt eam, Duce Ottone postea Brandeb. Anno 1255. plura pertulit hæc regio; & quum ob eorum crudelem sævitiam & contributiones nimias Anno 1439. primum civitates ac nobiles fœdus defensionis inter se componerent Culmæ, ac postea à Friderico III. Imperat. Anno 1453. Viennæ atroci sententia, omni expectatione graviori propterea condemnarentur, protus ad Casimirum regem Poloniæ Anno 1454. defecerunt; unde 12. annorum bellum variis cladibus dubium exortum est, donec Anno 1466. transactione Thuroniensi totius Borussiæ divisio talis in regiam & Ducalem facta est, ita ut Ducalis, cuius Metropolis est Konigsberga, in perpetua fide ac clientela Poloniæ regum maneret, & iure feudi recognosceretur à Ducibus aut Marchionibus Brandeburg. tanquam Magistri ordinis Successoribus, ubi simul ipsi regioni hisce jura sua integre sunt reservata; unde peculiare consilium publicum, leges, iudicia cum provocatione ad Regem, ærarium & belli gerendi rationem cum 14. consiliariis, qui quotannis bis mense Majo Mariæburgi, & Michaelis Grudenti conveniunt, habet. Regio omnis est fœcundissima, & finitimis longe beatior: ager frumenti feracissimus, ut Polonicam longe bonitate vincat: abundat melle, apibus: sicut & ingens vis est pecorum, & ferarum, ceu sunt ursi, apri, cervi, uri & bubali, equi sylvestres, Alces & ictides, &c. ex quibus plenum commercium incolæ exercuerunt, & maxime tres illæ primariæ quæ civitates sunt in parte regia, nimirum Thorunia, Elbinga, & Dantiscum.

De hac autem, quum Metropolin Hanseaticam constituat, primo loco agere cœpimus, quod nunc pertexendū est. Nomen huius urbis duplici modo exprimitur Gedanum & Dantiscum. Etenim sunt, qui sic à Getis & Danis eam vocatam esse putant. Quod si hoc verum ita est; quis non videt, longe antiquiorem Dantiscanis deberi originem, quam nunc in vulgi est opinione? Etenim Gethæ quales fuerunt gentes? Et quando in iis vixerunt locis? *Lazius in lib. 10. de migrat. gent.* dum Getas cum Gothis coniungit, & tamen alios Getas Sarmatas, alios Getas Germanos facit, primam sedem eorum in Insulis Baltici sive Brussici maris denotat; secundam in Germania ad Vistulam amnem, tertiam in Transylvania & Dacia circa Annum Christi 376. quartam in Thracia, quintam in Pannonia & Mœsia, sextam in Illyria, donec septimo transmigrarint quater in Italiam, ac inde in Galliam & Hispaniam. An non sic refutetur tacite opinio *Cranzii in Vand. lib. 10. cap. 26.* ubi refert, vixisse suo tempore, qui ab avo audierit abiectum Gdani huius statum, unde etiam hanc urbem contemptim hesternam vocat. Oppidum satis antiquum esse nominis ratio arguit, licet Goropium quis sequatur, qui rite existimat, quasi vicus Danorum dici queat, ut sit velut Dans-Wijck, quod contracte Dantzick aut Dantzigk & inde Dantisci pronunciationem Germanis incolis & exteris peperit; quicquid hoc ex eadem analogia vocū sibi fingat Bertius, dum Dan, Codan, Cdan, Gdan, & cum terminatione Sclavonica Gdanske, facit eiusdem derivationis, ut inde postea fluxerit Dantzig & Dantiscum, quum tamen longe alienius hoc postremum à tali pronunciatione depromat. Accidit Dantisco, quod pluribus Germaniæ urbibus evenisse, superius diximus, ceu id quoque mox ex Chytræo patebit. Etenim quomodo non

do non toties hoc eſt factum, ut ex vico aut oppidulo aliquo ingens ſit urbis moles extructa? Quum ſitus loci, & amœnitas fructifera, hominumque induſtria, ſi alicubi concurrant, multa ducere & præſtare queant ingenioſiſſima. Ita quoque evenit, ut Dãtiſco ſive Gdano veteri nova facies Anno 1207. cum munimento aliquo adiecta ſit, & quaſi noviter cõdita, *uti vult And. Angel. in Chron. Brand. l. 2. p. 95.* Superius *cap. 9. pag.* explicatum eſt in migratione gentium, quod Pomeranorum Lemovii & Hermionesſe in eum locum ad Viſtulam, ubi hodie Dantiſcum ſitum eſt, contulerint: Unde ſatis clarum eſt, quod non tantum illa provincia iuriſdictioni Ducum Pomeraniæ per aliquot ſecula ſubiecta fuerit; ſed etiam inprimis Lemovii ſibi ſedem talem conſtituerint, in qua commoditatem & opportunitatem ſortis perpetuæ, ſibi & poſteris conſervare potuerint. Quodque urbs illa Ducibus Pomeraniæ præ aliis maxime arriſerit, atque ſelectam ſibi adeo habuerint, apparet ex eo, quod etiam eam ex aliorum, præſertim Marchionis Brandeburgenſis poteſtate, in quam ex iure hypothecæ inciderat, liberarint, ære alieno perſoluto. Etenim quum Uratislaus 3. Dux Caſſubeorum & Vandalorum in Eoa ſive poſteriori Pomerania, ex fratris Meſtewini carcere, in quo diu ſatis detẽtus erat, ſeſe exſolviſſet, & Marchionis Cunradi ope & auxilio uſus fuiſſet, hoc egregie ipſi tanquam vicino Principi præſtitit, ut ſuas ille recuperaret ditiones. Verum quum idem Marchioni ſumptus refundere nequiret, coactus eſt, ut eidem Civitatem Dantiſcanam hypothecę iure Anno 1271. oppignoraret. Id offenſioni quidem admodum fuit Meſtewino fratri: Sed ne urbs caperet hanc contractus talis occaſionem illis plane abalienaretur, ex inſidiis illum locum iterum occupavit, & pro iure ſuo Marchioni 30. millia marcarũ, quod alii 10. millia Schockiorum dicunt, in vigorem plenariæ redemptionis ſolvit. *Andr. Angel. in Chr. Brand. lib. 2. pag.* 108. Nihilominus Marchiones Brandeb. haud deſierunt eam iterum ambire provinciam & urbem, præſertim quum Crucigerorum Fratrum Duces agerent; unde factum eſt, quod etiam Uladislaus Loćticus rex Poloniæ ibi non tantum ſibi caveret de finibus regni, ſed etiam, quum à Primislao Meſtewini Pomeranici agnato in hæreditatem accepiſſet eum locum, Gedani ab incolis iuſiurandum Anno 1306. acciperet. *Neugeb. in Icon. pag.* 78. Quum vero multæ aliæ difficultates ipſi obiicerentur, acceſſit etiam hoc, quod Anno 1308. Marchio Woldemarus, ex conſenſu Marchionis Iohannis, cuius tunc erat tutor, Magno Magiſtro ordinis Teutonici partem Pomerelliæ occupatam, videlicet Dantiſcum, Diſchaviam & Schwetzam cum pertinentibus iuribus pro 10. mill. marcarum argenteearum precio, iuxta pondus Brandeburg. vendiderit, cum ea conditione, ut urbes eas cum territoriis ſuis, quæ loca tunc Rex Poloniæ milite ſuo impleta adhuc tenebat, in ſuam quibuſcunque modis & viribus ſimul redigerent poteſtatem & dominium. Demum quoque alium in præiudicium Ducum Pomeraniæ inter ſeſe compoſuerunt contractum, ſub cuius prætextu Fratres Crucigeri univerſam Pomerelliam à Marchione Woldemaro ſibi cum omnibus pertinentiis pro 100. millen. Marcis ampliatorum groſſorum (ut vocabantur) coemerunt, & in iuris ſui poteſtatem redegerunt: velut originale illud in Curia Brandeburgenſi ſub dato Anno Domini 1311. in vigilia beati Iacobi Apoſtoli adhuc extat & aſſervatur. Num vero legitimi fuerint tales contractus, quod *Chron. Polon.* plane negat, id inter eos diſputetur, ait *And. Angel. lib. 2. Chron. Brand. pag.* 123. Hoc certe omnino conſtat, ingentes propter Dantiſcanos ſub hoc Uladislao Loćtico Poloniæ rege fuiſſe motus & mutationes, & Poloniæ regem certis pactis Crucigeris fratribus conceſſiſſe arcem Gedanenſem cum oppido. Verum nimis ſero ſentit tandem, quod oves lupis commiſiſſet, ait *Neugeb. dict. lib. Icon. Reg. Pol. pag.* 79. Namque inde profluxit ille contractus emptionis, quem cum Marchion. fecerunt fratres Crucigeri in præiudicium Pomeran. & Regis huius Polon. Quare iſti novi Domini urbem hanc ampliori extẽdere forma ſtatim cœperunt, ut arx verſus meridiẽ ſita maneret, & urbs oſtii marini commoditatem firmiorem propter commercia ſortiretur. Arci huic originem ſuam veram adſcribit *Chytr. in Chron. Sax. lib. 23. pag.* 643. Waldemaro I. Daniæ Regi, quod tunc Sobislao Pomeraniæ Duci Meſtvini proavo bellum inferens, eam circa Annum Chriſt. 1164. cõdiderit ad Viſtulæ oſtium, ut receptum tutum claſſis haberet: Quam, diſcedente rege, Sobislaus occuparit, & oppidum ei adiecerit, unde urbi ita ex hac occaſione hoc nomen Dantiſci ſit à Danis natum, & merito Danorum vicus aut diſceſſus dicatur.

Ubi iterum concidit Bertii coniectura duplex, quod urbs hæc ipſi condita videatur circa ann. Chriſti 1400. aut paulo ante: tum quoque, quod illa ex Thoruniæ olim florentis (ut ſunt humanarum rerũ vices) interitu ſit orta. Etenim Thorunia adhuc ſatis floret, einſque nobile Emporium ſaltem Anno 1215. ad Viſtulam extructum perhibetur. Quomodo igitur genitrix Thorunia eſſe poterit Dantiſci, ſi hæc urbs annis 20. antiquior ſit, iuxta And. Angeli ſententiam? Si rem exacte penſitemus, ſane contrarium plane erit ſtatuendum, quod videlicet Thorunia iure Emporii ſit donata propter Dantiſcum, ut illuc frumentorum copia ex regno undique interiori Poloniæ adveheretur, & inde, cum mercibus aliis, navigiis Dantiſcum tanquam ad commune emporium eius & Pomeſaniæ, Pomerelliæ, Culmigetiæque per Viſtulam tranſportaretur. Acceſſit proinde hoc etiam, quod rex Poloniæ Primislaus, Primislai Ducis Poſnanienſis filius Poſthumus, uti firmioris ſubſidii, quod ad ſtabilimentum regni ſui faceret, perquam erat cupidus, (quoniã Cruciferos fratres, qui iam per 80. annos Boruſſiam vicinam occuparant, de Gedano capiendo conſultare ſubolfecerat) anno 1295. munire ulterius aſſeribus, ceu ratio belli id tum ferebat, urbem cœpetit, ut ita hoſtes ſuos præveniendo anteverteret, quum eam urbem iam antehac ſibi deſtinaſſent Crucigeri fratres ordinis Teutonici. Etenim jam ante non ſine vallo fuit & alio munimento; licet poſtea muro cincta fuerit, ut id colligitur ex inſcriptione in ſummo templo poſita, quę ſic ſe habet: Anno Domini M.CCCXLII. quarta poſt Lætare, poſitus eſt primus lapis muri civitatis DANTSK, & poſtea proxima feria ſexta poſitus eſt primus lapis muri Eccleſiæ Beatæ Virginis Mariæ, &c. Ex quo patet, non [illegible] tunc fuiſſe operi civitatis, quod tam operoſas & ſumptuoſas uno tẽpore perfecerint cives extructiones maximi momẽti & mu-

& munimenti. Velut etiam ipſa teſtatur inſcriptio hæc, quod tunc pridem fuerit civitas. Unde mirum eſt, quod *Petr. Bertius in Comment. rer. Germ. lib. 3.* de hac urbe agens, ita vicum apertum, circa annũ Chr. 1295. dixerit, quum non tantum magna Gedanorum vis & virtus per 80. annos fuerit antehac in defenſione contra Fratres Crucigeros, ſed etiam libertatẽ ſuam commercii ſub tutela tunc Regis Polon. conſervarint, ut Crucigeri ſingulare de iis capiendis conſilium inierint, ceu habet *Hiſtor. Pol. de Primislao, & id teſtatur Sal. Neugeb. in vit. Pr. p. 74.* Ita commoditas loci & commerciorum omnium abundantia prægnãs fecit, quod Dantiſcum à prima ſtatim origine ſatis potenti vigore ſub Ducibus Pomeraniæ floruerit. Namque non tantum ingens frumentorum copia advehebatur, ſed etiam mare ibidem & fluvii paſſim incredibilem piſcium fœturam ſubminiſtrabãt. Sicut & ſingulare Dei beneficium in littoribus Boruſſiæ conſpicitur, quod incolæ ibi ſuccinũ colligant, quod Barnſteyn ab urendo, Græci electrum eſt; & duplex habetur; ſulvi tamen cum translucenti fulgore, quũ quaſi ignem repræſentet, maior eſt gratia, quam in quo decocti mellis lenitas noſcitur: Sic & ſylvæ circumiacent incæduæ, unde vis ingens ad navalem uſum, quæ inde in remotiſſimas oras deferuntur, dependet, ut emporium univerſale illius terræ ſemper fuerit frequentiſſimum. Unde etiam civitatum Hãſeaticarum creberrima illuc fuit navigatio adeo, ut principale ſibi id iis in locis ſeligerent Emporium & portum. Conradus Dux Maſoviæ, Boleslai 3. Regis Poloniæ, quem ab ore retorto Crivouſtum dixere, ex quinto & minimo filiorum Caſimiro nepos, multum diſcordiæ alebat cum vicinis Boruſſis, qui mutuis ſe invicem admodum divexabant infeſtationibus. Ideoque cum toto ſuo exercitu ordinum quẽdam Hermannum de Salza, qui trigeſimus erat Crucigerorum fratrum Magiſter, conducebat; Hi Fratres ordinis Teutonici tantos progreſſus belli in Boruſſia fecerunt, ut dimidiam prope partem primo Intuitu obtuerent. Et quamvis ille Conradus Dux Maſoviæ pactum de communi dividundo cum iiſdem iniiſſet, tamen quum an. 1220. ad novam revocarentur expeditionem, & felici uterentur fortuna, eam omnem ita in ſeſe converterunt, ut nullius pacti amplius memores eſſent, ſed primum Culmenſem terram, & poſtea, debellatis Boruſſis, potiſſimam partem uſque ad Prægelam fluv. in poſſeſſionem ſuã abripuerint, cuius proprietas quoque & dominium à Friderico II. Imperatore contra Polonos ipſis privilegio ſingulari decreta & confirmata fuit. Et quãvis An. 1322. Fratres Crucigeri Dantiſcum & Pomerelliam totam ſubiugarint; tamen Dantiſci libertatem commerciorum ſibi ſemper ſalvam pro tempore ratione retinuerunt; quumque anno 1454. ſe cum reliquis civitatibus liberioris iuris Caſimiro Regi Poloniæ 3. ſub conditionibus certis dediſſent, transtulerunt quoque Dantiſcani pleniorem Emporii in ſeſe reſpectum. Apparet ex ipſis receptionis articulis, quanta in ea re Dantiſci fuerit auctoritas. Confœderati enim Boruſſi recepti ſunt à Caſimiro quidem; ſed non aliis ſe dedidere regi huic conditionibus, quam ut membrum eſſent Reipublicæ Poloniæ, & pari conſilio tam in votando quam decidendo cum Statibus Polon. gauderent in Comitiis, etiam in ipſa regis electione. Quæ bona, jura, privilegia quiſque haberet, retineret. Iure quiſq; ſuo & ſtatutis uteretur. Honores, magiſtratuſq; & præfecturæ non aliis, quam Boruſſis traderentur. Telonia omnia & portoria ſublata eſſent. Arces urbibus nullæ reſtaurarentur. Mercatoribus negotiari in Polonia ubique liberum maneret. Bona naufraga iis, quorũ fuiſſent aut eorum hæredibus relinquerentur. Monetæ cudendę cum inſcriptione regia quibuſdam civitatibus ius eſſet. Quæ 6. Martij Anno 1454. Cracoviæ tranſacta ſunt. Sic Commendator Senatui Dãtiſcano 11. Febr. an. eodem arcem tedere coactus fuerat; & ſecutæ ſunt reliquæ urbes & arces, ut intra menſis ſpacium Crucigeri ultra 67. amiſerint hac defectione. Ac Dantiſcani bis Mariæburgum obſedere; Quamvis etiam Anno 1455. Teutonici Dantiſcum impugnarint; tamen fortiter repulſi ſunt. Inde ſequenti an. 1456. alia via concitarunt ſeditiones inter cives ibi & Toruniæ, quum Chriſtianus I. Rex Dan. Ordinis amicus Dantiſcanos & eorum naves paſſim detineret. Novi magiſtratus quoque à vulgo electi ſunt: Et tamen eluctati ſunt an. 1457. accedente rege ad urbem; ſicut & illuc venit Carolus Canuti Rex Sueciæ, & ibi aliquot annis à ſuis ejectus commoratus eſt. Belgæ tamen & Dani in gratiam ordinis, ut commercia regionis in ſe transferrent, infenſi adeo fuerunt Dantiſcanis, ut paſſim in mari eos caperent, donec induciæ ſequentibus annis fac infideles ſancitę ſunt, ac tandem plena pacificatio an. 1466. Torunienſis cum diviſione totius regionis, ut ſuperius dictum, confecta eſt. Quatuordecim annorum bellum, ita ſuis præcipue ſumptibus contra Crucigeros gerere coacti ſunt, ut non tantum ſemetipſos Dantiſcani, ſed etiam Boruſſiam Polono regi deditã conſervarint; unde merito in eam amplitudinem & ſplendorem pervenit, ut præcipuum Eoi maris & univerſæ Hanſæ Metropoliticum Emporium celebretur. Etenim reliquas civitates omnes fœderi Hãſeatico addictas fovet & tenet. Velut etiam inde nõ exiguam anno 1576. pertulit cladem, quod adeo ferventer ſui voti auctoritatem, in electione regis novi Maximiliani contra Stephanum Bathoræum, conſervare ſtuderet. Tandem tamen Regi ex interpoſitione Elect. Sax. & Brandeb. ac Landgravij Haſſiæ per tranſactionem ſupplex facta eſt, & cum eodem in gratiam rediit, iuxta tenorem, quem deſcribit *Chytra. Sax. Chron. lib. 23. p. 648.*

Thorunia, ſive Turunia, ut ab aliis vocatur, urbs eſt Boruſſiæ Culmigeriæ ad Viſtulam ſita verſus Poloniam, & à Dantiſco 24. milliaria diſtat, ut ſit emporium in re frumentaria & melle aliiſque cõmerciis Polonicis Dantiſco principaliter inſerviens. Quod anno 1235. ibi emporium hoc maxime extructum ſit, ſupra indicavimus. Cum Dantiſco quoque ſe ſimul Hanſeatico fœderi inde addixit. Nihilominus Stephanus Bathor. rex, quum anno 1577. Gedanum obſideret, à Ducibus Pomeraniæ petiit, ut ex Thorunia poſſent commercia partim in Pomeraniam flecti: velut etiam puravit, quod magna merx per Warthã Stetinum verſus pervehi valeret. Sed quum infinitæ eſſet hoc propoſitum difficultatis, rite mutatũ fuit. Celebre quoq; nomen habet ex aliquot tractatibus & induciis maxime an. 1521. ibi habitis. Noſtris vero temporibus urbs ea ex Synodo quadam, quæ anno 1595. celebrata ibi fuit, claret. Sed non omnia heic referri poſſunt, & quæ de Cracovia veteri Han-

ſæ heic eſſent inferenda, alii loco nunc reſervantur.

Culma, aliis Chulmen, ſive Culima, ſic quoque in eadem provincia, quę ab hac urbe nomen gerit, urbs ad Viſtulam ſita eſt ita, ut Thorunienſes hanc prætervigare cogantur, quum 5. milliaribus ab urbe Thorunia verſus Dantiſcum diſtet, ut quaſi medium locum inter Thoruniam & Gaudentiā teneat. Quū ex circumiacentibus oppidis, arcibus & pagis omnes excipiat ubertim merces, emporii quoque ius inde exercet, & Hanſæ nomen dedit non obſcurum.

Elbinga vero Hogerlandiæ principalis civitas & omnium ibi maxima inter lacum Drauſenicum & ſinum recentem ad fluvium eiuſdem nominis, unde ſic urbs dicta eſt, ſitum optimum habet; ſplendidis civium opibus & mercatorum frequentia diu celebris fuit, velut etiam ex fortitudine incolarum clarum geſtat nomen. Namque cum Dantiſcanis ſe ex ſævitia Crucigerorum & Magiſtri Teutonici ſimili conatu liberare laboravit, uti in exemplo videre eſt. Quum enim an. 1521. in diuturno illo bello Albertus Brandeb. Magiſt. Magn. Teuton. ordinis, (qui propterea à rege Sigiſmundo Polon. debellabatur, quod ei homagium denegaſſet, quod tamen ſepoſito ordinis huius titulo anno 1525. tandem in nova Ducis Boruſſiæ forma acceptavit cum inveſtitura) ex Regiomonte aliquos duces cum militum copia magna mitteret, qui ex inſidiis Elbingam obruere tentarēt adeo, ut quoque iam portam anteriorem & muros occupaſſent, & clathros deiectos ſecuribus aperire conarentur cives, perfracta fornicatione lapidum in turri portæ, lapides & vaſa cineris calciſque in eos deiecerunt, ut re infecta decedere cogerentur. Unde irritati Elbingenſes, ut vim illatam ulciſcerentur, in civitatem vicinam Hallandiam erumpunt, & arce ibi ſolo æquata, machinas omnes hoſtibus illis ex ordine Teut. Elbingam tranſportari curant. *Chytr. lib. 8. Sax.* Stephanus Bath. rex Polon. quum anno 1577. Gedanum oppugnaret, omne ius Emporii Elbingam tranſtulit, quod etiam Lubecenſibus & omnibus Societatis Hanſeaticæ urbibus indicavit, ſimul petens, ne quid Gedanenſibus amplius amicitiæ iure indulgerent. Promiſit ita Hanſeaticis, quod ſecuram & liberam commerciorum negotiationem magno & melioti fructu ibi poſſent perficere. Portus enim ſatis commodus eſt. Sed confœderatæ civitates hoc quidem acceptarunt; tamen favorem priſtinum ex iure fœderis Dantiſcanis abnegare non potuerunt. Anno autē 1542. ab Alberto duce ibi Schola illuſtris introducta eſt.

Brunſberga quinta in Boruſſia Hanſæ civitas ibi ad Paſſariam fl. ubi eū Bibera ſuo affluvio adauget, in Pogeſamia ſita eſt, non procul à ſinu recenti vicinam urbem Frawenburgum verſus occidentem reſpicit. Paſſariæ fl. oſtium, quod ultra 2. mill. inde nō diſtat, admodum commodum exhibet urbi portū, unde ex ditione Warmienſi multa huc confluunt commercia & merces. Sinum ibi maris Habum vocant incolæ. Urbs hæc Alberto March. Brand. tanquam Magiſt. Ordin. Teutonici tutum præſidium Anno 1520. uſque ad finem belli præſtitit, donec in plenam regis Polon. conceſſit poteſtatem. Habet autem illa eandem cum Koningſberga ab Ann. 1255. originem, ut nunc dicemus.

Koningsberga enim, quam & Regiomontem dicunt, trans Pregelum flu. Sambię peninſulæ ad aquilonem in Ducali Boruſſia principalis urbs eſt & maxima, omniumque rerum ad victum pertinentium copia abundat. An. 1255. quum Marchio Otto Brandeb. cum affine ſuo Ottackero, quem alii Primislaū 2. faciunt, Rege Bohemiæ aliiſque Germaniæ Ducibus expeditionem in Boruſſiam ſuſciperet, atque multi incolarum ab Archiepiſcopo Brunone Pragenſi ad Chriſtianiſmum baptiſmate ſacro perducerentur, in eius & regii huius facti memoriā hæc urbs cum Brunsberga & Regiomonte in ea Marchia cōdita eſt. *And. Angel. p.* 105. Ab initio urbs fuit, extra eā ubi nunc templū D. Nicolai: Sed poſtea An. 1260. exuſta, arci propius erecta fuit & vetus nunc illa vocatur. Inde aliam ei vicinā fecit Commendat. Barthol. dus An. 1300. quæ Lebenicht dicitur. Sic Magn. Magiſt. Winricus à Kimpenrode An. 1380. in Inſula tertiam extruxit, quæ Kniphof dicitur, cui binis pontib. ſuburbium annexum eſt, ut quaternaria hæc urbs, quaſi tribus oppidis ſit diſtincta, ex quibus Academiæ & templi Cathedralis ac Epiſcopi domicilium undique fluv. quem Pregelum dicunt, cingit. Lebenicum vero & veterem urbem alluit, cui ad Boream Principis Palatium amplum & ſplendidum colli impoſitum, unde Montis nomen regii gerit, adiacet. Vicini ſunt duo ſpacioſi lacus ſeu maria aquæ dulcis 12. milliar. verſus occaſum ſe unum ultra Elbingam ad Dantiſcum exporrigit, alterū Curlandicū 12000. ab urbe paſſus abeſt. Cives præter omnis generis artes quoq; negotiationem maritimam exercent, frumenti, cinerum, picis aridæ & liquidæ, ſalis, lini, cānabis, lanæ, ceræ, ſebi, tignorum, mellis, pelliū, &c. Atque ita non tantum aula Principis, ſed etiam celeberrimo urbs gaudet emporio: imo An. 1544. Albertus Marchio Brandeb. eam tertio beneficio Academiæ adornavit. Qui tumultus & tranſactio ibi inter Regē, Ducem & Provinciales Status fuerit An. 1566. cognoſcatur apud *Chyt. in Sax. lib. 21. p. 559. & ſeqq.*

Si hinc ultra Curonenſem lacum per Samogitiā & Curlandiam uſque ad Duinam fluvium, qui terminum huic Ducatui exhibet, excurratur, ad mare Balticī ſinū magnum Livonicum tēndo, non procul à Duinę oſtio ſe offert Riga, metropolis Lettoviæ. Univerſa enim Livonia, dum ſe uſq; ad Nervā Emporium inſigne ultra 220. milliaria extendit, tres potiſſimum partes, locis & linguis diſtinctas continet; videlicet Eſthiam, Lettiam & Curlandiam. In Curlandia vero non amplius eſt civitas, quæ fœdus Hanſeaticum reſpiciat, niſi quod olim Goldingen & Winda ſive Kies celebres tum propter aulā Ordinis Teutonici & comitia ibidem habita in eo quoque locū obtinuerint ſuum. Lettiæ autem & ferme totius Livoniæ caput inter civitates eſt Riga ad Duinam, ubi 2. milliar. infra eam in ſinum Venedicum ſive Livonicum ſe exonerat. Colonia hæc Bremenſium eſt, à quibus etiam primus iſte aditus in ſinum Livoniæ mercatoribus patefactus eſt: ubi poſt primam ἐπιμιξίαν cum Livis populis à Duinæ oſtio verſus Parnoviā in littore habitantibus, amicitiam & fœdera circā annum Chr. 1160. pro ſe & mercatoribus ſuis, quos deinceps adducturi eſſent, fecerunt, ac prima cum eis commercia rerum permutationes fuerunt; at permiſſu Livonum in Duinæ fluvii inſula ſacellum extructum, quæ Kircholm deinceps appellata eſt. Paulo poſt Menardo Segebergenſi monacho per mercatores in Livoniam adducto, latius religio Chriſti

Chriſti propagata fuit; quem, perentibus id regulis aut nobilibus populi, Alexand. 3. Papa pro Epiſcopo ibidem confirmavit Anno 1170. Quum igitur ædificiorum ſtrues ibi accreviſſet ex commerciorum occaſione, ſecundus Epiſcop. Brema miſſus Bertoldus, urbi condendæ muniendæ operam dedit, adiutus à Bremenſibus & fratribus Enſiferis. Anno vero 1196. poſt internecionem Bertoldi, Albertus ex Bremenſi collegio evocatus huc fuit, impetrata confirmatione à Bremenſi Antiſtite. Is urbem inceptam Anno 1200. muro cinxit. Crevit inde urbs in eam potentiam aſſiduitate mercatorum, ut munimentum contra paganos exhiberet, & Archiepiſcopali cathedra donata ſit. Quum vero Enſiferi fratres ſæpius ſuccumberent, quos Templarios dicunt, quorum Dux Vinno erat, advocarunt in auxilium Marianos ex Boruſſia circa An. 1228. quæ res poſtea magnæ calamitati fuit incolis & Epiſcopis ipſis. Etenim fratres Teutonici non ſatem Rigæ imponebant arcem Dunemundam; ſed etiam omnem iuriſdictionis potentiam per Livoniam totam & Boruſſiam ſuo Magiſtro in monte Regio præſidenti adſcribebant; Econtra Archiepiſcopus Rigenſis omnem inſpectionē in Epiſcopatus Curienſem, Revalienſem, Torpatenſem & Oſilcenſem ſibi attribuebat ab Anno 1255. primi præſulis Adolphi: unde Anno 1298. cæſus eſt à Rigenſibus Magiſter Teut. Bruno cum 60. fratribus, & poſtea iterum Anno 1309. ad Treidam iidem cum confœderatis Lithuanis Teutonicum ordinem oppreſſerunt. Aſt quum Anno 1327. quod infeſta eſſet ipſorum navibus, arcem eorum Rigenſes Dunemundam occuparent; inde mox ab illis fratr. obſeſſa & in deditionem coacta; diſiectiſque muris & portis, magna vi pecuniæ hæc urbs mulctata eſt, præſertim quum eo tempore Archiepiſcopus urbis apud Pontif. Rom. abeſſet. Et quamvis Engelhardus à Dalem Archiep. Anno 1340. reſtitutionem urbis ab Ord. Magiſt. petierit fruſtra, tamen Archiep. Fromhildus ſucceſſor eius ex deciſione Caroli IV. Imperat. & conſenſu Pontif. M. tantum obtinuit, ut Anno 1348. die 7. Maij Dantiſci per tranſactionem cum Teut. Ord. urbs cum Iuriſdictione ipſi ſit reſtituta. Ubi iterum errat *Bertij lib. 3. Com. rer. Germ.* notandus venit ad huius urbis deſcriptionem, quum expreſſe ponat, quod Stephanus Archiepiſcop. Reg. ex ea urbe victores Teutonicos expulerit, & Dunæmundā ſolo æquarit, atque excommunicationem Magiſtri Ord. apud Sixtum IV. Pontif. obtinuerit, quum tamen non tantum ſpacium totius ſeculi & ultra interveniat, dum Sixt. IV. Anno Chriſti 1471. creatus fuit; ſed etiam Stephanus Archiep. reſtituerus Anno 1480. tantæ fuerit paupertatis, ut direptis Eccleſiæ bonis, nec habuerit, unde ſe honeſte aleret, & inde tanquam excluſus à Bernhardo Ordin. Mag. in mærore extinctus fuerit. Rigenſes vero interea propriæ libertatis vindices Dunæmundam obſidione longa defatigatam iterum occuparunt, & anno 1485. demoliti ſunt. Sic nec fuit uſquam Adolphus de Blettenberg Magiſt. Teut. ut ibidem vult Bertius; ſed Walterus à Blettenberg, qui non vi, ut idē dicit Bertius, ſed ſapienti conſilio ad officium reduxit Rigenſes, ac potius vires in Moſchos & externos hoſtes direxit An. 1498. ceu iſte quoq; id effecit ſua coniunctione, ut in Ord. Boruſſiæ ſoli ſuperioris German. nobiles, & in Livonicum ſoli Weſtphali reciperentur. An. 1563. Rigam Rex Polon. ſibi prorſus ſubiecit, donec nuper An. 1620. ut ſupra dictum eſt, Rex Sueciæ Guſtavus Adolphus eam ſtratagemate ſibi iterum vindicarit. Plurimæ fuerunt Livoniæ mutationes, ut fere perpetuum fuerit belli ex vicinis regionibus Moſcoviæ, Poloniæ, Sueciæ, Daniæque ſubiectum, unde uſque plane exhauſta eſt populis regio: Riga tamen cum Revalia propter Emporia ſua ſemper floruerunt, ceu Rigæ in primis Emporium totius illius tractus poſt Gedanum diverſarum nationum frequētatione celeberrimum, ſitu plano, qualis eſt totus pæne Livoniæ. Magna in urbe annonæ fuit ubertas ob frumenti copiam, quum adhuc populoſa eſſet regio, quod inde navibus onerariis petitum à mercatoribus Hollandis, Zelandis, Angliſque varie per reliquum orbem diſtrahebatur. Nunc etiam ex Muſcovia talis copia appetitur, vaſtata ita miſere Livonia. Bos pinguis 3. thaleris venit, porcus ſaginitus thalero, &c. Notabile hoc, quod quum An. 1394. Ioha. Archiep. Rigenſi nobilitas diœceſis obedientiam plenam negaret, & ille fruſtra vi uteretur, tandem utraq; pars in Epiſcop. Warmienſem & Senatum Lubecenſ. compromiſerit, quæ etiam deciſionem cauſſæ Anno 1397. 14. Iulii publicavit. Tanta fuit auctoritas Lubeccenſium ſemper in fœdere hoc Hanſeatico, ut etiam ſtatuta eorum civitatibus cunctis liberis ad Mare Balth. in libertatis ſignum undiq; fuerint approbata, ceu etiam adhuc ex tali iure vivunt Rigenſes. Reliqua, quum de Rigenſibus non iam queamus ſubnectere, poſſunt ut plurimum *ex Chyt. Saxon.* peti. Aſt quomodo à Rege Sueciæ moderno Guſtavo Adolpho 16. Sept. an. 1621. ſit capta, id ſupra *cap. 18.* dictum eſt.

Quod tamen non ſine ſingulari ſtratagemate factum eſt; ac niſi in ipſa civitate fuiſſent, qui anſam clancularie ſuppeditaſſent, tam bene munitam urbem proculdubio hac ratione ita audacter non eſſet aggreſſus. Etenim fat viderat, quam gravi conamine parens eius Carolus IX. toties fruſtra circa annos 1601. & 1602. quum tam duro bello Polonos infeſtaret, Livoniam ſubiugare totam tentaſſet. Atque licet tandem aliquot partes Livoniæ, poſt ingentes clades, non ſine diriſſima fame peractas, occuparit Carolus; tamen Riga Urbs non extitit illi tunc expugnabilis. Quippe An. 1605. die 13. Septemb. obſidione ſataeri quidem cinxerat eam urbem; attamen à Duce Churlādiæ, & ſupremo militiæ præfecto Corcovitio non tā tum obſidio diſſoluta, ſed etiam Sueeorum ingens numerus uſque in 8000. peditum, & ultra 600. equitum interfectus eſt: velut nec ipſa fuga ſalvare reliquos potuit, quum ultra 400. inter aufugentes Duna fluv. abſorpſerit.

Ipſe Carolus, tunc Dux adhuc, vix cum paucis equitibus evaſit, quū Dux Lunæburgicus, Gubernator Revalienſis, & ſupremus Capitaneus Andreas Limenſcherus occubuiſſent. Comes autem Mansfeldicus cum militibus reliquis circa 3000. peditum tādem Revaliam appulit. Polonorum in hoc conflictu iactura ultra 1000. militum cum vulneratis non fuit; qui ex perſecutione hoſtis 28. Sept. reverſi ſunt Rigam, atq; coegerunt ex Suecis captos Capitaneos, & ſigniferos, ut non tantum victoriæ ſigna vinculati portarent, ſed etiam velut mancipia, tormenta bellica per vias traherent. Corpus defuncti Ducis

Lunæbur. Harburgi Polonorum Dux bellicus donavit Duci Curlandiæ, qui ſecum id Müttoviam abduxit: Gubernator autem Revalienſis Rigæ ſepultus eſt.

Navibus vero Suecicis qui ad Dunamundam advectis præerant, quum periculum ſentirent extremum, & metuerent aliam irruptionem, continuo in mare ſe receperunt. Carolum infortunium hoc valde momordit, adeo ut undique vindictam conquireret. Ideoque Anno 1606. denuo multa in mari tentavit, ut Polonicis navibus damnum inferret; ſed tamen Dantiſcanis noluit ſe hoſtem declarare, quibus potius omnem obſervebat favorem.

Quum vero Polonica Nobilitas contra Regem inſurgeret, & crudeli ſeditione ferveret id regnum, tali commodo hoc cecidit Carolo, ut non tantum denuo Livoniam infeſtaret, ſed etiam Weiſſenſtenium An. 1607. in ſuam redigeret poteſtatem, locũ munitiſſimum, ut ex eo plures faceret ſibi progreſſus: Donec An. 1609. iterum Rigam obſidione cingeret; ſed fruſtra: civibus Urbis cuſtodiam fortem rerum ſuarum gerentibus.

Rex Daniæ ſpectatorem egit tantarum Tragœdiarum uſque in An. 1611. ubi & ipſe hoſtem ſe Carolo obtulit, 14. Aprilis ipſi clarigatione tranſmiſſa. An. vero eod. 30. Octobr. obiit Carolus Rex Suec. & filius Guſtavus Adolphus quidem continuavit bellum, ſed tamen Anno 1612. conſopitum fuit tranſactione aliqua ob maris Orientalis diſtributionem, quam ſibi deputabant; ut autem rectius interim novus Rex Succicus de navium cura ſibi proſpiceret, multa diſſimulavit per aliquot annos: Re tandem bene circumſpecta, quum cerneret, quod Livonia non poſſet plenius potiri, niſi Rigam in ſuam ditionem tranſtuliſſet: Ideoque variis uſus eſt artibus, ac maxime primores in ſuam clanculum apud Civitatem Rigenſem pertrahere affectionem, odium erga Regem Poloniæ conceptum à civibus exaugendo, ſtuduit, quod etiam largis obtinuit promiſſionibus, præſertim quum noſceret, Civitatem eam valde à Rege Poloniæ eſſe offenſam ob reformationem religionis, & donationem Catholicis in urbe factam. Hinc etiam principalem inter concionatores, largitione prævia, in favorem ſui pertraxit plurimum, ita tamen, ut non animadverſio publica fieret, ſed ſaltem inter cives & ſenatores potentiores cotidianam haberent animorum confortationem. An. 1621. proinde, rebus ſatis compte ſubornatis, die 1. Aug. cum navibus ſuis propius adpropinquare in mari verſus urbem eam cæpit, ut ex turri D. Thomæ, ſive Cathedralis templi ſtatim primitus, non ſine deſiderio multorum in urbe, ſpectarentur uſque ad 4. Aug. ubi ad Dunemundam anchoras fixerunt.

Ne vero quid in ſuſpicionem præſcientiæ incideret, Rigenſes omnes ſuburbiorum domos, caſaſque hortorum incendio deſtruebant ipſi. 8. Aug. naves Succicæ fluvium Dunæ ex propoſito ingrediebantur, quas ipſe ſtatim ſequebatur Rex Guſtavus Adolphus cum 14000. peditum, equitumque, caſtra ſua primitus ad foſſam Molinariam locans. 11. Aug. cum 10. turmis equitum, & aliquot lignis peditum per montem arenoſum tranſibat ab ea parte Civitatem, ſpectatum, ubi commode propius ſua figeret caſtra; & tamen tormentorum ex vallo Urbis altum erat ſilentium.

12. Aug. Tubicinem cum tribus apertis literis in civitatem mittebat, qui ſtrophiolo circa oculos involuto, quaſi cæcus in curiam deducebatur, ubi ipſi adiungebantur, qui non tantum laute eum tractarẽt, ſed etiam multum ſanitatis apprecarentur Regi, unde bene potus blandiſſime circa veſpertinum tempus dimittebatur, non ſine nutu faventi aliquorum. Inde Rex 13. Aug. aliquot naves bellicas verſus Holmium ad arcem miſit, ut ibi foſſas aliquot pro vallo excavaret; quod tamen eiaculario tormentorum aſſidua, ex arce facta, impediit, ut duæ naves in damnum inciderint, quas ſpolio primo reliquit plebi, rem non vere ſentienti.

14. Aug. è regione Portæ arenoſæ ad Hermanni Wittenij hortum, vallum caſtri erigere incepit. 16. Aug. turrim arenoſam tormentis tribus explodere non deſiit, ut cernerent ſeveritatem impugnationis. 17. Aug. Vallum in Holmio erexit. 18. Aug. Canonico tormento turrim curiæ ex Holmiano vallo perforavit.

22. Aug. ultra Dunam fluv. turrim rubeam occupavit, & hoſpitium iſtius loci vallo incluſit. 23. Aug. Lituaniæ Dux bellicus Ratzevilius cum aliquot equitum copiis ultra Dunam comparuit, & caſtra ibi impugnavit velitatione quadam; ſed re infecta receſſit circa veſpertinum tempus. 24. Auguſt. directi ſunt ictus tormentariorum ad fluxum Dunæ, ut ibi aliquot homines, aquam ex Duna petentes, occumbuerint; unde nemo ad hauriendam aquam amplius ibi ſit inventus. 25. Auguſt. duplici caſtro ad huc domum Edenholmium exauxit, & inde æneis tormentis aliquot urbem infeſtavit.

28. Aug. viduæ Rigemannianæ villam occupavit ultra Dunam, valloque forti eam cinxit, ex quo per triduum eiaculationibus urbem oppugnavit, atque interim cuniculos minerales ſuppoſuit uſque ad portam arenoſam, donec foſſam urbis ibi arena, & faſcinis ſupplevit. 1. Septembr. ad vallum urbis ibi pervenit.

2. Septembr. ſecunda vice tubicinem in urbem miſit cum omni gratiæ regiæ oblatione: Interim tamen ictus tormentariorum increbuere, velut & globos igneos in templum iecit Petrinum, ut inde tectum inflammatum aliquo modo fuerit, velut & aliquot ædes, quæ udis pellibus bovinis obſopitæ ſunt: nec minus, dum adhuc tubicen in civitate fuit, portam arenoſam invaſione militum obruere cæpit, & Rigenſes milites inde expulit, qui tamen viros præſtitere ſe fortes, pro ratione temporis, & ductorum ſuorum annuitione, ut quidem aliquot Succici interfecti ſint, nihilominus ea natio priores abſtulerit partes, ac impetibus crebris portã impugnarint, & inſuper eiaculationes tormentorum in urbem perfecerint aſſiduas.

4. Septembr. cuniculos ſubfoſſione in vallum perfecit, cui Rigenſes obviarunt in urbe, eos repellẽdo.

5. Sept. quum civitatis vallum Iacobianum, & ejus receptaculum Rex crebris ictibus evacuatum à milite reddidiſſet, pontem, rotis impoſitum, & linteamentis obvolutum, quem Galleriam dicunt, foſſæ undis ſuperinduxit, ad impreſſionem faciendã. 7. Sept. autẽ pons iſte à juvenculis Rigenſibus in combuſtionem traiectus eſt. 8. & 9. Sept. novã cuniculorum ſubfoſſionem maiori cũ vi, & potentia perfecerunt. 10. Septembr. impetitione violenta arenoſum pome-

posterium Vasli civitatis occupavit ; ubi licet duo Suecici in summitate occubuerint, tamen penitus repelli nequiverunt, sed perrexerunt ibidem in cuniculis faciendis.

12. Septembr. tertia vice tubicinem in urbem misit, ultimam illis denunciando gratiam, ac, nisi credere vellent, in quali essent constituti periculo, licentiam ipsis concessit, ut Senatus mitteret, qui cuniculos absolutos cernerent. Sed ultra 6. horas inspiciendi spacium non concedi illis posse, se declaravit. Senatus igitur, & maxime ij, quibus species cognita erat, quasi attonitum se simulans, statim in curiam cives convocari curavit, quibus tractatio induciarum cum hoste proposita est, ut eo usque respirarent saltem, donec succursus à Rege Poloniæ Civitati forte præstari posset. Quum tamen neque iste ita mature esset expectandus, fuerunt inter senatores, & maxime ex Consulum amicus singulatis superattendentis, qui putarent, cum Sueco plenius securitatis caussa esse transigendum, ne ulterius opus esset dira sanguinis effusione, & sic rectius Civitas in privilegiis cum innoxis liberis, & coniugibus posset conservari.

Licet negotium, in dubio tali constitutum, non poterat ad maturum satis perduci concluſum; tamē senatus consultius existimavit, ne in expugnationis adsultum cum plenis incideret armis, ut ad transactionem progressus fieret. Ideoque 15. Septembr. invitis, & reclamantibus in populo pluribus Senatus non tantum cum Sueco tractationem init, sed etiam ad tradendam Civitatem, si salva ipsis manerent privilegia cuncta, obtulit. An non igitur gauderet Rex Succiæ in sinu secum tacite, qui ex voto obtinuerat, quod stratagema suæ intentionis principale tam diu fuerat? Dedit fidem senatui sanctam, quod omnia promissa sincere esset servaturus, eosque ab imminente religionis, mox alias mutandæ, periculo liberaturus, imo quoque alia insuper privilegia status, & commercii Civitati additurus, modo plenum ipsi concederent ad tempus defensionis præsidium.

Quapropter sequenti die 16. Senatus non tantum in occursum Regi progressus est ; sed etiam is totum exercitum circa 3. horam promeridianam ad Civitatem adduxit, eamque per portam Sckalliam, & forum Urbis ad D. Petri templum introivit, secum potissimam exercitus partem adducendo. Senatus Regi, equo bene exornato insidenti, comitem blandum per plateas, & forū egit: In templo publicæ gratiarum actiones peractæ sunt, ubi concionem obedientiæ ampliter destinatam habuit pastor ille: Ast interim sub concione à Succicis Capitaneis in vallo Urbis excubiæ sunt dispositæ undique.

Finita concione Rex una cum fratre, officiariisq; suis, atque è Senatu deputatis hospitium apud Michaelem Schultesium occupavit suum. 17. Septembris una cum fratre, equo splendido insidens omnes valli circa civitatem partes, & muros oculari inspectione perlustravit, ordinesque excubiarum instituit. Postea Magistratum cum Syndic. & minist. [illegible] ad se invitavit, cum quibus inter tractandum suas exercuit lætitias ; distribuitque munera; in primis superattendentem Dn. M. Samson. magno affecit honore, & cum donatione insignis prædii beavit, velut & consulem, quod tam felici fide expeditionem hanc eius secundassent apud cives.

Quum igitur omnes incolas cum Magistratu in suam obedientiam, & devotionem plene perduxisset, 25. Septembr. post habitam à dicto superattendente concionem in foro elevatum conscendit locum, panno rubeo undiquaque vestitum, ubi Senatus Urbis cum selectis ex numero omnium civibus ipsi homagium solenni in forma præstitit. Qua solemnitate peracta, pannus rubeus direptioni populi relictus est, & Rex in hospitium cum Senatoribus, officiariisque suis ad lætitias institutas rediit. Iesuitis quoque, qui adhuc in urbe manserant, se valde affabilem per hæc tempora præstitit; ac si qui essent ex numero Catholicorum, qui discedere cuperent, ijs non tantum liberum reliquit discessum; sed etiam iisdem salvum conductum subministravit, ut tuto abire pro lubitu possent. 25. Septembr. huius 1621. anni, quum omnia pro lubitu animi perfecisset, una cum fratre, & exercitu suo Dunam traiecit, & sequēti die Mittoviam properavit, quod oppidum cum arce sua in potestatem quoque suam vi, & armis, nec difficili labore redegit, ac munimentis firmioribus cinxit.

Incolis passim horum locorum sese admodum offerebat beneficum, semper in ore religionis suæ defensionem contra Catholicos gestans, ut inde omnium in sese stupendum pertraheret amorem, velut & Rigenses eam ob caussam se beatos sub huius Regis novi sui ductu censebant, conscientiam religionis liberam sibi deputantes, pro qua millies mori se velle clamabat vulgus. Si postea huius Regis molitiones, quas in Germania Anno 1630. 1631. incredibili alacritate, nec minus vindicandi cupiditate supra modum severa usque ad mortem, quam apud Lutzenam Misniæ, Anno 1632. 6. Novembr. in prælio contra Duc. Friedlandiæ, assecutus est, exercuit, ad unguem examinentur, in eodem processus modo invenientur peractæ, ut ex primo hoc apud Rigenses exēplo omnes eius actiones apud Civitates formam, & normam sumpserint, quæ ad tantam eum provexit apud Germanos in superstitione vana fortunam, ut non vererentur obstinatiores sibi istum, quasi pro Deo mortali fingere, & indecenter colere: sicuti pronunciatio inversa illis Sued, id est, Deus esset. Pudeat eos merito, qui tantos sibi in mortali homine secum non veriti sunt cælestes effigiare cōceptus; quos merito rideat in patribus, tam stolide cæcis, posteritas filiorum sequens cautior, & ex tanti peccati cæcitate prudentior.

Ex Lettorum provincia si hinc à Riga ad Esthorum regionem commigremus, investigando secundam Hansæ civitatem iuxta sitam, offert se in Odenpoa provincia, Parnovia urbs. Namque Esthorum regio quatuor continet provincias, Odenpoā, Wirriam sive Wirland, Wickkiam, & Harriam. Odenpoa duas civitates Hanseaticas fovet, Derptū sive Tropatum, & Parnoviam. Hæc vero à Chytræo & aliis, qui ducem hunc sequuntur, in glossis suis plane omissa est, quum tamen nunquam expuncta fuerit ex fœdere Hanseatico, sed etiamnum inter eas corporis Hansæ civitates referatur, qui in quotisatione contributionis annuæ locum suum sartum tectum habent, ut infra patebit. Est autem Odenpoæ Esthorum Principalis maritima civitas hæc Parnovia, sic nomen gerens à fluvio Parnow, qui in Sylva ampla intra Becam fluv. & arcem Weissenstey-

nium originem trahit, indeque in semicirculum se extendens Felam fluv. excipit, cum quo se in sinum maris, qui intra veterem & novam Pernoam interiacet, una cum socio fluv. Pernkeia effundit, ut adeo locus huius urbis admodum Emporio sit commodus, & commerciis illius terræ omnibus congruenter aptus. Merces enim hinc præter frumentum petuntur, pix liquida, linum, cineres, coria, pelles ursorum, alcium, vulpium, castorum, sabellorũ, martarum, hermelinorum, asseres, trabes, ligna cæsa & levigata ad naves fabricandas, aliaque id genus. Totus enim Livonum provinciæ huius tractus usq; ad Derptum versus fl. Becam usque Emporio in talibus rebus inservit.

Derptum, sive Derbatum, quod aliis quoq; Torpatum est, Ruthenis Iuryowgorod, urbs magna & Parnovia amplior digniorque propter sedem Episcopalem; locum habet intra duos lacus mediterraneum, quam Beca flu. quem incolæ Embeccam vocant, aliunt in medio, dum ex lacu Worzero prope oppidum Kanelichtoritur, & per duas sinuationes amplas in lacum alterum Peiba sive Beibum, cuius longitudo ad 45. mill. Italica exporrigitur, decurrit. Ante fratres autem Teuton. Ord. fuit cum arce sua Russis subiecta: Volquinus tamen tertius Magnus Magist. ordinis Anno 1230. vi eam occupavit, unde postea sedes Episcopi facta est, quum Waldemarus II. Rex Dan. etiam missis in Livoniam copiis urbẽ Revaliam; inde Wesebergam & Nervam paulo ante, vid. anno 1223. condidisset. Floruit hæc urbs dives sub potestate Ord. Teut. *per* 328. *Annos.* At anno 1558. à Moscho nimium sæviente occupata & direpta fuit, tunc multi civium Lubeccam confugere. *vid. Chyt. Sax. lib. 19. p. 497.* Sub iugo Moschico per 25. Annos vivere coacta est urbs ista, donec à Rege Poloniæ vindicaretur, qui An. 1582. novis eam ornavit privilegiis; sed nunc Regi Sueciæ paret.

Cuius obedientiæ origo, & subiugatio unde sit, partim superius dictum est. Postquam enim Dux Carolus Sudermanniæ, agnatus Regis Sigismundi Polonici, qui postea Coronam Succicam sibi adsumpserat cum dominatu regiminis, prorsus constituit ante omnia firmitudinem status ponere in Livonia, ut ab ea parte esset tutus. Propterea An. 1601. non tantum durum satis in ancipiti fortuna gessit cũ Polonis bellum, occupavitque aliquot arces cum Civitatibus, inter quas etiam Dorpatum hoc, ubi varias sensit adversitates; sed etiam ita graviter An. 1602. adsumpsit vires, ut longe ferventiori conatu utraque pars inter se coierit. Mutua defatigatio adeo adsidua fuit, ut vastities tyrannica, furiosa rabies, & fames edentula antehac in historiis vix reperta similis fuerit; nec solum in Livonia vehementia talis extitit, sed etiam vicinas regiones, Russiam, & Muscoviam petagravit diritissime, ut *Petrei. in Chron. Muscov. pag. 292.* ita exclamet, quod nusquam apud Ethnicos æqualis rabies inveniri possit.

Quippe tot multa 1000. hominum fame enecabantur, ut in civitatibus, oppidis, plateis, viis publicis emortui cernerentur, quibus ora gramine, & palea oppleta erant, quum putassent, hac ratione fami posse obviari. Caro equina, canina, felium, muriũ & similium animalculorum necessarium multis porrigebat cibum, quam diu durabat. Herbarum radices, arborum cortices, fimus, mortaliumque excrementa in communi erant edulii usu, ubi reperiti poterant: sed nec talis sordida, & fæculenta materia ubique sufficiebat, ut hinc cogerentur plurimi suum proprium sibi exugere sanguinem, si non adessent ovium, boum, aut suum cadavera, & fimus. Multi inter semetipsos mutuo se confodiebant, alterque alterum mactando devorabat. Qui potentior erat in robore proximum quemque sibi pro esca deputabat, ut nuspiam fides, neque inter parentes, & liberos esset tuta, nec parcebatur cadaveribus in patibulis pendentibus.

Ita diritissima fames omnia iura naturæ penitus evertendo obliterabat, evellebatque ex cordibus hominum, ne amplius sui ipsius non essent memores, sed se penitus infra omnes conditiones furentium animalium præcipitarent. Sensus omnes in furorem crudelissimum, & diritissimum cuivis esurienti abiisse videbantur. Nec parentes liberis, nec liberi parentibus parcebant: quin & plures suos perfide ad comedendum vendebant aliis. Ipse alicubi vidi in Civitate, ut mater infantem suum in brachio gestans binis morsibus miserrimum bolum ex corpusculo tam tenello pro esu sibi eriperet, qui casus me ferme in terram exanimatum præ misericordia prosternasset. Tonna frumenti ultra 20. Imperiales vendebatur iis, qui aliqua valebant solutione, quum alias 12. grossis potuisset emi. Summa miseria ea omnem humanum exuperabat captum, &c.

Quum historiæ tales, nimis horribiles, cotidiè afferrentur, commovebatur Iohan. Casel. tale in rei memoriam conscribere Protrepticon pro Anni 1603. felicioris auspicio, quod maioris commotionis ergo hisce truculentis temporibus, in quibus Germania per tot annos se bello civili suo consumpsit, non inique adsimilari valet, ut inde se quoque in suo furioso tumultu rectius agnoscere discat, quali pœnitentia duci merito debeat. Sed Carmen hoc gravi punctione scriptum, ita se habet, quod huc referendum propter æqualitatem temporum duxi.

I. C. Kalendæ Ianuariæ Anni 1603.

Fiunt, & fieri fas est, per templa, per aras
Passim, pro populi cuncti, nova vota, salute:
Sed potius fieri prisco de more videmus.
Non ardente Deum, purgati pectoris æstu.
Principio mentem, nisi certum est ferre repulsam,
Protinus ex imo telluris in astra levemus:
Depositis demum vitiis, placabile Numen
Cernimus: at prius ut cadatur victima frustra
Cælitibus, frustra varijq; crementur odores,
Novimus: has nugas populares linquimus illis,
Ex libito quotquot viventes; dæmones aiunt
Rite mota falsa pasci, frustisque cruentis:
Hoc quoq; norimus, nec munda veste, soniſve
Argutis fidium tenerarum, aut voce sonora,
Antehac promeritas averti Numinis iras.
Quocirca lacrymis ubertim corde profusis,
Criminis admissi testemur quisque dolorem:
Ingrediendo nova vestigia calica vitæ:
Nec veluti pretij spe facta, prefica fletum

Astute

Aſtute ſimules. Nec enim ſapientia Chriſti
Fallenti capitur vultu, fictave querela.
Quin odia, inſidias, in pectore quicquid amari eſt,
Sic quæ ſuavia ſunt animo, ſed noxia menti,
Sic auri montes, ſic tinctas murice veſtes,
Ex animis noſtris radicitus evellamus:
Præcipue ſtudium, quo tanquam pondere ſaxi
Deprimitur melior, fruſtra ſeſe improbus effert.
Qui namque eximiam pietatem dejicit, idem
Mancipiis tali niſu ſe vilibus æquat.
Quiſquis enim procul à norma pietatis aberrans,
Ultro contra fas, & contra publica iura,
Seu ſpecie recti, ſeu palla religionis,
Arbitrio pari ius dicit, lege relicta;
Hunc dominatorem num quid ſervire negemus,
Cuiſit in affectus male natos, nulla poteſtas?
Ac licet haud alius vindex è civibus inſtet,
Torquet eum certe flagris mens conſcia pravi:
Sicut heri cadunt loris ſervilia terga.
Denſa animis vitij fibra quantiſper inhærēt,
Tartara ſpectemus potius, quam ſidera cali:
Tam grave pondus habent in ſe, tenduntque deorſum,
Ceu lapis ex alto delabens corporea vi.
Vah quam difficile eſt, non omni labe vacantem,
Mittere non ficta fidei ſuſpiria Cœlo:
Sed tamen auſimus: contrito corde precati
Offenſa veniam, ſe totum quiſque retexens:
Exciſis animo vitijs, meliora ſequamur.
Hic etiam natis ignoſcunt ſæpe parentes,
Ad frugem ex animo ſi quos videre reverti.
Illene, qui vitam, qui vitæ commoda donat,
Qui fons ipſe boni, bonitas eſt ipſa, ſaluſque,
In miſeros omni ſit inexorabilis ævo?
Certe mitis erit, totuſque recedet ab ira,
Omnibus adſpirans optati non nihil otî.
Nos modo, flagitijs purgati, fraudeq; cuncta,
Integros animi re nos præſtemus in omni:
Nos modo, perpetuum damnatis littibus Orco,
Conſilio ſano nectamus vincula pacis:
Id pater ex alto clara quaſi voce quotannis
Detonuit: quam ſæpe famem plebecula ſenſit?
Quis tribus Autumnis aliquē non extulit? ô ſi
Nec nos auxerimus temere mala publica rixis!
Qua noxa noſtro generi non tetrior extat.
Adde, quod eluvione domus periere, viriſque,
Ut juga complerint ululatibus Hercynioneſ:
Sed mage, quod Furiæ vaſtarunt oppida, & arces,
Quando contremuere etiam ſacra templa domuſque.
Abſit ut hæc vires mala ſumant, atque per Urbes
Graſſentur, turbentq; recurſu pulpita Chriſti.
Cedat dira fames, (dictu grave) qualis ab anno
In tantam rabiem convertit Livonas acres,
Non uti ſeu glandes legerent, ſive arbuta dura:
Namq; etiam carnes jam ſole, geluque peruſtas
De cruce pendentum mandebant dēte ferino:
Iamq; aliquis ferro, vel durâ pondere clavâ,
Robuſtus dejecit egenum virium in eſcam:
Quodque fidem ſuperat, crudelis & anxia mater
Dira carne ſuæ conferſit viſcera prolis.
Et metus abſcedat belli, nam fulmine Mavors
Irarum ſimulac latas afflaverit urbes,
Auffert, ſi quid erat populis ſanctique bonique.
Mœnia, templa, domos, aurum, legeſque ſacratas,
Et ſubito, veluti cineres in nubila iactat,
Et contra miſeris immania dona rependit;
Funera, caſorum ſtrages, peſtemque famemq;,
Omnia flagitia, ſcelera omnia, & impia corda.
Quod niſi mature ſtatim Eupeithea repellat,
Et iuſtam Chriſti Nemeſin clementia placet:
Nos ſimul, & circa populos ea fata manebunt.
At tu, ſumme Parens, qui cali ſydera torques,
Qui leni imperio flectis ſacra pectora Regum,
Qui verbo populorum animos compeſcis, & iras:
Da modo te nobis facilem, noſq; effice primum
Cælitum dignos cura, vigilique labore:
Quæſumus, ut, quæ nos diuturno concutit auſu
Aten, ignivomi mergas fornacibus Hecla,
Aut capiti infringas Eoa Barbariei.
Quæſumus, ut tantorum odiorū nube fugata,
Accendas, foveaſque ſerenæ lampada pacis:
Nos neque deliciis dedemus pectora noſtra
Improba, nec ſtolido repetemus iurgia niſu,
Sed placidis animis devincti, mente quieta,
Officium inter nos acri ſtudio omne colemus:
Cum primis Te, Sancte Parens, à quo ſumus, ad quem
Tendimus, ex animo vita venerabimur omni.

Non incongrui ſtyli Carmen hoc cenſendum, quum tot gravia crimina, & vitia hominum acriter impugnet, inque melioris vitæ ſpeciem corda ipſa reſuſcitet, ut etiam noſtris tam perverſis temporibus ſuum debitum incutiat rubórem, ob tot atrociſſima, & pluſquam ferinę barbariei fæviſſima flagitia, quæ ſuo rectius depinguntur loco. Quæ igitur Dorpati Urbis ſub iſta tyrannide mortalium conditio admodū dura fuerit, ſatis ex ipſis rerum circumſtantiis patet. Vix aliquoties ſe recolligere inceperat, quum mox infeſtatione vicinorum obrueretur. Etenim Ruſſorum excurſiones circa Nervam adeo frequentes, per aliquot tunc annos erant, ut incolis, & civibus Dorpatienſibus ſæpius vel ad Revaliam uſque, vel ad Parnoviam, matiſque loca viciniora eſſet confugiendum. Quamdiu Carolus IX. fuit in vivis, nunquā non periculis plenis, & calamitatibus expoſita fuit Livonia: tamen Ruſſiæ confines terræ ut plurimum

cladibus gravioribus præ aliis obnoxiæ erant, quum interiora regionis huius viscera mactationi, & expoliationi Russorum Polonorumque potius obvia exponerentur, quum alias per maris aditum non ita frequens esse posset succursus, nec sufficeret miles præsidiarius Suecicus. Quippe ita sita est Livonia, ut à dextera parte, ubi à Borussia versus septentrionem tenditur tres attingat populos, Polonos, Russos & Muscovitas; dum iuxta latitudinis extensionē excurrit, & ad 6. gradus meridiani circuli, sive 90. milliaria, 3. gradus in Æquatore cum aliquot scrupulis, sive 50. milliaria Germanica exprimit; Circuitus vero ad oras marinas ultra 120. mill. uti supra dictum est, circiter continet.

Ab obitu vero Caroli Regis Suecorum, quum filius Gustavus Adolphus Rigam quoque ea ratione, ut paulo ante dictum est, in suam potestatem, & totam regionem hanc sic in tranquillioris status spem redegisset, se recolligere cæpit Livonia, & ditiones vicinæ, Provinciæque omnes; præsertim simul gentibus hoc non exiguum favoris animum adiecit, quod Gustavus depopulatas illas terras edicto aliquo publico exteris populis, & alias exulantibus per Germaniam ad incolendum Anno 1628. allicuerit. Quæ inventio ita peperit ipsi altam laudis gloriam, ut omnibus hac ratione efficeretur amabilis, etiam iis, qui antehac eius nondum inaudierant nomen. Quam liberalis autem oblatio regni eius, & receptio desiderabilis fuerit, iuvat heic inserere ex copia litterarum, effectum illis relinquendo, qui experti sunt gratiam tantam, minus postea iuxta querelas eorum iucundam.

NOs Gustavus Adolphus ex Gratia Dei, Suecorum, Gothorum & Vandalorum Rex, Magnus Princeps Finlandiæ, Dux Estlandiæ, & Carelorum, Dominus Ingermanlandię. Hisce omnibus illis, quibus scire conducit, notum & cognitum facimus, nobis certa experientia indicatum esse, quomodo ex una parte nostri circumiacentes vicini à suis adversariis ita acriter premantur, & persecutionibus infestentur, ut inde domicilia, & habitationes deserere, & se, quocunque modo, in alia, & secura loca recipere cogantur, ac quum in primis multi eorum inveniantur, qui refugium suum sub defensione, & protectione in Sueciam quærere gestiant, si modo de consensu & adstipulatione nostra assecurati esse queant. Quum vero nos istis omnibus, qui in tali necessitate, & periculo hærent, Christiano modo condoleamus, præsertim que libenter cernamus, ut vicinis nostris solatio aliquo firmo adsistere possemus, nec solum peregrinos subditos, sed etiam omnes religioni nostræ addictos, patrocinio nostro excipiamus: Ideoque hanc quoque gratiosam affectionem nostram, & consensum publicari curavimus, ut unusquisque, qui cupit, & appetit se nostræ protectioni submittere, & huc recursum quærere, donec Deus omniporens tandem huic ærumnoso statui benignam mutationem imponat, notitiam huius acquirat, quod istud clementer concedere, & permittere velimus. Inde pro primo assecurationem præstamus unicuique hisce, quod libera absque ullo onere in nostras terras, & regnum illis facultas esse debeat, omnia, quæcunque in bonis, & mobilibus possident, secum advehendi: Deinde etiam, quod omnes in nostro regno liberi, sine oneribus ullis habitate, & suis portionibus, & bonis uti, fruique, nec cuipiam censurationi, aut contributioni propterea subiecti esse debeant, tam diu, quousque civilia cōmercia, & negotiationes non subeant: Atque si alicui civile aliquod commercium pro acquisitione victus suscipere in se lubitum fuerit, eidē nos electionem, & conditionem, æque, ac nostris subditis concedemus: Et tandem ultimo, quod si iterum ex nostra ditione discedere quis velit, cuivis hoc tam in persona, & bonis liberum, & securum erit, nec ullā detractionem, aut decimum nummum (velut alias in regnis usuratum est) persolvere tenebitur. In huius rei testimonium, & assecurationis fidem plenæ, nos regio nostro sigillo istud affirmare voluimus. Actum Stockholmiæ 12. Martij An. 1628.

L. S.

Gustavus Adolphus.

Per aliquot iam annos quam plurimi passim ob diuturnam belli tempestatem, in fuga ob metum mutandæ religionis, alioſque cautiæ suæ respectus vixerant, qui novas quærebant sedes: atque quum ex his, & similibus, clementiæ, beneficientiæque significationibus, & indiciis, exules sibi singularem affulgere putarent spem gratiæ; nec non in regis propriis ditionibus, & provinciis essent, qui hinc maioris lucri, & populositatis occasionem expectarent; tantam hinc Rex ille undiquaque, præsertim per universam Germaniam sibi conciliavit nominis claritudinem, & gloriam, ut nemo non ferme beatiorem sibi adoptare viram posse arbitraretur, quam si sub huius Gustavi Adolphi felici sceptro vivere ipsi daretur. Sic commune Christianitatis putiorisputabant eius regna receptaculum. Ante omnes autem maxime favere videbatur doctis, ut maior inde eiusdem enitesceret fama. Quin etiam hoc adsidua agebat cura, ut Livoniam populositate aliqua gratiori afficeret, cui intentioni maxime commercia, & litterarum culturam inservire cernebat. Quare indulgere his privilegia nonnulla quidem cupiebat, sed erant, qui licentiarum datiarumque & vecti galium modum inauditum ipsi insolentius surrogabant, ut vix quid pestilentius negotiationibus adiici in mari Balthico potuerit. Civitatum omnium mercatores, & cives sat ubertim sua hinc conquerun tur damna.

Interim tamen, ne in talibus nimius appareret eius tigor, aut severitas, tenaciori æquitati contraria, litteratorum curam pro suppressione sinistrarum opinionum in medio belli fervore, & tumultu accuratius agere studuit, ut ait in præf. ad Lect. Relat. suæ de inauguratione universitatis Dorpatensis Frider. Menius P. L. C. & Hist. Prof. p. Promotor autem istius rei summus fuit Iohannes Skytte L. Baro in Duderof, quondam Regis illius informator, Regni Suecici nunc senator, qui tunc regium præsidem egit Livoniæ. Vir iste, uti litteratis erat unice deditus, sic etiam hoc semper urgere non desinebat, donec Regis plenum obtinuisset consensum, & mandatum adnovam introducendam Livoniæ Academiam. Ideoque An. 1631. 15. Octobr. Dorpati, uti publice indicta erat, ita solemniter habita & inauguratio illius Universitatis in presentia aliquot invitatorum Legatorum, qui in templo cum professoribus comparebant, ubi concio ex 117. Psalmo instituebā-

tuebatur. Finita hac, Professor Theologiæ Georgius Mancelius conscendebat coram altari extructam Cathedram, qui post dissertationem de conscientia habitam, ex commissione Collegij accepta ad Iacobum Iohannis Skytrij dicti filium evocavit, eundemque Rectorem primum Academiæ designavit ritibus solemnibus, in tradendo illi librum constitutionum, & Matriculæ, item sigillum, Regis imaginem cum gladio denudato, & libro exprimens, item claves carceris, & fisci, adhibitis. Is quoque iuramentum impositis in librum digitis, præstitit. Postea à ministris sceptra argentea porrecta sunt, quum epomide rubeo serico esset indutus. Doctor autem Virginius prorectoris loco ipsi additus est.

Skyttius hinc gratias egit Professoribus, & postea ad studiosos obedientiæ causa convertit orationem, quibus suam promisit benevolentiam promptam. Atque hoc absoluto, & Musica finita templi, ordine processerunt cum iubilo ad convivium, in curia civitatis institutum, ubi lætitias in varia conversatione perfecerunt suas, velut & usque ad finem septimanæ festivitas hæc celebrata est. In vario gaudiorum cursu, quem sibi proculdubio sat longum cum plurimis Germaniæ populis persuaserant, ignari iam ferme præsentis mutationis in appropinquãte Regis fato, ut merito vates inscius quoque fuit huic Regi Dom. Heinsius, licet eodem ferme tempore Panegyricon, nimis alta sonans adulationis eidem caneret, ubi ait p. 37. Quædam mora, quædam indulgentia dolore, ac miseratione emendantur. Nemo non errare cogitur, sed persuadetur. Aliquid cælesti foro, ac supremo tribunali recte reservatur, nec tormenta ignorantiæ præscribit summus arbiter, sed veritatis normam, &c. An non igitur infigniter in normam veritatis huius peccet, qui mortali homini ipsius deitatis Numen adscribit. En qualis sit locutio Pet. Scriv. quam ita Gustavidon Clementis apponit: De Aquila, Rege Gustavo sibi impositio altius in cælum subvolante:

Dic volucrum Regina, Deum quem subdita portas?

Gustavum, nostri temporis ille Deus.

Sed tempus nimis exiguum fuit, quam Dorpatum ad 6. Novembr. statim post introductionem lætitiæ tantæ factam, obitum suum Regis misere deplorare in luctu merito cogeretur, unde reliqua æstimentur.

Revalia hinc sequitur, quarta Hanseæ civitas in Livonia. Metropolim in Esthorum provincia Hatria constituit, & versus Aquilonem ad mare Balticũ sita est, nihilo Riga inferior, à Waldemaro Reg. Dan. 2. anno 1230. condita, & insigni regni Daniæ, tribus videlicet Leonibus ornata est simulac cum privilegiis, unde & jus Lubeccense habent ac colũt. Diu fuit sub regno Daniæ, donec Anno 1347. Gosvinus ab Eck Mag. Ord. hanc urbem, Weleberga & Nervã à Waldemaro IV. rege Dan. 19000. marcis argenti emeret, & Livoniæ adiiceret. Sed anno 1560. Russis Livoniam crudeliter expugnantibus, & urbem hanc varie oppugnantibus, cives cum Senatu Revalienses se in tutelam Erici Regis Sueciæ dederunt ita, ut privilegia & immunitates integræ illis permanerent; arx vero anno 1570. per proditorem in manum Sueciæ quoque tradita est, uti & frustra tunc à Moschis & Magno Holsatiæ duce obsessa fuit. Revalia autem in commerciis tunc magis florere cœpit, quum Hanseaticis libertas anno 1477. Novogardię in Moscovia sub ducis Iohannis tyrannide imminueretur. Verum quum ex divitiarum accretione Revalienses superbire ac leges proprias sibi contra pacta fœderis Hanseatici conficere, monopolioque novo omnia in se derivare anno 1550. inciperent, avaritia hæc nimia maxime eos decepit; nec tantum Hanseæ ab iisdem defecerunt, sed etiam ipse Moschus inde causam novi belli inde prætendere non veritus fuit. Etenim nolebant Rigenses concedere, quod cum ullo alio mercatore, nec cum Russis ipsis commercium quoddam esset exercendum, nisi cum civibus suis, unde libertas negotiis periit. Proinde, quæ inter Russos & Lubeccenses aliasque Hanseæ civitates ibidem ac exteras gentes cõmercia Revaliæ hactenus exercebantur, à Lubeccẽsibus & aliis Nervam translata sunt, præsertim quũ Moschus Nervam occupasset sibi. Nam Russi mercatores, qui Revaliam antea merces suas deportare solebant, etiam ante bellum tic offensi, commodiorem suis negotiis Nervę locum putarant. Quare bello adversus Livoniam moto, & portu maris Baltici optato Narvæ à Moschis capto, sedẽ Emporii Russici, quæ Revaliæ erat, Nervæ collocarunt. Ideoque magna frequentia portus ille, non solum ab Hansis; sed exteris aliis, Anglis, Belgis, Gallis merces omnis generis convehentibus invisebatur. Anno 1577. Revalia actiter à Moscho oppugnata & obsidione cincta fuit, qui etiam usque ad Rigam omnia occupavit. Postquam vero Nerva à Sueco iterum occupata fuit, Revalienses sæpius sedulo se Hanseaticis civitatibus obtulerunt, instanter petentes singulis huc usque annis, ut commercium Russicum apud eos posset restitui, deprecati quoque sunt culpam: sed quum civitates anno 1620. usi sint ipsæ intercessione ad Moschum, ut Novogardię posset universale Emporium restitui, noluerunt eos audire. Causas *vid. apud Chytr. lib. 19. p. 498.*

Nerva autem urbs à fluvio eiusdem nominis, qui ex lacu Beibo in sinum Finnicum, Livoniam à Russia separantẽ, se effundit, velut de Parnovia dictum est, sic vocatur, & Metropolin Wirriæ constituit. Condita quoque est anno 1223. à Woldemaro II. Rege Daniæ, ut supra retulimus; ob loci & portus commoditatem diu fovit commercia Hanseatica, donec à Carolo Sueciæ Rege anno 1601. & 1602. misere regio devastata & occupata fuit. Fecit depopulatio nimia, quod minus frequens ex aliquot nunc annis emporium ibi floruerit, quamvis hoc nostro tempore Gustavus Adolphus ingentem laborem impendat, ut ibi commeatum mercatorum restaurare queat: velut etiam non tantum mercatores & colonos ex ipso Belgio illuc evocari curavit, sed quoque magnis privilegiis colonias illuc ducentes ornare pergit; de quo suo loco plenius.

Iam quidem etiam de Novogardia Russiæ urbe 40. milliaribus à Nerva distante, ut tractus ille ad mare Balticum in enumeratione civitatum & Emporiorum Hanseæ absolveretur, nobis quid dicendũ foret: verum quum illud universale constituat Emporium, suo loco ordinario in sequenti parte id relinquere cogimur, quam nunc subnectemus.

Sequitur

Sequitur Copia insignis & inviolabilis Privilegij, & obsignationis Schonlandiæ, de quibus aliquoties supra actum est.

IN Nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti Amen. Notum & cognitum sit omnibus, qui scriptum hoc vident, legunt aut legi audiunt, quod nos Henningus à Putbusch Capitaneus regni Daniæ, Nicolaus Archiepiscopus Lundensis, Ericus Episcopus Odensehensis, Nicolaus Episc. Roschildensis, Iohannes Terbachius Capitaneus Weddingborgensis, Vickius Moltke Capitaneus Niebuyensis, Ioel Adolphi filius & Dominus Bernhardus Buygius, Capitanei in Halbecka, Otto à Luddawe & Iungeschonda, Iacobus Nielsen, Capitaneus Sehebergensis, Tycho Schwyte Capitaneus Corsoarensis, Heinricus Ianse, Apollo Parisonius, Eques in Seelandia, Iohan Pellæus Capitaneus Calloensis in Iutlandia, Henningus Kothboldt, Henningus Kottelbergius, Equites & Capitanei in Iutlandia, Henningus Moltkekneckt Capitaneus Nuborgensis, Iohan Axelsonius, Henningus Merenstorph, Equites & Capitanei Aleholmenses in Lolandia, Cunrad Moltkw Capitaneus Warburgensis in Selandia, Henricus van der Stein / eques & Capitaneus Weissenbergensis, Otto Bassaw, Eques in Samsow, Punctmannus van der Landen/ Petrus Eck, Capitanei Laholmenses, Tuickæus Petersonius, Capitaneus Ortstesis, Petrus Nielsenius Capitaneus Lintholmensis, Torckelius Niegelsenius Capitaneus Aerborgensis, Peter Axelsonius de Grierresholm, Bussus de Paris, ac Petrus Falckius, Consiliarii nostri Clementissimi Domini excelse nati Principis & Regis Woldemari, Regni Danici, iubemus, volumus, & contrahimus ex mandato atque consensu nostri Domini prædicti, ex nostro proprio bene consulto animo ac libera voluntate, quod firma, stabilis, æternaque reconciliatio & finis omnis belli, litis & discordiæ, quæ fuerunt inter nostrum dominum, eius regnum, eiusdemque viros & adsistentes ab ipsius parte, ac inter civitates, nempe Lubecam, Rostochium, Wismariam, Stralsundium, Gryphiswaldium, Stetinum, Colbergam, Stargardium, Coloniam, Hamburgum, Bremã; in Borussia Colmenium, Thoruniam, Melvingam, Dantiscum, Konigsbergam, Braunsbergam, & omnes Civitates in Borussia sitas; in Livonia Rigam, Dorpatum, Revaliam, Parnoviam & alias civitates in Livonia sitas: Ad mare Australe, Campenum, Davantriam, Ultrajectum, Schwollam, Haseloam, Groningam, Zirichsæam, Brielam, Middelburgum, Ornamundam, Hardervicum, Zürphaniam (Sudsels) Elborgum, Staveriam, Amstelrodamum, Dordracũ, & ad id omnes reliquas Civitates, cives & mercatores & eorum ministros, qui cum iisdem in eorum lite & bello comprehensi sunt, & qui iure ab eorum sive altera parte præsentes aut futuri sunt, quod illis sit concessum, ut per mare & per terram illis licitum sit in universo regno Daniæ & Schonlandia commercia sua quærere, ac in omnibus istis locis, oris & finibus, tam per terram quam per mare ire proficisci & navigare ac conversari, negotiari in omnibus partibus cum bonis & commerciis absque ullius hominis ullo impedimento, ut iis utantur, quascunq; habent, & negotientur, attamen ut debitum & iustum vectigal solvant ibi, ubi tenentur iure, nempe velut heic subscriptum est.

Porro etiam teneantur littus & orasmaris, in securitate consuetudinaria conservare: Et in omni regno Daniæ & Schonlandia & omnibus regionibus Regni Danici in æterna tempora proprium illis sit, ut bona cuiusvis naufragij, vocetur ut ut velit, sive confractum sive natans in mare sit, sive quocunque modo appelletur; in ratione hac, si accidat, quod ulli homines ex istis prædictis Civitatibus naufragium patiantur, in ulla aliqua parte prædicti Regni aut eius terræ; sive ipsorum naufragalia bona, confracta, sive ubi ubi sint, ad regnum Danicum terramve eius prænominatam in ullis oris aut angulis natando appropinquarent, vel appellerent; talia cuncta bona licitum illis sit sibi assumere, aut auxilio aliorum hominum salvare, aut salvari curare, iisque pro voluntate libera uti sine ullo impedimento.

Quod si etiam mercenariorũ ope indigeant, eos sibi conducant, & constringãt sua pecunia & numis, ubicunque invenire tales possunt, absque defectu & impedimento; velut nec id Regi nostro adversum erit, neque regno, eiusque præfectis.

Quod si vero accidat, ut talis bona naufragij ad hoc regnum, eiusve terras appellerentur, ac homines suffocati essent, interirentve submersione, ea bona tenetur proximus prætor, aut qui potens ibi est, salvare aut salvari curare, & quodcunque ita salvatur, id tenetur cum scientia & advocatione aliquot hominum in proximum templum deponi curare, & descriptione adnotari, quæ qualia & quot sint, ut ita iuste adserventur omni fide, & ad manus verorum hæredum perveniant, sive iis, qui omni iure bona talia poscant, tradantur.

Quod si intra anni & diei spacium testimonium in scripto civitatis suæ, in qua cives sunt, & veri hæredes talis boni sint, vel iure debito id petant, adforant, tunc quilibet tenetur his ad bonorum traditionem & restitutionem, adservationemve, ita ut mercenariis sua iusta solvatur pro præstito labore merces.

Quod si etiam quis in hoc regno eiusve provinciis, qui talis naufragii bona sibi adsignare studeret, ac restitutionem eorum cuipiam, qui iure illa postulet, abnegaret, ille furis instar vita privabitur criminaliter, iuxta iura, quæ prohibent contrectationem fraudulentam aliorum bonorum, nec uspiam ullam merebitur gratiam absque consensu accusatoris, & absque fraude inde restituantur bona illi, cui ex iure debentur.

Quod si etiam cuipiam nautarum anchorã aut funalia in mari fundove eius adhæreant, sive etiam in portu fixa resideant, liberum ipsi erit talia absque ullo impedimento ex fundo aut alio loco fixo vindicare & extrahere in commodum suum pro libera mentis voluntate. Porro licitum sit civitatibus prædictis, ut præturas suas ordinent & eligant in sua Iurisdictione in Schonia & Falstriano territorio, & ubicunque Iurisdictionem habeant in Dania passim ac prætores sive vogidij iudicent ubique eos omnes, qui in præturis sub eorum sunt Iurisdictione; Atque sic ulterius omnes suos cives & ministros in ea Iurisdictio-

dictione; ac iudicent omnes causas & mulctas, exceptis iis causis & pœnis, quæ certa constitutiones & statuta Lubecensium, capita & manus conservant in sanguine, & absque plenis vulneribus, quæ punctione aut cõtusione facta sunt, nisi sint quędam civitates, quę litteris regis Daniæ aliter quid demonstrent, illæ libere suo iure utantur.

Porro cum his comprehendantur, quoscunque illis lubitum fuerit, sub hanc Iurisdictionem recipere, & quibus concedere velint, ac qui cum iisdem advectura utantur, simul qui cum illis ab antiquo adfuerunt: ac libere utantur nobili iure suo & privilegiis cunctis. Porro vectigal illic solvatur Germanis, usque ad ius Danicum. Quod si vero quis culpandus sit, hoc fiat coram Germanico prætore iuxta illius aut cuiuslibet civitatis statuta.

Porro in sua Iurisdictione habeant sex Oenopolia aut hospitia publica in quavis Iurisdictione, ut ibi cerevisiam & mellis sericum vendant ad potandum: at vinum non nisi in unius Iurisdictionis uno Oenopolio vendatur portantibus; de quibus nihil pro vectigali solvi debet.

Porro infirmari Iurisdictio nulla debet in ullis, quæ litteris eorum, aut Seniorum civium, qui in terram eam veniunt, fide possunt probari. Quod ædificatum est in eorum præiudicium, illud destrui debet; ac nisi quis id sponte facere velit; tunc prætor, qui in illa Iurisdictione est, aut eius cives, id demoliantur, absque ulla mulcta: quippe eorũ jurisdictiones ipsis in suis locis manere debent, velut statuta eorum fuerunt, quæ documentis scriptis probare valent, aut fide Seniorum illorum civium, qui terram in hanc venire solent.

Præterea licitum illis sit, ut in Iurisdictione sua cuivis pannum, & linum sive linteamenta in compactis fasciculis, sive mensuris convoluti (Repen) vel absciſſis portiunculis (Stuffen) absque mulcta vendant.

Insuper in pannopoliis suis pannum & linteamẽta ulnatim vendant, & de loci illius usura saltem unum solvant Schillingium grothorum, nec ulterius quippiam.

Porro carnificatores, sive laniones, & sutores, & mercatores sericorum, pelleatores, & omnis generis homines tribubus incorporati utantur libere suo munere & tribu, & de unoquoque suo ergastulo dimidium Schillingi grothani solvant, nec ulterius quippiam. Hæc tamen de illis, qui in jurisdictione sua habitant, intelligendum est.

Præterea licitum sit prædictis civibus & mercatoribus, ex consuetudine habeant naviculas proprias, sive Cymbas & piscatores in Schonia, atque utantur iis piscenturque iuxta propriam voluntatem: velut & ex consuetudine suos proprios habeant currus, & suis utantur vehiculis, iuxta suam voluntatem, ac solvant pro unoquoque curru unum Schilling. Grothanum, nec ulterius quippiam: quamdiu in Schonia subsistere velint.

Quod si autem accidit, ut alius quis currus lapsu cuipiam impingat, unde damnum emergat alicui; licitum sit illis, currum una cum equis in arresto tamdiu detinere, donec mercatori pro damno perpesso satisfiat.

Porro, pannum & vinum in pondere tanto, quantum 4. equorum vectura trahere potest, de eo cuique dimidium Marcæ Schonensis solvendum est iis, quibus potestas id exigendi data & concessa erit. Quod si etiam fiat, ut is, cui bona & commercia advehendum sunt concredita, damnum faciat, istud damnum recompenset in tantum, quantum ad vecturam 2. equorum sufficiat; ut ita quisque vectorũ discat, ne nimium præcipiter; sed sensim vectionis præstet officium cum iudicio sano. Insuper licitum sit unicuique mercatori interdiu tempore quovis libere enavigare & apportare merces; nec minus mercatorum quilibet sua arma, quando terram ingreditur, usque in hospitium suum gestet; similiter quando navim ingredi copit absque dolo.

Quod si citra hanc conditionem arma gestet, & frangat hoc pactum, quoties hoc fiat, pro mulcta marcam Schonensem solvat.

Porro concessum sit cuivis mercatori, ut per littora naviget, & ex una navi in aliam permeet in portubus prædictis Regni Daniæ absq; ulla mulcta.

Præterea habeant suas proprias naves traiectitias, & onerarias plures, quibus commercia elevando transportent: solvant autem de traiectitia & oneraria marcam Schonensem: atque sic liberum illis sit pro lubitu enavigare, aut remeare navibus quovis tempore. Porro nemo omnium præ altero navem reficiat, nisi subsit confractio præsens, atque talis suam reficiat sibi navem; nec quispiam pro altero luat culpam; nec ministrorum quis Domini sui bona supprimat, aut fraudulenter contrectet, vel permutet dolose.

Insuper si quis mercator mercimonia transvehat inter Falstriæ fundum & Schoniam, illi solvatur nihil; quod si vero quid per terram curru vehat, non ultra quartam nummi partem quid solvatur.

Præterea si forte prætor à mercatore bona emat, id non contra mercatoris voluntatem coacte emat, sed uti bona & mercimonia in usu sunt, ita emat, & parata pecunia solutionem præstet.

Porro nova moneta nostri Domini non citius, quam octo diebus ante festum D. Michaelis in publicum prodire debet. Tum quoque quisque mercator in monetæ bonitate iuxta cõsuetudinem mercantium quid emat. Si quis id frangat, & in facto deprehendatur, ille luat mulctam quinque marcarum Schonensium pro singulo.

Tum etiam forum nundinationis, quod in fundo Falstriano aut Falsterboa habitum est in Sundensiũ Iurisdictione, reducatur in locum pristinum & nusquam aliter celebretur.

Præterea telonium sive vectigal, quod ab omnibus commerciis solvi debet, tale est, ericque semper. Nempe pro primo de halece intra terram solvantur ex pondere, quod Last dicitur 20. obuli Schonenses.

De halece, quod navigio circa terram avehitur per Oresundium, nihil plane solvi debet, sed tantum navis, cui imposita est merces halecum, pro telonio aut vectigali undecim Schilling. Grothanos, 4. Grotis minus, in Grothanis usitatis, aut Anglicanis vel Lubecanis nummis, uti in usu & valore sunt, solvat & enumeret; ex quo halecis erit libertas tota. Pro pondere Lastij salis ex terra ea solvantur in vectigali 20. obuli: Pro decemario (vulgo Defer) pellium bovin. aut vaccar. 16. obulos Schonenses in vectigali solvant: Pro libra Lisiana lardi 20. obuli

Schon.

Schon. exſolvantur. Pro tonna butyri 10. obuli Schon. velut & pro tonna mellis & omnium pinguiũ mercimoniorum 10. obuli Schon. Item pro tõna carnis bovinæ 1. obuli Schon. Item pro equo ultra 20. thaleros empto 2. quartæ partes obuli ſolvantur in telonio. Porro pro veſtimentis & lectorum veſtitu, velut & pro ciſtis, nihil ſolvi debet. Præterea omnes Germanici mercatores, qui in Schonia, aut fundo Falſtriano propriam terram poſſident, utantur ea libere abſque ulla intricatione, quòd intelligendum eſt de Danica terra, extra Iuriſdictionem eorum ſituata.

Inſuper ſi quis moriatur in prædicto regno, & terris, ibi prætor eorum Germanicus, aut qui proximi ab eodem ſunt, defuncti bona ſuis hæredibus tradere tenetur: Si vero non ſint præſentes hæreditatis petitores, tunc licitum illi ſit, ut bona ea per terram curet & vehat, ut iis tradat, quibus hæreditas illa competat de iure.

Porro iſtius contractus literæ nihil præiudicent priſtinis litteris eorum privilegiiſque, quæ à prioribus Regibus obtinuerunt Daniæ: ſed utantur iiſdẽ, quum plana illis poſſeſſio relicta ſit; velut etiam omnia prædicta heic privilegia perdurare debent in æterna tempora; nec quiſquam ultra iſthæc ulla exactione moleſtari debet, nec quid ab aliquo exigi; potius quiſque in ſuo relinquatur iure, & iuſtitia, & libertate, uti ſuperius deſcriptum eſt. Ac licitum ſit, ut unus Lubecensis obulus perſolvatur pro 2. Schonenſibus.

Præterea in maiorem vim rei, quod omnes prædictæ concluſiones, & articuli omni bona fide abſque ullo dolo ſervari debeant, hoc omnes, & ſinguli nos ſancte promittimus, etiam loco Dn. Regis noſtri, & omnium eius ſucceſſorum, & loco omnũ incolarum Regni Danici, ac poſterorum omnium pollicemur, quod ductatio eius debeat eſſe in æterna tempora, atque fides integra, conſtanter vivida, & infringibilis, cunctis prædictis civitatibus & earum civibus, mercatoribus, & miniſtris, abſque vacillatione ulla ſervari debeat, quam nec ullum effugium, nec ius, ſive ſpirituale, aut mundanum infirmet.

Porro iſtis prænominatis punctis omne diſſidiũ, diſcordia & lites, quæ inter dominum noſtrum Regem, & eius ſucceſſores Regni Danici ab una, ac inter prædictas civitates & cives ab altera parte ortæ ſunt, penitus obſoletæ & in æternum conſopitæ ac ſepultæ eſſe debent: Atque ut eo maior & plenior corroboratio & firmitudo totiuſque rei ſecuritas ſit, nos Henningus de Putbuſch Capitaneus Regni Danici, nos equites & viri una cum Epiſcopis & Archiepiſcopis omnes, ſicut prænominati ſunt, nos ſinguli ſuum ſigillum ad has litteras ex ſcientia & conſenſu omnium appoſuimus, quæ datæ & ſcriptæ ſunt Stralſundij à Nativitate Dei Anno 1370. nono die poſt Aſcenſionem Domini.

Copia Obſignationis Schonlandicæ ſequitur.

NOtum ſit omnibus & ſingulis, qui has litteras vident, aut legi audiunt, quod nos Henningus de Putbuſch, Capitaneus Daniæ, Nicolaus Archiepiſcopus Lundenſis, Ericus Epiſcopus Odenſehenſis, Nicolaus Epiſcopus Roſchildenſis, Ionas Terbachius Capitaneus Wedingborgenſis, Fickius Moltke Capitaneus Neobuyenſis, Dn. Bernhardus Buyge in Halbecka, Otto de Buddewe in Longe-Scheveda, Iacobus Nielſenius Capitaneus Sehebugenſis, Georgius Reyſe, Capitaneus Korſorenſis, Henricus Ienſius, Pellæus Paris eques in Seelandia, Ionas Pellæus Capitaneus Kalwehenſis in Iutlandia, Heino Caboltius, Henricus Kettelbargius equites & Capitanei Orkellenſes, Henoekeius Molkekneche & Capitaneus Nuborchenſis, Ionas Axelonius, Henningus Meinſtorpius Equites, & Capitanei Trankerenſes in Langelandia, Dn. Carſtenius Kulæus Eques & Capitaneus Alholmenſis in Lalandia, Cunradus Moltke Capitan. Warendorpenſis in Hallandia, Heinricus ab Orſten Eques & Capitan. Weiſſenbergenſis in Samſoe, Otto Baſſæus eques, Rickmannus van der Laugte/ Petrus Eskelſenius Capitanei Laholmenſes, Tucko Petterſonius Capitan. Oſtenſis, Petrus Nielſius Capit. Liuthol-menſis, Torkel Nielſius Capitaneus Ahuſenſis, Petrus Negelſenius Capitaneus Buegitsholmenſis, Baſſæus de Paris, & Petrus Falke nobiles (vulgo Knapen) & Conſiliarii noſtri Clementiſſimi Domini, excelſe nati Domini, & Principis Regis Woldemari, Regni Danici iuſſu, conſenſu, & mandato pleno noſtri Domini prædicti, & regni ſui, & ex noſtro pleno conſenſu & libera voluntate, tranſegerimus, & adſignando contraxerimus cum civitatibus Lubecca, Roſtochio, Stralſundio, Wiſmaria, Grypſwaldio, Stetino, Colberga, Stargardia, Colonia, Hamburgo, Brema, in Boruſſia Colmena, Thornnia, Melvinga, Dantiſco, Konigſberga, Braunſberga, in Liflandia Riga, Revalia, Dorpato, Parnovia, ad mare Auſtriacum, Campena, Ultraiecto, Daventria, Schwolla, Haſſelto, Groninga, Zyrickſæa, Breda, Middelburgo, Hardervico, Delburgo, Stavera, Dordraco, Amſtelrodamo, ira ob ſententiam & multiformia damna, quæ civitates, & earum cives in bello per tot annos pertulere & paſſi ſunt, pro damni huius luitione, & culpa, nobis duæ partes adiectæ ſunt, & Regi noſtro Daniæ Regnoque huic tertia pars competit; & omnis fructus perceptio, quæ in Schonia & fundo Falſtriano, Helſchenburgio, Elbagia percipitur, per quindecim annos ex vectigali, aut telonio, ex navibus minoribus, tranſportatoriis (Pramen vulgo) curribus, fundo, iudiciis, quæ tenemur ad tradendum, velut & omnem Iuriſdictionem, quæ in maximis addenda eſt, & in minimis, cuncta talia in pace poſſideant, & cum fructu percipiant per 15. annorum ſpacium: Tum in poſſeſſione adminiſtrent per hos 15. annos Helſchenburgum, Elbagiam, Schoniam, & Falſtrianum fundum cum omnibus pagis, & præfecturis, ac privilegiis, quæ ad ea ſpectãt, nempe omnes termini in Sundio, Aſcheborda, & Nareſborda, item Bergæ termini, Herdaceræ termini, & Vorſtæ gregarii termini, qui ad Helſcheburgum ſpectant, ac Roſæ greges ſpectant ad Schoniam & Falſtrianum fundum cum omni ſua utilitate, & omni pertinentia, ſpectant ad prænominatam arcem: hi omnes ſolvant fructus ſuos, exceptis feudalibus templorum.

Præterea in hoc circuitu gregum, qui illis deputati ſunt, & ad arcem prædictam pertinent de omnibus ſolvent ſuum debitum, tam Eccleſiaſtici, quam equites & nobiles, qui in tali territorio bona poſſident ſua, atque in eo habitant, in omnibus finibus illis, quos in ſua habent adminiſtratione, manebunt in iu-

in iure ſuo civitates proprio, & omnes illi, qui iuxta ipſarum voluntatem agere & contraria omittere cupiunt, ſervando arcem prædictam, ut rite obſervetur, quodcunque illis iuxta placitum addictum eſt debitum. Atque quum 15. anni iſti effluxerint, tunc teneretur iſtæ prænominatæ civitates noſtro Domino Regi & eius regno Danico arces has iterum cedere & in eorum reſtituere.

Quod ſi etiã hæc eſſet voluntas Dei, ut illis quidpiam ex his arcibus, vi eriperetur, aut evinceretur, id iiſdem abſq; damno, aut culpa erit, ac potius noſter Dominus Rex, & nos debebimus, & obligati erimus, ut illis omni auxilio, & fide tota, & plena cum potentia pro recuperatione illius, & evictione reſtituatur, quam ab iiſdem expectamus. Atque ut ſic noſter Dominus Rex, & nos civitatibus prædictis libere cum nobilibus, & bonis cunctis arces prænominatas cum omnibus pertinentiis, & fructibus territorii Schonenſis, uti antea ſcriptum eſt, in poſſeſſionem tradamus, & plenam evictionem illis præſtemus, nec non 15. iſti anni in ſolida evictione maneant iiſdem, in eum finem illis noſter Dominus Rex, & nos cum ipſo oppignoramus arcem Wardenburgenſem in Lalandia cum omnibus pertinentiis per iſtos 15. annos.

Atque ne in ullis fiat contradictio, nec defectus inveniatur ullus in iis omnibus, quæ inter noſtrum Regem, regnumque eius, & nos atque prædictas civitates contracta, & obſignata ſunt, inde Conrad Moltke cum eo, cui id mandatum eſt, in commodũ civitatum arcem Wardenbergenſem cum omnibus pertinentiis poſſidebit, donec plena reluitio civitatibus ſit facta.

Porro debebit noſter dominus Rex civitatibus prædictas partes, & puncta obſignare magno ſuo ſigillo (modo Dominus Regni ſui manere velit, nec alteri alicui Domino id loci relinquere) una cum Epiſcopis, Equitibus, & nobilibus, quos ad hanc rem civitates eligere velint, nomine totius regni Danici.

Præterea quod ſi noſter Dominus Rex, dum adhuc in vivis eſt, alii alicui ſuum regnum cedere vellet, id plane non admittemus, niſi id cum conſenſu civitatum fiat, atque hoc etiam ſuo maiori ſigillo civitatibus obſignatum confirmarit, cum voluntate Epiſcoporum, equitum & nobilium, quos ea ſibi ad id ſelegerint.

In ſimili & eodem modo etiam hoc ſervari ſancte debet: Quod ſi prænominatus noſter Dn Rex, quẽ Deus diu ſuperſtitem velit, moriatur, ſimiliter neminem in Dominum Regem adoptabimus, niſi id fiat ex conſilio, & conſenſu civitatum, atque idem civitatum iura, & privilegia denuo maiori ſuo ſigillo iis obſignando confirmarit una cum Epiſcopis, Equitibus, & nobilibus, velut antea id præſcriptum eſt.

Omnia hæc prænominata capita, & articulos, & ſingulum per ſe ſpondemus nos, & promittimus ſub honeſtate ipſa & fide abſque dolo, & fraude, atque abſque ullo effugio, exceptione aut excuſatione, tam nos Eccleſiaſtici, quam ſecularis ſtatus, quod ſumus conſtanter, vere, & infringibiliter ſervaturi: In maius rei huius teſtimonium, & veritatis ipſius, & in plenioiem eius cognitionem, nos Henningus de Putbuich Capitaneus Regni Danici cum Dominis Archiepiſcopis & Epiſcopis, Equitibus & nobilibus, uti antea præſcriptum eſt. cum conſenſu & ſcientia omnium, quiſque ſuum ſigillum hiſce litteris appoſuimus, quæ dictæ ſunt & ſcriptæ in Stralſundio poſt Dei Nativitatem Anno milleſimo, trecenteſimo, & ſeptuageſimo, ſequenti die poſt adſcenſionem Domini.

Quamvis iſta iam dicta privilegia, & obligationes adeo ſolemni, & unanimi conſenſu Regis Woldemari, & omnium ſtatuum Regni Danici ad inſtãtem eorum petitionem ex toties prædeliberato conſilio conſtitutæ ſint, ut non tantum firmitudinem nunquam ulla in parte violabilem, ſed etiam æternitatem ſub ſanctiſſimæ fidei promiſſione ſyncera ſecum importent, & demonſtrent; tamen non minus ſæpius aliquot infeſtationibus à diverſis Regibus ex inſtinctu procerum impugnatæ ſunt; inter quos non ultimus, ſed ferme præcipuus fuit Ericus 10. quem alii 8. alii 9. faciunt, Dux Pomeraniæ, qui quum Anno 1426. executorem agere cuperet in propria cauſſa ex ſubiugatione Holſatiæ, & Ducatus Schleſwicenſis maxime, quod ſententia implicata Imperatoris ipſi per intercælationem attribuerat, & inde ingentem exercitum coegiſſet, potiſſima offenſio in civitates, quod illæ Ducibus Holſatiæ ſubſidia præſtarent, redundavit, eaſque ſibi per plures annos hoſtes ſelegit. Sed quum ille poſt multos diuturni regiminis labores (quippe Reginæ Margaritæ per 16. annos coadiutorem, & ab anno 1413. uſque 1438. regentem ipſe egerat) tandem Danicam fidem in ingratitudine ſumma expertus eſſet non ſine damno ingenti, & tribus regnis reſignaſſet lubens, magnam cum civitatibus coluit amicitiæ coniunctionem.

Interim An. 1434. ubi ſatis Danorum libidinem contra civitates expleverat, in defatigatione, & amiſſione virium potentiæque, Rex iſte ex contributionis nimiæ exactione, ut bellum contra Lubeccenſes ulterius continuaret, in hanc incidit calamitatem novam apud ſ. Regna, ut Sueci primo in defectum ab illo abirent: Namque ea erat inſolentia nimis effarta, ut nunquam mitia curaret bonorum conſilia, aut imploratione, ſed crudelitatis Magiſtris ſempet prurientes applicabat aures, velut & ſingulari voluptati erat eidem, ſi flagellationes onerosas commerciis, & ſubditis propriis poſſet imponere. Sueci minus adſueti his, conquerebantur; & nobiles pro ruſticis, ac civibus intercedebant ſedulo apud Regem. Sed Rex uſq; rigoroſum ſe efferebat, ut Danicos officiatios præficeret Suecis, qui eos magis premerẽt, quod adeo mordebat Suecos, ut rumuſculos varios inter ſeſe clam de tali iugo minus ferendo primitus ſpargere inciperent. (ait Chronicon.) Hinc ſtemmate, & ſanguine inter præcipuos clarus Dn. Engelbrechtus conſultatione excitabat hanc nationem ſuam, quærendo, num in adiſtẽtia fideles ipſi eſſent ſe exhibituri, quod tũc cautam omnium in ſe ſuſceperus eſſet? Nemo non erat, qui non toto animo id expeririſſet; quin & iuramento confirmabat hoc populus, quod omnes, & ſinguli vitam, & bona cuncta lubentiſſime Patriæ impendere cuperent, ſi ipſe dictaturam hanc contra Danos in ſe ſuſciperet. Re ita confecta, tam nobiles, quam cives, & ruſtici armis conveniebant, atque civitates, arces, oppidaque cuncta, in quibus officiarij Danici inveniebantur,

eos omnes expellendo, occupabant per totum regnum Suecicum.

Rex igitur quum de ea defectione Suecorum, & novo regimine Engelbrechti certior factus esset, in varias coniiciebatur speculationes, quomodo seditioni huic remedia quæreret. Mittebat litteras ad Engelbrechtum, & status reliquos, eos non tantum dehortando; sed etiam mandabat serio, ut officiarios in suum restituerent locum: Verum minas, & mandata talia in vili habebant pretio, ut eo magis se in proposito confirmarent. Interim Anno 1435. ad diem Iohan. Baptistæ civitatibus conventus Werdenburgi Daniæ indicebatur, ad quem Lubeccenses, Hamburg. Lunæburg. & Wismarienses Legatos suos mittebant, ubi itidem Ducis Adolphi Holsatiæ deputati nobiles, & Consiliarij comparebant. Atque ut eo melius dissidium omne ad bonum perducerent exitum, summam totius negotii in aliquot coniiciebant articulos, causam communem concernentes; præsertim civitates commerciorum libertatem intendebant, ut gravamina abrogarentur contra pacta innovata. Danici autem semper antiquam repetebant cantilenam; quod ad tractatus pacis non possent progredi, nisi prius civitates se à Duce Holsatiæ separarent, ac potius Regi adsisterēt, ut Imperatoris sententiæ, quæ tamen hoc anno ab ipso Imperatore erat correcta, & Iohanni Skelio Episc. Lubec. in nova commissione pro reservatione feudi Imperii demandata, ceu postea secutum est, posset satisfieri.

In hoc puncto multum consumebatur temporis, & quum Dani cedere nollent, tandem erat expressa civitatum resolutio, quod nullatenus Duces Holsatiæ in his linquere possent difficultatibus, ob consequentiam rei gravissimam, præsertim quum & vergeret in præiudicium Imperii. Addebant etiam hoc, quod privilegia sua, & pacta penitus in vigore conservari vellent. Impudens enim hoc erat Regis, & procerum postulatum, ut ipsis liberum esset vectigalis extendere impositionem, quod contra ius Gētium, & tot pacta fieret: Ideoque eo magis irritabantur civitates ex ea manifesta iniquitate, quæ contra aperta pacta instituebatur. Disputationes erant variæ, neque Rex ullis poterat commoveri rationibus, quæ ipsa dictitabat natura.

Quum ergo tam Ducis, quam civitatum Legati cernerent, tempus cum omni opera adhibita inutiliter tot vanis effugiis perdi, in hoc erumpebant tādem responsum; se satis diu hac vanitate studiosa circumductos esse, nec amplius Danorum ludibria tot acerba, & iniqua, contra omnem rationem iustissimæ causæ perferre posse: Adiiciebant etiam hoc, quod si Dani cum Rege suo nollent rē propius examinare, se cum protestatione solemni sibi reservaturos esse ea, quæ necessitas iustificandi causam illis imponeret. Ac ne ulterius quid elusionis sibi Dani susciperent in civitates, aiebant, se ex hoc die nunquam amplius esse comparituros, licet toties id in posterum expeteretur, potius se ea esse susceпturos, ut Dani cum Rege suo cernere possent, se ad tam graves elusiones nunquam pro libertate sua assuefactos esse, ac sperare se, quod Deus adspirare posset eam fortunam, ut Dani potius in Germaniam ad se, quam ipsi in Daniam reverterentur.

Hæc & eiusmodi verba adeo corda Danorum percellebant, ut inde non levem concipерent metum, memores tot antehac perpessarum cladium; licet suas dissimularent considerationes, tamen quum cernerent constantiam animositatis tantæ in civitatibus, atque quod Legati cum hac resolutione discedere plane conarentur, resque suas navibus imponi curarent, Proceres Danici adibant Regem exponebantque illi, quæ non tantum acerba fuisset civitatum responsio, sed etiam quæ inde ex ptistinis actis metuenda regno universo essent damna, rogando, ut Rex hæc bene secum pensitaret, quanta clades, calamitas & miseria omnibus subditis hinc exoriri posset, quum nec temere novis periculis regnum esset exponendum, quod ita penitus per tot annos viribus suis exhaustum iaceret, ut vix redintegrari hoc modo posset. Tum etiam remonstrabant Regi, quæ potentia Civitatibus supereesset in tanta naviū, militumque copia, quinam adsistentes fortes, præsertim quæ vires, & vehementia factionum illarum in mari esset, ex quibus alii se excursores, alii Vitallinos, alii æqualiter partientes vocitarent. Atque licet damna non Regi essent protenus sensilia, tamen omnis calamitas, & miseria in nobiles, oppida, civitates & subditos converteretur, quibus tandem penitus exhaustis, damnum eo atrocius in Regni perniciem redundaret, quum quisque suis expoliaretur, exueretur que in particulari bonis. Quare putabant, in tempore huic malo præveniendum esse tractatione pacis, antequam nova, & fere ultima extrema subverterent regnum, quum tamen non tantum pax demum esset conficienda, nec inquietudo in infinitum cum consumptione populi extendenda; sed etiam salus universorum suprema lex semper esse deberet.

Ex consilio hoc Rex, qui alias valde pertinax erat propositi, nec facile recte consulentes audiebat, ita commovebatur, mandabatque, ut proceres, & Cōsiliarii de pacis mediis inter se convenirent. Sed hoc quoque non exiguo erat illis stimulo, quod Engelbrechtus in Suecia tantum novi regiminis motum concitasset. Quippe hoc metuebant maxime, quod, si ad belli redintegrationem progressæ fuissent civitates, etiam Engelbrechtus se his, & Ducibus Holsatiæ novo fœderis pacto adsociare potuisset contra Regem. Ad ipsum vero quum iam Legati Civitatū Lubec. Hamburg. Lunæburg. & Wismarienses starent accincti abitum, navesque conscendere vellent, è vestigio Senatores Regni ad eosdem mittebant, qui rogarent, ne discessum ita maturarent, quum nova spes affulgeret, quod possent media non nulla inveniri, quæ propius monstrarent compositionē aliquam; veluti etiam haberent, quæ de novo illis proponerent à Rege. Civitatenses, deliberatione inter se habita, respondebant, se quidem audituros esse, sed rogare, ne iterum res ardua hæc in elusionem novam pertraheretur; alias indignantiam graviorem cum difficultatibus non minoribus posset caussare patientia nimia.

Dani igitur placatiores redditi, omnem iam exuebant efferatum in his tractatibus animum; ac statim à principio quisque contestabatur sancte eorum, quod nil aliud, nisi ex corde pacem ambiret: Idem quoque Civitatum Legati promittebant. Hinc propius ita coalescebant animi, ut pars una alteri cedere inciperet, mediaque ita inveniebantur, ex quibus

pax

pax firma iterum poſt 14. annorum bellum cum civitatibus non tantum, ſed etiam cum Ducibus Holſatiæ conſtitueretur. Inter articulos autem, qui à civitatibus hac renovata tranſactione corroborabantur, principales, & præcipui erant, ait ſcriptor.

1. Quod mercatores ulterius ab hoc die ſemper non alicui vectigal, in tribus iſtis regnis, Dania, Suecia, & Norwegia ſolvere deberent, quam antehac ultra ſeculi tempora iuxta priora pacta dediſſent.

2. Quod tam Teutonici, quam alii mercatores nullo alio in loco vectigal uſitatum pendere deberent, quam ultra ſeculi ſpacium in uſu cotidiano habuiſſent, quæ conſuetudo quoque nunquam deberet innovari, aut mutari in poſterum.

3. Quod mercatores, & negotiatores omnes omnibus antiquis privilegiis, & libertatibus uti frui in tribus iſtis regnis deberent, quæ antehac à Regibus cunctis Germanico mercatori eſſent data, & conceſſa abſque ullo impedimento, & contradictione.

4. Ut Rex in determinatis temporibus, uti complacitum erat ſingulariter, damnum, quod à Danis eſſet tempore belli cauſſatum, civitatibus iſtis refunderet.

5. Ut Rex etiam omnibus iuribus, & prætenſioni, quam putaret, ſe in aula Imperatoris ob Ducatum Holſatiæ obtinuiſſe, renunciaret, nec amplius quid inde in vindicationem eius ſibi ſumeret, quam ſingularis tranſactio præſcriberet.

6. Quod econtra incolæ trium prædictorum Regnorum, tam in civitatibus his, quam Holſatia non aliud vectigal, quam ultra 100. annos hucuſque fuiſſet in uſu, ſolvere, ſed privilegiis, & iuribus uti deberent, quę ab antiquo talibus incolis eſſent data.

Quum tales articuli cum conſenſu Regis ab omnibus partibus ſubſcripti & obſignati eſſent, confeſtim publico edicto in omnibus ſuis regnis Rex id proclamari curabat cum annunciatione tali, quod æterna pax inter Regna, & Civitates, Holſatoſque eſſet erecta, ut nunc poſthac cuivis licitum eſſet illuc iter habere, & commerciis frui ſuis. Simili modo Civitates, & Holſati idem facitabant, ut proclamari cum gaudio curarent talem pacem, quæ omnibus paſſim incolis ſingulari erat refectioni. Atque ita ad finem perducta eſt belli diffidatio, quam prædictæ Civitates Vandalicæ per 14. annos cum Rege Erico geſſerant, &c. Hactenus Chron. Lubecenſe.

Ex qua relatione patet, quid de civitatum deprecatione ob errores, & peccata ſua agnita ſentiendū ſit, quam iterum Iſac. Pont. heic inverſo modo, adverſitati ſe accommodans, innuit factam, quaſi contra fidem, & fœdera ſumpſiſſent arma contra Regē, quum contrarium penitus ex hac hiſtoria effulgeat velut etiam plane diſſimulat, & ſilentio præterit, quod Civitates Vandalicas pro interpoſitione ad Suecos Rex invocarit. Anno enim 1456. (ait illud Chron.) quum Regi iterum ſecunda vice claſſis bellica contra Suecos eſſet ferme ventis conſumpta, ac Civitates Lubec. Hamburg. Lunæb. & Wiſmarienſis, Lubecæ in conventu adeſſent ſuo, Rex Ericus duos mittebat Legatos, nempe Comitem Iohannem de Neugarden, & Ericum Krommendikium Equit. atque expetebat, ut ob ſingularem amorem, & ſervitium, quem in futuris temporibus Civitatibus his poſſet præſtare, officium interpoſitionis inter ipſum, & Suecos, cum quibus tam acerbam hucuſque litem agitaſſet in puncto defectionis maligtæ, in ſeſe ſuſciperent, per quod amicabiliter res tranſigi valeret. Namque licet Engelbrechtus à Magno Benedicti æmulo nequiter ſecuri eſſet noctu interfectus, prope Goxholmiam in Inſula quadam, tamen Sueci pergerent in rebellione ſuſcepta, quum Holmiam, & Wusbyam ab omni commeatu intercluſam tenerent circa Gotlandiam. Et quamvis Epiſcopus cum aliis nobilibus, & civitatum incolis bonis ingentem impendiſſent laborem, ut lis talis ęquis conditionibus poſſēt componi, tamē adeo pertinaces eſſent Sueci, ut nullas audirent rationes. Ideoque Regem, aiebant, à civitatibus, quas noſceret, quod fideli integritate omnes perficerent tractatus, abſque fuco hoc petere, ut hanc ipſi fido corde navarent operam; quum certus ſciret, quod apud Suecos nemo meliorem fidem mereretur præ civitatibus his Vandalicis.

Quamvis Rex antehac fat iniquus fuiſſet civitatibus; tamen in anguſtiis conſtituto lubenter ſuppetias ferre cupiebant. Ideoque ex numero ſuo aliquot deputabant Legatos, inter quos erat conſul Lubecenſis Dn. Henricus Rapeſulverus, qui ad Suecorū deputatos, quorum conventus Wuſbyæ erat, ſe cōferebant, ubi poſt octo ſeptimanarum conferentiam inter varios tractatus tandem tales præcipui concludebantur articuli. 1. Ut Rex maneret regens 3. Regnorum per vitæ tempus, ſi non infringeret ſtatuta eorum, quod tunc nec Sueci alium ſibi eligere vellent Regem. 2. Ne Rex Danorum quempiam officio ullo Suecico præficeret, præſertim qui ageret Satrapam. 3. Quod Regi uſitata penſio, & contributio plenarie ſolvi debeat, iuxta cōſuetudinem Regni, ut inde vitæ ſuſtentationem agat, ſi degat in Suecia: quod ſi vero extra regnum vivat illud, dimidia ipſi pars ſufficiat. 4. Quod omnia privilegia, & cōſuetudines mercatorū in cōmerciis citra ullam novā impoſitionē illæſæ manere debeant, iuxta uſum eū, qui ultra 100. floruit annos. Quum articuli tales eſſent ab omni parte conſtituti, & confirmati, quiſque Legatorum Civitatenſium domum revertendo tranſacta talia referebat. Sed apparebat, quod regnorum ſtatus, & proceres tædio Regis ducerentur: unde An. 1457. officiarios eos undique non tantum ex arcibus, & civitatibus expellebant, ſed etiam aliquot gravaminum concipiebant articulos, quos petebant, ut abrogaret Rex.

Verum quum cerneret is, quam dura contra Dignitatem regiam eſſent poſtulata, ipſe convaſavit mobilia cum Clenodijs regnorum, eaque cuncta navibus imponi curavit, ac Dantiſcum traiecit, ubi honorabiliter à ſenatu exceptus; poſtea ad Magnum Magiſtrum Boruſſiæ profectus eſt, ubi ſe tam diu continuit, donec à Suecis & Danis ad eum mitterentur Legati, qui reditum eius peterent, licet ipſis non eſſet cordi, & magna vexarentur inter ſeſe diſcordia: Rediit tamen Rex in Gotlandiam, donec renunciaret plene, & demum in Patria Pomeraniæ Rugewaldiæ reliquæ vitæ ſpacium conſumaret. Hactenus ille.

FINIS PARTIS TERTIÆ.

INDEX CAPITUM,

Et series eorum, quæ singulis Capitibus continentur in parte priori Tractatus huius Specialis, alias respectu antecedentium tertia, de Civit. Hanseaticarum antiquo celeberrimoque Fœdere, eius origine & fundamentali constitutione vera.

PRoœmium. *Rationem connexionis indicans.* Pag. 201

CAP. I.

De origine civitatum Saxonicarum, cum gentibus earum, ubi simul non leves aliquot historicorum deteguntur errores. 202

CAP. II.

De origine vera urbis Brunsvicensis, Lunaburgensis, Bremensis, & aliarum adhuc Saxon. &c. 209

CAP. III.

De Hamburg. civitatis origine, & statu aliarum quoque civitatum Hanseaticarum inferioris Saxoniæ. 214

CAP. IV.

De Magdeburgens. varia confœderatione cum civitatibus circumiacentibus. 220

Ottonis I. Imperat. August. Constitutio, de locatione & privilegio Cameræ Imperialis Magdeburgensis, Anno Christi 947. ibid.

Regis Ottonis Secundi confirmatio fundationis Magdeburgensis, & eiusdem Privilegium adiectum. 222

Ludovici Pij Imper. Augusti Decreta Comitiorum Aquisgranensium de anno 814. ex ore boni Principis eximie referentia. ibid.

CAP. V.

De Prærogativo iure Magdeburgensium & Palatinis reliquis Saxoniæ. 223

Mandatum expressum Cæsaris Friderici III. in quo Dnn. Commissariis, & ipsi civitati Magdeburg. imponitur, ut Cæsaris & Imperij privilegia ac iura iuxta antiquam consuetudinem contra Archiepisc. rite defendant & observent, An. 1483. 226

CAP. VI.

De reliquis Saxoniæ civitatibus fœderi Hanseatico annumeratis. 227

CAP. VII.

De reliquis civitatibus, Saxoniam versus, & in veteri Marchia sitis. 231

Annexum huius capitis de Erfurto Thuringiæ. 235

CAP. VIII.

De politico regimine civitatum Saxonicarum, fida consociatione, & conservatione legali, & exemplo Eimbeccensi. 236

CAP. IX.

Saxonicarum virtutum vestigia in civitate Eimbeccensi, quarum verba in plano & contracto modo. 237

CAP. X.

De Vandalica gentis origine, & eorum antecessoribus Suevis ad Mare Balthicum. 240

CAP. XI.

De Megapolitanis & VVagria Vandaliæ & civitatibus earum. 244

CAP. XII.

De Lubecca, & origine eius historica, quatenus cum civitatibus Vandalicis ad fœderis Hanseat. facit inductionem. 246

Privilegium Ducis Henrici Leonis de Electione Senatus Lubeccensis. 249

CAP. XIII.

De primaria fœderis Hanseatici caussa, & commercio in Norvegia. 253

CAP. XIV.

De Regibus Norvegiæ, & à quibus Hanseatica civitates sua maxime sibi acquisiverint commerciorum privilegia, ac ius Emporij perpetuum. 257

Catalogus Regum Norvegiæ, quorum Chronologici

logici plurimos & Hiſtor. præterierunt in ſuis libris & ſcriptis. ibid.
N.B.N.B. Certior temporum ratio nunc ſequitur. 258

CAP. XV.

Fœderis Hanſeatici quædam documenta in forma Extractorum hèic depromuntur. 262
Extractum ex Regis Magni, qui & Olaus III. dicebatur, Privilegio ſub dato Tunſbergh, An. 1278. ibid.
Extractum ex Regis Erici & Haquini VI. Privilegio ſub dato Tunſbergh. Anno 1294. 263
Ex eodem. ibid.
Extractum ex Regum Magni VI. & Haquini VII. Privilegio, anno 1319. ibid.
Ex eodem. ibid.
Ex eodem. ibid.
Ex eodem. ibid.
Ex eodem. ibid.
Ex eodem. ibid.
Extractum ex Regis Haquini Privilegio ſub dato Kallingburg Anno 1376. ibid.
Ex eodem. ibid.
Ex eodem. 264
Extractum ex Regis Magni VII. Privilegio, ſub dato VVardberg. An. 1338. ibid.
Extractum ex Regis Chriſtiani I. quem Dani Chriſtiernum dicunt, Privilegio ſub dato Segebergk. An. 1469. ibid.
Extractum ex Regis Chriſtierni, ut Dani loquuntur & Norvegi, ſive Chriſtiani II. Privilegio ſub dato Elvizborch. An. 1455. ibid.
Ex eodem. ibid.
Extractum ex Regis Chriſtierni II. Privilegio, ſub dato Kopenhagen. An. 1513. ibid.
Ex eodem. ibid.
Extractum ex Regis Friderici I. Privilegio ſub dato Kopenhagen. An. Chriſti 1524. 265
Extractum ex Regis Friderici II. Decreto, quod Anno Chriſt. 1549. 16. Maij, Maieſt. Reg. Kopenhagij per Dominum Adrianum de Barbey Cancellarium Germanicum Legato Hanſeaticarum civitatum reddidit. ibid.
Extractum ex Tranſactione Odenſeiana Fyoniæ. ibid.
Extractum ex decreto Regis Chriſtiani IV. quod Anno Chriſt. 1615. 6. April. per Cancellarium Germanicum ſuum Doct. N. Metzlerum Legatis Hanſeaticis exhibitum & inſinuatum fuit. ibid.
Extractum ex Decreto Fridericoburgenſi Chriſtiani IV. Reg. Dan. quod Lubeccenſibus Legatis Anno 1621. ibidem exhibitum fuit. ibid.

CAP. XVI.

Continuatio hiſtorica utriuſque civitatis Lubeccenſis & Hamburgenſis, & quur civitatibus Vandalicis in fœdere Hanſeatico accenſeantur, tum de earum dignitate & diligentia in commerciorum defenſione. 266

CAP. XVII.

De Lubeccenſium varia fortuna & cladibus internis & externis. 274
Diploma Sereniſſimi Danorum Regis Friderici II. de libro Concordia non importando aut diſtrahendo. 278

CAP. XVIII.

Continuatio hiſtorica 3. Lubeccenſ. in propioribus hiſce temporibus, ubi etiam de renovatione antiqui fœderis Belgici agitur. 281

CAP. XIX.

Plenior hiſtoria Hamburgenſis iuxta ſtatum eius explicatio; quomodo per eam fœdus Hanſeaticum decreverit quidem, ſed nec ſine incommodationibus eſſe caperit. 290
Commiſſio Protectorialis à Carolo IV. Imperat. Hamburgenſibus pro tempore Anno 1359. conceſſa. 293
Imperat. Caroli IV. de Anno 1365. Conceſſio pro nundinis annuis, annuatim civitati Hamburgenſ. data. ibid.

CAP. XX.

De nundinis, iure Stapulæ, & foro promercali, vectigali, exactionibuſque, quomodo inter ſe differant, nec non Dominio in flumen Albidos Hamburgenſium, & quale ſit. 295

CAP. XXI.

Continuatio hiſtoriæ de Hamburgenſium renovato ſtatu, & alio renovationis ſtudio eorundem inter civitates Hanſeaticas. 301
Pontificis ſum. Bonifacij VIII. de Anno 1292. Conceſſio Altaris portatilis in turrim Novi operis ad Oſtium Albidos. 302
Confœderatio & amicitia contractus Hamburgenſ. cum VVortſatis, Anno 1316. pro defenſione Novi operis & ibidem Turris noviter erectæ. 303
Copia tranſactionis in puncto vectigalis Stadenſis cum Hamburg. An. 1340. ibid.
VVortſatiorum cum Hamburgenſibus contra proprium Dominum propter Ritzbuttelia vindicationem, &c. iurata conſpiratio. 304
Imperatoris Sigiſmundi Mandatum, quo Duci Brunſvicenſ. & Lunæburgenſ. ac reliquis aſſiſtentibus protectio æterna Anno 1417. Albidos fluminis committitur. 306

Confœderatio 4. civitatum de Anno 1487. pro commercij frumentarij reſtrictione in flumine publico Albidos. 308
Vera verba formalia homagij Chriſtiano III. Danorum Regi tanquam Duci Holſatiæ à Senatu Hamburgenſi Anno 1538. præſtiti. 309
Regia Maieſtatis Chriſt. III. reſponſum iuxta hunc tenorem. ibid.
Translatio & extractum Cæſaris Maximiliani II. Viennenſis Decreti de Anno 1574. in cauſſa Ducum Lunæburg. &c. nec non Magdeburg. cum Hamburgenſibus pro libera navigatione in Albi. ibid.
Homagium Chriſtiano IV. Danorum Regi, & Iohanni Adolpho Ducibus Holſatiæ, Anno 1603. menſ. Octobr. ab Hamburg. præſtitum. 311
Reſponſio Regis & Ducis. ibid.
Extractũ Reſolutionis Chriſtiani IV. Regis Dan. Hamburgenſium Legatis Haffniæ 29. Martij, Anno 1620. data. 312
Reſolutio Chriſt. IV. Reg. Dan. Deputatis Hamburgenſium 20. April. Anno 1630. in puncto repreſſaliorum aut repignorationis Glückſtadij data. 313

CAP. XXII.

De reliquis Vandaliæ, in Mecklenburgo civitatibus, quæ fœdere Hanſeatico comprehenduntur, & earum origine paucula, cum nominis Hanſæ, Mecklenburgique explicatione; nondum rite enucleata. 314

CAP. XXIII.

De civitatibus Vandal. Hanſæ in Pomerania ſitis. 328

CAP. XXIV.

De civitatibus Hanſeatici fœderis in Boruſſia & Livonia ſitis, & earum Metropoli at Emporio univerſali & ſubordinato Hanſæ. 343

TRACTA-

TRACTATUS SPECIALIS
De
CIVITATUM
HANSEATICARUM
Antiquo celeberrimoque Fœdere, eius consociatione, articulis & fundamentali constitutione:

PARS POSTERIOR;
Alias respectu antecedentium
QVARTA.

ANTEGRESSUS.

EX proxime antecedenti parte, in qua membrorum Hanseaticorum specialem enumerationem iuxta situm locorum, & intuitum alterius lateris, quod in universali conventu observari solet, facere incepimus, facile cuivis intelligenti patebit, quam dives, & memorabilis rerum diffusio sit, si omnia iuxta civitatum seriem in continuatione singulorum actorum, & naturam huius nobilissimi fœderis, quo nunquam ante hac quid toti Germaniæ statui, & vicinis Regionibus, ac Regnis utilius, magisque proficuum, convenientiusve excogitari potuit, explicari valeret. Etenim huius negotii tam immensa est amplitudo, ut ipsius commercii materia, quæ animam & spiritum in fomentatione sua universis regnis suppeditat, ac sine qua vix spiraculum trahere videntur, vel sola vix heic sufficeret, si digne omnia possent pertractari. Usq; adeo cura rei tam arduæ merito quem in varias partes distrahat, ut non tantum historica nude (velut invide invidi, qui saltem ex regulis suis inanibus citra omnem naturæ genuinæ intellectum, suam stultitiæ propriæ censuram sibi sumere, ac prodere, non verentur) sed etiam constitutio solida, & ratio fundamentalis fœderis universi sint relationi huic inserendæ.

Dicat aliquis nasutulus, & id absque hæsitatione dicat, quantum fœderis ratio ab ipsius Reipublicæ natura discrepet? ac quid heic interesse vere, quod minus in castra huius commigret, si paritatis rationem constituat? Certe nec hæc forma informis esse poterit, quum suo certi fundamẽto pacti nitatur, quod neque ordine ipso unquam carebit. Unde enim legitimam suam habebit cohęsionem, & connexionẽ, nisi bene conveniens, & idoneum subsit directorium? An non inde tot lites consurgunt sæpius, ut etiam in sui dissolutionem abeat ex pactis mutuis illud compositum, si suo deseratur ordine, & affectio amoris debiti inter partes utrasque exspiret? Quapropter omnis deviatio heic cautissime declinanda venit, ne alicubi exorbitantia quædam committatur, quæ desperationem confœderatis causser, quum arctissima amicitia cohæreant, quæ facile induere valet mutationis formam, si quid subrepat, quod fidem in dilectione, & obligatione debita violare, aut in vitium convertere aliquod incipiat. Atque hoc est, quod superius in speculo Helvetici fœderis explicatum dedimus, ubi universalis regiminis facies ita se exeruit, ut fraternitas ea mutua nunc hanc Reipubl. formam tot Cantonum, & pagorum, sive regionum repræsentet absque religionis discrimine.

Unde quæstio ea, superius ad finem partis 2. Generalis introducta, facillime potest enodari, præsertim si illud addas, quod ipsa ocularis experientia testatur, & aperte loquitur. Quod enim ipsa transmutatio rei indicat, quomodo potest aliter accipi, quã uti natura eius demonstrat? Exempla quoque alia sunt: vide *Hug. Grot. de antiq. Reip. Bat. cap. 7. & Zeil. in Itin. Germ. cap. 11. num. 9.* quid ille ex Simlero compendiosissime de regiminis statu Helvetiorum referat. Ideoque non opus est, ut diutius his inhæreamus pluribus. Quippe socios nunc agnoscunt, qui olim ad parendum eos cogere voluerunt. Sic fit, ut nimia suppressio sæpius in vim superiorem, & fortiorem erumpat, reddaturque id formidabile potentioribus, quod antea infirmum cum contemptu fuit habitum; sed Deus resistit superbis, ait S. Scriptura, qui nesciant vero, dum tempus est, uti moderamine; præsertim si eius perdatur fundamentum, quod sola suggerit pietas in dilectione Dei & proximi; quæ regula firma est manetq; omnium actionũ humanarũ adeo, ut nulla amplius heic distinctione sit opus illi, qui modo semetipsum decipere, aut subvertere penitus nolit. Laudanda vero est totius corporis Hanseatici forma, quod per tot secula in suis constanter se adeo continuerit terminis. Præconium quod maxime debetur civitatibus Vandalicis, & quæ ab ipsorum latere dependent reliquæ, quibus libertas commerciorum usque cordi fuit, ut quævis propterea non subterfugerint pericula sæpius durissima, uti ex ipsarum historiis patet. Quæ quũ non satis in antecedenti parte commode potuerint tunc inseri, nec tamen oporteat innotabiliorum aliquot factorum continuatione plane taceri, aut sicco pede præteriri; hoc loco, quasi in antegressu 4. partis, priusquã ad alterum latus civitatum talium, quod in universali conventu observatur, nos convertamus, ita subnectemus, ut suo loco, ubi civitatum earum mentionem fecimus, substitui queant.

Etenim tunc non omnia ad manus exulanti fuerunt, quæ postea ex scriptis aliorum suggesta accepit. Verum nec sic satis omnia possunt expediri, quũ nimis longum foret: Ideoquè tantum inter Hanseas præcipuis nonnullis civitatibus Saxoniæ, Vandaliæ, & iis, quæ mari Balthico vicinæ, memorabilia quædam, & nostris temporibus interdum propiora adiiciemus. Singula enim referre, potius Annalium scriptoribus, & Chronicorum compilatoribus, quã iis competit, qui aliorum desideriis in exemptione scrupulorum, erratorumque non levium informationem rectiorem ex fundamento causlæ, & facti, ut quam plurimi ulteriora devia evitare discant, suggerere cupiunt.

Qui enim in principio statim impingit, nunquam sane de subsequentibus boni quid feret iudicii. Tum

etiam quot multi fuerunt inter politicos ſcriptores, qui toties exoptarunt, ut tandem aliquis in publicũ prodiret, ex cuius intentione fundamenta tam nobilis fœderis poſſent plenius pro ratione occaſionis colligi. An non etiam liberum ſit cuique, pro facultate calami ſuas diſtribuere diſſertationes.

Fœdus hoc nobile natum eſt primum ex optimo commerciorum augendorum propoſito in Germania: Ac non niſi civitatum potiſſimum Saxonicarũ, & Vandalicarum eſt egregium inventum, quarum cives & incolæ omnes ſuas fortunas cum bonis, & ſumptus cum vitæ diſpendio, & effuſione ſanguinis animoſe ſic ſatis huic ſtudio pro accretione Reipublicæ communis impendere non deſtiterunt. Nonne igitur ante omnia deceat fidum patriæ filiũ, Germaniæ magnitudinem, in iis ante omnia, cum eius deſcriptione debita, quæ certe etiam argutiolis non ſine turpitudine ſatis incognita eſt, extollere, & in gloriam iuſtam coniicere? An non quoque hoc ſit æquum, ut fundamenta ſocietatis, ex quibus collegia confœderationum, & ipſarum Rerumpubl. rudera exurgunt, quam tot errores in eius cognitione ſolidioti veræ prudentiæ (quæ ſine pietate non cõſiſtit vera) oſores commiſerint, recte in membris ſuis enucleentur? Stultus ſit, aut calumniator ſtudioſe perverſus, qui hoc & tam manifeſte alia clara abnegare auſit.

Vel unicam quis recte diſpiciat Reipublicæ definitionem: An non tot diſtractionibus opinionum diverſarum, & abſurdarum ſæpius obnoxia à variis traditur ſcriptoribus? An non quiſque pro captu ſui ingenij eam ſibi nunc hac, nunc illa ratione citra veræ eſſentiæ intellectum determinatam reddit, qua putat, quam optime à ſe eſſe definitam? quum tamẽ rei eſſentia unius non aliter deſcribi, & depingi debeat, quam in veritate naturæ ſuæ eſt conſtituta. Quod ab ea devium eſt, certe nunquam quis in veram ullius rei cognitionem perducere valet: Unde etiam non mirum, quod tot errores à politicis, tam in conſiliis ferendis, quam aliis publicis negotiis delinquantur, ſi verum Reipubl. formale deleratur, aut non recte intellectum omittatur.

Quoad hanc vel unicam materiam ſi res referatur, annon apud ſcriptores, & ipſa fœderis huius mẽbra ſatis dubius fuit numerus civitatum omnium, quæ ad hoc ſpectarent? Quis fœderum diverſitates varias, & differentias earundem multiplices unquã ſolide diſpexit, ut inde veram potuiſſet concipere computationem? Etenim commercia civitatum ſæpius tam per mare, quam per terras adeo periculoſiſſimas pertulere perſecutiones, ut non tantum civitates maritimæ interdum ſua propria, ſed etiam in ditionibus per terram ſitæ diverſis peculiaria coactæ ſint conficere fœdera, & pacta temporaria pro defenſione mutui commeatus. Sic quas hoſtilitates perennes ferme per aliquot tempora in mari utroque exercuerunt pyratæ, & odia procerum, eaſdem in aliquot provinciis coniurati exegerunt nobiles, qui nec raro conduxerunt contra civitates vicinas prædones, & ſpoliatores nefarios, ut uſpiam tuta negotiatoribus appareret via.

Inter quos fuerunt Prignitziani, & Vandali non ultimi, quibus ſæpius ſe adſociarunt nobiles Luneburgici, & Saxoniæ ad Albim Lawenburgici. Uti factum eſt An. 1317. ubi velut ante etiam excurſiones in Stormariam deprædationis cauſſa fecerũt: Et An. 1386. quum inclutus ille Dux Henricus Megapolitanus, qui nulli generi hominum magis, quam talibus prædonibus infenſus erat, obiiſſet, Prignitziani cum Vandalis tam perniciоſas deprædationes committebant, ut nec finis, nec modus eſſet aperiæ nequitiæ, & proterviæ. Unde Lubeccenſes in auxilium Wiſmarienſes, & Roſtochienſes advocabant, quibus etiam Dux Megapolitan. ſuos addebat milites. Lubeccenſium Præfecti Duces erant Dn. Thomas Morkerkius, & Dn. Henricus Weſthovius, quorũ alter 500 æquites, alter pedites ducebat. In qua expeditione ultra 30. arces prædatoriæ in & circa Prignitziam diruebantur, & abducebantur nobilium quamplurimi captivi, ut tandem cogerentur Principales eorum, inter quos erãt Quitzoviani, & Rochoviani cum aliis ſui ſimilibus, ſe ultro ſiſtere Lubeccenſibus. Quum vero iuramento ſe ſancto obligarent, quod deſiſtere vellent à nequitia, hac ſub cõditione dimiſſi quidem ſunt; ſed fragilis adeo, & periura fuit fides, ut An. 1389. cum aliis perverſis rediret ad ingenium longe ferventiori perfidia. Quapropter ad Travam in oppido Oldesloviano Dux Gerhardus Schleſwicenſis, Comes Nicolaus, & Adolphus Holſatiæ cum civitate Lubeccana, & Hamburgenſi hanc ob cauſſam maxime conveniebant, ut eiuſmodi deprædationum hoſtilitates immenſæ abrogari poſſent, quod adeo momordit illos nobiles, qui vulgari appellatione Schnaphanij, (quod undiquaque eſſent expilationum rapaces inveſtigatores) vocitabantur, inter quos erant præcipui Prignitziani, ut etiam hunc ſibi, & malignis noxium conventum diſturbare non vererentur. Sed quum non poſſent ex voto id perficere, quod animo furioſo conceperant in homines, id eſt, quum latrones nõ poterant, malebant eſſe fures, & armenta ſecum abigebant, licet Principes viri, & Legati non adeſſent armatis aliquot ſtipati; unde nec ipſi ſine metu erant. Verum forte prætor paganus Lubeccenſium Henningus Laſbeccius quid animadverterat, qui nõ tantum prædones cum aliquot miniſtris perſequebatur, quum ipſi principes ſuos adiungerent, ſed etiam prope Molnam per adiſtentiam Capitanei Lubeccenſis pecora illis eripiebat in conflictu, multis eorum cæſis, & partim in captivitatem abductis.

Sic & alias ſæpius ferme in continuo uſu ſe Vandalis adſociarunt Prignitziani, quoties commercia civitatum flagellare ipſis placuit.

Eſt autem iam ſingularis Marchiæ Brandeburgicæ diſtrictus, aut provincia, quæ olim Priginon, ſive Imprignum, Prignitzia dicitur Vandalico nomine, & in ſe 8. oppida, aut civitates. nempe Wilſenaeũ, Perlebergam, Pritzwalcum, Witſtockium, (ubi famoſum illud prælium Anno 1636. cum Electore Saxoniæ Iohan Georg. Suecicus Gen. D. Iohan. Banirius commiſit, & victoriam reportavit die 24. Septembr.) Kiritzium, Dalminum, Wittebergum & Lenzium continet. Extendit ſe ab Havelberga circa Albim uſque ad Lenzium, ubi Megapolitanam regionem attingit, à qua ferme circa ſeptentrionalem partem, verſus orientem vero ad Marchiam Ukerianam uſque cingitur: inde verſus Auſtrum Comitatum Ravinenſem, & hinc verſus meridiem Havelbergam Epiſcopatum, veteremque Marchiam citra Albim reſpiciendo circa ſe terminantem colit.

Henricus

Henricus Auceps Imperator glorioſiſſimus An. 926. primus hanc provinciam cum dictis Marchiæ partibus à Miceslao Rege Vandalorum, & Obotritorum, qui ipſi ex mera protervia bellum per feciales indixerat, fortiter vindicavit, adeo ut etiam Coloniam Saxonum in eam, & totam Brandeburgicã ditionem ultra Albim, Havelimque & ad Spream traduxerit: unde Saxonum ea loca incolentium tam atroxenata eſt diſſolutionis natura, ut hominis ſanguinem parvi curarint, quum quaſi aſſidua pugna illis cum Obotritis, & vicinis exiterit ob defenſionem Germaniæ, quæ ibi fines, & terminos, qui Germanis extremitatem finium deſignant, quaſi tamdiu in Marchia conſtituerat, donec Lotharius II. Imperator circa Annũ 1128. Primislaum Vandalorum Regem, qui in Baptiſmate Henricus vocatus fuerat, penitus ſub iugum Imperii cogeret, etiam Pomeraniam cum Rugia in ſuam poteſtatem redigeret. Cæſar iſte totam Marchiam cum Prignitzia Alberto Urſo in inveſtitura hæreditaris aſſignavit. Pritzwalcum vero heic fuit olim in eo loco, ubi nũc oppidum eſt, pagus Pritzforick dictus. Quum vero An. 1104. muris cingi inciperet, in ſignum huius ditionis notabilis ipſi nomen Pritzwalci inditum eſt, ut fermè intermedio loco ſitum ſit inter Perlebergam, & Wittſtockium, quod Anno 1244. muro cinctum eſt ſub Ottone Pio Marchione, quũ Wilhelmus eſſet Epiſcopus Havelbergenſis. Anno vero 1564. ab omni onere vectigalis cives eius Marchio Ludovicus Romanus in præſentia Alberti Comitis Rappinenſis Kytizi liberos dedit.

Caput autem omnium civitatum Prignitziæ mèrito Perleberga ad fluvium Stepenitzium ſita habetur, tam ob amplitudinem convenientem, quam etiam civium in negotiationibus induſtriam, ſitumq; loci ſat idoneum. Tum etiam ita bene condita eſt, ut aliis facile præripiat palmam. Licet non fuerit Hanſeatica Urbs, tamen fidelem ſe præbuit in navando operam Civitatibus Hanſæ contra depræda-tores vicinos. Ideoque eius quoque aliquoties mentio fit in Chron. Lubec. quod in ea aliquot tranſactiones ſint habitæ adverſus nobiles latrones in ea, & vicinorum provinciis, ut mirum ſit, quur Ang. Chronici Brandeb. ſcriptor eius non crebriorem faciat mentionem, nedum quod integre eandem deſcribat. Non ultra milliare Germanicum à Wittenburga diſtat illa urbs, qua inde per amænam ſylvam renditur, & iucundam in adſpectu ſe offert iter illuc habentibus, velut & in planitie non illepida & fructifera ſita eſt, quæ omnia vitæ neceſſaria incolis largitur.

Hinc An. 1396. Albertus Rex Sueciæ, & Dux Megapolitanus, quum beneficio 7. Civitatum Hanſeaticarum, nempe Lubecenſis, Sundenſis, Gryphſwaldenſis, Dantiſcanæ, Thorunienſis, Melvinganæ, & Revalienſis ex carcere, in quo cum filio Erico à Margarita, Daniæ Regina per ſeptennium detentus erat, liberatus eſſet, & deprehendiſſet, quod per totum illud temporis ſpacium ferocia prædonum ſupra modum accreviſſet, atque ut ſe ſimul gratum Civitatibus pro præſtita liberationis ſuæ opera, tam Falſterboæ, quam Helſenburgi exhiberet, conventum in hunc finem Perlebergæ inſtituit; quo ſimul convocabantur Marchio Wilhelmus Miſnenſis, & Brãdeburgicus, & Civitates, Lubecenſis, Sundenſis, Roſtochienſis, & Wiſmarienſis. Depræda-tiones igitur, quæ commerciis, & negotiatoribus illatæ erant, quum deliberatione debita examinatæ, conſideratæque eſſent, concluſum ibi eſt, quod nemo nobilium amplius quid defenſionis latronibus, & flagellatoribus illis ſub pœna vitæ ſuggerere, neque ſubterfugium iiſdem ſuppeditare deberet.

Propoſitum hoc non male quidem cecidiſſet, modo nõ fuiſſent alii Principes, qui nova genti huic pernicioſæ latronum adminicula in odium civitatũ ſuppeditaſſent. Ideoque denuo Anno 1399. ad inſtantiam civitatum prædictarum Rex idem, & Dux Megapolitanus Albertus cum iiſdem, & Marchione Wilhelmo in eadem urbe Perlebergenſi eandem ob cauſſam, ut tutæ undique commerciis, & peregrinantibus per eorum ditiones eſſent viæ, ſecunda vice conventum habuit. Quum vero interea Regis & Principum cum Civitatibus ſeriam hanc deliberationem aliquot prædones, & nobiles iſtius Regionis percepiſſent, facto aliquo atrociori conſilia diſturbare hæc conabantur. Convolabant igitur deſubito ad capitaneum ſuum, qui incolabat tunc arcem Lenzeniam, & armata manu invadebant arcem, quam pro defenſione commerciorum contra Lenzenios prædatores Rex ille optimus erigi curaverat. Hanc quum per proditionem occupaſſent, & incendio nequitiſſime funditus cum direptione ſubvertiſſent, adeo hoc momordit Regem, & Marchionem, quod quaſi in conſpectu eorum tam ignominioſum ipſis intuliſſent contemptum, ut è veſtigio copias aliquot equitum, & militum una cũ Civitatum auxilio, velut & cives Perlebergenſes nõ erant ultimi, colligerent, atque expugnarent arcem cum oppido Lenziano, altoſque vicinos prædonum nidos; in quibus omnes malefici ſuſpendii ſupplicio ſine mora afficiebantur, ut inde metus aliis latronibus, & eius generis nobilibus incuteretur. Ita magnus erat ex accepto beneficio Rex ille, & fidus Civitatibus Patronus, atque amicus ſemper, ut ipſi nihil gratius eſſet, quam ut benè florentes poſſet cernere cõmercationes, quæ in utilitatem publicam profluerent. Memor quippe erat, quam dira res eſſet ingratitudo, qua nihil peius in mortalium cordibus poteſt concipi, & ipſe in regiõ ſuo ſtatu apud Suecos ſubditos ſuos non ſine dolore ſummo expertus fuerat; licet ita præfuiſſet Regno eorum, cum cura, & fidẽ plus quam paterna, ut paſſim hanc apud exteros inclitam reportarit laudem. Non leves enim per 27. annos pertulerat regiminis labores ardui, quos ipſi cum invidia, & ſumma ingratitudine, maxime nobiles Sueci recompenſarunt, ut merito heic quoque id audiatur, quod Epigramma hoc Phil. Mil. expri-mit:

Sunt homines, humeris quos ſi quis portet ad urbem
Auſoniam, domiti qua caput orbis erat;
Nec tamen ad portam placide deponat eoſdem,
Gratia præteriti nulla laboris erit.

Verum quis ijs poteſt ſatisfacere, qui ſemper quaſi nativo odio, & ſuſpicione erga benefactores ducuntur? Nec optimus ille Rex intruſerat ſe ibi; ſed libero voto Anno 1362. electus, & cum pompa introductus eſt in Sueciam congratulantibus ſtatibus, ut nũquam deſiterit veſtigiis bene de Republ. merentibus

bus inhærere, & bonum tandem cum laude sperare rerum gestarum exitum, velut nec ipsi in cunctis negotiis successus felix defuit. Ast quum natura loci quoque id sæpius secum ferat, ut non diu sub imperio boni alicuius Principis (ait Chronicon) quieti vivere possint; sic etiam petulantia nobilium in Suecia tædio principis Teutonici, qui tamen ex filia Regis Suecici natus erat, capiebatur. Ideoque potius Sueci desiderio erga Imperium Reginæ Margaritæ Danicæ ducebantur, atque hoc inde clanculariè agitabant, ut bellum cum Danis excitaretur. Postea autem quum prælio coiretur, ipsi fuga se subducebant, Regem cum Germanis suis fervori bellico tradendo: Unde Rex cum filio Erico in manus Reginæ die D. Matthiæ incidebat, & Bahusium in captivitatem avehebantur: Velut etiam Dux Iohan. Megapolitanus, Stargardiæ Dominus cum aliis nobilibus Germanis captivus abducebatur.

Mirum certe, quam brevi temporis spacio præfecti, & proceres, nobilesque se iugo Reginæ submitterent; perfide à Rege deficiendo, ut ferme citra magnum laborem totum regnum ea in potestatem suam redigeret, excepto Stockholmio, quum præsidiarii milites eius arcis cum præfecto Regi suo addicti constantes manerent. Dux Iohan. Megapolitanus liberatus hic ex carcere immensam diligentiam apud proceres Sueciæ impendebat, ut agnato suo operam redemptionis præstarent, quod indesinenter urgebat. Sed Sueci Germanis non adeo favebant, ut ulla in parte memores sui Regis esse vellent, quum magis Danis adsisterent, & eorum potius censerent iugum. Quare Anno 1391. quum cerneret aliud non superesse sibi consilium, ope civitatum aliquot, inprimis Wismarienſium & Rostochienſium classem satis operosam adornabat, ut Stockholmio, arcta obsessione à Danis incluso, succursum præstaret, & hostium utriusque partis vires infringeret. Irruptionem hinc in Borcholmium primitus faciebant: spolio ubi obtento, statim pergebant Stockholmium, & castellum, quod Dani contra arcem, & urbem extruxerant, primo impetu obruebant. Ac licet Dani in rupem arduam convolassent, in qua bene muniros se conservarent, Dux tamen ita arcte obsessos tenebat, ut victus omnis illis obscinderetur. Proinde quum fame acti premerentur Dani, obtulerant se ita sub fide sancta, quod essent liberationem Regis Alberti apud Reginam procuraturi.

Dux optimus ille, velut Germanus erat, ac cum Germanica fide agi credulus nimis putabat, concedebatque, ut Regina armistitium usque ad festum Pentecostes proclamari curaret, & interim transactio posset perfici totalis. Verum fides non erat Germanica, sed Danica, & Femorensis suppositio: quia Danis res non aliter cordi erat, quam ut nova auxilia conquirerent, & famen ultimam à se averterent. Negotium etiam hoc promovebant in fraudem ipsi Sueco-Danici, qui affectum suum erga captivum Regem egregie simulare didicerant.

Talibus persuasionibus Dux Iohan. inductus, utpote qui unice liberationem Agnati Regis intendebat, tranquillior redditus, & spei bonæ plenus domum interim revertebatur, expectando transactionis diem. At Rostochienſibus, & Wismarienſibus fides Danica rectius erat cognita: Ideoque interim, ne vires sufficientes Duci suo in conatu tam laudabili, & secundatione debita deessent, curabant proclamari: si qui essent, qui communi causæ sublevationem in his angustiis summis adiicere vellent, ut suum nomen civitatibus his binis profiterentur, se tũc curaturas esse, ut pro libera parte sua expeditionem hanc secum perficere possent. Idem quoque factitabat Princeps optimus, & cunctis talibus liberum portum Ribnizenſem, & Goldenizenſem promittebat, quicunque hanc in debitis terminis expeditionem simul essent suis facultatibus aggressuri. Dici non potest, quantus confluxus fieret eorum omnium, qui potius suum commodum submiscere, quam utilitatem, & necessitatem causæ intendere studebant ex vicinarum terrarum partibus. A principio quidem res plausibilis admodum apparebat, quasi hostibus inde terror incuti, & vires eorum infringi valerent: Verum quum nullo conducerentur stipendio, isti fluctuabundi, & tamen ad eam potentiam absque disciplina eveherentur, conspiratio inde exurgebat Vitallinorum, quo titulo semetipsos insigniebant, quod suo periculo sibi constituissent mercedem. Hinc facile obliviscebantur conductionis modum, & omnis honestatis normã, deputabantque sibi quosvis hostes, quos spolio exuere possent. Sic in perversitatem hanc abrepti adoriebantur in mari magnam Sundenſium navim; sed ab iisdem victi ultra 100. captivi nova vinculorum inventione, qua vasibus includebantur usque ad collum, Sundium abducebantur. Unde adeo pertinax exsuscitata est acerbatio Vitallinorum, ut nulla ferme tuta esset Civitatum navigatio commerciorum causa, licet Daniam miris intestarent, divastarentque simul modis, quod sic graviorem Regis Alberti captivi causam reddidit, & commerciis tãtam induxit caritatem, ut nec halecum captura posset amplius exerceri sub Schonia.

Quare Anno 1394. Lubeccenses, Hamburgici, & Stralsundenses ad Reginam Margaritam Danicam Helsenburgum Legatos mittebant pro tentanda compositione. Sed Dani adeo exacerbati erant ut inter Legatos consul Stralsund. Dominus Georgius Schwartingus ex furore plebis ante arcem ibi interficeretur. Frustra hac legatione expedita, annunciabatur Duci Ioha. Megapol. quod iterum Stockholmium acti obsidione à Danis premeretur, & famis in urbe magna ex parte cives consumeret. Indo Wismarienses 8. naves magnas omni frumentorum genere oneratas, in medio hyemis tempore versus Holmiam mittebant, quas Dani glacie obseptas occupassent, nisi capitaneorum providens fuisset cura, qui inde illæsas omnes in salvum reduxerunt, velut alibi est plenius hoc Stratagema argutum explicatum. Sic Anno 1395. Lubeccenses 20. naves classicas cum aliis pro tuitione maris, maxime contra Vitallinos emittebant, ut inprimis Daniæ Reginam ob liberationem Regis Alberti sibi placatiorem redderent, velut etiam hoc anno id ex adsidua & diligenti 7. supra dictarum Civitatum, nempe Lubec. Sund. Gryphsw. Dantisc. Thuron. Melving. & Reval. interpositione obtentum est, ut certis conditionibus Rex sæpius dictus dimitteretur. Conditiones igitur Lindholmii conceptæ erant.

1. Ut 7. Civitates fide iuberent, quod Rex cum filio Erico esset sequentes articulos stricte servaturus.

2. Ut

2. Ut Civitates, ſi Rex intra tres annos non præſtaret ſolutionem certæ ſummæ, Regem cum filio carceri reſtituerent.

3. Ut Rex, ſi plene liber eſſe vellet, ſolveret 60. mille marcas argenti puri.

4. Si Rex intra dictum temporis, & 3. annorum ſpacium ſummam prædictam ſolvere nequiret, ut Reginæ arx cum Civitate Stockholmienſi traderetur ſtatim.

Quamvis Rex hoc omne ſervare promitteret, tamen ne civitates in periculum inciderent, petiere à Rege, ut interim illis in poteſtatem traderet arcem cum urbe Holmia uſque ad excurſum 3. annorum. Unde alius conventus Helſenburgi eſt inſtitutus, donec Rex id perfeciſſet. Quum igitur Civitatibus in hoc eſſet ſatisfactum, & urbem cum arce occupaſſent, plene eſt Helſenburgi Rex cum filio Etico dimiſſus An. 1395. uti ſupra indicavimus. Hinc per triennium Civitates Dominium hoc obtinuerunt in Suecia, donec An. 1398. penitus Regnis reſignarent; quæ rationes Regem ad ſollicitationem civitatum impulerint, alibi dictum eſt: velut & An. 1399. Civitates Hanſæ apud Reginam Margaritam veterum privilegiorum ſuper commerciis in 3. regnis confirmationem obtinuerunt cum reconciliatione Civitatum Wiſmar. & Roſtochienſis.

Hiſtoriam autem hanc nonnihil clarius heic ex ſuprædicto ſcriptore explicavimus, ut inde pateat error aliorum, & præſertim Andr. Angel. Strutiom. qui conventum Perlebergenſem An 1399. in gratiâ civitatum habitum à Rege Alberto ad annum 1410. reijcit. Sunt vero & alii conventus Perlebergæ principum & civitatum Hanſæ celebrati, inter quos notatu digna venit tranſactio inter Ducem Ericum Sax. Lawenburgicum, & Civitates ibi in aliquot negotiis, & differentiis An. 1420. perfecta. Etenim Dux ille ex pluribus iam annis admodum acrem ſe præſtiterat Civitatibus Lubec. & Hamb. hoſtem, utpote non tantum illis inſidioſe arcem Ritzerovianam in An. 1400. & poſtea Bergedorfium, Molnáque contra pacta & fidem vi occuparat, partim & divaſtarat; ſed etiam defenſorem ac receptatorem prædonum communem, dum civitates inteſtino diſſidio laboraſſent, adeo pertinaciter egerat, ut commercia nuſpiam per eius fines tuto tranſportari poſſent, quin miſere expollarentur. Quæ infeſtationes aſſiduæ ita graviter commoverunt Civitates, præ cunctis Lubec. & Hamb. ut hoc 1420. Anno binæ hæ Civitates 10. Iulij 800. equites, & 3000. pedites per Capitaneos ſuos Dn. Iordanum Pleskow. & Henricum Hoyerum Conſſ. Lub. ad obſidendum & expugnandum arcem cum oppido Bergedorfianam educerent, quod ibi non tantum feliciter expediverunt; ſed etiam in occupationibus & Ripenburgum, & Cuddevordam diripuerunt. Hinc quum gravius ſibi imminere periculum cerneret Dux Ericus, alios & vicinos principes ſollicitavit ad interpoſitionem, ut ad 14. dies fieret armiſtitium.

Interim ad compoſitionem litis eiuſmodi (ait Chron. Lub.) dictus eſt dies partibus Perlebergæ in Prignicenſi Provincia, ubi conveniebant Fridericus Marchio Brandeb. Iohannes & Albertus, Duces Megapolitani, Wilhelmus Dux Lunæb. Caſimirus Dux Sterinenſis Pomeran. Ericus Dux Lawenburg. Sax. Balthaſar Dux Vandaliæ, Dnn. Ganſij à Putlitz, velut & à Ciuitatibus Legati miſſi, nempe Lubecca, Hamburgo, Lunæburgo, Wiſmaria & Roſtochio: Variis tractationum diſputationibus peractis, tandem denuo confirmata eſt pacificatio harum Provinciarum, ut omnis commeatus à deprædationibus eſſet tutus; ſed etiam, ut omnes prædones abſq; diſcrimine, & reſpectu perſonarum ſupplicio ubique debito ſine mora afficerentur. Deinde concludebatur, ut incarcerati hac vice utrinque dimitterentur impuniti, quod tamen amplius non eſſet in exemplum perducendum. Tertio tranſigebatur hoc, ut Dux Ericus reſignaret omni iuri hæreditario, quod ipſi & hæredibus competeret in Bargedorpium, & Ripenburgum cum omnibus pertinentijs; quod etiam ita à Ducis eius Fratribus ratificari, & ſubſignari deberet, uti factum eſt. Quarto quum à Lubeccenſibus Dux iſte haberet obligationem, cuius vigore quotannis ipſi 300. marcas Lubeccanas pro ſecuritate viarum publicarũ ſolvere tenebantur; ſed ipſe Dux quum eſſet, qui mercatores deprædari curaret, hanc quoq; obligationem civitati reſtituere cogebatur. Tranſactio talis à præſentibus omnibus ſubſcribebatur quidem, ne fieret reſultatio aliquãdo: Nihilominus Duces Sax. poſtea pœnitentia, & rancore acri ducebantur. Quod quum animadverterent nobiles, prædationi in Marchia, Megapoli & Prignitzia dediti, Anno 1422. ita aperte conſpirabant iterum, ut ſibi capitaneos eligerent Reimarum à Pleſſen, Baldewinum à Krugio, Iohannem Kreizow. & Nicolaum Roer. Qui in copia ſub nutu Ducis Lawenb. confluebant, ut inter Molnam, & Lawenburgum expilarent mercatores. Verum Lubeccenſes indicium de hoc faciebant Hamburgenſibus ita, ut illi ab una, & Lubec. ab altera parte nebulones tales circumcingerent. Unde in tantas redigebantur incincti angustias, ut ad Ducem Ericum Sax. Lawenburgum confugerent, qui etiam incolumitatem vitæ, & nominis in receptaculo promittebat ſuo.

Hoc quum civitates contra manifeſta pacta, & obligationem fieri dicerent, quæ tot Ducibus Perlebergæ eſſet promiſſa, ac ipſe Princeps turpitudinem commiſſam agnoſceret, rogavit civitates, ut honori eius parcerent, nec factum hoc ad Principes vicinos in vindictam deferrent. Nec minus tamen quũ prædonibus obligatus ad ſecuritatem tutam hæreret, interceſſorem egit pro eo genere hominum adſiduum, ut ſine vitæ periculo levi aliqua mulcta, & pœnâ pecuniaria afficerentur, quum alia ratione fidem datam & iuratam ſalvare non poſſet. Licet civitates difficultates varias heic ſecum diſpicerent, tamen miſericordia, & vicinitate ductæ conſentiebant ita, ut omnes ipſis captivos traderet. Prædonum multi perterrefacti in hoc quod civitatib, præſertim Lubeccenſibus in manus tradi deberent, nec Duci, nec Civitatibus fidem habebant, ſed non ſine ſummo ſe vitæ periculo ſubducebant ſub talibus tractatibus; reliquorum 80. ſecum Lubeccenſes, & ultra 50. Hamburgenſes captivos abducebant, donec per interpoſitionem conſanguineorum, & amicorũ interpellationes cũm precio redimerent vitam in honorem Ducis. Ignominia tamen eiuſmodi iniuſta, & odium ſemper Ducibus in tacito pectore recens erat, ut cotidie vindictam tam contra mediatores, quam civitates, præſertim Marchionem Brandeburg

deburg. meditarentur, modo vires & occasio suppetere quid potuisset. Hinc An. 1433. Dux Gerhardus Lawenburgicus clancularie ex subditis, & vicinis aliquot nobilibus aliquot copias cogebat, quib. hostiliter Prignitziam invadebat, & obvia quævis armenta cum gregibus inde abigebat, etiamsi non haberet caussam, qua factum excusaret; nec ipsi hostilitas cum Marchione intercessisset. Qui vero damno tali erant affecti, festino conatu concurrebant omnes, persequendo ita alacriter raptores, ut ipse Dux vix illis se subducere potuisset, nisi in fuga reliquisset nobiles plures, quos Prignicenses, & Marchiaci in reluitionem damni captivos abducebant, & ultra 14. pagos ipsi incendio consumebant.

Quum itidem prædonum nidus esset arx Neuhusa in Prignitia, ex qua spoliationes à nebulonibus cotidie exercerentur in vicinos, & mercatores; Duces Megapolitani memores transactionis, & pacti Perlebergensis cum civitatibus initi, eodem anno hanc arcem commoda occasione obruerunt, & conatus prædonum dissiparunt; sed uti canes adsueti ad vomitus devorationem facile redeunt; ita hoc de isto genere minus nobili nobilium proferri potest, quum mercatoribus semper graves, & damnosi in exspoliationibus creberrimis exstiterunt; quod circa annum 1479. tandem Marchionem Iohannem adeo offendit, ut nomine parentis Elect. Alberti Domino Widegoni Ganslo Putlitzio, tunc Episcopo Havelberg. has vices, una cum præfecto summo veteris Marchiæ Dn. Wilhelmo de Papenheim, obtulerit, ne quid intermitteret, quod ad purificationé, & liberationem Prignitziæ in talibus facinoribus faceret. Ideoq; illi duo viri optimi, & Iustitiæ cupidi solidæ civitatum Prignicensium cives incolasque in socios sibi adsumpserunt, quorum ope, præsertim Perlebergensium id præstitum est, ut ultra 15. arces prædonum penitus exploſæ, & maleficantes maxima ex parte decollati fuerint: velut etiam per totum vitæ spacium id duo isti Dnn. egregie continuarunt, licet neque sic satis malitiosa herba nebulonum evellicari potuerit. Civitatum tamen consociatio adiidua hisce, & vicinis in locis maximum semper præstitit & obtinuit usum, ut vias procurarent mercatoribus tutas, velut & indicio sunt speculæ, quæ sparsim erectæ videntur, ut vigiles inde succursum iter facientibus contra prædones exhiberent. Sed ne civitatum cura non esset sine ordine, & quum nonnihil litigij exstaret inter Berolinenses, Colonienses ad Spream, aliasque ob benefacta civitates, Anno 1525. Elector Brand. Ioachim. 1. diversas sessionum discordias earum per publicam transactionem cõplanari ita curavit, ut discretim fuerint ordinatæ classes, quæ in publico consessu sint observandæ. 1. Si Ducem in bello sequantur. 2. Si Electoraria negotia citra Albim, aut 3. ultra Albim efficiantur in aliquo publico conventu.

Namque civitates totius Marchiæ quum in Capitales, sive Principales, & communes sive minores dividerentur, Principaliores dissidium inter se alebant, quasi aliis aliæ ob antiquitatem, aut benemerita aut commodiorem utilitatem, loci situm, munitionem, &c. essent præferendæ: quæ res non erat sine exacerbatione sæpius ferventiori adeo, ut cedere invicem nollent, aut comparere in publicis conventibus amplius. Ideo controversia obstinatior non nisi per casuum discretionem dirimi rectius potuit. Hac autem occasione maxime usi sunt Brandeburgenses, & Stendalienses. qui diu inter se dissensionem prioritatis occulte agitarant. Sed quum tota Marchia ab urbe Brandeburgensi cum suis 4. partibus nomen Provinciæ universæ sortita esset, ipsi mansit primæ sessionis gloria, tamen distinctio ea adhibita fuit iuxta situm loci, si in rebus bellicis aut pacis quid cis Albim esset publice peragendũ, quod ibi semper primatum obtinere deberet Brandeburgum veteris, & novæ urbis, & illis tunc à latere sinistro essent Stendaliorum Legati. Quod si vero conventus haberetur ultra Albim in veteri Marchia, quod tunc Stendalienſibus prima sessio præ Brandeburgicis utriusque urbis competere deberet; & tunc horum proximi in anteriori gradu essent Soltquellenses Veteris Urbis ante Berlinenses, & Colonienses, quos sequerentur novi Soltquellani, & hinc Francofurtani cum Prentzlovienſibus; dehinc Perlebergenses, Soldinenses, & Konigsbergani Neomarchiæ circa Viadrum versus Pomeraniã. Transactio talis Coloniæ ad Spream solemniter in præsentia Principum aliquot, & comitum, nobiliumque die Veneris post octavam Innocentii Martyris absoluta, & confirmata est dicto anno 1521.

Insigni enim Marchia universa civitatum, & oppidorum copia referta est, quæ numerum satis magnum exprimunt; nec ulla earum extat, quæ nonomni necessitate vitæ, & divitiis suos possit prospicere cives, & incolas, modo ipsi satis essent industrii, nec otio magis, quam labori convenięti indulgerẽt. Nec minus tamen obstipa exosita reddit subditos nimiarum exactionum ex tot annis supposita inventio, qua se quamplurimi inter principales oblectare soliti sunt. Forte illi præludia exhibuerunt istis calamitosissimis temporibus, quibus toties in bello hoc Succico exhausta, & funditus ferme desolata est haec nobilissima regio, & perquam vicinis simul in omni proventuum genere fructifera. Etenim latissima effusione ab occasu versus ortum à 32. usque ultra 39. gradum Æquatoris se ita ad 120. milliaria German. extendit, ut non tantum binis in locis & Albis & Visurgis eam regionem feliciter intersecent; sed etiam piscosissimos lacus. & flumina intermedia undique eandem riguam efficiant, variaque ubertate abundantem reddant; inter quæ præcipuæ habentur Notezia, Wartha, Thurea, Sprea, & maxime Havela; utpote quæ inter Megapolim, & Ukerianam Marchiam à parte septentrionali orta, multos alveolos in se, & maxime Spream ex Lusatia profluentem apud Spandovium urbem præ reliquis bene munitam in suum nomen transferẽdo recipit, indeque se in gibbum versus Austrum per amænos campos & sylvas flectens, & mediam Marchiam dividendo aliquot insignia oppida, & urbes, velut Postenium, Brandeburgum, Plageum, Ratenovium & Havelbergam alluit, donec hinc ultra milliare se in Albim è regione Verbenæ Urbis non procul à Sandovio effundat. Unde errat Zeilerus *cap. 17. itin. German.* cum aliis, quasi apud Lenzeam, arcem nobilẽ, ubi Electoris Principale est non procul à Demitzio vectigal, Havela ostij sui influxum in Albim inveniat, quum tamen tota Prignitzia interiaceat, & Lencæum ultimum versus Megapolim eius terminũ contingat. Longe autem plicum feraciores, & ditiores

tiores ſunt fluvii mediæ Marchiæ præ veteris, ſiue antiquæ, rivulis & lacubus, ubi & cancrorum tanta abundans multitudo ſe exerit, ut incolæ diſtantiora loca ex portatione iſtis delitiis beare queant.

Nec minus pugnaces, & irritationis facilis ſunt civitates ad defenſionem ſui, uti ipſarum mœnia turribus & pomerijs munita pluribus oſtendunt; ſed ad hunc belligerandi modum, ex quo uſus pulveris tormentarij in tantum violentiæ excrevit vigorem, minus idoneæ ſunt, ut facile dedere ſe cogantur illi impugnatori, qui prævalet viribus in campo terræ, uti ipſorum fert locutio. Velut id motus iſte calamitoſiſſimus huius temporis ſatis luculenter demonſtravit, quam variis obruitionum vicibus civitates fere omnes totius Marchiæ utrique parti belligerantium expoſitæ fuerint, ut omnes penitus, excepta unica Spandavienſi urbe in angulo eo, ubi Sprea Havelam influit, ſita & vallo firmiori obducta, in deditiones varias pro nutu prædominantium toties, & in contributionum enervationes pluſquam enormes coactæ fuerint. In univerſa hinc regione Marchionatus duæ tantum arces ſunt, quæ inexpugnabiles ferme cenſentur, nempe Cuſtrinum & Dreiſſenium, quarum hæc in udoſo loco Neomarchiæ verſus Poſoniam in finibus Pomerelliæ ſita eſt, ubi duo fluvij Notezia & Tragefia deſuper hanc ex Pomeraniæ tractibus per lacus aliquot influendo concurrunt, & Noteſiæ nomen uſque ad Landsbergam, ex bellico concurſu, totiesibidem his annis facto, celebrem, ubi Warthæ ſe inſinuat, retinet: Ac licet hæc arx cum oppido ſemper ſe in defenſione acri inexpugnabilé ex vigilantia præſidiarij militis præſtiterit; tamen non ſine admiratione per ſingulare Stratagema bellicum in manus Suecorum An. 1638. pervenit.

Cuſtrinum autem ad Viadri partem eam, ubi paulo inferius Wartha fluv. influxu eum auget, ſemper hucuſque mânſit inexpugnabile, licet toties Rex Sueciæ, quum adhuc in vivis eſſet, temporaneum dominium eius ab Electore Affine poſtulare auſus ſit, ex quo tot variæ expeditiones hiſce temporibus perfectæ ſunt. Etenim præter naturam loci ita artificioſiſſima cura Ill. Dn. Marchio Iohannes Brandeburg. (cuius filiam Catharinam poſtea An. 1570. March. & Adminiſtr. Archiepiſcop. Magdeburg. Ioachim. Fridericus in uxorem duxit) An. 1568. munimentis ſuis firmiſſimis hanc arcem includi, vallis obvelari, & pontibus 36. circumcingi, armamentario, & frumentario ſufficienti providi fecit, ut ſimile in æqualitate ſua munimentum nuſpiam per totam inveniatur Germaniam. De hiſce tam bene cultis, & civitatum gratioſis adſpectibus multa quidem poſſent referri, velut etiam de totius Marchiæ vario regiminis ſtatu, quem ab An. 823. quo tempore Duces Wilzeriani, Milegaſtus, & Coleadrogus in publicis Comitijs Francofurtenſibus Ludovico Imperat. Caroli Magni filio ſe cum ſuis territoriis Marchiacis deditione æterna obſtrinxerunt, ultra 12. vices, uſque ad annum 1415. donec ab Imperat. Sigiſmundo pro 400000. florenis in æternam hæreditatem poſt obitum Iodoci Marchionis Moravienſis, Burggravio Norimbergenſi Friderico, qui per triennium locum tenentem eius Imperatoris ibi egerat, vendita & tradita eſt, atque ita in huius Illuſt. Familiæ hæreditariam poſſeſſionem cum Electoratu pervenit, pertulit; ſed non eſt huius loci, dum de civitatum Hanſeatici fœderis origine, eiuſque Principali occaſione in hac terra agimus.

Ideoque nos ad veterem, ſive antiquam, ultra Albim regerimus Marchiam, quæ uti 7. civitatum, maxime egregiarum mater celebratur, ita non tantum hæ ex tot ſeculis inter ſeſe firmo pactorum cõventu cohærent firmiter; ſed etiam præcipuæ earum ſemper fideles Hanſæ communi præſtitere contra quoſvis hoſtes commerciorum ſocios, & adſeclas. Inter quas Stendalia quaſi dictaturam præ aliis meretur, quod cum Soltquellenſibus, & Tangermundanis ſuas mercatoribus à prædonum incurſu tutas ſemper pro facultate rerum conſervare ibi vias, nec ſæpius id ſine Gardelegienſium ope per ſylvas iſtorum locorum amplas perfecerunt attentius: Quippe non ſolum Stendalienſium cives in lanificiorum præpollebant artificio, ut inde pannos utiles conficerent; ſed etiam plerumque ex Hamburgo, & Lubecca per eas urbes iter verſus Magdeburgum, Erfurtumque & ulterius in ſuperiorem Germaniam flectere ſolebant. Mentionem huius urbis ſuperius cap. 2. 7. & 23. aliquoties iniecimus, ut ſatis de eius origine, & priſcis quid conſtare queat factis.

Sita autem eſt Stendalia non procul ab amœna ſylva in planitie ampla, quam Velita fluv. Oſterburgum hinc tendens ab una parte perſtringit, & verſus ortum reſpicit ad diſtantiam milliar. Germanici Tangermundam. Cives eius urbis humani alias ſunt erga peregrinos, & ex agricultura, ac pannificio maxime victum quærunt, literatos amât, velut Magiſtratus in hoc ſtudio non exiguum ſibi ita quærere gloriam ſtudet, ut etiam reliquis vicinis urbibus exemplo præeant, & Quæſtura Marchiæ huius concredita ſit illi, quo officio laudabiliter per plures annos functus eſt vir optimus, & non minus eruditus, quam piæ integritati plene addictus, Ioachimus Schonhauſen, Sub ſyndicus ibidem, mihi ſingulariter amicus, cui hoc D. Chryſoſtomi dictum aureum, & vere Chriſtianum in ore erat: Separet ſe homo à mundo, non corpore, ſed animo; non loco ſed actu. Nam quamvis ſit in mundo, non videtur eſſe in mundo, qui non utitur mundo, &c. quaſi diceret cum D. Paulo, ambulatione hac terrena ſemper ad cæleſtia eſſe tendendum, ne nos amor mundi huius à Deo ſeparet, & in Gehennam præcipitet. Bonus erat quoque Iuſtinianus iſte vir; velut & ordinarium iudicium in cauſſis iuſtitiæ totius Marchiæ huius antiquæ ſingulis anni quartanis exerceatur, cui capitaneus huius provinciæ nomine Electoris præſidet.

Ab Alberto Urſo An. 1150. muro cincta eſt fortiori, & amplitudine, platearumque & ædium nitore convenienti præ aliis lepide ornata, ubi ſimul inſignis Alvenslebianorum adſervatur bibliotheca, ut ſtimulo ſit incolarum filiis, quo eo feliventius ad doctrinæ ſtudia alliciantur. Henricus Auceps Imperator eo amore eos fovit ob fidelem operam contra Vandalos præſtitam, quum ibi diutius commoraretur, & quo ceu veri Saxonici ſanguinis progenies in iiſdem confirmaretur, ut eos peculiari inſigni donarit, nempe Aquila rubea duobus Smaragdis inſiſtente: quod tamen illis poſtea immutatum eſt in dimidiatam rubei coloris Aquilam cum 4. granis hordei. Alberti Urſi Marchionis Brandeb. nepos, & filius Ottonis I. Elect. Henricus Marchio An. 1188. ibi

collegium Canonicorum ad D. Nicolaum introduxit, templumque turri conſpicua adauxit, velut etiã Tangermundam muro cinxit, quum ibi vitam aulicam maxime peregerit, ut in loco tuto viveret, & rectius regimini ſuo præeſſet. Urbs autem hæc non tãtum fœderis communis Hanſæ ſocia fuit; ſed quomodo etiam vicinis civitatibus Hanſæ alias particulares opitulationes etiam contra Duces Brunſvicenſes tulerit in defenſione Brunſvicenſi, id alibi explicatum eſt paulo inferius.

Altera huius regionis Hanſeatica civitas ex antiquo fuit Soltwedelia, decem milliaribus à Stendalia verſus occaſum diſtans, quę & Soltquedelia, Solis aut Saliſquella ab aliis corrupte dicitur. De cuius Urbis nomine, & origine cap. 1. part. antecedentis paucula attigimus quædam. Fruſtra tamen à multis dubium hoc movetur, ut Saliſquellæ nomen ſuum incõveniens excuſent, num Solis, aut Salisquella rectius appellari mereatur, quum Quell Germanicum fontem, ſali potius, quam Soli accommodum ſignificet? Etenim ne veſtigium quidem hiſce in locis ullum apparet, nec inveniri poteſt, quod ullam ſalis ebullitionem determinet, velut ro.inde milliaribus Lunæburgi extat. Quare manet ipſorum ſententia in hiſtorica fide potius fundata, qui ab idololatrico cultu ſolis, & eius velitatione, aut hoſpitio derivatam, compoſitamque appellationem hanc Urbis volunt. Etenim hoc conſtat liquido, quod quæque gentium natio ſibi pro lubitu ſingulares ex aſtris, planetis, aut elementorum curſu, & ſimilitudine ſpectorum ex inſtinctu Diaboli ſelegerint, confinxerintque idola, & deos fanaticos, quibus robur virtutis, & conſervationis ſuæ adſcripſerunt. Uti in aree Lunæ, & Crodo Hartzburgenſi, aliiſque pluribus locis factum legimus. Sic & in veteri Marchia Wellium iuxta incolarum tunc locutionem, ſive Sacellum, aut Phanum Deaſtro Soli ſuum Longobardi tunc inprimis prope Goetzam fluvium pro adoratione, & ſacrificio præſtando erexerant, ſeculis aliquot ante Nativitatẽ Chriſti ſalvatoris noſtri, quod Enzelius notat circa annum mundi conditi 3653. id eſt ante Chriſti nat. 318. factum eſſe, quo tempore Antipater Macedoniæ Gubernator obierit: quæ tamen ſupputatio annorum iuxta Sethi Calviſij calculationem emendatiorem nunquam ita concurrit, quum annus mundi 3653. ipſi cum anno ante Chr. nat. 295. coincidat, ſub cuius initio filius Antipatri, qui annis 22. poſt patrem Macedoniam obtinuerat, mortuus eſt. Ac ſi hac ratione ad annum ante Chr. Nativ. 318. recurratur, coincidit ille cum anno mundi 3630. Romæ Conſſ. Q. Fabio Maximo Rulliano, & L. Fulvio Curvo: quo tempore iuxta *Diod. Sicul. lib.* 18. Antipater & Craterus copias ſuas inter ſe diviſerunt, & Antipater contra Perdiccam in Ciliciam progreſſus eſt, eidemque bellum movit. Roma tunc ante annos 430. condita fuit, quum Chriſtus anno Romæ erectæ 750. fuerit natus. Senones autem Suevi, & Longobardi per hæc ſecula iſtos conterminos fines ad Albim cum Hermunduris conſervarunt, donec ante Chriſti nat. An. 15. circiter Marcus Lollius Sicambros, ſive Francos bello infeſtare infeliciter cæpit, quum in eo à Clogione, Franci Regis filio eſſet occiſus, ut *Dion. Lib.* 54. *habet:* ex qua occaſione factum, ut Imperator Auguſtus Anno 7. ante Chriſti nat. Privignum ſuum, & Conſulem Romam. Claudium Druſum cum ingenti exercitu in Germaniam contra Chattos mitteret, quos quum licet difficilibus præliis eviciſſet, tamen ad Suevos pervenit, ac ne impoſito ipſis iugo excideret, caſtella multa, uti ſupra dictum eſt, erexit, interq; hæc ob convenientem ad Goetzam fluv. locum Soltwellium munitiorem reddidit, eidemque Marchionem primum Clodium cum præſidiario milite conſtituit; qui tamen non diu hoc id perfecit, uti colligere eſt ex eo, quod Tyberius denuo iuxta *Vell. Pat. hiſt. lib.* 2. in Germaniam cum vehementi conatu miſſus ſit, ut etiam populos omnes uſque ad Albim penetrarit, ubi ſe etiam claſſis ex Oceano per Albim cum exercitu coniunxit, qui per biennium ſubiugavit reſiſtentes, ubi ſimul Soltwedelium munitionis formam Urbis recepit ob loci commoditatem, quum in conflictibus his penitus fuiſſet diruta.

Manſit autem per aliquot ſecula uſque ad Caroli Magni tempora in vigore non levi, ut ſuos coherit præfectos contra incurſiones quaſvis. Hinc circa annum Chriſti 804. ubi Carolus Magnus tandem etiam Longobardos, & Veteris Marchiæ incolas ad pleniorem obedientiam perduxiſſet, præfecit illis, quibus parerent, & Urbem Soltwedeliam ex Vetuſtate cognitam, nova adiectione, & ferme ampliori adaugeri curavit. quam formam etiam uſque per tot ſecula retinuit, niſi quod inſuper arcem ſplẽdidiorem, Marchioneſque & comites ſubſequentes ibi excoluerint ſibi. Quippe ex ruderibus vetuſtis adhuc apparet, quanta munimenti capacitas, & firmitudo pro iſtorum temporum ratione fuerit, quod defenſioni admodum acri contra inſultantes ſuam habuerit deſtinatam curam: ſic in Civitatis Veteris eminentiori loco diſpoſito id indicat, & turris perquam denſa colli impoſita; velut & alia turri templi, quæ adhuc in vigore eſt, & altitudine exuperat reliquas, è longinquo Civitas conſpicuam ſe exhibet Viatoribus. Amæno ſuſurro prata perluit à quatuor uſque milliaribus Goetza fluv. priuſquam utramque urbem in medio permeat Luchoviam tendens, & inde Dannebergum, Hitzackorumque Ducis Illuſtriſſimi Auguſti Brunſvicenſis ſedem aulæ quondã attingendo in Albim adeo ſe exonerat, ut naviculis commercia quædam illuc levioribus tranſportari, & ex Soltwedelio perferri poſſint.

Mores hominum ſunt ſatis placati ijs, qui & ipſi ferocire nolunt: candorem inveni apud eos plurimum; præ reliquis ſunt familiæ Gudeniorum, Benekendorfiorum, Cernitiorum, & Brewitziorum, Gartzenſiumque adeo laudabiles, ut benefactis certare cum aliis maxime gauderent, avaritiæ minus dediti, antequam belli tempeſtas nequitioſa ingrueret. Conſul erat tunc quoque Conradus Stillius, quẽ Tacitum dicere ſolebant, infacundia tamen perquã gratioſus, cum quo non vulgarem, velut etiam cum altero Conſule eiuſdem Veteris Urbis Theodoro Oſenbruck colere ſolebam amicitiam ob aperti animi integritatem. Medicus etiam civitatis utriuſq; erat D. Albertus Ulrici, Græce & Hebraice doctiſſ. quem ita æſtimare gaudebam, quaſi Germanus mihi ob eruditionem fuiſſet. Ideoque quum An. 1608. Dn. Conſulis Eraſmi Chudenij filiam domum duceret, tali ipſi carmine gratulabar, rari exempli cauſſa; quum aliqui ipſum peterent invidi ſuis clandeſtinis molitionibus.

Marchiaci

Marchiaci Civet, Gens fluminis accola Goezæ,
Quondam non adeo districtæ sortis, honorum
Quam latus vobis nova duci gaudia cerno!
Gratulor ex animo studijs, vestraque juventa,
Et vobis etiam celebrari nomine fausto
Tam charo capiti festiva tempora lucis.
Exultate animis, hilares diffundite vultus,
Civi alicui vestro, nostro lætamur amico,
Cui se quisque bonus dedit, & non pectore falso;
Dux cui natura, nec non pia Iulias Elmi
Arte in Paonia Victricis præmia frondis
Constituit merito, ne gloria abesset honori.
Est Albertus enim, cui tã Schola Regiã Montis
Illa Borussiaci, quam Varnus, Elyster & Albis
Ipsa etiam pleno cui fudit copia cornu
Non aurum, Imperiumve, nihil quando expetit horum,
Sed gazas animi divinas, vera bona illa,
Quæ, modo rite ea servet, ijsdem utatur in usu
Vero, quis regum superat ditissima regna.
Est itidem Albertus, qui vel Duce & auspice Christo,
Non vani captus studij, & novitatis amore,
Sed desiderio veræ virtutis & Artis
In Patria laudem, vicinorumq; salutem
Alpes transcendit solers conamine duro:
Quem Pater Appenninus, & Arnus, Tybris & olim
Cum populis vidit versantem, & verba ferentẽ,
Ex Latij passim scriptis, & gentis Achiva
Deprompta, ille velut novit mysteria quæque
Idem quin etiam quærenti pandet Hebræa.
O colite hunc veris, digni & honoribus eundem
Observate viri, longe est dignissimus unus!
Divinum ingenium, vestro memorabile sæclo,
Non frustra peperit vobis pia Patria. Tandem
Ergo etiã sponsus quando hæc nova gaudia ducit,
Læti vestra modo nostris subscribite vota,
Ut thalamo sponsi feliciter omnia cedant.

Ovalem formam in positu suo utraque Urbs refert; ac licet ambæ uno incinctæ muro, tamen intrinsecus separatæ sunt portâ, quæ tamẽ nunquam clauditur, ut noctu diuque plateæ ad utramque pateant, nisi casus sit necessitatis, adeo concorditer Magistratus separati, & cives inter se vivunt. Elector Brandeburg. quidẽ præfecturam in arce tenet, ubi vectigal persolvitur, tamen diversis gaudent privilegiis. Fuerunt etiam Marchiones Soltwedelenses per aliquot secula magni nominis, ob aversiones fortes incursionum, uti An. 923. cũm Henrico Aucupe viriliter opem præstitere contra Hunnos, quum regionem hanc misere vastarent, ut Imperator tunc ad exemplum huius Urbis Osterburgum, cuius primus comes fuit Sigfridus Alrenhusanus, Gardelebiam, Angermundam, Sebusium, Stendaliam, quasi in valle ibi standum, & antiquam arcem Varnum, sive Verbenam, aut Werbenam prope Albim & flumina Mildam, Bisam & Uchtam, maioribus munimentis afficeret, velut adhuc ex parte videre est.

Inprimis Varinum ob commoditatem tutam loci valde adamavit, ut etiam ab altera parte Albis Castellum prope Havelam erexerit, quam Montem Victoriæ aut Sigebergam contra Vandalos nominitavit, ubi etiam non sine omine felici ab hostibus ingentem reportavit victoriam. Nostris quoque temporibus, Anno nempe 1631. Regi Sueciæ Gustavo ille locus Werbeni oppidi adeo in amore fuit, quum primum inspexisset, ut dixerit, mirari se, quur belli peritiores tam somnolenter neglexerint hunc locum, quo nondum uspiam magis ad firmitudinem idoneum hucusque in Germania invenisset. Unde & ibi fortissimum castellum ædificavit, ad quod tot pugnæ memorabiles habitæ postea ab utraque parte sunt. Retulit id mihi amicus, qui tunc ex ore Regis audiit ipse.

Sed revertimur ad Marchiones Soltwedelenses. An. 950. Marchionatum hunc Zermundanum, qui etiam Veterem Romanam Soltwedelensem Marchiam in se continebat, Otto I. Imperator Geroni Altenburgensi, & Merspurgensi Comiti, quum ad Compatrem filii Sigfridi recens nati in Baptismate illum exigeret, 28. Augusti donavit in gratiæ talis singulare signum. Sigismundus Comes Ascaniæ Marchio huius nominis quintus, hoc An. 990. mortuus est, qui successorem habuit Marchionem Ernestum, qui An. 1013. diem suum obiit, quem in regimine excepit Otto VI. huius nominis, qui vitam An. 1050. finivit. Atque hunc secutus est Wernerus, cuius coniux fuit comitissa Arnstadiana An. 1068. defuncta: Anno autem 1108. ab Henrico V. Imperatore Otto IX. qui & dives Magnus dicebatur, Comes Ascanienſis, & Ballenstadianus, & Alberti Ursi parens hoc Marchionatu Soltwedelensi donatus est, cui præfuit per 12. annos, ut an. 1120. sit mortuus, cuius filium Albertum Ursum pulchrum ad hũc Marchionatum Imperator idem Henricus V. investivit, etsi Otto cum inimicis eius feciſſet antea.

Licet hucusque Marchionatus Brandeb. & Soltwedelensis separati antehac fuerint, tamen iste comes Pulcher Ursus à Conrado III. Imperatore hoc obtinuit, quum ab obitu Primislai Regis Vandalorum Urbem Brandeburgensem, & omnes eius ditiones occupasset, ut etiã hoc Marchionatu illũ an. 1141. non solum investiverit; sed etiam postea Imper. Fridericus in Comitiis Merspurgensibus an. 1153. ad Electoratum publice eundem evexerit, in quo usq; ad An. 1169. vixit & Successorem in Electoratu habuit Ottonem I. filium natu primũ; alter vero Bernhardus in Marchionatu Soltwedelensi quidem regimen subiit, sed in An. 1180. Fridericus Barbarossa eum quoque ad Electoratũ Sax. in comitiis Würtzburgensibus evexit, à quo postea sic descenderunt antiqui Duces, & Electores Saxoniæ, usque ad Electorem Albertum, à cuius obitu Imper. Sigismundus Electoratũ Saxon. ab hac vetusta familia Com. Ascanienſium in Stemma Meisnensium Ducum transtulit. Uterque autem frater hanc gratiam maxime ab Imperatore abstulerunt, quod ipsi tam fideles opitulationes contra Ducem Henricum Leonẽ Brunsvicensem, cui infensissimus erat ob prætensas aliquot causas, An. 1163. præstiterant, ut ille potentia sua & ditionibus ab Alpibus ferme usque ad ma-

re Balthicum extensis exueterur eo commodius, quod etiam factum, ut alibi eius Historia explicata extat.

Quum vero crebræ essent negotiationes, & occupationes istorum Principum, Ottonis I. filius Dietericus Soltwedelij administratorem egit, & Anno 1196. ibi mortuus est, cuius fratres fuerunt Otto II. & Albertus II. qui invicem in Electoratu Brandenburgensi Successores fuerunt. Etenim An. 1198. post obitum Patris Ottonis I. filius Otto II. per octennium Elector extitit, post eius obitum An. 1207. Albertus II. per 16. annos Successorem Electoralem egit, qui reliquit ab an. 1223. binos filios, Iohannem I. & Ottonem III. quem & Pium dicebant, in una regiminis forma per 40. annos mirabiliter cohabitantes. Coniux autem huius Alberti II. Mechtildis Marchionis Cunradi Lusatiæ filia interim, quum ab obitu mariti in viduæ statum esset redacta, per totū vitæ superstitis spacium in Marchionatu Soltwedelensi administrationem sustinuit usque ad annum 1252. ubi defuncta est. Sic variæ fuerunt utriusque Marchionatus vices, donec in unum corpus coaluerint, & tandem ad familiam Burggraviorum Norinbergensium ex Stemmate Zollerianorum Comitum, qui adhuc vivunt, per tot casus & adversitates subditorum pervenerit, ut merito illud heic conscribamus, quod Poeta ait:

Sæpe Gubernantum mutavit Marchia nomen,
Ut plus quam decies senserit hasce vices.

Sed quamvis & mihi Soltwedelij memoria sit satis acerba, & dura, quum ibi An. 1628. filiolam Mariam Elisabetham in necessitatis angustiis ad templi primarij vestibulum versus Orientem sepultam non sine gravi luctu, & dolore relinquere coactus sim, tamen nequeo etiam satis huius Urbis multiformes deplorare calamitates, quas in hoc motu bellico triplici Reg. & Reg. Danici, & Sueciæ supra modum sub tot divastationibus, exspoliationibus, & enervationibus cotidianis hucusque in præsentē annum pertulit, ubi multæ ipsi sunt civium ædes diruræ. Cerevisia autem heic cocta, quamvis Gardelebiensium porioni, quæ regina omnium ex virtute sua censetur, ut mox dicetur, longe sit inferior; tamen adeo boni saporis, & nutritionis est, ut palmā prætipiat cunctis reliquis versus Lunæburgicam ditionem, atque inde adsidua in eius fines fiat exportatio, & commercii loco magni civibus habeatur.

Sic de Osterburgo supra cap. 1. egimus, ubi de nominis ratione eius, & situ pauca illata sunt. Est quidem civitas vetusta à Romanis prope Mildæ, Bisæ & Uchtæ confluentiam, circa An. Christi 5. Castello versus ortum respectu Soltwedelij condito, adiecta, ut irruptioni Vandalorum inde eo rectius resisti posset, qui crebro circa hunc angulum Albim traiicere solebant, & hostiliter divastando invadere istum Marchiæ tractum. Hinc pro fortiori auxilii confirmatione Carolus Magnus Geronem Dominū Zermundanum, ubi An. 804. per baptisma sacrum ad Christum se converterat, Comitem Osterburgensem & Altenhusanum effecit, & hoc titulo peculiari ipsum nobilitare voluit, ut eo maiori confidentia huius terræ defensionem in eum deponere posset, cuius coniux fuit Richildis Principissa Reveningensis, ex qua posteri eius egregios sc præstitere continua serie Comites per An. 432. usque ad Sigfridum II. huius nominis, qui tempore Friderici II. Imperatoris iuxta recte sentientium opinionem, ubi paulo ante obitum Cœnobium Cievesseam, ab antiquo Zerveſtam dictum, multis donis adauctum reddiderat splendidius ibi in cōfinio iuxta Sylvam sitā An. 1237. mortuus est. Quippe in eo conveniunt satis, quod An. 1256. ab hoc comite Dux Lunæburgicus Otto parvus, quem propterea quoque puerum dicere solebant, omnes subditos, quos ille in Comitatu Stadensi cum omni ditione & terra inter confinia ab ortu Soltwedelensia, & Gardelebiensia usque in occasum versus Bremam & Visurgim, ubi simul inclusus fuit Allar fluv. cum arce, & oppido Cellensi, in possessione Comes iste habuerat, satis ampla pecuniæ summa emerit. Quum enim ultimum sui Stemmatis se agnosceret, vicino huic amico gratiam hanc præstare voluit, præsertim quum filiam unicā Adelheidam Guncelio à Bartenschleben pridem antea, videlicet An. 1217. elocasset, quæ & ipsa diem suum obierat. Inde securior vixit in hoc, præsertim quum nosceret, quod successores ex domo Anhaltina esset habiturus, dum iam pridem ante 129. annos Otto Magnus Anhaltinus ad signationem huius Marchionatus ab Henrico V. Imperatore accepisset.

Osterburgum autem civitas lepida est, & in loco amæno ad Bisam fluv. ita sita, ut undiq; iucundum largiatur aspectum ob convallem adjacentem, nec minus in feraci iacet terra, quam Henricus Auceps an. 924. muro fortiori cingi curavit: Templum autē ad Divum Nicolaum an. 1188. à Comite eius Henrico conditum est. Nec tamē sine calamitate fuit sua. Namque an. 1143. quum Marchioni Ottoni controversia esset cum Willebrando Archiep. Magdeb. & Ludolpho Episc. Halberstad. belliq; fervor in inexpectatam diuturnitatem excurreret, devastata est plurima ex parte hæc Urbs cum vicinis oppidis, & arcibus, donec supra Osterburgum ad Bisam Episc. Halberstad. in capturam Marchioni incidit. Cives hodie eius sunt humanitati, & Literaturę ut plurimū dediti, quamvis ex agricultura maxime vivant. Senator Fridericus Soltwedelius, vir mihi amicus, Iustitiæ, & integritati præ reliquis in Magistratu dedituserat, olim auditor & convictor meus in Acad. Iulia: unde virtum magni æstimare non destiti, quod Collegis, & concivibus singulari in vita esset exemplo.

Sic & Gardelebia vallo & muris circumdata est ad originem ferme Mildę, & Bisę, cuius cives admodum humanitate quasi innata præpollent, velut & laudabilis est eorum beneficentia erga peregrinos, quum studio litterarum sint singulariter dediti. Arenosus undique ferme in ericeto satis amplo ibi est campus, nisi ubi Calbam Alvenslebiorum ad Mildam per duo milliaria tenditur, agrum conspicias feracissimum cum amœnis pratis: Tum circa civitatem horti omnes repleti sunt lupulo, qui præ omnibus ex virtute ita celebratur, ut usque in Daniam avehatur. Cerevisia autem adeo sanitati conducit, ut omnibus præripiat laudem, & Bordani nullo modo eius carere velint adsuetudine: sicut & vicini oppidis, & pagis deliciarum loco est unice, cuius virtutes eximias proinde eleganti Carmine olim describebat Hess. Meibomius, quum nec gratior potus in Acad. Iulia, Helmæstadiensibus dari possit; Quin & Medici prudentes vino hanc cerevisiam bene coctam præferre

ausint ratione nutrimenti, quum & calorem nativũ in humido radicali adaugeat, & fomentet vitæ balsamum; iuxta versiculum:

Gardlegia potus longe est suavissimus; illo
Nil senibus, iuvenum sanius aut stomachis.
Ætati cuivis conducit semper, in usu,
Quem Cœli dicas nectar habere, suo.

Tanti Commercij erat hæc cerevisia civibus, ut cotidie aliquot centum curribus ante miserrimam hãc belli faciem in vicina loca passim avheretur, & non levi lucro civitas inde afficeretur, de qua etiam hi habentur versus:

Vivere quis tecum nollet totaliter? audin?
Urbs bene sic dulci tota liquore scates:
Dum tua nectareum spirat cerevisia potum,
Cætera quæ victus postulat hinc sat habes.

De reliquis autem Urbibus Marchiæ huius veteris, & Senonum, quæ ex 7. restant, uri est Tangermunda, Sehusium, & Varinum, aut Werbena, supra actum est; de quibus cum Perleberga hi versus celebrantur.

De Perlebergæ civitatis nomine.

Num Mons Ursini *tu diceris, anve Pyropi?*
Margaris in Prugnis gentibus es merito.

In Stendaliæ Urbis auctorem, & nomen.

Fortiter Urbs Uchta *tibi standum in Valle putasti,*
Cen justi Cæsar jusserat Aucupij:
Hinc adeo flores animosa per obvia quævis:
Ut sic præteritis postera conveniant.

In Soltwedeliæ mutatam formam.

Marchatus veteris tu Soltwvedelia tractum
Custodire diu sat solita es, Domina:
Iam tibi sufficiat, quod sis contermina primis
Urbibus, *& cedas imperium reliquis.*

Osterburgum.

Austrina Urbs *arcis, quod te gens Vandala tantis*
Obruerit damnis, nomen id inde tenes.
Te porro pietas defendit calica, cunctis
Et Deus expediat, surripiatque malis.

Sehusium.

Ut *primo Senonas secura in sede foverets,*
Inde domus ratio constat amica tibi.
Te pergas tali studio præstare fidelem,
Gratia succresceet plenior inde tuis.

De Angermunda, quæ hodie Tangermũdã ab incolis rectius duplici ex causa vocatur, huic monitionis ergo istud inferendum est, ut non tantum ab illo oppido Ukeranæ Marchiæ Angermunda sylvestri loco ex venatione Electorali celebri inter Wekeam & Thuram fluvios adiacente, distinguatur, sed etiam hinc percipiatur, vocem illam Gmund non semper ad exitum, aut os fluminis accommodari, ut alii volunt. Alias enim Angermundæ Ukerianæ id nominis iuxta talem acceptionem nõ recte competeret, quum in campestri loco erecta sit. Attamen Tangermundæ recte applicatum huic nomen istud est, quia ad ostium Tangeri in elevato loco, ubi ille fluvius in Albim acclivus influit, admodum spectabiliter cum arce condita est, quæ tamen ex vetustate iam nimis attrita iacet. Sic etiam Lubecca suam habet Travamundam ad fluminis Travæ ostium, quo se in Balthicum mare exonerat: velut & Rostochium Warnemundam, quod Varnus ibi ad idem mare percurrat.

Angaridum proles tu Tangermunda vocaris,
Os tibi quod nomen fluminis imposuit.
Inde tibi qua Albis felicia commoda præstat;
Aequis ex clivo prospicias oculis.

Werbena.

Varinum quondam celebravit prisca vetustas,
Cederet ut lucro lauc ea Marchiacis.
At neglecta diu quum multis cladibus esset,
Urbis nunc positum respicimus melius.

Petrus Lindebergius de Arce Spandovia Electorali.

Nequaquam generosa tibi Spandovia desunt,
Commoditas, Vallum, mœnia, fossa, situs.
Obstupui, ut primum vidi munimina dia,
Naturamque plagæ, commodaque ampla soli.
Et magis obstupeo, quoties considero visa;
Tanta tibi subsunt robora tanta plagæ.
Vix certe poteris dehinc plus munirier unquam,
Nec magis ipsa loco conveniente strui.

Idem de arce Custronensi invincibili, cuius superius mentio est facta.

Ipsa licet cunctas adducat Thracia vires,
Germanis certans sæpe minata necem.
Ipsa licet cunctas ducat terra Itala vires,
Tentonibus magnum sæpe minata malum;
Nec tamen humana poteris delerier arte,
Nec vi, nec vigili fraude, doloque capi.
Stes, maneasque tuo semper cum principe salva,
Incolumes remanent, quos tegit ipse Deus.

Georgius Sabinus de Aquila Brandeburgensi, cuius supra mentio iniecta est, & recte hisce temporibus iterum iuxta statum Imperii, misere disruptum, accommodatur.

Dum volucres aliæ cum Cæsaris alite bellum
Unguibus armatis exitiale gerunt;
Fortia signatus regali pectora sceptro
Ales, Cæsarea fidus adhæret avi.

Verum de Veteris, aut Senonum priscorum Marchiæ Civitatibus pro ratione huius instituti sufficiant. Quum tamen & aliæ ulterius huius regionis fuerint Civitates Hanseæ olim sociæ, de ijs cap. 23. actum est, quænam sint principales, ut hinc proinde nobis digressio pateat ad Saxoniæ Urbem primariã, nempe Brunsvigam, quando supra *cap. 2. part. anteced.* saltem eius originis rationem in nonnullis tetigimus: quam varia autem iactata sit fortuna, & quis loci situs, ac mores hominum, id nunc paulo plenius cum suis caussis explicandum est. Etenim tam multivarios pertulit appulsus, ut ferme mirum sit, quod

non pridem penitus tot ſuccubuerit fluctibus, aut procellis vehementioribus, niſi Dei maior fuiſſet gratia, & clementia, ſubmerſa fuerit. Sed velut magnorum ingeniorum hoc proprium eſt, ut ſe nunquam penitus ſubiugari, vel ad ſervitutem nimiam detrudi, & mancipiis adſimilari ſinant; ita merito in Brunopolitanis haud id improbandum venit, utpote qui ex iis ſunt primarij populis Germaniæ, neſcientibus firmitudine frangi, ut idem heic affirmare inprimis licitum ſit, quod *Corn. Tacit. in lib. de mor. German.num.*22. pronunciat, dicens: Gens non aſtuta, nec callida aperit adhuc ſecreta pectoris NB. licentia loci. Ergo detecta, & nuda omnium mens, poſtera die retractatur; & ſalva utriuſque temporis ratio eſt: deliberant, dum fingere neſciunt: conſtituunt, dum errare non poſſunt, &c. Ita conſultum conſilium ſemper optimum eſt, & durabile, nec facile cedit calumniis, licet invidia nunquâ à ſubagitationib. clandeſtinis quieſcat, aut quieſcere ſoleat.

Non errant proinde, qui Saxones iſtos pro nobiliſſimo inter Germanos habent populo, uti ſupra ex indicatione, eius fortitudinis, quam toties irritati erga Carolum Magnum exeruerunt, patett nec iniuria ex d. *Tacit. lib. de mor. Germ. n.* 35. illis adſcribitur laus hæc conſtans, ubi ait: populus inter Germanos nobiliſſimus, quique magnitudinem ſuam malit Iuſtitia tueri; ſine cupiditate, ſine impotentia, quieti, ſecretique, nulla provocant bella, nullis raptibus, aut latrociniis populantur: Idque præcipuum virtutis ac virium argumentum eſt, quod ut ſuperiores agant, non per iniurias adſequuntur. Prompta tamẽ omnibus arma; ac ſi res poſcat Exercitus, plurimum virorum, equorumq; & quieſcentibus eadem fama, &c. Quod quum Brunopolitanis quoque potiſſimum applicetur, inde illud enatũ eſt apud Saxones ipſos ut vocent eos, conſtantes illos Brunſwickeros, ſed abſit petulans protervia, ac ne, ut ait *Tacit. lib.* 1. *Hiſt.* malignitati falſa ſpecies libertatis inſit. Quamplurimas autem optima hæc Urbs Brunſviga à tot ſeculis exuperare coacta eſt infeſtationes, & moleſtias ferme adſiduas: Nulli tamen paroxiſmi periculoſiores ipſi extitere, & graviores, quam quos ſub Henrici Imperatoris occupatione iniuſta An. 1091. & poſtea ſub Henrico ſeniore ſemel, Henrico iuniore, Hérico Iulio aliquoties, & Friderico Ulrico ſemel pertulit, & fortiter evicit, ut poſtea paucis attingemus, modo prius deſcriptionem tam claræ urbis, cum occaſionibus Hiſtoricis pertexamus adhuc brevibus.

De primaria eius origine primordiali quam acres ſuperioribus annis ſub Henrico Iulio Duce Brunſv. fuerint controverſiæ, ſupra nonnullis quidem detectum eſt; quum non tantum vicus ibi quidam, & multitudo iunctarum domuũ aut via inter illas circa an. Chr. 141. ſed etiam caſtrum in clivo adiacente ante Caroli Magni tempora fuerit. Tubiſurgium à nonnullis dictum: attamen hoc abnegari interim non poterit, velut & ipſa nominis ratio, & compoſitio idem arguit, ex vico hoc Brunonis extructã eſſe urbem Brunſvigam, ut Ius Civitatis inde incolæ ſibi acquiſiverint, quum plenior coactio civium acceſſiſſet; nec formari poteſt civitas ſine iure ſpeciali civium in privilegiis ſuis bene adæquatis, ut commercia in uſum publicum eo rectius dirigendo proveniant. Ideoque Saxoniæ, & Angariæ Duci ac Principi illi Brunoni, Brunonis 1. nepoti, & filio Ludolphi ſtatim poſt obitũ parentis, qui An. 859. in vivis *heic* eſſe deſiit, & Gandersheimij ſepultus eſt, ad imitationem patris Ludolphi, qui octénio ante Gandersheimium iam dictum erexerat cum cœnobio, huius Urbis Brunſvicenſis extructio plenior in an. 861. adijci, & deputari merito debet.

Vicus autem ille primus verſus orientem eis fluvium ex Hercynia defluentem Ocram, ſive Oucrum (ut alii volunt nominationis vocem) ſitus eſt, ac partem primam urbis determinat; cui ab altera parte ultra Ocram Bruno Dux ille veterem civitatem, adhuc ſic dictam, annexit muris circumdatam, ut ſic intermedie ſecaret fluvius utramq; urbem. Qua vero Oucer ad ortum reflexum accipit, ibi frater Brunonis Danck natu proximus ipſi, quum alios tres fratres & 4. ſorores Danckwardum nempe, Ottonem & Eckbertum, Leutgardam, Hattmudam, Gerburgam, & Chriſtinam habuerit, arcem erexit additam, & ex ſe dictam, ut arx Danckwarderoda appellaretur. Coniunctio animorum inter Principes iſtos binos ita arcta fuit, ut per 19. annos in una arce habitarent, communicato ad invicem regiminis ſtatu, donec Anno 880. Normanni cum Danis ſtatim ab obitu Ludovici 3. Balbi, ſub Imperat. Carolo Craſſo impetum iuxta Albim in Saxoniam facerent, & ambo Duces ſibi 17. Epiſcopos, atque 13. Comites in exercitu Brunſvigæ collecto adſociarẽt, quibus hoſtibus ad Ibberſtorphium, ubi nunc monaſterium eſt, uſq; in occurſum quidem procedebãt, ſed miſere 1. Aug. cum toto comitatu oppreſſi perierunt. Inde ſucceſſorẽ habuerunt in regimine fratrẽ Ottonem, Henrici Aucupis poſtea Imperatoris parentem, licet & ipſe ad Imperatoris officium Dignitatemque evocatus eſſet, niſi ſeneſtutis nomine poſt tot exantlatos belli, contra Hungaros, qui toties Boios, Suevos & Saxones infeſtarant, labores ſe excuſatum reddidiſſet, ut ipſi Cunradus I. ſit ſuffectus. Is per 56. annos prudenter præfuit ſuis provinciis, ac muniri locos, civitateſq; & arces ob incurſiones tot repetitas Hunnorum mire amavit, obiitque an. 916. ac Gandersheimii ſepultus eſt.

Hinc in belli tempore cum Hunnis Henricus Auceps Imper. ulterius circa an. 932. Civitati Brunſvicenſi tertiam partem, & quaſi novam urbem, unde ita adhuc hodie appellatur, addi & muris cingi curavit, ut maiores inde ibidem colligeret civium vires, & eo potentius hoſtibus obviis reſiſtere, aut repellere eos valerent. Velut etiam ſemper fidelem operam ſuis principibus in omnibus obvlis caſibus, atq; periculis præſtiterunt; & cognatis quoque fidi manſerunt; ut videre eſt in eo, quam Otto III. Imper. abſque prole maſcula diſceſſiſſet, & ex avi Ottonis I. Fratre Henrico Bavaro, quod formoſam Luciam, ſive Luckam Bavariæ Duciſſam in matrimonium duxiſſet, Ludolphum abnepotem, qui ſe Marchionem Saxoniæ in Melveroda ſcribebat reliquiſſet, quod ius agnationis ſancte obſervarint, & Ludolphum hunc, tanquam proximum agnatum, ne plane ſtemmatis Brunſvicenſis eſſet, & daretur vacantia ex linea collaterali, pro Domino legitimo, abſque ullius difficultatis diſputatione ſponte ſe offerendo, acceptarint, qui etiam trium templorum ędificatione, nempe D. D. Petri & Pauli, Sancti Ulrici in foro Carbonario, ubi nunc domus Libramentaria eſt, ac D. Magni urbem exornando donavit circa an. 1010.

Sic

Sic etiam quum in huius Ludolphi dicti nepote Egberto, quem Henricus 4. Imper. in propria arcis Danckwerdanæ mola Eyſenburtelia An.1090. perquam nequiter, & proditorie in ſomno perfodi curavit, ſtemma hac vice maſculum prorſus expiraret, & ſororem eius Gertrudam ab exilio, quo eam Imperator Henricus IV. occupando civitatem hanc, affecerat, & ſe ſtratagematice Brunſvicenſes liberarant, revocarent, ſuamque Dominam Electione ſingulari deſignarent, ipſique deſolatam reædificando arcem Danckerodanam deſtinarunt, atque defenderunt. Unde poſtea, quum Comiti Northeimenſi Henrico Pingui nuberet, coniunctionem Comitatus Northeimenſis, ac Provinciæ ad Viſurgim cum hoc Ducatu Brunſvicenſ. non parum promoverunt. Imo quum ſecundum maritum, Comitem Ditericum Cattelnburgenſem ſupervixiſſet, Marchioniſſam hanc Saxoniæ cum filia Rixa adeo debite reſpexerunt, ut non tantum ad avertendum qualvis adverſantium molitiones, ipſi præſto fuerint, ſed etiam ex ſingulari cura ſecum eam in urbe foverint, & filiæ Rixæ maritum Lotharium Comitem, alias Supplinburgenſem vicinum, qui poſtea ad Dignitatem ſummam evectus eſt Imperii, admodum reverenter habuerint.

An. 1117. mortua eſt Marchioniſſa hæc Saxoniæ Gertrudis Brunſvigæ, & ad inſtinctum civitatis Genero ſuo Lothario Duci (quo titulo ita Henr. V. Imper. ab obitu Ducis Magni Lunæburgenſis, ſine prole decedētis maſcula, illum an. 1106. ornarat) omnes provincias cum civitate libere in Teſtamento obtulit. Quum igitur Lotharius iſte ex dote Rixæ Northeimenſis ſuæ tam ſplendide Provinciis, Brunſvicenſi, Northeimenſi, ac Viſurganis eſſet ditatus, nec minus virtutibus vigeret magnis, factum eſt, ut reiecto Duce Conrado Sueviæ, ipſe an. 1125. die 24. Aug. electus ſit in Cæſarem Moguntiæ, etiam invitus, qui tamen quam optime univerſam Rempubl. Germaniæ adminiſtravit, habuitque & celebravit Brunſvigæ An. 1130. publica Imperii comitia, ut tandem variis agitatus bellis ex Italia redux an. 1138. regni ſui 13. peſte correptus in pago, non procul à Tridento mortuus, & ab Electore Henrico ſuperbo Bavaro Genero, cui filiam Gertrudam an. 1124. elocarat, in monaſterium, quod ante biennium an. 1135. inter Helmſtadium & Brunſvigam honori D. D. Petri & Pauli addixerat, & ſuo nomine regio appellarat, deportatus eſt. Die autem D. Sylveſtris in præſentia omnium Saxoniæ procerum ſplendide ibi non ſine lacrumis ob bene merita ſepultus eſt, ac quievit corpus tranquille imperturbatum per tot ſecula, donec ex inſtinctu avarorum 4. virorum, qui ſe Landroſteros, alii autem flagellatores terræ eius vocabant, circa an. 1618. Dux Frid. Ulricus Brunſv. ſepulchrum aperiri ſineret ea ſpe, quod ſingularia inventuri eſſent Ceimelia aurea, quæ corruptioni monetæ novæ inſervire poſſent. Sed quum omnis habitus ſaltem cum regalibus Imper. inauratus reperiretur, pudore ſummo affecti ſunt harpagi illi ſpeculatores. Mihi ipſi particula ex toga, temporis attritu ſubfuſcata, communicata fuit, quam diu memoriæ cauſſa mecum adſervavi. Epitaphium autem eius Imperatoris optimi tale fuit notabile:

Lotharius ſceptro, ceu Carolus alter adepto,
Aequo Iudicio præfuit Imperio.
Diluit errorem Regni, firmavit honorem
Inclytus Italiæ, Victor & Apuliæ.
Exuitur membris, heu! ſexta luce Decembris,
Eccleſiæ gemitus, illius eſt obitus.

Mutatio ingens ex morte huius ſecuta eſt, præſertim quum ex rancore occulto, quem ſequens imperator novus Conradus III. Suevus ex repudio priori Electorum erga Lotharij Genetum Henricum Bavarū conceperat, inſtitutum perſequi, & omnia pro lubitu peragere ſtuderet. Ex iure matrimonii Succeſſor iſte Henricus Bavarus, è ſtirpe Guelphorum oriundus in Ducatu Brunſv. & Lunæb. erat, ſed invidia & indignantia dicti Cæſaris tam vehemens erat, ut nō tantum bis hunc principem banno An. 1140. percuteret, ſed etiam Alberto Urſino Marchioni Brandeburg. Electorat. adſcriberet. Quum igitur in Saxoniam confugeret iſte Dux Guelphius, Brunſvicenſes cum aliis Proceribus Saxoniæ fidelem ipſi præſtitere defenſionis operam, donec res ad tranſactionem Quedlinburgenſem remitteretur. Sed ibi propinabatur ipſi venenū, ut paulo poſt valedicere huic cogeretur mundo, relinquens coniugē cum filio quadriennali Henrico Leone in ſumma triſtitia & lacrumis Brunſvigæ. Sepultus eſt iuxta ſocerum in Monaſterio Regii Lotharij anno 1140. Interim frater eius Guelphus Octavus tutorio nomine adminiſtrationem omnium provinciarum ſubiit, ne Imperator invidus ſuo ex fratre filio Duci Henrico Leoni ſuam eriperet tot provinciarum hæreditatem, unde illum itidem banno percuſſit quidem Cæſar, ſed forti manu vindicavit hanc iniuriā undique, quantū potuit, uti memorabilis eſt hiſtoria in obſidione Weinsbergica, ubi ex coniugis Idæ Calbergis Comitiſſæ inventione mirabiliter, humeris eum exportando, liberatus eſt, quam lepido admodum Carmine Hēricus Meibomius An. 1614. deſcripſit, ut infra notabitur: Ac ſe Brunſviga conſtanter devotam ſuo præbuit Principi in omni auxilio, velut & Adoleſcenti Henrico Leoni adiutionem eā præſtitit, ut an. 1146. ipſe regimen ſuarum ditionum ampliſſimarum adierit cum Electoratu Imperii, etiamſi nondum eſſet maiorennis, ſed annis 10. natus. Edidit ſtatim an. 11. egregium ſpecimen ſui generoſi animi in bello contra Vādalos, ut inde Leonis nomine ſit inſignitus, quod omnes adverſitates, quas certe admirabiles perpeſſus eſt in variis diſcriminibus, animoſe evicerit. Quū vero locum ſibi ſelectiſſimum ob conſtantem fidem civium Brunſvigam haberet, ſemper ſui regiminis ſedem fixam per 50. annos ibidem in arce Danckwerodana non tantum tenuit, ſed etiam, ut eo tutior iſtic habitaret, auxit eam urbem, quarta parte adiecta.

Interim ille angulus, qui inter vicum veterem, & novam urbem ſe ad Oueri flexum verſus arcem extendit, & ſaccus nunc inde propter interſtitij inſitionem, aut incluſionem, dicitur, vacuus adhuc relictus eſt, donec ædibus, & nova facie ornatus erit, & ſui regiminis peculiaris formam interiacentem ſub Ottone IV. Imper. An. 1199. obtinuerit. Ideoq; an. 1171. ex Palæſtina redux quartam partem ubi huic annexi munitione firma, ac totam urbem foſſis, ac vallo, mœnibuſque cingi, curavit, ut penitus arcem quaſi in meditullio huius concluſam foveret, & urbis diverſæ partes uno circuitu in univerſum incingerentur.

Totum inde ſic ambitum cũ Iuriſdictione Brunſvigæ ſua adiecit, quæ adhuc Haga appellatur Germanice, quum ibi Principes ferinarum hortum, & adſervationem ſuarum, quaſi Gehege coluiſſent, in eaque templum in D. Catharinæ honorem condi curavit. Sic etiam eodem tempore templum arcis ipſius inſſu demolitum vetus, & novum Cathedrale in honorem D. Blaſij ac Iohannis Baptiſtæ, quod Epiſcop. Hildeſienſis Hermannus inveſtivit ſacris, erectum eſt. Quumque ipſam arcem variis novis ædificiis exornari curaſſet Princeps iſte, in memoriam Nominis, & inſignis ſui etiam pyramidem in aula ea ad latus templi, cum æneo, & inaurato Leone, ceu etiam hodie adhuc viſitur, impoſito, extrui iuſſit.

Atque ſic tandem ex tribus ſeculis uſque, non ſine magni laboris opere Brunſviga hæc ſuam perfectionis formam, in qua adhuc viget, accepit. Etenim ex quo primum Tiboſurgij nomen anno 861. in Brunonis vicum nova ſtructura addita mutatum eſt, hucuſque 311. effluxerant anni à tot maiorum intentione, ut ita demum urbes contiguæ in unius faciem ſint redactæ. Atque hinc eſt, quod paſſim in variis plateis, quas ſat comptas, & amplas habet, ex omni parte ſplendidas, & conſpicuas habeat ædes: Etiam adhuc ita curiis quinque diverſitas Urbium denotetur, & unaquæque ſuos habeat Conſules, ac ſenatores, qui privata peculiariter in curiis ſuis tractent. Si vero publica ſint, Conſules cum Syndicis plerumque in novæ urbis curia deliberant ea, quum locus ſit commodior, ubi quoque adhibentur Senatores; ratius tamen in curia veteris urbis, quæ ſplendidiſſime extructa, & Imperatorum imaginibus iuxta ſtatuas perſonarum inaurata, ordine nitet adeo, ut totum forum illuſtret, conveniunt. Alias tamen locum Monetæ, ceu in medio ferme Civitatis ad forum Carbonarium totius ſitum, ad cotidiana conſilia, etiam iuridica exercenda eligerunt, ubi etiam Civitatum Hanſeaticarum, aut comitum legati audiuntur. Si vero Principum ſint Legati, in Curiarum aliqua plerumque iis audientia præbetur.

Unaquæque Urbs ſuum habet forum, & Iuriſdictionem, quam tamen combinatim in gravioribus exercent, & vivunt adeo inter ſe concordes, ut quaſi uno Magiſtratu tota regatur civitas, quem reſpectum quoque facit ſtatus popularis, quem maxime colunt; & inprimis eſt illis dies S. Andreæ, ſive ult. Nov. peculiariter ſolemnis, ubi univerſa civium communio omnium partium ſive urbium in foro veteris civitatis conventum habet, & liberum civium colloquium, ut vocant. Heic gravamina quævis libere examinantur, nec verentur etiam cives interdum in ipſam Magiſtratus adminiſtrationem inquirere: ſique ſint in numero Conſulum, aut Senatorum, qui non ſatis æqui illis videantur, nominatim eorum defectus notare quoque ſolent. Hoc enim ſingulari ſibi ducunt laudi, ſi ex culpationibus aliquos poſſint retrahere ſuis, quum non facile quem reprehendant, licet acrius quos taxare auſint. Hinc etiam ſenatus admodum cavet, ne modeſtiam erga ſubditos tranſgrediatur, nec facile Miniſteriales, à quo populus multum dependet, offendat, quaſi vulgi Oratores ſint: tamen directorium tenent in Conſiſtorio ſuo, ut ſuperatten dens non primas tantum foveat partes, ut alibi fieri ſolet.

Benigniſſima illa Principiſſa Gertrudis, cuius ſuperius eſt facta mentio, dicitur corpus D. Auctoris ex Treviri huc pertuliſſe, atque hinc in honorem D. Ægidij Monaſterium in veteri vico Ordini Benedictino addictum An. 1113. inſtituiſſe, ubi Oucer primum Urbem influit. Licet iſte fluvius civitatem mediam permeare videatur, tamen interius in aliquot inſulas quaſi eam dividit cum magno civitatis commodo, ut etiam molas intra muros foveant, uſui communi deſtinatas. Ubi vero ex foro Hagenſi ad Curiam novæ urbis tenditur, Oucer ita quaſi ſubterraneus pleno curſu profluit, ut eius non ſit animadverſio, ita plateæ eius ædes artificioſe ſunt diſpoſitæ; tamen pons Hagenſis vocatur. Diu ibi vixeram, priuſquam quid de nominis eius ratione mihi conſtaret. Octo habet Eccleſias parochiales, duas in veteri vico, tres in urbe veteri, duas in nova civitate, & unam in Saccali loco. Spacium autem univerſæ civitatis oblongum, ovi inſtar alicuius, in ambitu, & circuitu 9. portas commeantibus exhibens, ferme milliare Germanicum complectitur. Quinque portas ea pars civitatis, quam Oucer verſus ortum alluit, quatuor vero verſus occaſum, dum à meridie in ſeptentrionem tendens labitur. Turribus etiam bene proportionatis ſe Urbs clara in aerem conſpicuam undiquaque & prælucentem efficit, quarum quam longiſſime prænitet, & cacumen præ reliquis ſuperbum in cælis altius effert turris ad D. Andream, cui einſdem altitudinis altera adſociata olim fuit, viridis coloris tecto induta, ſed tempeſtate, & venti nimis vertiginoſi turbine An. 1455. 10. Ianuar. ob molem nimis excelſam ante decades aliquot detruſa. Retulerunt mihi ſeniores lapſum ipſius turris adeo lenem circumiacentibus in aedibus fuiſſe, ut vix eum animadverterint, quum tamen fragorem incredibilem extra Urbem cum terrore excitaſſet, quod inter miracula refertur, maxime quum ultra unius hominis læſio non fuerit. Sed memini, quod an. 1615. in obſidione idem ferme, quum per triduum turris ad D. Magnum ex caſtris rubris Ducis Frid. Ulrici creberrimis ictibus Canonum impeteretur, & die Lunæ circa 10. hor. antemerid. deiceretur ex ſummitate, acciderit: Cuius rei ipſe ſpectator fui in monte Gyreſio ſtans: Ac quum talia explicarem habitantibus prope templum, quod actum hunc violentum, & cum inverſo vertice decidentem vidiſſem turrim: illi ſonum lapſus levem putarunt, & quod nemo inde læſionem accepiſſet mortalium, etiam pulvis in ubere copia ſe ſurſum in aerem exuliſſet, celerrime evaporando.

Urbs hæc quoad ſitum & ædium, domorumque ædificationem, plateamumque poſitum, ac mores fœminei ſexus, etiam in ratione regiminis, non adeo Argentorato eſt abſimilis, ſi plurium rerum comparationem mecum conſtituam, velut etiam ad tranſactionem An. 1615. cum Duce de bello conſopiendo ineundam Argentoratenſes, Norinbergenſes & Ulmenſes mittebant legatos, qui 9. Decemb. Wolfenbytum perveniebant. Ideo non iniucundum erit, ut eius regiminis in ſimilitudine formam ex populari ſtatu cum Ariſtocratico commixtam paucis interſeram, uti mihi olim, ibi degenti in ſtudiis communicata eſt, quæ ſic ſe habet.

Reſpubl.

Reſpubl. Argentoratenſis compoſita eſt, partim ex nobilibus civibus, ſeu Equeſtribus, partim ex honeſtioribus antiquis familiis, partim ex plebeis opificibus, ita tamen, ut cives ignobiles, & plebei in omnibus ordinibus ſemper duplo exſuperent nobiles. Qui modus regiminis ex ſeditione an. 1332. ita natus, & pro qualitate incolarum inventus eſt optime idoneus. Primus Magiſtratus habet ſuos certos diſtinctos ordines. Summus ordo eſt Dominorum 15. virorum, hic conſtat 4. prætoribus nobilibus, 4. Excõſulibus, & 4. honeſtioribus civibus, 13. perſonam ſupplet Dn. Conſul, qui quoque anno eſt in regimine (ſicut conſulatus eſt annuus, prætura autem trimeſtris.) His demandata ſunt: munitio Urbis, Armamentarium, cura ſtabuli, utpote emptio equorum, & conſcriptio equitum ſtipendiariorum, & quicquid ad militiam ſpectat: ſunt & hi delegati Iudices Camerales ſpeciali privilegio. Cæteris, ad quos uſque ad certam ſummam à patribus, à Senatus ſententia damnatis devolvuntur appellationes. Sed ordo Dominorum 15. virorum, hic conſtat 5. nobilibus, inter quos plerumque unus eſt prætor, & 10. honeſtioribus civibus: Hi primum habent cenſores morum, & inſpectores, ut omnes ordines, & qui funguntur muneribus publicis, recte faciant officium: veluti ſi aliquis Conſul, vel Senator, vel minorum iudicum præfectus oppidi, aut arcis, quæ noſtræ parent metropoli: Præfectus vigilum, aut ipſimet vigiles, item ſi præfectus factis redditibus, aut fabricæ templorum, & monaſteriorum, hoſpitalis Cœnodochij, Orphanorum, leproſorum, pauperum & ſimilium. Triumviri ærarii, ſtabuli: Quæſtor ſeu receptor pecuniæ publicæ, Magiſter mercenariorũ, qui Reipubl. locant operas: Ædituus domus mercaturæ: item tollo vel collector vectigalium publicorum, vel denique opifex, aut mechanicus aliquis (qui in 23. ſunt diſtributi) ſi quid committat contra LL. ſcriptas, aut ordinationes (ſicut ſpecialiter tutela legum huic Magiſtratui eſt demandata) tunc Dominis 15. viris licet delinquentem civiliter ſaltem coercere, & pro qualitate delicti incarcerare, & mulctam pecuniariam imponere: ſed criminales actiones omnimodo pertinent ad ſenatum, qui ſolus habet ius gladii, ut poſtea dicetur. Præterea Dom. 15. viris eſt demandata Oeconomia civitatis, utpote cura, ſeu adminiſtratio ærarij, monetæ, Cambij, annonæ publicæ, cellę vinariæ, lignatiorum ſtabuli, quantum contributiones civium attinet, vectigalia, Item monopolia ſalis, ſevi & ſimilium rerum neceſſariarum, ex his etiam conſtituuntur perpetui ædiles, quorum duo ſunt nobiles, duo ignobiles, & ſingulares præfecti incendiis, & ſuperioribus negotiis publicis: Itaque latet eorum Iuriſdictio.

Tertius ordo appellatur ſolutus 21. virorum, cõſtat 5. perſonis, uno prætore nobile, altero Exconſule, aut etiam duobus & tribus honeſtioribus civibus, hi interdum adhibentur ad ſecretiora 13. virorum, & 15. virorum coniuncta conſilia, quæ ad Senatum non deferuntur, & ſuperiores quidem tres ordines ſunt perpetui, nec mutantur, ut Senatores: ſed tam diu in iis manent perſonæ, donec aliquis vel morte perimatur, vel ad Conſulatum, vel ab inferiori ad ſuperiorem ordinem evehatur. Iam ſubſequitur Maior Senatus, qui conſtat 30. perſonis, 10. nobilibus, & 20. civibus plebeis. Senatui præſidet Conſul, qui ſingulis annis novus eligitur: 20. Senatores plebei colliguntur ex 20. tribubus, ſingulis annis 10. novi: reliqui 10. qui iam annum conſederunt, manentes adhuc per alterum ſequentem annum, ita ut ex qualibet tribu alternatim unus ex numero Scabinorum biennio novus Senator fiat; Nobiles tam ex ordine 13. virali & 15. virali, uſque ad certum numerum, quam ex aliis, qui adhuc ſunt extra hos ordines, ſingulis annis novi cooptantur in Senatum: Inter hos 4. ſunt prætores, reliqui nobiles aſſeſſores. Senatus tractat diebus Martis, & Iovis forenſia & Iuridica ſecundum proceſſum iudiciarium, aſſidentibus Dominis Advocatis Civitatis. Cognoſcit & de maleficiis, ideoque habet ius gladij, & coercitionem criminalium actionum.

Diebus Lunæ, Mercurij, & Sabbathi ſuperiores ordines 13. 15. & 21. virorum congregantur ſenatui: tractant coniunctim graviora negotia civitatis, minor ſenatus tractat res hæreditarias, & cauſſas pecuniarias, vulgo Schuldſachen/ conſtat 18. perſonis nobilibus, & 12. plebeis; Atque hi omnes Magiſtratus in ſuperiori palatio Iuriſdictionem ſuam in ſeparatis conclavibus exercent. Porro tria adhuc ſunt inferiora iudicia plebeiorum extra palatium. Primum Stattgericht vocatur, ubi ſubhaſtationes bonorũ fiunt, præſidente perpetuo Iudice, qui Statt-Richter vocatur. Alterum Schultheticum vocatur, vulgo Schultheiſſen Gericht / ubi parva debita excutiuntur, utrumque conſtat 7. perſonis. Tertium ſeptemvirorum, qui vulgo Siebenzeigter vocantur, ubi iniuriæ, & leves cauſſæ expediuntur. Hæc tria poſtrema Iudicia, quamvis ſint plebeiorum, tamen omnes & ſunt Schabini, & mutantur ſingulis annis. Denique cum omnes cives, tam honeſtiores, quam Mechanici (exceptis nobilibus, qui duas ſeparatas tribus habent) in 20. tribus ſunt diſtributi. Quælibet harum tribuum habet 15. Scabinos, in quo numero autem comprehenduntur 13. viri, 15. viri, 20. viri, 21. viri, & Senatores ignobiles: Item Tribuni plebis, ita ut in univerſum ſint 300. Scabini: ſingulis Tribubus præeſt capitis loco aliquis, vel 13. virorum, vel 15. virorum, vel 21. virorum ignobilium. Præter hos etiam ſingulæ Tribus habent ſuos privatos Iudiciarios, illi dirimunt controverſias tribuliũ, quas non opus eſt deferre ad ſenatum, ibi eorum ſententia ſe quis ſi gravatum putat, provocat ad Dominos 15. viros, penes quos eſt vel Iudiciariorum ſententias firmare, vel reſcindere.

Ex Scabinis, ut antea dictum, eliguntur aſſeſſores in maiorem, & minorem Senatum, nec non inferiora iudicia. Si cauſſa quædam exuperat 300. florenos, eius cognitio ad maiorem ſpectat ſenatum, reliquæ omnes ad minorem iuxta ſtatuta. Circa Nativitatem Chriſti, quando quotannis mutua fit iuratoria obligatio novorum Senatorum, conſuetudo iſtius conſtitutionis formalis potiſſimum cognoſci poteſt, ubi etiam articuli, & ſtatuta cum pactis publice ex curia civibus prælegũtur. Exordium memorabile talium eſt litterarum. Nos Magiſtri, Senatores, Equites, miniſtri, cives, mechanici, & communitas, tam divites, quam Strasburgici, &c. Argentoratum autem unde hæc civitas dicatur, non ſatis liquidum eſt.

Trebetæ eius primaria origo aſſignatur, ut inde

Tre-

Trebeburgium dictum sit prius, ut Brunsviga Tubisurgium. Fuit quondam diu desolata, ut eius restitutio in an. 670. Adelberto Duci primo Alsatiæ, & altera Henrico II. circa an. 1065. adscribatur. Quæ Urbs adeo munita est, ut obiectum Gallis castrum censeatur. Portas itidem 9. habet, sicut Brunsviga, ac in planicie ita extensa, ut ferme ovalem repræsentet formam; velut & fluvius Prenskia eam permeat. Turris adeo famosa templi Cathedralis est, ut etiam à pluribus satis depicta. Armamentarium cum granatio attestatur satis magnificam potentiam Urbis. Reliqua suo linquimus loco, dum iam nobis ad Brunopolin nostram redeundum est.

Uti totus Ducatus Brunsvicensis frugum omniũ, excepto vino, fertilitate scatet, sic nec quid deest huic Urbi Brunsvigæ, ad quam non tantum frumenta quęlibet ex parte Ducatus Wolferbytana, Schœninga, Hessiana; sed etiam ex Diœcesi Halberstadẽsi, & Magdeburgica ubertim advehuntur, ut inde granaria non habeat unum, velut Argentoratum, sed quot Urbis divisiones, tot etiam granaria abundãter, & opipare parata fovet, ut cuique VVeichbildico, ut vocant, suum sit destinatum, & tempore necessitatis affatim habeant, quod civibus suis suggerant. Armamentarium vero unicum vidi, non minus ad quævis pericula instrumentis bellicis paratum in platea ad templum prati fratrum, quum ita quasi in meditullio civitatis sit situm. Unum tamen instrumentum bellicum est, cuius similitudo non extat in Germania, nec uspiam alibi. Orificium eius est tantæ capacitatis, ut sutor calceos suens brachia in labore possit illic extendere: Non in armamentario, sed in vallo ad D. Michaelis portam adservatur; omnibus est obvium, & vocatur die faule Metze. Mechanici & opifices longe exuperant Norinbergenses in confectione rerum, quoad durationem. Ideoque vicini pagi, & oppida eorum potius gaudent arte, & usu, quam reliquarum civitatum omnium.

Inprimis laudatur cerevisia prorsus singularis saporis, quasi aromatis specie aliqua esset infecta, quã tamen natura loci coctæ aquæ suggerit; unde nec uspiam aliter eiusmodi confici potest, licet & toties VVolferbytani, ad milliare saltem hinc dissiti, id in eius imitamen tentarint, ac aquam ex ipsa urbe illuc transvehi curarint. Sed Dei est opus, qui cuique loco pro constanti commerciorum permutatione, suum adsignat genium. Aclicet aliquo rigore palatum in gustu afficere, & proinde durioris concoctionis stomacho putetur, tamen certissimum est, quod amabilius recreet duratos labores, æstivo tempore maxime. Unde etiam in dissitos magna avehitur copia locos, & magno cum desiderio appetitur ab exteris, præsertim si in veris primordio avehatur: Quod sibi exinde & Hamburgenses, & præcipue Bremenses pro singulari commercio habent, ut in Hollandiam, etiam in Hispaniam exportetur: Sæpius in Belgio eam cum oblectamẽto expectari ipse audivi, quum illic exul viverem: velut & peculiari oblectamento incolis eam fuisse, deprehendi; ita maxime reficit homines, si vino applicetur in commessationibus, ut tempetamentum singulare adiiciat, ea rite utentibus.

Verum ad tempora Henrici Leonis revertimur, quem quum banno Imperii percussisset Fridericus Barbarossa Imperator, graviori cordolio nõ potuit, quam An. 1182. Urbem hanc deditione quum occupasset. Ideoque Archiepiscopum Coloniensem in præsidio cum sua manu militum aliquousque reliquit, quum Imperat. interim pergeret ad Lubeccã, quæ tunc ex clementia Imper. dicti ea inter alia obtinuit privilegia, ut liberis Imperii civitatibus hinc annumerata, & Aquilæ Romanæ insignia assecuta sit. Paulo post, quum transactionem Quedlinburgensem Elector Saxonię novus Bernhardus disiecisset, & alia comitia Erfurti essent instituta, venit illuc Dux Henricus Leo nobilis, & gratiæ Imperatoris reconciliatus est, cum ea conditione, ut per triennium adhuc cederet Cæsari, qui inde Brunsvigã, Lunæburgum, Gottingam, & Eimbeccam cum suis ditionibus in propriam administrationis protectionem per hoc tempus triennale excepit. Anno vero 1186. Henricus Leo ex Anglia redux cum coniuge Methilda Anglica statim Brunsvigam se contulit, ubi potissimum ex fide civium opitulationis subsidium invenit, quo tanto facilius suas recuperare potuit ditiones inxta pacta, quæ tamen ex obitu Imper. Friderici I. à filio eius Henrico V. nonnihil asperiora reddebantur. Sed interim hunc expertus est acerbissimum quoque luctum, ut ipsi an. 1187. in festo Paschatos dilectissima sua Mechtildis occumberet, quæ Brunsvigæ in templo Cathedrali arcis sepulta est. Pedetentim tamen ita progressus est Dux, ut simul anno 1189. denuo de deditione Lubeccam sibi vindicarit, quæ ex Bardovico diruto mox inde sibi maiores sumpsit vires. Sed an. 1190. ex instinctu Archiepiscopi Magdeburg. VVichmanni Imperator Henricus VI. milite ex Goslaria adducto, obsidione cingere cæpit Brunsvigam; quum vero fortiter inde Dux illum repelleret, ex interpositione Elect. duor. Moguntin. & Colon. factum est, ut Fuldæ transactio institueretur ad restituendam Comiti Henrico Holsatiam, Lubeccam dimidiatam, & ad mœnia Brunsvicens. 4. in locis diruendum. Verum quum Princeps hoc munimento se denudatum nollet, & tamen Imperator ex Italia redux, strenue hoc urgeret, tandem coniugio felici, quod Leonis filius Henricus, qui Cæsari quoque suam operam belli in Italia fideliter navaverat, cum Electoris Palatini Conradi filia inivit, dissidium omne consopitum fuit adeo, ut hunc iuniorem Ducem successorem futurum Palatinatus, & Electoratus ad Rhenum designaret, quod ita bene successit, ut ab obitu Patentis Leonis, qui an. 1195. 6. Augusti decesserat, tribus relictis filiis, Henrico hoc, Ottone, & VVilhelmo superstitibus, nec minus extincto Cæsare expotu veneni an. 1199. fratrem Ottonem cum auxilio Archiepiscopi Colon. ad Dignitatem Imperialem eveherit.

Is vero Anticæsarem in Philippo Suevię Ducem nactus, hinc non leve regiminis periculum subiit. Quippe Philippus iste cum 12. proceribus Germanię, & ingenti exercitu Brunsvigam adoriebatur, quã tamen non sine evidenti Dei auxilio (quum in muro stans Angelus conspiceretur noctu, ac inde hostes perterrefacti essent) ambo Duces ab oppugnatione feliciter liberarunt, & statim eodẽ anno fortiori munimẽto simul cœnobiũ D. Ægidij includendo, urbẽ non tantũ renovarũt, sed etiam saccũ contiguis ædibus in urbe adornari curarunt, ut supradictũ est, quæ quintã Iurisdictionem è Senatu proprio postea genuit sibi. An. aute 1206. ubi per quinquennium plures

belli

belli labores cum Anticęſare Philippo ſuſtinuerunt, & aliquatenus ſpem meliorem quietis tranſactio Quedlinburgenſis fecerat, tres ſupra nominati fratres, & filii Leonis, diviſionem talem ſuarum regionum inſtituerunt. Imperator Otto IV. Brunſvigam cum ditione omni adiacentium terrarum ſibi ſumebat. Electori Henrico & Palatino ad Rhenum cedebatur Cella, Brema, & Stada. Dux Wilhelmus Lunæburgum accipiebat cũ Liechtenbergio, Gandersheimio, Gieſelwerda, & Oſenia. An. 1215. quum ante ſeptennium Philippus Suevus transfoſſus eſſet, Ottonique filia eiuſdem coniux, cum qua 350. arces in dotem acceperat ante triennium mortua, novus ipſi oppoſitus eſt Anticæſar Fridericus II. qui Brunſvigæ magnas infeſtationes intulit, ſed fruſtra. Attamen ſingulare accidit illi poſt obitum Ottonis 4. (qui an. 1217. abſque prole diſceſſerat) & Henrici Palatini, qui an. 1227. duas reliquerat filias. Hæ imprudenter admodum Cæſaris Friderici 2. filio Regi Henrico Urbem Brunſvicenſem vendiderant. Quod quum extreme offenderet Ottonem Leonis ultimum filiũ, vindicias fortes intendebat, ut ex urbe ſuorum maiorum vi Cæſaris expelleret præſidiarios milites.

Quapropter Dux Otto I. protenus 2000. equites colligebat, ac in Monaſterium Riddageshuſanũ aliquot cives ad ſe acciebat clam, quibus intentionem indicabat. Illi hoc Stratagemate curabant, ut ad portam Vallerslebianam conſcenderet urbem, & cum ſuis in foro Hagenſi cito iſteret in armis, ulteriuſque arcem ipſam ipſorum auxilio expugnaret, & præſidium Cæſarianum in deditionem cogeret. Quumque iam occupaſſet arcem, acclamabat alta voce cives, poſtulando: Me recipite in veſtrum Dominum, atque ſic ſingularibus vos donabo privilegiis. Voce hac audita, confeſtim omnes conclamabant: Imo tu Dux es noſter proprius, tibi ita vivemus, & moriemur. Proinde ipſi homagium præſtabant ſolemne, expulſis hoſtibus. Ob fidem & fidelitatem hanc factam NB. peculiaria illis concedebat iura, privilegia & Iuriſdictionis beneficia, ut iis in perpetuum libere frueretur. Velut inde quoque iuxta pacta manſit eorum Dominus cum poſteris omnibus. In qua poſſeſſione poſtea Imperator Fridericus An. 1235. in comitiis Moguntiæ publice cõfirmavit Ducem, & ipſi titulum adiecit cum inſignibus æternum, ut Ducem Brunſv. & Lunæburgenſem in æternum ſe ſcriberet cum poſteris, omiſſo titulo, quo ſe Duces Saxoniæ vocitarant, qui in tranſactione hac Alberto Electori Saxoniæ relinquebatur.

An. autem 1252. quum prius antecedenti an. 1251. Imperatori Wilhelmo noviter deſignato filiam Eliſabetham in arce ſua Danckwerodana, quæ tunc in nuptiis exuſta eſt, elocaſſet, diem ſuum obiit, & in templo D. Blaſij ad latera parentum ſepultus eſt, cui frater Albertus in regimine eo ſucceſſit. Quum vero hic duorum Albertorum mentio fiat in hac translatione Saxonicæ Electuræ, & alter, ad quem Electoratus Sax. pervenit, filius Bernhardi Principis Aſcanienſis fuerit, qui Ottonis I. filiam Helenam duxerat in matrimonium, atque ita Alberti huius Magni proximus affinis ex ſorore dicta, non abs re erit Alberti Aſcanienſis & Electoris novi huc ex ſingulari notatione referre Genealogiam uſque ad hæc tempora, quæ ſic ſe habet, ut infra notatur. Albertus autem Magn. Dux per 17. annos ſolus ſucceſſor hæreditatis fuit, donec poſtea cum fratre Iohanne poſſeſſionem divideret. Interim quoque quum in obſidione Aſſeburgicæ arcis prope Wolfenbytum Electorem Moguntinum captivaſſet, ultra anni ſpacium in Brunſviga An. 1258. detinuit. An. 1261. Frater Alberti Dux Otto in Epiſc. Hildesh. electus eſt, & per 19. annos ibi præfuit.

Albertus autem iſte An. 1279. mortuus, atque Brunſvigæ in templo D. Blaſij ſepultus eſt, quum ſatis bellicoſus vixiſſet. Ex huius obitu tres eius filii inter provincias hãc diviſionem inſtituerunt, ut Henricus natu maior nanciſceretur Ducatum Grubenhagenſem cum Eimbecca, Hamela, Oſteroda, Duderſtadio, Gevelhuſio, & comitatu Lutterſbergenſi; Dux Albertus, natu medius acciperet Gottingenſem Ducatum; Wilhelmus autem natu minimus obineret Ducatum Brunſvicenſem; Ac licet ille ſatis pacifice per 11. annos regnarit, tamen anno 1290. eam adſiſtentiam Civitatibus Hanſeaticis ex inſtinctu Brunſvicenſium, cum vicinis, nempe Erico Archiep. Magdeb. & Siegfrido Hildesheim. Epiſc. præbuit, ut Civitates eæ Herlinſbergam expugnarent, & commercia à prædonibus illis liberarent pernitioſiſſimis nobilium. Aſt Brunſvicenſibus hoc obtingebat, ut bene polita illorum civitas in gravẽ adeo combuſtionem incideret, ut ex foro veteris vici uſque ad portam Petrinam plane cerneretur devaſtata; nec minus ignis in reliquis ædificiis ter reſuſcitatus fuit.

Vix autem Dux An. 1291. diem ſuum imprudens obierat, & ibidem ſepultus erat, quum adhuc præſens adeſſet Dux Henricus natu maior; ingens diſſidium inter Magiſtratum & cives in urbe exoriebatur, ita ut tamen & ipſi cives inter ſeſe diſcordarent. Tribus enim, & Mechanici 12. viros ſibi creabant, qui aſſiderent Magiſtratui, ſine quorum conſilio & conſenſu nihil concludi deberet. Reliqui autem ex populo adſiſtebant ſenatui. Ut vero Dux præſens ſolus eſſet fratris ſucceſſor, tribubus adhærebat, à quibus promiſſum cum litteris hoc impetrarat. Inde Senatus cum cæteris pactum clandeſtinum cum Alberto, natu medio, qui pinguis dicebatur, conficiebat, & noctu illum armatum intromittebant in urbem, qui ſtatim curiam novæ Urbis obruebat, captivando ibi Magiſtros tribuum in conſultatione ſua. Quum vero civitatem ab omni ſpolio, iuxta pactum, & fidem datam conſervaret, ac ſeditioſos leni pœna afficeret, 40. principales eorum relegando, ac ſaltem 11. reliqui contumaciores ſuſpenderentur, communitas cum ſenatu ipſi ſucceſſionem confirmabant ſoli, ut frater Henricus, licet natu maior eſſet, refugere cum ſuis in Grubenhagenſem Ducatum cogeretur, & in ea acquieſcere hæreditate. Albertus igitur pinguis per 26. annos ibi gubernavit, ut Anno 1318. diem ſuum in urbe obierit, & ſepultus ſit. Tres inde, quos tunc liquerat ſeculares ex filiis, dum reliqui Albertus, & Henricus ſtatum Eccleſiaſticum ſequerentur, iterum inter ſe diviſionem terrarum inſtituerunt. Dux Otto II. Mitis retinebat Brunſvigam cum veteri Marchia, quam in dotem cum coniuge acceperat: Duci Magno ab eodem Ducatu pars attribuebatur, ut habitaret Sangerhuſij ultra Hercyniam, quum itidem per dotem Coniugis Ducatum Landtbergenſem ſibi acquiſiviſſet. Dux Erneſtus vero Gottingenſem Ducatum ſibi ſumpſit.

An. 1318.

Anno 1318. Otto II. autem per 16. annos Imperium Brunſwigæ tenuit, cui poſt obitum Coniugis Agneſæ Vetus Marchia erepta eſt, cui ſucceſſit frater Magnus Senior, per 34. Annos regimen Brunſwicenſe tenens, ſub quo templũ Beat. fratrum anno nempe 1345. conditum eſt. Huius vero filius poſtea ab an. 1355. ex conceſſione patris per triennium ſaltem ſucceſſorem egit, quem tunc Magnus junior Catenatus an. 1358. ſequebatur non adeo felix in bello, ut ex mœrore talis adverſitatis an. 1368. moreretur, & ipſe Magnus in bello Schaumburgico An. 1373. occumberet, relictis quatuor impuberibus; unde interim Dux Erneſtus Gottingenſis, Ducis Magni Senioris frater per octennium Ducatum Brunſvicenſem occupavit cum filio Ottone, quem malignum inde dicebãt, quod ex Arce Wolferbytana aſſiduas Brunſvigæ, & civibus eius infeſtationes inferret, donec ex occulto compacto Brunſvicenſes cum Friderico Catenati Magni filio Wolferbytam occuparent, & An. 1381. ipſi per ſcitum Stratagema reſtituerent.

Quum laudabilis, & æquitati addictus eſſet princeps, fidelem quoque aſſiſtentiam illi cives undiq; præſtitere, præſertim contra tumultuantes aliquot nobiles in Epiſcopatu Hildesh. qui Ducem Bernhardum, eius fratrem captivũ detinebant An. 1388. unde Conſul Brunſvicenſis Hermannus de Fechelt titulum equitis obtinuit. Velut etiam in aliis neceſſitatibus eandem fidelitatis An. 1389. 1393. 1395. fortiter navarunt operam. Sed an. 1400. quum Imperat. Wenceslaus ob diſſolutam vitam dignitate Imperii privaretur, & in eius locum ab Electoribus cunctis præter Moguntinum Archic. Comes Iohannes Naſſovius eſſet Francofurti ſuffectus, iſte Archiep. invidia ductus per comitem Waldeccenſem hoc perfecit, ut in reditu novus hic Cæſar Fridericus prope Fritzlariam ex inſidiis nequiter perfoderetur; cui memorabile hoc Epithaphium Brunſvigæ conſtitutum eſt, ipſius nomine expreſſum:

FRE-fremuit in mundo, quod DE-primit alta profundo,
RI-rigidum flexit CVS-Cuſpide murroque plexit,
Vivat ut in cælis Dux inclytus ille fidelis:
Optet ei quiſquis, qui Scriptis condolet iſtis.

Hinc frater eius Bernhardus, non virtute minor, ſed Princeps clarus in actis, per 33. annos ſucceſſorem ingenuum in Ducatu hoc egit. Secundo vero regiminis anno 1401. quum nimium fervidus eſſet in vindicatione extincti nequiter fratris, nimiaque ſe denudaſſet belli fruſtranei præparatione, Civitati Brunſvicenſi, & ſenatui eius oppignoravit Monetæ ius cum loco non tantum; ſed etiam illud, quod adhuc in veteri vico & ſacco ſingulariter Duci competebat, una cum arce Aſſeburgica prope Wolferbytum pro ingenti ſumma pecuniæ. An. 1411. quum accreſcerent Brunſvicenſes in munitionum Inſtrumentis, etiam pro ſingulari decore potentiæ ſuæ addiderunt inventionem ſupra modum grandis tormenti, quod uti ſupra dictum eſt, inuſitato nomine Magnam Pigramque Metram, die faule Metke / ob molem nimis ponderoſam, quum non facile è loco poſſit moveri: Sed ideo in vallo aperto ad portam D. Michaelis adſervatur; & in proverbium abiit, quod qui fuerit Brunſvigæ, & non viderit pigram illam Metram, non poſſit dicere, ſe fuiſſe in ea Urbe, quum ſingulare eius Urbis portentum habeatur. An. 1412. diſſenſio inter cives, & Canonicos Brunſvigæ exoriebatur adeo vehemens, ut iſti incolas banno afficerent; Econtra prædicatores exinſtincta Civium Canonicos feriebant banno; unde ex aliquot annis niſi adiutione Hildeſienſium, & Halberſtadienſium his illa conſopiri poterat.

An. 1425. occupabant Brunſvicenſes Ampelebiũ, quod illis tunc ex captura Hermannus ab Ulzen pro liberatione cedebat. An. 1428. Dux Bernhardus filio Ottoni in adminiſtrationem deferebat Ducatũ ſuũ, qui tamen, quum exceſſum contra Wilhelmum Ducem Lunæburgicum rapinis committeret, permutationem in ſe recepit, ut ille Dominus Lunæburgicus efficeretur, & econtra Wilhelmus Ducatum Brunſvicenſem hæreditario modo acciperet an. 1429. Sub huius Wilhelmi ſenioris regimine An. 1430. Brunſvicenſes Deſtedium Velthemiorum nobilium expugnarunt. De Ducis autem huius fratre Henrico, & eius fraudulentia infra dicetur, & quomodo Brunſvicenſes à Wilhelmo ſuo defectionem An. 1431. fecerint. Hoc tamen Brunſvicenſes obtinuerunt, ut Dux Henricus poſſeſſor Wolferbyti manſerit, qui An. 20. ætatis ſuæ regimen ſubiit pacificum, unde ſibi nomen pacifici acquiſivit, & cum Helena Cliviana an. 1436. nuptias in Arce Brunſvigæ celebravit.

An. 1438. Dux Wilhelmus iniuriam à Brunſvicenſibus ſibi ob permutationem factam, inferre cupiebat, quod tamen civitas ita à ſe divertebat Neoſtadienſi oppugnatione, ut ab inſtituto deſiſtere rurſus cogeretur. An. 1446. internum motum, & ſeditionem à lanificatoribus, cupri opificibus, & Polymitariis Brunſviga paſſa eſt; ſed 20. eorum ex urbe eiecti ſunt. Quam ſortem etiam An. 1463. pertulit, ubi tamen omnis diſſenſio, prudentia Senatus interrupta eſt.

An. 1466. quum Duces Wilhelmus Senior & Filij eius Fridericus, ac Wilhelmus junior commerciis varia inferrent expoliationibus incommoda, Civitates Hanſæ, Brunſviga, Magdeburgum, Halla, Halberſtadium, Goslaria, Northeimium, Gottinga, Eimbecca, & Hannovera, acres fuerunt prædationis vindices, quod adeo ſtrenue perfecerunt, ut tandem An. 1468. Duces cum iis Quedlinburgi tranſactionem inire cogerentur. Quum vero Dux Henricus 42. annos Wolferbyti laudabiliter regnaſſet, An. 1473. ætatis ſuæ 63. in vivis eſſe deſiit, & Brunſvigæ ſepultus eſt ad latus Majorum ſuorum: Unde Dux Wilhelmus Senior iterum ſibi Ducatũ Brunſvicenſem acquiſivit per novennium, ut an. 1482. Wolferbyti expiraret, & Brunſvigam itidem deductus ſit. Quem ibi filius Wilhelmus junior per triennium in regimine ſecutus eſt, ut an. 1485. tranquillitatis amans filio Henrico Seniori ceſſerit gubernationem ſuam, qui acre bellum cum Hildeſienſi Epiſcopo Bartholdo egit, de quo ſuperius, deque eius tranſactione ad urbem Hametenſem actum eſt.

An. autem 1442. quum Dux iſte Urbi Brunſvicenſi novam litem ob poſſeſſiones aliquot arcium, & pagorum moveret, quibus Vectigalia, portoria, & collectas alias imponere cupiebat, renuentibus Brunſvicenſibus, qui litteris, & ſcriptis, Privilegiiſque ſuis demonſtrabant iura, nec minus forti manu ſe ea defendere poſſe aiebant, ſervidum illis indixit bellum, ac pau-

ac paulo poſt hoſtili obſidione cum auxilio vicinorum principum quidem urbem cinxit, cui tamen Hildeſienſes ita fidelem opem cum aliis civitatibus præſtitere, ut prius armiſtitium Dux expeteret, & deinde in tranſactione Serveſtæ partim, & alibi habita ex 4. arcibus duas illis relinqueret, ubi ſimul paciſcebatur, ut arx Aſſeburgica Brunſvicenſium ob vicinitatem nimiam Wölferbyti perpetim diruta maneret. Anno 1514. Henricus iſte ſenior una cum filio Henrico iuniore, Philippo Grubenhagenſi, Erico, & Georgio Ducibus Saxoniæ, & aliis oppugnatum ivit Comitem Embdanum; ſed quum invaſionem tentarent in arcem Lierordanam, ubi Statici nunc ſuas habent præſidiarios milites, die 23. Iunij, Anno regiminis ſui 29. ex ictu tormenti ænei capite truncatus eſt.

Huius ex 7. fratribus ſucceſſor fuit in Ducatu Brunſvicenſi Henricus iunior per 54. annos, ac primum grave bellum cum Epiſc. Iohan. Hildeſienſi An. 1519. geſſit per quadriennium fere. Poſtea variis ex animoſitate nimia expert' eſt vices, ut ex perſecutione civitatum Goslarienſis & Brunſv. non tãtum An. 1542. ab Electore Saxoniæ Iohanne Friderico, & Philippo Landgravio Haſſiæ ex ditionibus ſuis expelleretur, ſed etiam an. 1545. in captură Mauritio Sax. Duci, & Landgravio, 20. Octobr. incideret, qui ipſum Ziegenhainij in cuſtodia uſque in an. 1547. detinuit, donec à Carolo V. Imperatore per capturam Iohannis Friderici Elect. Sax. inde liberaretur. Quum vero civitati Brunſvicenſi ſemper variis ex cauſſis, & maxime ex rancore fervidiori ſub prætextu, & Zelotypia religionis infenſior eſſet, eã per aliquot menſes an. 1550. obſidione preſſit; cui tamen ſe fortiter oppoſuere cives, & aliquot irruptiones in eius fecerunt caſtra, ut tandem cederet. Sed an. 1553. adſiſtebat ipſi Elect. Saxon. Mauritius contra Albertum Marchionem bellicoſum, Caſimiri filium, quum intentionem ſuam in Ducatum Brunſvicenſ. direxiſſet per ditionem Lunæburgicã, inde hunc inſequendo cum exercitu obruere conabantur non procul à Bortfeldio in campo Sivershuſano, ubi adeo ſanguinolento coiere prælio, ut 10. Iulii in hoc conflictu duos Henricus amitteret filios, Carolum Victorem, & Philippum Magnum, ac ipſe Elector Mauritius globulo ſclopetario traiectus mane tertio die poſt obiret; Unde Marchionem tunc Brunſvicenſes excipiebant, ut recolligeret militem, & ſe Duci denuo opponeret, quod tamen fruſtra fuit: ſed Dux à Marchionis diſceſſu ſtatim civitatem denuo gravi obſidione coangustavit, & nili Epiſcopi, Bambergenſis ac Würtzburgicus in ſui defenſionem contra Marchionem Albertum avocaſſent, continuare illud atrox propoſitum penitus conſtituerat. Ac licet an. 1553. hoc 20. Octobr. pacto aliquo belli ratio, ſeu tranſactione aliqua compoſita ſit, uti in civitat. Brunſvicenſis prodromo defenſionis contra Ducem Henric. Iul. pag. 88. videre eſt: tamen eius temporibus nunquam ſine lite fuerunt cum illo.

Mortuus eſt autem An. 1568. 11. Iulii ætatis ſuæ ſenilis 79. cuius regimen pacatiori vita in anno ætat. 40. Iulius excepit, quum non eſſet animo, aut natura ad acerbitatem nimis rigidam comparatus, utpote qui diu in arce Heſſiana quaſi latitando ex indignantia patris compreſſus vixerat. Quum igitur belli iſte eſſet oſor, & omnis vaſtationis inimicus, atque ut amplius concertationem omnem præſcinderet poſteris ſuis cum urbe Brunſviga, quæ ipſi ſub patre duro ſemper ſingularem favorem, opemque præſtiterat in primo ſtatim limine regiminis (quod ante omnia referri debet) & ipſe quoque cum coniuge Hedwiga eo tranquillius vitam degeret, cæpit cogitationes ſuas in ſolidam tranſactionem convertere cum Brunſvicenſibus. Habebat tunc Cancellarium virum optimum, & omni integritati cordialiter addictum, nec minus Iuriſperitum celebertimum, Ioachimum Minſingerum de Frundeck, cui Dux committebat omne negotium cum Brunſvicenſibus complanandum. Vir hic velut erat plenus fidei, illud reſpiciebat, ut recte poſſet conſulere poſteris, quod omni ſtudio, & labore intendebat. Cõverſabatur igitur cum Brunſvicenſibus ſæpius, ut eorum rite exploraret animos, quos inveniebat paci, & tranquillitati deſtinatos. Per aliquot menſes quum in eo labore vixiſſet ſtrenuus, quærebat princeps ex eo, quouſque perventum eſſet in negotio commiſſo; qui detegebat illi difficultates omnes, quas ipſi obiecerant Brunſvicenſes. Reſpondebat Dux, uti verba eius erant adſueta: Nimirum probemi, hoc age, ut nobis pax ſit ſolida cum Brunſvicenſibus. Etenim hoc volumus, ut firma ſit mihi, & meis cum iſtis hominibus amicitia, quum nobis benefecerint in pathmo noſtro. Cancellarius reſpondebat, Illuſtriſſime Dux, ne quid poſtea mihi imputetur, quaſi non omnia ſint bene obſervata, & digeſta, tam grave negotium haud in me ſolum recipiam; ſed peto ut mihi tam provinciales aliquot nobiles, quam alii adiungantur Conſiliarij, ſtudebo, ut in Nomine Dei id poſſit perfici, quod Celſitudinis veſtræ voluntas requirit. Fiet, aiebat Princeps: Atque exinde An. 1569. ipſi adſociavit Chriſtophorum à Sternberg, Georgium ab Holla, Adrianum, & Melchiorem de Steinberg, fratres, inter nobiles, Duci ſelectiſſimos, Franciſcum Murzeldingum Licent. & Cancellarium Hildeſienſ. Heinricum à Lühe, & Eraſmum Ebenerum Conſiliarios, qui tandem convenere ita cum Brunſvicenſibus, ut plena & fundamentalis omnis diſſenſionis tranſactio fieret, uti poſtea patebit. Ad quod ſingulare mandatum Dux Mynſingero dederat ſufficiens & cum cautela omnis ad ſecurationis. Negotio igitur hoc compoſito, eodem anno Dux 3. Octobr. ſolemni pompa Brunſvigam urbem ingreſſus, & à ſenatu, & populo maximis, & debitis honoribus exceptus, more Majorum, ut infra patebit, iuramento iuxta concordata mutuo ſibi obſtrinxit. Ubi omnia ſummis lætitiis ſunt peracta. Sed poſt paucos annos, quum forte eſſent, qui odium in Mynſingerum direxerant, culpâ ex invidia in illum conicere inceperunt, quaſi non omnia de voluntate principis facta eſſent; mox adulatorum gens hanc materiam in odium optimi viri cepit clanculum acerbiori ſtylo cenſere, inter quos erant, quorum maximus exiterat promotor, ut ipſi gratitudinem referrent mundi. Quare non diu inter ſpinas malevolentiæ ſibi vivendum putavit, ſed an. 1573. Helmæſtadium, ubi emerat liberas ab omni onere ædes, ad privatam vitam in litterarum, & iuris ſtudio exercendam, ſe contulit. Quod adeo etiam bene ceſſit huic loco, ut ex iſtius viri conſilio, & promotione Anno 1576. ex Gandersheimio, oppido ad

ſylvam Hercyniam inter Goslariam, & Eimbeccam ſito, ubi à D. Imperatore Maximiliano II. privilegia conſilio huius Mynſingeri & opere erant obtenta, Univerſalis Schola, quæ alias Gottingenſibus deſtinata fuerat, niſi iſte vir feciſſet, in hoc oppidum Helmæſtadienſe ſit translata, ut mox dicetur. Huc commigravit iſte Mynſingerus à Principe ob excuſationes provectioris ætatis, ut ait Meibomius in Panegyr. ſuo Familiæ huius.

Iamq; decem numerans lapſæ ſexennia vitæ
Mynſiger, imminuit robur, laſſiq; vigorem
Corporis, & notas ſentit decreſcere vires, &c.
His ſuper accenſus, completis menſibus anni
Officio decedit, & aulica munia Divi
Principis adſenſu, feliciter exuit, annos
Excuſans, canoſque ſuos, laſſataque membra.
Atque ita ſperatæ requie, votiſque potitus,
Exiguum converſis iter veloxq; propinquat
Helmſtadio, ut, quacunq; ſuperſit portio vitæ,
Quaſſatam ventis liceat ſubducere pravis,
Militiaq; huic ſic tutos obvertere portus, &c.
Adde, quod & ſtudiis fundare palatia ſuaſit,
Guelfiada, famam ſpondens, titulosque perennes.
Hoc memorat, repetitque libens Academia; clamant
Pulpita, & intento reſonant ſermone Cathedræ:
Fortunate Senex! ergo tua fama manebit:
Qui meritis urbes, patriam qui legibus ornas, &c.

Quod etiam gratioſum omen fuerat, ait Daniel Hoffm. in progtam. 6. Iun. An. 1589. & honeſtiſſimum fomentum incrementi Scholæ, nomen videlicet Iuliæ: hoc Cæſ. Maj. tantopere placuit, ut in diplomate Privilegiorum Scholam hanc Academiam Iuliam appellarit, & ſic vocari ſua Auctoritate iuſſerit, ſapientiſſime providens, ne mortem oppetente Illuſtriſſimo fundatore, nomen benefactoris occideret; ſed memoria eius gratiſſima conſervata, Academiæ Iuliæ perpetuo conſtaret, tam defuncti, quã vivi gratia. Et ait *Rem. Ren. in funebri huius Orat.* quod an. 1576. introductio in præſentia Principis 15. Octobr. tunc in eum finem ſit facta, ut non tantum natalitium diem Henrico Iulio, Iuliifilio ſacrum teſtaretur, ſed etiam is perpetuus ſuę Iuliæ eſſet Rector, quod officium ſub ipſa hac adſignatione illi traditum eſt.

Mynſingero hoc opus quum iterum bene ceſſiſſet, uſus eſt conſuetudine gratiſſima litteratorum amicorum, cum quibus ſe exercuit in iuris ſtudio cotidie, & ſua commentaria in inſtitutiones, velut & obſervationes, longe limatiores, uſuique communi aptiores reddidit, quod pluribus D. Arnoldus de Reyger *in præf. illius lib.* explicat. Interim in aula non deerant, qui gravius taxate tranſactionem Brunſvicenſem pergerent, maxime in odium Mynſingeri, ut inde quoque Dux tandem offenſionem aliquando acciperet. Ideoque inter alios quum ſibi præcipuum haberet D. Danielem Hoffmannum iſte Mynſingerus, ad ſe hunc accerſi in aulam iuſſit Princeps, cui recenſuit, quæ ipſi obiectiones cauſſentur ab aliquibus, addidit etiam hoc, ſe ignorare, num ex invidia, aut odio, aut veritate negotii profluat. Quare mandavit huic Hoffmanno, ut tanquam cum intimo ſuo amico ea de re fundamentaliter conferret, eiuſque veram exploraret mentem, num quid præiudicii in eo eſſet commiſſum.

Hoffmannus redux Helmæſtadium, huic viro optimo explicavit ſingula, ut de eius vera ſententia ad relationem fidelem eſſet certus. Reſpondit Mynſingerus, ſe mirari, quod Dux tanta quæreret, quum ipſe Auctor fuerit, antequam ulli in mente veneriit iſtud: adiecit etiam hoc, rem tranſactam non debere in pœnitentiam cadere apud principes, nedum tetrahi; quum principi nihil potius eſſe oporteat, quam ſancte ſervare fidem, etiamſi cum extremo ſiat damno, quum & Turcis hoc in uſu ſit. Et quamvis ille in ſua tranſactionis mora ſatis principi inculcaſſet, quæ nollet approbari; tamen toties ſeveriter tunc mandaſſe ſub indignantia ſumma Principem, ut cõficeretur res ſine ulteriori dilatione, quum civitatis homagium expeteret. Unde tunc petiiſſe ſe, dixit, ne quid in poſterum ſibi poſſet imputari, ut non tantum viri nobiles, & Iuriſperiti eſſent adiuncti ipſi; ſed etiam in maiorem ſecuritatem, & efficaciam rei, ſub manu, & ſigillo pleniſſimum mandatum in optima iuris forma ipſe Dux ſibi tradiderit, quod etiam Mynſingerus Hoffmanno perlegendum exhibuit, rogando, ut ſingula referret, & culpam nulli, niſi ſibimetipſi imputaret, ſi quid peccatum arbitraretur, quod tamen ſe non videre, nec noſſe adfirmabat; ſed pacta eſſe ſancte ſemper ſervanda. Hoffmannus fideliter talia retulit Duci, cuius tunc verba fuerunt. Nempe nimirum hoc novimus omne. Quid itaque me ſtimulant alii. Quod ſemel factum, infectum fieri nequit. Nihilominus in Mynſingerum ſuſpicio ea manſit conieca, quaſi plus parti urbis, quam Ducis faveret. Hæc toties nobis optimus Vir D. Caſparus Pfaffradius, qui nemini inter eruditos cedebat ſummos, recenſuit, & aliquoties mihi, tanquam intimo ſuo, longe poſt obitum Mynſingeri mandatum hoc in originali monſtravit.

Obiit autem Mynſingerus An. 1588. multorum certe cum ſqualore, & luctu, uti ipſe vidi puer, quum per 15. annos in eo loco ſibi privatus ex odio malignantium vixiſſet. Interim An. 1584. Patruelis Ducis Iulii Ericus Papiæ in Italia ſine hæredibus defunctus eſt, ut inde etiam huius ditionibus ſit auctus Dux verſus Viſurgim. Inter cætera autem nihil duxit antiquius, nihilque viſum ipſi melius, quam fodinas metallicas excolere, augere, collapſas in integrum reſtituere, ac firmare rurſus, pluresque ptioribus adiicere, cuniculos novos his addere: Inſtrumenta & machinas novas, plures & varias ſummo ingenio excogitare, & fabricare, quibus operæ, atque labores in fodinis facilius expedirentur, formales fuſorias minoribus ſumptibus extruere, lignis ſecandis, quibus maxime parci voluit, & exurendis, ac conficiendis carbonibus, leges ferre: denique per artifices, rerumque mineralium bene gnaros viros diligentius, & accuratius, quam quiſquam antea, mineras, & foſſilia omnia in terræ viſceribus ſcrutari, indagare, examinare, ac probare, plumbi, Cadmiæ, Sulphuris, Vitrioli, lytargyrij, Ochræ, & aliarum rerum mineralium cumulos, ac acervos ingentes, montium inſtar, coacervare, & congerere, quemadmo-

admodum hoc circa Goslariam, alioſque finitimos locos in Hercynia ſylva ſpectare licitum fuit, impenſe auxiſſe, & locupletaſſe has fodinas eum, ut facile ſit videre: Leges ordinemque operariis præſcribere, ut in officio homines feri, effreneſque eo facilius cõtinerentur, nec quidquam prætermittere, quod ad rem metallicam promovendam, amplificandamq; pertineret.

Chymica proinde etiam ſtudia, probationes, & examina Metallorum, qua ſagacitate & induſtria, ob fuſoriam in ſuis fodinis artem, perſecutus ſit, viderunt illi, qui officinis metallicis erant præfecti. Metallorum ſane mixtiones, præparationes, fuſiones ac ſeparationes, ſedulo, accurate, & curioſe inquiſivit: naturam eſſentiamque ipſorum cognoſcere, & ſcire ſtudioſe, ſemper & anxie operam dedit, convocatis ex remotioribus locis magno ſumptu viris, artis Chymicæ peritis. Quorum induſtria, ſcientia & conſilio in liquendis, ſeparandiſque metallis, coquendis ſalibus, ac omnibus mineralibus rite, & artificioſe præparandis, aſſidue uſus eſt. Doctoreſque Medicos, qui rem intelligerent, magnis ſtipendiis fodinis metallicis præfecit, ut eorum conſiliis, & inſtitutis res metallica melius, ac diligentius excoleretur, exornareturque. Virum ſane principem, ait recte Iohan. Bokelius prof. quondam Acad. Iuliæ, in Chymicis verſan & doceri, metallorumque mixtiones probe intelligere, in Gubernatione Reip. in primis in moneta cudenda, multum habet momenti, & eſt quoddam præcipuum præ cunctis. Scimus enim magnas in Romano Imperio de metallorum mixtionibus incidere controverſias, quas tamen nemo adſequitur, & intelligit facilius, quam is, qui proprie Chymiam intelligit, inque ea eſt rite exercitatus. Reliqui, velut cæci de colore iudicant.

Ideo hic princeps, quum animadverteret, etiam ipſos monetæ exploratores, vel probæ Magiſtros, nonnunquam in proba diffidere, & de metallorum mixtione dubia multa à pluribus moveri noxia, velut ille Turcarum Imperator, & Regina Eliſabetha Angliæ, Venetuſque ſenatus fecere, metallorum mixtionem aboleri quodammodo ſuaſit, ut mixtionis illius pernitioſus Romano Imperio abuſus prorſus tolleretur. Salutare ſane conſilium, ſi Reſp. Chriſtiana modo agnoviſſet ſuperiori tempore, ſed tot lapſus ſtultiſſimos commiſit, & damnabiles. Experti velut inde ſumus cum pudore non levi, quantum ex monetæ falſatione profluxerit. Chymica vero hac arte, licet in ea excelluerit ſatis Dux iſte, non tamen abuſus eſt, neque maiores, quam res ipſa poſcebat, ſumptus in eam profudit. Eſt quidem regium opus, ac principe digna libetalitas, in huius generis artes aliquid ſumptuum, non ſordidi quæſtus, aut lucri, ſed ſcientiæ animique potius cauſſa conferre, ut quid ars Chymica veri habeat, & quouſque in imitamine naturæ artificioſe procedi queat, rite ſcrutetur, & exploret. Sed merito illud heic obſervandum eſt; Ne quid nimis. Salinas hinc quoque novas undique ſedulo inquiſivit, & aperuit ſumma cura. Inprimis flagrabat ſtudio inveniendi facilem aliquem modum, ac viam, Salis Nitri magnam copiam conficiendi, in quo etiam conſilium medicorum, vere Chymicorum ſæpius audijt; quum ſimul huius Salis Nitri ad pannos tingendos, & pyrium illud, tormentarium pulverem conficiendum, magnus quæſtus, & uſus, ut haud immerito de eo, quo armamentarium ſuum neceſſariis rebus bellicis melius provideret, & augeret, fuerit ſollicitus. Hinc factum ipſius induſtria, curaque ferventi, & vigilantia ſumma, ut maiorem vim argenti, plumbique, taceo cætera omnia, ſingulis ſeptimanis conficere, & comparare ex hiſce fodinis cæperint, quam unquam antea, ut vix credibile ſit, quod tamen verum eſſe, res ipſa docuit, & demonſtravit theſaurus ingens, quem in ærario ſuo, uſque ad ſtuporem reliquit, imo & plumbi moles illa ſtupenda, & ingens, quæ pluribus locis, præſertim Wolferbyti, ſpectata eſt. Quantum hoc dederit argenti, periti artis facile æſtimaverint, ut taceam ipſius plumbi precium ingens, quod magni theſauri in loco hæredibus adſervatum fuit; nec non Sulphuris, vitrioli, & Cadmiæ quam prope infinita fuit quantitas, quorum ingens indies maior, atque maior copia ex terræ viſceribus eruebatur.

Licet in hoc ſtudio potiſſimum vitæ attereret tempus, tamen & adſiduus ſingulo ferme Sabbathi die in quavis ſeptimana aderat ratiõnibus præfecturarum. Corpus autem Doctrinæ novum ſimul per Theologos, qui ubiquitatem Chriſti diſtinctam volebant, anno 1576. publicari curaverat; nec minus erga Brunſvicenſes ſuccenſio tacita acceteverat. Unde aliqui ex ore eius referebant, quod Duci filio Henrico Iulio ſedulo hoc ſuggeſſerit, ne poſt obitum ſuum inultum pateretur pactum de an. 1569. cuius quaſi perpetuus cenſor fuerat Cancellarius D. Iohan. Iagemannus vir elatiſſimi ingenii cum ſuis adſeclis.

Quare anno 1589. 3. Maij defuncto patre quum hæreditatem ditiſſimam, filius Henricus Iulius adiiſſet, vixit quidem aliquandiu in lætitiis, & pro ratione excitati ingenij artibus liberalioribus Anglicanis, & ſimilibus etiam Comædiis conſcribendis, quarum 14. Hiæhadbel, & Hibbeldehæ initialibus litteris nominis excudebantur, in muſicis ſe addixit; nec minori in precio habuit ſplendorem aulicum, ut ibi non parceret ſumptibus, ſi feſtivitates eſſent quædam celebrandæ, velut antea quoquè concertatio aliqua inter Electorem Chriſtianum I. Saxoniæ, quum eius filiam domum duxiſſet, in primo coniugio orta erat, & in ſecundis An. 1590. matrimonii ſolemnitatibus eadem cernebatur munificentia cum magnificentia non minori. Varia ipſi quoque per aliquot annos erant recreationum diverſarum oblectamenta, & exercitia, ut fit, ubi non parcitur ubertati, & alii quoque advigilantes adſunt, qui prolubium Principis ſui ſemper exequi, nec minus ſibi proſpicere rectius ſub ſpecie luſus, aut rei ſeriæ gaudent.

Interim, ubi Brunſvicenſium homagium non aliter, quam more veteri, & ut gravamina prius abrogarentur, atque iis ſatisfactum eſſet pro mutua confidentia ſuſcipienda, nec minus Dux ſolemni actione hanc homagij cauſſam ad Cameram Imperialem Anno 1595. detuliſſet, circumſpiciebatur: ſitis attente occaſio, quomodo Brunſvicenſibus propius accedi poſſet pro diſtractione ſupradictæ tranſactionis de anno 1569. quæ pro ſcopo tacito habebatur in omnibus negotiis, velut ea acris punctio Conſulentibus eius putabatur. Proinde id

eveniebat, ut An. 1597. in menſe Auguſto Brunſvicenſes per ſuum Secretarium in conventu Provinciali, Saltzthalij habito exemptionem ſuam contributionum in præſentia Ordinum proponerēt; quod quum Cancellarius Iagemannus aliter acciperet, atteſtoque propterea Legatos Civitatis detinere cuperet in publico tali conventu, interpoſuere ſe aliquot nobiles, duo fratres de Saldern, & Steinbergij, & Brunſvicenſium Legatos ſuæ reſtituerunt Urbi, quum indignum & alii dicerent, quod libertas votandi non deberet ſtatibus præcludi in loco tuto, & libero. Unde ingens exorta eſt Principis commotio animi, ut eos nobiles non tantum atteſto proſequeretur, ſed etiam numiſmatorum variis ſignis exprobrationem hinc imprimi curaret. Præterea longe graviot reddita eſt indignantia Ducis ex cauſſa plūbi quod mercator Hamburgenſis quidam emerat Wolferbyti, & depoſuerat in magna copia Brunſvigæ. Vectigal autem quum à mercatore uſitatum exigeretur, is litem hanc Duci denunciavit, cum ſimulatione quaſi res eſſet inempta. Ita ex ferventiori iracundia demum ad arma ventum eſt aperta, nec minus & calamo utrinque depugnatū fortiter, præſertim quum An. 1605. ſtratagema illud valde ſanguinolentum, quod curribus Halberſtadienſibus in obruitione portæ urbis ad 16. Octobr. inſtitutum erat, tam miſerabilem à parte principis ſortiretur exitum, ut circa 1500. ſubditorum in conflictu perierint, & vallum ad aquarum in Oucro fluvio oppilationem factam diſtrumperet poſtea. *vid. Meteran. lib. 26. Hiſt.*

Extant magna volumina ab utraque parte edita, ut non opus ſit, quidquam de iis amplius attingere, quum nec brevibus comprehendi poſſint. Quum vero in aula Imperatoris cauſſæ cognitio hæreret, An. 1610. Dux Pragam profectus eſt, ubi in huius rei ſollicitatione, & aliis variis diſtractionibus, quæ ipſi obiectæ ſunt, & in quas quoque pertractus fuerat An. 1613. ex inſperato, quum ad Comitia Ratiſponenſia Imperator Matthias II. illum ſecututum putaret, vitam 20. Iulij finit.

Filius eius Fridericus Ulricus in primo regiminis aggreſſu propoſitum Parentis perſequi quidem ſtudebat; ſed quum via iuris nimis longinqua videretur, armis etiam quid potius ex ſuggeſtione aliorum obtinere decernebat. Commodam occaſionem inde exiſtimarat nobilis Victor à Wuſtrow, qui Vice-Principis locum in aula adminiſtrabat, ex mutuo diſſenſu civium ſumendam. Quippe à tot annis, quum eſſent exuti bonis, in motus ſeceſſum plurima in Urbe concitarat ingenia egeſtas, quæ ſibi magnis iam per emiſſarios conciliarat pollicitationibus. Hac ſpe illectus Wuſtrovius eo confidentius rem aggrediebatur in perſuaſione Principis, uti tunc cognitum ſæpius eſt, quantam fiduciam in hunc depoſuiſſet ingenuus animus. Primum igitur ſelectio fiebat ſubditorum ad adſuefactionem militiæ ſub prætextu illo, ne ſubditi eſſent inexercitati, ſi quid in futurū neceſſitas expoſceret, dum aliis hoſtilitas adiiciebatur, qui tamen procul aberant & cum quibus nihil negotii aperti intercedebat illis. Quum proinde iuſtū tempus, quod ſecum conſtituerant, adeſſe propoſito arbitrarentur; convocatio occulta fiebat proceruм eorum, qui ſelectiores erant inter ſtatus provinciales, quibus in concluſo conclavi Cancellariæ indicabatur intētio ſecreta, nec prius dimitti deberēt, quam ſuum adieciſſent conſenſum, quum vindicta iniuriarum, & rebellionis eſſet concluſa, atque ſatis media adeſſent. Quicquid heic in contrarium opponerent citati proceres, opinione facili diſſicebatur, ut impranſi à matutino tempore in multam noctem detinerentur, atque ſic inviti tandem annuerent, & votum cum reſervatione adderent. Retuleruntipſi aliquot nobiles tunc paſſim, quod obiectæ fuerint difficultates, ſi admitti potuiſſent, velut nec prius ante factum iſtud aliis Principibus vicinis, ne diſſuaderent forte, indicare inſtitutum voluerunt, unde velut bello, & iniquæ ſanguinis effuſioni nunquam æquus cenſor fuit vir amicus, ſæpius aliquot verſiculis ſcrupulos iniicere apud amicos aulicos ſolebat: inter alios amico ſingulari Fr. ab Udern in Danico itinere, ad Regem accitum, occinebatur tale:

Ecquis Colonis Guelphiadum dies
Illuxit unquam triſtior? An ſuas
Uſquam querelas, Lacrumaſque
Patria dignius integraret?
Non credo; tanto ſanguine diffluit
Campus rubendo: ſic iterum nefas
Tam grande tentamus maligni,
Quod trahit omnia damna ſecum.
Num teſtis haud eſt ſat locuples Ducis
Factum priorus, Guelphiadæ patris,
Hic ni ſimul culpas cruentas,
Et veteres repararet artes?
Quis, quaſo, tantus ſtultitiæ furor
Nos pungit? Annon aſperitas prior
Innotuit cunctas per oras,
Qua liquidus lavit arva Ganges?
Sat quiſque acutis imbibit auribus
Enerve robur bella gerentium,
Quantis fatigarit ruinis
Se, populumque ſuum Dynaſta.
Non quæſtionis nodus aheneus
Solvendus eſſet, ſi pietas modo
Quid ipſa rixis prævaleret,
Sceptra nec ambitio teneret.
Quorſum furoris tendat iniquitas?
Noſtrum deinceps quis truculentiam
Culpare nollet, ferreique
Exagitare rigoris auſus.
Inſigne noſtræ ſi patriæ decus
Caputque nunc tam turpiter urbium
Inſaniendo ſubruamus,
Rex ne bonus probet hocce factum?
Qui veritatem vindicat acriter,
Et diritatis quiſquilias minus
Morатur, an, quid ſuggerendo,
Proſtituat ſua regna nobis?
Spes nulla talis malitiæ bonis
Affulget. O quam diruet exitum,
Qui ſolus inferna, & ſuperna
Imperio moderatur æquo?

Namque

Namque
Si vera omnino eſt nobis ſententia Chriſti,
Ut facias aliis, quæ tibi facta velis,
Inferre bellum quis queat,
Aut alio cupiat, ſi quem dilectio ſaltem,
Exigua in flamma, tangat amore boni?
Menſura certe permanet.
In Chriſti verbo cunctis conatibus: inde
Ni ſibi quis ſumat, ponderа ſive modos
Cunctis in actionibus.
Mirum eſt, quam prorſus rapiatur in avia paſſim,
Quamque ſibi vitæ noxia cuncta creet,
Et proximo ſemper gravis!
In mentem vobis revoco, veſtigia priſci
Quæ fuerint damni, quam ſimul improbitas
Cauſſarit illa cladium.
Innumeros cumulas nobis, patriaque trementi!
Si neſcis, quanam barbaries fuerit,
Quamque impie ſeduxerit
Quiſque ſuum Dominum, factorũ nomina cenſe,
Ac perpende ſimul, quæ ſcelerum facies
Conſumpſerit Provincias.
Conſonuit cælum, clamorque elatus utrinque eſt;
De ſubito ex portu vir iuveniſque ruit,
Quum quiſque abiret in nefas.
Tum vero pasuere doli, ſimulataque verba,
Et ſua fleverunt rura, gregeſque ſuos
Paſſim Coloni diruti.
Nil intentatum labis, fraudumque relictum eſt;
Corpora quot triſti ſunt lacerata nece,
Et furta quotnam vidimus!
O pudeat, pudeat, ne rurſus tanta malorum
Strages accumulet crimina criminibus!
Vindex IEHOVA fortis eſt.
Si Chriſti ſimus, nos Chriſti inſſa ſequamur,
Ne pœna fiat vis gravior. Reditus
Ab inferis nulli patet.

Hæc & eiuſmodi ſimilia inculcabantur ante ingreſſum itineris reliquis amicis, amore belli præſumptuoſo nimis ferventibus. Quoniam ita decretum erat, voluntas rationibus prævalebat. Hinc An. 1615. 22. Iulij exordium cæpit tumultus iſte, ac quum etiam ad alios Germaniæ principes ex ſingulari inſtituto, quod infra in tranſactione nominatur, mitterentur Legati, ego cum Dn. Frider. ab Udern compatre meo dilectiſſimo in Daniam 15. eiuſdem iter ingreſſi ſumus per Lubeccam à portu ſancto Holſatiæ trajiciendo in Lalandiam; hinc ubi in Falſtria apud regiam viduam Regis matrem fuiſſemus Nicopingæ, per Sielandiam pergentes citato curſu Haffniam quidem attigimus; ſed quum Dux Pomeraniæ Philippus Iulius Wolgaſtenſis una cum coniuge, nec non eius frater Dux Ulricus, & Epiſcopus Suerinenſis Regi Cronenburgi adeſſet, ubi poſtero die ſtatim in arcem nobiles quamplurimos ad iuſſum Reg. Maj. eduxerunt. Publica fama increbuerat apud civitates, quaſi ex ſuggeſtione Regis hæc obſidio ſuſcepta eſſet; ſed ad annunciationem factam admirabatur Rex, non adeo æquo animo id ferens, & quæ vaticinabatur, eventum ſuum acceperunt. Aitbat, Sat novi, unde ſit. Nimirum obediens eſt filius meus Wuſtrovio, qui tamen belli non adeo certam habet experientiam, quam quod hic in Dania nuper, quum mihi res eſſet cum Suecis, vidit, & didicit, ubi millenorum eum effeci præfectum. Aſt longe diverſa eſt, & plane diſpar ratio in Dania, & in Germania bella gerere. Novi, quid Brunſviga ſit, & quam forti manu ſe mihi tunc oppoſuerit ante decennium. Nõ res levis eſt, tangere eam urbem. Wuſtrovius certe excidet voto ſuo. Velut & poſtea nobis indicatum eſt, quod nollet in Germaniam ire, niſi litteræ ſororis, quas ipſi ſingulariter inſinuaram, ita illum commoviſſent.

Quis alias nobis honor exhibitus, & quæ ſpectabilia fuerint maxime in Friderichsburgo notabiliſſima propoſita, &c. alio antehac ſcripto explicavi cũ itineris ratione. Aderant quoque tunc legati Hanſæ ex Lubecca Dn. Henricus Moller Conſ. Dn. Herm. Goeſſens, & D. Heinricus Reiſerus, qui nobiſcũ ex Lalandia in reditu Balthicum mare trahiciebant, tamen in diverſis navibus. Properabamus quidem in via, nihilominus Rex cũ Marquardo Péſio ſolo prope Bargerdorfium nos aſſequebatur: Sed dũ Hamburgenſes Tollenſpikeri in littore Albidos in prandio detinerẽt Regem, nos interea præcurſum denuo obtinuimus, ut pridie ante adventum Regis ſalvi Wolferbyti rurſus appulimus. Ubi tunc falſum protenus deprehendimus, quod multi & principales gloriati fuerant, ſe ſatis omni genere munimenti, & pulveris ad hanc expeditionem eſſe inſtructos, & ante reditum noſtrum occupaturos Brunſvigã; quum ne quidem aggreſſum præparaſſent, & ſe omni nitri pulvere denudaſſent inanib⁹ exploſionibus. 30. Aug. quoque Rex venit, torvo vultu excipiẽs præ reliquis Wuſtrovium, quum caput noſceret hũc tanti mali, nec minus & Cancell. D. Wernerus Kõning. ac Antonius à Streithorſt in reprehenſionem apud Reg. Maj. incidebant gravem, quod adeo improvide adſtipulati fuiſſent Wuſtrovio.

Rex autem quum 1. Sept. viſitare caſtra cuperet, & ſub prandio caſtrum Olberianum eodem tempore expugnatent Brunſv. quod dum viſendum abiit Wuſtrovius, in Oueri ripa ictu ſclopeti traiicitur, quod peſſimum videbatur omen. Proinde Rex aliud capiens conſilium 2. Sept. tales ex Germanico in Latinum translatas ad Brunſvicenſes dabat litteras:

Chriſtianus 4. Rex Dan. &c. Noſtram clementiſſimam, & beneficam admodum voluntatẽ præponendo, Honorabiles, dilecti, pręcipui; Extra dubium nobis eſt, vobis tam noſtrarũ in proxime præterito anno ad vos miſſarum litterarum cum ea oblatione, quod nempe ex clementiſſima erga vos affectione abolitionem, & complanationem illarum, quæ inter Illuſtriſſimũ Principem, noſtrum dilectum cognatũ, & filium Dn. Frider. Ulricum Ducem Brunſv. & Lunæb. &c. atque vos agitantur aberrationes, lubenter inſtituere, & omnes ad hoc idoneos modos tentare, ac pro poſſibili in effectum deducere eſſemus curaturi: nec non etiam e contrario veſtram ad id adſtipulantem ſubiectiſſimam explicationem, quod vobis annunciatum illud omne non adverſum, ſed potius cum gratia acceptum eſſet futurum, adhuc ſatis maturate recordari, in memoriamq; revocare poſſe.

Quum vero nos, dum excelſe prædictã noſtri cariſſimi cognati dilectionẽ in aula ſua ob alias arduas

cauſſas viſitavimus, non ſine ſingulari dolore percipiamus, quod diſſenſiones tales in longe profundiores & difficiliores diſtractiones inciderint, & obreptæ ſint, atque ſic tandem in perturbatiorem ſtatum præcipitatæ, quibus tamen longe lubentius medicationem, & divina adjevante gratia, medianteq; cõpoſitionem adhiberi avide cupimus. Ideoque nos clementiſſime à vobis exigimus, ut erga nos veſtram ſententiam, & animum ſuper hoc caſu quamprimũ, eoque potius explicetis, atque num in priori memorata reſolutione veſtra ſubſiſtere cogitetis, & nobis rurſus in ſcriptis detegere velitis. In cuius rei conditionem clementiſſima oblatio noſtra eſt, ac ſpes firma, quod omne, ad conciliationem, ac conſtantem pacis teſtitutionem facieus, per Dei auxilium tentaturi, peracturi & effecturi ſimus. Quod vobis, quibus alias regia gratia addicti ſumus, annunciandum hac vice putavimus: Datum in Monaſter. Riddagehuſano 2. Septembr. An. 1615.

Ad quas litteras Brunſv. enſes in reſponſo petebant, ut exte mitates abrogarentur, ipſiſque concederetur cum Hanſeaticis communicatio, ſub dat. 4. Septemb. Verum Wuſtrovio talis ibi memorabilis cõpoſitus eſt tumulus, ut ex ſequenti videre eſt Carmine; quod requiem invenire coactus, ubi omnia ex ambitione, & avaritia turbare conatus fuerit. Quippe erant etiam alij, quorum nominibus parcitur, qui ante opus perductum ſibi omnia Brunſvicenſium bona cum ædibus in avariſſimam diſtributionem opinione abduxerant, etiam à Principe liberalitatem obtinuerant adſcriptionis:

Carmen autem tale Actis Brunſv. inſertum legitur:

Dum patriæ accelerat fatum VVuſtrovius Urbi,
Neſcit fata ſuas accelerare dies.
Hinc molem Imperij privis cervicibus aptans,
Triſte Gyganteo turbine movit opus:
Us *Domini nimium fidentis abuſus & ævo,*
Scilicet in patrios arma coegit agros,
Arma per exuſtos pluſquam civilia campos:
O quantum nimium ſidere, deſipere eſt.
In vires ſævire ſuas caput impulit, & vix
Sivit adunitis paſcere viſceribus.
Fas conſanguineum diſrupit & ita ſuaſit
Priſca Leonina pacta fidemque domus.
Irrequies meritis, atq; iſtis ſyncipat impar
Conſiliis, privis pectus opertum odiis.
Ambitio, hoſtiliſq; ferox vindicta, vesanus
Peſſum hunc rara alias fronte, dedere virum.
Occubuit gemino igne, quo digne urenda perenni
Suaſerat obſeſſa mœnia Bruno-Polis.
Quanta Dei vindicta, cruoris hirundo ſuperſtes
Humani, hoſtiles ſumit aquas morſens.
Quã tamen hic vivês requiẽ urbs invidit amicæ
Hanc inimica ſuo præbuit Urbs *cineri.*
Sicque olim vivos, quos ſumme exodit, eodem
Cogitur exſanguis ferre, patique ſpecu.
Druſe, ſupercilium depone, nec altius aude
Quam ſors, quam cauti vis inbeat cerebri.
Stulti bella movent: ſapiens diſſuadet, ut, heus tu,
Quiſquis es, hand iſtis annumerere, vide.
Diſcite terrarum faſtus odiſſe, Dynaſtæ,
Nec dubiis nimium fidere Conſiliis.
Provida quos ratio non ducit, at impetus anfert,
Peiores, quavis peſte, cavete viros.
VVuſtrovij manes, hoc tandem edico, quietem
Poſt colite, & ſueto parcite litigio.
Sat turbis hucuſq; datum, ſinite infera, per vos,
Conceſſa demum regna quiete frui.
Ne terra pulvis caloque exoſa tumultus
Extremum vobis ſtyx neget hoſpitium.

Pacem quærere optimum; ideo certe male agunt, qui bella potius amant, aut malis conſiliis ſubminiſtrant, ubi pax viget, & aurea tempora, ex proprii cõmodi ſtudio in ferrea convertunt. Dux Frid. Ulricus plane in Wuſtrovij ſe actiones inclinaverat: Quapropter cadaver defuncti ex Brunſviga expetebat, ac ut hanc ob cauſſam Otto Plato ab Helverſen Generalis belli director ad Brunſvicenſes viros mitteret iubebat. Verum quum Rex rem non tanti momenti putaret, Brunſv. relictum eſt. Interim dum alii Principes Imperii ad interpoſitionem quoq; ſuos mitterent Legatos, 17. Sept. Civitatum Hanſeaticarũ 1. ſuccurſus 350. equit. & 2000. peditum ex inſperato Brunſv. ad portam D. Petri aderant, quorum Dux erat Dodo ab & in Kniphauſen, cum Comite Ioha. Georg. à Solms. Hunc cum ſecundo ſuccurſu ſequebatur ipſe Gener. Civitatũ, Comes Frider. à Solms, qui tamen in campo Altfeldiano prius in luctam cũ Ducis Exercitu 21. Octob. incidebat. Quum vero utrinque armiſtitium eſſet cõceſſum, dies tranſactioni dictus eſt Steterburgi, ubi complanatio iuxta pacta de An. 1569. ita facta fuit, ut ex ſequentibus, maxime ſtylo Dn. Georgij Henrici Prottraſij Syndici Magdeb. Amici & Cõpatris mei conceptis apparet:

In Nomine Dei Amen: Notum ſit omnibus, poſtquam inter laudatiſſimam principalem domum Brunſvicenſem & Lunæburgicam Wolferbytanæ lineæ iam ex multis annis, & præcipuę ſub ætæ, & regiminis tempore Reverendiſſ. Illuſtr. & excelſe nati Principis ac Dn. Dn. Henrici Julij poſtulati Epiſcopi Halberſt. & Ducis Brunſv. ac Lunæb. & tandem eius Princ. Celſ. natu maioris filii & Succeſſoris in regimine, & Illuſtr. & excelſe nati Principis, ac Dn. Dn. Friderici Ulrici, Ducis Brunſv. & Lunæb. in una; Tũ quoque inter honorabiles, honorandos, & prudentes Conſules, Senatum & communionem Civitatis Brunſvigæ ab altera parte, admodum difficiles diſſenſiones, lites & diſtractionum diverſitates extant, quæ etiam aliquot vicibus in periculoſas adverſitates, belli concurſus, & factorum peractiones; ultimo autem, atque etiam adhuc ante paucos menſes in repetitam obſidionem Urbis, quum illi ope, & adiſtẽtia eorum coniunctorum amicorum, & Civitatum Hanſeaticarum confœderatorum amicorum cõtra eam in præparationis firmitudinem converterint, ut in apertum bellum res evaſerit unde non tantum ingens damnum, & terrarum divaſtatio ſecuta eſt; ſed etiam ulterius ſeditio, & periculoſitas, tam in hoc inferioris Saxoniæ Circulo, quam etiam in cõmuni Patria noſtra Germanicæ Nationis expectari poſſit, emerſit: Proinde Sac. Cæſ. Maj. noſter omnium clementiſſimus Dominus in paterna fideli cura, admonitione, & adhortatione ad pacem, & tranquillitatẽ, tum quoque ſeculares Dnn. Electores, Palatinus,

Saxoni-

Saxonicus, Brandeburg. velut nec minus regia Dignitas Danię ipſa in perſona; & tum alii Principes, & ſtatus Imperij, ac præcipue Landgr. Mauritii Haſſię Pr. Celſ. qui tam per litteras, quam ſpectabiles Legatos id unice egit, ut præventione ulterioris calamitatis, & ſanguinis effuſionis apprehenſa arma, ſi non in totum deponantur, tamen armiſtitium ſecurum obtineatur, atque ſic inter eius Illuſt. Celſ. & Civitatem Brunſvigam benignæ pacificationis tractatio irrecuſabiliter ſuſcipi, & tentari poſſit; velut etiam Domini Statici Generales unitarum Provinciarum in Belgio quoq; à ſua parte ſæpius ſimilis pacificationis adhortationes adhibuerunt, atque propterea ſuos ſingulares deputatos in hanc terram miſerunt.

Poſtquam autem talis ex omni parte bene inſtituta intentio ex variis incidentibus impedimentis tam cito promoveri haud potuit; tamen non minus celſiſſime prædictæ R. Cæſ. Maj. ad hanc cauſſam hiſce in locis Deputati ſpectabiles incluti Dnn. Legati, Generoſiſſ. Dn. Dn. Georg. Frider. Comes ab Hohenlohe, & Dn. in Langenberga. Dn. Baronatus Iungenbuntzelij, Coſmannoſij ac Travelitzij, Ej. Cæſ. Maj. Conſiliarius bellicus, ſupremus præfectus & eques, nec non nobiliſſ. ſtrenuus ac honoratiſſimus Dn. Felix Rudigerus Ej. Cęſ. Maj. Conſiliar. ſuper appellationes Regni Bohemici, iuxta laudabile S. Cæſ. Maj. inſtitutum, à dictis benignis tractatibus nullatenus deſtiterunt; ſed dum interim Illuſtr. & excelſe natus Princeps ac Dn. Dn. Frider. Palatin. ad Rhenũ, Sacri Rom. Imper. dapifer & Elector, Dux Bavariæ, &c. in ſimilem finem ex ſe, & agnatorum ſuorum, Principum ac ſtatuum Illuſtr. Ej. Celſ. præcipuos intimos Conſiliarios, nobiliſſimos, ſtrenuos & doctiſſimos Ludovicum Cammermeiſterum, Camerariũ vocatum J. U. Doct. & Andream Pauli Br. huc ablegavit (velut etiam Sac. Cæſ. Maj. mandatum ad ſuos Legatos itidem huc directum fuit, ut ad hunc tractatum ordinatos Electorum, Principum & ſtatuum Imperii Nuncios, & Legatos ſibi adſciſcerent.) Inde ſic ſub Ej. Cæſ. Maj. ex ſe, ac cum eadem in Nominibus, uti ſupra poſitum eſt, omnes totum negotium ad beneficũ Colloquium, & digeſtionem inducendum, omni ſtudio fidelem conatum impẽderunt, per quod mediũ res eo traducta eſt, ut 25. Nov. nuperrime Armiſtitium, & omnis belli uſus ab utraque parte in 10. dies complacitus, & publicatus ſit, poſtea 3. huius inſuper in 4. atq; iterum in 6. tum 3. & tandem in 6. dies prorogatus & extenſus ſit, atq; interea oblata impręiudicialis beneficia tractatio ab utraq; parte admiſſa, & conceſſa fuerit: velut etiam ad hoc ea 24. Novemb. proxime Stetterburgi in Cęnobio incepta, per aliquot dies ſingulari ſtudio, labore & ſeveritate continuata, atque ſimul ibi Dn. Generalium Staticorum Deputati, Nobiliſſimi, ſtrenui, Doctiſſimi & Sapientes, Dn. Ioh. Giel, Frider. à Sande J. U. Dd. & Didericus Stuckæus reſpective Syndicus, & Conſules Civitatum Neomageſis, Arnheimenſis & Davantrienſis in admonitionibus, & inductionibus ſuis nihil deſiderari paſſi ſunt: Atq; quũ interim etiam inclute prædicti Dn. Landgr. Haſſ. Pr. Celſ. bene ſpectabiles Legati, Generoſ. Dn. Dn. Iohan. Senior Comes Naſſoviæ, Catzenelnbogæ, Viandæ & Dietz, &c. Dn. in Beilſtein, etiam ſtrenui, Nobiliſſ. & fortes Dn. Albrechtus Riedeſelius in Eiſenbach Archimareſchallus Haſſiæ, & Caſparus Widemackerus Præfectus Oeconom. in Aach ſupremus Leuten. & eques, ambo Ej. Ill. Celſ. conſiliarii, ante finalem trãſactionem, & ratificationem pacti huius, & compoſitionis; ubi ſimul in eodem tempore etiam honorabilium trium Civitatum Argentorati, Norinbergæ & Ulmæ ablegati, ſtrenui & Doctiſſimi Dn. Iohan. Frider. Faber, Ioha. Chriſtophorus Oelhafenius, & Hieronymus Schleicherus, omnes tres J. U. D. & prædictarum Civitatum Advocati, & Pro Conſiliarij advenerint, & fidelem plenarię compoſitioni negotii operam adhibuerint, ut ad felicem finem ſit ita perducta: Ita per divinæ gratiæ benedictionem iliæ præſentes graviſſimæ diſſenſiones tandem cum utriuſque partis deputatis, & adiũctis his plenipotẽtiariis Conſiliariis, Nunciis & aſſiſtentibus (quorum nomina etiam inferius indicabuntur) ſequenti modo in diverſis punctis, & articulis cum Ratificatione inclute prędicti Principis, & honorabilis ſenatus eius iuratorum, tribuum, Magiſtrorum, Capitaneorum, & totius communionis totaliter & in fundamẽto compoſitæ & tranſactæ ſint.

1. Vult ac debet inclute prædicti Principis Frider. Ulrici Ill. Celſ. dictæ Civitati Brunſvigæ Privilegia, libertates, gratias, conſuetudines & antiquum uſum, uti uſitato more obſervatum, confirmare & corroborare, & deinde ex Camera Imperiali emanatę homagialis & ſecutæ declaratoriæ ſententiæ realem ſatisfactionem præſtare.

2. Ubi e contra ſenatus, cives & univerſa Cõmunio Brunſvicenſis Ej. Celſ. hæreditarium homagium irrecuſabiliter in uſitata, & adhuc An. 1569. iurata forma præſtabit, & deponet, & Ej. Celſ. pro ſuo regente terræ principe, ac Domino, uti probos, honeſtos ſubditos decet, ex antiquo more agnoſcet, reverebitur, & habebit: Velut etiam omnes, & ſingulæ, inter, & cum Ej. Celſ. Maioribus, & Civitate Brunſv. ante hæc tempora, & adhuc ultimo in An. 1569. erectæ diverſæ tranſactiones in viribus ſuis manere, & civitas in eo ſtatu, in quo ab 69. Anni tranſactione inventa eſt, relinqui debebit. Poſtquã autem huc uſque ob terræ principalem ſuperioritatem, & Iuriſdictionem, atque quomodo, & qua ratione, etiam quouſque Ej. Celſ. hæc in, & ſuper Civitatem Brunſv. competat, & quid eidem adhæreat, non exiguæ diſſenſiones inter utramque partem exortæ ſunt, etiam tranſactiones propterea in diſſitum intellectum abripi voluerunt.

Eiuſmodi autem differentiis ob temporis brevitatem, & cauſſæ gravitatem, & quod iam eo tendi debebat, quomodo pernicioſus terræ motus belli aboleatur, & conſtans ſecura pax abſque mora acquiri poſſit, non potuit penitus obveniri: Propterea iſte punctus, & quæ illi annexa ſunt, hac vice ad aliã beneficã tractationẽ, atq; cum eo reiectus eſt, ut ambæ partes tam ob ſcopum, & locum certum, quam ẽt certos acceptabiles mediatores ante omnia inter ſe conveniant; atq; ſi ſubſequenter etiã tales tractatus abſq; fructu ſubeantur, tunc per ordinariã viã iuris in Cæſ. Camerali iudicio, aut quomodo in futurũ alias compoſitio conſentiri queat, cauſſæ tales complanarentur, & tranſigerentur: Tamen interea ſæpius prædicto terræ principi in Ej. Celſitudinis iure maioritatis, velut etiam communi Civitati Brunſvigæ in privilegiis, gratiis & conſuetudinum competentiis, & tranſactionibus, & in omni inno-

xium, & cuique parti exinde in his punctis ſuum ius, actiones, exceptiones, atque ita omnia iuris remedia neceſſaria reſervata manere debeant.

Secundo, poſtquam Conſules, & Senatus Brunſv. una cum adſiſtentibus Honorabilium Teutonicarũ Civitatum Hanſæ Legatis ob antehac contra Urbẽ Brunſv. publicati Declaratorii ſententiam rebellionis cauſſa, & conſequenter obtentam Cæſaream bãni denunciationem, ſupra modum conqueſti ſunt, atque ut binarum harum cauſſa extra periculum eſſe poſſent, aſſecurationem poſtularunt: Inde ad hæc compoſitio, & tranſactio eſt addita, ut in plantationem firmæ pacis, & clemẽtem etiam reſpective ſubditam confidentiam, prædicta declaratoria cum omni effectu hiſce totaliter abolita, & caſſata, & una in Cæſareo Cameræ iudicio pendenti liti penitus renunciata eſſe debeat, nec Ej. Celſ. prædictum Cæſaris bannum contra nominatam civitatem Brunſv. eius cives, adhærentes, & ad eam pertinentes, vel in, aut extra ius, & præſertim contra hanc tranſactionẽ amplius allegare, aut eius mentionem facere, ſed omne ſuum, & provinciarum ſuarum intereſſe & iura, quæ iis competant, aut competere poſſint, hiſce penitus remiſſa, & abdicata habere velint: tum apud Rom. Cæſ. Maj. ſufficientem enarrationem huius Celſ. Ej. declarationis per convenientes interceſſionales id impetrare velint, ut Sac. Cæſ. Maj. plenam abolitionem banni clementiſſime, velut etiam præter hoc per ſe iuxta conditionem cauſſæ, in conſervationem huius contractus, & conſtantis pacis, tanquam liberalis Cæſar, ad hoc inclinata erit, quam primum in effectum deduci adiuvabit.

Tertio quantum à parte Civitatis ad expeditam reſtitutionem eorum in Ducatu Brunſv. ſituatorum bonorum, molarum, decimarum, proventuum, & penſionum, una cum dependentibus inde fructibus pertinet; etiamſi contra id multiplices interlocutiones factæ ſint, tamen demum propterea tránſactum, compoſitum & conventum eſt, quod Ej. Celſ. talia bona, molas, decimas, proventus & penſiones in communi, civitati, templis, Cœnobiis, Scholis, hoſpitalibus & civibus Brunſvicenſibus, univerſis, & ſingulis, ad quemcunque, aut quocunque ſpectant ea bona plenarie reſtituere, reddere, & in poſſeſſionem tutam tradi curare debeat. Atque ut propter perceptos hucuſque fructus civitas, & eius incolæ eo maiorem recreationem inde habeant, vult Ej. Celſ. ab illis, qui hucuſque talium bonorum uſumfructũ acceperunt, 100000. Imperiales florenos exiget, & inter quinquennium, quovis anno 20000. (de quibus primus erit terminus futuri Michaelis dies Anno 1616. & ſic ſequentibus 4. Annis, etiam quovis anno dies Michaelis determinatus uſque ad completionem manebit) Riddageshuſiæ ſenatui Brunſvicenſi ad eius Quietantiam abſque defectu enumerabit, ſimul quoque præfectis & miniſtris ſuis mandari curabit, ut non ſolum reſtitutio, & addictio prędictorum bonorum ſtatim in facto præſtetur, ſed etiam fundi Domino tam omnes reſtantiæ, & debita exiſtentia apud Colonos & Emphyteutas, tum etiã quantum de fructibus, & caſibus in hoc currẽte anno ab illis nondum perſolutum, atque ita in ſolutionem reſervatum fuerit, itidem perſolvi & tradi debeat. Similiter etiam illæ antehac ſequeſtratæ in fodinis metallicis partes Brunſv. ex ſequeſtro iuxta additionem fodinalis ordinis, & futuram ſpecialem rationem regiſtri, quam cuiq; cooperario redde. e cõpetit, reſtitui, & ſolvi debebit. Econtra in Cæſarea Camera propterea partim An. 1591. 1592. & 1593. inſtituta litis pendentia, & obtenta reviſio totaliter collapſa, & ita iſtius faſciculi fœdus plane eliſum erit: Tamen ulterius hoc in contractum venit, quod eacunque bona, quæ Civitati Brunſv. & eius adſociatis, nempe poſt mox nominandarum Hanſæ Civitatum, & earũ adhærentibus arreſtata, aut erepta ſunt, quod etiam arreſtata, aut abducta, aut alias nota debita, & hæreditates, quæve alias una pars contra alteram, aut partis alicuius agnatus, ſive alius contra ſubditos, cives, & dependentes, vel ad invicem in Ducatu, aut in aliis civitatibus fovet, cuiq; & ſingulo perſolvi, & iuxta omnem æquitatem quam citiſſime, aut ſi opus ſit, ex officio Magiſtratus adiutio ad ſatisfactionem integram fieri debet. Econtra Celſitudini Eius Senatus Brunſv. ea antehac in Capitulĩ ad D. Blaſium tradita acta, & adhuc in depoſito ibi latentia ſcriptorum documenta, & principum ſecreta confeſtim reſtituere, & exhibere vult, & debet.

Quarto: Licet illæ ab utraque parte in priori, & præſenti habito bello, & durantibus diſſenſionibus factæ impenſę, & ſumptus cum damnis perpeſſis admodum inſtanter allegati, & provinciale ſubmixtũ intereſſe petitum fuerit; tamen per tranſactionem Dnn. Interponentium iuxta conſiderationem circũſtantiarum, quantum ad Celſ. Ej. & univerſos Provinciales, ac ſingulos, & Civitatem ipſam Brunſv. ſpectat, erga ſe invicem penitus compẽſati, compoſiti & ſublati ſunt. Quare etiam ab omnibus partibus hac vice habitæ poſtulationes, & cõventiones, quocunque nomine inſigniri poſſint, per hanc viam plane abolitę, & ita oblitteratę ſunt, ut nec eam ob cauſſam, vel in, aut extra judicĩũ quid corrigi, aut actione aliqua tentari, ſed eæ cunctæ totaliter, & partialiter caſſatæ eſſe debeant.

Quinto etiam ſimiliter conventum eſt, & penitus tranſactum, quod ex parte terrę principis à dato huius contractus ſtatim viæ publicæ, & paſſus, tam in fluviis, quam per terram undiquaq; rurſus libere aperti eſſe, atq; commercia iuxta prędcriptum iuris, & Imperii conſtitutiones, etiam ſine allegatione huius tranſactionis, cuivis ſecura, & libera relinqui, nec nõ in eum finem illa prius emanata mandata, & inhibitiones rurſus abrogata, atque ſic Civitati Brunſv. & aliis Hanſæ Civitatibus, uti tempore priſco pacis factum eſt, in Celſ. Ej. provinciis & ditionibus ad cõmercandum & meandum conceſſum, & omnes impeditiones, oppilationeſque viarum, & fluviorum abolitæ, & ubi nova vectigalia, impoſitiones uſpiã ordinatæ, aut antiquæ extenſæ, eiuſmodi abiectæ, & extinctæ eſſe debeant.

Sexto poſtquam etiam à parte Civitatis Brunſvicenſis pro ſingulari durante motu, & turbatione, admodum gravamine allegatum eſt, quod coctione Ceresiliæ, & opificiis in circumiacentes circa Brunſvigã Pagos novationes ſint introductæ, inde in hoc compoſitio talis, & tranſactio conventa eſt, quod in puncto coctionis ceresiliç omnia in tranſactione de An. 69. 15. art. omnino permanere, etiam novationes opificum circa civitatem abrogari debeant.

Septimo pactione firma compoſitum eſt, quod in futurum ob Eich, & Wendhauſum prædicatorum, & alias

& alias civium Brunſvicenſium & vaſallorum iuramentum feudale, etiam feudi recognitiones, & ſcriptionis debitum, ac quod de his pendet, omnia iuxta tenorem tranſactionis de An. 69. & antiquam atque de An. 1571. iuratam formam feudalis iuramenti, nec non ita in uno atque altero iuxta litteras, & obſignationes, & uſum moris priſci obſervari, etiam iuramentum feudale à ſenatu Brunſv & Civibus ibidem à ſenioribus cuiuſq; familiæ iuxta morem antiquũ, & tranſactionum conformitatem præſtari debeat: tum nullus Brunſvicenſium Vaſallus, hæreditarius, aut Emphyteuta, præteritorum motuum, atque hinc excitatæ taciturnitatis, aut præteritarum alienationum cauſſa, in ſuo feudo, hæreditariis aut emphyteuticis bonis, perclitari, vel ea neglecta habere debeat.

Octavo, ut amabilis pax inter bene prædictam Ducis Frid. Ulrici Celſ. & Civitatem Brunſv. atque per hoc utrinque benefica, & debita mutua confidentia plantetur, ac eo conſtantius conſervetur, & ulteriori adverſitati eo rectius ædificetur, complanarum & conventum eſt, ſi in futurum tam propter priores, quam hanc tranſactionem, inter terræ Principem, & Civitatem Brunſv. malus intellectus, diſcordia, aut lis, quod tamen nullatenus admittendũ eſt, exſurgat, quod tamen nulla pars adverſus ſe invicem ullam facti viam, propriam iuſtitiam aut vim tentare, multo minus ad arma confugere, aut vias, & paſſus, advectiones aut commercia in ullo tempore præcludere & inhibere, nedum alteri, aut eius territorio, hominibus, civibus, incolis, ſubditis, & pertinentibus iis infeſtare, offendere, aut damno aliquo afficere quempiam, ſed potius quamcunque cauſſam ad benevolam audientiam, & tractatum remittere, vel ad æquum, minime partiale, ordinarium opus iuris in Cæſarea Camera, aut quomodo in hoc conventio mutua fieri queat, diſcerni, & quiſque in hoc tranquille acquieſcere debeat.

Nono, in maiorem confirmationem, & aſſecurationem talis omnis, terræ princeps pro ſe, & Ej. Celſ. hæredibus, & poſteris per principatus ſui honorem, & Dignitatem, loco iuramenti aperti pollicitus eſt, & promiſit, quod etiam in hac peragit fide, & in vigore huius tranſacti pacti ſcienter, & prædeliberate præſtat, ſe hanc tranſactionem in omnibus punctis, clauſulis & articulis ſemper, firmiter, & infrangibiliter ſervaturum, facto impleturum & corroboraturũ, nec unquam contraventurum illi, aut quid aliter ſuſcepturum in ulla minutiſſima parte, neque ut ab aliis quid tale contrarium fiat, permiſſurum, aut conceſſurum, vel viſurum eſſe: in quem finem etiam Ej. Celſ. ſuos fideles provinciæ ſtatus Wolferbytanæ & Calenbergenſis partis, per traditionem principalis ſecreti, & cum remiſſione eorum obligatæ fidei, & iuramenti, quo Ej. Celſ. obligati, & adſtricti tenentur, quoad hunc actum huc ſubſtituit, quod etiam facit iam, & in vigore huius pacti, ut illi ſe quam firmiſſime, & loco iuramenti obligent, & adſtringant, & propterea ſufficiens documentum extradere debeant, ne in hoc caſu, ſi in ullo aliquo modo ab Ej. Celſ. eius hæredibus, & poſteris ſucceſſoribus contra hoc committatur, ullam tunc Ej. Celſ. & alis adſiſtentiam præſtent, ſed potius adverſitatis abrogationem omni conatu pro facultatibus ſummis elaborent. Tum etiam ſenatus, & Cives Brunſvicenſes in communi, nec iam, neque in futurum Ej. Celſ. eius hæredibus, & poſteris ad præſtandum homagium tenebuntur, niſi prius hæc tranſactio ante omnia ſit confirmata, & à prædictis provincialibus ſtatibus renovata obligatio extradita fuerit. Ecõtra ſimiliter Conſules, ſenatus & univerſa communio Brunſvicenſis pro ſe, & ſuis poſteris ſub verbis veritatis, & fide loco iuramenti polliciti ſunt, & promiſerunt, quod etiam his faciunt, & in vigore huius tranſactionis ſcienter & prædeliberate, quod hoc tranſactionis pactum ſimili modo à parte ſua in omnibus eius punctis, clauſulis & articulis ſemper, firmiter, & infrangibiliter ſervaturi, & impleturi, nec unquam contra id contraventuri, aut facturi, nedum ut ab aliis id fiat, permiſſuri, aut cõceſſuri ſint: in quem finem etiam ſuos coniunctos amicos, & adſiſtentes honorabiles Teutonicæ Hanſæ Civitates, & præſertim Civitates Lubeccam, Bremam, Hamburgum, Magdeburgum & Lunæburgum ad hoc perduxerunt, ut ſub ſigillis ſuarum Civitatum perpetuam, & irrevocabilem ſufficientem obligationem etiam loco iuramenti exhibere teneantur, quod in caſum, ſi Civitas Brunſvicenſis, aut eius poſteri contra hoc pactum eſſent acturi, illi tũc huic adſiſtentiam, non præbere, ſed in eius abrogationem extremo conatu pro viribus elaborare debeant.

Decimo, poſtquam tandem nunc hac ratione per adhibitum ingentem laborem, & in nomine, & eodem modo, uti ſupra in ingreſſu huius dictum eſt, omnes hoſtilitates, & quæ ab iis dependent, totaliter ſublatæ ſunt: Proinde ambæ partes ulterius utrinq; ſpoponderunt, & promiſerunt, omnem ſuum, & ab amicis ſuis conſcriptum, & tranſmiſſum belli exercitum, tam equites, quam pedites, quotquot una, aut altera pars pro conſervatione munitionis ſuæ non indiget, è veſtigio (iuxta Conſtitutiones Imperii) abſque ullius damno, & præiudicio ſe dimittere, & abdicare illi velle, iuxta eum modum, uti ſingulariter inter illos conventum eſt.

Undecimo, in hanc tranſactionem, & utriuſque partis promiſſam, & præſtitam aſſecurationem cõprehendi, & includi debent, tota domus Brunſv. & Lunæb. Lineæ Cellenſis, & tam eius, quam etiam omnes prædicti Ducis Frid. Ulrici intimi, provinciales, & aulæ conſiliarij, ſupremi præfecti, equitũ Magiſtri, Capitanei, Officiarij, Oeconomici Præfecti, Landſaſſij, Vaſalli, miniſtri, ſubditi, & pertinentes cũ omnibus ſuis facultatibus, & bonis: tum quoque honorabiles Teutonicæ Hanſæ Civitates, præſertim illæ prænominatę 5. Civit. Lubecca, Brema, Hamburgum, Magdeburgum, & Lunęburgum, univerſim & ſingillatim: velut nec minus earum, & Civitatis Brunſv. Conſtituti Conſiliarij Syndici, ſupremi præfecti, Equitũ Magiſtri, Capitanei, officiarii priores, & præſenter inſervientes, Cives, incolæ, inquilini & pertinentes, etiam cum omnibus facultatibus, & bonis ſuis, hoc modo & ſic, quod à nulla parte contra alteram, aut quoque alias à nemine vel per directum, aut indirectum, ſub quocunque quæſito prætextu aut ſpecie, quomodocunq; nomen id ſortiri queat, prior aut præſens diffidentia, & belli motus, in vel extra iudicium iuris vindicari, aut moveri, neque ulli ullum damnum, aut nocumẽtum propterea inferri, aut ſi in inſperatum hunc caſum tale

quid

quid fieret ab ulla parte, à qua contra hoc factum fuerit, aut fieri concesserit, damnum recompensari, resarciri, persolvi, & penitus ad indemnitatem præstandam teneri debeat.

Tandem (12.) debet Rom. Cæs. Maj. nostrorum omnium clementissimus Dominus, tanquâ Romanus Imperator in spacio duorum mensium, ab hodie dato numerando, omnium humillime ab utrisq; partibus in scriptis, cum communicatione vidimatæ copiæ huius transactionis implorari, ut eam clementissime confirmet, atque cum adiutione, & adsistentia S. Rom. Imperij Elect. Principum & statuũ, iuxta tenorem Imperialium constitutionum, & ordinationum eam protegendo firmiter servet, & licitis mediis absque ullo respectu, velut etiam æquum & iustum est, contra frangentem partem, & in eius periculum, & sumptus, absque mora utatur, ac offensæ læsæ parti debita ope auxiliarem manum largiatur; atque non minus interim omni modo, donec talis Cæsarea confirmatio sequatur, istud transactionis pactum omni tempore, in omnibus articulis suis, & clausulis, absque omni exceptione, robustissime firmum & obligatorium erit, manebitque perfectum, ut cuncta impleantur, in effectum deducantur, & observationem debitam obtineant.

Tali conventioni, & transactioni interfuerunt à parte terræ Principis, Reverendi, Nobiles, strenui, honorati & Doctissimi, honoreque digni Ej. Cels. supr. belli Commissarij, Landrostij, Trostvogdij, etiam ditionis Wolferbytanicæ, & Calenbergensis partis, Provinciales, Secretarij & Aulæ Cõsiliarij, etiã Cameræ Secretarij, Dn. Henricus Abbas Monasterii Riddageshusani, Bodo & Iustus fratres ab Adelepsen, & Georg. Iustus à Weihe, Ioachim à Streithorst, Henningus à Rheden, Bartoldus à Rautenberg, Eberhardus à Weihe, Fridericus ab Uder, Iohan ab Uslar, Hildebrãdus Gieslerus Rhuman Utr. Iur. Doct. Heinricus Hardwigius, & Theodorus Bloccus. A parte Civitatis Brunsvicensis etiam Nobiles, honorandi, Doctissimi, honore digni, prudentes & sapientes Dn. Henricus Brohes Consul Civit. Lubec. Iohan Domannus J.U.D. & Hanseatici fœderis Syndicus, Thomas à Wicheden, & Casparus Boij, ut senatores, & Iohan. Feldhusius Secretar. dictæ Civitatis Lubec. Iohan. Almersius, Iohan. Havemannus, Wilhelmus à Bentheim, & Hermannus Müllerus Senatores Civitatis Bremensis, Hieronymus Voglerus Consul, Vincentius Müller J.U.D. & Syndic. Ioha. Rodenburg Senator, & Vincent. Müller I. Licent. Secret. Civitatis Hamburg. Martinus Aleman Consul, & Georgius Heinricus Bolfrasius J.U.D. & Synd. Civit. Magdeburg. Iohan Melbeccius J.U.D. Consiliarius, & Georgius Schumacherus Senator Civit. Lunæburg. Andreas Glagovius Secret. Civit. Davantriensis, Henningus Haberman, & Hermannus Schraderus duo consules, Iohan Grothusius Synd. Iohan Cammannus Consiliarius, & Fridericus Hedemannus Secret. Civit. Brunsvicens.

Atque ex Dei gratia nos Fridericus Ulricus Dux Brunsvicensis & Lunæb. & nos Consules, Senatores, & universa communio Civit. Brunsvic. pro nobis, nostris hæredibus, & posteris, confitemur, & notum facimus hisce manifeste in istis litteris erga quoscunque, quod ista superscripta transactio ex nostra utriusque partis bene deliberata mente, cum bona scientia, & voluntate contracta, cõposita, & decreta sit, atque nos, nostri hæredes, & posteri, volunt & debent eandem etiam in omnibus, & singulis punctis suis, articulis & clausulis iuxta nostram principalem dignitatem, atque verba veritatis, & sacram fidem loco iuramenti perpetim, firmiter, & infrangibiliter servare & adimplere: contra quod nos, & nostros hæredes, & posteros non defendent, nec liberos reddent, aut proderunt ulla spiritualia, aut mundana conscripta iura, constitutiones, Reformationes, statuta, Indulta, Salvi conductus, fœdera, præcepta aut inhibitiones, arcium aut provinciarum paces, nulla absolutio, aut rescriptum, aut ullum aliquod ius, aut Gratia Romani Cæsaris vel Regis, quomodocunq; nominati, dari, aut impetrata iam sint, vel impetrari adhuc possint: quia nos talibus beneficiis in universum, & singillatim iam atque ita tunc, & tunc sicut iam, hisce expresse renunciavimus, & abdicavimus, quod iis nec in, aut extra ius unquam simus usuri, omni periculo, dolo & argutiis hinc exclusis: atque in eius rei firmum æternumq; testimonium, & firmam servationem nos Fridericus Ulricus huic transactioni, quæ in bona forma eiusdem soni ad invicem erecta, & utrique parti una tradita est, propterea manu subscripsimus, & principale nostrum sigillũ, velut etiam nos consules, senatus & communio Brunsvicensis nostræ Civitatis secretum ad eandem appendi curavimus. Datum Steterburgi, die Thomę Apostoli, qui erat 21. Decembr. in An. post Nativitatem Christi Domini nostri, & salvatoris dilectissimi Millesimo Sexcentesimo decimo quinto.

Ipse ita tenor & forma huius contractus declarat satis, haud ullam obligationem, aut contractum in constrictiorem fidei certæ observationem unquam cogi potuisse; ita provide ad conscientiæ, & iuris externi legem omnia sunt coarctata quidem; verũ quæ non ratio diversitatis heic occurrit inter eos, qui nudi cupiunt esse rerum pro temporis ratione pacificatores! Arbitratores, & pollicitatores multi sunt; sed quia facta promissa syncere præstent admodum pauci: servare servanda, honestum merito putatur. Ideo Brunsvicenses noluerunt in aliis terminis deprehendi, quam ut omnia sine sophisticatione essent syncere intellecta. Unde confidentiam quoque deposuerant per biennii in hoc, quod essent obtenturi, quæ adeo grate erant promissa, nihil mali timentes.

Quum vero pro primo inciperent sollicitare, certum numerum illum de 1500. arboribus ad reparationem ædium, in obsidione destructarum, & ictib. tormentariis dirutarum, promissa aliam interpretationem invenere: Velut statim in principio à primariis inter consulentes aulæ auditum erat propalam sæpius, quod in talibus cunctis non absoluta mens esset, quæ heic continerentur: Sed eiusmodi difficultates de novo possent creari, ut ipsi Brunsvicenses desistere cogerentur: Unde etiam ad postulationem de arborum addictione illis est tale responsum datum, ex quo facile conicere possent ab aulicis non fuisse talem dispositionem intellectam. Quippe remittebantur ad locos satis ab urbe remotos Hercyniæ sylvæ, ubi pars montosissima erat. Si inde petere tot arbores voluissent, certe impensas sibi duplo graviores ad minimum confecissent, quam ipsa talium emptio nunquam cõstare potuisset. Ex hoc proverbiũ apud plures natum est de pollicitationibus non

ita

ita fiemis, aut inanibus: Ex Hercynia ſylva tacite tecum mihi promittis abietes arduas. Sæpius poſtea D. Georg. Heinricus Bolſtraſius Synd. Magd. Collega, & Compater meus Chariſſ. quem Rhetorem Germanicum ob exquiſitam huius linguæ locutionem, & facundiam eximiam, dicebant, nobis referre ſolebat, ſe non ſatis admirari potuiſſe tot ſuppoſitionum amphibologias, unde tam acri, & facta in conceptione ſcripti ſuprapoſiti uſum ſe fuiſſe atteſtatione, cum iuratoria declaratione, ut eo rectius ad fidē liquido præſtandam altera pars, quam toties vacillantem deprehenderat, uſque in anima conſtringeretur, nec nova belli ratio facile poſſet exoriri. Sed, aiebat, quid ſatis exquiſite illis præſcribi valet, quib' mēs eſt alia præſtandi. Sic etiam poſtea perſpectum fuit, idem accidiſſe, quum An. 1618. de puncto maioritatis eſſet agendum ab interponentibus, quorū caput erat Elector Fridericus Palatinus ad Rhenum, ubi Dnn. Statici, & Civitates Hanſæ aliquot nominandæ, non poterant aliter, quam pro adſiſtentibus admitti; velut graves ſub dato 17. Iul. An. 1618. querelas ea de re ad ſocias Hanſæ Civitates præſcripſere Brunſvicenſes, quod contra placitum prius hæc tentarentur, unde earum petierunt conſilium. Litteræ quidem ſunt notabiles, ſed huc ob anguſtiam loci referri nequeunt. Interim factum eſt, ut Brunſvicenſes iuxta 5. tranſactionis ſuæ novæ articulum promiſſam refectionis pecuniam flagitarint; ſed qualis inverſa reſponſio annullationis cum adſumpta citatione indicata fuerit, ex ſequenti apparet Epiſtola, ex obliquo, ac nō à principe ipſo urbi dictæ tranſmiſſa.

Noſtra amicabilia ſervitia antecedant: Honorabiles & prudentes favore digni Amici: Quod vos propter eos in Steterburgenſi tranſactione promiſſos, & pridem debitos Solutionis terminos huc perferri curaſtis, nobis explicatum eſt pluribus. Ad quæ è contra vos non celamus, quod Illuſtriſſimus noſter Clemens Princeps, & Dominus in allegata Steterburgenſi tranſactione ſe pro propria ſui perſona ad ſolutionem talium in ea poſitorum 100000. Imperialium florenorum nullatenus, ſed uti verba tranſactionis ſonant, ſaltem eouſque, & ita ſe obligatum fecit, quod eius Celſ. vellet NB. prius ab iis, qui hucuſq; uſum fructum eorum bonorum percepiſſent, tales 100000. flor. Imper. excipere, & NB. tunc in quinque annis ad eos præſtitutos terminos in E. Celſ. monaſterio Riddagehuſano pro quietantia perſolvi curatura ſit. Iam vero non minus E. Celſ. quam etiam nos inquiſitione omnia exploravimus, ſed hucuſque nondum in noſtram ſcientiam redigere potuimus, quod quiſpiam E. Celſ. miniſtrorum, aut ſubditorum, qui tunc (uti apud erectum contractum conſtanter adſeveratum, & Cęſareis etiam reliquis Elect. & Principalibus Legatis imaginatione impreſſum eſt) talia bona in utilitatem ſuam pertraxiſſet, extra illos, quibus plane viliſſimæ particulares partes ad acceptam ſummā pecunię loco hypothecę, aut redemptionis adſcriptæ fuerunt, atque iidem non ulterius quidpiam fructus, quam forte uſuras ad mutuo datam pecuniam ſe extendant, perceperunt: Quod inde E. Celſ. iuxta indicationem contractus, & habiti protocolli à privatis, aut illis, qui uſumfructum eorum bonorum percepiſſent, ne quidem centum, multo minus plures florenos acceperit, ut eos perſolvat, ſed potius foret E. Celſ. parcenda, ne quid ab ea exigeretur, ad quod nullatenus obligata eſt: Quin potius propter reſtitutionem bonorum humillimæ grates peragendæ erunt.

Quod ſi autem vos unum aliquem, aut alterum, qui hæc bona iuxta tranſactionis modum in ſuum uſum pertraxerit, ſpecifice denominare poteritis, novimus E. Celſ. animum ita laudabiliter affectum, quod ea ad hæc ęquam decentiam ſit ordinatura benevole.

Ad quæ tamen vos immonitos linquere nequimus, velut citra hoc non eſt incognitum, quomodo veſtri, & ſociorum veſtrorum milites equeſtres, & pedites durante armiſtitio adhuc E. Celſ. ſubditos obruerint, eos expoliarint, & exuerint, homines cū armentis abegerint & abduxerint, à quibus nec templa, Cœnobia & Dei domus tutæ fuerunt: Unde E. Celſ. ſubditorum damnum durante armiſtitio datū, ultra duas auri tonnas excurrit. Tum non in hoc deſitum eſt, ſed licet vos nihil aliud decuiſſet, quam ut veſtros conſcriptos milites poſt abdicationem factā, obligato modo ex E. Celſ. territorio abſque ullius hominis læſione educeretis: tamen non obſcurum vobis ex emanatis ad vos mandatis eſt (velut etiam tum temporis exhibitæ querelæ id teſtantur) quam ineffabile damnum ijdem ſimiliter, non tantum Ej. Celſ. ſubditis, ſed etiam peregrinantibus, inter quos etiam præcipuorum Dominorum Legatis non fuit parcitum, quam ut tale damnum (uti Ej. Celſ. adiectam ignominiam, & publicæ pacis fractionem, quā Ej. Celſ. tamen impune perferre nequeunt, hac vice ſilentio ſupprimimus) quoque aliquot multis millenis non poſſit elui. Quum igitur hoc omne contra erectum armiſtitium (quod tamen ſecurius, & firmius præ pace ipſa ſemper eſt ſervandum) etiā contra veſtram ipſam obligationem & erectam tranſactionem excurrat: Proinde Ej. Celſ. talia cuncta obliviſci nequeunt, ſed ſicuti Ej. Celſ. ſubditis ſuis, & veſtris concivibus, in Ej. Celſ. civitate, omni gratia addicta & dedita eſt; ita quoque illa, & alii ſuos contra dictum armiſtitium damno affectos fideles ſubditos ſine obſervatione, & auxilio deſtitutos inquirere nullatenus, ſed potius ad omnis damni dati opitulationem iis præſtare decreverunt. Velut proinde nomine, & loco Ej. Celſ. hiſce à vobis poſcimus, pro nobis autem amice vobis indicimus, ut velitis die Lunæ poſt Ægidij, qui erit 7. futuri menſis Septembr. quempiam Veſtratium cum ſufficienti mādato huc mittere, ad videndum, & audiendum, qua ratione Ej. Celſ. ſubditi durantibus inducis, etiam poſt pacem concluſam, damnum ſuum liquident, & iuxta uſum iuris præbeant: Ad quod poſtea iuxta cognitionem ulterius competentia adornabitur. Nos in hac confidentia manemus, & ſumus vobis ad amicabilia ſervitia propenſi. Datum Wolferbyti 8. Aug. An. 1618.

Princ. Brunſv. Vice Princeps, Cancellarius, Vice Cancellarius & Conſiliarij ibidem. Fridericus ab Uder.

Reſponſum autem Brunſvicenſium ad has tale fuit breve, ſimplex & nervoſum: Noſtra Amicabilia ſervitia prævia ſunt. Nobiles, ſtrenui, honorabiles, Doctiſſimi & dignitate valentes præcipue favorabiles Domini, Amicique boni.

V. Dig. & Gr. ſub dato 8. Aug. proximi, & 22. poſtea nobis demum exhibitas reſponſorias litteras, illas in Stetterburgenſi tranſactione promiſſas, & ex debito aſſecutas pecunias, & ſolutionis terminos concernentes, accepimus quidem, & earum contenta perlegimus. Iam vero nobis in tam liquidè puro, haud impugnabilis, & tam ſacroſanctè acceptatæ tranſactionis pacto, tale ſcriptum minus in ſuſpicionem venire aliquam, aut obtingere poſſe, non putavimus: Nec poſſumus etiam iam dictam tranſactionem cum nominato puncto in ullam uſpiam diſputationem, aut tractationem trahi, concedere: ſupra quod communis civitatis noſtræ cauſſa hiſce proteſtando, ſolemniſſime conteſtamur, & conteſtatum volumus, in ea ſpe totali, Illuſtriſſimum noſtrum clementem Principem & Dominum, vel etiam V. Dig. & Gr. in ea ſententia tranſactionis acceptatæ perſeveraturum, nec animatum eſſe, ut ex ea cauſſa ad novam aliquam tractationem quiſpiam ordinetur. Velut etiam talis poteſtas nobis, vi tranſactionis factæ, plane adempta eſt; ſed potius noſtrum ius, & æquiſſimum poſtulatum, ex 4. Auguſti huc repetitum, & iterum petendo exactum volumus: inea ſpe vivendo, quod cum omni excluſione allegatorum dubiorum inanium, tranſactioni ſua ſatisfactio fieri queat. Quod etiam adhuc petimus, & monemus, inſuper V. Dig. & Gr. ad gratioſa ſervitia præſtandum ulterius addicti, & propenſi. Dat. ſub Civitatis noſtræ ſignatura 4. Septembr. An. 1618.

Conſules & Senatus Civitatis Brunſvicenſis.

Huic novæ concertationi etiam alia ſtatim indies accumulatio, quaſi ſtudio ſingulari, in diverſis punctis, ex collectis, contributione circulari, conſiſtorialibus, Iure Patronatus, viſitatione, &c. deſumptis, ſub dato 25. Aug. 27. eiuſdem, &c. adiecta eſt. Quibus non tantum Brunſvicenſes ſolito more cõtradixerunt cum plurima explicatione inverſorum; ſed etiam ſub 12. & 15. Septembr. anno eodem ſociis Hanſæ indicarunt, uti verba eorum ſonant, quod talium punctionum ſimilia nunquam paſſi ſint, nec de iis antehac unquam quid audierint, nedum quod à principis maioribus de iis certiores unquam facti fuerint: unde potius ſe haud obſcure colligere adſeverabant, quod hæc & alia, quæ ex aula ea per aliquot hæc tempora noviter ipſis eſſent iniecta, pro meris, & præſtitutis impetitionibus haberent, quæ eo tenderent, ut tam ſancte fides in tranſactione Stetterburgenſi data, perfoderetur, & ſic nova longe petita cauſſa belli in priſco vulnere recrudeſcere deberet: quam tamen culpam non principis probitati, ſed novis in regimine, notorie mirabili, pacis oſoribus imputabant.

Quare quum circa exordium Anni huius, & exordium An. 1619. indictus eſſet Lubecæ conventus Hanſæ, & relatio integra de omnibus actis, hucuſq; peractis, tam à Brunſvic. quam civitatum intereſſentium Legatis eſſet facta, quę etiam admodum curioſa interpoſitio ſub initio veris ante aliquot menſes ſingulari cum cura, præſertim à Directorio adhibita fuiſſet, in conventu eo inter alia maxime notabilia de prægravatione commerciorum, & vectigalium extenſione concluſum eſt, quod benignæ compoſitionis ergo interceſſio, facta Legatione, aliqua continuari deberet, atque interim Brunſvicenſes delineationem novorum gravaminum & perſecutionis exhiberent ſingulis, quod ita factum eſt, uti delineationis extractus ſequens indicat, cuius digeſtio An. 1619. menſe Ianuar. in Hanſæ conſeſſu exhibita erat talis.

Honorabiles Brunſvicenſes ſua in duas membrorum partes diviſerunt gravamina: Ad primam partem referunt omnia, quæ ad impletionem tranſactionis Stetterburgenſis, & in ea confirmati ab An. 1569. pacti, ſpectant: ad alteram referunt novas cõtra ius apertum, & prædictas tranſactiones ipſis inſectas impetitiones intolerabiles. Ideoque prima pars 8. ſequentia habet membra: (1.) Poſtulatur reſtitutio bonorum Eccleſiaſticorum, quæ tam ad 5. parochias principales, quam D. Petrum, pagos Runingam. Denſtorphium & Vecheldam, tum quoque ad Cœnobium D. Ægidij ſpectant. (2.) Reſtitutio bonorum civium & patriciorum, quum utraque reſtitutio adeo pure eſſet promiſſa, ut nec ullam in tranſactione conditionem, aut limitationem agnoſceret: quippe hæc omnia titulo oneroſo pridem empta, & acquiſita eſſent, de facto tamen illis ſequeſtrata per modum repreſſaliarum, &c. (3.) Abrogatio vectigalium, & novarum impoſitionum, à quibus liberi eſſent per totum Ducatum in commerciis, maxime Hannoveræ, Lindenij & Tidebachij, ubi auctiones iniuſtæ eſſent factæ. (4.) Feudalis inveſturæ præſtatio in competentia bona, & pagos aliquot. (5.) Evictio 1500. arborum bona fide, non in eluſionem promiſſarum. (6.) Abrogatio petulantium prætorum, qui contra 1569. pactum nimia ſervitute premerẽt colonos ſuos. (7.) Solutio debiti, & 100000. Imperial. florenorum, ex contractu liquido tranſactionis initæ & iuratorio modo confirmatæ, ſyncere promiſſorum, ubi nil in ſophiſticationes inanes poteſt transformari ex fucatim longe petitis. (8.) Abrogatio novarũ collectarum, & acciſiarum, quæ cereviſiæ, quam frumentis, & agriculturæ impoſitæ, & nova auctione oneratæ eſſent, quod omne contra pacta de An. 1553. 1569. & 1615. fieret.

In ſecunda autem parte, ſive claſſe gravamen eſt (1.) Turbatio Iuriſdictionis Eccleſiaſticę Ampelebij, Wendhauſij & Denſtorfij cum aliis. (2.) Inſtitutio coctionis cereviſialis in pagis, & arcibus, oppidiſq; vicinis ad reprimendum civitatis cereviſiam. (3.) Exactio plane nova circularis contributionis, & ad elocandum dotem Duciſſæ: Frawlein Stewer vulgò dictam. (4.) Impoſitio repreſſaliarum ſub prætextu protractæ, aut denegatæ Iuſtitiæ. (5.) Immiſſiones de facto illicitæ. (6.) Inhibitio contra iuſtitiam, & iuris proceſſum pro allegatione immunitatis ſuæ, &c. Quibus alia quoque poſtea addebantur, quum fervor rancoris forte apud Conſulẽtes in tam diſtracto regiminis ſtatu accreſceret.

Proinde Brunſvicenſes etiam à Dn. Staticis Belgicæ unitæ impetrarunt, ut ſuum quoque Hanſeaticis adſociarent Legatum, ubi ſimul oblatio ad placidam, æquabilem, & favore dignam compoſitionem facta, ſed nihil obtentum eſt, in puncto maximè interpoſitionis, aut arbitrij, quum inclutus Dn. Comes Palatinus ad Rhenum interea gravioribus, & quidem Bohemicis ſe immiſcuiſſet negotiis, & motui turbulento.

Quum vero Brunſviga Homagium Duci Wolferbytanæ lineæ præſtitiſſet, idem quoque Dux Celſenſis

lensis lineæ exigere non destitit, ut eo graviores redderentur Civitatis angustiæ. Quamvis autem in colloquio, quod in præsentia aliquot Legatorum Civitatensium Hansæ Meinersij, ubi Oucer arcem præterlabendo in Allarem fl. tendit, erat habitum, Ducibus illis satis esset demonstratum, quod talia iura nullatenus, tam ex divisione Ducatuum, quam exemptione Urbis Brunsvicensis competerent, nec ab An. 1435. inde præstari homagium illis potuisset, ac debuisset, imo magis noxium, quam proficuum ipsis Ducibus esset futurum, nec ipsa Urbs diversis ea ratione se obligare posset, multo minus, quod Dux aliquot regalia, in iuribus summis, sequela provinciæ, collectis provincialibus, aut aliis iuribus Ecclesiasticis sibi arrogare valeret. Tamen in odium pacificationis factæ, novæ pressuræ Urbi huic à Ducibus Cellensibus obiiciebantur, præsertim inhibebatur subditis, ne quid commercii in cerevisiæ vectura, aut ligni haberent cum Brunsvicensibus.

Quapropter etiam Hansæ suis Legatis iniungebant, ut sub reditu intercessionem amicabilem apud Ducem Christianum Cellensem, qui tunc Imperatorem bellicum apud Inferioris Saxoniæ Circulum agebat, interponerent. Quod quidem factum est, sed inde nihil obtentum, ut Brunsvicensium status etiam hac ratione deterioris conditionis reddi videretur, quemadmodum maturis consiliis in publico consessu totius Hansæ mense Iulio pensitabant civitates, ne in Brunsviga dismembrationem aliquam, veluti in Lunæburgensium præcipitantia nuper 13. Martij viderant, paterentur.

Forte istis annis etiam perversa illa corruptio monetæ potissimum à binis subagitatoribus, quos vulgus quasi flagellatores tertæ vocitabat, introducta erat in Ducatum Brunsvicensem adeo etiam, ut 72. officinæ monetariæ inveniretur: inde vicini principes quoque vectigalia extendere ad Albim cupiebant, quod ut aliquo modo retunderetur, scribebat civitates inter alios etiam ad Ducem Christianum Cell. Episc. Mind. qui tamen sub dato 21. Iunij An. 1619. egregium dedit responsum civitatibus, cum explicatione mali à vicinis caussati, ut Epistola lectu esset digna, nisi brevitati studeremus. Eodem Anno 19. Aprilis simul in Camera Imp. Spiræ in caussa cõtra Lubec. & Hamburg. fluxum Albidos veterem concernente pro Duce Lunæburg. & interessentibus publicata erat sententia, in qua Anno 1620. 23. Febr. executor Dux armata manu per suos officiarios extitit, nec levis expoliatio subditorum cis Albim facta est, uti supra quoque in aliquibus indicatum est; unde citissima iterum civitatum fœderis arctioris fiebat convocatio ad mensem Martium, ubi pro primo ad quatuor sequētia, Duci per Legationem proponenda, capita conclusum est.

Nempe: 1. Ut commercia libera relinquerentur, nec miles amplius quid damni inferret, nec castrum ad Albim erigeretur, sed 2. refectio fieret violati, & perfossi fluvij. 3. Damna data restituerentur, 4. & pax vel ad compositionem amicabilem, aut Iuris viam, reduceretur, quibus annexa fuit caussa Brunsvicensium.

Legati erant ex Brema, Stralsundio, Rostochio & Magdeb. deputati D. Iohan Preiswerck Syndicus, Doct. Lampertus Strenwichius Cons. & Iohan. Lutteruan. Senat. quibus hoc imponebatur, ut in omnibus expresse Lubeccenses & Hamburg. ceu partem litis exciperent. Licet vero tandem ad compromissum, aut amicabilem compositionem Dux se obtulerit duabus civitatibus, tamen erga Brunsvicenses non quid rigoris remittere voluit, se excusans, quasi ligna necessitati provinciæ reservarentur cum carbonibus, &c. Ideoque in conventu decretum est, ut pro maiori auctoritate interponenda, etiam statici ad Legationem postularentur, & differretur interim conventus ad Maium mensem, ubi simul interea Dn. Directores Secretarium Legatis in occursum usque Hagam miserunt, cum instructior e quapiam occultę caussę universalis, in qua erat punctus de Brunsvicensium remediis.

Quum circa medium Maij advenissent Staticorum Legati, duo eorũ cum secretario suo missi sunt Boitzenburgum ad tranlactionem ibi ab interponẽtibus institutam, quæ tandem in die D. Iacobi ad finem perducta est. Licet damnum datum ad 6. tonnas auri excurreret, uti civitates in exhibita notula demonstrarunt, tamen non aliter compositio est facta, quam inferius posita copia ostendit. Interim primus Legatorum Belg. Nicolaus de Vogt Cons. Arnheimensis in secreto negotio ad consultandum cum Dn. Mauricio Principe Uranensi, Hagam, desubito, ne quid sentiretur ab aliis, aut res in suspicionem incideret, remissus est. Magni certe in hoc anno, & in tribus sequentibus Civitatum Hansæ fuerunt labores, quum etiam corruptio pestilentissima monetę non parum ob commercia involuta iis assiduo facesserent negotii; tamen ad optatum scopũ omnia perduci non potuerunt. Quare Brunsvicensibus etiam hoc suggestum est, ut mãdatum sine clausula de non attentando quid lite pendente contra Ducem Frid. Ulricum in Camera Imperiali extraherent, quod etiam in optima & solemni forma sub pœna decem marcarum auri puri ita 2. Septembris. An. eod. 1620. obtinuerunt, ne quid princeps præiudicialiter attentaret, vel innovaret, aut exequeretur in postulatione circularis, aut alterius Contributionis, vel exactionis, nedum in commerciorum oppilatione, quod etiam solemniter insinuari curaverunt. Unde ita futuro malo non tantum præventum est, sed etiam sic aliquam interemptionem iniecerunt conceptæ erga se durioti intentioni, quæ tamen postea per crebros circuli conventus maxime cõtra civitates, resuscitata est: Nihilominus alia impedimenta ex tumultuosa distractione, & diffidentia mutua statuum se intermiscebant, velut nec minus incommoda ingentia prius dicta fascinatio cunctis creabat, ut in hoc omne amolitionis studium converterent passim proceres Imperii, attamen alii occæcatissime in hoc avaritiæ cupreæ stabilimento suo obstinati pergerent. Quam ob caussam alius indictus erat conventus generalis Hansæ Lubeccæ circa diem Martini in hoc anno, ubi de variis actum est negotiis, ceu alibi superius ea sunt explicata, publicis admodum necessaria, quum indies quædam barbarica confusio accresceret rei monetariæ.

In memoriam sæpius heic mihi optimi Consulis Lubec. Dn. Alexandri Lunęburgi locutionem revocare soleo, non sine magna animi commotione ubi dicebat: Hæc vita hominum, uti nunc vivitur, certe in tantum reos abiecit opprobrium, ut longe infra bestias se omnes ferme præcipitarint; ita nullus pu-

dor, nulla pietas, nec conſcientia tangit, aut tenet ferme omnes præ avaritia, & ambitione vana, quũ ne quidẽ minutiſſima ſcintilla dilectionis erga Deũ & proximum in corde humano ſuperſtes ſit, quando omnes prope in furioſam hanc conceſſerunt corruptæ monetæ rabiem. Credas mihi mi Dn. Legate, Deus gravi ſupplicio univerſalis devaſtationis vindicabit id in Germanos, qui tam fideles ſe proclamãt præ reliquis Chriſtianos, cui ſe tamen uſque obſtinate corde, & vita totos abnegarunt. Præſertim idẽ tunc internum deplorabat diſſidium, quum Hamburgenſes 19. Ianuar. 1622. mandatum de non impediendo libero commerciorum uſu, & reſarciendo damno cum clauſula contra Lubeccenſes ſocios, uti ſupra mentio eius facta eſt, Spiræ extraxiſſent; dicens: Iam certe nec amplius ſocius à ſocio, nec hoſpes ab hoſpite tutus, ac fratrum quoque gratia rara eſt. Quid igitur mirum, ſi ſuperiores alii nobis in civitatibus vires noſtras variis modis exuere cupiant, dum intenditur nova pro circuli huius defenſione armata coniunctio?

Sed pergimus ad Brunſvicenſium preſſuras, quæ licet aliquo modo ſedatæ putarentur, tamen toties novis inflammationibus reſuſcitabantur ſub varia figura, ac proculdubio ferventiores eſſent redditę, potiſſimum in exactione Licentiarum, Acciſiarumque, niſi Civitates Hanſæ id publici commodi cauſſa avertiſſent. Etenim ſub 10. Iun. Anno 1621. obtinuerant mandatum pœnale ſine clauſula de caſſando novo vectigali, & reſtituendo tam contra Epiſcop. Mindenſem, & Ducem Brunſv. Lunæb. Chriſtianũ, quam Ducem Fridericum Ulricum; tum quoque nõ ſolum metus appropinquantis belli animos retardare cæpit, ſed etiam quum Chriſtianus Epiſc. Halb. & Dux Brunſv. Frater D. Frid. Ulric. militem conſcribere, & militiæ dedere ſe decreviſſet, civitatumque favorem ambiret, huic ſe accommodabant propius Brunſvicenſes nonnihil, quum etiam An. 1623. ſub dato Brunſv. 9. Febr. à Circuli proceribus monitoriale primum ob triplum in triplo accepiſſent, velut etiam mutatio ea, qua Regi Dan. An. 1624. ad fortiorem Circuli conſervationem deſtinabatur munus ſupremæ directionis in bello, non minori ſecuritati Brunſvicenſibus inſervivit, præſertim quum tot cõventus circulares per triennium in crebra exſuſcitatione repeterentur ibi.

Quum vero tandem Tyllius Anno 1624. propius immineret, & Dux Chriſtianus Brunſv. bis in anno 1622. 9. Iunii apud Hochſtam & 28. Aug. in finibus Brabantiæ, ac in anno 1623. 6. Aug. inter Stadohnũ & Aahuſium evictus eſſet, etiam Duciſſa Brunſv. vidua Eliſabetha, quæ alias infenſiſſima fuerat Brunſvicenſibus eorum propenſionem gratiorem Anno 1624. expetere cæpit; ſic odium diuturnum neceſſitas in favorem amabilem tranſmutavit, uti temporum mutatio erat inſuetior, & inſolentior: quæ maxime ſe tunc detegebat, quum Rex Dan. ipſe ſupremum defenſionis munus pro circulo Sax. inferioris adiiſſet ex Lawenburgica 25. Martii Anno 1625. confœderatione cum ſtatibus, & principibus illis inita.

Mirum hoc videbatur multis, quod antea in cauſſa Ducis Chriſtiani apud Cæſarem mediator & interceſſor tam aſſiduus extitiſſet, nunc ipſe ſuſciperet arma, de quorum malo omine alias publicata ſatis ſunt plurima. Anno autem 1626. quum pacificatio Brunſvigæ per quinque menſes & ulterius inter Cęſarianos & Regem Dan. tractata nollet ſuccedere, ipſe Dux, Wolferbyto relicto ſe ad matrem, quæ pridem antehac habitationem incolatus in Urbe Brunſv. inſtituerat, contulit, vitamque ibi, per ſeptennium uſque ad 11. Auguſt. Anno 1634. ubi ex lapſu in teſtudine crus ſuperiori in parte confregerat, mortuus, tranſegit. Interim tamen hoc præteriri non debet, quod poſt pacificationem, quam Rex Dan. cum Cæſare Lubeccæ Anno 1629. die 14. Martii iuxta modum, inferius poſitum, confecit, quum Rex Sueciæ cum maiori, ſed infauſto ſucceſſu ingreſſus eſſet eius ſucceſſorium munus, in huius tunc devotionem Urbs iſta cum Principe, ex ſpe ſuggeſtionis opimioris, pervenerit. De cuius temporis mirabili curſu non attinet iam plura referre, quum potius alii de his hiſtoriam integram conſcripſerint, ne nimis ampla fiat deductio: tantummodo hoc principale iam eſt, ut ille contractus, qui maximas Civitati huic immunitates ex Duce Iulio largitur, cuius etiam toties mentio iniecta fuit, heic plenius cognoſcatur, ut inde rectius conſtet, quid confirmationis ipſi per tranſactionem Steterburgenſem de An. 1615. additum ſit. Etenim Brunſvicenſes huic pacto adeo firmiter inhærent, ut fundamenti loco æterni id cum eo, quod cũ Henrico Iuniore An. 1553. inierunt, habeant; velut nec prius ſe ad ullum homagium obligatos putant, niſi iuxta horum tenorem omnes differentiæ conſopitæ, & gravamina penitus à Ducibus ſuis abrogata ſint.

Verba autem iſtius contractus ita ſe habent.

NOtum ſit, poſtquam ab obitu quondam Illuſtr. & excelſe nati Principis, ac Domini, Dn. Henrici Iunioris Ducis Brunſvicenſis, & Lunęburgenſis, &c. laudatiſſimæ, & beatæ memoriæ, itidem etiam Illuſtr. & excelſe natus Princeps, ac Dn. Dn. Iulius Dux Brunſv. & Lunæb. &c. Celſ. eius dilectiſſimus filius, noſter clemen. Princeps ac Dn. tanquam unicus hæres, & ſucceſſor regimen adierat, Celſ. Ej. à principio regimen, uti Chriſtianum, & laudabilem principem decet, eidemque competit, ante omnia in ſuum, & ſuorum agnatorum, & ſubditorum temporalem & æternam ſalutem ita direxit, ut Celſ. Ej. terra, & incolæ iuxta Apoſtolicam Catholicam Religionem & Auguſtanam confeſſionem in auctionẽ, & propagationem Gloriæ Dei, ipſiuſque ſalvifícum verbum unice, atque etiam in abrogationem per aliquot tempora ſubreptorum damnoſiſſimorum abuſuum, & ſuperſtitionum viſitari, & reformari curarint. Quum itaque iam ſic Celſ. Ej. in Religionis, & fidei negotio cum ſuis vicinis Dominis, & Amicis, ſubditis & addictis per Dei gratiam uniformiter cõveniat, inde Celſ. Ej. nihil charius habuit, quam ut etiam in politicis cauſſis, ad plantationem, & conſervationem pacis, tranquillitatis & unionis, bona rectitudo. & compoſitio perficeretur: Atque quum hinc inter Celſ. Ej. & honorabiles, honoratos & prudentes Conſules ac Senatores Celſitud. Ej. Civitatis Brunſvicenſis adhuc aliquot errata, diſſidia, diſſenſiones & offenſiones mutuæ hærerent; proinde Celſ. Ej. cum talibus conſulibus & ſenatoribus nominatæ Celſ. Ej. Civitatis Brunſv. iuxta determinationem

tionem dictum ad compoſitionem & tranſactionem talium diſſidiorum, veluti una pars alteri antehac articulatim ea exhibuit, uniformi placito convenit: ac propterea ſuper hoc à ſumme nominato Principe Duce Iulio binis diſtinctis vicibus, nempe primo die Martis poſt Lætare, & ſecũdo die Sabbathi poſt Trinit. huius adhuc durantis 1569. Anni, Celſ. Ej. poſt nominandi præcipui Conſiliarij, ad Civitatem Brunſv. ad placitam tranſactionem ablegati ſunt: nimirum Nobiles, Strenui, honorabiles, doctiſſimi & honorifici, Chriſtophorus à Steinberg, Georgius ab Holla ſupremus Capitaneus, Adrianus & Melchior à Steinberg fratres, Ioachimus Mynſingerus à Frundeck Cancellarius, Franciſcus Mitzeldingus Iur. Licent. & Epiſcopi Hildesheim. Cancellarius, Henricus à Lühe, & Eraſmus Ebenerus, qui etiam cum poſt nominandis, & deputatis honorabilis ſenatus, nempe honorabilibus, doctiſſimis & prudentibus Dieterico von der Lühe/regente Conſule, Melchiore Crugero Iur. Licent. & Syndico, Auguſtino Peinio, Authore Fallbergo, Iuſto Kalæo, Iohan. Dörtingo, Heinrico Schradero, Iohan. Schwalenbergo, & Henningo Bungenſtedo, etiam conſulibus, talium differentiarum & diſſidiorum cauſſa ab articulo ad articulum iuxta neceſſitatem rei, de die in diem collocuti ſunt atque res omnes per multas, variaſque diſputationes, & neceſſarias diſcuſſiones iuxta ſequentem formam (cum ratificatione ſumme prædicti Principis, & honorabilis ſenatus, iuratorum ſenatus, decemvirorum, & miſſorum, tribuum Magiſtrorum, & Capitaneorum, etiam tribuum & communitatum) inter ſe convenerunt, & tranſegerunt, nempe ita, atque hoc modo:

Primo, quod ad diſtrictum præturæ Aſſeburgenſis, & quod ab ea dependet, attinet, mutuo promiſſo complacitum, & decretum eſt, quod honorabilis ſenatus, & communio Civitatis Brunſv. illam præturam Aſſeburgenſem cum omni iure, Iuriſdictione ſuperiori, & inferiori, cum pagis, incolis, ſervitutibus, ſylvis, agris, pratis, molendinis, rivis, paſcuis, penſionibus, cenſuris & omnibus aliis proventibus, & pertinentiis, veluti hucuſque iis uſi ſunt, & poſſederunt, nihilo excepto, niſi eorum, & ſuorum civiũ Eccleſiaſticis, & hoſpitalium bonis (velut etiam aliorum fundi Dominorum) in prædicta prætura, feudalibus & hæreditariis bonis, frumentorum proventibus cenſuticis, decimis, penſionibus, & ſimilibus reliquis, quæ in ea poſſederunt, & hucuſque obtinuerunt, velut etiam duas lapicidinas ad Aſſam, & Oſelam ad civitatis ſuæ neceſſitatem uſui deditis, abſque reluitione enumeratæ pignoris pecuniæ (Pfandtſchillings) in æternum reſignare, & illam præturam Illuſtriſſ. excelſe nato Principi, ac Domino, Dn. Iulio Duci Brunſvicenſi & Lunæb. noſtro clementi principi ac Domino, ad rettributionem, ex traditione mque Synallagmaticarum complacitatũ partium, ubi confirmatio huius contractus facta fuerit, nec non Civitatis Brunſv. privilegiorum, & homagialium litterarum, & ubi homagium fuerit præſtitum, cedere & tradere debeant, ac velint. Ac quoniã ſenatus Brunſv. pacto aliquo tranſactionis, quod An. 1494. inter Ducem Henricum ſeniorem laudat. beat. mem. ab una, & inter illos Brunſvicenſes ab altera parte erectũ fuit, probarunt & demonſtrarunt, quod tunc ab Ej. Celſ. ſervitutem trium, aut plurium pagorum, qui ad Aſſeburgum ſpectant, pro 4000. flor. ſibi emerint, atque ſimul propterea talis debiti obligatorias litteras principis produxerunt, quæ An. 1519. datæ fuerunt, ut inde Dux Henricus Iunior Chriſt. beat. mem. ingenti ſumma auri, quæ cum reſtanti penſione huc uſque ad hoc tempus uſque ad 28000. & 600. aur. flor. excurrat, pro debito liquido obligatus manſerit, contra quod tamen princeps varias contradictiones oppoſuit; inde reverẽter prędicto ſuo Principi, ac Dn. & Ej. Celſ. hæredibus Lineę Wolferbytanę, prænominatam emptionis ſummam cum omnibus reſtantibus uſuris totaliter cedere tenebuntur, velut etiã iſtud vigore huius trãſactionis præſtant; debebunt quoque Ej. Celſ. prænominatam principis illius litterarum obligationem, una cum traditione præturæ Aſſeburgenſis, in dicto tempore extradere, & in manus porrigere, ita tamẽ, ut illi de ea ſub principis ſigillo vera, & fide digna copia vidimata extradatur, qua in caſu, uti poſtea dicetur, erga in futurum expectandos Ducalis feudi hæredes in productione uti queant.

Etiam debent & volunt Ej. Celſ. tanquam eorum clementi terrę principi, eius coniugi, iunioribus Dominis, & hæredibus, velut quoque Ej. Celſ. ſubditis iuxta veterem conſuetudinem, aperturam eorum civitatis minus denegare, ſed concedere: non autem ingreſſus erit ultra modum, etiam die, non nocturno tempore inſtituendus, nec in periculum ullum Brunſvicenſibus vergere debebit.

Econtra vult Eius Celſ. prædicto ſenatui, & communioni Civitatis Brunſvicenſis præturã & Iuriſdictionem Eichianam, ſimiliter arcem, & præturam Wenthuſianam cum omnibus earum Iuribus, Iuriſdictionibus, & Iudiciis, cum pagis, incolis, ſervitutibus, ſylvis, fluviis, agris, pratis, molendinis, rivis, piſcinis, piſcationibus, penſionibus, proventibus, decimis, cenſibus, venatione, & omnibus uſurationibus utilitatum, iuribus & pertinentiis, velut Ej. Celſ. moderni hypothecarij huc uſque iis uſi ſunt, eaque pro ſuo commodo poſſederunt, nulla re uſpiã excepta, niſi ſuperiore provinciali Magiſtratus in præturis talibus Iuriſdictione, nempe in cenſu provinciæ precario Eccleſiaſtici & ſecularis feudi; etiam aliorum Emphyteutarum bonis, penſionibus, cenſibus, aliiſque proventibus, veluti in iis poſſeſſionati, & conſuetudinarii fuerunt, in æternum, & hac tatione tradere ac cedere, ut Senatus Brunſv. iuxta tenorem prædictas ambas præturas Eichianam, & Wenthuſianam cum omnibus iuribus, & pertinentiis, uti ſuperius indicatum eſt, à ſumme prẽnominato noſtro Principe ac Dn. ex gratia in feudum hæreditarium maſculinum accipere debeat. Atque quũ duo conſules (quos Deus omnipotens diu gratioſe conſervet) mortem ſuam obeant, & decedant, debet Senatus Brunſv. in locum eorum duos alios conſules tanquam feudi portatores (vaſallos) ex eorum & communis civitatis nomine, prædictas iſtas præturas à ſumme prænominato noſtro clementi Principe, ac Dn. aut Ej. Celſ. hæredibus, & hæreditatum ſucceſſoribus in feudum maſculinum hæreditarium ad accipiendum, atque ſic uſque perpetim in ſempiterna ſecula, denuo nominare & indicare.

Atque quoties in poſterum ſenior regens terræ princeps huius Ducatus (quod etiam Deus in gratia diu præſervare velit) ex hoc mundo abeat, & diſcedat,

diſcedat, debet ſenior ſucceſſor regens terræ Princeps, cum prius dictis binis præturis Eichiana, & Wenthuſiana nominatos duos conſules in uſum ſenatus. & communis Civitatis Brunſvic. in die, quem Ej. Celſ. illi ad feudi terminum indicatura, & conſtitura eſt, ex gratia iterum inveſtire. Quando autem duo conſules, tanquam feudi portatores (id eſt vaſalli) iuxta divinam voluntatem obierunt, & tunc ipſorum loco duo alii conſules in Vaſallos rurſus ſpecificantur, & nominantur, debent illi apud ſeniorem ſuum regentem clementem terræ principem intra anni, & dieri ſpacium debito modo in obedientia infeudationem quærere; atque tunc, quando dies infeudationis dictus eſt, duas ſupradictas præturas, velut ſupra poſitum eſt, ſub perſolutione 20. aureorum florenorum cubicularijs, & pro inſcriptione, & obſignatione feudalium litterarum in principis Cancellaria ſolvere, & in maſculinum feudum accipere: econtra etiam illi Vaſalli, nomine dicti ſenatus, & communitatis Brunſvic feudi Principi, velut alij vaſalli, ullitatam fidem feudi præſtare debent, attamen iuramento, quo antea ſenatui, & communioni Brunſvic. obligati, & obſtricti, innoxium ſit.

Etiam debet, ac vult ſenatus Brunſvic. ex prædictis duabus præturis, Eichiana, & Wenthuſiana ſuo clementi terræ principi, ad clementem evocationē, ſervitutem equeſtrem quatuor itinerarijs equis, & quatuor talibus miniſtris ad Celſ. Ej. liberum pabulum, & victum, aut clemens ſalarium, & debitam reſtitutionem in equis damni, parem in modum aliorum nobilium, præſtare, & edere. Ac quoniam ſubditi præturatū, Eichianæ, & Wenthuſianæ ſuo moderno clementi terræ principi hæreditarium homagium iampridem præſtiterunt, pro hac vice in eo acquieſcendum eſt.

Quando autem Celſ. Ej. hæredes in futuris caſib. hæreditarium homagium accepturi ſunt, tunc præturæ Eichianæ, & Wenthuſianæ in paritate aliorum principatus ſubditorum hæreditarium homagium rurſus ad præſtandum, & edendum tenebuntur. Ac quando ſenatus, & communio civium Brunſv. ſumme prædicto ſuo moderno terræ principi hæreditarium homagium præſtabunt, debent Celſ. Ej. in eo tempore ſubditi præturæ Vecheltienſis, & in aliis ſenatus pagis, in hoc principatu ſitis, præſtare, & edere. Attamen ſtatim poſt præſtitum hæreditarium homagium ſubditi rurſus ad ſenatum remitti debent, & ipſis Brunſvicenſibus tale præſtitum hæreditariū iuramentum in iuribus, & competentiis nullo erit præiudicio, nec ulla in parte noxium. Atque debet, & vult ſumme prædictus terræ princeps loco ſui, & eius hæredum, ac in hæreditate ſucceſſorum, Brunſvicenſibus ex aliis Celſ. Ej. præturis unoquoque in anno 50. Coloniæ ſervitutis currus per 3. dies ad ſerviendum, quoties hoc petunt, clementer ſubminiſtrare, ut ita ad civitatis ſuæ, & eius munitionis neceſſariam conſervationem (quam id in Celſ. Ej. & communis provinciæ utilitatem ſimul vergat) & ad alias eorum neceſſitates ſervitutibus eo melius provideri poſſint. Ac quando ita ſervitutis currus expetent, id 14. diebus prius terræ principi indicari curabunt, ut ſic adornatio abſque difficultate ſubditorum eo commodius fieri queat. Quoniam autem domus, & prætura Wenthauſana Balthaſaris à Stechau p. m. hæredibus pro 3000. aureis florenis hypothecæ in modum oppignorata eſt, ſuper quod adhuc duobus ſuperſtitibus ſcriptæ litteræ in manibus ſunt, inde Celſ. Ej. ex ſingulari clementi voluntate, & affectione non tantum dictam oppignorationis pecuniam ſolvent, ſed etiam cum prædictis hæredibus, propter indicatum duorum corporum feudū, tranſactionem pro ſatisfactione inſtituent, ut ita domus, & prætura Wenthauſana cum omnibus iuribus, & pertinentiis libera ſit, atque ſic ſenatui, & communi civitati Brunſvic. libere in hæreditarium feudum maſculinum, velut ſupra poſitum conſtat, tradi & devoveri poſſit.

Etiam debet, ac vult ſumme prædictus Dux Iulius prætenſioni præturæ Vecheltianæ una cum Iuriſdictione in, & extra pagum, & diſtrictum eius terræ; ſimili modo duorum Weichbildorum Veteris vici, & Sacci Monetarii loci, iudiciorum, vectigalis, penſionis molinariæ, & aliarum partium in, & extra Civitatem Brunſvic. quomodocunque quid nominis ferant, quæ à Celſ. Ej. Maioribus quaſi ſenatui oppignoratæ allegatæ quidem ſunt; Verum ſenatus nunquam confeſſus fuit, ſuo, & Celſ. Ej. hęredum lineæ Wolferbytanæ nomine, erga ſenatū, & communem civitatem Brunſv. in æternum reſignare, & renunciare. Attamen Celſ. Ej. & ſuis hęredibus ſuperioritatis ius in territoriali Iuriſdictione, & quæ illi adhærent in arce (in civitate) etiam in Eccleſiaſticis & ſecularibus feudis, ſimiliter omnia in utroque Collegio S. Blaſij, & Cyriaci privilegia, & iura, quantum eorum Celſ. Ej. decet, & laudabiles eius maiores in uſu, & conſuetudine tenuerunt, & ſervarunt, in omni modo nullatenus ceſſum, ſed reſervatum ſit; tamen ſenatui iuxta ſuam portionem præturalis iuris (cuius in ſequenti articulo mētio fit) innoxium. Non autem vel Vecheltæ aut Wenthauſii in æternum à ſenatu, & communione Brunſv. nec ab ullo alio eorum nomine ullum munimentum erigi debet. Atque ſi in futurum (quod Deus clementer averſat) ſumme prædictus Princeps Dux Iulius, & Celſ. Ej. hæredes Wolferbytanæ lineæ morte concedant, & tunc Principatus iſte per contra caſum ad alios Celſ. Ej. expectantes feudi hęredes perventurus, & caſurus eſſet, tunc debent illi prænominatum contractum cum omnibus clauſulis, & articulis ſemper, conſtanter & infrangibiliter, atque in ſempiterna tempora ſimiliter ad ſervandū obligati, adſtrictique eſſe. Quod ſi autem illi ad hoc præſtandum minus inclinent, ſed contractum hunc, & tranſactionem (quod tamen minus ſperatur) impugnare ſtudeant; tunc iſtæres, quantum ad præturam Aſſeburgicam, & eius econtra tranſactas partes ſpectat, in eum ſtatum, in quo ante erectionem huius compoſitionis fuerunt, reponi, & Brunſvicenſibus prætura Aſſeburgica ad retributionem prædictarum acceptarum rerum, retro reſtitui, & tradi, etiam prænominata reluitio dictæ præturæ Aſſeburgicæ, & aliarum rerum, & econtra remiſſum debitum, nempe 32600. flor. aureor. in iure exigendum, atque alias cuique parti ius, & Iuſtitia ſua ad proſequendum, reſervata eſſe debet.

Secundo, propter præturam in Burgo in Capitulo S. Blaſij, & in monte S. Cyriaci cauſſa in hanc mediationem conjecta eſt, quod terræ Principi in Eccleſiaſticos omnis ſuperior, & inferior Magiſtratus,

ius, etiam civilis iurisdictio in Ecclesiasticis, & profanis negotiis manere, Ecclesiasticis quoq; in capitulares personas prisco more linqui debeat, ac si illi hoc ulterius ad terræ principem referre vellent, illis minus hoc impediendum, sed concedendũ esse; at seculares personæ, qui sub Capitulis, & privilegiato loco habitant, aut vivũt, aut habitaturi, civesq; sunt, senatui Brunsv. (velut ex antiquo fuit) usitatum censum persolvent, & quod illi appendet, præstabunt, etiam ob caussas civiles ad iudicium in Sacco pertrahentur, ubi etiam ius date, & sumere debent. Qui autem alias sub dicto Capitulo, & in loco privilegiato habitare velit, nec tamen Ecclesiastica persona in Capitulis Blasij, & Cyriaci sit, ille propterea cum senatu iuxta æquitatẽ transigere, & se huic conformare debebit, velut hoc ex antiquo in usu, & consuetudine observatum, & deductum est. In criminalibus caussis autem senatus una cum terræ Principe super Ecclesiasticos, & seculares ius prætutæ habebit, & exercebit ita, ut cum præscientia, & adiutione terræ Principis, aut Celsi. Ej. prætoris, si ille adsit, similiter Decani, aut senioris Capituli S. Blasij, vel Cyriaci respective, etiam Ecclesiasticos, & eorum agnatos (si graviter deliquerint, ita, ut caussa criminalitatem secum importet) apprehendere, & in carcerem deducere licitum sit. Quod si autem Principis prætor non adsit, nec caussa moram patiatur, illud per senatus ministros solum (tamen omnimodo cum antecedẽte requisitione Decani, aut senioris, uti supra positũ est, & omnibus partibus pro commodo) perfici debet. Quod vero nõ tam criminale est, ut ad tale carcer, & tortura, aut similia media non requirantur, illud coram Leone (ubi utriusq; partis prætores iudicium habent, quibus senatus personæ ex Sacco adiunguntur) indicari, accusari, & puniri debet, ac quę ibi pœnæ aut mulctæ inferuntur, eas ambo prætores inter se partiantur: attamen in his terræ Principi, quæ in Burgo, Capitulo S. Blasij, & in monte S. Cyriaci, etiam eius superiori privilegio, & iuribus, Ecclesiasticis, & secularibus feudis, quæ Celsi. Ej. ibi cõpetant, nihil derogari, sed ea, etiã Burgum pro Celsi. Ej. placito usurpandum, reservari debent; Attamen ne liber permeatus ibi impediatur, sed semper apertus linquatur, nec quispiam ibi recipiatur domo, qui iuxta tenorem homagialium litterarum senatui ibi non sit tolerabilis. Quod si vero Princeps Celsi. Ej. Coniux, aut eius iuniores principes personaliter hoc noctu cõmoraturi essent, in hoc casu Celsi. Ej. omni tempore liberum erit, talem permeatum (tamen solummodo per nocturnum tempus) occludere, & summo mane, quando civitatis portæ aperiuntur, sub eodem campanæ pulsu rursus recludi curabit; tamen ut valvæ ex dimidia parte sint ex asseribus, & superius ad dimidium ex clathris perspicacibus, aut ligno reticulato, atque ita non ad munitionem, sed meram custodiam compositæ habeantur.

Tertio, Quum Consules, & senatus Celsi. Ej. Civitatis Brunsv. statutum quoddam, & consuetudinem ante annos confecerint, & introduxerint; quando civis à sententia pronunciata ad terræ principem pro commoditate sua appellare vellet, ut tunc is 200. fl. (20. Marianis grossis pro floreno habitis) solveret, aut civitati cederet: quod autem statutum, sive consuetudinem Celsi. Ej. etiam eius parens, & Maiores p. m. quasi id Celsi. Ej. in ipsius superioris territorialis detrimentum, & derogationem vergeret, aliquoties impugnarũt. Proinde talis articulus ita modificatus, & directus est; Quod si civis aliquis Brunsv. in posterum à pronunciata sententia eius loci ad terræ principem appellare, atq; ita in Leuteratione (quæ ipsi iuxta civitatis consuetudinem proposita est) non acquiescere velit, tunc debet iste, si caussa infra 1000. flor. sit constituta, senatui 50. libras, id est, 100. florenos communis monetæ, persolvere: Quod si autẽ caussa, ob quam appellatum est, 1000. florenos, aut ulterius contineat, debebit 100. libras, id est, 200. florenos persolvere, aut ex urbe cedere.

Quarto, quod attinet ad terminos finium, & iurisdictionem inter civitatem Brunsv. Melverodam, Malcherodam, & Cœnobium Riddageshusanum, decretive transactum est, quum antehac in tractatibus præstitutis ab utraq; parte huius puncti caussa, placabilia media, & vię ad plenam transactionẽ propositæ fuerint, quibus hisce rebus etiam suus decens modus applicari, atq; ita huic puncto cõposito addi posset, quod propterea quamprimũ, ac si possibile sit, etiam ante homagiũ, noster clem. Dom. Dux Iulius ipse in persona cũ honorabili senatu ad certũ nominatum diem in locis differentiarũ se sistere, ocularem inspectionẽ adhibere, & quoq; iis suã decẽtem, & finalem compositionẽ imponere velit, ac debeat.

Quinto, ad punctum illam institutionem Cœnobij Ægidiani quod attinet, decretive transactum & conclusum est, quod statim à perfectione huius contractus, bona illa, quę terrę Princeps aut Celsi. Ej. Curatores sub manibus habent, tam quæ senatus Curatores hucusq; administrarunt, rursus in corpus unũ redigi, & iis presbyter quispiã, qui civis filius Brunsv. sit (in casum is eius sit eruditionis, ut prædicatorẽ agere possit, etiam alias modo à Principe erectæ, nec non Civitatis Brunsv. Ordinationi Ecclesiasticæ cõformis inveniatur) à senatu nominatus, & à Celsi. Ej. tanquam terræ Principe, aut eius hæredibus confirmatus, atq; illi modern⁹ scriba, aut œconomus, quãdo idem singulis vicibus terræ Principi, aut Celsi. Ej. hæredibus à senatu Brunsv. etiã nominatus, & idoneus inventus fuerit, adiungi, quoq; illi prælato certum deputatum ex proventibus, & accidentibus dicti Cœnobij addi debet, &c. Iste prælatus cum aliis prælatis, & provinciæ statibus, ex more antiquo, comitia provincialia visitabit, bona Cœnobij administrabit, terræ principi debitam taxam, & alia vetera usitata iura (tamen secundum magnitudinẽ, & conditionem moderni proventus) præstabit, & persolvet, Scholam pro debito instituet, Eleemosynas debito tempore erogabit, Cœnobio S. Leonhardi suũ debitum, uti ex antiquo est, porriget, etiam ad sustẽtationem superattendentis, & Coadiutoris in Urbe Brunsv. quotannis determinatam summam (de qua postea, quando rationis computatio suscipietur, & decernetur, quid hucusq; terræ principis, & Senatus Curatores in administratione habuerint, & adhuc habeant, conveniendum erit) una cum impositis tussis, & corporalibus pensionibus, singulis annis elargietur: attamẽ Cœnobium ab omni hospitali receptione Principis ministrorũ, Venatorum, Canũ, septimanalium curruum, & similium onerum prorsus liberum erit, nec unquam inde quid impositionis pateretur: verum si terræ Princeps currus militares in Provincia avocaverit, & à Cœnobio S. Ægidij tales

eſſet petiturus, tunc Celſ. Ej. currus militaris non denegari, ſed pro more mitti, ac ſuſtentari debet. Tum quoq; ſcriba, aut Oeconomus quotannis terræ principis, & ſenatus deputatis in præſentia prælati Cœnobialis debite proventuum rationem reddet, & ſatisfaciet. Porro tam à terræ principe, quam ſenatu utrinque omnis poſſibilis cura adhibebitur, ut bona Lunæburgica, & reliqua cuncta rurſus Cœnobio acquirantur, atque ita totum corpus denuo integre conſolidetur.

Sexto, parochiarũ cauſſa in civitate Brunſv. quæ noſtro clementi Principi, ac Domino ad infeudandum veniunt, pro medio Chriſtiano inventum eſt, quod Celſ. Ej. ſtatim à confirmatione huius contractus facta ab unaquaq; communione Eccleſiaſticorũ filiorum in quavis parochia una perſona ex modernis prædicantibus (quum proculdubio veræ Apoſtolicæ Catholicæ religioni, & Auguſtanæ cõfeſſioni doctrinis ſuis, & concionibus conformes ſint) pro prædicatore nominari, & denunciari, etiã Celſ. Ej. Eccleſiaſtico Conſiſtorio, ut poſt ſequitur, ad examinandum tranſmitti debeat; iſtumq; ipſum velint Celſ. Ej. tunc tali parochia, ſi idoneus æſtimetur, & inveniatur, inveſtire. Atque cuiq; communioni Eccleſiaſticorum filiorum reſervatum, mandatumque eſſe debet, quoties ipſi prædicatore indigebunt, ut ad idoneã perſonam circumſpiciant, & eam primo venerabili Colloquio in civitate ſiſti, ibidemq; audiri curent: Quod ſi tunc ea perſona, quæ ita pro prædicatore communitati præſentata eſt, à iam dicto Colloquio idonea æſtimata, & in doctrina & concionibus Apoſtolicæ Catholicæ religioni, & Auguſtanæ Confeſſioni conformis reperta fuerit, ea terrę principi ab honorabili ſenatu cum eiuſdem Colloquii teſtimonio, & atteſtatione Celſ. Ej. Eccleſiaſtico Conſiſtorio ad examinandum tranſmitti, & tunc, ſi ibi quoque apta deprehendatur prædicatura à Celſ. Ej. aut eius hæredibus inveſtiri debet.

Ac quoniam tantum dimidia pars proventuum parochialium ab An. 53. apud parochias, altera autẽ pars apud inveſtitos, qui tamen parochias non perfecerunt, vel adminiſtrarunt, in perceptione fuit, inde iam noſter clemens Princeps, & Dominus talem dimidiam partem à talibus inveſtitis liberabit, & vacuam reddet, iterumq; ad parochias ſuas convertet, & redigi curabit. Attamen pro averſione omnium litium, & diſſenſionum omnes miniſtri Eccleſiæ tam, quam alii prædicantes, velut etiam Prælati ad S. Ægidium obligati, & adſtricti tenebuntur, ut ſe Eccleſiaſticæ Ordinationi, & toti corpori doctrinæ Principatus, & Civitatis Brunſv. quamdiu in religione concordant, ſubſcribant, & ſubmittant, cum ea expreſſa comminatione, quod ſi quiſpiam in Doctrina aut vita aliter ſe gerat, quam in ordinatione, & corpore doctrinæ comprehenſum eſt, quod tunc ipſo facto abſque longinqua diſputatione officii ſui amiſſionem ſubire, nec amplius tolerari, aut ferri debeat. Atque ne ex diſſimilitudine ſalarii diſſentio, aut difficultas inter miniſtros Eccleſiæ oriatur, parochiæ cuiuſque ſeniores proventus prędicantium qui quotannis extra civitatem Brunſvic. ſolvendi ſunt, omni diligentia colligere debent, atque ſi pro ſalario miniſtrorum Eccleſiæ talia non ſufficiant, ab aliis Eccleſiæ cenſibus, & proventibus ſumendi, & iis conferendi poteſtatem habebunt, ut quiſque ſuum ſalarium plenarium ſortiatur, & accipiat, ne tamen corpus cuiuſque parochiæ diripiatur, ſed integrum maneat, nec per hoc terræ principi in iure patronatus ſui derogetur. Honorabilis quoque ſenatus diligenter inquiret, num quid ex vicariatibus, Eccleſiaſticis feudis, Commendatoriis, aut Calendariis bonis apud cives, aut privatas perſonas reſideat, aut alibi obtectum ſit, ne ſupprimantur penitus, ſed ad propagationem ulteriorem verbi divini, & ſuſtentationem miniſtrorum Eccleſię & Scholarum, ad parochias, paſtoratuſque reponantur, & reducantur.

Septimo, quum honorabilis ſenatus Brunſv conqueſtus fuerit etiamſi illis ex communi civitate certa taxa pro modij cenſu ſolvendum impoſita ſit, quã etiam huc uſque quotannis exſolverunt, tamen conarentur Prętecti Oeconomici aliquot bona Eccleſiaſtica ex ſenatus reditibus ſibi arrogare, nec non ex iis bonis, quæ ab aliquot civibus, Eccleſiis, Cœnobiis, & hoſpitalibus nuper ſibi compararint, modii cenſum ſibi decurtare; quum tamen honorabilis ſenatus ex iis bonis, quæ civibus ſuis, parochiis, Cœnobiis & hoſpitalibus ſubducantur, aut alias caduca reddãtur, modij cenſu carere, & detractionem perperi cogatur: in hoc mediatio decreta eſt, quod talis detractio, & accretio nullatenus reſpici, ſed una cõpenſari, atque ſic honorabilis ſenatus, & cives Civitatis Brunſv. in communi taxa conſervari debeat, etiam illud, quod nuper civitati accreverit, aut in futurum accreſcere poſſit, ſibi recipere, & in ſua taxa ad uſurpandum ſervare debeant, quamdiu modij pecunia iam à communibus provinciæ ſtatibus, & civitate Brunſvicenſe approbata fuerit.

Octavo, Quoniam ẽt honorabilis ſenatus civitatis Brunſv. cõqueritur, quod in præteritis annis præfecti Oeconomici conati ſint, ex omnibus bonis, quę in eorum præfecturis vendita fuerint, tertiũ obulum precii in ſuas prefecturas, & iuriſdictiones adſumere, ex quo cuique tertia pars boni ſui ſubducatur, & decurtetur, ſuper quod Brunſv. ad iudiciũ provinciale appellationem detulerint: proinde iſta lis ita moderata, & compoſita eſt, nempe; quando quiſpiam, qui ſub alterius dominatu vivit, hæreditatem, res expeditorias, aut Geradam ex Principatu avocare, aut trahere cupiat, iſte detractionem tertii obuli in iudicio linquet, ex quo talia exigit: alias vero extra hoc in aliis caſibus, iuxta antiquam provincialem conſuetudinem cuiuſque iudicii quidvis obſervari, & nova impoſitio tertij obuli plane abrogari, & omitti debet.

Tum etiam Nono honorabilis ſenatus Brunſvic. quęrelæ punctus, propter nimiam aggravationem, & ataxiam ſervitutum, quibus ipſorum, civium eorum, parochiarum, hoſpitalium, & Eccleſiaſticorum Coloni contra æquitatem, & erecta pacta à prefectis Oeconomicis accumulentur, & onerentur, in hoc directus, & complanatus eſt; nempe, quod in poſterum Brunſvicenſibus Colonis conceſſum eſſe debeat, reliquos agros, & bona, ſive ſint hæreditaria, aut cenſitica, ex quibus ad ſerviendum hucuſque ſingulariter requiſiti fuerint, degerere, vendere, aut elocare, atque ſic per hoc ex onere ſuperfluæ ſervitutis ſe liberare, & tantummodo in Brunſv. civium coloniarum ſervitute ex vigore pactorum perſeverare. Quod ſi vero eam in agris, & bonis retinere vellent,

vellent, etiam hoc liberum illis erit, ut tamen ex iis servitutem, velut Celſ. Ej. Dom. parentis temporibus factum eſt, præſtent. Quoniam autem apud hũc articulum à ſenatu querela introducta eſt, quod Eccleſiarum ſuarum, & civium coloni ob tales agri ulteriores fundos nimiis ſervitutibus prægravati fuerint, Celſ. Ej. ex hæreditariis regiſtraturis, & præfecturis omnium circumſtantiarum conditionem & informationem, quam primum petent, & poſt informationem acceptam, & factam menſuram reliquorum agrorum, talem præſtabunt accommodationem, ut nemo contra æquitatem onerari debeat.

Atque ut talis inquiſitio eo melius fiat, ſenatus cõſignationem Eccleſiarum ſuarum, & civium colonorum, hæreditariorum, & aliorum reliquorum agrorum, & quomodo ex iis ſervitus ſit præſtita, aut contra mõtem onera illis impoſita ſint, conficiet, & Celſ. Ej. tranſmittet. Apud hunc articulum etiam ulterius decretum eſt, quod ſi ſenatus, civium, hoſpitalium, & Eccleſiaſticorum Coloni interdum ultra plenum diem ad ſerviendum poſtulati eſſent, & uſurpati, illis in ſequenti ſeptimana in tantum parci, atque ſic omni modo vigor ſuperius dictorum Principalium contractuum obſervari debeat: Civium autem Coloni, quibus ſingularia privilegia indulta ſunt, & id documentis probare poſſunt, & iure antiquo, aut more id de luctum obtinuerunt, iis nihil de privilegiis ex hoc derogabitur.

Decimo, Privilegiorum, & ſtatutorum cauſſa, tranſactio in hoc directa eſt, quum communes provinciæ ſtatus, ubi noſtri clementis principis, ac Dn. Ducis Iulii Dn. parentis Chr. m. tempore adhuc in vivis eſſet, debitum ad perſolvendum in ſe ſuſcepiſſent, & propterea modiorum agrorum, & aliarum rerum cenſura ad ſolutionem talis debiti iuxta certum modum complacita eſt, quod Brunſvicenſes in tali cenſu contractui de An. 53. conformes ſe gerere debeant, & econtra, ſolutis iis debitis, Celſ. Ej. nullam amplius contributionem, aut cẽſum ullum, abſque expreſſo totius communis provinciæ ſtatus cõſenſu, imponendi poteſtatem habebit, pecunia quoque, quæ quotannis ex cenſibus colligitur, in nullum alium, quam ſolutionis conſignatorum debitorum uſum converti, & applicari debet.

Undecimo, quod ad ſuperfluas oviarias in principatu, à quibus pauperculis colonis ſemina agrorum devaſtantur, & depaſcuntur, nec non frutices in arbuſtis tenellis atteruntur, attinet, quum hoc non tantum terræ principem, ſed etiam Cœnobia, nobiles, & alios, ad quos ſpectant oviariæ, concernant, iſte punctus in communem provincialem conventum, qui quamprimum inſtituetur, reiectus eſt, ut ibi decenti modo quid certi ad perſequendum conſtituatur.

Duodecimo, ad allegatum gravamen ob Heſerorum, & Seckerorum, etiam aliorum hoſpitalium, Eccleſiaſticas, & civium decimas, quæ extra certam, & æquam complanationem in principis arces huc uſque avectæ ſunt, quod ſpectat, ita conventum, & complacitum eſt, quod ſi illi, qui decimarum talium poſſeſſores, & domini ſunt, illas decimas in propriam adſervationem avehere velint, quod tale iiſdem (ſicut quilque ſui boni proprietarius eſt) non ſit abnegandum, ſed plane admittendum eſſe debeat. Quod ſi vero pro nata occaſione decimas tales ad tempus elocare velint pro certa penſione, aut vendere, liberum illis erit, num principi terræ, aut alii elocare malint; attamen ut tunc in talem caſum, ſi extraneis elocarentur, eæ in diſtrictu loci, ubi enatæ fuerint, nec in alia loca cum ſtramine evehantur. Simili modo quoque idem in aliis decimis, quæ ad arces Principis non ſunt avectæ, obſervabitur, ita, ut fundi domini tales decimas ipſi in ſuis pagis, ubi in diſtrictu collectæ ſunt eo, cum frumentis, & ſtramine ad propriam adſervationem avehant, aut aliis, iuxta modum, uti iam dictum eſt, vendere eas licitum iis ſit.

Quod ſi etiam ruſtici ſe opponere, & impedire quid vellent, ut ipſi in damnum domini fundi decimas in ſe pertrahere poſſent, nec tamen ſufficientẽ penſionem ſolvere vellent; atque ſi inde non poſſet illis linqui, decimas, in agro iacentes negligere ſtuderent; tunc fundi domino liberum erit, in hoc caſu decimas ſuas ex diſtrictu tali pro placito ſuo avehere, aut aliis extra diſtrictum eius loci elocare. Et quoniam ambæ Heſerorum, & Seckerorum decimæ non in terræ principis manu, ac poteſtate, ſed in dotalitio clementiſſimæ noſtræ Dominæ Principiſſæ Viduæ Schoningenſis ſitæ ſunt, & ab Ej. Celſ. verſus arcem Iertzheimiam avehuntur, & uſurpantur; inde tam terræ princeps, quam ſenatus una, & quamprimum ad Ej. Celſ. viduam mittent, & eam amicabiliter, & ſubmiſſe peti, & rogari curabunt, ut hunc contractum, quo ad hunc punctum concernit, ratihabeat. Quod vero ad exactarum uſurarum cauſſam, quæ in dutatione iuſtitię ad Heſerorum, & Seckerianorum reſtitutionem ventilantur ſpectat, Celſ. Ej. quamprimum explorabunt, quidnam dum Celſitud. Ej. parens dilectus adhuc in vivis fuit, p. m. in principis Cameram redactum ſit, & Eccleſiæ nondum perſolutum, atque ſic ſe demonſtrabunt, ne quid Celſ. Ej. imputari poſſit, ſed inde pateat, quod Celſitud. Ej. animus non ſit, ut aliquid Eccleſiæ indebite ſubducatur, & avertatur.

Decimotertio, articulus ille de abuſu in Wetlemſtediano udoſo alneto ita compoſitus eſt, nempe ubi terrę Princeps, & Ej. Celſ. hęredes interdum ad neceſſaria ędificia arbores abſcindi curarunt, quod Celſ. Ej. id prius apud prętectos Cœnobij ad S. Crucem ſollicitare debeant, ut ita ſubditi per utriuſque partis deputatos in commodo loco iuxta ęquitatem 50. 60. aut ad ſummum 100. currus, & non ultra, nec non iuſto, & ordinato hyemis tempore, quando eiuſmodi arbores alnei cædi ſolent, cędere poſſint: atque ſic alias extra hoc cęſura omnis à celſe prędicto principe non admitti, ſed plane omitti debet.

Quod Decimo quarto, ad ius comitativum in & per civitatem Brunſv. attinet, iſte punctus poſt multivarias, & laboriosas ventilationes ita compoſitus eſt, quod clemẽs terrę Princeps ſolummodo regias, Electorales & Principum perſonas ad eius requiſitionem, ſed illæ non unquam ultra 200. aut 300. circiter equos, una & cum ſenatu Brunſv. in & per Urbem Brunſv. concomitari debeat, iuxta ſequentem modum, nempe: Nomine terræ Principis Ej. Celſ. Proprinceps, Mareſchallus, aut quis ex Principalib. Conſiliarius, & tunc nomine Civitatis regẽtum quis Conſulum, aut urbis eius Capitaneus, qui nobilis

sit, primum equitatis locum obtinebunt, atque tunc sex membra, nempe in quovis membro tres personę; primitus tres à terrę Principe. & post tres à Civitate, atq; sic per vices ordinatim sequantur. Istis 20. personis ab utraque parte, tam Principis, quam Civitatis concomitatio fiat, & constituatur. Quod si vero ultra hunc numerum vel terræ Principis, aut senatus Brunsv. concomitatores aliquot habeant ministros, qui illis inserviant, illi omnes exterorum equitatum in decenti ordine cum aliis Principis, & Civitatis ministris sequantur.

Atque hæc ita concomitatio in die, iusto comitatus tempore, & nullatenus nocturno tempore fieri debet. Proinde terræ Princeps semper, & singula vice senatui ad minimum dimidio diei spacio ante, ut eo rectius scientiam eius habeant, & se præparare queant, per litteras indicabit, in quãto videlicet numero regius, Electoralis, aut principis equitatus cõsistat, qui sic Celsi. Ej. concomitantiam hanc per urbem habendam postularint. Quum vero regiæ, Electorales, aut Principum personæ Civitatem Brunsv. equitatu ingredi vellent, nec tamen terræ principẽ ad hoc ius Comitantiæ requisivissent, nec Celsi. Ej. in hunc casum suos comitationis equites misisset; tunc Brunsvicensibus regias, Electorales, & principum personas ante civitatem à signo lignorum occlusoriorum, sive terminalium in urbem, atque rursus ex eadem cõcomitari, absq; terræ principis adiunctione, competet, & liberum erit. Velut etiã terræ princeps nullas regias, Electorales, aut principum personas, aut si illæ secũ adducerent, qui civitatis Brunsv. (quod Deus clementer avertat) hostes, aut adversarii, aut banniti ab Imperio essent, in, & per civitatem Brunsvic. ad concomitantiam admittet. Etiam sibi terræ princeps, aut Celsi. Ej. hæredes, & posteri per ius concomitantiæ ullum aliud quoddam ius quod Comitationi adnexum putari queat, in civitate Brunsv. ulterius, aut alia ratione de novo arrogare, & vendicare, nec vult, nec debet, nisi Celsi. Ej. aut eius Maiores ab antiquo in possessione habuerint, aut deduxerint, nec Celsi. Ej. iuxta erectos contractus competant, aut deceant; sed supra dictus simultaneus usus comitantiæ senatui, & communi civitati in eorum iurisdictione, & iuridicialibus, omnibus, & singulis, antiquis, & inde deductis privilegiis, libertatibus, consuetudinibus, iuribus, & iustitialibus penitus nullatenus in derogatione aliqua noxius erit, vel alias in præiudicium, periculositatem, vel detractionem incidet; in nullo unquam modo, aut via.

Atque si non reges, Electores aut principum honore æquales, in, & per civitatem concomitandi veniant, tunc in omnibus casibus comitatio apud senatum honorabilem civitatis Brunsv. toraliter, & solummodo erit, & manere debet, & terræ Princeps non ulterius, quam ad signa lignorum terminalium (vulgo Schlagbaume) ante civitatem iuxta tenorem transactionis de An 53. erectæ proxime comitationẽ perficiet. Atque si quis, aut plures ex terræ principis, aut senatus equitibus concomitariis hunc contractum in concomitantia non essent observaturi, sed eum in hoc articulo sub senatus iurisdictione ante portas, vel in civitate proterve violaret, transgrederetur ve, vel litem inde, & motum conciliaturus esset; tunc violator, si attestatio sufficiens adsit, ob id factum, & quoties id contingat, centum florenos nummorum, ut quisque florenus 20. Marianos continet (qui in Dei honorem, aut Christianos pios usus in civitate Brunsv. ad terræ principis, & senatus cognitionem statim convertentur) pro mulcta solvet; & si hæc mulcta à quoque violatore non persolvatur, tunc tam diu, donec eam plene uti dictum est, persolvat, ex toto ducatu, & civitate Brunsv. exclusus erit, nec in eo tolerari, aut ferri debet. Quod si etiam quis in, aut extra civitatem Brunsv. in senatus iurisdictione, durante tali concomitationis actu, violenter tentaret, nec pacifice iuxta ius hoc se contineret, ille non capax huius comitationis habebitur, sed à senatu Brunsvic. propterea in arresto detinebitur, & iuxta conditionem facti, & transgressionis exiure scripto in pœnam pertrahetur. Ideoque etiam ista ordinatio concomitantiæ, tam senatus, quã terræ principis equitibus comitativis indicabitur, & ad intrangibiliter servandum imponetur, & inculcabitur.

Decimoquinto, quod ad erectas Cerevisiæ coctorias ædes spectat, eas propter res suas œconomicas Celsi. Ej. abrogare nescit: animus tamen ipsi nullus est, quod in præiudicium, aut damnum ullum civitatum, & subditorum cerevisiam coqui velit admittere, unde etiam omnibus, & singulis subditorum, absque ullo præscripto, aut inhibitione, liberũ relinquet, ut saltem ad persolutionem actisarum (quamdiu eæ consensu approbatæ fuerint) iuxta cuiusque lubitum quis ubicunque ipsi commodum fuerit, cerevisiam emat, velut quoque publicum edictum propterea emittet.

Decimosexto, etiam civibus Brunsvic. in debitis notis liquidis passim in pagis, oppidis, præfecturis, iudiciis, atque sic quoque terræ principis. & Celsi. Ej. præfecti, nec non senatus Brunsv. propterea omni tempore ad requisitionem factam, debite equam, & necessariam inspectionem addere, & perficere debebunt, & volunt.

Decimoseptimo, Quum simul à senatu Brunsvic. abrogatio œnopoliorum aut hospitiorum Watenbuttelensis, Melverodensis, & Rettershusani sit postulata, Celsi. Ej. responsum ad hoc est, quod talem abrogationem ob iter facientes, & peregrinantes consentire nequeat, clementer tamen hoc admittit, velut etiam ad avertendum dilapidationes, & lascivias varias, clementer senatui Brunsv. concessum cupit, ut civibus masculis, & fœminis inhibeant talium hospitiorum additionem.

Decimooctavo, quod ad aream S. Ulrici attinet, quum templum illud sit desolatum, & templo Fratrum adiecta, punctus iste in eam compositionem traductus est, quod nostro clementi Domino, & Celsi. Ej. hæredibus prædictum templum ad Fratres una cum iure patronatus, velut antea apud S. Ulricum fuit (attamen ædificiis Cœnobii, & eo, quod ad aream Cœnobii pertinet, exceptis) in posterum addictum, & eo contra senatui S. Ulrici area, pro liberæ facultatis usu libero destinata esse debeat.

Decimonono, quod ad viam illam per novum pontem apud Adelemum spectat, Celsi. Ej. quam primum, & adhuc ante homagium, nisi singularia impedimenta interveniant, ei inspectioni adhibebunt, & necessaria addi curabunt.

Vigesimo & ultimo, etiam complacitum, & conclusum

cluſum eſt, ſimulac contractus iſte, & compoſitio finalis à ſumnie dicto terra principe, & honorabili ſenatu Civitatis Brunſv. ratificatus, cõfirmatus, & perfectus erit, quod tunc Celſ. Ej. per ſe, & eius conſcripti, ſimiliter honorabilis ſenatus Brunſv. per ſe, & nomine totius cõmunitatis, & poſterorum omnes, & ſingulas cauſſas iudiciales, ac proceſſus, quos una pars adverſus alteram in Camera Imperiali hucuſq; inſtituit, adornavit, & adhuc indeciſi ventilantur, caſſare, etiam per procuratores in iiſdem velitationibus cauſſæ & liti renunciare, & per tractata Acta quoque avocare, & penitus è medio tollere velint. Nec non etiam in hunc contractum includi, & concepti eſſe debẽt omnes, & ſinguli, qui ſenatui, & cõmuni Civitati Brunſv. in prænominatis cauſſis à cõſiliis, aut litteris fuerũt, vel alias eidem inſervierunt; erga tales terræ Princeps hanc ob cauſſam nullum rancorem inclementiæ geſtabit, aut exercebit, ſed potius eum, ſi Celſ. Ej. quempiam concepiſſet, clementer, & totaliter in amneſtia abſorbebit, velut etiam vigore huius contractus id facit: ſimili quoque modo ad id Brunſv. in pari caſu è contrario faciendam obligati ſunt, velut id quoque vigore huius contractus faciunt.

Atque nos ex Dei gratia Iulius Dux Brunſv. & Lunæb. &c. & nos Conſules, ſenatus & communio civitatis Brunſv. pro nobis, noſtris hęredibus, & poſteris confitemur, & notum facimus omnimodis cunctis, quod præſcriptam tranſactionem, & contractũ ex prædeliberato maturo conſilio, & ponderatione omnium circumſtantiarum & conditionum, cum clementi, & officioſo complacito, & bona voluntate acceptaverimus, ratificaverimus, & confirmaverimus: Acceptamus, ratificamus & confirmamus etiam eundem ſcienter his, & in vigore harum litterarũ. Atque nos, noſtri hæredes, & poſteri debent, & volunt quoq; eundem contractum in omnibus, & ſingulis eius articulis, punctis, comprehenſionibus, per noſtram Principalem Dignitatem, etiã vera verba, & fidem reſpective ſemper, conſtanter, & infrangibiliter ſervare, & perficere, à quo nos nil liberabunt, nec in defenſionem abripient, relevabunt, aut tutos reddent ulla ſpiritualia, aut mũdana deſcripta iura, prætextus, exceptiones, aut evaſiones, nulla gratia, privilegiũ, conſtitutio, reformatio, ſtatutum, ſalvus conductus, indultum, confœderatio, præceptum, inhibitio, arcis, aut provinciæ pax, abſolutio, aut reſcriptum Paparum, Rom. Cæſarear. aut regiarum Majeſtatum, quocunq; modo vocentur, ſive iã erecta, data & impetrata ſint, ſive in futurum impetrari unquam poſſint: quia nos iis cunctis, & ſingulis reſpective iã & poſt, ac poſt, velut iam hiſce expreſſe renunciamus, & abdicamus, quod iis nec in, nec extra iudicium rurſus uſuri ſimus, omni peticulo, & cautiis hinc penitus excluſis.

In veram rei atteſtationem, ſempiternam, & infrangibilem ſervationem, Nos prædictus Dux Iulius noſtrum principale ſigillum, & nos Conſules, ſenatus, & communio Brunſv. noſtræ civitatis ſecretum, ac nos ſuperius ad ingreſſum huius tranſactionis nominati, & ab utraque parte deputati Interpoſitores noſtra dotata, & uſitata ſigilla huic contractui, cuius duo conformiter ſonantes erecti ſunt, & cuiq; parti unus traditus eſt, ſcienter appendi curavimus. Actũ & datum Brunſvigæ die Laurentij divi Martyris, qui erat 10. Menſ. Auguſti, à Chriſti, noſtri dilecti Domini, & ſalvatoris Nativitate in 1569. Anno.

Iulius Dux Brunſv. & Lunæb. mpp.

SVpra toties homagii mutui mẽtio facta eſt, quod Brunſvic. Duci ſuo Iulio An. 1569. ad tranſactionem hanc factam, uti mos illis eſt, quod non prius præſtetur, quam compoſitio plena ſemper antecceſſerit, eius forma ita ſe habet:

Illuſtriſſimo, & celſe nato Principi, ac Domino, Dn. Iulio, Duci Brunſv. & Lunæb. noſtro clementi Principi, & Domino, heic præſenti, & Ej. Celſ. hæredibus, debetis vos promittere, & iurare, ita fideles vos, & faventes ad præſtandum, velut cives ſuo Domino ad iura tenentur, in hoc, dum Celſ. Ej. & eiuſdem hæredes vobis æquitatem, gratiam, iura, & cõſuetudines linquant.

Ad prælectionem factam tunc cives ita actũ homagii his verbis confirmant, digitis id foro veteris civitatis etigendo:

Quod nos iuramentum, quod iam nobis prælectum eſt, & ſat bene intelleximus, ſemper firmiter ſervaturi ſumus, iuxta quinque ſenſuum rationem, veluti optime poſſimus, & valemus, in Deus adiuvet, & verbum eius ſanctum.

Eodem modo, quum mutuum ſit Principis Synallagma, inde Brunſvic. civium uſitatum illud eſt proverbium, quo dicitur vulgo: Si ſervet noſter Dominus, etiam nos ſervamus; idem ferme ſonans, quod eſt in verſiculis:

Servanti fidem, fides ſervetur eidem: &
Frangenti fidem, fides frangatur eidem.

Etenim laudi hoc omnino illis adſcribitur ſingulari, quod ob commercia tã animoſe ſemper ſua defendant privilegia, & civitatis capacitatem, nec tamen ulli ſuperbiæ addicti ſunt, ſed in ſimplicitate gerunt civilem decenter vitam, uti ſtatuta illorum id undiq; luculenter teſtantur. Proinde inter Hanſeas Urbes quartirij nomen non immerito huic attributum eſt, quum quam plurima ob communia commercia, uti ex huc uſq; deductis patet, damna haud ſegniter pertulit, velut etiam proximæ civitates in omnibus ad eam neceſſitatibus recurſum ſuſcipere ſolebant, unde merito Pet. Lindenbergius in Hodeporo Helvetico ſuo hos illis adſcribat verſus:

O Brunſviga potens, cenſu ditiſſima grato,
Quis tua non celebret Valli munimina, muros
Cedentes nullis, & quæ faſtigia tollis
In cælum? ſeu quis templorum culmina luſtret
Ardua, ſeu domũ, quas lympidus Ocarus ambit,
Bellatres ſolido, ſolidataſq; aggere portas:
Seu cives ſpectes, queis nil generoſius ipſo
Vel pacis, vel belli etiam præſtantius uſũ eſt:
Et paſſim ſacra noſtra patrum, myſtaſq; ſacrorum,
Quos ſenio clarus, caniſq; verendus & annis
Unicus anteſtat ſcriptis Chemnicius omnes.
Nec minus & colitur Friſchlinus laude perenni,
Hunc licet innocuum tentarit tundere Moſcus.

Quis, & qualis fuerit Nicodemus Friſchlinus inter Germanos in Poeſi, & reliquo litteratum ſtudio ſummus, id tot eius monumenta ſatis aperte loquũtur. Multa ille in educatione iuventutis præſtitit, quã maxime ad veram ſocietatem educere unice omnibus votis cupiit, velut & id in ſuo opere Hebraidon decla-

declaravit, quam noxium ſit Chriſtianiſmo, teneriſ ætatem in Gentiliſmo diu detinere, quum verus inde cultus Dei apud animos hominum in dilectione Dei, & proximi ferme extinguatur. Quum talem aſſertorem religionis veræ apud Brunſvicenſes circa annum 1589. ageret, & lis ipſi à malevolis novis adjiceretur, non tantum id luculenta Oratione anno 1590. Urſellis excuſa explicavit, ſed etiam carmen de perſecutionibus ſuis admodum lugenti ſtylo ipſi adiecit, in quo hæc præcipue habentur:

Omnia ſi docti laudaſſem verba Philippi,
Leucorea nervo maior in urbe foret.
At quia quod didici quondam puerilibus annis
Tractatus fueram religionis opus:
Brunopolimque adij, tecum Polycarpe vocatus,
Heu mihi quas pœnas pro pietate luo.
Auguſtana equidem mihi quod Confeſſio cordi eſt
Qua monſtrata tibi Carole Quinte fuit:
Durius à ſocijs, quam Chriſtus ab agmine Turci,
Tractor, & hoc inſons fert mala multa caput.
Nam quod Ubiquiſmi *verbis accuſor iniquis,*
Brunopolis culpam criminis huius habet.
Namque Heidenrichium cur manibus expulit urbis,
Exponat cauſam, ſi lubet, ipſa mihi.
Nil ego condidici noſtris quod abominor annis;
Captiva obſequio mens mea Chriſte tuo.
Quid, quod & urbs eadem te, Bergi clare Matthia,
Expulit, atque ſuis inſſit abeſſe focis.
Sed tamen Altorſi Scholate Norea recepit:
Clara Heidenrichium Iulia tecta fovent.
Unus *ego exilium, quod commeruiſtis acerbi*
Vos Brunſvicenſes, non ſine clade fero.
Namque agor, ut per plana citus turbo aquora fertur,
Nec requiem hoc ullus præbet in orbe locus.
Quid tamen admiſi? totum mea ſervijt annum
Vox operata homini, mens operata Deo.
Nec mea diſplicuit veſtris induſtria templis,
Dum doceo pueros, inſtituoq; Scholam.
Sed mihi quam vilis pro magna reddita merces
Eſt opera: O impar quam mihi conditio?
Quin etiam victus natura noxius iſthic:
Nam vires fregit Mummia veſtra meas.
Tandem ubi Landgravio totum me mancipo Catto,
Et valedico tibi, fervida Brunopolis,
Non ſine criminibus, neque patria mole gravatus
Culparum (quanquam non mihi culpa fuit)
Diſcedo: & Cardas venio novus hoſpes in urbes:
Sunt etiam Cattis hoſpita recta meis.
Hic tu Marburgum primo tua tecta petentem
Suſcipis, & Civis nomen habere ſinis.

Lunæburgum.

Sed iam ad Urbem Lunæburgenſem nos convertimus ex ea cognatione, quam ſuperius indicavimus, ubi de nominis huius ratione, & origine eiuſdem urbis cap. 2. & mutato ſtatu civitatis paucis cap. 15. egimus. Eſt certe urbs valde ſplendide iuxta ædificiorum ſeriem condita, ac habet plateas aliquot, nitide diſpoſitas, quam fluvius Elmenavius inter Cœnobium Lunæ, & binas alluit portas, ut ibi navigabilis fiat ob commercium Salis. Ante urbem condita annis 124. arx ibidem extructa fuit ab Hermanno Billingio nobili Stibbekenshornano iſtius provinciæ, qui Ducatui huic exortum ex Ottonis I. donatione dedit. Arx autem in excelſo monte calcario poſita, Hamburgi in vallo ad 7. milliaria conſpicua eſt, ut ornamentum peculiare urbi ex eo tempore, quo An. 1190. ab Henrico Leone IX. Duce Arcis Lunæ condita eſt, addat. Civitas potiſſimum tres continet parochias, uti eſt templum ad Div. Iohan. D. Lampertum & D. Nicolaum; velut & tria Cœnobia, inter quæ maxime prævalet D. Michaelis, quondam ſub initio arcis in monte ab Auctore Duce Billingio ordinatum, poſtea vero ex caſu defectionis, quum cives ſtratagemate ſingulari arcem An. 1371. Duci Magno eriperent, in civitatem translatum eſt, uti infra mox explicabitur.

Arx enim iſta, uti amabilis videbatur pluribus tam ob loci amænitatem, quam etiam Salinarum ſub Arce inventionem, ita variis obnoxia fuit fortunis. Sicut Albertus Urſus Anhaltinus, & Marchio Soltwedelenſis, quum ab Imperatore Cunrado Suevico, Lothatii Succeſſore, Dux Saxoniæ contra Henricum ſuperbum, Bavariæ Ducem, & generum Lotharij, deſignatus eſſet, arcem hanc Lunæburgicam vi occupavit quidem, ſed non diu retinuit, licet curatum fuerat, ut iſte Henricus An. 1140. veneno ſub ſpecie tranſactionis cum Alberto Quedlinburgi extingueretur nequiter, relicto unico filio quadriennali Henrico, poſtea Leone dicto: tamen huius Henrici frater Guelphus, fortis nominatus, tutorio nomine, ob fratris filium Saxoniam ſibi vindicans, etiam ſimul hanc arcem hæredi vero reſtituit ſubſequenti anno, cui ibidem per quinquennium præfuit, velut adminiſtrator regionis iſtius. Ideoque Anno 1146. Henrico Leoni, ut vero hæredi, eam reſignavit, qui vario mirabili vitæ curſu, & fortuna uſus eādem urbe tali ornare voluit. Poſt eius autem obitū, qui in annum 1195. incidit, tres eius filii Henricus Palatinus, Otto Imperator, & Wilhelmus Dux ubi per decennium ſimultaneam gubernationem omnium ditionum ſuſtinuerant, An. 1206. diviſionem regionum talium ita inſtituerunt, ut Henrico Comitatus Stadenſis cum diſtrictu omni Veſerano, uſq; ad Bremam, Ottoni Ducatus Brunſvicenſis, Wilhelmo vero Lunæburgica pars, una cum Lichtenbergo, Gandershæmio, Werdero & Oſæmo cederetur, quam ille quoque per ſeptennium, Lunæburgi regens, uſque ad annum 1213. poſſedit, relicto unico filio Ottone, qui per 40. annos feliciter ibi regnavit obtinuitque à Friderico II. Imperatore in comitiis Moguntinis hoc pro ſingulari gratia, ut ipſi hæreditarius adderetur titulus primarius, quo ſe Ducem Brunſvicenſ. & Lunæburg. appellaret, quum antehac ſimul Duces Saxoniæ maiores eius dicti fuiſſent.

Verum quum Henricus Palatinus, & Imperator Otto, improles obiiſſent, diviſio provinciarum ſupradicta non fuit diuturna, ſed rediere in unum corpus omnes, adeo ut illis filius Ottonis Albertus Magnus

gnus per 17. annos præesset; postea in publico conventu, & comitiis, Quedlinburgi ab aliquot Principibus Germaniæ ob periculum communis Imperii, quod ἀκέφαλον tunc erat ob discordem regum Romanorum, nempe Alphonsi Hispanici, & Richardi Anglici, electionem institutis, mediante Ottone Marchione, & Electore Brandeb. potissimum, alteram divisionem universæ huius terræ An. 1269. iste Albertus Magnus Dux Brunsv. & Lunæb. cum Fratre Iohanne iniit, ita, ut ipsi Alberto Ducatus Brunsv. integer, & altera pars Lunæburgica, sub eodem tamen titulo, & insigni ex mutua connexione Iohanni maneret. Hinc Iohannes iste 13. Dux huius Ducatus Lunæburgici per octennium felicem ibi gessit gubernationem, statimque in primo anno Salinas ita adauxit in civitate sua, ut non tantum venas Salinarias plures inquisiverit, & aperuerit, sed etiam quasi nova ædificia publica ad pleniorem excoctionem Salis cum beneficiis singularibus adiecerit iisdem, qui An. 1277. diem suum obiit, filiosque regentes reliquit binos, Ottonem, & Wilhelmum, quorum prior per 53. annos ibi regnavit, Vandalis Dannenbergensibus, & Luchovianis ob continuas deprædationes adeo infestus, ut etiam utrumque comitatum suæ ditioni acquisiverit An. 1312. Alter vero ab obitu fratris de An. 1330. usque ad annum 1368. Successorem in hoc ducatu egit hereditarium. Sed quum ex 4. coniugibus saltem duas filias concepisset, alteram earum Agnetam Duci Ottoni Saxoniæ Lawenburg. & alteram Mechtildam agnato suo Ludovico Duci Brunsv. Ducis Magni Senioris filio elocavit, cui & An. 1355. decimotertio ante obitum anno in firmitudinem successionis hæreditariæ totum Ducatum Luneburgicum, ut lis cum Ducibus Grubenhagensibus præcaveretur, resignando detulit; qui tamen vix triennio supervixit probissimus Princeps, & reliquit An. 1358. fratri Magno Torquato, satis postea improbo, quem bonæ spei caussa, tãquam Generi sui dilectissimi fratrem, in successionem Dux Wilhelmus pro regiminis parte admiserat. Dux iste à principio per septennium se quidem satis probum simulavit: sed quum se postea in hoc Ducatu confirmatum satis robuste per conniventiã fratris defuncti soceri agnosceret, in tam dissolutam incidit vitam, ut patentem, pium Ducem Magnum seniorem, etiam summo pudore, & opprobrio afficere in malignitatibus suis videretur. Quin etiam insuper parens, ceu prudens Princeps, beneficium regiminis ab agnato Wilhelmo in suum filium collatum, non aliter, quam gratitudine animi foveri experebat. Verum quum filius dicto parentis nullam præstaret sequelam; ex indignantia commovebatur parens Magnus senior, ut extremam persecutionem minitaretur filio, etiam quod illum esset curaturus ab arbore suspendi: sed filio hoc adeo ridiculum fuit visum, ut illusionis caussa argenteam catenam appenderet collo, dicens; quippe parens me non alia, quam tali catena, suspendi curare valet: unde & Torquati, aut catenari nomen pro titulo adiecticio sortitus est apud plebem in vulgo.

Lunæburgensis civitas & cives quum diu eius tædio experentur ob tyrannicam petulantiam, tamen quousque in vivis adhuc fuit vetus ipsorum dominus Dux Wilhelmus, patienter utcunque tuleruct Torquati ferociam. Verum quum An. 1368. iste primus Dux Wilhelmus, nec minus Torquati illius parens Magnus Senior præ ægrimonia, quam ex filii perversis actionibus contraxerat, dies suos obiissent, & uterque Ducatus iterum novo corpore solido coaluisset, & absolutiorem se Torquatus hæredẽ putaret, in dissensionem abire cęperunt Lunæburgici, & Lawenburgico Duci Alberto, qui quasi proximior hæres ex Ducis Wilhelmi filia natu maiori altera Agneta superius dicta, natus erat, potiorem cum obedientia applicare favorem, ut nihil deesset amplius, quam occasio bona defectum & indignantiam plenius detegendi. Quod quum animadvertisset nepos ille ex filia Wilhelmi Dux Albertus, eo animosius cępit matris suæ vindicando ambire hæreditatem, imploravitque vicinorum, & agnatorũ auxilium, ut ipsi in caussæ iustæ vindicatione contra Ducem Torquatum, tanquam ab ea hęreditate alieniorem, adiisterent, in quo ipsi ante omnes Dux Megapolitanus eiusdem nominis Albertus fidissimus erat adstipulator. Unde tam atrox exoriebatur dissidium, ut à minori vi res pedetentim in maiorem belli aperti demum vigorem erumperet. Dux tamen Magnus Torquatus putavit, callido potius satis cõsilio propositum Alberti Ducis disrumpere se posse, si omnibus vicinis in Ducatibus Saxoniæ, Megapoleos & Holsatiæ, præsertim Principalibus & nobilibus, & Ecclesiasticis, proventus suos salinarios ex Lunæburgo abscinderet.

Quum vero hanc praxin publicatione alicuius edicti intenderet, omnino senatus Lunæb. sic ob pacta, cum iis erecta, se opposuit: inde Dux iste Magnus omnem furoris iram in hanc Urbem convertere non dubitavit, adeo ut non tantum omnia senatui, & civibus abnegaret privilegia, sed etiam urbẽ totam in mancipium sibi abripere studeret, claves ad portas sibi appropriando, quo eo gravior civibus omni genere violentiæ, & molestiarum ex arce impendere posset. Inter alias insidias malignitatis notabile hoc est, quod An. 1370. committere conabatur dolose. Erat in aula eius Comes quidam & eques, cui præ reliquis multum confidebat, qui ita instruebatur, ut præcipuos in Magistratu aliquando in arcem secum adduceret; sed quum tem frustra tẽtari cerneret, quum principi credere non tutum satis putarent; Dux per Comitem illum tutam fidem illis promisit, ut ad se in arcem montis adscenderent, præsertim, quum haberet, quæ cum illis tractari deberent. Adsecuratione ea sancte per comitem confirmata, deputati sunt principaliores in senatu, ut in arcem se conferrent, nil mali metuentes. A principio quidem benigne sunt accepti; mox tamen inclusi triclinio tenebantur captivi, ut Princeps quoque penitus illos neci destinasset, nisi comes ille tantæ fuisset integritatis, & se pro illis adductis in arcem senatoribus ad mortem citius, quam quod vis ulla talibus, quibus honoris & dignitatis suæ fidem dedisset, Inferni sine scelere nequitiosissimo non posset, obtulisset promptissimum; in quo ita acriter reprehendebat principem, ut tandem vix ægre dimitteret incolumes. An non inde acerbitas animorum longe acrior, & fervidior senatus, & civium accreverit, facile cuivis est colligere.

Nec quiescebat interim Dux Saxoniæ Albertus, qui Agnati Wenceslai Ducis ope instanter utebatur contra Torquatum, ut ipsi hæreditatem suam, ex iure ua-

te naturæ debitam, cederet: Quod quum cum minis non tantum abnegaret Torquatus, ſed etiam manu militari defendere conaretur provinciam hanc, Exercitus ab utraque parte An. 1371. collectus eſt, ac præſertim fidam aſſiſtentiam Dux Albertus Megapolitanus cognomini Alberto Saxoniæ præſtabat. Ideoque quum utraque pars armis, & ferventi conflictu non procul ab Albi in campo Vandalico concurrerent, adeo fortiter fervidum ſe Megapolitanus Dux heic præſtitit, ut Magnum Torquatum in fugam converteret, ultra 800. interfectorum relictis cadaveribus, nec minor ferme fuit captivorum numerus, qui 600. marcis argenti puri debebant redimi. Summam talem à Civitate Lunæburgenſi petebat, ut ipſi in contractu mutui exponerent; ſed recuſantibus his uſque adeo infenſus eſt factus, ut aſſiduis eos flagellaret moleſtiis, nec quidquam inventionis cotidie intermitteret, quo eoſdem in deſperationem redigeret.

Ideoque clanculum ita inter illos conveniebat, quod temporis commodi ratione uti vellent, ad cuius ſtratagematis palliationem inſerviebat ipſis cœnobium ad S. Michaelem, tunc in arce poſitũ, quod ſingulis feſtis diebus frequentare ſolebant ferventius in numeroſa copia hominum, ex cuius conſuetudine excubias agentes ſecuriores redditi erant. Proinde cives, qui ſe conſociarant in ſecreto, induti loricis, & chlamydibus ſub veſte occultatis, ſimulabant, quaſi die purificationis Mariæ ad Miſſam veſpertinam templi in monte tenderent, quumque eſſent intromiſſi, continuo acinacibus ſtrictis perfodiebant vigiles, & totam occupabant arcem, eamque diruebant ita funditus, ut ſaltem turris in ſignũ ſtratagematis huius relinqueretur ſuperſtes, velut etiam hodie is conſpicitur.

Cœnobium autem in urbem ad portam D. Michaelis una cum aurea tabula, ex puro auro Arabico, & lapillis pretioſiſſimis, gemmiſque variis ornata, ab Ottone II. Imperatore An. 969. quum ditiſſimum ſpolium ex Saracenorum victoria reportaſſet, in tei, & expeditionis feliciſſimæ memoriam templo huic conſecrata, transferebant, quæ adhuc altari in lamînis aureis Arabici auri ibi impoſita cernitur, & ſancte adſervatur, & pro theſauro magni precii merito habetur, uti eam An. 1623. in Comitiis Circularibus Dn. Abbas à Staffhorſt monſtrari curavit: aiunt puritati auri huius vix aliud ſimile inveniri poſſe, quod exemplo comprobant permutati auri, uti in eadem tabula videre eſt, in angulo ſiniſtræ partis ſubſtituti. Quum igitur Lunæburgenſes feſtalitij, & arcis pleni facti fuiſſent pro voto Domini, in defectionem abiere totalem à Duce ſuo, & receperunt in eius locum Ducem Saxoniæ Lawenburg. Albertum, quod non tantum ex iure ſucceſſionis naturalis Ducatum hunc ſibi arrogaret, ſed etiam à Carolo IV. Imperat. eſſet ad hunc eundem Ducatum, tanquam hæres inveſtitus; qui etiam una cum conſobrino Wenceslao Duce Saxoniæ in ſplendida pompa ingreſſus eſt ſtatim hanc urbem ad expetitionem Senatus & homagium ab incolis cunctis in ſolemni forma accepit, cum mutua defenſionis omnis promiſſione. Sub hoc ſucceſſu felici quum idem Dux ab Imperatore accepiſſet mandatum, quod Ducatum hunc ſibi totum vendicare deberet, Exercitum coegit aliquem, arq; Winſenium expugnabat quidem oppidum, ſed arcem minus in poteſtatem ſuam redigere poterat, præſertim quum Dux Magnus id militari interventu averteret, ut ex ea divertione quoque pro Civitatis Hannoveranæ commodo arx eius Lawenroda in ſubverſionem incideret.

Ob mutuas igitur belli velitationes, quæ hinc inde exercebantur, armiſtitium inter ambos Duces ad certum quidem tempus certa fide contractum eſt, ſed quum opportunitatem nactum ſe Dux Torquatus putaret, fidei datæ parum memor 20. Octob. eiuſdem anni 1371. ſtratagemate ſingulari, ubi ſe ad Urbem Lunæburgicã appropinquaſſet, nocte eam obruere conabatur. Verum Lunæburgenſes adeo vigiles patriæ, & libertatis ſuæ defenſores demonſtrabant ibi ſe, ut armata manu in platea ad portam arcis confeſtim concurrerent, ubi ita fortiter pugnatum eſt, ut in eo quidem conflictu duo Conſu'es Urbis occubuerint, attamen ex 700. hoſtium nemo ſalvus evaſerit, quin partim perfoſſi, partim capti, & decollati, partim multo ære vitam redemerint. Quæ perfidiæ occaſio tanto lucro ceſſit Duci Alberto Saxoniæ Lawenburgenſi, ut An. 1372. denuo novã, & pleniorem confirmationem ab Imperatore Carolo IV. huius Ducatus non tantum impetrarit, ſed etiam Dux Magnus ob inobedientiam, & contumaciam cum amiſſione feudi, & omnium regalium in bannum Imperii inciderit. Nihilominus quum An. 1373. Comiti Ottoni Schawenburgico, ob ductam in matrimonium Mechtildam, viduam Ducis Ludovici, & filiam Wilhelmi ex malitioſa invidia bellum intentaret, non procul à Levenſtedio ad Deiſterum in conflictu ab equite perfoſſus eſt iſte Dux Magnus.

Per 14. annos inde Dux Albertus gubernavit tranquillior Lunæburgi, niſi quod ſpoliis, & prædationibus Vandalicis, & aliorum vicinorum ſe opponere cogeretur, ut commercia tutiora redderet. Imprimis autem quum nobiles à Mandeslo in arce Rehelinga 2. milliaribus ab Hannovera diſtãte, hoſtes ſeſe exererent commerciorum, Anno 1385. Dux Albertus una cum Lunęburgenſibus arcem hanc expugnatum ivit, ubi crurifragium paſſus eſt ex ictu plũbi violento, ut diem ſuum obire coactus ſit. Coniux autem eius Catharina vidua in dotalitium Cellenſe ſuum conceſſit.

Antehac aliquoties Dux iſte quũ cerneret, quod Ducibus Brunſvicenſibus ſucceſſio in hunc Ducatũ Lunæburgicum, ex pacto ante 20. annos cum Duce Iohanne Lunæb. inito, non poſſet tandem denegari, auctor fuit, & feaſit Lunæburgenſibus ſuis fideliter, ut Duci Bernhardo Brunſvicenſi, Wenceslai genero, ſe accommodarent, & ſibi ab obitu eius eligerent; ſed quum nihilominus Wenceslao Duci Saxoniæ, tanquam Electori ob potentiam firmiorem potius faverent, hunc ſibi præoptarunt. Verum nondum ſtabilis fuit hæc fortuna. Etenim quum anno 1388. Lunęburgenſes huic Duci ſuo in oppugnatione Cellenſi adſiſterent, & is Winſenij ad Allarim caſtellũ, ex quo varias infeſtationes exerceret Ducatui Brunſvicenſi, ibidem de ſubito prętер ſpem omnium mortuus eſt. Vidua autem obſidione Celli cum filio Hęrico cincta in auxilium advocabat Ducem Friderícum filium alterum, & civitatem Brunſvicenſem, qui fortiter illam liberabant, & ſimul conflictu acri evincebant Winſenij ad Allarim Lunæburgenſes,

vix

vix elabente eorum Conſule, Springins Gut nominato. Captivi ſimul inter adſiſtentes eorum abducebantur Epiſcopus Mindēſis, & Comes ab Hoja cum plurimis nobilibus. Hæc pugna in eas Lunæburgenſes adegit anguſtias, ut tandem prænominatum Ducem Brunſv. iuxta votum Ducis Alberti Saxoniæ p.m. Dn. Bernhardum, Ducis Magni Iunioris, aut Torquati filium, quem tunc nobiles à Schwichelt, & Steinbergij in arce Poppenburga Hildeshæmenſi captivum detinebāt, in ſucceſſionem Ducatus Lunæburgici admittere, & recipere cogerentur cum mulcta 7000. aureorum florenorum, quibus ex cuſtodia Dux Bernhardus liberabatur.

Iſte iam 20. erat Dux Lunęburgicus, ex quo in cōtinua ſerie manſit huic familiæ illuſtri Ducatus iſte regendus, ut merito titulo Bernhardi primi (licet duo ante eum fuerint Bernhardi ſucceſſores Bennones & Duces Saxoniæ) inſigniatur; licet in ordine uſque ad modernum Ducem optimum Fridericum 38. regentes numerentur Duces.

Octo habuit inter eos Ottones hoc regimen, 4. Bernhardos, 4. Henricos, 4. Wilhelmos, 2. Albertos, 2. Fridericos, 2 Erneſtos, 2. Franciſcos, quorum poſterior Ottonis nomen additum habuit in ordine 31. Dux regens, & Erneſti ex Sophia Ducis Henrici Megapolitani filia filius, qui ex coniuge Eliſabetha Magdalena Electoris Brandeburgici Ioachimi 2. filia nullos poſt ſe filios reliquit, quum tertio menſe poſt obitum ſtatim deceſſerit An. 1559. 29. Maij: ſucceſſores inde habuit duos fratres ſuperſtites, nempe Henricum, & Wilhelmum, quorum natu prior tūc 26. erat annorum, in an. 1533. genitus, iſte alter 24. annorum in an. 1535. profatus.

Ambo iſti fratres ſimul regiminis, & ſucceſſionis ius, ac formam ſubibant; quum vero incommodum id videretur Provincialibus, ne quid diſſidij interjiceretur, aut diſtractionis in hoc ſtatu talis pateretur, conventum eſt inter fratres, ut poſterior natu cōiugium contraheret, qui etiam An. 1561. 30. Octobr. domum duxit Dorotheam, Chriſtiani 3. Reg. Danię filiam quę ipſi numeroſam procreavit ſobolem. Frater vero eius Henricus, ætate maior, quum non ſatis ſibi videretur huic acceptus in præſentia, tædio affectus ex variis moleſtiis, quas ſubibat, inde pœnitentia duci cœpit, & ipſe conſtituit (uti olim eius ſecretarius, poſtea Conſul Ulyſſenſis, vir integræ fidei, & amicus meus ſummus Iohannes Beccerus ſæpius referre ſingula ſolebat) inire matrimonium. Ideoque ſe præter ſpem aliorum contulit Lawenburgum, & cum Ducis Saxon. Franciſci filia Urſula Anno 1569. contraxit nuptias. Quæ res quum innotuiſſet Cellis Duci Wilhelmo, ſtatim ſe oppoſuit ita manu militari ad Albim, ut non poſſet reverti in Ducatum ſuū, ſed via via omnis ipſi cum nova coniuge intercluſa fuit, donec ad requiſitionem ſoceri Ducis Franciſci Sax. eius frater Archiepiſcopus Bremenſis Henricus impreſſionem in Ducatum Lunæburg. faceret, coactis aliquot copiis ex ditione ſua.

Quo conatu hoc effectum eſt, ut per tranſactionem Comitatus Dannebergenſis cum Hitzackero oppidulo, & Luchovio cum ditione Vandalica Dravanorum, & oppido Dalenburgenſi (ubi An. 1616. in itinere ad comitia circuli Lunæburgenſia Legatum agens, ſingulare factum, & obitum natu maioris filiæ Annæ Margaritæ, proh dolor, pertuli,) Duci Henrico Brunſv. adſignaretur, in quo tamen contractu ſibi ius Primogenituræ Ducem reſervaſſe dicebatur. Vixit iſte Dux, ceu placidi erat admodum animi, in adſidua tranquillitate cum coniuge hac ſua, quæ ipſi in hoc ſtatu quatuor procreavit filios, Iulium Erneſtum An. 1571. natum, Franciſcum, Henricum & Auguſtum An. 1579. natum; filias autem tres, Annā Sophiā, Sibillam Eliſabethā, & Sidonīā.

Iulius Erneſtus Dannebergi ſucceſſor parentis fuit, in omni vitæ ſtudio huic ſemper uſq; ad finē vitæ æqualis; quum attigiſſet 66. ætatis annum placide in arce ſua obiit diem ſuum, relinquens unicam filiā, quæ connubium felix cum Duce Adolpho Friderico Duce Megapolitano contraxit, quibus porro Deus benedictionem ſuam in hiſce difficillimarum rerum temporibus turbulentis largiatur, quod ex animo precor. Alter filius huius Ducis Henrici Franciſcus, excellentiſſimo ingenio natus, & litteris addictus acriter, quum degeret Argentorati, ibi in fluvio An. 1601. ſuffocatus non ſine dolore civium omnium, quibus ſingulari erat ob humanitatem præcipuam in amore, periit.

Adhuc in viviſeſt Dux meus ſereniſſ. Auguſtus, in tertio vivens coniugio non ſine optatiſſima prole, cui merito omnes apprecor felicitates, quum & ſucceſſorem D. Friderici Ulrici p. m. in Ducatu Wolferbytanæ regionis ex diviſione cum Agnatis Ducibus Cellenſibus agat. Etenim Dux iſte eſt non ſolum inter omnes Principes Germaniæ longe eruditiſſimus; ſed etiam ſolidæ virtutis, & veritatis in omnibus adeo amans, ut nihil prius habeat, quam ut in hoc decore vivide ſe exercere poſſit; velut nec minus favet litteratis; maxime tamen omnium vere piis, & in ſpiritu Dei doctis patrocinium ſuum clementer largiri gaudet, quum videat, quanti intereſſit inter ſcribas litterales, & eos, qui vere imitamen Chriſti inducere cupiant; uti hinc Beati Arndti Scripta ſacra unice in precio fovet, quæ ſanctæ ipſi iuxta fontem ſacrar. litterarum ſunt oblectationi. In tertio iam vivit coniugio, ex quo dulces in prole amabili fructus ſentit. Quum An. 1623. Dorotheam Rudolphi Principis Anhaldini filiam domum duceret, tali ipſi ſum gratulatus Carmine de nuptiis:

Rerum quæ facies modo ſit, quæ turbida belli
Tēpora nos vexent, miſerū in fluctibus Orbis;
Improba barbaries quā paſſim Teutonis arva
Obruat ingluvie rabida, crudeliter omnem
Divaſtans terram, ſub relligionis amictu
Ut ludat, ſpeciemque novo compriſtinet auſu;
Id non immerito tam deploramus inertes.
Nā ubi priſcus amor patriæ pietaſque parentū?
Priſca fides ubinā? Populꝰ tacet omnis in herba
Dū quærit requiē. Timidis nō gloria quidquā
Nec virtus prodeſt, dum pectora prava pudori
Ipſis ſunt ſibimet: pietatis nomine vendunt
Omnes quidque ſibi, quod fingit opinio fallax.
Hinc tanta, heu, populos diſcordia, ſantus ubique
Seditionis amor reges in bella vocavit;
Quorū armis, quorū inprimis virtute decebāt
Defendi Imperii fines: procul undique pelli
Hoſtes, Teutoniæ ius libertatis ademptum
Reſtitui, ſalvique metu ſurgentis ab imo

Scilicet, inque caput noſtrum ſine more ruentis
Turbinis horrifica poſtquam cecidere ruina
Omnia, quæ mala gens nimia feritate ſubegit.
Quis clades ulturus erit modo, damnave tanta
Chriſticolum? Nonne eſt res plana, ut quicquid ubiq;
Nunc pereat, Chriſto pereat ſoli? impia ſi non
Gens evicta cadat, pia gẽs cadat omnis oportet:
Namq; ut nulla lupis pax eſt & mitibus agnis;
Sic & amicitiæ ratio, ſic iuſque, fideſque
Nulla poteſt inter natos Erebiq; Deiq;
Eſſe unquam: vigeant atriis infeſta neceſſe eſt
Corda odijs, quanquam falſo concordia diſcors
Deſtinet aſſultus illorum, comprimit iras,
Donec ad inſidias rurſum cædemque refecti
Fallaces animos periuraque fœdera vertant.
Hinc ita diſſidij fomes, dum turba potentum
Scinditur in varias diverſo examine partes
Atque alias alijs conferta per agmina voces
Iactare, & iuſſis partim parere recuſant,
Atq; ita effrenes longe prævertere tendunt,
Et quæcunque libet prædari, & vivere rapto;
Partim ſe Ducibus credunt, & ſigna ſequũtur
Quiſq; ſua, & certos pergunt ſociare maniplos.
Non ſecus, atq; arbor nunc his, nunc flatibus illis
Euriq;, Zephyriq; caput depreſſa recumbit
Adverſam in partem, nec robore fulta fatiſcit
Ipſa ſuo, ſed utring; labans, & utring; cadenti
Aſſimilis, tamen una olim peritura ruina
Cogitur hinc atq; hinc parere procacib. Auſtris,
Amittitq; omnes divulſo corpore ramos:
Sic ſimul Imperiũ nutat, tremit, atq; vacillat,
Interitumq; ſui nimis omni ex parte minatur.
Nomine Germani ſumus: ad quid pectore forti
Memmonis famuli; quos neſcit gloria patrum.
Sed quid ego hæc? ſit ſat tantos ex ordine caſus
Narrabunt alij, qui fœdam evadere cladem
Incolumes potuere, licet vix unus & alter
Romani inſidias niſus vitarit, & arma
Forte relaturi quoq; ſint nunc ultima plures.
Ac licet ipſe etiam videam reſtare ſuprema,
Non tamen hinc penitus Ihovæ ceſſiſſe favorẽ
A nobis credam, tot quum iam pectoris acres
Inter triſtitias cernamus gaudia lecti
Colligier nuptis pluſquam præluſtribus orta
Qui genus heroum ſupremæ à ſtirpe trahentes
Inter ſe coeunt Caleſti cordis amore.
Incluta Guelphorum quis neſcit nomina tot iam
Nota prius ſæclis, magnis auctoribus orta?
Quorum tot populi longe lateque labentes
Imperio ſuberant mille Urbes, millia multa
Pagorum, qua Rhenus agros claro æquore inundat,
Quaq; Albis molles denſo ruit agmine arenas,
Queis toties Sceptroque manum, & fulgente Corona
Ornarunt frontem proceres, magnis ſimul ipſi
Regibus æquales, horum dextraque ſideque
Seque ſuoſque ratum defenſum fortiter iri,
Sicq; nomen Imperij tuto conſtare loco rem.
Nec minus Aſcaniæ quis neſcit lumina ſtirpis
Quæ ſibi perpetuumq; decus, laudemq; pararũt
Egregiũ, & ſanctam per quævis ſecula famam?
Nonne Duces toties ſimul ex his patria legit,
Summisq; Heroes verum præfecit habenis?
Qui bellare manu, libertatemq; tueri,
Pro patriaq; mori ſtudiis ſunt grandibus auſi.
Scilicet egerunt hoc auſis fortibus omnes,
In ſobole ut pietas, virtuſq; vigeret avita,
Et nati meritis imitamina ſemper haberent.
Conſilio eventus reſpondit, quando Nepotes
Cognita avorum eadẽ tulit ad faſtigia virtus.
Iudicio me vera loqui ſat cernitis omnes,
Iucundi populis ceu vivunt undique ſponſi,
Inprimiſq; Deo gaudent ſe mente ſerena
Dedere, ne quiſquam ſit formidabilis ulli,
Seu candorẽ animi quis fors ſpectaverit, ipſum
Seu veri ſtudium, & ſurdas mendacibus aures,
Seu pronos veniæ quærat, facileſque precanti.
Hinc ſe laudatur, cordi ſua quæque futura,
Et nuptas prolemq; domoſq; & prædia & agros
Vitæ etiam, & famã, ceu clamat quiſq; bonorũ.
Tum ſubiectorum quoque iis pia vota beatos
Exoptant thalami ſucceſſus fœdere longo,
Ut ſidi innumeros animi ſocientur in annos
Et mox Guelphiadũ claro de ſanguine ſurgat
Incluta progenies, qui mõſtrẽt germina Regũ,
Ac pacem Patriæ felici numine curent.
Salve igitur Virgo Aſcanidũ pulcherrima, ſalve
Celſum Auguſte tuis Princeps decus addite Guelphis,
Salve, & vive tuis Dux Auguſtiſſime terris.
Vobis ſuccedant conamine ſingula fauſto,
Et teſtes laudis, teſtes pietatis avitæ
Det Deus, optati quo pignus amabile lecti
Creſcat, & amborum ſera poſt acta ſenecta,
Producant longæ felicia tempora vitæ.
Ihova etiam ſtimulis qui pectora verſat amantũ,
Curarum expertes jubeat procedere noctes,
Mutuus extremum comitetur ut ardor in evũ
Semper, & alterius grato flagret alter amore:
Idem animus ſit utriq; eadẽ ſit utriq; voluntas,
Nec veſtrũ inter vos, quid ſit diſcordia, norit
Alteruter: ſed lite torus ſine ſentiat ambos
Degere perpetuam nota inter gaudia vitam.
Ipſe etiam Divum Genitor, quas undiq; dites
In veſtros effudit avos, effuſior in vos
Pergat opes opibus large cumulare vetuſtas,
Imperiumq; ptũ, quod dehinc percellere nulla
Vis queat, immotũ ventura in ſecula firmet.

Quamvis hoc coniugium non ultra 11. annos diuturnum fuerit Optimo Duci, tamen felix ipſi ceſſit in progeneratione prolis maſculæ, & fœmineæ. Quũ in legatione aliqua Hamburgi cõmorarer, & mihi, An. 1625. natus filius, & 3. Julij ſacro Baptiſmate ini-

tiato-

tiandus, nunciaretur, hoc carmine gratulatus ſum lætabundus ſtatum huic Duci de tam optato gaudio:

Hoc hoc illud erat, quod cernere latior olim
Optabam totties, tibi quum celſiſſime Princeps
Ad thalami munus ferventia vota precarer,
Ut tandē ad cunas quoq; ferrem carmina lata.
Audivit cordis ſuſpiria Iehova ſupremus,
Et velut hanc famam retulit gratiſſimus ipſe
Nuncius inde mihi, ſtudui quod noſcere pridē,
Gaudia ſic certe concepi pectore toto.
Non igitur potui quid diſſimulare canendo,
In medio cladis cumulo, belliq; tumultu,
Omnia dum fervent armis, & triſtia paſſim
Tempora diſtorquent animos hominūq; furores.
Vix eſt, quod pietas ſua tam veſtigia noſcat
Amplius in terris, ita tota Eccleſia Chriſti
In partes diſſecta ſuas langueſcit ubique,
Ut prope nil ſapiat verbi cæleſtis origo,
Hoc niſi barbaries commiſceat Ethnica turba.
Annon hinc merito duris nos Iehova flagellis
Concerpat? ſtupidos compellat ad oſtia vitæ?
O væ quam metuo, ne vis Babylonica gentis
Libertatē omnem patriæ ſua ſub iuga mittat!
Unde ita deformis quaro ſolatia luctus,
Inque dies lacrumas deſerti fluminis undis
Miſceo, luce novans miſeras è nocte querelas:
At ſpes ſancta tamen ſupereſt, non protenus omnem
A nobis penitus curam abieciſſe Iehovam,
Inter difficiles clades dum gaudia tanta
Dividit in domibus Regum tam prole beata,
Ne prorſus nobis omnis ſpes excidat exſpes,
Confundatq; nimis nos deſperatio diſcors.
O Reges, procereſque beati, agnoſcite cauſam
Iehovæ commiſſam vobis, & dona favoris
Cæleſtis vero dignoſcite nomine pacis!
Nec deſint ſocii, per quos Reſpublica ſubſtat.
Ingentes etenim demens diſcordia gazas
Diſſipat, atque urget diviſis hoſtibus hoſtis:
Exiguum felix auget concordia cenſum,
Unitoq; pavens mox aufugit hoſtis ab hoſte.
Interea Tu excelſe puer, ſpes aurea Matris,
Creſce tibi, Domuique tuæ, divoque parenti,
Ut tecum nobis felicia tempora creſcant,
Atq; optata diu redeat pax optima terris.

Cernat quivis hæc æquus cenſor, & iudicet vere, an non vere tot cladium, & damnorum in hiſce tumultuoſiſſimis temporibus, quæ ſatis tunc prævideram ex tanta negotiorum cognitione, prænuncians vates fuerim? Nec tamen adhuc cauſa mali recte curatur, adeo omnes in pervicaci malitia deſipere pergunt. Verū (redeo ad hiſtoriæ ſeriem) alter in hoc cōiugio principis huius natus filius eſt Rudolphus Auguſtus quē ſequitur Chriſtianus & alii liberi, velut ulterius ac in ſequenti cum Ducilla Megapolitana fœcundū habuit Dux iſte Matrimonium in utriuſque ſexus liberis, quibus Deus ex cælis ſuam multiplici miſericordia adiiciat benedictionem, ut patriæ & incolis cunctis ſint in futurum ſaluti, & ſibimetipſis in pietate fideli æternum cum honore quærant gaudium. Sed iam quoque ad priorem Wilhelmum Ducem Brunſ. Cellens. revertimur qui & ipſe in potiori felicitate cōiugii iuxta prolis numeroſitatē vixit. Quippe Dorothea eius regia illum 7. filiis, & 7. filiabus ex ſe progenitis beavit dulciſſimis. Inter filios primus erat Erneſtus, qui ſucceſſorem parentis egit per aliquot annos, hūc inſecutus eſt Chriſtianus, An. 1566. die 7. Novembr. natus, & poſtea per annos plures gubernator Ducatus & hæres, qui ſimul Epiſcopus fuit Mindenſis; ac quum mortuus eſſet, ſucceſſorem habuit fratrem Auguſtum, die 18. Nov. An. 1568. natum, quum tempore regiminis ſeniorem ex reſpectu Ducis Auguſti Dannenbergenſis dicebant, ſed mortuum hunc An. 1638 regimine excepit ſuo Dux Fridericus quartus natu filiorum in anno ætatis 64. quum An. 1574. 28. Auguſti in lucem eſſet editus qui adhuc gubernacula rerum tenet in hoc Ducatu, ut merito boni illi omnes proſperitatis, & incolumitatis vota adiiciant, quum pius, & certe candidus in tranquillitate omne vitæ tempus hucuſque peregerit, nec uſpiam affectarit quid mole ſua gravius mumus, velut & idem in Archiepiſcopatu Bremenſi cōprobavit, ubi presbyter à tot annis optimus eſt ſalutatus. Quintus autem Wilhelmi Ducis filius extitit Magnus, qui ante annos plures in vivis eſſe deſiit. Sextus vero Dux Georgius, ex quo Ducatum Grubenhagenſem ab anno 1615. in poſſeſſionem traditā accepit, laudabiliter gubernationis molem ſubiit, & ex coniuge dilectiſſima Domus Haſſiacæ Darmſtatenſis quatuor filios, Chriſtianum Ludovicum, Georg. Wilhelmum, Iohannem Fridericum & Erneſtum Auguſtum cum filiabus dulciſſime fovet. Septimus autem Wilhelmi Ducis filius Iohannes iampridem in ætatis primula parte obiit, ut iuxta pacta primogenituræ nunc Fridericus laudabiliter gubernationem ſubierit, cui etiam optimas in hoc ſtatu merito comprecamur Reipubl. partes.

Revertimur hinc ad ipſam Lunæburgenſis Civitatis faciem, quæ per aliquot ſecula, ubi maſculus animus ipſis fuit in conſpectu pro commerciis Urbis tuendis ſerenior, ſatis competenter floruit, adeo ut ipſe ſæpius in cōventibus Hanſeaticis audierim magnopere huius Magiſtratus celebratam induſtriam, & publicæ rei curam alacrem. Ac ne quid præterea, quod præ reliquis in quovis ſtatu regiminis ſummā ſibi vendicat laudem, hoc maxime hoc commendādum cerno, quod pluſquam ſeduli in prioribus annis fuerint in iuvenilis educationis cultura. Scholas itaque ſuſtentant duas unam ad D. Michaelem, alteram ad D. Iohannem, ut in pietate vera, & eruditione ſolida filii civium recte informentur. Fuit ibi nō tantum Lucas Loſſius, ſed etiam vir optimus D. Maverius, quorum hunc non immerito in litteratura firmiori præpollentem iudicant, bene rem Chriſtianam intelligentes.

Extant eius poemata in laudem huius urbis non inſcite conſcripta, quę interdum nō ſine admiratione legi, quum in iis deprehenderim quædam occultata, quæ ab aliis, & obiter ſaniora diiudicantibus, cerno nullatenus recte obſervata: Inter eius manuſcripta inventum eſt quoque ſequens carmen, quod ſatis exempli loco eſſe poſſit in reliquis, quod in hūc tenorem ita ſe habet, unde eo gratiorem viri huius famā ſemper ęſtimandā vere doctis, & piis propono.

Ευσεβῶς ἀκεῖν θεῷ χαρίεσσον ἔοικεν.

Est pietate Deo non quidquam gratius unquã.
Unde bonis semper volupt' est animis, levamẽ,
Vera quibus pietas cordi est, & Calica virtus,
Si videant passim cælesti luce juventam
Affundi, verboque Dei innutrier almæ
Mentis, & hanc donis lætas florere per urbes.
Omnes, quos vanæ Sophiæ spes lactat inanis,
Quæ saltem clangit distorta Noemata mundi;
Quum regnum Christi nil quã cælestia poscãt,
At quod quẽq; suũ decet hinc extẽdere cursum.
Si sint, in tenebris qui forte ætate peractâ,
Talia non cernant oculis; haud vivere dicam;
Quum patrio, & proprio moribundi in funere
spirent.
Dotibus ingenij non saltem quisque politur,
Cura sed est animæ longe divinior illis,
Mortua quã possit præstare hanc littera nobis.
Quod Sophiæ habitus talis ratione profana
Vendit pro studiis, est futilitatis amator,
Ad Pauli vocem, quem Iehovæ Spiritus horret.
Fac tu concluſum: concludit opinio fallax.
Hoc num sit sanctũ, quod multa sacraria novit
Christi, diem vano vendit delubra somno?
Unica lux Christi sapientes reddit amicos:
Cernimus hoc etenim nos vero in lumine lumẽ
Quod tũ quisq; velit, iactet per templa peranes
Forte suos habitus; iaciat iactetque per orbem
Magnificos habitus sophiæ quoscunq; profanæ:
Talia non novit tenebrarum nostra Iehovæ
Spiritus in verbo, quod Christi lumen adorat.
Dictator Cæli non certe carnis amictu
Incedit; sunt dona huius cælestia prorsus,
Queis adeo ipse suos perfundere novit amicos:
Non Iehovæ reliqui, sed florent Ditis amici,
Qui non in Christo sapiunt sapienti Iehovæ,
Sed potius sapiunt sibi Græcorum Entia vana.

Eiusdem quoque sententiæ olim erat vir optimus Dn. Samuel Trencelius, poeta & Orator perquam eximius, quum professorem Ethices in Academ. Iulia An. 1617. ageret, quod illustris eius quoq; oratio de concordia, admodum pie cõscripta, testatur. Etenim non partũ seductionis id iuvẽtuti obiicit, quod tam strenue contra conscientiæ studium in profanitate gentili educentur, nec unquam nisi parergũs in sacra informentur scriptura; unde potius disputabiles in opinionibus vanis, quam in dilectione Dei & proximi ad sanctam vitæ praxin adsuefiunt tenerorũ animi, & ita pertinacius fascinãtur temere quã quod ad verum Christianitatis officium, quũ potius semper profana, quam vere pia sapere quisque adamet, revocari unquam per totum vitæ spacium queant. Maweri igitur exemplum pluribus optarem. Luneburgenses tamen non minus eius curam pleniorem, & accuratiorem gerere in scholis suis videntur, quũ ut plurimum ijs præficiant tales, quos in vitæ pietate probatos noscunt Rectores, quos nec facile deserũt, ut Magistratus in colenda virtute, & vera, non fucata litteratura suam demonstrent constantiam; In senatu autem potissimas partes sibi semper vendicarunt ex patritiorum genere nati, quum ex salinarum commercio hanc dignitatem sibi debere adfirment propter mutuam cõnexionem, ut aliqui eorum mihi ante biennium adhuc in tumultuoso eo tempore id explicarunt.

Inter eos sunt familiæ non ignobiles, sed virtutibus avorũ præcipue clari; velut sunt Witzendorfij, Schumackeri, Tobingij, Elvert, Borcholdi, Dasselij, Molneri, Laffardi, Düsterhopij, Stoterõsij & alii plures qui longiore possent deduci serie. Isti omnes ex salinarum vivunt proventu, unde & perquam scito ordine omnia disposuerunt, ut labores omnes in coquendo sale, tam nocte, quam die recte absq; ullo defectu à singulis ministris expediantur. Omnes salmosæ aquæ ductus in unum confluunt fontem, ex quo per operarios adsidua cura absque ulla interruptione in casas singulas aquæ istæ distribuuntur, & in plumbeis coquuntur vasis, quod miraculi instar multis videtur, nec rectius salis huius digestio fieri potest, nisi in plumbeis illis vasis. Casulæ autem 52. numerantur, ut inde ratio proventus facile concipi possit, quem ultra binas auri tonnas extendunt. Etenim plus, quam decies circiter spacium 24. horarũ cotidie evacuantur vasa à cõcocto sale, ut toties nova aquatum fiat infusio, nec ulla quies aut cessatio fit opere adsiduo. Bona autem salinaria duplici maxime modo se habent, ut & Emphyteutica, & hæreditaria habeantur. Attamen ad eorum perceptionem nemo antehac permittebatur, nisi per splendorem, Bacchanali tẽpore adornatũ, esset habilitatus satis, qui actus singulari festivitate tunc celebrabatur, variis non tantum maskharadarum inventionibus, sed etiam cogebantur primitiatores equis paribus insidere, qui vas oblongum, lapidibus implerum, & cuneis bene complicatum, per totam urbem cursitando secum pertraherent. Res autem ludicra quum nõ careret periculo, & aliquot in eo lusu occumberent, non amplius in eo est usu, velut olim. Lusum qui hũc peregissent, in numero equestri sunt habiti, & prærogativa illis attributa fuit cum aliis, qui salinarum usu fruuntur. Inde ita splendide vivunt patritij istius ordinis homines in utroque sexu, ut etiam non raro incurrant apud cæteros cives odium, quorum & ipsi fastidio sæpius affi. iuntur, quæ æmulatio mutua gignere solet discordiam non levem, præsertim quum isti à suis ceremoniis excludant maximum civium semper numerũ adeo, ut nec proximos plurimi præ insolentia curẽt vicinos, si quid in festivitate nuptiali, aut similibus perficiatur, quod adeo mordet populum, ut nunquam non indignãtia apud eum summa animadvertatur, velut & pro singulari proverbio id ibidem foveatur, ut ille, qui non in album cognationis patritionalis (vulgo das Weschenbuch:) sit relatus, non habeat respectum inter eos. Quid vero talis fastus inter pares Civitatum iuratos causset, id eodem in casu ferme, qui Halæ An. 1478. acciderit, sat lucidis verbis & notabilibus describit in *Chron. suo de orig. Sax. Lib. 1. pag. 785. Georg. Fabr.* uti de civitate ea in suo loco relatum est. Nec à motu suo toties defuit hæc optima civitas propterea, quum alias inter Hãseaticas & Vandalicas potissimum, non ultimum defenderit per tot secula locum, uti ex superioribus patet, quod etiam expeditionibus tam maritimis, quã terrestribus semper suum adiecerit luculentum satis Symbolon.

Accidi

Accidit tamen Anno 1619. quod cives à patritiorum genere discordes, eorum insolentiam etiam in Magistratum cõferre inceperint, quum inde excluſi essent, & tamen alia causſa subordinata fuerit, unde seditio orta est inter cives, Patritios & senatum. Quomodo autem tumultus se habeat, & quam variis ventilationibus prejudicialibus expositus fuerit, seseque in immunitatis suæ amissione alicubi præcipites dederint, non rectius, quam ex ipsa transactionis specie sub dato 16. Martij desumi, & diiudicari poterit. Ad implorationem incaute factam, ex optato ita se interposuit Dux Christianus, ut post causſæ cognitionem utrinque habitam, compositio non sine gratiosa adsumptione civitatis ita sit facta, uti sequens forma docet, & plenius in circumstantiis declarat.

Nos seniores communis civium Universitatis in Urbe Lunæburgensi omnium tribuum hisce notum facimus, & confitemur pro nobis, & omnibus posteris nostris coram singulis: postquam inter honorabilem senatum Civitatis Lunæburgensis, inter tribus, & nos lis & dissidium exortũ est, & Reverendissimus Illustrissimus excelse natus Princeps ac Dn. Dn. Christianus electus Episc. Mindẽsis Dux Brunsvicensis & Lunæb. noster Clement. Princeps ac Dn. tales causſas per Cels. Ej. deputatos ad id commissarios in Cœnobio Lunensi audiri curavit, ac sequenter utramque partem in propria persona clementer, & ceu Pater Provinciæ Cellis ipse audivit, nec non eiusmodi discordias, mediante interpositione spectabilis Principalis authoritate, etiam clementi divina benedictione, placide composuit, & transegit iuxta modum, uti de verbo ad verbum recessus ipse sequitur:

Sciendum hoc, quum inter venerandum senatũ, & honorabilem civium universitatem civitatis Lunæburgensis plane ex insperato periculis plenæ simultates, & dissensiones exortæ essent, quarum amicabilis compositio per spaciosum tempus hucusque primitus inter privatos parietes, postea ex submissa tribuum, & dictæ civium communionis imploratione coram Reverendissimi, Illustrissimi & excelse nati Principis, ac Dn. Christiani, electi Episcopi Mindensis, Duc. Brunsvicensis & Lunæburgens. ad id deputatis commissariis 11.12.13. & 14. Febr. diebus nupertimis in cœnobio Lunensi, admodum diligenter tentata quidem, sed beneplacitum assequi non potuit, nihilominus C. E. ob multos respectus, & causſas, non consultum putavit, in ultimis hisce, alias satis diruptis temporibus, & mundi cursibus, tales dissensiones ulterius distractionibus infixas relinquere, ac propterea ex Provinciæ paterna, beneque affecta providentia, & inclinatione ambas partes, prævia citatione facta 11. huius, & sequentibus diebus in propria persona porro heic in Cellis sufficienter utrinque audivit: Quod hinc C. E. mediante laboriosa interpositione excelse spectabilis Provincialis Dignitatis, & Authoritatis, cum partis utriusque libero arbitrio bono amicabiliter composuerit, & transegerit ita, & hoc modo.

Quod etiam ũ venerandus senatus non parum in emissis scriptis ipse, & eorum maiores in regimine civitatis iniuriose impetitus sit, tamen senatus talia omnia in E. C. submissum honorem, pro indicatione animi pacifici, remiserit, & concessa voluerit; attamen seniores apud cives incessibilem procurationem conficere velint, & debeant, ut venerandus senatus, & successores eius in regimine civitatis ab iis civibus debite respectentur, & suis inservientibus pennæ acrimoniam interdicant, etiam ipsi ab omni gravi, & prævaricato sermone, actioneque se penitus sub pœna corporali abstineant; ac, quando competentia gravamina se habere putant, cives iuxta modum antiquæ cõsuetudinis per dictos seniores cum venerando senatu in decenti modestia componi sinant; etiam consules, & senatus talibus gravaminibus, quoties petitur, absque ulla protractione iuxta æquitatem finem imponere, aut à C. E. & eius successoribus in regimine civitati ad id faciendum imponi sinant, & debeant.

Deinde & pro secundo quum iuxta circumstantiarum indicationes concepta diffidentia exinde exorta sit, quod communitas civium ex antehac consentito centeno obulo ulterius prægravari voluerit, & tamen communitas civium putet, talem contributionem non amplius necessariam esse, sed civitatis communes proventus absque tali additamento per se facile ad omnes expensas quasvis sufficere; inde senatus venerandus in hoc dispositus est, & perductus, ut in honorem Principalis dominationis, eiusdemque gratiam talis contributio plane abrogata sit, velut & senatus se declaravit, quod cuncta vetera debita ex communis civitatis proventu exsolvi queant, & debeant, ita tamen, si quid in posterum, excepta necessitate extrema sit exsolvendum, quod id iuxta Cels. Ej. & eius successorum in regimine arbitriũ fieri debeat, quomodo nempe huius rei causſa communitati civium collectæ sint imponendæ; at hæc impositio saltem in periculosis temporibus istis defensioni communis civitatis impendi debeat; interim tamen pro sublevatione civium, eorumque onerum in alia via iam remedia sit inventurus, quam venerandi senatus declarationem, & subministrationem civium deputatio pro summa gratia acceptavit, seseque obtulit, quod si in posterum Imperii Circuli Principissæ elocandæ, velut etiam nuper Ducis Dannenbergensis filiæ, ac iam currentis tripli, aut similium quid contributionum consentiretur, vel quoque extraordinaria onera solvenda forent, se tunc libenter absque ulla cunctatione talia realiter persolvere velle: nec non illas in comitiis provincialibus placitas, & moderatas, iamque expositas impositiones (vulgo Impoſten) iuxta transactionem inter I. C. E. & venerabilem senatum factam pro derogatione 7500. Imper. thal. ab incolis civitatis Lunæburg. liquidissime persolvi debeant. Ubi tamen communio civium sibi reservavit, quod una cum venerabilis senatus deputatis ex eorum medio 4. viri adsidere collectioni, & erogare talia locis debitis, senatuique rationes competentes præstare velint ac debeant.

Tertio communio civiũ iam ipsa cõperit, quod à venerandis maioribus regimen civitatis bene constitutum sit, nec in eo absque metuenda corruptione, & aliis magnis periculis cõmode ulla mutatio admitti possit: propterea illa iam, & in futurũ, donec corã I. C. E. & eiusdẽ posteris in gubernatione tantũ

uſque deducatur, ſufficienter documentetur, & ab I. C. E. ex iuſtis certis cauſſis complacitum fuerit, quod in hoc aliud ſuſcipiendum, ita ut ex eo intuitu aliud quid, priuſquam hoc cognitum ſit, communio civium ab omni proprii facti reformatione abſtinere velit, & debeat id ſervare, nedum quod venerabilem ſenatum in civitatis regimine, & adminiſtratione ſalutaris Iuſtitiæ, proventuum, & utilium ac neceſſariarum adhibitionum ad civitatis proventus, & communis civitatis privilegiorum, Iurium pro conſervatione in & extra civitatem conducibilium, ac placitorum eius, in nulla via & modo moleſtare, aut turbare, & communio civium nequaquã dubitare velit, quin venerabilis ſenatus iuxta eius oblationem, & impoſitum graviter iuramentum omnia ſit præſtiturus, ut ipſe laudem, & communis civitas ſingularem utilitatem, commodumque inde reportet, etiam adminiſtrationis ſuæ rationem omnimode erga Deum reddere queat. Velut etiam totus ſenatus, & cuiuſque ſenatoris hæredes, & poſteri, ſi huius rei cauſſa, aut mox, aut in futurum defectus ſe quis prodat, iuxta iuris modum ſatisfacere, atque civium communioni per ullam ſenatus conventiam nihil oneris accreſci, aut imponi debeat, promiſerunt.

Econtra & quarto venerabilis ſenatus ſe obligavit, & obſtrictum effecit, quod communis civitatis proventus, quantum abſque aliorum hominum damno, & detractione fieri poteſt, per approbatam venditionem aliquid immobilium bonorum, quibus commode carere, aut quæ abſque damno non retineri queunt, in alia via ſummo cum ſtudio, & poſſibilitate meliorare, propter Salinum abſque E. C. & intereſſentium conſenſu cum Electore Brandeburgico, aut aliis nullos præiudicii contractus inire, aut iam confectos ulterius extendere, unicuiq; Eccleſiaſtico, & ſeculari ſtatui ſuum, maxime autem templis, & Scholis, Hoſpitaliis, eorumque miniſtris ſuum debitum abſque mora in debito tempore ſolvendo exhibere, talibus Dei, & paupèrum ædibus nihil derogando imminuere, aut imminui permittere, ſed potius iuxta tenorem E. Celſ. politicæ Ordinationis efficaciter ea adminiſtrare, Scholas mediante bona inſpectione in meliorem ſtatum redigere, & conſtanter in eo conſervare, nulla debita ulterius cauſſare, ſed iuxta conditionem civitatis iam pridem ex confectis debitis eam exonerare, cõmunem civitatem pro poſſibilitate omni liberare, in eum finem omnes expenſas in melius contrahere, quodcunque bona communia concernit, inventatione notare, regiſtraturas plene & ſpecificè conſervare, iuxta conſuetudinem earum rationem reddere, & quando ratificatæ inveniantur, in adſervationis iuſtæ locum, ubi 4. ſeræ appendi queant, quarum claves duo Conſules ſeniores, & duo ſeniores ex numero ſenatorum plebeiorum ſenatores ſoli adiervent, in civitatis ſecuritatem una cum inventariis, quietantiis, & aliis in iis allegatis adiectamentis, deponere, etiam ſingulis annis, ſimulac ratio quoq; reddita eſt, pro avertenda omni diffidentia, mediantibus tribuum magiſtris, cereviſiæ coctoribus, & Cageliani Collegii fratribus, ex eorum ſingulorum numero, & ſtatu duos ſeniores conſulum, tribunorum, cereviſiæ coctorum Cagelianorum fratrum in communem ſenatum, aut eius deputatos vocare, iis poſt præſtitam fidem iuramenti loco, tales res, utpote quæ arcana civitatis concernant, ne divulgentur indebite, ſed ſecretim contineantur, in ratione reddita explicare, & neceſſariam interpretationem ita exhibere, ut propterea acceptandæ habeantur, & bona recte adminiſtrata civitatis iudicentur, nec ſolum uſuræ, & alia debita, ſed etiam ad id iuxta communem civitatis proventum exoluta, atque ulterius exolvi queant, & debeant, etiam cui in ſpecie ſit quid exſolvendum demonſtrare velint.

Quod ſi vero inter utriuſque partis Deputatos diſſidia inde exoriantur, quæ inter mœnia componi nequèant, tunc penes Ej. Celſ. arbitrium diremptio æquitatis erit, quomodo iuxta invèntionem cum rationum redditione ſingulis vicibus procedendum; interim ſalubrem iuſtitiam ipſi abſque mora, & partialitate cuivis adminiſtrare, iudicialem ordinationem revidere, meliorare, nec minus cauſſas litium, quo ad poſſe, placide componere, aut longas operoſaſque ſupplicationes, ac proceſſus arctius contrahere, proceſſus ipſos ad paucitatem dirigere, in decretis cauſſis ſententias abſque dilatione publicare, omnem inſolentiam, & corruptionem mediante reviſione ordinationis politicæ abrogare, ſub pœna inhibere, & conſtanter obſervare, delicta ſine reſpectu perſonæ punire, etiam pro avertione omnis diffidentiæ ſingulis vicibus 5. perſonas ad minimum ex numero civium in ſenatum elevare, etiam tales quinque ſenatores ex medio communium civium non minus, quam patritios ad numerata officia cõmunis civitatis, eiuſque proventus promovere, eoſdemque apud rationem communi civitati reddendam tolerare, ipſis etiam æqualem honorem, & reſpectum non invidere, deſcriptionem civitatis privilegiorum coram 6. conſulibus, & ſenioribus intra 11. ſeptimanas, uti rogatum eſt, communicare, collegiis, & tribubus ſua privilegia, tribuum litteras, iura, & conſuetudines ſervare, cuiuſque tribus gravamina, quamprimum experiri, æquo modo abrogare, ad venerabilis ſenatus ſervitia, incolas, & eorum filios, ſi ſint idonei, & apti, extraneis præferre, ſtipendia, quæque alias ad liberales cauſſas deputata ſint, incolis præ extraneis applicare, nullum civium, aut civis filium nocturno tempore, aut etiam ad exteros tradendum, ſi cauſſa criminalis, aut ita qualificata, ut commode ad capturam progredi poſſet, & periculum fugæ ſit, in carcerem abducere, victum civium in Albi fluvio, etiam per manutentionem ſtapulæ, & prout in omni via Iuris fieri poſſit, quam optimo modo promovere, fœdera, aut magna ædificia capitalia abſque præſcientia præcipuorum, & rem intelligentium ſeniorum inter cives, quorum electio ſingulis vicibus penes venerabilem ſenatum erit, non ſuſcipere, omnia perniciosa monopolia ſevere abrogare, neminem, qui ſanguine proximo alteri agnatus ſit, in ſenatum eligere, aut excipere, atque tam in hoc, quam in omnibus aliis viis bonum civitatis commune publice, & privatim cum ſumma & accurata diligentia curare, & promovere, quam oblationem communio civitatis ſingulari gratia acceptavit, & econtra promiſit, quod iuxta præſcriptionem divini, & mundani iuris, ex tenore civitatis, & tribuum iuramenti ac obligationis venerabilem ſenatum reſpicere, nulla conventicula inter ſe contra ſenatum inſtituere, aut ad eorum procurationem colla-

colludere, ſed quando putabunt, ſe nimis oneratos, tunc iuxta morem antiquum ſeniores civium, qui etiam in eum finem à iuramento eouſque ad hunc actum his abſoluti erunt, advocare, & ſubſtituere, ut venerabilem ſenatum cum decéti modeſtia pro abrogatione gravaminum conveniant, ac commodam ſeſſionem et abrogationem expectent, etiam in ea acquieſcant, aut in caſum contrarium Provinciæ principi eandem abſque non neceſſaria exacerbatione, aut ullius extranei attractione ſubmittant, in eiuſq; procurationem acquieſcant, ac interea non minus venerabili ſenatui omnem debitum reſpectum exhibere, ab omni proprio iudicio, & reformatione abſtinere, contra venerabilem ſenatum in nulla via cõpaciſci, aut alios ſibi ad adſiſtentiam adiungere; ſed in hoc, & aliis modis erga venerabilem ſenatum, velut erga ordinatum, & à Deo præpoſitum ſuum Magiſtratum honeſtos cives, & ſubditos decet. & competit, etiam pro impetratione divinę benedictionis, & gratiæ, proque incremento cõmunis civitatis, ac propagatione ſemper durantis pacis ſe realiter præſtare velint.

Quod ſi vero quiſpiam his ſe opponendo quid contrarii tentet, tunc vult, ac debet ſenatus contra eum, aut ipſe iuxta iuris ordinem abſque mora procedere, aut, ſi ſenatui minus placeat, hunc, auctoreſve Ej. Celſ. & eius poſteris in regimine abſq; mora, & interdictione extradere, unde tunc contra eoſdem, velut id iura exigunt, procedi debet, ut ſic ſemper durans tranquillitas in bono regimine civitatis, quæ omnibus reliquis civitatibus amabilis imago admirationem ſalubrem fuit, & adhuc eſt, in communis civitatis vigore, incremento, & accretione, mediante ſevera inſpectione, conſtanter conſervetur, velint etiam in hunc finem, ut id rite fiat, E. Celſ. & eius poſteri in regimine abſque ulla conniventia, ſeveram coactionem obſervarum volunt & cupiunt.

Atque propter hoc omnis diſſenſio, rancor animi, quem forte una pars erga alteram concepit, totaliter caſſatus, & utrique parti ſevere impoſitum eſto, quod prior totius cauſſæ adverſantium curſus totaliter ſublatus, & tam uni, quam alteri parti iniunctum eſſe debeat, ne ulla verbis, factove, clam aut palam ſub ullo aliquo prætextu in æternum mentionem eius faciat, aut vendicare cogitet. Atque hoc omne fideliter, & abſque damno ſervetur. In huius rei notitiam iſti receſſus ſub Ej. Celſ. manu, & principali ſecreto cerni æquiſonantes erecti ſunt, quorũ unum exemplar venerabili ſenatui, ſecundum Salinæ Magiſtris, tertium ſenioribus communitatis civium traditum eſt et etiam tam à ſenatu, quam à collegiis Salinæ Magiſtrorum, & reliquis tribubus ſub civitatis eius, Collegiorum & tribuum ſecretis reverſales extraditæ, & Celſ. Ej. exhibitæ ſunt, quod ipſi eorumque poſteri omni huic, quod ſuperius poſitum eſt, in ſingulis clauſulis, punctis & argumentis, quatenus ea ſpectat, conſtanter, fideliterque obſequium præſtare velint, & debeant. Quod factum Celle 13. Martij, Anno Chriſti Mediatoris, & Salvatoris noſtri 1619.

L. S.

Chriſtian. mpp.

Quod propterea promiſimus, & polliciti ſumus, velut etiam id hiſce, inque vigore harum litterarum ita, & ea ratione, quod id omne, uti ſupra ponitur, quantum nos, noſtras perſonas, & poſteros in noſtris tribubus concernit, in omnibus, & ſingulis pũctis, clauſulis & argumentis conſtanter, infrangibiliterque ſervare velimus, atque noſtri poſteri in noſtris tribubus debeant. ſub veris verbis noſtris, fide & fidelitate, omnia fideliter, abſque periculo valeant; in rei teſtimonium, & infrangibilem ſervationem has reverſales tribunum noſtrarum ſecreto confirmavimus, quod factum 16. Martij in Anno à Chriſti noſtri redemptoris, & ſalvatoris nativitate 1619.

L. S.

Quam devii à priſtinæ libertatis ſcopo heic boni Lunæburgenſes per internum motum facti ſint, non tantum ex his inductis apparet, ſed ipſi etiam toties aliis factis, & actionibus à civitatum ſocietate alienis id comprobarunt, ut poſtea patebit. Quum autem cognitionem litis ſuæ Principi ſuo ſubmiſiſſent, communio civium gravamina contra ſenatum Ej. Celſ. ad dignoſcendum exhibuit: Quæ & quales fuerint, ex ſubſequenti diiudicatione principis apparet, cuius verba in translatione ex Germanico ita ſe habent:

Notum ſit, quod ſeniores ex communitate civiũ civitatis Lunæburgenſis nonnulla ſeparatim particularia gravamina exhibuerint, ac Revendiſſimus & excelſe natus Princeps, ac Dn. Dn. Chriſtianus, electus Epiſcopus Mindenſis, Dux Brunſv. & Lunæb. cum honorati & prudentis ſenatus ſuæ Celſ. Civitatis Lunæburgenſis heic preſentibus iam deputatis, & ablegatis neceſſario communicari curarit, quomodo & qua ratione illis ſanatio fieri queat, ut ita non tantum inter ſenatum, & communionem civium melior mutuæ voluntatis affectio, ſed etiam tribuũ Collegia in communi, & unumquodque in bono ſtatu conſtanter conſervari poſſet, quumque gravaminum conditio ea ſit, ut partim mediante Ej. Celſ. partim autem honorati ſenatus auctoritate, & manutenentia ſalis commode abrogari valeant: Quod proinde Ej. Celſ. in gratia eouſque ſe declararit, ſe omne illud, quod propterea in eius publicata politica ordinatione, aut aliis emanatis mandatis proviſum, vel etiam alias pro conſervatione tribuum, boni ſtatus, iurium & conſuetudinis cauſſa ipſi faciendum competit, abſque ulla conniventia, aut reſpectu perſonarum perficere, & propterea ſtatim præfectis ditionum, etiam aliis civitatibus, & oppidis, pro firma eius obſervatione, ſevere ſpeciale mandatum imponere, & contravenientes, quotieſcunque hoc tranſgrediantur, irremiſſibiliter punire velle. In ſpecie autem Ej. Celſ. inclinatio hæc eſt, quod cum honorato ſenatu mox ab inſtanti feſto paſchatos conventum habitura, & diligenter tentatura ſit, ni punctus ille, qui trans- & præteritionem in cõmerciis concernit, convenienti modo componi, & ita in laudabili Imperialis Camerę iudicio Spirenſi adhuc invariabiliter hærens proceſſus totaliter caſſati, & abrogari queat, & valeat. Simili modo Celſ. Ej. prima quavis occaſione nata, cum honorabilibus Hiburg. Lunæb. & Boxtehudanis commodi loci, & diei cauſſa conveniet, ut cum illis, quomodo libera navigatio in Auſtrina Albis parte prope Hamburgum, abſque ulteriori prorogatione, & impedimento, promovenda ſit, perquam diligenter, & affectuoſe communicari curare velit. Quod ſi autem ex

inſperato amicabilis compoſitionis abnegatio fiat, tunc procurabit, quod civibus ſuæ Ej. Celſ. civitatis Lunæb. commeatus, & victus ratio minus ulterius ſubduci valeat, in quo Celſ. Ej. honoratus ſenatus, & communio civium fidelem adſiſtentiam præſtabit, nec ab ea uſpiam prorſus deterreri, aut retrahi ſe patietur, ac debet.

Quod ad reſidua gravamina ſpectat, ſe Dom. Deputati honorati ſenatus eouſque declarant, quod in civitate, & honorati ſenatus iuriſdictione ſevera, irremiſſibil sinſtitutio ſtatim fieri, etiam vicini, præſertim autem honorabiles Hamburg. requiri debeant, ut ſuos eouſque avertant, ne per piſcatores, clanculatios venditores importatio fiat earum, quæ præfecturarum litteris, & mori antiquo, extra promercales dies, contraria ſint, nec per oblationem, oſtiatim ſuſceptam, aut per alias vias quomodocunque vocentur, Collegia & tribus enerventur; ſed unicuique tribui iuxta antiquam conſuetudinem, cũ adiunctione cuiuſdam ſenatorii miniſtri, qui à iudice ordinatus fuerit, & ſtatim ſequi debet, quæcunque adverſantur, tamen abſque verberatione, & indecenti tumultuatione in civitate, & honorati ſenatus iuriſdictione abrogare, & turbantes res detinere conceſſum erit, atque ex eo, quod competenti iure detinetur, dimidia pars ſenatui, altera dimidia pars tribui, contra quam actum eſt, accreſcere; panis & piſces autem hoſpitaliis, & pauperibus incolis ad meliorem eorum ſuſtentationem erogari debent.

Simul autem honoratus ſenatus abſq; iuſta cauſſa nemini, qui tribui, cuius uſum expetit, iuxta tribunarias litteras ſe non accommodarit, concedere nolit in civitate, aut eius iuriſdictione operam exercereat ſuam, aut commercari, & inter alios putativos calculorum ſciſſores, Lotores aut vetulas, qui tonſoribus nocumenta illegitime adiiciunt, ut abſtineant, aut urbi reſignent, mandabit. Quum etiam inter lanificatores, & panni ſubtilioris confectores ab una, & mercatores pannorum ab altera parte, velut etiam inter tribum mercatorum rei ſericæ, & ferri mercatores, Item diei mercurialis nundinatores, & plene commercantes, extra ea, quæ pridem deciſa ſunt; nec non inter alias tribus lites, & diſſentiones exortę ſint, ſuper quę omnes partes iuxta circumſtantias audiendæ erũt, inde ſenatus protenus eas ad ſe convocabit, omnia rite cognoſcet, & iuxta rescognitas litem benevole dirimendo diiudicabit, in primis autem iis cauſſis, quas in ſua manu mera fover, aut perbrevem iudicialem ſententiam iuxta ęquitatem brevi tempore imponet, ita ut propterea abſque gravi tatione litterales ſumptuoſos proceſſus impendere non ſit opus: Salinarum Magiſtri nolunt ulla Salis vaſa lignea in ſuis ædibus, vel alias pro ſe, ſed ea apud fabros lignarios ſalinarios perpetim confici curare, niſi forte apud eos haberi non poſſent, vel nimio precio emendi eos vaſa onerarent; quibus caſibus binis ſolis exceptis, tamen quoque peſtis, & ſimilis infectionis tempore exempto, fabri lignarii facile excuſandi ſunt; ubi Salinatũ Magiſtris ad honorati ſenatus arbitrium non abnegabitur, ut in proprii uſus neceſſitatem lignariorum fabrorum miniſtros, qui legitime artem eam didicerint, ad vaſa conficienda conducant, tamen iterum abſtineant, ſi fabri lignarii defectui tali remedia invenerint. Simili modo Salinatii Magiſtri à Cymbis quercineis abſtinebunt, ſi vectores talium cymbarum quercinearum 18. modios quercineos contineant, ut ita illis cuncta neceſſaria in lignis, & ſalinariis, rebuſque aliis iuxta precium ęquum avehi & advehi queant, & velint. Naviculas autem minutiores, quas Steckelianas vocant, Salinarii Magiſtrã ſibi reſervabunt. Quod ſi vero quid difficultatis in uno, alterove ſe exerat, cui honoratus ſenatus non ſatis commode remedium adhibere queat, tunc is ad ſtud ad Celſ. Ej. remittet, & diligentiam adhibebit, ut collegiis & tribubus in felicem ſortem, & proſperitatem conſilio unanimi, & facto, quam citiſſime id fieri poteſt, redundet, & remedia iuſta in iis inveniant.

Omnia hæc fideliter abſque periculo, in cuius teſtimonium tei quatuor receſſus uniſonantes erecti, à principis & honorati ſenatus Deputatis ſubſcripti, & obſignati ſunt, quorum unum exemplar in Cancellaria Principis reſervarum, alterum honor. ſenat. tertium Salinariis Magiſtris, quartum ſenioribus omnium tribuum communionis civium exhibitum, & traditum eſt. Actum 16. Martij, An. Nativ. Chriſti 1619.

Julius à Bulouw Proprinceps. Ericus Heiderman D. Cancell.

Heinricus Tobing. Leonhard Elver. Iohan Mellech Synd.

Franciſcus VVitzendorff. Ludolff Laffers. Deficiente ſigillo.

Quamvis admodum leniter communio civium in his ſit tractata, tamen uti nunquam motus interni Reip. aut civitatis ſine damno, præiudiciove aliquo componuntur, ita quoque facile ex his colligi poteſt, quæ ſibimetipſis incommoda crearint ſervidi nimis in præſumptionibus ſuis. Unde quum forte eodem anno pœnitentia ducerentur, & in facto ipſo deprehenderent, quod per conſequentiam ipſis imponi poſſet; indignantia & odium ita inter utramque partem accrevit, ut mutuis infeſtationibus ſeſe laceſſere non deſinerent, velut & erant, qui culpam omnem in ſenatum convertere conabantur, inter quos erat quidã patritii ordinis Franciſcus Tobing, qui populari ſtatui præ cæteris favebat, quaſi doleret, eum nimis in cauſſa iuſta lupprimi. Senatus itaq; id ægre ferens, quod paſſim in cœtu male auditet, hunc Tobingum, quaſi autorem rumoris in carcerem abripi curabat. Hinc concurſus ſtatim civium exoriebatur, quum putarent, Tobingo iniuriam ob recte facta inferi, quum ſtatuebant ex vinculis liberare. Nec mora longa fuit, quum audiri non poſſent intercęſſores, protenus armis concurrebatur ad locum cuſtodiæ; ferræ vi aperiebantur, & vinculis detractis captivus cum pompa in ſuas 16. Maij reducebatur ædes anno eodem. Ne vero ſenatus diu periclitaretur in tanto tumultu, miſſi ſunt è veſtigio Cellas ad Principem, qui inhibitionem cum reſtitutione captivi peterent, quod etiam ad placitum obtinuerunt, uti ex ſequenti forma mandati id videre eſt, cuius verba ita ſe habent:

Ex Dei gratia nos Chriſtianus electus Epiſc. Mindenſis, Dux Brunſv. & Lunæb. omnibus & ſingulis civibus & incolis noſtræ civitatis Lunæb. hiſce notum facimus: Etiamſi nos illas inter conſules & ſenatores

natores ibidem abruna, & prædictam communionem civium exoreas ſimultates audiverimus & iuxta factam cognitionem 13. Martij nupertime eaſdem benevole compoſuerimus & placaverimus, prænominatis civibus ſevere demandando, ut ſe erga ſenatum velut à Deo ipſis præpoſitum ordinarium Magiſtratum, iuxta tenorem divinorum & mundanorum Iurium ſub evitatione in iuribus, ſimul autē præſertim in Cæſaris Caroli V. criminali ordinatione conſtitutæ acerrimæ corporis pœnæ, & aliarum auſteriorum animadverſionum, tam in verbis, quā facto tranquillos, & modeſtos gererent.

Poſtquam autem Franciſcus Tobing ex tempore talis tranſactionis, & iuſtæ deciſionis, nominatum ſenatum multiformiter iniuriis infeſtavit, traduxit, minas diſſeminavit, alios ſibi adſociavit, quorum iudicio, nos velut ſupremum Magiſtratum prætereundo, uſus eſt, atque hinc conſules, & ſenatus ex permiſſione omnium divinorum & mundanorum iurium, etiam ex dicto undiq; etiam ex poſt facto firmiter ratificato receſſu, & decreto illum Franc. Tobingum capite apprehendi, & in commodum locū lenis carceris abduci, & cuſtodiri curarint, in ea opinione, & ſententia, ut contra illum iuxta iuris ordinationem, abſque ullo incompetenti proceſſu procedi, & ipſe competentibus defenſionibus debite, neceſſarioque audiri, nec in hoc, aut alio quid præcipitari, ſed eidem, quodcunque hinc inde ſequeretur decretum, & iudicialis eventus, qui ab una, aut pluribus minus partialibus Iuridicis facultatib. poſſet haberi, deſtinari, eoque frui valeret; ſicuti etiam pro decenti deductione ſuarum defenſionum adhęrentibus eius aggreſſus ad eum nullatenus oppilatus; ſed ſingulis vicibus libere abſque interdicto conceſſus eſt.

Nihilominus hoc neglecto favore, & inexpectato Franciſcus Tobing nullo cum iuris prætextu auſus eſt ſibi in iure plane contra criminalis iudicii ordinem ſub pœna capitali prohibitam adſociationē apud aliquot plebei generis homines conciliare, ut dicti eius adhærentes 26. Maij nupertime à meridie armata manu tumultuoſe, & proterve eruperint, omnimodas cavillationes indecoras ſenatui communi, & membris eius ſingulariter obiecerint, ab foribus aliquot ſeras violenter diſcuſſerint, illumque Franciſcum Tobingum in ſummum ſenatus contēptum, & opprobrium ex carcere liberarint, in aliqua illius loci, & ubique, ubi bona politia viget, inaudita, & inuſitata proceſſione, quaſi illi adhærentes laudabile aliquod factum perpetraſſent, in domum ſuam concomitarint, partim pro demonſtratione conceptæ hinc lætitiæ, & pertinacis protervię, inobedientiſque animi ſecures in aperta platea circa capita circumvolverint ſecum, & ſe non aliter geſſerint, quam ſi in eo loco, aut alibi in tota regione nullus ſupereſſet Magiſtratus.

Iam quidem autores huius facti, & omnes illi qui ore, & manu auxilia præſtitere, nobis ſatis noti ſunt, nobiſque etiam pluſquam ſufficientiſſime competeret iuxta honorandorum p.m. Maiorum noſtrorum, nec nō adhuc ante oculos vigentia laudatiſſima exempla, & Cæſaris Caroli V. criminalem ordinationem, contra illos, velut ſeditioſos, & Magiſtratus ſui procaciter protervos rebelles, via regia, atq; executiva pro emeritis pœnis, in terrorem aliorum procedere, ſimulac, quum non ſolum ſenatum noſtræ civitatis Lunæburgenſis, quo loco eum merito, quādiu officio Magiſtratus recte fungitur, habemus, ſed etiam nos, tanquam ſuperiorem Magiſtratum, quē vos in hoc contra veſtram propriam ſumme æſtimandam obligationem, & debitam naturalem fidē, & obſtrictionem præteriiſtis, in, atque extra regionem, imo univerſum Sac. Rom. Imperium, quaſi nuſpiam amplius ius ſupereſſet, ſub hoc ſumme deſpexeritis, & contumelia affeceritis: Attamen nos nō ab ea inclinatione abſumus, adhuc pro temporis ratione noſtræ lenitatis uti clementia, ne quis de præcipitantia aliqua conqueri valeat.

Proinde mandamus vobis ſevere ſub evitatione corporalis pœnæ, ut ſtatim, quando vobis hoc noſtrum bene conſultatum iuſtum mandatum detegitur, ſæpius prædictum Franciſcum Tobingum ex eius domo, aut ubicunque in civitate offendendus erit, cum adiunctione ſenatus extrahatis, in eum locum, ubi eundem liberaſtis, una cum omnibus litteris, quas apud illum inveniſtis, abſque mora reſtituatis, vos ab omni adverſitate, conſpiratione, rebellione & iniuriis erga ſenatum ſinguli & univerſi, etiam ſenatus addictos, & miniſtros in verbis, & factis penitus abſtineatis: ſenatui debitum, & competentem reſpectum, obedientiamque præſtetis: ac ſi in quopiam gravati putetis, ordinaria via iuris utamini, eius exitum expectetis, & in eodem acquieſcatis, quam earum vobis eſt, ut eam pœnam, quam in inſperatum caſum contravenientium contra tranſgreſſores realiter & irremiſſibiliter exequi plane conſtituimus, evitetis.

Quod ſi vero huic ſequelam exhibeatis, & intra 14. dies, à die inſinuationis, aut annunciationis, partitionem doceatis, tunc nos, quouſque ſtatum Franciſcus Tobingus in priorem locum reſtitutus, atque nobis, quod tam hac vice parere, nec non ulterius obedientiam præſtare velitis, declaretis, indicamus, quod abſque protractione ulla commiſſarios ordinare, iiſdemque clemens mandatum addere, tam illas contra Franciſcum Tobingum, quam reliquas diſſenſiones in cognitionem pertrahere, & iuxta æquitatem æqua lance confeſtim ex omni imparciali Iuſtitia ſatisfactionem ſubminiſtrare velimus. Si autem ultra ſpem, & concepram opinionē huic, quod ſupra poſitum eſt, nulla celeris obedientia fiat, tunc iam legitimam perſecutionem, & ſatis practicabilē ordinationem inſtituimus, qua refractarii, & contravenientes ſuam acrem, promeritamque mercedem abſque ulla conniventia, & lenitate accipiant, atque ſic Magiſtratus, & reliqui obſequioſi cum debito reſpectu in interna tranquillitate abſque ulteriori ſeditione potenter conſervari queant. Cui vos omnes, & ſinguli accommodare noſcatis. Datum in arce noſtra Cellenſi 2. Iun. An. 1619.

——*En quo non diſcordia cives*
Abripuit miſeros! propriis quæ noxia ſemper
Extat viſceribus? ait poeta.

Nec ſic ſatis conſolidari potuerunt offenſi animi, donec tandem remedia compoſitionis graviora adhiberentur: velut & Hanſæ ſocii in arctiori fœdere lubenter diſtractiones conſopitas vidiſſent, & moneri eos non tantum per legatos An. 1620. 3. Martij, qui Cellas mittebantur, curabant, ne ſe plane eximerent ex cauſ-

ex cauſſa Confœderationis; ſed etiam ex conventu tunc remittebant protonotarium Harſtrickium, qui ſenatui mentem eorum referret, uti hiſce verbis, ſub dato Lubec. 30. Martij An. 1620. ad ſenatorij ordinis ibi amicum ſcribebat vir præcipuus. Quid hoc loco Lunæburgenſi protonot. & legato exprobratum ſit, & ex quibus cauſſis ille tam cito redeat, Dominus ex eius relatione percipiet, quo me refero, & ſuadeo, ut manibus, pedibuſq; vos, & quantum poteſtis, laboretis, & promoveatis, quo incendiū, cuius flammæ in vicinia veſtra potiſſime non tantum gliſcunt, verum etiam excandeſcunt, mature extinguatur, ut in hiſce, & ſimilibus, aliiſque non tantum ſubiectionem veſtram modo debito, verum & libertatem, & iura etiam fœderum veſtra, & confœderatorum veſtrorum conſideretis, & attendatis. Quippe, ait Paling. lib. 4.

Rebus in adverſis magnum munimen amici
Solantur, firmant animum, prodeſſe laborant.
Haud facile ille perit, quicunque eſt dives amicis.

Velut etiam Titus Calphurnius Eclog. 2. imprimis civitatibus hanc monitionem cupit additam dicens:

Eſte pares, & ob hoc concordes vivite: nam vos
Et decor, & pietas, & amor ſociavit, & urbem
Incluſit muro, ne quid diſtractio diſcors
In cladem rapiat, &c.

Tandem tamen hoc tempore res ex favore, & clementia principis eſt utrinque compoſita unde ſeita continuerunt, ut nec conventum arctioris fœderis Hanſæ in ſua urbe, qui illuc ſingulares ob cauſſas deſtinatus erat An. 1623. in menſe Februario admittere voluerunt, velut propriæ ſenatus Lunæb. litteræ ſub dato 14. Febr. An. eiuſdem demonſtrant, ut Magdeburg. & Brunſv. Legati fruſtra tunc illuc miſſi recedere coacti ſint. Sic etiam An. 1625. factum eſt, uti litteræ eorum ad ſenat. Lubec. ſub dato 11. Iulij teſtabantur, quæ ſic ſe habent:

Prævia noſtra amicabili ſalute, honorabiles & prudentes Domini, perquam dilecti amici, ex noſtrorum ad proxime præteritum conventum ablegatorum relatione inter alia percepimus, quod V. H. pr. cum aliis paucis ex 10. arctius confœderatis civitatibus præſentibus Legatis decreverint, notam arduam cauſſam in alium conventum reiiciendam eſſe; ac quum iuxta conſuetudinem ſolitam in loco Directorii, ob periculoſa tempora ille non poſſit inſtitui, nobis amicabiliter indicari curarunt, ut ad 7. Auguſti abſque ulla ulteriori conſcriptione celebrari queat. Etiamſi igitur V. H. pr. & reliquis arctius confœderatis omnem vicinitatis amicitiam, & officia exhibere libenter, & benevole deberemus, tamē ex gravioribus cauſſis, præterquam heic in aliquot locis infectio ſe exerat, & forte in æſtus hiſce ferventioribus diebus (quod Deus clementer avertat) ulterius ſe extendere poſſit, inevitabiliter ita declarare nos cogimur, quod nullatenus nobis de concedēdis videatur ut prædictum conventum heic admittamus. Unde petimus V. H. pr. non tantum pro ſua perſona excuſatum, ſed etiam reliquis honorabilibus civitatibus quamprimum id notificare, & talem conventum in alium transferre locum velint. Namque licet à nobis ulterius quid in hoc poſtularetur, tamen non poſſemus nos aliter explicare; atque tunc V. H. pr. cauſſas veras iuxta eius ſapientem diſcretionem ipſa abſque dubio ſufficienter diiudicare valerent, ſi ſpeciatim earum iudicium ſuggeri deberet, velut etiam ſuo tempore fieri poterit. Ob hæc plane in V. H. pr. favore acquieſcimus, & debitis officiis recompenſare ſtudebimus. Dat. Lunæb. 11. Iul. An. 1625.

Conſules & ſenatus Civit Lunæb.

Talium litteratum copia pro more ſolito cæteris arctioris fœderis civitatibus ita communicata eſt ex loco Directorij, uti tenor ſequens earum monſtrat.

Prævia noſtra amicabili ſalute, honorabiles & prudentes perquam dilecti amici. V. H. pr. ex adiuncta copiali deſcriptione litterarum, quas nuperrime honorabiles Lunæburgenſes pro excuſatione eorum, & quur illi proxime heic in habita, & placita conſultatione inſtitutum ab arctioris fœderis civitatibus conventum ſecum recuſent, plenius percipiēt. Iam quidem cauſſas cum introductis excuſationibus in ſuum remittimus locum. Putamus tamen neceſſum, & conſultum eſſe, ut nihilominus indicatus conventus promoveatur, nec ulterius differatur. Idcoque honorabilibus civitatibus alium locum denominare, & conventum in noſtro, & honorabiliū Hamburgenſium oppido Bargedorfio transferre, & ordinare, V. H. pr. etiam id hiſce notificare, nec non pro certioratione indicare voluimus, ſperando illum locum honorabilibus civitatibus non incommodum fore, etiam V. H. pr. ſuos abſque recuſatione illuc cum certa reſolutione ordinaturos eſſe: In reliquo ſimul deſtinatum tempus 7. Auguſti ibi ad compatendum iuxta complacitum iterum nominatum ſinimus. V. H. pr. hiſce clementi conſervationi Dei fideliter committendo. Dat. ſub noſtræ civitatis ſigneto 22. Iulij An. 1625.

Conſules & Senatus Civit. Lubec.

Quid in conventu Bargedorfenſi tum peractum ſit in negotijs aliquibus, præſertim concernentibus commune commercium hiſce periculoſis, & turbulentis temporibus, alibi & quidem ſuo loco explicatum eſt. Quum vero An. 1628. in menſe Novembri arctioris fœderis 6. civitatibus eſſet conventus inſtitutus, conformes ſe Lunæb. ſocijs ſuis gerere iterum ſtuduerunt, præſertim quum ibi adeſſet S. Cæſ. Majeſt. Legatus Illuſtr. Comes Georg. Ludovicus à Schwartzenburg, qui novum commercij modum in Hiſpaniam per 6. Civitates Vandalicas, nempe Lubeccam, Hamburgum, Roſtochium, Wiſmariā, Stralſundium & Lunæburgum, ut reliquæ Hanſeaticæ civitates apud eas deponerent, proponebat, qui tamen conventus ob interruptiones factas reiectus eſt in Generalem futuri anni 1628. 23. Febr. ubi tamen ad oblationem factam nec ſatis ſe declarare potuerunt, excuſando id, quod non ſatis eſſent ad arduum tale negotium inſtructi; ſed potius ad 1. Septembr. demum eſſent conventum inſtituturi, in quo hoc invenere concluſum, quod res minus practicabilis propter intereſſentes Reges, & alios vicinos ipſis videretur; quum in offenſionem extremam potentium maris, per quorum ditiones illis eſſet navigandum, per id incidere valerent.

Quum autem alias Lunæburgum quaſi in medio tullio circuli inferioris Saxoniæ ſitum ſit, ſæpius ibi

comme

comitia circuli huius publici celebrari ſolent ob loci commoditatem, velut in annis 1622. 1623. 1624. & in primis 1625. factum eſt, ubi interim Lawenburgi tunc principes ipſi cum Rege Daniæ conveniebant, quum pro defenſione huius circuli ſingulare inirent contractum, de quo ſuo loco plenius. Nihilominus iuxta Ducis ſui Georgij nutū ſe fideles præſtitere adſtipulatores à parte Cæſaris per totum belli huius ſpacium, quo Rex Daniæ Circulo inferioris Saxoniæ in motu illo turbido præfuit, & omnē Cæſarianis ſubminiſtrarūt opitulationem cum reliquis vicinis Hanſæ ſociis civitatibus, donec ſe tantis Germaniæ turbis, inducijs ad ſexennium cum Poloniæ Rege 1. Novembr. An. 1629. ex interpoſitione Regum Galliæ, Britanniæ & Dnn. Staticorum factis, Rex Sweciæ Guſtavus Adolph⁹ ex occaſione Stralſundenſi immiſceret. Quamvis autem neque tunc ſtatim mutarint animum Lunæburgenſes, tamen quum Dux Georgius Brunſvicenſis ob ſuſpectum religionis negotium, præſertim ubi penitus compoſitionis conventus in menſibus proxime præteritis, Aug. Septembr. & Octobr. An. 1631. Francofurti ad Mœnum, ob reformationem An. 1629. inſtitutam, in frequenti Legatorum utriuſque partis converſatione inutiliter erat diſtractus, ſe ad Suecici Regis in menſe Novembri eiuſdem anni partes convertiſſet, in bivium ſunt ita redacti, ut non leviter diu hæſitarent.

Certi enim quid incertis concredere merito non ſatis tutum putabant. Unde habitis deliberationibus potius ſe interminis continere voluerunt, quam arbitrio ſortis exponere, velut id mihi, quum anno 1633. in menſe Febr. ad comitia circularia à Reverendiſſimo Archiepiſcopo deputatus eſſem, ipſi retulerunt præcipui inter ſenatores. Conventus autem eximinis Suecicis, ne quid in præiudicium eorum ibi concluderetur, diſſolutus eſt; ſicut & ipſe Dux Brunſv. Fridericus Ulricus ad me ſecretarium ſuum Berckelmannum ex urbe Brunſv. miſit, ut Suecorum fervorem mihi referret, ut vicinis Principibus, eorumque Legatis id denunciarem. Interim 2. Martij Dux Brunſv. Georgius cum exercitu non procul à Rintelio Viſurgim per tranſitum à ruſtico monſtratum feliciter traiecit, Neoburgumque ſimul occupavit, atque mox Hamelum obſidione cinxit, quę uſque ad 11. Iulij duravit, donec interim in menſe Iunio Illuſtriſ. Dux & Princeps Brunſv. Georgius una cum Haſſiacis glorioſam victoriam contra Com. Gronsfeldium prope Oldenburgum oppidum obtinuerat, de quo conflictu generali mira referuntur. Quum vero Cæſareani ex Hamelo 11. Iulij accordatione facta diſcederent, non ultra 782. præſidiarii numerati ſunt. Sic & idem Dux fortiſſimus An. 1634. 10. Novembr. poſt obſidionem 15. Septimanarum Mindam fauſto ſucceſſu in Suecorum poteſtatem redegit. Poſtquam eodem anno 11. Aug. Dux Fridericus Ulricus Brunſv. diem ſuum obierat, & trium lineatum Duces Provincias eas inter ſeſe diviſerant, nec non pacificatio Pragenſis ſequenti anno publicationem ſuam acceperat, Dux Georg. Brunſv. Cæſareæ Maj. ſe accommodare rurſus cepit, atque Viennæ Anno 1636. 18. Ian. per Legatos ſuos inveſtituram una cum cohæredibus ab Imperatore Ferdinando II. ſolemniter reportavit, quem receſſum Suecici ſupra modum indignanter ferebant, ut inde varias hoſtilitates meditati Ducati huic non dubitarent, culpationes multiplices prætendendo.

Quum igitur non ſine cauſis Campi Mareſchallus Suecicus Bannirius ob ſecretum quendam de An. 1632. contractum intentionem ſuam in civitatem Lunæb. direxiſſet, atque indicium de ea Duces Brunſv. accepiſſent, non tantum monuerunt Magiſtratum, ut ſibi caverent, recteque de neceſſariis ad defenſionem ſpectantibus in tempore proſpicerent; ſed etiam præſidiarium militem ipſi obtulerunt cum ulteriori auxilij promiſſione. Verum ſenatus ita excuſabat ſe, quod ſatis prompti quidem eſſent ad defenſionem, ſi quid mali exſurgeret; tamen ſe non ſperare, nec credere poſſe, quod quis hoſtilitatem erga hanc urbem eſſet uſpiam ſuſceptarus. Interim ſic pridem convenerat inter Bannirium, & Leslæū, quod coniungere ſuas copias ad certum diem prope Lunæburgum vellent, ut quaſi ad receptionem militis præſidiarij cogerentur. Quare à Viſurgi Leslæus ſe convertens, & Bannirio, qui ex caſtro Werbenſi ſuum Exercitum adducebat, circa 13. Aug. in occurſum ibi ivit cum ſuis copiis. Præmiſerat tamen ab Ulyſſæa triduo ante Bannirius aliquos in Urbem, qui contributionis debitum reſiduum ab ea poſcerent, ne nudus videretur adoriendi illam prætextus; ſed quum reſponſum non ſufficeret ipſi, deproperatum eſt ad urbem, & comparuere coniuncta arma plenis ſignis in clivo Bardevicano ad portam Winſenſem; Mittebatur tubicen, qui ex ſenatu aliquos evocaret, cum quibus Bannirius colloqueretur. Statim adfuere ex ſenatu deputati, quibus vis armorum prompta monſtrata fuit, niſi ſe accommodarent, ac præſidiarium militem in civitatē iuxta promiſſum in Reverſalibus de An. 1632. ipſi Regi Sueciæ ante hac datam admitterent, ſolverentque Contributionis reſiduum. Ac ne dilatio aliqua cauſam ipſis graviorem redderet, impoſitum eſt deputatis, ut matutino tempore circa 6. horam ſequentis diei reſolutionem ſenatus abſque ambagibus afferrent; quod etiam factum. Cives autem licet in vallum armis concurſum fecerint pro defenſione Civitatis, tamen illis inhibitio admodum acris ſub pœna vitæ eſt à Magiſtratu iniuncta, ut inde non ſine calumniis diſceſſerint. Tranſactio vero Bannitij cum Reverſalibus à ſenatu tunc exhibitis ita ſe habet in formalib⁹, ut iuxta ſequentem tenorem aliquot amicis communicata, & alias diſperſa ſint.

Illuſtriſſimæ & præpotentiſſimæ Ducis ac Principiſſæ Dn. Chriſtinæ, Suecorum, Gothorum & Vandalorum deſignatæ Reginæ hæreditariæ Principiſſæ, Magnæ Ducisſæ in Finlandia, Ducisſæ Eſthenſis, & Carelorum, Dominæ in Ingermanlandia, meę clementiſſimæ Reginæ & Dom. etiam Coronæ & Regni Suecię Conſiliarius Generalis, & Campi Mareſchallus, ego Iohan Banner, Dn. in Mulhammer & Werdena, Eques &c. hiſce notum & cognitum facio, poſtquā modernus in Germania pro commodo Evangelicæ doctrinę ſuſcepti belli curſus ita ſe mutavit, ut cum regio Suecico mihi concredito exercitu me in ditionem Lunæburgicam ad Civitatem Lunæburgenſem appropinquare coactus fuerim; ego illorum in Februario Anno 1632. nomine glorioſiſſimæ beatiſſimæque Reg. Maj. Sueciæ cum prædicta Civitate initorum tractatuum & tranſactionū etiam inter alia huius memoriam in animum mihi revo-

revocavi, quod bene nōminata civitas vigore reverſalium ſe obligarit, ſi Reg. Ej. Maj. neceſſarium hoc inventura eſſet præſidiarium ſuum militem in civitatem introducendum eſſe, quod Reg Ej. Maj. quovis tempore hoc liberum eſſet futurum. Proinde, quum neceſſitas redintegrationis ſtaturæ bellicę in Germania notorie in manus tradat, ſæpius prædictā civitatem huius & aliorum tranſactorum punctorum nomine moneri, apud eam ex ſtipulatis ponderoſis cauſſis debite inſtari curavi, ut tolerabile præſidium pro Reg. Maj. & Coronæ Suecicæ aſſecuratione in civitatem reciperent, quod tamen civitas cum allegatione plurium motivarum declinare atteſtata eſt, inſtantiſſime rogando, ut ab hoc propoſito me dimoveri pateret, petendo ſimul, ut hanc cauſſam in & ad ulteriores tractatus differrē. Tandem tamen quum cerneret, minus id eſſe poſſe, caſtellum ſuum calcarium montem pro commodo, & adſecuratione Reg. Maj. & Coronæ Suecicæ mihi ceſſerunt & tradidere, ut regium Suecicum militem præſidiarium in eum introducerē, quod etiam hodierno die ita realiter præſtitum eſt, cum ea promiſſione, quod huic præſidio civitas neceſſariam ſuſtētationem exhibere, etiam mentionatum calcarium montem ſtatim debita munitione, & neceſſariis alimentis providere, nec non aliis in omnibus caſibus præſidiario militi, ſive Guarniſoni in calcario monte ita adſiſtentiam præbere velit, ut Reg. Maj. & Coronæ Suecicæ ſervitia per hoc promoveri, & nullatenus impediri debeant. Ad hæc etiam ſtatim, ut commendans in civitatem aliquis deputaretur, & ſufficienti mandato provideretur, conſenſerunt, propterea quoque Civitatis præſens præſidiarius miles, ſive Guarniſonij, & qui in poſterum conſcribi queant, excluſis Regni Suecię in monte calcario, utpote qui iampridem iuramento obligati ſunt Coronæ Suecię, Guarniſonijs, ante omnia Reg. Maj. & Coronæ Suecicę, & ſenatui fide ſe deditos iurare curarunt, etiam à ſenatu in Commendantis obedientiam obligati traditi ſunt.

Claves tam ſenatus, quam Commendans ſingulis vicibus ſingulariter in manibus habebunt, ac de aperiendis, & occludendis portis ſemper inter ſe communicabunt, ut conveniat inter illos, qui emittendus ſit. Præterea non tantum illi antehac Reg. beat. Maj. & glorioſiſſ. m. extraditam aſſecurationem renovarunt, ſed etiam pro ratione præſentis ſtatus de novo reverſalibus novis ſe obſtrinxerunt, & è contra meam reciprocationem, & aſſecurationem ex adverſo petierunt. Etiamſi autem iuxta ſupra dictas & civitatis de An. 1632. extraditas reverſales, & per hoc acquiſitas belli rationes à meo poſtulato realis receptionis talis, ad talis civitatis circumferentiam requiſiti præſidij nullatenus ſecedere potuerim, nec cauſas viderim; tamen hoc civitatis oblatum in conſiderationem revocavi, & id acceptavi, in eo acquieſcens: facio id quoque in nomine, & loco ſuæ Reg. Maj. & Coronæ Suecicæ, iiſdem è contra promitto, quod hæc civitatis aſſecuratio voto, præſertim ſuæ Celſ. regenti Duci Lunæb. quando Ej. Celſ. propterea cum Reg. Majeſt. & Corona Suec. tranſigere complacitū fuerit, nec eius ſuperioritati, quam in hanc civitatem habet, nec iuribus præiudicio ulli, aut incommodo erit: Inprimis iſtæ reverſales Civitatis eius propriis privilegiis, & iuribus in administratione politiæ, Iuſtitiæ, & officiis debitis, quouſque prædictis rebus & placitis non contraveniant, nullatenus iis iam, aut in poſterum præiudicio ulli, aut incommodo erunt; ſed debet civitas in ſuo ex antiquo ita deducto ſtatu, vigore & iuriſdictione, & tranquillo exercitio ſupra civium incolarum & rerum ſecularium & Eccleſiaſticarum inſpectionem omnino conſervari, in eo perſeverare, nec infirmari, ſed Magiſtratui pro liberę facultatis uſu relinqui. Ob præſidiarios autem milites, qui in ſimultanea obligatione cum Reg. Majeſt. & Corona Suec. ac civitate cohærere debent, Magiſtratus cum Commendante ita in Iuriſdictione correſpondebit, ut ex omni parte bonitas Iuſtitiæ, & amicabilis confidentia conſervari poſſit. Tum etiam Reg. Maj. & Corona Suec. Civitatem contra omnem vim violentam pro viribus defendet, nec in caſu neceſſitatis pro ſuccurſu deſeret: Quod ſi etiam in futurum propter hunc curſum, & obligationem hanc impetatur, contra quoſcunque pro omni poſſibilitate defendet.

Atque quum hæc præcipua quædam provincialis & promercalis civitas ſit, cuius conſervatio omnimode intendi debet, inde Reg. S. Majeſt. & Corona Suec. commercia cuncta, quæ ad eam, aut ab ea avehuntur, nunquam impediet, aut ulla impoſitione per officiarios onerabit. Atque ſi civibus aut incolis huius tractatus cauſa bona ſua in aliis locis detinēantur, vel auferantur, & è contra media ſe detegant, quibus damnum vindicari queat, tunc in nomine S. Reg. Maj. & Coronæ Suec. ego ſtatim id procurabo, ut intereſſentes damni perpeſſi contentationem recipiant, nec minus quoque in omni caſu repreſſaliis uti poſſit; in quibus certo illis ero auxilio. Ad conſequutionem quoque meæ debitæ ſubmiſſæ remonſtrationis E. R. M. & Corona Suecica non intermittet, vicinos Evangelicos ſtatus per competentes adhortationes in hoc diſponere, ut civitatem hanc, & eius incolas in ſua commendatione conſervent, nec ullam difficultatem ulla in re ipſi cauſſent, ſed potius omnem ſuccurſum præſtent. Sic quoque finito præſenti bello, & in Germania bonæ ſpei pace decreta, Mons calcarius nulli alii, quam ſenatui Civitatis ad fideles manus reſtituetur, & iuxta vigorem Inventarii tormenta bellica, & Artoglotiæ inſtrumenta cum materialibus tempore abductionis relicta munitionalia cum frumentis, excluſis iis, quę miles præſidiarius in Guarniſonio conſumpſit, in redditionem fidelem tradetur. Etiam Commendans tenebitur, & ipſi iniungetur, ut Soldateſcam in ea diſciplina conſervet, ne civitas ultra neceſſariam ſuſtentationem, iuxta Regiam Suecicam Cameræ Ordinationem, ab ullo milite prægravetur, multo minus ulla inſolentia oneretur. Velut etiam civitatis, & civium, nec minus monaſteriorum, & Eccleſiaſtica, nec non nobilium bona cuncta, facultateſque ſalvæ manebunt, etiam quodcunque ex provincia, atque alias extranei in civitatem intulerunt, & adhuc importatur, iuxta colonorum placitum tuto exportabit quivis, nec quidquam apud exercitū hunc in ullum incidet periculum, ſed tutis remedijs propugnabitur. Si etiam in Germania tādem ad dia deſideratam, & commodam pacis tractationem res bellica perducatur, tunc S. Reg. Majeſt. & Corona Suec. civitatis curam præcipue geret, atque curabit ſerio,

fectio, ut pacis tractatibus simul securiter includatur. Quod omne ego prædictæ civitati Lunæburgensi usque ad S. R. M. & Coronæ Suec. ratificationem pro assecuratione firma exhibui, & cum adnato sigillo, ac manus propriæ subscriptione confirmavi. Actum in Campo prope Lunæburgum 14. Aug. An. 1636.

Loc. Sigilli.

Iohan. Banner.

Reversales autem Senatus Lunęburgici Bannirio extraditæ eodem die tales fuerunt, ut sequens Copia demonstrat.

Nos Consules & Senatus Civitatis Lunęburgensis notum facimus cuivis obvio, postquam Reg. M. & Regnorum Suecicorum, &c. Consiliarius, & Generalis Campi Marescallus, excelse bene natus Dn. Iohan. Banner, Dn. in Mulhammer & Werda, Eques, per mutationem præsentis in Germania pro commodo Evangelici status suscepti belli caussatus est cum Exercitu Regio Suecico in Provinciam Lunæburgensem se conferre, atque Excell. Ej. ad hanc civitatem appropinquare coactus est, nec non illatũ in Februario de An. 1632. Reg. Maj. Suecicæ beat. & glor. mem. à nobis extraditarum Reversalium, ac singulariter huius puncti mentionem in memoriam sibi revocavit: quando nempe Ej. R. M. ex necessitate consultum visum esset futurum, eius præsidiariũ militem in urbem locare nostram, quod tunc id E. R. M. quovis tempore liberum debeat esse relictum. Unde quum necessitas redintegrandi statum bellicum iam talium reversalium mentionem nobis facere exigat; hinc Ej. Excell. à nobis postularunt, ut iuxta modum reversalium præsidiales eius exciperemus, & in solidum usum Urbis pro assecuratione exercitus Regii ipsi concederemus. Etsi autem nos hisce Ej. Excell. postulatis locum dare ob iuramenta nostra præstita excusare voluerimus, ac tentaverimus, ut Ej. Excell. per amicabiles tractatus ab ea intentione posset dimoveri, insuperque summam certam pecuniæ obtulerimus, cum ulteriori promissione, quod in extremo necessitatis casu per viam armorum, & defensionis nos essemus liberaturi; tamen tandẽ hoc invenimus, quod Ej. Excell. propter relevantes demonstrationes à sua sententia non posset secedere, nedum quid pecuniæ in certa summa accipere valeret, nec minus nobis talem vim, & robur armorum ante oculos in tanta celeritate prope ad urbem ponetet, ut plane impossibilis nobis resistentia nostra videretur, nedum quod ullam dilationem, donec Celsſ. Ej. clementi nostro Provinciæ Principi ac Dn. iste cursus Cellas versus notificari potuisset, nobis concedi voluerit; Inde ita consensum addere nostrum consultius putaverimus.

Consentimus & promittimus inde hisce, & vigore harum loco iuramenti Illustrissimæ & potentissimæ Principissæ & Dn. Dn. Christinę Succorum Gothorum & Vandalorum Reginæ, Magnæ Ducissæ Vinlandiæ, Ducissæ Esthoniæ, Caralorum, Dn. Ingermanlandiæ, nostræ clementissimæ Reginæ ac Dn. ac Coronæ Suecicæ in eius commodum & assecurationem, contra omnes, & quosvis E. R. M. ac Coronæ Suec. &c. hostes, nos nostram civitatem conservaturos, & defensuros esse, Regium Commendantem in nostram civitatem recepturos, tam præsidiario militi in monte calcario, quam etiam toti exercitui, vigore prædictarum, & An. 1632. extraditarum nostrarum Reversalium, ex hoc nunc, & in posterum omnem fidem, benevolentiam, & extremas suppeditationes erogaturos, nec quid contra illos, aut clam, aut palam consultaturos, nec in intentione ulla admissuros esse, prætereaque E. R. M. & Coronæ Suec. exercitui quovis tempore liberum transcursum, & recursum cum pleno exercitu, vel copia aliqua, aut in pleniori regiminum forma concessuros esse; Ej. Reg. Maj. & Coronæ Suec. hostibus per hanc nullum transitum admissuros, multo minus illis urbem addicturos, aut eorum Guarnisoniam recepturos; imo in omnem casum eam contra illos usque ad extremam sanguinis guttam in manutentione simul conservaturos, una cum Reg. Suecico Commendante & Civitatis etiam præsidiario milite in monte calcario omnia perfecturos, & peracturos. Quod si etiam hostile periculum, quod omnipotens clementer abarceat, sic accrescere velit, ut necessitas Regium Suecicum sufficiens præsidiũ, firmiusque exigeret in hac urbe admitti, tunc lubentes, prævia transactione nova, iuxta Reg. Suec. Cameræ Ordinationem, iuxtaque facultates civitatis huius, dum periculum durat, & alimenta præstabimus, cum militibus omnia extrema subibimus, Civitatem defendemus, & in summa, omne id perficiemus, quod fideles Evangelicos Patriotas, & tutelæ huius affines decet, ac id securitas Reg. Majest. & Cor. Suec. nec non eius pro communi salute suscepti belli ratio requirit.

Ac veluti Ej. Excell. instanter ursit, ut mons calcarius munitione, & frumentis provideretur; ita castrum hoc montis calcarii in fortificatione iusta undique, ubicunque Commendans eam necessariam putaverit, reparari & meliorari, atque alias omnibus necessariis suppeditamentis semper ad certum tempus provideri curabimus. Etiam eundem montem calcarium habitaculis, & custodiariis domunculis in usum Reg. Maj. & Cor. Suec. præsidiarii militis ibi statim pro viribus exornabimus: Etiam in R. E. M. & Cor. Suec. nomine Commendantem in nostra urbe, durante hoc bello, semper constitutum fovebimus, cui iam conscriptos Guarnisonarios, & quos in futurum conscripturi sumus (quod sane semper in E. R. M. & Cor. Suec. nomine, & civitatis simul, nec absque Commendantis Suecici præscientia fieri debet) illi subordinabimus, & cogemus, ut ante omnia R. M. & Cor. Suec. tam Civitati iurent nec minus Commendanti obligatos se faciant. Velut quoq; tam Commendanti, quam nobis claves portarum in communi manu esse debent, ut eo rectius de apertura, & occlusione portarum quovis tempore inter nos conveniamus, ad quod unice obligati tenemur. Fideliter & absque dolo ut cuncta serventur, tenore harum id promittimus: quas Civitatis nostræ secreto corroboravimus. Actum 14. August. An. 1636.

L. S.

Consules & Senat. Civit. Lunæb.

Occupatio ita huius Urbis eodem die facta est, & in Montem Calcariũ sive castellum 10. Compagniæ militum adductæ sunt, quibus præficiebatur Nobilis Li-

lis Livonus, nomine Heinricus Stämerus, cui simul claves portarum omnium, etiam ad ostia fluminis navigiorum causſa tradebantur, seseque officiarii bellici obligatos reddebant. In firmioris benevolē-tiæ signum, Magistratus quoque Bannirio certam pecuniæ summam promiserat, sed quum solvere statim nequiret, cōquisitio publica vasorum argenteorum in curia, apud Patritios, & ex Collegiorum ædibus undique facta est, ut monetarii in ferventi opere excudendæ monetæ per aliquod tempus essent occupati. Interim Colonell. Goltzius ex affinitate Bannirii quandam Pfulianam in matrimonium ducens, celebrabat nuptias in horto Lenteniano, quibus intererat ipse Bannirius cum præcipuis officiariorum. Rem non sine devastatione fuisse, facile cōiici potest: attamen Exercitus potissima pars ad Albim versus Demizium, & Dannebergum reducebatur, quem rebus undique bene adornatis in urbe hac secutus est Bannirius postea.

Cives autem ægre ferebant hanc suppositionem, variis quidem modis senatus actiones culpando; tamen patientiæ se accommodabant, quum ex hoc onere aliter liberati nequirent, cernerentque, quod Commendans favorem populi tam sedulo ambiret studio. Ideoque is occasionem sui quæstus non negligendam putavit, ut singulis ferme mensibus ipsi 15000. Imper. pro propria in contributione accreverint crumena, quos per cambium Hamburgum secretim singulis transmisit vicibus, ut in fama erat. Sed quum nec diuturnam hanc sibi pro temporis tumultuosi ratione æstimaret, præcipuis paucis inter cives admodum familiariter se adsociavit, præsertim inter hos uni tandem inter explorandum de exitu rei, & affectione civium intima, cui se maxime devotos agnoscerent, detexit, quod populo non adeo repugnaret, si commoditas se ita aperiret applicabilis, ut sine sanguine cum principe suo in gratiam redire pollent. Potissimum hoc erat, quod arctiorem ipsi cum hoc amicitiam contraheret. Occultis indicationibus istud din agitatum est An. 1637. in mensibus Iun. & Iul. ut inde Duces Lunæb. recuperationi huius urbis pleniori incumberent studio, & per Dn. Clitzingium ab Elect. Brandebur. impetrarent, ut vicinum huic intentioni illis commodaret exercitum, quod etiam factum est in mense Augusto. Erant suppositiones quædam, tamen artificiose ea subtegebantur, quas & Stammerus callide satis dissimulare poterat, quasi omnia ipso peragerentur invito. Nec senatus Imperio Stammeri inclusus contra mugire audebat, licet non sine iusto esset metu. Quum igitur iam Dn. Gen. Clitzingius exercitus sui copias ad urbem adduxisset, armentique partem abegisset potissimam, iudicabat Stammerus, sibi extrema impendere, atque ut sic se Bannirio exculpatum eo rectius reddere posset, inde 18. August. ex consilio intimi sui, & inter cives principalis, convocari in publico curabat omnem populum, & incolas, quibus quæstionem proponebat; Num quoque cum suo milite se in defentione civitatis contra hostem essent confidenter adiuncturi, & extrema quævis cum eodem perpessuri, aut subituri. A quo hoc responsum abstulere, se contra Provinciæ suæ principem nihil in auxilium illi esse collaturos.

Hinc simulavit, quasi portam Lunensem mole terræ esset oppilaturus, quod conamen accursus civium non tantum inhibuit; sed etiam sub tali actuio civitatem recepti sunt milites non pauci principum, ad vallum extra muros id expectantes, qui Commendantem, ut se in montem calcarium reciperet, coegerunt, ubi in præparatione, & consultatione varia latitavit dubius, donec 3. Septembr. Dux Georgius Lunæb. 600. selectiores militum suorum mitteret, qui circa 7. horam ad conniventiam præcipuorum sub portæ veteris ponte se sisterent, uti etiam statim ad occupationem valli intromittebantur, ac in ipso foro ad Succorum excubitores iisdem suus excubiarum adsignabatur locus, ut ita ex hostilitate complacationes addiscerent amicabiliores. Sed quum tandem Succicis omnis necessitatis subministratio sic à civibus denegaretur, non solum eos ad se in montem calcarium Stammerus avocavit; sed etiam ad severiora, serioraque præparatoria, diu secum agitata, rationes suas colligere instituit, præsertim quum percepisset, tam utriusq; Elect. Saxon. & Brandeb. copias, quam Ducis Lunæb. corpus ex 5000. peditum, & 1200. equitum constans in vicinia adesse. Et quamvis à Dn. Bannirio Campi Marescallo suo accepisset paulo ante monitum, cum ordinatione tali, ut ad extremum usque habitum defensionis suæ formam severam fortiter teneret; tamen amicitiæ persuasio ex intuitu accepti lucri potiores ducere videbatur partes, ne frustra sanguinis impensio in tantis difficultatibus fieret acerbior. Placidus itaque is in asperitate sua redditus per amicabilem suorum favorem, propius ad accommodationem accedere visus est, modo salva eius reputatione, & Coronæ Succicæ posset transactio institui. Qualis igitur fuerit accordatio, ex sequenti patet copia:

Inter Illustrissimum excelse natum Principem, ac Dn. Dn. Georgium, Ducem Brunſ. & Lunæb. inclui inferioris Saxonici Circuli Generalem tam pro se, quam in plenipotentia Reverendiss. Illustrissimi & Celsissimi Principis, ac Dn. Dn. Frider. Ducis Brunſ. & Lunæb. postulati Coadiutoris Ratzeburgensis, electi Presbyteri Archiepiscopatus Bremensis, ab una, atque hinc Reg. Maj. & Cor. Succicæ ordinati præfecti summi, prænobilis, strenui & fortis Henrici à Stammern ab altera parte ob montem calcarium prope Civitatem Lunæburgensem iuste legitima accordatio decreta est, in sequentem modum.

1. Discessus universis militibus à primario usque ad infimum vexillo volante, armatura superiori, & inferiori, igniario fomite scintillante, glandibus in ore, plenis pulveris instrumentis, tubis & fistulis, saccis & portatoriis, mulieribus & liberis, ingeniosis metatoribus, armamentariis & Connestabalis, cum reculis suis omnibus, inque eius rei usum 10. currus, & 24. equi, usque ad Wismariam concedentur; cuius causſa, donec currus cum equis ex eo loco restituantur, sufficientes obsides relinqui debent.

2. Omnes munitiones, frumenta, & quod ad Magasinum spectat, integre omne hic relinquetur: quod vero ex propriis mediis conquisiverunt, & in montem calcarium attulerunt, ex eo 10. granatæ, 10. igniarii globi, 2. centenaria pulveris, & 5. Cent. igniarii fomitis absque exceptione dimittentur libere.

3. Omnium

3. Omnium officiariorum à ſupremo ad imum uſq; militares & onerarii equi cum curribus, & mobilibus bonis, quæ in Civitate tam in monte calcario illis competunt, dimittentur illis.

4. Si ſint, qui ſcienter ex numero militum ad illos deflexerint, aut hoc loco conſcripti, in eos nulla fiet prætenſio, nec ad ſervicndum uſpiam urgebuntur.

5. Tota reginminis cohors, & quæ ad eam dicto modo ſpectant, ſecure cum comitibus, tam ab Illuſtriſſimi, quam Cæſarianis, & Elector. Saxoniæ ac Brandeburgenſ. Generalibus & eorum copiis recta Wiſmariam deducetur, & Altenburgi tranſitum trans Albim habebit, ac in itinere hoſpitalitatem pro temporis ratione inveniet, atque heic ad 5. dies Commuſſionis alimenta habebit: In caſu autem quiſpiam à ſupremo ad infimum è mobilibus ſuis quid linquere heic cogeretur, omne id commode, & ſecure poſtea promovebitur, nec quiſquam heic quid prætenſione aliqua impediet.

6. Si qui ſint, qui ex civitatis numero militum cum Sueeis abire velint, illis hoc liberum relinquetur; reliquis autem iuramenti, quo Regiæ Maieſt. & Cor. Suec. obligati ſunt, ſui relaxatio erit.

7. Creditorum & debitorum ratio maneat in iis terminis, velut inter deputatos utriuſque partis conventum eſt, ut iuxta ſpecificationem craſtino die ante diſceſſum fiat contentatio.

8. Arx Winſemia, & præſidiarii milites eius non minus ſub hac comprehendantur accordatione, ut ex ea quoque fiat ſimul diſceſſus ab omnibus, & Illuſtriſſ. Celſitud. Ej. arx tradatur plene, nec quidpiam, quod præſidiariis non competat, inde auferatur; Sed in omnibus obſervari debent ea, quæ ſupra de montis Calcarij deſertione ſunt approbata; ac ſi quid etiam minutiſſimum auferatur, ante omnia reſtitui debet abſque periculo cuiuſpiam: Concomitatum itidem habebunt verſus Altenburgum, nec fiat ullum damnum incendio aliquo, aut alio dolo.

9. Diſceſſus autem perendie, nempe, 9. huius, quando omnia ſupra dicta abſoluta ſunt, fiet. Interim etiam hodie, quando accordatio hæc ratificata fuerit, Colonell. Leuten. Ewaldus à Brunone cum 2. Capitaneis in urbe hac ceu obſides manebunt.

10. Ac licet à parte diſcedentium plures puncti, præſertim, ut Civitatis Lunæburgenſis Reverſales Reg. Maieſt. & Cor. Suec. extraditæ in vigore ſuo manerent, ſint ſollicitati, & propoſiti; tamen Celſitud. Ej. nullatenus in ullum quid ulterius conſentire voluit, nec potuit. Omnia hæc abſque dolo, & periculo: In cuius rei teſtimonium, & fidam ſervationem Celſitud. Ej. hanc accordationem propria manu ſubſcripſit, & ſigillum princip. ſuum ſcienter apponi curavit, velut & Præſ. Sum. Stammerus idem præſtitit. Actum Lunæburg. 7. Septembr. Anno 1637.

Georg. Dux Brunſv. & Lunæb.

Henricus à Stammern.

Res hæ quum ita peractæ eſſent, omnia ſimul ſunt in effectum deducta, ac Dux inclutus montem Calcarium 1000. militibus in ſuum adſumſit præſidium: ſed ne aliquid periculi ſubreperet, & complacarentur interme die cives, prudenter Illuſtriſſimus Dux officium Magiſtratus in ſuſpenſionem aliquam pertraxit, atque alios Conſules, & Senatores huic partim ex populo, partim ex ordine Patritiorum ſubſtituit, donec res aliter poſſet componi. Interregnum hoc igitur ultra biennium duravit, quum interea varii inſtituerentur tractatus compoſitionis. Stammerus autem Stetinum ex Wiſmaria captivus paulo poſt abductus, & criminaliter accuſatus eſt, quaſi non ſatisfeciſſet mandato Campi Mareſchalli Bannirii, unde ibidem executionem bellicam paſſus, & capite truncatus eſt.

Anno 1638. circa menſem Decembris conventus circuli Saxoniæ ibi in inclura ea urbe Lunæburg. ad poſtulationem Sacræ Cæſar. Maieſtatis Legatorum Illuſtriſſim. Dn. Imperat. Vice Cancellarii Dn. Ferdinandi Sigiſmundi Comitis à Curtz, & Conſil. Imperat. aul. Dn. Iohan. Soldneri habitus eſt, de cuius propoſitione, & actis, atque quæ conſecutio eorum fuerit, ut Bannirius non tantum Albim ex Megapolitana ditione cum exercitu ſuo traiecerit, ſed etiam uſq; in Bohemiam omnia divaſtarit, alibi luculentius cum circumſtantiis agitur. Quum varia ibi interiecta fuerint effugia, nec minus ponderoſa uſque in 4. menſem dicta hæc protracta fuit. Senatus autem Lunæburgicus ſuſpenſus Legatis Ducis ſui variis modis interim ſe inſinuavit, velut etiam mihi explicarunt plurima, ut interceſſorem agerem commodum, ubi occaſio offerretur. Et memini, varias heic deliberatas eſſe cauſſas cum rationibus ſat prægnantibus, ut ex facie huius Urbis non levi duceretur miſericordia, quum eius reſtitutionem ex animo integram ipſi cuperem. Verum uti fit in talibus motibus, vix reſtituitur ſatis, quod amiſſum; ita quoque priſcus ſenatus Anno 1639. 12. Maij, poſt varias tranſactiones, hora 4. poſt meridiem ferme in puncto, quum Eclipſis Solaris initium ingrederetur ſuum, ab Illuſtriſſimi Ducis ſui Friderici Legatis in Dignitatem ſuam reſtitutus eſt; ſed cum detractione eius, ut arx montis calcarii Duci ſuo antiquo maneret hoc modo recuperata. Ad conditiones autem pactorum ſatis ſtricte conceptas reſolutio Ducis tandem ſub dato 6. Iulii Anno 1640. Magiſtratui mittebatur, in qua continentur, & exprimuntur ralia, quæ nunc merito obtegantur, nec opus eſt, tenorem eorum omnium aut integram huc transferre copiam, licet digna ſit, ut adhortationis locum apud alios ex exemplo oculari mereatur; tamen ſuo tempori ſit reſervatum in aliis. Hinc tandem novum ſuo Duci moderno, & Principi optimo Dn. Friderico Anno 1640. 26. Auguſti præſtiterunt homagium in ſolemni Pompa. Urbis elegantia ea eſt, ut ſimilem hiſce in terris nuſpiam invenias, velut etiam hoc encomium ipſi recte adiicitur à Petro Lindenbergio Poeta longe ſuaviſſimo; ubi reliquis Urbibus cunctis eam ſic præfert; dicens:

Nec tu noctivaga qua gaudes nomine Luna,
Urbibus es reliquis perpete laude minor.
Calcifer eximius sub mœnibus accubat ipsis,
Et gignens parum facta salina salem.
Cætera prætereo : Nam sunt pulcherrima cuncta,
Et fœdum tota prorsus in urbe nihil.

Et alibi Idem.

Quum tua, noctivaga qua gaudes nomine Luna,
Mœnia prospicimus, quique altas concubat Urbi
Calciferum, lepidasque casas, & plumbea vasa,
In queis sal coquitant, cornu prædivite, putum;
Quum luxum domuum ditem cultumque senatus,
Laudamus merito tot splendida dona Iehova.
O facias saltem, ne te quis frangat abusus,
Quum facile ad summum quid damni erumpat acumen;
Sapius & propriæ sit quisquam cladis amicus.

Verum quum iam & ad hodiernum Bremæ Urbis inclutæ statum sint quædam monenda, ea nunc subiiciemus paucis. Sita ea est in commodo negotiis maris occidentalis, & septentrionalis loco ad Visurgim perquam amœno, & fructifero, velut & pascua habet armentorum alimoniis idonea, unde nec minus quotannis magnum cives, & incolæ faciunt lucrum : Eius facies oblonga est, & maxime celebris Archiepiscopatu, quem ibi fundavit Carolus Magnus ex promotione Willehudi primi Episcopi, qui etiam templum in honorem D. Petri erigi curavit, Anno Christi 788. & regiminis eius anno 21. uti fundationis litteræ inferius positæ monstrant.

Ditata est luculento territorio, & præfecturis non contemnendis, quarum prima est Viehlandia, sita inter Visurgim, Ochtumam vulgo fluvios, & fossam, quæ vulgo Varlegtabe dicitur; ac dividitur Viehlandia in superiorem, & inferiorem, quarum hæc inter Ochtumam & Visurgim, tantum; illa vero inter Visurgim, Ochtumam & fossam illam interiacet : Utraque tamen est pinguissimi fundi, reddens opima pascua. Ad Orientem Hollerlandiam spectat, ad septentrionem Werderlandiam. Versus occasum ei confinis est Comitatus Delmenhorstanus, & ex parte ad meridiem Comitatus Hoyensis, ut ita in circuitu suo 5. ferme milliaria contineat, in sese comprehendens tres parochias, & 13. pagos. Hinc ab altera parte Urbis, qua Septentrionem, Eoumque respicit, 4. præfecturæ sitæ sunt, nempe Hollerlandia, Blocklandia, Borchfeldia, & Werderlandia. Hollerlandia autem saltuosa est, & se versus Verdam extendit, à meridie habens Languedelam, & continet parochias tres, pagos autem 5. ampliores. Blocklandia inter Werderlandiam, & Hollerlandiam media Wumma fluvio piscoso irrigata lætissimis pascuis abundat, una tamen saltem constat parochia sat ampla. Paulo inferius prope Cœnobium Lilienthalium ad eundem fluvium Wummam Borchfeldia est, unam simul exprimens parochiam, cuius dimidia pars Brandorum familiæ Patritiæ, & antiquissimæ propria est.

Werderlandia autem contigua est Blocklandiæ, quæ in meditullio se arenosis extollit monticulis, & tribus constat parochiis, novemque pagis; qua vero Visurgim & Wummam contingit, opima satis habet pascua, & oculis in adspectu iucunda. Sed Wumma ubi se exonerare in Visurgim pergit, & æstum, accessum nempe ac recessum admittit, Lessem aut Lesmona vocatur. Ultra Lesmonam, non procul ab angulo, ubi Visurgim influit, arx & præfectura Blumenthalium sita est, quæ sex Pagos in una complectitur Parochia; ubi opaca sunt nemorum pascua, & Bremensium portus, qui vulgo Vegesack dicitur, ad Lesmonæ & Visurgis confluentem, quum naves onerariæ non possint, ob loca aliquot vadosa in Visurgi ad Urbem pertingere, sed ibi exonerentur. Huic Nyenkerkia adiacet præfectura, fundum ex una parte arenosum, & sterilem, ex altera vero, qua Visurgim tangit, planum feracissimumque habens; ac licet unam constituat parochiam, tamen ampliſſimos fovet pagos.

Præfectura autem Bederhusana, cum arce eius nominis insigni, quam alias concisius Berxen dicunt, nonnihil remotior inter occasum, & septentrionem sita est ultra Geestam fluvium, qui latus meridionale eius per aliquot milliaria Lacum Lunersbergensem perstringens, alluit, donec in ostium Visurgis ad mare effluat. Circuitus eius præfecturæ usque ad novem milliaria excurrit, septemque sub se habet parochias, & 19. Pagos, lacus undecim, & nemora, ac saltus 40. In hac etiam multa Gigantum, & veterum Chaucorum, Saxonumque eximiæ molis lapidibus congesta monumenta visuntur : ac septentrionem versus attingit Hadeleriam, quæ omnium hac in parte Germaniæ Provinciarum frumenti feracissima Saxoniæ Duci Lawenburgico subiecta est, qui etiam aliquid iuris in hanc præfecturam ita prætendit, ut actionem etiam in aula Imperatoris inde ante aliquot annos instituerit, quæ ibidem adhuc viget. Urbis autem spacium nunc longe amplius est extensum versus meridiem trans Visurgim, quam antehac fuit; ut inde quasi novam ab ea parte formam induisse videatur; & connectitur ponte sublicio nova urbs cum veteri. Pons iste ita artificiose constructus est, ut molæ aliquot sub eo per totam longitudinem frumento præparando, & pulveri comminuendo ex ordine cohæreant, ubi simul admirandæ magnitudinis rota aquam ex Visurgi haurit, & in urbis ædes passim per canales subterraneos pro usu civium transfundit.

Nova autem Urbs licet nondum satis plene ædibus sit exornata, tamen vallo, & fossa aquis repleta, ac pro-

ac propugnaculis ferme fortioribus præ veteri civitate est munita, atque sic ordinata, ut ad invicem pro defensione sufficienti undique propugnacula utriusque urbis correspondeant. Duas portas habet nova Urbs, antiqua autem quinque, quarum prima ad Orientem est, propugnaculo & turri valide firmata: Altera ab hac versus septentrionem, ob campum armentorum civibus hæreditarium, quasi Pastoribus deputata, dicitur inde Herden Thor / cui inscriptus est bene notabilis iste versiculus:

Bremam sis sospes, sis hospite fortior hospes.

Bremen sey Jndächtig/
Las nicht mehr em / du seyst dem jhrer mächtig.

Tertia vocatur D. Anscharij, ob templum eius nominis vicinum, quod ibi in 4. Archiepiscopi memoriam Hartvicus Anno 1182. cum Capitulo minori constituit: Quarta appellatur Porta Divana, quam quinta ad D. Stephanum versus occasum sequitur, ob Capituli, & templi eiusdem nominis vicinitatem sic dicta, cui propugnaculum forte Anno 1602. additum est in fortiorem munitionem, & alterum adhuc postea adsociatum: sex turribus antehac Urbs conspicua fuit ex templis suis; sed ante 4. annos desubito ex templo Basilico concidit una, & vicinas adeo ædes obruit, ut 10. homines fuerint simul attriti, quod singulari pro omine habitum fuit alicuius mali, quod Deus avertat. Etenim cives eius Urbis admodum benignæ sunt naturæ, & hospitales erga exteros, ut præ aliis locis beneficentiæ nomen mereantur: in commerciis augendis admodum laborioſi, & industrii, velut etiam maxima pars ex mercatura vivit, præter illos, qui agris suis hæreditariis, & coctione cerevisiarum vivunt, quæ etiam ita excellunt in utroque, & albo, & rubicundo uti vocant genere, ut in vicinas regiones ubertim, nec non in exteras, & Hollandiam, imo ulterius transportetur ob saporis & nutrimenti iucunditatem, quum nec flatus facile, aut tormenta intestinis generet. Inprimis optimi usus est ea cerevisia, quæ verno præparatur tempore. Visurgis quoque eam huic induit naturam, ut pinguedinem in fomentatione addere aliquam videatur; velut inde quoque pisces huius fluminis, & præsertim Salmones, & murænulæ aliis ubicunque longe præferuntur & pro delicijs alibi primis habentur.

Omnis generis commercia, quæ potissimum ad alimonia, & amictum faciunt, in copia ibi adferuntur, uti est butyrum, Casei magni Hollandici, Frisici, Ditmarsici, & Eiderstediani, armenta boum, vaccarumque pecuaria, velut & pisces gregales marini, ac fluviatiles, ut sturiones, Salmones salti, asselli albi, arefacti, truncati, molles & Callariades, antiacæi, stellati, Coliades; præcipua ibi multitudo halecum, salsarum muriaticarum, & torrefactarum, passerumque, aliarumque rerum invenitur, velut & pellium preciosarum ex Muscovia; nec non frumenta in tritico, secali, farragine, hordeo, &c. Item Panni Anglici & Leidenses materiæ vestiariæ variæ, &c. Præter fruges aliaque humano usui necessaria, quæ per Visurgim ad Brunsvicenses, Westphalos, Hassos, Thuringos & Francos, & alios populos Germaniæ avehuntur, & distribuuntur cum commodo ementium, & vendentium non levi. Magistratus etiam exinde summa cum cura hoc agit ne quid damni in privilegijs suis civitas, ad hunc finem facientibus patiatur; velut sat acre certamen per aliquot annos cum, comite Oldenburgico gessit, quum ille ambiret impositionem novam vectigalis in inferiori Visurgis parte prope Elsflitam.

Constat Magistratus ex 24. personis, & sunt quatuor Consules, quorum quisque suum ducit quartirium, ut vocant. Singulis annis duo Consules præsunt; ac penes quem est per semestre spacium propositio, aut directio, appellatur præsidens. Totum autem senatum cum partibus suis vocant die Witheit/ quasi Consilium sapientum dicetes. Etenim selectiores inter cives, præsertim ex civium filiis litteratos utplurimum adoptant; ita tamen, ut status mercatorum dimidiam retineat partem.

Modus electionis præ aliis longe optimus est, in quo minus quid suspicionis, & suppositionis, veluti alias passim fieri solet, ut potius ex favore, affinitate & consanguinitate, quam meritis & virtutibus, aut integritate, electi ad gubernacula rerum promoveantur, subordinari potest, velut in Republica Veneta istud inprimis pro fundamento status, & optimi regiminis fomentatione potissima habetur, unde tam diu per tot secula in flore inconcusso conservari potuit, ut maximam curam in provide electionis formam deponant, quæ unice in sorte ducenda consistit, quæ fit per globulos aureos ex urna suffragiorum per senatores extractos. Qui actus celebratur in consilio magno cum singulari solemnitate, inque conspectu Ducis, & omnium ad consilium publicum pertinentium qui eius membra referunt. Etenim ante suggestum illud, quo Principis solium sustinetur, in plano conclavis tres urnæ statuuntur, quæ & pilei dicuntur, & ab humo ita elevati ponuntur, ut introspici nequeant, saltem quod duo foramina ad manus inferendas habeant, si globuli sint extrahendi pro Magistratu eligendo, qui 60. personis proprie, & 60. nunc adiunctis constat; Consilium autem generale in se 1600. ut plurimum complectitur, statumque popularem refert, Magistratus autem proprie sic dictus Aristocraticum, & in determinatione Ducis Monarchici quid, ut quasi ex tribus formis mixturam quandam determinet, sed ratione consilii magni. Cuique urnæ ex duabus circiter octingenti globuli imponuntur, quibus subiniscentur 30. inaurati, Magistratui proprio de pregadi destinati, quum reliqui omnes globuli ex orichalco, & argento superinducti constent. Quæ vero media est urna 60. globulos in se depositos continet, nempe 36. auratos, & 24. argenteos, pro sortis confirmatione; velut alias habet solemnitates plures cum ceremoniis iste actus electionis, quæ adeo accurate observari coguntur, ut lex pœnalis omnia contraria severe prohibeat, in eum finem cuncta directa, ne quid suspicionis pro indignis in Magistratum evehendis subrepat, sed in omnibus unice virtus respiciatur, eruditio nempe sive prudentia cum pietate, & integritatis studio coniuncta.

Unde omnibus incolis huiuſmodi ingenii & vitæ cultura ita arcte impreſſa hæret, ut à prima iuventute nihil ferme aliud, quam hoc in omnibus mutuo urgeant, & alter alterum informet cum modeſtia: imo quoties cotidie conveniant in foro D. Marci incolæ, cives & patricii, nullam frequentiorem confabulationem inter ſeſe iactitant, quam de recommendatione virtutis. Atque ſi forte quem conſpicentur deambulantem pluribus ignotum, anteaque non frequenter viſum, ſtatim fit de hoſpitis talis adventu percontatio, quis & qualis ſit, ac unde oriundus; ante omnia autem non ſine curioſitate ſumma quæritur, num ſit virtuoſus, ut illorum fert locutio. Si eo nomine recommendetur à noto aut amico aliquo, ſtatim in collaudationem omnium incidit, in precioque non levi habetur, dum quid tandem virtuoſi ab eo emergere videant.

Optandum eſſet, ut hunc morē Venetianum inducerent multæ civitates Germaniæ noſtræ, apud quas non adeo virtus eſt in æſtimio ſuo digno, quam peſſime perverſiſſima lucri cupiditas, quæ non tantum bonis & virtuoſis omnem ſub manu invertit commoditatem, ſed etiam ipſi pietati vias omnes recte emergendi præcludit, velut inprimis videre eſt apud eas civitates, ubi Ariſtocratiæ paulo altior eviteſcit vigor in petulantia ſua, unde ſimul bonorum non tantum & vere prudentum fit ſuppreſſio, ſed etiam omnis amor & ſtudium erga virtutem & radicem eius pietatem ferme extinguitur, acribuſq; ſtimulis invidiæ tacita ſubminiſtratur æmulatio, donec in ſeditionem apertam iis in locis præ aliis erumpat. Etenim maxime mordere ſolet populum & plebem, ſi tantum inter eos, qui vel pecunia, vel affinitate, vel conſanguinitate ad dignitatem Magiſtratus, ut inde ſuum faciant lucrum, evectio fiat, & inde omnis expiret Iuſtitia, nec quid ſolatii, aut ſpei ſit aliis, qui virtutis ſtudio omni incumbunt. Annon igitur ibidem ſepulchrum Iuſtitiæ & honeſtati omni ferme præparetur.

Fuit quondam Lubeccæ Secretarius quidam inſignis iudicii vir, qui quum ſæpius talia conſideraret, nec non impetiretur toties ob protractionem Iuſtitiæ, ac ipſe interdum negotia talia cuperet pro commodo partium promovere, audiretque plebem iis ſemper inhærere querelis, quaſi Iuſtitia ibi haberetur ſepulta, niſi medicina illi ex auro applicaretur in tempore. Verum quum nec ipſe ſatis quid pro nutu impetrare, aut efficere poſſet, & renovanda eſſet picturis forte cancellaria, in rei huius memoriam ænigma tale inventionis ſuper apponi curavit foribus Cancellariæ, per quas in conclave ſcribarum ingreditur, ut Iuſtitiam iam quaſi defunctā feretro imponi, & ſepulcro abdi paſſim indicarit. Adſtat quidam, qui omnis generis homines in Magiſtratu quærat, ubi Iuſtitia habitet? Offendit is tandem ruſticum, qui pridem eam mortuam clamāt, monſtrando ſimul quomodo tumbæ incluſa iaceat nec quid ſpei ſupereſſe, ut reſuſcitetur. Scitum eſt figmenti iſtius effatum, & ingredienti cuivis in Cancellariam ob oculos poſitum eſt, ut non raro in opprobrium ibidem præſidentibus obiiciatur, quum tot graviores defectus, velut vix alibi irrumpant, de quibus ſuum & aulæ Imperatoriæ, & Cameræ Imperiali, quum tot cotidie augmentis actionum mirabilium & querelarum obruantur; merito relinquimus.

Ariſtocratiæ huic etiam non minor infertur culpa, quum electionis modus adeo diſtractus ibi habeatur, ut poſtea explicabitur. Sed interim ad Bremenſium electionem revertimur, quæ præ reliquis hoc laudis meretur, ut vix ſit, quæ Venetorum modo ſit propior. Etenim quoties quis ſive conſul, ſive ſenator moritur, à præſtitis exequiis ſtatim eodem die omnes Magiſtratus perſonæ alligatæ ſunt, ut in curia ſe ſiſtant, ubi in quatuor partes ſenatus divi ſus iuxta numerum 4. Conſulum, ſe ad tale compendium electionis confert, ut talis ſive teſſeris luda tur, quibus exprimatur ſors, ad quos, inter quatuor partium perſonas, per ſortilegium ius Electionis & ſuffragii perveniat. In quovis quartirio, ut aiunt, primū talorum proiecturam Conſul præſidens inchoat; deinde eius in hoc anno adiunctus; tertio qui proxime huic ſuccedit; donec tandem ultima pars luſum concludat, & in quovis quartirio notatur, cui ſors primas electionis partes attribuerit, ut ita in quovis quartirio unus maneat ad electionem deputatus; & iſti tandem quatuor in conclave ad conſultationem electionis huius ſtatim conveniunt: nec inde dimittuntur, donec in electione ſua certam perſonā denominarint, ad quā etiā ſæpius multa nocte mittitur pro indicatione nuncii huius, quod communi iſtorum electorum ſuffragio in Magiſtratus locum ſit cooptatus. Licet Venetianorum mos longe ſit accuratior, ut neque nutu, neque verbo quid heic ſit ſignificandum; ſed omnia ſorti in ipſa prenſatione candidatorum commiſſa maneant, uſque ad extremum, & peculiari prorſus modo fiat electio, & votorum collectio; ne quis ex favore, corruptela, conſanguinitateve tam nobilem aſſequatur locum, niſi Virtutis & Eruditionis cultu eum mereatur, & homo ſit integritati plane addictus: tamen iſte modus Bremenſium maxime aliis eſt præferendus, & ſummopere in hoc laudandus, quod tam manifeſtis nō expoſitus ſit corruptelis, quæ alias paſſim cum admiratione conſpiciuntur. ut ferme nuſpiam illud deliberationis conſilium obſervetur, quod Iethro ſuo genero Moſi ſuggeſſit, ut eligeret ex univerſo populo, qui Deum timerent, integritati addicti eſſent veraces, & avaritiam ſummo haberent odio, quum nulli alii eſſent idonei, qui millenis, aut centenis præficerentur in dignoſcenda Iuſtitia. Exod. 18. v. 21.

Nulla eſt Civitatum Reſpubl. à tumultu interno, & ab æmulatione remotior, quam ubi popularis ſtatus filiis in virtutis & pietatis ſtudio minus dignitatis locus præcluditur. Quippe Ariſtocratia ſemper arrogantiæ ita dedita eſt, ut reliquos cōremptui habeant, qui non ſui ſunt generis; quum tamen fundamentum nobilitati nil niſi virtus ſupponat. Quomodo igitur Magiſtratus vere ſuo fungatur officio, ſi amor Iuſtitiæ ibi non ex corde adſit, ſed potius lucrū in potiori ſit obſervatione? Ex converſatione vitæ anteactæ facile electoribus conſtare poteſt, quinam vere digni ſint, ne quid excuſationi heic ſubterfugii ſupponant: nec prudentis eſt dicere; non putaram, ut poſt factum demum quem actus pœniteat, quæ ſapientia nimis ſera eſt, & reipublicæ maxime damnoſa.

Sic & in Bremenſium electione hoc etiam ſingulariter

lariter obſervandum venit, quod nullus Conſulum aut ſenatorum locus vacuus ſtudio relinquatur, ob participationem lucri, quod alias fieri ſolet, ubi propterea electionis tempora differuntur ſæpius, aut ad aliud reiiciuntur tempus cum ſpe ſuſpenſionis, ut inter ſeſe reditus, & ſtipendia vacantium eo diutius dividant: velut id ſæpius fieri paſſim obſervatum eſt, ubi Ariſtocratia prævalet, quod etiam non raro motus in civitatibus Hanſeaticis funeſtos excitavit, uti id hiſtorici teſtantur.

Quum in ſuperiori tempore An. 1632. in menſe Septembri ex Belgio, quo ob belli acerrimi perſecutionem Hamburgi 14. Octobr. cum dira exſpoliatione perpeſſam, me An. 1627. conferre coactus fueram, quaſi ex poſtliminio à Reverendiſſ. & Illuſtriſſ. Archiepiſc. Iohan. Friderico Duce Holſat. ad officium Conſiliarij Cameræ interioris in Germaniam revocatet, ac maxime ob dirutas ædes Vordanas Bremæ degerem cum meis, offendi ibi in Magiſtratu admodum prudentes, & mihi ſatis gratioſe faventes viros Conſules 4. Dn. Schlichtingum iam ſenio confectum, & hemiplecticum, D. Iohannem Havemannum virum integritati omni addictum boniſque liberaliter inprimis Patronum ac beneficum, Dn. Dozenium I. U. D. & practicum, nec minus in prudentiâ inſignem, Dn. Wachmannum uſu rerum peritiſſimum, & Reipubl commodo integre ſtudioſum. In ſenatorio ordine fuerunt ſequentes Dn. Ioha. Almers, etiam ferme ſenio confectus, Dn. Nicolaus à Rheden, qui ob ſingularem prudentiæ dexteritatem nunc in Conſulis demortui dignitatem evectus eſt: D. Ludovicus Schnell, Dn. Regensdorff I. U. D. & quondam Conſiliar. Brandeb. Dn. Herm. Eſych, D. Daniel Huſmannus, Herm. Bochelman, Iohan. Köpkenius (cuius filius Henricus iuvenis perquam excellentis, eruditi, modeſtiq; ſimul ingenii, qui vix paulo ante ex Gallia & Italia domum reverſus fuerat, in Delmenhorſt, quo animi gratia exſpaciatum cum amicis iverat, à nobili quodam à Liet, quem parens tunc iudex ex ſupplicio capitis liberarat, admodum miſere & nefarie non ſine dolore ſummo meo & amicorum gladio perfoſſus eſt) Dn. Iohan. Schutteus, D. Hermannus Hemelingus, Dn. Vaſmarus Bahæus, D. Henricus ab Aſchen, Dn. Alardus à Böhnen, Dn. Liborius à Lihnen, vir moderatiſſimi ingenii & ſynceriſſimi Iudicii & fidei, qui toties Legationes aliquot in arduis perfecit, ac inde nunc conſul; Theodorus Coſterius, quondam in Academ. Iulia meus contubernalis & vir litteratiſſimus, mitiſque animi, quem inde ſemper amicum habui; D. Otto Speckhan, D. Ioha. Hojer, Dn. Iohan. Blebetus, Dn. Matthæus Chytræus, magni nominis illius Nathanis filius, vir in omni genere litteraturæ exercitatiſſimus, & eruditæ converſationi valde amabilis, Dn. Cunradus ab Eden, in humana gravitate honorabiliter cenſendus, Dn. Henricus à Kappeln I. U. L. & vir acuti ingenii, cum quo admodum ſuavem & iucundam converſationem in itinere habui, quum An. 1634. Halberſtadium ad Conventum Inferioris Saxoniæ Legatus à Civitate mitteretur; Dn. Hunike I. U. D. & D. ab Hoerde, qui poſteriores hi in ſenatum tunc adoptabantur.

Syndicum tunc habebant clariſſimum Dn. Iohan. Preisswerck Helvetium I. U. D. & virum candidū, inque omni genere politiæ verſatiſſimum, cui naturalis ea erat facundia, ut facile etiam adverſantes ſermone gravi poſſet evincere, & deconciliare civitati; unde variis in motu eo turbulento, qui adhuc proh dolor! durat, admovebatur legationibus, quas ſat feliciter undique expedivit non ſine laude omnium, cum quibus negotia tractarat publica: ſed quum An. 1633. 18. Martii præmatura morte præriperetur, ſupradictus ſenator Dn. Matthæus, cuius amicitia per aliquot annos ſingulariter ſum ita uſus, quaſi fratres eſſemus, Chytræus eius obitum inexpectatum prorſus dolenter ſic deploravit, ut elegidion hoc ſequens teſtatur:

Hei! me infelicem toties cui fragmina tanta
Decedunt animæ non reditura meæ.
Exequias ivi multis; ſed charior inter
Hos mihi nemo fuit; nec facile ullus erit.
Quid privata loquor? Reſpublica ſentiet ipſa,
Quantam iacturam fecerit hocce viro.
Elogio nil noſtro opus eſt tibi, dulcis amice;
Doctrina, ingenium, dexteritaſque tua.
Notior, officium quam me hoc ut poſcat inane:
Ob merita æterno nomine clarus obis.
Frendeat invidia, & liver ſibi viſcera rumpat:
In te nil poterunt viribus illa ſuis.
Sed tamen hos elegos ne dedignare ſepulcro
Si inſcribam, quo mox proximus ipſe tegar.

Epitaphium.

Heic ego depoſui Ianus Preisvverkius olim
Exuvias, rerum, quicquid in orbe, ſatur.
Namq; aderant, quæcunque ſibi ſpes fervida captat:
Gloria, opes, nati, propitiuſque Deus.

Mors tam optimi Viri quum Reverendiſſimo meo Principi ac hero, mihique Vordæ litteris Dn. Conſulis Iohannis Havemanni ex inſperato transcriberetur Vordam, & Princeps meus non minus quam egomet ipſe nimio concuteremur dolore ex amiſſione tam optati & ſolidi cordis viri, non potui me continere, quin in mediis aulæ turbis hanc effunderem Oden:

Eheu volucres quam nimium cito
Labuntur anni! Quam levitas levis
Vitæ fugit curſu peracto,
Nec remorę patitur quid addi!
Dum truditur lux luce, perit dies,
Et noctis umbras inſatiabilis
Mors iniicit nobis, nec ulli
Parcere novit amore cladis.
Quis flere nollet, ſi fragiles modo
Rerum vices quis rite per omnia
Momenta percenſere noſcat?
Quisnam adeo pietatis exors
Hoc flere nollet? Scilicet omnibus
Quicunque vitæ munere fungimur,
Incumbit hoc fas, ſive reges,
Sive inopes erimus miniſtri.

Est nemo tutus, dum spacium sibi
Hoc fingit evi longius: evolat
Nunc avocatus forte quidam,
Quem minime tibi sic notasses.
Hinc & dolorem iam merito gravem,
Luctumque nobis concipimus nimis
Durum miselli, quando cordis
Altera pars mihi nunc revulsa.
Secessit, Urbi nec minus alteram
Mors saeva ademit, qui comitem bonum
Cuivis bono sese solebat,
Iustitia columenque fidum
Proferre semper rebus in omnibus
Quodcunque tractans non nisi gratia
Dignum favore, liberalis
Indolis, ingeniique pectus.
Ast non salutis commoda publica
Curavit idem sapius, & sua
Solerter hinc summis probavit
Consilia Imperij columnis?
Is civitatem quis deceat statum
Et temperandae frena licentiae
Noscebat exacte, unde culpas
Et veteres removebat aestus.
Ah obstupesco, mî quoties subit
Imago chari tam capitis; mihi
Nec ipsus in tanto dolore
Amplius aut lacrumis superstum.
Amisimus proh! quem pietas diu
Servare nobis sancta superstitem
Et debuisset diu virtus,
Cuius amore perimus ipsi.
Sed dum supremam visere regiam
Nunc est coactus; dum generosius
Astris caput, nos respuendo,
Inserit, ordinibusque sanctis;
Cali quis ipsi gaudia splendida,
Summique sedes invideat throni?
Desiderata morte pridem
Quid subiit, minus id decebat
Urgere fletu nos miserabili:
Nostrum quis illum non cupiat sequi
Maturius, dum talis orbi
Imminet exitij ruina?
Nam tanta quid non vis, rabies, furor
Mortalium cum sevitie sua
Importet? aut tellus debiscat,
Sydera vel facient abortum.
Punire tandem sed Deus omnium
Pergat malorum vindicius suis
Perversitates. Inde cunctis
Praeripit ille bonos periclis.

Non immerito tunc mecum repetebam peramabiles conversationes, quas sæpius in conventibus publicis tam Hanſæ, quam aliis circularibus cum eo exercui. Undique nos quasi fratres mutuo amore nos inter nos fovebamus, velut & iucundissimam alii cum eo consuetudinem colebant, nec minus tamen in legationibus cunctis sat prompte cum gratiositate quadam expedire sua noverat negotia, in quibus semper adeo sedulus erat, ut nil absque cura cordis singulari & sollicita perageret. Sub eo tempore in Doct. Gronovii locum, qui & ipse Syndicus paulo ante diem suum obierat, senatus adoptavit D. Iohan. Langium I.U.D. & consiliarium alterum Archiepiscopi mei, qui & ipse, ceu vir est insignis eruditionis, & integræ fidei plenus, officio hoc laudabiliter satis adhuc fungitur, iam ultra triennium Viennæ in legatione degens. Multum negotii sic ita facessant publica incommoda, de quibus postea quædam enarrabimus.

Etenim dum mihi iam sub hac connotatione optimus vir Dn. Liborius à Lina, Consul eius Reipubl. quædam quasi in compendio huius civitatis statum cum idea eiusdem suggerit, consultum putavi, ut hæc velut cum fundamento locutionis suprà positæ ipsa hoc producam, quum nonnulla enucleatius in brevitate artificiosa, unde maxime senatus in hanc ab antiquo formam sit redactus, explicent. Delineatio igitur talis ita se habet.

Brema à ruborum olim ibi nascentium multitudine vulgo putatur deducta. Cromerus de gestis Polon. lib. 2. in pr. vult ex ibi congesta sive fabula sive historia Urbi, propter onus perpetui præsidii, à Lecho BREMIÆ sive BREMÆ nomen impositũ. A Ptolom. lib. 2. Phabiranon vocatur: Ad Visurgim inter Chaucos maiores situm. Carolus M. Imper. in fundatione in Wigmodia Saxoniæ Bremam collocat; nec dubium per constitutiones Imperii, quin in inferioris Saxoniæ circo veniat.

Quamvis autem pro ruditate Barbarici seculi, quando BREMA civitas esse cæperit, non constet, certo tamen certius est, iam ante tempora constitutæ sedis Episcopalis eam civitatem fuisse, adeoque eo respectu illi à Carolo Magno Anno 788. cum Ecclesia, suæ libertates & privilegia relicta & concessa.

Quoad ædificia, Urbs, ut fieri assolet, sua accrementa habuit, sed illa ob temporum iniuriam ante D. Willehadum ut plurimum latentia: nisi quod verisimile sit, eum tractum, quem Visurgis ab una, BALGA, vetus fossa, ab altera parte abluit, primũ inhabitari cæptum; muro firmissimo postea contra incursiones Ascomannorum circa Annum Christi 1000. & rursus Anno 1032. & seqq. agger accessit circa Annum Christi 1020. Sed & tum eius finis ad occasum fuit porta, vulgo die Natell/ qua modo transitur ad D. Stephani prope publicum granarium novum, & patet Stephaniam illam Parochiam An. Christi 1307. muro esse circumdatam: Quin & suburbia & vicini pagi partim natura, partim industria Civium, alicubi ad milliare, aggere, fossa, speculisque contra subitas incursiones sub Anno 1309. circumdati. Ab inde etiam viam Regiam Anno 1385. silicibus hac illac euntibus in bonum, &, loco traiectus Lesmonensis, Pontem zur Burgk sterni curatum. At munitionibus hoc seculo eo usque excrevit, ut Germaniæ Civitatibus insignioribus sit adæquanda, inter quas Anno 1623. novum illud opus versus Orientem ultra Visurgim multis miraculi loco est. Portas, ultra illas ad stationem navium ducentes, Urbs sex habet: Parochias quatuor, quarum Mariana,

Matiana, ſive D. Virginis antiquiſſima orſum cepit Anno Chriſti 1160. quæ ex ſe peperit Anſgarianam Anno 1182. & Martinianam, cuius B. Martini templum à Civibus ab Anno 1376. octo annis perfectũ. Stephaniana quarta progreſſum habuit ab An. 1139. Baſilica Eccleſia Anno 1466. altiori acumine enata, forum ſpectat, circa quod ad ſtatuam Rolandinam (indubium libertatis documentum) elegantioris ſtructuræ etiam prope Marianam Anno 1405. conſtructa curia, & è regione mercatorum Andrium, nec non a telonium cum Pharmacopolio viſitur. Nihil hic de ſacellis, noſocomiis, Prochotrophiis, Orphanotrophio, armamentario, Gymnaſio, granariis publicis, ſplendidiſque aliis etiam privatorum ædificiis innumeris.

Gubernatio ab antiquo penes poteſtates, & Iudiciariam manum, uti appellabãtur primitus, poſtmodo Proconſules & Conſules ſtetit, donec in Oligarchiam tempore Gropelingii interfecti An. 1307. vergeret, ubi illis eiectis magis democratice Reſpublica gubernari cœpit, nihilominus 3. Proconſules, & 31. Conſules, ex quatuor illis ſuperius denominatis Parochiis ita lecti, ut in mortui locum ex altera Parochia quempiam aſſũtere Electores iuramento prohiberentur, donec An. 1391. ſub Bonifacio PP. diſpoſitione pontificia accedente, liberum fieret, ut nulla parochiæ, ſed virtutis & prudentiæ habita ratione optimi quique de civitate (die nützeſten vnd beſten) in ſenatum cooptarentur. Quæ electionis ratio hodieque obtinet, at gliſcente ſub Anno 1416. diſcordia inter ſenatum & cives, interventu vicinorum Principum & Civitatum Anno 1433. numerus, qui etiamnum tenet, ad 4. Conſules & 24. ſenatores redactus, Magiſtratus autem authoritas eo (daß es ein Vollmächtiger Rath ſeyn ſolle) ſtabilita eſt, & ſtatuta, quibus hactenus utimur, promulgata. Hæcque denuo nova Concordia (durch die newe Eintracht) ut vulgo appellatur, abunde comprobata, in quam omnes, & ſinguli, ſive Originarii, ſive cooptati, cives, præconceptis verbis, ſe in contrarium haud allaboraturos, iurare tenentur. Sic nec cuiquam, vel etiam toti alicui collegio, præter ſenatum, de negotiis, Rempublicam concernentibus, conſultare, cõventuſque extra ſuæ profeſſionis, & opificii limites agere licitum: Quinimo quoties tribus aliqua opificum ut talium convenit deliberationibus eiuſdem à capite ad calcem duo ſenatores præſunt, ne quippiam extra oleas moveatur proſpectari. Senatus ipſe Magiſtratus creat, honoreſque & officia diſtribuit, ærarium curat: Et quamvis non ex ſuo tantum, ſed & mercatorum, opificumque Collegiis, quos vult, ærario, granario, armamentario, Xenodochiis, noſocomiis, collectis extraordinariis, & quæ id genus, aliis præficiat: Rationes tamen acceptorum, & expenſarum ſolus & iniungit & accipit.

Eſtque Magiſtratus non anniverſarius, ſed perpetuus, niſi quod ſuis vocibus quovis ſemeſtri unus Conſulum cum ſex ſenatoribus, Iudicialibus & aliis, totum Reipubl. ſtatum non concernentibus, præſit, cui, qui priori ſemeſtri ad gubernacula fuere, Conſul & ſex ſenatores, adſeſſorum titulo ubique adſunt, manumque porrigere tenentur. Adeoque rem penitius proſpicienti. ſtatum Ariſtocraticum, populariter aliquatenus temperatum, illic vigere patebit.

Nec tamen ſenatus authoritas & regimen Civitatis tantum mœnibus & numero civium includitur, ſed ſuum peculiare, & proprium habet territorium. Nimirum circa BREMAM ad miliare fere in circuitu, ut Diameter contineat duo milliaria cuius centrum Urbs ipſa. Quatuor ſunt præfecturæ (die vier Gohen) Vihelandica ſuperior & inferior, ad meridiem trans Viſurgim parochias cõtinet 3. pagos 13. Cis Viſurgim ad Orientem Hollerlandica, continens parochias tres, pagos quinque, cuius particula fere videtur Borchfeldica, quæ tamen ſeparata, nec ſoli ſenatui, ſed ſimul Brandiorum familiæ patet, ſuamque habet parochiam: Ad ſeptentrionẽ Blochlandica, ad Wumniam flu. una conſtans parochia, Werderlandica ad occaſum, quæ conſtat parochiis tribus, & pagis novem, cuius ſequela agger Borgenſis, Borgdam. Iudices harum præfecturarum è ſenatu appellantur Gogravij. Abinde etiam civitas duabus Satrapiis (Droſtſchafften) gaudet, quarum altera ab interiacente nobilium ditiuncula ferme ſecundo lapide diſtat Brema: arce ſatis eleganti, elegantiſſimo portu pro navium maiorum receptaculo, non ita pridem ad Vegeſackium decorata: Quã excipit, eique fere iam cohæret præfectura Neukirchenſis, utraque ſuis parochiis & pagis ſplendens. Rurſus poſt interpoſitã Archiepiſcopi partim, partim Nobilium ad Geſtam fl. terram ſequitur ſatis locuples civitatis forum Leha, ad Viſurgim in gleba fertili ſitum: quod ſubnexum alteri civitatis Satrapiæ, & Arci Bederhoſſanæ, quæ ipſa non modo foſſa, Valloque, ſed & armamentario cum præſidio permanente munita, & ſub ſe habet parochias ſeptem, pagos circiter novemdecim, olimque nomen Baroniæ (einer Herrſchafft / oder Herrligkeit) ſuſtinuit. Utraque vero Satrapia ſuo meromixto imperio, omnimodaque Iuriſdictione peculiari gaudet. Gubernationi (gladii iure ſolum excepto, quippe quod unius ſenatus diiudicationi relinquitur) præſunt ſemper duo ſenatores. Nec parum decoris hoc loci addit, quod nobilia feuda antiquæ proſapiæ militares de Lithe à ſenatu recognoſcunt, ſuiſque ſemper temporibus eorundam inveſtituram, more de iure recepto, petere coguntur. De Witmunda, & Eſena ditionibus, quæ olim comites Ritbergenſes à ſenatu recognoverunt, nunc Comitibus Friſiæ Orientalis parent, earundemque ceſſione, nunc nihil attinet dicere.

Cum autem BREMA Urbs cum ſuis diſtrictibus Mari ſit vicina, totique Imperio Romano-Germanico, ac vicinis non modo ſuis mercibus multum utilitatis conferat, ſed & mare, præſertim ad oſtium Wiſeræ, & in Wiſera tranquillum, & à prædonibus liberum, adeoq; Saxoniam inferiorem ſuo obice ſecuram reddat, apparet, cur Claves inſignium loco gerat, geſſeritque iam olim ſuo iure: Indeque nec minus ob res pace, belloque fortiter geſtas, (ut ex privilegio Henricano Anno 1111. dato, ab aliquot poſt Imperatoribus confirmato, patet) Iura fluminis Wiſeræ ſibi vendicat, non immerito & inibi ius piſcandi Bremenſibus competit à Caſtro Hoya, quod nunc Lunæburgicorum eſt, uſque ad ſalſum mare. Idem Iuris uſurpat in Hunta, Ochtemunda, Wumma & Leſmona: Ne quid addam de civitatis ſingulari ac liberiori, at aliis reſtricto, Commerciorum exercitio in publicis fluminibus: Et quo in Viſurgi à vicinis etiam magis cautum eſſet, maiores, ne

arces

arces vel munitiones ei imponerentur, ſibi abunde proſpexerunt.

Quo ſtatu ſit civitas, quemque ſuperiorem agnoſcat, vulgo liquet. Certum namque eſt, quoad originem, ſub paganiſmo, & liberum Saxoniæ populum, & civitates omnes liberas fuiſſe. taleſque uſque ad Caroli Magni tempora ſaltem manſiſſe, ab hoc vero populum libertatis aſſuetum, non ſeculari, ſed tantum Eccleſiaſtico Iure nexum, locoſque inſigniores in priſtinæ libertatis maius argumentum ſtatua Rolandina & Epiſcopali ſede auctos, nec quicquam eo ipſo temporali Magiſtratus poteſtati delibatum, aut detractum eſſe, quippe quod id temporis Epiſcopi docendi, prædicandique munere ſolum fungerentur, ſecularibus negotiis non impliciti, quibus emolumenti loco decimæ conceſſæ : Id quod & ſactis, primæque ordinationi, ac fundationi congruit, ut & iuri conſentaneum cenſetur. Quamvis vero paulatim latius provecti fuerint Epiſcopi, functioniſq; limites egreſſi, præſertim Adaldagus & Albertus, Principum Iura hic illic affectarint, illa nihilominus Civitatem in tantum non affecere, quin Imperat. Authoritatibus eluctata ad priſtinam libertatem provocarit nec quicquam remiſerit unquam, uti poſterior obſervantia, & modernus Reipubl. ſtatus etiamnum edocet. Ubi certo certius eſt, Archiepiſcopos nec ius terrendi, nec merum mixtumve Imperium, nec omnimodam Iuriſdictionem, nec alia Iuri territoriali adhærentia Iura, & regalia in civitate habere, ſed omnia illa iura ad ſenatum & ab illo proxime, & immediate ad Imperium ſpectare.

Hactenus communicata delineatio, quæ ſatis liquide declarat diſtinctam modernam à priori regiminis forma rationem, & unde ea ſit: quam etiam non piguit nuper ipſius prodromus Urbis, pro explicatione hiſtoriæ eius, allegatam introducere, quũ ad Comitia Publica Imperii à Ferdinando III. Imperatore hodierno ſub dato Civit. Wels 26. Maij Anno 1640. citata eſſet, atque Archiep. Fridericus ad ſuggeſtionem Civitatis id ita in præiudicium ſuũ factum putaret. Etenim veluti conſuetudo ferme eſt adſidua, ut Civitatibus ſua ſuperioritatis Iura in diſputationem invidioſam plerumque abripiantur; ita quoque ſæpius diſquiritur, quod per ſe queat eſſe apertum, ſi modo ſyncera quis incueri quidpiam velit mente & iudicio. Habent Bremenſes ſui ſtatus fundationem, uti poſtea patebit; hac vice prius ſubnectemus privilegium Henrici 5. Imperatoris, quod hoc peculiare quoque exprimit commerciorum fundationem in Viſurgi, quod ita in formalibus ſuis ſe habet.

Privilegium Henrici V. Imperatoris ſub dato Moguntiæ An. IIII. 2. *Id. Maij.*

IN NOMINE SANCTÆ & individuæ TRINITATIS, Henricus divina favente Clementia Romanorum Imperator, & ſemper Auguſtus. Imperatoriam noſtram decet, ut ex officio noſtræ à Deo ſolertiæ commiſſo ad augmentum Sacri Imperii vigilem operam impendamus, & præcipue ſuper incrementum Civitatum, excellentiæ noſtræ fideliũ, efficacibus ſtudiis libenter intendamus. Ea propter ad omnium tam præſentium, quam futurorum deducimus notitiam per præſentes. Quod nos diſcretæ conſiderationis intuitu perpendentes honeſtatẽ ac officioſam devotionem Civium Civitatis Bræmenſ. eorumque fidei digne cupientes reſpondere, propter eorum deificam & fidelem utilitatem, quã Romano Imperio, & fidei Chriſtianæ utiliter obſequendo exhibuerunt, concedimus eis, & Civitati Bræm. confirmamus illa Iura, quæ Sanctæ recordationis Carolus Imperator, ad inſtantiam petitionis Sancti Willehadi, primi Bræmenſ. Eccleſiæ Antiſtitis, ac cæteri prædeceſſores noſtri, Romanorum Imperatores eidem Civitati Bræm. conceſſerunt. Inſuper damus & concedimus eiſdem Proconſulibus, Conſulibus, & civibus dictæ Civitatis Bræmenſis hanc gratiam, & libertatem, ut ſi aliquem iudicem ſecularem, ipſos aut eorum aliquem monere, & citare contingat, ad comparendum coram eo, extra Diœceſin Bræmenſ. ad locum, qui ſedes libera nuncupatur, quod ibi comparere non teneantur, ſi coram Antiſtite velint ſtare Iuri, in illa cauſa, pro qua citati fuerint. Item damus eis plenam & liberam poteſtatem pacificandi & protegendi, & defendendi, una cum eorum Antiſtite ſtratam noſtram regiam, ſcilicet Wyſeram, ex utraque parte littoris, à Civitate Bræm. prædicta, uſque ad ſalſum Mare, nec non mercatores cum ſuis navibus, & mercimoniis, civitatem prædictam adeuntes, ſeu viſitantes, & ab ea declinantes. Si vero Antiſtitis eorum auxilium, & adiutorium ad dictam ſtratam defendendam habere non potuerint, ex tunc per ſe facere poterunt, pleno iure, & iuſto iudicio, contra piratas & prædones procedendo. Cæterum propter obſequiorum prõptitudinem, multaſque Deificas virtutes, viriles actus, ac non modicos labores, & expenſas, quos & quas cives Bræmenſ. per mare ſuis navibus, & per terram fecerũt in Paſſagio ultra mare ad terram ſanctam, quando Civitas Ieroſolimitana tempore præclaræ recordationis Henrici Genitoris noſtri ab Illuſtribus Ducibus, Godefrido & Baldewino capta fuerat, & obtenta, ubi non modicus populus armatus de dicta civitate, & diœceſi Brem. dicitur interfuiſſe, Proconſules & Conſules ipſius Civitatis Bremenſis dignos facimus, hanc gratiam & libertatem eis dantes, & concedentes, ut ſeipſos, eorum veſtes, & indumenta auro, & vario opere, ut militibus eſt conceſſum, poſſint, & valeant adornate, & ad ornatum ferre. Et in ſignum huiuſmodi libertatis, & gratiæ licentiamus eiſdem, quod in eorum Civitate Bremenſ. ſignum & imaginem Rolandi poſſunt ornare Clypeo & armis noſtris Imperialibus. Hinc eſt attendendum, quod, quoniam ex longa temporis antiquitate non ſolum conſuetudines, verum etiam iura plerumque ſolent immutari, Imperiali cautione decernimus, ſalva in omnibus Imperialis Iuſtitiæ dignitate, rata hæc omnia in poſterum illibata conſervari. Unde & præſentem paginam conſcribi iuſſimus, & Maieſtatis noſtrę ſigillo communiri; ſtatuentes, & Imperiali auctoritate ſancientes, ut nullus Dux, nullus Marchio, nullus Comes, nulla omnino perſona parva, vel magna, ſecularis vel Eccleſiaſtica, huic noſtræ confirmationi audeat contraire, nec aliquo præſumptionis modo apponat, eam aliquatenus attemptare. Quod qui fecerit, in ultionem temeritatis ſuæ centum libras auri puri componat, dimidium Imperiali Cameræ, & reliquum civitati Bremenſ. Huius rei teſtes ſunt, Anna Archiepiſco-

piſcopus Eccleſiæ Colonienſis, Rothardus Archiepiſcopus Moguntinenſis, Fridericus Epiſcopus Halberſtadenſis, Udo Marchio in Brandenborch, Magnus, Dux Saxoniæ, Welpo, Dux Bavariæ, & alii quamplures. Datum & actum Moguntiæ II. Idus Maij, Indictione quarta, Anno Domini Milleſimo Centeſimo Undecimo.

Talis quoque confirmatio ſenatus à Pontifice ſummo habetur de An. 1391. cuius formalia ſic ſunt edita.

Bonifacii Pontificis diploma de An. 1391.

BOnifacius Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Iuſtis petentium deſideriis libenter annuimus, illaque proſequimur favoribus oportunis. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dilectorum Filiorum, Proconſulum, Conſulum, & communitatis civitatis Bremenſis, petitio: continebat, quod cum de antiqua, & approbata, ac hactenus obſervata conſuetudine, in prædicta civitate ſit obtentum, quod triginta tres Conſules, & tres proconſules, ex certis quatuor dictæ civitatis parochiis duntaxat eliguntur, & aſſumuntur, quorum triginta trium Conſulum undecim, & trium Proconſulum prædictorum unus quolibet anno, eidem civitati, cui magna & gravia incumbunt negotia, præſes, ipſamque regere, & gubernare debeant, ac Proconſules, & Conſules huiuſmodi tempore, quo ad Proconſulatum, ſeu Conſulatum dictæ civitatis aſſumuntur, corporaliter iurare oporteat, prædictam conſuetudinem inviolabiliter obſervare, & quandoque contingat in aliqua vel aliquibus, ipſarum quatuor parochiarum, de qua, ſeu quibus ex conſuetudine prædicta loco cedentium, vel decedentium Proconſulum, & Conſulum huiuſmodi electio, & aſſumptio fieri deberet, perſonas ad huiuſmodi regimen, & gubernationem idoneas, & utiles deficere, & propterea ſtatus dictorum Proconſulum, & Conſulum diminuantur, diſcordiæq; inter proconſules ex parte una & communitatem, prædictos, ſæpius oriantur, ex altera, dictaque civitas in huiuſmodi ſuo regimine deſoletur, pro parte proconſulum, conſulum, communitatis prædictorum, nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut providere eis, ſuper præmiſſis de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Nos igitur, qui cunctorum Chriſti fidelium ſtatum proſperum, & tranquillum conſervare, & eorum diſcordiis ac ſcandalis, & deſolationibus obviare, intenſis deſideriis affectamus, conſideratione etiam venerabilis fratris noſtri Philippi Epiſcopi Oſtienſis, nobis ſuper hoc humiliter ſupplicantis, huiuſmodi Epiſcopi, & Proconſulum, ac Conſulũ & communitatis prædictorum, in hac parte ſupplicationibus inclinati, eiſdem proconſulibus, conſulibus, & communitati, ut aliquo, ſeu aliquibus, ex Proconſulibus, vel conſulibus prædictis, pro tempore exiſtentibus, cedente vel decedente, aut cedentibus vel decedentibus ſuperſtites ex iiſdem Procõſulibus & Conſulibus, ad quos loco eorundem ſic cedentium vel decedentium aliorum Proconſulum vel Conſulum, ad huiuſmodi regimen idoneorum, electio & aſſumptio pertinuerit, alium ſeu alios, idoneum ſeu idoneos, virum ſeu viros, ex dictis quatuor, vel quibuſcunque aliis parochiis, plateis, ſtratis, ſeu vicis, vel locis dictæ civitatis, prædictum numerum proconſulum, & conſulum ſupplendo eligere, & aſſumere, ipſique ſuperſtites, ac ſic electi, & aſſumpti, ut præfertur eidem civitati præeſſe, ipſamque regere, & gubernare libere poſſint, prout proconſulibus, & communitati prædictis melius, & utilius pro huiuſmodi regimine, & gubernatione ipſius civitatis viſum fuerit expedire, conſuetudine & iuramento prædictis, & aliis in contrarium editis non obſtantibus quibuſcunque, autoritate Apoſtolica, tenore præſentium indulgemus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire: ſi quis autem hoc attemptare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius, ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Decimo quarto Calend. Februarij, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

Sic & fundatio Urbis conſtat maxime ex privilegio, ab Imperatore Maximiliano Primo confirmato, cui tota quum inſerta ſit fundatio, eam quoque, Coloniæ An. 1512. Menſ. Aug. datam, verbotenus inſerere volui, ſic ſe habentem.

Caroli Magni fundatio à Maximiliano confirmata.

MAximilianus, Divina favente Clementia, Electus Romanorum Imperator, ſemper Auguſtus, Germaniæ ac Hungariæ, Dalmatiæ ac Croatię Rex, Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Lotharingiæ, Brabantiæ, Stiriæ, Carniolæ, Carinthiæ, Limburgiæ, Lucenburgiæ, & Geldriæ, Landgravius Alſatiæ, Princeps Sueviæ, Palatinus in Habſpurg & Hannoniæ, Princeps & Comes Burgundiæ, Flandriæ, Tirolis, Goritiæ, Artheſiæ, Hollandiæ, Sehelandiæ, Ferretis, Niburgiæ, Namurſi & Suthphaniç, Marchio Sacri Imperii Romani ſuper Amaſum, & Burgoviæ, Dominus Friſiæ, Marchiæ, Schlavoniæ, Mechliniæ, Portus Naonis, & Salinarum. Recognoſcimus & tenore præſentium profitemur Univerſis. Cum Imperatoria Maieſtas ea potiſſimũ gratia in Romani Imperii culmine conſtituta ſit, ut circumquaque aciem ſuæ conſiderationis dirigens, quos promereri digne animadverterit, ſingularibus gratiis, ac libertatum prærogativis præ cæteris extollat, in eo tamen omnium maxime debet intendere, ut priſcorum Romanorum ab ipſis pene Urbis initiis, & fundamentis cæptam religionem, & deinde ſucceſſive ab Imperatoribus Chriſtianis ſacramentis imbutis ad verum Dei cultum redactum, & poſtremo à Germanis, in quos Imperium, quod ipſi virtutibus promeruere, translatum eſt, ad hanc reverentiam, qua undique per latitudinem ipſius Imperii celebratur perductam, non modo non conſervet, ac manu teneat, ſed & amplioribus indies augeat incrementis. Hinc nos prædeceſſorum noſtrorum veſtigia imitantes ad ea imprimis, quæ ſtatum felicem & quietum, conſervationemque iurium & libertatum, ac gratiarum perſonarum Eccleſiaſticarum, & Religioſarum concernunt, cura intendimus diligentiori. Cum itaq; pro parte Venerabilis Chriſtophori Archiepiſcopi Bremenſ. & Adminiſtratoris Ver-

tis Verdens: Principis devoti nobis dilecti, nobis humiliter fuerit ſupplicatum, & expoſitum, Quod cum iam dudum ipſius Epiſcopatus, & Eccleſia Bremenſ. ab olim Divo Romanorum Imperatore CAROLO MAGNO prædeceſſore noſtro ſingularibus ſit privilegiis, gratiis & libertatibus fundata & dotata, vigore litterarum emanatarum, quarum tenor de verbo ad verbum ſequitur, & eſt talis:

IN Nomine Domini Dei & Salvatoris noſtri Ieſu Chriſti, CAROLUS Divina ordinatione, & providẽtia Rex, ſi Domino Deo Exercituum ſuccurrente, in bellis victoria potiti ſumus, & in illo, & non in nobis gloriamur, & in hoc ſeculo pacem & proſperitatem, & in futuro perpetuæ mercedis retributionem nos promereri confidimus. Quapropter noverint omnes Chriſti fideles, quod Saxones à progenitoribus noſtris ob ſuæ pertinaciam perfidiæ ſemper indomabiles, ipſique Deo, & nobis tamdiu rebelles, quouſque illius, non noſtra virtute, ipſos & bellis vicimus, & ad Baptiſmi gratiã, Deo annuente perduximus, & priſtinæ libertati donatos, & omni nobis debito cenſu ſolutos, pro amore illius, qui nobis contulit, ipſi tributarios, & ſubiugales devote adduximus, videlicet, ut qui noſtræ poteſtatis iugum hactenus ferre recuſaverunt, victi iam Deo gratias & armis, & fide, Domino & Salvatori noſtro Ieſu Chriſto, & ſacerdotibus eius, omnium ſuorum iumentorum & fructuum, totiuſque culturæ Decimas ac nutrituræ, divites & pauperes, legaliter conſtricti, perſolvant. Perinde omnem terram earum antiquo Romanorum more in Provinciam redigẽtes, & inter Epiſcopos certo limite diſterminantes, ſeptentrionalem illius partem quæ & piſcium ubertate ditiſſima, & pecoribus alendis habetur aptiſſima, pio Chriſto, & Apoſtolorum ſuorum Principi Petro pro gratiarum actione, devote obtulimus, ſibique in Wigmodia, noſtro nunc vocabulo Witmunde vocata, in loco Bremen ſuper flumen Weſeram, Eccleſiam & Epiſcopalem conſtituimus Cathedram. Huic Parochiæ decem pagos ſubiecimus, quos etiam abiectis eorum antiquis vocabulis, & diviſionibus in duas redegimus Provincias, his nominibus appellantes, Witmunde & Lorgoe, nunc Repesholt & Fredeborck nuncupatas. Inſuper præfatæ conſtructionem Eccleſiæ in ſupradictis pagis ſeptuaginta manſos cum ſuis Colonis offerentes, totius huius parochiæ incolas, decimas ſuas Eccleſiæ, ſuoque proviſori fideliter perſolvere, hoc noſtræ Maieſtatis præcepto iubemus, mandamus & confirmamus: Adhuc & ſummi Pontificis Papæ Adriani præcepto, nec non Moguntini Epiſcopi Lullonis, omniumque qui affuere, pontificum conſilio, eandem Bremenſem Eccleſiam, cum omnibus ſuis appẽdentiis Willehado, probabilis vitæ viro, coram Deo, & Sanctis eius commiſimus. Quem etiam primum eiuſdem Eccleſiæ, tertio Idus Iulii conſecrari fecimus Epiſcopum, ut populo divina ſemina verbi, ſecundum datam ſibi ſapientiam, fideliter diſpẽſando, & novellam hanc Eccleſiam Canonico ordine, & monaſteriali competentia utiliter inſtruendo, plantet & riget, quouſque precibus ſanctorum exoratus incrementum det omnipotens Deus. Innotuit etiam idem venerabilis vir ſerenitati noſtræ, eam, quam diximus parochiam propter Barbarorum infeſtantium pericula ſeu varios eventus qui in ea ſolent contingere, ad ſuſtentacula, ſive ſtipendia Dei inibi Deo militantium minime ſufficere poſſe. Quãobrem quia Deus omnipotens in gente Friſonum, ſicut & Saxonum oſtium fidei aperuit, partem prænominatæ Regionis, Friſiæ videlicet terram Buthiadingerland, Stortland, Wuſterland, quæ contigua huic parochiæ eſſe dignoſcitur, eidem Bremenſi Eccleſiæ. ſuoque proviſori Wilhado Epiſcopo, eiuſq; ſucceſſoribus perpetuo delegavimus derinendam. Et quia caſus præteritorum nos cautos faciunt in futurum ne quiſque aliquam ſibi in eadem Diœceſi uſurpet poteſtatem, certo eam limite fecimus terminari, eique hos terminos deſignavimus: Mare Oceanum, Albim fluvium, Liam, Stambach, Haſolam, Wimarchiam, Schneidbach, Oſtam, Mulmbach, motam paludem, quæ Sigefridesmohr, Quiſtinam, Chiſemohr, Affborch, Wiſeborch, Buiernam, Uternem, iterumque Oſtam, ab Oſta vero uſque quo perveniatur ad paludem, quæ dicitur Caldenbach. Deinde ipſam paludem uſque ad Wempnam fluvium, à Wempna vero Bickman, Farſtinam & uſque in Weſeram fluvium. Deinde ab Orientali parte eiuſdem fluminis viam publicã, quæ dicitur Heſſewech, Sturmagæ & Lorgæ diſterminantem, Sechbaſum, & Alapam, Caldowa, iterumque Weſeram. Ex occidentali autem parte viam publicam, quæ dicitur Flotwech, Derne & Lorgæ dividentẽ uſque in Huntam fluvium. Deinde ipſum flumen & Amrmum, Lucum Sylveſtrem, quem Incolæ loci Widloch, nunc Wildeshuiſen nominant, Finolam, Wildesmohr, Pretpol, Eddenreit paludem, Emiſgæ ſcilicet Embden & Oſtergæ, videlicet Oſtringland diſterminantem Brutslagæ Biberbach, iterum mare, firmos intranſgreſſibiles circumſcribi iuſſimus. Et ut huius donationis, circumſcriptionis auctoritas noſtris, fructuriſque temporibus, domino protegente valeat inconvulſa manere, manu propria ſubſcripſimus, & annuli noſtri impreſſione ſignari iuſſimus. Signum Dn. Caroli Regis invictiſſimi, Hildibaldus Archiepiſcopus Colonienſis, & ſacri Palatii Capellanus, recognovi. Data ſecundo Idus Iulii, Anno Dominicę incarnationis ſeptingeteſimo, octuageſimo octavo. Indictione duodecima. Anno autem Regni Domini Caroli viceſimo primo. Actum palatio Nemetenſi feliciter, Amen.

Quare ex ſolita noſtræ benignitatis Clementia, eiuſmodi litteras approbare, innovare, ratificare, & confirmare dignaremur. Nos igitur prænominato Bremenſi Archiepiſcopo, & ipſius Eccleſiæ commodis, & quieti inclinati, cupientes ipſius iuſtis deſideriis, & petitionibus acquieſcere, ut & ipſe Archiepiſcopus, ſuique ſucceſſores in ipſo Epiſcopatu Eccleſiam Bremenſem Canonice, & debito ordine, & competentia melius, & tranquillius regere, ſolutique populi ſui liberius proſpicere, & incumbere poſſint, prædictas litteras, univerſaque & ſingula iura, libertates, prȩeminentias, conceſſiones, donationes, immunitates & gratias à Divo Romanorum Imperatore Carolo Magno prædeceſſore noſtro ut prȩmittitur, conceſſas atque donatas, conceſſa, tradita & donata, in omnibus ſuis punctis, clauſulis, tenoribus, articulis, ſententiis & expreſſionibus approbavimus, confirmavimus & ratificavimus, ac tenore præſentium, motu proprio, & ex certa noſtra ſcientia approbamus, confirmamus & ratificamus,

decer-

decernentes & volentes, atque hoc Imperiali ſtatuentes edicto expreſſe eiuſmodi litteras, omniaque ſupradicta, & has noſtras perpetuis temporibus obtinere roboris firmitatem. In contrarium facientibus, non obſtantibus, quibuscunque ſupplentes omnes defectus, ſi qui in præmiſſis, ſeu aliquo præmiſſarum quomodolibet contingeret reperiri. Noſtris tamen, & Imperii ſacri, ac cuiuſcunque alterius iuribus in his ſemper ſalvis. Nulli ergo hominum liceat hanc noſtræ approbationis, confirmationis & ratificationis paginam infringere, aut ei quovis auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, noverit, ſe indignationem noſtram, & Imperii graviſſimam, ac pœnam centum Marcarum auri puri, pro dimidia parte Fiſco, ſive ærario noſtro Cæſareo, pro reliqua vero dimidia præfato Archiepiſcopo Bremenſi & ſucceſſoribus ſuis uſibus applicandarum irremiſſibiliter incurſurum. Harum teſtimonio litterarum ſigilli noſtri appenſione munitarum. Datæ in Civitate noſtra Imperiali Colonienſi, die undecima menſis Auguſti, Anno Dn. milleſimo, quingenteſimo, duodecimo, Regnorum noſtrorum, Romani viceſimo ſeptimo, Hungariæ vero viceſimo tertio.

Maxim.

Loc. Sig.

Ad Mandatum Imperatoris proprium.

P. Sentem.

Caroli Magni fundatio à Maximiliano confirmata.

VElut autem Urbs hæc in confirmatione privilegiorum ſe conſtanter conſervavit; ita quoque eadem à moderno Imperatore Ferdinando III. in ſimili tenore confirmata obtinuit, uti ex ſequenti diplomate videre eſt, quod ex Germanico ita translatum habetur.

Ferdinandi III. Imperat. Confirmatio Caroli V. Imp. Civitatis Bremenſis ſtatum in regimine ſuo concernens de An. 1637.

NOs Ferdinandus III. ex Dei gratia, electus Roman. Cæſar, Imperij ſemper Auguſtus in Germania, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, & Sclavoniæ, &c. Rex, Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, Styriæ, Carinthiæ, Croatiæ, Lutzenburgi, Würtenbergi, ſuperioris & inferioris Sileſiæ, Princeps Sueviæ, Margravius Sacri Romani Imperii, in Burgovia, Moravia, ſuper. & infer. Luſatia, Princip. Comes Habſpurgenſis, in Tyrol, Pfierda, Kyburg & Gortz, Landgravius Alſatiæ, Dominus in Wind. Marca, Brottenavia & Salniſa, confitemur aperte hiſce litteris, & notum facimus cuivis omnium, quod nobis honorati noſtri, & Imperii dilecti fideles, N. Conſules, Senatus & cives communionis civitatis Bremenſis, in fide digno documento obferri curarint, privilegium quoddam & libertatem in ſenatus ſui electione, ordinatione, & quod ad eas pertinet, quibus olim noſter venerandus prædeceſſor in Imperio, Cæſar Carolus V. beat. mem. illos ſub dato in noſtra, & ſacri Imper. Civit. Ratisbonenſi 15. menſ. Iulii Anno 1540. clementiſſime donavit, velut ſubſcriptum continetur, & de verbo ad verbum ſic ſonat.

Nos Carolus V. ex Dei gratia Rom. Cæſar, ſemper Auguſtus Imp. &c. Confitemur aperte hiſce litteris, & notum id facimus univerſis, quod nobis honorati noſtri & Imperii dilecti fideles Conſules, Senatus, & civium communio per honorabilem legationem humillime proponi curarint; etiamſi anteceſſores eorum & ipſi ultra quingentos, aut ſexcentos annos abſque cuiuſquam impedimento, aut interruptione quiete perduxerint, atque adhuc in uſu, & conſuetudine ipſis ſit, ut ſenatum ſuum 4. Conſulibus, & 24. ſenatoribus in civitatis regimen, & adminiſtrationem per ſe elegerint, nominarint, & ſeſſionem aſſignarint, ac iiſdem conſulibus, & ſenatoribus omnem & ſingulam magiſtratus poteſtatem, Iuriſdictionem & Iura, etiam omne quodcunque in & extra ius communis civitatis neceſſitas, & conditio undiquaque exigit, ad præſidendum, adminiſtrandum & defendendum competit, mandarint & obtulerint; velut quoque illi, qui quovis tempore ad hoc deſtinati, electi & aſſignati fuerunt, omnem ſupradicti modi poteſtatem in ſe ſuſceperint, eaque uſi ſint, niſi ſaltem quoad quæ ſibi Archiepiſcopus Bremenſis reſervarit in cauſis criminalibus ad prætorem (Vogt) inſtituendum, qui tamen neque apprehenſionem, incarcerationem, criminalem aut aliam quæſtionem, neque ſententiæ dictionem, multo minus executionem, aut ullius rei diſpoſitionem, vel interlocutionem ullam, niſi ſolummodo ad nudam ſpeciem ibi, facta iam ſententia, abſque ulla mutatione aut adiectione, velut carnifici ſimiliter uti Senatus prius ipſi mandavit, ad exequendũ poſtmodum, in mandatis habet. Atque in caſum, quando Archiepiſc. Bremenſ. (velut ante pauxillũ temporis ſecunda vice factum eſt) adminiſtratione privatus eſt, nec ſeſſionem habet, ſæpius id accidat, ut Vogdius ex mandato Archiepiſcopi Bremenſ. vel per ſe, ſi in cauſis criminalibus expeditionis tractationes ſubortæ ſint, ne ad efficacem, & finalem perfectionem talium pronunciatarum ſententiarum, & Iurium procedi queat, ille ex propoſito civitati ſe ſubducat, atque ſic rei ſæpius per incompetentem violentiam liberentur, ex quo notabilis inconvenientia, motus, ſeditio, & ſanguinis effuſio enaſcatur, & ulterius ſequi poſſit, niſi huic malo competenti inſpectione præveniretur.

Atque nos illi propterea humillime imploraruntque, rogaruntque, ut illis, & communitati Civitatis Bremenſis in his provideremus, atque iiſdem, quo in iudicialibus cauſſis, & caſibus, dum prætorem ab Archiepiſcopo Bremenſi adſidentem habet, ac per privationẽ Adminiſtrationis eiuſdem Archiepiſcopi, aut per ſe periculoſo modo à iudicio abſtineat, & ſic per hoc Iuſtitiæ ſuus plenus curſus interciperetur, ut prædicti Conſules, & Senatus Civitatis Bremenſis, quãdo ille prætor ab illis avocat°, & ſeſſioni nõ aptus ſit, aut alias ſe abſtineat, aut averſum actur° ſit, tunc eius loco abſque impedimento ad execu-

tionem, & finalem perfectionem dictæ ſententiæ per ſe progredi queant, condere & liberum dare, etiam eorum regiminis & ſenatus ordinem, ſtatuta & electionem, una cum eorum regalibus, & iuriſdictionibus in & extra civitatem ſitis, & præcipue 4. illos diſtrictus (Göhen) iudiciorum Vihelandiæ, Werderlandiæ, Hollerlandiæ & Blochlandiæ, etiam Walleæ & Gropelangiæ, cum Iuriſdictione Neukirchiana, itidem duarum arcium Blumenthalienſis, & Bederkeſenſis cum omnibus earum pertinentiis, ſimiliter cum duobus vectigalibus Warturni & Burgi, etiam dominium Kirſpelij Lehenſis, veluti hæc & talia ex antiquo adſervant, atque adhuc in quieta poſſeſſione & uſu tenent, authoriſare, confirmare, & corroborare clementer velimus. Propterea adſpeximus talem eorum humilem, & inſtanter factam petitionem, etiam acceptata fidelia & utilia ſervitia, quæ ipſorum anteceſſores & ipſi quondam noſtris Maioribus Romanis Cæſaribus, regibuſque, ſic & nobis, ac Sacro Imperio in variis modis præſtiterunt:, atque in futurum tempus ſat præſtare poſſunt, ac debent.

Atque propter hæc & prædictas, aliaſque cauſſas, & præſertim ad promotionem Iuſtitiæ, bonique publici ex bene conſulto animo, bono conſilio noſtro, & Imperii principum, Comitum, nobilium & fidelium, atque ex vera ſcientia, ſupranominatis conſulibus, ſenatui & civibus communiter civitatis Bremenſis, eorumque poſteris ſupradictas gratias, & privilegia, ut in caſu, ſi prætor Archiepiſcopi Bremenſ. ad ſeſſuram iudicii, poſtquam ad hoc accitus eſt, non ſit idoneus, aut ſe ex mandato Archiepiſcopi, aut per ſe ex proæreſi abſtineat, aut ſubducat, eius cauſſa abſque impedimento ad debitam executionem, & perfectionem pronunciatæ ſententiæ procedere queant, nec per id proterviam ullam commiſſam dici debeant, clementer adiecimus, dedimus & conceſſimus, etiam prædictam regiminis, & ſenatus ordinationem, ſtatuta & electiones, una cum ſupratactis regalibus, iuriſdictionibus in & extra civitatem ſitis, & præſertim 4. illos diſtrictus, iudiciorū Vihelandiæ, Werderlandiæ, Hollerlandiæ & Blocklandiæ, etiam Walleæ, & Gropelingiæ, una cum Iuriſdictione Neukirchiana, itidem duarum arcium Blomenthalienſis, & Bederkeſenſis, cum omnibus earum pertinentiis, utilitatibus & iuribus & dominiis, & duobus Vectigalibus Warthurni & Burgi, ac inſuper ſuperioritatem Kirſpelij Lehenſis, veluthæc omnia in quieta poſſeſſione tenuerunt, tanquam Romanus Imperator clementer authoriſavimus, confirmavimus, corroboravimuſque: Concedimus & committimus, authoriſamus, confirmamus, corroboramus, & facimus hoc omne huiſce ex Romana Cæſarea poteſtate, plenipotentia ſcienter vigore huius ſcripti, & ordinamus, ponimusac volumus, ut talis regiminis & ſenatus conſtitutio, electio & ordinatio, etiam regalitas, Ius, Iuriſdictiones & magiſtratus, ac noſtrum datum privilegium, prolatas ſententias, uti ſuprapoſitum eſt, ad perficiendum in & extra iudicium, plane efficax & corroboratum eſſe, & omnino ſervatum & perfectum, ac à nemine in contrarium quid agi, aut ſuſcipi, ac prædicti conſules & ſenatus Civitatis Bremenſis iis omnibus uti fruique debent, ab ullo nuſpiam impediti. Ac ſi forraſſe eveniat, ut quiſpiam ex ipſorum civibus, Incolis, ſubditis, poſſeſſionatis aut pertinentibus contra tale à maioribus obtentum regimen inſurgere, perque hoc extenſionem, ſeditionem aut alias adverſitates inſtituere, per ſe aut alios præſumat, & laboret, atque extra civitatem Brem. vel in eorum territorio Ius effugere tenter, ſentimus, ordinamus, & ponimus nos, quod tunc ille, aut illi undiquaque in ſacro Imperio, etiam noſtris hæreditariis principatibus & regiminibus à quolibet velut communiter ſeditioſi, omnis pacis, & ſalvi conductus cura exuti haberi, eſſe & cenſeri, & Bremenſibus ad eorum poſtulatum ad omne decens ius & Iuſtitiam tradi debeant, tamen in hoc omni, nobis, & ſacro Imperio, iuxta noſtram ſuperioritatem, & Iuriſdictionem nihil derogatum, & damnoſum volumus.

Atque in hoc omne imperamus omnibus, & ſingulis, Electoribus, Principibus, Eccleſiaſticis & ſecularibus, Prælatis, Comitibus, Liberis, Dominis, equitibus, ſervientibus, Capitaneis, Præfectis, Prætoribus, Conſulibus, Iudicibus, Conſiliariis, Civibus, Communitatibus, & aliis omnibus alias noſtris, & Imperii ſubditis & fidelibus, in quocunque dignitatis ſtatu, & vigore ſint, ex prædicta noſtra Imperatoria poteſtate ſevere, & firmiter hiſce litteris, & volumus, ut ſupra nominatis Conſulibus, ſenatui & civibus communiter civitatis Bremenſis in prædictis noſtris Cęſareis gratiis, privilegiis, conceſſionibus, addictionibus, authoriſationibus, confirmationibus & corroborationibus nullatenus adverſentur, aut impedimento ſint; ſed iis relinquant, atque iiſdem quiete frui & uti ſinant, nec quid contra agant, nec alii alicui contra moliti concedant, prout omnibus illis & cuicunque omnium chatum eſt, quod noſtram & Imperii gravem diſgratiam & mulctam, atque inſuper pœnam, nempe 50. marcarum puri auri evitare velint, cuius quiſque, quotus ex proæreſi econtra hoc fecerit, nobis dimidiam, & in Imperii Cameram, & alteram dimidiam partem prædictis conſulibus, ſenatui, & civium communitati civitatis Bremenſis, ac eorum poſteris irremiſſibiliter ad perſolvendum tenebitur.

In documentum harum litterarum obſignatum noſtro Cæſareo appenſo ſigillo: Datum in noſtra, & Imperii Civitate Ratisbonenſi 16. die Iulii menſis An. 1541. Atque in hoc prænominati Conſules, ſenatus & cives communes humillime implorari & rogari curarint, ut nos illis iſta iam dicta privilegia & gratias, tanquam nunc regens Romanus Imperator rurſus de novo confirmare, & corroborare clementer inclinaremus: iſtud reſpeximus, in tali communitatis conſulum & ſenatus civitatis Bremenſis humili adſidua petitione, etiam fidelia obſequentia & diligentia ſervitia, quæ anteceſſores eorum, & ipſi, olim noſtris maioribus etiam nobis, & ſacro Imperio præſtiterunt, atque in poſterum facturi ſunt & debent, atq; propterea ex bene conſiderato animo, bono tempeſtivo conſilio, & vera ſcientia, prædicta privilegia clementer confirmavimus, & corroboravimus. Confirmamus, corroboramuſque illis etiam hiſce de novo ex Rom. Cæſ. poteſtate ſciēter vigore

harum

harum litterarum, quodcunque nos illis de iuris & consuetudinis causſa in iis confirmare & corroborare tenemur, & licitum est, tamen nobis & sacro Imperio in supremo magistratu, & alias cuique in iure suo, & Iustitiis absque præiudicio, & damno sit; Atque sic inde mandamus omnibus & singulis Electoribus, Principibus, Ecclesiasticis & secularibus, prælatis, Comitibus, liberis, Dominis, equitibus, servis, Provinciarum Marschallis, Provinciarum Capitaneis, Prov. prætoribus, Capitaneis, Vicedominis, prætoribus, Consulibus, iudicibus, Consiliariis, Civibus, Communionibus, & alias omnibus aliis nostris, & Imperii, etiam nostrorum hæreditariorum regnorum, principatuum & regionum subditis & fidelibus, cuiuscunque Dignitatis, status aut conditionis sint, ex prædicta nostra Cæs. potest, severe & firmiter hisce litteris, & volumus, ut illi prædictis Consulibus, Senatui & civium communioni Civitatis Bremensis in prædictis gratiis, privilegiis, confirmationibus & corroborationibus nuspiam obstaculo & impedimento sint, sed eos in his relinquant, & ipsdem quiete uti frui concedant, nec quid contra moliantur, nec aliis contra agere permittant, prout unicuique charum sit, ad nostram & Imperii gravem indignantiam & mulctam, & ad id pœnam nempe 50. marcarum puri auri evitandum, quam unusquisque, quoties proterviter contra faciat, nobis pro dimidia, & Imperii Cameræ, & pro altera parte dimidia prænominatis Consulibus, senatui & civium communioni Civitatis Bremens. & eorum posteris irremissibiliter ad persolvendum tenebitur, & debebit. In documentum harum litterarum obsignatum nostro Cæsareo appenso sigillo; Datum in nostra Civitate Viennensi 14. Augusti à Christi nostri dilecti Domini & salvatoris gratiosa nativitate in 1637. nostrorum regnorum Romani in primo, Hungarici in 12. & Bohemici in decimo Anno.

Ferdinand.

Vt

P. Stralendorff m. p.

Loc. Sig.

Ad Mandatum Sac. Cæs. Maj.
prop. Arnoldin à Clarstein.

Licet in iure alias & usu communi prætoris vocabulum satis amplam habeat extensionem, ut etiam loco absentium Consulum olim Romæ ordinatum fuerit, & urbani & peregrini; tamen sæpius quoque perquam stricte limitatissimo modo accipitur, uti videre est, *l. 2. §. 17. ff. de orig. Iur. l. 2. C. qui pot. in pig. it. de leg. 3. & l. 4. in fin. ff. it. l. 3. §. 1. l. 5. ff. de liber. causſ.* ubi particularibus rebus admoventur quoque prætores, uti fuerunt tutelates, Fiscales, ad inquirendum alii, & alii plebeis incendiis arcendis deputati, &c. Sic etiam maxime particulare officium prætoris Bremensis est in criminalibus, ut sit advocatorium quasi, velut id in Prodromo suo in comitiis nupertime Ratisbonæ habitis declarant, & determinate explicant eius Civitatis Legati p. 26. & 27. A quo maxime differt ille prætor Magdeburgensis dicasterii illius summi, qui præsidium Scabinatui præstat, ut suo loco dictum est, & pluribus postea explicabitur. Ita unaquæque civitas potissimum in Saxonia sua semper tenet iura singularia pro ratione situs & incolarum, quæ non incommoda defendere conantur adsertione: Unde non raro iisdem lites moventur graves. Velut etiam Bremensibus controversia olim mota fuit de administratione Archiepiscopatus tempore sedis vacantiæ, item de electione, aut postulatione Archiepiscopi, aut Administratoris; Item de Capitulatione cum Archiepiscopo, aut Administr. Sed quum Iohannes Adolphus Archiepiscopus, Adolphi Ducis Holsatiæ filius Anno 1596. Fratri Iohanni Friderico Archiepiscopatum hunc resignare studeret, & ea ratione is recipi sine consensu Civitatis huius non posset, tandem Anno 1597. 6. Ianuar. transactio fundamentalis inter Capitulum, status provinciales & Civitates per inclyti Regis Daniæ Christiani IV. Ducisque Ulrici Megapolitani Legatos ex eorum gratiosa interpositione Stadæ ita composita est, ut firma eius observantia exinde in usu sit, sicut etiam memini An. 1634. quum Archiepiscopus Ioha. Frider. Dux Holst. hetus tunc meus 4. Septembr. diem suum obiisset, id statim factum esse, quod non tantum Capitulares, sed etiam omnes reliqui status, tam prælati, quam nobilium, & Civitatum deputati regiminis cum arcium occupatione administrationem usque ad electionem subierint; Ac quum Capitulatio cum novo Archiepiscopo Friderico Daniæ rege Coadiutore hucusque esset contracta, solemni modo Anno 1635. in mense Februario facta est introductio ex Brema Vordam. Homagium autem à provincialibus & civitatibus non potuit præstari, quam prius à Cæs. Maj. confirmatio esset obtenta, ob cuius & pacificationis causſam Reg. Maj. Danica Legatos eodem Anno misit, quibus tandem resolutio talis data est, uti publice constant formalia hæc.

Romana Cæsar. etiam Hungar. & Bohem. Reg. Maj. noster clementissimus Dominus percepit, qua ratione Reg. dignitas Daniæ, Norveg. adhuc instanter in petito suo ob Archiepiscopatum Bremensem pro suo amice dilecto Dn. filio Ducis Friderici Holst. Princ. grat. persistant, & propterea per Legatos suos N. N. ulterius contentionem, & deductionem fieri curarit. Licet nunc quidem Ej. Cæsar. Maj. nondum invenire queat, quod causſa hæc à parte Ej. Reg. Dign. ita instructa sit, ut Sacr. Cæsar. Majest. iuxta juris modum, atque velut Legati id petant, se in hoc resolvere queat, præsertim quum propter veterem postulationem de Anno 1621. factam, & insuper ob novam electionem de Anno 1634. in qua se Ej. Reg. Dign. fundat, negotium quoque hoc in S. Cæs. Maj. favorem, & amicitiam, & in promotionem communis tranquillitatis, & salutis reponat: Proinde se S. Cæs. Maj. declarat hisce: si Ej. Reg. Dign. tanquam Ducis Holsatiæ dilectus filius Dux Fridericus Holst. una cum Capitulo Bremensi pacificationem Pragensem debite acceptarit, ac se ad eius executionem similiter,

militer, uti alii ſtatus Imperii, obligatam reddere, tunc S. Cæſar. Majeſt. in regiæ Dignitatis gratiam, & in communis boni emolumentum ob maiorem tranquillitatem, & pacem obtinendam, & conſervationem Ej. Reg. Dign. conſtantis amicitiæ, nec non confidentiam fidelis vicinitatis, à iure ſuo cedere vult, atque eius Ducis Friderici Princ. gr. dictum Archiepiſcopatum Bremenſem linquere vult, hoc modo, ut eius Princ. grat. iſto ſimiliter, uti priores obtentatores & poſſeſſores iuxta argumentum Pragenſis pacificationis (quæ in hoc caſu in eam & dictum Archiepiſcopatum extendi debet) quiete frui licitum ſit, tamen, ut Ej. Princ. gr. etiam poſtulationem & electionem producat, ſe per hanc erga Sacr. Cæſ. Majeſt. legitimet, etiam Catholicos in ſuo ſtatu, & conditione, velut omnino An. 1627. 12. Novembr. ſtyl. nov. inventi ſunt, & Pragenſis pacificatio ſecum fert, linquat: Quod Sacr. Cæſar. Maj. regiis Legatis pro ſuo decreto indicare voluit, ac manet Reg. Dign. in acceptabilem amicitiam, eius legatis autem pro Cæſarea clementia cordialiter addita. Dat. Viennæ 30. Apr. An. 1636.

Ad talis Confirmationis, & conſenſus Imperatoris publicationem 13. 23. Septembr. Civitas Buxtehudana eodem anno homagium præſtitit; velut & alii ſtatus: Bremenſes vero ob interiectiones per deputatos ſuos more maiorum & iuxta pacta ſua in curia 22. Martij Anno 1637. homagium ſuum adiecerunt. Tranſactio autem cum eadem Civitate, & ſtatibus inita, cuius ſuperius mentionem fecimus, heic quoque poſſet de verbo ad verbum inſeri, velut etiam quid inter Capitulum & civitatem Anno 1604. peractum eſt, niſi brevitati heic potius ſtuderemus. Anno 1638. 27. Ian. turris minor verſus Auſtrum ita deſubito, ceu lapis in recta linea fundum petere poteſt, circa horam 2. pomeridianam decidebat, ſecum muros eius partis una cum Campanis pluribus, inter quas maior Suſanna ex ſono ſuſurrantis craſſiore dicta, ad imum præcipitans, ubi 5. ſimul homines obruebantur, & reliqui ſemimortui extrahebantur. Non boni ominis ſignum putabatur, quod Deus clementer avertat. Ne vero facile ſeditio poſſit exoriri, civium quoque ordines ſedulo obſervantur, velut circa forum è regione curiæ ædes communis conventus ſplendidæ ſunt erectæ, in quibus 16. ſeniores deliberationes ſuas celebrare ſolent, ſi quid in publica civitatis cauſſa ſit ex conſenſu ſenatus peragendum, vocantur ædes hæ Schütting. In primis hoc laudabile eſt, quod ſtudium communis commercii in accurata habeatur obſervantia; Ideoque magno incumbunt conamine in hoc ne quid in Viſurgi flumine damni patiantur, unde adhuc Civitati magna viget controverſia cum Illuſtriſſimo Comite Oldenburgico ob novam vectigalis apud Elsflitam impoſitionem. In qua difficultate multum laboris & ſumptus eſt conſumptum hiſce annis proximis in Aula Imperatoris, velut luculentum eſt dilatorium decretum ſub dato Viennæ 2. Martij An. 1634.

Et quamvis ad inſpectionem commiſſio eſſet adornata; tamen diſputatio ea ferventior fecit, ut lis ad ordinariam iuris viam, & cognitionem ordinariam ſit remiſſa. Si quas Controverſias modernus Archiepiſcopus Senatui huius Civitatis in iure exemptiori, & reſpectu privilegiorum ſuorum hiſce proximis temporibus moverit, id publicis extat editum ſcriptis, & maxime docet adſertio illa iurium Archiepiſcopalium & ſuperioritatis Anno 1639. in publicum emiſſa, in qua inter alias 13. obiectiones præ reliquis hoc ſtrenue urgetur, quod non ſit civitas Imperio immediate ſubiecta, & plane immunis ob pacta conventa, ut pactitia ſic poſſit dici Civitas, quum ipſi non competant 6. requiſita neceſſaria, quæ immediatam liberam Imperii civitatem in ſtatico conficiant: Ubi primævum illi indicium abnegatur, quod non in hodierna Imperii matricula inveniatur, nec ad Comitia publica Imperii citetur, aut evocetur amplius. Quum vero ad nuperrimum Imperii conventum cum aliis Saxoniæ inferioris Civitatibus à Sacr. Cæſar. Majeſt. Anno ſuperiori 1640. Ratisbonam citata eſſet, lis inde actior moveri cæpit. Proinde iuvat heic formalia eius Citationis inſerere, quæ ita ſe habent in latinum ſermonem translata.

Ferdinandus III. ex Dei gratia electus Romanus Cæſar, omni tempore Auguſtus Imperii, &c. Honorati dilecti fideles, in memoriam vobis revocare noveritis, qua cum fide, indefatigata diligentia, & ſeria adſiduitate extremi laboris, & paternæ curæ, noſter dilectiſſimus Dn. Parens, & anteceſſor in Imperio, quondam Dn. Ferdinandus Secundus Rom. Cæſar Chriſtianæ mem. tempore Ej. Maj. & Dilect. Cæſar. regiminis, ſub adhuc durante, eidemque extorto belli motu, omnem reſpectum, & cogitationes in hoc converterit, & direxerit, qua ratione Sacr. Roman. Imperio, & omnibus ac ſingulis eidem adiunctis Elector. Principibus & Statibus quies curari, nobilis Pax rurſus elevari, & unuſquiſque in æquitate & Iure conſervari, etiam contra omnem vim realiter defendi, & manuteneri poſſet: velut etiam hoc diverſi tot interpoſiti pacis tractatus, & decreta ſatis declarant, quam ſerio, & cum ſingulari fideli, paternaque cura nos hanc noſtri D. parentis, & Anteceſſoris ſententiam, ſtatim ab ingreſſu noſtri Cæſarei regiminis huc uſque citra ullam laboris, & ſumptuum parcitatem perficere ſtuduerimus, ut quoque reſidua inquietudo totaliter componi, Sacr. Rom. Imper. ad plenam tranquillitatem reduci, & quidvis amabili pace refocillari poſſet, quod ſatis illi à nobis in diverſis locis reaſſumpti pacificationis tractatus, multiplicesque noſtrorum Conſiliariorum miſſiones atteſtantur, & quod in omni nihil deſiderari paſſi ſimus, quodcunque nobis ad efficiendum poſſibile, & admiſſibile fuit, ita ut etiam iuxta unius, alterius-que partis approbati interponentis proprium arbitrium, in nobis cum æquitate amplius nihil deſiderari queat. Poſtquam autem omnis iſte noſter labor, præſtita conniventia, & conſenſus eius, per quem nobis ad pacem obtinendam, ſpem indubitatam conceperamus, huc uſque apud adverſam partem ita parum operatus ſit, ut, quamdiu Imperium nobiſcum, tanquam uncto Capite ſupremo, non bene convenerit, & inchoatam amabilem pacem unanimi conſilio, corde & voluntate promovere adiuvet, extranei populi, ſub prætextu, & titulo, quaſi aliquot eorum ad plura privilegia, & iura promovendum aliud nil ultra

ultra quærant, velut æternum pedem in noſtro, & Imperii fundo figere, & reliquas terras, ac populos ſub ſe, & ſub iugum ſuum cogere, etiam poſtea eorum proprios putativos confœderatos, & pro quibus bellum geſſiſſe videri cupiunt, ipſi ſupprimere poſſint.

Nos autem contra hoc nullum melius medium invenimus, quam ut nos una cum Elector. & ſtatibus Imperii, in uno communi Imperii conventu, in quem abſque hoc Pragenſis pacificatio directa fuit, clementiſſime, & paterne coniungamus, & uniamus; Quemadmodum etiam hoc pridem, & ſtatim ab ingreſſu Cęſ. noſtri regiminis apprehendiſſemus, ſi periculoſa belli conditio admiſiſſet. Propterea nos iſtud per Cæſareos noſtros legatos illis tunc tęporis Norinbergæ præſentibus Electoralibus Conſiliariis nuncis, & Legatis, in adhuc durante Collegiali dieta, (præſertim quum ibi conſultum inventum ſit, quod abſque convocatione plurium Imperii Principum, & ſtatuum opus hoc non poſſet peragi) clementiſſime ad ponderandum exhibuimus. Poſtquam igitur illi, ad Principalium ſuorum allatum ſpecialem conſenſum (ob quem nos alias ex more uſitato unumquemque, & Sac. Imper. Electores per ſingulares litteras, & miſſiones in Cęſar. clementia inviſere non omiſiſſemus, quod tamen, quum ob temporis anguſtiam fieri haud potuerit, illis abſque præiudicio eſt futurum & quidem cum abbreviatione alias uſitati termini, quum præſens tempus & curſus talem non patiantur, ipſi optimum putarunt, nos quod id clementiſſime approbavimus, atque in hoc neque Electorali Collegio, neque Imperio ipſi quid in præiudicium ducere cupimus, ſed tantum communem tranquillitatem, & ſalutem nobis ante oculos ponimus: Proinde ad hoc 26. novi futuri menſis Iulij in noſtram & S. Imp. Civitatem ad conveniendum clementiſſime inſtituimus, atque etiam in citatiorem promotionem illius communem Imperii conventum in propria perſona ex noſtris proprijs hæreditarijs regnis, & regionibus iſtuc nos contulimus: Iuxta hæc igitur vobis annunciamus modo prædictum diem, & locum hiſce litteris, etiam ex Rom. Cæſ. Majeſt. poteſtate, ſub obligationibus, & debitis, quibus nobis vos & Sac. Imperio tenemini, ſevere mandando, ut vos poſtpoſitis omnibus reliquis negotiis in prænominato die Ratisbonæ per aliquot ex veſtri Senatus medio ita certi & abſque defectu compareatis, & illos nomine communis Civitatis ſufficienti mandato, uti moris eſt, & ſtyli, abſque relatione retrorſum, & immixtione alienorum, & huc non pertinentium negotiorum, ablegatis, atque potiſſimum huc reſpiciatis ut illi ad tres hos Capitis puńctos, pro eorum peractione, & decreto, inſtructi adſint: Quomodo nempe pro primo Imperium conſequenter plene ſit tranquillandum, omnia in contrarium occurrentia obſtacula exterminanda atque etiam antiqua Germanica confidentia conſtanter denuo erigenda. Secundo bellum interea, donec talis deſideratiſſima, communiter utiliſſima tranquillatio inſeparabili potentia, unanimi coniunctione, & bona ordinatione, promovendum ſit. Ac tertio Iuſtitiæ vigor, in quo alias Imperii ſalus notabiliter conſiſtit, quantum in præſenti tempore poſſibile eſt, rurſus erigendus, & in rectitudinis ordinem redigendus. Veſtrorum quoque ablegatorum comparationem ita inſtituetis, ut in noſtro, & aliorum Elector. Principum, ac ſtatuum adventu, abſque mora ad rem operative procedi queat. Namque nos ſtatim ab effluxo termino Cæſarea noſtra propoſitione, & deliberatione, etiam reali decreto, & perfectione Comitiorum procedere, conſtituimus. Ita veſtros deputatos iuxta auditum modum ablegabitis una & nobiſcum, etiam Elector. Principibus, & ſtatibus Imperii de prædictis, aut forte inter hæc ulterius incidentes puńctos, & neceſſitates, quæ ſimili modo proponi curare queamus, ad conſultandum, tractandum, & concludendum, & in his vos obſequentes præſtabitis: ac licet veſtri ablegati non comparerent, nihilominus vobis incumbet omne illud, quod per nos, & comparentes Elect. Principes & ſtatus, aut in abſentium Conſiliariorum nunciorum & legatorum decretum fuerit, una cum aliis præſentibus ratihabere. Atque ut veſtri ablegati, etiam alii Elector. Princip. & ſtatus ad talia comitia Imperii ſecure perveniant, nos apud noſtros, & Sacr. Imper. Exercitus ordinationem, & ſeveram mandationem dedimus, quod ad veſtram, & eorum poſtulationem ſufficienti adiunctione comitum (Convoy) omnibus in locis provideri debeant. Quod vobis ad indicandum neceſſarium putavimus, cui vos debite conformabitis, & vobis in Cæſarea clementia bene addicti manemus. Datum in noſtra Civitate Welſia 16. Maij Anno 1640. noſtrorum regnorum Rom. in 4. Hung. 15. Bohem. 13.

Ferdinand.

Loc. Sigill.

Cunrad Hilprandt. D.

Ad Mandatum Sacr. Caſ. Maj. proprium.
Iohan. Soldner.

Honoratis noſtris, & Imperii fidelibus dilectis N. Conſulibus, & Senatui Civitatis Bremenſis.

Hanc citationem ad Comitia publica Imperii quum nonnihil ſequius Archiepiſcopus Bremenſis ita acciperet, quod in præiudicium ſibi, & provincialibus eſſet facta, putaretque, per ſuggeſtionem Civitatis, & Senatus, & non ex proprio motu Imperatoris eſſe emanatam, gravior inde oppugnatio in ipſis comitiis orta eſt adeo, ut quiſque ſua iura publico ederet ſcripto. Inde & Bremenſium Legati emiſere prodromum fundamentalis remonſtrationis, cum declaratione, quod legitima ratione, & non ex ſuggeſtione ulla ad Comitia eſſent vocati; in quo ſimul hoc induxerunt, quod Civitas ea nõ ſit ſubiecta Archiepiſcopatui, ſed ex aliquot centenis annis, uſque in hæc tempora immediate velut libera Imperii Civitas in hoc ſtatu libero ſubiecta potius fuerit, & adhuc ſit. Neceſſitatem huius ſcripti ita explicarunt ut ſtatus Imperii eo rectius informarent, nec ſibi alii quoque quid ſiniſtræ opinionis,

aut iudicii quid inde ſumerent. Quæ cauſſa fuit, ut etiam altius ex matriculis diverſis ſuperiorum ſeculorum, utpote de An. 1431. Item de An. 1461. & de An. 1471. antequam mutatio in matriculis evidentior eſſet irrupta, ſuum confirmarint ſtatum. Sed quum etiam aliarum civitatum conditio libera in his exprimatur, inferius matriculas eas introducemus rectius, hac vice ſaltem pro auctoritate huius nobilis Reip. concludendo, quod Epigramma ſequens de eius inſigni encomio apponit, cuius verba ſane perquam notabilia ſunt:

Urbs animis, opibuſque potens, populoſaq; Brema eſt,
Et nulli prorſus conditione minor.
Sive loci genium quiſquam, commercia, mores
Reſpiciat ve hominum, dicet, ubique places.
Dania te novit; tibi terra Livonica Rigam
In primo cultu debet & ingenijs:
Es generoſa ſitu, domibus; placidiſſima Cæli
Temperie; Vallis firmiter apta tuis.
Saxonicas inter claras virtutibus urbes,
Laudeque præcipuum tollis ad aſtra caput.
Ceu decus emporij, ſic Lumen totius Hanſæ.
Et ſis, & maneas gloria magna ſimul.
Dum ſunt cuncta tibi, potioraque dona bonorum,
Invidiæ virus quam ſuperare queat:
Sis modo cauta tuis, & Iuris provida cultrix,
Nec credas facilis; ſubdola vis nimia eſt.
Utendum eſt animo forti, pietateque vera:
Sic duo mixta ſimul vincere cuncta valent.

HAMBURGUM.

Convertimus nos hinc iam ad Hamburgum non minus nobilem, quam præclariſſimam Hanſeatici fœderis urbem, de cuius nomine, & ſitu ſuperius quidem aliquoties, maxime ex ſenſu aliorũ diſcurſuque egimus; quum autem in his turbulentis temporibus præ reliquis admodum prudentem ſe ita geſſerit, ut diſtractiſſimis, & perquam dubiis ſe incolumem hucuſque rerum motibus exoluerit, & extricarit, æquum eſt, ut talia quoque heic nonnihil plenius attingamus. Paſſa eſt in ſtatus ſui auctione, & conſervatione diverſimodas ſæpius quidem concuſſiones, & tentationes non leves; attamen fecit prudens regentum pro tempore induſtria, ut potius S. Cæſ. Maieſtatis favorem, quam adverſantium ſuppreſſionem ſenſerit. Diſputationes ob commerciorum incrementum & promotionem ipſi excitatæ ſunt variæ, uti obtingere & fieri ſolet iis, quibus fortuna ſerenior favet. Quippe in eo ſita eſt loco, qui Germaniæ quam plurimas commoditates ex ubera commerciorum omnis generis copia & abundantia adiicere valet, ut non tam invidia, quam potius gratia illi exhibenda ab omnibus incolis patriæ communis veniat. Atque licet eidem lites variæ ex fundi ratione, & Albidos fluvii opportunitate natæ fuerint; tamen pro commodo ſuo ita vigilavit, ut ſuperiori tempore, quæ iuris dubii antehac viſa ſunt, nunc in apertioribus privilegiis explicationem luculentiorem ab Imperatore Divo obtinuerit, & in ſolemni forma ſimul acceperit, uti ex ſequenti copia ſatis clare apparet; cuius tenor ita ſe in translatione latina habet.

Notabile Privilegium Hamburgenſis Civitatis.

NOs Ferdinandus II. ex Dei gratia electus Rom. Cæſar, omni tempore Auguſtus Imperij, in Germania, Hungaria, Bohemia, Dalmatia, Croatia & Schlavonia, &c. Rex, Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, Styriæ, Cariuthiæ, Crein, Würtemberg, ſuperioris & inferioris Sileſiæ, Princeps Sueviæ, Marchio S. Rom. Imp. Burgoviæ, Moraviæ, ſuperioris & inf. Luſatiæ Princ. Comes Habſpurgenſis, Tyroliæ, Pfirt. Kyburg. & Gortziæ, Landgravius Alſatiæ, Dominus Vandalicæ March. Portenaviæ & Salins, &c. Confitemur aperte hiſce litteris, & notum facimus unicuique, quod nobis honorati noſtri, & Imperii dilecti fideles N. Conſules noſtræ, & S. Imp. Civitatis Hamburgenſis ſubiectiſſime indicarint: Poſtquam nos in modernis & S. Imp. ac præſertim in circulo inferioris Saxoniæ excitatis duris belli motibus, dictæ civitati Hamburg. in noſtro etiam ab honoratis noſtris, & Imp. dilectis fidelibus N. Conſulibus, & Senatu Civitatis Lubecenſis, ipſis inſinuato Cęſareo Mandato conſtrictionem Albidos ad tollendum, & fluvium illum denuo aperiendum, clementiſſime perceperimus, veluti inde ad hoc ad quamvis poſſibilitatem debite obtulerint, etiam eidem obedientiam præſtiterint, ut ſic aliquot navibus bellicis per anni ſpacium fluvium illum ab omni piratica liberarint, ac liberum curſum commerciorum conſervarint, nec non eius continuationem cuperent, ſaltem autem ſumme neceſſariam hanc aſſecurationem illius Albidos fluminis, & conſervationem commerciorum in eodem, in qua nobis, & Sac. Imp. & hęreditariis noſtris regnis, Ducatibus & terris, ratione ſitus, tum etiam diverſis aliquot ad Albim habitantibus Electoribus, Statibus, Civitatibus & eorum ſubditis non leve repoſitum eſſet, diuturno modo commode non ſufficienter perferre, nec ſecuriter practicari poſſent, niſi ob inſulas in Albi ſitas atque hanc attingentes terras, aut fundos, etiam ob ipſum Albidos fluvium ita aſſecuritate proſpicerentur, ut in inſulis illis, & terris, infra Hamburgum verſus mare ſitis, non fortalitia, caſtra, aut arces ponerentur, etiam in illo Albidos flumine nullæ naves bellicæ, extra eas, quas ipſi Häburgenſes pro defenſione iſtius fluvii quovis tempore illuc ordinate cogerentur, tolerarentur; cum humillima petitione, poſtquam iſta Civitas Hamburgenſis olim à noſtris venerabilibus anteceſſoribus Imperii, Cæſare Carolo IV. in anno 1359. & à Cæſare Friderico III. Anno 1468. eo modo privilegiati eſſent, ut ipſi omnes, qui commerciis damnum aliquod inferrent, verſus Albidos oſtium, uſque in mare perſequi, captivare; & in urbem reducere deberent, ac tenerentur, Nos ipſis pro gratiori facilitate talis admodum neceſſariæ defenſionis Albidos fluminis, & conſervatione commerciorum, prædictum privilegiũ eouſq; extendere, & explicare vellemus, ne ulla arx, fortalitiũ, aut caſtra in inſulis Albidos, nec in terris ad Albim, à Civitate Häburgo uſq; mare,

mare, & ſuperiore in parte uſque in 5. milliaria erigeretur, aut conderetur, neque ulla navis bellica in Albidos flumine quid loci caperet, per quam ſæpius prædicta Civitas Hamburgenſis incommodaretur, & negotiationes in traiiciendo quid moleſtationis accipere poſſint: Atque pro ſecundo, quum ex experientia hoc conſtet, quam magnis impoſitionum oneribus commercia undiquaque prægravarentur, & precia rerum admodum excreſcerent, atque adhuc cotidie magis exaugerentur, talia autem non exiguo modo ex multiplicibus Vectigalibus, & eorum de die in diem extenſiones adiectæ cauſſarentur, præſertim quum mercatores & negotiatores ad placitum ſuum mercimoniis impoſitiones ſuperaddidiſſent, atque quo magis illi pro vectigalibus ſolverent, eo carius victualia, & alia mercimonia taxarentur; atque in his communium commerciorum ſalus eorumque conſervatio, imo totius Imperij Rom. eiuſque ſubditorum proſperitas conſiſteret, etiam per id caritas annonæ præcaveretur, Nos cõmercia, & Albidos flumen eouſque privilegio, & libertate donare vellemus, ut in poſterum nullum vectigal in Albi ab Hamburgo uſque in mare ulli amplius concederetur, aut committeretur.

Hoc nos reſpeximus, in tali Civitatis Hamburgenſis humillimis ſubiectiſſimis precibus, præſertim id etiam pro ſecuritate maiori ſumme neceſſariorũ commerciorum, pro conſervatione bona conſtanti ſecuritate, etiam ob prohibitionem gravioris caritatis in iis ad hominis ſuſtentationem ſpectantibus victualibus, & in aliorum neceſſitatum reſpectum. Atque proinde ex bene conſiderato animo, bono tempeſtivo conſilio, & vera ſcientia, iam petitum privilegium iuxta ſequentem modum clementiſſime approbavimus, quod facimus, conſentimuſque ita hiſce in vigorem iſtarum litterarum & mandamus, ponimus ac volumus, ut iam dehinc in poſterum non tantum plane nulla arx, fortalitium, aut caſtra in inſulis Albidos, nec in terra ad Albim à ſæpius prædicta Civitate Hamburgo uſque in mare, & ſupra eam intra 5. milliaria ab Hamburgo in poſterum poni, aut ædificari, neque etiam ulla navis bellica in Albidos flumine haberi debeat, ex qua Civitas incommodari, & commerciorum traiectio ullam moleſtationem percipere queat, ſed etiam nec minus aut à nobis, aut à ſucceſſoribus noſtris plane nullum vectigal in Albide ab Hamburgo uſque in mare, cuiquam ulterius concedi, aut permitti debeat. Quippe ſi unus, aut alter quis in futurum aliquod privilegium huic contrarium obtenturus, aut impetraturus eſſet, huic minus id impedimento, ſed plane enerve, & ſine robore eſſe debeat, veluti id nos quoque hiſce nunc ſicut tunc, & tunc ſicut iam totaliter caſſamus, ſuſtollimus, annullamus, & omnes mercatores, atque negotiatores ab illo liberamus: tamen quantum arces, fortalitia, caſtra & naves bellicas, uti ſupradictum eſt, concernit, nobiſmet ipſis, & noſtris ſucceſſoribus in Imperio, veluti citra hoc Iuris eſt, exceptis, ſi bellici motus cauſſa, aut ob declinationem hoſtilis irruptionis quid ibi ædificandum, aut muniendum neceſſitas exigat, illud etiam nobis, & S. Imperio in iure ſuo, & iuſtitia abſque præiudicio, & innoxium eſſe debeat: ubi econtra ſæpius dicti Hamburgenſes obſtricti, & obligati tenentur, illum Albidos fluvium à Civitate Hamburgenſi uſque in apertum mare, ab omnibus piratis, etiam noſtris & Imperii hoſtibus, & adverſantibus navibus, quantum in eorum viribus erit, purum conſervare, protegere, & defendere debent. Atque propterea mandamus omnibus & ſingulis Electoribus, Principibus, Eccleſiaſticis & ſecularibus Prælatis, Comitibus, Baronibus, Dominis, equitibus, ſervis, Provincialibus præfectis, Capitaneis, Vicedominis, prætoribus, adminiſtratoribus, patronis tutelaribus, præfectis, terræ iudicibus, æſtimatoribus, Conſulibus, iudicibus, Senatoribus, civibus, communitatibus, & alias omnibus reliquis noſtris & Imperii ſubditis & fidelibus, cuiuſcunque conditionis, ſtatus & ſortis ſint, ſevere & firmiter hiſce litteris, ac volumus, ut illi ſæpius dictæ civitati Hamburgenſi, nec non ibi commercium exercentibus in hoc noſtro Cæſareo privilegio, & conceſſa libertate nihil impedimenti, aut obſtaculi obiiciant, ſed horum omnium tranquillum uſum, & commodum relinquant, nec ullo uſpiam modo eos onerent, aut turbent, neque id per ſuos fieri permittant, prout unicuique charum eſt, quod noſtram & Imperii gravẽ indignantiam, etiam adhuc pœnam nempe 50. marcarum puri auri, evitare velit, quam unuſquiſque, quoties proterve contra acturus eſt, nobis dimidiatim in noſtram & Imperii Cameram, & alteram dimidiam partem ſæpius nominatæ Civitati Hamburg. irremiſſibiliter ad perſolvendum obligarus tenebitur. In teſtificationem harum litterarum obſignatum noſtro Cæſareo appenſo ſigillo, quæ datæ ſunt in regia noſtra arce Pragæ 3. die Menſ. Iunij, à Nativitate Chriſti noſtri dilecti Domini & Salvatoris 1628. noſtrorum Regn. Romani in nono, Hungarici in decimo, & Bohemici in undecimo Anno.

Ferdinand.

Vt

Pet. H. à Stralendorf.

Loc. Sigill.

Ad Mandatum S. Cæſ. Maj.
M. Arnoldin à Clarſtein.

REx Daniæ bello admodum acri tunc implicatus hærebat, quum neutralitati ſe inde addictos Hamburgenſes diceret, velut & in eam urbem undique ex Holſatia confugerent nobiles, heic quaſi aſylum quærendo; dum Fridlandiæ Dux & Dn. de Walſtein totam Iutlandiam uſque ad extremas Wendſuſſeliæ partes occupabat. Contrarios tamen aliquot neutralitati actus ægre ferebat Rex, uti publicæ eius inde monitoriales extant: Unde etiam non levem viſus eſt erga civitatem induere indignãtiam, quam diu ſecum concoquere non potuit. Forte etiam aliæ ſuberant cauſſæ, quæ vulnus antiquum ſemper recrudeſcere fecerunt. Quum vero inter S. Cæſ. Maj. & regem Daniæ Chriſtianum 4. Lubecæ An. 1629. pax eſſet firmiter conſtituta, non tantum ſuas Rex ex munificentia liberali Cæſaris recepit ditiones Holſatiæ, Dithmarſiæ & Iutlandiæ, ſed etiam vectigal ad quadriennium Glückſtadij ex gratia

gratia Imp. ipſi adſignatum eſt: quæ res novæ liti & diffidentiæ inter Regem & Hamburgenſes materiam poſtea ſuggeſſit. Etenim quum non tantum Rex novam ſuam urbem Glückſtadium fortiori munimine cingere pergeret, eandemque illuſtri arce adornaret, ſed etiam ſub initio Anni 1630. pro inſtituenda vectigalis impetrati exactione edictum publicaret, quo omnibus imponebat in Albi navigantibus, & commercia exercentibus, ut ibi vectigal ſolverent, Hamburgenſes id maxime privilegio ſuo noxium putarunt, atque ob novitatem huius rei, qua communi commercio onus novum, & retardatio iniceretur, ſibi in tempore vigilandum eſſe duxerunt. Ideoque in menſe Martio Syndicum ſuum Haffniam miſerunt, ut incommoditates eiuſmodi explicaret, & damno communi præveniretur: velut propterea ſingulare inſinuavit memoriale ſcriptum. Ad quod nihil reſolutionis tunc accepit; ſed Rex confeſtim inde ſe Glückſtadium contulit, ac 9. Aprilis in eodem anno edictum prius publicatione nova repetivit. Simul ac vero Hamburgenſibus id innotuit, abſque mora protenus 13. Aprilis ad Reg. Maj ſuos Deputatos, nempe D. Vincentiũ Möllerum Synd. Ioachimum Wichmannum, & Iohan. Brand Senatores miſerunt cum tali inſtructione, uti ex propoſitione ſcripta apparet, quæ talis fuit.

Regiæ Maieſtati Danicæ, noſtro clementiſſimo Regi, ac Dn. præſentant Conſules, & Senatus Civitatis Hamburgenſis ſua ſubiectiſſima ſervitia, una cum cordiali apprecatione omnis regalis proſperitatis, atque eam celare humillime nequeunt, qua ratione aliquot nautæ indicarint, quod ipſi, & alii ſurſum deorſumque navigantes Glückſtadij detenti eſſent, à quibus ingentis vectigalis, & defenſionis pecunię exactio facta fuiſſet. Quum vero hæc nimis onerosa novatio, & præter opinionem admodum gravis videretur, atque hæc per totam Civitatem illis perquam duras difficultates cauſſaret, inde ex ſumma neceſſitate eſſent inducti, ut ad Reg. Majeſt. eius ſuos Deputatos miſerint ad explorandum cauſſas, & conſequenter ad abrogationem huius gravaminis ſollicitandum. Inde iam conſtare hoc inexpugnabilis, & indubitatæ cõſuetudinis & Iuris, quod extra Rom. Cæſ. Maj. conceſſionem, omnium Dnn. Electorum ratificationem & conſenſum, etiam pertinentium, & intereſſentium neceſſitatem urgentem, nullum vectigal in S. Rom. Imperio inſtitui queat. Quum proinde illi nunquam id cognitum haberent, quod ſumme prædicta Ej. Cæſ. Maj. & ſumme inclutum Electorale collegium iſtud à navigatoribus indictum vectigal ulla in parte conceſſiſſet, & permiſiſſet; multo minus illi uſpiam in ſuo competenti iure auditi eſſent, hinc in ea ſubmiſſa confidentia viverent, velut E. Reg. M. Sanctam Iuſtitiam, etiam S. Rom. Imperii fundamentales Conſtitutiones pro immortali ſua gloria in ſummo reſpectu conſervarint, quod ſic quoque eos in hac notorie iuſta competentia eſſet auditura, nullum novum vectigal contra Imperii Conſtitutiones ordinatura, ſed potius ſumme privilegiata commercia in indiſtracto libero curſu relictura: quod ipſi quoque eo magis ante omnes alios petere, etiam erga E. Reg. Maj. atteſtari cogerentur, quum ab hoc conſervatio, & reſpective ruina commerciorum Civitatis Hamburgenſis, atque ita totus eius ſtatus dependeret; ſicuti quiſque intelligens confiteatur, quod tam ingentia onera commerciorum ratio nulla perferre poſſit, & ſub continuata executione illa commercia neceſſario in alia loca, & flumina transferri cogerentur, atque omne id cum civitatis Hamburgenſis ruina, & deſolatione. Iam vero ipſi in hanc ſuſpicionem abire non poſſent, quaſi E. R. Maj. memoratæ civitatis interitum quæreret, aut expeteret: quippe eidem ſe Reg. gratia addictam permanſuram, atque ſic eam in ſuo ſtatu manutenturam ſæpius clementiſſime declaraſſet, velut nec civitas tam gravem indignantiam R. M. unquam promerita fuiſſet, imo etiam talis eius ruina E. R. Maj. hæreditarias terras, & præſertim principatum Hollatiæ, eiuſque incolas, propter vicinitatem, & mutuum commerciorum uſum, ampliter eſſet concuſſura, & ita ſimul cum illa omnes eſſent in perniciem abituri. Etiam E. R. Maj. iuxta ſumma à Deo ipſi data dona, facile ſecum deprehendere poſſet longe melius, quã illi exprimere, & deducere valerent, qua doloriferæ indignantia, & quibus cum lacrumis ab omnibus miſerrime preſſis Evangelicis ſtatibus, & ſubditis, nec non exulantibus, & ærumnoſis viduis, ac pupillis conqueſtio, & deploratio eſſet ſubſecutura, ſi hiſce perturbatis temporibus iſta loca in novas turbationes detruderentur, atque illi, qui adhuc expugnati reſtarent, inter ſeſe enervarentur: velut ipſis non tantum ſuos iam exacerbatos cives, & præſertim navigatorum genus omne, cui nempe ſuccus & ſanguis per eiuſmodi novationes exſugeretur, in intentationem redigere impoſſibile foret; ſed etiam tam nimium intereſſentes vicinæ provinciæ, & terræ ratione ſtatus ſui, tam ponderoſa onera ſibi imponi nullatenus eſſent perpeſſuri; ut ſilentio heic præteream S. Rom. Imp. Electores, Principes & ſtatus, imo & ipſa S. Cæſ. Maj. cuius nempe intereſſe ſub hoc maxime verſatur; ex quo nil aliud, quam novi motus eſſent metuendi, quum tamen unuſquiſque omnipotenti Deo pro recuperata pace ex corde gratias egerit, & nunc in poſterum conſtantem tranquillitatem ſibi promitteret. Quare E. R. M. prædicti Conſules & Senatus Civitatis Hamburgenſis humillime rogant, ut ea acquieſcere, & detentas naves in gratia dimittere, & commercia in libero, & minus impedito curſu linquere velit: E contra illi ſe obferent, quod E. R. M. in omnibus ſubmiſſe adhibitis ſervitiis ſemper prævéturi eſſent, in eius Reg. gratiam illi ſe, & eorum præſentes deputati humillime recommendando.

Eius Reg. Maj.
Subm.
Deputati Hamb. ſupra nominati. 19. Apr. exhib.

Qualem autem reſolutionem ad propoſitionem hanc 20. April. à R. M. acceperint, circa finem cap. 21. part. 3. integre explicatum eſt. Quum igitur non ſatis conveniens reſponſum in cauſſa communi cenſerent Deputati, ſtatim ſe ad ſuos rurſus contulerunt Dnn. committentes domum revertendo, & retulerunt ſimul, quas ipſi oculati inſpectione percepiſſent

ſent coactiones navales cum exactionibus, nempe ut unaquæque navis, quæ ultra unum gereret malum, pro unoquoque aurum Roſaceum, pro vino trigeſimum obulum, & adhuc pro modio pipæo 1. Imper. thal. ex Tabaco 3. pro cento, ac ex reliquis pōderoſis pro Laſtæ ſingulæ quantitate 1. vel 1½. thal. Imp. ſolveret, ut ferme Vectigal in Sundio Danico exuperaret. Velut etiam affirmatum eſt, quaſi quotannis ultra binas auri tonnas exactio hæc eſſet iuxta computationem emerſura, præter eam exauctionem, quæ ipſi variis mutationibus fuit adiecta. Res inde quum adeo intolerabilis cenſeretur, tantum apud populum, cives & mercatores concitavit motum, ut ferme in ſeditionem erupiſſet. Communis opinio fuit, quum Rex ad id propoſitum manutenendum tot naves inſtruxiſſet, ut vi reſiſteretur, & tantum averteretur damnum à commercio communi. Nihilominus ſenatus Hamb. pro mitigatione animorum, & diverſione præſidentis mali, admodum prudenter uſus eſt hoc conſilio, ut deprecatorias ad R. M. litteras ſub dato 23. April. mitterent, quas quidem ita caute conceperunt, ut tamen ſimul undique ſua iura placide urgerent, ſe in reliquis ad litis pendentiam ob immunitates ſuas referendo, & ius retorſionis declinando.

Ad quas etiam Rex ſub dato 26. April. ſtatim refutatorie reſpondit, ſuam allegando competentiam in iure retorſionali. Quum igitur inde magis inter ſe diſſidere inciperent, & naves Reg. coactivas ad vectigal tale Hamburgenſes pertolerare nequirent; tum etiam in tempore prævenire, priuſquam res in conſuetudinem concedat, optimum arbitrarentur, mutarunt ita conſilium, ut id, quod vi inceptum dicebant, tali & eodem modo ſolvendum æquius cēſerent. Erexerat Rex arcem Glückſtadij, cui etiam munimentum ligneum Caſtelli in littore Albidos adiunxerat, eidemque ſimul mox adſociandæ erant tres naves in ampliori, & fortiori forma cum portatorio quodam ſupra modum grandi, quod in communi lingua einen Pram dicunt, quibus cohiberi poſſent præternavigantes, ſi forte non ſolverent exactiones impoſitas, de quo multum rumoris in urbe ſpargebatur.

Regia M. tamen ad ſupra dictas litteras reſpondit Hamburgenſibus ſub dato Glückſtadii 26. Apr. multa illis regetendo in novis impoſitionibus, ut ſic ſuum eo magis ius retalionis defenderet, quum nollet novum dici vectigal ſtatim. Hamburgenſes inde aliquot nautas, & naucleros, ex variis locis venientes, nempe 31. teſtes ſub iuramento examinari curatunt, quo nomine exactionem novam Glückſtadianam ſolverint, qui omnes atteſtabantur, quod à Regio ſcriba telonium eſſet dictum. Hoc adeo momordit cives, & populum Civitatis, ut à motu ſe cōtinere communi nequirent. Concurrebatur paſſim per civitatem, tot agitabantur undique conſilia vulgi, & in Burſa irritabantur mercatores, ut rationem obviandi invenirent, velut nec minus ſollicitus diſtrahebatur Magiſtratus in curia, varias ſecum fovens deliberationes, præſertim quum populus vim ſibi in commerciis exercendis imponi clamitaret, ſicuti nec furor abeſſe ſolet rancori. Proinde Admiralitati id competere dicebant, ut defenſionalem claſſem adornaret. Nihilominus 29. Apr. Reg. Maj. triplicando Senatus reſpondit, quo petebant potiſſimum, ut ab oneribus, & remoris talibus relinquerentur mercimonia immunia.

Interim quoque aliquot naves præſidiariæ mittebantur à parte civitatis, quæ loca tutiora occuparent; unde res non fuit ſine conflictu: Ac quum eodem tempore magnum illud portatorium adveheretur cum vexillis regiis, hoc ſibi occuparunt Hamburgici, & in ſuam deduxerunt ſub initio Maij urbem una cum navibus quibuſdam, quod adeo offendit Reg. Maj. ut fortiora cogitaret: Ne vero res in apertum bellum denuo erumperet, non tantum Dux Holſatiæ Fridericus interpoſitionem meditabatur, ſed etiam vicinæ urbes Hanſæ Lubecca & Brema ſuos miſere Syndicos qui Civitatum nomine mediatores agerent à principio confeſtim, priuſquam diſſidium hoc in graviorem effervveſceret ignem.

Conatus Dnn. interponentium per totum ferme Maij menſem uſque ad 2. Iunij fuit aſſiduus, uti publica de iſtis conſtant acta, donec Reg. M. hoc per Cancellarium & Conſiliarios dedit reſponſum. Si Hamburgenſes prædicatam ſuam devotionem, & reſpectum, quem erga nos gerant, in ipſo facto demonſtraturi ſint, ut ablata ante omnia reſtituant; tunc ita nos declaramus clementiſſime, quod Hāburgenſes per Legatos ſuos ad cognitionem cauſſæ, & allegatam defenſionem, & exculpationem ſimus admiſſuri, omnia benigne per utriuſque partis adoptatos interpoſitores pro tranſactione tentari, & ſi ita res componi nequeat, rem hanc per electos arbitros intra 8. menſium ſpacium componi curaturi ſimus. Interim autem omnem offenſionem, & facti viam abrogare, Albidos flumen ad libertatem commerciorum apertum linquere, iniecta arreſta in Hāburgenſium mercatorum mercimonia relaxare & libera reddere velimus: In teſtimonium rei ſub Regio ſecreto. Datum in arce noſtra Glückſtad, 2. Iunij Anno 1630.

Quum vero Hamburgenſes varias in hac reſolutione regia ſibi præiudicii difficultates tam in modo procedendi, quam materia ipſa invenirent, ita ſimpliciter ſe ad talia poſtulata explicare nō potuerunt: attamen ad reſtitutionem promptos ſe quidem obtulerunt modo eadem ratione à parte R. Maj. reſtitutio fieret omnium bonorum in arreſto detentatorum, ut eo magis cives complacarentur, quod per cōmiſſarios deputatos in loco intermedio effici ſatis poſſet. Ubi ſimul hoc petierunt, ut R. Maj. certos Deputatos ad locum tutum mitteret, ubi ſimul Hamburgenſium Deputati comparere poſſent, qui ita de rebus dubiis inter ſe oraliter agerent, atque ſic eo rectius quid componi, & conſtitui valeret, ne regia indignatio gravior exardeſceret, uti ex Hamburgenſium reſponſo, Civitatum duarum ſupradictarum Syndicis 5. Iunij dato, pluribus declaratur. Sed interim dum Syndici hi ſuis principalibus omnia in ſuo loco referre ſtudent, novæ adeo exortæ ſunt difficultates, ut inde offenſionem non levem Hamburgenſes acceperint, quum non tantum bona, & credita in Regno Daniæ Hamburgenſium civium arreſtata, ſed etiam in flumine Stora tempeſtatis vi ibi appulſę naves, & earum nautæ violati eſſent. Interim quoque per aliquot litteras differen-

tiam

tiam hanc S. Cæſ. Maj. Hamburgenſes integre ſub datis 17. April. 23. eiuſd. & 4. Maij Anno 1630. denunciarunt, velut & ad Imp. Electores 10. Maij ſtyl. nov. idem perſcripſerunt, unde nova poſtea commiſſio quidem exorta eſt; ſed tamen interea Hamburgum reverſi ſunt duarum Civitatum Lubec. & Bremenſium Legati & Syndici, abſque mora ſic miſſi, ut ulterius amicabili compoſitioni remedia quærerent, in quo etiam ita adſidui fuerunt, ut Hãburgenſes cum tali reſolutione in ſcriptis illos ad R. Maj. dimitterent denuo, nempe, Hamburgenſes pro demonſtratione erga R. Maj. S. devoti reſpectus, ablata, quantum in cuſtodiam de iis acceperunt, ante omnia reſtituere volunt; ſi è contra S. R. Maj. eis ſufficientem præſtet aſſecurationem, quod reſtitutas naves cum portatorio ab Albidos flumine abducere, omnem offenſionem cum facti via abrogare, flumen Albidos in ſua libertate, abſque ulla exactione, aut remoratione, & ſimiliter commerciis, ac navigationi in eo, velut quoque in mari, & in E. R. M. regnis, & terris uſitatum abſque impedimento curſum, & ſic Civitati Hamburgenſi, aut eius mercatoribus, & incolis ablatas, & impeditas vel arreſtatas naves, & bona, ſicut etiam captivas, & detentatas perſonas, undiquaque abſque reluitione libere dimittere velit. Quas vero utraque pars ad invicem lites alias haberet, eæ per utriuſque partis approbatos Interpoſitores tranſigi, aut amicabili compoſitione diſtracta per viam iuris diiudicari poſſent. E. R. M. etiam eouſque nullum munimentum, fortalitium, aut caſtrum in, aut ad Albim ponant, aut ullam bellicam navem, portatoriumve in fluvium iſtum ordinent, ex quibus civitas incommodari, & tranſvectio commerciorum ullam moleſtationem pati, aut accipere queant. Quod ſi conceptus ſit approbatus, tunc conſules, & ſenatus naves & portatorium, uti ſupradictum eſt, ad intermedium locum avehi curabunt, atque ita ad realem reſtitutionem in Ej. Reg. Maj. reſpectum initium facient, &c.

Hac reſolutione legati duarum civitatum, qui tunc erant, Hieronymus Schabbel Doct. & Synd. Conrad. Eden Senat. Brem. iterum dimiſſi ſunt ad R. Maj. & auditi 7. Iul. præſentibus Dnn. Senatoribus Regni Dan. Nicolao Daa, & Chriſtiano Thomaſio. Omnia ſatis commode tertia vice propoſuerunt ita, nec minus & in Scriptis exhibuerunt. Ad quæ E. R. M. ſub dato 9. Iulij ea pro ultimo reſponſo repetivit, quæ 14. Maij, & 1. Iunij erant pro reſolutione regia data, cum annexo aliquo, ut ex formalibus eius apparet, ita ſe habent: Reg. Maj. Dan. Norvegiæ, &c. iterum humillime relatum eſt, quid binarum honeſtarum Civitatum Lubec. & Brem. præſentes legati in nomine & loco ſuorum Dominorum, & ſuperiorum apud conceſſam audientiam propoſuerint, & poſtularint, ex quo E. R. M. tantum percepit, qua ratione conſules & ſenatus dictarum Civitatum E. R. M. humillime ſummas agant gratias, quod ea in nupertime 2. Iunij reddita reſolutione Civitatis Hamburgenſis cauſſa, eius Regiũ pro reparatione inclutæ & nobis pacis, tranquillitatis, & beatitudinis ita plane inclinatum animum in apertum produxerit, & effulgi curarit, cum humillima petitione ut E. R. M. in tali laudatiſſima intentione etiam in poſterum irremiſſibiliter perſeverare, & in honorabiles Civitates, quod E. R. M. cum Hamburgenſium contraria declaratione non citius prævenire potuerint, diſgratiam ullam minus convertere velint: ſimul in capitali negotio referentes, qua ratione Hamburgenſes, veluti extreme adſeverando ſemper conteſtarentur, affirmarentque, quod ex corde toto nil aliud, niſi pacem integram expeterent, ita etiam adhuc iam, & in poſterum E. R. M. omnem ſumme competentem reſpectum, honorem & ſervitium demonſtrare omni conatu, & ſubmiſſione cuperent. atque inde pro efficaci exhibitione huiuſmodi ſui animi, & intentionis plane prompti eſſent, ante omnia ſecum cuſtoditas naves, & portatorium, aliaque, quæ in ipſorum poteſtatẽ perveniſſent, ad reſtituendum, & extradendum.

Quemadmodum nunc igitur E. R. M. ſumme prædicta, in ſupra mentionata 2. Iun. ultima data reſolutione ſe clementiſſime in hoc declaravit, ſi Hamburgenſes allegatam ſuam humillimam oblationem ante omnia in ipſo facto, & opere compleant, ut à ſua parte omnes & ſingulas differentias, aut controverſias ad amicabilem compoſitionem remittant, & perveniri ſinant etiam, ſi amicabilia talia in uno, aut aliquot punctis contra ſpem non accipiantur, E. Cæſ. Maj. Iudicio, & deciſioni id ſubmittant; interea autem omnem offenſionem, & facti intentionem remittant; quod tunc E. R. M. tam in aquis, quam terris impeditis commerciis in regnis, & terris ſuis per totum liberum ſuum irremoratum, ac minus gravatum curſum concedere, impoſita præcepta, & arreſta in omnibus locis caſſare, atque in iſto iam tumultu detentas, & cuſtoditas naues, perſonas & bona clementiſſime relaxare & dimittere vellent; Nimirum ſic E. R. M. etiam adhuc in tali eius expreſſa ſententia animi clementiſſime acquieſcunt, cum expreſſa conditione, ſi vero Hamburgenſes ſuæ oblationi de reſtituendo ante omnia non efficacem ſatisfactionem præſtaturi ſint, quod in eum caſum E. R. M. ad hanc prius, & iterum repetitam reſolutionem in nulla via alligata eſſe velit.

Reliquum vero petitum Hamburgenſium, quod iuxta apparentiam eo vergit, quaſi E. R. M. ſuam ante annos aliquot fundatam, & inceptam arcem ulterius extendere, & perficere, etiam iuxta commoditatem, & neceſſitatem proprias ſuas naves in Albim adducere non competat, ſed in præiudicium eius, uſque in hoc tempus abſque controverſia deductum, à maioribus ſuis inclutis in ſtemmate addictum, à Rom. Cæſaribus, & Imperio in infeudatione ad iuriſdictionem, & ius acceptum, in breve aut longum renunciare deberent, illud præſentia periculoſa tempora, & curſus tam minus admittunt, quam id Hamburgenſibus E. R. M. in eius controverſiæ minus obnoxio territorio ullas leges præſcribere competat. Quod E. R. M. Legatis ſupra dictarum honorabilium Civitatum pro finali declaratione tandem indicari clementiſſime iuſſit. Actum in E. R. M. arce Glückſtadio 9. Iul. An. 1630.

Præter hoc quoque variæ diſputationes, exceptiones uſitato modo ad formam iuridicam ob ſupra poſitum privilegium, quaſi intereſſentibus inauditis, & in eorum præiudicium maxime noxium perſub, & obreptionem eſſet obtentum enatæ, &

non

non ſine vehementia utrinque agitatæ ſunt, ut res ſic magis implicata redderetur odio, & exacerbationi non levi. Ad quæ non incongruum fuit civitatis reſponſum, ut id videre eſt in defenſionis continuatione eius. Interim tamen hoc quoque ex optato illis accidit, ut etiam General. Dn. Exercituum militarium Dn. Iohan. Comes de Tilly ex commiſſione S. Cæſ. Maj. huic controverſiæ ſe interponere cuperet, qui propterea ex Stada ſub dato 13. Iunii litteras ad Senatum Hamb. dederat, miſeratque copiam commiſſionis integram, quæ ita ſe habet.

Copia Commiſſionis Cæſareæ in Dn. Com. de Tilly directæ.

NOs Ferdinandus II. ex Dei gratia, electus Rom. Cæſar, ſemper Auguſtus Imperii in Germania, Hungaria, Bohemia, Dalmatia, Croatia & Schlavonia Rex, Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, Croatiæ & Würtenbergæ, Comes Tyroliæ, &c. Annunciamus alte & generoſe nato noſtro, & Imperii dilecto fideli Iohanni Terclaes de Tilly, præfecto generali Leutenanto noſtram Cæſaream gratiam: Alte & generoſe nate dilecte fidelis, nobis fide digna relatio facta eſt, quomodo inter Regem Daniæ, & noſtram Imperiique civitatem Hamburgenſem, ob aliquam à Dil. E. Glückſtadii per modum retorſionis ab Hamburgenſium navibus exactam recognitionem, & novam impoſitionem, per quam periculoſa controverſia, & certamen ſit exorta & facta, unde ab utraque parte admodum acres litteræ commutatæ fuerint, arma apprehenſa, etiam attentata ulterius peracta, & ſic res videatur in plenum erumpere bellum.

Quando autem nobis ceu Romano Cæſari, & ſummo Capiti incumbit, in hoc vigilantes adhibere oculos, & hiſce inter dictum Regem, tanquam Ducem Holſatiæ, & hinc Civitatem Hamburgenſem exortis differentiis pro diverſione illarum exinde emergendarum periculoſitatum in tempore prævenire, & competentia huc remedia componere: Proinde nos hanc cauſſam ex ſummo Cæſareo officio ſuſcipere, & in hunc finem tibi noſtram Cæſaream commiſſionem devovere volumus, atque præcipimus tibi inde clementiſſime, etiam damus tibi ad hoc noſtram plenam poteſtatem, & volumus, ut hanc noſtram Cæſaream commiſſionem niſi ipſe in perſona, tamen per ſubdelegatos tales, qui cauſſę huic ſufficientes ſint, obſequentiſſime ſubeas, noſtram hanc pacificam, quæ utrique parti, tam cõmuni publico bono in commodum advertitur, intentionem & curam, etiam in hunc finem adſignatam commiſſionem non minus E. Reg. Dilect. quã Hamburgenſ. notam facias, in noſtro nomine expoſcas, & adhotteris, inprimis autem omni modo in hoc incumbas, & unice diſpicias, ut utriuſq; partis, donec nobis ab illis neceſſitas talium illorum adinvicem differentiarum tranſmittatur, & nos eorundem prætenſiones ex iis ulterius percipere, etiam nos iuxta normam iurium & conſtitutionum Imperialium ulterius in gratia reſolvere, & quid deceat porrò, ordinare queamus, ſuſcepta & ulterius curioſa facta abrogentur, velut etiam ulterius libera navigatio, & commercia inperturbata concedantur, præſertim autem arrepta arma utriuſque partis ſuſpendantur, & eouſque armiſtitium fiat. In his demonſtras nobis ſingulare beneplacitum, quod erga te in Cæſarea gratia, qua tibi extra hoc ſemper addicti ſumus, cognituri, & memores erimus. Datum in noſtra Civitate Welſio 6. Iun. An. 1630. noſtrorum regn.

Ferdinand.

Vt

P. H. à Stralendorf.

Loc. Sig.

Ad Mand. Sac. Cæſ. Maj. pr.
M. Arnoldinus à Clarſtein.

ITa quoque Imperator hanc commiſſionem ſingularibus litteris clementiſſimis ſenatui Hamburgenſi ſub dato Viennæ 6. Iunii indicari curavit. Quũ Illuſtriſſ. Dn. Generali Com. Tillio ad comitia electoralia eſſet properandum, ſuo ſummo præfecto militiæ Dn. Theodoro de Camargo ſubdelegationis officium in hoc negotio plene detulit, qui etiam omnem ſtudii conatum diligentiſſime in hoc impendit, ut iuxta commiſſionis Cæſareæ tenorem differentiam iſtam dirigere, & in quietiorem ſtatũ convertere valeret, velut crebrarum litteratum & communicantium miſſitationes adſiduæ id teſtantur: Eo uſque perventum erat ex Dn. ſubdelegati interlocutione, ut Hamburgenſes quidem à navibus ſuis prætidiariis militem revocare cuperent. Sed quum interim pro certo accepiſſent, quod in regno Danico maxima fieret armatarum navium & ita claſſis bellicæ alicuius notabilis præparatio, vigilandum ſibi potiſſimum iam putarunt, ut illorum litterarationes huius prudentiæ ad Dn. Camargum ſub dato Hamburg. 24. Iunij ſatis manifeſte loquuntur. Inde quum cerneretur, quod diſſenſio talis in acrem ereptura eſſet martialem defenſionem, Hamburgenſes ſeverius de bona concertationis forma, & navali apparatu pleniori deliberare cæperunt. Rem tantam non ſine capitis alicuius certi directione poſſe perfici recte arbitrabantur; de quo ſatis ſolliciti diu hucuſque fuerant: Coniecerant quoque toties oculos in Conſulem ſuum primarium Dn. Albertũ ab Aizen, utpote quem in litteris & armis olim enutritum, nec non in Hungarica expeditione aliqua contra Turcam munus militiæ aliquod geſſiſſe noverant; ſed ille non potuit prius ad hanc expeditionem invidioſiſſimam induci. Interim quoque in rem eſſe potiſſimum putarunt, ut rationes ſui intenti clarius Sacr. Cæſ. Maj. & Conventui Electorali tunc Ratisbonæ habito innoteſcerent.

Ideoque Memoriale cum poſtulatorum explicatione in 5. punctis illuc miſerunt in hoc ordine. 1. Quod R. M. Dan. commerciis priſcam ſuum liberum, & irremoratũ curſum linquere, nec naves inhibere, nec telonium exigere, exacta reſtituere teneretur. 2. Nec amplius E. R. M. prælidiarias naves in Albi, velut in S. Imperij Romani fluvio locaret. 3. Nullum fortalitium caſtrum, aut ligneum munimentum ad Albim ædificare deberet. 4. Ut in bona Hamburgenſium coniecta arreſta caſſaret. 5. Omnes

con-

controverſias, quas contra civitatem Hamburgenſem, & hæc civitas contra E. R. M. fovere putaret, ad viam amicabilis compoſitionis, vel ordinariam iuris decisionem remittere, & ab omni hoſtilitate deſiſtere cogeretur. Quorum poſtulatorum fundamenta iuris ulterius deduxerunt pluribus. Verum quum interea ad exordium menſis Auguſti in eodē Anno 1630. rumor verus increbeſceret, quod Rex Dan. ita pridem præparationes bellicis navibus adornaſſet, quod iam iam in mare eſſet excurſurus cū claſſe ſua 40. navibus conſtante, & Albim ingreſſurus cum violentia tali, Hamburgenſes quoque iam ſibi vigilandum, & præveniendum eſſe ducebant. Ideoque non tantum ſuam claſſem ad 29. naves augebant, ſed etiam Deputati eorum ex ſenatu & civium numero ordinem inſtituebant in loco Admiralitatis, quo expeditio talis armata recte ſuſcipi, & perfici poſſet.

Inprimis ſolliciti erant de capite aliquo, cui directio commendaretur. Quem proinde antehac Conſulem Dn. Alb. ab Aizen ſibi elegerant ob virtutes cognitas, & amorem non minus in patriam ſingularem, iterum ob rei militaris peritiam apud Hollādos etiam in locum Admiralitatis evocant rogantque, ut hoc iam officium communi civitati largiatur. Ac licet ille toties ſe excuſaret, peteretque, quā plurimas rationes inducendo, ne in tale invidię ſummæ odioſiſſimum periculum deduceretur, ut excuſatus acciperetur; tamen acquieſcere noluerunt, potius eo inſtantius hoc urgendo, ut ita cum laude, commodoque patriæ inſerviret. Sed quum neque ſic ſatis induci poſſet, & moræ periculum ante oculos eſſet, adſociarunt ſibi Deputatos, ex civibus plures, qui in pleno ſenatu illum ad hoc munus poſtularunt, nec quod denegaret illis amplius, quod neceſſitas ipſa iam exigeret. Ut vero ſic eo rectius quid ſenatus conſtituere poſſet, illo adhuc in excuſationibus ſuis perſiſtente, iuſſus eſt non nihil cedere; Ubi ſenatus cum civium Deputatis hoc concluſum reddidit, Conſulem hunc non poſſe dimitti, quum conſenſus unanimus omnium hoc ita requireret, & ut eo etiam gratior in Auctoritate tali eſſet expeditio, velut olim quoque in exemplis Civitatum Hanſearicarum eſſet receptum, ut conſules præirent tēporibus periculoſis: velut id etiam in revocatione conſilii iſti vito indicatum eſt.

Quamvis ſenatus lubenter exciperet excuſatum; tamen quum vota omnium id ita ferrent, ut illum ſibi certum elegerint, rogatus eſt ne quid amplius in gratiam & civitatis commodum, cui antehac obligatus & officio, & iuramento detineretur, detrectaret. Victus itaque tandem vir iſte pondere rationū, & decreto inſuper ſic facto, & quum cerneret, ſine vulnere conſcientiæ ſe non poſſe id declinare, parēdum ſenatui, & voto communi omnium recte ſtatuit. Inde de inſtructione ſecretim agi eſt cæptum, quomodo totius rei expeditio in Albi, ſi quid hoſtiliter eſſet contra Reg. irruptionem ſubeundum, peragenda foret.

Omnes quaſi ſingulariter lætari in hoc viſi ſunt, quum claſſis dimitteretur, in præambulum, donec certi eſſent, de adventu claſſis regiæ. Quippe aliquoties per famam erat allatum, quaſi non ſatis cōſtarent omnia de intentione E. R. M. cui tamen minus fidendum putabant, ut ſic 6. Auguſti quoque, quum de pleniori propoſito alterius partis certiores eſſet redditi, Conſul iſte ſecutus eſt; ſtatimque cum ſibi adiunctis de variis accidentibus conſultavit.

Cuſtodias in Albi ſatis caute viſi ſunt agere uſque ad finem huius menſis. Forte tum rumor excitabatur quod ex tempeſtate ſubito coorta claſſis Regis quid damni in mari eſſet perpeſſa; ſed compertum eſt mox ad Hilligelandiam Inſulam claſſem appuliſſe; Inde ex communi conſilio conſtitutum eſt, ut oſtium Albidos propius conſervarent naves civitatis. Circa 4. autem Septembris diem, ſecundo venti flatu uſa eſt ex optato claſſis regia, & irruptionem in Albidos fluvium fecit, ubi quidem utrinque bello navali fortiter pugnatum eſt; & quamvis intentio Hamburgenſium navium fuit aſſidua, ut commode naves regis poſſent conſcendere, tamen non ſolum Danici contraxere vela, & anchoras fixerunt; ſed etiam ob contrarium ſemper ventum Hamburgenſes fruſtra in hoc conatu fuerunt, donec forte Danis innotuiſſet, quæ navis vere eſſet prætoria, in quam impetum facere aliquoties tentarunt. Fecit tamen pertinax tempeſtatis vis, ut pedetentim cedere aliquouſque ad fluminis accurſum cogerentur: Nihilominus ſequenti die acris inſecuta eſt concertatio, ubi Hamburgenſium naves quamplurimas perforationes perrulere. Sunt autem in ipſo Albidos flumine plurimæ fluxus obliquationes, ut inde iuxta ductum profunditatis ſigna tonnarum ab urbe uſque in mare fixa habeantur, quæ etiam removere ſunt conati Hamburgenſes: ſed etiam in hoc impedimento fuit illis ventorum vis continua, & interim celebertimis uſæ feliciter ictibus flumineis claſſis regia, donec Glückſtadium pervenit, & locum ſuum optatum obtinuit.

De tali certamine variæ paſſim ſparſæ ſunt opiniones; maximum autē virus ob infelicitatem ſucceſſus in prædictum Dn. Conſulem, ut fieri ſolet, ubi potius ab eventu præpoſterum iudicium, quam de veritate rei ſumitur, coniectum eſt, qui tamen Apologia ſatis convenienti ſe defendit, uti publice extat, ad quam unumquemque remitto, qui pleniorem huius hiſtoriæ informationem quærere gaudet. Velut etiam aliæ circumſtantiæ inveniri poterunt in defenſionis ſcripto Hamburgenſium, & quod remonſtrationis titulo ad hoc Reg. Maj. edi in publicum pro reſponſo ſuo curavit Anno 1630. Ne vero hæc diſcordia in graviores hoſtilitatum acerbitates iterum excreſceret, & regius complacaretur animus, à pluribus intervenientibus, & publice, & privatim, non ſine magno labore in hoc deſudatum eſt, qui id agebant toti, ut potius amicabili adhuc compoſitione res tranſigeretur, quam infeſtatio armorum æquitati viam præcluderet. Eodem igitur menſe factum eſt, ut prius inſinuatio privata apud Cancellarium Germ. Reg. Dn. Martinum à Meden ſit ſtatim ſubſecuta per Immanuelem Putzium J. U. L. quietiam admodum favorabiliter id pro nata occaſione ſereniſſimo Reg. Principi Dn. Chriſtiano S. Reg. M. filio natu maiori retulit, rogando, ut ſe commode interponeret, velut etiam factum eſt, uti ipſe ad amicum ex Rendesburgo ſub dato 21. Sept. Anno 1630. ſcribit.

Idem

Idem hoc etiam fideliter præstitit, Reg. Maj. Britanniæ Legatus Dn. Rubertus Amstruderus, amicus meus quondam singularis, unde eius nominis mentionem honorificam non immerito facio, velut etiam virum candidum semper exploratum habui, ut in rebus magnis prudentem non minus ac integri animi. Medenus quoque in hoc studio fideliter pergere non destitit, præsertim quum multis in aula Regia bonis hoc perplaceret, ceu vidi litteras ad eundem ex Parochia Wefelstotensi sub dato 18. Sept. An. 1630. singulariter eo nomine ad eum perscriptas; quibus inserta erant ea verba: Tu pro tua prudentia de his iudica, & cæptum opus promove. Nosti quã sint multi viri boni, qui hoc cupiant, & omni studio promoturi sint, &c. Transmiserat quoque senatus Hamburg. per supradictam personam memoriale oblationis ad pacem amabilis plenũ, quod eo gratius Medero accidit, ad quod consultum putavit, ut tractatui integri, fide digni, & in moderatione placidi, & accepti viri, non vero ii, qui incentores turbarum putarentur, adhiberi possent. Ita res gratiosa à pluribus est habita. Sed interim ex conventu Electorali Ratisbonensi fama id attulit, quod hac in causa destinata esset Cæsarea commissio Serenissimo & Illustrissimo Principi ac Dn. Dn. Augusto Iuniori Duci Brunsv. & Lunæburgensi, ac General. Exerc. Dn. Comiti de Tilly, quæ non exiguam successui peperit moram. Nihilominus urgeri non desitum est, ut fieret restitutio utrinque ablatorum.

Verum An. 1631. Dnn. Commissarij Cæsareani tractatibus his nominarunt locum Civitatem Lunæburgensem, quo etiam venerunt sub initio April. m. & comparuerunt quidem per suos Legatos Hãburgenses; sed quum nimis sero sibi id denunciatum asseveraret Rex, nec simul ipsi missa esset copia commissionis, tum quoque nondum facta restitutio ablatorum à parte Hamburgensium, (quę tamen postea subsecuta est suo loco in certa forma) negavit, se ad hoc tempus præstitutum suos mittere posse. Unde in dissolutionem inanem conventus iste abiit. Inter alios quoque Dnn. Statici An. 1632. se interponere studuerunt, ut solida fieri posset inter dissidentes compositio, veluti etiam vectigalis moderationem valde sollicitarunt per suum Deputatum Hasniæ residentem; ubi conditiones eiusmodi iuxta pristinam formam obiectæ sunt, ut intercessio talis exigui fuerit fructus. Nihilominus iterum An. 1634. iste idem Sanderburgi apud R. M. ex iussu tentavit, uti regia resolutio sub dato 22. Ian. eodem anno testatur.

Nec minus in An. 1633. bis fuit facta reassumptio tractatus à Civitatibus Lubeccensi & Bremensi, qui quidem in eo sedulo labore fuerunt, ut media quædam inveniri possent transactionis, & compositionis fundamentalis. Sic & Consiliarii Regii An. 1634. 21. Martij ipsi media transactionis quæsiverunt, quę tamen nec sic sufficientia inveniri potuerunt. Sed vectigalis continuata exactio, & reliquæ obiectiones id semper fecerunt, ut difficultates in tali negotio ferme accreverint. Ideo Hamburgenses in aula Imperatoris non destiterunt vigilare, ac instanter abrogationem Vectigalis Glükstadiensis petere, semper inhærendo illi privilegio, quod An. 1628. 3. Iunij obtinuerant; velut & R. M. suas partes per legatos, & alias satis diligenter ibidem agi curavit, quod nimis longum foret recensere in singulis, & quomodo exacta fuerint vectigalia, ut mercatores Hamburgenses à querelis suis nunquam desisterent. Quum igitur rursus Anno 1636. indicta essent Comitia Ratisbonæ, ibi per legatos suos instanter id urserunt Hamburgenses, ut quoque propterea Anno 1637. 6. Ianuarij confirmationem talis supradicti privilegii obtinuerint, uti ex formalibus his apparet.

Rom. Cæsar. etiam Hungar. & Bohemiæ Reg. Maj. noster clementissimus omnium Dominus clementissime audivit, etiam sibi ad longum humillime referri, & recenseri curavit, quodnam eius, & S. Imperii Civitatis Hamb. ablegatus Syndicus & senator Dn. Iohan. Christoph. Mejer. & Dn. Georg. Utenbuschius respective J. U. Doct. & Licent. in superiorum suorum nomine hucusque sæpius tam oraliter, quam in scriptis proposuerint, & nimirum sæpius conquesti sint, quod tam ab aliquot annis hucusque contra claram & meram litteram ob concessum illis in An. 1628. 3. Iunij privilegium multiformiter turbati, & gravati fuerint. Iam vero sibi E. Cæs. Maj. in memoriam revocant in his clementissime satis prompte, ex quibus iustis, bonis, etiam bene deliberatis caussis, ea dictæ iam Civitati Hamb. nominatum privilegium consenserint, etiam quid interim Reg. Dign. Danicæ illius vectigalis caussa in certos annos concessum sit. Postquam autem talis huius determinati temporalis vectigalis consensus ad 23. Iul. huius 1637. Anni, atque sic brevi, finem accepturus sit; E. Cæs. Maj. intentio quoque non alia fuerit, neç adhuc est, quam ut ista concessio post elapsos, & ad exitum determinatorum 4. annorum expirarit, & omnino cassata esse debeat; præsertim quum etiam alii aliquot status Imperii, veluti apud E. Cæs. Maj. ita non minus apud heic præsentes inclutos Electores, & absentium Consiliarios, nuncios & legatos, contra talem concessionem supra modum conquesti sunt, & eius abrogationem, cassationemque, ac ne ad exitum determinatorum 4. annorum uspiam ulla ulterior prolongatio eiusdem vectigalis instituatur, aut consentiatur, instantissime postularunt, & petierunt. Proinde E. Cæs. M. causam hanc cum illis hinc inde, & ab omni parte propositis, & deductis motivis, etiam aliis in hoc inventis circumstantiis, non solum iterum bene ponderavit, sed etiam laudatissimi Elect. Collegii E. Cæs. M. in hoc productam exactam sententiam in singulari consideratione observavit; ac post iteratam, diligenterque habitam consultationem, etiam singulariter in prius dictam super hoc exhibitam Elect. collegialem sententiam, & relevantem considerationem porro ita se declarat: quod undique hoc in prænominato, illis An. 1628. concesso privilegio, & omni illo litterali, & claro argumento, velut etiam postea tam orali, quam in scriptis, edita cæsarea resolutione omnimodo permanere, & persistere debeat, cum ulteriori declaratione, & adsecuratione, quod ab effluxu prædicti 23. Iulii huiusce in finem 4 annis tẽdentis durata R. Dign. Dan. concessa vectigalis cõcessio per se expirarit, & cassata sit, etiam nulla ulterior prolongatio, aut nova concessio admitti, aut consentiri, sed sæpius prædicti Consules, & Senatus Civitatis Hamb. apud prænominatum illius 3. Iunij, Anno 1628. privilegium, etiam alia sua privile-

gia, & obtentas immunitates quiete permanere, velut etiam ſæpius dicta quadriennalis vectigalis conceſſio illis in nullo præiudicialis, aut noxia eſſe deberet, cui ſæpius nominati conſules, & ſenatus, ſicut quoque eorum ablegati tuto ſe concredent, quibus univerſis & ſingulis ſumme prædicta E. Cæſ. M. conſtanti gratia citra hoc bene addicta eſt. Signatum in E. Cæſ. M. & S. Imper. Civitate Regenſpurgenſi ſub ſumme prædicto E. Cæſ. M. impreſſo ſecreto ſigillo 6. Ianuarij An. 1637.

Ferdinand.

Vt

P. H. de Stralendorf.

Loc. Sig.

M. Arnoldin. à Clarſtein.

Habuit etiam R. M. Dan. in eodem conventu Electorali quendam ſecretarium ſuum, qui maxime in Collegio Elect. prorogationem vectigalis Glückſtadiani ſollicitabat; ſed in eodem menſe Ian. Anno 1637. quo ad hunc punctum tale reſponſum accepit declaratorium, uti verba formalia id indicant.

Quantum autem ad prorogationem Vectigalis Glückſtadiani attinet, in eo E. R. Dign. ſecure ſibi perſuaſum tenere poſſunt, quod E. Elect. grat. & Illuſt. plane per ſe inclinarent, & parati eſſent in omni, quantum practicabile foret, E. R. Dign. ad amicabiliter gratificandum. Quum vero in hoc negotio contradictores adſint, Civitas Hamburg. ſe in contrarium opponat, & privilegia ſua alleget, etiam alii ſtatus ſimili modo id faciant; unde non reperiatur ita, quomodo ad communium Imperii ſtatuum notabilem preſſuram, hiſce iam duris temporibus, talis prorogatio conſentiri queat: Quippe alias commercia pridem antehac ita ſunt in omnibus locis prægravata, ut illa ulterius onerare, & quaſi penitus ea ſupprimi finere nefas ſummum eſſet futurum; unde etiam in hoc conventu propterea collegialiter decerni id neceſſitas exigit, ne in communi ulla talis conceſſio erogaretur, velut etiam ex hiſce (iam multo magis, quam unquam antea militantibus) cauſſis, An. 1562. tum temporis regens Rom. Cæſar beat. mem. Coronæ Dan. in ſimilibus rebus nihil detulit, & tamen ea in hoc acquievit. Supra id omne etiam non inique eius curæ ratio habenda eſt, velut & iam de eo indicatio eſt facta, in eum caſum, ſi petita vectigalis prorogatio concederetur, quod alii intereſſentes proceres, & ſtatus per modum repreſſaliarū, ſimiliter inſtituere, commercia totaliter poſſum dare, aut ſe alias armata manu contra hoc opponere, atque ita per hoc plane motus in S. Rom. Imp. ulteriorem inquietudinem exoriri auderet. Proinde vivunt ſumme prædicti Electores in confidenti bona ſpe quod E. Reg. Dign. ſibi, tanquam præcipuus ſtatus Imperii, omne id, quod eius conſervatio, accrementum & firmior tranquillatio requirit, etiam eius fundamentalibus legibus conſentaneum eſt, à ſua parte non contrarium ducere, ſed potius iuxta omnem poſſibilitatem promovere & iuvare velit.

Quod ſumme prædicti præſentes Dnn. Electores & abſentium conſiliarii, nuncii & legati regio Danico ablegato ita explicati clementiſſime mandarunt, & ipſi ad hoc Electorali gratia, & omni bono præcipue affectionati ſunt, Sign. Regenſpurgi. Ian. An. 1637.

Sic etiam poſtea ſtatim ab obitu D. Ferdinandi 2. b. m. ſub initio regiminus Ferdinandi 3. eodem modo abrogationi huius vectigalis invigilare pertexerunt, atque per ſupplices impetrarunt à moderna Cæſ. Maj. ut in ſignum confirmationis huius, & ſententiæ talis latæ ad Reg. Dign. Dan. ſub Viennæ 20. April. An. eod. monitorium mitteret, ad quod R. M. E. ſub dato Glückſtadii 9. Iunii tandem reſpondit, cum excuſatione ea, quod adeo ſero, & vix ante triduum litteræ Cæſareæ ipſi eſſent exhibitæ. Nec minus tempus inſtantis finis pro abrogatione vectigalis ſæpius nominati Hamburgenſes non tantum Regni Danici Conſiliariis cum querelis adiectis acriorem executionem contra commercantes & cives ſuos denunciarunt; ad quod nomine omnium, & totius Collegii Dn. Cancellarius & prorex ſub dato Copenhagen 27. Maij Anno 1637. reſpondit, illis tractatus Schanderburgenſes acriter obiciendo, ſed etiam idem ferme ſub dato 20. Maij ad prælatos, nobilitatem & Civitates, ſtatuſque provinciales Ducatus Holſatiæ perſcripſerunt, quorum nomine omnium Dn. Detlevius à Rantzow & Caius ab Alefelt ſub ſignato Drage 14. Iunij eod. an. reſpõderunt, ad hoc potiſſimum reſpicientes, ut Hamburgentibus privilegium Albidos diſſuaſum maxime cuperent. Præſtitutum autem tempus finiendi vectigalis, nempe 23. Iulii, quum præciſe obſervarent Hamburgici, & Civitatis huius ſenatus, nec tamen ab exactione tali Glückſtadii deſiſteretur, ad Dn. Commendantem eius loci in abſentia Dn. Com. Penzij eiuſmodi miſerunt litteras.

Prævia amicabili noſtra ſalutatione, prænobilis, ſtrenue, & fortis ſingularis favoris Dn. & amice: poſtquam nunc ferme illud ab E. R. M. Dan. Norvag. &c. noſtro clementiſſimo Dn. Glückſtadij per tempus aliquod acceptum vectigal, tam ratione tẽporis prætenſę conceſſionis, quam efficax exactionis eius operatio expiravit, atque nos nobis inde nullũ facimus dubium, E. R. M. clementiſſime inclinare omnino in hoc, ut illius ſub 6. Ian. huj. currentis An. iuxta emiſſam, & pronunciatam ſententiam ſumme incluti Electoral. Collegij, exhibiti Cæſarei Decreti in ſequelam, exactionem vectigalis abroget, & caſſet. Proinde nos hoc neceſſitatis putavimus, V. N. S. iſtud amicabiliter ad notificandum, & petendum, ſe in loco debito favorabilem applicationem haud difficulter adhibere velle ita, ut cives noſtri, & incolæ in poſterum vectigali hoc non amplius prægraventur, ſed abſque omni impeditione commerciorum libertate, veluti in flumine Albidos ab immemoriabilibus annis ea uſi ſunt, in futurum frui poſſint. Hoc velut in E. Cæſ. Maj. & laudatiſſimi Elect. Collegii reſpectum, in promotionem communis commercii, & reſtabilitionem clementiſſimæ, & reſpective humillimæ Confidentiæ verget; ita in V. N. S. toti recumbimus, & manemus et ad gratioſa officia ſemper prompti, & parati. Datum ſub noſtrę Civitatis ſecreto 25. Aug. An. 1637.

Conſules & Senatus Civitatis Hamburg.

Quum

Quum has per peculiarem ad illum Commendantem miſiſſent, etiam R. M. ſimul eo in loco eſſet præſens, non tantum vir ille nobilis R. E. M. id ſtatim retulit, ſed etiam poſtero die ita ex iuſſu Regis reſpondit.

Honorabiles, alte & bene ſapientes Dom. fautores amici, eorum ſub dato 25. Aug. ad me datas litteras 26. eiuſd. mihi inſinuatas accepi, huius tenoris, quum Glückſtadianum vectigal, ratione Imperialis conceſſionis expirarit, quod inde Dnn. non dubitent, E. R. M. noſter clementiſſimus Rex & Dn. etiam illi ſub 6. Ianuar. ad Elect. Collegij editam ſententiam, emanato Cęſareo Decreto ad ſequelam exactionem huius vectigalis ſit caſſaturus: me ad hæc amice rogando, in hanc accommodationem, ut cives eorum, & incolæ poſthac iſto vectigali onerarentur, idem quoque in Rom. Cæſ. Maj. & Elect. Collegii ſingularem reſpectum vergeret. Quēadmodum nunc Dom. in poſſibilibus, & competentibus rebus ad omnia officia perquam paratus ſum, ita ſumme honoratæ E. R. M. noſtro clementiſſimo Dom. iuxta eorum poſtulationem ex iis humillime retuli, & E. R. M. clementiſſimi animi mentem in hoc inclinatam intellexi, quod quidem E. R. M. illi ex conſenſu Collegii Electoralis editæ Cæſar. ordinationi ſequelam præſtandam ſe obligatam agnoſcat, velut id inter Cæſ. Maj. & Elect. Collegium compactata Capitulatio ſecum ferret. Verum ad hæc indicabat ſumme colenda E. R. M. quod Capitulatio, & ſimilia in Capitulatione Cæſarea fundata decreta, & ordinationes, non ſolum ab E. R. M. tanquam parte impetrata, ſed etiam à Dnn. tanquam impetrantibus in ſingularem conſiderationem trahi deberet, & contra hæc propria Auctoritate introductionibus novorum, & elevatione antiquorum vectigalium in minimo agi non oporteret: ſi eatenus Domini non ſe, & ſuos cives, ac incolas pro abrogatione ſimilis reciproce obligatos reddere cuperent. Huius autem minus impediti Dom. Cæſar. Capitulationi in his, & alias multipliciter contraveniſſent. Quod ſi proinde Domini inter ſumme prædictam Cæſar. Majeſt. & Elect. Collegium erectæ Capitulationi in omnibus ſe conformarent, & quod à parte eorum contra actum, corrigerent; tum quoque ſæpius ſumme dicta E. R. M. tanquam Imperii Princeps, allegato conſenſui Collegij Electoralis in Albi vectigalis cauſſa emanato decreto ſe accommodatam præſtabit. Quod Dominis pro eorum indicamento reſponſorio ſubtegere nolui, in divinam conſervationem eoſdem committendo. Dat. Glückſtadij 26. Aug. An. 1637.

Dom. benevolus
Marquardus Ranzovius.

Ad quod cum ulteriori explicatione facti, & defenſione ſua, ſub dato 21. Septembr. eod. an. Hamburgenſes illi reſponderunt: Inde accidebat, ut non tantum is graviorem ſtilum ſub dato 27. Septembr. Hamburgenſibus reponeret, ſed etiam tale ſcriptum publicis divulgari curaret typis, quod nec minus illi cum notis refutatoriis recudi iuſſerunt; Quæ quum publice extent, non opus eſt, ut ob nimis diffuſam materiam repetantur. Offenſionem inde talem accepit E. R. M. ut quoque inhiberet publico edicto omnibus Holſatiæ ſubditis, & incolis Hamburgenſis Cereviſię importationem; qua tamen quū Holſati nobiles carere minus poſſent; tandem eius facta eſt relaxatio.

Aſt Hamburgenſes non deſtitere ſua apud Imperatorem exaugere gravamina querelis iuſtis, præſertim quum etiam R. M. novas exactiones mercimoniis cunctis, quæ ad munitionis materiam ſpectant, imponeret. Quæ cauſſa quoque inter alia accumulata gravamina fuit, ut Imperator 22. Octobr. Anno 1639. mandato novo Regi abrogationem vectigalis Glückſtadiani præceperit; ſed quum nec ſic pareret ſatis convenienter, in Comitiis Communis Imperii Hamburgenſes iterum edictalem caſſationem Anno 1640. ſub dato Ratisbonæ 31. Decembr. in duplici forma impetrarunt. Heic vero notandum eſt inprimis, quod Hamburgenſes non proprio motu ibi comparuerint, ſed à Sacr. Cæſar. Maj. citati ſunt ſolemni modo, & ea ratione, uti ſuperius de Bremenſi Civitate idem explicavimus, ubi tenor talis Citationis publicæ introſpici valet. Quod quum animadvertiſſent regii legati, proteſtationem propterea inſinuarunt, priuſquam advenirent Hamburgenſes legati, quaſi iſti non eſſent admittendi, nec capaces ſeſſionis Comitialis. Miſit quidem ſenatus Hamburgenſis Legatos ſuos Dn. Iohan. Chriſtophorum Meurerum J. U. D. & Dn. Bartholdum Mollerum ſenatorem, & J. U. Licent. at non cum inſtructione tali, ut ſeſſionem caperent, ſed ut potius commode declinarent hanc requiſitionem, ut ita regii Legati in hoc opere fruſtrati fuerint. Edictales autem binæ caſſationes Glückſtadiani Vectigalis, quas Imperator in publicum emiſit, ita ſe in formalibus habent ſuis.

Prima ad Reg. Dan.

NOs Ferdinandus III. ex Dei gratia, electus Roman. Cæſar. &c. Annunciamus Illuſtriſſimo Principi ac Dn. Chriſtiano 4. Daniæ, Norvagiæ, Vandalorum & Gothorum Regi, &c. noſtro ſingulari amico & cognato noſtram amicitiam, amorem, omneque bonum, Illuſtriſſime Princeps, ſingularis dilecte amice, & cognate, Apud nos honorabiles noſtri, & Imperii dilecti fideles Conſules & ſenatus Civitatis Hamburg. per ſuos ad hanc proclamatam, & adhuc durantem Imperii dietam ablegatos pluries in ſubiectiſſimo obſequio conqueſti ſunt, & querulando propoſuerunt, etiamſi V. D. illi noſtrum ultimum ſub dato 22. Octobr. præteriti 1639. anni emanatum reſcriptum, ob efficacem caſſationem Glückſtadiani vectigalis in Albi, 29. Iulii huius 1640. anni, ordinarie inſinuarint, quod tamen ea, licet illa impetrata quadriennalis conceſſio in Anno 1637. pridem expirarit, ipſa in Deo beatiſſime quieſcens Cæſ. Maj. etiam noſter dilectiſſ. Dom. & parens dictum prætenſum vectigal, & antedictam conceſſionem in utriuſque partis producta ſcripta, & oralem informationem, contradictionem & deductionem, tum etiam in laudatiſſimi Elect. Collegij 4. Ianuar. dicti 1637. anni exhibitam ſententiam, atque ita cum debita, & ſuffi-ienti cauſſæ cognitione, ſub illo in iam nominato 1637. anno ce-

lebrato regio,& Electorali electionis,& Collegiali dicta, mediante 6.ſequenti Ianuarii prædicti anni publicata Cæſarea deciſione,declaratione, & aſſecuratione penit⁹ caſſarit, & abrogarit; quod nil minus V.Dil.illud ipſum vectigal cum aliis pluribus adiectis preſſuris iam in decimum ex propria vi continuet,& tale non ſolum in ingens lucrum convertiſſet,ſed etiam à principio indigitatam Civitatem Hãburgenſem cum cotidie experta pernicie commerciorum in extremum damnum,& interitum præcipitaſſet,ac nos inde toties quoties imploratunt, & rogarunt, ne dictos Conſules, ſenatum & communem civium univerſitatẽ in iſta pridem iudicio abſoluta, & per ſe iuſta, ac indiſputabili cauſſa,ulterius amplius auxilio deſertos relinqueremus,ſed illos per eas in noſtra Regia Capitulatione art. 24. indicatas vias clementiſſime ita defenderemus, & manuteneremus, ut ſupra mentionatum Glückſtadianum vectigal, etiam omnes reliquæ, atque antehac toties incuſatæ, ac cotidie plurima accumulatione accreſcentes preſſuræ in oppilatione commerciorum, & aliis ipſis demandatis ſalutaribus iuſtis repreſſaliis, Arreſtis, Tonnis, & vaſis fluvialibus,etiam aliis adiectis gravaminibus,efficaciter abrogetur,& inique exacta vectigalis pecunia, & erepta bona, una cum addito damno reſtituantur, & redhibeantur, atque ita, velut S. Imperii onera ſimul ferunt, ſic quoque ſalubri iuſtitia, cuius principalis pars eſt Executio, etiã noſtra Cæſarea ſummi Magiſtratus protectione,& defenſione uti frui recreanter queant.

Quum igitur iuxta indicationem noſtri gerentis ſummi Cæſar. officii omnimode incumbat,prægravatis partibus ſalutiferam impartialem Iuſtitiam ad adminiſtrandum, & prædicto modo in facto veriſſimum, etiam V. Dil. ipſi, & unicuique cognitiſſimum, quod ſuperius indigitata Glückſtadiani vectigalis conceſſio à prædicto noſtro amice dilectiſſimo Dn. parente, & proxime anteceſſore in Rom. Imperio, ex 23. Iulii Anno 1635. ſolummodo ad 4. annorum durationem conceſſa ſit, tum quoque ad hoc, quod talis vectigalis conceſſio poſt effluxum modo dictum tempus 4. annorum ulterius non prorogari debeat, à dicta Cæſ. Maj. & Dil. beatiſſimæ mem. ſub prædicta & perãcta Elect. Collegiali Dieta Ratisbonenſi, ad laudatiſſ. Electoralis Collegii conſilium ſuggeſtum, ſupra indicata de dato 6. Ianuar. Anno 1637. in ſcriptis Cæſarea Reſolutio prænominatis Conſulibus, & ſenatui Civitatis Hãburg. in manus tradita fuerit, in qua expreſſe continetur, quod poſt effluxionem 23. Iulii dicti 1637. ad finem currentis anni V. Dil. Glückſtadiani vectigalis conceſſio plane per ſe expiraſſit, neque etiam ulla ulterior prolongatio, aut nova conceſſio admitti, aut conſentiri debeat, ac in noſtra Rom. Regiæ Electionis Capitulatione, eiuſque allegato 24. artic. expreſſe clare continetur, quod in caſum quoque unus aut plures, cuiuſcunque ſtatus, & conditionis ille ſit, aut uſpiam illi ſint, ullum novum vectigal in principatibus ſuis, provinciis, Dominatibus, aut territoriis, per ſe extra noſtram beneficentiam, & 6. Electorum conſenſum inſtituiſſet, aut erexiſſet, aut in futurum ita inſtituturi, & erecturi eſſent, illi aut illis, quamprimum nos eius ex nobis ipſis id compertum habuerimus, aut ab aliis indicationem aliquam acceperimus, per mandata ſine clauſula, & in aliis poſſibilibus viis interdicamus, & plane nullatenus permittere debeamus, ut quiſpiam de facto,& proprio propoſito nova vectigalia inſtituere, per ſe exaugere, aut iis frui, eaque exigere queat. Quando igitur V. Dil. ipſa prudenter hinc colligit, quod nos ob prædictam noſtram Cæſ. Elect. Capitulationem, ac Conſulibus & Senatui, noſtræ & S. Imper. Civitatis Hamburgenſis traditam reſolutionem, quam nos vigore adiuncti etiam ſub hodierno dato corroboravimus, & confirmavimus,illos ad eorum tam multipliciter inſtãtiſſimas poſtulationes, & petitiones, ac ut præſertim in hiſce extra hoc ſatis turbatis temporibus in S. Rom.Imper. omnis ulterior ſeditio, & motus præcaveatur, Iuſtitia tali deſtitutos linquere haud poſſimus.

Proinde iuxta hæc omnia noſtra ad V.Dil.amica, & cognata adhortatio, & admonitio, atque tanquam ad Ducem Holſatiæ modificatum eſt præceptum, ut ſæpius toties dictum vectigal abſque mora abrogare, & neque tam ſub nomine impoſitionis, & retardationis navium, & bonorum, Tonnarum,& remigiorum, & aliarum oneroſarum pecuniarum,& exactionum,vel quocunque ſub prætextu id uſpiam fiat, ulterius quidquam, vel Glückſtadii, aut alibi exigere, nec ſimilium rerum curam ſibi ſumere, ſed omnino ab iis manum ſuſtollere, nec dictam Civitatem Hamburg.aut aliam aliquam iiſdem in poſterum onerare, & commerciis liberum ſuum curſum in Albi ſurſum deorſum linquere, atque alias in aquis & terris nullum impedimentum obiicere velit: tale nobis nos erga V. Dil. iuxta æquitatis normam in omni modo perſuadebimus, ſumus, manemus ad hoc, &c. Datum Ratisbonæ 31. Decembr. An. 1640.

Altera Edictalis Caſſationis in publicum emiſſa copia talis eſt.

NOs Ferdinandus III. ex Dei gratia electus Rom. Cæſar, omni tempore Auguſtus Imp. in German. Hungar. Bohem. Dalm. Croat. Sclav. &c. Rex, Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, &c. Annunciamus omnibus,& ſingulis Electoribus, Principibus, Eccleſiaſticis & ſecularibus prælatis, Comitibus, Baronibus, Liberis, Dominis, equitibus, ſervis, terræ Mareſchallis, terræ Capitaneis, Provinciarum Præſidibus, Capitaneis, Vicedominis, Prætoribus, Nutritoribus, Præfectis, adminiſtratoribus,terrarum iudicibus,Schultetis,Conſulibus, Iudicibus, Conſiliariis, Civibus, Univerſitatibus, & alias omnibus aliis noſtris, & Imperii, etiam noſtrorum regnorum regiorum, principatuum, & terrarum, ſubditis,& fidelibus, cuiuſcunque ſtatus & conditionis ſint,noſtram amicitiam,Cæſaream gratiam,& omne bonum,& notum hiſce facimus,quomodo quondam omnium Illuſtriſſimus Princeps ac Dn.Dn. Ferdinandus II. Rom. Cæſar, noſter amice dilectiſſimus Dn. & parens beatiſſ. mem. illi etiam Illuſtr. Principi, Dn. Chriſtiano 4. Damię, Norvagię, Vandalorum,& Gothorũ Regi, Duci Schleſvicenſi, Holſatiæ, Stormariæ, & Dithmarſorũ, Comiti Oldenburg.& Delmenhorſt. noſtro ſingulari amico,& cognato, ſub dato 23. Iulii, An. 1643. in certã conditionem, & modum vectigal quoddam Glückſtadii in Albi,

in Albi, ad 4. annos conceſſit. Poſtquam autem contra talis vectigalis exactionem ſtatim à principio, uti etiam ſequenti tempore ſæpius toties non ſolum honorati noſtri, & Imperii dilecti fideles Conſules, & Senatus Civitatis Hamburg. ſed etiam alii id oneroſiſſimum ſibi ſumpſerunt, acerbiſſime conquerendo, dictus noſter amice dilectiſſimus Dn. parens beatiſſ. mem. 6. Ianuar. 1637. Anno, ſub illo tunc habito Elect. Collegiali conventu Ratiſpurgenſi ad laudatiſſimi Electoralis Collegii ſententiam, dictis iam Conſulibus, & ſenatui ſuam in ſcriptis Cæſar. Reſolutionem ita dedit, quod poſt effluxionem 23. Iulii, Anno 1637. ad finem tendentis, iſta Glückſtadii concrediti vectigalis conceſſio per ſe expiraſſet, & caſſata ſit, nec quoque ulla prorogatio porro, aut nova conceſſio admitti, aut conſentiri debeat: velut etiam nos in huius ſequelam, poſt effluxionem dictorum 4. annorum aliquot repetitas adhortationes ad dictam noſtri amice dilecti cognati, Regis Daniæ dilectionem, ob abrogationem nominati vectigalis, emitti curavimus, & tales ſub hodierno dato repetimus, etiam dicti 6. Ianuar. Anno 1637. editum decretum, ob caſſationem talis vectigalis de novo, iuxta omnem eius tenorem confirmavimus, & corroboravimus, ut nunc dicta expirati vectigalis cõceſſio caſſata plane, etiam nulla amplius prorogatio, aut nova conceſſio admiſſa aut in conſenſum tracta, ac illud à nemine ulterius ſolvi, vel enumerari debeat. Ac inde non dubitamus, dicti noſtri dilecti amici & cognati, Regis Daniæ & ducis Holſatiæ dilectionem, iam dictas adhortationes, & confirmationem in obſervantiam decentem eſſe acceptura, nec amplius ullam exactionem vectigalis aut aliarum exactionum cauſſam, ſub quo prætextu id fieri poſſit, ſuſcepturam! Tamen V.V.D.d.d. Am.A. & vobis, ac quibuſcunque, præſertim autem iis, qui commercia in Albi ſurſum deorſumque vectirant, hanc noſtram editâ ordinationem, pro cuiuſvis informatione, manifeſtam reddere, & ut id debite in obſervantiam trahant, ſevere mandare voluimus: Eſt quoque noſtra clementiſſima voluntas, & mandatum, ut vidimatis copiis huius noſtri proclamatis ſimilis fides, ceu originali ipſi adhibeatur. Datum in noſtra & S. Imperii Civitate Ratisbonenſi 31. Decembr. An. 1641. noſtrorum regnorum Romani in 5. Hung. in 16. & Bohem. in 14.

Ferdinand.

Vt

Ferdin. Com. Curtz.

Loc. Sig.

Ad Mand. Sac. Cæſ. Maj. pr.
Iohan. Soldner mpp.

Edictum hoc Imperiale aliquot in locis publice ad notitiam omnium non tantum affixum eſt; ſed etiam diverſis in gravaminibus, quum adhuc R. M. in facto perſiſteret, neque dum ab exceptionibus ſuis quid remittere ſtuderet, S. Cæſ. M. particularia nova mandata ſub dato Ratisbon. 6. Febr. Anno 1641. emiſit, quæ Hamburgenſis ſenatus debite E. M. intimari curavit; Quorum primum erat, quod contra cõſtitutiones Imperii in ſe E. R. Dign: attraheret cauſſas iuſtitiæ, & iniuſtis repreſſaliis, ſenatum ac cives Hamburg. premeret, ut ab iis deſiſteret attentatis, eaque penitus caſſaret, velut etiam ipſa S. Cæſ. M. ex officio abrogaret, imponendo Regi, ut intra 2. Menſ. ſpacium paritionem doceret. Alterum erat, ut R. E. Dign. abſtineret ab omni prohibitione, qua impediret Hamburgenſibus, ne illi in Albidos flumine tonnas & ſigna, profunditatem fluvij navigantibus monſtrantia, ponerent, quum tamen hoc ius ex privilegio conceſſo competeret. Cuius paritio quoq; eidem Reg. Dign. intra 2. menſes ad docendum in iudicio Cæſareæ Aulæ impoſitum eſt. Tertio loco quoque monitoriæ quædam interceſſionales erant, ut liberum negotiandi exercitium R. E. M. in ſuis regnis præſertim Daniæ, Hamburgenſibus relinqueret. Quarum tenor ſic ſe habet.

Nos Ferdinandus III. ex Dei gratia elect. Rom. Imper. &c. annunciamus Illuſtriſſimo Regi Dan. &c. noſtram amicitiam, dilectionem & omne bonum. Illuſtriſſime Princeps, ſingularis dilecte amice, & cognate, Nos nullatenus dubitamus, V. Dil. adhuc in memoriam revocare noverit, quomodo tam noſter amice dilectiſſimus Dn. parens, quondam Cæſar Ferdinandus II. beatiſſ. mem. ſub dato 18. Octobr. Anno 1635. quam nos quoque ipſi ſtatim ab ingreſſu noſtri perpleri Cæſar. regiminis ſub dato 20. Apr. Anno 1637. apud V. Dil. noſtram amicam cognatam propenſe indicatam interpoſitionem in hoc impendimus, ut V. Dil. noſtris & Imperii dilectis fidelibus Conſulibus, Senatui, Communioni Civium, & incolis Civitatis Hamburg. liberam navigationem, & negotiationem in eius Regnis Daniæ, Norvagiæ, & aliis pertinentibus terris abſque impedimento exercere, & perficere, atque in dictis eius regnis & terris arreſtatas, & Hamburgenſium proprias naves, bona, credita, debita & rationum libros relaxari, & reddi curare, commerciis in Dania, Norvegia, tam in aliis locis liberum ſuum curſum denuo aperire, & ipſis ab antiquo usque uſitatis communibus, aut alias ſingularibus privilegiis, libertatibus & conſuetudinibus, etiam ſecuritate & protectione ibidem efficaciter uti frui concedere velit. Iam nos non dubitamus, ſed in ea bona ſpe vivimus, V. Dil. per ſe id acturam eſſe, ut eiuſmodi difficultates abrogentur. Quoniam vero prædicti Cõſules, & ſenatus in præſentibus indictis, & adhuc durantibus Imperii Comitiis iterum nos imploratunt, & humillime querendo nobis indicatunt, quod à V. Dil. præfectis incuſata præcluſio adhuc omnino continuetur, imo etiam ij, qui per tempeſtatem & venti violentiam contra voluntatem ex aperto mari uſpiam in Norvagia diſcutiantur, & ibi appellent, illi in V. D. portubus arreſtentur, & in fiſcum abripiantur. Proinde nos nominati Conſules & ſenatus ob repetitionem, & renovationem noſtrarum priorum Interceſſionalium ad V. Dil. ut tã antehac, quam nunc indicata nimis dura gravamina abrogarentur, denuo humillime imploraruut, & petiere.

Sicuti vero iam V. Dil. in eius regnis, & terris, quibus nobis illa & S. Imperio minus adhæret, nec addicta eſt, ullum modum aut ordinationem præſcribere nullatenus cupimus, Ita tamen V. Dil. æ-

qua ratione computabit, inque animum ſibi revocabit, quod non ſolum in Civitate Hamburg. ſed etiam in toto S. Imperio V. Dil. ſubditis, ſive ex eius regno Daniæ, Norvagiæ, aut aliis pertinentibus terris ſint, ſecure abſque ullo impedimento ſua libera exercere commercia permiſſum, & conceſſum ſit, ut ſimile quid noſtris, & S. Imperii ſubditis iuxta omnium gentium iura, tranſactam Lubeccanam pacificationem, & præſertim Civitatis Hamburg. ſingulariter obtenta privilegia, conſentiendum, & omne, quod in contrarium ſuſcipitur, merito caſſandum ſit. Exquirimus inde V. Dil. amice cognationis modo, ea apud præfectos ſuos id curare velit, ut abrogatio talium Hamburgenſium gravaminum efficaciter ſequatur, & illi iis libertatibus, & à V. Dil. anteceſſoribus obtentis privilegiis fruantur, nec nõ ſic in inviolata eorum poſſeſſione relinquantur, veluti hoc apud omnes gentes mundi uſitatum eſt, atque propterea cum ea in 1619. anno Lubeccæ erecta compoſitione ſingularis pactio facta eſt. In hoc nobis V. Dil. præcipuam benevolentiam præſtat, & nos id alio modo gratioſe agnoſcemus, & recompenſare ſtudebimus. Dat. Ratisbon. 6. Febr. Anno 1641.

Ferdinandus.

Inſinuata hæc & eiuſmodi mandata cum interceſſionalibus his ſunt R. M. ſed quum neque ſic ſatis eorum fructum, neque relevationem aliquam perſentiſcerent Hamburgenſes, per legatos ſuos adhuc in comitiis Imperii Ratisbonæ commorantes, ut ulterius S. Cæſ. Maj. peracta cuncta referri, ac recenſeri curarunt; Inprimis id urgere non deſtiterunt inſtantius, quod vectigal Glückſtadianum concernit. Ac licet E. R. M. per legatos ſuos ad ſingula reſponderi curaverat; tamen denuo novum ad M. eandem obtinuerunt Hamburgenſes confirmatorium ad priora mandata, quod ita ſe habet:

Nos Ferdinandus III. ex Dei gratia, &c. annunciamus Illuſtriſſimo Chriſtiano 4. Regi Dan. &c. noſtram amicitiam, amorem & omne bonum, Illuſtriſſime Princeps, ſingularis dilecte amice & cognate, quid nos V. Dil. ſub dato ult. Decembr. proxime effluxi 1640. anni, ad multiplicem inſtantiam honorabilium Conſulum & Senatus Civitatis Hamburg. ob realem caſſationem Glückſtadiani vectigalis ad Albim, quum eius conſenſio pridem ante aliquot annos effluxerit, litteris noſtris indicavimus, & propterea noſtra Cæſarea proclamata emiſimus, illud & quod V. Dil. idem juridice inſinuatum ſit, eſt nobis ex inſinuationis Inſtrumentis, & præcipue ex ea à V. Dil. ad noſtram aulam Cæſaream miſſo Legato Chriſtophoro à Lippe ſub præſent. 12. April. huius anni exhibita ampla inſcriptis deductione notum & cognitum eſt. Nos quidem ex iam dicto ſcripto inter alia cognovimus, quid dictus V. Dil. Legatus propter caſſationem & abrogationem dictorum noſtrorum contra V. Dil. tanquam Ducem Holſatiæ ad ſublationem prænominati vectigalis Glückſtadiani ad Albim (quaſi V. Dil. illud ob Hamburgenſium noviter impoſita vectigalia, iure retorſionis ad continuandum competeret) emanatorum, inſinuatorum & affixorum Cæſar. mandatorum & programmatum, etiam promotionem eius ab incluſo Electorali Collegio iuxta Anno 1630. conſultæ Cæſ. commiſſionis, velut nec minus ob ſimilem caſſationem noſtrarum reliquarum ordinationum & reſcriptorum, quæ contra V. Dil. pro relaxatione contra dictum ſenatum Hamburgenſis Civitatis, eiuſque cives & incolas ſuſceptarum, repreſſaliarum & arreſtorum, ſimiliter quod nos ob poſitionem ſecuram tonnarum, & vaſorum fluviatilium in Albi, ut abſque impeditione id fiat, emiſimus, ſubtectiſſime propoſuerit, & induxerit; ac quid ad bina iſta puncta, præſertim autem quamnam ob iurati Cæſarei Cameræ iudicii nunci uſitatum inſinuationis modum, & affixionem publicorum patentorum indicationem fecerit, & propterea quæſierit, ac petierit.

Iam ad hæc V. Dil. Legati exhibita ſcripta, & eorum in iiſdem contentorum punctorum, iuxta 16. proxime præteriti menſis Aprilis noſtrum Cæſar. Decretum concipi curavimus, & ſub eodem dato contra Conſules & ſenatum ſæpius nominatæ Civitatis Hamburg. noſtrum mandatum pœnale ſine clauſula ſub pœna 30. marcarum auri pro caſſatione de novo inſtitutorum & veterum exauctorum vectigalium emiſimus: Quum vero illud non acceptatum, & iuxta debitum poſtea haut inſinuatum fuerit, nos idem ſub hodierno dato 22 Iunij ex officio ad inſinuandum mandavimus, & dictam conceptam reſolutionem, & iam dicto dato 11. Iunii emitti, ac V. Dil. conſiliario, ac reſidenti in noſtra Cæſarea aula Wilhelmo Bidenbachio J. U. D. tradi curavimus. Quando itaq; V. Dil. ex omni, quod proceſſum eſt, ſatis prudenter percipere poſſunt, quod nos in hac cauſſa nihil aliud ſuſceperimus, quam quod nobis iuxta indicationem noſtri gerentis Cæſar. officii incumbit, & competit, prædicta inſinuatio mandatorum etiam iuxta iura, & Imperii conſtitutionem facta ſit; ita adhuc iterum, quicquid V. Dil. Legatus contradixerit, in noſtris pridem cum ſufficienti cauſſæ cognitione ad realem abrogationem Glückſtadiani vectigalis ad Albim emiſſis iuridicis ordinationibus & mandatis omnimodo acquieſcimus; volumus etiam à V. Dil. (in caſum nondum factum ſit) debitam paritionem expectare, veluti quoque V. Dil. cum prætextu iuris retorſionis, & quod inde dependet, & debiti eſt, talibus ſæpius dictis noſtris ordinationibus, cum plena caſſatione Glückſtadiani vectigalis ad Albim protenus iuxta debitum vivat, etiam eius officiariis, & miniſtris, quod id ſimili modo ab illis præſtetur, ſevere mandari cupimus.

Tum ultimo, quantum ad puncta repreſſaliarum, & poſitionem tonnarum, ac vaſorum fluviatilium attinet, nos quoque talium punctorum cauſſam non attento eo, quodcunque à prædicto V. Dil. Legato immixtum eſt, adhuc in noſtris ordinationibus liquimus, confidimus etiam in V. Dil. tanquam Ducem Holſatiæ amice, pro cognatione clementiſſime, eam non ſolum in ſuo loco hiſce emanatis Cæſareis ordinationibus in omnibus debitam paritionem eſſe præſtituram; ſed etiam à ſuis id fieri curaturam. Iſtud Iuri & æquitati conforme eſt, & nos V. Dil. Cæſarea affectione addicti manemus. Dat. Ratisbonæ 22. Iunij Anno 1641. Hoc quoque in repetitione mandatum ſua debite inſinuatum eſt.

Supra autem mentionem fecimus citationis ſolemnis, qua Hamburgenſes ad comitia iſta Imperii evocati ſunt: atque licet miſerint ſuos legatos; tamẽ non

non ita inſtruxerunt, ut in ſeſſione conſiliorum publica comparerent, ſed ſuas agerent proprias cauſſas. Quum vero S. Cæſ. Maj. illis locum inter civitates Imperiales occupandum deſtinaſſet, moniti inde ſunt iſti legati, ut ſe ibi ſiſterent. Ideoque illis talis indictio Cæſaris nomine facta eſt, uti ex formalibus his apparet: A Rom. Cæſ. etiam Hungar. & Bohem. Reg. Maj. noſtro clementiſſimo Dn. eſt illius & S. Imperii Civitatis Hamburgenſis præſentibus ablegatis in gratia annunciandum; velut etiam abſque hoc illis conſtat, ex qua ſumme movente cauſſa, ſumme omnium prædicta Cæſ. Maj. tum ſub dato 26. Maij proxime elapſi 1640. anni præſentia communia Comitia Imperii proclamari curarit, & ad ea una cum aliis S. Imp. Elect. Principibus, ac ſtatibus etiam Conſules & ſenatum E. Maj. & S. Imp. Civitatis Hamburgi requiſiverit.

Poſtquam igitur ſumme omnium dicta Cæſ. M. compertum habet, quod dicti ablegati hucuſque ad Imperii hęc Comitia ſe non legitimarint, neque Imper. deliberationibus debite ſtiterint, ac tamen ſumme omnium dictæ Cæſ. Maj. ſuum & Imperii ſub hoc latens intereſſe in inſpectionem ſumere incumbit & competit: Inde iuxta hoc à jam ſumme prædicta Cæſ. Maj. nomine prædictæ Civitatis Hamburgenſis præſentibus ablegatis hiſce clemẽtiſſime mãdatur, ut in ipſius Cæſar. Citationis humillime debitum obſequium, ſe quamprimum loco ſuorum principalium, & ſuperiorum iuxta debitum legitiment, & tunc in promotionem communis tranquillitatis, ſalutiſque ad deliberationem Imperij incommodorum, & negotiorum ſimili modo una cum aliis huc convocatis Imperii ſtatibus, ſe in Civitatum Imperialium ſenatum obſequioſiſſime conferant ac deliberationibus obtemperando adſiſtant. In quo perficiunt illi ſumme prænominatæ Cæſ. Maj. clementiſſimam voluntatem, & mandatum, quæ ipſis omni gratia addicta eſt. Signatum in Ej. Maj. & S. Imper. Civitate Regenſpurga, ſub eius Impreſſo ſecreto ſigillo, 26. April. Anno 1641.

Ferdinand.

Vt

Ferdinand. Com. Curtz.

Loc. Sig.

Ad Mandatum C. M. Iohan. Soldner. D. mpp.

Ex quo ſatis manifeſte conſtat, & colligitur, quo loco iam S. Cæſ. Majeſt. hanc civitatem habeat, & haberi velit; Ac licet multas perpetiatur, perpeſſaque ſit contradictiones tam ratione ſtatus, quam etiam commerciorum ſtudio ſingulari; tamen in hoc quoque conatu olim pridem Friderici 4. (quem alii incompte 3. faciunt, ut ſuo loco luculentius nuper ſingulari cura id explicatum dedimus) privilegium ſatis notabile obtinuerunt, cuius tenorem heic quoque in forma ſua, uti mihi nupertime communicata eſt, plenius referre juvat.

Nos Fridericus ex Dei gratia Rom. Cæſar ſemper Auguſtus Imperii, Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, &c. Rex, Dux Auſtriæ, Styriæ, Carinthiæ, Crain, &c. Dominus Vand. Marchiæ & Portenaviæ: Comes Habſpurg. Tyrol. Pfirt. & Kyburg. Marchio Burgav. & Landgrav. Alſatiæ, &c. Confitemur aperte hiſce litteris, & notum facimus omnibus ſingulis, quod nobis honorabiles noſtri, & Imperii dilecti fideles Conſules & ſenatus Civitatis Hamburgenſis proponi curarint, Licet in Civitate Hamburgenſi ad Albim ſita iuxta veterem conſuetudinem & morem huc uſque commercia ſua illi exercuerint, & iis uſi ſint, ac ipſis libertates ſuæ, ac privilegia à nobis confirmata & ſtabilita fuerint, quod nemo frumenta, ſiliginem, triticum, hordeum, farinam, nec alia frumenta etiam vinum nec cereviſiam ante dictam civitatem Hamburg. in Albi deorſum vehere, ſed tale omne in ea Civitate Hamb. permurari, & vendi debeat: tamen tentaretur nihilominus in hiſce illis difficultates & impeditiones creare, quod illos magno decremento, derogatione & damno afficeret: atque propterea nos humiliter implorarunt, & rogarunt eos in his providere: Quando igitur nos illos dictos Hamburgenſes in talibus eorum privilegiis, & veteri more, atque conſuetudinibus conſervare penitus decet; inde bene deliberato animo, bono conſilio, & vera ſcientia conſtituimus, ordinamus, declaramus & explicamus ex Rom. Cæſ. poteſt. plene, ſcienter, vigore harum litterarum, quod illi Hamburgenſes, & eorum poſteri in perpetuum tempus in prędictis illis ſuis ab antiquo deductis conſuetudinibus, & libertatibus ſemper, & in perpetuum permanere, & inſuper ullum frumẽtum, ſiligo, triticum, hordeum, farina & alia frumẽtatia, etiam vinum, nec cereviſia per neminem ante dictam civitatem Hamburg. in Albi non prætervehi, ſed omne in eadem Civitate Hamburg. uti ab antiquo moris eſt, deponi, vendi & permutari debeat. à nullo uſpiam id impedito. Si etiam quiſpiam, in quocunque ſtatu aut conditione is, aut illi eſſent, contra iam dictam libertatem, veterem morem & conſuetudinem, à nobis aut aliquo alio uſquam acquiſitam, aut conſervatam tenerent, aut in futurum quid acquiſituri, ſervaturi, aut conſecuturi eſſent; quod tale omne, & ſingulum plane abſque viribus, & ineptum eſſe, & prænominatis Hamburg. in ſupra determinatis ſuis libertatibus veteri more, & conſuetudinibus plane nullum detrimentum, impedimentum, nec damnum afferre debeat.

Quippe nos illud omne jam, velut & tunc, & tũc velut jam ex Rom. Cæſar. poteſtatis plenitudine totaliter caſſamus, abrogamus, & annullamus ſcienter & vigore harum litterarum: Atque mandamus inſuper omnibus & ſingulis noſtris, & S. Imp. Electoribus, Principibus, Eccleſiaſticis & ſecularibus, comitibus, liberis Baronibus, equitibus, ſervis, Capitaneis, Præfectis, Vicedominis, prætoribus, adminiſtratoribus, præſidiariis, Schultetis, Conſulibus, iudicibus, Conſiliariis, civibus & univerſitatibus, & alias cunctis reliquis noſtris & Imperii ſubditis & fidelibus, in quocunque dignitatis ſtatu, aut conditione illi ſint, ex dicta noſtra Cæſar. poteſtatis plenitudine ſevere & firmiter hiſce litteris, ut iſtos dictos Hamb. & eorum poſteros perpetim in perpetua tempora in prædictis ſuis libertatibus, veteri more & conſuetudinibus, & hac noſtra Cęſar. ordinatione, ſtatuto, declarationibus, & explicationibus nuſpiam impediant, nec offendant, ſed illis in prędcripto modo quiete uti frui, eoſque permaneri

plane ſinant, nec contra hæc quid faciant, nec cuiquam facere concedant in hoc, quam charum cuique ſit, ut noſtram & Imperii gravem indignátiam, & præterea pœnam, nempe centum marcarum puri auri eviter, quam unuſquiſque, quoties ille procaciter contra egerit, pro dimidio nobis & noſtræ Imperiique Cameræ, ac alteram partem dimidiam prædictis Hamburgenſibus irremiſſibiliter ad ſolvendum tenebitur. In teſtimonium harum litterarum obſignatum noſtræ Cæſ. Maj. appenſo ſigillo. Datum Viennæ 14. Iulii à Nativitate Chriſti 1482. noſtri regni Rom. in 31. Hung. 24. an.

Ad mandatum Imperatoris proprium.

QUod vero in tam ſplendidam fortunam Civitas hæc ex conceſſionibus Impp. accreverit, fecit non minus loci opportunitas, & ſitus commodiſſimus ad Albim, nec non induſtria eam incolentium, & boni régiminis forma Magiſtratus; etiamſi quoque aliquoties ſuas ſenſerit, & perrulerit tam internas, quam externas concuſſiones, uti ex ſupra dictis aliquoties liquidum eſt, & ex aliis id paſſim patet hiſtoricis. Eſt vero iam vetus, & nova urbs; utraque tamen munimentis ita obvallata, ut ex conſpectu altioris loci, ſi quis in novæ urbis vallo obambulet, in coadunitione nihil iucundius ferme intueri poſſit; licetque vallo interno inter ſe diviſæ ſint, tamen in adſpectu ob turrium altitudinem, non videtur differentia magnopere ſentiri. Tum quoque ab utraque parte, præſertim ex qua Albis eam alluit, proſpectus adeo lætus apparet, ut nuſpiam quid accommodatius oculis viderim. Etenim & fluvius amplus, & valles, ac ſylvæ à meridie, & oppida, ac pagi, nec non oppidula viſui ita gratioſe ſe inſinuát, ut nihil ſuavius quam ea ratione efficere poſſit. Erat amicus quidam qui egregium ſpectatorem, & obſervatorem per univerſam Italiam proſpectus iucundi undiq; egerat, velut de Tyburtina urbe multa ſingulariter memorabilia referuntur, adeo ut etiam Horatius auſit dicere, Tybur Argeo poſitú colono, ſit meæ ſedes utinam ſenectæ; Attamen iſte confitebatur haud difficulter, quum omnia ipſi ad proſpectum accommodata plenum referrem, ingenue cófitebatur, laudem hanc Hamburgum merito ſibi arripere præ reliquis omnibus, quæ ille antehac in deliciis Italicis ſibi præcipua putaſſet.

Sic & verſus ſeptentrionem non caret ſua lætitia. Alluit, aut potius influit eam urbem ibi fluvius Alſter, qui ſinum in ipſo conceptu urbis gignit ſatis diſtenſum, ut vallum quoq; ipſi obiiciatur, unde portæ eius nomen ortum eſt. Alſter iſte multas commoditates ob molendinas urbi adiicit, ut inde copia farinæ multitudini populi, quæ certe taliſeſt, uti nuſpiam in Germania in tanta numeroſitate inveniatur, ſufficiens ſatis ſuggeratur. Meſſis Francofurtenſis ad Mœnum magna, & quidem ingens eſt ſuo tempore frequentia; ſed quod ferme in Hamburgo cotidiana ſit meſſis, facit affluentia commercii ex variis locis, præſertim ex Belgio & Anglia, ut non mirum ſit, quod adeo difficulter R. M. D. à vectigali Glückſtadiano cedere velit, & tot exceptionibus negotium hoc diſtractum reddat. Ipſi Hamburgenſes ferúntur deſignationem annualem propterea obtuliſſe S. Cæſ. M. in ſatis ingentem ſummam ultra binas auri tonnas excurrentem. Namque dum naves pro bonitate mercimoniorum æſtimari cæptæ ſunt, amplificatur quoque vectigal de quo ita acriter cóqueſti ſunt coram Imperatore, & Collegio Sacro Electorum Hamburgici toties. Antiqua urbs in quatuor potiſſimum partes diſtributa fuit, quas dicunt Caſpelia, præter illam, quæ Capitulo adſcribitur. Primaria eſt ad D. Petrum, altera ad D. Catharinã, tertia ad D. Nicolaum, quarta ad D. Iacobum, quæ ferme ampliſſima eſt. Sed in nova urbe ad D. Michaelem tota confluit frequentia, hanc longe exuperans. Utraque urbs iuxta circuitum 21. munimentis, quæ caſtella dicuntur, quorum 16. ſunt maiores & admodum conſpicui, quinque reliqui à parte Auſtrali tantæ non ſunt magnitudinis, tamen admodum firmiter in obvallatione circumſeptæ.

Si quis Burſam ſuo iuſto tempore circa meridiẽ, aut veſpertinam inclinationem ſolis adeat; dicet, quovis die pluſquam Lipſenſem meſſem ibi celebrarier; vel ut & præcipuus inter mercatores quidam mihi hoc adſeverare auſus eſt, quod nullus ibi mercatorum talis habeatur conventus; quin ultra 6. imo uſque ad numerum undecimum auri tonnæ in negotiorum mercimonia veniant, ad quas emptio, venditio, aut mutatio aliqua exerceatur; velut etiam 12. Principalia Conthoria mercatorum referunt, apud quæ quovis tempore pro neceſſitate rei inveniatur argenti, aurive certa expoſitio, ſi quis mercator in arduo commercio non ſit forte ad præſentem pecuniæ enumerationem ſufficiens. Tum quoque & publicum habetur ærarium in curia, quod Bancum ad imitationem Amſtelrodamenſium, & Antwerpienſium dicunt, ubi quovis tempore ad adſecurationem certam ſatis magnæ ſummæ ſuggeſtio poteſt inveniri illis, qui certæ fidei ſunt homines. Hęc invẽtio valde ſalutaris eſt urbi, & populoſitati, & communi commercio. Odioſum forte heic eſſet, reditus tantæ urbis quotannales in æſtimium redigere certum. Qua ditio eius ad partem Albidos Auſtralem potiſſimum ſe extendit, non tantum inſulas ſat dites aliquot in flumine illo comprehendit, ſed etiam præfecturas ad Bildam, & littore Albidos admodum fructiferas habet, præter eas citra Alſtrum ſe extendentes. Cum aliquibus ſunt in ſimultanea poſſeſſione cum Lubecenſibus. Inprimis in angulo ripæ, ubi ex adverſo ſe Albis non procul à Winshemio ad defluxum verſus urbem hanc defleẽit, vectigal habet, cum traiectitiis naviculis, quod non exiguum eſt regale, & vocatur ille famoſus locus ex telonio Zollenſpicker.

Quale autem ſit regimen huius civitatis ex ſupradictis facile apparet, & quam vigilantem in uſum, & commodum Reipubl. ſe præſtet Magiſtratus, ut nõ opus ſit pluribus heic de eo agere. Pontes in ea urbe ſunt plures, quum tam ex affluxu Albidos, & interfluxu Alſtri in aliquot inſulas ipſa Civitas diſrempta ſit, unde aliquoties in nonnullis plateis ſat damnoſas inundationes perrulit, quod accidit ut plurimum, ſi in novilunio tempeſtatem ferventiorem ventus occidentalis inferat, quum fluxus & refluxus maris heic evidentiſſime ſe exerat, ut ſingulis diebus per ſex horas, & quadrantem unda regurgitatione accreſcat, & per tot ſequentes refluat, cuius temporis commoditates tam nautæ, quam omnes accolæ, & piſcatores accuratiſſime obſervate, & na-

vigá-

vigationes commode derigere noſcunt. Præterea lapideum eſt ſignum ad locum, ubi naves conduntur, poſitum, ubi certis notis inciſa diſtincta habetur computatio eius.

Amplitudo vero in circuitu Civitatis taliseſt, ut vix intra horæ ſpacium in vallo circumiri, & obambulari queat; nec tamen ultra 4. habet portas. Verſus occaſum in nova urbe, & porta Altenaviana, ad quam ex urbe veteri per portam Millerianam, ut vulgo dicitur, tenditur. Altera porta valli, ſive Damthor vocatur, verſus ſeptentrionem. Verſus ortum autem eſt porta lapidea, cui vicina eſt ad Auſtri reſpectum porta, quam Dihianam vocitant, iuxta littus Albidos ſitam. Plateas autem ut plurimum obliquatas habet, ædificiis ſatis ſplendidis exornatas. Foſſæ autem Civitatis circa vallum adeo profundæ ſunt, & dimenſæ, ut primitus introſpicientibus terrorem incutere videantur, unde & pontes ad portas magnæ moli lignorum, & trabium grandiorum impoſiti ſunt, & munimina valli inſtar montium exurgere apparent, præſertim ab ea parte, ubi ab Altenavia ad urbem tenditur. Opus hoc mirabile ante 20. annos non ita magni temporis ſpacio intra quadriennium maxime extructum, & abſolutum eſt, ut hinc ſatis porentia Civitatis & civium divitiæ æſtimandæ veniant. Ipſe tunc ſæpius non ſine admiratione ſpectatorem ædificationi segi, ut vix crediderim, tam brevi tempore id potuiſſe perfici. Omnia ſunt ad Geometriæ dimenſionem, & menſuram accuratiſſime diſpoſita, ut reliquis magnis Civitatibus Germaniæ merito palmam præripiat, nec ei ſimilis detur tantæ magnitudinis. Quamvis etiam aquarum affluvio abunder; tamen quæ ciborum uſui inſerviat, per aquæductus artificiales ſubterraneos ex Altenavia uſque in urbem deducitur. Magna eſt copia ædium, in quibus cereviſia coquitur, quum ita iucundi ſit ſaporis præ omnibus, ut etiam undique in vicinis terris eius amor ſit præcipuus, præſertim in Holſatia, uti ſæpius id audivi, quod ſine cereviſia Hamburgenſi vivere nequeant: Exportatur quoque Lubeccam, ubi in ſingulari habetur pretio, ut ſic urbi non exiguum adferat commercium. Inprimis laudem ſummam hoc Civitati addit, quod pauperum pupillis, & paentibus orbatis, & expoſititiis ædes ſingulares pro educatione, & enutritione deſtinarint, in quibus ſatis commode, & honeſte uſque ad maturiorem ætatem ſuſtentantur, & omni vitæ neceſſitate proſpiciuntur. Velut & ergaſtulum habent ſplendide ædificatum, cui deſtinantur otioſi, & improbioris vitæ homines, cuiuſcunque ætatis, modo non in abuſum deſi. eret, uti querela eſt plurium. Sed eſtenes animi non rectius in ordinem redigi poſſunt, præ ertim in tanta populoſitate, ne criminum cumulus ſemper ad iudices reiiciatur. Vitæ autem alimenta etiam in lautitiis heic abunde à vicinis, & colonis ſuggeruntur, ut recte de ea hoc Petri Lautenbergii Epigramma ſit prolatum, quando ait:

Albidos auſpiciis Hamburgi gloria crevit,
Promaque vicini reddita conda ſoli.
Tanta inibi eſt frugum & cunctarum copia rerũ,
Quas vigil exportat nauta, iterumq; refert.
Pro re pauca loquar, dotata hac caelitus urbs eſt
Pace, opibus, portu, robore, merce, loco.

Ex quo natio Hollandica ob commercia ſedem iuxta compactata, cum Magiſtratu inita, ibi ſortita eſt, magis quoque in omnis eduli genere hortos incolæ excolere cæperunt, ut gratia ibi vivendi longe potior ſit omnibus, præ cunctis horum locorum Civitatibus grandioribus; velut etiam in foris urbis diverſis à ſummo diluculo uſque ad veſpertinum tẽpus venalia cuncta habentur, quæ ad uſum culinæ in cunctis fructibus, & piſcium diverſitate faciant. Inprimis vero navium copia ex variis mundi partibus tanta advehit commercia, ut etiam ea hinc per totam exportentur Germaniam. Portus adeo commodus eſt, ut omnes naves, grandioris quoque formæ excipere queat, præterquam paucas, quæ dum adhuc ſunt nimium oneratæ mercimoniis, milliari ab urbe apud novam molendinam anchoris figi ſolent, donec ponderoſa illis exempta ſint. Sed quis queat in brevitate tali omnia referre. Potius huius urbis ſplendidiſſimæ encomion hiſce Poetæ verſibus iam concludam, plura alii loco teſervando.

Alternante Albis gaudens atque æquoris unda,
Cui modo decreſcit, vel modo creſcit aqua;
Creſcit honore tamen felix Hamburga, boniſq;
Nec decrementum ferrea ſecla ferunt.
Alternis certant operis maris æquor & Albis,
Ut quiſque omnimodas augeat urbis opes.
Cærula quũ cedunt vada, mox allabitur Amnis,
Germanis gazas, & decus omne vehens,
Mox rediens urbis portat vis gratior aura,
Heſperius quicquid, quicquid Eous habet,
Tum fœcundus ager, tum flumina bina minora
Vicinis portant commoda quæque locis.
Omnia quæ prudens ſervatque, augetque ſenatus,
In pacis ſtudio relligionis amans.
Sis felix Hamburga diu: pietate retenta
Perdura fauſtoque omine creſce bonis.

MAGDEBURGUM.

HEic nunc ſtatim quoque multa de moderno ſtatu Magdeburgenſium, ut ordinis noſtri ratio poſtulat, ſubnectere poſſem, & quam ſupra modum duram, in miſeranda direptione & exuſtione ſæva uſque excidium graviſſimum Anno 1631. 10. Maij urbs hæc deploranda cunctis, ſortem pertulerit; ſed quum talis repetitio hiſtorica nimis in immenſum heic excurreret, nec brevibus poſſit expediri; tum ſimul variæ de ea paſſim ferantur ſerunturque mortalium opiniones, dum vix aliquibus circumſtantiæ veritatis, cauſſæque veræ conſtant, alium huic rei locum deſignatum relinquere potius volui, ubi omnia plenius queant pro materiæ dignitate explicari, quam ut in his iam quid nimium paucis contraherem, quæ pluribus pro informatione poſterorum forent explicanda. Quippe pridem ex petitione multorum bonorum huic urbi integram meditatus ſum hiſtoriam, ſi tempus vacaret; præſertim id à me expetiverunt illi, qui noſcunt, quod cum paucis adhuc ſuperſtitibus intima eius cum origine cauſſarum penit⁹ mihi ſint cognita; utpote qui multa prædicere illis ſolebam, fideliter hortando, quod acerbitas rei nunc aperte teſtatur. Miror ſæpius inde hominum hac de re diſtractas opiniones, & iudi-

cia

cia præpropera: Factum quidem, & cladis tantæ vastitiem cum diruitione urbis tam charæ, & ante excidium fortunatę satis omnes ante oculos vident; sed facti species dum in veritate sua ignoratur propius, error in iudicando facile committitur. Nec minus & illud valde miror, quod tot ante tempora non sine concitatione astrali, aut cælica Petrus Lotichius vatem in hoc urbi isti egerit, taliaque quasi in præludio prævio vaticinando pridem Carmine suo eleganti prædixerit, visione aperta eiusmodi monstrans, quæ nunc plusquam miserabiliter sunt consequuta.

Velut etiam ferme à viginti annis variæ indicationes tam horrendi alicuius mali, & excidii observari potuissent, si non nimis læva, & pertinaciter obstinata eorum mens fuisset, quos decebat maxime in tempore resipiscere. Degit jã Lubeccæ Theologus D. M. Ionas Nicolai Pastor in Cathedrali tẽplo ibi, vir optimus, qui ultra 50. portentosa signa ipse collegerat, & singulari industria connotarat, velut etiam typis publice excusa extant. Fidelem enim Magdeburgi ad S. Spirit. tunc agebat verbi divini præconem, ut sæpius moneret, quod Deus non frustra tam mirabili modo prognostica mittere soleat, quod surdis auribus auditum est. In misericordia Dei facile omne præstitutum malum confringitur; sed pœnitentia solida cordis prius in serenioris vitæ cultu & dilectione Iehovæ & proximi heic opus est, ut quisque in pietate sancta se Christo renatum in tempore sistat. Velut etiam haut nefas, sed scelus est summum, impietatem extremam pietatis pallio vestire velle. Væ illis, qui diem noctem dicunt, & ex nocte diem faciunt. Non tamen amabile illud Magdeburgum ita plane Trojam ad instar excidii perditum manebit, quum rudera non tãtum reviviscere pedetentim incipiant; sed etiam loci commoditas ad Albim, & commercii plenior ratio faventiora promittant, ut merito heic suspirandum sit.

O utinam gressu pax & clementia amico,
Iustitiæ reddant basia blanda labris.
Instar balsamei se fundet in orbe liquoris
Per fortunatas gratia dia plagas.
Spes uti respondet; turbant sacra iura perosi
Sæpius Imperij vimque decusque novi.
Iustitiam sequitur rerum prudentia rectrix,
Si pietas subsit; tum beat hæc solide.
Ergo premes acrem mansueto corde dolorem,
Angustis poscens Numina rebus opem.
Nitere spe Domino firma: heic spes nulla recedet:
Nam veniet veniens, fidus opemque feret.
Heu pereat mundus, valeant iniuria iura,
Ne iustum irritet culpa iterata Deum.

Nimia facit mortalium securitas, dum ea nobis imaginamur, aut falsa, aut longinqua, quæ cum nostro instituto, aut optione non conveniunt. Imo etiam sæpius futilitati adiicimus, quæ maxime pietas expetit, atque è contra pium id putamus, quod à fundamentali scopo vitæ nostræ maxime aberrat. Ita & Magdeburgensibus factum esse, antea indicavimus, licet Petrus Lotichius secundus valde propinqua demonstrare visus fuerit; cuius quum carmen tunc sub excidio Magdeb. in maiorem observantiam inciderit, lubet etiam in verum rei testimonium heic id subnectere tam diu, donec historiam pluribus fundamentaliter describamus. Lib. 2. Eleg. 4. ad Clar. Dn. Ioachimum Camerarium Papeburgensem de obsidione Magdeb. quæ anno 1551. accidit, pluresulterius extremitates ita vaticinatus est.

Si vacat arcanis aures prabere querelis,
Nec data per lævas omnia spernis aves.
Accipe, quæ primis Ioachime cadentibus astris,
Accipe, quæ vidi, cum foret orta dies.
Nox erat & placidos spargebant sidera somnos,
Quos levis aeria devehit aura via,
Planstraque Mænalia dum Custos flexerat ursa,
Somnia sunt curas hæc imitata meas.
Flumen erat, dubito fuerat num Rhenus, an Ister,
Spumifer aut Albis, sed reor Albis erat.
Stabat arenoso vetus urbs in margine ripæ
Omne cruentato milite cincta latus.
Castraque spectabat virgo de mœnibus altis,
Fallor, an in læva ferta fuere manu.
Flebat & invitis miscebat fletibus iram,
Turrigero longas vertice scissa comas.
Ergo fremens, quis me manet exitus? inquit an ultra
Sors mea, quo tandem progrediatur, habet?
En ego quam fovi tot secula fortiter urbem,
Nobile cui de me nomen habere dedi.
Efferus ex imis evertere sedibus hostis
Nititur, & venia ius superesse negat.
Hic pietatis honos? ea libertatis amata
Gratia? quid fieret, si scelus ausa forem?
Prosit, & excusset, quod sum mihi conscia recti,
Et caput, in patria nulla quod arma tuli.
Sed prodesse parum est: labes hinc prima malorum,
Hoc misera (verum si profitemur) obest.
Mœnia debueram natalia prodere, texi:
Fida nec innocuis civibus esse, fui.
At decus hinc nostra quondam meruere puellæ,
Ad quas & populi summa relata fui:
Gratia vindicibus iam nulla rependitur armis,
Cum tulerint alia præmia, plector ego.
Quid faciam? qua spe nitar? quo lumina flectam?
Unde petam fessis perdita rebus opem?
Non mea connubiis operatur in urbe iuventus,
Pace bona casti gaudet amoris opus.
Squalida vastatis apparent frugibus arva,
Hostis ab agricola non sinit arva coli.
Nec lego purpureos in serta recentia flores,
Non mihi flos pratis mollibus ullus hiat.
Funera bis vidi campis indigna meorum,
Damna bis adverso tristia Marte tuli.
Heu mihi qualis erit (quod abominor) exitus urbis,
Concidet hostili si reserata manu?
Quis tenerum pavida latus hauriet ense puellæ,
Virginitas cuius præda lasrenis erit?

Hæc

Hæc vculiquacunq; vident, cinis omnia fient,
Utraque dicetur flebile ripa solum.
Ergo dies veniet, qua mania nulla tuebor,
Pravaque restabit nominis umbra mei.
Quaque fuit murus terram proscindet arator,
Urbsque sub his, dicet, collibus alta fuit.
Qui gravius, victore Geta, miseranda tulissem,
Cæsare quam magno bella gerente fero?
Atque utinam sævi potius mea viscera Thraces,
Persaque, & extraneus dilaceraret Arabs.
Hoc tamen infelix casus solarer acerbos,
Vulnera Cognata sunt graviora manu.
Majorum tumulos, sacrosque Tuistonis umbras
Testor, & hæc tacito sidera fixa polo.
Me servasse fidem: si mentior, ultima nunquam,
Qua patior, tantis hora sit ulla malis.
Et tamen ut furiis insurgit atrocibus hostis,
Scilicet in cineres sæviat illa meos.
Herbifera Valles, gelidique in vallibus amnes,
Quicquid & in terris dulce, relinquo, Vale:
Este mei memores ripæ, Nymphæque sorores,
Longa mea in vestris regna fuere locis.
Plura querebatur, nostro sed protenus omnis
Corpore defluxit somnus, & orta dies.
Mœstus & obscuræ turbatus imagine noctis,
Sub matutini lumina solis eram.
Montis inaccessi radicibus adiacet imis
Lucus, ubi variæ consociantur aves.
Est sacer arbustis, vastisque recessibus horror,
Per medium rauca volvitur amnis aqua.
Hic trepida speciem repetens in valle quietis,
Ergo quod (aiebam) somnia pondus habent.
Cur nimium memini? verisque simillima vidi
Languidus aurora cur oriente fui?
Dum queror, & varijs turbatus obambulo curis
Mobilis arboreas impulit aura comas.
Ecce quatit rapidis jovis armiger aera pennis,
Albus & incurvis unguibus hæret olor.
Nulla fuga est capto: spectantque, silentque volucres,
Aspera dum fulvæ prædetis arma timent.
At vigil auroram qui cantibus evocat, ales
Audet ab aereis obvius ire jugis.
Tunc volucer sævas exercitus undique pugnas
Suscitat, alarum plausibus antra fremunt.
Interea removent subeuntia nubila solem,
Præsagique micat fulminis igne Polus.
Terreor, & vanos reor hæc quoque fingere somnos,
Sed patula vigilans ilice nixus eram;
Mox panca redeunt, & ovantes sole reducto,
Paulatim molli pace fruuntur aves.
Et nive candidior, veluti iam fata vocarent,
Fundit olor dulces, ad vada nota sonos.
Protinus exclamo, superi mea visa secundent,
Inque Notos, quicquid triste minantur, eat.
Nec minus indigenis voveo sua munera Nymphis,
Et palmis hausta libo dnabus aqua.
Hæc tibi, cui fas est casus aperire futuros,
Carminibus volui non reticere meis.
Plura quidem vidi, sed qua calanda putavi,
Valle sub arcana cætera quercus habet.

Hæc nobis hac vice sufficiant, dum plura postea ipsa historia Magdeburgensis exprimat, uti supra diximus. Interim nos ad Halensem urbem nobilem convertimus, de qua hæc sequuntur.

HALA Saxoniæ.

INterim, dum de Hala urbe ex cognatione ea, qua cum Magdeburgo in iure Provinciæ cohæret, agimus, non inconveniens est, ut civitatis eius nobilis descriptionem paucis heic inseramus. Nomen autem urbis huius statim à principio eius originem indicat, quod à fontibus salinis, & sale, quod Græcis ἁλὸς aut ἅλς est, dicatur Hala. Cuius inventio prima Hermunduris, sed auctio Sclavis, aut Vandalis adscribitur. Anno 451. enim isti populi, qui aliquandiu in Borussia ad Vistulam habitarant, irruptionẽ faciebant in Vãdalorum antiquam sedem ad Oderam, & Spream, simulq; Suevos eiiciebant, ut illi se versus Pomeraniam Megapolinque converterent. Hinc per Marchiam, & Misniam in Thuringiam pergebant, Hermunduros que inter Albim & Salam habitantes tunc expellebant, ita ut usque ad montes Bohemicos cedere cogerentur, præsertim quum illis fontes salinos Halæ eripuissent, quos Dobrebora vel Dobresoël, id est iuxta Sclavicam linguam, bonum sal dicebant, velut etiam plures Pagi ad Sylvam Hercyniam Sclavonica hinc gestant nomina. Quum vero Carolus Magnus Anno 806. totius Imperii sui, ob melioris regiminis conservationem & formam, distributionem, postquam Saxones antea Anno 802. plena libertate, ob fortitudinem, tot vicibus arduis exercitam, donasset, ut ab omni onere & servitute Sclavonica essent liberi, fecisset, Halæ istius pagus Comitatui Wettinensi ad Salam, ubi Witikindum juniorem Comitem, supremum prætorem Zorbeccensem Vandalorum, Sorbonumque præfecerat, ab Imperatore adsignatus est: Quem tamen postea Anno 968. quum Episcopatus diversis populis aliquot nempe Sclesvicensem, Hamburgensem Holsatis, Oldenburg. Havelbergensem, Brandenburg. Vandalis, Misnensem, Zeitzensem & Magdeburgensem Sorbonis, Otto I. Imper. constituisset, Magdeburgensi cum salinis suis attribuit. Filius autem eius Otto II. considerata loci Halensis commoditate ad Salam, eum ita adamare cæpit, ut ob frequentiam hominum, Civitatem ibi liberam conderet; cui etiam id nominis, Sclavonica nominatione servili abolita, inde impositum voluit, ut indicationem liberioris commercii in salibus de se ederet. Hoc ubi increbuerat apud circumiacentes populos, brevi temporis spacio opus hoc novæ civitatis, opibus quoque ita accrescebat, ut Incolæ, & cives divitiis pollere inciperent atque non minus sibi quid insolentiæ sumerent: uti in proverbio est Germanis nostris: facilius est fortunam adversam, quam

nem offerebant, nec Magiſtratus utriuſque loci diſſentire videbatur: Aſt plebis furor ita prævalebat, ut exacerbatio talis in triēnalem diffidationem erumperet; velut & illis temporibus Wandſchlebium, Arxlebium, Althuſiam, aliaſque arces diripiebant. Provinciales quum ſe minores cernerent hiſce tumultibus, Ducem Saxoniæ Lawenburgicum ſibi conducebant: ſed quum hoc innoteſceret, civitatū militi una cum civibus Magdeburg. in occurſum ivit prope pagum Urslebium, ubi in nocte D. Laurentii impreſſio ingens in Ducis exercitum facta eſt, & victoria penes Civitatenſes manſit. Quare quum neque hac via quid nobilibus recte procederet, Brunſvicenſes rogarunt, ut ſeſe interponerent, quorum conſilio res ita compoſita eſt, ut nobilitas An. 1353. omnia reſtitueret Civitatibus ante bellum ablata, & ut in memoriam interfectorum ad fl. Oram Sacellum erigerent cum quotannali proventu, & 4. arvipennis, aut iugeris agrorum, quibus & ſumma pecuniæ addita fuit quædam aliquot argenti Marcarum. Quum An. 1363. Archiep. 32. Theodoricus templum Cathedrale Magdeburgicum ſolemniter inveſtiret in præſentia 7. Archiep. 6. Abbatium, 13. Principum, 11. Comitum, & aliquot Civitatum, inter quas Halenſes poſt Magdeburgicos præcipue obſervati ſunt. Attamen paulo poſt eod. An. 1363. iſte Archiep. præturam ſuam Hallenſibus impugnabat, atque aliquot ſibi depoſcebat ſalinas, quod Hallenſes ipſi prorſus denegabant; ne vero res in periculum belli perveniret tandem in compromiſſum conventum eſt, ut cauſſam Scabini Magdeb. deciderent, qui etiam hanc deportarunt laudem, ut utraque pars in eorum ſententia acquieverit amicabiliter. Sic quoque Hallenſes An. 1566. quum inter Archiep. eundem, & Civitatem Magdeb. ob frumentorum avectionem lis eſſet orta, hanc operam ſimilem una cum Calbenſibus præſtiterunt, ut tractione placida controverſia omnis ſit compoſita.

Civitatum iſtarum Hanſæ in hoc tractu huius Quartiri; tanta ſemper erat correſpondentia, ut tā lætitias, quam pericula inter ſeſe participarent mutuo. Ideoque ſuos etiam celebrare in publica convocatione ſolebant luſos jaculatorios: præſertim quum uſus pulveris nitri à Monacho Bartoldo Schwartzio, ſive Nigrino ante ſeptennium in An. 1380. eſſet inventus, & exercitii ſui obſervantiam crebriorem requireret. Inde quoque Anno 1387. Magdeburgi ad tale exercitium publicum conveniebant Goslarienſes, Brunſvicenſes, Hallenſes, Halberſtad. Quedlinburg. Blanckenburg. Aſcherſleb. Calbenſes, Salzenſes & alii. Honoris tunc præmium in medio ponebatur inaurata virgo Parthenopolitana, quę tandem civi Aſcherslebienſi in gloriæ ſignum devovebatur. Luſus huius Exercitium per aliquot durabat dies in campo Martio ante portam, ubi Albis alluit urbem. Forte autem An. 1395. ſe Dux. Saxon. Rudolphus hoſtem Archiepiſcopatus huius, & civitatum eius declararat; nec Archiep. 37. Albertus Comes Querfurtenſis in ditione hac præſens erat, ſed vices regendi obtulerat libero Baroni Henrico de Werberga Præſuli Capituli; is cum civibus Magdeb. & Hallenſibus copias ſuas conjungebat, quibus irruptiones faciebat in Saxoniam, ut inde rapinas ſatis divites cum emunctione pecuniæ numeratæ omnes aufferrent. Sed nimium avidi prædæ, tandem ita potiſſima pars in conflictu circumveniebatur à Duce Saxon. non procul à Guterboccio, ut ipſe præſul l. Baro Warbergenſis cum multis aliis, & civibus utriuſque urbis in capturam incideret, quos redimere poſtea in reditu ſuo Archiep. coactus eſt, præter civitatum incolas, qui ipſi ſuam relutionem paſſi ſunt. Quippe illi in tranſactione finali præterebantur ex odio veteri nobiliū aliquot, quum tamen Ludolph à Wendum præfectus in prælio luterboccenſi primus evaſiſſet. Magdeburgenſes ſuos 2200. florenis Bohemicis; Hallenſes vero in duplata ſumma graviori captivos redimebant: quia Hallenſium primarii cives in hoc prolubium ſe præcipitarant. Pomarius in additionalibus ſuis ad Chron. Saxon. hanc ex errore ad Annū 1387. refert hiſtoriam, ſibimetipſi tamen contradictorius.

Archiepiſcopus autem hic Anno 1383. die Petri Pauli eſt introductus Magdeburgi, & ſequenti die à civitate homagium ipſi præſtitum eſt, quæ ipſi eod. An. pro maiori gratia aucupanda villam Angerianam pro 900. marcis non ſine pœnitentia vendidit. Gratia enim non tantum exigua fuit, ſed etiam perdidere omnem cum re favorem adeo ut etiam Civitati huic, & Hallenſi omnes inſidiæ ſupponerentur, quibus enervari, tam in viribus & privilegiis poſſent. Imo Archiep. & Capitularium tanta erat avaritia, ut nec monetæ cōmuni parcerent, ſed corrumpebatur bona numiſmatis materia tam miſere, ut tandem An. 1402. in apertam ſeditionem res evaderet, inprimis Magdeburgi, ubi in foro ædiculam monetariam cives expugnarunt, ſenatumque Dignitate ſua propter conniventiam privarunt; ac ipſos Capitulares, tanquam autores ſimul damni pernicioſi ex urbe expulerunt: Nec deſtitere, donec trāſactione ſingulari in priſtinam formam revocaretur cum valore ſuo iuſto moneta adulterata. Obiit quidem iſte Epiſcopus Albertus Querfurtenſis Anno 1403. ſed ſucceſſorem habuit in Gunthero Schwarzeburgico, Archiep. 38. uſque rigidiſſime avarum, & ſatis duriter crudelem, ut puerum mollem anteceſſorem eius vulgariter vocarent; præ reliquis undique acrem Civitatibus, & acutum hoſtem, qui enervationibus earum unice debitus erat, ſe gerebat. Unde & varias direptiones commerciorum in viis publicis non ſolum permittebat; ſed etiam argutas paſſim ſtimulationes vicinis ſuggerebat, ut rapinas, & deprædationes in civitatum bona exercerent, ſicuti ſuperius, de annis præſertim 1426. 1427. & 1433. aliquo modo id explicatum eſt, quam graves extiterint controverſiæ, & aſtutiſſimæ perſecutiones.

Iſtud heic non immerito nonnihil penitius cum circumſtantiis introſpiciendum eſt, quum cauſſam tam fervidam publico malo dederit, ut etiam Hanſæ omnes ferme Civitates Anno 1434. propterea perquam ſollicitum conventum habuerint, ut non facile frequentiores in conſeſſu pleno cōparuerint. Magdeburgum & Halla evidentiſſime ex omnibus perſecutionibus Archiepiſcopi Comitis Schwartzburgici perſpexerunt ſatis, quod ex ſuggeſtione Capitularium damnum ultimum, & ruinam earum quæreret: ideo plane coacti, & contra voluntatem propriam denuo ſe in eodem firmiter conglutinarunt facto, ut altera alteram deſerere nollet, qui animus erat conſtans, & unus, maxime civium utrinq;

qui nollent in eodem ab invicem ſeparari ſtudio. Velut igitur Magdeburgenſes potiſſimum ex adiutione Brunſvicenſium die Sabbathi poſt Urſulæ arcem Calbenſem occuparant, & alia deinde oppida cum arcibus ſuis, ac licet ipſi Halenſes in opitulatione adfuiſſent; tamen ita in die D. Catharinæ Halenſes eruptionem ex civitate ſua in arcem Fridbergam, infra Wettinum prope Ritenburgum ad Salam fl. ſitam, & 4. milliar. inde diſtantem faciebant, atque ut eo promptius expeditionem perſequerentur, tormenta bellica ſecum illuc advexere ſimul. Vix ubi ſevere ſuam intentare inceperant directionem Halenſes, & conatum Præfectus Vogdius arcis ſenſerat, pacem inclamabat ſub conditionibus honeſtis. Ideoque ipſi imponebatur, ut ſtatim ex arce diſcederet. Ille vero petebat, ut ipſi concederetur, ſecum ſuppellectilem, & exilem frumentorum fructum, qui nihil magni illis in tanto numero commodi præbere poſſet, ſumeret, quod eidem ſub certæ fidei honeſtate promittebatur. Sic itaque Halenſes occupatores erant arcis, & præter omnem ſpem tantam in ea frumentorum copiam inveniebant, ut omnes iis contignationes ferme impletæ cernerentur. Quippe ultra 1800. modios ſumma tota complectebatur, quæ ipſis ſatis opipatam prædam exhibuiſſet, ſi prius rem recte introſpici, nec fallacitati Vogdii nimis facilem addidiſſent fidem; aut potius certam ipſi addixiſſent ſummam. Sed quū nollent, ceu conſtantes viros decet, promiſſum frangere, aut retractare, condonabant huic præfecto aſtutiā fraudulentiæ huius.

Archiepiſcopus male ſibi conſcius, quum occaſionis, & motus huius auctorem ſe in corde noſceret, fremebat quidem ſecum; ſed, ceu viribus impar tantis, alia ſecum coquere incipiebat conſilia, ut per viā excommunicationis factum tale retunderet. Inde primum ad fratrem Comitem de Schwartzburg Sundershuſiam, & hinc ulterius Baſilæam, quo indictum fuerat concilium ſub Imper. Sigiſmundo, profectus eſt, ſuſcitatis prius vicinorum principum animis, in civitates invidis, & armis, ut illi executionem adderent, ſi quod proſcriptionis ab Imperatore, aut Papa obtineret. Quum Baſilæam perveniſſet, ſine intermiſſione per quam aſſidua, tam Imperatorem, quam Concilii aſſeſſores reliquos ſollicitavit, ut ſubditi eius proſcriberentur, aut ſubſidia ad repurgationem Provinciæ, & ditionum earum ferrent. Verum quum Papa Eugenius nondum adeſſet, nec miſiſſet quempiam mandatarium ſuo nomine, non potuit quid pro certa ſententia decerni, niſi quod mandatum extraheret Concilii, non debere ab ullis ſociis, aut vicinis Principibus fieri aſſiſtentiam binis his Civitatibus, præſertim Magdeburg. nec cum iiſdem quid communicari. Tale autem mandatum exiguæ erat operationis, ut nemo id curaret, cui cauſſa cum intentione ſua cognita erat. Anno 1434. igitur Archiepiſc. Guntherus inſtantius ſuum propoſitum urgere incipiebat, adeo, ut cotidie ſine intetruptione ferventer id ſollicitaret. Urebatur amicitia multorum, qui eam adhibebant diligentiam, ut opinione citius tam apud Conſilium, quam apud Imper. principaliter contra Magdeb. ſeverum mandatum obtineret, quo illis, & adſeclis imponebatur, ut Archipræſuli intra certum terminum non tantum occupatas arces reſtituerent, ſed etiam caſtra omnia invito Archiep. erecta, conſeſtim abſque mora demolirentur, & illi debitam obedientiam præſtarent, ſub ea inevitabili communicatione, niſi hoc factum intra præſtitutum terminum docerent, quod eo ipſo abſque mora in pœnā banni declarati, & ab omni Chriſtianorum communione excludi, & diabolo tradi, & præterea nihil certius, quam proſcriptionem cum repetita publicatione ſummi banni expectare deberent, quouſque Romani Imperii fines ſe extenderent: Quo ipſo, cuivis obvio, licitum eſſet futurum, ut cunctis & ſingulis communi prædæ eſſent obiecti, qui eoſdem aqua, igne & quavis vi, uſque ad mortem perſequerentur, ne uſpiam illis locus eſſet tutus. Quæ etiam pœna dictati deberet omnibus iis, qui ab illis penderent, & cauſſam tumultui huic, aut conſilia ſua ſimul ſuppeditaſſent.

Huius rei indicium quum factum eſſet Hanſæ paſſim Civitatibus, & cernerent eædem, quæ confuſio periculoſa inde commerciis poſſet irrogari, putabant de talibus, aliiſque variis incommoditatibus communis periculi, in tempore eſſe deliberandum. Interim Magdeburgenſes, qui ſub, & obreptionis exceptione contra mandatum hoc ſatis excuſatos ſe exiſtimabant, non minus in ſuo propoſito pergebant, ut non tantum nulla pœnitentia flecterentur, ſed etiam in maiori vi, & furore excurrerent confertim. Impetu ideoque violento obruebant arcem Wolmerſtadium, prædam omnem illic inter ſe dividentes. Circa feſtum purificationis Mariæ occupabant ſimul Altenburgū, Hakebornam, Halidenslebium & pagos vicinos: Præterea in deditionem Partium cum Hertchovo cogebant, ut profugus inde fieret Gebhardus de Plato. Hinc poſt 14. dies Serveſtani illis adiungebant 1200. milites, & arcem Plotam oppugnabant, ut cogerentur præſidiarii milites inde cedere, ubi ſatis amplum bonorum cumulum inveniebant. Lubecenſes vero hoc An. 1434. ut periculo huic, & deprædationibus marinis in tempore recte conſuleretur, iuxta morem antiqui iuris, & conſuetudinis generalem conventum omnibus Hanſæ civitatibus indicebant, ut Lubeccæ circa feſtum Pentecoſtes comparerent, quibus & cum materia deliberanda in pluribus articulis commercia & eorum privilegia concernentibus tranſmittebantur, ut eo firmiori concluſo procedere poſſent.

Mercatores enim Civitatum Hanſæ non tantum in Dania & Germania variis flagellationum modis, ſed etiam in Anglia, Hollandia, Brabantia, Flandria & Friſia opprimebantur, ut appareret, quaſi in perniciem communis commercii eſſet facta. Prægnantiſſimas has ob cauſſas ubertim confluebant civitates, etiam quæ ex Germania interiori huc eſſent vocatæ. Comparebant itaque Dantiſcani, Colonienſes, Bremenſ. Brunſv. Hildeſ. Hallenſes, Rigenſes, Revalienſes, Dorprani, Boruſſi aliquot, Stettinenſes, Stralſund. Hamburg. Gripſwald. Suſatenſes, Monaſterienſ. Dordmundani, Oſenburg. Roſtock. Veſalienſes, Stadenſ. Lunæb. Francofurtani, Berolinenſes, Solquedelenſ. Düſſeldorf. Wiſmar. Chilonienſ. Goslar. Gottingani, Northeimenſ. &c. Reliquæ Civitates, quæ comparere ob difficultates obiectas, ſeque ſiſtere non poterant, vicinis ſuis plenipotentiam ſuam aſſignarant, uti ex more antiquo con-

consuetudo id ferebat. Erant quoque tunc Magdeburg. Lubeccam quidem per obliquum vocati, sed quum excommunicati essent, banno iniecto, ad sessionem non admittebantur, & ipsorum caussa per integri mensis ferme spacium rerum sacrarum administratio in omnibus templis, quamdiu adessent, suspendebatur: non tamen sine cõsilio bono dimittebantur; velut & Halenses tolerabantur in confessu, quod mitiorem faverent caussam. In hoc autem conventu quamplurima, & diversa sedulo peragebantur, quæ brevibus omnino nequeant explicari, velut nec opus est, ut omnibus pateant, quæ secreta civitatum cõtinent: Alias id nullatenus occultari, & quasi sepultum esse debet, quod necessum est, ut omnes noscant. Multa enim necessaria ab ipsis historiis suppremuntur, quæ veritatem in circumstantiis declarant; velut etiam nuper Isaac. Pontanus ad An. 1435. non tam historice in sua Dania, quam sinistrorsum retulit, quæ Hanseatica transactio expostulat, cui etiam plane aliam adiecit interpretationem, quam rei fuit complanatio, uti intra suo loco explicabitur. Sed pergimus iam in eo, quod Chron. Lubec. scriptum attestatur. Illud non vult ut ea contra utilitatem communem occultentur, quæ ad salutem publicam spectant. Stulti sunt, qui discrimen ignorant inter ea, quæ arcana proprie sunt, & quando, ac quousque esse debeant, & quæ minus sunt arcana, licet ab idiotis pro talibus habeantur; quum publice de iis constare cuique debeat, licet non ordinario modo publicentur.

Ante omnia autem in hoc conventu generali cõmercii communis damna ponderabantur, & quæ illis adhibenda essent remedia, quæque maxime utilia, & proficua, ac quæ demum practicabilia præ aliis. Quum vero in hac deliberatione deprehenderent, fautores se habere admodum exiguos, qui Civitatibus & incolis eius Hanseæ bene cuperent, tandem in hoc itum est consilium, ut non tantum aliquot Legati ad diversa negotia deputarentur, sed etiam ratio investigaretur, quæ fœdus Hanseæ amplificare posset.

Erat tunc quidem adhuc magna, & florens magistrorum ordinis potentia in Borussia, attamen non sine insolentia flagellare civitatum iura, & commercia teloniis premere inceperant, hoc ut amicabiliter diverterent Hanseæ Confœderati, deputarunt illuc ex 4. præcipuis Civitatibus, nempe Lubecca, Colonia, Hamburgo & Dantisco, Consules & Legatos, qui ob fœdus singulariter ineundum, cum Civitatibus Hanseæ ad magnum Magistrum ordinis in Borussia mittebantur, ut durante adhuc conventu reverterentur, & de omnibus pro faciliori cõclusione facienda referrent. Sic etiã ex 4. Civitatibus Lubecca, Hamburgo, Lunæburgo & Wismaria senatores Legati mittebantur ad Regem Daniæ Ericum 9. qui diem ipsis Wardenburgi indixerat, sub ea cõditione, ut quæque pars sibi aliquot adsociaret Principes, & adduceret. Ideoq; Civitatum Legatis, ad hoc negotiũ peculiariter invitatis, se adiungebant Episcopi, Verdensis & Ratzeburgensis. Velut & Rex longe potiori numero principum stipatus erat, quum potissima disputatio esset de ducatu Holsatiæ vindicãdo. Hinc aderant ipsi à sua parte Episc. Hildesiensis, Rotschildensis, Lundensis, Ripensis, Aleburgensis, Strangenessensis ex Suecia, &c. nec non plures principes, nimirum Dux Christophorus Bavariæ, Bogislaus Pomeraniæ, Barnimus Wolgastiensis, Lunæburgensis, Megapolitanus & ex 3. Regnis suis multi Proceres, & nobiles equites. Tractatus negotij quidem incipiebatur, & multũ laboris ab utraq; parte præstabatur; sed rex non inclinabat ad pacem solidã, multis se involvens exceptionibus: quippe inter alios civitatum articulos, & postulata erat illud præcipuum, ut Rex iure æquitatis mercatoribus per hęc tempora diffidationis, maxime sub denominatis toties conventibus, illicite ablata restitueret. Verum Rex talia omnino repudiabat postulata, potiusque dilationem ulteriorem expetebat, ne quid restituere cogeretur, antequam pleniori cognitio caussæ fuisset facta.

Reduces interim ex Borussia Legati Civitatum, referebãt cum gaudio, quomodo ibi à Magno Magistro non tantũ benevole, & splendide excepti, sed etiam à toto ordine, & proceribus illius Provinciæ admodũ cupide auditi essent, qui etiam oblationes ita acceptassent, ut utrinque, tam à parte civitatum, quam à parte ordinis esset complacitum, quod Magno Magistro Borussiæ concessum foret, ut publica annunciatione per omnes circumiacentes terras, & regna Hanseaticarum civitatum confœderatum se proclamaret fidum, atque hinc profiteretur aperte, quod erga quoscunque pro potentiæ suæ viribus cũ suis civitatum iura, & mercatorũ commercia simul esset defenturus. Hoc nunciũ tam benevolæ acceptę Confœderationis Civitatibus valde visum est gratiosum, & ratum habuere Legatorum effectum.

Sed quum ex relatione Legatorum ex Dania reversorum continuationem litis pertinacis percepissent, atque quinam affectus Regis, procerumque illic fuissent perspecti, Deo rem committebant, concludebantque inter se, quæ temporis ratio pro conservatione commercii exigeret, ne unquam necessaria præparatio illis deesset. Inde etiã decernebatur, ut in omnes Conthorios mitterentur Legati, & visitatores, qui procurarent, quæ privilegiorũ cuiusque confirmatio, & cõservatio requireret. Item concludebatur hoc, ut sequẽti anno circa festum Paschatos in frequenti tali conventu rursus compareret, ad firmius decretum negotiis adhibendum. Hallensium autem Legati domum reversi, varias suggesserant senatui suo rationes, ut hinc ex nimio belli tædio cupidus esset redditus, quomodo ex tali periculo præsentis mali exolvi possent, præsertim quum arcis Fridenburgensis caussa, quam vi occuparam tenebãt, simul banno Magdeburgẽsium essent similiter inclusi. Ideoque inconsultis civibus, ne haberent, qui contradicerent, Legatos suos Basilæam ad Archipræsulem mittebant, expetebantq; ut illis banni, interdictique Imperialis cassationem procuraret; se tunc præstaturos esse promittebant, ad quæ de iure iuxta statum suum tenerentur.

Archiepiscopo res hęc ex optato grata videbatur: quippe putabat, se hoc modo illud in separatione civitatum obtenturum esse, quod diu antehac toties intenderat. Quare per nuncios illos hoc referri Hallensibus iubet, se petitioni eorũ omnino satisfacturum, ut pristino statui restitui integre queant modo Fridenburgum arcem cum omnibus pertinentiis sibi prius restituant; deinde ut à Magdeburgensibus se separent, nec amplius eorum culpæ compotes sint.

Tertio pro damno dato certam ipſi, & capitulo ſuo pecuniæ ſummam ſolvant. Si hoc promitterent, ſe procuraturum ſtatim eſſe aiebat, ut ex omni liberarentur periculo. Quod ſi vero jam id abnegarēt, adeſſe, adſeverabat, remedia, quę illos præ Magdeburgenſibus, graviori poſſent affligere ruina, ex qua nec poſteri ſe unquam extricare valerent. Hallenſibus licet duriſſimę viderentur conditiones, utpote quib⁹ hoc imprimis grave putabatur, ob communis commercii ſtudium, ne apud Civitates in perfidiam inciderent, & ex Hanſa excluderentur; attamen variis hinc inde conſiliis agitatis, tandem An. 1435. cōcludebant, pacis amatæ, & tranquillitatis, diu exoptatæ, cauſſa, nutum Archipræſulis civitatum commodum eſſe. Quod quum denunciatum eſſet Archiepiſc. is apud Imperatorem, & Concilīū id obtinuit, ut Hala ſic à banno, & interdicti executione liberaretur, & in communionem Imperii reciperetur.

Tota hæc tranſactio ſolius hucuſque fuerat ſenatus Halenſis; aſt quum poſtea obligatio in ſcriptis extradenda, & ſigillo Civitatis, quod ſine civium, & communitatis conſenſu fieri nequibat corroboranda eſſet, omnes uno ore incolæ contradixerunt, aperte conclamando, quod nollent fœdifragi reliquis Hanſæ Civitatibus haberi, nec in fide Magdeburgēſes deſerere. Etiamſi vero ſenatus omnes Conſilii utilitates ſui toties repetita enarratione explicaret; tamen cives, & plebs omnis, quod inſcientibus illis hæc perfeciſſent tam ardua, eo magis irritabatur uſque ad furorem, ita ut ſenat⁹ omnes perſonas in cuſtodiam abriperent: clamabant enim, ſe conſtantiā promiſſæ fidei, utque ad ultimum vitæ ſpiraculum erga Civitates eſſe ſervaturos. Hoc igitur quum ſermone & fama veraci apud Civitates vicinas, nempe Magdeburgū, Brunſvigam, Halberſtadiū, Aſchersiebium, Quedlinburgam, Goslariam, &c. increbuiſſet, illæ memores ſtatuti Hanſeatici, quo imponitur hoc vicinitatis iure, ut ſtatim eiuſmodi tumultibus ſe interponant, quę proxime adſidēt, confeſtim ſuos miſere Halam Legatos, ut tumultum non tantum interturbarent, civeſque ad officium revocarent, ſed etiam omni cura proſpicerent, ne quid ſenatorijs perſonis damni inferretur: velut & Legati admodum ſeduli in eo fuerunt, ut tam ex carcere liberarint illæſum ſenatum, quam Confirmationem fœderi novam ad placitum civium Hallenſium addiderint, ne quid in turpe illis apud poſteros converteretur opprobrium. Quū vero Archiep. de hoc reſuſcitationis negotio Baſilæę certior factus eſſet, operam dabat enixe, ut denuo Halenſes excommunicaret. Illi vero perſuaſi à ſociis Civitatibus, hoc flumen contemſerunt, utpote quod non aliunde proficiſceretur, quam quod iura ſua tuerentur.

Capitulum vero Magdeb. ſedibus ſuis expulſum ad Electorem Saxon. Fridericum profugit, opē adverſus Civitatem petens, pecuniæq; ſummam grandem pro belli impenſis pollicens. Elector aſſumpto in ſocietatē fratre Wilhelmo Landgravio Thuringiæ, Haſſiæ itē Landgravio, & comitibus Schwartzburgicis, Manſeldiis, Stolbergis, & Honſteinijs, exercitu Halam circumdat, tormentorumq; globis ingentibus undiq; quatit, & premit. Hallenſes vero ſociorum promiſſis auxilijs confidebant quidem ſed iuvari ab iis propter obſidionem arctiorem minus poterant. Venerāt tamen paulo ante in urbem cives quidam, & conducti milites Brunſvigij, quos principes ex urbe ad colloquium evocabant. Quo cum ventum eſſet, principes ab iis poſtulabant, ea rē adducerent, ut inducię fierent ad uberiorem tractationem, uſque decennalis lis forma commodiſſima cōponi poſſet, ne civitas plus detrimenti caperet. Hi vero reſponderunt ſtrenue, ſe ſuaſores eſſe minime poſſe, ut ad illum modum induciæ paciſcerētur. Fieri enim poſſe, ut conditiones pacis duræ admodū Civitati in tractatione futura proponerentur. Quod ſi ſerio exoptent Principes pacem, ſtatim de ea componenda conſilium ineant, quo utraque pars certi aliquid habeat, quod ſequatur Elector, & ſocii belli. Ex hoc Brunſvigiorum reſponſo ſatis intelligebant, non multum obtineri poſſe aut effici, ideo obſidionē ſolverunt: Nihilominus tamen Halenſibus dāni plurimum dederunt. Subſidio quidem eis veniebāt Eisfeldi, ſed cum Principes vim maiorem adhibituri eſſent, & minas graviſſimas iactarent, interpoſuerūt ſeſe vicini. Merſeburgicus Epiſcopus Boſo, & Bernhardus Anhaltinus Princeps, Halenſium amici. Hi prope Halam inſtituto colloquio litem ſic tandem diremerunt, ut Halenſes & Magdeburgii Capitulo omnia redderent, quæ occuparant, & oblivio iniuriarum perpetua ſanciretur. Hoc modo tam ex bāno Cæſ. exempti Halenſes, & Magdeburgii pacem conſecuti ſunt, quam poſſimum ex interpoſitione Alberti Burggravij Norimbergenſis obtinuerāt. Unde Saxones & Heſſi arcem Gubichenſteinium, ac Schwartzburgici atque Holſteinij Aeglam oppidū cum arce, ex quibus multa Hallenſibus damna illata erant, deſeruerunt, & diu deſiderata pax plene cum gaudio omnium vicinorum reſtituta, ac viæ publicæ à prædonibus liberatæ ſunt commerciis.

Si Capitulares ſtatim in exordio ob caſtra, quæ ex neceſſitate coacti, civitates erigere cogebantur, tantas difficultates non moviſſent, nunquam in tantum diſcrimen utrinque diſceſſum fuiſſet; nec tamē in demolitione arcium quid obtinuerunt; ſed ob tranquillam poſſeſſionem vigorem illis relinquere coacti ſunt, ut ait Chron. Magdeb. Hæc propterea plenius referre heic debui, quum Georgius Fabricius⁹ Lib. 7. Chron. Sax. pag. 750. prorſus alium ſenſum huic tractationi affingat. Rectius hiſtoriam iſtam Cantilena aliqua civis quidā Aſchersiebienſis rythmice conſcripſit, uti refert M. Cyriac. Spangenbergius in Chron. ſuo. An. 1441. Halenſes & Magdeb. cum Frider. 2. Pladio Elect. Saxon. fœdus ad triennium ita inierunt, ut nulla pars alteri noxia eſſet, aut vim ullam inferret; ſed ſi quid litis oriretur, ea amicabiliter componeretur, in quem finem Dn. Conradum à Stein Ducis Elect. Mateſchallum, & Henningum Stroburtium Hallenſium Capitaneum pro arbitris conſtituebant. Nihilominus ex calumnijs aliorum apud Elect. Sax. Magdeburgici in ſuſpitionē incidebāt, quaſi cum Pragenſibus occultum iciſſent fœdus in damnum Electoris, ut propterea Eislebij iuxta pacta inſtituti ſint conventus aliquot, ubi tamē nihil utiliter peractum eſt, donec tertia vice ibidem lis poſt varias diſputationes nō ſine magnis difficultatibus die Mercurij poſt vincula Petri per arbitros deſignatos, quibus Iohan. Comes Barbyenſis Presbyter Magd. & Bertramus Presbyter Ebſtorfianus cū Henrico à Veltheim additi erant, placide dirimeretur. Tanti eſt, cum imparibus fœdus iure, qui

longe alium ſibi propoſuerunt ſcopum, quam pacis requirit. An. 1445. Dux Wilhelmus Saxon. cum fratre Electore Frid. 2. in diſtractionē ob provinciarum diviſionē pervenerat: ne vero diſcordia hæc in publicam calamitatem erumperet, interpoſuere ſe Epiſcop. Meiſſenſis, Naumburgenſis & Mersburgēſis cū Abbatibus Pegavien. Boſenſ. Chemnizenſi & Zellenſi. Unde conventus ſolēnis Halæ indictus eſt, ubi etiam Marchio Frider. Brandeb. Alberti Achillis Teut. frater, Ludovicus Haſſiæ Landgrav. Henricus Dux Brunſv. Ducis Wilhelmi ſen. frater, una cum Archiep. 39. Friderico Com. Beichlingenſi, & præcipuis, Saxoniæ, Miſniæ, Thuringiæ & Franconiæ nobilibus, nec non cum Civitatum Norinberg. Erfurt. Mulhauſ. & Northauſenſis Legatis pro cōmodiori cōplacatione animorum comparebant. Tractatus ultra menſis ſpaciū excurrebat Halæ, donec diviſio provinciarū poſſet effici. Sed manſit tamen rancor, & utriuſq; velitatio bellica uſq; ad An. 1452. ubi ſe Imper. Frider. interpoſuit, & ambo fratres ex colloquio amicabili inter ſeſe reconciliati ſunt. An. 1450. vehementia peſtis tanta fuit ut ultra 5000. homines abſumpſerit. An. 1466. quum Civitates Hanſę Goslaria. Brunſvig. Halberſtad. Gottinga, Northæmia, Eimbecca, Hildeshæm. Hannovera cum Ducibus Brunſvicenſ. Wilhelmis, Seniore & Iuniore, ac Friderico acri implicarentur bello, & occuparent oppida Hardegeſſam & Moringiam, divaſtarentq; ſequenti An. omnem ditionē intra Deiſterū & Leinā, per hoc bellicoſum tempus ſemper fidelem operam præſtitere ſociis ſuis Hanſæ Hallenſes, donec Quedlinburgi die purificationis Anno 1461. diffidatio omnis componeretur.

Sic etiam An. 1475. quum Imp. Frider. Nueſſam, ſive Noveſium Civitatē Hanſæ ad Rhenum 5. mill. infra Coloniam ſitam, à diuturna obſidione Caroli Burgundici auxilio, & ope Ducum, & Principū Germaniæ, Civitatumq; liberare ſtuderet, Hallenſes nō minorē cum Hāſeaticis reliquis, nempe Lubec. Colonienſ. Lunæburg. Bremenſ. Brunſv. Magd. Halberſtad. Aſchersleb. Quedlinb. Northuſ. Mulhuſanis, & aliis fidem exhibuere ſuam. Quamdiu ita concordes inter ſe cives cum ſenatu vixerunt, ſatis feliciter ſuis præfuerunt commodis, auctaq; illis ſunt commercia, maxime ex Salinarum proventu. Eheu vero quam labiles ſunt res mortalium, in nimiā extollantur protervia, ex quibus ut plurimum exurgit peſtilens æmulatio, quæ Civitatibus, Ariſtocratiæ deditis, ſemper adnata videtur, niſi prudentia ſolida ſit moderatrix. Ita An. 1478. hoc accidebat Hallenſibus, ut ipſi nec ſatis gnari ſuæ felicitatis altius inter ſemetipſos criſtas erigere incipiebant; nec deerant mutuæ cavillationes, quibus alter alterum perſequebatur ferocius, velut & Iuſtitię ſuus pro æquitate imminuebatur locus. Hinc in ea urbe multum inter ſe diſſentiebant, & qui è Salinis magnos fructus caperēt homines divites, & reliqui opifices plebei, qui ſuarum manuum laboribus viverent, illis acceſſus patebant ad munia publica, & Dignitates Civiles: quas ita tenebant, ut cum ſuis clientibus poſſidere regnum viderentur: reliqua vero multitudo deſpectior ſervilē in modum tractabatur: tacebant leges, diſciplina, Iudicia: verum ut impunis eſſet licentia, atq; libido, largitionibus ſibi fautores, & patronos comparaverant in aula Iohannis Antiſtitis. Is cum annis, & valetudine, eſſet infirmior, ſuis commiſerat adminiſtrationem, & ſibi iam adſciverat Collegam Erneſtum Electoris filium, qui & adoleſcens erat, & ſuprema poteſtate nondū potiebatur: Igitur cives illi opulētiores abutentes ætate ſuorum dominorum, luxui & voluptatibus dediti. nihil quicquā curabant publica: In Conviviis, nuptiis, Chariſtiis & aliis congreſſibus honeſtis ſumptus immodicos faciebant: veluti quaſi natura inclinant in vitam inſolentiorem, & ſplendidum veſtitum: qui eam exæquare magnificentiam non poterat, pro tenui, & vili reputabatur, ſi quid neceſſitatis cauſſa in Rempubl. aut hominis, aut benevolentiæ gratia in cives pauperiores conferendum eſſet; ibi reſtricti & tenaces eſſe, & plebem quirritantem cum contumelia dimittere.

Quum vero periculum ſibi imminere cerneret ſenatus, ad conſilium ſumēdum vocabat Halberſtad, Gerbſtadiū, quibus nec dicto ſatis audientes ſe præbēbāt ſenatores, ſuperbiam omnem in ſalinarū proventum cōiiciendo. Erant autem tribus in urbe ſex, in quas omnis plebs diviſa erat, Piſtoria, laniaria, lintearia, coriaria, inſtitoria, fabrilis; quarum Magiſtri tot iniuriis, & aperta oppreſſione mori, cum etiam ſuas artes, & opificia valde minui cernerent, ſeſe aliquoties ſenatui, & potentioribus oppoſuerunt. Nullo iure, bonoque imperato, libertatem armis quærere, & urbe tota tumultuare cæperunt: interjecto tempore vita functus erat Antiſtes ſenior: & Erneſtus de tota cauſſa certior factus, curam plebis ſuſcepiſſet, niſi intempeſtiva impatientia incurriſſet crimen læſæ ſupremæ Dignitatis. Nihilominus ipſi grata res erat, quod proditores eſſent, qui ipſi claves civitatis in veſpera Matthęi, quum Gubichenſtenii degeret, obferebant. Hæc occaſio quum ipſi in manus traderetur occupandi urbem, uti optata erat, ita eandem nec negligendam putabat novus Archiep. ut pleniorem ſic perficeret ſub aditu ſuo ingreſſum provinciæ. Quare non tantum clanculum vicinos Comites Manſfeldicos, & Querfurtenſem ad ſe ſtatim acciri iubebat, ſed etiam ſtatuebat ſecum, ſe iuſtam utrinq; nactum occaſionem puniendi, & Magiſtratus ſuperbos, & plebem dementem, idque facto facillimum fore in factioſa Civitate: Patrem inde Electorem ſimul rogat, ut exercitum ad urbē ſine mora admoveat, & obſidionem paret, ſed mox occupant portam Ulricanam præmiſſi ab Archiepiſc. Opulentiores ſuſpectam habebāt plebem, quod Electorē accerſiviſſet: Plebs ipſa lætabatur, inſperatū ſibi id eſſe auxilium, minuſq; detrectabat ſervitutē, modo minore ſerviret anguſtia, & turpitudine.

Mox ipſe Archipræſul ſequitur, eumque vulgus cum lætitia, & plauſu introeuntem proſequitur. Qui ſuis divitiis, & potentia abuſi fuerant, non ſolū carceribus ſunt & vinculis, ſed & grandi pecunia mulctati: tum furor plebis cohibitus, & Antiſtiti iura antiqua renovata ſunt, aucti è ſalinis reditus pœnam ſuperbiæ dignam penderant, ditiores & plebem ſuſcitari tumultus ſero pœnituit. Antiſtes urbe occupata, ſuis conſiliariis, & equitatu inſtructus, iusiurādum à civibus exegit: leges quaſdā ſuſtulit, alias correxit, novas multas tulit: Præfectoſq; monuit, ut caverent, ne in poſterum ſimultates, aut factiones fierent, ſed inſolentiæ & audacię mature remedia quærerent. Verum priuſquam res ad compoſitionem aliquam poſſet perduci, adeo plurimæ obiiciebantur civi-

civibus & incarceratis difficultates, ut nulla ferme gratia, niſi omnium privilegiorum cum bonorum amiſſione privatio ipſis expectanda foret. Unde Comitum Mansfeld. Mareſchall. Dn. à Wartzdorf ex commiſeratione nimia permotus, non deſtitit Comites, & Dominos præſentes orare, & inſtigare, ut ſeſe interponerent. Comites Mansfeldenſes 4. erant Dn. Gebhardus, Dn. Erneſtus, Dn. Albertus & Dn. Volradus, qui Principem Anhaldinum Woldemarum, Dn. Brunonem Querfurtenſem & Comitem Burchavium Barbyenſem ſibi adſociabant. Multum in eo deſudabatur negotio quidem, nec minus temporis iactura diſtractior, ut etiam in ipſis Calendis Ianuarij An. 1479. Calbæ conventus haberetur; ac licet ibi Ducissa Anhaldina Bernburgenſis ex Saganica Sileſiæ familia oriunda ſe obnixe interponeret; tamé omnes nil aliud obtinere potuerũt, quam ut arbitris decem lis tota ad decernendum deferretur: Quod nolentes volentes Hallenſes acceptare cogebantur, cũ ea tamen præcautione adiecta, ne dimidietatem omnium bonorum, ut experiverat Antiſtes, cedere neceſſum haberent. Ideoq; 7. Ian. Halæ ad Neoforum conveniebant Arbitri, nempe Princeps & Comes Anhaltinus Woldemarus, Comes Mansfeld. Albertus, & Dn. Bruno Querfurtenſis, tanquam 3. ex ſtatu Comitum: 3. Canonici hos ſequebãtur, Dn. Balthaſar à Schleſen. Matthæus à Plaw, & Mauritius Schonovius, 3. nobiles hi, Fridericus à Trota eq. Bernhardus ab Aſſeburg, & Henricus à Croſick, inter quos præeminebat Epiſcopus Miſnenſis D. Iohannes à Weisbach. Hi poſt multas deliberationes tandem conſtituebant, quod non inique Dn. Archiepiſcopo à captis Hallenſibus ob ſeditionem excitatam quarta pars ſalinarum omnium adſcriberetur. Quinta autem pars cum 500. flor. in memoriæ monumentum æternum civis illius Schiltbachij, qui ſeditionis tempore iniuſte erat interfectus, ab iiſdem conferretur. Tanti laboris fuit, priuſquam præceps illa in factiones tot cæca irruptio à pernicie ultima potuit liberari.

Sed ut inſolentiæ huic frenum imponeret Antiſtes, ſequente anno bene munitam arcem, muris ad Salam alluentem incluſam erigere non ſine magno ſumptu incepit, cuius ſtructura magnifice cũ foſſis, & 4. turribus eductis An. 1484. 15. Maij ſuam perfectionem ita accepit, ut inhabitari potuerit; nomenque eius arcis ex nova ipſi indita forma (quum antea caſtrum aliquot, nigrum dictum, ibi fuiſſet poſitum) in memoriam Cathedralis templi Magdeb. Patroni Mauriciburgum vocavit, quod aulam fixã Succeſſoribus ſuis cum cancellaria ſua determinate deberet. Antehac enim plerumque ordinarii regiminis Locus Arx Gibichenſteinenſis ½. milliar. ab Hala diſtans, fuerat, cuius facultas omnis huc ex eo translata eſt, quum An. 1008. ab Henrico 2. Archiepiſc. Dagano antea fuiſſet donata.

Archipræſul 41. autem iſte Erneſtus Anno 1513. die S. Stephani, poſtquam 37. Annis, 9. menſibus & 2. diebus præfuiſſet huic officio, & ædificatorem inſignem egiſſet, in arce hac D. Mauritii placide obiit, eiuſque cor in templo arcis ibidem, corpus ſub turribus in templo ſummo, viſcera autem in ſacello ſub aula Magdeb. ſepulta adſervantur. Etiamſi An. 1513. die Felicis Albertus Brandeb. in Archiep. 42. electus eſſet, tamen An. 1518. in Comitiis Auguſtanis Imp. Maximiliani I. à Põtifice ſummo per Cardinal. Thomam Caietanum ſingulari cum Pompa, & donariis Equi inſignis, Mitræ auro & gemmis ornatæ, ac gladii cum vagina aurea Dignitas Cardinalatus adiecta eſt, qua illum noviter indutum die Martis poſt Michaelis ad Hallenſes ſplendidiſſime in civitatem introduxerunt, ceu novum aliquem Dominum & recens electum. Omnium in communi tunc erat ſermo, quod Dignitas ea ipſi attributa eſſet in firmiorẽ confortationem contra eos, quos circa ea tempora hæreticos ſibi confinxerant. Sed tamen non ita pertinaciter ſuperſtitioſum eum fuiſſe, quam potius amori pecuniæ addictum, ipſe declaravit in actionibus An. 1540. editis. Quum enim ex utroq; Archiep. Magdeb. & Epiſcopatu Halberſtad. certam contributionis ſummam ſibi colligere conſtituiſſet, nec tã civitates, quam provinciales reliqui in eam conſentire vellent, niſi libertatem Auguſtanæ Confeſſionis concederet; atq; præterea poſt obitum Ducũ Georgii Sax. Lipſ. & Henrici Miſniæ, Marchioniſq; Ioachimi 2. Brand. ubiq; ad exemplũ talis libertas eſſet conceſſa ſubditis, Cardinalis iſte ſumpta pecuniæ ſumma nulli quid in conſcientia præſcriptũ voluit: ſed iuxta Doctrinam D. Pauli ad Rom. 14. 12. de anima ſua Deo rationem reddendam eſſe cuiq. cenſuit optimum. Quippe Paulus dixit, aiebat amicis: Nempe ergo unuſquiſq; noſtrum de ſe ipſo rationẽ reddet Deo. Ne amplius igitur nos inter nos invicẽ iudicemus: ſed hoc potius adhibete iudicium, ut ne fratri proponatis quidpiã, ad quod impingat & offendat, &c. Poſtquam igitur iter Moguntiam accepta cõtributione ſuſceperat An. 1540. protenus Hallenſes Iuſtum Ionam ſuæ præfecerant Eccleſiæ Urbis, & Halberſtad. Iodocum Ottonem cum auctore Lampadio Theol. Werningerodano ad ſe vocarũt.

Superius eſt mentio facta caſtri nigri Burggraviatus apud Hallenſes, cuius dignitatẽ Erneſtus I. Elect. Saxon. in ſuam tranſtulerat lineam deſcendẽtem, q̃ ſibi in præiudicium factum putarat Albertus frater ex Frider. 2. placido Patre Erneſti I. Proinde Mauricius Alberti, quem Herculem Teutonicum & extrã Imperii manum dicere ſolebant, nepos An. 1546. in fine menſis Decemb. abſente in bello Germanico Iohanne Friderico Electore, (ambo iſti Duces agnati ita erant, ut pronepotes extarẽt ex Friderico 2. placido) Hallenſes in ſuas partes pertraxit, & Ioh. Frider. ius Burggraviatus, & hæreditariæ tutelæ in ſe tranſtulit. Quod moleſte ferens Elector denunciat Archiep. Magd. Iohanni Alberto Brandeb. ſe venturum cum Exercitu, & ius ademptum recuperaturum eſſe: monet tamen interim amanter, ut ſponte ſua ſeſe dedant Hallenſes, & homagium nõ recuſent, tũ ſubſidium pecuniarium aliquod decernãt. Nõ multo poſt ex bello, in ſuperiori Germania geſto, reverſus, cum copiis ſuis Halam pervenit, urbemq; occupavit, & Archipræſulem Ioh. Albertum in eas angustias compulit, ut utrumq; Epiſcopatum Magd. & Halberſtad. ipſi fidem iurare ſineret. Sed ea fortuna nõ diuturna fuit. Quippe quum Mauricius in Miſnia ferme omnes Civitates, & oppida, prẽter Dreſdam, Chemnitiũ & Pirnã occupaſſet interea, & iã Lipſiæ degeret, eam Urbem Ioh. Frider. obſidione arctis tribus in locis cinxit, à qua tamen An. 1547. eam Imp. Carolus 5. per Marchionem Albertum Brandeburgicum, & Marchionem Chriſtophorum Leuchtenber-

bergenſem, mox liberari curavit. Hinc menſe Aprili eiuſdem Anni Imper. una cum Rege Bohemiæ fratre Ferdinando, Mauritio, & Auguſto Ducibus Sax. apud Ægram omnes ſuas coegit vires belli, quibus 24. Apr. non procul à Mülberga Albim per locum vadoſum, à ruſtico quodam detectum traiecit, Electoremque Ioh. Frider. qui potiſſimo milite deſtitutus, quaſi in ſecuro ſe ibi vivere putabat, offēdit, qui tamen Elector in aciem collegit ſtatim ſuas copias. Sed quum longe inferior eſſet numero militum, in dextero malo vulneratꝰ, ſe cū Duce Erneſto Brunſv. in poteſtatem Cęſaris captivum tradere coactus eſt.

Hoc quum in audiiſſet Philippus Landgravius Haſſię, extremum apprehendit protenus conſilium, & per Ducem Mauritium, Ioachimumq; Marchionem Brandeb. reconciliationem, & veniam ab Imperatore petiit, quam ita impetravit, ut ad 18. Iunii ſecum Ducem Henricum Brunſv. huc uſq; Zigenhanij cum filio Carolo Victore in cuſtodia detentum, adducens, Halæ ſe ad deprecationem ſiſteret. Obedientiam hanc præſtitit Landgr. & 19. Iunij inde deprecatio cum tranſactione facta eſt ſolemnis in præſentia Elect. Brand. D. Mauritij, Ducum Brunſv. Erici Iun. Caroli & Philippi, nec non Epiſc. Hildeſ. Valentini à Tetleben, aliorumque procerum, ubi ſimul Dux Henricus Brunſv. Provincias ſuas hęreditarias, à quibus per quinq; annos, & ferme biennii capturam ſeparatus vixerat, recepit. Imperator autē circa medium mēſem Maij Hala diſceſſit per Naumburgum, Greventhalium, & ſic ulterius Auguſtā ad comitia indicta tendens, quo ad finē Iunii ſecum Ducem Ioh. Fridericum, translato antea prope Vitæbergam in Mauritium Electoratu, adduxit, quū interim Landgr. Haſſiæ in arreſto alibi contra promiſſum relictus eſſet, quod cauſſam defectionis ab Imp. poſtea cum aliis dedit. An. 1566. 13. Septembr. in arce Hallenſi mortuus eſt Archiep. Sigiſmundꝰ Brandeb. atque ibidem in templo arcis, poſtquam 17. annis regimini præfuiſſet, ſepultus eſt, qui etiam primus fuit inter Archipræſules, qui Auguſtanæ Confeſſioni addixerat; Cui tale olim Collega meus Henricus Meibomius Acad. Iul. Prof. lectione non indignum Elogium poſuit:

SIGISMUNDUS

Archiepiſcopus Magdeburgenſis, Primas Germaniæ, Adminiſtrator Halberſtad. Marchio Brandeb. &c.

Nil erat à ſuperis, quod non opulentus haberes,
Sive animum corpuſve putes, & regia Matris
Stemmata Sarmatica: veteris ne funditus ævi
Eluere maculas, auroque ſimillima puro
Secula deterſa faceres præſentia labe,
Mors properata egit, quā formidare iubebat,
Illa tua nimium præcox ſapientia mentis
Ingruit, heu! Lethū violens cū grandia rerū
Ad finem nondum molimina perduxiſſes.
Tolle, quod à ſtudio pacis tibi nomen, & illud,
Quod pietas aſſerta dedit, ne fama perennis
Deferat extinctum Doctrina vividus ardor,
Multaque in eximios collata pecunia vates
Fecit ab Hetruſco Te Mecœnate ſecundum.
Nobile propoſitū eſt opibus ſibi quærere nomē,
Quodque perire queat, quoties iniuria pellax
Gaudeat eſſe nocens rebus minus eſſe caducis
Credere, & æternis longe poſtponere rebus.

Sub Ioachimo Friderico Brandeb. Archipræſule 46. ſatis commodam vitam, ceu Princeps fuit pacis amantiſſimus, cives Hallenſes geſſerunt, donec ad obitum Ioh. Georgij Elect. Brand. An. 1598. 27. Decemb. optimus Princeps diſcederet ad Elect. Brand. & ſucceſſorem hæred. parentis ſui p. m. agere cogeretur. Velut etiam iſtius Principis vitam brevibus ita rectè expreſſit idem Meibomius:

IOACHIMUS FRIDERICUS

Archiepiſcopatus Magdeburgenſis, & Primatus Germaniæ Adminiſtrator, Marchio Brandeb. &c.

Qui mihi ſceptra dedit, ſceptri quoque contulit uſum,
Ut poſſem prodeſſe meis, quod redditus aris
Priſcus honos, & religio ſincera reducta eſt:
Quod Pax in noſtris habitavit finibus inſons,
Nec furor auditus Martis, nec claſſica mœſtos
Turbavere Lares, agroſque impune Coloni
Vertere, & indemnes potuerunt frugibus utit
Denique quod ſtricti ſervata eſt regula iuris,
Nec miſerū petulans oppreſſit turbo, ſed æquā
Cuiq; ſuum tribuit Themis inconcuſſa bilance,
Numinis eſt ſummi manus, Cœloq; profectum,
Haud fluit à votis hominum conatus utrique
Non diſpar patruo, ſed me Iova prætulit illis,
Succeſſuſq; dedit quacunq; in parte ſecundos.
Salve Parthenopes ſceptrum ſpectabile, noſtra
Principium cura virtutiſq; apta probandæ
Materies, per quā didici normamq; modumque
Regna gubernandi, quod deinceps patria ſenſit.
Felix! Imperium qui ſic moderaris, amorem
Ut præſens habeas, abeuntem vota ſequātur,
Turbaq; centarum ſuſpiret ſubdita patrem.

Tempore ſedis vacantię variis infeſtationibus iuris quidem, nūc in hoc, mox in alio negotio, ſunt infeſtatę, ſed tamen ſe cōtinere in terminis ſuis ſtuduit, præſertim materia litis ſæpius fuit Salinarum provētus. An. autem 1625. aliquoties relatum eſt de animoſitate Hallenſium, quod ad incurſum Walſtenij ſe extreme eſſent oppoſituri: Sed quum nullus illis pateret ſuccurſus, & nudi inveniretur, facilē accommodationē obtinuit Dux Fridlandiæ. An. 1626. quū Mansfeldicus cum Dodone Kniphuſio apud pontē Deſſavienſem, à Gen. Dn. Altringero eſſet in fugam coniectus; Kniphuſius ille Halam captivus deductus eſt, ubi per aliquot menſes in arce cuſtoditus hæſit, donec ſub forma Medici lugubri veſte induti artificioſe ſe per excubias ſubduxit, ut ipſe mihi poſtea retulit. An. 1631. Hala à Suecis occupata eſt, ubi multa pertulit adverſa, & reformationē in ſtatu regiminis mirabilem cum diſtributione. Statim poſt victoriā Lipſenſem contra Tylliū, 8. Septemb. hoc anno obtentam, una cum Rege Sueciæ Guſtavo Adolpho ibi Elect. Saxon. Ioh. Georgius ibi adfuit, & in curia ſe ambo præſentibus ſenatoribus recrearunt.

Habet ea Urbs hoc ex ſingulari Pacto Elect. Sax. beneficium, ut ad ſalis coctionem ipſi ex ſylva Thuringiaca ultra Sabeldium per Salam ligna ubertim advehantur, cuius inſpectioni aliquot equites adhibiti ſunt, ne furtim auferantur. Quatuor autem ſunt Sala-

ſalinarũ fontes, quorum præcipui ſunt Teutonicus, & Gutiaricanus, non procul à foro, & ad latus templi D. Mariæ verſus meridiem ſiti. Continet hoc ſpacium 103. caſulas circa fontes erectas, in quarum ſingulis frixorium, ſive cacabus amplus ex laminis ferreis compoſitus cernitur, cuius profunditas non eſt ultra Spithama, in quo per noctis, dieiq; ſpacium 10. portiones ſalinæ coquuntur; & unaquæq; portio tãtæ eſt magnitudinis, ut onus hominis expleat, & pro floreno ematur. Diſpoſitio quoq; eſt talis, ut nemo ultra unius frixorij ſit poſſeſſor; interdum quoq; unũ, duos, tresve agnoſcit dominos iure feudali. Singulare autem privilegium fuit nobilis familiæ Kozeniorum, ab Ullmanno Kozenio, quondam præfecto Gubichenſtemenſi obtentum, quod 3. Caſulas in feudo habuerit, quas olim Ioh. Kotzenius hęreditarius in Germenslebio maiori, ac Oſcherslebio minori ad petitionem, Vicecancellario tunc D. Chriſtiano Stiſſero in aliquot annos eiuſque filiis ex liberali donatione conceſſerat, uti ex adiecta forma iſtius liberalitatis apparet, ſic ſe habente.

Ego Iohan. Kotze pro me & feudi mei hæredib⁹ notum hiis cuique facio, & confiteor, quod Dn. Vicecancell. Magdeb. Dn. Chriſtiani Stiſſ. ri filio alicui dimidiam partem Eccleſiaſtici beneficii, ad 3. frixoria Teutonici fontis & aliquot pecuniarię penſiones pertinent, quibus antehac Melchiorem Ellingenũ juniorem, nunc defunctum, inveſtiveram, à dato ad 25. annos in uſum feudalem conceſſerim, eidemq; illa in poſſeſſionem tradiderim, hac ratione, & eo modo, ut prædictus Vicecancellar. in aliquem filiorum ſuorum pro lubitu beneficii huius uſum conferat uſque ad completionem talium annorum cum pertinentiis 3. Caſularum, & Caldaborum Teutonicorũ una cum effluxionibus aut ebullitionibus ad concoquendum deſtinatis, nec non pecuniariis penſionib⁹ adſumendis. Quod vero ad alteram dimidiatã partem huius beneficii ſpectat, eã antehac miniſtri tũc mei Henrici Berndeſij filio adſcripſi, ſuper quod tranſactio D. Vice-Cancellarij filio Chriſtiano patebit meo cum conſenſu ad dictum modum, &c. Ob quam cauſſam ſe obligavit dictus Vicecancell. quod nec ille, nec filii eius in ulla cauſſa contra me ullum conſilium, aut ſervitium cuiquam ſint præſtaturi; ſed ſemper utilitatem & honorem obſervaturi in omnibus, uti reverſales eorum id pluribus explicant, &c. Quod ſi autem 25. anni ad finem pervenerint, aut ſi interim duo Vice Cancellarij filii obierint, debebit mihi, meiſque hæredibus libere illud beneficiũ reddi, & reſtitui, ut poſſeſſionem & eius uſum nobis reſervemus, aut in alios pro placito transferamus: fideliter & abſque dolo hæc facta ſunt: in cuius rei teſtimonium hæc propria manu ſubſcripſi, & annato ſigillo confirmavi. Actum in maiori Germeslebiano 2. Ianuarij Anno 1599.

Loc. Sig.

Iohannes Kotze mea m.

Ex quibus colligere eſt, quæ talis feudi Salinarũ ratio ſit Collationis, quodque unaquęq; Caſula ſuas proprias habeat penſiones ſingulares, quibus conſervetur. Archiepiſcopi autem Magdeburgenſis in ſingulis ſeptimanis provẽtus ultra 500. florenos aureos Rhenanos excurrit ordinarie, qui eius præfecto ſalinario, quem Saltz Greven, à Iudicio Salinarum, ſi quid ſit in illa materia controverſiæ decernendũ, dicunt, ſolvitur. Quotannis autem ad ingreſſum feſti Paſchatos per 12. horas, uſque in mediam noctem ex fontibus Salinis aquæ liberalis ſit diſtributio, ut cuivis pauperi, etiam ruſticis licitum ſit, aquas tales inde petere, & ſumere, quum vulgi ſit opinio, quod eius potio maxime conducat pecoribus, medicamenti ſingularis inſtar. Singulis quoque ſeptimanis operariis in Caſulis quies conceditur à labore adſiduo, ut à 3. hora veſpertina die Sabbathi, uſque ad 3. horam diei Dominici liberam feriandi facultatem habeant.

Ædes ad forum aliquot publicæ, & perquã nitide ædificatæ ſunt, veluti eſt Curia, & Triclinium Salinariæ ſocietatis, in quo conventum ſuum eius membra habent. Inter alias conſpicitur ędificium magnifice conditum, in quo publica Bibliotheca Civitatis adſervatur, ſatis laute inſtructa, velut & meo tempore inſignem ab hæredibus Chriſtiani Diſtelmejeri, Cancellarii quondam Elect. Brandeb. Bibliothecã amplam coemerat Magiſtratus Urbis; Inſpectio autem eius potiſſimum commiſſa eſſe ſolet ſuperattendenti, qui tunc per plures annos fuit vir optimus Iohannes Olearius Theol. D. ubi mihi ſimul imagines aliquot, artificioſiſſime in cera ad vivum, ſtaturam hominis plenam repræſentantes, & menſæ adſidentes, monſtravit. Lingua ſuperioris Germaniæ ibi ita exculta auditur, velut ferme nuſpiam in Miſnia, ut etiam Lipſenſes in eleganti pronunciatione exuperare perhibeantur. Situs Urbis in aſpectu perquam amœnus apparet, quum ſe ab occaſu ſuper clivoſum locum verſus meridiem in ſatis ampla ſpatioſitate ad Salam extendat, lepidis undiq; plateis. Hoc in primis heic notandum, quod ex antiquis temporibus eius Scabinatus poſt Magd. in ſummo honore ſit habitus. Etenim Imper. Otto 2. tres nobiles Iudicii conſeſſus, nempe Magdeb. Halenſem, & Lipſenſem ordinavit, ut in iis ius Saxon. fundatum hæreret: Uti Ius Weichbild. art. 10. in gloſſ. expreſſe ponitur: quod Poloni, Bohemi, Marchiaci, Miſnenſes & Luſatici cum omnibus Civitatibus ſuis ius ſuũ ex Halenſi Scabinatu petere debeant propterea, quũ Hala ex Magdeburgo ſuam originem ſumpſerit: Lipſenſibus vero ex Hala, tanquã in ſuperiori gradu conſtituta, ſuũ ius petendũ fuit in ſententiis ferendis.

Sed inverſa nunc eſt Dignitas ea, quæ Maiorum gloriæ non indigne reſtituenda foret, uti ſuo loco alibi monuimus. Sed quid non hominum inſolentia in ſuum abripit lucrum? ſic omnia quoque ſæpius noſtra culpa coram Deo in peius ruunt. Heic vero nec hoc prætereundum eſt, quod etiam aliæ Civitates Germaniæ ſint, quæ hoc nomine ob Salinarum fontes inſigniantur. Velut Halla vel Hallel in ditione Saltzburgica, 2. à Saltzburgo milliaribus diſtans, in via, qua in Styriam tenditur. Deinde eſt Halla Sueviæ Imperialis, Urbs 6. milliaribus à Wimpena ad fl. Kocheram, qui eam in duas dividit partes, intraque præruptos montes ſita, de qua Nicolaus Reuſnerus lepidum & pium hoc ſcripſit Epigrãma.

Sol & Sal duo ſunt humanæ commoda vitæ
Maxima: ſol vegetat, Sal bene corpus alit.
Sol Cœlum radiis illuſtrat, cætera vincens
Sydera: Lux vitæ, vique, vigorque brevis.
Sal poſitas menſas exornat, cætera vincens
Condimenta: Cibus nec ſapit abſque ſale.

Quo

Quo majus laudis decus Urbs *nunc Hala, mereris.*
Unde venit duplicis copia tanta Salis.
At superas decus hoc, eadem sapientiæ & artis
Præsidia, quod frueris iustitiaq; Sale.
Hic animi cibus est; at corporis ille, beata
Urbs animis pariter, corporibusque vigens.
Quod si nec pietas desit, Sal utile terræ,
Iustitia Christo sole micante, sat est.

Tertio est Hala in Comitatu Tiroléſi, milliari uno ab Oeniponte diſtans, ubi Sal metallicum ex mõte excitum artificioſe in magna præparatur & coquitur copia, vocatur Halla im Inthall, ſive in valle ad Innum fl. Urbs eſt elegantibus ædibus exornata in amœniſſimo montiũ adiacentium loco, ut verſu lepido Pet. Lind. in Hodoepor. ſuo eã denotat, inquiẽs:

Adiacet Alpino Salis Hala puerpera monti.

Quarto eſt etiam Halla Hannoniæ ad fl. Sonequiũ, ubi Brabantia attingitur in finibus conterminis. Verum Halam noſtram Saxoniæ idem Petrus Lindebergius olim heic in tranſitu ſuo ſic ſalutando eam deſcribit.

Egregia propriis floreſcunt laudibus Urbes,
Et plerumq; aliquid, quo celebrentur, habent:
Præſule prudenti, templo ditiſſimo, & aula
Regali, ac validis mœnibus Hala viget.
Quin etiam præter dicta hæc locuplete ſalina,
Cunctisq; optatis eſt decorata bonis.

Dehinc cum nos ad Hildeſiam convertimus, in cuius Urbis Hanſeaticæ non minus inclutæ, quum in hoc ſe nobili fœdere temper conſtantem fortiter exhibuerit, ſequentia præreliquis notabilia obſervanda veniunt, non facile multis cognita.

HILDESHAEMIVM.

VEluti Saxones nomina propria lubenter in cõplicationem conſtrictam contrahunt, ita non Hildeshæmii urbis nomen in longum producere adamant; quam potius conſciſſis ſyllabis involvere. Quod ſi ruſticum eundem hodie in Ducatu Brunſvicenſi horſum verſus iter habentem quæras: quorſum tendis? continuo reſpondebit: na Hillſem; alij, qui politioris ſunt linguæ, Hilnshem, aut Hildshem dicunt; quaſi Hildeſiam pergeret. Errat heic Dreſſerus in 3. part. ſuæ Hiſtoriæ pag. 328. non leviter, quod alium, quam Ludovicum pium Caroli Magni filiũ, conditorem huius urbis faciat, in quodam proprio nomine fundatoris, & à voce heim domicilium denotante. Quippe compoſitio appellationis ex ſuperiori declaratione ſatis conſtat, licet Saxonibus nomen fœminei ſexus Hilda, & Hille adhuc per abbreviationem in uſu ſit, ut etiam urbs ea Hildeſia non incommode ab aliis, & Chytræo appelletur: ſunt tamen, qui etiam à Sancta conſecratione id derivent, quod Saxon. eſt Hillig, quum ſingularis heic Imperatorem hiſtoriæ occaſio ob Idolon Irmenſulæ cõmoverit. Erenim Saxoniæ incolæ Eresbergi ad ripã Dymmelæ, ubi nunc Stadtberga eſt, & mons Martis, aut potius venerationis ab Ehren olim dicebatur in fano excelſo Idolon Irmenſulæ adeo obſtinate colebant, ut omnibus quaſi commune profugium, & aſylum firmum crederetur, eſſetque inſtar Idermanſuel, & columnæ ſingulis.

Ædificii tanti molem ſupra modum affabre factam, perque aliquot ſecula perquam ſuperſtitioſe excultam, Carolus M. ſtatim primo anno belli Saxonici poſt Chr. nat. An. 772. quidem evertit, ſed vix triduo ditui funditus potuit. Arq; quum gens ſuperſtitioſa nimis dolorem ſuum comprimere prorſus nequiret, maxima pars exercitus in armis contra hoſtiles impetus, fremituſque tamdin ſtare coacta eſt, donec omnia ſolo æquarentur. Ne vero columna ſuperſtes, cui impoſitum fuerat Idolon; æque, atque deaſter ipſe iterum Saxonibus venerabilis exiſteret, in progreſſu belli plauſtro ingenti recta uſque ad flumen Viſurgim eandem devehi, & in loco, ubi nunc Abbatia Corbejenſis conſpicitur, terrę ſingulari cura infodi iuſſit. Aſt quum poſtea Succeſſor parentis Ludovicus Corbejam fundaret, ibique columna iſta reperiretur, eam trans Viſurgim deportari mãdavit, ut veteris Idololatriæ memoriam ex oculis, animiſque populo illi penitus deleret, & auferret. Clam id quidem tunc agebatur; tamen vix ultra Wincenburgũ Comitatum trans Leinam fl. pervenerant armati, ubi Saxones deaſtri ſui vindices actes feſtinabundos apprehenderunt Cæſarianos, cum quibus diu dimicarunt adeo, ut aliquot cæſi fuerint, nihilominus profligatis Saxonibus ſuperiores, ne novi, plureſve hoſtes ſuperveniremt, alacriter pergentes, Armenſulam hanc ad Inneram fl. ubi tunc degebat Imperator, venationi indulgens, iuxta mandatum eius detulerunt. Interim tamen pugnæ huius inter Alfeldium, & Bodenburgum commiſſæ memoria ita eo in loco manſit, ut non tantum cyppi lapideri in forma crucis ibi erecti, addita ædicula ſacra; ſed etiã caſæ aliquot conditæ ſunt: unde locus ille ex conflictu iſto nomen Armenſulę in hunc uſq; diẽ obtinuit.

Cauſſa hæc non levis extitit, quur eo ferventius Ludovicus Cæſar novæ urbi extruendæ ea in terra, ubi tunc agebat, incumberet, præſertim quum amœnitas ibidem eum afficeret ita, ut templum Epiſcopale illi deſtinaret. Ideoque quum ſedem canonicorum, quam parens Carolus M. Aulicæ olim ante aliquot annos (vulgo Aulze ab aula regii palatii corrupte dictæ, & prope Poppenburgum, ubi Sala in Leinam influit, ſitæ) conſtituerat, in tutiorem receſſum transferre cuperet, ſic maturavit urbis opus, ut an. Chriſti 822. ampliorem Baſilicam plene ibi inſtitueret. Atque ut eo gratior commoditas vivendi eſſet Epiſcopo cum Collegio toto, plurimis eum affecit ditionis beneficiis. In novum vero templum (Beatæ Mariæ Virgini poſtea conſecratum, & à 4. Epiſc. Adelfrido extenſum) columna illa Armenſulæ ſuperſtes cum tripudio magno introducta eſt, prius tamen ſolemnibus ceremoniis luſtrata, ut à profanitate Ethniciſmi rite purgata, & ſanctitate quaſi nova donata diceretur, eoque convenientius inde nomen Hilleshæmium in Sancto domicilio ſuo ſortiretur. Collocata eſt ibi in medio templi ante presbyterium, & hodie adhuc conſpicitur, ſuſtinendis luminaribus, quæ feriis ſolemnibus accenduntur, deſerviens. Habetque hoc peculiare quod cultello percuſſa iſta columna, ſonum acutum, inſtar tinnimenti reddat: tum quoque æſtate, quum aer maxime fervet, ipſa perquam frigida, ſudanti non abſimilis, deprehenditur: Ac in renovatione ante annos aliquot inventi ſunt in ea tres verſiculi, aureis litteris exarati, qui ita ſe habent.

Si fractum veſtri, veſtro ſint gloria Patri,
Ne damnent tenebræ, quod fecerit actio vitæ:
Iuncta fides operi ſit lux ſuperadditа luci.

Translationes eiuſmodi non inuſitatæ olim fuerunt. Sic enim & Epiſcopatus, qui Schiræ, vel Schidræ (locus eſt in comitatu Lippienſi) cæpit inde à Brunone, & Tanquardo Fratribus, Saxoniæ Ducibus, Valleslebium trãslatus eſt: ſed nec diu ibi hæſit; verum Troſam ad Albim, unde demum ab Ottone Magn. ad milliaris ſpacium Magdeburgũ deductus eſt. Cent. Magd. 8. ut eſſet capitalis Eccleſia omnib⁹ Vandalis vicinis, quod factum eſt An. 968. fuitque primus Archiepiſcopus, Albertus ex Monaſterio B. Maximini Trevirenſis, illuc vocatus. Ita quoque Eccleſiæ huius Epiſcopus fuit primus Güntharus à Ludovico Imperatore quidẽ anno Dom. 814. quo Carolus M. obiit, Auliciæ conſtitutus; ſed poſtea Hildeshæmium accitus & præfuit ibi 21. an. cuius opus eſt templum illud B. Ceciliæ, duabus turribus conſpicuum & proximum templo cathedrali: obiitque an. Chr. 835. quem ſecutus eſt Remibertus, & hunc EboGallus, exutus Archiepiſcopatu Rhemenſi. Epiſcopatus autẽ huius longitudo, & latitudo à principio non adeo ampla fuit, quæ à ſeptentrione uſque in Auſtrum, & verſus occaſum ſimul ultra Leinam vix ultra 8. mill. Germ. excurreret. Plurimis enim ditionibus, Comitum diverſorum, & maxime Ducum Brunſvicenſium, ac Lunæburgenſium & interſecabatur, & includebatur; donec ſucceſſu temporis ex comitum vicinorum obitu, & familiarum aliquot talium decreſcentia, aut extinctione plures ſibi acquireret variis modis limitum, & terminorum extenſiones. Ita quum Bernhardus comes Rotenburgenſis Taũberæ 21. Epiſcopum ageret, An. 1135. ex caſu ſingulari, & triſti Comitis Winczenburgenſis, quem una cum coniuge gravida eques aulæ Suevicus noctu miſere peremit, huic ditioni ex comitatus huius, ad Leinam fl. ſiti, acceſſione auctio peculiaris, beneficio ſpectri nocturni Hoedeke adiecta eſt. Sic an. 1260. Iohannes 31. Epiſc. admodum arguta Stratagematis adiutus à comite ultimo familiæ eius Arcem cum civitate Peinẽſi, à parte ſeptentrionali impetravit, fruſtra Duce Brunſv. Alberto Magno refraganté. Sigfridus 33. Epiſc. Comes Querfurtenſis oppidum Gronovium, non procul ab Elze ad Leinã fl. ex tribus pagis, Empena, Leja, & Bekema cõdi curavit, ut irruptiones Weſtphalici militis averterẽtur.

Idem Sarſterium, ubi Innerſta in Leinam pergit, ampliavit, & Levenburgũ verſus ditionem Halberſtatienſem reparavit. Inprimis vero maiori auctione accreſcere cepit Epiſcopatus iſte quũ familia Comitum Provincialium Daſſelenſiũ, qui ex iudicio præeminentia, & æſtimatione Rugegravij nuncupabantur, ac in ſolẽnitatibus publicis Imperatori ſceptrũ, ſive baculum argenteum præferre ſolebant, in Bernhardo 3. & Fratre eius Simone expiraret. Erat enim celebris iſte Comitatus Daſſelenſis inter Vſurgim, & Leinam fl. ſitus eſt, ab ortu Northeimium veteſtiſſimum Comitatum, & Gottingam ab occaſu ultra Sollingam Sylvam, Corbejam, & Horzmindam reſpiciens; at à Comitatu Homburgenſi, uſque ad Uſlariam & inde Hardeſſam excurrens. Continebat olim in ſeſe civitates Daſſeliam, & Eimbeckam una cum oppido Marck Oldendorpium, arceſq; Dalleliam, Lawenburgum, Neonobetium, Lauwenwerdam, Fürſtenbergam & Hundsruckium. Licet partes hæ omnes, excepta Eimbecca, ex donatione Ludovici Pij Imper. Dominum Feudi Abbatẽ Corbejenſem recognoſcerent; tamen res ita ſuppoſita fuit ex adornatione Henrici Comitis Woldenbergenſis Epiſcopi 34. qui frater erat coniugis Mechtildæ Comitis Bernhardi 3. Daſſ. (quum nulla eſſet ſpes prolis) ut Rugegravius ille ab Abbate Corbejenſi ſe diverſum ageret, & in eiuſdem præiudicium ab Imperat. Henrico 7. Lutzenburgenſi infeudationem peteret. Theodoricus à Dalwig 37. Abbas Corbejenſis huic negotio ſe quidem acriter opponebat, ſed fruſtra. Hic Epiſc. 34. quoque an. 1312. Caſtellum prope urbem Hildeshæmenſem, ubi Innerſta fl. excurrit, ad Leinã tendens, erexit, cui nomen Germanicum Stewrigewalt, ob differentiam, quam cum civibus gerebat, impoſuit, quaſi repellendam vim, aut repulſionem violentiæ diceret; unde incolis eſt, iuxta ſuum linguæ idioma Steuerwolde: Civibus vero in contemptum conaminis arcẽ à principio Aelkenburgenſem appellabant.

Quum vero agnatus huius proximus, & ex fratre nepos Otto eſſet ultimus Comes Woldenbergenſis non ſine cauſſa electus eſt in 35. Epiſc. Hildeshem. An. 1319. qui non tantum Comitatum ſui nominis, ſed etiam civitatem Bockelheimenſem una cum arce, & præfectura Luttera ad Barenbergam, ubi nuper an. 1627. Rex Daniæ Chriſtianus 4. contra Cæſarem pugnans à Gener. Illuſt. Tyllio menſ. Aug. victus eſt, Diœceſi huic adiecit, reparando ſimul Poppenburgum ad Leinam. Redimebat quoque arcem, & Dynaſtiam Lindaviam ad Rhumam fl. in Erchsfeldia ſitam, & pagum Calefeldiũ in præfectura Weſterhoviana. Demum etiam plenaria poſſeſſione occupavit Rugegraviatum Daſſelenſem ab obitu Simonis, qui diu ante reditum ex regionibus exteris mortuus dictus erat. Denuo ſe quidem huic oppoſuit Abb. Corbejẽſis 38. Heinricus Spiegel à Daſemberga, ſed nihil aliud obtinuit, quam tranſactionem eiuſmodi, ut eo nomine Epiſcopus Vaſallum huius Monaſterii agnoſceret, & quotannis ad feſtum Viti Corvum in ſignum recognitionis iuxta antiquum morem ex Sollinga ſylva huic offerret. Henricus autem Dux Brunſvicenſis, & Lunæb. 36. Epiſc. quum eviciſſet 14. annorum bello æmulum ſuum Ericum Comitem Schawenburgenſem, itidẽ Diœceſi huic Baronatum Scladenium ad Overam ſitum; arcem Widelagiam, & Woldenſteinium acquiſivit; velut & Berkam ædificavitque ex mulcta civium Hildeshæm. Monaſterium Matixbergum; ac poſtea Catelnburgum.

Simili ratione quum an. 1365. Gerhardus Lib. Baro de Berga 38. Epiſcopus eſſet creatus, arcem inſignem ad Futam fluv. ex ponte neceſſario, & lapideo Steinbruggam vocans, condidit, velut & Dynaſtiam Colingam, quam & Coldingam dicunt ad Leinam ſitam: nec non ad Octam, non procul ab Hartzburgo, Vinenburgum in radice Hercyniæ erexit, obiitq; An. 1398. Ex quibus catibus multiformibus ditio huius Epiſcopat⁹ tandẽ ita accrevit, ut per varias partes Ducatus Brunſvicẽſis nitris ſe inſinuaret angulis; veluti & verſus Auſtrum inter Goslariam & Wolferbytum iuxta Hercyniæ ſylvæ partẽ anteriorem, diſſecando quaſi hunc Ducatũ, ditionẽ

Epiſco-

Episcopatus Halberstadensis prope Hornburgum attingebat, 25. Dynastias, sive Præfecturas præter oppida in ambitu suo satis diffuso comprehendens. In qua felicitate summa satis quiete vivere potuissent incolæ, & urbs ea, nisi insolentiæ, & ambitionis vis, ut ait Dress. part. 5. Isag. hist. maior fuisset eorum, quos decebat potius pedum sacrum, quam arma gestare, & pacis tranquillitatem infringere.

Ex adverso igitur belli successu, quod Bartholdus de Landsberga 44. Episcopus cum urbe hac, & vicinis gerebat, aliquot arces oppignorare cogebatur. Has quum Iohannes Dux Saxoniæ Lawenb. 46. Episc. non satis attente observatis conventionum pactis, nonnihil repoſceret intempestivius, ac simul Episcopum Mindensem Franciscum, Ducesque Brūsvicenses 5. Fratres irritaret acrius; exortum inde est an. 1519. tantus belli fervor, ut intra triennij spacium (quamvis prius victor in celebri eo prælio Soltaviensi, ubi 2. Duces Brunsv. & aliquot comites cum 119. nobilibus capiebantur, videretur) amitteret ex 6. Comitatibus, & universa diœcesi has sequētes civitates, oppida & arces; uti sunt Alfelda, Bokelhæmiū, Bodenwerdera, dimidia pars Hamelæ, Grunovia, Eldegesla, Dasselium, Satstadium, Ertselia, Elzæa, Lambspringa, Bodenburga, Hemmendorfia, & Saltzgitteta: Arces, Lawensteinium, Wintzenburgum, Luthera, Schladenium, Widelaum, Loiffenberg, Vinenburgum, Woldenbergia, Hallerburgum, Ertelsam, Steinbrugga, Lindavia, Levenburgum, Westerhovia, Wolpa, Woldensteinium, Homburgum, Hundestruckium, Grüna, Olbia, Arzenium, Coldinga, Rutenia, Poppenburg & Grunovia. Remanserunt Episcopo Metropolis Hildeshæmium saltem, Sturwaldia, Peina cum arce, & Mariæburgum. Ex auctoritate Imperatoris Caroli V. variæ fuerunt transactiones; sed quum ob toties renovatas belli redintegrationes in disgratiam Cæsaris incideret, nec minus ob violatam pacem publicam proscriberetur, id ita lucro cessit Ducibus Brūsvicensibus ac confœderatis.

Celebrabantur Norinbergæ comitia Imperialia an. 1523. ubi in hac causſa publice Albertus Archiepiscopus Moguntinus, & Magdeburg. & Georgius Saxoniæ Dux, ac civitates vicinæ, Goslaria, Magdeburgum, & Embecca commissarii nominabantur ita, ut proximis Calendis Maij Quedlinburgi controversias cognoscerent, & componerent: ubi etiam utriusque tandem partis consensu ita transactū est, ut, armis utrinque depositis, pax esset inter dissidentes firma, & Duces Brunsv. Ericus, atque Henricus Iunior quæcunque oppida, arcesque & Cœnobia, ut erant celebriora, Ringelheim, Lambspring, Dernburg, Dorstat, Wittenborg, Willinghusen, Reiffenberg, Woltingeroda, &c. occupassent, retinerent ex iure proscripti Episcopi, & captivus Dux Wilhelmus Brunsv. Cellensis, sine reluitione liber esset. Inde quoque Carolus V. Cæsar omnia eiusmodi bona Augustæ postea in comitiis, Ducibus his in feudum ritu & litteris solemnibus contulit. Quamvis autem non tantum armis imprudenter amissa, sed etiam per transactionem, & infeudationem amissa recuperare Episcopus desperaret; tamen ex aula Pontificis Rom. sibi subsidium iuris petere non dubitavit. Duces quidem inter se tunc diviserunt acquisita cuncta, & iure devoluto pervenerunt ad hæredes adeo, ut ultra 108. possessores continui fuerint bonorum omnium: Nihilominus per sententiam superiorem nunc tandem an. 1630. in integrum Episcopus modernus, usque ad revisionem Cameræ, quæ etiam per decretum obtenta habetur, est restitutus.

Tota autem diœcesis certe purgata cæli fruitur temperie, & salubri; agro undique amæno, fertili, omnique genere frugum adfluente, ut nihil ipsi deesse videatur, nisi quod vitem non alat; cuius loco tamen cerevisia ex hordeo, & tritico cocta utitur, & maxime abundat eo genere, quod Brohanam incolæ dicunt. Quamvis modicæ altitudinis, non præruptis montibus undiq; constita sit; tamen nihil sterilitatis ibi invenitur; sed dispositio naturæ ita benigna est, ut in summitatibus perpetuæ videantur sylvæ, & unaquæque acclivitas lætissima ferat frumenta, ac valles sua undiquaque prata contineant, quæ flumine aliquo, aut vivæ scaturiginis rivo perfundantur: velut & nusquam non piscinæ, aut lacunæ sunt obviæ, ut copia piscium haud desit inhabitantibus eam terræ partem. Sic & salinis aliquot insignibus scatet, unde adiacentibus regionibus, & vicinis eius communicatio commercii est. Habentur etiam ad radicem montis Hils officinæ vitreæ versus Austrum: ad Boream vero figulinæ optimæ, quibus vicini passim utuntur. Omne præterea pecorum genus ibi viget in copia magna, quæ montes, & pascua permeant, inprimis ovium greges immensi conspiciuntur, unde ex commixtione lactis vaccini, & ovilis optimi saporis casei in minutula forma conficiuntur. Faciunt frequentes sylvæ, ut in venationibus magna ferinarum varietas, iucundaque sint aucupia.

Cives ipsius urbis Hildesiensis quum Augustanæ confessionis religionem amplecterentur; & tamen carerent publico exercitio, Anno 1543. intercedentibus apud senatum Electore Saxoniæ, & Hassiæ Lādgravio illud in Ecclesiam introductum est, licet satis acriter, & 49. Episcopus Valerianus à Theteleben J. U. D. & Canonici se his opponerent; unde non levis exorta est persecutio. Qui etiam Episcopus id à Papa impetravit, ut causſa bonorum Episcopaliū ad Cameram imperialem contra Duces Brunsv. deferretur. Urbs ipsa autem in loco acclivioso sita est ad Innerstam fluv. Ambitu exuperat Halberstadiū: dividitur in duas partes, in veterem, & novam civitatem; unaquæque suo regitur magistratu in democratiam vergente, quum ex tribubus partim senatus ambulatorius quotannis constet, cui adiuncti sunt 24. Viri, plebem referentes, sine quorum consensu nihil in publicis gravioribus concludi potest. Antiqua urbs præter Cathedralem Ecclesiam, & S. Crucis sex continet templa.

Nova civitas vero saltem duo. Templum vero D. Mauricii collegiatum in monte ante urbem habetur, sic ex loco eminentiori nomen gestans. Non quidem urbs imperialis est, attamen privilegiis ita libertati addicta, ut ferme libera dici queat, unde etiam in fœdere Hanseatico præcipuum simul honorem tenet, ut sæpius ibi conventus quartirii huius sint celebrati, quoties nec essitas flagitarit: sicut quoque An. 1522. Civitates Hanseæ, quum ipsa ita graviter premeretur, Goslariæ eius causſa convenere, ut à bello abstineret, nec Episcopum suum, ab Imperio

Pre-

proſcriptum adiuvaret. Etenim interdum nimius bellandi ardor tenuit incolas, ut merito retraherẽtur, ad confœderatarum civitatum poſtulata. Quippe non eadem eſt ratio pugnandi ſemper civitatibus maritimis, & terreſtribus, quum iis, quæ ad mare utrumque, & orientale, & occidentale ſitæ ſunt, ferme ſingulis momentis novæ obiiciantur difficultates in commerciis, his autem non itidem, utpote quibus aſſidua defenſio privilegiorum ſuorum, & immunitatum à vicinis, aut ſuis Principibus cauſſata competit, ut ſe in ſtatu ſuo conſervent iuſto, nec enervari patiantur viribus, quæ ſemper invidiam creant potentioribus, quum tamen ſine civitatum adminiculo nuſpiam commercia rite vigere queant, ut mirum ſit, nec admiratione ſumma careat, quod commoditates negotiandi multi his abſque ratione iuſta præcludere conentur. Sic etiam Hildeſia variis modis infeſtata fuit à Dominis ſuis, ut bella multa gerere ſæpius ſit coacta in ſui defenſionem, unde varias pertulit vices, quæ mortalitati huic ſunt communes: præſertim autem, quum maxima ex parte Epiſcoporum inſolentia, ambitio & petulantia, ut ait Dreſſerus, ea fuerit, quæ pacem publicam & privatam civitati huic non diu relinquere potuit, plurima damna ex mutuo conflictu pertulit. Unicum tamen exemplum præ reliquis memorabile eſt, quod peculiarem meretur fidei memoriam.

Tempore Udonis enim comitis Alvenſchlebiani, qui 18. fuit Epiſcopus, ab Henrico 4. Imperatore ibi deſignatus, & per 35. annos regnavit, urbs hæc gravem ſuſtinuit obſidionem ab Ecberto Marchione Miſniæ, qui circa an. 1075. contra Imperatorem laboriosiſſimum cum aliquot principibus, & Marchionibus Saxoniæ, ac Epiſcopis conſpiraverat. Quum enim Udo partes dilecti ſui Imperatoris ſequeretur, nec reum criminis rebellionis ſe facere cuperet, Ecbertus ille ita depugnavit hunc, ut eum captivum abduceret. Poſtea captum tormentis ſubiecit, & adegit eundem, ut ſe Hildeshæmium traditurum promitteret. Verum quum id in poteſtate eius non eſſet, nec etiam vellet, Marchio obſidione acri premere incepit urbem, quæ tamen maſcule eum repulit. Proinde jam in opere erat extrema cuncta tenturus, ut omnes copias exercitus undiquaque huc adduceret. Fortuito interim prope Brunſvigam delaſſatus ad molam ibi, civitati huic proximam, quã Aiſenbuteliam dicunt, divertit ſitibundus; inde molitorem ad petendam ex vicino loco cereviſiam mittit, à quo in via occurrentes Cæſariani equites certiores facti ſunt, hoſtium principalem ibi adeſſe. Ideoq; ſtatim ad pugnam concurſum fuit, in qua iſte Marchio transfoſſus periit, & ſic tam civitas ex obſidione, quam Epiſcopus, vir fidelitatis & integritatis plenus, ex carcere e nequitioſo liberatus eſt.

Quamvis autem hæc civitas honorabiles ſemper habuerit ſuos Epiſcopos, tamen uti animi hominum ſunt mutabiles, ita non diu gratiam ipſis exhibuerunt, qui ſe facile ſeduci ab adulatoribus patiebantur. Inter quos maxime fuit 44. Epiſc. Bartholdus à Landsberge Nobilis, qui ex Decanatu ad eam dignitatem Anno 1481. evehebatur, & per 22. an. inquietudinis amans, in vario motu ſuum conſumebat regiminis tempus. Licet urbs hæc ſe omni conatu huic accommodaret, tamen invidi aliquot ex nobilibus apud Epiſcopum id obtinebant, ut civibus imponere novum exactionis modum cereviſiæ cauſſa ſtuderent. Hoc autem quum denegarent, ingentia aliquot annorum bella, & obſidiones exortæ ſunt, præſertim quum Epiſcopus Duces Brunſvicenſ. Wilhelmum, & eius filium Henricum, quem ſeniorem dicunt, in ſuas pertraxiſſet cum aliis vicinis partes. Interponebant ſe toties Civitates ſocię quidem; ſed contemptui quum eſſent iis, nec minus præcluſio civitatis, ac captura iniqua Ducis Friderici Brũſvicenſis, qui tutorem tunc Hildeſienſium egerat, alios vicinos damno afficeret, civitatibus iſtic loci confœderatis ſe adſociarunt, ſingulari pacto ad 20. Annos. Quum res ſit memorabilis, & notatu digna, formalia heic ſubnectere, non erit ingratum, quæ ita ſe habent.

Ex Dei gratia nos Conradus Oſnabrugæ, Simon Padebornæ, & Henricus Mindæ Epiſcopi, Ericus & Antonius Holſatiæ. & Schaumburgi comites, pro nobis, & loco nobilium, ac bene natorum iuniorum Dom. Ottonis & Iohannis, dilectorum noſtrorum fratrũ, Nos iuſtus Comes Hojæ ac Brockhuſij, Bernhardus nobilis Dominus in Lippa, Rudolphus nobilis Dominus in Diepholt; Atque nos ſenatus civitatum Goslariæ, Magdeburgi, Brunſvigæ, Lunæburgi, Hildeshæmij, Gottingæ, Stendaliæ, Hannoveræ, aliarumque civitatum, quæ ulterius iuxta tenorem contractus, & fœderis ad hoc requiremus, aperte confitemur pro nobis, & noſtris poſteris, hæredibuſque, quod nos in Dei laudem, in Sanctæ Chriſtianæ Eccleſię, ac Romani imperii honorem, nec non in regionum, ſubditorumque & noſtrarum civitatum omnium commodum coaduniverimus, & coniunxerimus, eam ob cauſſam, nempe, quum excelſe natus Princeps, ac Dominus, Dn. Fridericus, Brunſv. & Lunæburgenſis Dux, per aliquem S. Celſ. clem. morbum, ſuæ coniugi Dn. Margaretæ ſubductus, & in loca, ubi nunquam E. Celſ. placuit, pertractus, & talibus hominibus, cum quibus ante hac nunquam converſari voluit, pro cura ſui demandatus ſit; atque ſic privatus fuerit arcibus, & ad ſe pertinentibus ditionibus, quas ſumme prædictus Princeps in poſſeſſione tenuit, etiam coniugem ſuam dotalitio ſuo (quod omni iure ptidem ipſi adſcribendum fuerat) nondum providerit: Tum adhuc, quum nobilis & bene natus iunior Dominus Iohannes comes Rethbergenſis abſque belli feciali denunciatione cum ſuis plane iniquiter circũvallatus, & captus ſit: Tum quoque, quum honorabilis civitas Hildeshæmium tam ultra oblationem omnis iuris, ac nobis omnibus reliquis Civitatibus libera negotiatio in advehendis, & avehendis commerciis prorſus præcluſa ſit, nec tutæ uſpiam ad id viæ concedantur: Tum ſimul, quum Hildeshæmenſes, ac reliquæ civitates in libertate ſua, veteri iure conſvetudinario detractiones, & impedimenta pati jam cogantur. Propterea coadunimus nos inter nos, & contractum hunc pangimus ad cuiuſque partis proprios ſumptus, damna, carcerationes, & pericula in præſentibus litteris iuxta tenorem & modum ſequentem, qui extenſus ſit in 20. annos continuos à dato huius ſcripti. Ideoque primo nos mutuo promittimus, quod nos prædicti Domini debeamus, & velimus inimici fieri, & hoſtiliter tractare ſtatim Reverendum in Deo Epiſcopum Bartholdum Hildeshæmenſem, item excelſe natum Principem ac Dominum,

minum, Dn. Wilhelmum, & Henricum eius filium Brunſvic. & Lunæburg. Duces; item Epiſcopatus Hildeshæmenſis incolas mannos, eorum terras, & ſubditos, atque ubi decentia expoſtulaverit id: Ac noſtrorum Dominorum quiſpiam debeat, & velit ſemetipſum in perſona Hildeshæmij quamprimum ſiſtere. Hoc quando fuit peractum, tunc nos civitates prædictæ de ſtatim ſequenti debemus, & volumus eſſe hoſtes Epiſcopi Hildeshæmenſis, Epiſcopatus mannorum, eius ditionis, & ſubditorum, & etiam hoſtiliter eos invadere.

Nos quoque prænominatæ civitates è veſtigio feciales litteras noſtras volumus, & debemus à dato huius conventionis & fœderis, in manus ſenatus Brunſvicenſis obſignatas tradere: atque tunc quam primum nominati Domini Scriptis, & orali mandato poſtulari curent, tunc nos ſenatus Brunſvicenſis litteras feciales, cum noſtris ad excelſe natos principes Brunſvicenſes, abſque mora mittere volumus, & debemus ſine dolo malo; modo nobis prædictis Dominis, & Civitatibus iuxta noſtrum omnium conſilium, & mandatum à ſæpius nominatis Dominis Brunſvicenſ. & Lunæburgenſibus obtingere poſſit, quod cuique in hoc contractu, & fœdere complexum eſt à Deo, honoris & iuris cauſſa nobis competit.

Etiam nos Domini prænominati debemus quẽpiam ex nobis Dominorum, qui idoneus ad id ſit, cum 50. equitibus versus Brunſvigam, qui ſe cum iis, & aliarum civitatum equitibus coniungant, mittere, ad equites eorum ducendos & regendos. Ac quando Domini & civitates una in campum progrediũtur, & oppida, cives, pagos, captivos, ſpolia, rapinas & redimenda, aliudve acquiſiverunt, tunc Dominis dimidia pars, & Civitatibus altera pars in lucrũ cedet, quod ſumant ſibi. Sed civitates tamen Dominis pro occupatis arcibus, & oppidis, quotquot oppignorata, aut adſcripta illis ſunt, dimidium pecuniæ ſolvent. Si vero occupatæ arces & oppida oppignorata fuerint, tum nos civitates ſæpius dictis Dominis dimidium iuxta honeſtam æſtimationem ſolvemus, & occupatas arces, & oppida nobis ſumemus, quod nobis Dominis citra omnem contradictionem complacitum habebimus.

Quod ſi vero accidat, ut nos Domini, aut civitates quiſque noſtrum, aut ſingulariter quis ſolus quid acquiſiverit, aut ſi aliquis noſtrum in uno aliquo loco, & alius in altero loco ſolus ſibi quid acquiſiverit, illud lucrum quis ſibi ſoli retervet, excepto tamẽ eo omni, quod ad communem ſpectat diſtributionem rapinæ, illud iuxta equitum ius, & conſuetudinem diſtribuetur, & tunc 2. pedites pro uno equite numerabuntur. Atq; ſi inde diſputatio, aut diſſidium exoriatur, quod tamen non debet fieri, tunc ad conſopiendum, & complacandum illud compromiſſio deputetur duobus Dominis, qui ita à Dominis in Hildeshæmium, aut Brunſvigam mittantur, nec minus honorabili ſenatui Brunſvicenſi, & Gottingenſi id committatur.

Atque ſi nos Domini, aut civitates ad Ducem perveniamus, tunc una tam pars, quam altera, & quiſque pro facultate ſua abſque dolo ſequi debet ad opitulationem ferendam. Quod ſi etiam noſtrũ cuiquam contingat quid, & adverſi eveniat, tunc mutui iuris erit obligatio ad invicem, ac quodcunque ſic in hoc caſu pro ſententia iuris decretum fuerit, id alter tenetur ſequi, & ratum habere, tamen ita, ne una pars alteram nuſpiam deſerat, donec uniuſcuiuſque cauſſa apud alterum totaliter in amicitia, aut iure placide compoſita ſit. Sic & nulla pars abſque alterius conſenſu cum nemine uſquam compoſitionem, aut reconciliationem ineat. Si etiam cuipiam inter nos poſthac, aut inpoſterum aliam ob cauſſam ab adverſariis, dum adhuc noſtrum hoc fœdus inter nos durat, quid diſſidii obiiciatur, ac nos Domini Civitatum, aut nos civitates Dominorum compotes fiamus, tunc nemo noſtrorum alteri prædicto adverſario ullam opem, ſolatium aut aſſiſtentiam præſtet, in ullo aliquo modo, quocunq; id fieri poſſit. Atque hæc unio, cor fœderatio, liga & contractus, omnibus aliis pactis, & contractibus, à nobis Dominis, & Civitatibus univerſis & ſingulis cõfectis, nullo præiudicio eſſe debet. Cuncta hæc præſcripta puncta, & articulos huius pacti, & confœderationis promittimus, quod nos prius nominati Domini, & Civitates univerſæ, & ſinguli omnes pro nobis, & noſtris, poſteris ac hæredibus, in ſyncera fide arcte, præcise & infrangibiliter abſque ulla argutia, & dolo ſumus ſervaturi. In cuius rei fidem nos ex Dei Gratia Conradus Oſnabrugge, Simon Padebornæ, & Henricus Mindæ Epiſcopi, Ericus & Antonius Holſteniæ & Schomburgij Comites, Iuſtus Comes Hojenſis & Bro. huſij, Beruhardus nobilis Dominus Lippiæ, & Rudolphus nobilis Dominus Diepholdij, noſtrum ſigillum pro nobis, & ſucceſſoribus noſtris, & hæredibus ſcienter ad has litteras appendi curavimus: Ac nos ſenatores Civitatum Goslariæ, Magdeburgi, Brunſvigæ, Lunæburgi, Hildeshæmiæ, Gottingæ, Stendaliæ & Hannoveræ, noſtrarum civitatum ſigilla inferius, una cum prius nominatorum Dominorum ſigillis, pro nobis & noſtris poſteris ſcienter ſimili modo appendi curavimus. An. à nativitate Chriſti Domini noſtri 1485. die Sabbathi poſt Laurentii D. Martyriis.

Adeo atrox hic fuit belli fervor, ut etiamſi Imper. Fridericus 3. duobus Elector. Duci Alberto Saxon. & D. Iohanni Brandeburgico compoſitionem cõmiſerit, atque ſemetipſum ſub coronatione filii Maximiliani I. ex comitiis Francofurtenſibus ſedulo interpoſuerit; tamen nihil potuit effici, donec tandem exacerbatas partes Bugislaus Pomeraniæ Dux, quum Duci Henrico Senioti Brunſvicenſi ſororem Margaritam novam nuptam domum duxiſſet, mitigarit tranſactione primordiali, ut mox dicetur, quã Hamelenſem vocant, & poſtea peculiariter ab ipſis diſſidentibus plenius confirmata eſt An. 1486. die Mercurij poſt Luciæ.

Eluctarunt quidem ſæpius poſtea ex variis difficultatibus ob tempeſtates toties ipſis obiectas boni Hildeſienſes; verum quanto damno in hocce diuturno totius Germaniæ bello inteſtino ijſdem illa diffidentia, quæ olim Hildeſienſis communiter ab Hiſtoricis appellatur, quamque anno 1519. per aliquot annos ſubſequentes 46. Epiſcopus Iohannes, Dux Saxon. Lawenburgicus cum Henrico Iuniore Duce Brunſvicenſi excitarat, extiterit, id toties antehac per tot diſtractiones temporum ſunt experti, & adhuc miſere experiuntur miſeri, utpote qui non tantum Cæſarianis ſpolio toties ab anno 1628. fuerint, & in occupatione tum exuti penitus

ſed etiam denuo Ducí Brunſvicenſi Friderico Ulrico p. m. ac poſtea illuſt. eius ſucceſſori D. Georgio, Duci Brunſvic. & Lunæb. qui adhuc eam urbem, firmiter occupatam ex deditione armata manu tenet, uti luculenter Acta in publicum edita cauſſam hanc declarant, in quorum præfatione hoc expreſſe docetur, quod ex Decreto Imperiali Wormaciensi de anno 1525. dato 27. Maij illud competat de iure quæſito, quum bene conſiderandum heic veniat, quod S. Cæſ. Maj. Caroli V. cum pleno conſilio, & ratihabitione omnium electorum, ac principum in publicis illis prędictis Comitiis totius Imperii conſtitutum reddiderit, mandarit atque ordinarit, ut ambæ partes litigantes ſub privatione, & deſtitutione ipſorum Regalium ac feudorum quæ ab Imperio poſſident; etiam ſub evitatione Imperialis banni primi, & ſupremi, arces, civitates, oppida & bona, quæ unam aut alteram partem concernunt, & quæ in præterito tunc bello ab invicem evicerint, & occuparint, intra menſis ſpacium in Cæſaris manũ tradere, nec minus in eodem menſis ſpacio omnes captivi, cuiuſcunque illi proprie ſint, inter quos Dux Wilhelmus Brunſvicenſis ſimul comprehendebatur, ab utraque parte, & unoquoque ſingulariter dimitti, nec amplius quid exigi, aut flagitari deberet, donec plena compoſitio cauſſa eſſet evoluta, &c.

Quod ſi vero una aut altera pars in tali extraditione, aut præſtitutione in dicto menſis ſpacio inobedientem ſe gereret; tunc agnoſcat, & declaret Cæſ. Maj. eos inobedientes iam velut ante, & antea velut nunc in privationem, & deſtitutionem omnũ ſuorum regalium & feudorum, ac præterea in bannum Imperii, &c. Et iterum ſub finem: Atque iuxta hæc omnia mandat Cæſ. Maj. omnibus præſcriptis partibus univerſis & ſingulis, ſub obligationibus, quibus illæ Eius Maj. & S. Imperio adſtrictæ tenentur, etiam ſub amiſſione regalium, & feudorum, & evitatione Imperialis banni inferioris & ſupremi, ut tali Cæſareo Decreto in cunctis articulis obedientiam præſtent, & devoveant, nec quid in contrarium agant, &c. Hoc quum pro clave, & fundamẽto habeatur totius cauſſæ, & inobedientia in alterã partem reiiciatur, inde de iure occupatio Epiſcopatus huius facta putatur, ut hinc ſimul urbs Hildeſia talis adhuc vigentis diſſidii in reaſſumptione facta damnum præſens, & occupationem pro maiori Ducis ſecuritate pati cogatur, cui Deus liberationem ſuam ex miſericordia adiiciat, ne penitus ſuis deſtituatur pactis, & privilegiis, ab antiquo fortiter defenſis, & conſervatis.

Sed nunc ad Hildeſienſium vicinos progredimur, ubi ſe nobis præ reliquis offert Hamelium, de qua civitate quidem in parte 3. paucis egimus: attamen heic nunc id pertexendum eſt, quod eius ratio ad curſum uſque huius temporis exigit. Fabuloſum id à quamplurimis habetur, quod de puerorum Hamelenſium exitu traditur.

HAMELA.

SVnt heic, qui eam hiſtoriam ita deſcribunt, quod Anno 1282. in Civitate Quern-Hamelenſi, ad diſtinctionem pagi Hamelenſis illius, ditionem Hildæſienſem attinentis ita dictæ, ad Viturgim, mirabile, & antehac inauditum ſpectaculum acciderit. Etenim pervenit illuc humana in ſpecie vir quidã varij coloris habitu, & toga indutus, qui ſub miſſæ tempore, quum Sacra in templo incolæ peragerent, tibiarum inflatu varias fiſtulationes exercuit per plateas, ubi ſtatim ad inſolitum morem puerorum tenellorum 130. catervatim confluxere, ad virum talem mirandum ſpectandum. Quum igitur centum & triginta tenellos calliditate hac maligna, & incantatione tali ad ſe convocaſſet, aut potius allicuiſſet, ipſe quaſi chorum lubilæum ducens ſecum, prævit. Quocunq; ibat, grex parvulus eum ſequebatur, nihil mali metuens, aut præ ætate inſipida ſuſpicans, donec extra portam omnes elicuiſſet; ubi pergebat confeſtim ad collem, alias maleficantium ſupplicijs, & decollationi deſtinatum, inde nomen Köppelberg, ſeu decapitationis geſtantem. Ibi confeſtim grex parvulus puellulorum, ſubductione quadam ſtupenda facta, ſe amiſit, & nuſpiam amplius comparuerunt præter duos, qui attenti ſubſtituere, ut fertur. Illi dum revertuntur, in via alter eorum mutus, & alter cæcus redditus eſt. Mutus ille, licet nõ quidquam eloqui potuerit; tamen digitorum monſtratione, ad inquiſitionem parentum, miſerabiliter lamentantium, factam, locum abſorptionis oſtendit, ubi ſuos perdidiſſet comites: alter, licet cæcus eſſet, tamen monſtratoris indicationem expreſſis verbis affirmavit, adſeverando nempe, quod monticulus ſuppliciorum faucem ſuam aperuiſſet, & tibicen ille nequam cum ſocijs tenellis heic ſe abdidiſſet præeundo, quaſi Dux omnium fuiſſet.

Terribile hoc, & ſtupendum factum adeo parentes conſternavit, ut lacrumis diu præ nimio dolore ſe exſaturare non potuerint, tandem in rei, & ſolatij memoriam ſui, æternum ita conſtituere monumentum, ut etiam in feneſtris templi depingi hanc hiſtoriam curarint, velut ſupra dictum eſt, ac pro maiori fide veritatis huius, poſteris relinquenda, Conſul Urbis, quem Poppendikium vocant, in feneſtris ſuperiori tempore hiſtoriam talem pictura renovari curavit. Antequam autem Quernhamelium hoc urbis nomen ſortiebatur, & adhuc pagum determinabat, quum Epiſcopatus Mindenſis tum ditioni accenſeretur, natus eſt ibi vir Sanctus Vi elinus, qui præceptorem aliquandiu Scholæ Bremenſis egerat, ac inde cum Thietmaro profectus erat in Galliam, ubi ulterius vixit in pietatis ſtudiis ſub Rudolpho, & Anshelmo: Poſtea ſe Magdeburgum ad Epiſcop. Wortbertum recepit, qui illum Paſtorem conſtituit: hinc regreſſus eſt Bremam, & quum ſibi Rudolphum Hildeshæmenſem, ac Ludolphum Verdenſem adſociaſſet, ex iuſſu Epiſcopi Bremenſis Adelberti in Wagriam, ut ait ſcriptum Lubec. Chronicon Reinhardi Coqui, Paſtoris quondam ante an. 90. ad D. Petrum in Lubecca, ad Regem Henricum Wagriæ, Holſatiæ, Dithmarſiç, Kycinorum, Pomeranorum, Rugiç, uſque in Poloniam, Filium Gotſchalchi benigni. paulo ante obitum eius, circa an. Chriſti 1120. ſub Henrico V. Imperat. venit in Veterem Lubeccam, ubi aliquoties ob loci amœnitatem vivere ſolitus erat Imp. Henricus, atq; nunc Schwartovium pagus eſt; velut iſte vir plenus erat dilectionis, & fidei erga Deum, & totus ardebat deſiderio vitæ æternæ erga omnes mortales, ita rogavit Regẽ hunc, ut ipſi in locis populo, & ſubiectis prædicare Evangeliũ de Chriſto liceret, ſi forte, aut proculdubio Deus benedictionem adderet convertendi gẽtes eas à paganiſmo, & Idololatriis Ethnicis.

Rex

Rex ille, qui propter Christianismi amorem adeo multa pertulerat, ut etiam eius causſa aperto, & difficili bello Rugianos, Pomeranos, Boruſſos, Havelberganos apud Smyloviam in ditione Ratzeburgenſi evincere, & ſingulariter à Rugianis Lubeccam liberare coactus eſſet, virum hunc ſanctum cũ gaudio excipiebat cum binis ſociis, quos ſecum adduxerat, atque ipſum Eccleſiæ, templo ſingulariter ad id condito, in veteri Lubecca præficiebat, ubi arx eius regia citra fluvium ſita erat, ut ita ſecure verbum Dei prædicare, & propagare, ipſe eius patrocinium rite gerere, & vir ille ſemper ad eundem in quavis neceſſitate recurrere tuto poſſet.

Rex autem iſte Vandalorum non diu ſupervixit, ſed anno 1122. relictis duobus filiis, Canuto, & Schwentipoldo, qui tamen miſere poſtea ex diſſenſu mutuo ob regni diviſionem, perierunt, mortuus eſt: Unde interea, quum agnati, & ſucceſſores, Pribislaus & Niclotus de regno inter ſe contenderent, & Rex Daniæ Nicolaus ambos principes captivos teneret, aliquandiu coactus eſt Vicelinus cum ſociis binis Bremam reverti. Paulo poſt Epiſcopus Adelbertus, uti Epiſcoporum mos erat, viſitationem Eccleſiarum habuit vicinarum: Atque quum Meldorpium Dithmarſiæ perveniſſet, advenere illuc ſimul aliquot proceres Holſatiæ, rogarant iſti, ut Epiſcopus Vicelinum, qui notus ipſis erat, & pluries in Holſatia Verbum Dei prædicarat, illis concionatorem conſtitueret, in quod conſenſit Epiſcopus, ac ne Vicelinus in prius periculum incideret, præcipuo in proceres, qui Marquardus vocabatur, ita commendavit eum, ut eius eſſet defenſor. S. Vicelinus autem in adiutionem ſibi adſumebat Thietmarum Cantorem Bremenſem: qui ambo ſub initio Wippendorfij, quum & Faldera, ſed nunc Neomunſterium diceretur, habitarunt, ubi monaſterium illud condiderunt, velut & in ditione Haſeldorfenſi Biſthorſtij templum, ſive oratorium erexerunt, ut ſecuritatis cauſſa ibi ſuam Bibliothecam, & ad ſacra facientia ab irruptione Vandalorum tuta adſervarent. Licet Holſati Chriſtianiſmõ eſſent addicti præ aliis vicinis, tamen adhuc in Idololatria Ethnicorum vivebant: ſed quum ſæpius S. Vicelinus & Thietmarus de æterna, & futura vita, poſt hanc mortalitatem expectanda concionarentur, & aſſidue illis reſurrectionem mortuorum inculcarent, in conſcientia quaſi convicti renunciarunt Idolomaniſmo, & ſe conſtantes in dilectione Dei ac proximi, ac fide præſtiterunt. Multi etiam ex Wagria, Plõna, Lutkenburgo, & Oldenburgo ad eos audiendum cotidie veniebant; quippe ex pia, & vere Chriſtiana vita paſſim celebrabantur, ut eo lubentius veros hos ſanctos audirent. Inde quoque Ethnici Vandali eo promptius S. Vicelinũ, eiuſque confratres audire ſatagebant, ut converſio multorum eſſet frequens.

Quum Rudolphus Hildeshæmenſis, & Ludolphus Verdenſis, qui antehac in Veteri Lubecca S. Vicelini coadiutores ſub Henrico Rege Vandalorum fuerant, felicem hunc religionis Chriſtianæ ſucceſſum percepiſſent, adſumebant ſibi Epionem, & Luimundum, & Folcardum, atque Falderam, ſive Neomunſterium ad S. Vicelinum ſe recipiebant, qui tunc apud Holſatos, & vicinas gentes Evangelii annunciationem fideliter propagarunt. Natu maior Canutus Henrici filius Lutkenburgi interfectus erat; quumque eius Frater Schwentepoldus rerum potitus eſſet (cui Holſati rectius favebant) venit ad eum S. Vicelinus, rogavitque eundem, ut de novo ipſi licitum eſſet in Wagria verbum Dei concionari, quod abſque difficultate impetravit, unde iterum in Veterem Lubeccam, quæ regia erat ſedes Schwentepoldi, ſuos confratres Ludolphum & Folcardum miſit, atque ipſe adhuc in Holſatia mãſit. Poſtquam Schwentepoldus à Daſone Lutkenburgenſi nequiter eſſet perfoſſus, nec minus in eius filio Zwinicone, qui ultimus fuit ex Stemmate Henrici, nec diu regnavit, magnum ſenſit religionis Chriſtianæ patronum.

Circa annum 1133. quum Imperator Lotharius Wagriam & Mechelnburgum in feudum Canuto, Viro probo, & cordato, Duci Schleſvicenſi tradidiſſet cum corona regali, & illum Rex Daniæ Nicolaus per filium ſuum Magnum in Femeta plusquam proditorie enecari curaſſet, ut inde à Canuti Fratre Erico evocato ex Bardevico (ubi tunc aderat) Cæſari multum negotii in ſexto eius bello faceſſerent coniurati Vandali, & præſertim Pribislaus eorum Dux, qui tunc in Veteri Lubecca habitabat; Sanctus iſte Vicelinus QuernHamelenſis, cui ferme tota regio, quam per 20. annos peragrarat, erat cognitiſſima, poſt varias conſultationes, ubi arx commoda ad fines Vandalicos non procul ab Albi & Trava fluv. Cæſari Lothario montem aliquem (qui tunc Arlæus dicebatur) monſtravit, ex quo facile Vandalicis populis reſiſtere poſſet. Quod adeo complacuit Imperatori, ut ibi non tantum arcem in ſummitate montis erigi curaret, quam ex Victoria contra Vandalos proprio ſuo nomine montem Victorioſum, ſeu Victoriæ ſuæ, Germanice Siegesberg dixit, & hodie adhuc Segeberg iuxta Saxonicam linguam vocatur; ſed etiam, ut eo rectius Vandalos ſub iugo contineret, præcipuum inter miniſtros ſuos, & fortem virum Hermannum arci huic præficeret. Vandalos hoc ita acriter mordebat, ut in S. Vicelinum, quem Virunculum calvi capitis vocabant ex contemptu, pro indignantia omnes quidem iræ, & odii effundere perſecutiones expeterent, præſertim quum à latere eſſet Cæſari; ſed Imperator Hermanno ſuo mandabat, ut non ſolum defenſorem S. Vicelini ſtrenuum ageret ſemper; ſed quoque in rei huius memoriam Monaſterium ad radicem montis ſub arce ibidem erigeret, cui ſex pagos adſignabat, præficiendo ſimul illi Sanctum Vicelinum.

Iſte vero vir Sanctus confratrem ſuum Thietmarum ibi presbyterum effecit primum. Poſtea etiam per Dei gratiam hoc obtinuit, ut ipſe Pribislaus, qui alias acerrimus Chriſtianorum extiterat perſecutor, ipſe converteretur, qui etiam ad petitionem factam Vicelino hoc conceſſit, ut plures in Wagria Verbi Dei prædicatores ordinaret. Inde præſertim in Veteri Lubecca conſtituebat Ludolphum, Hermannum, Ludimandum, & Brunonem prædicatores. A morte autem Hermanni, Imperator Lotharius Segebergam cum eius ditione in feudum tradebat Marchioni Alberto Urſino, maxime in eum finem, ut patrocinatorem religionis ageret ad nutum Sancti Vicelini. Is enim Cæſari ſuo omne fundamentum crudelis, & horrend[illegible]

dololatriæ gentium Vandalicarum cum ceremoniis sanguinolentis sacrificiorum explicarat, ut inde ad singularem curam huius regionis Imperatori habēdam excitasset. Quippe gens hæc atrox & perversa erat, Mammonique ita arcte dedita, ut non tantum animalia ex porcis, felibus, canibus, tauris, capriſq; mactarent in sacrificiis suis Diabolo, sed etiam homines; potissimum se oblectabant in Christianorum sanguine, quos undique ad id persequebantur acriter, ut eo opimiorem quasi bolum Satanæ in iis offerrent. Maxime in Lubeccanos, & Bardovicenses suam coniecerant clancularian captandi astutiam, ut iis in hoc scelerato proposito frui possent, inprimis, quum omni populo hoc persuasissent sacrificuli barbari, quod pax & tranquillitas non posset rectius secura acquiri, nec gratior esset voluptas Idolis suis, quam si ex dote sanguinolento Christianorum afficerentur, quum eorum extinctio hostiam Diis suis gratissimam præberet.

Ex istis caussis commotus est maxime Imperator Lotharius, ut non tantum de securo loco arcis Segebergianæ sibi, & suis prospiceret subditis, sed etiam inter Albim & Travam excursiones, & hostilitates avertere, hostesque reprimere rectius, ac Lubeccanos Christianos commodius defendere, religionemque de Christo ulterius propagare posset. Quū vero Vandali hunc finem & scopum, ob quem arx hæc esset condita cum Monasterio, observare inciperent, indignantissime quidem id ferebant, attamen non poterant rem factam infringere; sed potius obstupescebant ad hoc, quod locum hunc tam alte præ aliis eminentem, nunquam recte ad oppotunitatem hanc observassent, detestabantur simul cum fremitu & furore monstratorem huius loci. Alii sibi, & vulgo persuadebant, quod Diabolus ex Norvegia montem huc transportasset, velut eiusmodi nugas sacerdotes profani simplici populo, qui facile decipi in falsis se sinit, non verebantur imprimere, & quasi rationibus sine ratione confirmare. Unde fabulosissima hæc fallacia in tale proverbium usitatum abiit, ut etiam ad posterorum posteros permanarit: Rapina quam bona est, aiebat ille, qui montem Victoriæ prodebat. It. Diabolus adhuc sub monte Victoriæ sepultus iacet. Ita Vandali Monasterium, ad pedem montis conditum ad S. Vicelini inventum, nominitabant. Quin etiam sic incusabant simul suam inertiam, & ignorantiam, quod non citius hoc animadvertissent, velut quoque non abs re est, quod devastatio, & depopulatio huius regionis tam diuturna, & enormis fuerit, ut propterea demum Comes Adolphus coactus sit Colonos ex Hollandia, Brabantia, Frieslandia & Westphalia in posteriotibus temporibus evocare, & accire. Sed & hoc est proprium filiorum tenebrarum, ut id, quod Christi & Lucis est, tenebras meras, & diabolicum dicanti ita clamabāt diabolizati Ethnici, quum fidei lumen incenderetur primum in istis locis, quasi ipse Diabolus adventaret, quum malorum nemo id esse velit, quod intus & in corde est, propriam trabem in oculis non cupiens cernere.

Curam autem Holsatiæ quum altiorem secum Imper. Lotharius foveret, Anno 1135. redibat illuc, visum, quomodo ordinationes eius ante biennium factæ succederent, ubi simul S. Vicelinus laetum se eidem sistebat, de omnibus referens, quæ necessaria erant. Ideo Imper. illi Episcopatum eius loci adsignavit, & Duci Pribislao imposuit, ut tranquille viveret, & Vicelinum hunc, nec minus Ecclesiam Veteris Lubeccæ in fideli protectione observaret. Anno 1138. quum vero dem suum obiisset Imper. Lothar. inter principes Imper. diversæ ortæ sunt controversiæ, & ex iis bella: velut & in Ducatu Saxon. hoc cernens Dux Pribislaus, quod Proceres Germaniæ inter semetipsos occupati essent, nec curam haberent eius, ut voluit, temporis commoditate, pro vindicatione ditionis Segebergensis. Coegit itaque satis firmum exercitum, & in Holsatiam quidem cum Lubeccanis suis fecit irruptionem; combussitque oppidum cum Monasterio Segebergensi, sed arcem in potestatem suam redigere minus potuit. Hæc infidelitas Pribislai suam mox invenit pœnam à Deo. Etenim non solum Henricus à Badenwide cum ingenti exercitu Holsatorum, & Stormarensium irruit in Wagriam, & usque ad mare Balthicum omnia vastavit penitus; sed etiam paulo post ex familia Critonis Dux quidam Caerios, quem alii Catzium dicunt, cum magno numero navium Travam ingressus est, veteremque Lubeccam oppugnavit, cepitque.

Quum vero non inveniret Ducem Pribislaum, arcem eius loci cum domibus funditus subvertit. S. Vicelinus igitur cum reliquis fratribus coactus est ad arbusta confugere, secumque nocturno tempore subduxit illos Neomunsterium, ubi per aliquot spacia pie vixerunt. Interim quoque se versus Pomeraniam Pribislaus receperat. Dux autem Holsatiæ Adolphus 2. diruta Veteri Lubecca, occupavit Anno 1139. universam Wagriam. Ne vero ea regio suo destitueretur principali ornamento, ex Veteri Lubecca novam meditabatur Urbem. Locum igitur huic inspectione habita terræ circumiacentis, inter Travam & Wakenitzam, ubi olim Critonis arx demolita sita fuerat, locum ipsi ex Veteri Lubeccæ nomine deputavit novam Lubeccam vocando. Wagria vero Holsatiæ hinc incorrupta mansit usque in hunc diem, quum ex eo ratificatio Cæsaris, propter fidelem adsistentiam, quam Imperatori Lothario hisce in oris contra Vandalos præstiterat, accesserit. Sed ad S. Vicelinum Hamelensem pergimus; is tandem Anno 1148. ad Episcopatum Oldenburgensem in Wagria evectus est, quem locum pie reparavit, ubi & in summa desolatione hominibus non exiguo fuit solatio, plurimosque fideli prædicatione verbi cælestis animos in fide ad Christum erexit: sed propter senecturem assecutam ultra quinquennium in vivis superesse non potuit. Obiit igitur vir summe pius & Sanctus Vicelinus pridie Idus Decembris Oldenburgi An. 1154. in cuius locum electus est Geraldus, cuius auxilio ferme eodem anno, dum ita accresceret nova Lubecca condita, ex Oldenburgo (quæ alias celebris civitas ad mare sita, & Imperialis fuerat) Episcopatus translatio versus Lubeccam facta est, licet alii eam ad annum 1163. referant, ut postea quoque notabitur, quod potius de consummatione erecti templi Cathedralis intelligendum videtur.

Huius viri Sancti Vicelini tam sedulam mentionem, ex historiis variis collectam, facere hic voluimus, quum tot eius merita, indefessi labores, & pericula,

cula, quæ in nominis Christi, & Verbi cælestis propagatione, tam duriter peracta, constanti, & infracto animo pertulit, cum debita memoria sint celebranda, ac eius laudes in Patriam quoque Hamelẽsem Urbem merito recidant, quod tam nobilem ex Dei gratia progenuerit Christi ministrum, & lectatorem. Commoditas autem situs Quernhamelæ fecit, ut ipsi prima syllaba pagana, ob distinctionem alterius pagi ablata, & in civitatis formam à Duc. Brunsvic. postea sit translata; unde ab eo tempore, quo ab Episcopatu Mindensi ad Brunsv. Duc. transiit, semper Hamela sit simpliciter appellata. Sed tamen fatum hoc importuosum tulit, ut circa an. 1432. in dimidiatam divisionem cum Ducatu Brunsv. & Episcop. Hildesiensi incideret. Etenim quum circa ea tempora supra modum studio prædationis nobiles passim per Saxoniam, & Westphaliam se dedissent adeo, ut ad ignem hunc restinguendum Principes nõ sufficerent: Magnus Episc. Hildes. & Dux Sax. Angar. qui alias divitiis præpollebat, ac fortẽ agebat militem, sibi adsociabat Duces Brunsv. præterea Ottonẽ, Bernhardi filium, & Wilhelmũ seniorem, nec non Episcop Halberstadiensem cum civitatibus Goslaria, Brunsviga, Hildesheimio, & Gottinga, ipsorumque ope expugnabat Prædonum arces, in quarum numero erat Widelagia, Lutteria Barnbergica, aliæque vicinæ. Inprimis adsistebat Duci Wilhelmo, ut infideles suos nobiles ad Visurgim sub iugum suum revocaret, quum infrenatissime viverent. Præ reliquis hoc laudabile huic Duci præstitit, ut ditionem suam recuperaret, quam ipsi infidelis eius frater Henricus, quem alias pacificum dicebant, auxilio Brunsvicensium in absentia eius eripuerat. Etenim an. 1431. quum Dux Wilhelmus in Austria suum visitaret affinem Friderichum ac interim administrationem provinciarum cum cura cõiugis, & liberorum fratri huic committeret, atque ex ea occasione ad postulationem Regis Galliæ cõtra Carolum Ducem Burgundiæ exercitus regii Imperatorem ageret, fortiter Burgundium expugnando, interim Henricus Brunsv. ex instinctu aliorum, & maxime Civitatis Brunsv. (quam mordebat valde, quod huic agnato suo Ottoni Duci utrumque Ducatum, Lunæb. & Brunsvicensem mera vi, & iniuria ad cessionem sibi extorsisset) fidei fraternæ oblitus, non tantum armata, quasi iure talionis, manu occupabat omnem, & totam fratris possessionem, sed etiam sub specie amicitiæ ex arce Wolferbytana coniugem Wilhelmi cum liberis expellebat, nil curans lacrumas, & preces miserabiles tantæ Ducis.

Quum igitur reverteretur Dux Wilhelmus senior, licet esset bellicosus, tamen omnia media pacis tentabat prius; sed nil hoc conatu effecto, in adiutione ipsi adfuit primaria Magnus ille Episcop. Hildesiensis cum Episcopo Iohanne Halberstad. Archiepiscopo Gunthero Magdeburg. Comitibus Honstein. Stolberg. & Regensteinensi. Civitas autem Brunsv. adstitebat Duci Henrico, & ex Magdeburgo simul ipsi conscribebant milites, ut inde ingẽs devastatio regionis illius, nec minor conflictus exoriretur, donec tandem Ludovicus Landgravius Hassiæ, Dux Lunæb. Otto, & Iohannes Marchio Brandeburgicus, ita se interponerent, ut prius fieret armistitium. Hinc Dux Wilhelmus tuto se S. hominem conferre potuit: Postea lis ita composita est, ut Dux Henricus fratri suo 14000. florenos in redemptionem belli solveret, ac sibi Wolferbytum reservaret, ad dies vitæ, qui usque ad annũ 1473. excurrebant, quum exspes esset hæredum: Duci vero Wilhelmo relinquebatur Dominatus Homburgensis, Calenbergensis, cum Hannovera, ubi & hoc tunc pacisceabatur ut ab obitu Ducis Ottonis monoculi Ducatus Gottingensis Successor esset solus.

Expensarum autem rationem huius belli quum Episcop. Hildesh. Magnus potissimam pertulisset, præter id, quod mutuo dederat Duci Wilhelmo, nec is solvere tam ingentem summam posset, in hypothecam Episcopo dicto cessit Arzeniam, Grondam, Osenam arces, similiter Urbem Hamelensem ad dimidium, & dominatum Homburgicum itidem dimidiatum, nempe Leosteinium, Hallerburgum & Bodenwerderam, donec ipsi sumptus bellicos ad 30000. florenos aureos refunderet. Ex quo Episcopus cum Duce in fida semper amicitiæ coniunctione, quamdiu superstes fuit, vixit; ut refert hoc iterũ Buntingus egregie, qui ponit dimidiatim Hamelam & Homburgum Episcopo plane ob adsistẽtiam à Duce donatum esse, ut tandem Dux Henricus Iunior in anno 1521. Hamelam iure belli recuperarit, quum tamen ius proprietatis semper integrum in ius Domui Brunsvicensi manserit. Sed Hamelensi urbi quoque famam olim amabilem peperit conventus Principum aliquot, & Civitatum, qui ibi An. 1486. ad complanationem belli, inter Episcopum Hild. Burchardum de Landsberg, & Ducem Henricum sen. per biennium agitati, cõvenere ex instinctu Bugislai, Ducis Pomeraniæ. Hic enim, ut paulo ante dictum est, domum ex Megapoli duxerat Henrico sororem suam, quum bellum ad ferveret satis rigide degebat tunc hospitando forte Bodenwerderę, quũ compositionem ab utraque parte urgere, & homines ad meliorem mentem retrahere conaretur. Utriusque partis igitur consensu factum est, ut Hamelæ tentamen subiretur, quousque transactio posset invenire locum.

Quare Hamelam venere Episcop. Mindens. Comites Schaumburgici, Diepholdenses, & Lippienses, ac Civitatum Confœderati; velut etiam Episc. Hildesh. & Dux Brunsv. Wilhelmi filius Henricus. Post multos, vanosq; discursus & disputationes, tandem præparatorie pro placito utriusq; partis talis est cõcepta protectio pacis futuræ. Post Christi nostri Salvatoris partum An. 1486. die decollationis Iohannis Baptistæ, convenerunt, & hospitarunt Hamelæ ad Visurgim sequentes Domini, nempe per Illustrẽ, & excelse natum Principem ac Dom. Dn. Bugislaũ Stetini, Pomeraniæ, Cassubiorum & Vandalorum Ducem, Principem Rugiæ, Comitem Gutznovien sem, &c. & excelse natam Principem Dom. Annã, ex stirpe Nassoviorum natam, Ducissam Brunsv. & Luneb. Comitissam Catzenelbogianã, mediatores Reveren. in Deo patre Barthold. Episc. Hildesh. & illustris, excelleq; natus Princeps ac Dom. Wilhelmus, & eius filij Dn. Henricus, & Dn. Ericus Brunsv. & Lunæburg. ex una parte, ac Reverend. in Deo Patre Dn. Henricus Episcop. Mind. & nobiles ac bene nati Domini Ericus, & Antonius fratres Comites Holsatiæ, & Schomburgi, & Iunckerus Bernhardus nobilis Dominus Lippæ ex altera parte, atque pre dictos mediatores de plena, & irrevocabili pace ordi

locuti ſunt, nec non eam concluſerunt cum ambarũ partium ſcientia, & voluntate ob omne diſſidium & litem, quam inter ſe uſque in hunc diẽ geſſerunt, in hodierno die, ſine omni exceptione, iuxta modũ ſequenter præſcriptum, atque ita, quod nominati Principes Brunſv. & Lunæb. Pater & filij excelſe natæ Principiſſæ Dn. Friderici coniugi arcem Seſenam cum iuriſdictione, ſeruitutibus, & aliis pertinentiis, armentis vaccarum, & ſuum gregibus, oviumque, piſcationibus, agriculturis, ac decenti ſuppellectile, ad primum inſtantem diem feſtum Paſchatos abſq; mora in dotalitij poſſeſſionem, conſervationemque tradere velimus, & debeamus.

Atque prædicta Principiſſa omnes frumentorum & pecuniæ cenſus, ac proventus ſingulos, qui ad dictam arcem Seſenam ſpectant, quotannis in uſum ſuum transferet: frumenta tum in cenſuram pecuniæ veniant, nempe modius Brunſvicenſis tritici, ſecalis, farragnis, & hordei pro Rhenano aureo cenſeatur, Avenæ autem modius Brunſv. pro dimio floreno. Et ſi ſic quid ſit defuturum, quo minus frumento hoc, & pecunia cenſus 500. florenorum poſſit adimpleri, tunc debent, voluntque prædicti Principes Brunſv. & Lunæb. illi Principiſſæ tantum in iuriſdictione cum pertinentiis Helmæſtadienſibus, atque Sylvatica plura Forſtgelt Seſenſi adijcere, ut quotannis 500. florenipſi integre perficiantur. Præterea ad id debent & volunt Principes Brunſv. proxime futuro die S. Michaelis 250. Rhenanos flor. exhibere, & ſolvere pro dotalitio, & reliquam ſummam deinde ad proxime ſequentem Paſchatos diẽ, & ſic ſemper, uti ſupra ſcriptum eſt. Quod ſi autem à Ducis ſui Friderici morte ſuperſit (quod Deus iuxta divinam ſuam voluntatem ordinet) & eius relicta vidua non poſſit in hac regione tolerari, aut ipſa exea cedere cupiat, tunc debent præcelſe dicti Principes illi 1000. Rhenanos aureos flor. perſolvere in una ſumma, qua ipſi in totum ſatisfactum erit. Atque in huius rei firmitudinem debent Principes Brunſv. ipſi, & eius conſanguineis, Epiſcopo Oſnabrugenſi, Comitibuſque Rithergenſibus intra duos menſes à dato huius receſſus, cautionem certam fideiuſſoribus & obligatis dotalitii litteris præſtare, in omni modo, uti eius maritus Dom. Fridericus ipſi dederat, ſi tamen id dominis Brunſvicenſibus conſultum videatur. Atque ſi in Dom. Friderici litteris nominati eſſent fideiuſſores, & mortui, aut obſignare eas nollent, aut nequirent, tunc alii ſufficientes ſubſtituantur, & ſubordinentur Quemadmodum etiam præcelſe dicta Principiſſa arcis ac domus Seſenæ agros in frumentis conſtitutos inventura, atque libere adſumptura eſt; ita quoq; bene frumentatos & ſeminatos retro tradet.

Porro quod ſpectat ad lytron, quo ſe comes Rethbergenſis liberare, & redimere ex captura debet, ita tranſactum eſt, ut dictus comes Epiſcopo Hildeshæm. & Duci Henrico 1400. bonos, & communi uſui aptos Rhenanos ad redemptionem ſuam ſolvat; Atque hæc pecuniæ ſumma Calenbergij in tempore, & die, quando Dom. Henricus captivum comitem Comiti Schawenburgico tradet, ſolvi & exhiberi debet. Quum igitur Rethbergico, & eius cognatis prædictam pecuniam ſolvere voluerint, tunc quatriduo prius id Duci Henrico Calenbergii annunciabunt, atque tunc Dux Henricus tenebitur comitẽ Rethbergenſem in finibus ad terram Schõburgicam, ad ſpeculam Buckentalienſem verſus Roſtium rurſus ſiſtere, extradere, atque illum libere ſine mora tuto dimittere, neq; illi in ullo vel Epiſcopus Hild. nec eiuſdem miniſtri, aut ſubditi, neque ulli alii ipſorum nomine, impedimento aut obſtaculo erunt. Ac quomodo ſolutio dictorum 1400. fl. Calenbergij facta eſt, tunc debet, ac vult Comes Rethbergenſis Epiſcopo Hildeshæmiæ & Dom. Brunſv. & Lunæb. omni illorum terræ, & ſubditis, atque omnibus, qui ad eos pertinent, univerſis, & ſingulis (exceptis Civitatibus, quibus iam cum Epiſcopo Hildeshæm. & Princ. Brunſv. & Lunæburg. quid rei & controverſiæ eſt) relaxationis promiſſum manu & ore, atque loco iuramenti dare, nec nõ in rei fidem ſigillum, & litteras edere, quibus ſe obligabit, quod neque ipſe, neque eius hæredes, neq; quiſpiam alius eius nomine Epiſcopo Hildeshæm. aut Principibus Brunſv. vel eorum ſubditis, terris aut populis, in futura tempora, quid culparionis adiecturus ſit neculterius in hac cauſſa, quod captus, & ad reluitionem adactus fuerit, tentare velit. Præterea tranſactum eſt, quum Iunckerus Ericus Schõburgicus Principes Brunſv. ob damnum perpeſſum allocutus ſit, quod ex captura Domini Friderici in reluitione eius ac epit pro ſua parte, ut inde velit, ac debeat Dom. Wilhelmus 1000 flor. aur. in terminis 5 annorum ſolvere, nempe ad futuri anni diem Michaelis, quando numerus 1487. ſcriberetur annorũ; debent 200. Rhenani autem ſolvi, & ſic ad ſequentis anni diem Michaelis 200. Rhen. flor. ſolventur, ac deinceps tam diu. donec ille pro damno dato millenorum aureorum ſatisfecerit huic, quod præciſe ſervabitur: ſed debet etiam Comes Ericus Principi Brunſv. ad acceptam pecuniam ſufficientem quietantiam exporrigere.

Interim pro dictis iam 1000. flor Dux Wilhelmus ex ſe, & hæredum ſuorum nomine ſufficientes Comiti Erico, & ſuis hæredibus fideiuſſores præſtabit una cum litteris, & obligationibus, intra 2 mẽſes proxime ſequentes, tamen ita; ſpacio 2. menſium diem & locum certum denominabunt, ad quem Principiſſa Lunæburgica pervenire poſſit, ibi Dominus Wilhelmus in propria perſona Iunckero Erico Schomburg. dictos 1000. flor. certificare tenebitur, & obſignare, uti ſupradictum eſt. Ac quum 1000. floreni omnes perſoluti fuerint, tunc Iunckerus Ericus Principes Brunſv. quietare, ac illis ſua ſigilla cum litteris reſtituere debebit ad proprias manus. Etiam propter homagium cum Wunſtorfio Epiſcopo Mindenſi & Dominis Brunſv. præſtandum, ita concluſum, ut iuxta tenorem pactorum à Maioribus & parentibus factorum: ſic & prædictus Epiſcopus Mindenſis, eius Capitulares Domini, ſpirituales & mũdani, & communes alii ſubditi; poſthac ſemper, velut & Epiſcopus in ſuo Presbyterio ſupra montem ante Hildeshæmium. & qui ad eum ſpectant in bonis ſuis, à prædictis dominis, aut eorum præfectis non onerabuntur, ſed imperturbati in ſuis iuribus manebunt. Sic etiam omnibus ſubditis prædictorum Dominorum, tam ſpiritualibus, quam mundanis, ſi cuiquam quid ab hæreditate, aut proprietate ſua ſubductum, aut ſubtractum ſit (modo in hac diffidatione non ſit combuſtum, aut alias plane perditum) tranquille abſque ullo impedimento in de-

in debitum ſuum locum reſtitui debet; ut unuſquiſque (omnimodo, velut antea factum eſt) integre fruatur, utaturque: nec quiſquam Dominorum ulli quid impedimenti obiiciat, aut id fieri per alios ſinat. Porro in Colloquii placitum venit, ut prænominati Domini, & Principes, Dn. Bartold. Epiſc. Hildesh. Dux Wilhelmus, Dn. Heinricus, & Dn. Ericus eius filii ſimul obſignare debeant Epiſtolam, ſingulariter ſcriptam, atque ſic ingreſſum facere ad cõtractum, velut prænominati Domini cum aliquot aliis Domiais, in pacto nominatis, cum Principe Brunſv. in unione ſedentibus, inter ſeſe conſcribendo fecerunt.

Atque hæc obſignatio ſpacio duorum proxime ſequentium menſium, à dato harum litterarum, abſolvi, & perfici debet. Hiſce ita, uti ſupra deductum eſt, prædicti Domini, & partes diffidationem, quæ inter illos viguit, deponere debent, & omnia gravamina, quæ inter ſeſe mutuo geſſerunt, penitus ad perfectum finem abolere tenentur ita, ut nemo eorum erga alium ad ſe invicem ex hac cauſſa amplius quid litis, aut actionis retineat: ſimiliter illorum qui ſunt, ac omnes, qui una cum illis, aut ipſorum cauſſa ad talem diffidentiam pervenere, vel etiam, qui à partibus utriſque in ſuſpicionem aliquam inciderint, aut illis inſervierunt, ſuam habeant oblitterationem: ſic & univerſalis erit amneſtia omnibus & ſingulis, ut nulla eius amplius mẽtio fieri debeat, quodcunque tempore diffidentiæ factum, aut peractum eſt uſpiam verbis ullis, aut facto, & opere. Tũ quoque omnes captivi, ſive ſint equites, cives, pedites, aut ruſtici, abſque lytro, & pecunia reluitionis ullius debent dimitti, ſint ex captivis, quicunque velint, etiam obligati, omnes libere, abſque onere ullo, ſint liberi, exceptis iis, qui una cũ Comite Rethbergico proſtrati in cuſtodiam inciderunt.

Etiam in hoc pactum ſimul referri debet Epiſc. Padebornenſ. Iunckerus Iuſtus ab Hoya, Iunckerus Rudolphus à Diepholt: Tum Domini omnes ſuos ex civitatibus ſibi repoſcant, & avocent, quæ adhuc Epiſcopi Hildesh. & Principum Brunſv. hoſtes ſunt. Quod ſi vero non veniant, quiſque avocatorum ſuum ſubeat periculum: atque ſi interim ita viſitentur militariter, id dominis, ſub quibus poſſeſſiones habent, non erit adverſum. Etiam in hac reconciliatione, tranſactione & pace comprehendantur ſi velint, Epiſcop. Oſenbrug. & Dom. Henricus Dux Grubenhagenſis. Quod ſi vero ſimultaneis aut ſingulis id non complaceat, licitum ipſis erit, ut intra 14. dies Iunckero Lippienſi renunciationem indicent, qui ulterius id Epiſcopo Hildesh. & Principibus Brunſv. ut noſcant, annunciabit. Quod igitur omnes præſcripti puncti, & articuli à nobis Dom. Bugislao, & Marita Anna, &c. inter partes prædictas cum ſcientia & conſenſu earum pertractati & pronunciati ſint, in eius rei fidem, & veritatis atteſtationem noſtra ſigilla ſub hoc ſcriptum, & Receſſum apponi curavimus. Atque nos Dom. Bartholdus Epiſc. Hildesh. & Dn. Heinricus Senior Dux Brunſv. & Lunæb. pro nobis, & loco noſtri parentis, ac fratris ab una; ac nos Dn. Heinricus Epiſc. Mindenſ. Ericus & Antonius fratres Comites Schaumburg. Bernhardus Dn. in Lippa pro nobis, & loco eorum, quorum intereſt nobiſcum ab altera parte, confitemur omnes aperte in univerſum, & ſinguli, quod præcelſe dicti Principes, & Principiſſæ, prænunciatum contractum, & compoſitionem, iuxta noſtram iuſſionem, voluntatem, & conſenſum inter nos pertractarint, concluſerint, & pronunciarint: Quod tranſactionis pactum nos quoque ſemper, & conſtanter infrangibili modo integri ſumus ſervaturi in fidelitate, & bona fide; in cuius rei teſtimonium noſtra ſigilla ſubſcripto huius receſſus, quotũ quatuor unius ſoni, & tenoris confecti ſunt, appoſuimus; quorum duo apud partes & duo apud Interponentes depoſiti ſunt: Datum in anno, & die, uti ſupra eſt poſitum.

Quum ita Dux Pomeraniæ Bogislaus tranſactionem hanc inter partes, fervide diſſidentes, confeciſſet, & ad placitum eorum redegiſſet, atque in tempore diffidentiæ huius, quamdiu rebus tumultuoſis interfuerat, ferme ad 100. equos perdidiſſet, cum reſiduo comitatu reverſus eſt in Pomeraniam. Interim tamen, & ſub eadem nocte, quum vix tranſactio hæc Hamelæ confecta eſſet, civitatum 4000. equites ex Hildeshæmio, & Hannovera irruptionem in Neoſtadenſium fecerunt prætecturam, ibidemque omnes expoliarunt pagos. Civitatum Capitanei erant Iacob Schumacherus Lunæburg. Henningus Brandes Hildeshæm. Iohan à Dransfeld cum Thilæo Wolfio Gottingenſes, & Henricus Ernſtæus Eimbecc. licet milites ex Neoſtadio hos inſequerentur, tamen Alwinum à Mundesloe, una cum 80. captivis, & 10. civibus Neoſtad. ſecum Hildeshæmium abduxerũt. Tales adhuc Velitationes, & mutuas infeſtationes exercuerunt cotidie, uſque ad defatigationem nimiam, ut tandem ſuam ratificationem, cum novis pactis Hildeshæmii in novo conventu die Mercurij poſt Luciæ cod. an. 1486. adieerint, & plenaria complanatio pacis facta ſit. In hoc eriam tumultuoſo, & inteſtino Germaniæ bello, aliquot ſat tragicas vices Hamela ab an. 1625. hucuſq; ſubiit, quarum omnem non bonum, & urbi huic, & ipſi negotio infauſte ſuſcepto, & cunctis intereſſentibus ſtatibus Regis Danici Chriſtiani 4. lapſus plane obſtupeſcendus tulit. Etenim poſtquam ultra biennium ferme perocculum hoc eſſet actum, ut Regis nutui in circulo Saxon. res poſſet accommodari, velut aliquot Circulares conventus præter ſolitum frequenter habiti erant, in hunc finem, quaſi alia intentione per obliquum tendentes.

Affectatione tali, ſat artificioſe peracta, hoc obtentum eſt optatum diu, ut Chriſtianus Epiſc. Mind. & Dux Brunſv. & Lunæb. ſolemniter Imperatoris Circularis munus, quod per undecim annos laudabiliter geſſerat, ſolemni quaſi abdicatione ob adiecta ſubreptitie ipſi gravamina, inſcius cui, reſignando deponeret, velut eius Apologia, id monſtrans, publice extat. Unde & Rex Sueciæ Guſtavus Adolphus cum clancularia oblatione magni ſuccurſus, ſe itidem ad tale munus illuſtris potentiæ per ſingularem, in ſecreto miſſum, ſe offerebat. Sed cauſſa quũ potior favori Regis Danię cederetur in ea electione, cum appetitu in vindicationem rerum magnam itũ eſt, velut & cum prolubio ſuſceptum erat. Hæc fera fertur amata ſuper venabula ſaltu, ait Poeta: atque Saltus in Saltum non omnis felix, licet non cæco ſæpius fiat modo, uti eſt in proverbio. Nec in bellum ſaltu proruẽdum. Tamen ut ſunt caſus humani varij, ſic etiam tunc evenit Hamelæ. Quum enim Rex

Lawenburgi confœderationem cum Principibus Saxon. infer. An. 1625. 27. Martij iniiſſet, quod Circuli huius Imperatorem agere vellet, appropinquabat forte per Haſſiam Cæſaris Ferd. 2. Generalis Tillius Ducatui Brunſvicenſi. Ideoque approperabat Rex, utà Duce Frideric. Ultico ſelectos ad militiam ſubditos eius ſibi adſciſceret; qui tamen tunc, certis ex cauſſis, uti facile coniici licet, dimittebantur. Quippe non omnes æquali conſenſu in hoc conveniebant, ut alterius diverſum reſpectum, quum intentio non eſſet conformis cum elocutis. in ſeſe trâsferrent. Quare inſultus in cauſſæ opportunitatem, aut importunitatem ſe ſtatim à principio declaravit.

A t 6. Iulij ait Cluver. in epit. ſu. m. p. 879. decimò poſt die luſtraturus excubias Rex, incurioſius in vallo obequitat, ignarus, foveas ibi latere adſervandæ rei tormentariæ, aſſeribus contectas patum ſolidis. Harum unam calcaribus equus ſimiliter imperitus, inſilit, ruptaque tabula, decuſſus præcipitem ſecum Regem 19. pedum ſpacio in ſubiectam foſſam rapit. Suffocato vero equo, Rex poſt duas demum horas compertus vivere; ſed toto triduo habitus inter morientes fuit. Quare propinquo hoſte, caſtra verſus diœceſin Verdanam retrahuntur. Ipſe Rex in Niemburgo, quod tunc ab Tilliana obſidione liberatum erat, explicavit, quam plane amotus ab omni ſenſu externo per totum illud triduum, & ſui proſus incompos, fuerit. Viderat etiam antea effigiem Chriſti, quæ ipſi Rotenburgi maturino tempore, quum lecto ſpeculabundus ſuis belli rebus indulgeret; erat miſerabilis Chriſti facies, qua in prætorio ſe Pilato ſpectandum innocuum cum corona, & multis flagris cæſum, manuque arundinem tenentē, obtulerat, apparuit. Iuſſu Regis vidi Stadæ eam depictam. Experientia rem ad umbilicum temporis iſtius cum damno ſubditorum ſatis deduxit. Hamelam exhinc occuparunt ultra quadriennium Cæſariani per ſuppoſitiones alicuius, cui multum impēderat Rex Guſt. Tranſactione pacis tamen interim Lubeccæ poſt perpeſſam An. 1626. Cladem apud Lutheriam Barnbergenſem cum Rege Dan. Anno 1629. 12. Maij facta, quum ſupplere ex prolubio nō minori, eius locum ſtuderet.

Rex prænominatus Sueciæ Guſtavus Adolphus, & Dux Georg. Brunſv. ad eius partes à Cæſare conceſſiſſet Hamela turſus Anno 1633. ab eodem Ducē Georg. & Exercitu Suecico oppugnata, atque in deditionem eius redacta eſt, ut in ſui Domini antiqui poſſeſſionem iuſtam nunc redierit. Alios autem caſus, qui heic enumērandi eſſent & notatione ſingulari digni, merito ob temporis, loci, & incommoditatis rationem emittimus. Non incomptum autem eſt illius Politici dictum, quo mercatorum, & principum ac regentum comparationem facit, & deponit in avaritiæ, & habendi inexſatiabilem appetitū, uti ēnim illi omnem vim mentis in multam argenti & auti poſſeſſionem coniiciunt; ſic hi in multatum terrarum, & opum, arciumque cum ambitione ut plurimum cæcam extendunt occupationem, atque ea tamen vix exſaturari queunt: Unde & Magiſtratus cuiuſque loci inſuper variat ſub nomine Iuſtitię, & Iuriſdictionis difficultates pro explendo fœnore admodum aſſute ſubordinate nolcunt. Quæ potiſſimæ cauſſæ ſunt, quod mortalitas ſuos proprios ſibi paſſim confingat Deos, quos præ cultura veri Dei nuſpiam ſecum agnoſcunt nec vident. An non hoc Iuſtiſſimus Deus vindicet præ aliis in populo, qui fide Chriſtiana ſe magnum, & excelſum iactitat? Sic ille, &c. Dehinc vero nunc ad Hannoveram vicinitatis eiuſdem urbem progrediamur pro temporis & commoditatis exiguæ ratione, ut ſaltem paucis quoque heic attingamus, quę ad eius loci occaſionem faciant.

HANNOVERA.

LAudem non exiguam conſtantiæ vitilis Hannoveræ hæc à primis uſque incunabulis ſuis perpetua vice apud maiores meruit, nec in ea parte, quę aliquot annis ipſi plane ſingularis ſemper huc uſque fuit in educatione iuventutis, ab anteceſſoribus ſuis turpiter excidet. Ptolomæo etenim non fruſtra notam & egregiis ex factis claram fuiſſe hanc urbem recte notat Surius, in Theat. ſuo Urb. p. 281. qui Leuphanam dictam tunc autumat, ab eminentia ea proculdubio, quam apud Leinam præ reliquis habuit locis, ut etiam ex prima origine ei antiquitas longe maior debeatur, quam vulgares referunt hiſtorici. Quippe Ptolomæus iſte ſub Antonino Imperatore circa An. Chriſt. 141. maxime floruit, ut hęc laus & gloria ipſi debeatur, quod conſignationem 887. annorum à Nabuchodonoſoris principio, uſq; adiſtum iam dictum annum nobis liquide in ſupputationibus conſervarit; Cornelio Tacito circa 40. annos poſterior in hoc ſcriptionis genere de Germanis fuit. Patet ita quod illi à ſcopo veritatis non ita aliena dixerint, qui claritatem aliquam ab antiquis ſeculis huic urbi tunc, quum adhuc parvum exiterit oppidulum ex incolarum maſcula animoſitate adſcribunt ſub Comitibus de Lawenroda, quorum aliquis nomine Cunradus Comes Lawenrodenſis Anno 1114. Cœnobium Worderanum, non procul ab Hannovera diſſitum erexit. Quamvis Comes iſte tres reliquerat filios, tamen quum familia hæc temporibus Henrici Leonis Ducis Brunſv. extincta penitus eſſet, oppidum hoc Dux ille in ſuam poteſtatem circa Annum 1156. redegit, & ei munitione nova formam urbis adiecit, ut tandem Anno 1171. perfectionem ſuam acceperit; Lawenroda Arx autem in colle ſita erat, non procul ab ea urbe ita, ut ſubterraneus meatus ex arce in civitatē pateret inhabitantibus, quod civibus nō levi fuit oneri: tamen hanc moleſtiam per ducentos ferme annos tolerare coacti ſunt. Interim quum Anno 1182. Imperator Fridericus Barbaroſſa Henricum Leonem banno Imperij ex invidia pulſum ferventiori bello perſequeretur, eiuſque arces hiſce locis vicinas, nempe Lutenbergam, Woldenbergam, Lewēburgum & Planckenburgum expugnaſſet, tantumque exercitum tandem ad Hannoveram perduxiſſet, eam Civitatem vi occupavit, & plurimas exuſſit civium ædes, ut ſatis miſera eius eſſet facies.

Vix per novennium inclutæ eius urbis recuperaverant vires, ubi ſtatim ab obitu Cæſaris Friderici Henricus 6. Imp. ſucceſſorem eius agebat, quum ſe Henricus Leo fortiter ex urbe Brunſviga defenderet, iterum hoc infortunium paſſa eſt, ut penitus ad iuſtum Imperatoris iracundi exuſta fuerit. Nihilominus ſe poderentin ex adiutione Ducum Brunſvi-

cenſium

censium se recolligere coegerunt, donec se denuo in statu suo confirmarint. Sed tamen interim semper illis ars offensioni erat, ut minus in libertatem possent exurgere. Premebantur servitute varia, donec tandem anno 1571. ubi Albertus Dux Saxoniæ, Ducis Wilhelmi Lunæburgensis ex filia nepos à Carolo IV. Imperatore investituram Ducatus Lunæb. contra Ducem Magnum Lunæb. obtinuerat, ex insperato casu ab afflicto conditione liberantur. Duces enim isti magno concurrebant bello, & mutua erat persecutio, ut hinc de loco tuto sibi prospicere studeret Dux Magnus. Confugiebat igitur ad arcem Lawentrodanam Hannoveræ adiacentem. Verum quum illam Dux Albertus impetu ac vi militum acri expugnaret arcem, expulit resistentes, & cum adiutione Hannoverensium, eam occupavit.

Dux igitur Albertus, ut gratum se illis præberet, dum simul subditorum in novo accessu provinciæ eius favorem quærebat, Hannoveranis concedebat, ut arcem eam funditus diruerent, qui adeo cõfestim alacres ad diu expetitum negotium confluebant, ut nec tempore parcerent inde in diebus festis Pentecostes, & non tantum totam arcis molem penitus destruerent, sed etiam ipsum montem, qui ipsis noxius quam maxime videbatur, subverterent, atque ex eo civitati suæ vallum conficerent. Mera exinde planities est ibi & locus montis nunc Neostadium sive suburbiũ appellatur, ut nequidem vestigia amplius arcis priscæ appareant, multo minus subterranei meatus illius, tamen ubi Hippostasium publicũ ædificatum est, aiunt, ibi introitum eius fuisse aut vestibulum. Hannovera igitur sic suas sibi dum vindicias sumpsit, ex eo libertatis talem primam occasionem arripuit, ut civitatis nobilis formæ non immerito adsimiletur, quum tam egregie temporis cõmoditate & Principis benigni in se favore uti noverit. Quippe Dux ille non parum auxilii ipsis hoc tempore tumultuoso, quo passim provinciam divastando alias peragrabat, tulit, ut muris suam circumdaret civitatem & turribus munitam redderent. Hinc se postea frequenti fœdere aliis primitus adsociavit, quibus etiam suam virilem sæpius præbuit manum, nec defuit vicinis principibus pro rei momento, impatiens eius oneris, quo se nimium premi, enervari aut emungi sentiret.

Sic quum Ernestus Episcopus 42. Hildesienſ. Comes Schomburgius cum Ducibus Brunsvicensibus Anno 1470. in dissidium acerbum ob disterminationes finium incideret (Wolberbyti tunc regnabat Henricus Pacificus, Lunæburgi Otto Friderici filius, & Gubenhagi Henricus filius Erici) discordia eo usque excresceret, ut in apertum bellum utrinq; irruerent: horribilesque pagorum & oppidorum ab utraque parte devastationes & exustiones fierent, Hannoverani quidem hæsitantes erant à principio, sed quum nimiam vehementiam in propinquis locis undiquaque exerceret Episcopus, & Hildesiensibus essent confœderati, eorum nutum sequi coacti sunt; quod tamen admodum indignanter tulerunt Principes, ut alia ratione gratiam eorum promeriti rursus fuerint. Nihilominus in fide constanti apud civitates permanserunt, quum communis commercii studiosissimos se profiterentur. Quapropter ubi anno 1485. Duces Brunsvicenses contra civitatem Hildesiensem cum Episcopo eius Bartoldo in fœdus ita ut civitati huic omnem per publicum edictum (quod ad civitates vicinas miserant) abscinderent in commerciis commeatum, Hannoverani se cum aliquot vicinis Civitatibus iuxta consuetudinem usitato modo acquisitam interposuere; sed quum ex eo magis effervescerent Principes conventum habuere civitates hæ Goslaria & Hannovera, Eimbecca & Brunsviga in Urbe Brunsvicensi habitoque ibidem consilio litteras abhortatorias ad principem mittebant Wilhelmum Ducem Brunsvicensem. Quæ quum sint valde notabiles & iura commerciorum in fundamento fœderis Hanseatici exprimant, merito heic apponuntur in verbis suis.

Excelse nate & Illustris Princeps, Clemens & amabilis Domine, Nobis molesta scriptis concepta, & subsignata adhortatio cum mandato ob litigiosam caussam Ducis Hentici, vestri filii, nostri Clementis Domini, & eius adhærentium ab una, & senatus Hildeshæmensis ab altera parte, à principali vestra gratia exhibita & insinuata est, inter cætera huius tenoris, ut nos cum vectoribus nostris civibus & mercatoribus ab omni commeatu. & portatione commerciorum in civitatem Hildeshæmensem abstineremus, ac si quis tale neglexerit, illius mercimonia confiscare deberemus. Ad hoc Princ. V. gratiæ notum id facimus, quod intolerabile hoc præceptũ absque præscientia nostra, consilio & consensu à nullo V. Clem. parentum sit factum, ex quo sempiterna pernicies istorum hominum exoriri possit. Nos quoque in gratia ex antiquo more maiorum, à dominis ad dominos in usu continuo usque in hoc tempus habuimus, ut quod non in consilium nostrũ sit perlatum, ad id nullo quoque teneamur facto. Quum igitur in hac caussa ad nullum consilium requisiti simus, uti V. Clem. novit, nequaquam erimus ad tale vestrum prolubium obligati.

Quod etiam sic æternam perniciem, propter exterorum virilitatem, quæ extra V. Celsſ. terram constituta fuit, & nunc sub hac litis specie in terram V. Celsſ. venit, tentare aut subire debeamus, ad id speramus nos nullatenus esse obligatos. Confidimus etiam, quod neque Cel. V. nec quispiam alius sacti Imperii vias publicas, absque istius Imperii voluntate & consensu cuiquam præcludere queat, aut negotiantibus suum commeatum inhibere. Tum etiam hæc veritatis cognitio ad nos peruenit, quod Hermanni ab Husen, eiusque adiutorum & Hildesiensium caussa in aula Romana ventiletur sub disceptatione iuris, in quibus terminis merito relinquitur. Quod si autem noster Clemens Dominus Henricus aut alius quispiam Hildesienses nollet inconventos linquere, tunc eos iudicio sistemus æquo, velut etiam iuxta eorum oblationem in nostra facultate illosdem habemus, velut hoc in scriptis ad illum nostrum clementem Dn. Henricum detulimus, tamen ita, ut nuda sit propositio, ad effectum minus perducta.

Quapropter humiliter & debite petimus, ut V. Celſ. talem nimis odiosam & onerosam adhortationem cum mandato nobis impositam abrogare, & æternam perniciem ob aliorum virilitatem non admittere velit, sed V. Clem. potius ad hunc se apud dilectum suum filium Ducem Henricum, nostrum clementem Dominum interponere velit, atque diffidatio & persecutio in Hildesienses nostros susce-

pta,

pta, abrogetur & deſignatio ligitioſa ad amicabilem compoſitionem tranſmittatur, quam ſperamus facili complacatione conſopiri poſſe. In eventum autem, ſi amicabilitas talis non valeret obtineri, tunc cauſſa ad iuris pronunciationem poteſt deferri, ubi omnem operam impendere conabimur, nec quid in labore noſtro, diligentia, opere, & ſumptu nobis deerit. Quod ſi vero hac benevola petitione fructuoſe minus (quod tamen non ſperamus) frui poſſimus; tunc nos Hildeſienſibus ita (ex cauſſa pacti & confœderationis) devincti ſumus, ut nos eorum, & illi noſtrorum ad ius potentes ſint. Unde nos neque debemus, neque poſſumus illos in neceſſitate tali ſolos relinquere, ad quod nos inpræſentiarum hiſce obſerimus: Petimus etiam, iſtud in clementia à nobis accipi, ut divaſtatio terrarum, & miſeriorum innocentium hominum damnum averterur. Quod in omni ſubmiſſione erga Pr. V. Celſ. promereri ſtudemus, quâ Deus in ſalute conſervare velit, & petimus V. Celſ. reſponſum. Dat. An. 1485.

Nuncii & Legati civitatum Goslaria, Gottinga, Hannovera, Embecca & Brunſviga; Iam in Brunſviga collegialiter præſentes.

Iſtæ litteræ adeo multa exprimunt, ut non tantum fundamentum fœderis Hanſeatici in conſervatione iuſta commercii exprimant, ſed etiam defenſionem eius ex antiqua conſuetudine oſtendant, utpote cuius utilitas multiformis ſit publico ſtatui accommodatiſſima, ſi ſint, qui enormia quærant. Verum quum in hiſce præmonſtratis inconvenientiis audiri non poſſent iſtæ civitates in cõiunctione ſua, ſed obſidione Hildeſiam cingere pergerent principes cum Epiſcopo, bellum grave inde non tantum exortum eſt, ſed etiam alii Epiſcopi & Comites vicini civitateſque aliæ ob damnum & intereſſe publicum Civitatibus ſe adſociarunt, ut ſupra pluribus in deſcriptione Hildeshæmii explicatum eſt, donec tandem Hamelæ per Ducem Pomeraniæ Bugislaũ tranſactio inſtitueretur. Is tamen Dux Bugislaus Princeps impetitione gravi Hannoveram, quod ipſi primaria culpa retiſtentiæ imputaretur, impugnabat; nullis parcebat viribus potentiæ, quum ipſi affinis novus Dux Henricus Brunſ. tam fidele auxilium præſtaret. Sed quum in facto deprehenderent, urbem hanc tali modo non ita vincibilem eſſe, Dux Pomeraniæ auctorem tranſactionis inter utramque partem age e incipiebat, ut dehortaretur affinem novum & Epiſcopum, uſque fervide irritatum.

Quamvis autem tandem Brunſvigæ Anno 1486. plenaria compoſitio huius belli fuerit; tamen poſſimus rancor contra Hannoveranos manſit Henrico Duci Brunſvicenſi infixus, ut eam in poteſtatem ſuam abſolute red geret. Ideoque varios ſuppoſuit modos, quibus infringere eorum animoſitatẽ poſſet, inprimis An. 1490. Stratagemate ſingulari uſus eſt, ut illam noctu evinceret; velut & erant, qui adiumentum ipſi ſuppeditabant; ſed quum longior ſit hiſtoria quam ut hoc cena rari poſſit, remittimus lectorem ad Chronicon de hortorum inter Deiſterum montem & Leinam fluv. conceptum, ubi plenius poſſint talia cognoſci. Poſt plurimas tandem perſecutiones perpeſſas, ita enervata eſt, ut propius Ducatui Brunſvic. ſe accommodare coacta ſit; licet adhuc ſua iura in aliquibus exemptitia foveat, tamen reliquis Civitatibus ut plurimum æqualis accenſetur.

Situs loci non inamœnus eſt, tum perquam fructuoſus, nec minus Leina flu. piſcifer eſt ſatis, qui à Colinga præfectura, ubi Innera fluvio Hildeſienſis urbis augetur, veniens Hannoveram alnendo inde Neoſtadium pergens donec ſe apud Geltenium in Allarim exoneret. Aer ibi eſt ſalubertimus, & urbs ob turres in planitie ſpectabilis elegantibus ædibus & plateis ſat commode diſpoſitis ornata; cives humanitati præ reliquis addicti; ſed tamen religioſe obſervantes morum conformitatẽ, ut inde reverentius colant eũ, qui ipſorum nutui ſe accommodare didicit, nec minus hoſpitales & benefici erga peregrinates. In hiſce tumultuoſi belli temporibus multa quidem tulit, atque non deſtitit acriter ſe belli præfecto Gener. Tyllio opponere, dum ſequebatur partes ſui Ducis & Regis Dan.

Interdum tamen ſe intermediam geſſit, ut contributione ſuos ſalvaret exhibita. Duci ſuo proinde obſequium in gravioꝛe ſo te ſua nunquam recuſavit. Iam vero Duci Georgio Brunſv ex obitu Frid. Ulrici paret; qui quoque hucuſque ſatis clementer fovit eam, niſi quod habitationem ſibi ſplendidam ibi erexerit. unde metuunt quid plenioris ſubiugationis ſubeſſe. Ante annos aliquot ſe ſatis aperte explicarunt, quod ulterius fœderi Hanſeatico conformes gerere ſe, admodum inclinarent; ne penitus ea libertate ſociali privarentur, quum Duci Henrico Iulio Brunſvicenſi tamen olim in bello Brunſvicenſis civitatis contrarii eſſe non auderent, unde non in parvam ſuſpicionem apud Hanſas incidebant. Sed ſatis de his, dum nobis ad Goslariam Imperialem civitatem pergendum eſt.

GOSLARIA.

EX qua parte à Vinenbergo circa pedes, & radices ferme Hercyniæ Sylvæ ſub Hartzburgo ad eam tenditur, propter planitiei amœnitatem ex longinquo obviam, valde amabiliter conſpicuam ſe oculis advenientium inſinuat ob turrim minorum multitudinem in muris, & colorem exuleum, quo à montibus excelſis, præſertim Ramuleo monte, ſe diſcrepantem reddit. Etenim omnes Civitatis ædes laminis Phrygij lapidis, quem Germani Schieffer-ſtem ex ſciſſibilitate ſua nominant, tectæ ſunt undique, templa vero plumbeis chartis. velut & maxima pars Arcis Imperialis ex adverſo directe templo Cathedrali Ottonis Magni extructa, qui color valde iucundum adſpectum intuentibus à Campo parit: quum alias montes excelſi à parte meridionali maxime urbem uſque cingere videantur ex præpropo, quaſi faſtigiis ſuis umbram immitterent. Monſtratur in palatio regio porta adhuc, per quam Fridericus Barbaroſſa Imp. ultimo egreſſus eſt, verſus mõtoſi loci viam, qua ad Thuringiam tenditur, & ſtatim lapidum ſtructura opplari iuſſit. Velut potiſſimum 5. Imperatores antiquitus faventes habuit præter conditorem ſuum Henricum Aucupem. Etenim Otto I. pluribus eos affecit beneficiis, velut & Henricus II. nec non Conradus Saliquus, qui muris illam plane includi iuſſerunt: Maxime tamen omnũ

Hen-

Henricus tertius eam, cui adeo charus fuit locus ob amœnitatem, ut sæpius ibi aulæ sessionem coluerit; sicut & interdum Fridericus I. Imper. quoties in ea terra quid rei fuit, ornavit. Unde quoque Anno 1179. Comitia, quæ tertia vice ob discordiam cum Henrico Leone instituerat iam, ibidem habuit, ubi in bannum, quod toties citatus, se insolentiorem exhiberet, nec in contumacia perseverando obstinatus, se sisteret in præsentia statuum, Elector & Dux Leo incidit, quum serio deliberatum esset, quomodo Dignitate, & ditionibus regiis exuendus esset. Quisque etenim inde opimum sibi bolum heic oblatum putabat, qui ipsi erant offensi. Sed tamen inveniebantur vix pauci, qui adhuc pro maiori iuris specie differēdam executionem putabant, donec 4. vice Ratisbonam in Anno 1180. ad comitia completa esset citatus, ubi demum contumaci Duci sua cōclusa, est executionis denunciatio, quam ipse Cæsar cum rigore suscepit, & valde avida distractio, distributioque provinciarum eius est facta.

Quum autem redux iste animosus princeps recuperare suas inciperet ditiones, & ab iniquis detentatoribus vindicare, Imperator Henricus 6. ex instinctu Wichmanni 16. Archiep. Magdeb. quem ibi Fridericus Imp. præsidem fecerat, nulla electionis ratione habita canonicorum, Goslariam cum aliquot copiis suis pervenit, ac exercitu bene heic cōparato, & instructo, nec quidquam Brunsvigam impugnavit nisi quod Hannoveram incendio dederit. Inter Cæsares tamen etiam aliquot habuit satis infestos, velut illis tunc seculis fuit Otto 4. Dux Brunsv. qui variis modis, quum Urbs esset bene munita, insidias ipsi struxit, ut erret heic Dresserus graviter quasi Anno 1201. à Christo nato, munita sit, postquam ab Ottone rege fuisset clandestino introitu occupata; quum tamen tempore Henrici 2. & Conradi Salíqui Imp. ab an. 1021. usq; in an. 1030. muris cincta fuerit, & reliqua pro aulæ conservatione suæ munimenta Henricus 3. perfecerit. Tum quoque unde clandestinus fuisset introitus, nisi urbs extitisset munitissima, ut proditione uti coactus sit Otto 4. Imper. quæ satis astuta erat clandestinitas. Causa huius mali & indignantiæ Goslariensibus inde præter alias orta est, quod illi primitus ante Ottonem, Cæsarem Philippum, Ducem Sueviæ, (qui Anno 1198. Veneno à coniuge propria sublato Henrico 6. à Principibus Imperii in Regem Romanum electus erat) pro legitimo Imperatore agnoscerent, eidemque pro viribus adsisterent.

Relinquitur heic aliis hoc notandum, qui ponunt, quod Imper. Henricus ex urbe Messana, cum morbo colluctans, ad Pontificem Innocentium 3. Legatos miserit, eidemque coniugem cum filio Friderico in tutelam commiserit, quum ex sincerioribus historiis hoc constet liquide, quod quidem Philippus legitime sit electus, alia autem causa subfuerit, quod quum papalem Dignitatem Innocentius 3. Ananiensis in An. 1198. assecutus esset, Philippum ex invidia vicinitatis supprimere studuerit. Quippe is Dux Sueviæ Rex Siciliæ, & Neapolis erat: unde Innocentius Pontifex non tantum illum banno excommunicationis percutiebat, sed etiam experebat hoc à principibus Germaniæ, ut alium loco huius Philippi sibi eligerent Imperatorem. Tanto enim odio exinde contra illum flagrabat, ut sæpius in hæc verba prorumperet: Aut Pontifex Philippo diadema, & regnum, aut Philippus Pontifici insigne Apostolicum adimat.

Forte tunc Henrici Leonis ex tribus natu maior filius Henricus mirabilis Palatinus ex Palęstina redux pertransierat Romam, & quum reversus esset Brunsvigam, voluntati Pontificis ita se accommodabat, ut cum adiutione Archiepiscopi Colonien sis fratrem suum, in Anglia absentem, pro Rege Romano eligeret, cui confestim Innocentius applaudebat. Unde huius opera, & auxilio sævissima sunt orta bella, & humani sanguinis profusiones innumeræ factæ per aliquot annos fuerunt, donec tandem proditorie Anno 1208. ab homicida ad hoc facinus nefarium conducto perfoderetur. Ut vero interim dum tantus belli vigebat fervor, ægre faceret Otto 4. Imper. Goslarien sibus, in eorum ruinam An. 1203. ab una parte civitatis castellum suprad ictum Harlingbergam extruebat (quod tamen An. 1290. funditus postea ab Henrico mirabili destructum est ad vicinorum petitionem) ut è regione, in altera parte ipsi arx Lichtenberga respondetet.

Ex binis istis arcibus ita coangustabat Imperator ille Goslarienses, ut ex occlusione commeatus in famem ingentem inciderent cives: multi effugiebant incolæ, qui necessitatis huius ultimæ indicium Regi Philippo faciebant, simul ipsi modum liberationis indicantes, nisi Goslariam funditus vellet perditam. Quare Rex Comitem Werningerodanum Hermannum cum militum manu forti misit, qui arcem Liechtenbergam expugnando occuparunt, unde sic Goslarienses ab ultima fame liberati sunt. An. 1204. Rex Philippus iterum maiores belli acquirebat vires, quibus totam Thuringiam in suam redigebat potestatem, unde non tantum Landgravius Hermānus ipsum sibi reconciliabat; sed etiam ab Ottone 4. deficiebant tam Comes Iuliacensis Wilhelmus, quam Archiepiscopus Adolphus Colonien sis; qui Regem Philippum ad se Aquisgranum vocabant, ubi denuo pro maiori confirmatione Regni sui coronabant: Unde Goslarienses quoque in devotione eius tanto magis subsistendum sibi putant, ut nollēt desistere; quibus & adstipulabatur Archiepiscopus Bremensis Hardwicus 2. Quare Otto Imper. An. 1205. ex morbo reconvalescens, ut ab eo loco tutior esset, cum binis fratribus, Henrico Mirabili & Wilhelmo irruptionem in Episcopatum Bremensem faciebat, committens interim Brunsvicensibus, ut illi Goslariam impugnarent, quidem acri impugnatione Arcē Liechtenbergam impugnabant, sed quā intentione excider ent, in hoc se converterunt Stratagema, ut nocte 5. Iunii invaderent Goslariam.

Cives Urbis sociis nil tale hostilitatis concredentes, tum quoque nimium bene munitis mœnibus confidentes, securos se ab omni periculo putabant, præsertim quum Imper. Otto 4. ipse non expugnare antehac eos potuisset. Verum ex ea incuria & negligentia factum est, quod sub primis excubiis muros conscenderint, primoque impetu apud Cœnobium novi operis, quem fecerāt, urbem occuparint. Milites Regis Philippi præsidiarii ad arma quidem convolabant; sed viribus maioribus in tanta confusione ad resistendum impares, cogebantur cedere, unde præfectus summus eorum Comes suprad ictus in capturam abducebatur. Cives Brunsvicenses uti spo-

ſpoliorum erant avidi, ita non deſiſtebant omnibus divitiis ſuis Goslarienſes exuere: Quicquid ibi ex metallicis venis inveniebatur argenti, auri, plumbi & ſimilium rerum precioſiſſimarum, per integrum octiduum cumulatim non ſine ingenti Goslarienſium dolore Brunſvigam avehebatur curribus adſiduis: tum quoque maxima pars Civium Goslarienſium in capturam abducebatur, ut facies miſerior Urbis vix eſſe poſſet. Etenim Brunſvicenſes non ſolum templis ſua bona, Theſauros, & donaria eripiebant; ſed etiam incendio quamplurimas diva ſtabant ædes.

Nil igitur Goslarienſibus reſtabat, quam ut obſtinatiæ culpam deprecarentur Imperatori Ottoni, obſideſque aliquot in fidem maiorem elargiebantur: unde Brunſvicenſium præſidiarii coniuſque in urbe relicti ſunt, donec ex ſua expeditione ſuſceptа reverteretur Imperator cum fratribus, qui magna lætitia hinc afficiebantur, quod à ſocis eſſent devicti Goslarienſes, quos ipſi toties fruſtra expugnare conati fuerant. Hoc eo animoſiores reddidit Heroes illos, ut eo conſtantiores in propoſita expeditione pergerent. Quapropter quum Archiepiſcop. Hartdwicus Stadam confugiſſet, Urbem quoque eam invaſione forti occuparunt, & captivum Archiepiſcopum ſecum abduxerunt: Inde in eodem fervore, quum metu omnes eſſent incolæ conſternati, contenderunt Bremam, urbeque ea potiti, ſpoliis ubertim abreptis, cæperunt inter alios Comitem Welpenſem Bernhardum, cum quibus omnibus in triumpho non exiguo revertebantur Brunſvigam, ubi magna omnium cum congratulatione & iubilo excipiebantur, Imperator Otto 4. valde collaudabat, & prædicabat in hoc Brunſvicenſes, quod tam maſcule Goslariam in eius iugum redegiſſent; attamen ira clementem erga captivos Goslarienſium cives ſe præſtabat, ut non tantum eos libere dimitteret, ſed etiam ex liberali munificentiæ gratia, Imperatore tanto digniſſima, ipſis quamplurima reſtitui curabat bona, ut haberent, unde reficere urbem ſuam poſſent, inque hoc Brunſvicenſes nimium ſuum erga ſocios agnoſcerent rigorem & exorbitantiam. Quod adeo gratum accidit Goslarienſibus, ut ſemper dehinc Imperatori ſuo obſequentes manſerint, velut etiam id in quovis Victore laudabiliſſimum eſt, ſi humaniter parcere victis noſcat. Alias enim latis ſtrenuus in belli expeditionibus ſuis fuit, ut in metu eſſet apud plurimos.

De quo igitur hoc memorabile eſt; quod, quum à Sicario Wittelsbachio Cæſ. Philip. Suevus Anno 1208. in lecto iacens eſſet occiſus, & ille comitia Francofurti indixiſſet, ibi denuo à 50. Principibus electus, & confirmatus ſit Imperator: Atque ne denuo eſſent cõ ertationes ob electionem firmam, lex de eligendo Imperatore, ab Henrico olim ſancita & antiquata, de novo ibidem ſancita eſt hiſce fere verbis:

Imperatorum nullus hæreditariam Dignitatem vindicato: ſed principes ſex, ſacri Ordinis tres, Moguntinus, Trevirenſis, Colonienſis: ſeculares totidem, Comes Palatinus Rheni, Dux Saxoniæ (qui tunc erat Dux Brunſvicenſis) & Marchio Brandeburgenſis eum eligunto. Hi ſi diſcordes fuerint, Bohemiæ Regem cooptanto.

Quod ita ſancitum eſt à Principibus omnibus tanquam Germanis peculiare ius competens, &c. Seth. Calv. in Chron. Interim vero Goslarienſes, dum belli ſedes ſub hoc Imperatore, & ſequentibus Friderico 2. & Conrado 4. partim in Italiam, & Palæſtinam eſſet potiſſimum translata, vires ſuas recuperarunt commercii prioris ſtudio. Etenim non tãtum commoditatem ex metallorum fodinis varia ſibi conficere pergebant mercimonia, argento canalitio, infecto, puſtulato hydrargyro, ære caldario, alioque aurichalco, electro, auripigmento, ferro, plumbo, ſtanno, Cadmia, Salſugine, Pompholyce, Sulphure, Sale nitri, borace, aphronitro, ochra, Vitriolo, & talibus ſpeciebus, quæ ex iis artibus conficiuntur ſuis; ſed etiam inſigni coctione cereviſiæ, quam ex nomine fluvij, qui præcipuas plateas Urbis paſſim perfluit, Goſcariam, aut Golæ cereviſiam dicunt: Cui ſingularis virtus ea adſcribitur, quod nullum hominibus calculum ex frequenti uſu ſui admittat. Velut & incolas iactare ipſos audivi, quod non inveniatur in urbe, qui ex dolore nephritico, aut calculi facile laboret; cauſſam quoque medici hanc afferunt, quod fluvius iſte ex foſſilibus, & ſulphureis locis originem ſumat, tum etiam omnis generis metalla in digeſtione ignea, ab ea parte Civitatis, ubi primum ebulliendo erumpit aqua, & tendit ad urbem, abluantur: ſi. ut etiam ex colore flava appareat, quod in nitroſitatem inclinet. Unde adeo celebris eſt cereviſia in iſtis locis, ut ex aliquot milliaribus accolæ ea utantur, & peculiare Urbi commercium addat.

Medici etiam auctores ſunt, laborantibus ex calculo, & nephritide in diſſitis locis, ut ea utantur cereviſia. Placotamus in cenſura ſua cereviſiarum huic poſt Gardelebienſem ſtatim ſecundum locum inter optimi generis potiones adſcribere non dubitat: nec hoc diſſitebuntur omnes, qui non tam ex ſapore grato, quam effectu liquoris talis iudicium verum ſibi ſumere noſcunt. Sed uti labore, & arte opus eſt non ſine pietate, ut collapſa reſtituantur; ſic etiam Goslarienſibus non pauci in his elapſi ſunt anni redintegrationis ſuæ. Nec Palatium Imperatorium inde plenam ex devaſtatione priori reſtaurationem accipere ſplendoris debiti potuit: unde nec aulæ nomen retinuit, ſed adhuc ſaltem domus Cæſarea Kayſers-Hauß communiter à civibus appellatur.

Poſtquam autem Hartzburgum in manus nobilium pervenit, varias infeſtationes paſſi ſunt Goslarienſes, quum ita prævaleret prædonum conſpirationes, præcipue temporibus illis dubiis Cæſarũ, & interregni Germanici, quæ maxime à nobilium conſortiis fomentabantur, ut mercatoribus Civitatum multivaria inferrent damna, & expoliationes, non ſine effuſione ſanguinis. Præſertim qui arcibus munitionibus inſidebant nobiles, in eam ſe exercebant ferociam, ut ipſis Principibus ſe opponere apertis non vererentur armis. Velut in Aſleburgenſibus videre eſt, qui An. 1255. Alberto Duci Brunſvicenſi acri vexatione ita reſiſtebant, ut etiam lupũ, quam in inſignibus ſuis geſtabant, eo modo pingi curarent in contumeliam Ducum, quaſi autes Leoni Brunſvicenſi inſidendo vellicaret. Quare Dux iratus una cum Brunſvicenſibus caſtrum eorum ferme per triennium obſidebat, donec An. 1258. per plenã impetitionem occuparet; quæ poſtea Brunſvicenſibus tradita eſt in poſſeſſionem, quam etiam uſque

ad Du-

ad Ducis Iulij tempora continuarunt, cui per transactionem An. 1569. cesserunt cum conditionibus. Sed forte non fuit frustra vindicta Dei, quod pœnæ Brunsvicenses sibi in cæcitate sua fuerunt, ob illud potissimum Goslariensibus præstitum, licet sero sæpius veniat.

Namq; An. 1374. die 14. post Paschatos sub Duce Ernesto tam tumultuosa seditio in civitate ea se exerebat, ut nō tantum populus omnis furore summo inanis suspicionis contra Magistratum plenus, quasi exactionibus nimiis proprii commodi caussa cives oneraſſet, concutreret, sed etiam præcipuos inter senatores rabiose in foro decollari præciperet, ubi nec senioribus, in limine ultimo vitæ constitutis, parcebatur: Alii ex urbe cum uxoribus. & liberis eiiciebantur, quorum bona partim direpta, partim fisco addicata, sub specie iur s rigidissime iniqui fuerunt. Licet autem publicis scriptis hoc facinus horrendum excusare conarentur factiosi, præsertim tribuum Magistri; tamen Hanseaticis Civitatibus factū inexcusabile adeo dolori fuit, ut publico edicto è contra prohiberent omnibus undique incolis, & negociantibus, ne quid conversationis, aut commercii in ulla re haberent cum tamen facinorosis, & ipsi honestati adversantibus hominibus, ut ita omnium privilegiorum Hanseaticorum usu, & communione excluderentur.

A principio illis hoc ridiculum videbatur, & quidem obstinatiores per aliquot annos se demonstrabant. Verum quum tandem ipso facto experirentur efficaciam huius privationis in Conthoriis, & commerciis, An. 1380. mittebant aliquos ex numero civium, qui non tantum crimen aperte in publico cōventu Hanseatico Lubecæ confiterentur, sed etiam omnem deprecarentur culpam, restitutionemq; peterent, cū promissione sancta, ut ait Chron. Lubec. quod nunquam simile quid essent tentaturi. Ne vero exemplum perniciosum impunitum videretur, indicebatur illis dies S. Hippoliti, quo solemnem agerēt pœnitentiā in conspectu omnis populi. Ideo dicto die comparebant missi illi Brunsvic. deprecatores in templo D. Mariæ, atq; inde cum incensis faculis ordine procedebant per plateas, usque tandē in curiā, ubi flexis genibus, & capitibus detectis, congregatæ in concilio Hanſæ criminis remissionē publice pro restitutione precabātur, ex qua supplicatione ita recepti sunt in numerum Hanſæ, & sedulos semper eius hucusq; observatores, se demonstrarunt.

Goslariensium autem licet dura fuisset conditio, tamen pridem ex calamitate emerserunt, seq; in sua privilegiorum libertate conservarunt fortiter, ut digni suo loco manerent in commerciis cum Hanseaticis semper exercendis. Ideoq; adsiduam cum aliis Civitatibus sociis curam adhibuerunt ut spolia prędonum commeatibus publicis averterētur. Sic quō tempore Magni Ducis Sax. Episc. 40. Hildesiensis iusmodi deprædationes passim in terra illa vigerent, quas nobiles, quasi perpetui Civitatum hostes, exercebant, Goslar. Brunsvic. Hildesh. & Gottingenses præ aliis dicto Episc. & Ducibus Brunsvic. Ottoni Bernhardi filio, atque Wilhelmo seniori, nec non Episc. Halberst. circa an. 1428. se ita coniunxerunt, ut nobilium illorum, qui non tantum ipsi ex rapto viverent, sed etiam prædonum se gererent Patronos, omnium expugnarent arces. Magna enim omnium civitatum illic erat querela, quod ferme nusquam ibi mercatoribus, & institoribus, aliisque peregrinātibus esset locus viarum tutus. Quam intentionem isti proceres, & civitates feliciter perfecerunt, ut nidi prædonum divastarentur, nec pauci captivi abducerentur, aliique dignis afficerentur pœnis.

An. 1466. Dux Brunsv. Frider. Wilhelmi sen. filius Civitatibus aliquot currus pānis sericis onustos, exspoliari curabat, qui Eberstenium producebantur. Hinc civitates Hanſæ Goslaria, Magdeb. Brunsviga, Halla, Halberstad. Gottinga, Northeim, Embecca, Hildesh. Hannovera, &c. cōiungebant arma sua fœdere firmo, atq; per biennīū ducatum omnē pervagabantur ut commerciis libertatem vindicarent; occupabant Hardesium, Moringiam, Rickelingam cum 100 pagis, Gerdam & alios pagos, adducebantq; rusticos cū nobilibus suis captivos, plurimos pagos igne consumebant, oppugnabantque Aeldagassum cum Calenbergo, donec tandem An. 1468. lis Quedlinb. per Elect. Brand. componeretur. Idem quoque Goslar. in necessitate socius Civitatibus præstiterunt An. 1485. ut supra ad Hannoveræ explicationem relatum est, ubi simul hanc notabilem effecere expeditionem, ut 5. Iulii Hartzburgū expugnarint penitus, & omnes præsidiarios milites secum captivos abduxerint. At Dux Brunsv. Henricus vindicem agere cupiēs huius facti, 8. Iulii statim armenta cuncta illis abigebat; quod quum in civitate percrebuisset, catervatim Cives ex portis eruebāt, ut pecora sua ex manibus hostium rursus eriperent. Verum Dux istis utebatur insidiis, ut se cum 400. militibus non procul à Monasterio Reiffenbergensi in sylva occultaret, donec in festinatione sua cives à tergis insequi posset, nec frustra ipsi hoc cessit Stratagema interventionis, ubi à civitate separatos adeo invasit cives, ut ultra 20. fuerint interfecti, ac eorum Capitaneus Wedekindus ab Uslar cum 450. civib⁹ in captivitatem inciderit: Qui omnes Bokelhæmū in custodiam traducti sunt, donec se 200. flor. aureis liberarunt. Quum ita Cives furibundi ex porta erūperēt, aiunt, adfuisse veteranum quendam militem, qui monuit eos, ne sine ordine ex nimia vindicta properarent; quem proteriores irriserunt, ut sic sępius consilia prudentiorum cum damno ultimo negligantur. Quum tamen An. 1486. die Mercurii post Luciæ componeretur cruentum hoc dissidium, à parte Goslariensium mandatarius eorum fuit Iohan. à Dotten, ut infra pluribus patebit.

Uti autem foris cum Civitatibus vigilias pro commerciis præstabant fideles, ita nec minus domi pro occasione nata Civitatis suæ statum meliorare debito modo conabantur, cuius rei exemplum est in eo, quum Dux Otto, Henrici Mirabilis ex Henrico nato nepos Anno 1339. Iohanni Regi Bohæmiæ operam militarem in solemni pompa addixisset, nec tamen haberet sufficienter, quod ad intentionem perducendam faceret, à Duce Ernesto patruo submin stratione eam expetebat, qui regens erat Dux Patriæ. Sed quum neque is adeo esset in nummis potens, Ottoni, ex fratre nepoti, plenam potestatem cum mandato largiebatur, ut tertiam partem omnis proventus ex fodinis metallicis Rhamni montis, Goslariæ proxime

incumbentis, Senatui & Civibus Goslarienſibus oppignoraret, aut alio modo cum illis cõtraheret. Huius rei Goslarienſibus indicio facto, optatum ſatis id ipſis apparebat; qui proinde ita mentem detegebãt; ſi Dux Erneſtus Brunſv. & Gotting. Ducis Alberti Pinguis filius Contractui tali conſenſum cum ceſſione integra adiiceret, ſe tunc petito oblato ſatisfacturos eſſe. Quum vero is abnueret, ad Electorem Mogunt. 45. Henricum Duderſtadium cum Gebelhauſa ex mutui oppignoratione pervenit primitus. Quum An. 1521. denuo inter ſe diſſiderent Epiſcopus Hildeſienſis 46. Iohan. Dux Saxon. & Duces Brunſv. Ericus Senior, & Henricus Iunior, ob captivũ Wilhelmum hunus fratrem, quem Epiſc. adhuc Hildeshæmii detinebat ex Victoria in Soltoviano Ericeto An. 1519. die Petri, & Pauli obtẽta, Conventus Goslariæ à Duce Philippo ſeniore Grubenhagenſi inſtitutus erat inter utramq; partem, ad tẽrandum, num litis acerbitas inter utramq; partem poſſet componi, ne res ad executionem perveniret: Quippe Caeſ. Imper. in primis ſuis comitiis An. 1521. Wormaciæ menſe April. habitis, utriq; parti iuris viam aperuerat, ſub pœna banni, atq; ut inprimis Epiſc. captivos omnes in manus Cæſ. traderet. Epiſcopus autẽ adeo ferox animo erat, ut plane negligeret denunciatum Cæſ. bannum, hoc contumelioſo utens in Imperat. & Imperij bannum verbo ad imitationem Germanicæ linguæ, in qua bannum Imperii ſingulari vocula exprimitur Aebt/ quod alias etiã Germanis numerum octonarium denotat. Hoc ille aliter, & ſcoptice accipiens, ita irridebat dicens: Quid octo, & iterum octo, ſedecim denotat: Acht vnd aber Acht/ ſeynd ſechtzehen.

Quum igitur ita obſtinate in animo confirmatus eſſet ille Epiſcopus, nec dimittere vellet captivum Ducem Wilhelmum, fruſtra Dux Senior Philippus omnem Goslariæ impendit operam huic interpoſitioni. Unde etiam poſtea S. Cæſ. Maj. executionẽ banni Duci Henrico iuniori contra Epiſcopũ plenarie 25. Iulii commiſit, qui etiã tam fortem ſuis ſumptibus coegit exercitum, ut An. 1522. ferme totũ Epiſcopatum vi occuparet, excepto Hildeshæmio, & tribus arcibus, Stewrwalda, Marienburgo, & Peina; E contra 9. civitates, & 11. arces ſibi ita vindicavit Princeps iſte, ut per ſingularem tranſactionem Quedlinburgi ab Archiepiſcopo Alberto Mogunt. & Duce Georgio Sax. ex iuſſu tam Cæſ. Maj. quam Pontif. Adr. 6. An. 1523. inſtitutam ſub art. 7. omnes ſibi, & poſteris huius Ducatus attributas cunctis retinuerit. In cuius ſimul tranſactionis art. 1. conſtitutũ fuit, ut Dux Wilhelmus cum omnibus captivis ſine lytro die veneris poſt Exaudi hora 9. antemeridiana Egelſenii libere dimitti deberet, uti factum eſt. Trãſactio autem hæc abſoluta eſt An. dicto 1523. pridie Aſcenſionis Chriſti. Ne vero pœnitentiæ aut renovationis locus eſſet huic tranſactioni & omnia confirmata conſervarentur, in eius rei teſtimonium perpetuum adhibitæ ſunt Civitates, Goslaria, Magdeburgũ, & Eimbecca, in quarũ præſentia hæc omnia ſunt tranſacta, uti verba id exprimunt ipſa, quod à Ducibus tranſactoribus ad contractũ & tranſactionem hanc ſingulariter civitates iſtæ fuerint requiſitæ, & adhibitæ.

Tranſactionem hanc Imp. non tantũ eod. an. 20. Octobr. Pamplonæ in Italia confirmavit; ſed etiã in perpetuam Feudi recognitionem oppida hæc, & arces cum omnibus iuribus, & pertinentiis An. 1530. 20. Sept. in publicis comitiis Auguſtanis ſub litteris inveſtituralibus, Ducibus his, Henrico jun. & Erico ſeniori, eorumque poſteris aſſignavit: quod idem quoq; præſtitit Ferdin. i. Auguſtæ 17. April. An. 1559. & reliqui Imper. glorioſiſſimi. Nihilominus Epiſc. Hild 49. Valentious à Theteleben, nobilis & Doctor iuris cauſſam hanc An. 1548. ad Camerãm detulit, quæ adeo variis modis ventilata eſt, ut tandem An. 1619. 7. Decembr. ſententia ſuper prætenſo ſpolio ſit lata, quæ huc uſque, & reviſionis beneficio, & aliis inde exortis factis mire impugnatur.

Sed revertimur ad Goslarienſes, qui etiam variis inſidiis pulſũ ſunt ſæpius propter negotiationẽ metallicam, & Rhamni montis poſſeſſionem, ut quod vi, aut mutuatitio iure, minive illis extorqueri non potuit, id fieret clanculum, ſpecie tamen iuris addita. Quum à Iohan Weſſelio, Cathedralis templi vicario ſuo accepiſſent circa An. 1524. iuxta inſtitutionem Chriſti uſum Sacramenti, & verbi Cœleſtis clariorem ductum, Dux Brunſv. illis infenſior redditus eſt; ut undiq; occationem arriperet, quibus duplici nomine illis incommodaret: Attamen Dux Ericus ſenior illis, & Hannoveræ gratia favoris magna præ reliquis addictus erat, quos ita quoq; ſimilitudo cereviſiæ connectebat. Quippe An. 1526. Conrad Brojhanus Stockhemenſis iſtum modum cereviſiã coquendi ex Hamburgo, ubi eam artem primitus, ſua tamen inventione, correctam addidicerat, Hannoveram detulit.

Goslarienſes autem Elect. Ioh. Frid. Saxon. quum poſt obitum parenti Iohanni An. 1532. ſucceſſiſſet, ſe ita inſinuarunt religionis cauſſa, ut eius confœderationem adſequerentur, quod ſupra modum ægre tulit Dux Brunſv. Henr. junior, ut varias non deſineret illis ſupponere infeſtationes. Quare eos acriter accuſavit in Camera, quod armata manu irruptionem in Cœnobium montis Gregorij feciſſent, idemque hoſtiliter incendiſſent, atq; miniſtros ſuos, in eo deprehenſos, nequiter occidiſſent, unde iudicio publico proſcripta eſt Goslaria An. 1541. Etãſi vero Dux ille edictum Cæſ. contra Civitatem hanc exequi cuperet; tamen ex interceſſione confœderatorũ principum executio ad comitia Ratisbonẽſia dilata eſt. Quum vero nihilominus Dux Henr. variis afflictionibus Goslar. & Brunſv. infeſtaret, & iſtæ Civitates querelas multas ad Electorem dictum deferrent, ille An. 1542. ſe cum Philippo Haſſiæ Landgr. cõiunxit, & cum exercitu 22000. mil. t. irruptionem in Ducatum Brunſv. fecerunt adeo, ut Ducem plane expellerent, & arcem Wolferbytanam 12. Aug. poſt decendii obſidionem occuparent.

Dux Iulius Brunſv. quidem favorabilior affulgit; ſed tamen ob decimationes metallorum illis non defuerunt lites, quas nonnihil ferventius cum aliis cauſſis urgere non deſtitit Dux Henricus Iulius, cui ſemper quid negotij erat cum Civitatibus. Sic etiam Dux Fridericus Ulricus actiones eiuſmodi continuavit. In bello autem hoc Civili Germaniæ, in quo tot plurium Principum, Procerum, & Civitatum variæ deflectiones, & inflexiones fuere, ſemper ſe in devotione Imperat. ſui continuit quamvis plurimas pertulerit emunctiones, & intempeſtates caſtimitoſas: Unde Anno 1625. Dux Chriſtia-

nus

nos Epiſc. Halberſt. noctu in eam invaſionem tentabat clancularíam: ſed quum vigilantes deprehenderentur cives, fruſtra ea impetitio ſuſcipiebatur. Donec tandem poſt deſolationem Urbis Magdeburgenſis Anno 1631. Goslaria ex occupatione violenta Wilhelmi Ducis Saxoniæ Vinarienſis in poteſtatem Regis Sueciæ reducta eſt, qui ulterius in Germaniam ſuperiorem exercitu ſuo tendens, Illuſtr. Principem Ludovicum Anhaltinum in hiſce locis pro vicario ſuo reliquit, ut inſpectionem in tales provincias ſupremam teneret.

Quum igitur Goslarienſes nimiis emunctionum exactionibus premerentur, & præcipue principales in Magiſtratu propter ſuſpicionem, quaſi nimium Cæſari eſſent addicti; interque illos præſertim arreſto & invidia aliorum, & propter delationes iniuriosas detineretur Henningus Cramerus à Clausburg, illum plurimi adverſantium exuere vita & bonis ſtudebant. Etenim Sueci illum ſolito more pro hoſte ſummo habebant, qui præpollebat divitiis, ut eius bona aliquo titulo, aut ſpecie iuris violenti ſui in ſe transferre poſſent. Quare Magiſtratus cernens iniuſtitiam, non potuit quoque cauſſam ſuam in collega principali deſerere. Quippe quod in eius exemplo illis ante oculos erat, id cuique illorum eodem cum periculo obtingere potuiſſet: tum quicquid huic Viro imputabatur, officii ratione incubuerat, ut ſalutem communem Civitatis omnibus rite anteferret mundi huius maligni felicitatibus. Præterea inſimulabantur, quod pulvetis nitroſi turrim in exhibitione clavium proditionis alicuius cauſſa ſibi reſervaſſent, quibus aliæ addebantur artificioſe confectæ criminum inſimulationes. Ideoque neceſſitatibus his impliciti, confugiebant quidem ad Ducis Brunſvic. Frider. Ulr. anchoram, nil mali timentes; ſed reſponſum ad interceſſorem eorum tale fuit, ſub dato Brunſvig. 13. Ianuar. Anno 1632. quod mandaret, ut conſiliarius ſuus ad Ducem Wilhelmum Saxon. Vinarienſ. qui tunc præſidiario militi Suecico Præſidem in urbe ea agebat, iter ſumeret, & miniſtris ſuis rei metallicæ operam dantibus Salvam Guardiam (ut aiunt) ſive ſecuritatem vivendi ibi procuraret: aſt Goslarienſibus apud Ducem eum, aut ipſius adiunctum Dn. Iohan. Bannirium nihil commendationis adderet, quum cauſſam non haberet, imo nec in animum ſumpſiſſet, quod Goslarienſibus ullam gratiam, ob lites varias in aula Cæſarea, & Camera Imperiali ex re metallica, & Iuriſdictione eius, aliiſque privilegiorum controverſiis inſtituras, quibus ipſi ſuperioritatem, reputationem, Dignitatemque nimis iniurioſe impugnaſſent, vel etiam ex ditione ſua, & provinciis exterminare ſtuduiſſent, uſpiam eſſet, vel etiam recommendationem aliquam exhibiturus. Velut eiuſmodi litteras ipſa civitas publicavit plurib⁹; quibus etiam addidere litteras eiuſdem principis, quas ad præfectum metalliferum ſuum Ottonem Bendekenium, in graviorem civitatis ſuppreſſionem, quaſi ea foveret proditores primarios, qui Illuſtr. Dn. Gen. Cæſ. Pappenhæmio urbem in damnum ultimum Regis Suecici, & perniciem totius regionis cum extinctione militis Suecici eſſent per Stratagema traditurí; quum tamen omnino & Sueci, & Ducatus ſui commodo debeat conſervari, &c. Sub dato Brunſv. 9. Martij An. 1632.

Hoc adeo coanguſtavit Goslarienſes, ut publico ſcripto has maculas, ſibi, Conſuli ſuo, Senatoribus & toti civitati, detergere voluerint; velut in omnib⁹ templis quoque 17. Iulij publice id proclamari curarunt. Sed cauſſam quum eorum ſcripta exprimant, cum circumſtantiis ſuis ipſi loquantur, ubi primum in litteris, ſub dato Goslar. 15. Iunij An. 1632. hæc verba ponunt ex Cyprian. Lib. 1. Epiſt. ad Cæcil. ablegt:

Mendacia non diu falluht, quum nox tam diu ſit, quo ad dies illuceſcat; & clarificato die, & ſole ſuborto, luci tenebræ cedere cogantur, &c. Item mendacium quum recens, ſeu ut Plautus ait, calidum eſt, aliquam ſpeciem habet; qua imprudentibus imponat; ſed ubi refrixerit, auctorem ſuum turpiſſimè deformat. Velut etiam quod nobis, noſtro Cõſuli, aut Civibus ob proditorias litteras, & reſervationẽ pulveris, aliaq; crimina, falſo & confícto modo ſupponitur, ſimili modo idem, quod ad noſtram, & publice, & privatim poſtulationem fictam nõ potuit ullis teſtibus habilibus, aut litteris probari, evaneſcit; &c. Quare coram Deo cui intima ſenſa cordium noſtrorum cognita ſunt, noſtram cõſcientiam atteſtamur, quod plane innoxij ſimus, nec unquã tale quid in mẽtem venerit noſtram, nedum quod facto ipſo nos commaculaverimus, aut nos publicè tali odio ꝓpoſituere cogitemus; licet extrema hùc uſque perferamus mala, & coridie nos cernamus, quomodo ædes noſtrę, horti, agri, prata, præter decentẽ perpeſſam, & intolerabilem contributionem, deſtruantur, ſpolientur, & perdantur, cives noſtri exuantur, ex urbe detrudantur, & coridianæ direptiones, devaſtationeſque militum nunquam deſinant, nec quidquam ab exteris vicinis importari, aut exportari queat, quod ad ſuſtentationem faciat vitæ; forte & nos in exilium cuncti mox noſtros eiectos ſecuturi ſimus. Propter [redacted] pro liberatione maiori noſtræ innocentiæ, & nomĩnis honeſti heri curavimus, ut die Sabbathi noſtrâ in omni iure admiſſa retorſio ex omnibus cathedris in noſtra civitate publice fit prælecta; velut etiam in omni veritate hoc affirmare poſſumus, eiuſmodi negotium laboriosum, & iniurioſum à nulli mortalium uſpiam antehàc ſit obiectum, &c.

Litteræ hæ ſubſcriptionem tam ſenatus, quàm amicorum ex tribubus, & cõmunione Civitatis Goslarienſis continent. Proclamatio autem publica, quę in omnibus urbis huius templi 3. Dominica poſt Trinitatis 17. Iulij An. eodem facta eſt, ita ſe habet.

Nos conſules, ſenatus & amici ex tribubus, & cõmunitate huius Civitatis Goslarienſis cuique notũ facimus, uti etiam tam in, quàm extra urbem cognitum eſt, quam male; proh dolor, ego (Henningus Cramer à Clausbruch) conſul, ſicut & Senatus, & cives paſſim; quaſi nos univerſim, & ſigillatim proditoris litterarum commutationibus, hec non ptã deliberata pulveris occultatione commaculaverimus, malitioſè, periculoſè, & plane inhoneſte traducti, & diffamati ſimus: Atque licet illa affícta ꝓditoria litterarum permutatio, quum nihil talium ſcriptorum nobis oſtendi, aut quiſpiam mortalium, qui ſimiles litteras vidiſſet, legiſſet, aut quid indicationis de iis facere potuiſſet, produci, aut in faciem ſiſti poterit, ſeipſam refutet, & per ſe in nullitatem ſuam convicta corrucidat; velut etiam alterum, pulveris reſer[illegible]

obiectum vitium per eandem nullitatem similiter semetipsum quidem confundit, quum post factam huius urbis occupationem, ad omnes nostras senatus turres, fortificia & alia munimentorum receptacula pertinentes claves iuxta mandatum Regii Generalis Dn. Ioha. Banniij per senatus nostri amicos, & Artogeriæ deputatos Dn. Conradum Volchmarum relicto tunc commendanti, & præfecto D. Ioach. Milzt. (inter quas clavis etiam, ad turrim dicti, & præsumpti pulveris pertinens fuit) plenarie in facto traditæ sint, à quo ita consequenter Successoribus cunctis exhibitę fuerint; in eorumq; possessione usq; adhuc permáserint; ut ita, licet nominatus pulvis non citius à Dominis Commendantibus, aut eorum deputatis sit inventus, non mihi consuli (Cramero) nec nobis, Senatui, quum per traditionẽ clavium omnia, quorum aperiu à claves hæ continent, in illos transportaverimus, quidpiam incompetens, nedum periculosum quid in fundamento imputari queat: Attamen contra omnem spem ante paucos dies in dolore, & angustia præter illud figmentum ab aere consumptum, istud comperiri coacti sumus, quod calumniantes nostri in confictis additamentis suis non se exsaturare valuerint, sed tam Illustr. & excelse nato Principi ac Dn. Dn Frider. Ulrico, Duci Brunsv. & Lunæb clem. nostro Dn. quam Reg. Maj. Sueciæ Clem. n. R. Generali militiæ Commissario, Gruningæ residenti, & cume Consulem, & alios innominatos cives ita malitiose per meras calumnias denunciarint, quasi nos portam in patrocinium adsumpturi, Regii præsidii milites interfecturi, & aliquot homines V Volferbytum captivos tradituri, atque sic extreme satis devastatam urbem prodituri, aut proditorie occupaturi, & cum oblivione honoris, bonorum & sanguinis, aliis in manus traditur[illegible], & dedicaturi essemus. Quam v[illegible] mihi consuli, neque senatui, neque nobis amicis ex tribubus, & communione, tam præcedentia, quam hoc proditorium adiectum unquam in mentem, cor aut cogitata pervenerit, nos quoque coram Deo, tanquam omniscio, & unico indefraudabili cordium exploratori, & in nostra Christiana honesta conscientia innocentes; tum neminem ex civibus nostris conscium talis notcamus, atq; tum cum tali apud Deum tam, quam omnem mundum, & apud hostes non minus, quam amicos odioso, & detestabili vitio (uti huc usque non factum est, nec ita, auxiliante Deo, in actum deducetur) obnugrari, infici & commaculari nos haud cogitemus.

Et tamen quum sensu liter in secura nostra innocentia priores duas nobis adiectas maculationes, & in se absumpta adiectamenta nobis deleverimus, cernamus, quod inde nostri malitiosi persequentes calumniatores per talia non meliorentur; sed potius in maligno, & pernicioso corde obfirmentur, indurenturque, & ad continuationem calumniarum, nec non ad nostrorum omnium, civiumque in extremo gradu exhaustorum, ulteriorem suppressionem, & perniciem animari velint.

Quum tamen erga tales diffamatores, & nominis honesti spoliatores ius nostrum quærere, & vindicare possimus, nondum scientiam comparaverimus: Nec minus tamen interim omnia communiter conscripta iura cuivis innocenti traducto, & in honestate læso ad vindicationem nominis honesti, & famæ, quæ vitæ ipsi æquiparatur, reluitionem maligniter commissæ calumniæ largiter & salubriter indulgeant, & concedant:

Proinde non quidem in animo cuiquam indebite iniuriam inferendi, aut calumniandi; sed mihi Cõsuli, senatui & amicis tribuum & communionis etiam aliis honestis civibus adiecta facinora, flagitiaque avertendi à nobis & in calumniarum conflctorem, eiusque sinum calumniosum retorquendo cõvertimus, atque illum, aut singulos illos, qui nos apud Illust. Ducem Brunsv. & regios Suecicos ministros traduxerunt calumniose, tandiu pro honoris omnis, & famæ oblitis nequitiosis proditoribus cẽsemus, & æstimamus, donec unus, aut alter mihi cõsuli, Senatui, & amicis tribuum, & communionis, aut ulli honesto civi aliquod proditionis vestigium legitime imputare, aut iuxta iuris modum contra nos probare queat, quod per Dei auxilium unicuique, sit cuiuscunque velit conditionis, in omnem æternitatem impossibile erit ad præstandum.

Nos quoque consul, senatus & amici ex tribubus, & communione hanc retorsionem, aut recompensationem huius in nos coniectę iniuriæ, protestificatione, & liberatione nostræ innocentiæ, honoris, famæ, nominisque boni, iuxta extremam Civitatis nostræ, & civium necessitatem hac proclamatione expediri curavimus, quam die Sabbathi 16. huius currentis adhuc mensis Iunij, in nostro consessu unanimiter constituimus, & sequenti die solis ex omnibus Cathedris, in nostræ civitatis templis ad prælegendum proponi decrevimus; quod omne, uti iam dictum est, factum 16. Iulii An. 1632.

Retorsionis, & excusationis huius defensionem operosæ, pro necessitatis ratione quidem factam esse satis indicat multiloquium, quod constrictius fieri potuisset. Sed ubi dolor, etiam fervor non sine verborum acredine vigere solet: Attamen persecutio incepta hostilis vix inde quid remissionis accepit, quum viæ plures, premere bonos, cupientibus non desint, qui cotidie ferventiores stomachos ad devorandum sibi sumunt. Variæ igitur insidiæ substructæ sunt huic consuli præsertim quum hostes prędæ opimæ appetentes indies magisque ab iis instigarentur, quos minime decebat, & merito pudeat. Per se bona ipsius variis obnoxia erant persecutionibus, nisi quod titulus coloris digni abesset. Hoc dispiciebatur sedulo: ideo aderant assiduæ minæ, attestationes, ut inde vir iste in morbum incideret, maxime quum ipsi annũciaretur, quod ex crebris flagitationibus adversariorum carcerem Rex Sueciæ per literas ad commissarios suos dictasset, uti adsignatio sub dato 8. Nov. An. 1632. ex Halberstadio id monebat. Hinc suasores omnes amici ipsi fuerunt, ut migraret commode, quod etiam ratio recuperandæ valetudinis expetere videbatur. Sed quum inde Hildesiam discessisset, & inde Lubeccam ad coniugis fratrem, continuo confiscatio bonorum eius coniugi est indicta, quæ cuidam Herdesiano Anhaldino commissa fuit, ut exqueretur.

Quum vero eius Uxor non tantum dotis ius suę interponeret apud protegem Sueciæ Principem Anhaltinum Ludovicum, ac senatus eidem competentiã confiscationis ex militari instituto abnegaret, alia ratio enucleata est, nẽpe inventationis, & ut mulier ea suam probaret dotem, iuxta mandatum Lud.

Anhal-

Anhaltini ſub dato Cothen 4. Iunii An. 1633. Verũ accidit, ut non tantum privatus, & publicus rancor ex Illuſtr. Ducis Fr. Ulr. Brunſv. in An. 1634. obitu, quum in gradu cochlidis deſcendens, vacillando luxaſſet femoris os, quid remitteret, ſed etiam dubius incipiebat hærere Anhaltinus, num diutius vice Regis Suecici officium continuaret, præſertim, quum poſt finitum Halberſtadii conventum 17. Februar. & Francofurti 12. April. conventum de tractatu pacis multa circumferrentur, qui Pirnæ prius hoc Anno inceptus; at Pragæ An. 1635. finitus eſt 30. Maij: Unde mitiori ſtilo procedebatur.

Nova Goslarienſibus An. 1634. 3. Octobr. obiecta eſt turbatio ex obitu dicti Principis Frider. Ulr. Brunſv. Etenim illuc tunc perveniebant aliquot Ser. Elect. Saxon. Legati cum mandato, ut poſſeſſionem montis Rhamni, nomine Ducis ſui apprehenderent ſolemni actu, quibus per Iohan. Bremerum ſecret. ſuum proteſtationem inſinuabant talem; quod Senatus urbis huius nulli in monte Rhamno dicto quid proprietatis iure concrederet præter decimas, quæ per 13. laminas, aut quaſi llos æris metallici determinarentur. Licet enim Duces Brunſv. & Lunæb. de facto ſibi quid in ea poſſeſſione adſignaſſent; tamen litis huius controverſia ad Cam. Imperialem, nec minus ad Aulæ Imperialis iudicium eſſet devoluta, ubi cognitio eius penderet.

Quare ſtatim ſub obitu prædicti Ducis Frid. Ulr. p.m. huius montis poſſeſſionem denuo totaliter apprehendiſſent. De via autem facti in tali poſſeſſione iterum à Ducibus Brunſv. & Lunæb. Cellenſis lin. turbata eſſet civitas, cuius indicationem debito loco feciſſent, ut inde ſententia eſſet expectanda. Quum igitur Ser. Elect. Saxon. eum luſtitiatium noſceret, qui in præiudicium Civitatis nihil eſſet ſuſceperurus, pereret Senatus, ne quid contra luſtitiæ normam committeretur: alias cum ſolemni proteſtatione ſibi omnia reſervarent iura. Ad quod reſponderunt Legati, quod Sacr. Cæſ. Maieſt. Sereniſſimo Electori defuncti Principis portiones ibi metallicas in feudi recognitionem donaſſet; Inde ſe ex eo capite illuc miſſos eſſe, ut omnia talia bona, lineam Wolferbytanam concernentia, poſſeſſione apprehenderent, cui commiſſioni merito inhærerent cum reproteſtatione; ſi mons Rhamni ſub iis complexus, in &c.

Liberati poſtea à Suecico præſidiario ſunt milite, & rediere Goslarienſes in plenam Imperatoris devotionem, in qua ſe manſuros etiam Lunæburgi An. 1639. in conventu circulari per conſulem Reimerũ, & Secret. Reccium ſuum erga S. Cæſ. Majeſt. Legatum Illuſtr. Dn. Comit. Ferdinandum Curtium, quum ipſe quoque ibidem adeſſem, declararunt; licet iterum à Suecis per Ducem Franciſcum Henricũ Saxoniæ, quum Albim ſub fine conventus iam dicti circulatis, & conniventia vicinorum ſatis miſeri, & fame ſemienecati traiecciſſent, ſint exactionibus novis flagellati.

NORTHAEMIA.

NOrthæmia Civitas, à Nõtenia, qua Gottingam tenditur, milliare Germanicum diſtans, in planitie amœna ad montes duos verſus occaſum ſita, & ex arce Catelnburgenſi, olim Comitũ & Principum eius ſede admodum iucunda adſpectu, ubi Rhuma fluv. Suavi ſuſurro montem Braunſteinianum alluendo præterlabitur. Cives, & incolæ eius ex commercio, & agriculturæ proventu laudabiliter vitæ ſuſtentationem non ſine divitiis commodis ſibi conquirere ſemper ſoliti ſunt; ſtudioſi admodum honeſtæ libertatis, velut etiam Scholæ eius ſuperioribus annis, quum M. Andream Ebberchtum, virũ ſpectatæ vitæ, & in litteratura clarum, informatorẽ adoleſcentiæ haberet, erudita procreavit ingenia. An. 1061. Agneſa, Pictavienſis Ducis Wilhelmi, filia, & Imperatoris Henrici 3. relicta vidua, quæ ex vigore teſtamenti Cæſaris ſui tunc tutrix filii Henrici 4. deſignati iã Cæſaris ſub ipſius Baptiſmatis momento Coloniæ An. 1050. Imperio Germanico cũ laude tranquillæ adminiſtrationis præerat, Ottonẽ, Sanguinis Saxonici Ducem, Imperatoriſque Henrici 2. Cognatum ex plenipotentia ob bene in bellis præſtita merita, egregio ſane, nimirum totius Bavariæ Ducatus dono, quum Conradus rebellis priden à marito Imperatore inde in exilium eſſet electus, quidem affecit: ſed non diutius, quam per decennũ id, propter accuſationem duplicem, quod non ſolũ cum Hannone 2. Colonienſi Epiſcopo, & Egberto Marchione Sax. An. 1062. impuberem adhuc Imperatorem educationi maternæ ex aula Werthenſi ſub ſpecie fallaci ſubduxiſſet, ſed etiam quaſi Cæſari ſuo inſidias vitæ ſtruxiſſet, retinere potuit.

Hinc Otto iſte in Saxoniam regreſſum ſumpſit, ibique Anno 1072. Ducem Provinciæ ad Viturgim, Dominumque Northeimenſem iuxta factam receptionem ſe appellavit. Potentiam, & vires ubi fortes cum favore vicinorum ibi acquiſiverat ſibi, cœpit in vindictam contra Imperatorem cogitationes ſuas convertere; nec deerat occaſio. Etenim quum Anno 1073. in Thuringia, & Saxonia plurimas arces, & caſtella erigeret Cæſar, ex quibus præſidiarii vicinos undique deprædabuntur, ac vim quoque fœminis inferebant; ſed etiam non poſſent in iuſtis querelis auditi proceres, coniuratione in libertatem defendendam utriuſque regionis populi inter ſe convenerunt. Tum quoq; Saxones non poterant perferre, ut ſedem parentis Goslariæ incoleret. Quippe quaſi ex naturæ inſtinctu eius loci, quod ibi non tantum An. 1050. in Palatio Patris natus, ut ſupra innuimus, ſed etiam ipſius parens cœlitus quaſi monitus An. 1056. exſpiraſſet.

Namque dicto anno fulmine concutiebatur Palatium illud Goslarienſe tam ferventi, ut etiam Cæſaris Henrici 3. clypeꝰ cum gladio eliquefieret, quod pro omine infelici merito habebatur, quũ 5. Octob. illic ex affluxu Cathartoſo, quo Borchfeldi obrutus fuerat, moreretur: Ut quoque Pontifici, qui admodum infenſus erat Imperatori, ſe gratioſiorem, & eius obſervantem virum oſtenderet Dux Otto, Northeimij Cœnobiũ nobile ædificabat. An. autẽ 1075. quum conſpiraſſent in Imper. aliquot Duces, & Epiſcopi Sax. nempe Dux Magn. Elect. Sax. Otto Dux Northeimenſis, Epiſcopi Hildesh. Halberſt. Padeborn. Magdeb. aliiq; Comites, primo ingenti prælio 9. Iun. in Thuringia prope Neilſtadium ad Unſtrutam coierunt adeo fervide, ut nulla pars alteri cedere cuperet. Quãvis ſe Saxones tribus gladiis armaſſent ad diuturnitatem conflictus petlerendam, & Dux Northeimenſis undique primum ageret invaſorem; tamen victoria tandem penes Imperatorem

manſit ſatis cruenta. Quippe Duces Saxon. ferme incolumes evaſerant, præter Geraldum comitem Suppelinburgenſem Parentē Lotharij, poſtea Imp. Aſt à parte Imp. potiſſimi petierant Duces cū fortiſſimis.

Nihilominus circa menſem Novemb. Cæſ. novū adornarat exercitū, quod quū incauti non putaſſent Saxon. ideo ſe ſubmiſerunt ei, inter quos præcipuū ſibi Ottonem North. captivum ſelegit. An. 1076. tamen, quum celebraret Imper. Henricus 4. Comitia Goslariæ, ex cuſtodia Ducem iterum dimiſit. Sed neque hæc fides ſatis diuturna Saxonum fuit, tam plane infenſi erant Imperatori. Quare inter alia An. 1079. denuo coniurabant Dux Otto North. Herman. Dux Sax. & Lunæb. Udo Marchio Soltquellenſis, Tidæus Marchio Landsberg. Egbertus Marchio Thuring. Fridericus Palatinus Sax. octo Epiſcopi, Bernhardus Halberſt. Ezelius Hildesh. Wernerus Meisburg. Edbertus Mindenſ. Immodus Padeborn. Fridericus Monaſter. Benno Sleiſenſ. & Wenzelius Magdeb. 6. Comites, Diderici Eylenburg. filius, 4. Honſtein. & Henricus Ratzeburg. qui exercitum ultra 60000. milit. coegerunt; obſidione primitus Goslariam premebant; quum vero Imper. in Thuringiam recederet, prope Homburgum aut Uberam ad Unſtrutam iterum adeo pugnatum eſt acriter, ut per 5. mi l. interfecti reperiantur, Victoria apud Cæſarem manente.

Hæc omnia ſic ad nutum pontificis fiebant, cui ſe totum Otto Northeim. accommodarat, quod ab omni iuramento Saxones abſolviſſet, quo Imperatori obligati erant, unde novem acerrimis conflictibus concurrebant cum Cæſare. An. 1081. exigebat à Principibus Germaniæ, ex Italia ſic ſcribens, ut filium eius Cunradum Succeſſorem ipſi eligerent. Sed maximus diſſuaſor fuit iſte Otto North. ſimile hoc afferens, nūquam eſſe auditum quod mala vacca bonam producat ſobolem. Itaq; elegerunt Hermannum Lotharingicum, quem Goslariæ coronabant in Cęſaris Veri contemptum, donoque ipſi offerebant arcem Eislebienſem, ubi cæparum multitudo creſcit, propterea quoque eum Cæparum Regem dixerunt reliqui, qui Henrico devoti manebāt. Ex his igitur cauſſis, aliiſque Comitatus ille olim celebris fuit, ſe ad Viſurgim ampliter extendens: Unde quoque Lotharius Dux Brunſvicenſis, antequam ad Imperatoriam Dignitatem eveheretur, ob celebritatem, amænitatemque loci nuptias ſuas cum Rixa, Comitis Henrici Pinguis filia, quæ avia ex filia Gertrudi extitit Henrici Leonis, An. 1100. in Northeimenſi arce ſolemni cum pompa inter quam plurimos proceres Imperii celebravit. Henricus ille Pinguis filius fuit Ottonis, Ducis Northeimenſis; ſed maſculam prolem nō habuit, niſi unicam filiam Rixam: condidit cœnobium Burfeldiam Collegium Canonicorum An. 1103. ubi ſepultus eſt.

Northeimenſium autem notabilem Hiſtoriam tragicam ob pertinacem avaritiam ſuam Comiti Daſſelienſi Adolpho 2. Audaci Ottonis filio exhibuit. Quippe Comes iſte ex inſtinctu matris deſpōſatam ſibi tenebat Adelheidam Domini de Pleſſe Conradi filiam. Priuſquam autem domum duceret eam, controverſiæ quid inter prędictos Canonicos, & Comitem hunc de prætura quadam iure feudi ſuperioris ad Comitem concernente, excitatum eſt. Huius dimidiam partem invitis Dominis ſuperioribus ſubinfeudati & Vaſalli Daſſeliæ familiæ titulo retrovenditionis abalienarant, & tranſportarant ad Capitulum Northeimenſe: quam proinde Comes in totam ſibi prius, quam Adelheidam in matrimonium adſumeret, vendicare ſtudebat, quum talis abalienatio contra conſenſum Domini infeudantis facta eſſet. Capitulares opponebant æris ſui expoſitionem, quodque iuſto titulo dimidiam prætoriatus illius poſſiderent. Comes acquieſcebat in iure ſui dominii ſupremi. Quum itaque actio talis ad nulla poſſet traduci media, capitulareſque in obſtinata permanerent, ſubſiſterentque ſententia; inde utriuſque partis acerbitas in eam excrevit vehemētiam, ut minis ad invicem diu ferventer ſatis concertarent. Nihilominus vicini nobiles cum Civitate Northæmenſi, quibus Comitis animus acris cognitus erat, multis conatibus intervenīebant, ut res litigioſa componi poſſet. Sed neque ſic quid effici poterat, quum non deeſſent, qui Comiti ſuum Dominii ius extollere noverant. Unde is eo magis confirmabatur in propoſito, niſi cedere vellent Capitulares, qui nec minus iuris ſui præſumpti fortes erant defenſores: Quod adeo mordebat Adolphum Comitem, ut via facti proſiliret, & incendio funditus Capitulum illud deleret. In hac combuſtionis calamitate 15. Capitulares cum miniſtris, ſecum ſumentes omnia clenodia, ornamenta, libros, ſcripta ſua litteraria cum regiſtraturis, & alia (inter quæ Maſſa auri erat, 1000. libras auri puri continens, quam Dux Otto Northeimenſis, auctor huius Cœnobii, ſub obitu illis donatione liberali adſignarat) confugerant in templi cameram, ubi ſe ſalvarent cū his; ſed vis ignis ita vehemens erat, ut ibi miſere perirent ſimul.

Ex facto autem hoc iniquiſſimo Comes Adolphus 2. Daſſelienſis in tantum undique odium apud vicinos proceres, & præſertim nobiles incidebat, ut aperto bello illum perſequerentur & paſſim omnem ditionem eius ad Leinam, Mucram fl. & ſylvam Sollingam diriperent, unde adhuc tot conſpiciūtur rudera: Velut & Dux Henricus ſuperbus Saxoniæ qui tunc præſidem in Comitatu Gottingenſi, & Northeimenſi loco Lotharij agebat, hac occaſione commoda utebatur, occupabatque arcem Lawenbergam, & reliquas ditiones in hoc tractu circa Gottingam, & Northæmiam, quod feudalium bonorum talium non amplius eſſet dignus. Tum quoque Archiepiſcopus Moguntinus ad inſtantiam Mauritij ab Hardenberg Presbyteri Northemenſis, & Iohānis Reidelmanni Abbatis, qui tempore incendij nō domi, ſed Erfurti in monte Petrino abſentes fuerant, hunc Comitem Adolphum, & Comitem Hierſteinenſem, omneſque eorum adſeclas banno percutiebat, ut nuſpiam tuti eſſent.

Licet autem in hanc neceſſitatem extremam Comes Adolphus conjectus eſſet, tamen omnem intētionem direxerat in hoc, ut tandem ſponſam Adelheidam Pleſſovianam domum ducere poſſet, & ex acti illa excommunicatione liberaretur. Quare tandem mater eius, & Salome Comitis Ottonis Daſſelienſ. per Comitem Reinholdum Presbyterum Summi Capituli Hildeshæm. fratrem Adolphi hoc impetrabant apud Archiepiſc. Moguntinum, ut in præſentia multorum Præſulum, & Comitum tractatio compoſitionis ſuſciperetur.

Duriſſi-

Duriſſimæ Conditionis Articuli hi tres erant. 1. Ut ob perpetratum facinus Cœnobium Virginum ad 24. Perſonas Comes Adolph. erigeret. & tot bona illis adderet, quæ ad vitæ commodæ ſuſtentationem ſufficerent. 2. Ut deſponſatam Virginem ſibi in matrimonium minus aſſumeret, ſed vitæ Monaſteriali, ad Abbatiam conſecraret, nec in æternum eam tangeret. 3. Ut non tantum in reluitionem facti templum ſplendidum Cœnobio Northæmico novum ædificari de novo & plumbeis laminis tectum curaret; ſed etiam alia bona de ſuis Capitulo huic adiiceret.

Interponentes quidem variis utebantur moderationum interpellationibus; verum Capitulares Northæmenſes nihil earum admittebant, ut cogeretur tandem Comes ſecuritatis, & liberationis ab excommunicatione cauſſa poſtulatis his duriſſimis conſentum addere ſuum. Tranſactio hæc facta eſt Motingiæ in D. Martini templo Anno 1130. in ſeptimana Quaſimodogeniti, & quinto anno Imper. Lotharii. Quum autem nec ſic ſatis reconciliatus videretur, plane Adolphus ex his diſceſſit locis ad Comitem Adolphum 4. Holſatiæ, ubi quoque vitam finiit, ex quo plurima bona, decimæque circa Northæmium Comitum Daſſelienſium ad Capitulum Northæmenſe pervenerunt.

Civitas autem Northæmenſis quum tempore Lotharij Imperatoris liberiorem ſtatum aſſecuta fuiſſet, aliis Civitatibus pro conſervatione commerciorum apertioti fœdere ſe adſociare cœpit. Etenim in tantam ferociam excreverat nobilium prædatio, ut nuſpiam ferme tutæ apparebant viæ mercimoniis; unde fidelem amicitiam non ſolum cum vicinis Civitatibus, ſed etiam Ducibus, & Proceribus exercuit, uti factum eſt in diffidatione illa Hildeſienſi ſub Bartholdo Landsbergico Epiſcopo 44. ubi in adiutionem Civitatis Hildeshæm. cum Duce Henrico Brunſv. & Grubenhagenſi, Ducibus Luneburg. Epiſcopis Oſnabrug. & Mindenſ. Comitibus Lippiæ, Hojæ, Schomburg. Diepholt & Rotenburgenſi, nec non Civitatibus Magdeb. Goslaria, Lunæburgo, Stendalia, Eimbecca, Hannovera & Gottinga An. 1485. adeo firmum fœdus coluit, ut etiam uſque ad finem huius belli conſtantem ſe exhibuerit, atque tranſactioni ſimul An. 1486. die Mercurii poſt Luciæ datæ ſubſcripſerit. Interim tamen durante hoc bello Northæmenſes fidelem ſemper præſtiterunt manum ſociis ſuis, & plures perfecerunt invaſiones in hoſtium ditiones: ita An. 1485. frequentes fuerunt in adſociatione cum Gottingenſibus, & Eimbeccanis; cum quibus inter alia 20. Iunij Pagum Luttichenrodam ad Eſpelum fl. tum diripuerunt, & igne devaſtarunt; quod uſque mordaciter offendit Ducem Wilhelmum Brunſv. ut copias ſuas omnes ex Hardeſſia 29. Iun. contra Northæmiam educeret. Sed quum nil aliud efficere poſſet, vindictam ſuam in frumenta agri, lupulum, hortorum fructus & braſſicam convertit.

Sic etiam ante huius Ducis Wilhelmi tempora ſub Duce Brunſv. & Grubenhag. Ottone Monoculo An. 1423. Northæmenſes cum Civitatibus Hanſæ Goslaria, Magdeburgo, Brunſviga, Hannovera, Stendalia, aliiſque Hanſeaticis ſe coniunxerunt, & una cum Iohanne Epiſc. Halberſt. eiuſq; coadiutore Magno Duce Saxoniæ Halberſtadium, quod Civesibi Magiſtratum ſuum in ſeditione captum tenebant, eiuſque plures decollarant, oppugnarunt iverunt. Obſidio eius per biennium ferme uſque excurrebat, adeo obſtinate ſe defendebant Halberſtadienſium tumultuarij, donec tandem cogerentur primarios factionis in ſupplicium tradere confœderatis his, & ſeditio nova Magiſtratus reſtitutione componeretur. Ita ſimul An. 1462. quum Dux Fridericus, Wilhelmi Senioris Ducis Brunſv. & Lunæb. filius, inter Gottingam & Northæmium aliquot currus argento, panno, aliiſque precioſis mercimoniis oneratos ſpoliaſſet, & prædam inter equites ſuos diſtribuiſſet talem; quæ bona potiſſimum Lubeccenſes ſpectabant. Hanſeaticæ omnes iſtæ civitates apertos ſe huius Ducis hoſtes exerebant, regionemque eius ita penitus expugnabant, ut tandé Dux Wilhelmus ſe pro filio interponeret, & in maiorem ſecuritatis fidem Moringiam Civitatibus uſque ad planiorem cauſſæ cognitionem oppignoraret.

Sed quum Dux Fridericus ille An. 1466. ad ingenium ex inſtinctu nobilium ad prædationes adſuefactorum rediret, iterumque currus, mercimoniis impletos in direptionem ſuis malignantibus exponeret, longe acerbior Hanſeaticarum iſtarum rancor extitit. Etenim Civitates Hanſæ, Brunſviga, Goslaria, Magdeburgum, Halla, Halberſtadium, Gottinga, Northæmium, Eimbecca, Hildeshæmiũ, aliæque plures, inter ſe, ipſum Ducem Wilhelmum Brunſv. ſeniorem cum filiis Friderico & Wilhelmo hoſtem declarabant Civitatum, quod is non prohibuiſſet tantas deprædationes filiis in viis publicis. Denunciabatur hoc Duci, qui belli caſu quod tunc contra Ducem & Civitatem Lunæb. vigebat, id excuſare conabatur, ſed addebat etiam, iure fieri, quũ Civitates cum Lunæburgenſibus participarent ſua bona.

Quare eo ferventius Civitates in eius ditiones irruebant, inter reliqua oppida occupabant vi Hardeſiam, Moringiam, & liberabant Hannoveranos ab ſuburbio Ducis, funditus id igne delendo. Hanc quoque invaſionem An. 1467. circa feſtum Penteceſtes verſus Sylvam Deiſterum ad Viſurgim & Leinam repetebant, quicquid obvium diva ſtabant, inque oppido Gerda 7. nobiles, & 70. ruſticanos quũ inveniſſent, captivos abducebant, oppido in incendium conjecto. Oppugnabant ſimul Aeldageſſum, & Calenbergam arcem: à quo propoſito non deſtitiſſent, niſi Elector Brandenb. Fridericus 2. Marchio ſe interpoſuiſſet. Ideoque An. 1467. Quedlinburgi inſtitutus eſt conventus inter partes: variæ quidem movebantur difficultates, tamen quum cernerent principes, quod Civitates ob diffidentiam cedere nollent, damni mutui compenſatio medium tranſigendi fuit, & promiſerunt principes tutiorem commerciorum viam Civitatibus, quodque ipſos nobiles non eſſent amplius in prædationum ſtudio perpeſſuri. Hæc res quum ita eſſet fructuoſe die 2. Febr. ſive purificat. Mariæ compoſita, omnibus paſſim in hiſce Ducatibus Incolis ſingulari id fuit tripudio, & Deo gratias in templis publicas agebant.

Northæmia autem ex tertia diviſione Principum Brunſv. ab Alberto Duc. Brunſv. Magno, quam inter tres filios Henricum, Albertum & Wilhelmum inſtituerat, An. 1179. fratrum medio Duci Alberto

Pingui una cum territorio ultra Sylvam Gottingenſem adſignata eſt; ad quam ſic partem pertinent, Gottinga cum ſua ditione, Comitatus Northeimenſis, ditio Vſurgana, Sichelſteniũ, ditio inter Wetteram & Fuldam, Domus aut arx ad Palum, aut paxillum ſum Pfalzid eſt, Múda, Brakenbergum, Ottensburgum iam Bramburgum, Geiſelnwerdera, Lawenbergum ad Solingam cum Moringia, &c. velut Duci Wilhelmo Iunioti ad ſuam partem Brunſviga, & omnis ditio Wolferbutteliana attributa eſt: Maiori autem natu Henrico pars Grubenhagiana cũ Eimbecca, Oſteroda, Hertzberga, Lutterberga, Gebelhauſio, Duderſtadio, & cuique parti ſua tertia portio in fodinis metallicis addicata fuit. An. 1545. quum bellum proteſtantium contra Ducem Henricum Iunior. ſeveret, & caſtra Elect. Saxon. Iohan. Frider. cum Landgravio Haſſiæ circa Northæmiam metati eſſent, Dux Brunſv. Grubenh. Erneſtus ibi 1000. equites, & 2500. pedites, ac 12. magna tormenta bellica in proteſtantium auxilium ad eum locum North. adduxit, quibus poſtea irruptionem in agnati Ducis Brunſv. Provincias fecit.

Anno 1547. non raro Northæmenſes in periculo erant; tamen quum portas, & muros vigilanter obſervarent in illis turbis, multa averterunt à ſe pericula: velut etiam an. eod. quum ab Elect. Saxon. Iohan. Frider. Comes Albertus Mansfeldenſis iuſſus eſſet diverſionem Erico Duci Brunſvig. qui tunc Bremæ religionis cauſſa obſidione dura incumbebat, inferre ex Mansfeldo per auream convallem verſus Northauſeam, Schartzfeldam, Catelnburgũ, Northæmiam & Eimbeccam uſque Gronoviam petebat, donec ſecum Civitatum Hanſæ exercitu 23. Maij coniungeret non procul à Langenhagio. Ubi poſtero die 24. Maij prope Drahenburgum offenderunt Ericum Ducem Brunſv. milite bene mũdato inſtructum; ſed talem cum eo conflictum habuerunt, ut prælii Victoriam amitteret, & ipſe vix cum Conrado Wernero Prætore ſummo Caleburgico in Neoburgam ad Veſarim in Comitatu Hoienſi ſitam evaderet. Poſt an. 1553. Dux ille Ericus ſen. una cum Marchione Alberto Norico Civitates Hanſæ in ſuas pertrahere partes ſtuduit, ſed in tempore illi diſſuadebatur, ne id tentaret, antequam proteſtantium captivos dimiſiſſet. An. 1576. quum Dux Ericus Iun. Ducis Franciſci Lotharingiæ filiam Dorotheam alteram Coniugem ex Nanci, ubi nuptiæ antecedenti anno celebratæ erant, in ducatum ſuum introduxiſſet, eidem ditionum ſuarum amplitudinem, ac ſplendorem oſtendere vellet, in ipſa via, qua tendebat Northæmiam Dux, ubi ſplendide omnia apparata erant pridem, ipſi annunciatum eſt, quaſi Comes ultimus Hoienſis (qui tamen Anno 1582. obibat) eſſet defunctus, ut proinde intentionem minus perficere poſſet.

Quum vero An. 1584. Dux iſte in Italia Paviæ terram hanc reliquiſſet, ſequenti anno 1585. 28. Iunij Dux Iulius Brunſvic. cum ſolemni pompa pervenit Northæmiam, ubi à civibus & aliis, qui illuc vocati erant, ipſi homagium præſtitum eſt. Sub cuius Ducis pacifico regimine commercia Civitatum rectius florere inceperunt, velut & per Northæmiam indies ex Goslaria, Brunſviga, Hamburgo, Lubecca & Hildeshæmio Caſſellas & Francofurtum, ceu per ordinariam viam publicam commercia vecturis ſine evidenti incommodo ſunt tranſportata: Velut & aliquouſque tempore Henrici Iulii Ducis Brunſv. & Philippi ac Wolfgangi Ducum Grubenhag. Reliquerant ſub diſceſſu ſuo Benedictini Monachi campanam amplam in Cæmiterio Northeimenſi, quam Dux Philippus ex conceſſione Ducis Henrici Iulii Catelnburgam tranſtulit: Hanc arcem Dux Chriſtian. Brunſv. Epiſc. Halberſt. An. 1625. miſere incendio, quum ipſi Comes Tillius immineret cum Duce Fridlandiæ Alberto, perdidit. Eod. An. & ſeq. Northæmia adeo duras pertulit expugnationis vices, ut in obſidione Tilliana ipſi ultra 400. Cives perierint. Iam vero Duci Georgio Lunæburg. paret iuxta compactiones ſuas.

LVBECCA.

SEd priuſquã ad ulteriora perveniamus, quædam notabilia brevibus ex Chron. ſcripto Lubeccenſi, quæ ad illuſtrationem fœderis huius, eiuſdem neceſſitatis & auctoritatis, quæ penes Directores reſidet, ſimul faciunt, excerpemus, atq; heic inſeremus. Anno igitur 1328. Chriſtophorus Rex Daniæ privilegia & libertates Civitatibus antea conceſſas, ſtabilivit & confirmavit, quę in ſecunda parte Lubeccẽſis Chronicæ ſub Anno 1462. reperiuntur iuxta formalia ſua. Anno vero 1338. die trium Regum Lubeccę ingens erat conventus tam Principum & Magnatum, quam Civitatum. Antehac ſimilis frequentia nunquam ibi fuerat in tanto ſplendore. Aderant etenim ibi Archiepiſcopus Bremenſis, Epiſcopus Brandeburgicus, Suerinenſis, Ratzeburgicus, Halberſtadenſis, Lubeccenſis, &c. Deinde præſentes erant Marchio Brandeburgicus, Ludovicus Dux Brunſvicenſis, Dux Lunæburgicus, Princeps Stetinenſis, Wolgaſtianus, duo Principes Saxoniæ, Comes Holſatiæ, Comes Schwerinenſis, Dux Megapolitanus, Dux Vandaliæ cum aliis, ut viginti eorum nunciarentur; Inſuper Civitatum, Hamburgæ, Wiſmariæ, Roſtochij, Stralſundij, Grypſwaldiæ, & aliarum Legati, honorabiles ſane viri; Qui omnes inter ſeſe fœdus pro libertate commerciorum contra violentiam prædonum, & nequitiam mercimonia infeſtantium firmum conficiebant, quomodo malignantium vis infringi, & nebulones irremiſſibili pœna affligi poſſent, ut ita communis per terram & mare Pax & tranquillitas eſſet, & mercatoribus tutæ & ſecuræ in negotiis ſuis paterent undique viæ per tales locos & regiones ſimul.

Conventus iſte ultra 8. dies durabat, dum interea quiſque ſplendide ſatis ſuam exerceret magnificentiam. Licet autem eiuſmodi confœderatio ſatis conſolidata mutuis promiſſis videretur; tamen non tantum per illud interveniens, quod Woldemarus Chriſtophori filius pro Rege Daniæ An. 1340. introduceretur in regnum, ſed etiam Lubeccenſibus Arx & oppidum Segebergẽſe ad inhibitionem prędationum à Comite Iohanne Wagriæ oppignoraretur, factum eſt, ut Nobiles Holſatiæ rapinis ſupra modum ſemper addicti, Ducem Saxoniæ & Comitem prædictum Holſatiæ mitterent ad Regem Daniæ ſub ſpecie tranſactionis; Interim tamen, quũ Imperator & eius filius Ludovicus Marchio Lubeccenſium Dom. tutelaris in defenſionem eius Urbis

200.

200. equites sub præfectura Friderici Lonken Mareschalli sui mitteret, nobiles illi Anno 1342. desubito in ditionem Lubecc. & Hamb. irruebant, divastando omnia igne & spolio: quibus etiam Rex Sueciæ Magnus ita favorem succursus præstabat, ut omnia Lubecc. mercatorum bona in regno suo detineret arresto, quod pari ratione Lubeccenses Suecis in sua urbe recompensabant. Unde ingens belli fremor per aliquot annos effervescebat, qui nec interpositione Cæsaris nec vicinorum principum nec sorore Regis Suecici, Ducis Megapolensis tunc cõiuge, licet ipsa cum aliquot magnatibus Lubeccam An. 1346. propterea perveniret, componi poterat, donec tandem An. 1349. civitates cum vicinis Principibus ac Duce Erico Saxoniæ, & Comitibus Henrico & Nicolao Holsatiæ nova constitutione contra nobilium Holsaticorum depræd ationem inter sese coirent ita, ut simul prædonum nidos circumcirca demolirentur.

Non incongruum est hoc loco paucis inserere, quid in loco Conthorij Hanseatici Bruggano Flandriæ ob dissidium inter mercatores accideret. Etenim An. 1356. commercij intercepti causa, quod assignabant sibi Bruggenses cives præ mercatoribus Germanicis, qui Australes ibi passim vocitantur, differentia ingens exoriebatur. Quum igitur propter abusum Iuris Stapulæ, inciperent Bruggenses posteriori loco habere Australium Civitatum mercatores, Iis inde adeo effervescebat, ut Germani tandem An. 1358. die S. Walpurgis Stapulam deponendorum commerciorum, ex qua huc usque tantas superbiæ divitias conciliarant, versus Dordracum transponerent. Quod ex communi consensu Hanseæ ita approbatum fuerat. Ideoque per integrum triennium ibi in Dordraco Ius Stapulę in frequenti usu fuit, ut hinc rectiora cernere & errores suos crassos agnoscere inciperent Bruggenses. Sed quum nullum aliud consilij remedium invenirent, quam ut se Directorio Hanseæ accommodarent. Proinde Legatos mittebant Bruggenses ad Lubeccanos ubi diu causa istius gravis negotii ventilata est.

Tandem quum acciræ fuissent etiam reliquæ civitates ad rem cognoscendam, impetrabant hoc Bruggenses magnis precibus, ut ex conventu tali Hanseæ, nomine totius corporis, versus Bruggam mitterentur Dn. Bernhardus Oldenburg Senator Lubeccensis, & Iohan Cordelitius Senator Turonensis Poloniæ. Ibi vir diligentiam suam adhibuerit interposuere, ut nova tractatione peracta mercatores Australes Bruggam reducerent; quod non sine magno labore tandem obtentum fuit. Interim dum prædones magna depræd atione & rapinis mercatores Lubeccenses aliarumque civitatum Hanseæ afficerent; multorum Nobilium & Principalium Arces armis & vi expugnabant Lubeccenses, quibus ex compacto singulari Dux Albertus Megapolitanus. Demoliebantur igitur arces Dalsoviam, Lossoviam, Radwinum, Damitium, Merenburgum, Muggenburgum, Garlosium & Stavernovium.

Quum talia conamina non sufficerent, Lubeccæ iterum conventus ex instinctu Regis Woldemari Daniæ instituebatur An. 1359. ubi ipse Rex aderat, item Romulus Marchio Brandeburgicus, Ericus Dux Saxoniæ, Casimirus Dux Stetinensis, Uratislaus Dux Pomer. Wolgastensis, Nicolaus, Henricus & Adolphus Holsatiæ, aliique plures cum Civitatibus aliquot Hanseæ, qui certo fœdere iterum inter se coibant in hunc finem ut funditus demum pessima prędonum petulantia deleri posset. Multis quoque articulis securitas commerciorum, & quod æterna quasi duratio istius fœderis & amicitiæ esse deberet, includebatur: Nec deerant varii lusus lætitiæ & Equestria Exercitia, quæ in foro publico peragebantur, Choreæ etiam publicæ in curia celebrabantur, ut quisque omnia putasset firmiter consuta; sed res non durabat d u. In eius rei indicium An. 1360. Curia Lubeccensis ex camini igne & carbonum cumulo tota comburebatur: præsagium belli magni perquam infaustum.

Etenim Rex Woldemarus forsitan pœnitentia ductus, quod Lubeccensibus aliisque Civitatibus multa privilegia commerciorum in suo regno concessisset, & Schoniam per 16. Annos occupandam dedisset, prorsus pristinam amicitiam in cruentam hostilitatem convertebat, nec tantum bona mercatorum arresto detinebat; sed etiam uno tempore 12. naves in Oresundio Civitatibus eripiebat. Ac licet fieret ab aliquibus interpositio triennalis pacis, tamen Rex ita frangebat fidem, ut non tantum Prædonibus in mari faveret, sed etiam ipse despoliari naves iuberet. Interim quidem Dux Albertus Megapolitanus in Regem Sueciæ eligebatur; Sed nec ibi satis tutum fuit diu Germanicis Civitatibus cõmercium. Constantiores tamen in fide servanda semper erant Lubeccenses, & inde metui malignantibus. Id quum cerneret Ericus Dux Saxoniæ, & iter sacrum suscipere vellet, ut se aliquo usque vicinorũ principum hostilitate subduceret, nullis potius in tutelam Dominium suæ Provinciæ concredendum putavit, quam Lubeccensibus: Quare venit Lubeccam, & terrę suisque subditis Senatum Administratorem ita præfecit quamdiu abesset, ut eius tutelam & curam fidelem Lubeccenses gererent; quod etiam adeo feliciter ipsi cessit, ut nemo per totum hoc temporis spacium quid damni inferre Saxonicis auderet: quippe cuncti exploratum hoc habebant; Lubeccenses strenuos esse fidei observatores.

Quum vero tandem An. 1363. indictus esset Lubeccæ Regi Daniæ finis tractatuum, si nollet ex triennio huc usque inite pacem, novo belli conatu, & quidem satis atroci utrinque ad arma concurrebatur: ut classem ingentem tam civitates maritimæ, quam Rex præparatent. Lubeccenses suis navibus Consulem Iohannem Wittenborg præficiebant; Is ad primum intuitum statim cum suis nãvibus in Danicas irruebat, ubi in primo conflictu protinus Regis Filius Christophorus, quem præfectum Rex suæ dederat Classi, ictu lapidis ex Sclopeto eiecti, graviter vulneratus est; ita, ut hinc Dani perterrefacti, fugam arriperent, & dissiparentur quidem: Sed interim, dum Lubeccenses nimis cupidi essent prædæ in terra Danica, & in portu linquerent naves vacuas, recolligebant Dani naves insequendo hostem; quumque invenirent eos adeo fortunæ negligentes Lubeccanos, sex præcipuas sibi eorum selegerunt naves, quas abduxerunt celerrime, antequam Lubecenses id sentirent, qui in pudorem coniecti, & spolij pertæsi, non sine metu revertebantur; Culpa autem quum maxime in consulem Witteburgicum con-

coniiceretur, poſt anni perpeſſam capturam decollatus,& in templo Arcis ſepultus eſt. Dani vero ex hoc navium ſpolio tumidi inſolenteſque facti, non amplius reliquarum civitatum potentiam magni æſtimabant; ſed conatum primum Statim in Wiſmariam dirigebant; quo anno 1364. die 2. Iulij cum ſummo perveniebant diluculo; dum Rex interim alta claſſe ſpolii cauſa verſus Femeram ſe converteret.

At Wiſmarienſes, fortes ſuæ civitatis cuſtodes, excitatis animis occurrebant illico Danis cum ſuis navibus, prælioque tali evincebant eoſdem, ut præter interfectos aliquot centenos abducerent captivos, quibus omnes turres, ædeſque publicæ & ipſa curia implebantur. Præfectus Claſſis Regiæ nomine Petrus dictus in cella vinaria cuſtodiebatur, ſed non ſatis bono ſucceſſu. Quippe is hac utebatur aſtutia, ut cuſtodes ſuos bene potos redderet, alterique eorum claves ſubduceret. Re hac peracta, è cella vinaria ſe cum ſocio ſuo, quem ſic ſibi devixerat fidum, ſurripiebat. Quum vero ſub primo eſſet noctis tempore,& ipſe adhuc compedibus hæreret inductus. ſocius ille hunc tergo portavit, ne compedes quid fragoris ederent: Forte in vigiles excubias agẽtes ambo incidebant, qui quum de faſciculo oneroſi certi eſſe cuperent, confeſtim is argutiſſimum iſtis dedit reſponſum ſe portare ſocium ſibi charum adeo inebriatum, ut neque manus nec pedes movere è loco poſſet: Inſuper ſe hoc ex commiſeratione facere, ut illæſum domum reſtitueret ſuæ. Vigiles hac reſponſione contenti, diſcedebant, dum interim ſocius ſuum pondus oneris ad portam deponeret, donec ſub valvis eum per canales extraxiſſet. Sic ille præfectus mirabili caſu & ſorte liberatus, non tantum cunctis reliquis navavit hanc operam, ut reſtituerentur: Sed etiam in rei memoriam & documẽtum æternum, argenteam Mariæ Virginis effigiem cum catena, argenteiſque imaginem viri compedibus donavit Wiſmarienſibus, quam ſæpius vidi, manibuſque contrectavi. Ipſi quoque Wiſmarienſes ſingulari feſtivitate hanc Victoriolæ diem ſortis celebrant quotannis.

Sed interim Lubeccenſes nullatenus hac clade perterriti aut defatigati, ſuam reparabant claſſem, qua frequentes in Daniam univerſam irruptiones & ſpoliationes exercebant, cui adſociabant ſe ſimul Wiſmarienſes aliæque civitatum naves adeo, ut nõ tantum Haffniam, Elſenorium, Nicopingam, Valſterbadium, Schoviam & Alsholmium occuparent, & ſpolia ampla auferrent, ſed quoque tympanas ſecum Lubeccam averherent. Hinc animoſiores factæ ſunt etiam reliquæ civitates Hanſæ, quæ omnes ad mare præparabant naves ad Daniæ regnum plane in rapinam ponendum.

Rex igitur Daniæ quum cerneret, totam Hanſam in ſe ita eſſe excitatam, in metum non levem coniiciebatur. Erant enim Civitates Hanſæ, præſertim Lubecca, Wiſmaria, Roſtochium, Stralſundium, Gryphswaldia, Stetinum, Colberga, nova Stargardia, Colonia, Hamburgum, Brema, Colmaria Boruſſiæ, Thorunia, Melvinga, Dantiſcum, Königsberga, Brunsbergum & omnes ferme Civitates Boruſſiæ; in Livonia Riga, Dorpatum, Revalia, Parnovia cum reliquis Civitatibus Livoniæ. Item ad mare Auſtrale, Campenum, Davantria, Swolla, Ultraiectum, Haſelta, Groninga, Ziriſeha, Elburgum, Briela, Middelburgum, Armonda, Hardervicum, Zutphania, Staveria, Amſtelrodamum, Dordracum, &c. Sic hoc ordine recenſentur in Privilegio, quod Civitatibus maritimis Hanſæ dedit iſte Woldematus Rex. Annon ſatis terrori eſſet tantus numerus tot civitatum Regi uni? Præterea alius ipſum infeſtabat tremor à nobili quodã potenti eidem incuſſum. Namque erat quidam nobilis in Iutlandia nomine Nicolaus Lembke, opibus, arcibus & ſubditis præpotens, cui inde non fidebat Rex, ob amicitiam quam cum Lubeccanis, Wiſmarienſibus, Roſtochienſibus & aliis colebat. Ut vero eo magis hunc ſibi conſtringeret, novum ab ipſo exigebat iuramentum; quod tamen omnino recuſabat ob homagium pridem Regi præſtitum.

Quum vero plures aliquando proceres regni in aula Regis adeſſent, inter quos etiam iſte nobilis Nicolaus comparuerat. Ibi rex occaſionem nactus iterum in præſentia omnium poſtulabat ab eo iuramentum indictum. At Nicolaus aperte reſpondebat: Si Regia Maj nolit contenta eſſe iuramento ſemel præſtito quondam, ſed inſuper novum expetit, ut me periurum putet; certe nequeo aliud exhibere, quam quod iurem, me nunquam amplius ab hoc die fidem ullam habere poſſe Regi. Cui ſtatim hoc reponebat Rex: Audi Nicolae, tu recte iuraſti; ac ſi aliter iuraſſes, certe nec alter te mihi fidum credidiſſem. Nec adſtantibus res ſatis æqua cenſebatur. Rex proinde non ſine metu eius vivebat: ut tamen ſecum illum redderet, blandiciis illum alliciebat ſæpius. Demum hunc Nicolaum Lembken ſub firma fide Salvi Conductus ad ſe in arcem Wetdinburgum evocabat. Nobilis iſte nil mali ſuſpicans amplius, promiſſis Regis tantis credebat, navi vectus, uſque ad locum dictum.

Sed vix, quum è navi egreſſus, ad arcem dictam feſtinaret, in occurſum ipſi advolat quiſpiam adoleſcens nobilis à latere Regis; aut cubicularius, in quem quid beneficii contulerat antehac iſte Nicolaus; Is adoleſcens ita in ſecreto compellat hunc: Quod ſi aliquid damni à te avertere cuperem iam, quæſo, num proditorem mei agere velles. Non ſane aiebat Nicolaus. Ergo caveas, inquit, ne accedas propius. Rex enim ferventiſſima repletum aqua vannum curavit, ut in eo balneum invenias igneum ad primum arcis ingreſſum. Nicolaus inde protenus ad ſuam ſe recipiebat navem: ut tamen à ſe averteret periculum, novum concipiebat ſecum conſilium.

Erat tunc Regi quidam Epiſcopus à Conſiliis intimis, à cuius nutu totus dependebat, quum huic pedem unum in ara, alterum in curia noſceret Nobilis, ipſi ſe adſociabat, in ſecreto id eidem revelando, quod ſi rutam iurato fidem ſilentii ſibi promitteret, ſe ipſi concrediturum eſſe rem maximi momenti. Epiſcopus novitatis avidus, ſanctiſſimam illi ſub iuramento ſacro pollicebatur fidem, addendo, ſe nunquam per totum vitæ ſpacium ulli mortali, neque regi ipſi revelaturum id eſſe. Præſtito hoc ſilentii ſacerrimi iuramento, aiebat (quaſi attonitus iſtud ipſi indicaret) Mi Domine, compertum habeo, quod ultra 80. eſſent intra præcipuos Regni & ditiſſimos nobiles, qui in caput regis ob tyrannidem nimiam eius concluſive conſpiraſſent, ut propeiam

pe iam dies necationis appropinquasset, quocunque modo, aut clam, aut vi id exequi possent, adeo impossibile esset Regi, se ex hoc præsenti expedire periculo. Audito hoc Episcopo, certe singulum tēporis momentum sibi moræ putabat, donec id Regi quam primum denunciasset, non obstante fideifragio & periurio. Ideoque confestim præcipitabat ad regem cursum, ipsi concreditum explicando.

Rex percepta annunciatione percellebatur ingenti terrore, animum amittebat omnem, & plane sibi persuasum habebat, nisi ex regno fugeret, actum de eius vita & fortuna esse. Quare è vestigio ingentem convasabat thesaurum, omnesque opes suas pretiosas, navi eas imponendo, versus Pomeraniam se convertebat per mare, ut ibi iter tutius in Marchiam pateret. Verum maxima thesauri parte in Prentzlovia civitate exuebatur; nec minus tamen per hunc & alios Germaniæ locos in Galliam pergebat ad Papam, qui tunc Avinioni degebat, ubi benefice exceptus, à Papa aurea rosa donabatur in signum vani honoris. Sic per aliquot annos circumvagabatur, se tenuiter sustentando, quum duarum saltem ex arcium proventu, quas à Marchione oppignoratas pro argento mutuo dato habebat, nempe Luchoviam & Dalenburgum, victum sumebat, ut ita per sexennium integrū, reverti audetet. Quippe inflammatio belli ex eius culpa & fœdifragio in eum exarserat ignem, ut nunquam Regnū Daniæ ab irritatarum civitatum incursu & expugnationibus, despoliationibusq; & rapinis esset liberum; sed adsiduis obnoxium erat expugnationibus: donec tandem proceres regni culpam regis deprecari inciperent. Proinde An. 1368. conventum deliberationis à Civitatibus per Lubeccensium æquiorem animum impetrabant.

Variis modis concipiebatur transactio, ut indè dieta dietam pareret. Tandem tamen concludebatur, quod mercatores ab omni onere ullius impositionis & vectigalis per totam Schoniam liberi commercia exercere deberent, uti ex sequenti privilegio clarius id patebit. Inter concluſa illud erat singulare quid, quod Lubeccensibus ac aliis Civitatibus per 16. Annos in possessionem liberam trādi deberet tota Schonia. Sic & procerum omnium unanimis erat confessio & firma promissio, quod transactio iusta non tantum facta esset, sed etiam sub maioris sigilli appensione à Rege, si in regnum redire tuto vellet, corroborari deberet. Ut vero eo solemnius in perpetuam fidem rei negotium hoc & universa transactio conficeretur, Anno 1370. publicus conventus Stralsundij indicebatur, ubi simul proceres regni Danici, Lubec. Hamburg. Wismar. & plures ex reliquis Civitatibus Hanseæ comparebant legati. Vel ut iste dies plenariæ transactioni destinata erat, sic inter Daniæ regnum & civitates Hanseæ liberæ utrinque perficiebatur cum consensu omnium firma pax, ac certis pactis totus contractus in Articulos scriptos coniiciebatur; Sicut & Schonlandia pro damno perpesso Civitatibus obligabatur. Pacis huius diu desiderata constitutio publice tam in Dania, quam civitatibus cunctis Hanseæ non sine magno applausu omnium proclamabatur, ac rex revertebatur quidem in regnum suum, sed non diu superstes vivebat. Qualis autem transactio æterni pacti fuerit, ad finem partis III. habetur; & in fine huius tractatus cognoscendæ erit plenior eius copia.

Anno 1378. ingens tumultus Bruggis in Flandria excitabatur contra mercatores Lubeccanos, & reliquas civitates Australes Hanseæ. Quippe cives Bruggenses ingenti insolentia utebantur erga mercatores horum locorum, inter alia ignominiose quempiam talium mercatorum infami lapidi affigebant, quod reliquos ita mordebat, ut actione gravi Bruggenses convenirent coram comite Flandriæ. Verum ille nolebat prorsus eos audire in iusta causa, sed potius adstipulabatur iniustissime malignantibus. Ideoque Bruggenses in sua iniūstitia confirmati, apprehendebant, quoscunque poterant mercatores Australes, & lapidi infami eos affigebant, ac præterea eos impune omnibus exuebant bonis, quasi spoliatores publici in plateis. Quapropter quisque mercatorum de mediis dispiciebat, quibus illuc loci se commode extricare posset: Atque inde postea, veluti mercatores Bruggenses, cum his procedebant, ita etiam reliquæ civitates Flandriæ in imitationem arripiebant malam præter Gedanenses, qui contra morem solitum, se benignos erga hos præstabant tunc temporis, & amicabilius excipiebant Australes. Quæ res multum negotij exhibuit malignantibus; ut multum laboris sustinere postea cogerentur priusquam possent sibi gratiam Hanseæ recuperare. Nāque quum inciperent damna sentire sua, Bruggenses ex Natione sua tres mittebant legatos ad civitates Australes, qui nominabantur Hermannus Holsanck, Tidæus Relbe, & Tidæus Graverode.

Hi die Dominica ante festum Paschatos veniebant Stralsundium, ubi tunc civitates Australes cōventum frequentabant. Sed nil efficiebant, nisi quod culpam à se in mercatores harum civitatum reiicere conarentur, quasi hi primitus vim suis intulissent civibus. Quum ipsis vero Legatis probatio fidei deesset, actio differebatur ad alium conventum. Anno igitur 1379. iterum Lubeccæ conventus die Iohannis Baptistæ civitatibus Australibus indictus erat, maxime ob eam causam, quod mercatoribus tanta vis & iniuria esset Bruggis Flandriæ illata contra omne ius & privilegia, quæ scripta obligatione comes Flandriæ concesserat sub manu & sigillo suo. Ubi simul Legati Bruggenses comparebant. At causa hæc gravior videbatur civitatibus, quam quod ita simpliciter componi valeret. Quare tandem, examinatis bene circumstantiis 4. Consules, ex quatuor civitatibus deputabantur, qui cum legatis Flandricis irent Bruggas, ad experiendum, num causa ibi posset in transactionem redigi. Erant autem nominati, nempe cons. Lubeccensis Dn. Iacobus Pleskow, homo perquam prudens, Consul Dortmundanus Dn. Everhardus Wistrate, Consul Torunēsis Dn. Iohan. Cordelitzius, & Consul Hamburg. Dn. Ludolphus Goldenstedius.

Quum vero Consules illi pervenissent in Flandriam, populus paulo ante suum proprium in exilium extruserant Dominum: Unde plane in vanum laborabatur, & nihil poterat effici; sed frustra erat, & iter, atque omnis conatus impensus. Anno 1380. iterum conventus Hanseaticus indictus erat, in quo referebatur, quid Bruggis peractum, & differentiæ cognitio fuisset. Se simul tunc ad receptionem sistebant

bant Braunſvicenſes Legati. Quippe illi per ſex annos excluſi hucuſque fuerant ex fœdere Hanſæ eam ob cauſam, quod Magiſtratum, & totum Senatorium ordinem ex ſua eiecissent urbe, atque aliquot ex eorum numero morte affeciſſent. Quum vero nunc pœnitentia ducerétur, deprecabantur hi legati culpam turpitudinis ſuæ cum ea promiſſione aperta, quod nunc poſthac honeſtati addicti eſſe vellent. Fecit hæc deprecatio publica, quod in gratiam à Civitatibus reciperétur, ſed iſte reatus multę loco imponebatur illis, ut publici teſtimonii cauſa, ex Templo D. Virginis in ordine, geſtantes in manibus ardentes ex cera faculas, proceſſum haberent uſque in curiam, ubi flexis genubus ſolemni confeſſione publice coram omnibus civitatum Legatis ſuâ deprecabantur culpam cum promiſſione iam dicta.

His rite in ſolemnitate ſua præſtitis recipiebantur in numerum Hanſæ, & priſtinus in ſeſſione iſdem deſignabatur locus, ut ita denuo fruerentur iuribus & privilegiis Conthoriorum in regnis Angliæ, Daniæ, Norvegiæ, Ruſſiæ & Livoniæ. Exemplum hoc peragebatur die Sancti Hippoliti, qui erat 13. Auguſti. Flandricum autem negotium in dilationem reiiciebatur. Interim vero quum Anno 1386. tempus poſſeſſionis Schonlandiæ apud Hanſas expiraret ad futurum annum, prius Rex Sueciæ Albertus Dux Megapolitanus, & An. 1362. in Regem Sueciæ electus atque ex matre Succica natus Wiſmariæ ingentem lætitiæ publicæ inſtituebat triumphum, ad quẽ aliquot Principes, & Civitates invitabantur, inter quos erant Dux Wenceslaus Saxoniæ, & Lunæburgicus, Comites Nicolaus & Adolphus Holſatię, Dux Bugislaus Wolgaſtẽſis, Dux Ericus Lawẽburgicus, Comes Otto Hoyenſis, Comes Gerhardus Rupinenſis, & Dux Laurentius Wandaliæ, pręteraliorum Legatos; ex Senatu Lubeccenſi, Roſtochienſi, Straiſundenſi, & aliis locis deputati ſingulares ſimul aderant, qui per octo dies admodum liberaliter tractabantur, velut etiam varii ludi equeſtres, pedeſtreſque in lepidis ſimul cotidie exercebantur, non ſine ſplendore regio. Paulo poſt quum tempus poſſeſſionis Schonenſis à parte civitatum expiraſſet, Reginæ Daniæ & Norvagiæ Margaritæ, quæ unica Woldemaro Regi relicta erat filia, Lubeccenſes, & reliquæ civitates Schoniam reſignando iuxta tranſactionis formam tradebant.

Regina hæc cotidie in utroque regno potentia, & viribus ita accreſcebat, ut omnes arces, atque ditiones, quas parẽs eius Rex oppignorarat, paſſim ære alieno gravatas, redimeret; Ac quum fœmina eſt admodum ſagax, & prudens, ſecum diſpexit omnia remedia pro regni extenſione, & conſervatione, inter quæ nullum potius, nec firmius invenire potuit, quã ſi ſolidam pacis rationem cum vicinis, & proximis iniret, confidentiaque firma populos ſubiectos in amore mutuo ſibi devinciret. Ideoque conventum publicum ad diem D. Margaretæ verſus Lubeccam indicebat, ad quem convocabantur amicabilibus litteris multi Principes, Comites & Civitates, ac præſertim quæ ad oras maritimas ſitæ eſſent. Regina inde quum ſe dicto loco, & die admodum ſplẽdide iſteret; Comparebant ſimul Rex Sueciæ Albertus Megapolitanus, Dux Ericus Saxoniæ, Comites Nicolaus & Adolphus Holſatiæ; nec minus aderant aliquot Ducum Legati, ac Civitatum Flandriæ Brabantiæque, nempe Gedanenſes, Bruggenſes, Dordracenſes, Zutphanienſes, velut etiam Dorpatenſes ex Livonia, Torunenſes, Melvingani Rigenſes, pluriumque Civitatum utriuſque regionis, & Pomeraniæ. In hoc ſolemni conventu nihil aliud conſultabatur, & peragebatur, quam quod ad cõmunem pacem, tranquillitatemque per mare, & terram faceret, ut ita mercatorum negotiationes poſſent tuto in Dania, Norvegia, Suecia, Ruſſia, Flandria aliiſque in locis finitimis perfici, velut & Lubeccenſes per reginæ interpoſitionem iuſtam apud comites Holſatiæ obtinebant, ut Nobiles illi Holſatiæ, qui Capitaneum Lubeccenſem antehac miſere præter meritum interfecerant, penitus ab omni conſortio mortalium excluderentur, & ultima illis indiceretur pœna capitis, ſi utquam reperirentur.

Ex tali conventus huius concordantia quiſque ſibi paſſim ſummam concipiebat lætitiam: ſed tamen ita adulterata fuit mox, ut ſequenti An. 1387. Sueci ex odio pridem erga Regem ſuum Albertum, quum non eſſet Sueciæ Nationis, ſed Germanus, concepto, æmulationes, & invidiam concitarent in Reginam Daniæ, & regem ſuum, donec An. 1389. ex conflictu ſatis proditorio in captivitatem Reginæ huius incideret. Eodem autem hoc 1387. anno inſtitutus quoque fuerat Conventus Hanſæ ſolemnis, ubi inter alia decernebatur, ne quiſpiam inter mercatores Auſtrales amplius quid commercii, aut amicitiæ ob perfidiam, & privilegiorum violationem tamdiu perpeſſam exerceret cũ Civitatibus Flandriæ, quod etiam publico edicto paſſim prohibebatur. Nec minus anno 1388. Civitatibus Hanſæ, & maxime Lubeccenſibus nova obiiciebatur à Neogardienſibus Ruſſiæ difficultas: quippe cives Neogardici ex felici commerciorum ſucceſſu nimis feroces facti, omnem ſibi præ reliquis ferociam adſcribere fortunæ ſtudebant. Inde omnibus Germanis mercatoribus libertatem & privilegia abnegare improbe incipiebant. Quapropter etiam in Civitatibus maxime Vandalicis iure talionis itidem ex decreto publico indicebatur, ne quis cum incolis Neogardenſibus uſpiam rem in negotiationibus haberet, quod ingens damnum tam Ruſſenſibus, quam aliis Germanis illic loci habitantibus inferebat, quorum ſupplices adſiduæ hoc obtinebant apud Hanſas, ut An. 1391. tandem ex conſenſu civitatum ex Lubecca verſus Neogardiam Ruslandiæ mitterentur, nẽpe Dn. Gotkęus Travelingius, & Dn. Iohan. Nieburius. Sed prior iſtorum Dorpati moriebatur die Coſmi & Damiani. Negotium Legationis in eo maxime conſiſtebat, ut commodis mediis diſſidium componeretur, quã eſſet prohibitio publice facta, ne quis Ruſſiam navigaret ob vim iniurioſiſſimam Hanſis illatam, donec mercatoribus in libertate negotiandi ſua reſtituerentur privilegia. Interim quum Anno 1389. die S. Matthiæ ex malitioſa deſertione Sueconum ſuorũ Rex Albertus in captivitatem Margaritæ Danicæ Reginæ incidiſſet, & Frater eius Iohannes, Dux Megapolitanus, & Stargardiæ, bis infauſto omine bellum navale contra reginam Daniæ pro Fratris, Regis Sueci liberatione ex carcere tentaſſet, An. 1390. Roſtochienſes, & Wiſmarienſes adſiſtentiæ erga Principem ſuum cupidi, aliud remedium malo huic quærere, & publice indicari ſtudebant; Quod ſi

qui

qui eſſent qui Danis infeſtationem adiicere vellent, aut valerent, quod illis libera eſſent ſpolia conceſſa. & tamdiu, donec rex dimitteretur, patrocinium & refugium tutum eſſent exhibituri. Sed res talis intentionis nec bene ceſſit, quum hinc piratarum ingens in mari accreſceret numerus, qui in fraternitate perverſa ita, ob victualia vitæ ſuſtentandæ conſpirabant, ut fratres Vitalliani proverbii loco hinc dicerentur. Hi nullo diſcrimine habito, & hoſtes, & amicos, pari exuebant ſpolio, ut nuſpiam ferme mercatoribus tuta in mari Orientali eſſet navigatio, quum Vitalliani undique tam mercatores, quam hoſtes expoliarent, nec ulli parcerent Germano. Qua de cauſa hoc 1392. Anno conventus Lubeccæ inſtituebatur, ut de averſione huius incommodi publici aliorumque deliberaretur.

Comparebant iterum Legati ex Bruggis & aliis civitatibus Flandriæ, qui quum promitterent conſtantiorem fidem, & plenam privilegiorum Germanis his fruitionem, ita recipiebantur tandem, ut totum diſſidium, quod per 12. annos duraſſet, componeretur. Etenim valde mordebat Hanſas Auſtrales, quod tanta mercatores ſui ignominia, & violentia inuſitatiſſima à Brugganis & reliquis civitatibus affecti fuiſſent; inter quæ damna non ultimum erat, quod ex arce Schlyſſana nuper extructa præſidiarii milites continua expoliatione mercatores Auſtrales infeſtarent. Sed & alia erant ſimul facinora ob quæ Flandrici ex confœderatione Hanſæ erant excluſi. Licet res in quamplurimis conventibus eſſet pertractata, tamen huc uſque tranſactionem iuſtam non potuerat aſſequi, donec in hoc anno Stapula, quæ tamdiu Dordracum in Hollandia erat translata, cum ioribus ſuis ex voluntate Civitatum eſt reſtituta Bruggenſibus. Anno 1394. quum tam magna indies accreſceret copia Vitallinorum fratrum, Lubeccani, Hamburgenſes, & Sundani Legatos ad Reginam Daniæ Margaritam mittebant Helshenburgum, ut commercium per mare tutum redderetur. Verum tumultus Danicus ibi efficiebat, ut Conſul Stralſundenſis Dominus Georgius Schwartingius in platea, dum ille ad Reginam pleno curſu in arcem tenderet, à quodam Dano ſecuri interficeretur, quod plane perturbatum, & inauſpicatum reddebat negotium, ut re infecta domum redire cogerentur Legati. Circa autumnale tempus, quum Regina Sueciæ Stocholmiam obſidione cinctam teneret, autoritate Ducis Iohan. Megapolitani Wiſmarienſes 8. naves in Sueciam pro diſſolutione obſidionis mittebant, onuſtas ſimul omni genere frumentorum, & Victualium: Quas quum Dani glacie involutas cernerent, ſubitaneo incurſu obtuere conabantur: Sed Wiſmarienſes longe prudentiores edocti, glaciem circa naves ſuas paulo ante removerant, unde Dani ex nimia feſtinatione cupidiſſimi ſpoliorum, ſemetipſos, alter alterum præcipitanter protrudendo, catervatim mari ſuffocabant, quam ſubmerſionem miſeram in æternum Danorum opprobrium Wiſmarienſes Venationem felinam vocaverunt. Anno 1395. Seditio Sundana inter Magiſtratum, & cives, quæ per aliquot annos duraverat, ita componebatur, ut priſci conſules cum ſenatoribus ex exilio in urbem revocarentur, & priſtinæ reſtituerentur Dignitati, & auctores motus turbulenti capite plecterentur. Vitallinos autem fratres fortiter in mari Sundenſes expugnabant, ut magna in copia captivi in urbem abducerentur, ubi maxima pars vita privabatur, reliquis, partim crura infringebantur, partim alii perpetuis ergaſtulis addicebantur, inter quos multi nobiles ex Megapoli, Wandalia, Marca Prignicenſi, & Stargardiæ Ducatu. Quorum conſanguinei quum ex omni parte contra Stralſundenſes non tantum conſpirarent, ſed etiam aperto bello ſub Ductoribus Nicolao Molino, & N. Molkenio impugnare eos conarentur, Gripſwaldenſiſque Urbis arcem Glitzkoviam obſidione premerent, ita à Stralſundenſibus ibi excepti ſunt armis, ut pene omnes in internecionem inciderint.

Eodem anno Roſtochienſes die Margaritæ munitam arcem Ducis Barthenſis Arenshopiam ſunditus diruebant tertia vice, quum in damnum cõmerciorum hæc molitio eſſet inſtituta. Civitates autem aliquot cũ Lubeccanis interim longe nobilius opus ex inſtinctu Ducum Wandaliæ, & Megapolis apud Reginam Margaritam ſubibant, ut Rex Sueciæ Albertus cum filio ex ſeptẽnali captivitate liberaretur. Legati Hanſæ, qui in conventu circa feſtum Pentecoſtes deputabantur, erant Conſul Dn. Henricus Weſthovius, & Dn. Ioh. Niburius Lubeccenſ. quibus adiungebantur Sundenſ. Gripſwald. Dantiſcani, Torunenſes, Melvingani, & Revalienſes, qui primitus Reginam in Falſtria, poſtea Schonorę ſollicitabant. Sed quũ Regina duriſſimas proponeret cõditiones, alius dicebatur dies Lintholmiæ. Ibi tunc Rex captivus cum filio præſentes aderant, & res in quatuor contrahebatur articulos. 1. Ut ſeptem hę civitates fideiuſſionem plenam per tres annos ſtipularentur pro Rege, & eius filio. 2. Ut Rex & filius intra tres annos certam ſummam pecuniæ ſolveret, aut civitates eos captivitati reſtituerent. 3. Ut ſolveret Rex pro liberatione 60. mille marcas puri argenti. 4. Si ſolutio intra dictum tempus non adfit, quod teneatur Rex Stockholmiam Reginæ cedere & tradere. Ex neceſſitate itaq; urgente, tranſactionem hanc ratihabebat. At ne civitates periculũ contractus in ſe nude ſuſciperent; ideo Rex ad harũ poſtulatũ Stockholmiam cum arce oppignorabat. & dies mutuę traditionis ad feſtum D. Mariæ Helſenburgi indicebatur: ibi obligationes obſignatæ Reginæ illi, & Rex cum filio in libertatem extradebantur. Interim Vitalliani fratres quidvis deprædationibus, & devaſtationibus in mari, & terra perpetrabant.

Spolia autem quum Roſtochium, & Wiſmariã aſportaſſent, & venditione vili diſtraxiſſent omnia, Wiſmariæ convocatis indicebatur illis tranſactio talis, & ita cum hac conditione dimittebantur, ut quiſque rediret domum ſuam, & in honeſtate ſuum vitæ amictum, & victum quæreret. Verum nobiles iſti, iam ex diuturnitate belli adſueti ad rapinas, in tres partes ſuas diſtribuebant naves: quarum una claſſis ſe verſus Frieslandiam convertebat: altera in mare Hiſpanicum: tertia verſus Ruſſiam, ut undique mercatores ſuis exuerent bonis. Capitanei eorum erant Godekæus Michael, Wichmanus Wichbolt, & Nicolaus Stortebekerus, quorum 70. poſtea Hamburgi Anno 1402. decollati, & ultima pœna affecti ſunt, de qua Hiſtoria cantilena communis in ore omnium eſt.

Anno 1396. Ut Rex Albertus Sueciæ gratum ſe erga civitates præſtaret: tum quoque quũ cerneret, quod eius ditiones prædonum pleni eſſent, qui cotidie multiformia damna commerciis inferrẽt, Perlebergæ in Marca Prignicenſi habuit conventum, ad quem etiam præter Civit. Lubeccam, Roſtochiũ, Wiſmariam, Sundenſem, &c. aliquot Principes, nẽpe Marchio Wilhelmus Miſnenſis, & Brandeburgicus, aliique convocati erant, ubi maxime inter alia ſtrenue concludebatur, quod nemo omnium quẽpiam prædonum, vel nutu fovere deberet, ſed ubicunque poſſent offendi, aut inveniri, ſtatim è medio tollerentur, ac privarentur vita. His peractis Swerini inſequebantur huius Regis, & filii eius nuptiæ in præſentia multorum Ducum, & Principum. Quippe Rex Albertus ſibi coniugio adſociabat Sororem Ducum Lunæburg. & Brunſv. Filio autem ſuo Enco in thalamum collocabat Bugislavi Ducis Wolgaſtenſis Pom. Finita hac feſtiva, & memorabili ſolemnitate, quæ per 8. dies duraverat, ut nemo quid mali ſuſpiceretur: Ecce, Duces Brunſvicenſes, quum iter verſus domum reciperent, perveniunt Ulyſſæam civitatem Hanſæ: interim quoque ſequendo fratres, adducebat Henricus Dux Brunſvicenſis ſat ingentem copiam equitum; neque dum tamen res ulli ſuſpecta erat inter cives: at paulo poſt ex inſidiis Dux iſte Henricus convocari iubet ſenatum in curiam, ut ſibi ſe ſiſterent, quum neceſſaria quædam illis haberet communicanda. Senatus dicto audiens coram Principibus præſentibus comparebat. Verum nihil aliud erat, quam civitatem libertate ſua exueret: ideo nobilibus ſuis hoc imponebat, ut nulli ſenatorum pedem ex curia efferre concederent, quamdiu huic principi eſſet placitum, & donec aliud mandatum decerneret. Interim bene ſitum civitatis diſpiciebat Dux iſte, ſimul ſibi adſumendo aliquot proditores ex numero civium, quos ſibi muneribus devinxerat, ad portam tertiam civitatis ſibi ſeligebat locum, quem confeſtim Vallo, muriſque circumdabat, maturando omnem conatum, ut ibi arcem munitam erigeret, ex qua iugum civitati imponere poſſet. Nec citius ſenatores ex curia dimitti poterant: ſed permutative à nobilibus illius in cuſtodia adſervabantur. Quum hæc arx ſatis munimenti firmata videretur Duci, tandem, ſed non citius, quam ſe cum iuribus ſuis in plenam Duci voluntatem dediſſent, dimiſit quoque ex curia non bono cum nomine cuſtoditum hunc Magiſtratum. Mancipia enim, non cives expetebat ille Princeps, ut pro lubitu libidinis imperaret cuivis, quod etiam ulterius in violento demonſtravit facto contra Lunæburgenſes. Etenim cum Exercitu ſuo ſe Winſemiam conferebat ad Luyham fluvium, ubi omnes naviculas Salinatias ex Lunæburgo in arreſto detinebat, ſimulque publicò interdicto omnibus ſubditis per ditionem ſuam ſub pœna vitæ, & amiſſionis omnium bonorum id imponebat, ne quis eſſet qui quidquam commercii, vel etiam in minutiſſimis vitæ adminiculis cum Lunæburgenſibus haberet.

Sic obſtinatum erat Principis huius propoſitum, ut penitus Lunæburgenſes ſuis exueret privilegiis, & ſibi abſolute ſubiugatos teneret. Verum Lunæburgenſes bene obſervatis his machinationibus Ducis, ad amicos, & confœderatos vicinos Lubeccenſ. & Hamburgenſ. mittendo, ab iiſdem opem, & ſuppetias ſufficientes petebant. Indignum hoc principe negotium adeo Lubeccanos afficiebat, ut protenus militarem ſuum ſuccurſum Hamburgum mitterent, cui addebant Hamburgenſes ſuos milites, & capitaneum ex conſulibus Dn. Iohan. Hoyerum præficiebant hiſce copiis; qui primitus arcem Harburgam impugnabat quidem, ſed alia ratione ductus relinquebat hanc inexpugnatam, ſe convertens in Ditiones Ducis, ubi ab una parte omnes deſpoliabat pagos, & vicos, ab altera parte itidem id præſtabant viriliter Lunæburgenſes, ita ut ſpoliis amplis ſuam exſaturarent urbem, & interim vires Principis pedetentim conſumẽrentur. Ideo aliud remedium Dux inveniebat, quo Lunæburgenſibus in commerciis ſuis eſſet nocumento exitioſo.

Quare ſe cum copiis ſuis conferebat ad fluvium Elmenavium, & convehi huc lapides omnes grandioris ponderis curabat, qui in fundum fluvii proiiciebantur, ut viam navigiis præcluderet, aut oppilaret. Sed labor inanis aliud iter præparabat fluvio, cui artificiali opere ſuccurrebant hæ civitates, ut ea navigatione in hunc uſquẽ diem, longe commodiori, præ priſtina utantur Lunæburgici. Nec amplius tutus Dux erat in arce Winſemia ſua; quia hanc obſidione incluſerant Civitates ita arcte, ut Dux tranſactionem inhiaret. Ideoque ſubornabat amicos, qui ſe interponerent ad inducias faciendas, quæ ad tres annos ipſi concedebantur, ut tamen Anno 1398. plena fieret compoſitio talis, qua civitatibus tribus prædictis à Principe oppignorabantur tres arces præcipuæ, nempe Lubeccenſibus Ludershuſium, Hamburgenſibus Blekeda, Luneburgenſibus Harburgum, ſed ſimul ex pacto hoc deſtruebatur arx prope Hannoveram Hanſæ noxia. Sic & in hoc anno Dux Barminius Wolgaſtenſis infauſtum ſubibat molimen contra Hanſas, dum ille ſimularet, quod claſſem bellicam pro commodo commerciorum eſſet adornaturus. Sed quum ſe totum in rapinas cum ſuis navibus converteret, factum eſt, ut forte fortuito illum, variis ſpoliis onuſtiſſimum, ubi domum reverti conaretur dives, offenderent naves Lubeccenſes, quæ ipſum ita excipiebant, ut vix ſe fuga ſolum ſalvare potuerit. Poſtea in hoc anno 1398. ſolemnis Lubeccæ inſtituebatur conventus Hanſeaticus, ubi de multis rebus graviſſimis, communem commerciorum ſalutem concernentibus, agebatur: Inter alia etiam hoc concludebatur, quod Lubeccæ, & Civitatibus Boruſſiæ eſſet impoſitum, ut illæ claſſem ſufficientem in mare emitterent, cuius vindicatione à prædonibus, & piratis mare Orientale poſſet libetari, & commercia tuto tranſvehi, ad cuius ſumptus ſuſtinendos, ſe omnes Hanſæ civitates obligabant, exceptis Wiſmarienſibus, & Roſtochienſibus, qui nondum Hanſis reconciliati erant, quod Ducis ſui cauſſa, & pro eius liberatione ex cuſtodia Vitalinos fratres in mare emiſiſſent. Interim etiam hoc anno perficiebatur ductus fluvialis inter Molnam, & Elmenoviam, qui labor hucuſque ſeptem fuerat annorum, ut nunc inde omnia generis commercia per eum ductum in Albim tranſvehi poſſint.

Quumq; iã tertius ageretur annus, ex quo Reginę

Danię

Daniæ civitates 7. obligatæ hærebant pro Rege Sueciæ Alberto, ut ſupra part. 3. cap. 16. ex parte relatum eſt, hanc ob cauſſam itidem 7. prædictæ civitates Lubeccæ conveniebant, quæ inter alios Cõſulem Stralſundenſem Dn. Bertramum Wolframium ad Regem Albertum mittebant, ut illum de ſatisfactione moneret.

Perquam notabilis ſane eſt, & prudentiſſima reſponſio Regii iſtius animi: poſtquam aiebat, Filius meus unicus diem ſuum obiit, mihi quoque iam de ſarcinis colligendis ad tranſmigrandum cogitandũ eſt in hac ſenectute, ût ea lectum meum in æternitatem ſequar, non video, mihi ullas ſupereſſe cauſſas, quur in novas me Regni Suecici ratione præcipitem moleſtias. Quippe toti Chriſtiano orbi cognitum eſt, quid non periculi pro iis ſuſtinuerim, qui ita malitioſe me deſeruerunt, contra datam fidem. Deprehendi in ipſo facto, quod Suecica Gens Germanis infenſiſſima ſit, & nunquam illa fidelis iis, quos ex Germanico ſanguine ſibi ad gubernandum elegerunt. Ideoque mecum conſtitui, quod tales regendi partes poſthac ſim plane depoſiturus, ut eo ſecurius, & tranquillius reliquum vitæ reſiduum in mea ditione annata apud ſubditos meos tranſigam. Si ita civitatibus placet, & ea quoque ſuam fidem pro me tam liberaliter interpoſitam (pro quo beneficio ſummas ipſis habeo grates) eo rectius ſalvare poſſint; cedam Reginæ arcem Stockholmiam. Legati Civitatum cum gaudio excipiebant hoc reſpõſum, & conficiebantur litteræ, quibus Rex prędictus Reginæ Daniæ reſignabat Arcem illam Suecicam cum civitate, atque ſimul omnes ſubditos, iuramento cunctis remiſſo in Reginam transferebat, ut ita mutua obligatio ab omni parte iuſte diſſolveretur.

An. autem 1399. aliquot Civitates Hanſæ iterum cum dicto iam Rege Alberto, & Marchione Brandenburgenſi Perlebergæ conventum prædonum cauſſa celebrabant. Hoc quum inaudiiſſent illi, ex malitia concatenati nebulones, confugiebant ad Capitaneum ſuum in arce Lenzenia ad Albim, & hinc expugnabant Regis arcem, ibi vicinam, & è regione Lenzeniæ nuper erectam: Quod adeo exacerbabat Principes, & Civitates præſentes, ut è veſtigio cogerent vires ſuas armorum, & invaderent arcem Lenziam; qua occupata, prædones omnes interficiebantur, qui ſe non in tempore in fugam coniecerant; ita etiam eodem in fervore motus diripiebant prædonum nidos, nempe Wuſtroviam, Meſtekoviam, Manni, Kemolam, Cummerloſiam, cum reliquis male nominatis, & ſuſpectis locis. Rebus ſic ad tranquilliorem ſtatum per terram redactis, Hanſæ hoc anno iterum conventum habebant Lubeccæ, ubi deferebatur Lubeccenſibus Legatio ad Reginam Daniæ, & mercatores in tribus regnis, Norveg. Dan. & Suecia, ut iuxta antiqua privilegia, & pacta conventa tuto iterum ſuas negotiationes exercerent; & ulterius piratę ſupprimerentur; ſic & in eadem Legatione Wiſmarienſes & Roſtochienſes Reginæ reconciliati ſunt. Wiſmarienſes autem rebus ſuis acriter invigilantes, non facile iniuriam perpeti poterant. Itaque Anno 1403. quum eques Megapolitanus, nomine Iohan. Goer, civis cuiuſdam Iohan. Schelpepatini uxorem, cum omni auro, & argento furtim ſubduxiſſet, hunc in captu-ram abripiebant; ac licet Rex Albertus (qui poſtea An. 1407. mortuus eſt) hunc ad pœnam criminalem ſibi expoſceret; tamen Wiſmarienſes ex propria autoritate illum patibulo ſuo appendi protemus curabant, ne quid de iure ſuo cedere viderentur; nec Rex amplius mentionem huius rei fecit, ſed in pœna huic delinquenti impoſita acquieſcendum merito putavit.

Heic notandum etiam iſtud venit, cuius ſupra part. 3. c. 16. circa medium ad An. 1418. de motu quatuordecennali Lubeccenſium, & eius tranquillatione, per Imp. Sigiſmundi Legatos, Dn. Procopium Eq. Aur. & Dn. Iuſtum Canonic. Baſilienſem tandem obtenta, mentionem fecimus, quam variis involutionibus hoc utiliſſimum toti Germaniæ fœdus non tantum ex inſidiis multorum miris, & variis difficultatibus implicatum fuerat: ſed etiam quam maſcule, & non ſine inſigni prudentia ex tot perſecutionibus ſe extricarint, & commercium commune inter ſeſe reſuſcitarint, inque iuſtum diſciplinæ honeſtæ ordinem redegerint. Magna fuerat civitatis Lubeccenſis concuſſio per plures annos ab an. 1403. uſque ad an. 1416. & 1417. quum ſeditioſi cives ob æris alieni ſolutionem detrectaſſent pro commodo, & fide Reipubl. extraordinariam ſibi à Magiſtratu imponi contributionem. In tantum abiebatur furorem, ut non ſolum civium multitudo, quæ in 4. partes diſtributa erat, nempe ſocietatem negotiatorum Bergenſium, Bergefahrer/ Schonẽſium, Schonfahrer/ ex ſuis propriis proventibus viventium, Rentenirer/ & artificum manualium, Ampter, Senatui ex 25. perſonis conſtanti, tredecim cives pro meliore adminiſtratione Reipubl. adiungere cuperet; ſed etiam ut ſenatoribus adiuncti hi ęquales in omnibus haberentur. Hoc quum adeo fervide urgeretur, ingens inde diſcriminis diſſectio exorta eſt, adeo, ut ex univerſo Magiſtratus ordine potius omnes 4. conſules, & ulterius tredecim ſenatores ex urbe diſceſſerint, atq; ſe partim Hamburgum partim Lunæburgum in exilium ſponteneũ ob Reipubl. ſalutem cõverterint, quam ut aliquid cõmittere vellent, quod mutationem contra regimen civitatis (ut verba formalia ſonant) abſque præſentia, & conſenſu clemẽtiſſimi Cæſaris noſtri contra privilegia conceſſa induceret. Quippe ſi tale quid ſubirẽt, vergeret id certe in damnum ultimum omnium privilegiorum. Nomina eorum, qui an. 1407. ex urbe diſceſſerunt, in duas ſic dividunt claſſes, ut prior ſit eorũ, qui ſuperſtites in vivis uſque ad an. 1416. & reſtitutionis tempus manſerunt, poſterior eſt eorum, qui in exilio ſuo hoc mortui ſunt. Itaque ad primam claſſem referuntur 10. hi, nempe Iordanus Pleſkau/ & Marquard* vam Dam, duo conſſ. Heinricus Netler, Tidemannus Iunge, Regnerus de Calvẽ, Hermannus Weſtphale, Iohannes Chriſpin, Iacobus Hobbe, Nicolaus de Stiten, & Henricus Rapeſeiler. Poſterioris claſſis, & in exilio mortuorum ſunt octo ſequentes: Henricus Weſthoff, & Goſwinus Klingenbergh, 2. Conſſ. Bruno Warendorff, Hermannus Siborgs, Cunrad. ab Alen, Iacobus Hollingus, Nicolaus Kropelingus, & Bernhardus Pleskovius, ſex ſenatores; qui omnes viri erant cordati, & cõſtantis erga Deũ, Imperatorem & Rempubl. ſuam fidei, quæ laus illis merito manet.

Ex horum vero diſceſſu maiorem anſam arripuerunt 60. cives, qui tũc paulo ante ex cõceſſione Ma-

giſtratus an. 1405. à communitate ad tumultum ſedandum, & tranſigendum cum ſenatu electi erant, ut eo actius ad ſupplendum non tantum numerum, ſed etiam augendum Senatorii ordinis inſtarent. Vari hinc articuli concipiebantur utrinque pro diſſenſione mutua tollenda. Sed inter omnes maxime contendebatur de electione perſonarum, quæ ad Magiſtratum in poſterum eſſent evehendæ, quod ius ſibi vendicare populus per 60. cives contendebat. Quum vero penitus hoc abnegaret Senatus, 60. Viri convocari curarunt populum in cœmiterio templi Cathedralis, & electio 12. virorum facta eſt, quos plenipotentes dicebant, & contra Senatum iuramento ſingulari præſertim, quum 12. viri omnia à Senatu regalia ſibi tradi poſcerét, ad certos articulos ſibi obligabant, ut illi perficerent nutum communitatis conſtitutum. Ac licet ſe Epiſcopus cum Decano, & aliis Capituli interponeret: tamen medium inveniri haud potuit, quod utrique parti placeret. Proinde ſtatim An 1408. die Converſionis Pauli, quum ex curia diſceſſiſſet Epiſcopus cum ſuis, protenus ſatis protervo modo componebant in ſenatu relicto ſedecim viri, noviter, præter illos 12. viros plenipotentiarios ex numero 60. illorum, & reliqnę communitatis, ad id deputati, ut novam Senatorum electionem, & reliqua neceſſaria promoverent.

Quum autem 16. Viri iſti ad actus tales reformatorios novum quaſi conſtituerint Collegium temporale, non abs re erit, eorum quoque hoic referre nomina poſterorum cauſſa, quum novo huius mutationis fundamento cauſſam inſtrumentalem exhibuerint. Ex numero LX. Virorum creati erant hi, nempe Hermannus Runge, Sigfridus de Kinckhuſen, Marquardus Schuttæus, Borchardus ab Hildeſen, Ioh. Groſe, Iohan Lange, N. Noſſelman, & Edhardus Stange: Ex numero vero communitatis univerſæ deſumpti erant: N. Bokemannus. Henr. Schonenbergh, Hemo Solbe, Iohan von der Heide, N. Selemovius, Martin. Burow, Dethmarus à Thuen, & Hermannus ab Alen. Iſti novæ importunitatis Magiſtri, octo in ſenatu relictis viris, qui tunc cũ abſentibus diſceſſis locum univerſo Magiſtratui repręſentabant, ſe in eum finem ex iuſſu civium tumultuantium iſtebant, ut novus cõpleretur ſenatus; quod adeo ferventer ſollicitabant, ut nollent amplius quid temporis differri, donec machinationes populi ad ſatisfactionem plenam in creatione novi Magiſtratus eſſent perductæ, & libidini plebis prurientis ſuum adimpletum deſiderium. Septendecim illi ſupra dicti conſules cum ſenatoribus, qui ſponteneũ exilium boni publici cauſſa, ne quid ſine eorum cõſenſu poſſet inverti, arripuerant, ingentem quidem ſuam merentur laudem; ſed certe hæreo, an non his octo viris Senatoribus potior laus ſit adſcribenda, quum tot cotidianis periculis mortis in tanto fremitu ſævientis turbę conſtantes in urbe perſeverarint, locumque ſuum uſque ſtrenue defenderint, donec extremitatem vitæ in mortis ipſius ferme articulo viderint ultimo. Proinde merito in ſuis nominibus poſteritatis cauſſa non ſunt ſupprimendi.

Erant igitur hi, nempe Dn. Albrechtus tho, aut zu der Bugge. Gerhardus Hoyeman, Arnoldus Spatenbergius, Dn. Marquardus Buchorſt, Cuntadus Brekewold. Dn. Iohannes Schotte, Iohannes Brunskow, & Henricus Lipperad, qui ſane omnes ſe in conſiliis fortes, & infrangibiles præſtitere. Quum igitur ſedecim illi reformationis Magiſtri nonnihil atrocius tales, dictum ſenatum in tantis perſecutionibus repræſentantes, tunc inſultarent, formalia eorum fuerunt: Quod noſcerent, quid in ultima deliberatione à civibus eſſet propoſitum de electione ſenatus. Quare quum tota communitas iterum cuperet, ut ipſi in hoc ſatisfieret, rem amplius moram non pati, ſed neceſſum eſſe, ut tandem in publicæ ſalutis commodum ſe categorice explicarent. Senatus ſtatim in promptu abſque ulla deliberatione reſpondit: Cognitum illis, & notum quoque eſſe, qualis tunc reſolutio, & alias ſit data ſæpius, quod nullatenus in talia, quæ contra ipſa naturæ, & iura officii eſſent, conſentire poſſent, nedum illud perficere, quum periurium contra conſcientiam ipſis id incuteret. Ideo ſe potius expetere dicebant, ut à talibus abſurdis, ſimul & iniquis, contra Deum poſtulatis, abſtinerent, quũ ſenatui, & ipſiſmetipſis coram mundo id æterno dedecori eſſet futurum. His auditis, ſedecim viri aliud ſecum inierunt conſilium, & propoſitum ſuum in callidam, aſturamque converterunt quæſtionis formam, quæ ſic bifrons erat. Quum ſenatui in tantum ſitum eſſet in iure electionis, ut ab eo ne latum quidem unguem ratione honoris, fidei, iuramenti, & competentis iuris cedere valerent; quod ſi illi ſedecim viri id à civibus obtinere poſſent, ut ſenatui ſolius Electionis relinqueretur, atque ſic tunc cives de aliqua re inter ſe coniurent, quæ honeſta eſſet, & civitati proficua, num etiam cives cum ſenatu, & ſenatus cum civibus rem talem in obſequium, aut ſequelam pertrahere vellet, ſive non?

Ad hanc copioſam ſatis quæſtionem reſpondebat ſenatus ita: Quod ſi ſenatui electio libera relinqui deberet, velut ab antiquo eius uſus ipſi ſemper integer fuiſſet, quodcunque tunc cives inter ſe quod honeſtum, & civitati proficuum eſſet futurum, ſtatuere poſſent, ſe hoc nunquam eſſe tunc inhibiturum. Quippe aiebat ſenatus; hoc vobis ſciendum eſt, quod nos ſemper ad ea obtulimus, quæ cum honeſtate, & iuramenti vigore integro perficere poſſumus. Ad quod ſenatus reſponſum variæ interpretationes, & diſputationes interiectæ ſunt ab utraque parte de hoc ſtatuto aut conſtituto deliberativo; donec tandem ſenatus in hęc erumperet verba; quod ſi hoc ſtatutum deliberatum recte inter ſe audiviſſent, & conſultaſſent, tunc ulterius de hac re agi poſſet per colloquium aliquod.

Hinc ſedecemviri ex curia diſcedebant, & tam cum ſedecemviris, quam tota communitate civium deliberationem habebant ſuam, qui articulum concepti ſtatuti ſic formabant: Quod ſenatus 12. perſonas eligere, & in ſenatum adoptare quidem deberet, quæ ipſi utiles, & idoneæ iuxta ñdem ſenatus, & civitatis viderentur; ſed 12. illi noviter electi tam poſtea, quam veteres tenerentur iuramento ſe obligare civibus. Quando hoc ita eſſet peractum, quod tunc civibus liberum eſſe deberet, ut honeſtã hanc adiicerent petitionis poſtulationẽ, quam quoq; Senatus civibus nullatenus abnegare, aut recuſare teneretur: Nempe petitio hæc eſſet futura, quod 24. perſonis totus ſenatus iam ita includi deberet, quæ regimen gererent per biennĩ: reliqui vero abſentes Domini penitus ab omni regimine civitatis interea temporis abſtine-

abſtinerent: tamen licitum eſſet 24. illis in gravioribus cauſſis illorum adhibere Conſilia. Ad quæ Senatus iterum, uti antea ſæpius factum erat, reſpondit: Omne quod contra iuramentum, & ius eſt noſtrum, & in quod iuravimus, ac quod contra civitatis ſenatuſque Dignitatem, ac privilegia, quæ nobis à Cæſaribus ad Cæſarem confirmata ſunt, tendit, in id plane nequimus conſentire.

Quum vero hoc ſtatutum nobis in talibus contradicit, illud penitus haud poſſumus cõcedere. Inde iterum variæ inter utramq; partem diſputationes exoriebantur; tandem tamẽ ſedecemviri dimiſſionẽ ita petebant, ut licitum eſſet illis, ad deliberandum in proximam audientiæ Cameram, vulgo Hoerkammer dictam ſecedere. Interim vero dum ab utraque parte ſeparatum colloquium agitabatur, duo ex ſedecemviris ſimulabant exitum ſub ea ſpecie, ut dicerent ad ſenatum in anteriori Camera ſedentẽ, quaſi audirent tumultus alicuius rumorem à vulgo excitatum, quem iam ſedatum irent ex curia; paulo poſt (quum clanculario nutu concitaſſent populum) revertebantur ad ſocios ſuos in curiæ cameram poſteriorem. Confeſtim autem concurſus fiebat vulgi ad portam curiæ; pleriq; erant etiam armati, qui cum impetu fores concutiebant, quaſi vi aperire cuperent, & confringere oſtia; præſertim clamantium hęc vox audiebatur, quod finem tam diuturnæ deliberationis expeterent.

Hinc protenus quaſi attoniti ſedecemviri illi ex ſua audientiæ camera in conclave ſenatorum proſiliebant, poſtulando à ſenatu, ut ſtatuto civium obedientiam præſtarent, alias ſe metuere, quod ex hoc populi concurſu ingens eſſet malum exorturum nõ ſine ſanguine. Senatus vero reſpondebat, quod nequirent prorſus aliud edere reſponſum, quam toties eſſet factum. Si quid ulterius violentiæ ipſis foret inferendum, ſe id expectare patienter. Tunc interloquebantur illi ſedecemviri, ita dicendo: Amiciſſimi Domini, petimus, ne diu tem differatis, ſed ſequelã ſtatuto civium præſtetis. Quod ſi nolueritis veſtri cauſſa id facere; facite tamen hoc ob noſtrã, noſtrarumq; mulierum, & liberorum cauſſam. Alias certe metuimus, quod tam in vos, quam nos, & totam civitatem pernicies totalis ſit irruitura. Tandem poſt toties repetita monita, minis ſatis exaſperata, reſpondebat ſenatus: Poſtquam ita ſtatutum eſt facere vobis, & pernicies tam horrenda ſit inde expectanda, ſi ſtatuto populi non obſequium præſtetur; facite vos, & ita pro lubitu peragite, quæ vultus, & conſcientiæ veſtræ teſtimonium vobis dictitat.

Quum ſedecemviri iſti hanc obtinuiſſent reſponſionem, expetebant ulterius, ut ſenatus librum civitatis, & curiæ illis exhiberet pro certiori indicio ad tumultum populi ſedandũ. Senatus id permittebat, ut ſibi ſumerent. Statim aliqui ex ſedecemviratu ex curia ſe populo ſiſtebant, clamantes: nos bonum cõſecuti ſumus finem cum ſenatu; ſimul alta voce proclamabant tenorem tam diu deliberati ſtatuti, quod Senatui propoſuiſſent. Illico clamor erat populi: Non, Non; Haud dum ſatisfactum eſt nobis, etiam electionem nobis expetimus. Tunc unus ex numero ſedecemvirorum altius proclamabat hoc: vos habetis electionẽ. Simili protenus clamore vulgus reſpõdebat: Non, Non; hoc quiſpiam nobis dicat ex LX. Viris. Ibi Hermannus Runge alloquebatur Stangiũ dicens: Mi Stangi, quæſo tu illis id affirma elocutione tua. Is vero reſpondebat, hoc mihi prius ex ipſis ſenatoribus eſt percipiendum.

Duo Conſules, nempe Dn. Henricus Weſthoff, & Marquardus à Damme nondum ex urbe diſceſſerant infelici hoc tempore. Inde Dn. Marquardum Stangius ille ita alloquebatur, dicendo: Dn. Conſul, quid putas? quid reſpondendum eſt huic populo? Interim pergebat populus clamitando: noſtra eſt electio, nobis ea competit, &c. Conſulis igitur verbũ hoc erat. In Dei nomine dicatis vulgo, quodcunque lubitum fuerit, ut tumultus talis complacetur. Hinc Stangius clamãti voce hoc proferebat: Senatus trãſportavit in vos, ut electionem habeatis. Populus reſpondebat: Non ſufficit: quia ad ſecurationem ad id expetimus. Stangius reſpondebat: LX. viri in ſe fideiuſſionem recipient; Hac voce audita, vulgus remittebat nonnihil tumultum clamoſum; paulo poſt populus ſe in partes iterum dividere incipiebat; donec fervor omnis tranſiret. Atq; ſic tandẽ ſenatus ex præſentiſſimo liberabatur vitæ periculo, ac omnes ſe ex curia in ſuas recipiebant ædes. Sequenti die iterũ in curia comparebant, & conventum habebãt LX. viri cum civibus; ſenatus vero in templo D. Marię ex metu latitabat, quum illis eſſet revelatum, quod populus necem illis intentaret. Pudore igitur affecti LX. Viri, deprecabantur prioris diei actum tumultuoſum.

Die Sabbathi in hebdomade paſchatos denuo cũ LX. Viris concurrebat populus, à ſenatu petens, ut confirmaret diſtributionem civium, qui ſe in quatuor partes diviſerant armatas, quibus ſigniferos ſuos determinarant pro defenſione tumultus. Sed etiã hoc denegabat ſenatus, quum talis defenſio potius noxia eſſet, ne armatam manũ contra ſemetipſum ſuſcitarent. Hinc nonnihil atrocius, & apertius ſe LX. Viri oſtendere incipiebant adſeverando, quod cives illos ſenatores amplius non pro membris civitatis, nedum Senatus haberent, qui ex urbe exceſſiſſent, obiicientes illis tyrannidem, & ſævitiam, quam in necatione aliquot civium exercuiſſent. Senatus vero negabat, ſe quid contra iuramentum conſtituere poſſe. Sed potius in medium conſulebatur, ut exules conſules, & ſenatores in oppido Mölln, tribus milliaribus à Lubecca diſtante, ipſi audirentur. Quum igitur die S. Marci indictus eſſet conventus Exulantibus ibi, mittebantur Molnam ex ſenatu illuc 4. nempe duo conſules, Dn. Henricus Weſthoff, & Goſwinus Klingenbergh, & duo ſenatores, Albertus thor Brugge, & Cunradus Brekewald; ex parte LX. Virorum Iohan. Lange, & Borchardus ab Hildeſem. Exules, qui ibidem comparuerunt, ſe ad reditum in civitatem offerebant, ſi aperta legatione civium revocarentur. Sed quum hoc illis abnegaretur, ſubducebant ſe quoque 4. miſſi huc prædicti Conſules, ob periculum vitæ evitandum? Quod quum civibus innotuiſſet, die D. Philippi Iacobi pleno conventu populus cum LX. viris in Cœnobii D. Catharinæ concurſum habuit, & ad ſe reliquos ſenatores in urbe præſentes, accivit, ut cauſſam diſceſſus duorum Conſulum ex iis exploraret; qui periculum vitæ allegarunt. Unde quum & ipſi de ſecuritate certi eſſe cuperent, publica illis promiſſio eius facta eſt, modo in urbis manerent officio conſtantes.

Paulo poſt quærebatur ab illis per plenipotentiarios ſupradictos, num ipſi, aut cives pro completione ſenatus aliquos ſurrogare deberent loco abſentium, quum ipſi non ſufficerent pro adminiſtratione Reip. Hoc vero quum ſenatores illi 8. iniquiſſimum putarent, & potius cum abſentibus tranſactionem expeterent, die 2. Maij omnium civium cum LX. viris concurſus factus eſt publicus ad Cœmiterium templi Cathedralis, ubi ſimul 8. Senatores cõparere iubebantur Sed ne tumultus iſte eſſet ſine ordine, & eſſent, qui mediatorum vices ſuſtinerent inter populum, & ſenatores hos, ex 4. partibus civium eligebantur 4. qui hoc officio fungerentur. Itaque ex ſocietate mercatorum Bergenſium deputabatur Iohan. ab Hamelen, ex Societate Schonenſium N. Aelſtekerus, ex numero Renteneriorum Simon Oldeſchlo, & ex numero tribuum N. Melbergius, qui Senatoribus proponebant hoc; quum Senatorius ordo in hanc paucitatem eſſet redactus. cogerẽtur cives, ut ex neceſſitate illis ſupplerent defectum, quærendo, num conſentire, & cum civibus electionem talem perficere vellent? Reſponſum autem ſenatorium erat, quod nullatenus hoc illis competeret, quum toties cauſſæ prægnantiſſimæ tam LX. viris, & ſedecẽviris, nec non 12. Plenipotentiariis eſſent declaratæ. Hinc protenus 4. deputati, & inprimis ipſorum ex reformatorio ordine unus adiunctus Marquardus Schulte percontabatur; num privilegia civitatis, Liber ſtatutorum, claves, ſigilla, litteræ & Cleinodia adhuc ſalva ſecum adſervarent? Quod confitebantur ſenatores, ingenue adſerẽdo. Confeſtim alter adiunctus Schonebergius id adiiciebat, quærens: Num ea cuncta iuxta mandatum civium communioni extradere vellent? Senatores ſe novis periculis involutos cernentes, deliberationem uſque ad ſequentem diem poſtulabant; quæ poſt multos clamores vulgi ipſis concedebatur. Inde 3. Maij cumulatim omnes incolæ in curiam concurrebant, ubi ab accitis ſenatoribus hoc quærebatur, num lubentes cedere ex loco Magiſtratus, & regalia cuncta civibus tradere vellent.

Duriſſimum hoc poſtulatum merito in extremũ conijciebat mœrorem hos ſenatores; ac licet ad triduum ſibi deliberationem concedi obnixe peterẽt, tamen nil obtinuerunt apud furentes animos. quũ in momẽto ſingula ſibi extradi cuperent cives. Quare in tali extremitate conſtituti ſenatores, libros, claves, ſigilla cum Cleinodiis in ſellam ſenatoriam ſuperioris conclavis deponebant cum hoc ſermone: ſi quis ſit, cui maiora iura præ nobis competant ad adſervandum, is hæc tangat ea.

Nec mora erat, accurrebant ſtatim ex LX. Viris duo; nempe Rubinovius, & Aelſteckerus, eaſque res qua illo imponentes Camerali ciſtæ includebãt, Senatores vero ſuo iure Magiſtratus ita privati, quaſi ſemimortui ex curia diſceſſerunt. Variis interim tumultuoſis conſultationibus, aut rumuſculis potius reliquum diei uſque ad veſpertinum tempus miſerabiliter deterebatur. Inde 4. Maij denuo in curia erat confluxus tumultuantium, ubi 12. civibus onus eligẽdi novum Magiſtratum deferebatur, quorum nomina hęc ſunt: Simon Oldeſchloe; Herman ab Alen, Edhardus Stange, Iohan ab Hamelen, D. Boeckman, Iohan Hundt, Henricus Schonenberg, Heino Solcke, Iohan Grothe, Ludkæus Boytien, Iohan Kroſel, & Nicolaus Rubow. Quamvis illi ad odioſiſſimum iſtud negotium deputati eſſent, tamẽ poſtero die, 5. Maij, qui erat dies Sabbathi ante Dominicam Iubilate, penitus id, quod priori die de nova electione Magiſtratus decretum erat, diſſuadebant populo, ut ſe ita callide ex tricis involutiſſimis expedirent: Ac ne in invidiæ maculam incurrerent, nec ſibimetipſis incommodo forte eſſent, aut periculum ullum ſubirent, ſatis aſtute id ſurrogarunt populo, quum res ardua eſt, nec temere in electionem hanc novam irrueretur, conſultius fore, ſi prius Epiſcopi ſententia in his auditretur. Erat is tunc præſens in palatio ſuo, quum alias Oetini degeret extra urbem. Conſentiebant in hoc omnes unde concludebatur ſtatim, ut mitterentur ad eum, qui nomine omnium ipſum una cum Præsbytero, & Decano togarent, ut ad ſe in curiam haud gravatim conſcenderet; ſi forte ad bonum fructum eius Conſilio in tantis difficultatibus uti frui que poſſent.

Epiſcopus bona ſpe repletus, mox gerutum cum ſuis abſque mora ſe præbebat in curia è veſtigio ſe ſiſtens, ubi civium totius urbis erat plenus conventus: Cui locus ſupremi conſulis adſignabatur eũ ſuis, atque tunc illum ſic alloquebatur is, cui rei propoſitio demandata erat, his verbis. Quæſumus, mi Reverende Dn. Pater, ut miſericordiam noſtro negotio, & calamitate dignam afferatis nobis. Etenim honorabilis iſte locus privatus, & deſtitutus iam eſt Imperii ſenatoribus, & regẽtibus, unde hæc civitas, neq; magiſtratũ, neq; iuſtitiã habet. Facies igitur quã miſerabilis ſit noſtrę Reip. facile ex moderno ſtatu coniicere poteritis. Hæc cauſſa eſt, quur Reverend. Paternitas veſtra ad nos ſit vocata. Gratias proinde vobis habemus, quod ad noſtram petitionem cõparere voluiſtis. Iam hoc rogamus omnes, ut lacrumabilem ſtatum, & conditionem huius urbis bene vobiſcum conſiderare velitis, ac tam teſtimonium, quam aſſiſtentiam benignam præbere nobis cum veſtris Dominis, quousque eius indigeamus, &c. Aderant ſimul duo Notarii, nomine Hermannus Puntius, & alter Nicolaus Everhardi, qui totum hunc requiſitionis actum cum teſtibus adiunctis in formam inſtrumenti redigerent cum omnibus circumſtantiis.

Epiſcopus autem, tanquam prudens, & rerum admodum gnarus vir, ita reſpondebat. Amici dilecti, certe neceſſum eſt, ut circumſpecte, & bona cum diſcretione in hac veſtræ civitatis difficili cauſſa omnia ſuſcipiatis. Cavete igitur ne vos metipſi ex proprio motu novum Magiſtratum, & indicium ordinetis, quum vobis talis poteſtas nullatenus competat, talia in Imperii, & Cæſaris urbe inſtituere. Hoc enim plenum mandatum prius Cæſaris requirit, ſine quo non poteritis vobis novum præficere Magiſtratum. Quod ſi vero de facto id peragere ſtudeatis, non valet inde bonus expectari exitus; ſed metuenda vobis erit Cæſaris indignantia, & Imperii totius vindicta. Ille vero ſe lubens offerebat, quod una cum Capitulo ſuo eam operam eſſet prompte navaturus illis, ſi expeterent, ut lis & diſſidium omne inter ſenatum, & eoſdem placide, & bonis conditionibus poſſet dirimi. Quum vero Epiſcopus talia effari inciperet, ſermo eius omninõ diſplicebat his, qui ſpẽ ſuam in ſenatus ſucceſſionem ſibi conceperant, & clamorem tumultuoſum ſubmiſcebant: alii vociferaban-

rabantur, dicentes: desuper ex fenestra curiæ hunc præcipitate Papam. Quod quum Episcopus cerneret, se operam & opem in consilio perdere cum periculo vitæ, diutius commorari inter tot turbas nolebat; sed ex curia se subducebat protenus.

Vix autem ille discesserat, quum omnes inter se consentirent, ut Henricus Puntius, ceu Notarius Cæsarius publicus, confestim ex numero civium duas seligeret personas, quas rei idoneas putaret. Inde eligebat Dn. Simonem Oldeschlo, & Hermannum ab Alen, qui sine mora ex consilio civium sibi 10. adiutores eligebant, quorum primus erat Iohan Oldenburgius, 2. Burchardus ab Hildesen, 3. N. Nosselmannus, 4. Henricus Schonenbergius, panni venditor, 5. Iohan. Grave, 6. Hartvicus Krukovius, 7. Iohan van der Heide, 8. Ditmarus de Thunen, 9. Edhardus Srangius, 10. Iohan Aelsteckerus. Tales 12. viri, & non plures hac vice in die Sabbathi ante Dominicam Iubilate eligebantur. Peracta hac electione adiiciebatur statim solemnitas iuramenti. Quum vero non esset consulum quispiam, Notario Nicolao Everhardi hoc officium adsignabatur, ut nomine omnium civium ab electis sumeret iuramentum fidelitatis. Huic homini sic præstabant omnes iuramentum, ut bini, & bini singulis vicibus in genubus procidendo se civitati fideles obstringerent, imponentes digitos S. Cruci aureæ, qua senatus ad eiusmodi actus uti solebat. Præstitis his iuramentis, à Notario publico singulis suus in senatu adsignabatur locus, ut publice ita suas occuparent sedes in conspectu omnium.

Recte id fieri, vulgus sibi persuasum habebat ex autoritate Notarij Cæsarij, & Imperialis, quasi Dignitas ei competeret talis, quod iure eiusmodi actus posset exercere ex mandato Imperatoris. Sequenti die Dominica novi regentes cum universo populo revertebantur in curiam, ubi tunc ex 12 illis duos sibi creabant Consules, nempe Simonem ab Oldeschloe, & Hermannum ab Alen, qui præbendarius erat nigrorum Monachorum apud Arcem. Hi duo consules introducebantur in templum D. Mariæ, in quo sessiones Consulares itidem à Notario dicto adsignabantur. Quum se ita locum Magistratus plene adsumpsisse illi arbitrabantur, ut regiminis formam complerent, distribuebant inter se officia, Senatoribus competentia; alij deputabantur ærario communi, alii iudicio. Qui Iudiciariis caussis præsidebant, erat Nosselmannus, & Hartvicus Krukovius: Vectigali adsidebat Dethmarus de Thünen, &c. Per octo ita annorum ferme spacium regiminis huius forma sibi imperabat, & oblectabatur Lubecca quidem, sed non sine concussione fuit, tam vicinorum, quam exulantium vindicatione. Quippe An. 1409. Dux Ericus Saxoniæ, qui paulo ante, quum tic dissiderent inter se cives, Lubeccanis arcem cum oppido Bargedorfiano eripuerat, etiam oculos in Molnam oppidum conieceraf, & auxilio consulis cuiusdam ibi occupabat locum illum, muniens se in Cœmiterio.

Attamen Lubeccenses paulo tranquilliorem statum rursus nacti, ita acriter oppugnabant oppidũ, ut Dux de conservatione eius desperaret. Proinde, ut fugæ consuleret suæ eo rutius, aliquot domos incendio exposuit, ad cuius ignis extinctionem quum properarét cives, ipse se cum suis desubito subduxit. Sic & exulantes non acquiescebant interea, sed opem, tam civitatum, quam vicinorum principum sedulo pro honore suo sollicitabant. Inprimis circa annum 1411. restitutionem admodum intendebant præ reliquis Dn. Iordanus Pleskovius, & Dn. Reimarus à Calven senator, quod præpollebant divitiis, quum sine sumptu magnó res expedri nequiret. Implorabant maxime Principes, & civitates, ut illis litteris commendatitiis ad Imperatorem adsisterét, quum aliud sibi non superesse remedium cernerent. Promotorialibus his acceptis, proficiscebantur ad Reg. Rom. Rupertum, à quo mandatum causſæ decidendæ ad iudicem eius. Dn. Comitem Guntherũ Schwartzburgicum impetrabant, qui ad certum tempus sub pœna banni novum senatum citabat. Quare ad dictum Iudicii diem 4. senatores novi, Edhardus Stange, Tidemannus Stein, Iohan Grevæus, & Marquardus Schutte: sic ex numero civium Iohan Kagelthal, Henricus Runge, Iohan Platæus, & Henricus Bleyebhorn mittebantur, ut partes novi senatus defenderent.

Verum causſa bene ventilata, & examinata à iudice, sententia in hoc anno 1411. edebatur, ut priscus senatus sub pœna Banni cum honore in tuum restitueretur locum, & damni perpessi recompensatio fieret, cuius tamen contrarium reduces domum disseminabant, ac ceu populus facile se decipi in iis sinit, quæ sibi gratiosa apparent, fidem hanc sibi cum magno invenichant applausu. Ne tamen fallacia deprehenderetur, & conventus civitatum esset instituendus, is Wismariam translatus est ad festum omnium Sanctorum, ubi quidem aliquot convenichant, & maxime Hamburgenses per Consulem suũ Meinhartum Boxtehudæum sumptus, quos privatis impenderant nomine publicæ salutis, urgeri curabant. Sed quum in exiguo comparati essent Legati, res deliberandæ in sequentem coniectæ sunt conventum, ad quem futuri Anni diem Dominicam post paschatos determinabant, ut is Lunæburgi haberetur. Licet in angustiis viverent Lubeccani ob annunciatum bannum; tamen dissimulabant egregie omnia populi causſa.

Anno autem 1412. quum convenirent Civitates Lunæburgi, inter alios ex Hamburgo aderant D. Christian. Miles, Meinhardus Boxtehudæus Cons. & Henricus Innefelt senat. Reliquarum autem civitatum Legati eo maturius adventabant, ut prius cum reliquis deliberarent, num propter bannum in Sessionem admittendi essent à novo Senatu Lubeccensi missi. Ideoque iis sub specie alia legatis, qui erant Edhardus Stange, & Tilemannelius, proponi curabant, annon media transactionis, inter veterẽ, & novum senatum inveniri possent? quod adeo Lubeccanos istos Neotericos mordebat, ut statim conscenderent equos, domumque se rursus conferrent. Civitates nihilominus aliquot ex numero suo mittebant ad Lubeccensem senatum, & cives, ut de transactione tali agerét. Verum quum absque fructu res fuisset, & rediissent inde Legati reliquæ simul inter se concluſum hoc faciebant civitates, quod, nisi ab eo tempore circa proximum S. Iacobi diem se Lubeccani ex banno Imperii liberassent, non amplius Hanſæ, & privilegiorum huius fœderis capaces haberi deberent, aut possent. Hamburgenses Legati in hoc nolebant vigore instructionis suæ consenti-

ſentire; utpote quibus impoſitum erat, ne ſe à novo ſenatu Lubeccano ſepararent, nec conſiliis adeſſent, niſi ſimul Lubeccenſis ad ſeſſionem ſuam eſſent admiſſi. Unde domum revertebantur hi legati inanes; ad quorum relationem Senatus populuſque Hamburgicus ad communitatem Lunæburgenſium ſcribebat, illos monendo, ne cõcederent, ut ſocii Hanſæ præſentes in perniciem Lubeccenſis urbis conſpirarent: detegebant quaſi illis alias quoque incommoditates.

Hinc non leviter commoti præſentes Legati, nomine omnium ad Hamburgenſes mittebãt Dn. Albertum Dondorfium Dantiſcanum, & Nicolaum Vogtium Stralſundanum Legatos cum aliquot quęſtionibus. Iſti igitur ſtatim in primo adventu poſt exhibitas credentiales ad ſe convocari in curiam, tã ſenatum, quam cives Hamburgenſes curabant, quibus oſtendebant, quod à communi Hanſa eſſent miſſi, ut 4. ſequẽtes articulos ab iis percontarentur: Primo num vellent in iure ſuo ſubſiſtere? Deinde; num permanere cuperent apud Hanſam? Tertio, num denuo ex ſenatu ſuo cũ plena inſtructione Legatos Lunæburgum deputare vellent? Quarto, num forte in aliqua hærerent confœderatione, iam. aut poſtmodo communi Hanſæ nociva? Ad quæ reſpondebatur nomine totius civitatis in præſentia LX. virorum, & populi, quod a iure honeſtatis deficere nollent, nec ab Hanſa uſpiam; ac ſe mox iterum ſuos Legatos ad præſentem conventum eſſe miſſuros; quum alio cum nemine alias confœderationem colerent ullam, ex qua damnum communi commercio Hanſæque civibus poſſet exurgere. Hoc reſponſo accepto, etiam id adiiciebant Legati, quærendo: num Hamburgenſes igitur putarent, quod communis ſocietatis Hanſeaticæ Legati civium, & mercatorum ſuorum commodum, & ſalutem publicam in conſiliis intenderent, nec ne? Ad quod etiam reſpondebatur, ſe non aliud ſentire, quam quod publica utilitas omnium rite ab illis quæreretur. Ita quum Hamb. ipſi ſuas refutaſſent iniurias, contenti hoc reſponſo reverſi ſunt Lunæburgum Legati bini ſupradicti, velut & ſuos iterum ternos cum meliori, & plenori inſtructione mittebant denuo Hamburgenſes, ita tamen, ut Dn. Iohan. Lunæburgk ſubſtitueretur Meinhardo Boxtehudo. Hinc quoque factum eſt, ut Hamburgenſes abſtinere inciperent ab adſtipulatione iniqua cum Lubeccenſibus; quorum exules ſenatores non deſiſtebant apud novum urgere Imperatorem Sigiſmundum. Mors enim Ruperti hucuſque cauſſatat, quod obtenta ſententia reſtitutionis cum honore, & Dignitate non potuerat executioni mandari. Ideoque ſupradicti Dn. Conſul Iohan. Pleskovius, & Reimarus à Calven Senat. apud Imperat. & ſtatus Imperii inſtabant, ut ſatisfieret ſententiæ dictæ.

An. 1414. forte inſtabat initium concilii Conſtãtienſis, quum citarentur Lubeccenſes cuipam ob ſuam ad Imperatorem. Quare mittebantur illuc conſules hi, nempe Eilardus Strange, Henricus Schonenbergk, Marquardus Schutte, & Iohan Graveus, qui ſecum numeroſam pecuniæ ſummam exportabant in iuris ſui Advocatiam. Ac licet primitus ſententia D. Ruperti Imperatoris confirmata eſſet integre contra novum ſenatum; tamen novus pecunię Advocatus ita artificioſe rem invertere didicerat, ut novitii illi commiſſionem aliquam obtinerent, ad rem rectius perluſtrandam; nec minus interim confirmata eventualiter manebat ſententia prior, ut pro omni damno ſimul, & expenſis ſatisfieret accuſatoribus. Ne vero in publicam banni declarati proclamationem incideret ſenatus iſte novellus; ſed executio differretur aliquo uſque, & ipſi perſpexiſſent Lubeccenſium miſſi, quod Imperatori non eſſet ingratum futurum, ſi ipſi quid pecuniæ obferretur, promiſerunt ei 25000. florenorum ſummam, quæ aut Pariſiis, aut Bruggis ipſi perſolvi poſſet. Inde inhibitio iniiciebatur ita banno, ut non ſuccederet eius publicatio. Tum etiam litteræ ad principes, & ſtatus Imperii mittebantur, ne quis ſpeciem ullam executionis contra Lubeccenſes ſibi arrogaret, donec publica eſſet proclamatio facta. Præterea Imperator Lubeccenſibus 4. his oratoribus, aut inductoribus, ut eo rectius collectam apud cives inſtituere, & in mulctam meritam pertrahere poſſent, litteras concredebat aliquot articulis coloratas, pro placando populo, ut aures illis eo craſſius vellicarentur, & naribus conſtiparentur aduncis.

Articuli erant ſimulati, 1. quod profugi ex veteri Senatu non amplius in civitatem recipi debeãt, ſed excluſi manere in perpetuum, 2. quod tribus poſthac eſſent ad Magiſtratum admiſſibiles ſemper una cum mercatoribus, 3. Quod bannum eſſet deletũ, penituſque ſublatum. Hæ litteræ quidem Imperatoris ſigillo eouſque erant, & manu ſubſcripta corroboratæ: ſed interim aliud mandatum quoque tradebatur plenius cum conditione expreſſa prioris ſententiæ, ad quod iuramento erant adſtricti, ne ante diem proximum S. Georgii id revelarent, quod nemini mortalium hoc eſſent manifeſtaturi, donec Cæſari promiſſa eſſet reddita pecuniæ ſumma.

Non auſus fuiſſem eius rei tangere hiſtoriam, ait ſcriptor iſtius Chronici, niſi Crantzius in Vandalia ſua Lib. 10. cap. 20. ita aperte expreſſiſſet, & toties eius repetitio fieret in Chronicis diverſis, & Lubeccenſium, & Wiſmarienſium, & Hamburgenſ. & patritiorum Lubeccan. Tum luberat hoc etiam, ut enumeratio talis in tempore neceſſitatis fidem Imperat. ſalvaret. Quatuor illis Lubeccenſibus adiungebantur duo ex aula Imperat. inter quos erat præcipuus Baro de Zidow, qui non tantum pecuniam acciperent, ſed etiam præcaverent, ne quid violentiæ inferretur exulantibus reſtituendis Dignitati ſuæ priſtinæ. Populus igitur reducibus ſuis liberaliter contribuebat hanc ſummam cum applauſu magno, præſertim quum Baro ille adderet hoc iactantiæ, quaſi ſingularibus adhuc ornata eſſet privilegiis civitas. Sed varia ſpe onuſti relinquebantur cives ab iis, qui pecunia potiti erant. Ut interim ſibi, & ſuis commilitonibus de alio executore circũſpicerent, Dn. Iohan. Pleskovius, & Reimarus à Calven, nec ope plane deſtituerentur, quam citiſſimo curſu ſe ad Regem Ericum Daniæ conferebant, cui fallaciam 4. Lubeccenſium pluribus explicabãt, & modum reſtitutionis ipſi detegebant. Quare quũ Lubeccenſium mercatores An. 1415. in Schoniam ad capturam halecum navigaſſent, Rex Ericus deſubito 400. cives Lubeccenſes cum omnibus bonis in ſuam coniiciebat cuſtodiam, tamen nonnullos ad datam fidem revertendi dimittebat, ut indicarent ſuis cauſſam huius rei: promittebat quoque

Rex,

Rex, ſi reſtituerent Exulem Magiſtratum cum ſuis Collegis, quod 25000. florenos Lubeccanis civibus eſſet inſolidum redditurus, ne quid inde damni paterentur: adiiciebat etiam has minas, quod ſi non reciperent ſuos exules in priſtinam Dignitatem, ſe neminem captivorum eſſe incolumem vitæ dimiſſurum, & bona arreſtata cuncta fiſco adiudicaturum; alias, ſi æquiſſimo ſuo poſtulato pro reſtitutione priſci ſenatus ſatisfeciſſent, ſe omnes captivos & bona cuncta utque ad obulum eſſe cuique relaxaturum.

Quod quum Lubeccæ increbuiſſet, & à captivorum cognatis, & amicis urgeretur ferventius, mittebantur quidam nomine civitatis, qui cum Rege agerent, ut liberarentur ex carcere homines, & bona ex arreſto. Verum Rex nullam aliam tractationem admittebat, niſi prius priſcus eſſet reſtitutus ſenatus, promittebatque, ſi id factum præſtaretur, ſe tunc etiam ſolutionem 25000. floreno. um adhibiturum eſſe, ut plane heic iterum Ill. Pontanus in ſua hiſtoria erret, quaſi ab Imperatore Sigiſm. per mandatum Regi fuerit reſtituto talis Senatus Lubeccenſis priſtini impoſita, & in aliud tempus id differendum ſtatuerit, quod Crantzius longe rectius teſtatur, atque idem cum aliarum civitatum Chronicis congruit. Sicut & Hamburgenſe Chronicon ait expreſſe, quod eouſque propter captivos illos huius cauſſa reſtitutionis res perducta ſit, ut etiam Hamburg. Stralſundum, Roſtochium, Lunæburgum, Wiſmaria, Griphiſwaldia, & Stetinum ſe interpoſuerint: donec poſtea Anno 1416. Regi pro captivis, & mercatorum bonis cunctis ſponſionem eam ita fecerint, quod ex dimiſſione conceſſa captivi ſ iterum ad eum Ioha. Baptiſtæ Lundino Schonæ iſtere deberent ad ſatisf ctionem; quod ſi id nõ fieret, tunc dictę civitates tenerentur ad ſolutionem tranſactæ ſummæ, ad quam ſe obligarant ratione perſonarum illarum.

Quippe erant 38. homines, pro quibus 89150. Marc. Lubeccenſ. ſponſum fuerat; quorum bona in æſtimationem 1350 Marcarũ puri argenti, & 6696. Marc. Lubeccenſium venerant. Ad ſcriptam hanc obligationem in maiorem fidei præſtationem ſenatus Hamburg. ſigillum ſuum appendi curabat, &c. Hæc & talia plane omiſit ille dictus Pontan. aut ſtudio forte ex ſingulari cauſſa prætereundo diſſimulavit.

Sed ad Auctorem noſtrum Chron. Lubec. revertimur, qui ita pergit. Anno 14.6. die Palmarum ex ſingulari iuſſu Imperatoris Lubeccam perveniebant duo Legati Cæſarei, quorum nomina erant: Dn. Procopius à Zeidelitz l. Baro, & eques, ac Dn. Iuſtus Rauch, Canonicus Baſilienſis, & Imp. Secretarius. Illi duo viri afferebant, & reddebant credentiales ſuas tales. nempe, ut iſti acciperentur, & audirentur non aliter, ac ſi ipſa S. Cæſ. Maj. præſens eſſet, ac nemo quid contra eoſdem ſub pœna vitæ ſuæ amiſſionis ſuſcipere, aut verbis, aut facto agere auderet. Quare illi continuo pro primo à civitate poſtulabant 16000. florenos, quos Imperatori novi conſules promiſerant, ſe perſoluturos eſſe, præter illos ſupradictos 25000. florenos. Deinde nomine S. Cæſ. Maj. inhibebant civibus, ne quipiam illorum conventicula ulla inſtituere auderent, vel die aut nocte, ſub pœna vitæ. Verum interea, dum aliæ civitates ad hoc negotium convocarentur, & ſimul ad Regem Daniæ mitteretur, taleſque vigerent tractatus, accidebat, ut die Iovis ante feſtum Pentecoſtes in aliquo publico hoſpitio cereviſiali, quod ad arbuſtum (vulgo zur Heyde) dicebatur, aliquot cives convenirent, ad conſultandum de rebus præſentibus. Deus novit, quaſnam illi ſuſpiciones vanas cõcepiſſent ſecum. Aſt huius rei indicium ſecretum fiebat Dnn. Legatis Imperat. qui ſtatim ex Autoritate Cæſaris ſenatui mandabant, ut ſe cum lictoribus ſuis in præd ctum conferrent hoſpitium, & cives illos in bene munitam cuſtodiam abducerent. Id quum præſtarent, 18. inveniebantur cives, qui carceri deſtinabantur, & inter eos Heinricus Pollinck, qui conſul antea fuerat, & Heinricus Salbe, qui adhuc in ſenatu erat. bini aurifabri. Protenus à feſto Pentecoſtes die Iovis ex 18. bis duo decollabantur, nempe Heino Salbe, & Herman Rubenow piſtor. Reliqui 16. extra be cum excluſione elegabantur. Heinonis Salben ſepulchro in D. Gertrudis Cœmiterio imponebatur lapis obliquus cum Epithapio, & inſigni trium capitum, quod in hunc uſque diem ibi viſitur. Inter alios civitatum Legatos aderant ex Hamburgo Dn. Heinricus Lunæburgk, & Heinricus à Berge, qui ſuam operam tranſactioni navabant quidem; ſed quum eos deterreret ſupremum Imperii bannum, nec miſſi ad Reg. Dan. Lubeccenſium, aliarumque Civitatum deputati aliud reſponſum inde referrent, quam quod Rex nullatenus quempiam captivorum ex cuſtodia, neque bona mercatorum ex arreſto dimiſſurus, niſi prius vetus ſenatus in civitatem eſſet receptus, pleneque in priſtinum locum reſtitutus. Atque præterea, ne poſtha Lubeccenſis Senatus ſua nova, & in ſimulationem exhibita privilegia prætenderet, offerebat ſe Rex, quod ipſe Imp. Legatis eſſet 25000. denuo perſoluturus, ac interim pignoris loco reſervaturus captivos omnes ſibi, donec ipſi eſſet ſatisfactum, in omnibus poſtulatis ſuis, præſertim in ſæpius dicta reſtitutione priſci ſenatus. Quum miſſi ad Regem hac reſolutione conſtanti redirent Lubeccam, nec aliud ſupereſſet remedium, quam ut ſeverius de reſtitutione tali expetita toties ageretur; nec Legati Cæſaris oblatam à Rege pecuniam accipere ob varias conſiderationes, & diffamationes auderent; Ideo legati illi cum captivorum agnatis, & amicis, nec non Civitatum Legatis propius inter ſe conveniebant, incipiebantque in reditus civitatis inquirere, ut Regi Daniæ ſatisfieret. Hoc ſupra modum quidem ægre ferebat novus ſenatus, velut & cives variis effugiis ſe opponebant; nihilominus quũ captivorum agnati, & amici ferventius inſtarent, ac Imperatoris Legati authoritatem actius interponerent, nec minus civitatum Legati idem urgerent pertinacius, tandem res ita tota complanata eſt, ut novus ſenatus loco ſuo cederet, & priſcus reciperetur Magiſtratus. Cui actui deſtinabatur dies Martis poſt feſtum Trin. quæ tranſactio litteris conſignabatur, & die Martis in feſto Pentecoſtes à Legato Hamburgico, Dn. Iohan. Lunæburgio publice civibus prælegebatur, cum indicatione Edictali, quomodo quiſque civium in tranquillatione hac ſe gerere deberet.

Interim procurarant Legati Civitatum adventum veteris Senatus verſus Ratzeburgum, ad quam tranſactio conſignata mittebatur, ut ad placitum, & ſecu-

ſecuritatem expetitam eam approbarent, & ſic cum conſenſu utriuſque partis litteræ hæ tranſactionis ſigillo corroborarentur, uti adhuc in archivo civitates adſervantur. Quum igitur tempus reſtitutionis ad dictum diem appropinquaret, Exules, qui adhuc in vivis erant, conveniebant in loco commodiori, non procul à Lubecca diſtante, nempe in pago Crumeſſio, ad quos plurimi cives inſinuationis, & excuſationis cauſſa excurrebant, congratulando illis de reditu felici adeo, ut & amici, & inimici iiſdem dona offerrent. Multi enim ſe amicos ſimulabant, qui tamen ipſorum hoſtes in corde erant odioſiſſimi, velut fieri ſolet, ubi ſerenior bonis affulget fortuna.

Die Martis ergo poſt Trin. feſtum propius ad Xenodochium D. Georgii ante portam civitatis ſenatores veteres cum binis conſulibus ſuis accedebant, ſtatimque iis ſe Legati Imperatoris cum pompa magna iſtebant, quibus etiam obviam, & in occurſum ibat novus ſenatus cum ingenti civium numero, ubi cum ſplendore novo Exules in conſpectu omnis populi à dictis Dnn. Legatis Imperat. nomine Sac. Cæſ. Maj. & totius Imperii Romani in ſolemni actu excipiebantur. Exules gravi oratione reſpondebant, innocentiam ſuam, fidem Reip. præſtitam, & ingratitudinem civium demonſtrando; velut & gratias ſummas Sac. Cæſ. Majeſt. agebant, quod tandem ita clementer auditi eſſent, votum adicientes debitum.

Novi ſenatores non ſine cordis dolore auſcultabant; Plebs omnis, & circumſtantes novitatis avidi, quique ex vicinia ſpectatum huc confluxerant, invicem urgendo mutuo ſe comprimebant; quiſque enim ſibi animadverſionem ex actus huius ſolemnitate, & memoriam concipere firmam ſtudebat. Hoc quum ita peractum eſſet, proceſſione ſplendida ita introducebantur exules in urbem, ut Legati Imperatoris, nempe Dn. Procopius de Zeidelitz à latere haberet Dn. Conſulem Iordanum (quem alii Conradum dicunt) Pleskovium, alterum Dn. Marquardum à Damme Conſ. ducebat Dn. Iuſtus Rauch Canon. Baſilienſis. Quos in ordine ſuo ſequebantur Dn. Henricus Nelſerus, Tidemannus Iungius, Reimerus de Calven, Iohan. Criſpinus (quē alii Chriſtianum ſcribunt) Nicolaus de Stiten, Heinricus Rapeſulverus (poſtea Conſul) Iacobus Holke, & Hermannus Weſtphale, ita tamen, ut ſingulo horum ſingulus ex novo ſenatu comes iret. Atque ſic longo proceſſu Exules iam ſolemniter recepti deducebantur per plateas civitatis uſque in templum D. Mariæ: quod ſpectaculum pompoſum adeo afficiebat corda incolarum, ut multis præ gaudio lacrumas eliceret ex oculis, licet etiam eſſent, qui ex nimio cordis dolore indignarentur admodum, quippe nō omnibus æque lætus iſte erat novus, & inſolitus in ſplendore tali optimorum virorum introitus.

In templo autem prædicto Domini Legati Imperatorii unumquemque, & Conſulum, & Senatorum manuducebant ad proprium, & priorem ſedis locum ipſis debitum, ubi etiam non ſine cantilenis miſſa celebrabatur læta in Trinitatis exaltationem. Sacris his peractis, ſimili modo deductio ſolemnis ad Curiam Dominorum iſtorum fiebat, ubi itidem Dnn. Legati unumquemque eorum manu ad occupandum iterum ſuum regiminis locum adducebant; quibus Dn. Procopius eques, & L. Bero hæc addebat verba: Ex mandato & ſumma poteſtate S. Cæſ. Maj. ac totius Imperii Romani auctoritate, hoc vobis imponimus, quum vos in veſtrum Dignitatis locum & ſedem ex dicto Mandato Cæſ. Maj. reſtituimus, ut ſtatum huius regiminis ita adminiſtretis, eiuſque Patrocinium ſic digne geratis, ne alicubi in Deum, & Sac. Cæſ. Maj. talia committatis, quæ correctionem aliquam mereantur deſuper: ſed omnibus ſitis, iuxta conſcientiæ ductum, æqui & boni, nec leges Imperii à vobis patiantur iniuſtitiam. Sic non dubitamus, quin & ſubditi à vobis bonum recte vivendi exemplum in obedientia debita ſint ſumpturi.

Quum igitur hac ratione plenarie ex Auctoritate & iuſſu Sac. Cæſar. Maj. in honorem, & antiquam Dignitatem reſtituti eſſent priores Domini, mox deſtituti ex novo ſenatu, coram teſſione Magiſtratus comparebant, & nudatis capitibus vittas ſuas detrahendo (velut tunc mos, veſtiumque habitus erat) flexiſque genubus humillime omnem deprecabantur culpam, ut ob miſericordiam Dei illis omnes offenſiones, & iniuriæ, quibus hactenus exulantem affeciſſent ſenatum, ignoſcerentur. Ad hæc Dn. Iordanus Pleskovius Conſul ſic illis reſpondebat: Ut Deus in Excelſis nobis miſeris peccatoribus in extremo iudicio eo clementius noſtra condonet peccata, & delicta, nos quoque vobis ex toto animo, & corde remittimus ea cuncta, in quibus nobis adverſi fuiſtis, ac quæcunque in nos perpetraſtis crimina, quamdiu per tot annos in exilio, & miſeria ſumma veſtrorum cauſſa vivere coacti ſumus. Hoc verbum pluribus, qui adſtabant in curia lacrymas ex oculis expellebat. Quum igitur in plena Dignitatis poteſtate viverent priſci Conſules, & ſenatores, ante omnia eodem die revocarunt in curiam, quos domi in exilium abeuntes reliquerant collegas, ac in civitate periculis circumdati undique manſerant.

Hos iterum ſibi ex poteſtate, ab Imperatore per Legatos conceſſa adſidere iuſſerunt. Eorum numerus ad quinarium erat redactus, ut nūc eſſent hi; Dn. Marquardus Buchorſt, Dn. Albertus von der Brugge. Dn. Gerhardus Hoyeman, Dn. Conradus Brekewalt, & Dn. Arnoldus Sparenbergh. Poſtquam vero exulantium Conſulum, & Senatorum tam 8. perſonæ extra urbem eſſent mortuæ, quā 3. in civitate domi manentium, inde reſtitutus Senatus ex novo ſenatu ſibi 5. eligebant viros, quos innocentiores putabant, quibus 7. ex numero mercatorum in electione adiiciebant. Ex novo ſenatu erant Iohan. ab Hervorden, Bartoldus Rolandus, Dethmarus à Thunen, Ladewinus Crullius, & Tidemānus Stein. Ex mercatoribus erant, Iohan. Daſſovius, Tidemānus Morkerke (quos duos Patritios dicebant) Iohan. Garve, Iohan. Behre, Tideman Laurentius, Albertus Alpe & Iohan. ab Hamelen.

Suppleto ita ordine Senatorio, ſtatim ſimul diſtribuebantur officia, Magiſtratui competentia. In reliquis iſte memorabilis dies lætitiæ publicæ deſtinabatur, velut etiam inſtitutio facta eſt, ut quotannis in rei perpetuam memoriam iſte dies ſacer publico feſto habeatur in cunctis templis: Velut & ſenatus in omnia templa, & cœnobia vini modios aliquot mittere ſolet. Die Sabbathi Exulantium Coniuges ſolemniter itidem in urbem introducebantur,

qui-

quibus etiam in occursum ibant Legati Cæsaris & Lubeccensis senatus cum maxima civiũ parte. Postea eodem die, & die Lunæ sequenti à civibus, & incolis novum præstabatur homagium, ut se maiori fidelitatis iuramento obligarent. Atque sic demum post diuturnos, longosque labores, & pericula, discriminaque varia res in tranquillitatem, & statum priorem reducebantur.

Ne igitur Rex Ericus ulterius sibi posset invenire & nectere difficultates ipsis, quin captivos hucusque detentos, & bona mercatorum dimitteret; ipse senatus iam restitutus cum non exigua parte civium Lubec. mittebat Legatos suos ad Regem die Lunæ ante festum D. Mariæ Magdalenæ, quem putabant Femoræ commorari, ut ibi in vicinia transactio fieri posset. Sed cogebantur ipsum sequi per aliquot dies, priusquam eum invenirent. Tandem tamen post multos transactionum modos institutos, die Lunæ post festum Iacobi dimittebantur captivi. Verum ob damnum, quod Lubeccenses perpessi fuerant in bonis, quæ Rex auferri illis curarat, non poterat ullum inveniri compositionis medium, donec Lubeccenses acceptarent, quodcunque Rex illis offerebat. Quum etiam valde conqueretetur Rex de iniuria quatuor prioris senatus Consulum, qui erant, ut supra dictum est, Eilhardus Strange, Henricus Schonenbergh, Marquardus Schutte, & Iohan. Greve, quod illi tunc quum Cõstantiæ fuissent, publice illi imputassent, quasi Lubeccam Romano Imperio subducere, & in suam potestatem redigere studuisset: Quumque inde Rex sibi principalem caussam sumpsisset captivationis civium, & eorum bona arrestandi; hoc quoque ibidem transactioni inclusum est ex utriusque partis consensu ut quatuor illi iter peregrinationis pœnitentialis ad D. Mariam Lauretanam Italiæ susciperent, atque in redito se ad Imperatorem Rom. supplices conferrent, publiceque se reos convincerent deprecando iniuriam, qua Regem affecerant. Quibus ita peractis, tandem Legati Civitatum, & Lubeccensium dimittebantur, qui in reditu suo referebant singula, & unde tot difficultates ex priori senatu exortæ fuissent. Præterea Imperator Rom. scribebat ad senatum Lubeccens. ac per Legatos à Civitate postulabat 16000. florenos aureos, quos ipsi 4. superius dicti consules Cõstantiæ tũc promisissent, quod vel Parisiis, aut Bruggis persolvi debuissent: quum vero hoc non esset factum, sed Cæs. Maj. ingens inde caussatum damnũ cum despectu; eius exigebatur reluitio. Aſt communio civium negabat, quod ullam facultatem iis prædictis quatuor viris commisisset.

Ad instantiam igitur Dnn. Legatorum Imperial. illi putativi prius Consules turri includebantur die Adsumptionis Mariæ, usque ad festum Michaelis. Quum aliquot autem intercessiones fierent, tandẽ cum consensu dictorum Legar. dimittebantur ex carcere sub ea conditione, & cautione iuratoria, ut se Imper. Sigismundo sisterent, caussamque suam iustificarent, aut aliam præstarent reluitionem. Simulac igitur, quum ex carcere liberati essent, duo eorum, nempe Marquardus Schutte, & Iohan Greve ingrediebantur iter versus Constantiam; reliqui duo ob morbum contractum in custodia non poterant una cum illis ire; sed sequebantur ex aliquot septimanis eosdem. Præter opinionem autem omnium accidebat, ut Imper. Sigismundus illis condonaret culpam omnem; & domum salvi, incolumesque reverterentur.

Anno 1417. Conventus erat Lubeccæ 7. liberarum Civitatum Vandalicarum; nempe Hamburgensis, Lunæburg. Wismarien. Rostochien. Stralsunden. & Gripswald. cum Lubec. Die D. Antonii autem, quum in confessu essent suo dicti Civitatum Legati; senatus quoque se Lubeccensis sistebat ab una parte, ab altera comparebant principales civiũ, ad actum hunc singulariter citati; ubi Magistratus Lubeccensis hanc inducebat querelam, quod bona non tantum status communia, sed etiam propria hæreditaria, & coempta, ac feudi, illis subtracta tẽpore exilii essent, quum misere ita exulassent, quæ apud cives hos occultata invenirentur, qui propterea ad hunc citati essent locum, nec tamen contra scientiam, & conscientiam ea cedere vellent. Ideoque expetebat senatus, ut præsentes Legati ex arbitrio iuxta recessus Hansæ id diiudicarent, atque ex æquitate ipsa hasce lites discernerent.

Cives autem respondebant, quod bona talia quidem emptionis iusto titulo acquisivissent, & in utilitatem communem civitatis essent conversa. Unde variæ inter illos ventilabantur disputationes per aliquot dies. Ut tamen mutua dilectio, & tranquillitas, summe necessaria, in bona illa civitate conservaretur, nec nova iterum sese exereret dissolutio, Civitatum Vandalicarum Legati in eo tot erant, ut iuxta temporis conditionem quam optime res litigiosa posset componi. Ideoque arbitrium suum ita interponebant, ut non tantum utraque pars in silentio se contineret; sed etiam per modum compromissi id obtinebant, ut in eorum decreto, & sententia, æquitati consentanea, penitus acquiescerent, nec amplius ullas in posterum actiones inde sibi confingerent, sub certa pœna, & mulcta, ut recte ille ait: Tantæ molis erat, Lubeccanis reddere pacem. Post longos igitur labores tandem ita lis omnis composita est, ut aliqualis fieret restitutio, & posthac ex iure Amnestiæ in mutua Senatus viveret concordia cum civibus suis. Memorabile, & civitatibus singulariter notabile hoc est cõmunis commercii caussa, quod contra pacta Vectigalium extensio per totam Daniam tunc talis fuerit in usu: pro equuleo solvebatur 1. Schillinga Sterlingica: pro Butyri, Suminis, Sævi, similisque adipis põdere nautico, quod Schippunt dicunt, 8. Sterlingi: pro lardi libra 6. Sterlingi: pro piscium asellorum tonna 3. Sterlingi: pro mille albicis 6. Sterlingi: pro bove 4. Sterlingi: pro anguillarum lasta 10. Sterlingi: pro ove 2. Sterlingi: pro decade coriorum 1. Sterling. pro nucum lasta 6. Sterlingi: pro frumentorum lasta 18. Sterlingi: pro 100. ulnis panni optimi 4. Sterlingi: pro tonna cerevisiæ 6. Sterlingi: pro packa panni, marca una, &c.

Sed & Lubeccensibus præ aliis sua privilegia cõmerciorum cum novis indultis, ut præfectum singularem Schonora, & Falstra haberent, Wismariæ præsentibus aliquot principibus confirmata sunt, ut in æternum vigerent: quod idem Rostochiensibus factum est anno superiori. Rex Daniæ interim Ericus hoc clam agitabat. Ut Holsatos penitus subjugaret. Ne vero civitates illis succurrum præstarent, per reperitum ex prioribus modum Confœderatio-

nia

nis eos ſibi adſtringere ſtudebat; ac iterum promittebat, velut antehac An. 1408. factum, quod 1000. milites ſuis ſumptibus erga quemcunque hoſtem illis eſſet ſubminiſtraturus; quod ita à Civitatibus itidem exigebat denuo. Civitates Vandalicæ minus à principio intentionem novam Regis animadvertentes, in hoc conſentiebant quidem: Verum quum ex poſt facto clarius id perciperent, cernerentque, quanto conatu militiæ, & claſſium, in mari ſupprimere Holſatiæ Duces & Comites inciperet, ex vicinorum periculo quoque ſibi idem imminere, non abſque re putabant, præſertim quum iam Rex Schleſwicenſem civitatem armis & vi occupaſſet. Fidelem quidem hucuſque Regi præſtiterant opem; ſed ut futuro malo, quod ipſis ſimul incumbebat, in tempore prolpicerent, Lubeccenſes cum reliquis dictis Civitatibus Vandalicis aliquot Legatos ex Senatoribus ſuis ad Regem mittebant, ad tentandum num tantus belli fervor in iuſtam compoſitionem redigi poſſet. Variæ erant propoſitionum conditiones; ſed fruſtra.

Ne tamen res plane eſſet inanis, obtentum eſt armiſtitium, cum determinatione conventus alicuius verſus Lubeccam, ad feſtum D. Iohannis futuri anni, & ut quæque pars ſibi ſimul ſeligeret principes aliquot, qui dicto die arbitrium ſuum ad plenam tranſactionem interponerent; ſed hæc ſimul conditio expreſſe adiecta erat; quod ſi pars aliqua nollet in æquitate arbitrii ſubſiſtere, ſed novas intentaret infeſtationes, quod omnes tunc interponentes teneri deberent, ad eum funditus obruendum, qui novam inſtituiſſet læſionem, & turbas rurſus excitaſſet publicas. Tam Rex, quam Duces Holſatiæ in hoc conſentiebant pactum ſine ulla reſervatione: ac mutua talis obligatio tam iuramentis, quam litteris, ſigillo, & ſubſcriptione manuum corroborabantur. Verum quum Anno 1418. die Iohannis Principes vocati, & civitates comparuiſſent, Rex non comparuit. Quare Duces Holſatiæ à præſentibus Compromiſſarios petierunt, ut Regem fidei fractorem declararent, non ſecus, ac illi facturi eſſent, ſi ipſi votum comparitione ſua non adimpleviſſent. Sed intervenichat nobilis quidam Ericus à Krummendeick, cum excuſatione ea, quod Rex ob venti cõtrarii tempeſtatem ſe ſiſtere nequiviſſet. Quum vero ipſe relator à Rege ſat commodo vento huc appuliſſet, refutatio erat in promptu, ut præſentes cõpromiſſarii ignominiæ loco id haberent, nec iuſtã Ducum Holſatiæ cauſſam improbare ullatenus poſſent. Sed Regis longe alia erat ſuppoſitio, ut Duces Holſatiæ odioſos, & Imperatori, & Electoribus Imperii, nec non Pontifici Romano redderet: Inde varias inſimulationes ad eos litteris paſſim mittebat, ſe plane pacis depingẽdo cupidiſſimum, & ſtudioſiſſimum, ut gratiam eorum ſibi tali modo acquireret faventiorem, ne alii de iniquitate, aut æquitate cauſſæ iudicarent ſerenius, & rectius. Argutæ erant eiuſmodi querelæ, etiam ad Ditmarſſos directæ quibus demonſtrare conabatur, quaſi iniuſta eſſet Ducatus Holſatiæ detentio, & violenta. quod omni iure ſe probaturum, aiebat. Aſtutia Regis magna erat, qua totam ſibi vindicaret Holſatiam.

Quare ut eo apertius convinci poſſet Rex in propoſito nimis duro, atque belli diuturniori malo præſcindi occaſiones, potiſſimam hanc, & commercii communis, negotiationumque ob cauſſam univerſalem Hanſæ conventum hoc anno 1418. de conſilio vicinarum urbium inſtituebant Lubeccenſes. Licet non omnes ſe ſiſterent, tamen litteris conformationem ſuam ſubminiſtrabant abſentes. Quæ autem civitates ſuos miſerint Legatos, ſunt ſequentes, nempe: Colonia, Magdeburgum, Brunſviga, Hamburgum, Roſtochium, Hildeshæmium, Goslaria, Brema, Oſnabrugga, Suſatum, Monaſteriũ, Dortmunda, Riga, Dorpatum, Revalia, Lunæburgum, Stetinum, Stralſundium, Wiſmaria, Gripſwaldia, Colberga, Gotlandiæ Wisbij, Melvinga, Thorunia, Daventria, Stendalia, Schwolla, Campenium, Soltwedelia, Hannovera, Stadæ, Kilonia, Rugenwaldia, Gottinga, Dordracum, Harlemiũ, Amſtelrodamum, Anclamum, Mindena, Boxehuda, Zutphania, Nimwega, Veſalia & Hardervicũ. Admodum feſtivus & ſolennis hic erat conventus, quum eius numerus, præter eas, quæ ſe excuſarant prægnantibus de cauſſis, 45. civitates complecteretur. Non quidem ſuo iuſto ordine ſunt enumeratæ; ſed quum Chronicon latinum ita eas recenſeat, ideo nolui heic quid invertere. Quum igitur inſignes harum civitatum Legati ad conſilium conveniſſent duorum capitum, ſibi deliberationis materiam ex prænunciatis & præſcriptis litteris fecerunt, quæ iterum in ſuos diſtribuebant articulos ſolito more.

Quamvis autem primaria ipſis eſſet cura, ut negotia commerciorum bene inter ſe diſpicerent, & quænam ad eorum conſervationem proprie facerent, tamen progreſſum conſultandi, maxime ex inſtinctu Ducis Henrici Schleſwicenſis ſub initio ſtatim inſtituerunt ad Legationem Danicam, ut ex Rege percipiendo cognoſcerent, quid cauſſæ tandem ſubfuerit, quod nuper in conventu compromiſſario, quem ipſe ſub data fide comprobarat, nõ comparuiſſet, ſuoque iuri verum edidiſſet patronum coram iis Principibus, & amicis, quos ipſe conſtituerat, & elegerat ſibi. Turpe enim putabãt omnes, quod Rex iuſtitiæ, vel potius ipſi æquitati tergum obvertiſſet, quum tamen antea immenſum de iure ſuo erga potentes mundi Principes, Magiſtratus quoſve, civitates, erga cives, plebem, incolas, ruſticam gentem, & quoſvis obvios gloriatus adeo fuiſſet, ut omnium iudicio ſe poſſet exponere. Unde exprobrationem quoque hanc ipſi ingerendam putarunt, quod in eius Regis, ceu ſingularis amici, & ſocii gratiam, non ſine ingenti impenſarum ſumptu, tam favorabilem tot principum, & civitatum conventum Lubeccenſes conſcribi curaſſent. Legati hi eo citius in Daniam mittebantur, ut durante adhuc conventu certi de Regis reſponſo eſſe, & in hac cauſſa quid firmi conſtituere poſſent. Interea cotidiana conſilia ſua perfecerunt in articulis præſcriptis, & concluſerunt talia negotiationibus ſuis utilia, quæ nec minus ſumme neceſſaria fuerunt. Iuxta receſſus autem illius conſtituti rationem, articuli ſe ita habent, ad commune placitum perducti, ut vim ſtatutorum induerint.

1. Si quiſpiam civium aut incolarum, vel etiam plures ex ſubditis in ulla Civitate Hanſæ ſeditionẽ, tumultum, ſuſpecta conciliabula, aut conſpirationem apertam, vel occultam contra Magiſtratum ſuum moveat, aut excitet, quæ in eius Magiſtratus contemptum, aut immutationem eius poteſtatis,

Digni-

Dignitatisque detractionem, vel convellationem vergat; atque id liquido probari queat, vel ipsi rei fiant profugæ propterea: Illi homines in nulla Hansæ Civitate recipi, vel toleari debent, sed potius iudicari in summo rigoris iure. Quod itidem in iis observari debet, si qui sint, quibus talis seditionis conspiratio, aut conciliabulum tale cognitum fuerit, nec eius indicium Magistratui suo fecerint. Quod si vero aliqua Civitas extra Hansæ Confœderationem constituta, contra Hansæ Civitatum voluntatem eiusmodi facinorosos homines patrocinio aliquo exciperet, & defenderet: Tunc haud ulla Civitatum Hanseaticarum cum tali civitate quidquam commercii, aut amicitiæ in ulla re, etiam minutissima habeto, quum ita in odium, & contemptum Hansæ talem quempiam aut plures facinorosos secum perpetiatur.

2. Quod si senatus, & Magistratus totus, aut pars aliqua eius in aliqua Hansæ Civitate aut civibus, aut incolis, Curiæ sede, & potestate privetur, quocunque modo, aut vi id tandem fiat; ea civitas propterea ex Hansa excluſa est; & reliquæ Civitates Hansæ omnes, & singulæ cum nullo civium, & incolarum eius Civitatis, in qua vis ea nefaria perpetrata est, quid commercii, aut negotii, vel amicitiæ habeant, vel exerceant; imo nec sua civitate, aut Iurisdictione eorum quempiam tolerent, aut perferant, tamdiu & donec Magistratus totus, aut pars ea Senatus, quæ vi & iniuria affecta est, rursus in potestatis Dignitatem atque locum priscum & debitum restitutus sit eo modo, ut prius senatui, aut parti læsæ in omni liberratis, & honestatis iure, nec minus ipsi Hansæ pro vi adhibita, & inobedientia ad placitum satisfactum sit.

3. Nemo omnium, sive civis, aut hospes, cui coram Magistratu quid efficiendum est, secum ultra 6. personas ad senatum adducito: quoties vero senarium hunc numerum transgreditur in adductione tali, ille pro quavis persona binas puri argenti marcas mulctæ loco solvito.

4. Nemo mercatorum, aut negotiatorum in commerciis privilegio uti frui debet, nisi sit civis in aliqua Civitate Hansæ: Tum quoque nemo ad ius Civitatis in duabus Civitatibus Hansæ admittetur, aut civis utrobique fiat: multo minus quis ad senioratum mercatorum adhibeatur, qui non sit civis in aliqua Hansæ Civitate.

5. Si quis in aliqua Civitate civium Hansæ pecuniam habeat in commercio, & in eum finem profugus fiat, ut solvere nolit, aut debitores suos sibi lucro faciat; is in nulla Civitate Hansæ tolerari debet: quod si vero non ex proposito id perpetratum sit, sed ignorantia quem excuset; Salvus Conductus tunc mortuus erit, nec valebit quidpiam.

6. Nemo ex Civitate aliqua, aut aliunde ex loco aliquo regionis pannum incoloratum, aut nondum colore quoquam tinctum emat, ut in aliam afferat, aut portet ad eam, colore aliquo tingendum; sed ubi pannus est emptus, ibi quoque colore imbui debet, sub pœna panni, & materiæ amissæ.

7. Nemo obulos, nummos, aut numisma aliquod in separationem sibi eligat, vel communi usui elibrando subtrahat, quod vulgo auswippen, sive auskippen dicunt, ut inde defraudationem aliis faciat, proprio lucro intentus; nec corruptionem ullam inminutissimis monetis committat, sub pœna exclusionis ex Civitatibus Hansæ; quum honestas actiones solummodo omnes cives Hansæ in commerciis deceant. Si qui contra faciant, legibus publicis criminaliter quoque subiicientur cum acerbitate, quam quisque meretur depeculator fraudulentus.

8. Monetarius nemo, & excusor numismatis auream, aut argenteam monetam alicuius Principis, aut civitatis eliquatam faciat ita, ut inde novam impressionem monetæ conficiat, aut in aliam numismatis speciem transformet, ac civitatis alicuius signum imprimat sub pœna amissionis omnium bonorum, aut quod leges civiles quid alicui imponitur æ sunt gravius.

9. Nemo excusorum numismatis aut monetæ sibi cudat aliquam monetam, licet eiusdem ponderis sit cum publica moneta, sive sit aureum, sive argenteum quid: neque confringet, aut colliquescet monetam ullam alterius civitatis sub pœna 100. marcarum Lubecensium, aut alia pro lubitu in gravioribus pœna.

10. Nullus aurifabrorum, aut obulos, aut quicquid est minutioris numismatis, nummosve colliquescat, aut cõfringat, dissolvate in furnario suo talium quidquam sub pœna periurii, & perfidiæ, criminaliter vindicandæ.

11. Mercatorum, nautarumve nullus emat frumenta, aut lupulum in agro, & priusquam ad maturitatem perveniat, vel adhuc in segetis accrescentia est; sic nec emat aselios, halecia, aut pisces eiusmodi ante capturam, sive antequam talia suis tonnis, & vasculis inclusa sint. Quicunque huic contraria egerit, venditor suæ Civitati in multam 10. marcas solvat, ac emptor bona amisit sua.

12. Mercatorum nemo, vel nautarum naveni frumentis oneret, aut impleat ita, ut ea per Nortsundium, aut Baltici Sundium excurrat, nec per Albim, aut Visurgim transeat, & eiusmodi in locis frumenti vectura utatur, nisi sit civis Hansæ, sub pœna amissionis omnium bonorum.

13. Nemo Laicorum ulli Clericorum sua cedat credita, ut creditoris nomine, aut ex iure cesso à debitore exigat; sed quisque creditor sua sibi debita exposcito iuxta iuris Civilis, aut statutorum rationem, nec quispiam iudicum apud Civitates Hansæ cuipiam suam deneget opem, ne in animadversionem Hansæ incidat: sic & cuivis creditori auxilium præstabitur à Civitatibus Hansæ.

14. Quoties navis, frumentis onerata, & impleta fuerit, tenentur ad hoc nucleri ministri (ut sunt celeutes, Pausarii, proretæ, mediastini, remiges, mesonautæ &c.) ut frumenta bene custo-

diant, ſæpius choragio, batillo aut in furibulo ea moveant inverteudo, ne aduſtionem aliquam, aut corroſionem patiantur: pro quo labore incumbit mercatori, ut ſingulare naulon, aut præmii quid illis ſolvat.

15. Nemo arma, tela, aut inſtrumenta bellica, vel nitri pulverem, vel aliam nocivam materiam, nec victualia, aut ad vitæ ſuſtentationem facientia piratis, prædonibus, homicidis, & talibus malitioſis vendito, ſub pœna vitæ.

16. Quod ſi in mari quis naufragium patiatur, tunc quiſque nautarum, & mediaſtinorum, omnesque qui in navi ad ſervicndum obligati ſunt, opitulationi preſenti confeſtim adſumto naufragis, ac bona pro poſſibilitate ſalvantore: ac pro præſtitis ſervitiis honeſtum cuique ſolvatur præmium.

17. Nauclerus nullus, vel navis Magiſter navem ſuam nimium oneret ultra iuſtum pondus ſub mulcta reſtitutionis in damno dato: Quod ſi etiam ex imprudenti protervia cauſſet damnum mercimoniis, nec bene cuſtodita reddat, nauta iacturam nauli ſui, & ſtipendii navalis faciet & amittet.

18. Nec quiſquam omnium, ſint cuiuſcunque velint conditionis, à piratis bona quæpiam, aut ſpolia emat, ſub pœna amiſſionis vitæ: Ita ſub eadem pœna nemo bona ex naufragio liberata, aut ſalvata, ſibi adſcribat, aut ſuppilando occultet.

19. Quod ſi accidat, ut navis alicuius miniſtri piratis ea rurſus eripiant bona, quæ tales fures publici mercatoribus antea vi nefaria, aut alio modo eripuerant, tunc fructuoſi, & probi illi nautæ, aut eorum miniſtri dimidiam partem talium ablatorum ſumant, & ſervent; altera vero pars mercatoribus manebit, qui iis exuti, & ſpoliati fuerunt: quod ſi vero milites, ſive opibates, & Claſſarii, qui ſtipendium in navibus prætidiarii Civitatum merentur, bona eiuſmodi piratis nequam furripiant iterum, illi omnino mercatori cuncta uſque ad minimum reſtituant.

20. Nemo nautarum ex ulla regione, aut provincia poſt diem D. Martini enavigationem ullam ſuſcipito; vel etiam ante quadrageſimalis temporis diem Divi Petri ex ullo loco, ubi hybernavit, enavigato; exceptis iis navibus, quæ cerevilia, aut halece ſunt oneratæ: Etiam poſt feſtum Divi Nicolai portus ſuos quærant, ſi potuerint; nec minus poſt feſtum purificationis Mariæ ex portu, ubi hybernarunt, naves ſolvere, & egredi illis licitum erit, ſi ſerenitas, & clementia cœli id admittat.

21. Quod ſi contingat, ut miniſtri navium tempore neceſſitatis non fideliter pro conſervatione bonorum, quæ impoſita ſunt navibus, nauclero ſuo, aut mercatori opem, operamque præſtent; ſed negligentes, aut obſtinati in protervia extent eouſque, donec nautis ſuis bona evaſerint, aut fluctibus ſubmerſa fuerint; tunc nebulones captivi, & in carcerem abduci debent, in quacunque civitate illi deprehendi poterunt, atque tunc per integros 14. dies non aliter, quam aqua, & ſolo pane ſaturenturſaltem ad neceſſitatem vitæ ſuſtentando, ut in honeſtate fidelitas eo rectius conſervetur.

Ultra hæc ſtatuta etiam alii plures articuli conſtituebantur, qui aliquot Civitates in peculiari concernebant, ut nimis longum heic foret, ſingulos enumerare; forte id fieret quoque citra hiſtoriæ utilitatem. Priuſquam tamen Domini Hanſæ diſcederent, & diſſolveretur conventus, revertebantur eorum Legati ex Dania à Rege Erico, in die D. Iacobi, & ex accepto mandato hoc referebant, nempe Regem admodum cunioſe ſe excuſare, quod eius clementia non ex contemptu, aut animo contumelioſo, vel quaſi minus iuri ſuo confideret, ad principum & civitatum amicorum ſuorum conventum minus comparere, ac ſe in perſona, uti decreverat, ſiſtere potuiſſet; Sed quum tempeſtatis vehementia ex proviſione Dei talem conatum ſibi prohibuiſſet, cordolio ingenti inde afficeretur, quod etiam cotidie illum morderet. Quippe fieri tunc potuiſſet, ut cauſſa iuſta eius contra Holſatos, atque eorum iniuria ſumma liquidiſſime deduci, & explicari, arbitrioque iuſto illorum Dominorum ſubmitti valuiſſet. Verum quum vento, & velis ſe concredere voluiſſet, in ipſo momento inventum, & deprehenſum fuiſſet, quod non tantum navis inepta, & perforata, ſed etiam ventus contrarius ipſi extitiſſet: Unde coactus eſſet iterum terram conſcendere; atque priuſquam alia navis adornari potuiſſet, tempeſtatem adeo contrariis ventis nebuloſam exortam eſſe, ut nullatenus potuerit Teutonica attingere littora aut partes. Quare ſe petebat excuſatum haberi apud Civitates.

Licet admodum frigida, & calva videretur excuſatio talis, & potius effugium inane referret, tamen condonatio facta eſt aliqualis, præſertim quum Duces Holſatiæ tunc ſimul præſentes id toletanter ferrent. Alias ſatis ex circumſtantiis patebat, qualis fallaciæ veritas ſubeſſet coloratæ. Sed quum fucus ille Regis non minus afficeret plures, potiſſimum civitates Vandalicæ deliberationes ſuas in id dirigebant, ut commodam nanciſci valerent occaſionem, qua ex ſe fucata Confœderatione Regis commodè extricarent, ac penitus exſolverent. Etenim indies magis magiſque id perſentiſcebatur, quod malignas intentiones Rex ſuo prætextui ſubnecteret; velut etiam ipſe erga civitates antea detexerat cum minis ſatis acerbis. Sub diſceſſu autem iuxta morem uſitatum cuiuſque Civitatis Legatis copia receſſus cum ſtatutis, & articulis complacitis exhibebatur, ut ſuis reportarent principalibus. Aſt Bremenſes heic nimis inurbani erant.

Namque quum domum reverſi eſſent eorum Legati, concurrebant cives cum plebe, expiſcariique cupiebant, quid cauſſæ tam diuturne detinuiſſet in loco Directorii Legatos ſuos. Fiebat quidem relatio publica, quum vero producerentur articuli, iniuſtitiæ cupidis plane animus ab illis averſus erat. Ideoque ex ſenatu editionem eorum extorquebant tumultu non levi: quos quum obtinuiſſent, ſtatim in deſpectum civitatum igni articulos in publico foro addicebant, quæ inſolentia improba magno poſtea ipſis ceſſit damno, ut Chronicon teſtatur.

An. vero 1410. Rex Hiſpaniæ in hiſce Auſträlibus

bus regionibus, & Civitatibus Hanſæ publico edicto proclamari curabat, cum inhibitione ſeria, ne quis audaciam ſibi ſumeret eam, ut commercii nomine in Hiſpaniam pervenitet; ſed præcipiebat, ut Bruggis ſubſiſterent, ubi quoque mercatores eius ſe ſiſtere cum mercimoniis ſuis, & fructibus, aut bonis aliis deberent. Verum talem inhibitionem quum contra ius naturæ, & gentium iudicarent mercatores civitatum orientalium, nullius momẽti, & quaſi abſurdum æſtimabant. Ideoque ingentem adornabant navium copiam, & claſſem cum militari cohorte ſatis inſtructa, ſibi perſuadentes, quod ipſi ita ſecum adducerent ſalvum conductum: tali cum claſſe petebant Hiſpaniam, venditabant ſua mercimonia, & coemebant pro lubitu, quæcunque illis commoda viderentur, inque ſuas ea congerebant naves.

Regem autem inde indignantia inceſſebat fervens, quod tanto deſpectui eſſet Germanis, atque ſuas ſtatim colligebat naves, quibus undique portus occupabat, ubi latitabant, & conflictu adoriebatur eoſdem. Auſtrales quidem heic ſe acriter opponebant, fortique cum hoſte coibant prælio; ſed quum Rex præpolleret exercitus ſui multitudine, in fugam convertebat ita Teutonas, ut pauci admodum ſalvi evaderent, & Rex 48. naves cum prædivitibus bonis acquireret ſibi; quod quidem mercatores valde diſcutiebat, nihilominus potentem expeditionem contra Vitallinos fratres Holſatorum ſuſcipiebant aliquot civitates, ex ſuaſione Lubeccenſium, quum nemo ferme tutus eſſet in mari. Præſertim autem in Lubeccenſes redundabat omne ſumptuum onus, ut quam plures naves præſidiarias per hyemale, & æſtivale tempus ſuſtentare cogerentur, donec tandem prælio maritimo Vitallinos illos evincerent, quorum maxima pars profuga ad portum, quem ſacrum in Wagria dicunt, decollabatur.

In hoc eodem anno 1420. Ericus Rex Daniæ cum ingenti copia navium in mare orientale egrediebatur, atque diu hæſitabat apud Elbagium Lalandiæ, ut incerta eſſet eius intentio, donec 2. Iulii appropinquaret ad Femeram, excurſiones ibi faciendo. Verum Holſati, qui Inſulam eam occupatam tenebant, bene armis inſtructi, fortiter illi reſiſtebant, adeo, ut Rex tunc omni exciderat conatu, & multos Danorum, & Succorum perderet, qui cum navibus vulnerati ſubmergerentur, & ſclopetis icti. Poſtero die à parte altera Holſatiæ verſus portum ſacrum iterum 800. equitibus, & 3000. pedeſtribus eam adoriebatur Inſulam, ac miſerabiliter cęde, & incendiis devaſtabat pagos, ſecumque ultra 100. colonos ſecum ex oppidulis captivos abducebat. Licet Holſati, & incolæ animoſe ſatis ſe defenderent, tamen Dani ſuperiores erant ita ut ſimul multi ex nobilibus tam Succicis, quam Danis miſere perirent, priuſquam Rex pedem in terra fixeret. Quum vero tandem Holſati fugam arriperent, inſequebantur eos Dani, & crudeliſſime, ac plus quam tyrannice ſæviebant in ſubditos terræ eius adeo, ut in Natione Germanica ſimile quid nunquam eſſet auditum, nedum quod crudeles expoliationes, & mactationes ſatis poſſent deſcribi; nec ullus erat infantium, puellarum, mulierum, aut puerorum in laniena tali reſpectus acerbiſſima: nec à ſacris, aut profanis abſtinebatur diriſſima manus: omnia in direptionem, & devaſtationem extremam convertebantur.

Inter alia perverſa ſceleratiſſimum hoc notandũ venit. Forte circa 300. incolarum confugerant in templum aliquod, ut hinc ſe defenderent viriliter uſque ad necationem, cum quibus Danorum capitanei, quum cernerent inexpugnabiles, nomine Regis tractare ſic incipiebant, ut libertatem vitæ cum conditione larga, & tuta illis promitterent, modo hanc fidem infallibilem Regi haberent, qui clementiſſime illos eſſet excepturus, velut & iuramẽto promiſſio certa confirmabatur. Quum itaque miſeri illi homines ſe ſatis adſecuratos putarẽt tam ſanctis iuramentis Danorum, & deſcenderent ex ſummitate templi fide bona, & ſpe pleni, confertim protenus inſtar rabioſorum luporum Dani perfidi in eos irruebant, atque non ſaltem eos perfodiebant nequiter, ſed velut non ſatis ſatiati ſanguine, eoſdem in minutiſſima fruſtra diſſecando diripiebant. Miſerior facies dilaniatorum corporum vix uſpiam viſa eſt.

Hinc quoque poſtea exortum eſt proverbium, quod adhuc in uſu eſt paſſim publico apud exteros, quod nulli Danorum uſpiam fides ſit habenda, niſi prius ipſi ex vola manus crines enaſcantur, quum tã furioſam nequitiam, & crudelitatem contra conſcientiam, & iuramenta toties repetita, datamque tam ſancte fidem in cadavera hominum cum inſatiabili ſævitia commiſiſſent. Hæc etiam perfidia horrendi facinoris cauſſavit, ut civitates eo ſeverius omnia diſpicerent remedia, quibus ſe ex fœdere Danico extricatent. Interim quum Dux Saxoniæ Ericus non deſiſteret à variis civitatum perſecutionibus, & maxime cum prædonibus faceret, qui cotidie damna, & exſpoliationes commerciis inferrent, Lubeccani cum Hamburgenſibus coacti ſunt, ut malo huic quoque obviam irent, & tutiores mercimoniis crearent vias. Etenim Dux ille non tantum in eum finem Bargedorfium, quod parens eius Lubeccenſibus pro certa ſumma pecuniæ oppignorarat, vi, & armata manu occupatum tenebat, nec tamen reſtituere illis pecuniam cupiebat; ſed etiam oppidum Mollenium diriter exuſſerat, atque præterea prædonibus in tutum receptaculum Bargedorfium conceſſerat, quibus ita per paludoſa loca, & rivos, vias & pontes ſubdolos ſtraverat, ut civitatibus ferme omnis commeatus commerciorum eſſet præcluſus. Ideoque Lubeccenſes cum Hamburgenſibus hoc anno 1420. 10. Iulii cum 800. equitibus & 3000. peditum cohorte, quibus Conſules Iordanus Pleskovius, & Henricus Hoyer Lubecc. præfecerant, Bargedorfium iterum ſibi armata manu vindicabant, una cum arce; hinc progrediebantur Ripenbergum, quod facili conatu illis cedebatur à præſidiario milite prædonum (arx hæc ſita tunc erat, ubi nunc Tollenſpiker conſpicitur) ac occupabant ſimul Ruddenvordam vicinam, quæ prædonum bina receptacula funditus ſubvertebant.

Huius diſſidii cauſſa ad implorationem Ducis Erici, conventus habebatur Petlebergi, ubi ſimul comparebant Fridericus Marchio Brandeburgic. Wilhelmus Dux Lunæburg. Balthaſar Dux Vandaliæ, & Ganzius de Putlitz; velut & aderant Dux

Ericus Lawenburgenſ. item Legati Civitatum Lubeccenſ. Hamburg. Lunæburg. Wiſmar. & Roſtoch. Poſt multos tractatus tandem nova ſecuritas commerciis, & peregrinantibus, ac pœna certa prædonibus, eorumque defenſoribus conſtituebatur, itẽ mutua captivorum reſtitutio. Item in pacis firmæ, & æternæ fidem, renunciabat Dux Ericus omni iuri, & hæreditati prædictarum arcium Barged. & Ripenburg. hac tranſactione, cui etiam fratres eius ſubſcribebant: velut etiam reſtituebat Lubeccenſibus obligationem 300. marcarum, quæ quotannis ipſi ſolvebantur, ut vias tutas à prædonibus præſtaret. Quum vero ipſe tanti damni, & delicti auctor fuiſſet, caſſabatur plane hoc pactum. Sed NB. fides hæc quomodo vix per biennium ſervata ſit, id an. 1422. demonſtratum eſt, ubi piratæ in Albi ſuam apud Ducem inveniebant defenſionem, quæ res novum ferme excitaſſet bellum, niſi Dux Ericus ſe iterum accommodaſſet debite.

Interim quoque hoc non omittendum eſt fœdus ſingulare, quod Lubeccani cum unitis Belgii Provinciis renovarunt, cuius circumſtantias paucis hoc inſeremus.

De fœdere particulari Lubeccenſium cum Dnn. Staticis. Holland.

IN 1612. anno contentio inter Anglos & Hollandos de libertate navigandi in mari ſeptentrionali iterum orta eſt. Duæ naves Amſtelrodamo Groenlandiam profectæ erant, ut Valruſchas caperent, earumque adipem, pelles & dentes, quæ à mercatoribus expetuntur, domum refetrent. Cum iam viginti duas cepiſſent, aliquot naves Anglorum, quæ in Moſcoviam tendebant, ſupervenerunt. Ex Hollandos adortæ, ex iis quæſiverunt an à Regẽ Magnæ Britanniæ poteſtatem in Groenlandiam navigandi accepiſſent. Illi negarunt: Sed mare liberum eſſe, & ſe commeatum à Principe Mauritio habere reſponderunt. Ad hæc Angli, hoc non ſufficit, inquiunt, & ut ſciatis, hoc mare proprium eſſe Regis, Domini noſtri, date nobis ultro Valruſchas, quas cepiſtis, veſtras ſcaphas, retia & omnia inſtrumenta, quę habetis: quod ni facitis, tormentis naves veſtras peſſum dabimus. Hollandi, qui ſe Anglis impares eſſe videbant, inviti paruerunt, & ipſis piſces, quas ceperant, omniaque ſua inſtrumenta piſcatoria tradiderunt: pro quibus nihil aliud ab Anglis retulerunt, quam commination em, fore, ut ipſas ponto demergant, ſi eos denuo in hac Inſula offendant. Duæ naves Hollandorum, hoc modo ſpoliatæ, Amſtelrodamum redierunt. Qui illas inſtruxerant & emiſerant, de hac iniuria apud ſenatum conqueſti ſunt, à quo litteras commendatitias ad Regem Magnæ Britanniæ acceperunt, ut ablata ipſis reſtituerentur. Sed verum eſſe experti ſunt, quod vulgo dici ſolet: Vis prævalet in mari: & piratæ non habent in more, ut reddant, quod ſemel abſtulerunt. Quamobrem Hollandi decreverunt, quando inpoſterum in Groenlandiam ituri eſſent, maiori navium numero eo proficiſci, ut non tantum contra Anglos, ſi vim ſibi inferrent, ſe defenderent, ſed etiam acceptam iniuriam ulciſcerentur.

Pace inter reges Daniæ & Sueciæ facta, ut ſupra retulimus, ordines Hollandiæ & urbes maritimæ ſperabant, fore, ut Rex Daniæ novum vectigal, quod ab initio belli Suecici omnibus mercibus, quæ per mare Balticum importabantur aut exportabantur, impoſuerat, aboleret; quod cum non faceret, legatos ad ipſum miſerunt, rogatum, ut ſe eo levaret: Verum ille recuſavit, & ſe vectigal illud abolere non poſſe reſpondit, priuſquam impenſas in bellum Suecicum factas recuperaſſet. Nihilominus hæc duo ipſis propoſuit, ut mercatores aut vectigal penderent, aut in tranſitu per fretum inter Croneburgum & Elſemburgum ſuas merces in naves Danicas trãsferrent: Quod ſicut Danis lucroſum, ita Hollandis & urbibus maritimis detrimentoſum erat futurum.

Senatus urbis Imperialis Lubeccæ, cuius incolæ in Hollandia & Oceano negotiari non poſſunt, niſi tranſitu per fretum Balticum facto, legatos ad Imperatorem miſit, qui querelam contra Regem Daniæ inſtituerent, propter nova Vectigalia, poſtulata iniqua, apparatum bellicum, naves & merces retentas, quæ novum vectigal pendere nec potuiſſent, nec debuiſſent, hoſtilem architalaſſi ipſius in portũ Lubeccenſium impetum, ubi naves mercibus onuſtas, & ad iter paratas intercipere & abducere conatus eſſet: ſed cum previderet, auxilium Imperatoris longinquum & tardum, contra vero Regem Daniæ in armis eſſe, de fœdere cum ordinibus provinciarum fœderatarum Belgij ad conſervandam liberam navigationem, & novum iſtud vectigal per vim aut amicitiam abolendum percutiendo conſilium inivit. In hunc finem Legatos Hagam Comitis miſit, qui humaniter accepti ut auditi tantum ſua legatione perfecerunt, ut IV. Kalend. Iun. fœdus utrinque pactum ſit, his conditionibus.

Primum, proteſtati ſunt, hoc fœdus inter ordines provinciarum unitarum Belgii & Senatum Lubeccenſem initum non alio ſpectare, quam ut populi utrique parti ſublecti Iure gentium & ſuis privilegiis in navigationibus & commertiis libere frui poſſint.

Deinde, caverunt ordines unitarum provinciarum, ne hic tractatus fœderibus, quibus cum Imperatore & imperio, Regibus Galliæ & Magnæ Britãniæ, Electoribus & Principibus proteſtantibus devincti eſſent, ullum præiudicium afferret: Quemadmodum etiam Senatus Lubeccenſis declaravit, ſe in hanc fœderationem conſenſiſſe, non ut ab obedientia Imperatori & Imperiõ debita ſe ſubtraheret, ſed tantum ut ſua iura, privilegia & vetera inſtituta tueretur, nec in iis aliquid innovari aut mutari pateretur, præterquam quod hoc tractatu comprehenderetur.

Tertio, ut inter partes maior eſſet conſiliorum cõmunicatio, placuit, ut Senatus Lubeccenſis Legatũ in conſilio ordinum haberet, qui omnibus deliberationibus ad hoc fœdus pertinentibus cum libero ſuffragio intereſſet.

Quarto convenit, ut naves armatæ & militibus inſtructæ iis locis, quibus opus eſſet ad fœdus hoc conſervandum, ſemper excubarent: & Senatus Lubeccenſis novam tantummodo partem ſumptuum, qui in eas impendendi eſſent, perſolveret.

Quinto, ut ſi quis liberam navigationem & commercium impediret, is prius moneretur, ut ab incepto deſiſteret: quod ſi monitis & æquitati ac rationi locum dare nollet, bellum ei indiceretur, & pars utraque eum pro hoſte haberet.

Sexto,

Sexto, ut Belló hoc modo indicto omnes ſubditi utriuſque partis, tam milites, quam mercatores & nautæ, qui in ditionibus aut portubus cómunis hoſtis mererent, habitarent aut negotiarentur, domũ redire tenerentur, ſub pœna capitis & amiſſionis omnium bonorum: ſubditi vero hoſtis, qui in alterutrius partis ditionibus commorarentur, inde eiicerentur: & omnibus interdiceretur, ne hoſtem argento, milite, navibus, armis aut quocunque auxilii genere iuvarent.

Septimo, ſi communis hoſtis naves & merces ſubditorum alterutrius partis in ſuis ditionibus aut portubus detineret, idem illius ſubditis in ditionibus & portubus fœderatorum fieret.

Octavo, ut naves fœderatorum in portus unius & alterius partis libere admitterentur: ita tamen, ut illæ nullam vim facerent, ſed pro omnibus, quæ acciperent, & quibus opus haberent, ſatisfacerent.

Nono, ut ſubditi fœderatorum in ditionibus & dominiis unius & alterius partis iure civium gauderent, & omnes hæreditates, quæ ipſis obvenirent, adirent, etiamſi aliam, quam quæ in Imperio permiſſa eſt, religionem profiterentur: Pro quibus hæreditatibus trigeſimam partem magiſtratui, ſub quo illæ obtigiſſent, perſolverent.

Decimo, ne cum communi hoſte de induciis aut pace ſine utriuſque partis conſenſu ageretur.

Undecimo, ut hoc fœdus quindecim annis duraret: quibus exactis, ſi utrique parti expedire videretur, prorogaretur.

Duodecimo, ut ſtante fœdere utraque pars fideliſſimam opem ſibi mutuo contra quoſcunque terra marique ferret: & ſi qui principes aut urbes, præſertim maritimæ, in huius fœderis ſocietatem venire vellent, in eam honeſtis conditionibus reciperentur.

Cum Rex Daniæ intelligeret, quantum in hoc fœdere eſſet momenti, eodem tempore Legatos in Hiſpaniam miſit, Ioannem Wulfeldium, Cancellarium, & Ionam Chatiſium, Doctorem, magno nobilium numero ſtipatos, qui duabus navibus probe armatis, quarum maior, in qua Cancellarius erat, ſexaginta tormentis, minor tredecim inſtructa erat, videbantur. Hęc Legatio Regi Hiſpaniæ gratiſſima fuit, de qua varii rumores ſparſi: quamvis mos ſit pervulgatus magnatum, ut libenter amicitias cũ hoſtibus ſuorum hoſtium iungant, & omnes hoſtibus ſuis nocendi vias quærant.

Ordines fœderatarum provinciarum, cognito, Regem Hiſpaniæ claſſem XL. navium inſtruere, operam dederunt, ut & ipſi in omnes caſus parati eſſent. Princeps Mauritius omnes duces & milites Hollandos, qui ex bello Suecico reverſi erant, conduxit. Interea ordines Regem Daniæ per Legatos ad abolendum novum vectigal hortari, & Regem Magnæ Britanniæ rogare decreverunt, ut ſuam in hoc negotio autoritatem interponeret, ne res ad arma veniret.

Eodem tempore Senatus Lubeccenſis oratorem in aulam Regis Daniæ miſit, cum litteris, quibus variæ querelæ continebantur. Ad eas Rex ita reſpondit: Ex litteris veſtris querelas veſtras intellexi: Nimirum, me contra privilegia veſtra multa nova vectigalia impoſuiſſe, quæ abolere recuſavetim: me quãvis ſæpius rogatum, privilegia veſtra confirmare noluiſſe: me Legatos veſtros ſine reſponſo dimiſiſſe, & tabellarios veſtros nihil aliud quam documentum redditarum litterarum à me retuliſſe: Vos coactos ſcripto publicato ſubditis veſtris interdicere, ne novum vectigal, quod ad ſumptus belli Suecici impoſueram, penderent: Vos etiam apud Cæſ. Maj. conqueſtos, quod multas ex navibus veſtris vi ceperim, & cives veſtros bonis exuerim, eoſque captivos detineam: hac occaſione vos ordinum Hollandiæ opem imploraſſe, ut de iniuria, quam vos à me accepiſſe dicitis, vobis ſatisfiat. Denique abolitionẽ vectigalium à tempore belli Suecici à me impoſitorũ, reſtitutionem navium & mercium ſubditis veſtris ereptarum, liberationem captivorum, confirmationem veſtrorum privilegiorum & liberam in meis regnis & dominiis navigationem flagitatis. Ad has omnes querelas reſpondeo, de novis Vectigalibus à me impoſitis, nihil me feciſſe, quod non mihi facere licuerit, & in quo aliquis iure mihi cõtradicere poſſit: me non meminiſſe, legatos veſtros ſine reſponſo à me fuiſſe dimiſſos: Quare Ioannem Bordingũ, Martinum Nordanum & Caſparem Boyenũ, quos anno 1613. ex, ad me miſiſtis, audire poteſtis: Quod tabellarios veſtros cum ſimplici documento redditarum litterarum remiſerim, in eo nihil novi aut iniqui à me factum, quia eadem ſemper petebatis, ad quæ iam ante, cum Hafniæ ſuperiore anno eſſem, reſponderam.

Quod publico ſcripto novis Vectigalibus, quæ propter bellum Suecicum impoſui, vos opponere conati eſtis, eo me parum fuiſſe cõmotum, ipſimet ſcitis: nec vos cogere poſſum, ut commercia veſtra continuetis: quod autem vectigalia illa durante bello auxi, in eo nihil feci, quod non alii Principes ſuprema poteſtatis in ſimili caſu faciant: neque illa à navibus tantum & mercibus Lubeccenſium ſubditis exegi. Cum interdixiſſem, ne quis Sueco auxilia ſubmitteret, multi obtemperarunt: Sed cives veſtri id ſuſque deque habuerunt. Quapropter non habent iuſtam conquerendi cauſſam, quod ipſi in Sueciam euntes capti, & merces eorum cum navibus in Daniam adductæ fuerint, poſtquam ne id facerent, ſatis illos monuiſſem. Quod igitur detenti, & in cuſtodiam dati fuerunt, ſuæ temeritati & proterviæ imputent: quamvis ex iis, qui capti fuerunt, nemo iã ſit in Dania, aliis poſt alios ex captivitate elapſis. De querelis ad Cæſ. Maj. à vobis delatis, & de conſultationibus ac conventionibus veſtris cum ordinibus provinciarum fœderatarum Belgii, fuſe ad Imperatorem ſcripſi. Quoniã vero cives veſtri diverſis locis ſe ſubditorum meorum apertos hoſtes declarant, nec ſe tranſactione in portu Travemundano XVI. Kalen. Novembr. ſuperioris anno cum archithalaſſo meo facta teneri dicitant: Ob eam cauſſam omnibus veſtris civibus negotiatione in meis regnis & provinciis interdico, nec volo ut quiſquã ex ubditis meis commercium cum iis habeat, aut Lubeccam proficiſcatur. Nihilominus quod civibus veſtris à meis ſubditis debetur, id ipſis tuto repetere, & Lubeccam avehere licebit: modo idẽ iuris ſit meis ſubditis in iis, quæ in urbe veſtra ipſis debentur. Nec veto cives veſtros libere, ubicunq; voluerint, in mari negotiari & per fretum Balticum tranſire, modo vectigal, quod impoſui, nõ minus, quam alii, pendant.

Hoc fuit reſponſum Regis Daniæ ad litteras Se-

natus Lubeccenſis, qui, ut ſupra diximus, gravem quoque apud Cæſar. Majeſt. contra eundem regem querelam inſtituerat, quam commemoratione antiqui Danorum odii contra ſuam Rempubl. exaggeraverat, & quod Rex Daniæ in præiudicium Imperii ſe maris Baltici dominum diceret. Cum autem Cæſar pro ſenatu Lubeccenſi ad Regem Daniæ ſcripſiſſet, eumque hortatus fuiſſet, ut nova vectigalia aboleret, naves & merces civibus Lubeccénſibus ereptas reſtitueret, & navigationé, qualis ante bellum Suecicum fuiſſet, liberam relinqueret, Rex hoc modo reſpondit: ſe non dubitare, Cæſ. Majeſt. aliquid fidei querelæ Senatus Lubeccenſis tribuiſſe: Sperare tamen lecto hoc ſuo reſponſo eam agnituram, vanum & non neceſſarium clamorem ab eo tolli. Nam quod de libera navigatione quereretur; meram eſſe chimæram, quandoquidem mare Lubeccenſibus & aliis ſemper liberũ ac tutũ fuerit, modo vectigal, quod propter bellum Suecicum impoſuerit, penderent. Et quamvis hoc vectigal belli tempore impoſuerit, tamen ſe illud etiam pacis tempore exigere poſſe, exemplo aliorum principum ſupremæ poteſtatis, qui idem Iuris in ſuis ditionibus, quoties neceſſitas poſtulat, ſibi vendicent. Se non poſſe negare, aliquot naves non ſolum Lubeccenſium, ſed etiá aliarum urbium, quæ ſuum interdictum de auxiliis, belli tempore Sueciæ non ſubminiſtrandis contempſerint, à ſuis ſubditis interceptas, & in Daniam adductas fuiſſe: Ubi à iudicibus rei maritimæ pronunciatum ſit quod legitime captæ fuerint: quam ſentẽtiam ſuum Conſilium, facta à Lubeccenſibus appellatione, confirmarit: quod ipſe retractare nequeat.

Captivitatem nautarum, de quo tam graviter expoſtularent, non ſibi, ſed ipſis, qui contra ſuum interdictum in Sueciam ire voluerint, imputandam. Quod ſenatus de archithalaſſo ſuo conquereretur, ipſum cum ſuis navibus portum Lubeccenſem ingreſſum, rem paulo altius repetendam. Nam cum ex architalaſſo ſuo intellexiſſet, complures naves armatas & onuſtas in portu Lubeccenſi ſtare, quæ propediem in Sueciam ituræ eſſent, ſe ipſi mandaſſe, ut Lubeccam profectus Senatum moneret, ne hoſtibus auxilia ſuppeditaret, ſed neutrarum partiũ maneret, addita comminatione, ſi contra faceret, & Lubeccenſium naves in mari deprehenderentur, fore, ut cum iis hoſtiliter ageretur.

Hoc mandato accepto architalaſſum Lubeccam profectum, & cum portum intrare atque exſcenſionem facere vellet, ut Senatum compellaret, nihilq; mali ſibi metueret, naves Lubeccenſium, quæ iam in procinctu erant, ut in Sueciam irent, nulla laceſſitas iniuria, & abſque mandato architalaſſi ſui naves pluribus tormentorum ictibus infeſtaſſe: Quod ipſum moverit, ut ſe defenderet, ac rurſus inde diſcederet, poſtquam mandata, quæ habebat, Senatui expoſuiſſet, & eum hortatus eſſet, ne Suecis opem ferret, ſed medium & neutri parti addictum ſe præſtaret. Poſt colloquium & pactum inter ſuum architalaſſum & Legatos Senatus Lubeccenſis initum, quo Senatus ſub ſuo ſigillo promiſerat, nullám navẽ eo anno ex ſuo portu in Sueciam ituram, ſenatum Lubeccenſem, architalaſſo in Daniam reverſo, naves illas contra datam fidem in Sueciam miſiſſe. Se non impedire, quo minus Cæſar. Maj. Lubeccenſibus, ſubditis ſuis, patrocinetur: Sed ferrè non poſſe, ut illa ſibi aliquod iuris in regnum ſuum arroget. Se omnino dominum eſſe maris Baltici, & imperiũ à maioribus in ſe tranſmiſſum in illud mare habere, quandoquidem illud magnam partem ſuarum ditionum, ut notum ſit, terminet: quapropter ſe non paſſurum, ut de hoc titulo ſibi controverſia moveatur.

Ex his Cæſ. Majeſtatem liquido poſſe cognoſcere, querelas Lubeccenſium meras eſſe calumnias, ex odio ſine iuſta cauſſa concepto profectas: Quocirca ſe ſperare, illam nihil contra ſe & ditiones ſuas molituram, ſed amicitiam & familiaritatem, quam maiores ſui glorioſæ memoriæ cum Imperatoribus coluerint, conſervaturam. Pro concluſione Cæſarem rogabat, ut ad animũ revocaret, quod Senatus Lubeccenſis, Imperio ſubiectus, non ſatis habuiſſet, ſuam Maieſtatem inanibus querelis obtundere, ſed eaſdem per Legatos apud ordines Hollandiæ (qui non ſunt membrum Imperij) iteraſſet, cum quibus fœdus in quindecim annos certis cõditionibus percuſſiſſet. Ad quod alias quoque urbes maritimas pertrahere ſperaret: Quo facto nullum ſit quod magis ad diminutionem Majeſtatis Imperii pertineat.

Dum hoc reſponſum ad Imperatorem perferretur, comitia Hafniæ in Daniá habebantur, ad quæ ordines Provinciarum fœderatarum Belgii ſuos Legatos miſerunt, qui abolitionem novorum vectigalium peterent. Cum autem Rex Magnæ Britanniæ auctoritatem ſuam quoque interponeret, & ordines Daniæ qui, niſi illa abolerentur, bellum ſibi imminere prævidebant, petitioni Hollandorum adſtipularentur, Rex tandem ſequentes litteras abolitionis publicavit.

Quamvis ſatis iuſtas & graves cauſſas haberemus continuandi nova vectigalia, à nobis in noſtris regnis & dominiis propter bellum Suecicum impoſita: tamen ob ſingularem affectum & benevolentiã, qua ordines fœderatos Hollandiæ proſequimur, & ſtudium conſervandi veterem amicitiam & familiaritatem, quæ nobis cum illis intercedit, petitioni ipſorum de vectigalibus illis abolendis annuimus. Quamobrem notum facimus omnibus ſubditis noſtris, nos velle, ut vectigalia illa a.d. Prid. Kal. Sextil. huius anni cIↃIↃCXIII. prorſus aboleantur & tollantur: Et interdicimus quæſtoribus noſtris, ne illa in poſterum exigant aut accipiant, ſed tantum antiqua & ante bellum Suecicum dari ſolita poſtulent. Ordines Hollandiæ, quorum potentia Regi Daniæ ſuſpecta eſſe cœperat, adeo ut diceret, quod ſupra Reges ſe iam efferre quodammodo viderentur, complures urbes Imperiales, inter alias Magdeburgum & Brunſvicum, quod Ducum Brunſvicenſium iugum ſubire nolebat, in ſui fœderis ſocietatem receperunt.

Vulgo iuxtà itineris rationem, ob ſylvæ udoſorum locorum circumflexum, diſtantia Lubeccæ ab Hamburgo 10. milliarium habetur, verſus ſeptentrionem; ſed ſi recta linea obſervetur vix 8. milliaria ſunt. Ingeniorum autem diverſitas Lubeccenſium, & Hamburg. facile perſpicitur iis, qui intetius naturas diſcernere noſcunt, quum heic tenacitas parcior inveniatur, præ Hamburgenſibus: Forte illud eſt ex commerciorum ſeptentrionalium ſuggeſtione, quæ maxime heic prævalet. Hamburgenſes veto magis cum iis hominibus in uſu commerciorum con-

converſantur, qui liberalioris ſunt animi. Status tamen Lubeccenſium ex ſitu loci facile apparet. Velut ſuperius indicatum eſt, quod longe alia ratio in adminiſtranda Republ. inveniatur, quam quæ eſt Häburgenſibus. Notabilia in ea urbe inveniuntur multa, quæ tamen non omnibus patent, niſi qui veterum monumenta accuratius introſpicere noſcunt, ſicut etiam Templum Cathedrale de variis adhuc indicium facere poteſt. In ambulacro eius verſus ortum olim habebantur memorabilia quędam, quę tamen nunc obliterata ſunt; inter alia locus adhuc monſtratur ab iis, qui olim legerint hos verſiculos ibi, non è memoria delendos, qui ita ſe habent, uti ſunt, qui adhuc eos ita recitare ſolent:

Eccleſias Domini, quas fundavere parentes;
Perdere nituntur nati pietate carentes.

Item:

Quas ſacras ædes pietas conſtruxit avorum,
Has nunc hæredes devaſtant more luporum.

Ex quibus ſatis id colligi poteſt, quam devoti olim maiores erga ſtudium pietatis vixerint: etiam uſus id obtinuerat, ut cives ex commerciis ditiores redditi, indicium memoriæ ſacratioris paſſim per urbis diſpoſitiones relinquerent. Laudabiles admodum igitur ibi inveniuntur inſtitutiones.

1. Ad Divam Catharinam, quam nobiles Criſpini, qui Imper. Friderico Barbaroſſæ tunc in militia contra Saracenos interfuerunt, fundarunt, ubi adhuc eorum effigies cum monumentis in templo extant; nunc vero Gymnaſio monaſterium illud cõſecratum eſt; quod habuit aliquot clatos Rectores, nempe Dn. D. Henricum Mollerum poſtea Conſulem, Dn. Gualperium, & hodie Dn. Henricum Kirchmannum.

2. Luculentum eſt Hoſpitale ad Spiritum Sanctum cum templo ſuo, quod ultimi familiarum ſuarum Morgenwegii, & Morkerckii magnis cum proventibus ita fundarunt, ut non tantum illi aliquot pagos adiecerint; ſed etiam certam auri ſummam adſervari apud Magiſtratum curarunt, ſi forte quid damni ex incendio, aut alio caſu pareretur, qua reſarciri poſſet ædificium, ne quid in detractionem pauperibus, in eo viventibus, ratione victus, & ſuſtentationis debitæ veniret: aiunt primitus præſidentem Conſulem eam ſummam ſecum adſervaſſe, cuius tamen diſpoſitio poſtea aliter facta eſt.

3. Quum Danici Regis præſidiarios milites ex arce expuliſſent cives, in memoriam rei locus ille potiſſima ex parte in monaſterii formã redactus eſt, cui poſtea ſua quoque bona, pro conſervatione pauperum & viduarum, multi divites adiecerunt cives.

4. Nec minus ad D. Annam ſatis diti modo collata ſunt à piis cordibus bona, & reditus, ex quibus tam pauperes, quam utriuſque ſexus pueritia ſua habent alimenta, & præſertim ibi recipiuntur pauperum infantes, & qui parentibus ſuis orbati ſunt, qui ibidem valde liberaliter in omni genere ſtudiorum, ad uſum vitæ facientium, educantur.

5. Sunt etiam duo hoſpitalia, ubi recipiuntur peregrinantes ægroti, qui ibi cibum, & potum, ac neceſſariam ſuggeſtionem inveniunt, donec convaleſcant, qui autem paupertate laborant delaſſati per 3. dies recipiuntur, ac poſtea cum aliquo viatico dimittuntur.

6. Omnium talium fundationum tamen ditiſſimus locus habetur ad D. Georgium ante portam Mollerianam, ſenectuti & miſeris aliis deſtinatus, ubi & Sacellum olim fuit, in quo duo Imperatores Fridericus Barbaroſſa, & Carolus IV. ante ingreſſum in Civitatem, ſuas exercuerunt devotiones, quod nunc ob pleniorem munitionem Civitatis, & extenſionem caſtelli deſolatum eſt cum multorum civium indignatione.

7. Sic ante portam Burgenſem morbis contagioſis deſtinatæ ſunt ædes ad D. Gertrudin.

8. Platea Klockengieſſeriana ex inſtitutione mercatorum Füchtingii, & Glandorfii egregiæ ædiculæ ſunt inſtitutæ pro depauperatorum mercatorum viduis, quæ ibi ſatis commode ſuſtentationes ſuas inveniunt.

9. Præterea in diverſis plateis paſſim per civitatem totam ultra 80. angiportus, & receſſus averſi inveniuntur, quorum ſinguli ſuis habitationibus conſtant, in quibus commoditas habitandi, & vivendi ſuggeritur civium pauperum viduis.

10. Sic & verſus Travam fluvium ſacellum ad D. Clementem, quod ex nautarum proviſione ita inſtitutum eſt, ut ibi pro iis devotio ſacra præſtetur. Urbs autem oblongo modo inter Wakenizam, & Travam ſita eſt, qui locus ab utraque parte acclivis eſt, ut duæ ſint plateæ principales à templo Cathedrali, & porta molarum uſque ad arcis portam ferme ſe extendentes, à quibus intermediæ utrinque ad flumina dicta, & muros Civitatis excurrant, ut ordo undique ſat congruens perſpiciatur.

Habetur quoque locus, ubi in domo cuiuſdam civis, ab angulari altera in parva platea D. Iohannis, Klein Iohannis Strate vulgo dicta, non procul à foco centrum civitatis lapidi inciſum monſtratur: ædes hæ ſitæ ſunt à ſiniſtra parte anguli illius plateæ, ſi quis ex platea regia per eam ad templum beat. Virginis tendat. Nec procul ab hac domo è regione ferme ab altera parte monſtrantur ædes, in quibus olim tunc Carolus IV. ſuæ aulæ præſens hoſpitium habuit, quum urbem hanc viſitaſſet. Portas autem principales habet tres ſaltem; unam verſus ſeptentrionem, quæ regia dicitur; Altera, quæ olim meridionalis fuit, apud molendina civitatis publica, ex conceſſione autem Friderici Barbaroſſæ Cæſaris, quod Capitulum cum Magiſtratu litem gereret magnam ob clavium huius portæ cuſtodiã, atque ea ita terminaretur, verſus Auſtrum tranſlata eſt; Tertia occidentem reſpicit, per quam in Holſatiam iter habetur, & Wagriam, ubi non longe à porta antequam Trempelsdorfium quis perveniat adhuc rudera caſtrorum Holſaticorum monſtrantur, quum Duces Holſat. urbem obſeſſam tenerent olim, de quo ſupra actum eſt. Sunt etiam aliæ portæ duæ, ſed non ita perviæ, ut curribus pateant, una orientalis eſt, & dicitur Hoxarienſis, ubi in duabus turribus conſpicitur, quo artificio aqua ex Wakenitza elevetur ad tranſfuſionem in omnes urbis ferme partes, & ædes potiores. Velut etiam fundus totius Civitatis arenoſus, ſaburroſuſque eſt, ut quam plurimæ ædium cellæ vix uſui ſuo rectè de-

ſtinari queant, quæ omnium prima inſpectio eſſe ſolet incolis, ſi vel ædes emere, aut conducere velint, licet ſtudio ab aliis occultetur. Altera porta nova dicitur verſus occaſum, & ſe reflectit ad exitum Portæ Holſatorum, ut per eam via meatus ducat. Ditionem quoque in territorio ſuo ſatis amplam fovet. Præter bona Eccleſiaſtica habet aliquot oppida, & præfecturas, ut ſunt Travemunda, ubi oſtium marinum eſt Balthici. Mollena, & Bargerdorfium; item Ritzerovia, & alias arces, ut illis 104. pagi in univerſum adſcribantur.

Notabile in primis eſt, quod de ſylva Leonina ſpargitur, quod in ea per aliquod tempus Leones placidioris naturæ latitarint, velut adhuc nemus illud non procul à civitate, quo tenditur ad Travemundam, ſitum eſt, in quo etiam prædium amœnum eſt, cuius reditus regiminis Conſulis præſidentis deputati ſunt, cum aliis pagis. Pelles leoninæ animalium talium aliquot adhuc hodie in curiæ ſuperioris aula conſpiciuntur. Forma autem regiminis eſt talis, uti ſuperius deſcriptum eſt, ut dimidia ſenatus pars mercatoribus, & altera civibus ex antiquis familiis, tum litteratis, ſit adſignata. In quo ſi non accurata diſtributio obſervetur, ſtatim cives in ſuſpicionem haut levem concedunt. Sed ubique hoc prævalet dictum, uti communiter receptum eſt: Argenti pugna talis, atque omnia vinces. Abſit ut inde in Civitatibus accreſcant mala. Directorium autem eius quum in omnem Hanſam ſe extendat, etiam ibi in curia conclave eſt ad ſuperius auditorium, in quo tempore æſtivo habetur conventus ſenatorius, ubi archivum Hanſæ totius adſervatur, cum ſecretis ſuis, ut inde peculiarem mereatur ſibi gloriam, quam paucis hiſce concludimus Pet. Lind. verſiculis.

Gens humana, ſitus, Commercia, littora, mores,
Mars, toga, divitiæ, curia, religio,
Arctoas inter claras virtutibus urbes,
Efficiunt; tollat lauta Lubecca caput.
Et decus Europæ, & lumen ſit totius Hanſæ,
Et ſit Vandalici pulchra Corona ſoli.

Inſeri heic quidem poſſent multa de vicinis Urbibus, ſed quum temporis, & occaſionis conditio id nobis iam neget, ſufficiant ea, quæ ſuperius ex antiquioribus mutuata ſunt; ſaltem hoc unicum, antequam in concluſione huius antegreſſus nos ad Dantiſcum convertamus, nobis reſtat, ut paucis occaſionem manifeſtemus, qua Dux Sueciæ ibi primum introitum Germanicæ infeſtationis invenerit, præſertim quum Acta Stralſundica, uti in publico extant, id non plene referant.

STRALSVNDIA.

QUum anno 1628. Arnhemius in hanc urbem miſſus eſſet nomine Ducis Fridlandiæ, ut cum Magiſtratu ibi ageret de obſecundationis punctis aliquot, qui ipſis admodum duri viderentur, atque is nimiis ſemper uteretur tergiverſationibus, nec ubique conſtaret ſibi, etiamſi ſummam 28000. Imperial. impetraſſet ab illis una vice: ac videretur ſemper durioribus quid imponere iiſdem conditionibus novis & ſuis: diuturnum ſatis in his eſt tempus conſumptum. Interim Dantiſcum miſerant quoque ſuum ſecret. D. Laurentium Roſtochium, ut ibi auxilium non tantum, ſed etiam inde ſuppeditamenta quædam rerum neceſſariarum ad repellendum hoſtem quemvis adſportaret: Verum quum neque ibi id obtinuiſſet pro nutu, reverteretur que domum, factum eſt, ut in medio mari ferme navis quædam armata Regis Sueciæ obviam iis iverit, exploraritque Capitaneus eius, quales eſſent, qui tranſveherentur, incidit in hunc Roſtochium, qui abnegare poterat ſuas miſſionis cauſſas. Ideoque ſtatim ipſi omnes eripiuntur litteræ, & ipſe in cuſtodia adſervatur, donec Regi in vicinia exhiberentur. Quibus perlectis, continuo iuſſit hominem adduci præſentem: Ipſe mihi Hagæ, quum paulo poſt illuc bis mitteretur ad Dnn. Staticos, retulit, ſe putaſſe, quod ultimum tunc vitæ vidiſſet diem.

Verum ad primum eius adſpectum blando clementiſſime vultu ſe Rex obtulit, quærens num ille eſſet, quem declararent, exprimerentque litteræ præſentes. Reſpondit vultu modeſto, ſe eſſe: Inde ita affatus eſt eum Rex; Mirati ſe non ſatis poſſe, quur Stralſundenſes ipſum præterierint in tot exantlatis anguſtiis, quum tamen non tantum eſſet vicinus amicus, ſed quoque Urbis incolæ ipſi ex iure privilegii in commerciis, & pacto fœderis antiqui obſervantiam hanc deberent. Iam cernerent, quid confœderati proximi præſtarent, quam plane deſertos quoque ſe agnoſcere cogerentur. Inde quum duceretur miſericordia, atque ut cernerent magnum ſe ipſius civitatis patronum agere, promiſit ſe illud in duplo præſticturum eſſe, quod à Dantiſcanis ſociis petiſſent. Exhilaratus iſte vir, nec Regis nutui deeſſe voluit; ſed ita ſe declaravit, gratias humillimas ſimul agendo, quod oblationem ſalvo iure ſuorum eſſet acceptarus. Proinde confeſtim Rex ipſi aliquot naves cum 700. militibus, & aliis neceſſariis adſignavit, miſitque ſimul quem, qui plenius cum Stralſundenſibus ad certa capita tranſigeret.

Sed ne quid à contrariis animadverteretur, conventum eſt ita inter Regem, & iſtum Urbis Legatum, ut naves à portu omnino abſtinerent, dum iſte urbem ingrederetur, & in ſecreto ſuis affectionem clementiſſimam Regis Sueciæ detegeret. Quare quum hic urbem ingreſſus eſſet, hinc mora in curiam ſe contulit, ubi Conſul. & Syndic. Doctor. Lampertum Steinwichium in conclavi invenit, qui ſtatim gratulabunde eundem excepit, ſimul ipſi explicant, quæ hucuſque per tam longinquum tempus Arnhæmii fuiſſent dubia, inverſa, mutationibus variis obnoxia, nec raro iniquiſſima, & ferme impoſſibilia effectu poſtulata; quantas ibidem, & immenſas pecuniæ ſummas emunxiſſet; quomodo nec adhuc ſatis poſſet exſaturari; præter alias machinationes, quas tamdiu pertuliſſent innocentiſſime. Vix tamen Roſtochius explicarat ipſi novam fortunæ, & reſpirationis faciem ex Regis Suecici oblatione, & quænam eſſet adiunctorum in proximo mari expectatio, ut ſuccurſum ſatis haberent promptum. Quo audito Steinwichius exultare in ſe viſus eſt ipſi; dicens: Certe exoptatus in ipſo temporis momento iam nobis appares, quaſi angelus nobis cœlitus miſſus. Etenim iam ferme inſtabat

con-

concluſio, ut penitus in hac tranſactione cum Arnhæmio nobiſcum actum fuiſſet. Quippe non poteramus diutius tantas evincere anguſtias, & tribulationes, ut nunc in deditionem ſuam iam abduceret Arnhæmius. Sed quum tantus nobis adſit in vicinia ſuccurſus, iam de arena conſilium capiendum eſt nobis ſecretim, qua ratione amoliamur Arnhæmium. Novi quid ſit faciendum: mittam ad illum, atque quaſi in ſecreto revelabo eidem, quantis vitæ periculis ob rigida poſtulata apud plebem communem civitatis ſit expoſitus: Ideoque eum amicabiliter rogabo, ut per biduum ſaltem ex urbe ſecedat, donec compeſci rectius, & in devotionem debitam retrahi populus poſſit. Se interim omnia eſſe peracturum, quæ pro gratia negotii, & perſonæ facere poſſent. Vix talia cum tanta promiſſione erant Arnhæmio quaſi in ſecreto denunciata, ille protenus ex urbe deceſſit. Inde Roſtochius, exhibitis prius ſenatui litteris regiis, iuſſus eſt, ſubſidiarium militem propius adducere. Literæ autem Regis tales erant, nonnihil alio modo diſſimulatæ.

Guſtavus Adolphus, Dei gratia Suecor. Gothor. Vandalor. Rex, Magnus Princeps Finland. Dux Eſtoniæ & Careliæ, nec non Ingriæ Dn. Gratiam noſtram, & favorem ſingularem, ſpectabiles & cõſultiſſimi, nobis ſincere dilecti: Vidimus ex apographo veſtrarum ad Dantiſcanos litterarum è portu Gedanenſi nobis hiſce diebus tranſmiſſo; vos quidem de defenſione veſtra ſub periculoſiſſimo hoc tempore fortiter cogitare; ſed aliqua pulveris tormentarii inopia laborare. Revocantes igitur nobis in memoriam, & mutuæ religionis, libertatiſque reſpectum, quo invicem cum regno noſtro ſemper coniuncti fueratis, non potuimus, quin hac condolentiæ noſtræ ſignificatione vobis conteſtaremur quam ingrata ſit nobis præſens periclitantis veſtræ ſecuritatis conditio: nec poſſumus ſanè non mirari, quei fiat, quod, quum in eiuſmodi caſibus nihil, vel ſalutarius, vel frequentius ſit, quam ut mutua cum amicis conſilia communicentur: vos tamen cum nemine, quod adhuc ſciamus, vicinorum veſtrorum diligentius, meliuſque correſpondeatis. Ut autem benevoli erga vos noſtri affectus teſtimonium ſaltem aliquod habeatis, mittimus vobis, quãtum pro præſentis loci tatione fieri potuit, unam dicti pulveris Laſtam, ex animo vos exhortati, ut quã pro tuendæ libertatis, & Evangelicæ religionis veſtræ ſecuritate laudabiliter concepiſtis ſententiam, in eã fortiter, & conſtanter perſeveretis, nulli dubitantes, quin piiſſimæ intentioni divini Numinis dextera potenter adſiſtat. Nos ſi quain re libertati veſtræ, communique conſilio, vel opera noſtra favere poterimus, convenienti modo requiſiti, nec quidquam deetimus. Atque hiſce vos Deo commendamus. Dat. è claſſe noſtra ad Landſort die 5. Maij An. 1628.

Guſtavus Adolphus.

Indè quum hanc animoſitatem ſibi recuperaſſet urbs, paulatim alacrius omnes exſurgebant, & nihilominus pergebant cum Arnhæmio in tractatibus, donec confœderationem novam cum Rege Sueciæ perfeciſſent, & in urbem recepiſſent militem præſidiarium Regis. Concepta fuerat longe graviori modo favorabiliter à parte civitatis forma fœderis, uti ipſe Dn. Roſtochius eam Hagæ mihi perlegendam dedit, velut & iam illuc miſſus erat, ut rigoroſitatem Regis ex poſtfacto Dnn. Staticis demonſtraret, eorundemque interpoſitionem peteret. Poſtea tamen ita eſt peracta, uti ex ſequentibus videre eſt.

Articuli Confœderationis Stralſundenſium cum Rege Suecia initæ.

NOs Guſtavus Adolphus ex Dei gratia, Regnorum Sueciæ, Gothor. & Vandal. Rex, Magnus Dux Finlandiæ, Dux Eſthoniæ, & Careliæ, Dominus Ingermanlandiæ, &c. notum hiſce facimus omnibus, & ſingulis; poſtquam in vigore, & mandato noſtro ad hunc actum traditæ plenipotentiæ, honoratus noſter miſſus ſecretarius, & dilectus fidelis Philiph. Satl. cum honorabilibus, ac alte ſapientibus noſtris dilectis peculiaribus, conſulibus, ſenatu, ac tota communione Civitatis Stralſundenſis 23. Iunij currentis adhuc anni, ibi fœdus, & unionem uſque ad placitum noſtrum ſequenti modo cõtraxit, ut eam poſtea nos clementiſſime ratihaberemus, & confirmaremus: Inde dictum fœdus, velut in omnibus ſuis punctis, & clauſulis à verbo ad verbum ſonat; heic repetitum volumus, & in vigore huius ratificatum, ac confirmatum cupimus omni modo, uti ſequitur:

Primo in 20. annos continue ſequentes, ſi forte uni, aut alteri parti diutius ita continuare non placeret, integrum fœdus, & unio inter nos, & coronam Suecicam ab una, & inter Civitatem Stralſundenſem ab altera parte initum, & erectum eſt.

Secundo erit illud fœdus in defenſionem Civitatis, & eius portus marini, ac conſequenter in ſecuritatem maris orientalis, nullatenus autem in ullam offenſionem, niſi bellum forte, quod ex hoc exſurgere queat, id expoſtulet, etiam in conſervationem liberorum, & non retardandorum commerciorum; in quem finẽ unus alterius commodum, ſucceſſum, & ſalutem reſpective curare unice debet, eaq; ſemper promovere, atque omne damnum, & incommodum extrema facultate præcavere.

Ideoque tertio fœdus hoc nullo modo præiudicet ſubiectiſſimæ, & ſubiectæ coniunctioni, quã Civitas Stralſundenſis in Cæſarea, & Roman. Imperii, etiam immediata principis protectione, defenſione, adhærentia, & obedientia ſe invenit, ei, quod iuſtum eſt, præſtabit, & è contra expectabit; ſimiliter civitatis iura, ſtatuta, Iuriſdictionem, privilegia, & priſcas conſuetudines ſervabit, tamen id omne ſalvo præſenti fœdere.

Quarto volumus, & debemus nos, & Coronã Suecica, præſertim in reſpectu huius fœderis, præſentem ſtatum Civitatis Stralſundenſis conſiderare, & omnia poſſibilia media, ac modos quam citiſſime quærere, & iis uti, qui ili amicabilitate, tam armis, quouſque practicabile erit, ut civitas contrã adverſarios, quicunque illi ſint, defendatur, & protegatur.

Quinto debebit nobis, & Coronæ Suecicæ Civitas Stralſundenſis ad propriam liberationem, & belli,

belli, quod inde exoriatur, continuationem, omnem possibilem succursum, auxilium, & adsistentiam præstare, & à nobis, ac Corona Suecica nullatenus deficere, sed constanter apud nos permanere, & se in nullos tractatus, aut accordationes cum hoste ingerere, nisi id fiat nostro consensu, & adstipulatione, & ut nos, ac corona Suecica simul simus inclusi, nec ob hunc succursum quid damni, aut præiudicii perferamus.

Sexto nec debebit hoc fœdus, & pactum, nullis aliis Civitatis coniunctionibus, & fœderibus, quæcunque sint, præiudicio esse, nec eo contrario modo allegari, præsertim Hanseatica confœderatio huic præiudicare; & debet honorabilis senatus, & communio huius Civitatis Stralsundensis eo magis obligatus teneri, ut in hoc intendat, quomodo reliquæ civitates Hanseæ etiam huc pertrahi queant, & similiter se nobiscum, & cum corona Suecica coniungant, & conglutinent.

Septimo, illum à nobis primitus transmissum succursum 600. militum, ac si ulterius quid requirat, debet Senatus, & communio in præsidium adsumere, & tam officiariis, quam militibus, absque nostro damno, iuxta singularem huius ordinationem factam, sustentationem præbere.

Octavo, si etiam hostis per hoc ab obsidione non posset repelli, & nos cogeremur inde per fortiorem, & maiorem vim in hoc incumbere, quomodo civitas liberari queat; tunc senatus tenebitur, nobis & nostro exercitui ad eius adventum omnem suggestionem rerum necessariarum pro solutione, & quantum civitatis usus admittat, præstare.

Nono si necessitas requirat, ut naves nostræ in civitatis portu iacere, & ibidem hybernare cogerentur, debebit nautis, & navigatoribus in civitate hospitium concedi, & necessaria vivendi pro solutione suggeri.

Decimo, debebit in hoc opere ad quemvis casum iuxta requisitionem nostri exercitus, & necessitatem civitatis, tam pro transitu, quam recursus reiteratione civitatis porta nobis, & nostro militi pro necessitate, & quantum absque periculo civitatis esse potest, aperta manere.

Undecimo, volumus Civitati Stralsundensi in veteri statu, & eius civibus, ac incolis in eorum privilegiis, Iurisdictione, Iuribus, priscis consuetudinibus, & bonis nullatenus quid incommodi creare, sed potius in his protegere & defendere.

Duodecimo, volumus mediante nostra clementissima confirmatione eorum à nostris antecessoribus bene impetrata privilegia, civitatis gravamina iuxta æquitatem abrogari curare, quando nos decenti modo informabimur, & monebimur. Similiter si in casu postea ullæ differentiæ inter nos, & Civitatem Stralsundensem exoriantur, ut propterea amicabilis compositio tentetur, ac si non succedat, nullum factum adhibeatur, sed super talia præpotentum Dnn. Staticorum uniti Belgii, & honoratarum Civitatum Hanseæ consideratio audiatur, & eidem obsequium præbeatur.

Ultimo, in casum huic fœderi ulli proceres, principes & communiones se adsociare velint, illi ad æquas conditiones, & cum utriusque partis consensu admitti debent, velut etiam huius fœderis melioratio, & extensio in utriusque partis consensum reservata manet. Quod igitur supra scriptum omne in vigorem huius ratificatum confirmaverimus, quod à nobis & nostris Successoribus, & Corona Suecica ita firmiter, constanter, & infrangibiliter servari debeat, nos propria manu subscripsimus, & nostrum Regium secretum apponi curavimus. Actum in Castris nostris apud Dirschaviam 21. Iulii An. 1628.

Loc. Sigil.

Gustavus Adolphus.

Quum tamen Stralsundensibus in his quid incommodi adiiceretur, nec omnia ita iuxta pacta servarentur, misere iterum Rostochium suum Hagam ob interpositionem Staticorum obtinendam: Ubi tunc Consul & Syndicus D. Lamb. Steinwichius ita ad me scripsit, velut inserta hæ monstrant:

Multis nominibus gratæ mihi fuerunt litteræ tuę vir Clariss. Nobiliss. & Consultiss. quas Haga Comitis mihi Rostochius noster attulit; Etenim in memoriam mihi revocabant amicitiam nostram, atque ea tempora, & consilia, in quæ utinam nos Deus aliquando restituat, ut experti periculum prudentius caveamus, quod facere male omisissemus, cum tempestivum erat, & nonnulli recte consulerent, de me alios iudicare patior. Naufragium pene omnes absorbet, neq; tamen adhuc periculum agnoscunt. Deus servet ipse nos pro sua misericordia: contra vim & furores hostium clementer protexit, idque ut porro faciat, oramus, neque diffidimus. Viæ ex omni parte ab hostibus obsidentur, neque sine periculo civitatem egredi licet, suburbia, pagique omnes exusti sunt; Mare nobis adhuc patet, & interdum non sine periculo. De te quid actum sit, gratissimam mihi rem feceris, si specialius explicaveris, & quid cum Magdeburgicis subinde sit tractatum? Quænam apud eos constantia? & an adhuc in vivis D. Stephanus Otvensted. quem ab adolescentia familiariter novi, utinam in hoc naufragio dissectæ tabulæ tandem colligantur, compingunturque in navem, in qua pietas, Iustitia & concordia regnent. Deus iudicans faxit. Dab. Stralsundii primis huius anni Calendis, quem etiam tibi felicem posito.

L. Steinvv. D.C. & Synd.

Quum vero missus iste ab ordinibus Generalibus Belgii impetrasset intercessionales ad dictum Regē Sueciæ, lætus hinc iterum discessit. Apparet non fuisse sine fructu, quum Regem aliæ quoque urgerent caussæ, præsertim quod tantam opportunitatem in Germaniam coniiciendi militem suum nactus esset, ne quid adversitatis in proposito ipsi obiiceretur. Etenim in toto circulo Maris Balthici, aut orietalis, non est, nec datur adeo firmiter munitus, & inexpugnabilis locus, velut Stralsundia eum exhibet, quod ipsa experientia ex tot annis satis luculenter testatur. Quare noluit hanc portam intentioni pridem conceptæ apertam è manu quasi iterum amittere; sed potius, ut gratiosior illis affulgeret, & securitatem quoque urbi huic à parte maris præstaret, publicavit tale proclama, quod ita se habet.

Gustavus Adolphus Dei gratia, Suecorum, Gothor.

thor. Vandal. Rex, Magnus Princeps Finlandiæ, &c. Nos universis & singulis, quorum interest, aut quomodolibet interesse potest, notum testatumque facimus, quod cum aliis abhinc tempore Civitatem Stralsundensem legitimis de caussis sub tutelam protectionemq; nostram susceperimus, ut ab omnibus oppressionis iniuriis vindicandam. in pristinæ libertatis decus restitueremus: ac intelligamus, eius inimicos cum hactenus per Dei gratiam frustra eam terra tentarint, iam omnes intendere nervos, ut eam quoque mari infestent: Nostra autem ac publice interest, ut non minus mari, quam terra defendatur, idcirco commisimus admirali nostro Stralsundensi, ut post classis nostræ in stationes hybernas secessum, aliquot cum navibus, in primis quidem ad eius portum excubaret, liberamque ei navigationis, ac negotiationis copiam præstaret. tum reciproco quoq; iure caveret, ne qua vicini portus vitium advectione stipentur, ex quibus tum in mox civitatis ruinam, totius cum maris infestatione moliuntur. Ne vero ullus ignoret, qui portus hoc ipsi periculum minantur, eorumq; usu innocenti civitati exitium, sibi vero inopinatum interceptionis damnum accederet, hisce publice significatum voluimus, ut omnes inposterum Stolpæ, Colbergæ, Camini, Wolgasti, Gryphiswaldiæ & Rostochij, nec non Wismariæ, cæterorumque præsidibus Imperialibus infestorum locorum navigatione abstineant.

Pro regio itaque gentiumque iure, & omnibus, & singulis, cuiuscunque nationis, & conditionis hominibus serio, & severe adeoque sub navis, & mercium confiscatione, vetamus, ne dicta loca posthac ulla navigatione visitent, donec aliis nationibus provideri possit, ut hæc incommoda commodius expediantur. Lubeccam vero, & Stetinum, ut nullis inimicorum præsidijs obnoxios, nihil impedit, quo minus quilibet libere frequentet, hac saltem sub cautione, ut quoniam inter Stetinense Wolgastũ præterfluit, singuli qui Sterinum navigant, documentis certis ostendant, se Wolgastum nec appulisse, nec ulla alia ratione merces submisisse. In quorum omnium fidem præsentes sigillo nostro regio roborari iussimus. Dat. in arce nostra Upsaliensi An. 1629.

Gustavus Adolphus.

Interim quoque rex serio deliberavit cum suis regni statibus, quomodo non tantum tam gravem expeditionem in Germaniam cum effectu susciperet, sed etiam ut commoditates pleniores sibi acquireret, præsertim quum cerneret, quam grandis moles res talis ipsi, & regno esset futura, quæ ferme infinita requireret necessaria. Proinde id pro principali consultatum toties fuit, num non prius induciæ cum Polono essent suscipiendæ, quod variis consiliis quidem agitatum fuit à principio; tamen quum tandem successum deprehenderent per mediatores, serio ita perfectum est negotium, ut ad annos aliquot posset extendi, ad quod etiam Status Polonici, quũ viderentur inclinare, transactio talis constituta fuit, uti ex sequenti pacto apparet.

Conditiones Induciarum ad sex annos ineundarum ad certam formulam conceptæ.

I.

SInt ex hoc die induciæ inter Sereniss. Regem Suecorum, Dn. Gustavum Adolphum Dn. nostrum, S. R. M. suæ posteros, ac successores Reges Suecorum, Regnumque Sueciæ ex una parte: Et Sereniss. Regem Poloniæ Sigismundum III. suæque Maj. posteros, ac successores Reges Poloniæ, & Magnos Duces Lituaniæ, Regnumque Poloniæ, & M. Duc. Lituaniæ ex altera parte, sequentibus annis sex usque ad diem 1. Iulii stylo veteri An. 1636.

II.

Sereniss. Regia Maj. Regnumque Sueciæ abstineat durantibus induciis omni hostilitate adversus Regem, Regnumque Poloniæ, & M. Duc. Lituaniæ, eique subiectas provincias, castra, civitates & Territoria, neque quicquam vel per se, vel per alios moliatur, aut tentet tentative faciat in horum detrimentum, aut præiudicium. Ad eundem modum Serenissimus Rex, Regnumque Poloniæ, & M. Duc. Lituaniæ durantibus induciis abstineat omni hostilitate adversus Regem, Regnumque Sueciæ, & eius subiectas provincias, castra, civitates & Territoria, neque quicquam, vel per se, vel per alios moliatur, aut tentet, tentative faciat in horum detrimentum, aut præiudicium.

III.

Rex Sueciæ reddat Regi, Reique publ. Poloniæ Strasburgum in Culmensi tractu, cum suo territorio. Dirschaviam in Pomerellia cum suo territorio, Gurstadium, Worditum, & Melsaccum cum suis territoriis in Episcopatu Wermensi. Item Ecclesiam Frawenburgensem cum suo adiecto oppidulo, & pagis Tum Mithaviam in Semigallia cum suo territorio Duci Churlandiæ, hoc observato ut Spilven cum iis, quæ cohærent, ut in prioribus induciis factum est, Rigam sequantur, & Frawenburgum his legibus reddatur, ut Portus Frawenburgensis cum tota Hali ripa & littore maneat in potestate Regis Sueciæ, reservato subditis ac Frawenburgensibus suo piscandi iure: Deinde ne Frawenburgum, aut quis alius locus eius Territorii stantibus induciis muniatur: & ut iter Regis Sueciæ, subditis ac militibus semper sit liberum per Frawenburgense Territorium.

IV.

Sereniss. R. M. Regnumque Sueciæ, uti possidet, ita possideat, & retineat tempore induciarum Livoniam intra Dunam, & Arestam cum Dabonni Insula, & territorio, tum in Borussia Brunsbergam, & Iolhemitum cum suis territoriis. Elbingam cum suo territorio, tam in continente, quam in utraque Insula. & Insulam Tischaviensem integram. In maiori at Insula adiacentes Halo cum lacu Prassico, & ostio Vistulæ, versus Halum, Pagos Stobendorf, Allendorf, Tigenoff, Daras, Bruno & Ianikendorf, atque hinc Insulas omnes, usq; in Halum procurrentes, inter maiorem Insulam & Neringiã, in Neringia & Insulis ostii Groskengruck, Cobbelgruck, Stathof, Stegen, atque hinc ducta in mare linea, quicquid Neringiæ hanc & Pilloviam interiacet, cum ipso portu Pillaviensi, sit etiam S. R. Maj. ius ac potestas id, quod vi horum pactorum possidet, pro ratione securitatis suæ muniendi, ex locorum commoditatibus, & arbitratu suo.

V.

Cum tamen interest Reipubl. Poloniæ, Vistulam cum capite Borussiæ, & Mariæburgo, redire in potestatem Reipubl. Ser. R. Maj. Dn. nostræ cum

ſentit, ut durantibus induciis Mariæburgum cum Inſula maiori (excepto Elbingenſi territorio in ſupra dictis pagis) Stuma ac Chriſtburgo: tum & Viſtula cum ſuo capite in Noringia collocarentur, ac ſequeſtrarentur in manu Sereniſſ. Principis ac Dn. Dn. Georgii Wilhelmi Marchionis Brandeburgici, & S. R. Imperii Camerarii & Electoris in Boruſſia, Iuliaci, Cliviæ, Montium, &c. Ducis, hac lege, ut menſe uno ante exitum induciarum (ſi interea de principali negotio non convenerit) Mariæburgum & Viſtula, cum ſuo capite ſeu fortalitiis, Stuma, Chriſtburgo & maiori Inſula, non aliter ac nunc tenentur, ac poſſidentur S. R. Maj. Regnoque Sueciæ reddantur, & reſtituantur ſine fraude, doloque.

VI.

Utque S. R. M. & Regnum Sueciæ de recuperatione Mariæburgi, Viſtulæ cum ſuo capite, & cæterorum eo certior ſit, dictus Sereniſſimus Elect. veluti mediator & is, cuius maxime intereſt, tranquillitatem hanc in provincia obtineri, reliquit interim in S. R. M. manum Fiſchuſium, & Lochſtetium, & tradat Schackium, & quicquid terrarum, Pillaviam, & Neringiam, Curlandiam interiacet, una cum adiacente Neringiarum Caſtrum & Civitatem Memmelam cum ſuo territorio, & hæc retineat, & poſſideat S. R. M. Regnumque Sueciæ eodem iure, quo nunc Mariæburgum habet, donec Anthos cum Inſula, & Viſtula, Viſtulæque capite ſeu Fortalitio, cæteriſque uti dictum eſt, redditum fuerit, quo caſu illa Sereniſſ. Electori ſine fraude, doloque reſtituantur, niſi per nova pacta aliter convenerit.

VII.

In ſequeſtrandis, aut tradendis hiſce, quæ reſtituentur, vel cautionis loco dabuntur, hic ordo obſervetur, ut tradita Regis Poloniæ ratificatione, Strasburgum, Gutſtadium, Wormditum, Melſacum, Frawenbergum, & Dirſchavia, deductis præſidiis S. R. Maj. tradantur Commiſſariis Regis, Regnique Poloniæ die Tunc Elector Brandeburgenſis deducto præſidiario ſuo S. R. Majeſtatis Cõmiſſariis Memmelam tradat die Qua recepta S. R. M. Electoris Commiſſariis in manum dat Mariæburgum cum Inſula maiori, capite Viſtulæ ſeu Fortalitio, ad divortium Viſtulæ & Stuma, abductis hinc ſuis præſidiariis die Idque omne quicquid ſit, ſine dolo, ac fraude ab ſingulis & univerſis fiat, ac præſtetur, bona ac principali fide.

VIII.

Res ac Reſpubl. Polona ſolemni reſcripto caveat Regi Sueciæ, tum Electori Brandeburgico, nihil ſe durantibus induciis, moliturum, aut tentaturum adverſus Mariæburgum, aut caput Viſtulæ, vel Inſulam maiorem, nec vi, nec artibus, ſed potius Seren. Electorem aſſecuraturum, fore ipſum toto induciarum tempore ab omni periculo immunem, ut minime teneatur ſumptus maiores eum onere ſuo facere, multo minus, ut incidat in periculum ſui amittendi, ſi hæc ipſi adempta eſſent.

IX.

Sit omnium anteactorum Amniſtia, & Rex, ac Reſpubl. Polona, receptas in fidem ſuam Civitates, ac territoria, ſingulos cives, ac incolas omni meliori modo indemnes præſtet, Iuribus, ac privilegiis, quibus ante hoc bellum gaviſi ſunt ſinguli, aut tota cõmunitas. Et ſi quæ ipſi à S. R. M. de novo data, & aucta ſunt, non minus in poſterum libere, & ſine cuiuſquam impedimento fruantur. Cunctæ actiones adverſus illos, qui partes Regis Sueciæ hoc bello ſecuti ſunt, aut ſecuti eſſe inſimulantur, quocunque loco habitent, ſi vel inſtitutæ, vel inſtituendæ eſſent, & ſi quæ intentatæ ſunt, tollantur, omnique careant executione. Bona Eccleſiaſtica, quæ ante hoc bellũ fuerunt in poteſtate Catholica Romanenſium tempore induciarum, in dictis reſtitutis locis maneant quoque in eorundem manu. Interim Evangelici fruantur ſuo iure & habeant publicum exercitium Religionis Evangelicæ ſine ullo impedimento, aut moleſtia.

X.

Eadem ſit eorum ratio, qui iure ſequeſtrationis in poteſtatem veniunt Seren. Electoris Brandeb.

XI.

Si cui, aut quibus non placuerit in reſtituris Civitatibus, aut territoriis manere, ſed potius mutato domicilio ſe vel Elbingam, vel etiam ad exteros cõferre, liberum cuilibet ſit ſua divendere, alius elocare, aut pro lubitu ſuo diſtrahere ſine ullo ſuo impedimento, aut onere.

XII.

In locis reſtituendis relinquantur omnia mobilia Eccleſiarum, quæ in præſens reperiuntur, uti ſunt veſtes ſactæ, Campanæ, tum libri Cancellariæ, Privilegia & acta publica. Si quæ tamen temporum iniuria à militibus ſunt direpta, aut reliquorum negligentia corrupta, ulterior in id inquiſitio non inſtituatur, nec quiſquam ad reſtitutionem teneatur.

XIII.

Si ſua R. M. aliquid terrarum, aut iuris largita eſt vel communitatibus, vel privatis, aut ſingulis; ea ſerventur in iis, quibus collata eſt.

XIV.

Omnis miles Cæſareanus Regi, Reip. Poloniæ militans, dimittatur & abducatur Boruſſia, nec in poſterum reducatur, aut novus miles adducatur ſtãtibus induciis, multo minus in Ducatum Boruſſiæ, ſub qualicunque prætextu, mittatur.

XV.

Commercia terra, fluminibus ac portubus libera, ac minime impedita ſint.

XVI.

Claſſis, aut navis bellica, durantibus induciis, Dantiſci non inſtituatur.

XVII.

Omnes captivi, utrinque detenti, cuiuſcunque ſint conditionis, & ſtatus, nemine excepto, liberi & ſine pretio dimittantur.

XVIII.

Cæteri Ducatus, quæ nunc unius, alterutriuſve manu tenentur, deducto milite Duci Boruſſiæ & ſuo iuri reſtituantur. Nec miles unius, alterutriuſve partis, multo minus Cæſareanus, ibi ſua Hyberna, aut ſtativa capiat.

XIX.

Si quæ actiones intentatæ ſunt, vel Electori Brandeburgico, vel cuique ex eius Miniſtris, aut ſubditis, occaſione huius belli, aut intentari poſſunt, ea durantibus induciis ceſſent, & deſinant, eoque nomine Regi Sueciæ, & cæteris quorũ intereſt, caveatur.

XX.

Si quis hiſce pactis contravenire, effectum pactorum,

rum, & restitutionem dictorum locorum impedire, aut si tertius quis, sub quocunque prætextu S. R. M. Regnumque Sueciæ hic in Borussia infestare, & armis aggredi voluerit: Rex & Respubl. Polona cum Duce Borussiæ & ordinibus regalibus Borussiæ, in primis Urbe Dantiscana spondeant, & promittant se arma cum Sueciæ Rege coniuncturos, & id pro viribus aversutos, nec hæc pacta passuros ullo modo violari.

XXI.

Si hisce pactis Reges Francorum, Magnæ Britanniæ & Daniæ, tum ordines generales Confœderati Belgii, & Principes Transylvaniæ comprehendi, & inseri velint, sit ipsis eius facultas, modo se ad ista quatuor abhinc menses declaraverint.

XXII.

Durantibus induciis prima occasione ac loco, de quo convenerit, novus instituatur utriusque partis commissariorum congressus, in quo mediantibus amicis de principali negotio pertractando agatur.

XXIII.

Ut pactis hisce firmius insistatur, certoque constet, bona fide utrinque servatum iri, ita convenit, ut primo redditis utrinque procuratoriis Commissariorum, pacta hæc manu & sigillo Illustr. Dominorũ Legatorum Francorum, & Regis Magnæ Britanniæ, veluti Intercessorum, & Mediatorum, ac ipsorummet Commissariorum firmarentur, ac vicissim rederentur. Tum ut Rex Poloniæ quantocius secundum præscriptam formulam confirmaret hæc pacta, & antequam ullius loci fiat restitutio suam confirmationem traderet. Deinde ut S. R. Maj. solemni instrumento illa nomine suo & Regni Sueciæ rata haberet, & Resp. Polona eadem in Comitiis mense sequenti Novem. celebrandis, solemniter approbaret, atque confectis instrumentis ratificaret. Quæ Instrumenta solemnia ad formulam præscriptam, nulla voce, aut syllaba mutata, per utriusque partis Deputatos Commissarios die ad limites territoriales inter Elbingam & Mariæburgum sine mora, aut excusatione reddi utrinq; & recipi debebunt. Ad eundem modum Elector Brandeburgicus promittat, se Mariæburgum, & caput Vistulæ cum Insula maiori, & Stuma, ac Chrisburgo iure sequestrationis retenturum, & mense uno ante exitum induciarum, deductis suis præsidiariis S. Reg. Maj. & Regno Sueciæ in manum redditurum, recepturus vicissim Memelam, Fischusium, Schackium & Lockstetium, uti ante convenit, & hæc speciali Instrumento spondeat, & promittat.

Cum magno applausu tam utriusque partis, quã etiam vicinorum confectæ ita fuerunt induciæ, ut ad 1. Iulij Anno 1636. expirarent. Sed quum postea interveniret obitus Regis An. 1632. cœperunt proceres Regni Suecici deliberare de ulteriori extensione talium Inductarum, ut eo firmius bellum in Germania prosequerentur, quod etiam ita obtentum est, ut Stundorfii in Borussia ab utraque parte Commissarii convenirent, deque hac difficili materia deliberarent. Tandẽ conclusio in mense Septembri Anno 1635. ibidem id sic tulit, ut eiusmodi Induciæ ad 1. Iulii usque in Anno 1661. iuxta pacti conventi articulos 22. (quos heic nimis longum foret referre, & potius suo loco reservandi sunt) nempe per 26. annos extensæ fuerint: Ubi statim hoc à principio notandum venit, quod in priori pacto primarius locus Regi Sueciæ, in secundo autem permutative prioritas Regi Poloniæ, & hinc Reginæ Sueciæ Christinæ adsignata fuerit, quum diu de præeminentia disputatio ista viguisset. Quæ autem Stralsundensium fortuna discors, & difficilis in tot angustiis fuerit, non attinet pluribus modo explicare, quum alias ipsi excusationes suas huius perpessæ mutationis in publicum emiserint, etiam alii historice id satis loquantur; nos potius iam pro conclusione loci ad Dantiscum convertemus paucis, quum superius talia fuerint omissa.

DANTISCVM, sive Gedanum.

COmmoditas situs huius Urbis est ad fluvium Middan ubi in Vistulam profluit; habetq; quidem ab occidente non ultra 50. passus tres montes, sed non adeo eam infestantes, quum potius prospectum adiuvent iucundum, & fortalitia eandem satis strenue ab omni vi defendant. Vistula supra Werderum se in duas dirimit efluxiones, quarum una versus ortum in Frischavium effundit, altera in mare infra urbem orientale insinuat ad ostii Castellum fortissimum Vistulæ Mundan. Omnia merciminia frumentorum ex Polonia huc ubertim in magna copia deferuntur, quæ maxime vino Hispanico, aliisque permutantur, ita ut mercatores ausint affirmare, quasi vini copia etiam aquas exuperet. Multa habet navigationis privilegia, quibus per mare, & in Vistula ex Polonia defluente gaudet; Etenim competit illi vigore privilegii Regis Polonici Casimiri An. 1457. dati plena facultas, & potestas, omnes & singulas navigationes cum omnibus terminis maris etiam Borussiæ ad regendum, ordinandum & gubernandum: velut & cum senatus consensu, & Burggravii (qui quotannis à Rege ex octo tam præconsularibus, quam consularibus personis, quorum nomina ad Regem deferuntur, eligitur) in absentia Regis (uti verba privilegii sonant) id omne perficitur. Quæ omnia ex Schutzii historia Prutenica lib. 6. fol. 265. pluribus colligi, & intelligi poterunt.

Hinc fit, ut in rebus maritimis solus senatus sententiam ferat, nec ulli appellationi locus amplius pateat, adeo quidem, ut quum An. 1593. quidam Alexander Guagnius eques Auratus cum Agente Vincentii Gonzagæ quarti Ducis Mantuæ ratione cuiusdam contractus, in quo se ad portorium hoc obligaverat, controversiam haberet, & dictus Agens forum hoc declinare conaretur, tandemque controversia hæc ad D. Regem Sigismundum 3. devolveretur, ista sententia subsecuta fuerit: Quamvis in causa præsenti interveniat persona nobis charissima sereniss. Mantuæ Principis, tamen, quoniam portoria maritima, sicut reliqua, ita & nostra terrarum regnorumque nostrorum eo iure speciali & privilegiis antiquissimis gaudent, ut omnes contractus, quicunque ad aliquod portorium directi fuerint, non alibi, quam in illius ipsius portorii legitimo iudicio cognoscantur, &c. Aliter non potuimus, quam ut sententiam Civitatis nostræ Gedanensis approbaremus, &c. Pacta autem & conditiones, quibus Gedanum cum Polonia in omnibus, & commerciorum communicatione cohæreat, etiam iuxta ut tionem status suppeditare poterunt cuivis Shützii

Neugebaurus, & iura terrarum Boruſſiæ, quæ in omnium ferme verſantur manibus, qui curam accuratiorem huic rei impendent: unde etiam partim peti poſſunt ea, quæ toties in novationibus vectigaliũ pertulerit, prout videre eſt apud Neugebaurum lib.8.p.627. Hoc tantum addo, quod ad vectigalia attinet.

Anno 1585. cum Rege Stephano Bathoræo certos tractatus portorii habitos, & exactionem portorii ad duos nummos auctam eſſe, cum expreſſa hac cõditione, ne ſupra binummalem auctionem vel ex regia, vel ex Civitatis parte ulla ratione amplius portorium augeatur, nec nova ulla vectigalia, aut exactiones imponantur. Unde in tempus uſque præſens Reges Poloniæ medietatem portorii, fructuſque inde provenientes percipiunt. Fuere tamen, quod orbi fere, & præſertim undique mercatoribus notum, hiſce annis propioribus novæ lites agitatæ, & quidem ſatis graves, eo, quod Sereniſſ. Rex novo telonii genere civitatem aggravare proculdubio ex ſuggeſtione malevolorum, & proprium forte commodum quærentium, voluerit.

Quæ differentia non exiguam excitavit diſcordiam, & difficultates. Etenim rex modernus Poloniæ Uladislaus 4. anno 1637. conſtituerat navibus Dantiſcum tendentibus ſingulare vectigal imponere, quod ſenatui varios apud cives excitavit motus, utpote qui omnino novationem hanc ferre nollent. Nihilominus ne res abſq; coactione eſſet, 6. Octob. inventores talium rerum Spiringii, nomine Reg. M. Pol. tribus navibus ſe ad locum exactionis contulerunt, qui Dantiſcanum eructum vocatur, ut ibi vectigal hoc exigerent, velut etiam naucleris id indicari curarunt. Quum vero iſtorum nemo, ſe huic oneri ſubiicere cuperet, ſed omnes recta verſus Dantiſcum perrexerunt, ac continuo ſenatui iniquitatẽ novæ impoſitionis indicarunt, ſimul petendo, ut in tempore vigilaretur, aut ipſis indicium fieret, quid agendum: Senatus Civitatis innitens privilegiis, ſtatim inhibitionem indixit ſingulis, ne quis in minimo quid ſolveret vectigalis, ſed expectaret potius quilibet eventum alium. Interim advenit navis Anglicana cum pannis variis, cuius nauclerus nullo modo quid ſolvere vectigalis voluit, ſed ſignificavit exactoribus talibus, ſe potius linquere navem velle, & Regi ſuo denunciare iniquitatem hanc.

Inde ſenatus 7. Octobris Stapulæ Cameram occludi curavit prorſus, ne onerata navis ulla excurreret, cuius rei indicium aliis quoque nautis factum eſt ſub pœna certa. Publicatio quoque eiuſmodi Hafniæ facta eſt, atque huic contractui pro defenſione communis commercii ſe Elect. Dig. Brandeburgica, una cum Civitatibus, Regiomontana, Thorunia, Elbinga, Mariæburga, &c. adſociarunt, ne quid novi oneris imponeretur negotiationibus cõmercantium. Inde Dantiſcani quoque ad Reg. Maj. Dan. miſerunt legaros, qui coactionem hanc, & occluſionem navigationi ei explicarent. Quare E. R. M. 22. Septembr. bellicas aliquot naves verſus Viſtulæ oſtium miſit in eum finem, ut auctores novæ flagellationis, nempe Spiringos fratres, aut unum eorum captivum abducerent. Verum illi, quum forte intentionem perſenſiſſent, fuga clancularia ſe ſubduxerunt, unde Danicæ naves Polonicas expugnarunt, & captivos cum ſpolio Hafniam abduxerunt; Duæ tamen R. Daniel naves aliquo uſque ibi perduxerunt, donec plenam libertatem navigantibus reſtituiſſent. Quæ res tantas excitavit male habentibus acerbitates, ut etiam non veriti ſint propterea plura edere ſcripta, quæ nunc in propatulo ſunt. Velut & Rex Daniæ in publicum emitti curavit licitam defenſionem, cuius inſcriptio eſt Mare Balthicum, cui oppoſitum eſt Antimare Balthicum, quæ alibi rectius cognoſci, & conſuli poterunt, quum iſte locus contractior huic non ſufficiat.

Antehac quidem, nempe an. 1630. in menſe Februario tranſactio inter Regem Sueciæ, & Dantiſcanos erat in 5. punctis conſtituta. 1. Ut induciis Polonico-Suecicis tuto fruerentur. 2. Debita utrinque à Suecicis & Dantiſcanis mutuo perſolverentur, exceptis bonis confiſcatis, & donatione translatis ſub tempore belli. 3. Ut ex mercimoniis 5½. procento vectigali ſolverentur, cum hac tamen moderatione, qua Regi Sueciæ quarta pars veniret, & reliquum Dantiſcanis remaneret. 4. Ne tempore induciarum perferrentur in portu Dantiſcano naves bellicæ, præter eas, quas ipſi cives ſecuritati ſuorum commerciorum deſtinarent. 5. Ut induciarum fractores ab utraque parte vi pro poſſe repellerent.

Talia vero quũ auctoritatem patrocinii iuſti urbi huic adderent, ſimul cum induciis renovatis mutationem intulerunt, ut æſtimium alienum non poſſet iiſdem cum onere novo imponi: unde tanta ſe exeruit differentia, quæ adhuc in compoſitione amicabili hæret. Porro autem ſita hæc Urbs eſt, ſi Provinciæ, & regionis ratio habeatur, in Pomerellia, tum quod cis Viſtulam tum quod in antiqua illa Widemuti Boruſſorum Regis diviſione, quæ apud Guagninum, & alios extat, ad nullam Boruſſiæ partem Civitas hæc, quæ tum temporis quidem interrum natura, ſed alia plane forma, ac nunc, fuit, referatur.

Elevatio poli eſt, iuxta obſervationem Crugeri Mathematici quondam Dantiſcani, 54. grad. 22. ſcrup. Longitudo vero 36. grad. 2. ſcrup. à meridiano per Inſulas Canarias ducta. De libertate autem urbis copioſior materia ſcribendi ſeſe offert ac prolixior, quam huius loci ratio id iam ferre poſſit, quum alibi id rectius cum productione privilegiorum ſimus explicaturi. Interim hoc notandum modo eſt, Quemadmodum libertas Civitatum Imperialium non in eo conſiſtit, quod nulli ſubſint, ſed quod nullum, præterquam Imperatorem ſuperiorem recognoſcant: Sic pari ratione Gedanum neminem, præter Deum immortalem in terris Dominum agnoſcit, niſi Regem Poloniæ, eiuſque legitimos ſucceſſores. Reliqua libertas in privilegiis, quæ obtinet, ampliſſimis fundatur. Poſſidet igitur iure nobili plurima territoria, agros, oppida, vicos & pagos, in quibus abſolutam poteſtatem exercet cum mero, & mixto Imperio: Inde ex regia quoque poteſtate habet leges, ſtatuta que condendi, tributa, collectas & pecunias ſubſidiarias quovis tempore citra contradictionem Regis civibus imponendi; Magiſtratum ſibimet pro nutu libero eligendi, portoriũ, quod Paſſgelt vocant, exigendi: Anglos, Lombardos, alioſque peregrinos ad ius Civitatis admittendi: in electione novi Regis votum ſuum inferendi, conventus una cum reliquis terrarum Boruſſiæ Conſiliariis celebrandi, monetam auream, & argenteam cudendi, liber-

libertatem religionis exercendi, legatosque undique mittendi.

In causſis civilibus eidem facultas tributa est, nulli appellationi, quæ ſummam quingentorum florenorum non ſupereſt, deferendi. In criminalibus autem, & iniuriarum quibuslibet actionibus nullam penitus appellationem recipiendi. Sunt etiam plura alia, quæ compendioſe referri heic nequeunt, ut ſaltem ex his enumeratis ſatis conſtet, quanta libertate præ cunctis aliis fruatur. Quæ cauſſa eſt, quod tot plures ibi confluant ex omnibus locis populi, & libenter ibidem habitent, quibus cura eſt amplificandi commercia. Velut etiam huc iſtud admodum facit, quod benevoli ſint cives, humanitati uſque ad contentionem mutuam addicti, nullius conſcientiæ preſſores, ſed huic incumbunt unicæ curæ, ut quiſque pietatis ſuæ ſtudium ex corde ad honeſtatis normam exigat: Ideo in tanta viget concordia Civitas, ut quilibet eo ferventius obedientiam ſenatui ſuo devovoveat, amoris eius obſervantiſſimus.

In primis litteratis ita favent, ut eos in ſummo precio abſque invidia habeant, & æſtiment liberaliſſime, quo nomine etiam cunctis aliis Civitatibus ſeptentrionalibus laudem ſuam præripiunt beneficentia tali. Sæpius mecum fuerunt, qui etiam hoſpitalitatem Incolarum, & civium amicabilem non ſatis deprædicare potuerunt, tantis ibi ceu peregrinos affectos ſe dicebant beneficiis. Tum facit accurata Iuſtitiæ cura, & fidelis, quam citra corruptionem ullam Magiſtratus ſedulo obſervat, quod tam conſtans harmonia ex mutuo amore ſubditorum in ea civitate floreat, ut heic non facile illud animadvertatur in diſtracto pecuniæ affectu, quod ille poeta ait:

Intus quis? Tu quis? Quid vis? Quid quæris? ut intrem.
Fers aliquid? Nom. Eſto foras. Fero, quid? ſatis: intres.

Nihil enim ſpurcius, nec perverſius, imo & iniquius in orbe dari poteſt, atque quod magis dedecoret honeſtam Rempubl. quam ſi venalis alicubi habeatur iuſtitia: Quod etiam peſſundare ſolet gubernacula rerum, dum ſuſpicionibus, & clandeſtinis molitionibus omnia complet. Sic quoque eiuſdem perniciei eſt, ſi munia & officia, Dignitateſque non tam virtuti, & meritis bonorum quum venundationi, & favori exponantur, ut id ferme paſſim ditiſſima fert conſuetudo; quod toties vidi, & non ſine ſtupore extreme ſum deteſtatus. Quæ enim pietas, & integritatis ſtudium hinc exurgat? quid animos ingenuos ad virtutis cultum ſacratiorem ſtimulando exſuſcitet? Si tali perverſitate viæ præmii cuique bono præcludantur, ut non mirum ſit, quod hodie mundus in tam obſtinatam inciderit rabiem, qua quiſque ſuum penitus ex nequitia, & avaritia ita crudeliter enecare proximum cupiat, quam illi ex dilectione debita opitulares præbere manus.

An non inſania ſit ſumma, ex vitiis extremis, & criminibus ſibi laudis titulum conficere velle in cõvicta conſcientia? Recte ille ait: ut quiſque ſuum vult, ita eſt. Nempe veluti in educationis piæ ratione, ut vitia mortalium exterminentur, vel ſaltem commodius reprimantur; ita Magiſtratus huius loci à multis iam annis laudabiliſſime iſtud præſtitit, ut in pietatis litteris recte enutriatur adoleſcẽtia, quod ſatis luculenter teſtatur Gymnaſii publici erectio, & cura. In tali enim ſeminario ſacro vera fundamenta Civitatis conduntur, & multa Reipubl. avertuntur damna, ac mala. Senatus autem ille ex quatuor præconſulibus, & 14. Conſulibus conſtituitur, cuius authoritas late ſe oſtendit. Neque enim in conſilium vocare tenetur reliquos civitatis ordines, niſi forte de rebus gravibus ſtatũ & privilegia tangentibus agatur. Sunt autem ordines Civitatis tres: Senatus, Scabini & Centum viri. Officia ſolus ſenatus confert, & diſtribuit, Legatos audit, in cauſſis appellationum ab inferioribus inſtantiis iudicat, Ius Civitatis tribuit cuique, ſupplicationes ſuſcipit, & attendit, litteras quaſcunque excipit, iiſdem reſpondet: Edicta quævis promulgat, omnes reditus ordinarios adminiſtrat ſine centumvirorum inſpectione; in cõfiſcationibus fert iudicium; ordines convocat; ius maritimum, & quæ ad id pertinent, obſervat, regit & gubernat, aliaque plura pro auctoritate & Imperio agit. Attamen quum ſæpiſſime, & quidem, ut dictum eſt, in rebus, ſtatum publicum concernentibus, reliqui ordines advocentur, aliter nemo colligere poterit, niſi ſtatum regiminis mixtum eſſe ex Ariſtocratia & Democratia.

Nihilominus prævalere Ariſtocratiam, exinde potiſſimum conſtat, quod non niſi ex optimatibus ſenatus eligatur, nulla opificum, aut civium minorum (quos kleine Bürger vocant) habita ratione. Nobilitatis tamen locus, uti undique pareſt, Litteratis & Eruditis relinquitur. Quum ante annos aliquot Rex Daniæ telonia duplicare in horum civium commercia cuperet, poſt varios habitos tractatus, tamen plenarie An. 1638. tranſegerunt, oblato, eidem Xeimelio pretioſiori.

Alias in rebus Hanſeaticis promovendis ſedula ſemper fuit civitas, quæ etiam legationibus gravioribus ad Moſcovitam, alioſque Reges ſeptentrionales, imo etiam ad Belgas, Regem Galliæ, & Hiſpaniarum ſociis Civitatibus adſociavit, ſi opus fuerit, ut An. 1606. factum eſt, ut tunc Arnoldum ab Holtem primarium virum, una cum Lubeccenſibus, & Hamburgenſibus miſerit, cuius expeditionis Hiſpanicæ diarium infra parte 5. quis cognoſcere poterit, in quo multa ſingularia exprimuntur. Emporium quoque Neogardienſe ſedulo colere olim ſolita eſt ante eius ruinam, cuius deſolationis primus auctor fuit Iwanus Waſiliwitz Grodzynus, qui An. 1477. urbe capta miſeris modis, fortuniſque eiuſdem inhiavit, bonis omnibus cives exuit, ac præda inde abducta Moſcoviam Urbem, ærariumque proprium ditavit. Poſtea famoſus ille Tyrannus Iohannes Baſiliades quid An. 1569. perpetravit, ex tom. 2. rer. Polon. Guaguini liquet, qui in iis conſuli poteſt: attamen iuvat heic nõ inſcitum de ampliſſima eius magnificentia, & divitiis, ac directione Carmen Iohan. Nav. inſerere, cuius hæc ſunt verba, multa hiſtorice complectentia, & loquentia:

Novogardia Magna ad Wolchovv fluv.

Admiranda fuit multis Novogardia ſæclis,
Cui vix Roma ſuas æquiparavit opes.
Nomine reque ingens: tectis & mœnibus ampla:
Mercibus Europæ florida: Marte potens.

Omnigena terror genti, cui verſus in ore,
Imo cum gemitu ſæpius iſte fuit.
Quis contra Numen? Quis te, Novogardia, contra?
Alterius robur quis ſuperare queat?
Sed miſera immenſo quam longe à Numine diſtas!
Humana vires quid, niſi fumus, erant?
Primus te docuit Grodzdinus cedere Moſchis,
Et ſervata diu tradere ſceptra Patrum.
Hinc fracta vires, ſupremus fraude ſacerdos
Sacra ſub larva quum tibi damna tulit.
Perſuadens Moſcho cum Gaza abducere cives,
Queis mens ſacrorum non bene viſa tenax.
Poſt magis attrita es, triplicis quando arte Demetri
Ruſſiadis paſſim triſtis erynnis erat.
Fidus opem tulerat Sueonum Rex. At tibi mentē
Eripuit levitas, ac nova damna dedit.
Vindicis arma tui dum ingrata laceſſere geſtis
Ultro accerſito Marte cruenta cadis.
Millia multa licet fremerent Mavortia muris,
Civilemque manum vix numerare potis;
Millia Suecorum vix terna tulere trophæa,
Ingratos contra belligerante Deo.
Et niſi Gardiaci mens commiſerata fuiſſet,
In cineres pridem tota redacta fores.
Reddita nunc Domino pacis per fœdera Moſco,
Hunc cole, & amiſſis fida recreſce bonis.
Humanæque memor ſortis ne ſupprime verſus,
Sed cane, quæ forſan poſt huma ſæcla canent.
Gardiaca virtute ingens Novogardia victa,
Sæpius exiguis cædere magna docet.

Miſerrimam hanc ſortem Novogardię nil niſi inſolentia ſupetbiot ex opibus ingentibus, & inde luxurioſæ vitæ pertinax faſtus Hanſeaticæ iuventutis peperit, velut in verſu eſt: Luxuriant animis rebus plerumque ſecundis: ut vivum hoc exemplum non deponendum ſit omnibus, qui mundanis theſauris nimium fidunt, ex iiſque ſibi Deaſtrum faciunt. Ideoque rectius apud Dantiſcanos floret humanitas, licet non omnibus eadem ſit, unde etiam hæc urbs ſuis non caruit periculis, & mutationibus, quales copioſius Schürzius deſcribit in Chr. Boruſſ. Adhuc quidem telonii litem Rex Pol. Urbi intendit: Sed An. 1640. menſe Febr. Regii delegati negotium hoc componere ſtuduerunt, tandem etiam de ſolvendis 6. argenti tonnis pro redimendo onere telonii cum civitate conventum eſt, quam ſummam Senatus certis ſub conditionibus, ac aliquot conſtitutis terminis ſe ſoluturum ſtipulatus eſt, modo Rex & ordines regni in publicis comitiis tractatus huius pactis ſubſcribant. Noluit vero Reſp. Polonorum authoritatem comitialem adiicere, unde omnia adhuc denuo pro infectis habentur, adeo ut necdum quid certi de teloniaria hac controverſia audiatur. Deus largiatur huic urbi ſucceſſum privilegii in omni felicitate commodum, & eventum pro nutu proſperum; cuius laudi æternæ hæc Epigrammata inſerviant.

Eſt Urbs *lauta ſitu, cenſu generoſa frequenti,*
Magnæ viris magnis maior virtutis amore.
Sic fovet hos ſancte, qui iuſta lance miniſtrent
Sacratas leges, præſcriptaque iura, fidemque:
Inclusa mercatu, cui nil natura negavit,
Dum quod mundus habet, viget hoc in fœnore cuncto.
Sunt hominum faciles animi, plenique favore,
Affatu placidi, qui præſtent omnia factis,
Ut videas paſſim quoſvis ſtuduiſſe decori,
Atque pio cordi, ne quem ſimulatio culpet.
Tantus amor recti; tantum hoc valet aurea virtus.

Item.

Arctois melius vix quid ſpectatur in oris
Dantiſco, ſeu res, velcupias homines.
Turribus ac muris Urbs *hæc ſpecioſa relucet,*
Compta viis, tectis ſplendida, dives opum:
At magis hanc ornat civilis gratia vitæ,
Incola quam præfert quilibet ære gravi.
O quam res iucunda, fides ſi conſonet oris!
Sic bene convenit hoc cum pietate ſalus.

FINIS ANTEGRESSUS.

Monitio finalis ad hanc partem quartam.

ANtequam tamẽ in iis pergamus, heic nobis quid inferendum eſt de renovatione fœderis fundamentalis communis Hanſæ, quomodo ea ſuſcipi, & quibus conditionibus perfici iuxta uſitatum morem ſoleat, quod facile compẽdii cauſſa percipi poteſt ex articulis, & materia deliberanda, quæ ante conventum talẽ publicum in ſcriptis cõmunicatur, ut eo expeditior fiat, & procedat concluſio. Sic An. 1628. factum eſt, quũ Dnn. Directores ſolliciti eſſent illo tempore turbulento de redintegratione corporis huius nobilis, ne plane defflueret in tot iam factis diſtractionibus cõmerciorum, ex quibus non exiguum ſingulis enatum erat incommodum, ut damno huic publico præveniretur eo melius. Proinde etiam tunc alias res neceſſarias ſubmiſcuerunt. Quæ autem materia illo anno ſub indictione publica fuerit emiſſa ad deliberandum, ex ſequenti concepto patet.

Articuli Hanſeatici An. 1628. ad terminum 4. Febr. Lubeccæ inſtitutum pro deliberationis materia, Civitatibus emiſſa.

1. AB initio, & pro primo antiquiſſima Hanſeat cæ ſocietatis conſtitutio iuxta modernam extantem formam recte introſpicienda eſt, & bene ponderanda, etiam, quid ad iſtius conſervationem, & ſuſtentationem undiquaque conducere queat, neceſſario conſideranda, ac concludenda, & inprimis, poſtquam Hanſeatica cõſtitutio adhuc in illa, ſub An. 1604. facta renovatione, & poſtea An. 1614. uſque ad annos 10. ſubſequente prorogatione, quæ quidem nunc etiam effluxa eſt, in hoc tempore, & uſq; ad ulteriorem unanimem coniunctionem & conſenſum, iuxta ultimum articulum Hanſeaticæ unionis requieſcit, neceſſum erit, ut honoratæ civitates ob hoc conſultent, & concluſionem faciant, num ea conſtitutio, & complacita eius adiectio porro in dictos annos continuari, vel alias iuxta moderni temporis rationem, & conditiones in mutationem transferri debeat.

2. Pro ſecundo, communia Hanſeatica gravamina, quomodo præſertim in Conthoriis, & aliis privilegiar s commerciis onerata hæreant, proponenda, & deliberanda erunt, & quidem primo, quod attinet gravamen Hiſpanici commercii, iterum ſimul ibi impoſita onera, velut per aliquot diverſas litteras ab Hiſpanico conſule Ioha. Campherbeccio ad honoratas civitates delatum eſt, in deliberationem deducentur, & quomodo in communi omnes tangentia gravamina per cõmoda remedia abrogari queant, iuxta neceſſitatis rationem cõſiderabuntur, ubi ſimul præſentis temporis commoditates ponderandæ erunt, ac quomodo quilibet ergà emiſſa, placata, & inhibitiones Hiſpanicæ navigationis, & nuper publicata Edicta, quæ præcipue Hanſeaticas civitates gravaminibus afficiant, gerere ſe debeat, diligenter conſultandum, nec non communis quædam ſuper his reſolutio ſumenda erit. Interim autem honoratæ civitates de acceptis Hiſpanicis collectis rationem redderẽ, ac reliqua conferre non intermittent.

3. Inprimis autem, & principaliter apud hunc Hiſpanici commercii punctum bona curioſitate, & urgente diligentia in maturam ſufficientem conſiderationem & deliberationem pertrahi debebitur quid S. Cæſ. Maj. nuper per ſumme ſpectabiles hinc Dnn. Legatos apud D. Directores proponi, & explicari, & in ſcriptis exhiberi, & præberi curarit; velut quoque illud honoratis civitatibus per copiales deſcriptiones communicabatur, ut etiam in hoc ſumme ponderoſo negotio bonum conſilium ſumi, & communis pertranſiens ſalus quam optime procurari & propagari queat.

4. Quarto apud Ruſſianum Neogardiæ Conthorium illæ undique perſpectæ alterationes in obſervab lem notationem contrahentur, & num ſe ulla uſpiam occaſio offerre, aut elici queat, per quam in commune honoratarum civitatum commodum Conthorio ſuppetiæ ferri poſſint, ut in priorem ſtatum rurſus pertrahatur.

5. Præcipue autem, & quinto apud hunc Ruſſiaci, & Auſtralis commercii punctũ honoratę civitates illius ſæpius ſuſcepti tractatus cum honorabilibus Revalienſibus conſiderate ſibi memoriam confficient, & præterea, quidnam proxime præterito tempore propter deputatorum commerciorum novam erectionem, & optimam promotionem ex diligenti intentione ad Dn. Directores ſæpius ſcripſerint, nunc tandem iuxta cauſſæ huius ſummam neceſſitatem, conſultabunt, num videlicet, & quomodo cum honoratis Revalienſibus iuxta poſtulationem eorũ unpræiudiciales tractatus ſuſcipiendi ſint.

6. Atque quum etiam in proxime effluxo anno R. M. Suecica propter iam dictam Ruſſiacam, & Auſtralem negotiationem ſuam intentionem, & propoſitum per litteras concluſive cum clementiſſima adhortatione & petitione honoratis Lubecc. indicarit, velut etiam denuo reliquis honorat. Hanſæ civitatibus tale cõmunicatum eſt, Inde neceſſitas exigit, ut etiã id ſumme ponderoſum opus diligẽter deliberetur, ac quomodo in omni loco huic obviã iri, & ſe cõfirmare quiſq; debeat, neceſſario cõcludatur.

7. Septimo apud Conthoriũ Lundenſe in Anglia ſibi communiter in animum revocare quiſq; noverit, quæ in Anglicanis negotiis nunc tandem conditio obtenta, & quonã diuturni operoſi ac ſumptuoſi tractatus, qui in Imperio, & alibi toties ſuſcepti fuerunt, hucuſque detenta ſit? Tum ſimul illius loci iã nota mutatio in conſiderationem veniet, quomodo cauſſa principalis in communem penetrantem utilitatem, & commodum denuo reaſſumenda, ac undiquaque neceſſitas promovenda, & in conſiderationem ſumenda ſit: Atq; quum etiam aliquot rationes diverſæ ab inſpectore priori Georgio Stampelio tranſmiſſæ ſint, tales quoque examinandæ; ac quam primum iuxta eius reſignationem factam concluſive ordinandum erit, num in illa proviſionali inſpectione, quæ Iohanni Helten demandata eſt, acquieſcendum ſit, vel alia quædam qualificata perſona de novo accipi, & inſtitui debeat.

8. De Antwerpiano Conthorio in Brabantia a ti- te omnia honoratæ Civitates Bremẽſium Dnn. ſub- delegatorum exhibitam relationem audient, & ex ea neceſſ-

neceſſario percipient, quid apud eam peractam viſitationem in diverſis punctis acciderit; unde porro deliberandum erit, poſtquam ex communi conſenſu approbata, & pro tentatione Dnn. Viſitatorum cõmiſſa mutatio cum magna Auſtrali Domo non cõmode ad finem perduci potuit; num in priori adminiſtratione, & oeconomia res ſubſiſtere, aut illa à Magiſtro domus denunciata oblatio acceptari; tum etiam qua ratione venundatio parvæ Auſtralis domus, ſi forte in remoram incidat, promoveri, onus quoque, & nociva admodum inhoſpitatio militum magnæ domus Auſtralis ulterius declinari, atque alias reparatio, & redintegratio, iuxta transmiſſam ſereniſſimæ Infantinæ clementiſſimam declarationem impetrari debeat.

9. Ad hæc & annexive iterum deliberandũ erit, quid cum Hanſeaticis ædibus Bruggis in Flãdria ſuſpiciendũ, & qua ratione quoq; in illo loco honoratarũ civitatũ commodum, & ſalus promoveri poſſit.

10. Quod ad Conthorium Bergenſe in Norvegia ſpectat, primitus honoratis civitatibus informatio neceſſaria fiet, quid proxime præteritis annis in diverſis negotiis, quæ ſubitaneam expeditionem ſibi expoſtularunt, ex proxime adſeſſarum honoratarum Hanſæ civitatum adſtipulatione, & conſilio, pro cõmuni bono ordinatum, & ibidem peractum ſit. Ad quod ulterius illę ex aliquot annis exhibitæ rationes examinandæ, & ſuper has declaratio ad Conthorianos tranſmittenda; Præterea illæ toties, & ſæpiſſime repetitæ querelæ, ac gravamina, quæ contra illud Conthorũ iuxta adhuc ſuperſtitem libertatem, & iura, etiam Hanſeaticos receſſus, & communem cõſenſum, ab aliquot Hanſeaticis naucleris, ac civibus ſuſcepta ſunt. Velut etiã indicatæ intricationes, quæ non in levem contemptum, & negligentiam cõmunium receſſuum, ordinationum, & ſtatutorum apud juniores miniſtros (Hansbunden) multis modis perſpectæ, & obſervatæ eſſent, neceſſario, & diligẽter conſiderandæ eſſent, quomodo ex omni parte pro communi ſalute unicuique utiliter, & recte proficue ſuum commodum procreari, & meliores ordinationes inſtitui, ac confici poſſent. Ac tãdem apud hunc punctum in deliberationem vocandum adlicuerit: Num & qua ratione ad notæ, & accreſcentia gravamina commercii in Regnis Daniæ, & Norvagiæ, ac inprimis, quid in proxime profluxis annis honoratarum Hanſæ civitatum negotians mercator in Ellebogia Schonię ad notabilem, & damnoſam impeditionem, ac conſervationem ab immortali tempore ibidem obtentorum, & uſu habitorum liberorum commerciorum per aliquot privatos cives ibi, & eorum iuſtinctum factam, bona media, & viæ pro melioratione inveniri, & procreari poſſent.

11. Similiter etiam debebit gravamen commercii in Suecica negotiatione turſus conſiderari, ac quomodo cotidie accreſcẽti aggravationi averti queat, in diligentem conſultationem deduci, & propterea ſententia, & conſilium communis deliberationis declarari oportebit.

12. Honoratis Civitatibus Hanſæ neceſſaria explicatio fiet, quomodo in diverſis locis partim ſupra modum exaucta, partim etiam nuper impoſita vectigalia ſe habeant, & quomodo antehac complacitæ iuris inſtitutiones, tum quoq; quid contra tales alias ſuſceptum ſit, & adhuc in quibus terminis cõſiſtat; ubi ſimul ulterius cõſequens cõplaceri debebit.

13. Ad hoc, & pro decimo tertio etiam deliberandum, & concludendum erit, quum aliquot civitates retardata debita, & obligationes ad annuas, & alias contributiones etiam quod ab aliis pertinentibus civitatibus acceptum fuerit, neque dum tamen ad Hanſeaticum ærarium contributum ſit, per quæn competentia media, & vias tandem eiuſmodi reſtantiæ, una cum penſionibus, & commiſſis multis cogi queant.

14. Inſuper pro decimo quarto regiſtraturæ, & rationes ærarii Hãſeatici perluſtrari, & num ac quid in ſpecie, tum etiam in communi qualis conceptio totalis mutari, & meliorari Civitatibus Hanſæ conſiderari, & inſtitui debeat.

15. Decimo quinto, Quum etiam à D. Doct. Lãberto Steinwichio conſule & Syndico Civitatis Stralſundenſis propter eius, per aliquod tempus adminiſtrati Hanſeatici Syndicatus, officium, aliquot litteræ, una cum ſpeciali deſignatione, & rationibus Directorio miſſæ ſint, etiam nunc tandem honoratę civitates ita inter ſe conformabunt, & uti iſte punctus quoque in ſatisfactionem redigatur, ac prædicto Dn. D æquitas præſtetur, concluſive adornabunt.

16. Demum pro decimo ſexto, quum quoq; Hãſæ Syndicatus abſque certo neceſſario ſervitio non ulterius eſſe valeat, proinde nunc etiam abſque mora de certa inſtitutione certi alicuius, & conſtantis Syndici Hanſeatici deliberandum erit, & ad factas denominationes certarum perſonarum finalis reſolutio concipienda erit.

Graviſſimi profecto hi ſunt puncti, qui totũ Hãſæ corpus concernunt; verum quum vix aliquæ tunc comparuerint civitates, nil recti cõcludi potuit, ſed omnis materia in plenioremcõventum fuit reiecta. Unde etiam propoſitioni, quæ nomine S. Cæſ. Maj. ſuperiori an. à Dn. Com. Georg. Ludov. Schwartzburgico facta erat, ſatisfacere non potuerunt, præſertim quum cernerent, quorſum intentio talis tenderet. Ideoque ita ſe excuſarunt, quum non tantum in exiguo numero Legati Hanſæ comparuiſſent; ſed etiam res graviſſima videretur, ne præiudicium omnibus intereſſentibus crearetur, cogerentur id referre ſuis principalibus. Ubi ſimul hæc fuit oblatio, quod intra certi temporis ſpaciũ reſponſum in honorem S. Cæſ. M. eſſent ad locum Directorii miſſuri. Quam reſolutionem Cæſ. M. Dn. Legatus in ſatisfactionem pro hac occaſione acceptavit. Ac licet Civitatibus Hanſæ admodum gratioſa privilegia offerrentur, ſi poſtulato tali locum eſſent conceſſuri; tamen à parte Civitatum Hanſeaticarum ſupra modũ graves difficultates inventæ ſunt, quod navigationẽ apud Wiſmariam ab Hiſpanicis inſtitutam minus in præiudicium tam proprium, quam ad Balthicum mare intereſſentium approbare poſſent, velut etiam tam à Rege Daniæ, quam Sueciæ monita acta illis miſſa fuerunt, ne ſe in hoc præcipitarent, alias moles belli navalis non ſolum in illas poſſet devolvi; ſed ipſas quoque civitates vix in communi commercio requiem ullam in futurum eſſe inventuras. Quare, ut ulterius in neutralitate ſe poſſent civitates conſervare, conſultiſſimum putarunt, ut mitterent legatos ſuos Pragam ad Cæſ. M. qui pericula communis cõmercij in his explicarent, veluti factum eſt. Interim etiam in omnem caſum ſuam ſibi paſſim adornarunt defenſionem, & præſidijs juſtis ſe muniverunt.

Digitized by Google

Digitized by Google

DE

CIVITATUM HANSEATICARUM

Antiquo celeberrimoque Fœdere, eius consociatione, articulis & fundamentali constitutione:

TRACTATUS SPECIALIS

PARS POSTERIOR,

alias respectu antecedentium

QVARTA.

CAP. I.

De secunda Fœderis Hanseatici universali regione, & eius quarta Metropoli, videlicet Colonia Agrippina, deque huius origine; & quomodo caput fuerit fœderis in altera parte Societatis sua pristina: cum civitatibus VVestphaliæ, Cliviæ, Geldriæ, Brabantiæ, & Frisiæ utriusque, &c.

QVod Fœdus Hanseaticum, propter membrorum suorum nimis amplam & admodum diffusam extensionem, prius in duas, & hinc in quatuor partes principales, sive sectiones, quarum unaquæque suam habet Metropolin, dirimatur dividaturve, id aliquoties jam dictum est. De tribus vero ex posteriori divisione, quas Saxones orientales cum Vandalicis civitatibus constituunt, & earum principales sive Metropolicos locos, quales sunt Lubecca, Brunsviga, & Dantiscum sive Gedanum, quomodoque suo ambitu ultra 46. urbes eiusmodi complectuntur, huc usque egimus. Restat igitur, ut, priusquam de Emporiis totidem quatuor universalibus earum quid subnectamus, panca etiam nonnulla de reliquis membris eiusdem nobilis & antiquæ societatis connexemus. Nec patitur tempus pluribus omnia explicare, quū confœderationum notulæ simul huc referēdæ sunt. Numerus autem reliquarum non minor est 32. quarum caput est Colonia ad Rhenum. Atque quum amplissimum in hoc fœdere obtineat locum, merito de ea primo loco agitur. Eandem vero cursus methodum in hac recensione retinebimus, quæ observata fuit superius in enumeratione civitatum & portuum maris Baltici, ubi à Lubecca versus ortum usque ad Novogardiam progressi sumus. A civitatibus autem & origine gentium Saxonicarum initium sumere coacti sumus, quum fœderis Hanseatici non tantum origo ab earum incunabulis profluxerit, sed etiam ipsi populi Saxonici usque adeo coloniis suis Vandalos & Sclavos, suis propriis in sedibus, pedetentim tali commerciorum confœderatione & statutis sive pactis ad suppressionem tacitam ita insensibiliter redegerint, ut ipsæ quoque Vandalicæ civitates, ceu hodie simul nomen illud frustra gestant, ex Saxonum completione & informatione suas adornarint passim Respublicas. Occulta fuit ratio omnium; ita & occulto modo suam accepit confectionem. Atque hæc causa fuit potissima, quur altius nonnihil & indagine perfectiori id perscrutari & percensere coacti simus. Ita quoque ab altera hac parte Westphalorum Saxonum populi, ceu nec minus acuti & ingeniosi celebrantur homines, id perfecerunt, ut ita ex longinquo illud ad consummationem perductum sit fœdus Hanseæ. Simile quid in ipsa Coloniæ Agrippinæ constitutione cernere est, ut mox patebit. Ideoque etiam ex hac ratione primum hæc urbs meretur locum, ut alias brevitatis causa prætereamus.

Colonia autem multiformes habet eō nomine appellationes, ut dicatur Colonia Agrippinensis, Colonia Ubiorum Agrippinensium, Coloniæ Agrippinæ Ubiorum, vel etiam simpliciter Coloniæ; quum antea Ubiorum civitas dicta fuerit. Istis enim nominibus indicare voluerunt scriptores & incolæ loci illius, ortum tam nobilis urbis duplicem aut triplicem. Nimirum quosin origine sua gesterit auctores, & qui populi ibi habitarint, ac qua occasione exstructa ac restaurata urbs sit; ubi simul etiam temporis ratio includitur, ut non frustra factum sit, quod Colonienses olim quoquē se Agrippinenses dixerint: quamvis Hadrian. Iun. in hist. Batav. ex Tacito referat, pag. 41. Batavos pessime accepisse Ubios, velut levitatis nomen in iisultos, qui Germanica origine erubescentes, eiurata patria (quod nimis audacter prolatum est,) Agrippinenses vocari prætulissent. An quis propterea patriam continuo eiurat, si simul auctoris urbici nomen in honorem memoriæ gratæ protrahat? Constat autem hoc ex historiis, quod ante Christum natum Ubiorum sedes in terris illis fuerit, & quod eorum metropolis caput

caput Ubiorum dicta fuerit. Quum enim Ubii huius urbis prima jecissent fundamenta, vocata tunc fuit Ubiopolis: Longe postea vero appellata fuit Agrippina, à Marco Agrippa, qui eam suo modo restauravit, fuitque is Augusti Cæsaris gener. Quod etiam civitas ante Agrippam hæc fuerit, ipse confitetur *Iul. Cæs. lib. 4. de Bell. Gall.* ubi hæc eius sunt verba: Ad alteram partem succedunt Ubii, quorum fuit civitas ampla atque florens, ut est captio Germanorum, & paullo, qui sunt eiusdem generis, etiam cæteris humaniores, propterea quod Rhenum attingunt, multique ad eos mercatores ventitant, & ipsi propter propinquitatem Gallicis sunt moribus adsuefacti. Hos quum Suevi, multis sæpe bellis experti, propter amplitudinem gravitatemque civitatis finibus expellere non potuissent, tamen vectigales sibi fecerunt, ac multo humiliores infirmioresque redegerunt. In eadem causa fuerunt Usipetes, & Tenchtheri, quos supra diximus, qui, quum plures annos Suevorum vim sustinuerint, ad extremum tamen agris expulsi, & multis locis Germaniæ triennium vagati, ad Rhenum pervenerunt, &c. *Hadr. Iunius in hist. Bat. sua pag.* 368. huic loco addit, inquiens: Horum (Ubiorum) sedes fuere trãs Rhenum ditione Marchia Clivensis Principis propria: Sed à M. Agrippa in citeriorem ripam traductos ad victoris arbitrium, ex Strabone constat. Quo nomine miror, Volaterranum non puduisse Ubiis sedes assignare in Marchia Badensi, quæ ad Helvetios est. Verisimile fit, nominis vestigium servari in pago Coloniæ obiecto, quem Tuijsch vulgus nominat, olim fortasse Te Ubisch, & contracte Tubisch, atque inde Tuisch, ubi nobile extat & vetustum cœnobium, olim præsidiarium munimentum à Flav. Constantino constructum, Divitense nuncupatum, quod forrassis ab Heriberto P. xsule Colonienſi ad pios fuit usus commutatum, &c.

Iulius Cæsar duas affert causas, quur ex ea parte in Germaniam expeditionem susceperit, quod Ubiorum natura præ cæteris populis fuerit humanior, & quod propter Suevorum infestationes violẽtiores legatos ad se miserint, & datis obsidibus non solum amicitiam cum eo fecerint, sed etiam auxiliũ adversus potentiorem hostem petierint. *Bert. in Comm. rer. Germ. l. 3.* putat Suevos fuisse Cattos, sed frustra. Etenim de Suevis hoc itidem verum est, quod *Hadr. Iun. in Bat. sua pag.* 68. de Francis prædicat, gentem nimirum fuisse nunquam limitibus suis contentam, & alieni appetentem, quæ dominandi libidine concitata longe lateque finium suorum pomœria propagare studuerit; Velut etiam in Burgundionum intentione id clarum est, quomodo inde suum nomẽ, quum ex Suevorum finibus progressi ad Rhenum terras occupare & arces condere inciperent, sortiti fuerint, *ut sup. part. 3. c. 2.* dictum est. Sæpius apud Ubios stationes suas invenere Romani, & quum locus atque gens illa arrideret ipsis, quumque inde commodæ occasiones in Germaniam ulteriorem excurrendi paterent, toties Cæsaris viam illuc repetivere. Quum igitur Agrippa Ubiorum gentem Rhenum transgressam in fidem suã accepisset Agrippina hæc urbs dicta fuit, quod nomen eo magis ibi confirmatum fuit, quum neptis eius Agrippina Cæsaris Germanici filia genita fuerit. In quam postea Claudio Cæsare marito auctore colonias veteranorum eo deduxit; & eo utrumque nomen civitati impõsitum est. Auctor ille, qui sanctæ Coloniæ Chronicon cõscripsit, idemq; usque ad annum Chr. 1496. Alexandri 6. 225. Pap. ac Hermanni 4. Arch. 61. quem pacificum dixere, tempora deduxit, quinque recenset opiniones, de Origine huius urbis. quarũ tamen ipse tres priores fabulosas statuit rectissime; inprimis eã maxime, quam ex Trevirense historico de Trebata Semiramidis filio, & eius fuga per mare, propter vitationem incestarum nuptiarum, & concubitus cũ matre; atque sic per Rhenum in Mosellam conscenderit, ibique urbem Trevirensem condiderit; & novam linguam Germanicam invenerit; velut etiam inde tantus exortus sit gentium confluxus, ut vicos pagosque cum 5. civitatibus Colonienſi, Moguntina, Wormatia, &c. Argentoratum usque & Basileã ad Rhenum in continua serie erexerint. Sed quum ipse auctor Chronici Colon. talia ex futilitate sua reiiciat, non opus est, pluribus hæc examinare. At Colonia, eo à Romanis perducta, per aliquot secula sub illorum potestate mansit: velut etiam Vitellius apud hanc urbem ad Imperium electione militum Anno Chr. 68. evectus, & Cæsar proclamatus fuit; Sic & Traianus in eadem imperii insignia accepit, quæ ipsi Anno Christ. 97. à Cocceio Nerva istuc missa sunt. Etenim Traianus Imp. nõ tantum urbem hanc Romano more ædificari fecit; Sed etiam iure Rom. & privilegiis eam donavit. Imo & in absentia sua plenipotentiarios eos fecit, qui ius condendi leges haberent. *Chr. Col. pag.* 58. Quum vicinorum incursionibus tot impetuosis urbs hæc obiecta esset, pridem ædificationem trans Rhenum incolæ tuleruntEtenim Frisij, Tenchteri, Usipetes cũ Sicambris admodum infensi illis erant, quod tam constanter fidem Romanam conservarent, velut & Tenchteri hoc postularunt sæpius, ut Ubii Romanos advenas trucidarent; quod tamen callide declinarunt pro viribus. At Francix gentis, quæ sub Gallieno Imp. Anno Chr. 261. nomine florere suo cœpit, & sub Constantio Cæsare An. 270. Bataviam occuparat, quum inde iterum usque ad Amasim & Visurgim erumperet, & toties repelleretur, tandem horum marginibus (*ait Hadr. Iun. in Bat. sua pag.* 68.) contineri non potuit indomitus ille furor, quin ad Albim usque se extenderet, atque inde digressus ceu continenti incendio in vicinia penetraret viscera: ac primum in Ubios profecta hæc gens, mox superata Rheni ripa Coloniam Agrippinam opulentissimam munitissimamque urbem, gravi obsidione pressam captamque delevit, Ammiano teste. Iuliani vero Cæs. principatus Anno Chr. 362. adeo felix fuit, ut firmata cum Francis pace eam receperit. Nihilominus quum varias iterum Franci debellassent usque ad Alpes & inde digrediendo felici successu ad Bizantium terribile suũ nomen protulissent, quod regnum ad fœdus suum commoverant, atque redeundo transito Rheno iterum per Toxandrios Nerviorum & Trevirorum agros cultoribus vacuos ob vastitatem occisorum occupassent, circa Annum Chr. 377. Imper. Gratiano & Valentiniano rursus Coloniam in suam redegerunt possessionem. Unde in magnis semper vixerunt turbis & cladibus, donec circa Annum 472. attritis ipsorum viribus ac debilitatis, Franci ductore sege suo 4. Childerico, qui redux ex exilio suum hostem & interregem Virodomarium in eam urbem confugientem

gienſem perſequebatur, vi denuo occuparunt,& ad Ottonis I. uſque tempora ultra 4. ſeculorum ſpaciũ moderati ſunt, qui eam An. 949. Romano Imperio reſt.tuendo liberam fecit, privilegiiſq; ſuis ornavit. Antehac enim ſæpius tributaria, ſæpius plane in ſervum ſtatum redacta fuerat, adeo ut etiã Inſigne ſuũ iuxta Dominorum nutum mutare cogeretur, *ut teſtatur Chron. Colon.ſcriptor pag.* 80. Quum vero Otto Magn. Anno 15. ſui Imperii coronatus eam penitus Romano Imp.recuperaſſet, & tamen in Italia propter reſtitutionem ſui Leonis Papæ,quem Romani, alium videlicet Benedictum 5. eligendo,reiecerant, abeſſe cogeretur, filio Ottoni II. & fratri Brunoni Archiepiſcopo Colonienſi totam rei ſummam & præſertim Coloniæ conſervationem ac defenſionẽ concredidit.Iste Archiepiſ.pontem ex lapide arcuoſum, qui urbem cum ſubur bio Tuiſcho coniungebat, iis temporibus ex iuſſu, ut aliqui volunt,Imper. quod ibi varia nocta committerentur homicidia & rapinæ, plane diiecit cum fundamento ſuo: atque monaſterium Panthaleonis Colonię ædificavit, urbemque Pariſienſem cum arce, ubi à fratre Imperat. poteſtatem gladii impetraverat,ibidem expugnavit, & ſpolio hoc ſuum ditavit monaſterium. *Chron. Col. pag.* 129. Auctor ille *Chron. Colon.* potius collectanea quam veram conſcripſit hiſtoriam, quibus tamen plurima ex legẽdis ſubmiſcuit fabuloſa & anilitates, præterquam,quod etiam ſemper temporum confuſiones in principio convolvit, ut in pluribus exiguã mercatur fidem. velut etiam notabile quod *pag.* 137. omnibus Cæſaribus à Iulio Cæſare uſque ad Ottonem contra omnem hiſtoriarum atteſtationem attribuat hæreditariam ſucceſſionem, quum tamen conſtet notorie, quod electio ut plurimum prævaluerit. An vero Ottoni III. ordinatio electorum competat, id in proœmio *huius tractatus* ex parte declaratũ eſt, & multo clarius indicat Diploma Magdeburgenſe Ottonis II. ſub dato An. 978. ſupetius poſitum, ubi verba expreſſa Electorum revocatione ad Pallantiam habentur. Quo etiam hoc referendum,quod non inique origo huius ſtatus ipſi Carolo Magno adſignetur, velut *Lexnerus in hiſt. Cur. Mog cap.* 41. id plenius explicat,idem *Chron. Mansfeld. cap.* 86. *atque Erpol. fol.* 218. approbat. Recte tamen 90. civitates enumerat, quas Otto III. in Comitiis publ. Imper. An. 995. Wormatiæ habitis,pro maiori ſtabilimento imperii, dignitate libertatis ceu membra imperii donavit ornavitque, ut in æternũ ita eſſent,privilegiatæ, nec alium niſi imperatorem aut eius præſidem in qualibet civitate agnoſcerent iudicem,ac nec uſpiam arreſto detinerentur: Sed cives earum ſint vaſalli imperii. Inde quoque ad homagium immediate Imperatori præſtandum tenentur,velut etiam originalia pacta Ottonis Ruſi ſive 2. adhuc ſecum Colonia adſervat, quomodo Imperatori obligetur & è contra, qui etiam talia libertatis privilegia in commerciorum libertate Coloniæ cõceſſit, *ut ſupra cap.* 4. *de Magdeburg. dictum eſt*, velut etiam ſingularibus privilegiis donata eſt à regibus Britanniæ,& eiuſmodi cõceſſiones variis victoriis defendit,nec unquam claves portarum depoſuit aut eripi ſibi paſſa eſt, ut pluribus *id Chron. Col. pag.* 164 *&* 165. *declarat*, *&* 19. ipſi regalia attribuit, ubi ita demum concludit: Quodcunque laudabile & gloriosum de omnibus imperii liberis civitatibus ſcribi & prædicari poterit,& quodcunque illis conceſſum eſſe valet, hoc omne in una confluit noſtra Colonia. Ideoque eam ſanctam vocat urbem.quum nunquam ſanguine Chriſtianorum ſe polluerit, ſed Chriſtianæ pacis ſtudioſiſſima fuerit, ut habent eius verſus:

Sancta Colonia diceris hinc, quia ſanguine tincta,
Sanctorum meritis, quorum ſtas undique cincta.

Unde quoque eam ſupra Ieruſalem, Romam, Conſtantinopolim, Trevirem & Moguntiam exaltatam valde prædicat, quod nullius ſanguinis ſanctorum facta noxia ſit, *pag.* 145. Archiepiſcopatum autem ſuum à Carolo Magno habet Anno 743. introductũ, cuius primus præſes fuit popularis eius Agilolphus. Anno Chr.1064. orta eſt ibi magna diſcordia inter cives & 33. Epiſcopum Annonem 2. Quum enim ille cuidam mercatori cum vi navem auferre conaretur, civis commotus reſtitit pro virili ſua Præſuli, & totam civitatem in ſuam ita pertraxit partem, ut inde anno 2. bellum concitaret, & cives miſere trucidando urbem totam expoliaret; unde iterum à civibus expulſus fuit, donec tandem pactio iuramento mutuo confirmata fuit. Habet autem ſub ſe Archiepiſcopus Colonienſis Epiſcopatus Monaſterienſem, Traiectenſem, Leodienſem ſive Tungrenſem, Mindenſem,& Oſnabrugenſem: Ex altera parte ripæ Rheni, Divitienſem, Andernacenſem,oppidum poſſidet, item Bonnam, Sontinam, Bruelã & Nuſſiam ſive Noveſiam,&c. Mira eſt legenda eius, quã de translatione corporum trium regum ex Mediolano expugnato Anno 1178. per curam Epiſcop.Reniholdi facta, habent nonnulli hiſtorici,de qua vide *Chron. Sax. Pol. pag.* 279. quæ iam non propoſito competunt.

Prima vero urbis forma, ut Romæ ipſius matris, quadrata fuit, cuius tamen adhuc muri, turres ac foſſæ pleriſque in locis videntur. Ac deinde Anno Chriſt.1180.amplificata Lunæ dimidiatę faciem nũc repræſentat. Splendore & elegantia ſumma eſt, validiſſimis & armatis cingitur muris,qui turres opportunas ad defenſionem 83.in circuitu colligunt. Duplici foſſa utrinque muro veſtita, lata atque præcipite multarum arborum umbra, & proceritate iucunda cingitur,quæ gratioſam obambulatiunculæ, meditationibus & ſtudiis commoditatem æſtivo tempore præbet.Intrà mœnia paſſim vineæ,pomi, aliæque fructiferæ arbores loca ſua conveſtiunt; unde intus & extra Romæ quodammodo par & ſimilis loci amœnitate, & populi frequentia, & dignitate magiſtratuum,amplitudine opum,& magnificentia ædium ſacrarum,& publicorum privatorumque operum ſplendore atque elegantia;denique ſapientię ac virtutis bonarumq; litterarum gloria, ut non immerito altera Germaniæ Roma appellari queat.Sacrarum enim ædium magnus eſt numerus. Templa plebanica 19.cenſentur: Collegia 10. Virorum Cœnobia 15. Virginum 22. Monialium& verularum cõventus 59. Sacella 30. Loca alia ſimul habet miſericordiæ & pietati conſecrata: Xenodochia 2. Noſocomia 2. Gerontocomia 8. Brephotrophium unum. Mente privatorum ergaſtulum unum. Curia & ædes Prætoriæ ita mirifice ſunt extructæ, ut non ſine magna

magna oblectatione adſpici queant. Etenim inter cætera præcelſam & rari operis ex quadratis & ad regulam formatis ſaxis venuſte erectam oſtentat turrim, quæ artificioſiſſimis ſtatuarum, ac Cæſarum regumque imaginibus undique & undique decoratur, quarum ſummo in loco poſitæ ſupremæ proportioni tam affabre reſpondent, ut omnes eiuſdem appareant magnitudinis. Speculares in apice habet feneſtras, per quas viſus in omnes urbis panditur partes: ante annos aliquot hilarula mirifico opere conſtructa huic ædificio acceſſit. Ex oppoſito Sacellum illud, quod olim Iudæis Synagogam exhibuit, anno ſalutis 1426. B. Virgini conſecratum fuit. Ac ne quid deeſſet urbi, quod ad iuventutis Chriſtianam educationem & ſapientiæ culturam faceret, Senatus ſuis ſumptibus Anno 1388. Academiam, privilegia ſuppeditante Urbano 6. Pontif. introduci curavit, in qua docuere S. Gerardus Calcarienſis, Albertus Magnus, Thomas Aquinas, Ioh. Scotus & alii. Forma regiminis huius urbis, uti Colonia merito dicitur Romanorum, ita quoque æmulam ſui ſe vivide exprimit. Etenim quãvis ſint 6. Conſules, tamen 2. quotannis imperiũ gerunt; 2. præſunt ærario publico, 2. vacant. Quãdo 2. regentes faſcib⁹ cedunt, & ęrarii adminiſtrationem ſubeunt, vacantes duo in eorum ſuccedunt locum, ut ita vices ordinem obſervent ſuum. Sic ſuos habent Proconſules, Prætores, Cenſores, Tribunos vigilum, Quæſtores, Ædiles, Prefectos annonæ, & alios, qui civium cauſas potiſſimum iudicant, iudicarive iubent. Præter hos ſunt alii duo magiſtratus in urbe, quorum unus eſt ampliſſimi collegii ſacerdotalis; cuius ſummus præſes atque moderator eſt Princeps S. Imp. Elect. Archiepiſc. alter vero Acad. ipſius Rector, qui una cum 4. Decanis facultatum, veluti Cenſoribus & Tribunis, privilegiorum conſervator & iudex eſt, omnemque in ſuos habet iuriſdictionem tam in criminal. bus quam civilibus controverſiis. Matrem Acad. habet Lutetiam Pariſiorum, filiam Lovanium Brabantiæ. Præter Acad. alia tria celebrantur Gymnaſia publica, Montanum, Laurentianum, Cucanum; quippe Cornelianum 4. ante aliquot annos intercidit; præterea & aliæ ſcholę privatæ ſupra 100. habentur. Civium autem tota multitudo & communitas in 22. *tribus* dividitur, Græcis φύλαι dicuntur, Colonienſibus ſunt Gaffelen/ aliis civitatibus Zünffte/ Magdeburg. Innungen. Collegiorum horum communium ea eſt ſolemnis conſtitutio, ut nemo ſive ſit nobilis aut ignobilis, doctus vel indoctus, civitatis iure donari poſſit, niſi ad aliquem Ordinem talem Gaffelicum ſive tribum ſe conferat & ei nomen det. Status enim huius urbis quum ſit popularis, inde magiſtratum eligi oportet; qui conſtat ex 49. perſonis. Qui vero in iſtis tribubus aut collegiis non ſunt eiuſdem artificii fratres, ſed alterius conditionis viri, dicuntur Adiurati ſive Beygeſchworne. Singulis annis illis eſt ſolemnis conventus die Iohannis Baptiſtæ: tum per collectionem votorum creantur duo, treſve, iuxta collegii conſtitutionem, qui magiſtratui in Republ. ſubminiſtrantur, nullo habito diſcrimine, cuius ſint conditionis homines, modo de prudentia ipſorum, pietate & virtute quid certi conſtet, nec aliqua ignominia ſint notati; unde fit, quod cives honeſtati in cunctis actionibus & negotiis ſupra modum ſint addicti. Modificatio tamen votorum adiicitur in pluralitate, ut quibus potiſſima adſtipulentur vota, ad Magiſtratus dignitatem evehantur, donec completus ſit numerus 36. Senatorum ex tribubus. Illi autem 36. alios tredecim ex numero tribuum iterum eligunt, donec numerus totius Magiſtratus 49. abſolvatur. In quo actu iſte proceſſus adhibetur, ut 36. creati à tribubus in Curiam ducantur, & depoſito fidelitatis iuramento, ſtatim in ſupplementum Senatus ad vota & novam electionem 13. perſonarum, quæ adhuc deſunt, properent, qui itidem tunc ex collegiis artificum evocantur. Atque hos 13. vocant Gebrechs Herren/ quaſi dicas in ſupplementum electos. Iſti itaque 49. poſtea ex ſuo numero duos ſibi creant Conſules. Horum non vilis eſt auctoritas præſertim in ſecretioribus conſiliis & arduis, ad quæ ſibi Seniores ex Senatu ſeligunt, quos ob id Außſchuß nominant, quum ad talia ſint ſigillatim creati, atque cum iis de rebus agendis quid certi deliberent, excluſa reliqua Senatorum parte. Quãvis vero ſingulis annis nova fiat electio, tamen hoc cum grano ſalis eſt accipiendum, quod non facile reiiciantur, qui in antecedentibus fuerunt annis. Etenim qui hoc fuerunt anno regentes ſuperiores, ſecundo anno aliud remiſſius officium ſubeunt; tertio anno vacant, ac quarto demum anno iterum ad gubernationis ſtatum revocãtur per vota, niſi ſint, qui ingentem ſuſpicionem in ſe concitarint, aut alia cõſpurcati vitii macula vivant. Atq; ita ſemper ferme unumquodq; corpus ex 22. tribubus illis perpetuo 13. continet Senatores: accidit tamen, ut 10. aut 11. præterea ex collegis talibus Senatoria dignitate ſint præditi propter electionem illam alteram, quam diximus à Senatoribus fieri in ſupplemẽtum in omnibus civibus, quum talis electio non ſit collegiis certis alligata. Habent præterea iſti tribus nobilem & notabilem conſuetudinem, ut in ſuis curiis aut ædificiis, collegio cuique deſtinatis, ſingula ſeptimana ad confabulationem, amicitiæ conſervandæ & cõinnctionis animorum ſolide ſuſtentandæ cauſa, diebus ſolis conveniant; ubi iuxta ordinem fratri alicui competit, ut vel pernam vel tale quid cum hauſtu vini apponat. Sed modus huic certus eſt præſcriptus quem certa ſub fide obſervare cogitur, ne inde quid detrimenti facultatibus ſuis contrahat in negotiatione ſua, quod iuxta ſeriem ita obſervatur, ut vix quinto aut ſexto anno, &c. talis commeſſatio adornanda eundem tangat. Dicuntur vero tales conventus, quem quæq; tribus celebrat in ſuo collegio, fraternæ confabulationes, cen & omnes fratres in eo tunc habentur ordine. Mos certe laudabilis, quo nihil excellentius pro conſtanti conſervatione cõglutinatorum animorum exerceri poteſt, ut in viriditate perpetua ſua ſolida confirmetur & retineatur cõjunctio interna cordium; nec fac le admittuntur diſſenſiones, quæ iuxta Statuta cuiuſque collegii conſopiuntur.

In cauſis autem iuſtitiæ & iuriſdictione exercenda diverſa eſt ratio. Etenim eſt ibidem iudicium Electorale ex 10. perſonis conſtitutum, cui præſidet, quem Comitem iuxta antiquum Saxonum morem, ut ſupra oſtenſum eſt, Graffen dicunt, cui 9. aſſident Scabini, qui omnes urbis Colonienſis nostrates ſunt incolæ, ſed neceſſum eſt, ut etiam immobilia in eadem poſſideant bona. Ab hoc iudicio plane quãdẽ excluſus eſt Senatus tempore interregni poſt obitũ

Fride-

Frid. II. quũ tota Germania per 23. annos pleno ferveret tumultu, & Archiep. Conradus Hoeſtendenſis maxime ſibi vigilandum putaret. *Chronici Colon. auctor p.* 198. Ipſe hic Archiepiſc. attribuit principalem omnis diſſenſionis cauſſam in Germania, quum tantæ auctoritatis apud Innocentium Papam fuerit, ut non ſolum obtinuerit ab eodem, quod nulla Regis Romani coronatio & confirmatio valida eſſe debeat, niſi ab Electore Colonienſi in urbe Aquiſgranenſi perficiatur; ſed etiam ceu principalis Electoꝛ & confirmator inde Regis Rom. tres Rom. reges, vid. Henricum Landgravium Haſſiæ, & March. &c. Thuringiæ, Wilhelmũ Comitem Hollandię, & demum Richardum Cornubienſem regis Angliæ fratrem, quem ipſe ex Anglia adduxit, elegerit. Eo tempore (*ait Chron. Colon. p.* 199.) Principes & Domini terrarum nemini cedebant; ſed quiſque pro libidine ſua tyrannidem in ſubditos exercebat. Idem quoq; tentabat Epiſc. Cunradus in Colonienſes, & Anno 1240. arripiebat occaſionem ex nova moneta corrupte cudenda: Quod quum ipſi inhiberẽt iuxta ordinem præſcriptum, quod tale ius non competeret Archiepiſcopo, niſi tribus vicibus, quando inveſtituram imperii, & deinde pallium obtinuiſſet, & tertio cum Cęſare Romanum iter trans Alpes confeciſſet; inde bis Coloniam obſidione acri cinxit. Donec Herman à Vitinghoven demonſtraret Epiſcopo, q Coloma eſſet inexpugnabilis, quam diu concorditer inter ſeſe cohæterent cives. Unde confecta prius pace, confœderationem cum Magiſtratu & Scabinis ambire cœpit; In hoc vero quum repulſam tuliſſet, ſumpſit inde anſam, ut cives in ſuam pertraheret partem: Quos promiſſis ſpecioſis immunitatum ita demeoravit ſimul, ut ſalvis privilegiis ipſi præſtiterint homagium: Atque ſic, *ait Chr. p.* 203. ex hac ſeparatione civium vicit penitus ſubiugando Senatũ & Scabinos, atque in ſe omne tranſtulit ius monetã cudendi, quum præfectos eius, qui dicebãtur Huisgenoſſen, per publicam quaſi iuſtitiæ ſententiam in Palantia Colon 9. Calend. April. An. Dom. 1258. ubi pars & iudex erat, condemnari curaret ad deponendum officium, & ſimul Scabinos cum inſignibus ſuis removeret, novos ſubſtituendo, qui variis cives emungebant contributionibus. Ob talem libertatis amiſſionem, quã ex mutua ſibi contraxerant diſcordia, miri erant motus per integrum decennium: Et quum aliqui cives honeſtioris animi recuperare ſtuderent libertatem civitatis, contra datam fidem Epiſcop. Conradus biennio ante mortem captivos abduci curavit in arcem Airam, & totam adeo occupavit civitatem, ut etiam claves portarum ſecum adſervaret. Eius ſucceſſor Engelbertus Valkenburgicus An. 1261. idem continuavit dominium plenũ, & quum turribus caſtella aliquot muniviſſet, novas urbi exactiones imponebat in publico civium conventu 8. Iunij An. Dom. 1262. Verum cives inde cõmoti ſtatim concurrebãt ad arma, & revocari iubebant ob patriæ libertatem exulãtes ex Wyero proximo oppido: 14. portas uno die denuo in ſuam redegerunt poteſtatem, & duo confregerunt caſtella; turrim autem Beyenſem in victoriæ huius memoriã non confregerunt, ut novæ confœderationis inter magiſtratum & cives eſſet teſtis æternus. Licet vero urbs eſſet libertati ſuæ ut plurimum reſtituta; tamen vindicem ſtrenuum ſe exerebat Epiſcop. Engelbertus, nec poterat ullis emolliri animo rationibus, donec ex inſtinctu Vitingovii Epiſcop. Luttichenſis Heinricus & frater eius Otto Comes Geldrenſis ab obſidione urbis ad perſuaſionem pacis fictę eum reducerent. Proverbium hoc ipſi ſedulo inculcarunt notabile: Qui temporis conſilio rite utitur, huno pœnitentiæ dolor non ſequitur.

Der golden Kait volget in de zyet/
He bliſt gerne achter Ruwes quyet.

Qui bene conſiliis in tempore porrigit aures,
Nec dolor à tergo corripit hunc ſtimulans.

Inde tam Epiſcop. quam civitas ſe ſubmittebat dictis his amicis, & Wilhelmo Comiti Iuliacenſi ita, ut 6000. marcas argenti ſolveret urbs, & captivi utrimque relaxarentur, urbique manerent privilegia ſalva cum Scabinatu & iuriſdictione, nec quid Bonnæ ac Noviſſæ vectigalis loco ſolverent amplius. Licet vero tranſactio talis mutuo iuramento in æternũ eſſet confirmata; tamen Epiſcopus ſtatim non tantum Conſulem Hermannum Grynæum Leoni ſuo obiici per Monachos, qui in porta Papienſi ob factum hoc ſuſpendebantur, curabat, anno eodem 1262. ſed etiam à Pontif. Clemente 4 per falſa narrata contra datam fidem obtinebat bãni litteras, quas conſopiebant 700. marcis. Nihilominus novas inſidias intentabat Colonienſibus, ut ſe uſque in tertiũ diem in palatio ſuo contineret, & ſic clancularie ſicarios cogeret per fratrem Theodoricum, tertioq; die iudiciali inermem obrueret populum. Verum clandeſtinitas talis ipſum & fratrem in cuſtodiam coniecit ex vigilantia magiſtratus. Quamvis Epiſcopus eſſet homo, cui vix trium dierum fides iurata cõſtaret, ut *ait Chron. Col. p.* 219. tamen vicini, Epiſcop. Luttichianus, Fraterque eius Otto Geldrenſis, Comes Lovanienſis, & Com. Engelhardus Marchenſis ita efflagitabantur, ut utraque pars ſe ſubmitteret arbitrio horum, qui æternam iterũ conſtituerunt quidem pacis tranſactionem; verum quum vi ſe inferiorem agnoſceret Epiſcopus, ad imitationem Anteceſſoris & eõſilii Vitingoviani per emiſſarium Anshelmum à Iuſtien diſcordias tantas inter cives & magiſtratum concitavit, ut ternis vicibus ſanguinolentiſſimo inter ſeſe coirent conflictu, (dum interea quoque incendium ordinaret Epiſcopus) & ſic obrueret civitatem exercitu ſuo. Sed quum hoc non ſuccederet, & diſcordia continuaret malum civitatis, augeretque interno odio, novum iniit conſilium Epiſcopus, ut eum primatibus per 2. Monachos An. 1266. iniret fœdus contra cives. Adeo occœcarat omnes incolas urbis invidia, & inteſtinum odium, ut nil niſi vindictam inter ſe appeterent: Atque quũ interim Epiſcopo per fœdus novum pateret lecutus in civitatem aditus, ille denuo cives in ſuum ſingulari ſtratagemate pertraxit favorem; unde tam funeſtus exortus eſt concurſus armorum, ut diu conſopiri non potuerit, donec enervati cives vicinis quatuor Comitibus Geldrenſi, Iuliacenſi, Bergenſi & Carzẽelbogenſi ſingulari fœdere civitatem concrederent: quod uſque adeo commovit Epiſcop. Engelbertũ, ut Comiti Iuliacenſi totam ditionem ſuam expoliaret, à quo tamen paulo poſt An. 1267. die Lucæ Nidecam captivus abducebatur. Inde vero per 4. annos urbs banno condemnata vixit. Et quamvis An. 1270. die 14. poſt feſtum Paſchatos per Albertum Magn. Epiſcop. Ratiſbonenſem æterna pacificatio

ad petitū Episcopi captivi publicata fuerit, & quod urbi privilegia salva manere deberent; tamen hostis urbis Episcopus Anno 1272. mortuus, nec à banno contra datam fidem absolvere cives voluit. Successorem habuit Sivertum Westerburgensem 52. Archiep qui non minori violentia supprimere studuit urbem, donec in capturam septennalem Comitis Adolphi Bergensis incideret, & pro redemptione cum consensu capituli totam ditionem Binsbergicam cum Dusseldorpiana aliisque pagis & arcibus ultra Syburgum solveret; ex banno quoque liberaret urbem Colonienſem. Ubi sibi simul Comes Everhardus Marckzochensis Ducatum Angariæ vendicabat. Quod bello non poterat Sivertus contra hāc urbem obtinere, id alia via in aula Imperat. Rudolphi Habspurg. persequi satagebat, ut suo hanc iugo addictam haberet. Verum ut eo citius lis dirimeretur, sententia utrique parti tandem An. 1297. tempore Adolfi Imper. Nassovienſis, lata est, ut claves portarum ad 2. milliaria ab urbe exportarentur, atque ibi conflictu coirent, & cui parti cederet victoria, ea quoque plenum possideret urbis dominium, & sibi ita in perpetuum referaret eandem. Verum cives, ut fortitudinem suam cum animositate constanti demonstratent, nimis vicinum putabant locū sibi: Ideoque usque in Ducatum Brabātiæ ad Woringam curru claves portarum exportari curarunt, atque quum forti manu & belli mutuo conflictu ibi tales salvassent, inde perpetuam sibi denuo acquisiverunt possessionem urbis cum Dominio iurisdictionis: In cuius rei æternam memoriam templum Bonifacianum in platea Severiniana erexerunt, in quo ab Anno Domini 1298. huius victoriæ festum quotannis cum pompa singulari Senatus totus celebrare solitus est. *Chron. Col. pag.* 241. Hinc quum faventem experti fuissent Colonienſes Imperat. Albertum Austriacum, sedulo se ipsi submiserunt adeo, ut etiam eius opem contra Wigboldum 53. Episcop. hoc eos infestante, salutarem imploraverint. Hic enim Imperator non tantū confirmavit iis privilegia & tutela sua defendit, sed etiam transactionem inter Episcop. & urbem composuit æternam, atque sibi Cæsaris Werdam, Synzingam & Aram fl. & Zulphiam recuperavit. An. 1369. exigebat Senatus à Canonicis accisam frumentorum & vini, & vectigal depositariorum, inhibēdo simul, ne ipsi œnopolio uterentur, quod male ita habebat omnes, ut per biennium excederent ex urbe. Atque quum Senatus Clericis exclusionem æternam meditaretur, eo maturius rediere in gratiam cum civitatensibus his. Verum Anno 1371. textores ingentem cōcitabant motum, & non tantum sepatabant Scabinos à Magistratu, sed etiam duas constituebant Senatus partes, unam ex familiis, quam arctiorem vocabant, & alteram ex tribubus in numero 50. personarum, quam magnum dicebant Senatus ordinem. Hoc quum morderet veteres Senatores, ingens odiū creabant apud confraternitates civium textorum ordini variis accusationibus, ut inde intestino bello misere se conficerent: & quamvis veteres Senatores, potestatem suam cum auctoritate aliquo modo recuperarent; tamen fecit eorum insolentia & novarum impositionum crebra repetitio, ut novum in sese concitarent odium. Tum quoque Scabini iurisdictionem suam extendere supra Cōsules studebāt, unde motus & separatio tanta exoriebatur, ut Scabini ad Episcop. Fridericum III. Sarwerdenum cōfugiendo, ipsi secreta iura detegerent, & Scabinatū simul offerrent, quem vi quoque bellica sibi vendicare non verebatur. Verum quum proditores ex urbe eiicerentur, cum iisdem ad Imper. Carol. 4. profectus est, & falsis querimoniis excommunicationē obtinuit. Colonienſes licet toties cognitionē causæ peterent; tamen auditi minime potuerunt. Proinde confugiebant ad Papam, & ibi impetrabant contrarium in Episcop. bannum. Varia quidem tentabat Archiep. tamen ex interpositione Archiep. Trevirēsis dissidium aliquo modo componebatur, ut duos reciperent nomine Episcopi Scabinos.

An. 1392. quum suspectus esset Senatus, pridie S. Laurentii Consules & Scabini ex officio detrudebantur, & ex numero Senatorum substituebantur alii. Sequenti vero An. Comes Frideric. de Moers, & Dn. Frideric. de Tonberch & Landskrone se interponebant, ut nova inter Archiepiscopum & urbem transactio conficeretur, de iurisdictione officialis, & aliis regalibus, in quibus multa remittebantur è parte civitatis, &, quum inde increscerent novum intestinum inter Magistratum atque cives odium, An. 1396. terno concurrebant inter sese crudeli admodū conflictu, & duo decollabantur principales Magistratus, reliqui in carceres primitus, postea ex urbe in exilium eiiciebantur omnes, & cives plane novū creabant Magistratum, novaq; forma totam inducebant communitatem. Etenim tunc demum à potestate tali exclusæ sunt familiæ veterum, quæ huc usque dominationem inter se diviserant; sed etiam confraternitates priscæ civium & multitudinis universæ in ordines 22. tribuum distributæ & cuique earum sua domus conventuum destinata est, ut sic cuique civium filiis posterorum omnium via aperta & tuta iuxta virtutis & prudentiæ studium ad Magistratum pateret, quæ huc usque propter familiarum conspirationes nimis ambitiose singulis præclusa fuerat. Atque ne quid vestigii ex prisca convolutione supereſſet, & ostenderent planius, quod libera esset civitas & liberior status regiminis, veterum curiam prorsus desolatam reddidere, & civium ædes hoc nomine affecerunt, ac maiori splendore exædificarunt. Tum quoque ut huius mutationis perpetua esset memoria apud posteros, atque illi agnoscerent maiorum sanctam intentionem, & labores pro tanta libertate adsiduos ex publica institutione ita decretum hoc est, ut singulis annis usque in perpetuū magnus ille fœderis æterni contractus circa festum Iohannis in qualibet tribu publice prælegatur omnibus. Totius universitatis Ordines 41. cōstituti sunt, cum tribubus, ut ita singulis à maximo ad minimū sua constet ratio & auctoritas officii, simulque in iure civitatis æqualis paritas, ut omni invidiæ & æmulationi abscinderetur occasio nec nova discordia facile quid interturbare valeret, ubi eam adiecerunt consuetudinem singularis prudentiæ, quæ singulis septimanis colloquio amicabili in conventibus ordinariis renovet animorum coniunctiones firmioriqueque vinculo connectat, ut supra dictum est. Similis quondam forma fuit quoque præ cunctis civitatibus Reipubl. Magdeburgensi, qua meliorem nunquam habuit. Sed quum tribus 16. illæ, in quas universitas distributa fuit, quæque hodie Innungen dicuntur, negli-

negligentiores in publico conſervando ſtatu inveniren-
tur, atque potius commeſſationibus inde præter honeſtatis rationem indulgerent; quam quod ſui conſervationem ſtatus in fundamento meditarentur tite, conſtrictione ſua nimia hoc effecerunt, ut aliis civibus ſuæ tribus occluderent fores; nec principale arcanum illud in quotannali & ſolemni prælectione fœderis ſui publici obſervare diu potuerint. Hoc quoque adeo gaudio fuit iis, qui prærogativâ ex familiis ſibi ſemper adſcribebant, & omnem regiminis auctoritatem in ſeſe derivabant, ut pedetentim Innungenſes ſupplantare cœperint; illis perſuadendo, quod talia arcana merito in ſecreto conſervari deberent, quũ ignominioſum ſit Reipubl. quod An. 1333. per motum ſeditionis talis facta fuerit mutatio gubernationis. Ideo ſatis diu in eo deſudatum clam fuit, quomodo commode libertas & auctoritas tribub' ac populo omni poſſet ſurripi, ac in paucos Senatores, qui perpetuam talis dignitatis retinerent poſſeſſionem, conferri valeret. Ita fit, ut facile incautiores in retia incidant, ſi ea ſibi arcana perſuaderi patiantur, quæ minus ſunt arcana, & in eo magnum crimen latere putent, ſi facta maiora, quę fundamentum negotiis & Reipubl. ſupponunt, nimis congrue in vicibus quotannalibus & crebra repetitione percenſeantur poſteris. An hoc vitium, aut arcani proditio ſit, ſi noſcam; quam ob cauſſam maiores cum tanto vitæ periculo novam Reipublicæ patriæque introduxerint formam? An non potius inde hoc concludi debeat, quod experientia patres noſtros ipſa edocuerit, minus commodam fuiſſe eam adminiſtrationem Reipubl. quam aliquot paucę familiæ, agnati, & affines aut amici inter ſe diviſerunt? An nõ ita libertas, virtus, eruditio & prudentia à reliquis in populo potius excluſa manet, quibus hoc merito præmii loco attribui debebat? Sed certe hoc ipſum eſt verum illis arcanum, qui tam arcano modo primatum gubernationis ambire non deſinunt; & tamen aliud libertatis ſignum incautiotibus perſuadent. Quæſo, an tales pauci ſemper in tam ſelici virtutis inſtillatione & conſtellatione naſcantur, ut abſque ineptitudine naſcantur idonei ad ſtatum regiminis; an potius ex omnium & totius multitudinis ſelectione aptior videri poteſt applicatio? An ibi verior libertatis imago appareat, ubi omnibus via paret ad eius fruitionem? An vero ubi paucorum poteſtati alligata hæret, & cunctis aliis ſuam imponit ſervitutem? Videant igitur, quam turpiter ſe dederint ii, aut quam fallacibus blandimentis ſe circumduci paſſi ſint, qui communem libertatem in omni populo potentialiter diſperſam paucorum æſtimio includunt, ſemetipſos à tali ſtatu excludendo. Nam Democratiæ inprimis natura ea eſt propria, ut æqualitatem requirat, unde nihil integrius eandem conſervat, quam mutua obediendi & viciſſim imperandi ratio: velut id recte cum ſanioribus Politicis ſtatuit *Koning. part. pol. cap.* 15. & maxime Dauth. in diſcurſu ſuper hanc quæſt. Omnium tamen optimus doctor Experientia. Plurima vidi & ipſe ſubivi in Rebuſpubl. ut explorata haberem ingenia & naturas talium. Quantas ſemper deprehenderim technas arcanorum, memini, adeo ab omnibus abfuit integritas, quam amor ſui cunctos adeo nimium ſeducat, nec ſit, qui ex amore ſui in Amorem Dei & proximi egredi vel ſaltem cogitet, nedum quod uſpiam inveniatur, qui id ſtudioſe cupiat. Proximus uſque ſibi quiſque domi in carne ſua habitat, ut Bonum publicum nullum noſcat, licet perpetua laude id altitonans os toties & plenis clangat buccis. Novi, qui dicere ſolebat; Diabolus illud Bonum perdat publicũ funditus, quod mihi non in ptivato prius inſerviat: Vir is erat ſummus, & ſummi officii. Quare nihil rectius talibus civitatum Rebuſpub. compétit & quadrat, quam æqualis libertas & libera æqualitas. Sic enim vinculo cõſtantioti omnia ibi conſtringuntur, ſi abſit invidia, & *κέρδεια* mutui ſtudii conſervet animos integritati addictos. *Vide Bod. de rep c. 2. num.* 418. *Heid. vero in Pol. c. 2. p.* 379. nimis fluctuantem invenies, quum ſaltem in ſpeculatione ſemper, & nuſpiam in praxi vixerit, ſicut & Piccart. Regula tamen eius firma eſt, quod res invidiæ plena ſit, ſemper aliis præeſſe, & ſubeſſe nunquam. Namq; *ait Lucret. lib. 5.*

Invidia quoniam ceu fulmine ſumma vaporant
Plerumque, & quæ ſunt aliis magis edita cunque.

Pudorem igitur ſuum apud poſteros ſentient cum deteſtatione, qui nõ adeo nuper ſibi meliorem ſubverti ſiverunt tam fucatis perſuaſionibus Statum Reipubl. & turpiter exuerunt libertatem à maiorib' acquiſitam non ſine ſanguine. Quantum aliæ civitates ad Colonienſium libertatis adſpirent imitationem, id toties auditum eſt: & plurimus eſt civiũ paſſim numerus, qui talem expetat ſortem, quum ſolidus & ſyncerus veruſque amor, qui Platonicæ Reipubl. fundamentum vividum ſubſternit, adeo prorſus è mundo & corde hominũ ſit expulſus. Sed nec Coloniẽſibus ſine diuturnis & longis laboribus periculiſque conſtitit talis Reipubl. ſalutaris formatio; ceu ſupradictum eſt, quanto cum ſanguine Anno Chr. 1372. textores talẽ introduxerint primitus mutationem. Anno vero 1397. hoc pedetentim adſueti meliori experientia in tali proba & examine edocti, omni ſeſe integritate & fide coniunxere, atque propterea litteris confœderatoriis ſeſe mutuo conſtrinxere, quas etiam in conſtantiorem fidelitatem iuramento ſancto confirmarunt, ut *ait Chron. Col. pag.* 284. Anno 1400. quum propter ſocordiam nimiam Imp. Wenceslaus ab Electoribus depoſitus eſſet, Coloniæ 6. Ian. Rupertus Bavarus Palatinus Imperator coronatus fuit, denegantibus id Aquiſgranenſibus. Velut & an. 1402. ibidem Imper. Rupert. filii Ludovici nuptias cum Blanca Reg. Britan. Henrici filia celebravit. Fructum tantæ æqualitatis inter cives Anno 1416. ſtatim perceperunt, ut ſeditionem ingentem civium quiſque Senatorum in ſuo collegio apud conſocios conſopiret, paucis adhortationibus additis, quibus protenus ſe præbuerunt audientes, quum omnis invidia & ſuſpicio mala abeſſet, & confidentius ad invicem agere poſſent. Sic etiam licet An. 1408. Archiepiſcopus Diterieus variis modis illis ſua privilegia infringere, & penitus eos ſubiugare ſtuderet adeo, ut ſimul vicinos electores & Principes ad Rhenum in obſidionem urbis ſecum adduceret; tamen fecit ipſorum prudens concordia, quod inani opera retrocedere coacti ſint. Quanta fuerit Scabinorum auctoritas & quomodo Carolus Mag. eos ſanctos fecerit, id ſuperius in Magd. civitatis cõditione, & alias de iure Væmico, eiuſq; iudicio

præpoſtero explicatum eſt. In eadem vigebant ab hac parte Scabini Colonienſes, utpote quibus tamquam ſacerdotibus iuſtitiæ plena commiſſa erat eius facultas iuriſdicendi, ſicut etiam tempore Friderici II. Imp. Archiepiſcopus Conradus iudicii huius poteſtatem in ſeſe tranſtulerat. Verum quum An. 1428. hæc ab illis in abuſum talem abriperetur, ut Advocatum quendam nomine Henricum Theveſiũ propter nimis apertum veritatis os & amorem, noctu incarcerarent, ut ſtatim poſtero die capite plecteretur; atque is forte ex feneſtra cuſtodiæ prætereuntes inclamaſſet Senatores, atque ad ius civium provocaſſet, ne incognita cauſa è medio turpiter tolleretur, ſtatim ſummo mane concurſum fuit ad Curiã, ubi decretum Senatus hoc tulit, ut auditetur, & inhibitio fieret Scabinis cum Comite Præſide: quod etiam factum eſt, & invento hoc innoxio, ac in pudorem reductis Scabinis, ne illi removerentur ab officio, aut cum ignominia deportarentur, per tranſactionem æternam hoc obtentum fuit ut nullũ amplius ius apprehenſionis ad incarcerandum quempiam haberent; ſed in perpetuum hoc eſſet & maneret in arbitrio Senatus Colonienſis. Velut etiam iſte mos adhuc præciſe in viridi obſervantia manet; nec Comes aut Scabini quenquam incarcerare valent, niſi ex iuſſu Senatus id fiat per urbis lictores. Anno 1430. Archiepiſc. Ditericus vectigal equorum Koningsdorpij inſtitutum exauxit, ut 5. Albos pro quolibet capite eſſet ſolvendum, atque ut id perficeret, diu præcluſit mercium commeatum urbi: ſed anno 1437. cum Scabinatu talis tranſactio eſt inſtituta, ut poſthac nemo civium concivem ſuum extra civitatem coram ullo iudicio alio conveniret, ſub pœna periurii; ſicut etiam iuramento decretum hoc confirmatum eſt, & ut una quotannis cum fœdere tribunitico publice prælegeretur. Quamvis autem iuriſdictio baſſa & alta ſit translata, ut antea dictum eſt; tamen regalia reliqua urbi ab Imperatore plane dependent, ut etiam ius poſſeſſionis & proprietatis Cæſari ſemper maneat; velut id actu ſolemni quoq; Fridericus III. Auſtriacus Imperat. An. Chriſti 1442. confirmavit. Etenim quum 15. Iunij Aquiſgrani coronatus eſſet, 26. eiuſdem propterea venit Coloniã, ut homagium acciperet: quod etiam non ſolum mutua vice præſtitit ipſi urbi; ſed etiam confirmavit eidem ſimul more ſolito privilegia cuncta. Forte An. 1446. lis inter ipſos oriebatur Scabinos. Conſpirabant enim cæteri in caput unius Sivarti Hirtzelin, quem Schyfartum dicebant. Quumque hunc propria auctoritate ſub ſpecie falſo concepræſententiæ, in qua partes & iudices fuerant, honore ſuo privarentur; is appellabat ad Archiep. ubi quoque obtinebat victoriam cauſſæ; Inde executio ſententiæ iuxta ſtylum demandabatur Senatui. Is igitur, quum iuberet, ut ſub pœna Scabini ſuum reciperent collegam, illi vero repugnarent atrocius, ſub iuramento carceris manſionem iiſdem denunciari curavit; quod quidem obedienter præſtitere exceptis duobus, qui ex urbe ad Imperatorem confugiebant: Sed quum citatus Senatus ibidem obtinuiſſet cauſſam, remiſſio facta eſt ad iudicẽ à quo, ut loquuntur ICti; & publicabatur Coloniæ præſente Senatu ſententia in aula Epiſcopali contra Scabinos, qui ſuo privabãtur officio dignitatis. Unde ita renovabatur Scabinatus An. 1446. poſtero Converſionis Pauli die, ut Archiepiſcopus Ditericus 14. cum Præſide ordinarit Scabinos ex numero civium iuxta novum pactũ, quum antehac 15. familiæ in ſucceſſionem ſibi acquiſivilſent huius iudicii ſtatum. Anno 1469 aliquo uſque in bello Burgundico ſe continebat Coloniæ Frideric. III. Imperator, quem quum Colonienſes ſplendide excepiſſent, & omnia neceſſaria cotidie ſuggeſſiſſent, Cæſar plurib⁹ privilegiis & beneficiis præcipue iure monetæ, æquales ut eſſent in hoc Electoribus ipſis, & æquali cum Bonnienſi vectigali eos donavit contra invidiam Principum. Non enim deerant, qui aſſiduo conatu inſidias illis necterent, quod etiam in proprio Archiep. Ruperto Bava Palatino iterum experti ſunt. Namque is cum Carolo Burgundo inierat pactionem, ut ille ſe venditaret Præfectum prætorio Colonienſi; unde is non ſolum publico id diplomate in urbe per fecialem affigi curavit, ſed etiam intimavit Senatui, à quo ſic volebat agnoſci & excipi, mandando ſimul, ut plenam Archiepiſcopo præſtarent obedientiam. Quod tunc ita gratioſe agebat quum Adolphus Geldriæ Dux à parente, quem turpiter captivum duxerat, eſſet exhæredatus, & Carolus, tanquam inſtituturus hæres à Friderico Imperat. Theviri inveſtitus, propter defectionem Geldrienſium, qui ultra 30. Annos denegarant Cæſari obedientiam. *Chron. Colon. pag. 321.* Quæ inſolentia coegit Colonienſes, ut militem cõſcriberent pro libertate tuenda, & quod Carolus Noveſium oppugnaret, ac Colonienſibus incumberet gravius: donec quoque Cæſar Frider. III. propter nimiam violentiam Burgundi redderetur hoſtis. Hoc exoptato accidit Colonienſibus, quodque tunc omnes Status Imperii & præſertim civitates Hanſeaticæ prope cunctæ opem præſtarent Cæſari; unde etiam victoriam admodum glorioſam obtinuit. Poſtea reduxit in Coloniam cum ſuis, adſiſtentes omnes die Petri Pauli Anno 1475. dimiſit cum pace. Colonienſes vero tunc novum vectigal ob perpeſſum damnum & ſumptuoſam opem Cæſari præſtitam cum gratia magna obtinuerunt. Familiæ vero aliquot nondum concoquere poterant veterẽ erga Magiſtratum rancorem, proinde præſtolabantur occaſionem; atque Anno 1481. accidebat, quod mutatio monetæ incideret, ut Albi 12. nummorum, reducerentur ad undecim; unde novi cuderentur Albi; Tum quoque novum vectigal mercium ordinabatur: quod non tantum cives mordebat; ſed etiam patritii, aliquot ex tribubus ad ſe pertrahentes, ita inſtigabant communitatem, ut ultra 1000. in Curiam confluerent, gravaminaque exhibendo flagitarent cum minis reſtitutionem monetæ, & vectigalis abrogationem. Senatus cedens furori vulgi per collegas ex tribubus ſibi adiunctos prudenter motum conſopiebat. Nihilominus de novo ſeditio à plebe concitabatur, expetens ſibi rationem expenſarum, cui ſe iterum Senatus partim ſubmittebat: atque nihil deprehendebatur, niſi quod nimis liberales dicebantur in bello Noveſianico. Quamvis autem iuſtificare poſſet ſumptus ingentes bono publico civitatis erogatos; tamen anno 1481. in feſto Bacchanaliorum furentis vulgi concurſus erat in Curia, & Conſules cum Senatoribus captivos ſe dedere cogebantur, diſtribuebanturque in turribus urbis in arce arti. Poſtero die ſe ſe colligebant tribus, ignominiam hanc urbi & poſte-

posterisavertentes,& cum honore restituebant singulos officio suo Magistratus sancti sub ea conditione, ut statim factionum capita, quorum 14. inveniebantur, conspirantibus abscinderentur: quâ executionem tamen contra voluntatem Magistratus perficere coactus est ex voluntate tribuum&collegiorum. Inde eo gratior & gravior Senatus fuit auctoritas, ceu Cominæus recte statuit *Com. rer. Gall. lib. 5. pag. m. 476.* Intet veniente, inquit, populi voluntate & adsensu crescit robur & potentia regum & Magistratus, & maior est ipsorum authoritas, & feliciores progressus: Velut quoque id evenit. Etenim quum Maximilianus petente parte in Comitiis Francofurtensibus An. 1486. 16. Februar. Rex Rom. proclamatus fuisset, & 9. April. Aquisgrani coronatus, venit inde Imperator cum rege filio Coloniam, atque statim in ingressu ad portam mutuo iuramento Rex cum civitate sese obligabant. Multæ ibi peragebantur lætitiarum festivitates, & Colonienſibus non tantum gratiose omnia confirmabantur ab Imperatore privilegia, sed etiam in ipsorum favorem retractabatur grave vectigal ad Rhenum Lustorpianum, quod Imperator Duci Montano tunc concesserat. Sic idem Imperator Frider. postquam filium Max. regem ex custodia Bruggensi Anno 1488. liberasset, magno exercitu reversus est Coloniam, & iud cium publicum ibi exercuit ad instantiam aliquot invidorum contra Senatum; verum res ita composita fuit, ut non sine probro discederent, qui patriæ propriam cedias turpiter struxerant; ut notat *Chron. Colon. fol. 355. Anno 1493.* ingens quidem confusio in monetam iterum orta est, ut Rhenanus florenus ab 26. Albis, usque ad 40. accresceret in valore; attamen, ne denuo in difficultates Magistratus detruderetur, ita sapienter lites cõposuit, ut inde vicini omnes exemplum sumpserint. Anno 1494. Maxim. Imperator in præsentia coniugis Ducissæ Mediolanensis in magna & singulari solemnitate Colonienſibus iuta me tum erectis digitis præstitit, ad manum Archiep. Moguntinensis, pridie D. Petri & Pauli, atque è contra nomine civitatis totius regens Consul debitum homagium prælegit à superiori parte Consuli alteri, qui convocato populo in foro præerat; atque iste in inferiori loco stans prælegenti ad singula distincte reddebat eadem verba iuratoria; cui actui confirmatio privilegiorum protenus subiungebatur.

Verba Homagij Colonienſis civitatis, quod præstitit ea Imperatori Maximiliano An. 1494. pridie D. Pet. & Pauli hæc sunt:

HOc die & isto die in universum, atque ex hoc die porro homagium præstamus nos liberi cives Colonienses Domino nostro Maximil. &c. Regi Romano, quod eidem devoti & fideles simus mansuri, reservando nobis, nostris uxoribus & nostris posteris civitatis nostræ Colonienſis omnia privilegia, litteras, gratias & beneficia, ordinationes & investituras, quascunque à beatis Romanis Cæsaribus & Regibus eorum maioribus secundum iura, privilegia, bonas consuetudines & antiquas deductiones hucusque obtinuimus, & ab iisdem investitura accepimus; In hoc constanter perseverabimus ipsi, & in eo nos confirmati manebimus absque dolo, sicut nos Deus iuvet atque Sancti eius, &c.

Confirmatio Imperatoris Maximiliani I. quam Colonienſibus largitus fuit.

Ita se habet in Copia iuxta auct. Chron. Colon.

IN Nomine Domini & Sanctæ individuæ Trinitatis feliciter: Amen, &c. Nos Dei gratia N. Romanus Rex omni tempore Augustus Imperii, Hungariæ, Dalmatiæ, Croaciæ, &c. Rex. In æternam rerum memoriam, & velut regiæ liberalitatis innata dignitas id exigit eandemque decet, omnis & singulis subditis & fidelibus Romano Imperio subiectis ex interno amore præsidium benevole præstare; præterea aque etiam fructuosam gratiam pro singulari recepraculo nobis competit conservare, & iis maxime, qui Sacri Romani Imperij gloriam & cõmodum, curiosis excubiis & debitis servitiis, fidelique diligentia, ad sidua intentione animi unice quæsiverunt, &c. Quando proinde Consules & Magistratus nostræ civitatis Colon. dilecti & fideles nostri Reg. Maiest. nostram submisse rogarunt, ut illis cuncta privilegia, litteras, beneficia, gratias, ordinationes & investituras, quas à beatis Roman. Cæsaribus & regibus nostris antecessoribus in Sacro Imp. Rom. ad omnia & singula iura ipsorum, privilegia & consuetudines, &c. atque eorum pacta confirmare, renovare, & corroborare, nec non ex nostra regia gratia de novo eos ad investituram dignari velimus. Propterea nos nostrorum maiorum vestigia observare cupimus, & oculis nostræ mentis prudenter adspiciemus iam dictam civitatem, quomodo præ reliquis in Germania longe nobilius fundata, & variis privilegiis donata, nec non supra omnes multimode ornata sit: & præsertim non tantum quod nos benemeritis auxilii gratitudine digni & indesinenti fide constantiæ, & officii, quo dicti cives & eorum civitas nos & Sac. Imper. Romanũ ardenti animo observarunt, amore, honorarint: sed etiam propterea, quum petitum eorum ex fonte honestatis profluat. Ac quoniam honesta petitio nõ est deneganda: Ideoque nos bene prædeliberato consilio, & libera animi affectione, omnia eorum privilegia, & litteras, quas ipsi pro iure suæ civitatis, in possessione tenent, item, bona, dominia, exemptiones & consuetudines, aulicam iurisdictionẽ & iudicii executionem, vectigalia, leges & nundinas & privilegia concessa, portoria, ius monetariũ, reditus, proventus, & quodvis aliud interesse, ac quomodocunque appellari talia aut nominari & excogitari queant, uti à Divis Imperatoribus Romanis possident, & à regib⁹ maioribus nostris, & à S. Rom. Imp. ac Archiepiscopis Colon. hucusque conservarunt, in omni eorum tenore, articulis, punctis, & clausulis, non aliter, ac si de verbo ad verbum huc scripta essent, & quasi in cunctis his posita haberentur, &c. ex potestate Regiæ Maj. Rom. confirmamus, investimus, renovamus & de novo conferimus, & ex præcipua nostra gratia liberali atq; Rom. regia plenipotẽtia simul has litteras iis cõfirmamus. Quapropter nemini cõpetet, hanc nostram corroborationem, investituram, renovationẽ, & confirmationẽ infringere, aut petulãtia aliqua impugnare: si quis id tentet; ille in nostram gravem indignantiã

& pœ-

& pœnam 100. marcarum puri auri, pro dimidia parte civibus & civitati Colonienſi ſtatim ſolvenda, ſe incidiſſe, noſcat. In cuius rei teſtimonium noſtræ Cæſareæ Maieſtatis Sigillum appendi curavimus, &c. Datum Colon. &c. ut ſupra.

Ex his ſatis apparet quantis laboribus conſervatio privilegiorum cõſtiterit Magiſtratui urbico Coloniæ, quod ſe in tali conſervare ſtatu libero Imperii potuerint. Magnum ipſi fulcrum ſubminiſtrant tribus 22. & quod adeo ſedulo antiquarum conſuetudinum rationes in confirmationibus obſervent. Nõ enim leves ipſis obiicit difficultates tam multiformis iuriſdictionis involutio, veluti ibi fieri ſolet, ubi tam varia habetur eius Regalitatis diſperſio: optimum tamen eſt, quod ius apprehenſionis ita ſibi ex ſupradicto caſu acquiſierint; nec in criminibus executio poſſit fieri à Præſide Scabinatus, niſi prius ad noctis ſpacium, priuſquam ad mortem delinquentes condemnentur in publico iudicio, Comitis Neonardenſis iuriſdictioni tradantur. Comitum enim Neonardenſium ius id hæreditarium competebat, ut prætor eſſet hæreditarius urbis ex fundo loci, ubi extenſio civitatis facta eſt. Inde habebat privilegiatam iuriſdictionem in aliquot partes, quæ olim ſuburbanæ fuerant, & poſtea ex ipſius conceſſione per pacta ſingularia muris ſimul incluſę ſunt. Ideoque in civilibus quoque communicatam iuriſdictionem exercet cum Magiſtratu urbico. Locum etiã & poteſtatem incarcerationis, in quem ob delicta flagitati & convicti coniiciuntur, habet: quod Comiti non competit; ſed tenetur in propriis ædibus fovere carceratos, ubi & torquetur, in præſentia 2. Scabinorum & Secretarii, quibus & Senatus duos adiungit, ſi ſit neceſſum. Quum vero familia Neonardenſium in Adolpho ultimo Comitum illorum expirarit, ex ſucceſſione idem ius nunc obtinent Comites Bentheymenſes, quum hæredes illorum ex eo tempore extiterint, ceu ipſi Plenipotẽtiarium in urbe propterea conſtituere ſuum. Præſes autem Electoralis ſummi iudicii non alium carceris obtinet locum in urbe, quam in ædibus, quas ipſe officii ratione inhabitat; Atque licet Comes ille reos capitalis criminis factos examinare variis modis etiam per torturam poſſit; tamen in examinandis lamiis tres Senatores iuſſu & permiſſu Electoris certis de cauſis ipſi adiunguntur, & tunc de re cognita iudicant & pronunciant, pronunciatumque executioni dant, obſervato prius reſpectu Comitum Bentheymenſium in privilegio iuris hæreditarij dicto. Simplex vero ſive civilis iuriſdictio communicata eſt ex parte. Pignora enim à civibus cauſſa cadentibus capere, in poſſeſſionem bonorum propter debita & iniurias Comes cum ſcabinis poteſt, uti id *ex articulo 9. & 10. tranſactionis de Anno* 1506. manifeſtum eſt: nec deberetiam, aut poteſt Senatus aliquem impedire, quo minus litem quis coram Comite & Scabinis adverſario ſuo poſſet intentare aut perſequi, uti *in art. 11. eiuſd. tranſact.* id habetur: Sed tamen iſta adiecta eſt exceptio, ſi qualitatem eam cauſa habeat, quæ Senatus quoque concernat intereſſe. Præterea hoc conſtat, quod Senatui de vi ſive privata ſive publica ſit, cognoſcendi poteſtas non competat. Ira coram Prætoribus qui dicuntur Gewaltrichters/ ſi alicui civi aut ſtudioſo gladiis aut ictibus vis inferatur, litigãdum eſt. Sed tamen pœna corporalis delinquẽti aut violatori infligi non poteſt. Virgis quidem cædi quis poteſt; verum non niſi in carcere privatim, & hoc non alio modo, quam ut rei abſque carnifice ſemet invicem, altera manu coronæ adhibita, caſtigent. Eſt quoque iudex Eccleſiaſticus, qui officialis dicitur, atque is poteſtatem omnem ab Electore tum ex privilegiis Abbatiarum & monaſteriorum templorũque huius urbis habet; Eaque ille, quæ ad clericos Eccleſiaſticoſque & eorum res ſpectant, ex auctoritate Electoris cognoſcit & diiudicat. Quum vero iudicium hoc à petulantibus ante ſeculum ferme in abuſum civitati & Magiſtratui maxime noxium retractum fuiſſet, dum litigantes ſolebant ſecularia iudicia per inhibitionem apud Officialem obtentam eluſoria reddere: proinde Anno Chr. 1506. mediãte hanc ita controverſiam Landgravio Haſſiæ, tranſactio talis eſt inſtituta, ut Officialis non amplius iudiciis litibuſque ad ſecularia pertinentibus ſe immiſceret: ſicut etiam pœna graviſſima iis denunciata eſt, qui modocunque ex civibus, lite cum aliquo coram Senatu aut alio iudicio civili conteſtata, inhibitionem ab Officiali denuo impetrare & iudicia ſic temere involvere ſtuduerint. Nec minus certã pœna illi dictata eſt, qui in ſecularibus cauſſis aliquem ad Officialem aut magiſtratum Eccleſiaſticum citari curet. Atque ſic partim ſtatuta, & tranſactiones in ſua conformitate conſervant Rempubl. partim tribuum virides obſervantiæ conſociationes, ubi animadverſio ſedula hanc ſtatis in omnibus attenditur. Namque unur quoque tribuum collegium in ordinis ſui continentia iuſta diſpoſitione adeo, ut etiam magiſtratui urbis fundamenta ſolidi regiminis ſupponat. Quippe propterea quæque tribus ſuum habet ſigniferum, ſive notationum præfectum, qué Bannerherrn dicũt. Illorum quilibet clavem adſervat ad cõnclave civitatis. in quo privilegia & archivæ concluſæ iacent: Sic etiam ærarii publici claves iis concreduntur, ut quovis tempore, ſi forte neceſſitas requirat, aut ſuſpicio nõnulla ſeſe exerat, noctu dieque viſitatio inſtitui, & inde relatio tribubus ſincera fieri poſſit. Velut nil in Colonia fruſtra ordinatum invenitur; ſed omnia ex ipſa profluxerunt experientia, ita quoque hæc inventionis inſtitutio ſuam fovet cauſſam. Etenim An. 1513. accidit, quod Conſules illius temporis inciderint in ſuſpicionem talẽ, quaſi, contra fundamentales Reipubl. leges & privilegia, ex conſulatu & ordine Senatorio perpetuæ ſucceſſionis hæreditarium ſibi ius conficere ſtuderent; vel ad minimum eiuſmodi experterent formã; velut non tantum in ſuperioribus Germaniæ urbibus, ceu eſt Norinbergæ, ac in pluribus Hanſeaticis, Brema, Hamburgo, &c. reperitur, ut ita denuo ad paucas familias & earum affines propinquos rediret abrogata pridem conſuetudo. Inde tribuum collegia ingentem concitarant ita tumultus motum, ut Magiſtratum non tantum loco ſuo moverint; ſed etiam Conſules aliquot, in quos culpa redundabat, per lictorem civitatis capite plecti curaverint. Novo deinde Magiſtratu electo, in curiamque introducto, æternũ denuo pepigere cum eodẽ pactũ. Atinter tribus cõfœderatio, ſub iuramenti fide perpetua, talis firma & ſolida cõfecta eſt, ꝙ cũ ſanguinis effuſione ſemper eſſent conſervaturi & defenſuri privilegia civitatis. Huius fœderis tot originalia habẽtur, quot ſunt Tribus, & quotannis inter reliqua principaliter in

ter in quavis electione non tantum prælegitur pactum publice in rei memoriam, ſed etiam ſemper renovatur pro maiori confirmatione mutuæ conſolidationis. Inter omnes adeo Reſpubl. Germaniæ nulla eſt, quæ melius conſtituta in omnibus viget, iuxta eam diſpoſitionem fundamentalem in ſtatu populari, & ubi gratior viget æqualiter inter cives diſperſa libertas; ſi ita floreret in plena iuriſdictionis facultate, quæ apud alias perfectior perſpicitur. Formam enim vere Romanam in hac parte repræſentat. Proinde quoque accuratiſſimam impendit curam commercio, ut in ſuo vigore ſtatum conſervaret ſuum & proximarum civitatum: atque propterea ante aliquot ſecula fidum fœdus pridem cum vicinis civitatibus Weſtphaliæ Iuliaci Ducatus, Cliviæ, & Geldriæ, coluit, quam ſimul protectione ſua in commercus ſæpius eas forti manu defenderit, velut in Noveſio, Sulato & aliis exempla clara ſunt. Sic Coloniæ plane alia ratione auctoritas accrevit ſua, quam Hamburgo. Etenim Colonia pro maxima hoc obtinuerat, quod nunquam rectius florere poſſet, niſi ſimul quoque florerent vicini. Ideoque ſicuti hæc urbs cum proximarum promotione & commodo, ita Hamburgum cum ſuppreſſione & damno vicinorum accreſcere ſtudebat, uti ex antecedentibus relatum eſt. Quoties opus fuit, etiam ſe coniunxit fœdere cum vicinis Principibus & Comitibus propter libertatem commerciorum, ut ſecuritate tali mercatores fruerentur. Velut etiam proprio facto ſæpius defenſionem commercio um ſuſcepit, quod Anno 1418. Damianus ab Udesheym ſatis acriter expertus eſt, quum ſpoliis mercium ſub conniventia Archiepiſcopi nimium indulgeret. Inde quoque ante illa tempora pridem ab aliquot ſeculis in fœdere & correſpondentia vixerunt principales Brabantiæ, Flandriæ & Friſiæ civitates, ut cõmune Emporium Bruggis, & in Anglia Londini coluerint: velut ſupra indicatum eſt, quod Colonienſes ſingulari privilegio donati fuerint in Anglia, propter commerciorum mutuam tractionem. Quum vero civitates Saxonicæ & Vandalicæ ita inter ſeſe fœdere Hanſeatico coirent, ut ſuperius in *anteriori tractatu cap.* 13. de Megapol. urb. oſtenſum fuit, ſtatim Colonienſes cum ſuis confœderatis iiſdem ſeſe adſociarunt, ceu id ex Receſſu Hanſeatico de Anno 1369. art. 1. ſatis clare apparet, ubi Colonienſibus ſingulare fœdus non tantum cum ſuis ſocius urbibus attribuitur, ſed etiam tanta iiſdem prærogativa decreta fuit, ut omne, quodcunque civitates ex, quæ in Colonienſium confœderatione comprehenſæ fuerint, decreviſſent, omnes & ſingulæ reliquæ civitates totius Hanſæ obſervare teneantur. Quod ita expreſſe tunc ab omnibus in eo conventu Lubecenſi concluſum fuit, uti verba id luculenta exprimunt. Quare admodum graviter lapſus eſt *Matth. Dreſſerus in Millen. ſuo ſexto Hiſt. part 2. pag. 79.* dum fruſtra quoque ſequitur in errore ſuo *Chytræũ Saxon. Chr. lib. 3. pag.* 82. ubi ponit, quod Colonia Anno 1481. demum in numerum Hanſeaticarum civitatum pervenerit, atque ita vix 150. in ea confœderatione compleverit. Longe rectius quid ſtatuit *Bertius in Com. rer. Germ. part. 3. c. hoc.* ubi ſic ait: Paulo ante tempora Friderici II. Imperator ſub Annum Chriſti 1201. ſocia facta eſt (Colonia) Hanſæ Teutonicæ. Etenim, quod fœdus hoc nobile Hanſeaticum ſub Friderico I. Barbar. Anno 1169. quum anno antecedenti Roſtochium, ante annos 8. à Primislao Heneto ædificatum, ab eodem Imperat. privilegia accepiſſet, maximas inchoamenti vires ſortitum ſit, ſupra ſatis clare explicatum eſt. Imo ſi Dreſſerus ſaltem reſpexiſſet ad Cranzium, & eum *lib. 7. Dan. cap.* 39. conſuluiſſet, inveniſſet ſatis abunde expreſſum, quod eo tempore, quo Woldemarus IV. Daniæ rex infenſiorem hoſtem civitatibus Hanſeaticis agebat, & inſolentiori crudelitate libera diſturbabat omnibus confœderatis commercia per aliquot annos, ut etiam crebriori potiſſimum Vandalicę civitates conflictu cum ipſo in mari coierint, circa Annum Chriſti 1358. Coloniæ publicus Hanſeaticarum civitatum conventus fuerit habitus: ubi cõcluſum eſt, ut ad urbem Campenſem civitatum Hanſeaticarum huius partis naves confluerent, & inde impreſſionem in Daniam etiam Vandalicæ ab altera parte facerent; quod adeo feliciter quoque perfecerunt, ut non tantum totum Helleſpontum Danicum occuparint, ſed etiam proceres Regni, quibus in hoc non conveniebat cum Rege Wald. ſuo, quod tam diuturno bello exagitaſſet civitates Hanſeaticas, cum illis tantam tranſactionem inire coacti fuerint, qualis vix unquam aliis audita fuit in locis; nec facile ſimile in Hiſtoriis inveniatur exemplum. Etenim, ut regnum ſalvarent, & ne civitates penitus aut id vaſtarent aut in ſuam redigerent poteſtatem, quod facile terra marique perficere potuiſſent tanta potentia, præſertim quum rex penitus ab iis eſſet electus atque in exilium quaſi detruſis, non deſtiterunt ſupplici modo hoc ab Hanſis obtinere, ut pignoris loco acciperent totam Scaniam. Quippe erat in tantas res redacta difficultates, ut civitates non poſſent complacari, niſi damnum, illis ex mera protervia contra publicam fidem & manifeſtas obligationes libertatemque communibus cõmerciis debitam cauſſatum, reſarciretur. Ideoque proceres cum Hanſis, quarum metu rex ſe in fugam converterat, ut eum reſtituerent ſibi, ita pactum pepigere, ut loco damnorum, & in compenſationem eorum, per 16. annos Scaniam poſſiderent. Sic demum controverſia & belli Hanſeatici vis compoſita fuit: Atque, ut civitates fidem integram erga regnum Daniæ declararent, annis illis completis, non regi, ſed proceribus regni, cum quibus contractum fecerant, Scaniam tum reſtituere; veluti ſupra *tract. 3. c. 16. pag.* 377. id relatum eſt. Quamvis hæc ſatis ſint cognita; miror, quod tamen *Bertius* idem adeo ſui ſit ignarus, quod *in Com. rer. Germ. lib. 3. c. 4.* forte ſeductus auctoritate Chytræi, ſibi ita ſit contradictorius, ut ibi ponat, quod Colonia Agrippinenſis Anno 1481. utbium Anſeaticarum numero iuncta ſit; qui tanc error ſive lapſus adeo abſurdus eſt, ut vix gratiam excuſationis mereri queat, niſi ex fide ficta aliorum hæc protulerit. Sed tamen *ex Chron. Colon. pag.* 318. ipſi quoque hoc conſtare potuiſſet, quod tam Chytræus quam Dreſſerus ex errore opinionis falſo conceptæ hoc ſcripſerint de cõiunctione Colonienſium cum Hanſis, quum hiſtoricus ibi mentionem litis & diſſidii faciat, quod civitatibus Hanſeaticis cum Britannis interceſſerit. Verba eius hæc ſunt: In eodem anno (videlicet Anno Chriſti 1465.) poſt diem S. Remari damnum in commerciis tuletant Anglicani, & querelam

hanc

neceſſario percipient, quid apud eam peractam viſitationem in diverſis punctis acciderit; unde porro deliberandum erit, poſtquam ex communi conſenſu approbata, & pro tentatione Dnn. Viſitatorum cõmiſſa mutatio cum magna Auſtrali Domo non cõmode ad finem perduci potuit; num in priori adminiſtratione, & oeconomia res ſubſiſtere, aut illa à Magiſtro domus denunciata oblatio acceptari; tum etiam qua ratione venundatio parvæ Auſtralis domus, ſi forte in remoram incidat, promoveri, onus quoque, & nociva admodum inhoſpitatio militum magnæ domus Auſtralis ulterius declinari, atque alias reparatio, & redintegratio, iuxta transmiſſam ſereniſſimæ Infantinæ clementiſſimam declarationem impetrari debeat.

9. Ad hæc & annexive iterum deliberandũ erit, quid cum Hanſeaticis ædibus Bruggis in Flãdria ſuſpiciendũ, & qua ratione quoq; in illo loco honoratarũ civitatũ commodum, & ſalus promoveri poſſit.

10. Quod ad Conthorium Bergenſe in Norvegia ſpectat, primitus honoratis civitatibus informatio neceſſaria fiet, quid proxime præteritis annis in diverſis negotiis, quæ ſubitaneam expeditionem ſibi expoſtularunt, ex proxime adeſſarum honoratarum Hanſæ civitatum adſtipulatione, & conſilio, pro cõmuni bono ordinatum, & ibidem peractum ſit. Ad quod ulterius illę ex aliquot annis exhibitæ rationes examinandæ, & ſuper has declaratio ad Conthorianos tranſmittenda; Præterea illæ toties, & ſæpiſſime repetitæ querelæ, ac gravamina, quæ contra illud Conthoriũ iuxta adhuc ſuperſtitem libertatem, & iura, etiam Hanſeaticos receſſus, & communem cõſenſum, ab aliquot Hanſeaticis naucleris, ac civibus ſuſcepta ſunt. Velut etiã indicatæ intricationes, quæ non in levem contemptum, & negligentiam cõmunium receſſuum, ordinationum, & ſtatutorum apud iuniores miniſtros (Hansbunden) multis modis perſpectæ, & obſervatæ eſſent, neceſſario, & diligẽter conſiderandæ eſſent, quomodo ex omni parte pro communi ſalute unicuique utiliter, & recte profi cue ſuum commodum procreari, & meliores ordinationes inſtitui, ac confici poſſent. Ac tãdem apud hunc punctum in deliberationem vocandum adlicuerit: Num & qua ratione ad notæ, & accreſcentia gravamina commercii in Regnis Daniæ, & Norvagiæ, ac inprimis, quid in proxime profluxis annis honoratarum Hanſæ civitatum negotians mercator in Ellebogia Schonię ad notabilem, & damnoſam impeditionem, ac conſervationem ab immortali tempore ibidem obtentorum, & uſu habitorum liberorum commerciorum per aliquot privatos cives ibi, & eorum inſtinctum factam, bona media, & viæ pro melioratione inveniri, & procreari poſſent.

11. Similiter etiam debebit gravamen commercii in Suecica negotiatione rurſus conſiderari, ac quomodo cotidie accreſcẽti aggravationi averti queat, in diligentem conſultationem deduci, & propterea ſententia, & conſilium communis deliberationis declarati oportebit.

12. Honoratis Civitatibus Hanſæ neceſſaria explicatio fiet, quomodo in diverſis locis partim ſupra modum exaucta, partim etiam nuper impoſita vectigalia ſe habeant, & quomodo antehac complacitæ iuris inſtitutiones, tum quoq; quid contra tales alias ſuſceptum ſit, & adhuc in quibus terminis cõſiſtat: ubi ſimul ulterius cõſequens cõplaceri debebit.

13. Ad hoc, & pro decimo tertio etiam deliberandum, & concludendum erit, quum aliquot civitates retardata debita, & obligationes ad annuas, & alias contributiones etiam quod ab aliis pertinentibus civitatibus acceptum fuerit, neque dum tamen ad Hanſeaticum ærarium contributum ſit, per quæna competentia media, & vias tandem eiuſmodi reſtantiæ, una cum penſionibus, & commiſſis multis cogi queant.

14. Inſuper pro decimo quarto regiſtraturæ, & rationes ærarii Hãſeatici perluſtrari, & num ac quid in ſpecie, tum etiam in communi qualis conceptio totalis mutari, & meliorari Civitatibus Hanſæ conſiderari, & inſtitui debeat.

15. Decimo quinto, Quum etiam à D. Doct. Lãberto Steinwichio conſule & Syndico Civitatis Stralſundenſis propter eius, per aliquod tempus adminiſtrati Hanſeatici Syndicatus, officium, aliquot litteræ, una cum ſpeciali deſignatione, & rationibus Directorio miſſæ ſint, etiam nunc tandem honoratę civitates ita inter ſe conformabunt, & ut iſte punctus quoque in ſatisfactionem redigatur, ac prædicto Dn. D. æquitas præſtetur, concluſive adornabunt.

16. Demum pro decimo ſexto, quum quoq; Hãſæ Syndicatus abſque certo neceſſario ſervitio non ulterius eſſe valeat, proinde nunc etiam abſque mora de certa inſtitutione certi alicuius, & conſtantis Syndici Hanſeatici deliberandum erit, & ad factas denominationes certarum perſonarum finalis reſolutio concipienda erit.

Graviſſimi profecto hi ſunt puncti, qui totũ Hãſæ corpus concernunt; verum quum vix aliquæ tunc comparuerint civitates, nil recti cõcludi potuit, ſed omnis materia in pleniorem cõventum fuit reiecta. Unde etiam propoſitioni, quæ nomine S. Cæſ. Maj. ſuperiori an. à Dn. Com. Georg. Ludov. Schwartzburgico facta erat, ſatisfacere non potuerunt, præſertim quum cernerent, quorſum intentio talis tenderet. Ideoque ita ſe excuſarunt, quum non tantum in exiguo numero Legati Hanſæ comparuiſſent; ſed etiam res graviſſima videretur, ne præiudicium omnibus intereſſentibus crearetur, cogerentur id referre ſuis principalibus. Ubi ſimul hæc fuit oblatio, quod intra certi temporis ſpaciũ reſponſum in honorem S. Cæſ. M. eſſent ad locum Directorii miſſuri. Quam reſolutionem Cæſ. M. Dn. Legatus in ſatisfactionem pro hac occaſione acceptavit. Ac licet Civitatibus Hanſæ admodum gratioſa privilegia obferrentur, ſi poſtulato tali locum eſſent conceſſuri; tamen à parte Civitatum Hanſeaticarum ſupra modũ graves difficultates inventæ ſunt, quod navigationẽ apud Wiſmariam ab Hiſpanicis inſtituram minus in præiudicium tam proprium, quam ad Balthicum mare intereſſentium approbare poſſent, velut etiam tam à Rege Daniæ, quam Sueciæ monita acria illis miſſa fuerunt, ne ſe in hoc præcipitarent, alias moles belli navalis non ſolum in illas poſſet devolvi; ſed ipſas quoque civitates vix in communi commercio requiem ullam in futurum eſſe inventuras. Quare, ut ulterius in neutralitate ſe poſſent civitates conſervare, conſultiſſimum putarunt, ut mitterent legatos ſuos Pragam ad Cæſ. M. qui pericula communis cõmercij in his explicarent, veluti factum eſt. Interim etiam in omnem caſum ſuam ſibi paſſim adornarunt defenſionem, & præſidijs juſtis ſe muniverunt.

Digitized by Google

Digitized by Google

DE

CIVITATUM HANSEATICARUM

Antiquo celeberrimoque Fœdere, eius consociatione, articulis & fundamentali constitutione:

TRACTATUS SPECIALIS

PARS POSTERIOR,

alias respectu antecedentium

QVARTA.

CAP. I.

De secunda Fœderis Hanseatici universali regione, & eius quarta Metropoli, videlicet Colonia Agrippina, deque huius origine: & quomodo caput fuerit fœderis in altera parte Societatis sua pristina: cum civitatibus VVestphaliæ, Cliviæ, Geldriæ, Brabantiæ, & Frisiæ utriusque, &c.

QVod Fœdus Hanseaticum, propter membrorum suorum nimis amplam & admodum diffusam extensionem, prius in duas, & hinc in quatuor partes principales, sive sectiones, quarum unaquæque suam habet Metropolin, dirimatur dividaturve, id aliquoties jam dictum est. De tribus vero ex posteriori divisione, quas Saxones orientales cum Vandalicis civitatibus constituunt, & earum principales sive Metropolicos locos, quales sunt Lubecca, Brunsviga, & Dantiscum sive Gedanum, quomodoque suo ambitu ultra 46. urbes eiusmodi complectuntur, huc usque egimus. Restat igitur, ut, priusquam de Emporiis totidem quatuor universalibus earum quid subnectamus, pauca etiam nonnulla de reliquis membris eiusdem nobilis & antiquæ societatis connotemus. Nec patitur tempus pluribus omnia explicare, quū confœderationum notulæ simul huc referēdæ sunt. Numerus autem reliquarum non minor est 32. quarum caput est Colonia ad Rhenum. Atque quum amplissimum in hoc fœdere obtineat locum, merito de ea primo loco agitur. Eandem vero cursus methodum in hac recensione retinebimus, quæ observata fuit superius in enumeratione civitatum & portuum maris Baltici, ubi à Lubecca versus ortum usque ad Novogardiam progressi sumus. A civitatibus autem & origine gentium Saxonicarum initium sumere coacti sumus, quum fœderis Hanseatici non tantum origo ab earum incunabulis profluxerit, sed etiam ipsi populi Saxonici usque adeo coloniis suis Vandalos & Sclavos, suis proprijs in sedibus, pedetentim tali commerciorum confœderatione & statutis sive pactis ad suppressionem tacitam ita insensibiliter redegerint, ut ipsæ quoque Vandalicæ civitates, ceu hodie simul nomen illud frustra gestant, ex Saxonum completione & informatione suas adornarint passim Respublicas. Occulta fuit ratio omnium; ita & occulto modo suam accepit confectionem. Atque hæc causa fuit potissima, quur altius nonnihil & indagine perfectiori id perscrutari & percensere coacti simus. Ita quoque ab altera hac parte Westphalorum Saxonum populi, ceu nec minus acuti & ingeniosi celebrantur homines, id perfecerunt, ut ita ex longinquo illud ad consummationem perductum sit fœdus Hansæ. Simile quid in ipsa Coloniæ Agrippinæ constitutione cernere est, ut mox patebit. Ideoque etiam ex hac ratione primum hæc urbs meretur locum, ut alias brevitatis causa prætereamus.

Colonia autem multiformes habet eo nomine appellationes, ut dicatur Colonia Agrippinensis, Colonia Ubiorum Agrippinensium, Coloniæ Agrippinæ Ubiorum, vel etiam simpliciter Coloniæ; quum antea Ubiorum civitas dicta fuerit. Istis enim nominibus indicare voluerunt scriptores & incolæ loci illius, ortum tam nobilis urbis duplicem aut triplicem. Nimirum quosin origine sua gestet auctores, & qui populi ibi habitarint, ac qua occasione exstructa ac restaurata urbs sit; ubi simul etiam temporis ratio includitur, ut non frustra factum sit, quod Colonienses olim quoque se Agrippinenses dixerint: quamvis Hadrian. Iun. in hist. Batav. ex Tacito referat, pag. 41. Batavos pessime accepisse Ubios, velut levitatis nomen in iis ultos, qui Germanica origine erubescentes, eiurata patria (quod nimis audacter prolatum est,) Agrippinenses vocari prætulissent. An quis propterea patriam continuo eiurat, si simul auctoris urbici nomen in honorem memoriæ gratæ protrahat? Constat autem hoc ex historiis, quod ante Christum natum Ubiorum sedes in terris illis fuerit, & quod eorum metropolis

caput Ubiorum dicta fuerit. Quum enim Ubii huius urbis prima jeciſſent fundamenta, vocata tunc fuit Ubiopolis: Longe poſtea vero appellata fuit Agrippina, à Marco Agrippa, qui eam ſuo modo reſtauravit, fuitque is Auguſti Cæſaris gener. Quod etiam civitas ante Agrippam hæc fuerit, ipſe confitetur *Iul. Cæſ. lib. 4. de Bell. Gall.* ubi hæc eius ſunt verba: Ad alteram partem ſuccedunt Ubii, quorum fuit civitas ampla atque florens, ut eſt captio Germanorum, & paullo, qui ſunt eiuſdem generis, etiam cæteris humaniores, propterea quod Rhenum attingunt, multique ad eos mercatores ventitant, & ipſi propter propinquitatem Gallicis ſunt moribus adſuefacti. Hos quum Suevi, multis ſæpe bellis experti, propter amplitudinem gravitatemque civitatis finibus expellere non potuiſſent, tamen vectigales ſibi fecerunt; ac multo humiliores infirmioreſque redegerunt. In eadem cauſa fuerunt Uſipetes, & Tenchtheri, quos ſupra diximus, qui, quum plures annos Suevorum vim ſuſtinuerint, ad extremum tamen agris expulſi, & multis locis Germaniæ triennium vagati, ad Rhenum pervenerunt, &c. *Hadr. Iunius in hiſt. Bat. ſua pag.* 368. huic loco addit, inquiens: Horum (Ubiorum) ſedes fuere trãs Rhenum ditione Marchia Clivenſis Principis propria: Sed à M. Agrippa in citeriorem ripam traductos ad victoris arbitrium, ex Strabone conſtat. Quo nomine miror, Volaterranum non puduiſſe Ubiis ſedes aſſignare in Marchia Badenſi, quæ ad Helvetios eſt. Veriſimile fit, nominis veſtigium ſervari in pago Coloniæ obiecto, quem Tuiſch vulgus nominat, olim fortaſſe Te Ubiſch, & contracte Tubiſch, atque inde Tuiſch, ubi nobile extat & vetuſtum cœnobium, olim præſidiarium munimentum à Flav. Conſtantino conſtructum, Divitenſe nunc paratum, quod fortaſſis ab Heriberto Præſule Colonienſi ad pios fuit uſus commutatum, &c.

Iulius Cæſar duas affert cauſſas, quur ex ea parte in Germaniam expeditionem ſuſceperit, quod Ubiorum natura præ cæteris populis fuerit humanior, & quod propter Suevorum infeſtationes violẽtiores legatos ad ſe miſerint, & datis obſidibus non ſolum amicitiam cum eo fecerint, ſed etiam auxiliũ adverſus potentiorem hoſtem petierint. *Bert. in Comm. rer. Germ. l.* 3. putat Suevos fuiſſe Cattos, ſed fruſtra. Etenim de Suevis hoc itidem verum eſt, quod *Hadr. Iun. in Bat. ſua pag.* 68. de Francis prædicat, gentem nimirum fuiſſe nunquam limitibus ſuis contentam, & alieni appetentem, quæ dominandi libidine concitata longe lateque finium ſuorum pomœria propagare ſtuduerit; Velut etiam in Burgundionum intentione id clarum eſt, quomodo inde ſuum nomẽ, quum ex Suevorum finibus progreſſi ad Rhenum terras occupare & arces condere inciperent, ſortiti fuerint, *ut ſup. pag.* 3. c. 2. dictum eſt. Sæpius apud Ubios ſtationes ſuas invenere Romani, & quum locus atque gens illa ſtrideret ipſis, quumque inde commodæ occaſiones in Germaniam ulteriorem excurrendi parerent, toties Cæſaris viam illuc repetivere. Quum igitur Agrippa Ubiorum gentem Rhenum tranſgreſſam in fidem ſuã accepiſſet Agrippina hæc urbs dicta fuit, quod nomen eo magis ibi confirmatum fuit, quum neptis eius Agrippina Cæſaris Germanici filia genita fuerit. In quam poſtea Claudio Cæſare marito auctore coloniã veteranorum eo deduxit; & eo utrumque nomen civitati impoſitum eſt. Auctor ille, qui ſanctæ Coloniæ Chronicon cõſcripſit, idemq; uſque ad annum Chr. 1496. Alexandri 6. 225. Pap. ac Hermanni 4. Arch. 61. quem pacificum dixere, tempora deduxit, quinque recenſet opiniones, de Origine huius urbis. quarũ tamen ipſe tres priores fabuloſas ſtatuit rectiſſime; inprimis eã maxime, quam ex Trevirenſe hiſtorico de Trebata Semiramidis filio, & eius fuga per mare, propter vitationem inceſtarum nuptiarum, & concubitus cũ matre; atque ſic per Rhenum in Moſellam conſcenderit, ibique urbem Trevirenſem condiderit; & novam linguam Germanicam invenerit; velut etiam inde tantus exortus ſit gentium confluxus, ut vicos pagoſque cum 5. civitatibus Colonienſi, Moguntina, Wormatia, &c. Argentoratum uſque & Baſileã ad Rhenum in continua ſerie rexerint. Sed quum ipſe auctor Chronici Colon. talia ex futilitate ſua reiiciat, non opus eſt, pluribus hæc examinare. At Colonia, eo à Romanis perducta, per aliquot ſecula ſub illorum poteſtate manſit: velut etiam Vitellius apud hanc urbem ad Imperium electione militum Anno Chr. 68. evectus, & Cæſar proclamatus fuit; Sic & Traianus in eadem imperii inſignia accepit, quæ ipſi Anno Chriſt. 97. à Cocceio Nerva iſtuc miſſa ſunt. Etenim Traianus Imp. nõ tantum urbem hanc Romano more ædificari fecit; Sed etiam iure Rom. & privilegiis eam donavit. Imo & in abſentia ſua plenipotentiarios eos fecit, qui ius condendi leges haberent. *Chr. Col. pag.* 58. Quum vicinorum incurſionibus tot impetuoſis urbs hæc obiecta eſſet, pridem ædificationem trans Rhenum incolæ tuleruut. Etenim Friſij, Tenchteri, Uſipetes cũ Sicambris admodum infenſi illis erant, quod tam conſtanter fidem Romanam conſervarent, velut & Tenchteri hoc poſtularunt ſæpius, ut Ubii Romanos advenas trucidarent; quod tamen callide declinarunt pro viribus. At Franciæ gentis, quæ ſub Gallieno Imp. Anno Chr. 261. nomine florere ſuo cœpit, & ſub Conſtantio Cæſare An. 270. Bataviam occuparat, quum inde iterum uſque ad Amaſim & Viſurgim erumperet, & toties repelleretur, tandem horum marginibus (*ait Hadr. Iun. in Bat. ſua pag.* 68.) contineri non potuit indomitus ille furor, quin ad Albim uſque ſe extenderet, atque inde digreſſus ceu continenti incendio in vicinia penetraret viſcera: ac primum in Ubios profecta hæc gens, mox ſuperata Rheni ripa Coloniam Agrippinam opulentiſſimam munitiſſimamque urbem, gravi obſidione preſſam captamque delevit, Ammiano teſte. Iuliani vero Cæſ. principatus Anno Chr. 362. adeo felix fuit, ut firmata cum Francis pace eam receperit. Nihilominus quum varias iterum Franci debellaſſent uſque ad Alpes & inde digrediendo felici ſucceſſu ad Bizantium terribile ſuũ nomen protuliſſent, quod regnum ad fœdus ſuum commoverant, atque redeundo tranſito Rheno iterum per Toxandrios Nerviorum & Trevirorum agros cultoribus vacuos ob vaſtitatem occiſorum occupaſſent, circa Annum Chr. 377. Imper. Gratiano & Valentiniano rurſus Coloniam in ſuam redegerunt poſſeſſionem. Unde in magnis ſemper vixerunt turbis & cladibus, donec circa Annum 472. attritis ipſorum viribus ac debilitatis, Franci ductore rege ſuo 4. Childerico, qui redux ex exilio ſuum hoſtem & interregem Virodomarium in eam urbem confugientem

gienem perſequebatur, vi denuo occuparunt, & ad Ottonis I. uſque tempora ultra 4. ſeculorum ſpaciũ moderati ſunt, qui eam An. 949. Romano Imperio reſtituendo liberam fecit, privilegiisq; ſuis ornavit. Antehac enim ſæpius tributaria, ſæpius plane in ſervum ſtatum redacta fuerat, adeo ut etiã Inſigne ſuũ iuxta Dominorum nutum mutare cogeretur, *ut teſtatur Chron. Colon. ſcriptor pag.* 80. Quum vero Otto Magn. Anno 15. ſui Imperii coronatus eam penitus Romano Imp. recuperaſſet, & tamen in Italia propter reſtitutionem ſui Leonis Papæ, quem Romani, alium videlicet Benedictum 5. eligendo, reiecerant, abeſſe cogeretur, filio Ottoni II. & fratri Brunoni Archiepiſcopo Colonienſi totam rei ſummam & præſertim Coloniæ conſervationem ac defenſionẽ concreditit. Iſte Archiepiſ. pontem ex lapide arcuoſum, qui urbem cum ſuburbio Tuiſcho coniungebat, iis temporibus ex iuſſu, ut alii qui volunt, Imper. quod ibi varia noctu committerentur homicidia & rapinæ, plane diiecit cum fundamento ſuo: atque monaſterium Panthaleonis Coloniæ ædificavit, urbemque Pariſienſem cum arce, ubi a fratre Imperat. poteſtatem gladii impetraverat, ibidem expugnavit, & ſpolio hoc ſuum ditavit monaſterium. *Chron. Col. pag.* 129. Auctor ille *Chron. Colon.* potius collectanea quam veram conſcripſit hiſtoriam, quibus tamen plurima ex legẽdis ſubmiſcuit fabuloſa & anilitates, præterquam, quod etiam ſemper temporum confuſiones in principio convolvit, ut in pluribus exiguã mereatur fidem, velut etiam notabile quod *pag.* 137. omnibus Cæſaribus à Iulio Cæſare uſque ad Ottonem contra omnem hiſtoriarum atteſtationem attribuat hæreditariam ſucceſſionem, quum tamen conſtet notorie, quod electio ut plurimum prævaluerit. An vero Ottoni III. ordinatio electorum competat, id in proœmio *huius tractatus* ex parte declaratũ eſt, & multo clarius indicat Diploma Magdeburgenſe Ottonis II. ſub dato An. 978. ſuperius poſitum, ubi verba expreſſa Electorum revocatione ad Pallantiam habentur. Quo etiam hoc referendum, quod non inique origo huius ſtatus ipſi Carolo Magno adſignetur, velut *Lecnerus in hiſt. Car. Mag cap.* 41. id plenius explicat, idem *Chron. Manſfeld. cap.* 86. *atque Erpol. fol.* 218. approbat. Recte tamen 90. civitates enumerat, quas Otto III. in Comitiis publ. Imper. An. 995. Wormatiæ habitis, pro maiori ſtabilimento imperii, dignitate libertatis ceu membra imperii donavit ornavitque, ut in æternũ ita eſſent privilegiatæ, nec alium niſi imperatorem aut eius præſidem in qualibet civitate agnoſcerent iudicem, ac nec uſpiam arreſto detinerentur: Sed cives earum ſint vaſalli imperii. Inde quoque ad homagium immediate Imperatori præſtandum tenentur, velut etiam originalia pacta Ottonis Rufi ſive 2. adhuc ſecum Colonia adſervat, quomodo Imperatori obligetur & è contra, qui etiam talia libertatis privilegia in commerciorum libertate Coloniæ cõceſſit, *ut ſupra cap.* 4. *de Magdeburg. dictum eſt*, velut etiam ſingularibus privilegiis donata eſt à regibus Britanniæ, & eiuſmodi cõceſſiones variis victoriis defendit, nec unquam claves portarum depoſuit aut eripi ſibi paſſa eſt, ut pluribus *id Chron. Col. pag.* 164. & 165. *declarat*, & 19. ipſi regalia attribuit, ubi ita denum concludit: Quodcunque laudabile & gloriosum de omnibus imperii liberis civitatibus ſcribi & prædicari poterit, & quodcunque illis conceſſum eſſe valet, hoc omne in una confluit noſtra Colonia. Ideoque eam ſanctam vocat urbem, quum nunquam ſanguine Chriſtianorum ſe polluerit, ſed Chriſtianæ pacis ſtudioſiſſima fuerit, ut habent eius verſus:

Sancta Colonia dicaris hinc, quia ſanguine tincta,
Sanctorum meritis, quorum ſtas undique cincta.

Unde quoque eam ſupra Ieruſalem, Romam, Conſtantinopolim, Trevirem & Moguntiam exaltatam valde prædicat, quod nullius ſanguinis ſanctorum facta noxia ſit, *pag.* 145. Archiepiſcopatum autem ſuum à Carolo Magno habet Anno 743. introductũ, cuius primus præſes fuit popularis eius Agilolphus. Anno Chr. 1064. orta eſt ibi magna diſcordia inter cives & 33. Epiſcopum Annonem 2. Quum enim ille cuidam mercatori cum vi navem auferre conaretur, civis commotus reſtitit pro virili ſua Præſuli, & totam civitatem in ſuam ita pertraxit partem, ut inde anno 2. bellum concitaret, & cives miſere trucidando urbem totam expoliaret; unde iterum à civibus expulſus fuit, donec reconciliatio iuramento mutuo confirmata fuit. Habet autem ſub ſe Archiepiſcopus Colonienſis Epiſcopatus Monaſterienſem, Traiectenſem, Leodienſem ſive Tungrenſem, Mindenſem, & Oſnabrugenſem: Ex altera parte ripæ Rheni, Divitienſem, Andernacenſem, oppidum poſſidet, item Bonnam, Sontinam, Bruelã & Nuſſiam ſive Noveſiam, &c. Mira eſt legenda eius, quã de tranſlatione corporum trium regum ex Mediolano expugnato Anno 1178. per curam Epiſcop. Reniholdi facta, habent nonnulli hiſtorici, de qua vide *Chron. Sax. Pol. pag.* 279. quæ tam non propoſito competunt.

Prima vero urbis forma, ut Romæ ipſius matris, quadrata fuit, cuius tamen adhuc muri, turres ac foſſæ pleriſque in locis videntur. Ac deinde Anno Chriſt. 1180. amplificata Lunæ dimidiatę faciem nũc repræſentat. Splendore & elegantia ſumma eſt, validiſſimis & armatis cingitur muris, qui turres opportunas ad defenſionem 83. in circuitu colligunt. Duplici foſſa utrinque muro veſtita, lata atque præcipite multarum arborum umbra, & proceritate iucunda cingitur, quæ gratioſam obambulationeulæ, meditationibus & ſtudiis commoditatem æſtivo tempore præbet. Intra mœnia paſſim vineæ, pomi, aliæque fructiferæ arbores loca ſua conveſtiunt; unde intus & extra Romæ quodammodo par & ſimilis loci amœnitate, & populi frequentia, & dignitate magiſtratuum, amplitudine opum, & magnificentia ædium ſacrarum, & publicorum privatorumque operum ſplendore atque elegantia; denique ſapientię ac virtutis bonarumq; litterarum gloria, ut non immerito altera Germaniæ Roma appellari queat. Sacrarum enim ædium magnus eſt numerus. Templa plebanica 19. cenſentur: Collegia 10. Virorum Cœnobia 15. Virginum 22. Monialium & vetulatum cõventus 59. Sacella 30. Loca alia ſimul habet miſericordiæ & pietati conſecrata: Xenodochia 2. Noſocomia 2. Gerontrophia 8. Brephotrophium unum. Mente privatorum ergaſtulum unum. Curia & ædes Prætoriæ ita mirifice ſunt extructæ, ut non ſine

magna oblectatione adſpici queant. Etenim inter cætera præcelſam & rari operis ex quadratis & ad regulam formatis ſaxis venuſte erectam oſtentat turrim, quæ artificioſiſſimis ſtatuarum, ac Cæſarum regumque imaginibus undique & undique decoratur, quarum ſummo in loco poſitæ ſupremæ proportioni tam affabre reſpondent, ut omnes eiuſdem appareant magnitudinis. Speculates in apice habet feneſtras, per quas viſus in omnes urbis panditur partes: ante annos aliquot hilarula mirifico opere conſtructa huic ædificio acceſſit. Ex oppoſito Sacellum illud, quod olim Iudæis Synagogam exhibuit, anno ſalutis 1426. B. Virgini conſecratum fuit. Ac ne quid deeſſet urbi, quod ad iuventutis Chriſtianam educationem & ſapientiæ culturam faceret, Senatus ſuis ſumptibus Anno 1388. Academiam, privilegia ſuppeditante Urbano 6. Pontif. introduci curavit, in qua docuere S. Gerardus Calcarienſis, Albertus Magnus, Thomas Aquinas, Ioh. Scotus & alii. Forma regiminis huius urbis, uti Colonia merito dicitur Romanorum, ita quoque æmulam ſui ſe vivide exprimit. Etenim quâvis ſint 6. Conſules, tamen 2. quotannis imperiũ gerunt; 2. præſunt ærario publico, 2. vacant. Quãdo 2. regentes ſaſcib⁹ cedunt, & ęrarii adminiſtrationem ſubeunt, vacantes duo in eorum ſuccedunt locum, ut ita vices ordinem obſervent ſuum. Sic ſuos habent Proconſules, Prætores, Cenſores, Tribunos vigilum, Quæſtores, Ædiles, Prętectos annonæ, & alios, qui civium cauſas potiſſimum iudicant, iudicarive iubent. Præter hos ſunt alii duo magiſtratus in urbe, quorum unus eſt ampliſſimi collegii ſacerdotalis; cuius ſummus præſes atque moderator eſt Princeps S. Imp. Elect. Archiepiſc. alter vero Acad. ipſius Rector, qui una cum 4. Decanis facultatum, veluti Cenſoribus & Tribunis, privilegiorum conſervator & iudex eſt, omnemque in ſuos habet iuriſdictionem tam in criminalibus quam civilibus controverſiis. Matrem Acad. habet Lutetiam Pariſiorum; filiam Lovanium Brabantiæ. Præter Acad. alia tria celebrantur Gymnaſia publica, Montanum, Laurentianum, Cucanum; quippe Cornelianum 4. ante aliquot annos intercidit; præterea & aliæ ſcholę privatæ ſupra 100. habentur. Civium autem tota multitudo & communitas *in 22. tribus* dividitur, Græcis φύλαι dicuntur, Colonienſibus ſunt Gaffelen/ aliis civitatibus Zünffte/ Magdeburg. Innungen. Collegiorum horum communium ea eſt ſolemnis conſtitutio, ut nemo ſive ſit nobilis aut ignobilis, doctus vel indoctus, civitatis iure donari poſſit, niſi ad aliquem Ordinem talem Gaffelicum ſive tribum ſe conferat & ei nomen det. Status enim huius urbis quum ſit popularis, inde magiſtratum eligi oportet; qui conſtat ex 49. perſonis. Qui vero in iſtis tribubus aut collegiis non ſunt eiuſdem artificii fratres, ſed alterius conditionis viri, dicuntur Adiurati ſive Beygeſchworne. Singulis annis illis eſt ſolemnis conventus die Iohannis Baptiſtæ: tum per collectionem votorum creantur duo, treſve, iuxta collegii conſtitutionem, qui magiſtratui in Republ. ſubminiſtrantur, nullo habito diſcrimine, cuius ſint conditionis homines, modo de prudentia ipſorum, pietate & virtute quid certi conſter, nec aliqua ignominia ſint notati; unde fit, quod cives honeſtati in cunctis actionibus & negotiis ſupra modum ſint addicti. Modificatio tamen votorum adiicitur in pluralitate, ut quibus potiſſima adſtipulentur vota, ad Magiſtratus dignitatem evehantur, donec completus ſit numerus 36. Senatorum ex tribubus. Illi autem 36. alios tredecim ex numero tribuum iterum eligunt, donec numerus totius Magiſtratus 49. abſolvatur. In quo actu iſte proceſſus adhibetur, ut 36. creati à tribubus in Curiam ducantur, & depoſito fidelitatis iuramento, ſtatim in ſupplementum Senatus ad vota & novam electionem 13. perſonarum, quæ adhuc deſunt, properent, qui itidem tunc ex collegiis artificum evocantur. Atque hos 13. vocant Gebrechs Herren/ quaſi dicas in ſupplementum electos. Iſti itaque 49. poſtea ex ſuo numero duos ſibi creant Conſules. Horum non vilis eſt auctoritas præſertim in ſecretioribus conſiliis & arduis, ad quæ ſibi Seniores ex Senatu ſeligunt, quos ob id Außſchuß nominant, quum ad talia ſint ſigillatim creati, atque cum iis de rebus agendis quid certi deliberent, excluſa reliqua Senatorum parte. Quãvis vero ſingulis annis nova fiat electio, tamen hoc cum grano ſalis eſt accipiendum, quod non facile reiiciantur, qui in antecedentibus fuerunt annis. Etenim qui hoc fuerunt anno regentes ſuperiores, ſecundo anno aliud remiſſius officium ſubeunt; tertio anno vacant, ac quarto demum anno iterum ad gubernationis ſtatum revocãtur per vota, niſi ſint, qui ingentem ſuſpicionem in ſe concitarint, aut alia cõſpurcati vitii macula vivant. Atq; ita ſemper ferme unum quodq; corpus ex 22. tribubus illis perpetuo 13. continet Senatores: accidit tamen, ut 10. aut 11. præterea ex collegis talibus Senatoria dignitate ſint præditi propter electionem illam alteram, quam diximus à Senatoribus fieri in ſupplemẽtum in omnibus civibus, quum talis electio non ſit collegiis certis alligata. Habent præterea iſti tribus nobilem & notabilem conſuetudinem, ut in ſuis curiis aut ædificiis, collegio cuique deſtinatis, ſingula ſeptimana ad confabulationem, amicitiæ conſervandæ & cõiunctionis animorum ſolide ſuſtentandæ cauſa, diebus ſolis conveniant; ubi iuxta ordinem fratri alicui competit, ut vel pernam vel tale quid cum hauſtu vini apponat. Sed modus huic certus eſt præſcriptus quem certa ſub fide obſervare cogitur, ne inde quid detrimenti facultatibus ſuis contrahat in negotiatione ſita, quod iuxta ſericm ita obſervatur, ut vix quinto aut ſexto anno, &c. talis commeſſatio adornanda eundem tangat. Dicuntur vero tales conventus, quem quæq; tribus celebrat in ſuo collegio, fraternæ confabulationes, ceu & omnes fratres in eo tunc habentur ordine. Mos certe laudabilis, quo nihil excellentius pro conſtanti conſervatione cõglutinatorum animorum exerceri poteſt, ut in viriditate perpetua ſua ſolida confirmetur & retineatur cõiunctio interna cordium; nec hac de admittuntur diſſenſiones, quæ iuxta Statuta cuiuſque collegii conſopiuntur.

In cauſis autem iuſtitiæ & iuriſdictione exercenda diverſa eſt ratio. Etenim eſt ibidem iudicium Electorale ex 10. perſonis conſtitutum, cui præſidet, quem Comitem iuxta antiquum Saxonum morem, ut ſupra oſtenſum eſt, Grafſen dicunt, cui 9. adſident Scabini, qui omnes urbis Colonienſis nontantum ſunt incolæ, ſed neceſſum eſt, ut etiam immobilia in eadem poſſideant bona. Ab hoc iudicio plane quẽ excluſus eſt Senatus tempore interregni poſt obiti

Fred-

Frid. II. quũ tota Germania per 23. annos pleno ferveret tumultu, & Archiep. Conradus Hoeſtendenſis maxime ſibi vigilandum putaret. *Chronici Colon. auctor p.* 198. Ipſe hic Archiepiſc. attribuit principalem omnis diſſenſionis cauſſam in Germania, quum tantæ auctoritatis apud Innocentium Papam fuerit, ut non ſolum obtinuerit ab eodem, quod nulla Regis Romani coronatio & confirmatio valida eſſe debeat, niſi ab Electore Colonienſi in urbe Aquiſgranenſi perficiatur; ſed etiam ceu principalis Elector & confirmator inde Regis Rom. tres Rom. reges, vid. Henricum Landgravium Haſſiæ, & March. &c. Thuringiæ, Wilhelmũ Comitem Hollandiæ, & demum Richardum Cornubienſem regis Angliæ fratrem, quem ipſe ex Anglia adduxit, elegerit. Eo tempore (*ait Chron. Colon. p.* 199.) Principes & Domini terrarum nemini cedebant; ſed quiſque pro libidine ſua tyrannidem in ſubditos exercebat. Idem quoq; tentabat Epiſc. Cunradus in Colonienſes, & Anno 1240. arripiebat occaſionem ex nova moneta corrupte cudenda: Quod quum ipſi inhiberẽt iuxta ordinem præſcriptum, quod tale ius non competeret Archiepiſcopo, niſi tribus vicibus, quando inveſtituram imperii, & deinde pallium obtinuiſſet, & tertio cum Cæſare Romanum iter trans Alpes confeciſſet; inde bis Coloniam obſidione acri cinxit. Donec Herman à Vitinghoven demonſtraret Epiſcopo, q Colonia eſſet inexpugnabilis, quam diu concorditer inter ſeſe cohæterent cives. Unde confecta prius pace, confœderationem cum Magiſtratu & Scabinis ambire cœpit; In hoc vero quum repulſam tuliſſet, ſumpſit inde anſam, ut cives in ſuam perſtraheret partem: Quos promiſſis ſpecioſis immunitatum ita dementavit ſimul, ut ſalvis privilegiis ipſi præſtiterint homagium: Atque ſic, *ait Chr. p.* 203. ex hac ſeparatione civium vicit penitus ſubiugando Senatũ & Scabinos, atque in ſe omne tranſtulit ius monetã cudendi, quum præfectos eius, qui dicebãtur Huisgenoſſen, per publicam quaſi iuſtitiæ ſententiam in Palantia Colon 9. Calend. April. An. Dom. 1258. ubi pars & index erat, condemnari curaret ad deponendum officium, & ſimul Scabinos cum inſignibus ſuis removeret, novos ſubſtituendo, qui variis cives emungebant contributionibus. Ob talem libertatis amiſſionem, quã ex mutua ſibi contraxerant diſcordia, miri erant motus per integrum decennium: Et quum aliqui cives honeſtioris animi recuperare ſtuderent libertatem civitatis, contra datam fidem Epiſcop. Conradus biennio ante mortem captivos abduci curavit in arcem Airam, & totam adeo occupavit civitatem, ut etiam claves portarum ſecum adſervaret. Eius ſucceſſor Engelbertus Valkenburgicus An. 1261. eadem continuavit dominium plenũ, & quum turribus caſtella aliquot muniviſſet, novas urbi exactiones imponebat in publico civium conventu 8. Iunij An. Dom. 1262. Verum cives inde cõmoti ſtatim concurrebãt ad arma, & revocari iubebant ob patriæ libertatem exulãtes ex Wyero proximo oppido: 14. portas uno die denuo in ſuam redegerunt poteſtatem, & duo confregerunt caſtella; turrim autem Beyenſem in victoriæ huius memoriã non confregerunt, ut novæ confœderationis inter magiſtratum & cives eſſet teſtis æternus. Licet vero urbs eſſet libertati ſuæ ut plurimum reſtituta; tamen vindicem ſtrenuum ſe exerebat Epiſcop. Engelbertus, nec poterat ullis emolliri animi rationibus, donec ex inſtinctu Vitingovii Epiſcop. Luttiche niſis Heinricus & frater eius Otto Comes Geldrenſis ab obſidione urbis ad perſuaſionem pacis fictę eum reducerent. Proverbium hoc ipſi ſedulo inculcarunt notabile: Qui temporis conſilio rite utitur, hunc pœnitentiæ dolor non ſequitur.

Der gorden Raît volget in de zyet/
He bliſt gerne achter Ruwes quyet.

Qui bene conſiliis in tempore porrigit aures,
Nec dolor à tergo corripit hunc ſtimulans.

Inde tam Epiſcop. quam civitas ſe ſubmittebat dictis his amicis, & Wilhelmo Comiti Iuliacenſi ita, ut 6000. marcas argenti ſolveret urbs, & captivi utrimque relaxarentur, urbique manerent privilegia ſalva cum Scabinatu & iuriſdictione, nec quid Bonnæ ac Noviſſæ vectigalis loco ſolverent amplius. Licet vero tranſactio talis mutuo iuramento in æternũ eſſet confirmata; tamen Epiſcopus ſtatim non tantum Conſulem Hermannum Grynæum Leoni ſuo obiici per Monachos, qui in porta Papienſi ob factum hoc ſuſpendebantur, curabat, anno eodem 1262. ſed etiam à Pontif. Clemente 4. per falſa narrata contra datam fidem obtinebat bãni litteras, quas conſopiebant 700. marcis. Nihilominus novas inſidias intentabat Colonienſibus, ut ſe uſque in tertiũ diem in palatio ſuo contineret, & ſic clancularie ſicarios cogeret per fratrem Theodoricum, tertioq; die iudiciali inermem obrueret populum. Verum clandeſtinitas talis ipſum & fratrem in cuſtodiam coniecit ex vigilantia magiſtratus. Quamvis Epiſcopus eſſet homo, cui vix trium dierum fides iurata cõſtaret, ut *ait Chron. Col. p.* 219. tamen vicini, Epiſcop. Luttichianus, Fraterque eius Otto Geldrenſis, Comes Lovanienſis, & Com. Engelhardus Marchenſis ita efflagitabantur, ut utraque pars ſe ſubmitteret arbitrio horum, qui æternam iterũ conſtituerunt quidem pacis tranſactionem; verum quum vi ſe inferiorem agnoſceret Epiſcopus, ad imitationem Anteceſſoris & eõſilii Vitingoviani per emiſſarium Anshelmum à Iuſtien diſcordias tantas inter cives & magiſtratum concitavit, ut ternis vicibus ſanguinolentiſſimo inter ſeſe coirent conflictu, (dum interea quoque incendium ordinaret Epiſcopus) & ſic obrueret civitatem exercitu ſuo. Sed quum hoc non ſuccederet, & diſcordia continuaret malum civitatis, augeretque interno odio, novum iniit conſilium Epiſcopus, ut cum primatibus per 2. Monachos An. 1266. iniret fœdus contra cives. Adeo occœcarat omnes incolas urbis invidia, & inteſtinum odium, ut nil niſi vindictam inter ſe appeterent: Atque quũ interim Epiſcopo per fœdus novum pateret ſecurus in civitatem aditus, ille denuo cives in ſuum ſingulari ſtratagemate pertraxit favorem; unde tam funeſtus exortus eſt concurſus armorum, ut diu conſopiri non potuerit, donec enervati cives vicinis quatuor Comitibus Geldrenſi, Iuliacenſi, Bergenſi & Carzẽelbogenſi ſingulari fœdere civitatem concrederent: quod uſque adeo commovit Epiſcop. Engelbertũ, ut Comiti Iuliacenſi totam ditionem ſuam expoliaret, à quo tamen paulo poſt An. 1267. die Lucæ Nideccam captivus abducebatur. Inde vero per 4. annos urbs banno condemnata vixit. Et quamvis An. 1270. die 14. poſt feſtum Paſchatos per Albertum Magn. Epiſcop. Ratiſbonenſem æterna pacificatio

ad petitū Epiſcopi captivi publicata fuerit, & quod urbi privilegia ſalva manere deberent; tamen hoſtis urbis Epiſcopus Anno 1272. mortuus, nec à banno contra datam fidem abſolvere cives voluit. Succeſſorem habuit Sivertum Weſterburgenſem 52. Archiep. qui non minori violentia ſupprimere ſtuduit urbem, donec in capturam ſeptennalem Comitis Adolphi Bergenſis incideret, & pro redemptione cum conſenſu capituli totam ditionem Binsbergicam cum Duſſeldorpiana aliiſque pagis & arcibus ultra Syburgum ſolveret; ex banno quoque liberaret urbem Colonienſem. Ubi ſibi ſimul Comes Everhardus Marckzochenſis Ducatum Angariæ vendicabat. Quod bello non poterat Sivertus contra hāc urbem obtinere, id alia via in aula Imperat. Rudolphi Habſpurg. perſequi ſatagebat, ut ſuo hanc iugo addictam haberet. Verum ut eo citius lis dirimeretur, ſententia utrique parti tandem An. 1297. tempore Adolfi Imper. Naſſovienſis, lata eſt, ut claves portarum ad 2. milliaria ab urbe exportarentur, atque ibi conflictu coirent, & cui parti cederet victoria, ea quoque plenum poſſideret urbis dominium, & ſibi ita in perpetuum referaret eandem. Verum cives, ut fortitudinem ſuam cum animoſitate conſtanti demonſtrarent, nimis vicinum putabant locū ſibi: Ideoque uſque in Ducatum Brabātiæ ad Woringam curru claves portarum exportari curarunt, atque quum forti manu & belli mutuo conflictu ibi tales ſalvaſſent, inde perpetuam ſibi denuo acquiſiverunt poſſeſſionem urbis cum Dominio iuriſdictionis: In cuius rei æternam memoriam templum Bonifacianum in platea Severiniana erexerunt, in quo ab Anno Domini 1298. huius victoriæ feſtum quotannis cum pompa ſingulari Senatus totus celebrare ſolitus eſt. *Chron. Col. pag.* 241. Hinc quum faventem experti fuiſſent Colonienſes Imperat. Albertum Auſtriacum, ſedulo ſe ipſi ſubmiſerunt adeo, ut etiam eius opem contra Wigboldum 53. Epiſcop. hoc eos infeſtante, ſalutarem imploraſſent. Hic enim Imperator non tantū confirmavit iis privilegia & tutela ſua defendit, ſed etiam tranſactionem inter Epiſcop. & urbem compoſuit æternam, atque ſibi Cæſaris Werdam, Synzingam & Aram. fl. & Zulphiam recuperavit. An. 1369. exigebat Senatus à Canonicis acciſam frumentorum & vini, & vectigal depoſitariorum, inhibēdo ſimul, ne ipſi œnopolio uterentur, quod male ita habebat omnes, ut per biennium excederent ex urbe. Atque quum Senatus Clericis excluſionem æternam meditaretur, eo maturius rediere in gratiam cum civitatenſibus his. Verum Anno 1372. textores ingentem cōcitabant motum, & non tantum ſeparabant Scabinos à Magiſtratu, ſed etiam duas conſtituebant Senatus partes, unam ex familiis, quam arctiorem vocabant, & alteram ex tribubus in numero 50. perſonarum, quam magnum dicebant Senatus ordinem. Hoc quum morderet veteres Senatores, ingens odiū creabant apud confraternitates civium textorum ordini variis accuſationibus, ut inde inteſtino bello miſere ſe conficerent: & quamvis veteres Senatores, poteſtatem ſuam cum auctoritate aliquo modo recuperarent; tamen fecit eorum inſolentia & novarum impoſitionum crebra repetitio, ut novum in ſeſe concitarent odium. Tum quoque Scabini iuriſdictionem ſuam extendere ſupra Cōſules ſtudebāt, unde motus & ſeparatio tanta exoriebatur, ut Scabini ad Epiſcop. Fridericum III. Sarwerdenum cōfugiendo, ipſi ſecreta iura detegerent, & Scabinatū ſimul offerrent, quem vi quoque bellica ſibi vendicare non verebatur. Verum quum proditores ex urbe ejicerentur, cum iiſdem ad Imper. Carol. 4. profectus eſt, & falſis querimoniis excommunicationē obtinuit. Colonienſes licet toties cognitionē cauſſę peterent; tamen audiri minime potuerunt. Proinde confugiebant ad Papam, & ibi impetrabant contrarium in Epiſcop. bannum. Varia quidem tentabat Archiep. tamen ex interpoſitione Archiep. Trevirēſis diſſidium aliquo modo componebatur, ut duos reciperent nomine Epiſcopi Scabinos.

An. 1392. quum ſuſpectus eſſet Senatus, pridie S. Laurentii Conſules & Scabini ex officio detrudebantur, & ex numero Senatorum ſubſtituebantur alii. Sequenti vero An. Comes Frideric. de Moers, & Dn. Frideric. de Tonberch & Landskrone ſe interponebant, ut nova inter Archiepiſcopum & urbem tranſactio conficeretur, de iuriſdictione officialis, & aliis regalibus, in quibus multa remittebantur è parte civitatis, &, quum inde increſceret novum inteſtinum inter Magiſtratum atque cives odium, An. 1396. terno concurrebant inter ſeſe crudeli admodū conflictu, & duo decollabantur principales Magiſtratus, reliqui in carceres primitus, poſtea ex urbe in exilium ejiciebantur omnes. & cives plane novū creabant Magiſtratum, novaq; forma totam inducbant communitatem. Etenim tunc demum à poteſtate tali excluſæ ſunt familiæ veterum, quæ huc uſque dominationem inter ſe diviſerant; ſed etiam confraternitates priſcæ civium & multitudinis univerſæ in ordines 22. tribuum diſtributæ & cuique earum ſua domus conventuum deſtinata eſt, ut ſic cuique civium filiis poſterorum omnium via aperta & tuta iuxta virtutis & prudentiæ ſtudium ad Magiſtratum pateret, quæ huc uſque propter familiarum conſpirationes nimis ambitioſe ſingulis præcluſa fuerat. Atque ne quid veſtigii ex priſca convolutione ſupereſſet, & oſtenderent planitus, quod libera eſſet civitas & liberior ſtatus regiminis, veterum curiam prorſus deſolatam reddidere, & civium ædes hoc nomine affecerunt, ac maiori ſplendore exædificarunt. Tum quoque ut huius mutationis perpetua eſſet memoria apud poſteros, atque illi agnoſcerent maiorum ſanctam intentionem, & labores pro tanta libertate aſſiduos ex publica inſtitutione ita decretum hoc eſt, ut ſingulis annis uſque in perpetuū magnus ille fœderis æterni contractus circa feſtum Iohannis in qualibet tribu publice prælegatur omnibus. Totius univerſitatis Ordines 41. cōſtituti ſunt, cum tribubus, ut ita ſingulis à maximo ad minimū ſua conſtet ratio & auctoritas officii, ſimulque in iure civitatis æqualis paritas, ut omni invidiæ & æmulationi abſcinderetur occaſio nec nova diſcordia facile quid interturbare valeret, ubi eam adiecerunt conſuetudinem ſingularis prudentiæ, quæ ſingulis ſeptimanis colloquio amicabili in conventibus ordinariis renovet animorum coniunctiones firmiorique vinculo connectat, ut ſupra dictum eſt. Similis quondam forma fuit quoque præ cunctis civitatibus Reipubl. Magdeburgenſi, qua meliorem nunquam habuit. Sed quum tribus 16. illæ, in quas univerſitas diſtributa fuit, quæque hodie Innungen dicuntur, negli-

negligentiores in publico conservando statu inveniretur, atque potius commessationibus inde præter honestatis rationem indulgerent; quam quod sui conservationem status in fundamento meditarentur tute, constrictione sua nimia hoc effecerunt, ut aliis civibus suæ tribus occluderent fores; nec principale arcanum illud in quotannali & solemni prælectione fœderis sui publici observare diu potuerint. Hoc quoque adeo gaudio fuit iis, qui prærogativâ ex familiis sibi semper adscribebant, & omnem regiminis auctoritatem in sese derivabant, ut pedetentim Innungenses supplantare cœperint; illis persuadendo, quod talia arcana merito in secreto conservari deberent, quũ ignominiosum sit Reipubl. quod An. 1333. per motum seditionis talis facta fuerit mutatio gubernationis. Ideo satis diu in eo desudatum clam fuit, quomodo commode libertas & auctoritas tribub⁹ ac populo omni posset surripi, ac in paucos Senatores, qui perpetuam talis dignitatis retinerent possessionem, conferri valeret. Ita fit, ut facile incautiores in retia incidant, si ea sibi arcana persuaderi patiantur, quæ minus sunt arcana, & in eo magnum crimen latere putent, si facta maiora, quę fundamentum negotiis & Reipubl. supponunt, nimis congrue in vicibus quotannalibus & crebra repetitione percenseantur posteris. An hoc vitium, aut arcani proditio sit, si noscam; quam ob causſam maiores cum tanto vitæ periculo novam Reipublicæ patriæque introduxerint formam? An non potius inde hoc concludi debeat, quod experientia patres nostros ipsa edocuerit, minus commodam fuisse eam administrationem Reipubl. quam aliquot paucę familiæ, agnati, & affines aut amici inter se diviserunt? An nõ ita libertas, virtus, eruditio & prudentia à reliquis in populo potius exclusa manet, quibus hoc merito præmii loco attribui debebat? Sed certe hoc ipsum est verum illis arcanum, qui tam arcano modo primatum gubernationis ambire non desinunt; & tamen aliud libertatis signum incautioribus persuadent. Quæso, an tales pauci semper in tam felici virtutis instillatione & constellatione nascantur, ut absque ineptitudine nascantur idonei ad statum regiminis; an potius ex omnium & totius multitudinis selectione aptior videri potest applicatio? An ibi verior libertatis imago appareat, ubi omnibus via patet ad eius fruitionem? An vero ubi paucorum potestati alligata hæret, & cunctis aliis suam imponit servitutem? Videant igitur, quam turpiter se dederint ii, aut quam fallacibus blandimentis se circumduci passi sint, qui communem libertatem in omni populo potentialiter dispersam paucorum æstimio includunt, semetipsos à tali statu excludendo. Nam Democratiæ inprimis natura ea est propria, ut æqualitatem requirat, unde nihil integrius eandem conservat, quam mutua obediendi & vicissim imperandi ratio: velut id rectè cum sanioribus Politicis statuit *Koning. part. pol. cap.* 15. & maxime Dauth. in discursu super hanc quæst. Omnium tamen optimus doctor Experientia. Plurima vidi & ipse subivi in Rebuspubl. ut explorata haberem ingenia & naturas talium. Quantas semper deprehenderim technas arcanorum, memini, adeo ab omnibus abfuit integritas, quam amor sui cunctos adeo nimium seducat, nec sit, qui ex amore sui in Amorem Dei & proximi egredi vel saltem cogitet, nedum quod uspiam inveniatur, qui id studiose cupiat. Proximus usque sibi quisque domi in carne sua habitat, ut Bonum publicum nullum noscat, licet perpetua laude id altitonans os toties & plenis clangat buccis. Novi, qui dicere solebat; Diabolus illud Bonum perdat publicũ funditus, quod mihi non in privato prius inserviat: Vitis erat summus, & summi officii. Quare nihil rectius talibus civitatum Rebuspub. compétit & quadrat, quam æqualis libertas & libera æqualitas. Sic enim vinculo cõstantiori omnia ibi constringuntur, si absit invidia, & φθόνος mutui studui conservet animos integritati addictos. *Vide Bod. de rep. c. 2. nam.* 418. *Heid. vero in Pol. c. 2. p.* 379. nimis fluctuantem invenies, quum saltem in speculatione semper, & nuspiam in praxi vixerit, sicut & Piccart. Regula tamen eius firma est, quod res invidiæ plena sit, semper aliis præesse, & subesse nunquam. Namq; *ait Lucret. lib.* 5.

Invidia quoniam ceu fulmine summa vaperant
Plerumque, & quæ sunt aliis magis edita cunque.

Pudorem igitur suum apud posteros sentient cum detestatione, qui nõ adeo nuper sibi meliorem subverti siverunt tam fucatis persuasionibus Statum Reipubl. & turpiter exuerunt libertatem à maiorib⁹ acquisitam non sine sanguine. Quantum aliæ civitates ad Colonienſium libertatis adspirent imitationem, id toties auditum est: & plurimus est civiũ passim numerus, qui talem expetat sortem, quum solidus & syncerus veruſque amor, qui Platonicæ Reipubl. fundamentum vividum substernit, adeo protsus è mundo & corde hominũ sit expulsus. Sed nec Coloniẽsibus sine diuturnis & longis laboribus periculisque constitit talis Reipubl. saluratis formatio; ceu supradictum est, quanto cum sanguine Anno Chr. 1372. textores talé introduxerint primitus mutationem. Anno vero 1397. hoc pedetentim adsueti meliori experientia in tali proba & examine edocti, omni sese integritate & fide coniunxere, atque propterea litteris confœderatoriis sese mutuo constrinxere, quas etiam in constantiorem fidelitatem iuramento sancto confirmarunt, ut *ait Chron. Col. pag.* 284. Anno 1400. quum propter socordiam nimiam Imp. Wenceslaus ab Electoribus depositus esset, Coloniæ 6. Ian. Rupertus Bavarus Palatinus Imperator coronatus fuit, denegantibus id Aquisgranensibus. Velut & an. 1402. ibidem Imper. Rupert. filii Ludovici nuptias cum Blanca Reg. Britan. Henrici filia celebravit. Fructum tantæ æqualitatis inter cives Anno 1416. statim perceperunt, ut seditionem ingentem civium quisque Senatorum in suo collegio apud consocios consopiret, paucis adhortationibus additis, quibus protenus se præbuerunt audientes, quum omnis invidia & suspicio mala abesset, & confidentius ad invicem agere possent. Sic etiam licet An. 1408. Archiepiscopus Diterieus variis modis illis sua privilegia infringere, & penitus eos subiugare studeret adeo, ut simul vicinos electores & Principes ad Rhenum in obsidionem urbis secum adduceret; tamen fecit ipsorum prudens concordia, quod inani opera retrocedere coacti sint. Quanta fuerit Scabinorum auctoritas & quomodo Carolus Mag. eos sanctos fecerit, id superius in Magd. civitatis cõditione, & alias de iure Væmico, eiusq; iudicio

præpostero explicatum est. In eadem vigebant ab hac parte Scabini Colonienses, utpote quibus tamquam sacerdotibus iustitiæ plena commissa erat eius facultas iurisdicendi, sicut etiam tempore Friderici II. Imp. Archiepiscopus Conradus iudicii huius potestatem in sese transtulerat. Verum quum An. 1428. hæc ab illis in abusum talem abriperetur, ut Advocatum quendam nomine Henricum Thevesiũ propter nimis apertum veritatis os & amorem, noctu incarcerassent, ut statim postero die capite plecteretur; atque is forte ex fenestra custodiæ prætereuntes inclamasset Senatores, atque ad ius civium provocasset, ne incognita causa è medio turpiter tolleretur, statim summo mane concursum fuit ad Curiã, ubi decretum Senatus hoc tulit, ut audiretur, & inhibitio fieret Scabinis cum Comite Præside: quod etiam factum est, & invento hoc innoxio, ac in pudorem reductis Scabinis, ne illi removerentur ab officio, aut cum ignominia deportarentur, per trãsactionem æternam hoc obtentum fuit ut nullũ amplius ius apprehensionis ad incarcerandum quempiam haberent; sed in perpetuum hoc esset & maneret in arbitrio Senatus Colonienſis. Velut etiam iste mos adhuc præcise in viridi observantia manet; nec Comes aut Scabini quenquam incarcerare valent, nisi ex iussu Senatus id fiat per urbis lictores. Anno 1430. Archiepisc. Ditericus vectigal equorum Koningsdorpij institutum exauxit, ut 5. Albos pro quolibet capite esset solvendum, atque ut id perficeret, diu præclusit mercium commeatum urbi: sed anno 1437. cum Scabinatu talis transactio est instituta, ut posthac nemo civium concivem suum extra civitatem coram ullo iudicio alio conveniret, sub pœna petiurii; sicut etiam iuramento decretum hoc confirmatum est, & ut una quotannis cum fœdere tribunitico publice prælegeretur. Quamvis autem iurisdictio bassa & alta sit translata, ut antea dictum est; tamen regalia reliqua urbi ab Imperatore plane dependent, ut etiam ius possessionis & proprietatis Cæsari semper maneat; velut id actu solemni quoq; Fridericus III. Austriacus Imperat. An. Christi 1442. confirmavit. Etenim quum 15. Iunij Aquisgrani coronatus esset, 26. eiusdem propterea venit Coloniã, ut homagium acciperet: quod etiam non solum mutua vice præstitit ipsi urbi; sed etiam confirmavit eidem simul more solito privilegia cuncta. Forte An. 1446. lis inter ipsos oriebatur Scabinos. Conspirabant enim cæteri in caput unius Sivarti Hittzelin, quem Schyfartum dicebant. Quumque hunc propria auctoritate sub specie falso conceptæ sententiæ, in qua partes & iudices fuerant, honore suo privarentur; is appellabat ad Archiep. ubi quoque obtinebat victoriam causæ; Inde executio sententiæ iuxta stylum demandabatur Senatui. Is igitur, quum iuberet, ut sub pœna Scabini suum reciperent collegam, illi vero repugnarent atrocius, sub iuramento carceris mansionem iisdem denunciari curavit; quod quidem obedienter præstitere exceptis duobus, qui ex urbe ad Imperatorem confugiebant: Sed quum citatus Senatus ibidem obtinuisset causam, remissio facta est ad iudicẽ à quo, ut loquuntur ICti; & publicabatur Coloniæ præsente Senatu sententia in aula Episcopali contra Scabinos, qui suo privabãtur officio dignitatis. Unde ita renovabatur Scabinatus An. 1446. postero Conversionis Pauli die, ut Archiepiscopus Ditericus 14. cum Præside ordinarit Scabinos ex numero civium iuxta novum pactũ, quum antehac 15. familiæ in successionem sibi acquisivissent huius iudicii statum. Anno 1469 aliquo usque in bello Burgundico se continebat Coloniæ Frideric. III. Imperator, quem quum Colonienses splendide excepissent, & omnia necessaria cotidie suggessissent, Cæsar plurib⁹ privilegiis & beneficiis præcipue iure monetæ, æquales ut essent in hoc Electoribus ipsis, & æquali cum Bonnensi vectigali eos donavit contra invidiam Principum. Non enim deerant, qui assiduo conatu insidias illis necterent, quod etiam in proprio Archiep. Rupe. to Bava. Palatino iterum experti sunt. Namque is cum Carolo Burgundo inierat pactionem, ut ille se venditaret Præfectum prætorio Colonienſi; unde is non solum publico id diplomate in urbe per fecialem affigi curavit, sed etiam intimavit Senatui, à quo sic volebat agnosci & excipi, mandando simul, ut plenam Archiepiscopo præstarent obedientiam. Quod tunc ita gratiose agebat quum Adolphus Geldriæ Dux à parente, quem turpiter captivum duxerat, esset exhæredatus, & Carolus. tanquam institutus hæres à Friderico Imperat. Treviri investitus, propter defectionem Geldrensium, qui ultra 30. Annos denegarant Cæsari obedientiam. *Chron. Colon. pag. 321.* Quæ insolentia coegit Colonienses, ut militem cõscriberent pro libertate tuenda, & quod Carolus Novesium oppugnaret, ac Colonienſibus incumberet gravius: donec quoque Cæsar Frider. III. propter nimiam violentiam Burgundi redderetur hostis. Hoc exoptato accidit Colonienſibus, quodque tunc omnes Status Imperii & præsertim civitates Hanseaticæ prope cunctæ opem præstarent Cæsari; unde etiam victoriam admodum gloriosam obtinuit. Postea redux in Coloniam cum suis, adsistentes omnes die Petri Pauli Anno 1475. dimisit cum pace. Colonienses vero tunc novum vectigal ob perpessum damnum & sumptuosam opem Cæsari præstitam cum gratia magna obtinuerunt. Familiæ vero aliquot nondum concoquere poterant veterẽ erga Magistratum rancorem, proinde præstolabantur occasionem; atque Anno 1481. accidebat, quod mutatio monetæ incideret, ut Albi 12. nummorum, reducerentur ad undecim; unde novi cuderentur Albi; Tum quoque novum vectigal mercium ordinabatur: quod non tantum cives mordebat; sed etiam patritii, aliquot ex tribubus ad se pertrahentes, ita instigabant communitatem, ut ultra 1000. in Curiam confluerent, gravaminaque exhibendo flagitarent cum minis restitutionem monetæ, & vectigalis abrogationem. Senatus cedens furori vulgi per collegas ex tribubus sibi adiunctos prudenter motum consopiebat. Nihilominus de novo seditio à plebe concitabatur, expetens sibi rationem expensarum, cui se iterum Senatus partim submittebat: atque nihil deprehendebatur, nisi quod nimis liberales dicebantur in bello Novesiano. Quamvis autem iustificare posset sumptus ingentes bono publico civitatis erogatos; tamen anno 1481. in festo Bacchanaliorum furentis vulgi concursus erat in Curia, & Consules cum Senatoribus captivos se dedere cogebantur, distribuebanturque in turribus urbis incarcerati. Postero die se se colligebant tribus, ignominiam hanc urbi & poste-

posteris avertentes, & cum honore restituebant singulos officio suo Magistratus sancti sub ea conditione, ut statim factionum capita, quorum 14. inveniebantur, conspirantibus abscinderentur: quâ executionem tamen contra voluntatem Magistratus perficere coactus est ex voluntate tribuum & collegiorum. Inde eo gratior & gravior Senatus fuit auctoritas, ceu Cominæus recte statuit *Com. rer. Gall. lib. 5. pag. m. 476.* Interveniente, inquit, populi voluntate & adsensu crescit robur & potentia regum & Magistratus, & maior est ipsorum authoritas, & feliciores progressus: Velut quoque id evenit. Etenim quum Maximilianus petente parte in Comitiis Francofurtensibus An. 1486. 16. Februar. Rex Rom. proclamatus fuisset, & 9. April. Aquisgrani coronatus, venit inde Imperator cum rege filio Coloniam, atque statim in ingressu ad portam mutuo iuramento Rex cum civitate sese obligabant. Multæ ibi peragebantur lætitiarum festivitates, & Colonienſibus non tantum gratiose omnia confirmabantur ab Imperatore privilegia, sed etiam in ipsorum favorem retractabatur grave vectigal ad Rhenum Lustorpianum, quod Imperator Duci Montano tunc concesserat. Sic idem Imperator Frider. postquam filium Max. regem ex custodia Bruggensi Anno 1488. liberasset, magno exercitu reversus est Coloniam, & iud cum publicum ibi exercuit ad instantiam aliquot invidorum contra Senatum; verum res ita composita fuit, [illegible] sine probro discederent, qui patriæ propriæ [illegible]dias turpiter struxerant; ut notat *Chron. Colon. pag. 335. Anno 1493.* ingens quidem confusio in moneta iterum orta est, ut Rhenanus florenus ab 26. Albis, usque ad 40. accresceret in valore; attamen, ne denuo in difficultates Magistratus detruderetur, ita sapienter lites cõposuit, ut inde vicini omnes exemplum sumpserint. Anno 1494. Maxim. Imperator in præsentia coniugis Ducissæ Mediolanensis in magna & singulari solemnitate Colonienſibus iuramentum erectis digitis præstitit, ad manum Archiep. Moguntinensis, pridie D. Petri & Pauli, atque è contra nomine civitatis totius regens Consul debitum homagium prælegit à superiori parte Consuli alteri, qui convocato populo in foro prærerat; atque iste in inferiori loco stans prælegenti ad singula distincte reddebat eadem verba iuratoria; cui actui confirmatio privilegiorum protenus subiungebatur.

Verba Homagij Colonienſis civitatis, quod præstitit ea Imperatori Maximiliano An. 1494. pridie D. Pet. & Pauli hæc sunt:

HOc die & isto die in universum, atque ex hoc die porro homagium præstamus nos liberi cives Colonienses Domino nostro Maximil. &c. Regi Romano, quod eidem devoti & fideles simus mansuri, reservando nobis, nostris uxoribus & nostris posteris civitatis nostræ Colonienſis omnia privilegia, litteras, gratias & beneficia, ordinationes & investituras, quascunque à beatis Romanis Cæsaribus & Regibus eorum maioribus secundum iura, privilegia, bonas consuetudines & antiquas deductiones hucusque obtinuimus, & ab iisdem investitura accepimus: In hoc constanter perseverabimus ipsi, & in eo nos confirmati manebimus absque dolo, sicut nos Deus iuvet atque Sancti eius, &c.

Confirmatio Imperatoris Maximiliani I. quam Colonienſibus largitus fuit.

Ita se habet in Copia iuxta auct. Chron. Colon.

IN Nomine Domini & Sanctæ individuæ Trinitatis felicitet: Amen, &c. Nos Dei gratia N. Romanus Rex omni tempore Augustus Imperii, Hungariæ, Dalmatiæ, Croaciæ, &c. Rex. In æternam rerum memoriam, & velut regiæ liberalitatis innata dignitas id exigit eandemque decet, omnis & singulis subditis & fidelibus Romano Imperio subiectis ex interno amore præsidium benevole præstare; præterea aque etiam fructuosam gratiam pro singulari recepraculo nobis competit conservare, & iis maxime, qui Sacri Romani Imperij gloriam & cõmodum, curiosis excubiis & debitis servitiis, fidelique diligentia, ad sidua intentione animi unice quæsiverunt, &c. Quando proinde Consules & Magistratus nostræ civitatis Colon. dilecti & fideles nostri Reg. Maiest. nostram submisse rogarunt, ut illis cuncta privilegia, litteras, beneficia, gratias, ordinationes & investituras, quas à beatis Roman. Cæsaribus & regibus nostris antecessoribus in Sacro Imp. Rom. ad omnia & singula iura ipsorum, privilegia & consuetudines, &c. atque eorum pacta confirmare, renovare, & corroborare, nec non ex nostra regia gratia de novo eos ad investituram dignari velimus. Propterea nos nostrorum maiorum vestigia observare cupimus, & oculis nostræ mentis prudenter ad spiciemus iam dictam civitatem, quomodo præ reliquis in Germania longe nobilius fundata, & variis privilegiis donata, nec non supra omnes multimode ornata sit: & præsertim non tantum quod nos benemeritis auxilii gratitudine digni & indesinenti fide constantiæ, & officii, quo dicti cives & eorum civitas nos & Sac. Imper. Romanũ ardenti animo observarunt, amore, honorarint: sed etiam propterea, quum petitum eorum ex fonte honestatis profluat. Ac quoniam honesta petitio nõ est deneganda: Ideoque nos bene prædeliberato consilio, & libera animi affectione, omnia eorum privilegia, & litteras, quas ipsi pro iure suæ civitatis, in possessione tenent, item, bona, dominia, exemptiones & consuetudines, aulicam iurisdictionẽ & iudicii executionem, vectigalia, leges & nundinas & privilegia concessa, portoria, ius monetariũ, reditus, proventus, & quodvis aliud interesse, ac quomodocunque appellari talia aut nominari & excogitari queant, uti à Divis Imperatoribus Romanis possident, & à regib⁹ maioribus nostris, & à S. Rom. Imp. ac Archiepiscopis Colon. hucusque conservarunt, in omni eorum tenore, articulis, punctis, & clausulis, non aliter, ac si de verbo ad verbum huc scripta essent, & quasi in cunctis his posita haberentur, &c. ex potestate Regiæ Maj. Rom. confirmamus, investimus, renovamus & de novo conferimus, & ex præcipua nostra gratia liberali atq; Rom. regia plenipotẽtia simul has litteras iis cõfirmamus. Quapropter nemini cõperet, hanc nostram corroborationem, investituram, renovationẽ, & confirmationẽ infringere, aut petulãtia aliqua impugnare: si quis id tentet; ille in nostram gravem indignantiã & po-

& pœnam 100. marcarum puri auri, pro dimidia parte civibus & civitati Colonienſi ſtatim ſolvendæ, ſe incidiſſe, noſcat. In cuius rei teſtimonium noſtræ Cæſareæ Maieſtatis Sigillum appendi curavimus, &c. Datum Colon. &c. ut ſupra.

Ex his ſatis apparet quantis laboribus conſervatio privilegiorum cõſtiterit Magiſtratui urbico Coloniæ, quod ſe in tali conſervare ſtatu libero Imperii potuerint. Magnum ipſi fulcrum ſubminiſtrant tribus 22. & quod adeo ſedulo antiquarum conſuetudinum rationes in confirmationibus obſervent. Nõ enim leves ipſis obiicit difficultates tam multiformis iuriſdictionis involutio, veluti ibi fieri ſolet, ubi tam varia habetur eius Regalitatis diſperſio: optimum tamen eſt, quod ius apprehenſionis ita ſibi ex ſupradicto caſu acquiſierint; nec in criminibus executio poſſit fieri à Præſide Scabinatus, niſi prius ad noctis ſpacium, priuſquam ad mortem delinquentes condemnentur in publico iudicio, Comitis Neonardenſis iuriſdictioni tradantur. Comitum enim Neonardenſium ius id hæreditarium competebat, ut prætor eſſet hæreditarius urbis ex fundo loci, ubi extenſio civitatis facta eſt. Inde habebat privilegiatam iuriſdictionem in aliquot partes, quæ olim ſuburbanæ fuerant, & poſtea ex ipſius conceſſione per pacta ſingularia muris ſimul incluſę ſunt. Ideoque in civilibus quoque communicatam iuriſdictionem exercet cum Magiſtratu urbico. Locum etiã & poteſtatem incarcerationis, in quem ob delicta flagitati & convicti coniiciuntur, habet: quod Comiti non competit; ſed tenetur in propriis ædibus fovere carceratos, ubi & torquetur, in præſentia 2. Scabinorum & Secretarii, quibus & Senatus duos adiungit, ſi ſit neceſſum. Quum vero familia Neonardenſium in Adolpho ultimo Comitum illorum expirarit, ex ſucceſſione idem ius nunc obtinent Comites Bentheymenſes, quum hæredes illorum ex eo tempore extiterint, ceu ipſi Plenipotẽtiarium in urbe propterea conſtituere ſuum. Præſes autem Electoralis ſummi iudicii non alium carceris obtinet locum in urbe, quam in ædibus, quas ipſe officii ratione inhabitat; Atque licet Comes ille reos capitalis criminis factos examinare variis modis etiam per torturam poſſit; tamen in examinandis famiis tres Senatores iuſſu & permiſſu Electoris certis de cauſis ipſi adiunguntur, & tunc de re cognita iudicant & pronunciant, pronunciatumque executioni dant, obſervato prius reſpectu Comitum Bentheymenſium in privilegio iuris hæreditarij dicto. Simplex vero ſive civilis iuriſdictio communicata eſt ex parte. Pignora enim à civibus cauſſa cadentibus capere, in poſſeſſionem bonorum propter debita & iniurias Comes cum ſcabinis poteſt, uti id *ex articulo 9. & 10. tranſactionis de Anno* 1506. manifeſtum eſt: nec debet etiam, aut poteſt Senatus aliquem impedire, quo minus litem quis coram Comite & Scabinis adverſario ſuo poſſet intentare aut perſequi, uti *in art. 11. eiuſd. tranſact.* id habetur: Sed tamen iſta adiecta eſt exceptio, ſi qualitatem eam cauſa habeat, quæ Senatus quoque concernat intereſſe. Præterea hoc conſtat, quod Senatui de vi ſive privata ſive publica ſit, cognoſcendi poteſtas non competat. Ita coram Prætoribus qui dicuntur Gewaltrichters/ ſi alicui civi aut ſtudioſo gladiis aut ictibus vis inferatur, litigãdum eſt. Sed tamen pœna corporalis delinquẽti aut violatori infligi non poteſt. Virgis quidem cædi quis poteſt; verum non niſi in carcere privatim, & hoc non alio modo, quam ut rei abſque carnifice ſemet invicem, altera manu coronæ adigari, caſtigent. Eſt quoque iudex Eccleſiaſticus, qui officialis dicitur, atque is poteſtatem omnem ab Electore tum ex privilegiis Abbatiarum & monaſteriorum templorũque huius urbis habet; Eaque ille, quæ ad clericos Eccleſiaſticoſque & eorum res ſpectant, ex auctoritate Electoris cognoſcit & diiudicat. Quum vero iudicium hoc à petulantibus ante ſeculum ferme in abuſum civitati & Magiſtratui maxime noxium retractum fuiſſet, dum litigantes ſolebant ſecularia iudicia per inhibitionem apud Officialem obtentam eluſoria reddere: proinde Anno Chr. 1506. mediãte hac ita controverſiam Landgravio Haſſiæ, tranſactio talis eſt inſtituta, ut Officialis non amplius iudiciis litibuſque ad ſecularia pertinentibus ſe immiſceret: ſicut etiam pœna graviſſima iis denunciata eſt, qui modocunque ex civibus, lite cum aliquo coram Senatu aut alio iudicio civili conteſtata, inhibitionem ab Officiali denuo impetrare & iudicia ſic temere involvere ſtuduerint. Nec minus certã pœna illi dicta eſt, qui in ſecularibus cauſſis aliquem ad Officialem aut magiſtratum Eccleſiaſticum citari curet. Atque ſic partim ſtatuta, & tranſactiones in ſua conformitate conſervant Rempubl. partim tribuum virides obſervantiæ conſociationes, ubi animadverſio ſedula honeſtatis in omnibus attenditur. Namque unuſquiſque tribuum collegium in ordinis ſui contine[illegible] iuſta diſpoſitione adeo, ut etiam magiſtratui urbis fundamenta ſolidi regiminis ſupponat. Quippe propterea quæque tribus ſuum habet ſigniferum, ſive notationum præfectum, quẽ Bannerherrn dicũt. Illorum quilibet clavem adſervat ad cõclave civitatis, in quo privilegia & archivæ concluſæ iacent: Sic etiam ærarii publici claves iis concreduntur, ut quovis tempore, ſi forte neceſſitas requirat, aut ſuſpicio nõnulla ſeſe exerat, noctu dieque viſitatio inſtitui, & inde relatio tribubus ſincera fieri poſſit. Velut nil in Colonia fruſtra ordinatum invenitur; ſed omnia ex ipſa profluxerunt experientia, ita quoque hæc inventionis inſtitutio ſuam fovet cauſſam. Etenim An. 1513. accidit, quod Conſules illius temporis inciderint in ſuſpicionem talẽ, quaſi, contra fundamentales Reipubl. leges & privilegia, ex conſulatu & ordine Senatorio perpetuæ ſucceſſionis hæreditarium ſibi ius conficere ſtuderent; vel ad minimum eiuſmodi expeterent formã; velut non tantum in ſuperioribus Germaniæ urbibus, ceu eſt Norinbergæ, ac in pluribus Hanſeaticis, Brema, Hamburgo, &c. reperitur, ut ita denuo ad paucas familias & earum affines propinquos rediret abrogata pridem conſuetudo. Inde tribuum collegia ingentem concitarant ita tumultus motum, ut Magiſtratum non tantum loco ſuo moverint; ſed etiam Conſules aliquot, in quos culpa redundabat, per lictorem civitatis capite plecti curaverint. Novo deinde Magiſtratu electo, in cuiamque introducto, æternũ denuo pepigere cum eodẽ pactũ. Atinter tribus cõfœderatio, ſub iuramenti fide perpetua, talis firma & ſolida cõfecta eſt, ꝙ cũ ſanguinis effuſione ſemper eſſent conſervaturi & defenturi privilegia civitatis. Huius fœderis tot originalia habẽtur, quot ſunt Tribus, & quotannis inter reliqua principaliter in

ter in quavis electione non tantum prælegitur pactum publice in rei memoriam, sed etiam semper renovatur pro maiori confirmatione mutuæ consolidationis. Inter omnes adeo Respubl. Germaniæ nulla est, quæ melius constituta in omnibus viget, iuxta eam dispositionem fundamentalem in statu populari, & ubi gratior viget æqualiter inter cives dispersa libertas; ita floreret in plena iurisdictionis facultate, quæ apud alias perfectior perspicitur. Formam enim vere Romanam in hac parte repræsentat. Proinde quoque accuratissimam impendit curam commercio, ut in suo vigore statum conservaret suum & proximarum civitatum: atque propterea ante aliquot secula fidum fœdus pridem cum vicinis civitatibus Westphaliæ Iuliaci Ducatus, Cliviæ, & Geldriæ, coluit, quam simul protectione sua in commerciis sæpius eas forti manu defenderit, velut in Novesio, Susato & aliis exempla clara sunt. Sic Coloniæ plane alia ratione auctoritas accrevit sua, quam Hamburgo. Etenim Colonia pro maxima hoc ob etvarat, quod nunquam rectius florere posset, nisi simul quoque florerent vicini. Ideoque sicuti hæc urbs cum proximarum promotione & commodo, ita Hamburgum cum suppressione & damno vicinorum accrescere studebat, uti ex antecedentibus relatum est. Quoties opus fuit, etiam se coniunxit fœdere cum vicinis Principibus & Comitibus propter libertatem commerciorum, ut securitate tali mercatores fruerentur. Velut etiam proprio facto sæpius defensionem commerciorum suscepit, quod Anno 1478. Damianus ab Udesheym satis acriter expertus est, quum spoliis mercium sub conniventia Archiepiscopi nimium indulgeret. Inde quoque ante illa tempora pridem ab aliquot seculis in fœdere & correspondentia vixerunt principales Brabantiæ, Flandriæ & Frisiæ civitates, ut cõmune Emporium Bruggis, & in Anglia Londini coluerint: velut supra indicatum est, quod Colonienses singulari privilegio donati fuerint in Anglia, propter commerciorum mutuam traiectionem. Quum vero civitates Saxonicæ & Vandalicæ ita inter sese fœdere Hanseatico coirent, ut superius in *anteriori tractatu cap.* 13. de Megapol. urb. ostensum fuit, statim Colonienses cum suis confœderatis iisdem sese adsociarunt, ceu id ex Recessu Hanseatico de Anno 1369. art. 1. satis clare apparet, ubi Colonien sibus singulare fœdus non tantum cum suis socius urbibus attribuitur, sed etiam tanta iisdem prærogativa decreta fuit, ut omne, quodcunque civitates ex, quæ in Colonien sium confœderatione comprehensæ fuerint, decrevissent, omnes & singulæ reliquæ civitates totius Hansæ observare teneantur. Quod ita expresse tunc ab omnibus in eo conventu Lubecensi conclusum fuit, uti verba id luculenta exprimunt. Quare admodum graviter lapsus est *Matth. Dresserus in Millen. suo sexto Hist. part 2. pag. 79.* dum frustra quoque sequitur in errore suo *Chytræũ Saxon. Chr. lib. 3. pag.* 82. ubi ponit, quod Colonia Anno 1481. demum in numerum Hanseaticarum civitatum pervenerit, atque ita vix 150. in ea confœderatione compleverit. Longe rectius quid statuit *Bertius in Com. rer. Germ. part. 3. c. hoc.* ubi sic ait: Paulo ante tempora Friderici II. Imperator sub Annum Christi 1201. socia facta est (Colonia) Hanse Teutonicæ. Etenim, quod fœdus hoc nobile Hanseaticum sub Friderico I. Barbar. Anno 1169. quum anno antecedenti Rostochium, ante annos 8. à Primislao Heneto ædificatum, ab eodem Imperat. privilegia accepisset, maximas inchoamenti vires sortitum sit, supra satis clare explicatum est. Imo si Dresserus saltem respexisset ad Crantzium, & eum *lib. 7. Dan. cap.* 39. consuluisset, invenisset satis abunde expressum, quod eo tempore, quo Woldemarus IV. Daniæ rex infensiorem hostem civitatibus Hanseaticis agebat, & insolentiori crudelitate libera disturbabat omnibus confœderatis commercia per aliquot annos, ut etiam crebriori potissimum Vandalicę civitates conflictu cum ipso in mari coierint, circa Annum Christi 1358. Coloniæ publicus Hanseaticarum civitatum conventus fuerit habitus: ubi cõclusum est, ut ad urbem Campensem civitatum Hanseaticarum huius partis naves confluerent, & inde impressionem in Daniam etiam Vandalicæ ab altera parte facerent; quod adeo feliciter quoque perfecerunt, ut non tantum totum Hellespontum Danicum occuparint, sed etiam proceres Regni, quibus in hoc non conveniebat cum Rege Wald. suo, quod tam diuturno bello exagitasset civitates Hanseaticas, cum illis tantam transactionem inire coacti fuerint, qualis vix unquam aliis audita fuit in locis; nec facile simile in Historiis inveniatur exemplum. Etenim, ut regnum salvarent, & ne civitates penitus aut id vastarent aut in suam redigerent potestatem, quod facile terra marique perficere potuissent tanta potentia, præsertim quum rex penitus ab iis esset electus atque in exilium quasi detrusis, non destiterunt supplici modo hoc ab Hanse obtinere, ut pignoris loco acciperent totam Scaniam. Quippe erat in tantas res redacta difficultates, ut civitates non possent complacari, nisi damnum, illis ex meta protervia contra publicam fidem & manifestas obligationes libertatemque communibus cõmerciis debitam causatum, resarcitetur. Ideoque proceres cum Hanse, quarum metu rex se in fugam converterat, ut eum restituerent sibi, ita pactum pepigere, ut loco damnorum, & in compensationem eorum, per 16. annos Scaniam possiderent. Sic demum controversia & belli Hanseatici vis composita fuit: Atque, ut civitates fidem integram erga regnum Daniæ declararent, annis illis completis, non regi, sed proceribus regni, cum quibus contractum fecerant, Scaniam tum restituere; veluti supra *tract. 3. c. 16. pag.* 377. id relatum est. Quamvis hæc satis sint cognita; miror, quod tamen *Bertius* idem adeo sui sit ignarus, quod *in Com. rer. Germ. lib. 3. c. 4.* forte seductus auctoritate Chytræi; sibi ita sit contradictorius, ut ibi ponat, quod Coloniæ Agrippinensis Anno 1481. urbium Anseaticarum numero iuncta sit; qui tanc error sive lapsus adeo absurdus est, ut vix gratiam excusationis mereri queat, nisi ex fide ficta aliorum hæc protulerit. Sed tamen *ex Chron. Colon pag.* 318. ipsi quoque hoc constare potuisset, quod tam Chytræus quam Dresserus ex errore opinionis falso conceptæ hoc scripserint de cõiunctione Colonien sium cum Hanse, quum historicus ibi mentionem litis & diffidii faciat, quod civitatibus Hanseaticis cum Britannis intercesserit. Verba eius hæc sunt: In eodem anno (videlicet Anno Christi 1465.) post diem S. Remari damnum in commerciis tulerant Anglicani, & querelam hanc

hanc ad cunctas Hanſeaticas dirigebant civitates; inde hoc per omnes regiones ad longum latumque litteris ſuis diſſipabant, ut ita omnes civitates Hanſæ Hamburgum convocarentur. Tum quoque rex Angliæ publicis litteris divulgatum id cupiebat per omnes terras, ut, quicunque ex civitatibus ibi comparere vellet, ſub ſalvo conductu regis illuc proficiſci poſſet, uti quoque factum eſt. Proinde etiam Senatus Colonienſis circa feſtum omnium ſanctorum aliquot Senatores ex Colonia Hamburgum miſit 16. equis ad hunc conventum. Verum quum ex conventu hoc domum equites reverterentur, & pervenirent in terram Epiſcopi Monaſterienſis, à Comite Tecklenburgenſi circumdabãtur, & captivi abducebantur, ſub ipſo ſalvo conductu illius Epiſcopi. In ipſa obtruitione autem unus quis Colonienſium perforabatur gladio. Comes ille cives hos Colonienſes, ob Epiſcopi & Capituli Colonienſis debita (velut ipſe confitebatur) 6000. florenorum, quibus illi obligati tenebantur, in captivitatem ſuã Tecklenburg. abduxerat. Dux Montanus vero ſeſe interponebat & exordiendo cauſſam ad agnatum ſuum Tecklenburgenſem ſcribebat, ut lis iſta poſſet componi præſenter; quoniam nomine Capituli Colonienſis expetebat, ut amicabilis conventus Duſſeldorpii poſſet haberi. Ad quod reſpondebat Tecklẽburgenſis: quod cives non dimittere cogitaret, niſi dictam prius pecuniam à Capitulo accepiſſet, cuius debitum fuiſſet tam diuturnum: Præterea Comes aſſecurationem poſtulabat, ne civitates Hanſeaticę, nec Principes propter quenquam civium neque ob interfectum ab ulla ſuorum aut eius propria perſona vindictam ſumere vellent, &c. Hactenus Chronicon; Ex quibus conſtat, quod tum pridem Colonienſes principales inter Hanſeaticas civitates fuerint, & quam reverenter Principes Imperii exteriq; reges Fœdus hoc civitatum habuerint; unde nil magis quoque Comes Tenklenburgenſis timuit, quam quod etiam Principes in favorem huius fœderis cõtra eum tentare quid gravius poſſent, præſertim ſi accederet Hanſæ rancor aut vindicta ſeverior. Quare noluit prius ſe penitus explicare, donec ſecuritatem cum amneſtia totali impetraſſet.

Verum quum *heic auctor Chr. vet. Col.* nonnihil quid veritati contrarium ſubvertere videretur, illud heic monendum eſt, quod quidem Colonienſes ſeduli fuerint Fœderis Hanſeatici Orientalis obſervatores, quum caput Occidentalis referrent, ut ſupra dictum eſt. Sed veluti nulla amicitia ita firma & conſtans poteſt conſolidari, quin aliquid patiatur diſpendii, præſertim ſi proprii commodi jactura amici cauſſa ſit ſubeunda; ita quoque in hoc Anglorum caſu id demonſtrarunt ſatis luculenter Colonienſes, ut non ſemper iidem fuerint firmiter: Unde *Crantz. ait*, quod Colonienſes in re incerta amicipartum certi ſociis fuerint circa ea tempora diſſidii Anglicani, quum illi ſua privilegia magis, quæ in Anglia habebant, propria, obſervarent, quam communia. Hiſtoriam hãc inde ita involute recenſet *Chron. Col.* quam longe rectius explicat *Crantz. lib. 13. Vand. cap. 12.* quum occaſionem omnem enarret cum circumſtantiis, & quomodo hac vacillantia fidei excluſi fuerint ex fœdere, in quod nec prius recipi potuere, niſi præſtitiſſent debitam pœnitentiam: Ac licet multi principes, ipſe Imperator quoque interceſſerit pro iis, tamen adimplere prius coacti ſunt ea, quę mulctæ loco fuerunt iis impoſita, quum cernerent civitates Hanſæ, quod Colonienſes ſaltem rebus ſecundioribus recipi in ſocietatem, & non ex vero animo, ſaltem ob lucrum ſuum, poſtularent, ut *ait Crantz.* cuius quoque relatio ita ſe habet: An. 1468. Vandalicæ urbes quatuor Lubecca, Hamburgum, Lunæburgum, Wiſmaria, quæ uno pondere à longa memoria monetam habuerẽ, anno octavo & ſexageſimo, pauliſper levato malleo: (quod auri nova pondera depoſcebant:) novum inſtituunt cudere numiſma, groſſos (noſtri ſolidos vocant:) ad differentiam minoris numiſmatis, quod Cavum dicitur. Sed non poterant occurrere malis quæ prævenire cupiebant: nam minores ſemper fuere in vicinis Provinciis argentei nummi. Unde factum eſt, ut improbi mercatores (peculatores dicam) de numiſmate mercem facerent, devehentes, ubi in conflatorio ipſi ſua lucra cum publico detrimento facerent. Res proculdubio magni momenti, bene penſetur. Nã ille ſolidus numus, quanto ante annos centum fuerit quam nunc melior, incredibile eſt memoratu: ut intelligant quid amiſerint, qui annuos cenſus vel principes in tributis, vel privati haberent in reddita, ſic ſemper rebus comparatis, ut cum numiſmate & omnis mercatura & ſucceſſus in quæſtu ſingulorum decreſceret:, inviſibiliter evaneſcentibus de manu, quæ ante tenebantur. Res proculdubio magna de moneta conſtituere fæliciter, & quæ iam tum Romanos terum Dominos fatigavit. Mercatoribus ea tempeſtate Wandalicarum urbium, & quæ ſunt communionis civitatum, magno provenerat incommodo, quod rex Daniæ Chriſtianus, circa feſtum Iohannis Baptiſtæ, quatuor Anglicorum naves, de Pruſſia navigantes cum rebus non paucis, in ſuo iuſſit teneri & diripi: quod proximo anno Anglici in Islandia regis præfectum occidiſſent. Id factũ Anglici detorquere conati in mercatores Orientales, magnis clamoribus apud regem ſuum Eduardũ inſtabãt, ut quomodo Anglici generaliter pro Anglis aliis tenerentur ab Rege Danorum, Orientales omnes pro Orientalibus & ipſo Dano Rege, tenerentur: adicientes, noſtros occulta cum Rege Danorum machinatione id procuraſſe, ut Anglicæ naves caperentur. Nec poterat prodeſſe quod alienaverat mercatoribus noſtris cauſſa pro qua tenerẽtur, alienus princeps qui teneret. Effecere per importunitatem, ut noſtri mercatores in Anglia corpore & rebus capti tenerentur. Tum vero egregia fide Colonienſes in proſperis conſortes, in adverſis ſe fecere noſtris alienos: Curantes ut tum ipſi, noſtris captis, immunes eſſent captivitatis. In eam rem multi ſcripſere Principes Regi Angliæ ſeculares & Eccleſiaſtici, ut immunes eſſent, laxatique mercatores. Nihil omnium profuerunt: donec intentatis & fruſtratis viis omnibus in apertum bellum res exiret. Tum proſpera noſtris in mari fuere omnia. Facile in mari pugnantes cum Anglis tranſegerunt. Ea perfecit res, ut aliquando in æquas conditiones Angli cum noſtris deſcenderent, paſſi rem æqualiter terminari: quod dicemus. Interim ſtatim Lubeccenſes ſuis præſcripſerunt civibus, quod nulla navis ex portu Lubeccenſi poſt feſtum amplius Martini in Livoniam & alias Septentrionis partes navigare deberet, propter infeſtam tempeſtatem, quum exemplum in navi Re-

ve Revaliam missa haberent, cum qua 200. homines perierant. Interea quoque, quum bellum inter Hãsas & Anglicanos vigeret, An. 1472. & merces suas Lubecenses per mare in Flandriam mitterent, tres insignes naves ad pugnam instructas milite compleverunt, ut securitatem suis præberent. Verũ præfecti, dum in portubus terram ingressi desidebant, liquere naves incustoditas, quarum Anglici duas secum abduxere in Angliam, maiori tamen combusta. Inde belli & odii fervor magis increscebat cotidie, quod Colonienſibus & aliis Occidentalis Fœderis Hanſę ſocius magno fuit commodo. Quare aliud inierunt consilium Hanseatici Orientales, & An. 1473. cum Rege Galliæ pepigere fœdus, quod expectatissimum tunc accidit Gallo, qui nuncios Hanseaticos & eorum oratores benignissime excepit. Verum Angli, ne duabus extremitatibus intercluderentur, statim quoque tractabiliores sese Hanseaticis obtulerunt pacem ambiendo; permissumque est regio mãdato, ut in compensationem damni mercatoribus Hanseaticis in captivitate sua irrogati, decem millia talentorum ex Sterlingis colligerent, de vectigalibus regi debitis; & inde compensarent suorum damna. Unde in formam veterum observantiarũ res omnis est redacta. Summa autem fuit sexaginta millium aureorum Rhenanicorum, quum talentum Sterlingorum 6 valeat aureos. Colonienses igitur quum etiam soli relinquerentur in suis viribus, Archiepisc. quoque Robertus temporis observavit commoditatem, & mira stratagemate per Carolum Burgundum eos divexavit, ut magnos consumerent inutiliter sumptus. Ac quamvis Imperatorem Fridericum implorarent; tamen ita diu distulit adventum ille, ut prope in extremis hærerent. Nihilominus Lubeccẽses, cum reliquis civitatibus sociis Imperatori splendidum misere succursum, ne plane Colonia periret, aut Hanſæ dilimembraretur, quamvis ipsi se à fœdere Hanseatico tam diu separassent. Hinc, quum pax esset constituta inter Imperatorem, & Burgundum; atque Colonienses se cernerẽt fide exuperatos à sociis Hanſæ, pudore affecti sunt, & Intercessoribus usi sunt multis, adeoque ipso Imperatore. More igitur solito, quum conventus Lubeccæ haberetur An. 1475. in communione Hanſæ, se quoque Colonienses supplices tunc obtulerunt, deprecantes culpam, quod ingenuitatis est. Ibi Colonienses (*ait Crantz. in Vand. lib. 13. c. 12.*) jam se ante ab reliquis segregantes in Anglia, ad eam redire communionẽ manibus pedibusque contenderunt; alioqui non usuri in Anglia immunitatibus, ab olim indultis. Diu reluctatum est: Ostensæ sunt crebræ illorum in socios communionis tergiversationes. Scripsere pro illis Imperator & Archiepiscopus Colon. Sed quum diu illis pernegata esset reconciliatio, satisfactione permissa, passi sunt redire in idipsum.

Tanta fuit semper huius fœderis auctoritas, ut eius disciplina in commerciis à regibus & Imperatore fuerit approbata. Anno 1505. Maximilianus Imp. frequentissimum Coloniæ celebravit Statuum omnium Imp. conventum, ubi Fridericus Elect. Sax. ausus est Collegam olim suum Philippum Palatin. ad Imperator. adducere, ut supplex absolutionem à proscriptione publica & pacem ab eo peteret, quam etiam impetravit una cum ditionibus, quæ adhuc superſunt. Post hoc tempus iterum Lubeccensibus cum Dano rege bellum maritimum fuit ineundum, licetque Socios invocassent, tamen soli relicti ferme sunt cum paucis, quum rex Hollandos in auxiliũ advocasset, & ipsorum uteretur navibus; quibus tamen potitis An. 1511. pacem cum rege fecerunt, Suecis exclusis: ubi rursus Colonienses acquievere. An. vero 1512. Comitia Coloniæ celebrata sunt, ubi distributio 10. Circulorum facta est, ut contributio eo rectius posset observari, & deliberatio Camerę pleniusconsolidari, &c. Annus proxime sequens perquam luctuosus fuit Colonienſibus, ex seditione superius dicta, de qua vide *Chyt. lib. 6. Chr. Saxon. circa fin.*

Quum autem Colonia Hanseatici fœderis in Occidentali civitatum parte caput sit, & plurimas Belgicas sub se contineat, propterea quoque & ex eo respectu Anno 1579. tractatio pacis ibi, ordinante id ita Imperatore Rodolpho in gratiam fratris Matthiæ, qui tunc Gubernatorem Hispan. agebat, in Provinciis illis instituta est: Sed quum liberum religionis exercitium obtineri nequiret, labor in vanum abiit.

Fœderi autem isti Hanſę, de quo nobis sermo est, in hac principali Colonienſium regione civitates quas sibi hæc Metropolis habet adsociatas, non incongrue accensentur, primo in Ducatu Iuliacense, & Clivense sive Markense, Duisburgum, Vesalia, Embricum, Warburgum, Unna, Hamma: secundo in Westphalia Monasterium, Minda, Osnabruga, Tremonia, Susatum, Herfordia, Padeborna, Lemgovia, Bilfeldia, Lipstadiũ, Warberga, Cosfeldia: Tertio in Ducatu Geldriæ Noviomagum, Zutphania, Rurmunda, Arnhemium, Venloa, Thiela, Bõmelia, Elburgum, Hardervicum: Quarto in Brabãtiæ Ducatu Antwerpia, Traiectumque ad Mosam, sive Mastricht: Quinto in Flandriç Comitatu Bruggæ, &c. Sexto in Transyselania Daventria, Campenum, Zwolla: Octavo in Hollandia Briela, Dordracum, Enckhusa, & Wieringia: Nono in Frisia Septẽtrionali Groninga, Bolswerdia, Stavera, Worcum, Hinlopia: In Frisia Orientali Embda, &c. Decimo in Zeelandia, Middelburgum, Zirickzæa, &c. De quibus nunc in sequentibus nonnihil nobis erit agendum; sed non poterit ita plene fieri, ut necessitas requireret, velut nec mihi in hac exilii atrocitate fat fieri poterit, quum plurima surrepta sint, quæ ad negocii maiorem facerent illustrationem. Quare sequentia ita sufficiant, quando etiam mox subnectenda sunt ipsæ confœderationes. Elegans est laus interim clypei, & carmen illud, quod Nicol. Reusnerus I. C. in insigne Colonienſium composuit, quumque hoc rectius intellectum trium coronarũ explicet, quam vulgus figmentis suis venditare solet, id nunc subiiciendum putavi:

Quæ tres ostentat Clypeo Regina Coronas
Tot urbium Coloniæ:
Tresne potestates notat, & quibus eminet ipsa,
Tres dignitates maximas?
Principis una sacri, magnique secunda Senatus,
Academiaque tertia.
Felix Urbs, *in qua Pietas, sapientia, Virtus*
Cives coronat splendidos!

Funiculus triplex haut rumpitur: inclita ſemper
Urbis Corona quæ triplex
Fulgeat: & totum radijs illuminet urbem,
Concordiæ nodus facit.

Cap. II.

De civitatibus aliquot Cliviæ ad Rhenum & Geldriæ ad Moſam, fœderi Hanſeatico devinctis.

UT de hinc inceptum, quê ſupra monſtravimus, pergamus rite currere ex voto trames, Colonia ad primâ, quæ inde progrediendo iuxta Rhenum cum ſecundo flumine ſequitur, nobis urbem deveniendum erit, quam Duysburgum exhibet. Sed interim, in ipſo itinere, Rheni, quum à Colonia milliari, ab ea parte Rheni, ubi Colonia ſita eſt, occurrit Noveſium, alias Noveſum, Niveſum, Ptolomæo Nuſſia, Ammiano Niveſium, vulgo Nuys, inſigne Diœceſios Coloniæ oppidum, cui ultra Rhenũ Duſſeldorpium è regione prope reſpondet. Quod propterea heic ſilentio non eſt prætereundum, quum ob varios caſus clariſſimum apud Hiſtoricos ſortitum ſit pridem nomen, & Colonienſes quoque commercium eius ſæpius in ſuam pertraxerint urbem. Inprimis Tacitus crebrâ eius facit mẽtionem, & Chronicon Colonienſe varium eius explicat fatum, atque quam fideli ope uſum ſit Colonienſium. Urbs autem hæc à primordio ſecundis Rheni fluctibus irrigata, ſiniſtrum ſitu latus eius illuſtravit, donec fortuna aut tempeſtas minus propitia, alveum Rheni immutans, urbemque non longo ſpacio adſpiciens, brachium eius uſibus ſaltẽ reliquerit, ut mediæ horæ itinere nunc à Rheno diſtet. Alias ad orientalem portam amnis Erpia prætertluit, ibidemque à Rheni brachio abſorbetur. De antiquis rebus quid notavit *in Beta. hiſt. ſua Hadr. Iun. pag. 156. & 165.* qui ibi conſulatur. Fuit alias urbs ſatis pacifica, & Dominis ſuis addicta: at tẽpore Brunonis Archiep. Colon. Anno Chr. 1205. Philip. II. Imperat. ut ſuo priori hero Archiepiſcopo Adolpho I. Altenavienſi reſtitueret, eam cœpit. Quum etiam privilegiis ſuis nonnihil conſtantius inniteretur, nõ caruit periculis, & præſertim proditionibus ſuis ceu tempore Diterici II. Epiſc. 59. an. 1435. factum quũ nollet graviori ſe ſubmittere contributioni: Sic & An. 1472. tempore Ruperti Archiepiſc. factum eſt. Verum ſingulari vigilantia id præcavere adeo, ut tamen pro redimenda vexa ſolvere quid cogerentur. Anno vero 1474. quum ingens inter Archiep. Rupertum Bavarum & capitulum Colonienſe ferveret diſcordia, & Carolus Burgund. Dux requiſitus tutari veller partes eius, ſperans hac ratione, ut ipſe confitetur *Cominæus lib. 5. Com.* ſe poſſe quædam iis locis occupare: ideoque circumſedit Noveſium. Uno eodemque tempore conficiebat res maximas, ſed oneri ſuccubuit. Colonienſes enim ſingulis menſibus in hoc bellum centena millia aureorum impendebant, &, inito fœdere cum aliis ad Rhenum poſitis civitatibus, exercitum cogebant ad 15. mill. hominum, qui tormentis aliiſque rebus inſtructi, poſitis caſtris ex adverſo Caroli ad Rhepũ, impediebant, ne quid adverſo flumine ex Geldria ſupportaretur ad hoſtẽ. Deinde Frider. III. Cæſar & imperii Principes, convocato conſilio, decernebãt oppidanis auxilia, quod etiam ita perfectum eſt. Inde Carolus ſolutis caſtris cedere coactus eſt. Hanc civium virtutem præmio cohoneſtaturus Imperator, varias ipſis prærogativas & privilegia indulſit. Immunitatem dedit telonii in Rheno amne, ius cudendæ monetæ, Aquilæ auteæ inſigne in clypeo nigro, facultatem obſignandi litteras in Cera rubra, &c. Noſtris vero temporibus miſeras ſenſit calamitates incendio, & nunc Schenkii occupatione, nunc Ducis Parmenſis obruitione Anno 1586. Nihilominus cũ civitatibus Weſtphaliæ libertatem ſuam tuetur, quã ex Friderici III. Imper. conceſſione habet. Velut etiam adhuc numerantur 13. liberæ civitates, ut ſunt Colonia, Aquiſgranum, Veſalia inferior, Marcodurum (Duren) Cameracum, Tremonia, (Dortmund) Sulatum, Duysburgum, Hervordia, Brakel, Wartburg, Lemgovia, Werdena.

Iam ſi ſecundo flumine pergatur verſus Belgium 4. milliaribus à Noveſio ad dextram, Duysburgum ibi ſe offert, ubi Rura fluvius in Rhenum undas ſuas devolvere tendit. Eſt autem Duysburgum, ſive Teutoburgum, veteris Germaniæ oppidum, ad ripam olim fluminis Rheni inter Ruram & Angram amnes ſitum, inde nomen gerens, quod Teutonis, qui alias Pomp. Melæ, Ptolomæo, aliiſque Teutones dicuntur, originem ſuam debeat, non tantum ab eo tempore, quum hi à littore Baltico, ubi ſedes eorum antiquiſſimas Ptolomæus collocat, cum Cimbris in Galliam tendere cœperint, quod ibi ſibi firmum locarint præſidii ſuccurſum in eo burgo; ſed etiam, ut paulo poſt retexemus, quod Germani ibi cum Romanis ingenti prælio coierint. Clarum proinde ſemper fuiſſe, cum ædificia, tum Hiſtoriarum etiã monumenta declarant. Ob nundinas etiam celebres negotiationeſque frequentatum fuiſſe, indicant non tantum rerum Flandricarum ſcriptores, ſed etiam maxime apparet ex eo quod ſe à principio cum Colonienſibus fœdere tali coniunxerit, quo Hanſæ ſe quoque circa annum 1201. cum aliis deſtinavit: Tũ etiam Teutoburgii hi vicini fuerunt illis qui Ubiis mixti olim vixerunt: unde alii volunt, quod in ſuburbio Colonienſi conſederint, & inde Tuitſch vocatum fuerit: quam tamen opinionem *Chron. Colon. anũ. pag. 176.* plane cum auſteritate reiicit, nec vult, quod Duytſch ſuburbium, quod Anno 1376. in pagum redactum, nomen ex Germanico obtineat, ſed à Latino, ut ſit quaſi Tuitium & protectorium aut appendiculum præſidiale dictum; quod tamen alii aliter ſtatuunt, ut ſupra indicatum eſt in præcedenti cap. Notandum tamen venit heic etiam, quod alias quædam nomine iſti admodum cognato ſit altera adhuc civitas, quam Duysburgum quoque, nonnulli tamen ad diſtinctionem manifeſtiorem Doesburgum rectius dicunt: quamvis & hoc admodum ſit corrupte pronunciatum, *iuxta Hadria. Iun. in hiſt. Bat. pag. 19.* quum auctorem ſui nominis Druſoburgum ſapere maxime exprimereque debeat; (licet fruſtra & abſque ulla ratione *Claverius in lib. de tribus Oſtiis Rheni* id in odium Iunii prorſus & cum indignatione neget) ubi Franci olim circa Rhenum habitarunt, & huic adiacentes incoluerunt terras. Quod certo certius eſt, inquit *Hadrian. Iun. Batav. hiſt. p. 91.* Quandoqui-

doquidem Rheni brachium à Druſo foſſum, & in Salam amnem corrivatum apud Druſi burgum, (Rhenus quum ſit) adoptivo tamen nomine decurrit in Oceanum, ripaque dextra Tranſyſalanam veræ Franciæ initium alluit, ut Strabonis & Taciti auctoritate clariſſime docuimus, &c.

Memorabile hoc quum ſit præ reliquis notationibus ad Druſi facta, & ſimul ad pleniorem faciat intellectũ huius explicationis, audiendus heic porro eſt Iunius in eo, quæ iſti loco aſſignat *in d. hiſt. Bat. pag. 60. & 61.* Sed ad rem, inquit. Antequam Arenacum uſque deſcendat Rhenus ad duo paſſuum millia, foſſa novi & immenſi operis incipit continua, militari opere, ne virtus otio relangueſceret per Druſum facta, cui Druſianæ nomen fuit teſte Tacito, manetque nomen in hodiernum diem; quã Germanicus Cæſar ingreſſus cum Claſſe mille navium, poſt vota Druſo patri facta, lacus inde Rheni in Oceanum ad Amiſiam uſque flumen præcipiti alveo & ſecunda navigatione uſus, pervectus fuit, ut ille ſcribit. Eam aggere quoque munivit anno à condita urbe ſeptingenteſimo quadrageſimo ſexto, ſed inchoatum illud opus ſexageſimo tertio poſt anno abſolvit Paulinus Pompeius qui Exercitibus in Belgio Neronis principatu præfuit, quem aggerem putatur Tacitus appellare Druſi molem (à qua diverſa eſt nihilque commune habet Druſi moles quæ Magontiaci extat vulgo dicta der Eychelſtein) ubi narrat Civilem quum in Bataviam ſe recepiſſet, diruiſſe molem, à Druſo Germanico factam, & Rhenum prono alveo in Galliam ruentem dilectis quæ morabantur effudiſſe. Ea foſſa continuat ad duo aut tria milliaria, Rhenumque novo Iſelæ nomine donatum deducit præter Doesburgum oppidulum forte à Druſi nomine dictum, quaſi Druſoburgum, quod falſo à quibuſdam, qui ſcholia otioſa Taciti libris illeverunt, creditum fuit eſſe Aſceburgum, quod, in Ripa Rheni ſitum, monumentum Ulyſſis errorum eſſe volunt, & ab illo dictum Ἀσκύργιον. & quamvis extare non procul Xantho in Clivia Aſchelbergum nomine aſſonans pagus dicatur, alii tamẽ Teutoburgo ſive Duiſburgo vicinum Aſciburgium verius monſtrant, qua olim Rheni alveus fluxerit. Ubi Iſelam veterem, cuius in Weſtphalia fontes ſunt, & in cuius nomen hic adoptatus eſt, accipit: inde Brõchorſtum præterlabens, & Zutphaniam urbem copioſam & Comitatus titulo honoratam, quam ego Uſipetum civitatem eſſe autumo, ut vocis veſtigiis adhuc inſibilantia auribus indicant.

Hinc Daventriam petit amnis curſus, Anſuariorum civitatem, unde manet notum illud omnibus & lippis & tonſoribus, Anſenſtadt, quæ urbs rerũ omnium copia circumfluit, opulenta & beata ac valide munita; de qua plura ubi de Anſatiis loquendum erit, &c. Sed ad Teutoburgum noſtrum revertimur. Locus eſt admodum commode ſitus in amœnitate Sylvæ, quæ etiamnum à Rura fluv. uſque ad Angermundam prope ſe extendens à civitate nomẽ retinuit, quemadmodum olim Teutoburgenſis ſaltus non longe à Rheno fuiſſe deſcribitur, ubi Arminius Germanorum Dux Quintilium Varum cum duabus legionibus fudit, ſignaque Romana ſub terram defodit. Exinde merito locus Teutonicis præſidiarius, & adhuc Deutſchburg/ Deusburg vocitatur. Rura fluv. non exiguum ipſi fert commodum ex vicinis civitatibus Brokii comitatus, Styramio, Ketwigio, Werdenio abbatiæ, Haltingo & Blanckenſteynio, quæ oppida fluvius ille attingit, atque ubi ſe Rheno adſociat in angulo ultimo poſt terrgum quaſi Duysburgil, abluit oppidum dictum Rurortium quaſi ipſum angulum acutum ad Rhenum cõſtitueret. Noſtris temporibus Anno 1614. quum Reg. Hiſpan. Gen. Spinola Veſaliam caperet, hanc quoque urbem Don Luis de Velaſco primitus aliquo milite tentavit. Sed quum cives reſiſterent, & ſubmiſſionem penitus negarent, imo quoque cernerent, quod milites civitatis cum illis facerent, qui adducebantur, diſarmarunt eos. Verum Don de Velaſcõ ſtatim fortiori heic aderat cum manu & tormentis bellicis, ut cogerentur præſidiarium recipere militem; unde diu exhauſtæ ſunt civibus facultates. E regione huius civitatis haud procul ab altera parte Rheni iuxta ſiniſtrum latus civitas Mœrs ſita eſt, quæ toti Comitatui illius loci nomen imponit.

Hinc proxime ſequitur Veſalia. Sed quum duæ ſint urbes eiuſdem nominis, dicitur hæc inferior. Superior enim Veſalia in diœceſi Trevirenſi ad lævam Rheni ripam Bingio ſecundo amni deſcendentibus inter Bacchiaram & vicum S. Goari medio ſpacio occurrit, quæ alias Veſavia veteribus vocata fuit. Et quamvis antehac Comitis Lutzenburgici fuerit oppidum; tamen Henricus VII. Imperator electus hãc Veſaliam & Bodobrigam Balduino fratri ſuo Archiepiſcopo Trevirẽſi oppignoravit pro certa pecuniæ ſumma, quum copias conſcriberet, quibus ad componendas Anno Chri. 1252. in Italia Guelphorum & Gibellinorum factiones uſurus eſſet. Ita ergo factum, ut Veſalia ſic ex eò tempore pareat Archiepiſcopo Trevirenſi. At Veſalia inferior noſtra ſive Clivorum, ſita eſt in ripa Rheni dextera, ſive Germanica non procul ab angulo eo, ubi Lippia cum Rheno confluit, qua ſe minor amnis in maiorem exonerat, cuius frequens fit mentio apud Tacitum, ſicut & tangit *Vell. Paterculus*, ubi prolixe deſcribit cladem Romanorum, antea ad ſaltum Teutoburgenſem indicatam. - - Eſt autem urbs elegans, olim quoque ab Ottone III. Imperat. in Comitiis Wormacienſibus Anno 1495. privilegiis libertatis Imperialis civitatis donata, ut in antecedenti capite dictum eſt. Ac quum ob commodiſſimum ſitum ſemper floruerit in commerciis, ingenti ex vicinis agris rerum incremento potens & dives facta eſt, unde nec minus munita & populoſa aquis, propugnaculis & valido murorum ambitu adeo inſtructa, magnos ut ſpiritus incolis gignat: ſitu ad negotiationem opportuno excellit: unde magnis & operoſis ædificiis, opum affluentia, mercatura celebri, cæteriſque fortunæ bonis, maiorum noſtrorum & noſtra memoria mirandum in modum excrevit, ad alterius ſuperioris differentiam, quæ tamen itidem tum ab Imperatore Ottone III. Imperialis nominis privilegiis cum hac ornata fuit. Ex præterfluente autem Lippia fluvio commoditates haud pœnitendas iſta percipit, qui ſiniſtrum eius latus alluens ſtatim Rheno conſociatur. Clivicam porro hanc Weſaliam Duces ſui variis diverſo tempore ornamentis, animis Heroicis exornarunt: Eberhardus Comes Cliviæ & Teiſterbantiæ nonus (hic enim Teiſterbantiæ comitatus ad Clivenſes pertinebat, cuius termini erant totum id quod inter Moſam, Vahalim

atque Rhenum situm est, ubi hodie insignia sunt dominia) pius & iustus Princeps Collegium Wesaliense fundavit An. 1225. Sub Arnoldo II. decimoseptimo Comite Cliviæ, Godefridus & Otto III. Comites Cappenbergenses monasterium Wesalienſe Virginum extra muros fundarunt. Theodoricus octavus, Cliviæ Comes vigesimusquartus Rudolpho Habsburgenſi Imperat. militavit contra Imperii hostes, cui Cæsar cum uxore dotem dedit Wesaliam urbem, & castrum, cum præfectura Ringlenbergh & villis adiacentibus. Prodiit ex hac urbe Arnoldus ille Wesalienſis, Græcus, Poeta & Historicus egregius; Sic etiam nostro seculo Tilemannus Heshusi[us] insignis Theologus, qui in plurimis locis & Academiis, ut Regiomontana Borussiæ, ubi Episcopum egit, Ienensi, Magdeburgi, & demum in Acad. Helmestadiana, ubi quoque sepultus est, multa quidem creavit commoda Ecclesiæ; verum, quum formulæ concordiæ subscribere nollet, eamque Iacobi Andreæ superbam importunamque progeniem vocitaret, Ecclesiæ scandalosam poetriam magis, quam proficuam, atque sic etiam nonnihil acrius procerũ aliquot vitia & flagitia taxaret, odio fuit pluribus, sicuti accidere solet iis, qui iuxta D. Pauli præceptũ veritatis professionem absque personarum respectu cuivis inculcare debite ex conscientiæ stimulo iubẽtur; inde coactus est plurium de loco in locum cedere furori: ceu quoque malevoli in illum hoc distichon Ovidianum contorquere solebant, per paraphrasin:

Quæritur Heshusius quur sexta pulsus ab urbe?
In promptu causa est, nelligiosus erat.

Quod alii ad seditionem ipsi convertebant, quos morsus agitabat conscientiæ. Sed Dux Brunsvicensis Iulius, quem pacificum dicere solebant docti, cũ gaudio eum excipiebat, quum Parthenopolitani iniquiori odio & sibimetipsis ignominiose illum persequerentur, quem etiam quasi parentis loco observabat, quamdiu vixit. Ita illum inter bene meritos de Ecclesia Christi cum Daniele Hoffmanno semper referebat. Vesalia autem fideli vigilãtia diu se in suo statu conservavit usque ad hæc tempora, donec An. 1614. in discordia Principum, qui propter successionem in his ducatibus litigia fovebant, cum reliquis aliquot civitatibus, in duram hanc incidit fortunam & adversitatem. Quamvis enim tum neutralitatem ambire videretur; 7. Sept. Dux Gen. Reg. Hispan. obsidione eam cingebat; unde certis pactis & conditionibus in deditionem sui abiebat, quum se imparem resistentiæ putaret, nec cerneret succursum Belgicum. Numerati tunc sunt 6000. cives, & 80. tormenta bellica vallo imposita, ut mirum fuerit, q̃ tam incogitanter se præcipitarint, ait *Meteran. part. 2. hist. Belg. lib. 31.* Princeps Aur. Mauritius quidem Vesalienses liberare ab hac obsidione studuerat magno exercitu; Sed nimis sero id tentabatur: attamen promissio facta est, quod, si castrum Iuliacense in pristinum restitueretur à Dn. Staticis statum, quod etiam tunc libertati suæ reddi deberet Vesalia. Verum postea perpetuæ auditæ sunt querelæ à Senatu & civibus, quod omni spe excidissent libertatis recuperandæ; nec defuerunt varii motus, ceu anno eodem in publica accidit concione; & 10. Decemb. coacti sunt 2000. adhuc recipere in civitatẽ milites. Vixerunt in his angustiis per 15. Annos, donec stratagemate magno tres illi liberarunt cives, de quo alibi plenius.

Embrica hinc sequitur, quam alii Asciburgium à Tacito dictum voluerunt. Sed quisnam error in eo committatur, id superius ex Iunio explicatum est, quum potius sit Aspurgum in comitatu Moersensi. Nihilominus Embricæ remotissima est memoria in historia Suniberti: ubi narratur, cum Archiepiscopo Willebrodo adventanti obviam Durostadio processisse Embricam usque, temporibus regis Franciæ & Pipini Ducis; sub annum Chr. 696. Est illa itaque urbs satis antiqua, in loco perquam amœno, ubi se Rhenus quasi in semicirculum incipit sinuare, dũ quasi monticulis in clivo sylvosis aliquousque cedere cupit: unde & Embrica, aut Embricã, quasi Ambrieçf/velut clivulos respiciens nomen accepisse fertur. A Ducatus Clivensis incolis admodum frequẽtatur, qui à dextera hac parte Rheni undequaq; huc confluere solebant, atque commercia sua huc transportare, ut inde in alios aveherentur locos: unde & ædificiorum pulchritudine & politia bona floruit semper, ante mutationem temporum horum bellicosorum; fovit quoque Collegium Canonicorum & scholam satis celebrem. Verum postea diu dubia admodum sorte iactata fuit, dum bellum hoc Belgicum viguit, quod vicinitas loci fecit, ut victrici parti aliquoties cedere coacta fuerit, modo occupata à Belgis, modo iterum ab Hispanis. Etenim utraque pars, ob egregium loci situm, urbem hanc, ad res suas rectius tutandas, multum momenti allaturam arbitrabatur. An. Chr. 1600. quum illam Hispanis ereptam Ord. Belg. tenerent, missis legatis, Cæsar Rodolph. II. postulavit, ut Imperio Rom. debite redderetur. Variis deliberationibus res deliberata fuit, nec tandem id Ord. Belg. displicuit, modo Bercka, quam Hispanus Colonienſi Episcop. eripuerat, imperio similiter restitueretur, nec inde quid periculi unitis provinciis caussaretur. Postquam utrimque consensum est, deseruerunt præsidiarii Ord. Belg. Embrikam: sed Hispanus Berkam deserere noluit; quæ res multis suspicionem iniecit, non sincere à legatis tunc actum esse, quasi potius Hispani partibus quam ipsi negotio pertractato addicti fuissent: verum nonnulli id æquius censendum putarũt, quod ita à Principibus ipsis actum sit, ad minuendã potentiam surgentium Belgarum. Ast Ord. Belg. & Princeps Mauritius id memori mente tam diu fecũ coquerunt, donec Anno 1614. novam occasionem sibi aucuparentur. Etenim quum Hispanus tum Vesaliam occuparet, & frustra laborem succursus ibi suscepissent, converterunt se non tantum ad Embricam, sed etiam simul uno eodemque actu usq; Reesiam civitatem, ad invium in eodem latere Rheni iuxta situm optime correspondentes, progressi sunt, & utramque in suam redegerunt potestatem. In tẽpore ventum tunc fuit, alias Hispanus civium animos pactis mollibus & promissis blandis, in suam pertraxisset in Reesia partem. Quamvis autem Bisselichæ & Xantinæ hinc tractatus bis susciperentur, num aliquod intermedium consilium controvertẽtibus Principibus de his Iuliacensi & Clivensi Ducatibus inveniri posset; tamen frustraneus fuit labor omnis. Interim Ord. Belg. & Princeps Mauritius 6. Castellis Embricam fortiter muniri fecit, sicut & Reesiæ. Xantæ tamen quoddam pactum fuerat cõfectum

fectum poſtea; verum quum Anno 1616. animadverterent Ord. Belg. quod novæ interſererentur & conſuerentur difficultates, pleniori munimento utramque hanc obſeperunt civitatem, ut exinde continuum huc uſque præſidiarium aluerint militem. De Unna, Hama & Watburgo poſtea agemus in concluſione huius circuitus; iam ad Gelriæ Ducatus urbes nos convertimus, quorum numerus eſt plenior.

Ruremundæ igitur, propter ſitum loci, primas attribuere cogimur partes ordinis cauſa, quum ſuperioris Gelriæ principaliorem dignitatem mereatur. Etenim in Gelria 22. urbes egregię numerantur, quarum pręcipuę ſunt Noviomagum, Ruremunda, Zutphania & Arenacum, quod hodie Arnheimum vocant: Sed hæ iterum ſuas habent diſpoſitiones, ut aliquæ præeminentiam habeant quaſi capita, quædam ſubſint. Namque Gelria, quum ampliſſima inter 4. Ducatus ſeptędecim Belgicæ Germaniæ provinciarum ſit, inde in ſuperiorem & inferiorem Gelriam antehac diviſa fuit; priuſquam in hoc bello Belgico diſruptio accidit. Inhabitarunt olim huius provinciæ terram Menapii, & partim Sicambri, partim quoque Batavi, & à fluminis Rheni bicorni curſu media fere interſecatur, unde quoque dicta diviſio profluxit. Attamen quum proximi Ubiis ſcribantur Sicambri, inde totius provinciæ tractus iiſdem attribuitur ab Hiſtoricis. Habet autem provincia ſive Ducatus iſte nomen à Gelre arce ſive caſtro, quod Wigandus à Ponthe loci primus præfectus una cũ fratre Lupoldo ædificaſſe fertur: proinde adhuc urbs Geldria eſt, quæ nomen Ducatus huius conſervat ad Nerium ſive Nierſiam fluviũ, ſibi in ſuperiori Geldria ſita, ubi Wyam in ſe recipit, ac inde Goch Clivię civitatem alluens ac Gennepiam tendens, ibidem ſe cum Moſa coniungit.

Ruremunda vero ſuperioris Gelrię caput eſt, quę habet ſub ſe Venloam, Geldriam, Vagediam, Stralam, Wachtendonkium, Erkelenſium, Montfortum, Echtium, Neoſtadium, Keſſelium, Midlariam & Grieckenbeciam. Urbs hæc, iuxta communem iſtorum hominum conſuetudinem, nomen ſumit ab oſtio fluminis Ruræ, quod ad ipſam urbem in Moſam aquas ſuas præcipitat. Oſtium enim ſive os Teutonicis dicitur Munde/ à quo vocabulo & nomine fluminis, urbis appellationem compoſitam perhibent, quod in aliis quoque Belgicis oppidis obſervatur, ut antehac monita ſunt eius data. Diſtat hæc urbs à Venloa itinere trium leucarum, eſtque & civibus frequens, & divitiis admodum potens; tum ædificiis quoque concinna, & ſitu ac mœnibus valida. Primarium eius templum Spiritui ſancto dedicatum, quod nuſpiam alias ita invenitur, ubi ſancti potiori habentur in loco. Ager Ruræmundenſis lõge lateque porrectus, ceu ſolum totius ferme Geldriæ planum & parum montoſum, ſub amœnis admodum, & fructuoſis nemoribus denſum: ſic & hęc terra omnigenæ ſegetis & inprimis tritici feraciſſima eſt, frugumque & fructuum perfertilis: Unde occaſione ſic ferente, exercituum eo ſolemnis confluxus, & velut ſtativa quædam caſtra; ut ſatis inde conſtet, quur in fœdere Hanſeatico olim colendo tam aſſidui eius fuerint cives. Velut etiam viros doctos procreavit, qualis inter cæteros fuit, Dionyſius Richelius antiſtes, qui magna ſua cum laude multa edidit ſcripta, & Theodorus Gramineus, artium Mathematicarum profeſſor egregius. In Eccleſiaſticis hic quadrans Geldriæ pars Epiſcopum Leodicenſem agnoſcit. Velut autẽ hodie per bellum Belgicum diſruptæ ſunt ditiones illius loci, ita quoque accidit Anno 1572. quod Wilhelm. Princeps Auraniæ 4. Aug. tempore Ducis Albaniæ Ruræmundã quidem vi occuparit, & inde ulterius in Brabantiam irruptiones varias perfecerit; ſed tamen poſtea repulſus, & omnia iterum cedere coactus eſt, unde nunc à principali loco ſeparata manet.

Venloa ſive, ut ab aliis appellatur, Venlona eſt proxima Ruręmundæ urbs ad Moſam itidẽ in dextro latere 6. milliaribus inde diſtans, ſi ſecundo flumine iſtuc proficiſcatur. Nomen à geminis in vicinia paludibus habet, quum ven aut vehitidẽ ſit, quod locus paludoſus eſt, quorum extrema pars iuxta mõticulos eam concernit, & ultra Moſam in altero latere Keſſeliæ ditionem, vel, ut volunt, Caſtellpagũ ampliſſimum complectitur, hunc regendo uſque ad Ruræmundam fines ſuos extendit, ceu quoque peculiarem olim habuit toparcham, quum eſſet regiuncula regiæ ditionis. Namque fuit antiquis temporibus iuxta *Hubertum Thomam*, magni inprimis momenti ac celeberrimi nominis oppidum illud, ex quo præfectura Keſſeliana nomen gerit, ceu Ptolomæus idipſum Caſtellum appellat Menapiorum Metropolin. Verſus ortum vero Venloa Stralam ſeſquileuca tantum à ſe abiunctam habet: urbs certe perquam bona & commerciis propter ſitum aptiſſima olim fuit, quum fidas civitates liberiores inter ſeſe colerent eo nomine confœderationes; nec minus & valida eſt tam ex natura loci, quam. munimẽtis ipſi additis, quum duplici foſſa incluſa ſit, quas Moſa irrigat præterlabendo. Ex hac urbe Adolphus An. 1462. patrem Arnoldum Ducem Geld. & Comit. Egmondan. oppugnavit, & Ruræmundanos, deficere nolentes. Sed ibidem filius à patre obſeſſus, opera patrui Guilielmi Reguli Egmondæ, pace facta, in gratiam receptus eſt, urbemque Neomagenſem à patre dono accepit, unde carcerem huius ope patri poſtea confecit peſſime. Factum Anno quoque 1541. ut agenti tunc in Hiſpania Cęſari, Galliæ rex Franciſcus, & Guilielmus Cliviæ Dux, inito inter ſe fœdere, arce intulerint bellum, ut eo commodius terræ hæ Gallicano imperio poſſent ſubiici, quod provinciales ſtatus antea meruerant. Inde proximo ſtatim anno, comitante ingenti exercitu, in has oras delatus Cæſar redux, & Ducatum ipſum & Ducem ſibi ſubditum reddidit. Verum ne in graviora longe incideret mala, hoc tam infauſto ſucceſſu tamque potenti hoſte perculſus Dux, magis ſe huic ſubmittere ſtuduit, ut Imperatorem penitus complacaret. Ideoq; Anno 1543. conventus fuit in urbe hac Venloa, ubi Dux Iohan. Guilielmus Carolo V. non tantum ſeſe dedidit, ſed etiam in maiorem rei fidem ſubſecuta eſt ibidem inter utramque certa pactio, ut Dux rationes omnes & iura, quæ in haſce Provincias quomodocunque prætenderet, Imperatori pleno conſilio cederet; quod ipſum & Ordines Geldriæ, certis quibuſdam legibus, in ipſo pacti contractu expreſſis, ſuffragio ſuo comprobarunt. Ac ſic demum Ducatus Geldriæ, Comitatuſque Zutphaniæ, in Auſtriacæ gentis & Caroli V. Imper. ceu legitimi Principis ſui, poteſtatem reverſæ ſunt.

Quare & Ordines utriuſque Provinciæ Anno Chr. 1549. communi conſenſu filium eius Philippum, in verum atque legitimum Principem ſuſceperunt, præſtito ei ſolemni fidelitatis & obſequii ſacramento. Verum quum pacta inverterentur, & bellum inſequeretur atrociſſimum, quod adhuc durat, Venloenſes quoque novis ſe adſociarunt tunc fœderatis. Proinde Anno 1586 Dux Parmenſis, quum urbem Graviam occupaſſet una cum Magio & Battenburgo, ſtatim obſidione cinxit hanc urbem, & totum adduxit huc exercitum; maximam tamen partem circa Stralam habuit, reliquam trans Moſam locando in præfectura Keſſeliana. In obſeſſa hac urbe tunc ſe Martini Schenkii coniux continebat, & eius ſoror cum tota familia; ſicut & Schenkius 700. ibi habebat præſidiarios; inde ſingulare ſpecimen audaciæ ſuæ oſtendebat hoſti, ut noctu cum 100. equitibus invaſionem faceret in caſtra eius, & prope ad Principis Parmenſis caſtellum perveniſſet, niſi diei & multitudini irruentium cedere coactus fuiſſet. Amiſit circa 40. Equites, & ex fruſtraneo hoc conatu reverſus eſt Wachtendunkium. Venloenſes forti manu primitus quidem reſiſtebant, inſulam quoque in Moſa urbi proximam bene munitam reddebant: verum, quum caſtello navali eam expugnaret occuparetque ſimul, cives animis confracti milites ſuos repulere à defenſione, & quum inciperent cum Principe tranſigere, prorſus reſiſtentes ejecerunt. Ideoque 28. Iunij ſub conditionibus certis urbs ſe ipſi dedidit ita, ut Schenkii coniux libere quoque cum ſuis abſque ulla violatione ſit dimiſſa. Ac licet Princeps Auragnienſis Anno 1592. eam ſtratagemate aliquo recuperare ſtuderet; tamen ſors voto non reſpondit. Urbs quoque uſque ad Annum 1602. dominium in præſidiarios geſſerat: ſed Archidux Auſt. Albertus artificioſo tum ſtratagemate ſatis magno numero peditum equitumque præſidium ſuum augebat; unde non potuere amplius reſilire, ut nunc cum reliquis in ſeparatione Ducatus vivant. Tantum quoque de his urbibus Hanſeaticis; nunc nobis ad Rhenum recurrendum erit.

CAP. III.

De civitatibus Hanſeaticis Geldriæ ad Vahalim, item Hollandiæ & Zelandiæ.

POſt Coloniam potiſſimas in hac confœderationis Hanſiaticę parte ſuſtinet Noviomagum, quum non tantum ſit inferioris Gelriæ caput, ſed etiam urbs Imperialis, & tantæ dignitatis, ut regia fuerit Batavorum ſedes, velut multa quis encomia protenus complectitur, ſi ſaltem eius efferat nomen, ita palatio publico quoque Francorum regum nota fuit, inquit *Ium. in Bat. ſua pag. 51.* qui ita ſimul in deſcriptione tam nobilis urbis p. 124. & 145. ſic pergit, ceu propter ſelectiora verba illum heic lubet loquentem parum introducere: Neomagum igitur, (ait) ſive Noviomagum: (ut utrunque enim ſcripturam invenio in hoc nomine, quo extitiſſe & alia præſidiaria oppida, ut in itinere Argentoratum, Neomagum hodie Udenheym dictum, & alterum Noviomagum infra Auguſtam Trevirorũ, & tertium Ingelheymium hac ætate vocatum, Caroli Magni natalibus clarum, inter Ambianos & Sueſſiones lego:) Batavorum caput ſedeſque regia omnium conſenſu creditur: nam præterquam quod vero ſit ſimile, Batonem indomitæ inſulæ poſſeſſionem aditurum, locum quo perfugium ſibi pateret, extra inſulam muniviſſe, ſedemque principalis fortunæ conſtituiſſe, deinde Iulium quoque Cæſ. præſidium illud ſibi legiſſe, ac Romanos præſidiariam illic legionem adverſum Germanos, continuiſſe, certo certius eſt, Palatio publico Francorum Regũ exornatũ. Reginonis enim auctoritate ſi ſtabimus, Carolus cognomento Magnus Imp. tria regnis ſuis palatia primaria conſtituit; Neomagum, Aquiſgranum, & Divodurum ſeu Theodonis Villam. Idem ædiculam (quam Gerardus Neomagus Diis Manibus conſecratam fuiſſe autumat, quum fuerit monumentum Iulio Pudenti filiiſque hæredibus factũ) Chriſto Servatori ſolemni religione dedicaſſe, arcem collabeſcentem reparaſſe, eamque editiore tribunali, in quo ſæpe ius dixerit, condecoraſſe memoratur. Urbs vero ipſa ſitu atque opere prę munita eſt, prædives, rerumque omnium affluens, qua Clivenſem ditionem propinquam reſpicit, in arduum collem aſſurgit, cum vetuſtiſſima arce, Iuliano, ut vulgo creditur, opere, à qua parte nemoroſis montibus & frequentibus fontium ſcatebris amœna regionis facies ſe aperit: diverſa urbis ora in paludes depreſſior ſidit; reliquum ſolum tumulo ferme perpetuo acclive eſt. Hanc ante annos trecentos vicenos, Guilhelmum Hollandiæ Principem iam Cæſarei tituli inſigni donatum, tradunt Annales pignori oppoſuiſſe Otthoni Gelrio, cui certis nominibus grandem pecuniam debebat, ea lege ut niſi definito tempore repræſentata foret, ius deinceps omne Gelrio poſteriſque cederet. Huic natales ſuos debuit Franciſcus Craneveldius Iuriſconſultus primi nominis, Mechlinæ Præſes, ſcriptis illuſtris: debet & Gerardus Falckenbergius Neomagus, juvenis eloquentiæ & doctrinæ omnigenæ gloria cumulatiſſimus, qui non ita pridem in obſcuriſſimo, Nonni Dionyſiacon opere, iudicii peractis & firmi periculum cũ laude adiit. Eandem patriam agnovit & Gerardus Neomagus, vir non indoctus, qui rhapſodiam Batavicæ hiſtoriæ conſuit & publicavit, &c. Hactenus Iunius. Quod vero ille à principio induxit de hac urbe, quaſi ea regni titulo, ſicut & pedis Imperii nomine inſignita fuerit, certe non fruſtra eſt. Etenim in eo conſentiunt hiſtorici, quod Carolus Magnus eam unam è tribus in hiſce Provinciis Imperii ſedẽ conſtituerit, quarum primaria quidem Aquiſgrani, tertia vero Divoduri, ſive Theodonis Villæ, in terra Lucenburgenſi eſt. Quod vero etymon attinet, Geldenhaurius oppidi civis in hiſtoria ſua Batavica primum eius conditorem aſſerit Magum fuiſſe, potentiſſimum Regem Gallorum, & Ditis filium, qui de ſuo ipſius nomine Magam eam vocaverit. Sed veniſſe poſtea in has oras Batonem Regem Cattorum, qui & amœnitate ſitus & loci antiquitate delectatus, oppidum iuſſerit inſtaurari, & pomœrium eius proferri, adeoque triplici mœnium ambitu circumvallari: atque ab hac inſtauratione Noviomagum appellaverit, voce idem prorſus valente, quod iſtorum vocabulum Nieumeghen/ vel molliori pronunciatu Nimmeghen eſt.

Addit inſuper, Heſſium dicti Batonis filium, excoluiſſe hoc oppidum utpote patriam ſuam, atque inde

inde inferiorem oppidi partem, Montem Heſſium dici, denique conſtitutum fuiſſe communi Batavorum conſenſu, ut haberetur pro urbe regia, & totius terræ metropoli. Verum utcunque ſeſe habeat res, illud quidem aperte conſtat, urbem eſſe perantiquam, & adiacere ei Rheni fluminis alveo, qui Vahalis dicitur, vaſto imbi, atque multum profundo: diſtare porro ab Ravenſtenio duarum leucarum itinere. Urbem equidem pulchram, potentem, validam, ac non civibus minus quam opibus affluentē. quæ poſtquam patere cæpit genti Auſtriacæ, cives militiæ magis, quam pacis artibus prius intenti, Mercurio poſtea & Minervæ facti ſunt conſecranei. Etſi tamen nec veruſtis temporibus defuerint urbi viri illuſtres, & ſcriptis clariſſimi: inter quos Theodoricus Bornius, Ioannes Henricius, & Ioannes Bronchorſtius. Varia in hac urbe ſunt templa & pietati dicata ædificia. Inter quæ inſignis illa Collegiata, quam vocant, Eccleſia Divi Stephani protomartyris Neomagenſis. Inter alia vero urbis ornamenta excellit potiſſimum antiquiſſima illa & pulcherrima arx, monti inædificata & ſupra reliquam urbem prominens: quam conditam aſſerunt, vel inſtauratam ſaltem ab Iulio Cæſare, finitimis ubi locis coercendis ac detegendis. Et profecto ſi verum amamus, non temere ullum in tota hac Belgica locum invenias, qui vel egregium magis vel ampliorem hoc noſtro teddat agrorum & fluminum, item urbium atque pagorum proſpectum. Inventa ſunt in hac urbe & ſuburbano tractu monumenta compluria veterum Romanorum, puta nummi quam plurimi & ſumptuoſorum operum tumulorumque lapides, quorum hodieque adfatim invenitur.

Ioannes Falckenbergius civis Neomagenſis, ſummus vir rerum & antiquitatum æſtimator, domi ſuæ adſervat unum & item alterum è nobilibus hiſce lapidibus, qui veterum aliquot ducum aliorumque virorum illuſtrium titulos & effigies præferunt. Effoderunt præterea varias antiquitates Romanas ad eam Vahalis ripam, in qua olim creduntur egiſſe ordinaria Romanorum præſidia, unde & ipſe locus urbi pœne contiguus, hodieque Teutonico idiomate audit den Roomsben voet / id eſt, Pes Romanus, extantibus hac de re & lapidibus, voces quaſdam latinas præ ſe ferentibus, & primariæ urbis portæ, vulgo Deſſelpoort / inſertis voces quas dixi eccliſtæ: Hic pes Romani Imperii: hucuſque ius Stauriæ. Ex quibus nonnulli conantur colligere, Stauriam, non incelebre quondam & latiſſimi territorii Friſiæ oppidum, Noviomagum olim appellaſſe. Sed referri etiam poſſet, amplitſimum Stauriæ territorium iuriſdictionem ſuam Noviomagum uſque produxiſſe. Invenerunt etiam annis ſuperioribus ſub terra in cœmeterio ædis prædictæ Divi Stephani lapidem quēdam prægrandem, muro ipſius cœmeterii è regione crucis Ieſu Chriſti hodieque infertum, cui veruſtis admodum Characteribus inſculpti ſunt iſti verſiculi:

Anno milleno poſtquam ſalus eſt data ſæclo
Centeno iuncto quinquageno quoque quinto
Cæſar in orbe ſitus Fridericus, pacis amicus
Lapſum confractum vetus in nihil ante redactum
Arte nitore pari reparavit opus Novomagi.
Iulius in primo tamen extitit eius origo
Impar Pacifico reparatori Frederico.

Gaudet Neomagum titulo Vice-Comitatus eſtque feudum, & oppidum Sacri Romani Imperii. Cui ſicut & cæteris liberis urbibus, monetæ procudendæ ius eſt. unde nec appellatur iſtinc ad Cācellariam Geldriæ, ſed recta tenditur Aquiſgranū. Nec propterea tamē urbs Imperio manet obnoxia: niſi quod ſolenni quodam ritu, & velut in agnitionem immunitatis, mittat Aquiſgranū quotannis, idque per hominem certum, piperis plenam chirothecam. At Regi Philippo, quatenus Duci Geldriæ, ſuum quoque in urbem hancce imperium, ſuaque eſt iuriſdictio. quare & ipſe cudi hic facit monetam eadem, qua in cæteris urbibus ſuis, mixtura, eiuſdē formæ & pretii. In ſpiritualibus autem Noviomagum ſubeſt Archiepiſcopo Colonienſi. Eſt hoc oppidum univerſi Ducatus ſui Metropolis, ſpeciatim vero primi ac præcipui eius quadrantis caput. Sub quo continentur tum oppida, tum territoria præfectorum ſequentium, & primo quidem Tila atque Bommelia, oppida, muris circumdata: Genita autem, etſi mœnibus careat, oppidi tamen privilegiis & immunitatibus fruitur: territoria denique, ſive conventus iuridici, ſunt inprimis illud Burchgravii, ſive Vice-Comitis Neomagenſis: deinde vero ea dictorum oppidorum, Tilæ ſcilicet atque Bommeliæ, una cum Inſula Bommeliana, vulgo Bommelerwaerdt: atque hinc porro conventus ſuperioris & inferioris Bethaſiæ, vel, ut alii volunt Bataviæ, vulgo de Betuwe: Poſtremo territorium Interamnenſe, id eſt ager Moſam & Vahalim interiectus. Coniunctū fuit Neomagum cum reliqua principum Geldriæ ditione Anno Chriſti 1248. idque hoc pacto: mutuaverat Otthо Secundus Geldriæ Princeps Romanorum Regi Guilielmo marcas ſemel & vicies mille argenti puri, ea quidem conditione, ut niſi intra cōſtitutum tempus reſtitueretur idipſum argentum, oppidum Neomagum Otthoni ac ditioni eius accederet: quod pactum amplioribus poſtea conditionibus approbavit Romanorū Rex Rodolphus. Quoniam itaque vel principum eorundem incuria vel & impotentia fortitan, factum eſt, ut pecunia illa non fuerit reddita, coaluit iſte ſtatus, certis quibuſdam pactis, cum hoc ipſo Ducatu.

Neque vero hic prætereundum eſt, quo tempore prodiit altera operis huius editio, poſt diutinas preces & graviſſimas interpellationes, concluſum tandem, & ſpeciali quodam privilegio certiſque conditionibus, Regio nomine, conceſſum fuiſſe auctori Thomæ Gramaio, viro quovis honore & præmio digno, ut fieri poſſet, inde ab urbe Neomago, uſque ad Leucæ quadrantem prope Arnhemium, foſſa quædam ampliſſima, & ab altero Rheni cornu uſque ad alterum pertinens, at intra aggeres tamen, quos iuſtis de cauſſis nolunt perfringi. quod ſpatium erit duarum leucarum maiorum, bis mille & octingentas perticas, quarum ſingulis ſedecim huius mēſuræ pedes reſpondent, complectentium ita, ut magnitudine quidem nobili illi Druſianæ, ſupra ad alteram fluminis ripam nobis deſcriptæ, foſſa iſta nō multum ſit conceſſura. Opus revera heroicum, & in magnam utriuſque oppidi & finitimorum locorum commoditatem ceſſurum! quod tamen nō propoſitum modo alias atque diſcuſſum, ſed peculiari etiam

privilegio huic tractui fuit indultum, ab Henrico Augusto, eius nominis septimo, ante annos præter propter ducentos & septuaginta.

Leucæ unius itinere Noviomago distat pagus Groesbeca, unde cognomen ducit nobilissima gens Groesbequia, loci ipsius domina, è qua gente natus est Gerardus ille Groesbequius, Antistes Leodicensis, cuius fusior alibi cũ honore & laude sit mentio.

Duabus circiter Noviomago leucis, inter Mosam & Vahalim situm est Craneburgium, oppidulũ quidem exiguum, at Collegiata tamen ut vocant Ecclesia nobile: unde natus Theodorus Pulmanus, vir litteratissimus, qui conquisitis undique summa cum diligentia, nec minori amicorum opera atque impensa libris calamo exaratis, omnes fere Poetas Latinos, magna sua cum laude & publica omnium gratia, castigavit & emendavit.

Neomagiensibus vero quanta fuerit gloria ab antiquis usque seculis patet, nec sequius illis quid foret detrahendum, nisi laudem suam facto illo propudioso ad Annum 1465. quo Adolphus Egmondanus Dux eorum impietate summa contra parentem se deformavit, nonnihil obscurassent. Namque colluſionem tum instituerunt, ut eorum ope armata Græva noctu parentem in cubiculo seminudum experiret, & nudatis pedibus usque Bueram in carcerem 6. annorum abripuerit. Nec facile flecti potuerunt, quum revocarentur ad munus, nisi tandem devicti à Carolo Burgundo, ubi vix viram pacti sunt, intercedente pro iis Iohanne Cliviæ Duce, velut & Burgundo urbem intrante, viri fœminæque omnes in genua cadentes, gratiam, ne diriperentur, altis vocibus rogarunt; quod tandem à proceribus simul exoratus hac conditione admisit, ut solverent Iuliacensium Duci 80000. aureorum florenorum. Posthæc quum, occupatis reliquis urbibus omnibus, ab Ordinibus cunctis receptus esset pro Duce, provinciale Geldriis concilium dedit, cui Cãcellarius præsideret, quemadmodum idem usque in hodiernum diem Arnhemii exercetur. Et quamvis hæc urbs in generali illa mutatione & defectione Belgii se 90. civitatibus, quæ Henrico IV. Galliæ Regi se in subiectionem Anno 1584. offerebant, adsociasset; tamen, capto ex insidiis Ducumboscho in vicinia, ex metu partim, & partim ex supplantatione Martini Schenkii se Principi Parmensi in deditionem contrarii sociis dederunt. Verum quum postea Schenkium facti statim pœniteret, & toties urbem, ad alteram cõcedendo partem, stratagemate iterum liberare ex manu Hispanorum cum Comite Moers studeret Anno 1585. tandem Anno 1588. fortem impressionem aut explosionem urbi huic noctu meditatus est: ac licet iam occupassent S. Antonii portam & domum huic proximam; tamen quum propter matutinam lucem non posset ulterius perficere susceptũ, & milites nimis acriter ex ædibus repellerentur, qui cumulatim naviculam eã, ex qua Schenkius omnia dirigebat, desuper saliebant, factum est, ut ille armatus & minus ad natandum aptus, cum plumis submergeretur. Neomagenses ex hoc periculo liberati, in flumine undiq; conquirebant spolia, &, quũ inter alia quoque hunc Schenkium invenirent, cadaver eius nimium rigorose in 4. dissecarunt partes, & caput ad S. Antonii portam spectaculo affixerunt; ex quo imprudenti facto ingentem suis civibus conciliarunt cladem, qui passim cædebantur ex huius rei odio. Unde recollegere dissectas partes & arcula inclusas in turrique repositas cõservarunt; ubi postea mutilatum cadaver Princeps Aurag. invenit, quũ Anno 1591. urbem per deditionem occupasset, atque illud honestissime in sepulchrum Ducum Geldrensium ad altare templi magni reponier curavit. Dedidit autem se tunc urbs 21. Octobr. ut ex eo tẽpore membrum præcipuum sit unitarum provinciarum, iuxta ea pacta, quæ per consules confecta fuerunt. Quamvis autem hæc urbs varias pertulerit vices; tamen sedulo partes suas in fœdere Hanseatico cum suis addictis sociis conservavit. Ac quoties convocatio hodie fit in communibus fœderis Hanseatici negotiis, litteræ citationis ad eam cum articulis & materia deliberanda mittuntur, ut eo maturius cum reliquis huius Provinciæ civitatibus sociis communicare talia, & de rebus necessariis cum iisdem in tempore deliberare, atque utilia monere queat. Quod si etiam hisce in locis quid tractandum aut conficiendum sit, quod ad corporis Hanseatici respectum & utilitatem faciat, huic committitur urbi; veluti memini, id aliquoties ante paucos adhuc annos factum esse, quod etiam fideliter præstitit. Etenim quum caput sit inferioris huius Geldriæ, & totius tractus, in quo reliquæ sitæ sunt urbes Hanseaticæ, vicario officio quoque post Colonienses id præstat, quod in usum civitatum Hanseaticarum communisque eius commercii, quoties ad hoc postulatur, cernere videt. Attamen egregie quoque & candide explicat, quæ forte præiudicium unitis queant parere Provinciis. Etenim memini, magistratum huius urbis An. 1623. tale responsum dedisse Hanseaticis, quod ea saltem curare posset, quæ non confœderatis Belgis quid afferrent præiudicii; unde & in reliquis se excusatum haberi voluit. Quippe confœderatum Belgium, paré rationem habet cum Hanseaticis, nisi quod corpus Hanseaticum dispersim sua ex tot diversis regionibus recolligat membra, quæ heic in consolidata universitate communita cum integris habentur nervorum foventurque virium connexitatibus, uti suo loco in comparatione utriusq; corporis id tunc plenius pro nata occasione explicabimus, quum temporis ratio tale quid minus iam admittat.

Proinde nunc nos ad Tielam oppidum Hanseaticum convertemus: sed priusquam huc progrediamur, pauca quædam de nominibus Rheni fluvii heic variantibus & eius cursu notanda veniunt, ut eo rectius situs reliquarum civitatum Hanseaticarum, quæ in sequentibus enumerandæ manent, percipi queant. Rhenus igitur, infra Embricam ad acum sive cornu insulæ Batavicæ, ut olim dicta fuit, ubi in ipso frontispicio munimentum fortissimũ Schenkianum positum est, in duo se extendit brachia, unum ad dextrum, quod & septentrionale dicunt, alterum ad sinistrum latus, quod meridionale faciũt. Dextrũ vero quando fluvium suum exporrigit versus Arenacum, quæ nunc urbs Arnhæmia est, priusquam eo deveniat, retunditur ibi quasi ad cornu, ubi extructum hodie est castellum, quod Iselort dicunt, quum ibi Drusus olim alta fossa diremptionem Rheno constituerit novo molimine, & docuerit eum novum adsumere recursum, ut sic tertium sortiretur brachium, quod in aliud inde flumen amplo

amplo cursu protendit, atque simul novum nomen Ilelæ amnis, qui ex Westphaliæ ducatu per flexuosum decursum apud Boeckholdium & Dodechemium profluens ad Doesburgum brachium tertium Rheni, per Drusi fossam ingentem eousque deductum excipit, & postea Bronchorstium pergens ulterius ambage flexuosa versus Zutphaniam defluit, donec se in sinum Austrium aut fretum Australe apud Campiam, sive Campaniam, urbem similiter Hanseæ effundat. Dextrum vero iterum Rheni brachium, ceu merito à Schenkii munimento usque ad Drusianæ fossæ inchoamentum vocatur, & hinc omni iure fit Medium, versus Arnhæmium dimidiati fluminis undis se explicans primum, & mox Wageningam inclinans rursus, atque infra Rhenam oppidum ex incurvatione se rursus attollens, post formatum spacium molis Drusicę ad Durostadium exiguo & humili alveo se à pleno fluvio (cui nomen Leccæ tunc à prisco amne additur) separari finit, propriũ nomen Rheni retinens, atque hinc Traiectum, eo irrigando, Wordam, *quod Cluverius in lib. de trib. Ost. Rhen cap. 6.* Vordam facit, Leydamque devehitur, Cattwigiumque tangens maris excursum appetit, quum cursus violentiam iterum ibi ad tumulos Arenarum, quos vulgo de Duncn accolæ vocant, obstructo ostio amiserit, quæ vis ipsi quoq; prope Durostadium adempta est. Namque illic Civilis Batavus suis olim temporibus *circa annum* 13. post quam Paullinus Pompeius sub Nerone inferioris Germaniæ Proprætor aggerem Druli perfecisset, rebellans Romanis novum alveum, in quem mole Drusiana diruta, Rhenus se effunderet, excavari curavit, ut in constrictiori Insula Batavica contra Romanorum insecutionem arctiorem tutus esset: veluti quoque hoc facto præstitit, ut Rhenus mediam Insulam perforatam redderet. Inde Rhenus (*ceu recte ait Iun. in Bat. pag.* 54.) mutato nomine Lecca dici incipit ad Durostadium, quondam rivulus tenuis è fonte suo Rheno aquas trahẽs, Elicis potius cognomento tũc dicendus, (nec enim aliud vox ipsa sonat) at nunc revera è tivo flumen factus, genitorem suum aquarum pabulo (ut ita loquar) intervertit, & ad se transtulit: ac super illum animos extulit, navium patiens, præ illo arido atque exsucco; quod detrimentum incurrisse Rhenum, & Elici suo cedere coactum, fama refert ad octingentesimum & sexagesimum annum, strage arbustorum infamem: Annalium monumentum quadringentesimo abhinc anno illud incõmodam diluvio, quo universa prope Hollandia pelagi faciem repræsentarat, imputant & acceptum ferunt: eaque tempestate Rheni obturamentum incidisse & Leccæ alveum late se extendisse scribunt. Difficile est iudicium in tanto sæculorum decursu; itaque arbitrii incertus nihil definio. Sic alveum illi suffuratus, Traiectoque iniurius Lecca, Culenburgum prævehitur, trifidum oppidum: Exinde Vianam præterlabitur, calamitosa Brederodiæ stirpis fama nuper inclytam: postea decurrit Schoonhoviã, cui oppido nomen factum ab hortorum & pomeriorum pulchritudine: demum in Nervam amnem priusquã Mosæ nomen induat, se effundit. Iam vero è regione Vianæ modo nominatæ, ducta est post obstructũ Rhenum suum à Traiectensibus magno impendio fossa perpetua emissarium habens in Leccã, per quã lintribus, scaphis, minoribusque navibus importat aut exportant merces suas; quæ initium est & fons Iselæ; ex ea namq; quantumvis vadosa fossa, & aquarum inopi, hic amnis nascitur, tenui ortu; primumque oppidum adit Iselsteynium, cui fœnerat nomen suum hæreditarium ornamentum ac Dominium inclytæ domus Iselsteyniæ, quæ nostro ævo Clarissimos duos Heroas & Comites, Florentium & Maximilianum, illum Fabii cunctatoris, hunc Achillis, æmulos tulit: inde Monfortium, à Traiectinis Præsulibus conditum, castellum in belli usum, nunc pacis & otii decore lætius: hinc Oudewateram oppidulum quæstuosum, Restionum & Schænoplocorũ genti officinam, decurrit: Exinde advenis aquis auctus Goudam, non suo tantum nomine auream, sed cum suis copiis, tum portu opportuno opulentam perlabitur: denique cum aquis nomen in Mosa amittit.

Tertium autem Rheni brachium ex primo usq; divortio ad lævam statim, ubi versus Mosam inclinare incipit, nomen suũ eo ipso flexu perdit, & Vahalis dicitur. Appellatio autem unde huic Rheni brachio sit, licet adeo sit dubium, ut ipse Cluverius quid certi affirmare vereatur; tamen non incongrua loqui videtur *Iunius in Bat. sua pag.* 58. quando à subruffo colore arenæ, quo tingitur, nomen ipsi inditũ putat, quem incolæ & Germani passim Wael ceu Valium, pronunciant; cui affectus quoque facile talis annectitur, qui accuratam exigat vigilantiam, quum repletus amnis nimiis imbribus & aquis impetuosis usque exsurgere queat, ut aggeres & rura omnia ex intumescentia eius veluti contremiscant, & concussa vacillent. Unde reparatio aut cura provida ipsa docet incolas, quid Wagen aut Wachen pro damno avertendo sit. Sed sinistet hic alveus, cognomento Vahalis, Noviomagum post duas incurvationes suas tangit, ut supradictum est: inde tres ubi confecit sinuosos decursus ad ipsum cornu, quando ad primum attractum Mosæ vergere incipit versus munimentum S. Andræanum à dextro latere, alluit Thielam urbem Hanseaticam, & ubi tetigit tũ Mosam, convertit se iterum per aliquot flexus ad Bommeliam urbem itidem Hanseaticam in ultima Geldriæ parte, & nomen iam dictum tunc perfert usque ad arcem Lovensteynium, in apice Insulæ Bommelianæ sitam, ubi non procul à Woricomio Mosam accipit.

Namque ibi à pago Bochovio manibus quondã mortalium fossa egesta fuit, ut docet *Cluv. p.* 36. *d. l.* quæ Mosæ pariter aquas in Vahalis flumen invexit cum nomine, quod etiam nunc durat sub cognomẽto novi Mosæ. Mox apud Goricomium copiosum oppidum Lingæ amnis, incredibili bonitate segnis, incremento auctus, Merovæ nomen quoque excipit, ut simul sit quasi novus Mosa, iuxta Cluverium; ubi arx tamen Merovæorum (quæ regia Francorum stirps fuit) à sinistra parte validis mutis fluvio ceu nutans imminet ex insula sua oblonga, cuius margine lævam lacus sive plaudes quatiunt Gertrudebergam inter & Dordracum sparsæ; intercedentibus tamen parvulis quibusdam insulis pristinæ cõtinentis terræ reliquiis; quas ubi præterierit cum novo cognomento in orientẽ nonnihil se convertens, ad fossam usq; quæ abluto pago Hollãdiæ Ablasserdamo, Leccæ flumini miscetur ad Crimpenum, & priusquam Roterodamum attingat, Iselam quasi furcu-

lum

lum Rheni ex Lecca prope Vianam usque exortum recipit, & Iselmundam Merodani Dynastæ dominium (cui nomen dedit os Iselæ) præterfluens, sub Rotterdamo Mosa iterum appellari incipit; donec inter duos insulares pagos Putte & Portegalium Vahalis nomen rursus obtineat; quod nomen servat, donec inter Geroflitum & Flardingam Mosæ flumini misceatur, cuius hinc immenso ore, Brielam piscatorum alecariæ negotiationis præcipuam sedē à læva prætercurrens, in Oceanum mox effunditur. Ad Geroflitam igitur olim, quum adhuc terra esset solida, fuisse Mosæ Vahalisque confluentes, certum est, *ait Cluv. pag.* 37. non vero ad Voricomium oppidum sive arcem Lovensteynium. Inde quoque toties mutatis vicibus Rhenus Mosæ, Vahalisque nomen induit, & adoptivarum aquarum iniurias tot perferre coactus est.

Explicatis igitur istis Rheni tractibus, cū cognominibus eius, facile constabit cuiusque civitatis Hanseaticæ in hisce terris positus, quum plurimæ heic concurrant. Etenim à Neomagio si versus Bomeliam ad Vahalæum Rheni tramitem iter in dextra parte suscipiatur, occurrit operibus munitissima urbs Tilæa, sive Tiela ut in Privilegio Ottonis Magni Anno 972. Magdeburgi concesso nominatur; quæ à Bomelia duobus leucis, à munimento vero S. Andreano ad dimidiam tantæ distantiæ partem abiungitur. Tantæ fuit pridem fortitudinis quum in loco undique bene septo situm sit, ut Anno 1528. à Burgundis obsessa, non modo acrem eam impetuositatem fortiter sustinuerit; sed etiam cum laude ab illa se liberaverit. Habet quoque imperium sive iurisdictionem in territorium, quod se inter Buram oppidum stativum olim Antonini & Vahalim ultra Bomeliam extendit; unde & ab ipsa urbe nomen retinet, & vulgo Tiserweerd vocatur. Quod urbis huius magna sit antiquitas, & quod præ cæteris Germaniæ inferioris maxime floruerit in commerciis, id patet sat liquido ex privilegio Ottonis I. Magd. concesso, ubi Bardovico, Coloniæ & Moguntiæ æqualis censetur in libertate commerciorum; ut merito nunc dolendum sit, quod iam non eiusdem famæ nomen habeat.

Hinc autem pergitur cum fluminis cursu Bomeliam, ad sinistram cum Neomagio Vahalis ripam locum suum habentem, & à Bura duabus miliaribus abiunctam. Est illa caput & Metropolis insulæ quam inter sese Rhenus & Mosa intercludendo efficiunt, ampla eleganſque certe & ædificiis sat commodis extructa est, quam etiam natura ipsa munivisse videtur, quum nullatenus cuniculis ullis aut subterraneis fossis subagitari queat; sicut etiam ab ipsis aquis crebra effusione defenditur. Sunt qui putant eam insulam proprie Batavorum à Cæsare vocari; sed alii talem plane reiiciunt opinionem. Vulgo autem Bommelwerda appellatur, & pagos continet quamplurimos. An. 1599. nonnihil ferventius hunc situm loci ambire cœperunt Hispani, ut eo rectius utrumque flumen ibi occupare & in suam potestatem redigere possent. Ideoque prius Kesseliam ad Mosam plurimas naviculas convehi curabant, post 4. Maij pleno impetu Insulam obruerunt. Verum quum Princeps Auragn. Mauritius in tempore Bommelianis succurreret, nil obtinere potuere Hispani, nisi quod totum æstivum tempus ibi frustra consumpserint non sine immensis sumptibus; velut etiam è contra Dn. Statici unitarum provinciarum adeo accuratam huic rei impendebant operam, ut aliquot ex eorum numero ibi viverent, & 280. navibus, 379. curribus, 356. equis cotidie uterentur, quibus necessaria ad singula momenta procurarent, ut ultra 1200000. flor. summa ibi consumpta perhibeatur. Quippe videbant, se fulcrum status in eo non rectius conservare potuisse, inde nunquam defatigati in adsiduo labore & sumptu faciendo videbantur. Nec minor erat vigilantia Princip. Maur. qui semper optimam quoque Tilæ curā gerebat, ut transcursum Wahalæ versus eum locum, quem unice intendebant Hispani, iis impediret; unde coacti sunt ex obsidione cedere, & mansit urbs hæc splendida Hanſæ in statu libero, atque suis addicta confœderatis, quibus tantam fidei addixerat connexionem.

Quum in actis Hanseaticis quoque Dordracum sive Durdrechtum, ut vulgo loquuntur, invenerim, urbs hæc ceu principalis & Hollandiæ ab antiquo usque Metropolis certe præteriri nequit. Nomen huic urbi à Dureto quodam & Teutonica voce Drecht; quæ, ut existimat *Iunius in hist. Bat. pag.* 246. Latinis forum, ab eo, quod ibi varia adferantur vel comportentur, dictum putat; quamvis alii, ut *in seq. cap.* ad vocem Vtrecht notabimus, pro Traiectu habeant, quum tamen quoad ferendi & portandi internam significationem res eodem recidat, impositum esse adseverant; quali dicas Forum Dureti, itidem ut forum Sempronii, Cornelii, Iulii, &c. Est autem urbs huius provinciæ pervetusta in ipso Merva fl. Rheni Mosæque coniunctæ sita. Quum ibi commixtio sit 4. fluviorum, non desunt, qui 4. eam adiacere fluminibus affirmarint, ut monet distichon illud, quod ingredienti eam urbem Anno 1549. Philippo Hispaniæ regi honoris & gratulationis ergo compositum fuit:

Me Mosa & VValis cum Linga Mervaq; cingunt:
Æternam Batava Virginis esse fidem.

Ex aquis vero his Anno 1421. exæstuante Oceano & stagnante hæc flumina, redacta est hæc urbs cum particula terræ in insulam, ubi undarum gurges omnes simul vicinos cum plus centum hominum millibus absorberet pagos, quorum numerus 72. refertur. Urbs hæc à Gouda 5. & Vltraiecto 7. miliaribus distat, & est pulchra, dives, potens ampliſque & magnificis ædificiis exornata, in qua olim Comites inaugurari solebant, qui tanquam caput Provinciæ eam amplissimis hoc nomine donarunt privilegiis: velut inter alia, ut sit asylum ac tutum quoddam perfugium iis, qui violentia creditorum oppressi, nomina sua nequeunt expedire, ac inde à carcere & arctiore vinculo sibi metuunt: his licitum est in hanc se recipere urbem, inibiq; tantisper libere agere, donec cū creditoribus transigere possint: Sic & ius cudendi monetam habet. Atque quum eorum omnium, quæ in annonæ reique alimentariæ usum venire atq; expediri possint, locuples quoddam penu sit, fluminibus, vadoso mari, stagnisque incredibilem piscium volucrumq; fœturā & copiā subministrantibus, præ cunctis aliis ipsi ius stapulæ appositū est: tum eriā ob copiosā opulentiā. Vix etenim alia urbs in toto Hollādiæ tractu, præter Amsteldamū, q̄ nupertimis annis usq; adeo ex divitiis ultimæ terræ Indicæ accrevit,

ubi

ubi magnificentiora & Venetianorum ferme æmula ædificia, quæ cœlum prope (ut dici ſolet) culminibus feriunt: hypogæa & cellæ vinariæ nunquam ſolem nocturnamve Lunæ facem admiſſura, arcuato opere fornicata ſunt. Eſt præterea in hac urbe Emporium vel ſtapula vini Rhenenſis: item grani, & frugum, quæ ex Geldria, Clivia, Iuliacenſi ditione, aliiſque Provinciis ubertim afferuntur, ut ſic non una de cauſſa mercimoniis tot floreat, ſitque amplũ ſimul & civibus frequens. Ideoque ut ſe in tali ſtatu fundamentali conſervet, ius ſtapulæ ſibi diſputari non ſinit; ſed ſi quid controverſum & in eo litigioſum ipſi moveatur, firmiſſimis arietibus, totiſque viribus nervum & adamantinum ipſius reipub. clavum urget: velut olim quoque Carolus Imperator arbiter & diſceptator cauſæ eorum fuit, quum tale ius ipſis impugnaretur à vicinis. De Stapulæ iure, quid ſit, ſupra in parte antecedenti capite vigeſimo actum eſt, ubi monuimus, quomodo Hanſeaticæ civitates ſibi id proprium fecerint, ut Germani quoque hoc quaſi genuinum ſuis adſumſerint commerciis. Quum vero altiori origine id deſcribat *Iunius in Bat. p. 248.* ipſius etiam mentem pro maiori elucidatione rei ex eiuſdẽ verbis adducere libet: Stapula autem (ait) vox barbara, & Latinis auribus avia, pure puteque Gallicæ originis creditur, qua ſignificetur privilegium beneficiariæ urbi collatum, ſiſtendi & ab inſtituto curſu retrahendi merces exoticas, quas negotiator importat, ut nimirum eo loco ſtapulentur, (ſi ad vocis originem alludere licet) ac conquieſcant, quo venum proſtituantur quavis tandem conditione niſi damnoſam venditionem cauſatus, vel meliorem aliunde lucri auram olfaciens inſtitor rectorve malit recurrere, unde venerat & ubi domicilium habet: Quod illi integrum eſt & libere facere licet, etiam non perſoluto ſtato portorio. Quod ſi empræ illuc merces alio devehendæ veniant, haud temere in alia quam popularia navigia merces recondi patitur civitatis ius. Simile exemplum ſtapulæ obtinet Atrebatum civitas in vina Francica, quæ plauſtris importantur. Middelburgo quoque idem ius in vina Hiſpanienſia, Luſitanica & Gallicana conceſſum eſt. At Durdrechtum non in unum genus, vina nimirum Germanica, quæ ſecundo Rheno Moſaque deportantur; ſed in cerealia etiam quæcunque ſemina & lignorum arborumque ſtruer. & ſi quæ ſunt aliæ illius generis merces vectoriis navigiis è Gelris Cliviiſque convehi ſolitæ, ius ſuum extendit. Alii quoque Stapel à Stapel-Hoſt, quod lignorum ſtruem ſeu acervum ſignificat, derivant; ut Stapelen ſit merces in unam ſtruem ſeu acervum congerere. Sed iuris huius naturam, & quæ privilegia proprie exprimat, ſuperius ſatis dicto loco explicavimus, quod iis locis maxime accommodari debet, quibus quaſi regale à Principe ſupremo regni conceſſum eſt, ut abuſus eius, in quem ab iniquis ſupplantatoribus abripi ſolet, maxime prohibeatur. Quantas enim incommoditates ſubditis & populis totius regni ac imperii talis abuſus creare poſſit, vix quis credat, qui non interna eius rei arcana intelligit. Ipſas enervat vires regni, & perniciem cauſat incauto magiſtratui. Ideoque Belgis hodie pro ſummo eſt arcano adeo, ut omnes illos pro hoſtibus ſtatus ſui habeant, qui petulantius talia flagellare ſtudent. Sed de his alibi: Durdrechtum vero quando à continente terra ſit avulſum (ut ſupra indicatum eſt) id expreſſit *Had. Iun.* eleganti diſticho hoc, annum denotante:

DVrDreCh to In CVbVLo VLt atro X InCLta Ventis,
VrbIqVaDIſſILVLtprotInVrbaVſta Mart.

Cauſa tam immenſæ calamitatis ex publica fama ruſtico alicui imputatur, qui vicini rebus invidens ex inimicitia, fundum illius aggeri maritimo ſubiectũ eluitione maris abolere, ut ſaltem corrumpere cogitarat, ignarus ſecuturam, poſt ſemel mare admiſſum, aggeris perruptionem, multoque minus totalẽ terrarum ſubmerſionem. Itaque peſſimo conſilio peſſimum perniciei facinus adiunxit. Fertur enim, effodiſſe ſcrobem, per quam, ceu colliquias, mare exæſtuans, in fundum prædictum corrivaretur, cuius impetus, quum nulla ope humana ſiſti iam amplius poſſet, latiſſimam terrarum hominumque ſtragem edidit. An. 1572. prima ea urbs Hollandiæ fuit, quæ, poſt captam Brielã, Duci Albano ſe ſubduxit, unde etiam primum adhuc, quod alias quoque ipſi competebat, votum inter unitas Hollandiæ civitates in publicis obtinet, & quaſi directorium gerit, cui Delphum ſe mox adſociavit.

Briela Inſulæ Toxandrorum (ſi Cluverio fides rite conſtat) à ſiniſtra parte Moſæ, ubi in Oceanum Germanicum ſe exonerat, unica urbs prope eſt, proxima tamen ab ea Geervlitum: Et vocatur Inſula hęc Vorna Hollandiæ. Brielæ autem à ſpacioſo liberoque alveo nomen viderur inditum, quo loco navale prælium inter Civilem Batavam & Romanam claſſem tentatum, ſed æquo Marte diremptum fuiſſe coniectant. Nomen non abluditab Helio Plinii, ait *Iun. in Bat. p. 296.* ut forteſſis ob latitudinem oſtii, Brehiela, tanquam latus Helius, vulgari voce corrupta appellatum ſit. Oppidum iſtud cum Geervlito mediocri fortuna utitur, quum plærique incolæ piſcatores ſint, qui è mari victum quæritent. Ingens tamen cœlo gravitas eſt in ea Inſula ob maris vicinią; unde magna & anniverſaria morborum materia pullulat. Ager alioqui probiſſimum fert triticum, ita, ut commune hoc habeat cum Sardinia, de qua eadem peſtiferi aeris, & terræ fœcundæ conditio prædicatur. Terram antehac talem non habuiſſe faciem, facile ex Cæſaris & Taciti ſcriptis colligi poteſt; ſicut nec Plinius ullas heic recenſet Inſulas: ſcilicet quia nullæ veræ erant inſulæ, ſed continens terra, æſtuariis ſaltem ac foſſis diſtincta, ut *ait Cluv. diſt. l. p. 15.* quibus æſtus exciperentur, ne agros fatui præpatatos ſuperfluerent. Hinc vero poſtea factum, uti Oceanus Germanicus, quum in totum Germaniæ littus vehementius irrueret, facile etiam hoc ſolum latis atque altis fretis diſcerperet. Velut quoque communis vox populi id indicat, quod de Flevis aut Vlietis habetur. Quippe vocabulum hoc Vliet aut Fliet (ceu incolis huius regionis F. & V. idem ſonat plurimum) nihil aliud ſignificat ipſorum lingua; quam quod Latini æſtuaria appellant, ſive fluxus maris. Quoties enim mare accedente æſtu in terras ſe recipit, eaſque operit, & (ut verbis utar Melæ) campos implet, vulgaris lingua id dicit, Fleut/ id eſt, maris æſtus increſcit. Inde Flevum quoque originem ducere, & campos inde fuiſſe com-

completos, ac fluitaſſe, atque inde paulatim creviſſe vaſtitatem illam (quam hodie videmus) ſinus Batavici, abſumpto immenſo terrarum ſpacio, intelligimus. Vocem quoque hanc Vliet/ tum marinis undis, tum maritimis oppidis ac pagis affixam paſſim in hac regione reperias. Undis, ut inter duas Hollãdiæ Inſulas, quę uno eodemque vocabulo Voorn appellantur, ubi Euripus ille Harinckvliet vocatur; & in lacu ſeu ſinu Batavico, iam dicto. Sic & in Inſula Voorn altera urbs Geervliet/ Zelandiaque Briervliet eſt, &c.

Briel autem quum Moſæ & Rheni oſtium conſervaret, atque prævaleret in piſcatione halecum aliuſque generis, inde Hanſeatico fœderi, præſertim ab hac parte, ubi Colonienſe fœdus ita ſancte celebratum fuit, ne piratarum vis gravior commercia ſupprimeret, eius cives ſe dedidere, ut ibi concurſus eſſet navium, & eadem ſecuritas inde præſtari poſſet navigantibus, quæ loci receptus caperet. Situs ipſe facile demonſtrat commoditates, quæ in commercia non ſolum, ſed etiam in defenſionis uſum converti valeant. Exemplum nobis Iohan. Comes Marchiæ, qui & Dynaſta Lumæius, ex ſuperioribus exhibet temporibus. An non etenim ille, quum ex Anglia cum ſuis ſociis extorribus, quos contumelioſo titulo Geuſen Hiſpani tum vocitabant, à Regina ad inſtantiam Ducis Albani eiiceretur, quaſi ex deſperatione hanc urbem primus elegit, & inſulam, ut ibi ſibi ſedem defenſionis tanquam profugi figeret? Exigua erant initia, quum occupationem ibi Anno 1571. ipſis Calend. April. tentarent, quæ in tantum excreverunt ſucceſſum, ut profecto (*ait Guicciard. in Holland.*) in multos annos non tantum ipſi Regi luctuoſum, ſed & Belgicæ univerſæ graviſſimarum calamitatum fuerit principium. Deſciverunt enim paulo poſt ſimul Fliſſinga, Dordracum, Enckhuſa, Goricum & alia quædam oppida, dum Comes Mõtanus alter Zutphaniam, Dotechum, Doeſburgum, Goor, Oldenzielam, Hattenum, Elborgũ, & Hardervicum, nec minus Swollam, Campos, Haſſeldium & Steynwigium occupabat Anno 1572. Et quum Gubernator Hiſpan. Comes de Baſſu ad Brielam cum claſſe navali ſua confunderetur, diſſipareturque, navibus prope omnibus exuſtis, univerſa rerum & Status mutatio inde exordium ſumſit, quæ horrenda inprimis bella & extremas quaſque miſerias ſecum traxit, prout ſpeciatim ex Meterano aliiſque talia colligi poterunt, dum nos paululum ad Zelandiam interea propter duas civitates Hanſæ Zirickſæam & Middelburgum convertere paucis cogimur.

Ziriczæa urbs eſt in inſula Zelãdiæ Schawia ſive Scaldia (à Scaldi fluvio propter vicinitatem ita dicta) verſus Auſtrum ſita, quæ omnium urbium univerſi Comitatus Zelandici antiquiſſima habetur, ut quam conditam narrant annales Anno Chr. 849. ab illuſtri quodam viro Ziringo ſive Siringue, uti ab aliis vocatur: Ita quoque ex auctoris ſui nomine adhuc claret. Fuit olim & fama ſimul & commerciis nobiliſſima, adeoque inſignis & magni momenti urbs; quod pulcherrimum nempe & valde à mercatoribus frequentatum haberet portum: quem quũ obſtruxiſſet poſtea areniſque oppleviſſet Oceanus, maximum quidem civitati inflixit vulnus; ſed non adeo tamen lethale, quin & mœnibus hodie munita, & cum domibus ſatis concinnis, tum & publicis ædificiis mediocriter ſit exculta. Unde Zelandiæ quidem univerſim acceptæ, ſecundum demum eſt oppidum; ſed Orientalium eius inſulatum Metropolis. Neque vero extincta hæc prorſus ſilent commercia, quæ ſi ſalem potiſſimum ſpectes & rubiam illam tinctorum, cuius Inſula hæc præ cæteris ferax, magis magiſque indies rurſus evireſcere iampridem cœpit, præſertim quum novum eruerint quoq; portum. Tum etiam Dunkerkiani illis multum cum reliquis civitatibus vigilantiæ adiiciunt, ut nunc accuratius & potentius damna civibus ſuis perpeſſa recuperare queant; ceu multi ſunt, quibus ſpoliantium diſſipatio non exigua affert commoda, & divitiarũ vires. Præterea gaudet oppidũ Ziriczæa luculentiſſimis aliquot privilegiis: inter alia, ut qui civis ob facinus capitale in vitæ diſcrimen adductus ſit, & vel capite luerit culpam, vel fuga ſaluti ſuæ conſuluerit, multari non poſſit graviore, quam ſexaginta librarũ Pariſienſium, id eſt florenorum triginta pecuniaria pœna. Item, quod magiſtratus urbanus non in urbem tantum eiuſque diſtrictum, ſed in totam inſuper Scaldiam, maxime quod ad rem agrariam pertinet, ſummam obtineat poteſtatem. Quæ exerceri ſolet ab altero Conſulum urbanorum, pari fere (ſi parvis componere maxima fas eſt) quo apud Romanos olim Tribuni plebis, auctoritate prædito, atque inde vulgariter dicto der Gemeynte Borgemeeſter/ quaſi dicas Conſul communitatis: & ſeptem præterea curatoribus aggerum, qui vulgo audiunt Heymraden/ id eſt, conſultores domeſtici, ſive communis terræ Conſiliarii. Inter publica urbis ædificia eminet maxime templum illud quod vulgo audit het Münſter/ dedicatum alias Divo Lævino, primo, vel inter primos, Zelandiæ noſtræ Apoſtolos. Pulcherrimum ſane opus, bene & apte commenſuratum, ac multa luce undique colluſtratum. Cui non aliud uſquam in tota Zelandia dederis ſimile. Etſi multum tamen de veteri illo ſplendore amiſerit, cum de cælo tactum flagravit anno quem numeralis iſte verſiculus indicat: *Cras Cane Terribilis. Non poſſum. cur? Cadit ignis.* Quem ut melius capiat lector, ſciendum, iſtud incendium accidiſſe pridie feſti dedicationis. Scilicet autem in ipſo feſto ſolere à ſacerdotibus decantari tritum illud, *O quam terribilis eſt locus iſte, &c.* Eſt ergo dialogiſmus, inter quemvis de populo & preſbyterum inſtitutus, quod in civiũ maxime gratiam qui Romanenſium rerum ritumque ignari, ſententiam forte non aſſequuntur, adiicere debui. Mater fuit aut genitrix hæc urbs plurium eruditiſſimorum, ceu quoque inter doctos & ſcriptis illuſtres viros Ziriczæa oriundos merito recenſetur peritiſſimus ille & celeberrimus medicus idemque dulciſſimus vates, Iaſon, inquam, à Praris, & Lev. Lemnius. Reliqui ipſi paſſim in editis ſuis operibus ſeſe oſtendunt, quantæ fuerunt homines doctrinæ, & prudẽtiæ, quos ita quilibet rectius in ſcriptis ſuis conſulere poteſt: Ingenia perſpicacia deprehendet.

Capti ſunt ante aliquot annos non procul ab hoc oppido piſces quidã marini, horrifica plane & mõſtroſa corporis vaſtitate; qui cum cætera forma, tum perlongis præſertim ore exertis dentibus, apro haud multum abſimiles; verum corporis mole vel bis tanto maiores, ac longe magis terribiles. Convexerunt eorum nonnullos Antverpiam, ubi, ob carnium ſuavitatem,

tatem, care admodum venierunt. Et ad hoc quidem exemplum capiuntur subinde in hisce istorum ac Batavorum etiam aquis, vasti quidam, horrendi & monstrosi pisces, qui ad coquendum potius oleum, quam in alios usus, experuntur; nec tamen, utcumque res cedat, luendi sunt gravissimo illi detrimento, quod ordinariis illis piscibus assidue deprædandis, fugiendisque & deglutiendis, piscatoribus inferunt. Et tantum de hac urbe sufficiat modo.

In Walgria vero extrema occidentalis Zelandiæ insula quoque Hanseatico fœderi addicta, fuit mẽbrumque eius nobile retulit, urbs Mittelburgensis. Cuius nomen inde factum est, quod in medio nullo eius insulæ sita sit; quod ipsa Belgica testatur locutio: & distat Dordraco Batavorum metropoli 17. leucarum intervallo. Sunt quidam, qui Metelburgum à Metello consulari Romanorum viro dictum velint; sed nullo cum fundamento: alii à Mattione conditum, adseverare non verentur, quum Zelandi inde Mattiaci vocati fuerint. Sed *Cluverius in lib. suo de trib. Ost. Rhen cap. 1. pag.* 3. eos refutat, demonstrando, quod Zelandi nunquam illæ gentes fuerint: Sed an satis bona fide prolatum sit, dicant alii, quando ubique nimis confidenter agit. Urbs hæc certe inter cæteras Belgii uniti provincias quamvis opibus & potentia diu floruerit; tamen ex parvis initiis orta fertur, adeo, ut Anno Dn. 1121. tempore Godebaldi Episcopi Traiectensis nihil aliud quam pagus fuerit, qui exul eo tum concesserat. Privilegia autem præcipua à Gulielmo rege Romanorum eam sua impetrasse, affirmatur, quum illis tale ius concesserit, ne alibi usquam in tota Occidentali Zelandia esset iudicium in suprema iustitia, de capitali delicto cognoscendo, quam in hac urbe; quo etiam rei in carcerem adduci deberent, & usque ad decisionem adservarier. Duplex urbi est alveus sive portus; uterq; non procul ab Arnemunda in Oceanum influens; quorum alter est antiqui operis, alter recens effossus, & ea cum latitudine atque profunditate, ut supra 100. lastarum naves usque in urbem recipere possit. magna cum civium commoditate. Ita urbs luculenta inprimis, amœna & cum firmis admodum mœnibus, tum latis quoque & altis fossis, alio rursus muro extrorsus cinctis, omni ex parte clausa; quæ omnia, ut examinanti liquet, prævalidam eam adversus violentos adsultus efficiunt. Vias habet quoque admodum elegantes, domos laxas & amplas. In templo magnifico D. Nicolai ibi conditus est Gulielmus Rex Rom. cum coniuge Regina Isabella, quod Anno 1156. renovari curavit regie. Gaudet insuper urbs hæc stapula & iure emporii in vino è Gallia, Lusitania, Hispania, aliisque locis via maritima in has provincias apportato: quumque navigationibus maxime, & negotiatione marina diu floruerit, Hanſæ se tum addixit cum aliis vicinis sociis civitatibus, ut eo melius sua promoveret commoda. Etiam hodie varii genetis variis commerciis suum conservat vigorem, quum non tantum huius Insulę, sed quoque totius Comitatus Zelandiæ caput sit, ita potens, ac dives, ut ante aliquot tempora à Domino Arnemundano momentosum illud oppidum Arnemundam emerit, ut ibi capacem & tutam navium suarum haberet stationem. Constantis sunt cives animositatis, quod etiam An. Chr. 1574. egregie demonstrarunt, ut non potuerint vi adeo evinci, donec Princeps Aurag. Wilhelmus eos fame & extrema necessitate ad deditionem coegerit. Verum quum iam libertatem pleniorem ita recuperassent, non minus quam Vlissingenses in cura negotiationũ maritimarum perrexerunt sedulo: ubi tum maximo illis hoc cessit commodo, quod Antwerpia subacta esset ab Hispanis. Namque commerciorum commeatus tunc penitus in eam commigravit urbem; unde quoq; alia media plura negotiationum dispexere, ut ibi primum fundamentum iactum sit Collegii navigantium in Indiam Orientalem, ex qua inventione mire accrescere cœpit Anno 1590. Tum etiam alia ipsis adiecta est fortuna, ut Anglicani Mercatores, quos Adventurios in Germania dicebant, quum Stada ob dictas supra rationes & causſas monopolii, quod ipsis imputabatur, discedere iussu Imperatoris cogerentur, Middelburgum se converterint, ut ibi commercia pleniori vigore adaugerent. Ex quo se igitur singulari confœderatione mutuo devinxere Zelandi, comitia ibi sua ordinaria celebrant, & Cameram rationum rei maritimæ ibidem sua dispositione exercent, velut & officinam monetariam & similes usus exinde dirigunt. Spectabilis quoque est curia, atque fastigium summæ urbis turri impositum, horologioque longe pulcherrimo exornatum. Sed nunc redeundum nobis est ad interiorem Bataviam.

CAP. IV.

De reliquis in Belgio Geldriæ Nabalicæ civitatibus Hanſæ, cum Transyſalanis & Flevicis.

PRiusquam ad reliquas Fœderis Hanseatici in Ducatus Geldriæ tractu Rhenique tripidi revertamur civitates, occurrit nobis ipso in itinere Ultraiectum intra Holland am & Geldriæ terminos situm, de quo pauca quædam, saltem quoad nominis & situs rationem, nobis heic interserenda sunt, quum urbs hæc quoque nomen & officia sua olim huic famosissimo fœderi Hanſæ inter alias egregie præstiterit. Principio enim heic notandum tamen, quod acrem satis pro more censurã Iunio heic iterum *Cluver. de trib. alv. Rh. p.* 132. imponat; ut mox patebit, ubi necessario quid nobis de nomine ipsius & differentia Traiecti ad Mosam erit monendum. Varias autem hæc urbs pertulit sortes: Sicut etiam propter excidium eius & Nortmannorum ex axe Boreali diritissimas incursiones civitas Hanseatica Davantria olim sedem eius Episcopalem recepit, & diu secum fovendo conservavit, donec Baldericus in pristinum locum reducendo eam restituerit. Nomen vero Ultraiecti unde sit, id quidẽ apud multos in dubium vocati vult: ceu pluribus hoc *Iunius in Bat. Hist. pa.* 127. & 128. ex aliorum opinionibus, plus tamen refutando, quam approbando recenset. Ideo mirum, quod ita nec quicquam virum de litteratura omni bene meritum acri stylo taxare voluerit, quum tamen idem ferme cum eodem affirmet; licet ille nihil firmiter concludat, postquã opiniones aliorum recensuerit; sed expresse protestationis loco ponat hæc verba *pag.* 129. Ista mea est coniectura, quam profiteri visum est, cum quadam stipulatiunculæ lege, quod Pyrrhonios hac in parte sequar,

sequar, & in tanta vetustatis obscuritate atque ignoratione nihil adseveratione velim affirmare.

Quod si igitur ex illis coniecturis veriorem sibi selegerit hic sententiam, nihil obest Iunio, qui propterea immerito culpatur. Rationes dubitandi ille proposuit suas, unde & eousque excusationem potius quam reprehẽsionem acerbiorem meretur. Sed tamen idem dixit, quod de Vultarum aut Wiltorũ gente nomen deducatur, si Romanum illud Traiectum ipsi addatur, velut etiam hanc impositionem Dagoberto Regi Clotarii Franci filio *pag.* 127. adscribit, illum videlicet nomenclaturam urbis appetiisse, Traiectumque denominasse, quod ibi traiectus esset & telonium, ubi & pro vectura, & pro negotiatorum mercibus stipes appendebatur, quamvis & ante extiterit Traiecti mentio, in Itinerario quod Antonino attribuitur. Quare concurrit ita utriusque sententia. Vox enim traiectum à Romanis oppido aut vico indita, nihil heic, nisi verum fluminis traiectum, seu transmissum indicat. Nec heic solum, sed ubicunque oppidorum, pagorum, vicorumq; nomina in Tricht / sive Trecht / seu Drecht terminata inde invenias. Hæc quippe semper fluminibus, aliisque aquis propterea hisce in terris apposita sunt, ut transvectionem denotent, velut est Dordrecht / Sindrecht / Roerdrecht / &c. Illustre porro castellum Pipini, quod Beda Wiltaburg appellat, haud dubie is locus fuit, qui nunc etiam 3600. pass. circiter supra Traiectum Wildenburg indigetatur: ubi multa sua ætate antiquitatis rudera effossa testatur Iunius. Hinc suspicor, quum locus iste tam prope esset Traiectum oppidum (ubi sedẽ Episcopalem Pipini concessu statuit Willebrodus) natum esse Bedæ errorem, uti is in ipso castello sedem Episcopo concessam existimaret. Id tamen haud abnuerim (*sit Clav. pag.* 135. *d. l.*) ab Vultarum, sive Wiltorum gente cognominatum postea Traiectum istud; quandoquoq; *Noviomagum in hiſſ. Bat.* diserte testatur, se legisse in libris ante 600. annos scriptis, duo hæc nomina Wiltraiectum & Ultraiectum. Quemadmodum igitur Traiectum ad Mosam ad differentiã istius ad Rhenum, Maestricht nominatum fuit: sicut illud ad discrimen huius Vultarum sive Wiltorum cognomine nuncupatum. quod nomen postmodo in Ultraiectum, ac mox Utraiectum; unde etiam nunc vocabuli manet Vtrecht, & corruptius Vtert in contractione, qua gentes hę maxime delectantur, &c. Situm autem est Ultraiectum, quod flumen, priusquam in Leccam olim deducebatur, ea præterfluebat, atque hinc porro ad Oceanum per Wordã & Leydam properabat: unde nunc quoque temporis aquæ ab accolis undique conquisitæ, & per varias fossas in urbem corrivatæ, Rheni apud promiscuã turbam vocabulo celebrantur. Illud vero notatu dignum, eo loco positam hanc esse urbem, ut unius diei itinere pedibus pervenire queas, ad quodcunque libuerit è quinquaginta oppidis hoc undique circũstantibus. Habet quoque pulcherrimam & munitissimam arcem à Carolo V. Imp. extructam, quæ Vredenburch sive arx pacis dicitur. Divæ Mariæ templum postremo conditum omnium artificiosissimũ est: miraculo ubi fuit, quum huius templi iacerentur fundamenta, inventam fuisse voraginem, cui nihil posset superstrui, quin in fundum iret, quicquid superstrueretur, donec pelles bubulę ingestę sunt, quo facto tandem solidatus est fundus ad structuram; unde hi sunt versus:

Accipe posteritas, quod post tua secula narres,
Taurinis cutibus fundo solidata columna est.

Est Ultraiectum metropolis eius ditionis cui nomẽ suum imposuit, & quatuor oppida muris clausa, & satis concinna complectitur: Batavodurum videlicet, Rhenam, Amersfordiam & Mõtfortium; Versus ortũ terminatur quarta parte Geldriæ, quæ Velovia dicitur, atque Arnhemium caput habet. Regiuncula sane mirabilis est, ut quæ tribus sui lateribus tum sinu Batavico sive Australi, tum Rheno & Isala fluviis clausa sit; ideoque inprimis piscosa; tum & sylvulas habet amœnitate simul & ferarum copia commendabiles; continetque civitates Arnhæmiũ, Ilburgum, Harderwicum, Wageningum & Hattemium, quorum 4. priora Hanseatica sunt.

Arnhæmium autem urbs, quæ hodie ita vocatur, quam Corn. Tacitus & alii scriptores prisci Arenacium vel Harenacium indigerant, dextræ Rheni ripæ adpositum, media fere inde leuca ubi id flumen in duo cornua scinditur, ac Noviomago simul atque Doesburgo pari duarum leucarum intervallo abiũctum, & cum aliis publicis privatisque ædificiis tum sacris præcipue perquam elegans atque concinnum.

Arnhemii vero nomen inde gestat, quasi Imperialis aquilæ domicilium sit, quum Arn Belgica lingua aquilam denotet. Solemnis heic superioribus paullo temporibus Geldriæ principum, hodie vero præfectorum eiusdem Provinciæ sedes. Quin & fixum hic Cancellariæ Ducatus Geldriæ Comitatusque Zutphanię domicilium est, ubi olim Magistratum quidem Anno Christi 1453. instituit Carolus V. Imperator, quo tempore partim vi & manu armata, partim (ut infra dicemus) pactione & fœdere, ditionem istam recuperavit. Magistratum inquam, qui tunc constabat Cancellario, decem Consiliariis, tum Graphiariis suis ac Secretariis: sed postea numero factus est auctior. & Cancellarii quidem dignitate hodie fungitur quem præsidem dicunt, vir ob raras virtutes eo gradu dignissimus: sequuntur hinc quatuor Senatores, qui, oportet, ut sint Toparchæ, vel ut minimum viri nobiles è totidem terræ quadrantibus oriundi: etsi autem statutum sit iis de publico suum stipendium, nequaquam tamen adstricti sunt in aula perpetuo degere, sed vocati demum ad eam accedere, ac tunc singuli binos, in singulos dies, florenos extra ordinem capiunt. Fuerunt autem hi quatuor iam olim quidem Ægidius Bucholtus, Petrus Apeldornius, Conradus Meketanus, Ioannes Poinius, reliqui octo Consiliarii, qui Senatum tunc complevere, sunt Iodocus Craneveldius, Leonardus Stalburgius, Melchior Beutschipius, qui & Advocatus Fiscalis, Iacobus Berckius, Arnoldus Sandelinus, Godefridus Gillekenius, Petrus Verreikius, & Ioannes Angelus. Administrat autem supremus iste Senatus justitiam magna prorsus auctoritate nec ab eius sententiis ulla datur ulterior provocatio. Instituit porro Philippus Rex Anno 1559. in hac ipsa urbe etiam Cameram Rationum, ad quam regios omnes per Geldriam & Zutphaniam administros, sive præturam ii, sive quæsturam exerceant, administrationis suæ rationem oportet referre: plane ut supra narravimus fieri in rationario Bruxellensi.

Hoc

Hoc loco addendum è vetustate: Ista in urbe stativa fuisse legionis 10. auctoritate Taciti cõstat, quam à cristatarum cassidum insignibus, Gallico vocabulo Alaudam dictam, Cæsar fidem facere potest, quanquam & veterana & germanica eodem post appellata fuerit: quam propter virtutem maximi semper iste fecit & in rebus dubiis usus feliciter fuit: quam ita quoque adamavit, ut quum ipsa ob excitatum tumultum militari more decimationem (id est, animadversionem capitalem in decimum quemque militum) flagitaret, noxæ eam exemerit: quam denique universam compositis bellis civitate donavit, quod disciplina cultuque Romano instituta præclare ornataque esset.

Vatta. Tacito dictum oppidum quod Vaganum alii nominant, olim Rheno adsitum, nunc vicinum; loco palustri & argilloso inædificatum, natura & opere validum: quodam irrita oppugnatione à Civili Batavo tentatum; dum huic odii procax infestis armis oppugnandum sibi nepotem è sorore Iulium Brigantricum destinat, ille pertinaciore sed exitioso sibi odio avunculum repellit, inter fortissimum quemque fortiter pugnando desideratus.

Hattenum in læva Isalæ ripa situm, oppidulum exiguum & luculentum, sed adversus vim validum, cum arce munitissima.

Elburgum ad interiorem freti Batavici sinum in littoris cepidine sedet oppidulum quadratum, piscatorio negotio deditum, rerum alioqui egens, quod olim inter bella bonis fortunisque alienis deprædandis instructius fuit, quam locupletando externo hosti, à quo multum didicere Selandici in hoc aucupio: unde Hanseaticis maxime in securitatis præstatione adiumento fuit, si quid periculi in mari affulgeret, quum homines essent animi impertriti.

Sic Hardervicum, Pastorum seu opilionum perfugium sonat: Batavici in sinus littore seu æstuario potius sedet, quem multis annis infectum myoparonibus habuit, vivente Carolo 8. Adolphi Impii filio, viro mavortio, & (quod de Attila dictum fuit) flagello Dei. Oppidum est valde munitum opere, cum arce: quod ignis depastus fuit ad annum salutis tertium supra sesquimillesimum, tam furens & violentus, ut totum intra tres horas conflagraret, formis corruptis omnibus, cum multorum etiam interitu, sartis tectis servatis quinque, aut ad summum sex ædificiis: oppidani piscatoriam ferme exercent.

Ubi flumen Isala, quod in Westphalia haud procul ab arce Lymbeek oritur, & ad modica oppida Ryngenbergk, Iselburgk, Anholt, Dotechum & Doesburg, ex Rheni adoptione cumulatam auctionem adsumsit, nullas hactenus à sinistra ripa receptis aquis, ulterius decurrit, Zutphaniam pertingit, quam Iunius veterem Ulipetum vocat civitatem, opulentam, beatam, ac valide munitam.

Nomen urbi dedit situs humilitas & paludes cõfines; ceu vulgari istorum lingua Venen dicuntur. Adiacet autem dextræ ripæ fluminis Isalæ, quod alii à Plinio & Pomp. Mela Flevum cognominatum putant; quos tamen recte *Cluver. cap. 22. de trib. alv. R. p. 203. & seqq.* refutat, & ex Tacito potius restituit antiquum nomen, quo Isala Nabalia sive corrupte Navalia dicta fuerit. Etenim Flevus saltem ostium Nabaliæ [illegible] ceanus ingenti undarum vi, per ostium Nabaliæ fluminis irrumpens, proximos campos impleverit, æstuariaque primum facta sint, quæ alternis maris æstibus modo vacua, modo undis repleta videbantur, unde mare illud Vadosum sive lacus Batavicus extitit. Repetitio autem ea vernaculo sermone incolis Flier fuit nuncupata, quod Romani vocabulum in suam linguam redigentes Fleum dixere, ut recte ac vere scripsit reliquit Ptolomæus. Accuratiores tamen, ut magis Latinum facerent id, Flevum protulerunt, quod refert Plinius ac Tacitus; Mela vero Flevonem lacum insulamque appellat. Quod, propter errores varios multorum, hoc monendum fuit.

Urbem autem Zutphaniam interfluit fluvius Berkela, qui & Isalæ sive Nabaliæ huic Rheni scie adeo commiscet. Distat Zutphania Teuroburgo quidem sesquileucæ, Arnhæmio vero circiter quatuor, Noviomago denique sex plus minus leucarum itinere. Oppidum sane lautum, & tam publicis quam privatis domibus templisque conspicuum, cuius cives ea etiam commerciorum studio ab antiquis temporibus unice dederant, & cum vicinis varias exercebant permutationes rerum; unde fœderi Hansæ se adiungendos putarunt, ut eo magis ex diversis terræ partibus necessaria adveherent, quibus provisionem procurarent reliquis oppidis, non commoditati fluminis tali appositis.

Habet quoque Zutphania dignitatem Comitatus, estque tertia huius Ducatus Metropolis, ac tertii eius quadrantis caput, qui complectitur oppida territoriaque sequentia, Doesburgum, Deuteconium, Lochemium, Grollam, Bredefortium atque Bronchorstium, etsi ultimum istud titulos oppidi Comitatusque distincti, at sub hoc tamen quadrante comprehensi, inscribat: territoria autem sunt oppidorum iam enumeratorum præfecturæ.

Accessit huic Comitatus ditioni Principum Geldriæ, matrimonio inter Ottonem 1. Geldriæ Comitem & Gedaci Comitis Zutphaniensis filiam inito Anno Chr. 1082. Quum Anno 1579. Groninga à Staticis esset capta, una cum Amersfortio præsidio militari accepto, huic cõfœderationi iterum se submisit, quum ante 7. Annos à Frid. de Toledo fuissent victi & ad iugum redacti. Verum Anno 1585. denuo Dux Parmensis eam occupavit non sine ingenti cæde & spolio commisso. Statici & Princeps Maur. ingentem laborem in obsidione varia subibant; sed tamen non potuerunt eam cum Daventria usque ad Annum 1591. recuperare, ex quo tempore munimentis & fortalitiis tum moris percelta fuit, ut nunc violentiæ cedere facile nesciat.

Ubi nunc Isala quondam Nabalia dictus fluvius se devolvere pergit, versus Austrialem Bataviæ sinum, Geldriæ finitimam ditionem perluit, quam Transisalanam dicunt, septentrionem versus sitam. Haec Provincia in tria luculenta cumprimis membra dividitur; Sallandiam nempe, quam Transisalanam dicunt, propter vicinitatem Isalæ; Drentam, quæ trans Vidrum, quem Vecht vocant, sita est; & Tubantiam sive Twentam, quæ Westphaliæ proxima est: Aer harum regionum purus est ac salutaris; terra plana ac humilis; montes rarissimi sunt, iidemque sylvis saltibusque consiti: Ager est fertilissimus, & ad quamvis culturam aptus, frumenti inprimis & optimi [illegible]

gente ecclium præges, vinum autem nequaquam gignit. Habet fluvium Vidrum, cum minoribus aliquot rivulis: tum peramœnas quasdam & utiles sylvulas, etsi exiguas tamen, nec certis vocabulis insignitas. Octo in ea sunt civitates muris clausæ: Daventria scilicet, Campia, Schwolla, Vollenhovia, Stenovitum, Hasselctum, Ormarsia, Oldesilia. Sunt præterea 10. loca primaria & amplissimis privilegiis prædita; Meppela nempe, Gelmuda, Covordia, Hardemberga, Omma, Almeloa, Góra, Dipenhæmium, Delria, & Enscheda: denique amplius quam 100. turritis sunt pagi. Ordines huius Ditionis constant duobus membris, Præfectis, & nobilitate, ac Urbibus: sed totius Provinciæ caput Daventria est, quam Campia, & Schwolla ceu civitates Hanseaticæ sequuntur, &c.

Daventria igitur sita est ad ripam dexteram Isalæ sive Nabaliæ, duabus à Zutphania, & 4. à Swolla leucis abiuncta: Urbs est situ prævalida, humanaq; industria mirifice communita, solo ampla, speciosa, bonisque & pulchris ædificiis tam publicis quam privatis plena, civibus admodum dena, atque universæ Transisalaniæ Metropolis. Nomen habet à populis Ansuariis illis, quos Daventurios, sive Davantarios olim dicebant ex Francis oriundos, ut memorat Aurelius Brutus pag. 99. ubi addit, quod ipsi viri fuerint ab Ansis, quos heroes & proceres faciebant, dicti: quod nomen quoque illorum civitas merito reportarit. Ansen Stadt, quasi merito Ansuariorum urbs publicis scriptis nominari passus sit, ut etiam sic vel cum iure nominis Fœdus Hanseaticum, quod alii inde Anseaticum minus congrue faciunt, possideat. Incolæ eius humani sunt, ac hospitales, & studiosi admodum mercaturæ: imo etiam literis admodum favent, adeo ut etiam Academiam provinciæ huic destinarint. Utinam vero eidem constituerent, quæ veram saperet Philosophiam, non futilitate nugacitateque inanium terminis vanis disputacem, & rixarum funestarum genitricem! Sed hoc potius optandum, quam perficiendum videtur, quum undique in cæca phantasia sibi laborent homines, ac in summa ignorantia rerum, summam iactitent vanitatis sophiam. Quum libera vero & Imperialis urbs sit, merito utitur iure cudendi monetam: ceu & eximiæ possidet privilegia: Anno 1578. primo in potestatem Staticorum Urbs ex acri obsidione redacta erat, quum Campia sese quoque esset occupata; verùm Sandelius gubernator perfidus eam Anno 1587. alteri tradidit parti, unde tandem coactus est Princeps Maurit. eandem nova obsidione Anno 1591. recuperare, velut quoque ex eo tempore in confœderatione feliciter viget.

Similiter Campena sive Campia, aut Campi urbs est Imperialis secunda principalisque Transisalanæ ditionis, vocatur ita propter situm loci planum respectu Ultraiecti, & quod campum Velaviæ terminis suis ibi claudat: eis Isalam sive Nabaliam enim ad lævam: eius ripam sita est, sui iuris solum habens. Vetusta rivuli alicuius monstrant, quod Isala eam quasi Insulam circumdederit olim. Opportunum inde locum commerciis exhibet, circuitu ampla & spatiosa, ædificiis splendidis & elegante structura superbis: ponte sublicio coniungitur cum Transisalano vete e Francorum ditione. Hanc urbem volunt [illegible] quod eo loco navigia, quæ adversum hostes & piratas instruebantur, apparari aut stationem habere consueverant: quod tamen Cluverius negat, ipsi locum Daventriæ aut prope eam attribuens: an autem satis commode, censeat æquus lector: ratione Hanseæ nostræ potior sententia Iunii merito fit. Bilibaldus & alii portum Manarmanis appellant. Sed quomodo se res habeat, iam supra explicatum est. Hinc Chamanos, quasi Campanos Antonius Schonhevius esse iudicavit, ac trans Isalam fluv. qui cursum postea mutavit (uti constat) olim se disse. Quomodo autem nuper Anno 1578. in potestatem una cum Daventria pervenerit, iam ante dictum aliquo modo fuit: ingeniosa fuit Stratagematis vis, qua usus est Comes à Rennenberg in occupatione eius urbis, ut se eo citius deditioni offerret.

Swolla posita est ad exiguum & ignobilem nemine quendam torrentem, quiaquas suas in Vidrū exonerat, distat autem Campis prægrandi duarum leuca, estque urbs admodum lauta, valida, duplici que fossa circumdata, aliisque adversus hostiles insultus propugnaculis communita: adeo quidem, ut si Vollenhoviæ, ubi solemnis Præfecti & consilii huius est Provinciæ sedes, oriatur aliqua belli terror vel suspicio, aula securitatis suæ consulens, statim Swollam confugiat. Anno 1580. bis tam à Schenkio, qui Comite Rennenbergensi quum sub Hispano militarent, multa pertulit; sed fortiter se opposuit, ut non venerit in eorum potestatem. Iunius pag. 100. alterum genus Francorum, quos Salios & liberos vocabant, hanc urbem excoluisse aut inhabitasse existimat, nominis memoriam adhuc conservante ea posteritatis auribus commendante ditione Salandia, pabuli læta soliquè herbidi laude famosa. Non sonat enim (ait) Salandia aliud, quam Saliorum regionem, quæ urbi Swollæ circumiecta peculiarem habet quæstorem, tribunumve ærarium. Tuetur nomen is ius etiam Salicum pagus, qui fluminis eluvione una cum Camporum urbe ripam mutavit, e Transisalano Cisisalanus factus. Tres hæ principales Trans-Isalanæ ditiones hucusque descriptæ, quod iam olim propter alacritatem, in commerciis vivide exercendis, in magno passim essent æstimio, propterea Anno Chr. 1499. accensitæ sunt urbibus sacri Imperii, & privilegiis ianè perquam luculentis supra alias aliquot urbes donatæ fuerunt. Illæ quoque alias civitates secum ad fœdus pertraxerunt Hanseaticum; ac inprimis hæ tres urbes perpetuo inter se fœdere conglutinatæ & devinctæ cohærescunt, nec se ab invicem quasi tres Charites separari sinunt. Exemplum certe magnæ fidei, constantiæ, ingenuitatis, & candoris, quod merito plures sequi deberent, ut suum eo rectius conservarent statum, & publicum magis floresceret bonum.

In actis Hanseaticis quum eas invenerim Enckhusam & Wieringiam insulam, quod simul membra eius fœderis fuerint, hoc loco propter Isalæ sive Nabaliæ effluxum per Flevum lacum, quem Baravicum sinum hodie dicunt, pauca subnectenda puto.

Est enim Enckhusa posita ad eam maris australis partem, quæ Frisiam adspicit, urbs munitissima hodie, & duplici portu, alter quorum prorsus mirabilis, quum inexhaustis sumptibus agger per mare ductus ex alga, capacissimum alveum in recipiendis na[illegible] Hol-

landico cedit, ubi ingens adpellentium undecunque, & vicissim dissolventium navium cotidie prope copia cernitur, velut etiam quamplurimæ ædificantur naves. Nomen autem ei impositum à singulatibus ædificiis putant, quod raro ea principio in vici modum, post densiora cum commerciis accreverint: ceu etiam vox Enckelhuysen sonat, quum primitus sparsæ minimeque inter se cohærentes fuerint piscatorum casæ: uti adhuc in Northollandia eiusmodi undique apparet effigies. Quum vero in pagum coalescerent, surrexit inde urbs hæc vasta, cuius similitudinem in Amstelrodamo cernimus, quæ intra 20. annos tantas adsumpsit auctiones, ut diffusa eius maritima potentia, prope Oceani regnū possidere videatur. Anno 1297. iniecto igne per Herculanum & Puteanum hostiliter inflammatum cōflagravit. Sicut anno 1537. Carolus Geldriæ Dux eam frustra ex insidiis obruere studuit; ita quoque Anno 1572. cives eius civitatis primi fuerunt, qui contra consensum Senatus prælidiarios Hispanorum clancularie receptos eiecerunt, & defensioni civitatis vigilanter satis incubuerunt; donec Horna se cum illis coniungeret, & Princeps Auragn. Wilhelmus reciperetur. Habuit urbs peritissimos semper naucleros, & industrios valde navales socios, quorum operam utilem sæpe & fidam expertus est Carolus quintus Imper. Fundus enim & columen urbis est navigatio, & cum piscium cæterorum tum halecum inprimis captura: etiam ex Groenlandia cetorum oleum adducunt, ut supra est ostensum. Ex quo vero in mare Orientale extendere cæperunt commercia; fœdus societatis propriæ magis, quam communis commercii & Hanseæ excoluerunt. Inter alia negotia factitii quoque salis gloriam affectant, admodum numerosis, longo secundum aggerem tractu, exstructis extra mœnia tectis salariis, in quibus strues Salinarum aggestas videre est, sudantibus noctes dieſque operis. Oppidani homines gnavi & industrii ex Armoricis civitatibus Salem, sed asperum & pullum, corbitis devectum, cortinis amplis excoquunt, affusa marina, quæ nonnihil inertem amitemque gustui salis saporem corrigendo exhibet, ac candorem, mensis cibisque gratum arte conciliāt, quamvis ex atro fumo, quem cespitum bituminosa materia evomit, tecta tota fuliginem densam & atrocem imbiberunt. Pro felici augurio maris pervagandi cœruleum scutum cum duabus stellis ternos inter haleces interiectis, vice insignium præfert, quod halecum modo maria permeet, non sine poli utriusque & syderum cursum moderantium cognitione, ait Iunius.

Wieringia modo sequitur, quæ nunc insulam inter Enckhusam & Tessaliam cōstituit, olim Flevo insulæ adeo vicina fuit, ut saltem brachium Nabalię fluminis aut Isalę eas ab invicem discriminaret, *iuxta Cluver.* Olim quoque Tessaliæ contigua (id quod certo certius est) nunc longo trium milliarium intervallo diserera. Coniunctum fuit, antequam Oceani iniuriam senserunt terræ illæ, quo dixi tempore, in memorabili illa Hollandiæ totius inundatione. Vestigium autem nominis mordicus tuetur, vastæ illius voraginis, quæ terras hinc abrupit, canalis; quem hodie Maersdieb vocitant, quod Marsacorum profundum aut Gurgitem sonat & Abyssum. Nominis origo nata videtur à Marsis, hoc est, palustribus uliginosis; locis; non à Marso, quem ex Tuiscone filio Gomeri nepotem somniant, id quod pseudoberosi isti commenti sunt, quum viderent, nomen esse multis populis commune. Porro Wieringia, cuius modo facta est mentio, habet hoc suum etymon, ab algæ marinæ lætissimo proventu, quod coagulū in continendis firmandisque contra maris insultus aggeribus, quam solis salisque (quod dicitur) usus, magis est necessarium: Algam autem Wieram vernacula lingua appellat, unde insulæ nomen, quę materia à maritimis locis omnibus isthine avidissime expetitur, missis illuc navibus, quæ sylvam illā fundo erutam harpagonibus per dies æstivos fere mari placido advectant in aggerum usum. Mos autem patrius olim inoleverat, sollemnes concipere preces, pro ubere ac læto algæ istius fruticantis proventu, qui nullo unquam ævo, certe hominum memoria, ante hunc annum, quem à partu virginis post sesqui millesimum septuagesimum primum indigitamus, copiosior cunctorum testimonio fuisse perhibetur: id quod minime ambigue singularis Dei Opt. Max. commiserationis beneficio evenisse dubitandum non est, quando propter inauditam præcedentis anni eluvionis inclementiam cuncti pene tota Hollandia viciniisque regionibus aggeres aboliti fuerant ac solo æquati, ut de resarciendis illis complorata spes omnis fuerit & depolita, nisi cæleste illud beneficiū modo omni maius largiusque cunctorum vota exsatiasset. Ita tunc quoque in ea inundatione maior facta est separatio huius insulæ à Tessalia, quum Flevus cum Nabalia ibi novam invenerit aperturam, quæ Maersdiep vocatur, & obruta fuit insula altera Flevi. Verum Hanseaticis civitatibus locus ille maxime inservivit ad securitatem, & quod ad varia auxilia stationem ibi & collectionem haberent naviū, præsertim quum pacatis viverent expositæ naves, ac bellum inter Anglos & socios Hanseatici fœderis vigeret.

CAP. V.

De Civitatibus Hanseaticis in utraque Frisia, ut moderna fert locutio.

REcte hanc alteri suę priori sententiam *Ubb. Emm. in l. de libert. & Rep. Frisiorum* opponit, quod olim multo augustius acceptum sit vocabulum Frisiorum, quam media ætate, & nunc, uti verba eius habent. Velut etiam de origine huius gentis commoda satis est locutio ipsius quod nolit hanc inde petere ante tempora primorum Cęsarum Romanorum, quum prorsus ignotū sit, quomodo se res habuerit; Sed saltem nihil constare posse nobis, nisi quod Romani scriptores litteris suis complexi sint: & quæ has etiam secuta sunt in Annū usque 690. æræ Christianæ, quo Willibrodus cum sociis suis docendi Evangelii causſa ex Anglia in Frisiam venerit. Sic plane diversa hodie est ratio huius populi ab ea quæ olim fuit. Etenim licet Frisii antiquitus dicti fuerint Orientales & occidentales; tamen eorum sedes & habitatio plane alia fuit ab ista, quæ nunc conspicitur. Proinde bene notanda venit Frisiorum distinctio, quando Orientales & Occidētales dicuntur, sic etiam quando maiores & minores, aut cis-Rhenani & simpliciter Frisii nominantur. Etenim quum non in uno semper habitarint lo-

co in his oris, ſemper id advertendum eſt, quænam ſcriptorum ſit in ſingulis locutionibus intentio. Nãque alias Weſt-Friſia olim fuit uſque ad Harlemum extenſa, quam nunc Hollandi ſibi ſimpliciter adſcribunt; populos eos Waterlanderos indigitando, in qua Horna, Enckhuſa, Edamum, Medenblickiũ, &c. urbes ſitæ ſunt. Hæc gens Germanici ſanguinis, & Francicæ certe coniuncta, ſi non eadem, ut prope apparet, eandem prope gloriæ hæreditatem cernere ambitu quodam, & peculiari tuendæ libertatis ſtudio videtur pari ardore operata, quæ nominis occaſio utriſque fuit. Certe hi ſe liberos Friſios proverbialis dicterii ſpecie etiamnum venditant; ſeque Cæſarum neceſſarios cognatoſque, aſſertorem ac vindicem natione Francum, hoc eſt liberum: quo ſpectat etiam quod plæraque omnis nobilitas inter Friſios Clypeis ſuis & Inſignibus dimidiatas aquilas adiiciat. Tacitus Friſiorum duo tradit genera in libello de Germanorum moribus, Maiores & Minores, ex modo virium ac multitudinis diſtincte explicateque eos appellans: qui, quanquam tollendi diſcriminis cauſſa, Occidentales & Orientales è terrarum poſitu nominari deberẽt, haud ſcio tamen qua factum ratione ſit, ut iſti de poſſeſſione fiduciaria, velut ſexagenarii de ponte (quod dicitur) deiecti detruſique uſurpationem nominis Chaucis minoribus Embdanisve reliquerint, ſimpliciter ſine additamento Friſiorum, patrium & vernaculum vocabulum appellationemque conſervaſſe, contenti, de cætero ſecuri ſint. Porro Maiores Friſios Transrhenanum eſſe populum, teſtatum monumẽtis reliquit libro quarto Tacitus inter Amiſiam & Rhenum amnes ſedes illis determinans: at Minores inter Hollandiæ populos Caninefatibus contiguos, & Batavici freti, in quod Iſala tertium Rheni oſtium decurrens, marius ſuum transſcripſit. Namque Maiores Tacito ſunt Oſtfriſii proprie dicti, non illi, qui hodie ſibi illud nomen uſurpant Embdani: ſed ii, quibus annumeratur Stavera, Sneca, &c. Occidentales, qui verſus mare habitant. Et quamvis nunc etiam Comitatus Embdanus Friſia Orientalis dicatur; tamen non aliam ob cauſam id fieri videtur, quã quod Friſiis ſit contermina. Non enim locum hunc Friſii olim, ſed Chauci retinuere, quos duplices Plinius & Ptolomæus faciunt, Maiores itidem & Minores. Maiores ſunt, qui Bremenſium agrum & Epiſcopatum incolunt; Minores ſunt Embdani & Oldenburgici. Siquidem Ptolomæus iis itidem inter Viſurgim & Amaſin locum attribuit.

Provincia hæc univerſa Friſiorum, quos hodie Weſt Friſios appellant, in duas primum principales dividitur partes: quarum una Groningam peculiariter conſtituit; altera vero in tria iterum membra diſpeſcitur: primum eſt Comitatus Oſtergoia: alterum Weſtergoia: tertium denique tractus Septiſylvanus, aut ſeptem ſaltuum, horumque trium caput eſt Leovardia, urbs opulenta & munita, quæ aulam forumque habet, ubi litigantium cauſſæ cognoſcuntur & dijudicantur: tamen ſingulum membrum ſuã propriam cum civitatibus ſuis conſervat iuriſdictionem. Et quamvis in univerſum hæc regio undecim civitates cum Lewardia complectatur, uti reliquæ ſunt; Doccum, Franekera, Harlinga, Sneca, Iſſta, Slota, Stavera, Hindlopia, Worcomium, & Bolſvardia; tamen in his quatuor poſteriores ſaltem ſunt Hanſeaticæ, de quibus nunc paucis ita agendum eſt nobis, velut ſitus ordinem in ſuperioribus ſuggeſſit & id huc uſque obſervavimus.

Stavera autem ex Tranſyſalana progrediendo ſe nobis prius exhibet, quæ & Stauria à populis illic habitantibus Sturiis dicebatur olim. eſt urbs ad mare meridionale, & in faucibus lacus Flevi, adeoque extremo Friſiæ angulo, qui Hollandiam proxime & maxime Enckhuſam è regione adſpicit, miliari uno ab Hindelopia diſtans. Fuit antiquis temporibus civitas admodum potens, populoſa & ampliſſimi territorii domina, cæteras Friſiæ urbes longe exuperans, ac videntur eam inhabitaſſe tunc magna alacritate illi populi, quos Plinius Sturios vocat. Verum crebræ inundationes aliaque maris incommoda graviſſime eam non ſemel afflixerunt, & ad minorem redegerunt fortunæ ſtatum: Sicut etiam inteſtinæ motiones non ultimæ ſimul fuerunt cauſſæ, quæ adeo concuſſerunt urbem. Iuxta aliquot ſententiam fuit hæc omnium Friſiæ vetuſtiſſima, ceu conditam aſſerunt Anno mundi 3970. poſt nativit. Chriſti 21. tempore Tiberii Imperat. unde etiam eius nomẽ nolunt à Sturiis, ſed à Stavone, veteri quodam gentium Idolo, quod his in locis coluerunt, nomine Numinis ſui. Incolæ vero rei nauticæ maxime dediti vixerunt, & omnium primi mare Balticũ ultra fretum Daniæ viſitarunt, unde quoque tunc non ſolum aliquot privilegiis à Daniæ rege donati fuerunt; ſed etiam florentiſſimum ſibi in hac urbe conſtituerunt Emporium, quod maxime viguit uſq; ad Annum Chriſti 1199. ſed ex quo invaleſcere cœpit luxus, ex luxu ſuperbia, quæq; alia comitari hunc ſolent peccata;

Ex illo fluere, ac retro ſublapſa referri
Stauria, & attritæ vires, averſa Dei mens.

Quamvis itaque ad mediocrem redacta ſit ſtatum, tamen fœderis Hanſeatici pacta fideliter conſervare non deſiit cum ſociis vicinis, donec unitæ provinciæ in peculiare fœdus novo modo, uti adhuc conſtat, coiverẽ.

Velut etiam Hindelopa proxime vicinũ huic oppidum ad idem maris occidui littus ſitum eſt, & ulterra milliare à Woricomio non diſtat, ubi uſque à Stavera Friſiorum regia quondam Flevus ſive Batavicum Auſtrinum mare in ortum oblique & leniter reflexum tres haſce urbes in ora geſtat. Anno 1420. quũ Scitingianæ factionis Focco dux, claſſe quam occyſſime comparata, exercitum copioſum cum inſtrumentis militaribus in Flevum devexiſſet, &, ubi minime expectabatur, inter Hindelopam & Staveram expoſuiſſet militem, non procul ab hoc oppido acerrimum ac pertinaciſſimum cum Siccone Starda & eius commilitonibus certamen cõmiſit, ubi 1300. periere mortales. Foccone victoriam reportante ultra 200. captivos ſecum abduxit ad Hindelopiam, quæ ex metu ſe huic dedere coacta fuit, quum reliqui ſocii fuga præcipiti partim Staveram partim Slotam ſe contuliſſent, eaq; oppida tumultuario opere ad ſuſtinendam vim hoſtilem & tolerandã obſidionem munirent. Etenim diu interna conſpiratione, quum Weſtergoi & Oſtergoi acriter inter ſeſe diſſiderent, tota Friſia per aliquot agitabatur annos adeo, ut pudendorũ nominum exitiales cõſpirationes conficerent inter ſeſe, in perpetuum ſui probrum.

Namq; ſic in partes ſibi ſuas abiente univerſa Friſia, ita

ſia, ita diſtractæ eius ſunt vires internæ, quum diverſis nobilium familiis ſe monachi quoq; adiungerẽt, ut cõiuratorum altera pars Vetcoperi & altera Schiringii barbaris & infauſtis nominibus appellari in crudelitatibus ſuis gauderent. Nec nobiles ſolum familiæ ac monachorum collegia, ſed & urbes, oppidaque, atq; provinciæ, in partibus diſtractæ eſſe voluerunt, & quæque pars ſuos habuit duces per plurimos annos, ut cottidie ad quaſvis pugnas, rapinas, cædes & incendia parati erumpere poſſent: Maxime vero ſufflatores alii fuerunt monachi, qui eo licentię & ferotiæ iam proceſſerant, ut magiſtratuum imperio coerceri amplius non poſſent, ait *Ubb. Emm. in hiſt. Friſ. lib. 15. pag. 214.*

Hindelopa tamen aliquo modo per fœdus commune quod pro compoſitione aut diſtractione factionũ An. Chr. 1421. à nobilibus & civitatibus adornatum fuit, liberationem ab hoſtib⁹ obtinuit. Cives huius oppidi potiſſimum vivunt ex navigationibus, quibus propter commodum ſitum cum Worcumanis unice fere incumbunt, ceu etiam audaces & protervos in mari generat homines. Velut etiam Worcomium in Friſia hac Trans-Rhenana ad illud ipſum occidui maris littus à Bolſwardia leuca una diſſitum, portu egregio & aggere munitum eſt; haberque turrim velut ſpeculam Flevi oſtio impoſitã, prædonum inſtituto percommodam; uti tali uſui Comes Morſenſis An. 1522. militi ſuo diſtinarat. Nã ſi quid navium eo tractu aut hærere aut in curſu eſſe è ſublimi viderent, in iſtas ex portu eo ferebantur. Itaque tunc, quum iſtic Morſenſis cum exercitu ſederet, complures naves onerariæ Flevi alveum ſubire viſæ, deliderium prædonum avarorumque militum accenderunt. Quapropter completa claſſe Liburnicarum & navigiorum aliorum, quorum copia & Worcumi & Maccumi in portu proximo erat, in onerarias evecti, eas ceperunt, & in portus traxerunt ſuos: Quæ tamen naves erant Hamburgenſiũ, Bremenſium, Stadenſium, quibuſcum Gronnigani, ut & Bolſwardi communi fœdere Hanſeatico iungebantur. Quamvis homines, luſtratis navibus, Comes Morſenſis dimiſerit; tamen omnia bona, quod in Hollandiam transveherentur, ſibi & prædonibus addixit. Oppidi autem nomine Worcumum maxime celebratur, quum nec mœnibus circumdatum, nec muris adverſus hoſtilem vim ſeptum ſit; ſed vici duntaxat oblongi (quippe in tria paſſuũ millia porrectum) vicem tepræſentent, quod nuper An. Chriſti 1570. poſt inundationem inuſitatam, quę paucos ante dies præceſſerat, gravem inſuper à piratis centum iniuriam ſuſtinuit, impoſita gravi mulcta oppidanis, avecta ingenti prædæ omnis generis, uniusrebellantis cæde perpetrata. Eſt & alterum huic cognomine Worcomium extra Hollandiæ fines, *ut ait Iun.* in Gallica ripa, iuris tamen Hollandici, ſitum ad Vahalim, è regione concernens Lovenſteynium, arcem munitiſſimam, neque multo longius Gorcomium proſpectans, ut ſupra cap. 3. diximus.

Bolſwardia diſtat Sneca unius, Leovardia trium leucarum itinere, vetuſtate pollens oppidum eſt, & jam olim contra hoſtiles incurſus quidem communitum; ſed tamen An. 1413. à Dodone Feitema antiſtite cœnobii Veteris vicini notabilẽ paſſum eſt obruitionem adeo, ut is, ob cædẽ monachi à Bolſwardanis perpetratam, meditans vindictam, monachis ſuis amicis atque clientibus in magno ſilentio armatis, nono ante natalem Chriſti die, ſummo mane impetum daret in oppidum, idque haud magno negotio (nemo enim hoſtem exſpectarat inde) caperet; atque præcipuos proceres oppidi ad numerum 13. interficeret. Ignominiam tam perverſam & crudelem non potuit ulciſci civitas, quum induciæ Hollandicæ expirarent, & major eſſet vis metuenda, ne internum bellum factionum gravius recrudeſceret. Sic An. 1406. quum Philippus Burgundiæ Dux, Flandriæ, Hannoniæ, Hollandiæ Zelandiæque Comes, ab Hollandis admonitus, miſſa in Friſiam legatione, Oſtergois & Weſtergois denunciaret, ut non incõmodis conditionibus tandem ſe dominum reciperent, aut ſe cum exercitu venturum eſſe, in hac urbe frequenti conventu confluxere populi, & miſerunt Hattemum in Hollandiam, ut cum Principe de cõditionibus agerent; Sed quum iniquiores apparerẽt, infecto negotio legati reverſi ſunt; atque ita libertatem conſervarunt, dum Princeps ille aliis impliçaretur moleſtiis, quę ipſi hanc diſturbabant intentionẽ. Anno vero 1475. 16. Cal. Maij ingens civitas hęc paſſa eſt incendium, ut prope 200. ædes conſumptę ſint igne. Friſia tota ultra ſeculi ſpacium internis ſeditionum motibus factionibuſque defatigata penitus fuerat; ſed ut aliquod remedium adderetur civitates Leowardia, Slota, Sneca & Bolwardia fœdera cũ aliquot nobilium familiis tutaminis patrocinii que cauſſa contraxerunt, velut etiam Anno 1482. factum fuit ad quadriennium, quod finito tempore tamen renovarunt; & ſemper Bolſwardani cum Leowardanis in eo fecerunt, ut defenſionem patriæ curarent ſuæ. Sic etiam ſemper cũ Hanſeaticis fecere, & maxime cum Hamburgenſibus & Lubeccenſibus. Etenim licet communis fœderis adeoque totius corporis Hanſeatici eſſent ſocii; tamẽ ut particulari eo melius uterentur harum urbium auxilio, propter commune ſtudium commercii, quoties extrema impenderet neceſſitas, fœdus ſingulare contraxerunt eę civitates, quæ partes Schiringiacas defenderent; velut etiam An. 1407. factum; & idẽ An. 1422. Occo Schiringiorum Dux cum Groningenſibus & aliis fœderatis contra Focconem Vetcoperianæ partis præſtitit, quum per agrum Groninganum tempeſtatem ab Hollandia metuerent. Magna fuit tum auctoritas Hanſeaticarum civitatum, quum tanta eſſet earum per mare potentia. Proinde tale fœdus eo facilius non tantum coiit; ſed etiam adeo terrori fuit diſſidentibus, ut abdicata factione cum fœderatis pacẽ componerent. Ita tum præter prædonum receptacula, & arcem in Lemmeranis, quam tenebant Hollandi, in Friſia univerſa uſque ad Viſurgim à pacis decreto diſſentiens reliquum fuit nihil, ait *Ubb. Em. lib. 19. rer. Friſ. p. 290.* Verum non diu duravit tranquillitas, quum Focco Uconis fil. Leranus rediret confeſtim ad arma, &, civitatibus Hanſeaticis inaniter ſe interponentibus, Occonem perſequi pergeret, donec Anno 1427. eum ex inſidiis in ſua prope Oldenburgum obrueret ditione, & captivum abduceret. Similiter ut tumultus varii Friſiorum conſopiri aliquo uſque poſſent, principales Hanſeaticarum Rerumpubl. ſpeciale fœdus Bremę Anno 1438. cum Friſiis & vicinis intereſſentibus cunctis in curia eius urbis pepigere. *Ub. hiſt. Fr. lib. 30.*

Groninga, ſive Gruninga, ut à nonnullis voca-

tur, eſt Metropolis eius Friſiæ ditionis, quæ primam conſtituit ex quadrante ſuperius dicto partem, urbs ampla, natura atque arte munita & perpolita, quæ legibus propriis regitur, & ipſa iuriſdictionem obtinet, multorum undique, vicinorum ſibi fœderatorum pagorum domina, viris, armiſque potens. Nomen unde habeat, diſſentiunt inter ſeſe ſcriptores; at recte nugivendos & fabulatores vocat *Iun. in Bat. ſuæ p.24.* qui eam à Grunio quodam Phryge ſic dictam volunt; quum hac ratione potius cum Mat. Quado eſſet faciendum, qui Gruningæ nomen ab amœnis paſcuis, quod in campo viridi ſita ſit, ipſi inditum exiſtimat, ceu quoque Urbis inſignia, quæ trabem viridem in flavo clypeo oſtendunt, id denotare velint. Sicuti etiam ab ortu atque occaſu ager eſt longe lateque porrectus, tum fertilis quoque & non parvo pagorum numero inſeſſus. A Septentrione confœderatio urbi & ſocietas cum toto eo tractu, qui longis latiſque ſpatiis uſq; ad ipſum mare procurrit, bonis etiam ipſe pagis & vicis denſus, ac fertiliſſimis paſcuis mirum in modum luxurians. Is tractus vulgo audit de Ommelanden/ & Antiſtites etiam ſuos ac nobiles habet, tum & eos quos adhærentes appellant. Hi inter ſeſe conſtituunt alterum membrum Ordinum Groningenſium: quorum prius eſt ipſamet civitas una cum Magiſtratu urbano. Vivitur in hac urbe civiliter admodum & compoſite, ac non aliter quam in libera quadam republica. Gaudet enim ampliſſimis privilegiis & immunitatibus ſibi à Principe ſuo conceſſis. Ita quidem ut de civilibus ſimul & capitalibus cauſſis, iuxta leges & cõſuetudines ſuas municipales, cognoſcat, eaſque decretoriis ſtatim ſententiis ac ſine ulteriore omni provocatione, decidat: neque regium ullum miniſtrũ intra muros ſuos agnoſcat, præter unicum in civilibus cauſſis præfectum: in capitalibus uſque adeo libera prorſus & ſui iuris, ut quod ſupremi tantum principes ſolent, veniales etiam delinquentibus codicillos expediat. Neque tamen præ omnibus hiſce prærogativis principi aliud pendit quam ſena millia florenorum Carolæorum in ſingula quæque ſemeſtria. Anno 1110. quum frequentia & opibus maxime creſceret urbs hæc, ea propter muro lateritio ſe munire cœpit, poſtquam ligneo pro muro hactenus per 90. annos erat uſa. Tum portæ quoque, quales reliquorum oppidorum ſunt, firmo opere ſtructæ, foſſæ ductæ, turres maioris munitionis cauſſa in mœnibus excitatæ, denique in veri oppidi aut urbis formam redacta eſt civitas. Hæc res Epiſcopo Ultraiectino Gundebaldo, quum anteceſſorum huius alicui Bernolfo Imperat. Henricus III. Anno Chriſti 1040. eam inſpectionem cum prædio donaſſet, ita ſuſpecta fuit, ut Groningenſes coegerit munimina talia deſtruere; quæ tamen poſtea pedetentim reſecta ſunt. Licet vero diu libertatem cõſervaſſet urbs; tamen Anno 1419. propter minas Epiſcopi ſe pacto homagiali illi ſubmiſit pridie Id. Iunij, in cuius devotione diu, ſalvis privilegiis, conſuetudinibus & iure Emporii vixit; nihilominus fœderum ſuſtentatione ſe in libertate conſervavit, quoties iugum gravius ſentiret; quamvis bis proſcriptionem ab Imp. Sigiſmundo Anno 1417. & à Maximiliano primo Anno 1505. pertulerit, quæ poſterior adeo dura illis indicta fuit, ut aut cum omnimoda amiſſione libertatis ſe ſubmitterẽt Alberti Saxoniæ Ducis filiis, aut proſcriptionis vim perferrent. Memorabilia ſunt, quæ in oratione tunc ad Groninganos ſunt à Cancellario Regis Roman. prolata: Vobis, inquit, mandat Rex, ut urbem veſtram Alberti filiis Saxoniæ Ducibus aperiatis: his ſacramentum dicatis: aream in urbe extruendæ arci, quantam volent, aſſignetis: poteſtatem liberam eligendi Conſules, Senatum, Magiſtratus cæteros cedatis: munitiones tormentaque cum omni inſtrumento ac apparatu tradatis: Vectigalia etiam urbis, portoria, omnes denique civitatis reditus in eos trãsferatis: poſtremo omnituri, quod in agrum vicinum habere vos arbitramini, renuncietis. Quæ ſi feceritis, corpora fortunæque privatæ vobis manebunt incolumes. Si perſtiteritis in propoſito, experiemini brevi pertinaciæ veſtræ fructũ, & malo veſtro docebitis alios, quid ſit Regis ac principum decreta temnere, & minas ridere, &c. Hac inopina oratione vehementer turbati Groningani, nec parum perplexi Ultraiectini, alii in alios diu intuiti, velut attoniti hæſere, dolorem vultu & verbis prodentes, &c. Verum Groningenſes quum rediſſent ad animum, ſatis commode ſua antiquiſſima oppoſuere privilegia; & impetum omnem dimovere: Ac licet idem Imperat. Max. Anno 1514. proſcriptionem repetiverit; tamen noluerunt cedere à libertate, & potius eodem anno ad Geldriæ Principem tranſiere. Quam rem Georgius indigne ferens, ita ab hac mutatione & Friſię moribus abhorruit, ut eam urbem, atque univerſam Provinciam Friſiæ Carolo V. tanquam ſupremo Domino ac Imperatori Anno 1515. cederet & ipſi traderet. Inde nata inter Burgundos & Geldros atrociſſima bella: quæ demum inito contractu, conſopita fuere. In cæteris conventum, ut Dux Carolus Geld. ea provincia, dum viveret, frueretur; poſt eius obitũ vero ad Carolum V. tanquam ad Friſiæ Dominum, vel ad eius hæredes rediret. Verum priuſquam ille Carolus Geldr. decederet ex hac vita, quod Anno 1538. factũ, ex nimia egeſtate & ſuppreſſione coacti ſunt Groningenſes, ut ſalvis privilegiis ſuis cum Georgio Schenken nomine Cæſaris contractum inirent, & ita ſimul Præſes cum iudicio provinciali iuxta iura iuſtitiamque Imperii ordinatus fuit. Schenkio ſucceſſit Comes Burenſis, & huic Arenbergicus, ſub cuius regimine bellum civile ibi natum eſt cum Umblandus. Anno autem 1579. Comes Rennẽbergenſis in deditionem accepit urbem, & Magiſtratũ pro nutu mutavit. Poſthac licet Anno 1585. Ordines Belg. eam variis modis in ſuas partes pertrahere tentarint; tamen nil obtinere potuerunt, donec plena obſidione & commercii obſtructione Anno 1594. Princeps Maurit. ita coanguſtaret, ut 23. Iulij 12. pactorum conditionibus ſe dederint illi, quos egregio *Meter. Hiſt. Belg. lib. 17. p. 723.* recenſet. Sicuti itaque hæc urbs Georgio Saxoniæ Duci ſubducta fuit; ſic per nepotem fratris Mauritium Naſſoviæ Comitem Guilielmi Auriaci filium (cuius avus maternus Saxoniæ Dux Mauritius Elector Georgii frater erat) Anno Dom. 1594. armata manu & duorum menſium obſidione cum toto territorio vindicata ac Ordinum Provinciis inſerta fuit, fruſtra ei Carolo Manſfeldico & Verdugine reſiſtentibus. Varias enim alias ante hac pertulerat tempeſtates, atque diu ſatis ſub protectione Ultraiectana jacuit; tamen per belli motus diverſos (dum ſe nunc huic nunc illi factioni

gioni & fœderi adiociaret) conque Anno 1496. provecta fuit, ut dominium ferme in totam West-Frisiam, exceptaua Franekera, teneret. Postea diversis subiecti fuerunt Dynastis, velut etiam inter reliquos, Comitem Embdanum Edzardum agnoverunt, qui castrum urbi imponebat; dehinc Duci Geldriæ se submiserunt, donec tandem Carolo V. Anno 1535. 7 Iunii fidem darent obedientiæ. Admodum notabile est, quod circa Annum 1489. civem Groningæ habuerit trium facultatum Doctorem, qui ex coniuge iridem doctissima procreavit aliquot filios & filiam Ursulam, qui non minus à pueritia ita eruditi educati sint, ut etiam sapientissimos illius seculi doctrinæ studio vicerint; quum quasi cum lacte materno latinam addiscerent linguam. Vocabatur Ioan. Cantiuncula. Eius filia miraculum mundi dicta fuit. Cuspin. Caes. pag. 516. Tempore Edzardi Comitis, qui se initio teo modo plebi insinuare noverat, quum anno 1509. Urbs hæc in summa rei pecuniariæ inopia esset, bello nec minus exhausta, & fœnore oppressa, ut census publicus privatusque pactis & legibus nuperis de commercio admodum arctatus haberentur, & redditæ essent negotiationes civium impeditissimæ; ferente Comite & probante Senatu ordinatio iuris dicundi instituta fuit, ut appellatio sub certo pretio 10. aureorum Rhenan. fieret ad Senatum, ut scribuntur ac vocant, gals modus est inventus.

Velut etiam Anno 1526. Iudicialia hæc per Maximilianum gubernatorem Ducis Geldrensis sunt calliditate renovata, ut variis modis plebem, quam pro libitu suo circumagebat, cum Senatu & optimatibus committeret, contentionesque eorum verteret in commodum Principis, emolumentumq; fiscum. Ius quoque cudendi monetam ab aliquot seculis sibi arrogarunt; sicut Anno 1227. Episcopus Monasteriensis in conventu Framsumano Frisiæ publico decreto constituit, ut is, qui Sacerdotem in ea provincia occideret, mille marcas monetæ Groningensis, multa loco penderet, quam hactenus multo fuisset minor. Barbariei unde vestigia non levia apparet, quod usque instituta sanguinis venalis exiterit. Sed ius stapulæ suæ absque intermissione strenui semper exercuerunt, ut etiam consul præfectum simul mercatorum ageret, uti in exemplo Haiconis Ailardi Anno 1434. id comprobarunt contra Haione Ripperdam. Et quum pari iure cum Embdanis uterentur, Hamburgenses vero multis negotiationibus incommoda ibi caperent, nec verum ius ac consuetudinem stapulæ ac forum observarent, sed ferme imperatorio modo sibi quid adscriberent, Anno 1437. prope res in hoc huius ad arma esset deducta, nisi Edzardus Grethanus vir admodum futurorum providus tractatione tali, ut Gronningenibus ius fori reliqueretur, in commerciis & rebus in vicino natis, Hamburgensibus usus fluminis Amati simul concessus maneret, compescuisset Hamburgensium avaritiam. Etenim Hamburg. soluti bello Danico Anno 1435. omnes suas curas in Frisiam converterant, illecti regionis opportunitate & commodis, dum se offerret occasio, qua ita misere fluctuabat Frisia, &c. ut ait Ubb. Emm. Insl. Fr. lib. 22 pag. 538. Atque ut etiam ius Stapulæ suæ eo firmius protegere possent, fœdus maxime eam ob causam cum vicinis pro frumentorum ratione Anno 1455. pepigerunt usque in [illegible] novarunt cum auctione mutuæ defensionis contra quemvis hostem.

CAP. VI.

De urbe Embdana, & quousque Hanseatica dici queat, ubi & de Hamburgens. callidis attentatis iterum agitur.

EMbda ultima in oris Frisiis Hanseæ urbs ad Amasum fluvium, ubi se cum Dulartto commiscet, sita est, nec solum Amasanæ ditionis, sed totius quoque littoris Frisici à Batavis ad Bremanorum Visurgim porrecti oculus, cui nihil deest, sive opes, aut ædificiorum pulchritudinem, situsve commoditatem, aut negotiorum varietatem ac magnitudinem, sive populi frequentiam spectes. Nobile Germaniæ & maxime olim Chaucis minoribus præstitit Emporium, quum sit locus, qua commerciorum copiæ natura dedicus. Etenim extra controversiam est, tractum illum Embdanum, qui nunc Frisiam Orientalem faciunt, non à Frisiis, ut Ubbo Emmius ipse, qui alias nimis large in extensione nationis suæ loquitur, sed à Chaucis fuisse inhabitatam, cuius rei præter Strabonem, Dionem, Suetonium, alios, locupletissimus testis est Ptolomæus, qui Chaucos quoque in Maiores & Minores partitur; quorum illos inter Visurgim Albimque, hos inter Amasiam & Visurgim, id est, eo ipso tractu, quem hodie colunt orientales nostri Frisii, collocat. Verum remotioribus hisce omissis, scicndum hanc ditionem in varias olim præfecturas fuisse divisam, quarum singulis fere sui tulse principes atque itares habuit usque ad Friderichum tertium Imperatorem; is Anno Christi 1465. tori regioni præfecit Ulricum quendam, eumque titulo Comitis exornavit, atque hinc reliqui postea Ostfrisiæ Principes. Cuius provinciæ solum omnium rerum hominumque necessitatum usque adeo ferax, ut nullo prorsus indigere feratur finitimorum populorum subsidio. Proinde non adeo vetusta videntur urbs; quum in antiquioribus monumentis nulla ferme eius extet memoria, nisi quod de moneta ex Anno 1234. habetur, uti mox dicemus; ipse etiam eius Dominus non ante Annum 1465. titulum Comitis adeptus sit. Eum quippe Fridericus 3. contulit in Udalricum, quum antea in diversas esset divisa partes hæc regio propter multiformes dynastias, ut iam diximus quæ historia nonnihil plenius explicanda est propter Hamburgenses.

Quum vero iam ante circa Annum 1409. sub Ruperto Palatino Imperat. accrescere incepisset, illic nobilis, qui tum urbi præsidebat, à Cæsare dicto privilegia ipsi acquirere cœpit. Itaque propter commercia, ut ea ibi clara efficeret, ante omnia civitatis quid iuris adiicere voluit, quo nomine quoque Anno 1412. portorium, quod pro republ. illa oppidana impetraverat, sub aditu Imper. Sigismundi, Embdæ promulgari & institui primum curavit, ut haberet magistratus accisæ huius adiumentum, quod ex mercibus omnibus, quæ peregre importantur, haberi posset. Ita paulatim cum ædificiis & habitantium numero iura quoq; civium crevere. Quod vero oppidũ hoc muro Annis 45. ante hoc privilegiũ sit circumdatũ, singulari factum est casu. Etenim An. 1269. grassante per universam ora maritimã fœdissima pe[illegible]

nomen primum impositus fuit, quo Franciscanæ familiæ cœnobium, quod nisi navigio istinc adiri prius non poterat, oppidulo connectebatur. Additusque murus cum angustis & humilibus portis duabus; quo aditus ad pontem præcingebatur è regione cœnobii: Ea tum ista parte mœnia nova erant, quæ ad nostram usque memoriam, quanquam sine usu perdurarunt. Sed munitiones primæ huius oppidi quãdo cœperint, dictu non est facile: fuisse quidem ante id tempus, & quidem multo ante fuisse, non est dubium, quanquam & tenues & perangustas: Quippe quæ à Delfa fere ad regionem arcis per vicum sutorum pertinuere. Quinimo mœnia aut Domos primis quoque temporibus à ripa eiusdem rivi recessisse modico spatio, extra controversiam est, vicosque non maximi instar initia oppiduli, in latere Amasi, fanum ac arcem versus, ubi piscatorum olim tuguria steterant, arcto ambitu hæsisse. Agger enim qui rivum coercuit, cũ nullas adhuc cataractas Embda haberet, ab Amasi littore Osterhusani pertingens, cuius etiam nunc ex utroque rivi latere vestigia conspicua sunt, litus illic quondam fuit, ubi iam nomen inde trahens vicus celebris extat. Tantula tunc Embda fuit, quæ nunc hos pauculos intra annos quibus hospitium Ecclesiæ præbuit, opibus, negotiationu magnitudine, pulchritudine ædificiorum, hominũ frequentia & cultu ita crevit, ut in fortunatissimis, quæ sunt ad mare Oceanum, urbibus censeri queat. Anno tamen 1277. ingens calamitas accidit, ut ex impetuositate maris 33. pagi absorpti sint, ubi Dullart se furiose diffundit, miserabile visu. Verum eo tempore, quo pons Sublicius Embdæ institutus fuit, iam emergere dudum inter loca vicina cœperat, ac formam nomenque oppidi complures per annos retinuerat, ius quoque & usum cudendæ monetæ iamdudum ab Anno æræ Christianæ MCC.XXXIV. ut ex his, quæ ad eum annum recitata sunt, cognoscere licet, habuerat: ipsique oppidani, relictis paulatim operibus rusticis negotiandi studio sese tradiderant, illecti commoditate portus ac fluminis, artificiaque omnis generis quæstus causa, uti in oppidis mos est, frequentes exercebant, commercia rerum eiusmodi cum vicinis in agro præcipua ac plurima habebant, denique emporii qualiscunque vice Amasianis acceteris in eo tractu oppidum iam esse videbatur, nõ sine æmulatione duorum vicorum insignium haud longe istinc distantium, Osterhusæ & Larlerii quorum alter in Septentrionem, alter ad occasum paulo spatio ab eo recedunt, & hic quidem ad Amasiam, situ ad Navigationes non indoneo, ille intextus in agro. Consulum tamen & Senatus istic nulla adhuc ad id tempus in monumentis litterarum, quæ mihi visa sunt hactenus, mentio. Sed rectores viri nobiles loco præerant, quibus domicilium in arce erat, oppidulo connexa: quorum indulgentia & studio creditur factum, ut non parum emergenti eius fortunæ sit adjectum, &c. Dynastiæ autem tales varios his & vicinis terris caussarunt motus, quum perpetuis quasi expositæ essent æmulationibus. Ideoq; fœderibus, quæ ita flectebantur ad nutus passim, ut qui potentia prævalerent, cum iis & vulgus & nobiles facerent: Velut inde quoque pessimas & pernicio[illegible] Vetcoperiorum & Sciringiorum his & vicinis in desinenti se mutuo defatigabant furore & violentia clandestinitate. Unde etiam factum quod Præfectus Embdanus semper facere cum Confœderatis Hanseaticis civitatibus studeret, ut non solum commercia cum iis incolæ commutarent; sed etiam navalem defensionem ab iisdem petere in subsidium posset. Sequoque Anno 1431. accidit, quum Occo præfectus Embdanus à Foccone Lerano Vetcoperiorum Duce captus esset, ut supra ostensum est, quod cognatus eius Edsardus Auricanus Dynasta, non tantum liberationem Occonis, sed etiam vindictam in Foccone, & Imelonem Osterhusanum, qui tum seu potentior Embdam quoque in suam redegerat potestatem, intenderit. Quapropter Edsardus concitavit offensos animos, qui itidem tamen, quo mente quisque sua minus honestum conceperat, penitus abditum honestissima specie studii defendendæ libertatis populatis obtegere noverant. Simili modo excitarunt Episcopum Bremensium cum urbe ea, & Oldenburgicum Comitem tanquam cõfœderatos; Qui quum victoriam obtinuissent, compulso Focconem in locum suum Lierã, & tamen Embdam ob defectum navium nequirent occupare; inde Hamburgenses & reliquas socias civitates Hanseaticas in auxilium advocarunt; quod ex optato illis accidit, dum Hamburgenses diu occasionem talem astutiæ suæ avaritiæ quæsierant. Proinde cupide fœdus occultum sibi reliquis præripiebãt, sub prætextu, quo Occonis iniurias essent unice ulturi, rebus tamen suis augendis magis pro more solito intenti. Quare, ut invidias Embdanis eo callidius perficerent, naves Embdam mittebant, dissimulato omni armorum apparatu; Fingebant negotiationes velut amici, mercibus nonnullis expositis ingrediebantur urbem, Imelonem Dynastam sibi conciliatum, blanditer invitabant, qui insutico convivio, in honorem ipsius apparato, indulgebat animum; Verum vino obrutum Hamburgenses magno silentio Hamburgum mox transvexere, atque ne crudeliter id perfecisse viderentur, & fucata specie Embdam quoque occuparent, piraticam aut piratarum commercium captivo obiectarunt; ubi tam miserè in durissimo carcere per 24. annos habitus à Senatu fuit, donec squalore & æ;umnis confectus animam tandem ægram iisdem in vinculis exhalaret. Simile certe malignitatis perpetratum facinus est, quod in arcis Riburtelensis acquisitione callida observatum, & supra indicatum fuit. Proinde rite *Ubb. Emm. lib. 21. Hist. Frif.* Crantzium perstringit, quod crimen tale probrosum fuco adulatorio subringere, veritati historicæ vim faciendo, non vereatur. Hoc enim arte scio perverso semper utebantur Hamburgenses à principio usque, in defraudationem commissionis Imper. ut armis sumptis, ait *Ubbo Emmius*, quos peregrinos volebant, eos aut prædones aut prædonum socios appellarent, innocentesque cum nocentibus pro luci & spolii commodi ratione involverent. Sic quum Imelonem mox vana spe, mox vi torquerent secum, coactus est consentire in hoc, ut subita & vi inopina perculsos, atque omni ex parte clausos, qui nec auxilia, nec rei exitum viderent, Embdanos in deditionem cogerent, quãvis frustra pro se suaque fortuna & Imelone pacta cum Hamburgensibus cõtraxerint. Ita præsidiũ Embdæ ab Hamburg. est cõ[illegible] urbe subburgensibus plurimis contra fa[illegible]

partata, violato iure gentium, quæ adhuc in manibus sint, ait Ubb.d.l.p. 316. Velut etiam ex historia patet, quam graviter non tantum Embdanis, sed etiam vicinis incubuerint contra honestatem, ut etiam contra Groningenses fœditragos excitarint. *Ibid. pa.* 341. Anno 1437. velut id liquide ipsis Groningani in apertis obiecere litteris, subdato An. 1442. 14. Cal. Aug. quarum verba hæc sunt; manifestum esse, quã absurde & inique agant (Hamburgenses) qui alios insuper, quibus obnoxii ex maleficio sint, aulint iniquitatis insimulare. Nimirum antiquum obtinent, ut ipsi facinorosi, aliis suam malignitatem perversissime velint imputare, &c. Pro libidine sua quum ibi regiminis petulantiam ostentarent Hamb. hæc arrogantia multis suspecta fuit; ut tamen declinarent quid, & amicos efficerent quosdam, Cõsulatui perpetuo destinati quidam sunt, & abrogati judices, quos hucusq; coluerant. Blanditias enim non segnes addunt mortalibus dignitates cum potentia coniunctæ. Sed tamen semper fluctuabat inter Hamburgens. & Groninganos cõcordia, quod lucro cessit Nobili illi Ulrico, de quo supra egimus in Comitatus impetratione, quo etiam Hamburgenses socio in maris spoliis, & adiutione præfecturæ Emdanæ usi fuerant. Inter hunc enim & Hamburg. simultas quædam suspitionis exorta proficiebat indies, & offensa offensam trahebat; sicuti solet fieri, quando labat consensus honesta radice non nixus: multi, ut iam tum, inceperant augurari, infunestum bellum societatem iniquam esse abituram. Caussa fuit utraque à parte libido parandi imperii & avaritia astuta, quam specie societatis contra libertatis hostes callido commento hactenus occultaverant. Ulricus ille ingenio vafer, cum populo in omnibus faciebat, illorum querelis aures dans promptas contra Hamburg. quorum obstinatam avaritiam & tyrannidem ipse culpabat, ut invidiam eorum magis exacerbaret. Hinc opinio erat communis, hunc pro libertate certare, illos pro dominatu, in quo nec error quemquam defraudabat. Atque ut eo magis populum cõfirmaret in honesta de se sententia, usus est summæ auctoritatis & ætatis provectioris viro Wiardo Uphusano. Tum vero Anno 1451. bellum cum Hamburgensibus fervere vehementius cœpit, & maxime fremebant Hamburg. qui quo pervadere poterant, fæviendo, urendo, vastando, rapiendo, iræ plus, quã belli legibus tribuebant, quem vis dictis factisq; pessimis lacerantes. Et quamvis ita defatigarentur Häburg. ut pacem quærere cogerentur; tamen quum illis esset fluxa & lubrica fides. Anno 1452. bellum longe acerbius, quam unquam antea fuit redintegratum; donec tandem concordia & constantia populi, quam demonstrabant Udalrico, eos ad transactionem Anno 1453. compelleret, quæ quum notabilis sit, & ut inde avaritiam nimiam compescere discant imprudentiores Respublic. huc referre eam paucis lubet.

Conditiones pacis, quibus Udalrico primo Comiti Frisiæ Orientalis Embdam cedere Hamburgenses coacti sunt. Anno 1453. Id. 4. April.

SEnatus Hamburgensis, accepta haud magna pecuniæ summa, reddet Ulrico, & fidei eius committet Embdam & arcem Leerorthanam cum omni iure annexo, ut is eas tueatur, & sumptu suo sartas tectas ac incolumes Senatui eidem velut præfectus conservet in annos 16. nec licebit Senatui ante præfinitum hoc tempus eum à Præfectura removere: tum vero id facere, & fidei ipsius commissa recipere ad se, si voler, ante annum integrum idem ei denuntiabit: tenebiturque Ulricus, recepta quam iam dabit pecunia, cuius summa consulto in contractus formula expressa non est, in fraudem eorum, quorum intererat, sed peculiaribus litteris signata, sine mora iis decedere, ac Senatui bona fide cum omni instrumento accepto ex Syngrapha restituere, toto eo tempore cives Hamburgenses negotiorum causa in Frisiam, & loca vicina ventitantes summo studio tueri: cerevisiam Hamburgi coctam, cæteraque civium Hamburgensium merces omni vectigalis aut portorii onere statim levare in omnibus ditionibus suis, eamque immunitatem perpetuam etiam apud hæredes & posteros præstare: prædones portubus & littoribus Frisiæ Orientalis prohibere: Vicissim si quis huius aut cuiuscunque rei vel alterius causa, in qua Ulricus iudicium Hamburgensium subire non detrectabit, vim ei facere conabitur, Senatus auxilio ei mittet Sclopetarios milites 300. stipendio suo, sumptu in cætera impendia ipsius: & si quid per hoc auxilium capietur ex hoste, cuiuscunque id sit generis, soli cedet Ulrico: sed idem captivos, si quos continget ex hisce 300. in hostis venire potestatem, suomet redimere ære tenebitur. Embda, arx Leerorthana, imo cæteræ arces omnes, quas aut habebat Ulricus, aut etiam in posterum erat occupaturus, Senatui Hamburgensi, quoties usus eius in quemcunque hostem postulabit, patebunt: Ulricusque pro viribus suppetias ei feret, armato etiam si necesse erit populo, qui est in fide ipsius: inprimis bello Hollandico si quod erit cum populo Hamburgensi, poscente Senatu, tenebitur similiter cum cohorte 300. Sclopetariorum eadem, qua prius dictum, cõditione, auxilio Senatus eidem esse: non licebit ei in agro Amasano arcem novam extruere, aut ullã munitionem excitare, nisi ex consensu Senatus: similiter novis ædificiis aut munimẽtis instruere Embdanam & Leerorthanam arcem, nisi consentiente eodẽ Senatu non licebit: si qua vero ex voluntate eius opera huiuscemodi instituet, eorũ impensas, ad æstimationem quatuor arbitrorum, Senatus exsolvet, antequam arcium possessionem recuperet: Veteta omnia sarta tecta Ulricus conservabit sumptu suo. Quod si aquarum vis arcem Embdanam videbitur labefactare, non tamen fasit Ulrico alio eam transferre nisi volente Senatu: & si interea fluctuum vi contingat arcem convelli, nihilominus à Senatu arcem repetente integra ei pecuniæ summa de qua dictum prius fuerat restituetur: Embdanis illæsa manebunt iura omnia & privilegia quibus usi sunt, quamdiu in fide fuerunt Hamburgensium. Naufragia ejecta in littus Frisiæ Orientalis, Dominis civibus Hamburgẽsibus Ulricus sine diminutione reddet: ij mercedem operæ ex æquo & bono servatoribus solvent: Captivi utrimque dimittentur incolumes ac sine pretio; etiam illi quos ex Cohorte Adolphi Ducis Slesvicensis, quæ in auxilium Hamburgensium fuit, Ulricus intercepto habet in custodia: iniuriarum omnium oblivio erit, nec

nec fraudi esse debebit oppidanis aut rusticis, qui in fide Hamburgensium fuerant ante bellum motum, quod pro Hamburgensibus militarint, fietque illis restitutio eorum, unde vel ejecti sunt vel sponte decesserè: Ea quæ promissa sunt pro captivis dimissis, nondum tamen soluta, hinc inde remittentur. Si præmoriatur Ulricus ante definitum hoc tempus, hæredes in locum eius succedent, atque ad eadem præstanda erunt obligati. Ad restitutionem vero exactis Annis 16. si res devenerit, utraque pars à pactis his rursum erit libera, atque ab obligatione omni prorsum soluta, &c. Act. 4. Iduum April. Anno 1453.

Conditiones hæ iuramento sunt confirmatæ, cui subsecuta est à commissariis Hamb. traditio quidē; sed ita provide adiit Udalricus molem regiminis, ut non tantum exulantium novo coniugio, quam cum Focconis nepte iniebat, animos sibi cōiungeret, sed etiam dignitatem cum investitura feudali à Friderico 3. Imperat. ne facilis denuo coorireturtumultus ac rebellio, impetraret; in quo tamen ita cautum se gessit, ut non tantum simul cū Wiardo Socio, propter senectutem, auctoritatem dividere, sed etiam omnia cum summa moderatione animi tractare, & potius arbitrum quam iudicem cunctis se gerere videretur. Unde nec Comitis titulum, nisi interdum ob beneficium Cęsaris, generosi nomen admittebat: attamen iudicibus provincialibus auctoritatem addebat, & iisdem simul quasi leniter obsequendo obtinebat, ut quantum eum mali timerent, tantum amarent boni. Emdanis vero concedebat largiter, ut gratiosi & accepti propter usum communem commerciorum viverent Societati Hanseaticæ, cui & ipsi membrum constituissent, nisi restitissent Hamburg. quod diu eos retraxit, sed amplificare urbem non desiit, sicuti etiam Anno 1455. statim splendidioribus ædificiis ea ipsius ope exornata & platea ad rivum Delfam temploque adaucta fuit. Sed Hamburgenses, quum sibi iuris debitum adscribere non desinerent; nec tamen quid obtinere possent; tandē per interpositionem Groningensium inter Domum Udalrici Comitis & eosdem totalis Anno 1493. sub Ezardo Comite ita funditus in modum amnestiæ & renunciationis totalis consopita fuit.

Totalis renunciatio pretensionis Hamburgensium, cum plenaria cessione iuris, quod contra Embdanos sibi arrogabant, sub Edzardo Comite. An. 1493. Mens. Mart.

HAmburgenses, Emdam & arcem Orthanam, quæque cum iis cohærebant, in universum dimiserunt Edsardo & Uconi, omniq; suo iure, quod vel habebant, vel habere se putabant cessere. Edsardus cum fratre vicissim ipsis promisit marcarum Lubeccensium 10. millia, decennio proximo solvenda denis pensionibus paribus: pollicitus etiam libertatem & iura omnia ex pacto priore cum Ulrico parēre Emdanis integra se relicturum: Vectigali Hamburgensis cerevisiæ supra Scapios duos, aut quatuor stuferos Brabantinos in singulas tonnas, qui modus iam in usu erat, nihil inposterum adiecturum; eius cerevisiæ usum per Frisiam suæ ditionis non minuturum, nec posteros suos. Postremo commercia Frisiis & Hamburgensibus ceu amicis libera uti essent utrimque statutum.

Sic demum rursus liberata Embda à tali regiminis onere, Metropolis facta est Frisiæ huius, ac liberius quoque cives eius commercium ex iure Stapulæ exercere ac maxime cum Anglis & Hanseaticis facere perrexerunt; unde, quod deliberarant diu, tandem anno 1579. miserunt oratorem ad conventum Hanseæ, per quem petiere, ut recipi in societatem possent. Examinato vero eorum liberratis statu, nihil quidem illis denegatum fuit; sed saltem ut expectarent, donec consensus omnium civitatum Hanseæ iuxta antiquam consuetudinem requireretur: velut etiam conditiones receptionis cōmunicatæ iis sunt, ad quas se declarare deberent. Interim sequenti anno, Anglis Mercatoribus ex Societatis Hanseaticæ urbe Hamburgo dimissis, Emdenses sedem in urbe sua tribuerunt, quod tractationem quidem distulit; tamen civitates in receptionem tum consenserant; licet Hamburgenses difficultates obiicerent suas ex post facto. Velut etiam sedes Anglorum non diu ibi fuit; sed usi sunt Hamb. miris artificiis, ac Anglos iterum quasi ex minutiis Emdæ offensos ad se allicuerunt; sed tamen inde postea Stadam, & hinc iterū Hamburgum alioque commigrarunt, ut ibi pannos suos, quos antehac Antwerpiam deportare consueverant, conferrent, de quo supra quid actum est, & postea quid ulterius explicabitur. Interim An. 1586. hoc intervenit, quum Illust. Ord. Belg. Groningam bello acquirere sibi studerent, quod Embdanus omnem commeatum in Amasi occluderent, frustra Comite & urbe de hac vi & iniuria conquerentibus. Anno 1595. ipsi dissidium cum Comite quærebant, ex meris suspicionibus conflatum, quasi Comes ille denegare iis studeret ius appellationis ad Cameram: unde, convocato milite, prima vice Ill. Ord. Belg. ad subsidium poscebant; tamen cum mutatione cōsilij. Nihilominus An. 1597. in Delfzila ex interpositione Ill. Ord. transactio inter Comitem & urbem instituta fuit, ex qua plurimæ fluxerunt disputationes, quæ novum motum Anno 1599. causarunt, unde civitas non tantum 20000. Imperiales mutuo ab Ill. Ord. Stat. sed etiam præsidiarium militem recepit, unde Comes quasi ab urbe separatus manet, nec concedunt Ord. ut quidquam pactorum absque eorum consensu suscipiatur. Quum vero eodem tempore negotiationem Hispanicam ambiret urbs, inde toties confœderationi Hanseaticæ inseri etiā per intercessiones ingentes S. G. petivit, velut idem An. 1615. & 1616. bis conclusum fuit, nisi vetus rancor Hamburgid distulisset, & suspicio subesset, quod singularis Belgarum praxis id potius urgeret, quam ipsa negotii opportunitas, &c. attamen à pluribus pro membro Hanseæ habetur iuxta conclusum commune.

CAP. VII.

De civitatibus Hanseaticis in Vestphalia sitis & Marchis Clivensi reliquis, quæ in priori enumeratione debinc restant cum Duderstadio.

DE Occidua Saxonia sive Westphalia & eius origine in parte antecedenti cap. 7. in relatione de Saxonibus agente actum est satis. Unde apparet in quantum errent illi omni-

li omnino, qui nomen huic regioni absurde à Vesta impositum affirmare audent; quú mere illud Westfaliæ sit Saxonicum, & à situ loci respectu gentis Saxonicæ Orientalis, atque ab eius signo bellico equi derivatum. Regio adeo est ampla, ut singularem Imperii Romani circulum constituat, atque tres potissimum contineat status; In Ecclesiastico Episcopos & Abbates: In seculari Duces, Comites, Barones & liberas mixtæque conditionis urbes ac Respublicas. Inter Episcopatus maxime hi quatuor, ut Monasteriensis, Osnabrugensis, Padebornensis & Mindensis suam fundationem Carolo Magno debent. Coloniensis vero propter Archiepiscopi dignitatem & vetustatem in hos & Ultraiectanum Leodiensemq; inspectionem tenet. Antiquior enim est his omnibus adeo, ut etiam scriptores non inter se de eius stricta origine iuxta annorum determinationem bene conveniant in triplici maxime dissidéres opinione, quoties Severini primi Episcopi (quem tamen *Chr. Col. pag.* 85. Secundum facit) mentionem faciunt, quando initium alii regiminis eius ad annum Christi 346. sub Constant. 2. nonnulli ad an. 374. Theodos. 1. tempora, alii ad an. 410. Arcadii & Honorii ævum referunt, quem Evergislaus. & hunc Solinus, ac Symoneus, post Remedius, &c. secuti sunt. Ducatus eius nobiles fuerunt Westphalia, in specie sic dicta, sive Westphalicnsis, Angria, sive Angrivaria, Clivia, Iulia, Bergensis ac Geldria. Præter 18. Comitatus. Civitatum vero & urbium mentionem in recensione talium supra cap. 1. mentionem fecimus. Solummodo heic istud de utroque ducatu Westphalensi & Angriæ notandum est, quod ante aliquot secula, nimirum anno Christi 1182. quum Fridericus I. Imper. Henricum Leonem ob perfidam defectionē in obsidione Mediolanensi perpetratam aliasque superbiæ nimias causas, ad triennium proscripsisset ex imperio, eidemque expugnatione iusta cum consensu omnium statuum Imperii omnes ditiones suas etiam hos ducatus eripuisset, statim Philippo Hynspergensi Archiepiscopo Colon. ab eodem Imp. in perpetuam possessionem nova investitura sint attributi, quum iste Archiepiscopus Cæsari supperias tulisset in hoc bello, & Dux Henricus Leo etiā huic multa damna ignominiosē sæpius incussisset. Angaria prope Herfurtum sita est, & principalis arx sive castellum erat olim totius huius regionis, unde etiā Rex Witikindus collegium ipsi sacrum adiecit. Solemni vero ritu investituram hanc Gelhusii in aula tunc sua contulisse Imperatorem in Archiepiscop. illum, affirmat *Chr. Col. pag.* 176. unde hunc titulum sibi merito vendicat, nihilominus eūdem tenent Duces Saxoniæ Inferioris ex genere Comitum ab Anhalt, & pro suo tuentur. De civitatibus huius regionis liberis in enumeratione supra *cap.* 1. egimus.

Quod si ex Embda ad fl. Amesiam sursum tendatur per Lingam Comitis Tecklenburgensis quondam sedem aulicam, & inde ad 6. milliaria pergatur, influit ibi in Amesiam rivulus Aa, postquam Monasterium urbem abluit, vera ubi Saxonum, qui Tenchteri dicebantur, portio fuit. Sed quum incolæ una cum Longobardis Italiam invasissent, ac tandē in patriam sedem essent reversi, in umbilico suæ regionis urbem amplam condiderunt, quam ad mutationem Italiæ urbis Mediolanum primitus dixere, ut aliqui volunt. Attamen sunt, qui adseverant, ibi extructam esse, ubi oppidum Myningroda situm fuerit, quod nomen postea ita immutatum, ut vulgo Munster dicatur. Etenim postquam Carol. Magnus ibi Anno Chr. 785. Episcopatum constituerat, á magnifico templo seu monasterio urbi nomen hoc incolæ imposuerunt, quod Monasterium vocaverint deinceps, sicut idem totus Episcopatus retinuit. Est igitur urbs totius Westphaliæ celebertima atque eius Metropolis, sita in optima planitie & feraci satis, unde etiam tanta incrementa accepit, ut subsidia communi commercio præstare non destiterit. Et quum in hoc studio vicinas civitates adsociasset, eo gratius hoc accidit confœderatis Hansæ, ut constantiori conamine se cū his & Colonien sibus coniunxerint. Quamvis eius urbis positus ita sit accommodatus, ut vis aquarum non facile queat vim eidem inferre; tamen Anno 1416. tanta ibi fuit effusio undarum, ut non solum noctu, dum homines alto somno obruti iacebant, portas urbis à mœnibus ipsis separaret & omnia inundando diruere; sed etiam ultra 200. homines & 3000. pecora submergerentur; velut etiam cadavera per duo prope milliaria ab urbe dispersa, effluxis undis, sunt passim inventa. *Chr. Col.* Episcopi ut plurimum addicti paci vixerunt, unde etiā in hoc diuturno bello Batavico semper studuerunt medias fovere partes, ne nimium implicarentur difficultatibus, velut & pro maiori damno evitando Ord. Belg. quotannis adhuc 12000. solvit imperiales, ut subditi eo tutius labori & victui commerciisque addicti vivere queant.

Ab altera parte Lingensis territorii, quasi è regione versus septentrionem ultra Amesum flu. in distātia à Monasterio 8. milliarium, ubi Hasa rivus vires suas sumere incipit, sita est urbs Osnabrugensis, quá alii Ossenbrugam faciunt, quod à pellibus bovinis fuisset in prima delineatione circumdata. Incertam tamen eius originem historici reddunt, dum alii à Iulio Cæsare urbem hanc inceptam esse perhibent, quod ex annalibus Saxonicis haud inconvenienter probant: alii Comitibus ab Engern & præsertim Hermanno cuidam eiusdem perfectionem adscribunt. Est vero insignis & clari nominis civitas, cuius incolæ & cives assidui sunt in labore, & præsertim pinguem coquunt cereyisiam, quæ vicinis locis non ingratum exhibet potionis usum præ reliquo eius generis. Dum Hasa irrigatur amœnæ valli accommodata cernitur. An. Chr. 780. primus ibi Episcopatus à Carolo Magno in memoriam victoriæ, quá à Saxonibus tum reportarat, fundatus est, cui provinciam circumiacentem addidit, & primum præsidem aut Doctorem Collegio aut scholæ præfecit Wihonem, qui male à P. Bertio Wiso vocatur: an vero Frisius, Angluve fuerit, disputant inter se historici. Privilegio autem insigni eum Episcopatum, ut ab omni onere, quod à præfectis aut dominicis nunciis illi posset imponi, exemptus esset. Quum Ericus Dux Brunsvicens. de Grubenhagen 49. Præsulem ibi ageret, questi sunt eius tempore cives duce quodam Imaro ab Obergk, de Senatus & Canonicorum iniuria, quod agros emerent, & civium victū minuerent, nec Evangelii præconium libere admittere vellent; sed potius omnia in avaritiam & ambitionem suam non sine tyrannidis specie abriperent, conscientiasque protelve torquendo cives undique tot miris modis & exactionibus aut enervationibus

ſupprimerent. Epiſcopus inde occaſionem ſibi natam putans, qua poſſet urbem penitus ſubiugare, non tantum mulctam gravem dictavit civitati; ſed etiam, quum ſolutio non ſtatim ſequeretur, continuo militares coegit copias, ad obſidendum civitatem; quas etiam ita adducebat, ut iam circumvallare & commeatus illi intercludere inciperet. Verum quum Senatus vigilantiam adhiberet, & ſocias civitates Hanſæ propiores & potentiores, uti ordo id fert & pactum Hanſeaticum, in conſilii auxilium advocaret; ut alia ſuſpicio inde enaſceretur; Duces Brunſvicenſes, & Comes Waldeccius ſeſe interpoſuere, & pacem perſolutis à civitate 6000. aureis Rhenenſibus, confecerunt: Etenim tanta erat Hanſæ auctoritas, ut facili adſiſtētia quaſvis differentias dirimere vel ſolo poſſent nomine. Poſt Ericum vero Præſul factus eſt Fräciſcus Comes Waldeccenſis Anno Chr. 1532. qui ut à Senatu doctrina Auguſtanę Confeſſionis per Hermannum Bonnum Lubecca accerſitum (qui & Chronicon Lubeccenſe eruditum perſcripſit) introduceretur, præſertim quum ita ſe civitates Hanſæ interponerent, haud invitus conceſſit, ne novas crearet noxas ſuis. Franciſcum excepit Iohan. Comes Hoyenſis Anno 1553. qui Monaſterii obiit anno 1574. & tunc ſecutus eſt ex poſtulatione, quam diu antea ſubordinarat, Henricus 3. Archiep. Bremanus, Dux Saxoniæ Lawenburg. ſed hic & Padeborni vices adminiſtratoris ſaltem uſque ad annum 1585. ſuſtinuit. Hunc Wilhelmus Schenkingius excepit, ſed poſt obitum huius eodem anno Bernhardus Comes Waldeccenſis ſecutus eſt, qui & ipſe tantum uſque ad Annum 1591. ſuperfuit, in cuius locum ſuffectus eſt electione ſolita Philippus Sigiſmundus Dux Brunſvic. Guelphicus, qui, ob huius muneris & Epiſcopatus Verdenſis rationem, Canonicatum Magdeburg. quum ibi in altiori dignitatis gradu ipſi ſpes non affulgeret, reſignavit; tamen Præpoſiti officium Halberſtadenſis retinuit. Quum igitur Oſnabrugenſes fructum Hanſeatici fœderis ſatis luculenter percepiſſent, fideli obſervatione id coluerunt præ reliquis Weſtphaliæ urbibus ſociis, veluti etiam meis temporibus in cōventibus adfuit miſſus Doctor & Conſul Scraderus, mihi propter perſpectam integritatem & ſingulare animi candorem perquam charus, unde eum Carmine aliquo compellabam, cuius initium, nomen urbis exprimens, ſic ſe habet:

O felix genij, vir dilectiſſime, ſalve,
Conſulis officium merito cui credidit illud,
Atque ſui partem fecit pia cura Senatus,
Limpidus Haſa tua patriæ qua mœnia ſtringit,
Nomine quem quondam priſco plebs dixerat Oſen,
Unde haud difficili nexu PONS *iungitur Oſæ, &c.*

Proxime hinc, priuſquam ad ſiniſtram partem verſus Mindam Epiſcopatum Veſeræ medio loco, inter Padebornenſem & Bremenſem, interiacentem, quis ſe convertat, æquali ferme ſpacio 7. milliarium, duæ urbes Hanſeaticæ Bielfelda & Herfordum ab Oſnabruga diſtant, quæ & ipſæ ſaltem inter ſe duobus diſſident miliaribus.

Bielfelda autem inter Angariam ſedem principalem Angrivariorum in Comitatu Ravensbergenſi, & inter Comitatum Ritbergenſem quaſi medium tenet, in loco ſylvoſo ac cæduo, monticulis adſperſo, unde etiam nomen ipſi inditum apparet. Etenim ſecuribus, quod Biel Saxonice dicitur, abſcindendę erant primitus arbores, ut urbi campum ſpacioſum iuxta montem vicinum curarēt, velut Campus Germanis quoque Feld eſt. Incolæ huius civitatis non tantum bellicoſi & ingenioſi ſunt, quem communem genium cum tota gente habent; ſed etiam ſingularem excolunt confectionem linteaminum ſubtilium, & alias variis incumbunt victuum ſtudiis, quibus ſe Hanſæ inſinuare ſolebant, velut etiam inprimis in laboribus, fide & fidelitate laudem ſibi cū Herfurdanis conquiſivere. Arcem quoque propinquam in monte vicino verſus ortum reſpicit, ut ſtatim ex porta exeuntis oculis affulgeat: nec procul inde rivus Lutter, qui ſe mox in alium fl. effundit, originem in fonte ſuo imperſcrutabilem, unde & Lutter-Kolck dicunt, habet.

Herfurtum civitas, quæ & Hervordia communiter dicitur, ad Wehram fluvium ibi ſita, ubi ex Bielfeldia verſus Mindam tenditur, quæ inde ultra 4. milliaria non diſtat, ut prope medium locum ibi fluminis eius ex Lippiæ Comitatu & aula Dithmoldiana prolabentis occupet. Quū ibi aliquot amnes concurrant, potiori in conditione vivunt cives præ Bielfeldianis. Ubi vero Wehra fl. ex Hervordia ad Veſeram ſe flectit, Viſurgis etiam quaſi ad affluxum eius inclinans in cornu & apicem ſe exporrigit, ut excipiat, apud Remen pagum, illius incurſum, & inde iterum ad Mindam urbem reflectitur. Velut ingeniorum heic, ita quoque terræ & frugum ubertas ac bonitas ſatis eximia eſt, ut inde merces varias in alios vicinos & remotiores locos tranſportare poſſint.

Minda vero diu ante Caroli Magni & VVitikindi tempora floruit, loco amœniſſimo ad Viſurgim, qui VVeſtphaliam à reliqua Saxonia dirimit, ſita, & agros fertiles fœcundoſque ad duo millia paſſuū verſus meridiem & ortum, ac prata paſcuaque uberrima & ſylvam propriam verſus Boream poſſidet, velut etiam ex alluvione fluvii huius navigabilis multa ſentit commoda, bonamque coquit cerevisiam, vicinis multis gratam, variiſque abundat mercaturis, ut inde tam externis quam internis civitatibus Hanſeaticis lucroſa præſtet officia. De urbis huius nomine ſupra quædam ex opinione aliorum maxime, in parte antecedenti, commonuimus.

Quum Carolus Mag. novo Epiſcopatui heic locum quæreret, VVitikindus ex nova devotione erga Chriſtianam religionem converſus Imperatori arcem hanc ſuam conceſſit, ut in ea Anno 780. firmaret ſedem novo Epiſcopo, quaſi diceret, Mea tua ſunt. Heic vero iterum Bertii craſſiſſimus error ſe exerit, qui deceptus in Mindæ vocabulo, magnam duarum Urbium diverſiſſimarum, quæ pluſquam 16. milliaribus inter ſe diſtant, commiſit confuſionē. Nec habet Bertius, quo ſe heic excuſare poſſit. Etenim verba eius admodum clara ſunt, dum non tantum Mindam Epiſcopalem contra naturam urbis & poſitus eius ad trium amnium, Viſurgis, Fuldæ & VVerræ confluentes tranſfert; ſed etiam longum catalogum Epiſcoporum ad moderna tempora extē-

dendo

dendo apponit: quum in ea urbe Mynda, quam ille ſic deſcribit, nulla unquam ſedes Epiſcopalis fuerit, ſed potius antehac aulam ibi in arce eleganti & valde culta Duces Brunſvicenſes ex linea Grubenhagica incoluerint, & vix duorum milliarũ ſpacio Caſſellam Landgraviorum Haſſiæ Metropolim & arcem abiunctam à ſe habeat. Prius in nomina diverſa debuiſſet inquirere, quam lectores ſeducere voluiſſet. Namque ſcriptio & pronunciatio talium nominum populis ibi non eſt eadem, quod facile deprehendere potuiſſet, dum adeo temere ipſe Mindam & Myndam confundit. Minda quippe eſt urbs Epiſcopalis, Mynda autem urbs altera, ad Fuldæ oſtium, quæ & Munda vocatur, ſicut & adhuc in Ducatu Brunſvicenſi eſt oppidulum, quod Mynder aut Münder & aliud Holtz-Minden appellatur: ut ita totus Epiſcopatus Padebornenſis, Abbatia Corveienſis, & Comitatus Lippienſis cum Schawenburg. utramque hanc urbem ab invicem intercapedine admodum ampla ſeparent. Quamvis hæc urbs pacis ſtudio ut plurimum ſe dederit, velut etiam Franciſcus Comes Waldeccius Præſul Anno 1530. ad officii huius dignitatem evectus ſatis æquum in omnibus actionibus ſuis ſe præbuit; tamen, quum Anno 1530. cives cum Senatu Auguſtanæ Confeſſioni ſe addicere inciperent, eccleſiaſtici varias moverunt difficultates, ut Mindenſis civitas alia ratione fuerit à Canonicis ad Cameram delata; Quæ lis Anno 1530. ita finem ſortita eſt, ut hoc demum anno publice proſcripta, & ſub dio in omnium conſpectu promulgata ſit. Verum quum civitates Hanſeaticæ commendationes ipſi ſuppeterent apud Imper. & ipſa ſub fœderis Schmalcaldici, cuius ſocia erat, clypeo protegeretur, nihil inde tum damni tulit; ſed incolumis uſque ad Annum 1547. latuit, quo Iodocus Croningius, Caroli V. Dux, Mindam dediram imperata facere coegit. Proſcripta vero urbe Mindenſi, Saxoniæ Dux elector, & confœderati Principes, prolixum & grave ſcriptum edidere, quo Cameræ iudicium in cauſis religionis & aliis inde emanantibus plane recuſarunt.

Quod ſi hinc ex Minda trans Wehram fluvium iter ad oſtium Viſurgis verſus Padebornenſem Epiſcopatum per Lippienſem Comitatum reflectas, Lemgovia urbs & ipſa Hanſeatica ad Pegam amnẽ in Wehram inter Detmoldum ac Hervordiã proruentem non ultra 2. milliaribus ab Hervordia diſtans ſita eſt, quæ ſalvis privilegiis Dominum Lippienſem Comitem agnoſcit, ac fertilibus agris paſcuiſque lætis circiter abundat, cives quoque habet aſſiduis laboribus aſſuetos, & in ſtudio victus negociationibuſque perquam vigilantes. Atque quum ſanioris doctrinæ anno 1530. ſeſe cupidos oſtenderent, invito tum Comite Simone, Evangelii culturam & Verbi divini planiores explicationes ambire cœperunt, velut etiam ſtatim eodem anno, vocatis novis Eccleſiæ Miniſtris & adhibito conſilio Brunſvicenſis urbis, quæ Metropolim Hanſæ in hac vicinia refert, ad eius formam ritus ſuos inſtituerunt. Sic quoque anno 1598. nobiles fratres à Saldern, quos Dux Henricus Iulius Brunſv. acerrime perſequebatur, quod in Comitiis Provincialibus urbi Brunſvicenſi verbis defenſoriis aliquot patrocinium præſtitiſſent, Lemgovienſis Senatus recepit, & in ſua fovit civitate, ne violentiæ quid pati neceſſum haberent; unde non parvam ſibi invidiam & indignationem Ducis attraxit; quum inde prima cauſſa tam funeſtę diſſenſionis & belli cum Brunſvicenſibus exorta ſit.

Licet heic quid etiam interferendum eſſet de Hamela urbe itidem Hanſeatica ad Viſurgim, quæ 6. milliaribus diſtat à Lemgovia, qua per Hildeſiam in Ducatum Brunſvicenſium tenditur; ſed quum in ſuperiori parte de ea ſatis egerimus, nunc tamen trãs Viſurgim dextrorſum verſus ultra Comitatum Pleſſenſem ad Eichsfeldiam, hodie Moguntinenſis ditionem, quum olim ante 293. pars Ducatus Brunſvicenſis fuerit, ad Duderſtadium paululum diverteremus, ne & hæc Urbs Hanſeatica, in ſuperioribus omiſſa, hac occaſione indicta & minus indicata maneat.

Eſt igitur Duderſtadium olim Ducatus Brunſvicenſis lineæ Grubenhagianæ urbs non minus antiqua, ad Vipperam fluvium milliari uno ab Hilligenſtadio diſtãs, in amœniſſimo & fertiliſſimo agro paſcuis lætiſſimis circumfuſo ſita, reſpiciens verſus auſtrum monticulos ſylvoſos. Magnæ fuit ſemper urbs libertatis, adeo, ut potiſſima regalia civitatis in vigore ſuo exercuerit, velut etiam ius moneram cudẽdi habuit, quod apparet ex contractu, quo Dux Brunſvic. Erneſtus Henrici Mirabilis Grubenhagẽſis filius fratri Henrico 2. tertiam partem arcis Gebeldehuſanæ pro 143. marcis & lacum adiacentem pro 24. marcis, Oſterodici valoris, & 16. ſchillingis, Obulorum Duderſtadianorum; nec non tertiam partem Duderſtadii urbis pro 200. marcis ad redemptionem oppignoravit: Sed quum poſt obitum patris Henrici 2. filius ex primo coniugio Otto propter belli Bohemici apparatum ab Erneſto patruele oppignoratorum bonorum ſummam repeteret, nec illi tam ſubitaneæ poſtulationi ſolutionem promptam præſtare valeret, nec ab Urbe Goslarienſi quid æris, uti conſtituerat, mutuo acciperet, ipſe cum cõſenſu patruelis in reluitionem Archiepiſcopo Moguntinẽſi 45. Henrico Furneburgico denuo Duderſtadium cum arce Gebeldehuſana pro exigua pecuniæ ſumma Anno 1317. oppignoravit, unde poſtea totius ditionis Eichsfeldiacæ abalienatio ſecuta eſt. Namque Anno 1358. ſimilem ob belli Neapolitani cauſſam à Gerlachio Naſſovienſi 46. Archiepiſcopo Mogunt. iterum aliquid ſummæ in oppignorationem dictam accepit, cui pro 600. marcis Heiligenſtadium vicinum adiecit. Ac licet translatio huius Eichſtadiani territorii cum civitatib⁹ ſuis in Moguntinum tali modo facta ſit, tamen iuris privilegia ſui urbibus & Duderſtadio inprimis manſit, unde quoque cum ſociis perrexit firmiter fœdus Hanſeaticum & per cives ſuos eius pacta & ſtatuta colere: velut etiam Mercatores huius urbis in numero ſimul inventi eius ſunt, quos An. 1477. Iohannes Moſcoviæ Dux in Emporio univerſali Novogardiæ captivos uſque ad reluitionem detinuit, uti infra pluribus explicabitur in mentione pleniori Emporii illius. Quam autem litem hucuſque hanc ob urbem & terram ditionis totius Eichfeldenſis Duces Brunſvic. Archiepiſcopo Mogunt. moverint & quomodo eã Iagemannus Cancell. Guelphicus ante 26. Annos cum rigore promovere ſtuduerit, alterius loci eſt referre. Interim ad civitates Hanſeaticas V Veſtphalię Cliviæque nobis trans-Veſarim remigrandum eſt.

V Varburgum autem, ſi per Gottingam recta cir-

ca Caſſellam Haſſiæ verſus Elſingam ad fluvium Dymmeliam iter flectatur, ubi civitatem alto monti impoſitam Bergenſem inde dictam à ſiniſtra parte linquendo ad Calenbergum ibi traieceris, ſtatim ad flumen occurrit, eſtq; ea urbs in perquam fertili loco ſita, unde & terra circumiacens, quam Dymmelia perluendo, in Viſurgim apud Helmershuſium oppidum tendens, diſſecat, Borda Warburgica dicitur. Namque quouſque circuitus hic ſe iſtius extendit, planities aliquo modo eſt & agro culto atque paſcuis amœnis oppleta adeo, ut vicinis terris inde ſuas poſſit diſtribuere merces, velut & verſus meridiem montoſum, occaſuique imminentem, tractum habet, quem fluvius ille oblonge alluit, indeque ſæpius ſe effundit. Comitatus olim titulo gaviſa eſt. Et urbs iam præſtanti commendatur cereviſia, iis potu grata, qui parvo ſumptu ad palatum genio indulgere cupiunt. Sunt ibi quoque in vicinia fodinæ metallicæ, ex quibus ferrum & plumbum maxime eruitur, & terrum in fornacium formam ut plurimum effunditur, ut commercium Warborgenſibus inde magnum accedat. Habet autem nomen à vicino monticulo & effuſione crebra fluminis, quaſi ex montis ſpecula obſervare & importunitatem aquarum à campis avertere debeat. Sicut etiam in Zelandia Daniæ civitas cum arce ita monti impoſita ad portum Falſtriæ habetur eiuſdem nominis, cui idem officiũ impoſitum eſt, ut præcaveat fluctus marinos, quam Anno 1568. Iohannis 3. Sueciæ Regis Parens Guſtavus occuparat, ſed ſub huius regis Coronatione Fridericus 2. Dan. Rex, redux cum Lubeccenſium claſſe ex Revalienſi felici expeditione, an. 1569. 11. Novemb. recuperavit. Eſt quoque in ducatu Brunſvicenſi arx & ditio Baronatus Warburgenſis ad Elmum ultra milliare ab Helmæſtadio non diſſitum, veteſtiſſima eſt familia & ſola inter omnes huius ordinis in Ducatu ſuperſtes, nomen quoque geſtans ab officio, quod inſpectionis cauſa ipſi additum fuit ab Imperatore, ut ibi ad Elmum, ſylvam in valloſitatibus variis ampliſſimam, cuſtodiam ageret, pro averſione tot deprædationum, cædium & ſpoliorum, quibus ea regio, in antiquis temporibus, à prædonibus potentioribus, præſertim circa Hercyniam Sylvam, ut adhuc tot undique ſpeculæ indicant, afflicta erat, ut ſupra explicavimus, quod civitates Saxoniæ inde coactæ fuerint tot confœderationes toties cõpingere, quæ Hanſeaticis cauſam ſui fœderis potiſſimam ſuſcitarunt. Sed hæc de diverſis Warburgicis inſerere voluimus, ut Bertii error averteretur aliis, ne aliud Warbergum quis ſibi heic fingat pro civitate Hanſæ, quam Weſtphalia novit.

Si verſus occaſum vero & paulo ultra ad ſeptentrionem à Warburgo iter quatuor milliaribus expediatur, urbs Hanſæ Padebornenſis affulget, inſignis Epiſcopatu eo, quem ibi & in ditione hac Carolus Magn. circa Annum Chr. 794. fundavit, quod ibi ſæpius ob fœcunditatem terræ circumiacentis ſtativa ſua habuerit. Namque licet fructus generet varios, ac ferriliſſimus ſit circa Suſatum atque Hammonam; tamen fertiliſſima eſt ad Padebornam & Lippiam, velut & gentem habet elegantis & proceræ ſtaturæ robuſtamque corpore, & mente audacem. Quod alias de incolis univerſis Weſtphaliæ dici ſolet, plures aſtutos verſipelleſque quam ſtultos in ea gigni, id maxime de his proferri poterit; nec audiendus eſt heic facile Heint. Iulius Dux Guelphius, qui hunc offundere verſiculum huic nationi ſolebat: *VVeſtphalus eſt ſine pi; ſine pa; ſine pa; ſine con; ſine veri.* Si modificationem admittat, non illaudabilis manebit.

Epiſcopatus autem iſte ſuo ambitu 24. oppida, arces & præfecturas 20. monaſteria 16. parochias 54. tenuit, unde Præſules uſque ab Harimaro habuit potentes Duces, Comites & alios. Anno Chr. 999. tota hæc urbs in æſtate conflagravit, cum Monaſterio Caroli Magni & Bibliotheca: Privilegia tamen ab Imperatore Ottone 3. renovata ſunt cum nundinis, ſub dato Cal. Ian. Anno 1000. Seth. Cal. Anno 1530. Præſul ibi erat Ericus Dux Brunſvicenſis Grubenhagius. quo tempore cœperant in urbe Padeborna liberius in Eccleſiaſticorum vita impuriore & abuſibus quibuſdam taxandis cives offendi, eos obiurgant, & ex Chorea digreſſi in templum occupato Choro per ludibrium cantiones ſacrificulorum imitantur, & libros lacerant. Huic petulantiæ Epiſcopus non immerito graviſſime indignatus, urbem bis mille aureis multat, & immunitatibus quibuſdam privat, & Senatum ac cives eo adegit, ut nunquam ſe Lutheranam religionem admittere in urbem velle, promitterent. Sed quum nihilominus ſibi Lutheranos vocarent concionatores, mortuo Erico, Anno 1532. Hermannus Comes de Weda Archiepiſcopus Colonienſ. remedii cauſſa electus eſt, qui etiam ſtatim ſub introductione concionatores tales captivos Arnſpergam ad Rhuræ fluvii curvitatem, ubi Mœna fluv. quoque appropinquat, ſitam, abduci iuſſit. Verum quum auriga in via propter cœlum nubiloſum aberraret in pagum urbi Suſato parentem perveniens, ibi ſtatim à civibus Suſatenſibus agniti ſunt captivi paſtores, & in urbem eam abducti. Quãvis autem repoſcerentur à Præſule; tamen à Senatu illic defenſi ſunt ita, ut non niſi in ea urbe convenirí aut accuſari poſſent. Quod adeo momordit Archiepiſcop. ut diſceſſurum ſeſe ſimulans cives inermes in hortum præſidiis ſeptum convocaret, quaſi erga eos clementiam eſſet declaraturus. Sed ex Charta nomina civium Evangelio faventium legi, & 16. tãquam rebelles in forum ad ſupplicium rapi iuſſit, quod etiam perfectum fuiſſet, niſi carnifex in conſcientia iuſtior, ad atrocitatem rei exhorreſcens, diſerte proclamaſſet, ſe vindicem ſceleratorum, & non innocentium eſſe. Inde quaſi pudore confuſus Præſul, accedentibus ad id mulierum eiulationibus, illos 16. in cuſtodiam reduci, & poſt in propriis ultra anni ſpacium ædibus carceratos haberi mandavit.

Non procul à Padeborna præterlabitur Lippa fluvius, apud Lipſpringium oppidum à copioſo fonte originem ſumens; & inde recto ferme curſu ſuper dimidiam Weſtphaliæ partem tendit prope Veſaliam in Rhenum. Ad fluvium eum ſi pergatur 4. milliaribus, ſita à Padeborna eſt Lippia ſive Lipſtadiũ urbs, cui Comites eiuſdem nominis, ad quos ſpectavit olim ditio ea omnis, nunc ut plurimum cum Padebornenſi tractu commixta, appellationem hanc impoſuerunt. Magni nominis per aliq; ſecula fuit hæc familia, etiam ex hiſtoria Caroli Magni & Henrici Aucupis admodum celebris. Sicut & quidem circa Annum Chr. 1150. Bernhardus Comes urbem Lippiam condidiſſe fertur; ſed tẽpore Henrici Leonis monaſticum vitæ genus ſecutus eſt. Ex adverſo huic urbi ſitum eſt Lippeſtadiũ, cui abſolute Comi-

tes im-

tes imperant; magno ſumptu conditum, ſed nuper deſtructum. Urbs vero admodum commode in flu. Lippæ ſita eſt, commerciis variis & maximè ignis ad navium ædificationem aptis dedita, cuius cives admodum induſtrii & fortes habentur, ceu id hiſce annis ſuperioribus, ac quũ Dux Chriſtianus Brunſvicenſis eos ita defatigaret, ſatis demonſtrarunt. Hiſtoria adhuc recenti in memoria viget, unde merito odioſis ſupersedemus. Memini, quænam Lipſtadienſium tunc ad civitates Hanſeaticas querelæ fuerint, ceu *ſupra in ant. part. cap.* 18. attigimus paucorum indicatione, &c. Eſt alias quoque in Hungaria Caſtrum munitiſſimum Lippa, quod Anno 1614. Bethlehem Gabor pro commodo Turcæ vi occupavit, quod Ducem Tranſylvaniæ eum creaſſet.

Ad ſiniſtram vero ulterius partem, ſi verſus Hãmonam pergatur, inter Lippam & Ruram flumina 2. milliaribus à Lippia urbe diſtat Suſatum in Marchiæ Clivenſis Comitatu primaria urbs, quæ alias communiter Soſt vocatur, & poſt Monaſterium opulentiſſima ampliſſimaque eſt, decem populoſis diſtincta Parœciis. Primæva fundatione caſtrum ſeu Præfecturam fuiſſe perhibent, quæ in tantam paulatim urbem excreverit, ut tam ſpacioſa amplitudine reliquas ſocias urbes antecellat. Eſt ibi templum celeberrimum mirę quoq; magnitudinis, cum maximæ altitudinis turri, S. Patroclo ſacrum, quem tutelarem quaſi Divum agnoſcit. Volunt autem, Suſati appellationem inde natam, quod ob loci ſituſque opportunitatem, ædificiorum quid, ad caſtrum illud, ſemper acceſſerit, ut à cotidiano incremento Suſatum, quaſi Zuſatz ſit cognominatum. Complures pagos vicinos ſibi ſubditos occupat, olim præfecturas etiam minores, quas populari nunc lingua die Boerden indigitant, ſed inde maxime, quod fertiliſſima ſit tellus & perquam frugifera. Pertulit autem ex aliquot annis à morte Ducis Clivenſis hucuſque quamplurimas cum vicino Lipſtadio adverſitates, ut nõ ſolum militem præſidiarium nunc Electori Brandeb. nunc Belgis alere cogatur, ſed etiam Dux Chriſtianus Brunſvicenſis varius eam infeſtavit modis. Et doctos & bellicoſos procreavit viros, unde adhuc fœderis Hanſeatici corpori in honore eſt, & ſi quid ad vicinas urbes ſit fœderis nomine deferendum, aut communicandum reliquis, quod ad communem civitatum utilitatem ſpectet, quum propter difficultates varias diu non potuerint in Conventibus præſentes comparere, ad hãc urbem aut Lipſtadium maxime ſcribitur, & mens ipſis indicatur; ceu meminì etiam meis temporibus quidquam eſſe ante octo aut novem annos in Conventu Lubeccano obſervatum, quum manus militum expetereretur, &c.

Hammona, ſive Ham, ut vulgariter hodie vocatur, inde urbs Hanſeatica ſequitur, in Marchia Clevenſis Ducatus ad Lippæ flu. angulum, ubi rivum Dunckerum ex Borda Suſatenſi allabendo excipit, Monaſterienſis diœceſeos fines ſive terminos attingens. Commoditate optima Lippæ fluminis utitur uſque ad Veſaliam, quum terram fertiliſſimam una cum Suſato poſſideat; proinde etiam eadem iactata eſt fortuna cum dictis civitatibus ex obitu uſq; Ducis ſui Iohan. Wilhelmi Cliviæ, qui ultimus familiã eam clauſit maſculi nominis. Ex eo tempore præſidiarium militem nutrire coacta eſt. Diſtat autem tribus ſaltẽ miliaribus à Suſato, & ex adverſo ad Rhuram fluvium verſus ortum Frondenbergum oppidũ ſibi oppoſitum habet, cuĩ in proxima vicinia Hanſeatica tertia Marchiæ huius urbs Unna ad horulæ ſpacium adiacet, quando inde Dortmundam pergitur, ut ita Unna tertium angulum acutum efficiat reſpectu ſitus Hammonenſis & Suſatenſis ſociarum urbium. Quamvis hæc urbs in lato campo ſita ſit ita, ut Rhuram ſaltem ex interſtitio aliquo agnoſcat; tamen ante communem Marchiæ calamitatem non exiguis abundabat civium opibus, & maxime colebat veluti adhuc Fœdus Hanſeaticum, ut filiis ſuis ad negotiationes omnes aperiret ianuam, ceu gens ea aſſiduis ardet laboribus, nec facile ſudore confringitur, & arguta procreat ingenia, quę communi ſtudio optime coniunguntur, velut inde nomẽ ipſi impoſitum cenſetur ab aliis, quod Unitatem animorũ quaſi in Una intentione foveant. Attribus milliaribus ab Hammona diſtat.

Sic etiam Tremonia ſive Dortmũda hodie, olim Trotmannia appellata, in ampliſſimo Comitatu Marchiæ 2. milliaribus ab Unna, & quaſi intermedia inter Rhuram & Lippam fluv. ubi è regione Lunæum oppidum Lippæ incumbens ſpectat, diſtans ſita eſt. Annales, veterumque, quæ extant, monimẽta, declarant eo loci, ubi poſtea urbs Tremonenſis extructa eſt, duos olim pagos, veterem ſcilicet & novum extitiſſe, qui Imperium caſtri Trotmannorum intermedii ſequerentur.

Sub id vero tempus, quam Carolus Magn. haſce Provincias omnes ſubegiſſet, paulatimque oppidũ coaleſcere cœpiſſet, perſpecta ſoli ubertate ſituſque non vulgari præſtantia, Colonias non tantum ſuas huc deduxit; ſed etiam iure municipali donavit, & arcem regiam, ac Comitem ſeu Vicarium regium, qui Imperatoris nomine urbem & territorium vicinum gubernaret, in ea conſtituit. Ex qua veruſtatis memoria in agro ſuburbano, fertiliſſimo equidem loco poſita latifundia (quorum poſſeſſio à Comite poſtea in Senatũ translata eſt) Coninge-hofs-landt/ & cortes ſeu villæ iſtæ ampliſſimę per vicinos agros, ditioneſque circumiectæ Reichshoffen appellantur, quæ cenſus ſuos frumentorum ad aulam ibi regiam conferre tenebantur. Veluti etiam Rhenæ tale ſubſellium regium fuiſſe *Aventinus lib. 8.* notat, ubi Electores ſuum conventum celebrare ſolebãt de arduis deliberantes: quod tempore Ludovici 5. Imper. factum, ubi tale decretum pro auctoritate concluſum fuit quod Wormatiæ in Curia legitur:

Aſtra Deo nil maius habent, nil Cæſare terra:
Sic Cæſar terras, ut Deus aſtra regit.

Vid. Sax. Chron. Extinctis vero Caroli poſteris, ſub Saxonum imperio ab Hunnis graviter tota cum reliqua Germania, tum vero Tremoniẽſis etiam ager, Anno 937. adflictus eſt, in quo agmen illorum ad internecionem cæſum eſſe memorant. Appellatur enim in hodiernum diem, non modo rivus quidam, haud procul à porta aquilonari, in loco aquoſo, die Hunen-trãncke/ Hunnorum aquatio; ſed etiam ampliſſima Solitudo ab eadem porta aliquando remotior, die Streidthende/ Campus pugnæ, in quo aliquando graviter depugnatum eſſe, etiam oſſa & arma ibidem ſæpe tum ex terra effoſſa, tum in cavis arboribus reperta, oſtendunt. Tempore Ottonis I. belli cum fratribus inteſtini, Trotmanniæ. Ottoni deditæ, Witikindus meminit: & in Ludolphi filii ea Con-

Conradi generi adverſus Ottonẽ ſeditione, Drotmanni Ottonem An. 938. exercitum conſcripſiſſe, Regino annotavit. & in Comitiis Tremoniæ ab Heinrico II. Imp. celebratis, quæ ibi anno 1006. maxime propter luxum nimium clericorum indixerat, cœnobio Fuldano quædam prædia ademit, ubi ſimilis pœna aliis denunciata eſt. *Seth. Calv.* Meinwerco Epiſcopo tamen Padebornenſi, ditiones maternas tum attribuiſſe Imperatorem, Trotmundæ annales referunt. Sub Heinrico 4. ob Saxonum rebellionem graviter adflicta, deinceps vero recreata ſub Friderico Barbaroſſa Imperatore, qui aliquoties cõventus ibi iuris dicendi cauſa habuit, plane floruit. Poſtea creſcente vicinorum Comitum de Altena ſeu Marchiæ Weſtphalicæ potentia, diu cum illis colluctati, & incendio urbis triſtiſſimo anno 1197. languefacti fœdera cum iis tandem fecerunt.

Quum vero flamma ita illis omnia ædificia abſumpſiſſet, Imperatores Conſiſtorium hic dirimendis litibus per imperium eſſe voluerunt, & nundinas cum Privilegiis illis addixerunt, ædeſque extruxerunt. Poſtea vero Friderico 3. Archiep. 56. Colonienſi admodum mirabili, autore & Duce, & omnib⁹ vicinis Epiſcopis ac Comitibus eum iuvantibus graviſſimam & maxime diuturnam An. 1381. obſidionem totos viginti duos menſes civitas luſtinuit. Liberatam, civilis diſcordia, externo bello fere periculoſior excepit. Quę exacta inter cives viritim pro ſingulorum facultatibus Geometrica proportione pecunia, & diſſoluto ære alieno, & plebeiis etiam in Senatum qui totus ex nobilibus antea conſtabat, lectis, Anno 1400. ſedata eſt. Deinceps cum vicinis Mariæ & Cliviæ Comitibus ac Ducibus ſecutis, pacem ac fœdera certa hucuſque ſervarunt: immediate tamen Imperatorum Rom. Patrocinio ſubiecti, à quibus privilegia anteceſſorum, Friderici II. Ludovici Bavari, & Caroli IV. de ſententiis rerum controverſarum inde à tota vicinia petendis: vocatio militiæ, extra urbem ſuſcipiendæ: immunitas vectigalium exactionumque aliarum in toto imperio, & iuriſdictio ac prædia, quæ Comites antiquitus habuerunt, partim ante 250. annos ex donationis gratia partim poſtea emptionis titulo ad ſe translata confirmata ſunt ab Imp. Maximil. Anno 1504. Item à Car. V. An. 1520. Collegium Canonicorum in urbe primum Carolus Magnus D. Pantaleoni conſecravit: quod à filio & nepote Ludovico abſolutum, poſtea Coloniam traduxit Hanno areh. & D. Marię ad gradus appellavit. Senatus igitur ſupradicto modo per urbem & Comitatum cum plena gladii poteſtate, quam Iohannes Steckius ex parte in eum quoque contulerat, utitur, Prætorem Urbanum dirimendis litibus ipſe conſtituit, cæteraque diſponit, quæ liberæ civitates optimo iure diſponere ſolent. Sic etiam cum auctoritate fœderi Hanſeatico nomen pridem dedere & conſervarunt hactenus, licet variis ex bello vicino incommoditatibus obnoxia fuerit. Ac ut prudentiam ſuam eo clarius demonſtrarent, An. 1543. Gymnaſium diſciplinis liberalibus aperuerunt, cui tanquam primum Rectorem Ioh. Lambachium I. V. D. præfecerunt, qui per 40. prope annos laudabiliter officio eo functus eſt; Succeſſorem quoque ei fecerunt Frider. Beuthuſium optimum diſciplinæ Ramææ reſtauratorem, ex cuius informatione prodiere hinc plurima clariſſima ingenia: velut ego incredibilis eruditionis Theologũ Caſparem Pfaffradium p. m. inde emergentem vidi, & in Acad. Iulia Collegam habui, de quo hoc affirmare auſim, quod doctiorem tunc nuſpiam deprehenderim, nec forte in eo genere videbit unquam Guelphia tota. Sed vir optimus hoc paſſus eſt infortunium, quod propter ſectationem Ramææam maleferiati & inglorii illi Stagirenſes, falſæque terminiſticæque Philoſophiæ (ſi tale nomen illis applicandum venit) Patroni hunc ſemper peſſime perſecuti fuerint, præſertim quum ipſe Sanctius Verbum Dei ſub captivatione cœcæ rationis percolendum in fidei cœleſtis conceptu alio & prorſus divino doceret: unde ex ægrimonia animi nimia non potuit ea perficere, quę optarat. Nihilominus iniquiſſime eius & optimi Hoffmanni ſcripta eruditiſſima à malevolis intercepta ſupprimuntur; forte ut inde ſuis nominibus aliquando poſtea compareãt falſam & mutuatitiam alicuius fuci gloriam, alienoque affulgeant orbi vultu clari, ceu plures novi, atque Politices magnæ aliquem D. H. A. ſcriptorem aut compilatorem, qui eodem modo ſe alienis plumis magnum venditat. At Optimus Pfaffradius noſter An. 1622. in Febr. Helmæſtadii diem ſuum obiit, cuius tortores quoq; ſuum aliquando, quod tam divinum ingenium contra fas ex mera malitia iuventuti inviderint, ſentient Dei iuſtum iudicium: cui inter alia hoc compoſuit diſtichon, dolore nimio confuſus, quum plura non poſſet:

Pfaffradio ſimilem non unquam Iulia cernet:
Tantus vir Fidei cognitione fuit.

Ultima tandem his in oris urbs Hanſeatica eſt Coſfeldia, 6. milliaribus à Monaſterio abiuncta, in planitieque ibi ſita, ubi Dulgibini ut à Tacito vocantur, aut Dulgumnii Ptol. ad fluvium Lippam, ſedem ſuam, unde Dulmena adhuc oppidum illud cum hoc nomine ſupereſt, habuerunt. Aliquot rivi & alveoli ibi ad poſitum huius urbis confluunt, ut ibi originẽ veram & vigorem ſuum accipiat fluvius Berckela, inde ad Statlohiam decurrens, ubi nuper An. 1525. Sereniſſimus Dux belli General. Iohan. Tærsclaes Com. de Tylli Duci Chriſtiano Brunſv. ſuum exquiſite potentem obruit & penitus diſſipavit ita exercitum, ut nunquam vires belli rite recuperare poterit. Iehovę quis non in parentũ filiis ſentiat manũ?

Sed hæc de enumeratione urbium Hanſeaticarũ particulari ſufficiant. Ubi hoc in genere notandum, quod quidem plures ſint, quæ non amplius frequentant conventum Hanſæ; attamen invitantur ſæpius, & præcipuis in Weſtphalia Belgioque communicantur urbibus neceſſaria, quæ ad communem huius antiquiſſimi fœderis ſtatum faciunt, ut inde ad alias deferantur minores, uti mox infra patebit. Namque nunc ad Corporis univerſi Hanſeatici diſtributionem, & hinc ad aurea eiuſdem vincula, & demum Emporia, & neceſſarias quæſtionum informationes, quæ iam ſequentur, properamus.

CAP. VIII.

De Ampliſſimi & ita diffuſi Corporis Hanſeatici diviſione, deque cuiuſque partis aut regionis Metropoli.

HActenus in explicatione Societatis Hanſeaticæ, ut rem à capite iuſto arceſſeremus, (quã tot plurimis ſe paſſim politici ſcriptis ſuis involvant

volvant perplexitatum erroribus) iura ſocietatis, libertatis, differentiam Reipublicæ & Fœderis, quęque pactorum inde profluant conditiones, ac originem Hanſæ, eiuſque conſociationis nobilis, civitatum & urbium connexiones, fœderis huius intentionem primariam, cum hiſtorica deductione quadam, in plena enumeratione Urbium & Rerumpubl. nec non effectu principali, & fundamento ex parte, cui ſuperinſtructa eſt tam vaſta moles, perluſtravimus non ſine debita circumſpectione aut actionum examine. Reſtat igitur, quum univerſitas corporis huius nondum ad umbilicum deducta ſit, ut paucis ulterius nunc abſolvamus, quis modus in applicandis mediis obſervetur, & quibus virtutibus aut pactis tanta tamque diuturna confœderatio in ſuo vigore ſit uſque vivide conſervata. Modus autem iſte, quum in diſtributione membrorum eorumque divitione conſiſtat, de ea ante omnia nunc agendum erit. Namque dum iam conſtat ſatis, quã diffuſiſſime per plures regiones ſe hoc corpus extendat, neceſſe eſt etiam, ut noſcatur, quo loco unumquodque eius membrum ſit habendum.

Quippe ipſa natura hoc docet, quod nihil ſine vero & ſolido poſſit cohærere aut regi ordine. Etenim ordo non tantum eſt modus entium, ut *Bald.* habet *in prin. ff num.* 4. ſed etiam animam cuiuſque rei repræſentat, *Corraſ. de art. inv. part.* 1. *cap.* 16. ut ordo talis modus ſit efficax, ſine quo nihil agi recte queat, ait *Marant. in proœm. ſpecul. num.* 3. Imo ordo ſi non ſerveturr, quando pro forma rei eſt, actus omnis omnino corruit, *c. cum dilecta, de reſcript.* Nam in qualibet re & actione etiam minutiſſima ſuus recte ordo quidvis perficiendi requiritur. Unde & duplex ordo temporis & naturæ haut inconſiderate à ICtis ſtatuitur. *Bald. l. quotues volens, §. ſi quis, num. ff. de hæred. inſtit.* Aſt ſicut ordo naturæ eſt, ut maiori ſerviat minor, *laſ. l. cum quid num.* 43. *ff. ſi cert. pet.* ita tempus in motu ſucceſſionem attendit, ne quid in confuſionem inordinate præcipiteur, qua nihil horribilius poteſt fingi, quum *ἀταξία* confuſionem pariat, & hæc rurſus genitrix ſit præſentiſſimæ pernicieí aut ruinæ.

Ordine enim deſtructo, deſtruitur omne ordinabile, ait *Menoch. conſ.* 172. *num* 2. quum nihil durabile abſque ordine dari poſſit: velut etiam ipſe Iehova totius univerſi conſtitutionem ita harmonice compoſuit, ut ordinis diſpoſitio temporis & rerum confuſionem prohibeat, ne in ruinam ſui impetum perverſum faciat. Proinde *D. Nazianz. orat.* 5. recte loquitur, dicens: Non eſt diſſenſionis & confuſionis Deus, ſed pacis & ordinis. Sic & *Chryſoſt. homil.* 37. *in* 1. *ad Corinth.* 1. eſt verbum: Nihil æque ædificat, ut ordo rectus, ut Pax, ut Charitas: ſicut etiam contraria diruunt. Non ſolum autem in Spiritibus; ſed etiam in aliis omnibus hoc videtis. Nam ſive in choro, ſive in navigio, ſive in curru, ſive in caſtris ordinem confundas; & maioribus ſuo loco eiectis, in illorum ordinem minora induxeris; omnia corrumpis, & ſic, quæ ſunt ſupra, fiunt infra, &c.

Proinde pro evitanda corruptione tali aut confuſione potius, iubet *Paul.* 1. *Cor.* 14. *v.* 40. ut omnia fiant ſecundum ordinem decenter; quum etiam plurium ſermo auditum ipſum obruat. Enimvero, ait *Themiſt. in orat.* 16. Ordo imbecillitatis indicium non eſt, ſed à naturæ omnis mutatione, ac perturbat vacua: & quanto regia vis illa propius ab univerſitate, tanto magis ordine perfruitur. Tumultus autem & motus & agitatio, in minima parte eius, quod revera eſt, locum habet:

Ordine nam quod fit, cedit ſimul ordine iuſto:
Ordine ſi faciat, perages cuncta ordine cæpto.

Non autem ita heic in confœderationis ſermone hoc ordinem accipio, ut Politici de Republ. loquẽtes id faciunt; ubi dignitatis certæ ſtatum certum ſubmiſcere eidemque adiicere ſolent; velut etiam neceſſum eſt, ut inferior ibi in Republ. à ſuperioris nutu dependeat; & inde leges accipiat ſuas, quum non aliter inter imperantem & obedientem aut parentem concentus harmonicus conſervari queat, niſi totam perturbare aut ſubvertere velis Rempublicam. Etenim *ſupra ex part.* 2. ubi de fœderibus actum eſt, ſatis conſtat, quomodo vim potentiamque omnem in caput ſuum tota maſſa corporis politici congeſſerit, & quantum diſcrimen inde interſit inter Rempubl. & Corporis talis fœderati conſtitutionem, quod ex pactis fœderis & eorum compoſitione coaleſcit. In Republica quippe Ordines pro officiorum regentium aut parentium dignitate diſtribuuntur ſecundum gradus, ut temperies in imperando & parendo quædam inde enaſcatur: At in fœdere nullatenus hoc permittitur, quum ſtatim è veſtigio naturæ eſſentiam ſuæ exuat & amittat, ſimulac paritatis æqualitas quæ in tali ſocietate requiritur, ipſi ſubducatur, & aliquis ſuperioritatis ius ſibi arrogare velit. Etenim ubi omnes ſunt ſocii, ibi ſingulis quoque idem ius libertatis & æqualitatis in conditione pari manet, quod non ſit in Republ. quum ibi corporis politici ratio plane diſſimilis ſit, & protenus ordinum diverſitatem inæqualem cõficiat, iuxta ſtatuum conditiones, quæ huic vel illi maiorem dignitatis auctoritatiſque honorem augent, aut imminuunt, iuxta legum aut gratiæ beneficiique præſcriptionem, quæ cuivis in officio ſuo proprio adiicitur, aut cum privilegio aſſignatur. Veluti exemplum à principio tractatus huius Generalis in Imperio Romano introductum id ſatis demonſtrat, in quo potiſſimum quatuor principalia membra ſive ſumma, præter Imperatorem, culmina Imperialis huius Reipubl. dantur: quæ omnes ita ſe invicem reſpiciunt, ut alterum alterius miniſterio innitatur, unde & à multis ſeculis ſolide ſic coaluit. Quorum ſi alterum membrum nimis intumeſcat, ait *Clap. in lib. 6 c. 19. de Arc. R.* vel potentia, vel militari re, dubium mihi non eſt, quin detrimentum capiat Reſpubl.

Quare inprimis opera danda eſt, ne hæc membra invicem à ſe alienentur, neve alterutrum nimis opprimatur: veluti Gracchus ille depreſſo Senatorio ordine, & nimis exaggeratis reliquis, primum Rempubl. Romanam perculit. Coaluit enim hæc compages, veluti de Romana Republ. Tacitus affirmat, aliquot annorum fortuna & diſciplina, quæ convelli ſine convellentium exitio prorſus non poteſt. Quare permagni intereſt, Imperii huius unum caput eſſe: quo amputato, quod clementiſſimus Iehova avertat, quid aliud, quam bella omnium inter ſe membrorum exiſtent? ut quondam dixit Romanus Dux. Quo etiam conſilio cautum

tum eſt, ne quis externus ad Imperiũ evehatur. Hic enim potentia externa fretus, & conſortii impatiens, facile libertatem Germaniæ peſſumdabit, &c. Verum iam, ait *Heid. in Pol. cap. 7 pag.* 1024. in Imperio noſtro prudentiſſima Ordinum temperies multis modis violatur: Principes & Nobilitas Civitates liberas & populum deprimunt, & paucularum familiarum opulentia reliquas ad maiora adſpirare nõ patiuntur, quæ res maximas datura turbas videtur, &c. Sed morbus hic ingraveſcens bonis conſiliorũ medicamentis facile diverti poterit, modo ſanctus non reſpuatur medicus Iehova, & pœnitenti corde vitia depurgemus affectuũ, ut ſic ſanctiores in Chriſto per ductum ſacrum Spiritus Dei, ad Iehovam revertamur Patrem clementiſſimum, qui neminem filiorum reſpuit, ſi ſaltem rite ex verbi ſui norma, rejectis pravis animi opinionibus, ſecũ reſipiſcat. *Strabus ſerm.* 43. de Republ. dicit, univerſam Rempubl. in tres ordines diviſam eſſe; & unũ quidem eſſe bonorum ordinem, publica negotia gubernantium: alterum ex viris robuſtis conſtare; tertium ex illis, qui res neceſſarias explent, & ſuppeditant. Nomino autem, inquit, primum quidem ordinem, conſiliariũ: Secundum, auxiliarem: tertium, mechanicum. Et priores duos proprios eſſe dicimus vitam liberam degentium: tertium vero, victum labore quærentiũ. Ac Conſiliarium quidem optimum eſſe: mechanicum, deteriorem: auxiliarem medium. Item Conſiliarium imperare oportet, mechanicum parere: auxiliarem vero utrumque. Conſiliarius enim, quid agendum ſit, conſiliis præfinit, &c. Cæterum ſinguli, inquit, trium iſtorum ordinum denuo in tres alios ſubdividuntur. Conſilii enim quædam pars eſt primaria, alia rectoria, alia Senatoria, vel in commune conſulens, &c. Ita apparet, quomodo in Republ. bene inſtituta ordo dignitatis cum gradu ſuam exerat facultatem, & quod talis æqualitas, quæ in Societatis Cõfœderatæ corpore requiritur, eidẽ prorſus non competere valeat, niſi monſtrum quoddam triforme quis per metamorphoſin profundere velit, & procreare Holopolii aut Ochlochorii congeſtionem ſive abortum non vereatur: velut hodie ſunt, quos non pudeat eiuſmodi defendere portenta in Univerſitate Politica; quum tamen verum corpus Politicum abſque eius legitima forma, quã Reſpubl. determinando inducit, non poſſit dare. Etenim illud corpus, quod ex Confœderatione aut Fœderũ pactis compingitur, non poteſt vere corpus Politicum, niſi per analogiam vocari, quum ſaltem umbrã ſive σκίασμα alterius referat. Atque quum æmulationes multas in ſe contineat, & velut oppoſitionis naturam, qua alteri frænum aut habenas iniicere ut plurimum ſtudet; propterea quoque adeo odio habetur vero Rerumpubl. corpori, ut inde in omnibus regnis prope prohibeatur, velut etiam *totus titul. in iure noſtri Imperii Rom. de Colleg. & Corp. & Aur. Bull. Car. IV. tit.* 15. edit. An. 1356. inde clarus habetur, & frequenter inter ICtos agitatur quæſtio inter alias, an Fœdus Hanſeaticum ſit licitum, ut infra *ex Matth. Steph. lib.* 2. *p.* 2. *cap.* 3. *de iuriſd.* pluribus patebit. Abſurde igitur omnes, imo & pluſquam abſurde faciunt, qui ex confœderatorum Holopoliis aut Ochlochoriis Confœderatorum Reſpubl. confingere audent, & tali titulo ea venditare procacius. Certe illi demõſtrant egregie, & non obſcurum ſpecimen ſuæ ignorantiæ produnt, in quantis rerum Politicarum hæreant tenebris adeo, ut ne quidem prima principia fundamentalia intelligant; dum hoc manifeſte oſtẽdunt de ſe, quod nondum diſcrimen vel minutiſſimum, & quid inter Rempubl. atque Fœderis adumbratile corpus interſit, agnoverunt. Hanſeatici vero Fœderis antiquiſſimi membra & Reſpubl. ſive civitates tantam arrogantiam ſibi nullatenus vendicant: ideoque ordines tales, quæ ſuperioritatem aliquam important, prorſus à ſeſe excludunt; & ſolummodo, propter æqualitatem ſaltem ſocii inter ſeſe fratreſve dici volunt. Atque hæc eſt potiſſima ratio, quur tam diu hoc fœdus tamque firmiter conglutinatum cohærere & tot ſecula exuperare potuerit, præſertim cum finis fœderis huius videlicet cõmerciorum uſus, iuſtis decretis æqualiter inter omnia membra diviſus eſſet, & conſervaretur communicatus ſingulis. Et licet interdum fuerint, qui ebullire altius, & aliquid potentiæ ſuper alias Sociorum Reſpubl. extendere ſtuduerint, velut ex hactenus indyctis facile apparere, diligentius examinanti talia, queat; ut ſæpius hoc nobile corpus Confœderatum paroxyſmis non levibus nec citra iacturã ruinæ ſubiectum fuerit; tamen prudentiores ſocii, in quibus ſe Lubeccenſium circumſpectio cum vigilantia, præ cæteris, maxime excellens oſtentavit, omni conatu medelam iuſtam adhibere ſtuduerunt, ut reſarciri aut reſtitui ſuo quodammodo vigori potuerit.

Quapropter, dum Ordinis mentionem heic inſerimus, haut eius πάσης acceptionem volumus aut intendimus, quem *S. Script. ad Rom.* 3. *v.* 1. *& Tit.* 3. *v.* 1. *& 1. Pet.* 2. *v.* 13. ordinem Politicum, indigetat: Sed nudam ſaltem diſpoſitionem, quæ pro vitanda confuſione adhibetur, & diatheſin determinat quandã, ut communis & uſitatus mos id ferat loquendi, velut etiam *Cic. de Orat.* vult quod talis ordo & diſpoſitio argumentorum in orationibus perſuaſoriis debeat obſervari. Unde etiam 1. *Off. n.* 142. ſic hunc definit modum ſeriei, dicens: Nam & ordinem ſic definiunt, compoſitionem rerum aptis & accommodatis locis, &c. atque ibidem εὐταξίαν appellat in qua intelligatur Ordinis conſervatio: & ibidem: Itaque videtur eadem vis ordinis & collationis fore. 2. *de Orat.* Ordo eſt, qui memoriæ maxime lumen affert. ſic & 1. *de Orat.* Inventa decet non ſolum ordine, ſed etiam momento quodam & iudicio diſponere. Ita *de Clar. Orat.* ait: Sed ordinem ſequens, in memoriam notam & æqualem neceſſario incurro, &c. Nõ enim alia ratione quid heic in corpore conſociationis fœderatæ accipi debet, quam ne quid prorumperet, indeque quid inæqualitatis inferat ſociis. Unde & merito *in Parad.* 3. dicit Cic. Quicquid peccat, perturbatione peccatur rationis & ordinis: velut etiam domeſtica ordine adminiſtrari affirmat: *lib.* 10. *Epiſt.* 6. *ad Att.* quum nihil ſit pulchrius in omni actione vitæ, diſpoſitione atque ordine. *Oecon.* 1. Cœli quoque ſignorum admirabilem Ordinem, inſatiabilemque pulchritudinem magis ſpectant. *Cic. in Hort.* Sic etiam omnium, quæ fiunt, quæque dicuntur, ordo ac modus adeſſe debet. 1. *off.* His enim rebus, quæ tractantur in vita, modum quendam adhibentes & ordinem, honeſtatem & decus conſervabimus, inquit *ibid.* 1. *off.* Unde negat quoque, in Conſiliorum conceſſu, quæquam uni extra ordinem decerni, *in Orat. pro Domo ſua,*

ſed

ſed potius hoc laudat recte fieri, ſi ætatis obſervantia accedet, quum prudentiæ vis ex rerum experientia maxime efficax profluat; ceu dicit; Vt quiſque ætate antecedebat, ita ſententiam dicebat ex ordine. In Vatin.

Proinde in confœderato corpore talis diſtributio unice obſervari & retineri debet, quæ æqualitatis diſpoſitionem in ordine ſuo conſerver. Hoc etiam, nec aliud quid vult civitatum ſive Rerumpubl. Hanſeaticarum diviſio, quæ exinde non una, ſed triplex, imo quadruplex, celebratur & habetur. Etenim primo, quum reſpectum ad Romano-Germanicum Imperium, in quo etiam ſedis fundamentum repetitur, maxime referat, dividuntur eius membra in civitates, quæ vel in Imperio vel extra Imperium ſint ſitæ. Alias vero prope omnes priſcis illis temporibus, priuſquam tot vicinis provinciis exueretur Germania, exceptis locis Emporiorum, continebantur Imperio, uti ex ſuperius relatis facile colligitur. Sed nunc, quum tot bellorum calamitatibus coarctati ſint fines, extra Imperii terminos in provinciis ſubductis ſitæ civitates ab iis ita diſtinguuntur, quæ Germaniæ Imperio incluſæ adhuc ſunt. Secundo, reſpectu originarii contractus, quo, in plenius Reſpublicæ civitatum corpus confœderatum hoc, coivere, aliæ civitates in ipſo conventu Hanſeatico vocantur Vandalicæ, Die Wendiſche Städte/ aliæ Extra aut Ultra Vandalienſes, Die Oberwendiſche; uti à potiori completione hujus confœderationis diviſio hæc orta ex parte videatur. Namque alias quoque heic ſubeſt alia huius diviſionis ratio, quali ex officio ſubmixto orta ſit, quod ex litteris Lubeccenſium patet, ſub dato, *Anno* 1614. *ad Senat. Magd. dat.* 29. *Febr.* quibus inferebantur hæc formalia: *Celare veſt. bon. Pr. non poſſumus, quod pridem in effluxo tempore, ante aliquot menſes ex more antiquo cum reliquis Vandalicis civitatibus hac communicaverimus, ut conſilio ſuo nobis ſuggererent; Num hoc tempore conduceret, & neceſſitas talis eſſet, ut communis Hanſæ conventus, atque ſecundum ordinationem priſcam, prius conventus Vandalicus, inſtitueretur & convocatio talis fieret? &c.* Ex quibus verbis manifeſte apparet, quod diſtinctio hæc ex ipſo uſu & praxi antiqua deſumpta fuerit, quam etiã adhuc ſtricte obſervant. Sed tamen ex hiſtoriis ſupra in parte antecedenti illatis, ſicut etiam ex documentis, præſertim Ottonis Ruffi Imperat. aliiſque, quæ vidi olim, & quorum copia in hac mutatione rerum adempta mihi eſt, conſtat, quod fœderis huius auctores omnium primi maxime Saxones tunc fuerint, quum antiquiſſima urbs Bardovicum, ab Henrico Leone circa Annum Chr. 1189. poſtquam 2179. annos ſtetiſſet, eſſet diruta.

Etenim civitates Saxoniæ ita arcte tam in commerciis, quam in mutua defenſione propter varias incurſiones confœderatæ cohærebant, ut etiam hoc modo omnes infeſtationes vel à ſe propellerent, aut hoſtes finitimos pedetentim ſingulari quaſi hoc artificio ſubiugarent, imo etiam penitus enervarent. Sicuti veſtigia in ſuppreſſione Sclavorum ſat luculẽta adhuc hodie id teſtantur, quam artificioſe fœdere collegiorum omnia ipſis ſubtraxerint commercia, & prorſus à communitate & communicatione ſua excluſerint. Quemadmodum etiam civitates omnes, quæ ſe adhuc Vandalicas dici amant, nihil amplius ab antiquo uſque Vandalici ſanguinis habent, ſed omnes Saxones ſuis compleverunt commerciis & negotiationibus, etiam tunc quum illis temporibus nondum Bardovicum eſſet perditum aut extinctum. Quippe hæc urbs principalis unica erat ferme totius Saxoniæ, cui poſtea adiiciebatur Magdeburgum Metropoleos titulo, ut id conſtat ex Privilegio eiuſdem Imperat. circa finem part. 2. producto, in quo eadem iura & Privilegia in commerciis attribuuntur, quæ habuere Moguntia, Colonia, & Tiela Batavia ad Rhenum. Verba hæc non fruſtra ſunt poſita, ſed eam habẽt emphaſin, quæ vix longo hiſtorię tractu poſſent definiri. Fœdus autem Hanſæ Anno 1169. ita fuit abſolutum, ut eandem fere nativitatem cũ urbe Roſtochienſi agnoſcat, quod ſupra aliquoties indicavimus, ut ita præ cunctis ad veritatem maxime collimet *Matth. Steph. lib. 2. part. 2. cap. 3. de Iuriſdictione*, qui eius Originem ad Annum Chriſti 1170. refert, quum alii fruſtra tantopere de origine fœderis huius diſputent.

Tertia vero civitatum & Rerumpubl. Hanſeaticarum diviſio ex Fœderis Hanſeatici quidem prima compoſitione prodire videtur; ſed tamen magis plagas mundi aut ſitus attingit, uti inde non minus in hiſtoriis *& Chron. Colon. Friſiæ, Belg.* & aliis uſitata ſic habetur: Velut etiam in Belgio talis locutio huius diſtinctionis, qua aliæ civitates Hanſæ Orientales, aliæ fœderis Occidentalis dicuntur ab iis, qui penitius antiquitatem Hanſæ examinare ſecum noſcunt. Namque *cap.* 1. huius tract. indicatum eſt, quod hæ civitates maris Occidentalis maxime cum Colonia coluerint peculiare fœdus, quibus incurſus crebertimus Normannorum in Rhenum fluv. hanc neceſſitatem impoſuerat, ut ita ſua commercia & negotiationes contra eorum hoſtilitates ſalvarent. Poſtea quum viderent, quod Orientales confœderatæ urbes Hanſæ Normannos mercibus Germanicis & rebus neceſſariis, quas ubertim navigationibus ſuppeditabant Norvegiæ, penitus in ſuam pertraxiſſent devotionem, per Coloniam maxime ſe iis adſociarunt, ut tutiores exercere poſſent mercatus. Unde diviſio hæc in uſu manſit, & continet plaga Orientalis Metropoles cum ſuis ſubordinatis civitatibus & Rebuſpublicis, veluti ſunt Lubecca, Brunſviga, & Dantiſcum ſive Gdanum, ut alii volunt, quibus annexa hæret Stockholmia in Suecia, ut infra monebimus: plaga vero Occidentalis complectitur Coloniam cũ ſuis ſociis; inter quas Tremonia, Monaſt. Noviomagum & Davantria adhuc primas tenent, quamvis olim Tiela non minoris fuerit cenſuræ, quoad priſca privilegia Imperii.

Quarta diſtinctio ſumitur à plagis particulatioribus, quibus univerſa Hanſa Teutonica, quæ à maris Finnici ultimo receſſu, per Balticum & Septentrionale ac Germanicum mare rurſus ad Flandriam & Rheni interiores partes extenditur, in quatuor regiones dividitur, unde & unicuique quaſi ex pactis confœderationis aliquod ius ſpeciale Metropolitanum adſignare voluerunt, quod cuivis regioni Hanſeaticæ ſuum determinaret circuitum aut circulum, quos Quartier inter ſe vocant inde, quum totum corpus Hanſæ in quatuor partes principaliores diſtribuerint, uti eſt Quartierum Lubeccenſe, Colonienſe, Brunſvicenſe, & Dantiſcanum, quod Bertius non adeo congrue, citra experientiam negotii, & uſum commodum, Boruſſicum vocat. Non enim

enim Dantiſcanum Boruſſiam tantum, ſed etiam Polonicum & Livonicum tractum, aut eorum potius civitates aliquot in commerciis concernit.

Inter Metropoles autem tales Lubeccæ itetum munus principale attributum eſt, ut quaſi caput univerſi corporis huius referat, quod rectius ex ſequentibus patebit, uti paucis nunc de cuiuſque officio agendum nobis erit, quod pro bono publico promovendo totius ſocietatis Hanſeaticæ, ex communi placito quatuor civitatibus iam dictis oblatum eſt.

CAP. IX.

De officio proprio Metropolitanarum urbium & Rerumpubl. apud Hanſam extra conventum earum publicum.

QUum tam vaſtum ſit Hanſæ corpus, & tã ampla huius ſocietatis publicæ negotiatio aut commercia eius, ut communicatione feſtina interdum ſit opus; & naturæ conſervandæ ratio, & ipſa neceſſitas confœderatis hoc impoſuit, ut modum connexionis tam lõge inter ſeſe diſſitis Rebuſpubl. convenienter accõmodatum confingerent. Nec tamen ullius fœderis ratio admittit, ut ulla in parte quid regiminis, vel ſaltem ſpeciem eius aliquam attribuere aut vendicare poſſit. Ideoque neceſſum fuit, ut ante omnia in ipſa diatheſi quoddam caput conſtituerent, ex cuius commoditate omnes fructum correſpondentiæ quã citiſſimum percipere & haurire ſibi poſſent, quodque eſſet aptiſſimum ad conventus ordinarios annuales & extraordinarios ibidem pro rerum uſu cõmuni, debite celebrandos. Quum vero bene diſpexiſſet locos & qualitates civitatum, convenientiorẽ urbem non potuere inventu aſſequi præter Lubeccam, quam ex plena conſenſione caput totius Hanſeatici Corporis & fœderis unanimiter conſtituerunt, tum ob ſitum loci, quem quaſi in medio ferme habet, tum reſpectu civitatum ad mare Balticum tã iuxta Sueciam, Daniam, Livoniam, Boruſſiam, &c. quam occidentales & interiores partes Germaniæ, tum ob urbis civiumq; potentiam & privilegia Imperialia, & quod ex locis Imperialibus acta ac quælibet poſtulationes aut diſpoſitiones, nec non quidquid rerum uſus expeteret ſibi, poſſent huc traduci, & inde ordinationes cunctæ eo melius diſtribui. Ideoque in urbem non ſolum modo archiva omnia ſocietatis univerſæ Hanſeaticæ; ſed etiam ius convocandi, & gravamina, monitiones, & cautiones recipiendi contulerunt, ita tamen, ut cum proximis civitatibus Brema, Hamburgo, Wiſmaria, & Lunæburgo, quoties neceſſitas id poſceret, communicationem prius inſtituerent, & materiam in ſingulis conventibus ſecum examinarent, prædeliberarent, & rite pro faciliori expeditione omnium reliquarum civitatum diſponerent; in quem finem quoque ibi ærarium publicum ex annuis contributionibus iuxta cuiuſque civitatis Hanſeaticæ conditionem proportionabiliter inſtituerunt, ut infra patebit. Atque ut ordine omnia fieri poſſint, rebus gerendis Actuarium deſtinarunt peculiarem, cui Syndici Hanſeatici nomen propterea, (non ut ſingulis ius diceret, uti loquitur *gl. l. 1. ff. quod cuiuſque Vniv. nom. cap. 1. extr. de Syndic.* ſed ut vices Univerſitatis vel collegialis corporis ſuſtineret, iuxta *Spec. de act. ab univerſ.* & quaſi procuratoris vice fungeretur, *Spec. de reſt. in integ. §. quin autem. V. prælatus*) impoſuerunt: Velut talis Syndicus & actor dici & ſimiliter procurator valet. *Angel. §. fin. Inſt. de Curat.* Et quum fas ſit, ut Syndicus conſtituatur à Collegio collegialiter, non ſeparatim à ſingulis, *Spec. de Synd. ubi Bald.* proinde haut id cõpetit Lubeccenſibus, ut aliquem ordinare velint ſine conſenſu ſociorum; nec id expetunt, quod ipſe vidi, quod toties materia hæc de novo Syndico eligẽdo poſt obitum Domanni Anno 1619. & ſequentibus annis fuerit propoſita. Sed ita convenit inter Lubeccenſes & ſocios confœderatos, ut in Lubeccenſi urbe habitet liber honeſto cum ſalario, quod ipſi ex ærario Hanſeatico, cui præſunt Lubeccenſes, quotannis portrigitur, ceu memini Domanno 800. Imperiales præter accidentia, quæ ſalarium ferme exuperant, ſolutos eſſe. Etenim quoties celebratur conventus, pro receſſu & labore exantlato, tunc quælibet civitas 5. aut 6. recompenſationis ergo ipſi ex antiqua conſuetudine ſolvere tenetur. Sic & Lubeccenſibus defertur ut plurimum hoc, ſi quædam Legatio ſit ad exteros Reges & Principes, aut etiam ipſum Imperatorem mittenda; ſed id non perficitur, niſi prius ſit decretum in publico conſeſſu. Et quum nullæ litteræ neque ulla commiſſio confici queat ſine ſigillo, Lubeccenſes tamen liberum Imperii Statum inter urbes Imperiales repræſentent, & in clypeo urbis Aquilam ab Imperatore Romano geſtẽt, ideo Corpus hoc Hanſæ non tantum eius fidei ſe ita committit, ut Urbis huius ſigillo utantur; ſed etiam putant, quod hac ratione auctoritas talis Imperii maxime confirmet auctoritatem Hanſæ ſuæ.

Stilus autem ſubſcriptionis qui nam ſit, id poſtea patebit, ubi de ſolemnitatibus conventuũ agemus. Inprimis autẽ loco Directorii hoc incumbit, quod ſi forte gravamina commercii in Germania aut extra Germ. naſcantur, & ſi alicui civitati hoc innoteſcat, atque ea, ſit quæcunque in Confœderatione velit, etiamſi ſit minima, aut civium quiſpiam earũ, de communi onere aut gravamine indicium faciat Lubeccenſibus, aut Syndico Societatis Hanſeaticæ, protenus teneantur Directores non ſaltem ad materiam deliberandam id referre; ſed etiam cum vicinis civitatibus iis de cauſſis communicationem inter ſe inſtituere. Ubi ſimul conceſſum eſt illis, media diſpicere, quibus eiuſmodi infeſtationibus poſſit ſuccurri: verum non amplius competit illis quid, niſi ut inter ſeſe talibus de rebus agitent prædeliberationes, & tamen omnia ad commune placitum dirigant: velut tunc quoque id diſpiciunt, qua maturitate Conventus ſit procurandus, & quibus curis ſupplenda ea, quæ ad diſpoſitionem faciant expeditiorem. Si quoque res ſit, quæ periculum moræ importet, aut ſi quid in loco Directorii petatur, ad q reſpondendum inevitabiliter veniat, ne vero tũ quid damni Societas Hanſæ ſubeat, vel auctoritas eius alicubi vacilleꝛ, in talibus & ſimilibus caſibus licitum eſt Directorio quid ad talia reſpondere, ſed non niſi in genere, & quod non tantum ſint promoturi cauſſam; ſed etiam reliqua præſtare velint, quæ ad fidem & diligentiam faciant, &c. Interim tamen officii ratio quoque hoc exigit, ut ſtatim copiam reſponſi Directorii ad principales mittãt Civitates; quod ſedulo iis temporibus, quouſque membrum egi, obſervatum

vatum & laudabiliter à Dnn. Directoribus præſtitum ſemper memini. Etenim hiſce annis intricatiſſimis & difficillimis rerum, quibus tot accidere perplexitates adeo, ut tota Europa ferme miris & ſtupendis belli crudelitatibus & turbis implicata, & non procul uſque ad ruinam diſtracta fuit, variarum Legationum recurſus ad Hanſæ corpus inclutum facti ſunt, ut ſæpius uno tempore adverſantium partium ſollicitationes diſſimiles & contrariæ adfuerint.

Quæ involutiones non caruere conſiliis & expeditionibus cautiſſimis, ſicuti Lubeccēſes certe quoque in omnibus prudentiam ſingularem ſuam demonſtrarunt, quod nemo abnegare poterit, cui ſaltem penitiora cognita ſunt. Nam quod vulgus ſeductorum loquitur, aut in culinis & fabulatoriis conciliabulis, de rebus ignotis ut cognitis, iudicium blateratorium ſibi fingit, ſuæ vanitati & malignitati relinquendum eſt. Ego credo meis oculis, auribus & ſenſui: ipſe novi quæ viderim, annotarim, & toties expertus fuerim, ut ſæpius admiratus fuerim, quod affectuum proprtiorum tantos ſeſe exerere potuerint dominatores; quum ſæpius in ipſa effervescentia ſeſe ſuppreſſerint continendo, quaſi tot acres tentationes nō animadvertiſſent; quod ſane in prudentia ipſa prudentiæ ſummæ permanet teſtimonium. Sic Anno 1621. ſub dato Lübeck 12. Novembris, quum Hanſeatici ita cuncti ad conſilium dandum, & auxilium à Norinbergenſibus & alis civitatibus Imperii, quæ certum abſque mora & indubitatum reſponſum à toto petebant corpore, in motu illo belli, quo utrinque tam à Mansfeldico quam Bavarico milite incluſi tenebantur, nec tamen Hanſeatici propterea poſſent convocari, implorati eſſent, expeditam & ſatis congruam reſolutionem quidem poſtulantibus exhibuere, ſed tamen ſtatim mentis & officii rationem reliquis ſociis declararunt, eorum ſententiam & ſuffragium pro concluſo petentes, uti ex adiecta copia, ex Germaniſmo Latinitate donata, apparet.

Littera Lubeccenſium ad Socios de petito Norinbergenſium.

PRæmiſſa amicabili noſtra ſalute. Honorabiles prudenteſque Domini, amici confœderati ſingulares: Quidnam Dnn. Conſules & Senatus Sacri Imperii civitatis Norinbergenſis ad nos detulerint, & iuxta indicationem adiecti poſtſcripti adhuc poſtularint, id Pr. V. adnexum pluribus detegit. Iam vero nos illius bonæ Reipubl. tanquam præcipui Evangelici Status in Imperio prægravatam conditionem haud libenter, nec ſine condolentia debita, percepimus, optaremus quidem ſimul, quod ita à nobis eo modo, veluti confidentiam ſuam & fiduciam in nos deponunt, conſuli & ſuccurri poſſet: Quum vero nobiſcum non inveniamus, qua ratione id fieri queat; & tamen ea in ſpe hæreamus, quod periculum huic civitati imminens nunc tandem ceſſarit & penitus ſublatum ſit: Proinde abſque ullius præiudicio ita cenſemus, quod dicto Senatui communis reſolutio in ea forma & ſententia, uti in adiuncto concepto exprimitur, facile poſſit reddier; ſuper quod tamen V. Pr. rationabilem conſenſum expetimus: Nos utrinque Divinæ protectioni his commendantes. Datum ſub noſtro ſigneto 12. Novembr. Anno 1621.

A. V.

Conſules Senatuſque civitatis Lubecenſis.

Conceptum Reſponſi Hanſeatici ad Rempubl. Norinbergenſem.

PRæmiſſa amicabili officioſitate noſtra, Honorabiles, Prudentes & Sapientes, ſingulari amore colendi & chariſſimi Amici: V. Pr. S. ſatis explicite deductas litteras, in quibus nobis periculoſum ſtatum, in quo civitas Norinbergenſis hoc tempore hæret, & quid præterea duplex ille, circa eandem civitatem nunc in quartam ſeptimanam ſe continens, exercitus deſignarit & commiſerit, nobis recenſuerunt, & ſimulac quoddam conſilium & opitulationem in talibus ſuis incommoditatibus ac neceſſitatibus à nobis petere voluerunt: Hoc omne nos Lubeccēſes in Originali, nos reliqui vero in copiis nobiſcum communicatis recte accepimus, atque contenta eius plana perlegendo ſatis liquide cognovimus. Et quum V. P. S. in eius Poſt-ſcripto ſimultaneam reſolutionem à nobis & coadunitis civitatibus Hanſeaticis popoſcerint; inde antè omnia nos operoſe amicas gratias dicimus, quod totum rei curſum, de quo valde diſpatia nobis relata ſunt, ita cum circūſtantiis plene explicare voluerint. Quod vero in his, & per occaſionem eam utriuſque partis inter ſeſe colluctantis exercitus, contra Imperii conſtitutiones, cum violentia penetrantis, V. P. S. civitas & ſubditi atque adſiti in dictum periculum inciderint. & præterea, quod illis in territorio, rapinis, ſpoliis, internecionibus, & incendiis aliiſque hoſtilibus actionibus ingens damnum cauſſatum, atque ſimul tamen à civitate immodica nimia pecunia ſumma quaſi minis extorta ſit, exinde nos, etiam ob reliqua cuncta perpeſſa damna, præſertim quæ propter Evangelicam noſtram religionem ſubrepere, certe ea propter vobiſcum nos urgentem admodum condolentiam gerimus & ſupportamus. Atque haud dubii confitemur, quod hoc omnigenarum damnoſarum conſequentiarū opus ſit, ſi obediens Imperii Status iuxta poſſibiliſſimam accommodationem ſubmiſſionemque, adverſus & contra compactatam accordantiam, & erectos Receſſus, tum etiam Imperatoris gratioſa indulta, & ſancte promiſſas aſſecurationes, eo modo onerari & prægravari debeat. Ac quod proinde merito omnes Evangelici Principes & Status cauſſam & anſam arripere cogerentur in hæc vigilantem convertendi oculum, & propter gloriā Dei eo contendere, ne per unius alteriuſve Evangelici præcipui ſtatus oppreſſionem, pro totali extinctione Evangelicæ veritatis, periculoſum inchoamentum & ingreſſus ita conficeretur: Veluti etiam nos ex corde optaremus, ut ſublimiores Status in Sacro Imperio, qui Evangelicæ Religioni aduniti & addicti ſunt, Mediatores gratioſos agerent, & ad ante oculos imminentem totalem ruinam everſionemque Germanici Imp. præcavendā & avertendā, maiori ſerioſitate & cura omnia ſubire intenderēt. Nos in loco noſtro nihil ulterius huic rei impēdere potuimus, quā ut depravatum

tum & ærumnoſum ſtatum cariſſimæ noſtræ patriæ, qui nonnunquam antehac depravatior atque periculoſior fuit, cum dolore deploratemus, & ſimul omnipotentem Deum apprecaremur, ut ille ſalutaria remedia, ad ſananda hæc tam profunda Reipublicæ Chriſtianę vulnera ex altis appluere & concedere benigne vellet. Et quemadmodum nos V. P. S. tanquam Religionis agnatis, ac perquam dilectis chariſque amicis, hæc onera & incommoditates plane minus cupimus, ſed potius omnipotentem Deũ precamur & invocamus, ut ex his neceſſitatibus & periculis eos eripiat, & in pacifico ſtatu iuxta priſtinum florem & proſperitatem conſervare velit: Ita vix ægre nobiſcum invenire poſſumus, quid conſilii & realis auxilii nos V. P. S. & eius civitati in hoc caſu eſſet ſuggerendum, quum non ſolummodo nos procul ſatis diſſiti ſimus; ſed etiam nos ſimiliter maxima ex parte, dum in hoc perturbato rerum ſtatu & collapſis Imperii conſtitutionibus uniuſquiſque ſuę voluntati vivit, non vacua pertulerimus onera; ſed à perruptionibus & impreſſionibus extranei exercitus plus quam ſatis impetiti & enervati ſimus eouſque, ut etiam ex noſtra parte direptiones ſubditorum & vicinorum coram oculis cernamus & experiamur, neque adhuc tempus notare ſciamus, an nos aliquãdo conſtantem pacem his in locis conſequi & in ea acquieſcere turo valeamus. Poſtquam autem V. P. S. in litteris ſuis ipſi indicãt, quod Sereniſſima Celſ. in Bavaria exercitus bellicus, ab eius urbe digreſſus ſit, & ſe in Palatinatum ſuperiorem & inferiorem diviſerit, proinde nos ea ſubit ſpes fovens, periculũ hoc in eo ceſſiſſe & deſiiſſe, V. P. S. quoque tale votum aſſecutum eſſe, ut in futurum à tali territorii divaſtatione & iniquis poſtulatis ſecuri eſſe valeant. Ideoque nullatenus dubitamus, quod, ſicuti V. P. S. veram viam aggredi inceperunt, & non ſolummodo Imperat. ac Cæſar. Maieſt. noſtri omnimode ſupremi Capitis, ſed etiam aliquot ſummorum Evangelicorum ſtatuum opem & ſalvationem imploraruntita inde quoque non potenter ſatis adſiſtentia & adiuvatio præſtari ipſis queat. Atque, in caſum eum, ſi nos etiam in noſtro exili loco, fortean apud futuros Imperij, Circulorum, aut alios conventus quid obtinere poſſimus, ex quo V. P. S. & Civitati aliquid commodi & utilitatis emergere poſſit, nos non ſolummodo ad hoc preſtandum obligatiſſimos agnoſcimus, ſed etiam prompti & parati ſemper inveniri ad hoc cupimus: Atque his V. P. S. cui ad omnia gratioſa officia nos benevole offerimus, divinæ protectioni recommittimus. Datum ſub ſigneto civitatis Lubeccenſis, ad quod nos confitemur, 22. Oct. An. 1621. V. S.

Vnita civitatis Hanſa Teutonica.

Ex his & aliis indiciis ſatis liquido apparet, quam arcto favoris mutui vinculo ex communi commercii ſtudio civitates Imperiales ſuperioris Germaniæ cum Hanſeaticis cohæreant connexæ, & quod ſua ſemper inter ſeſe ſtatim communicent gravamina, & Conſiliorum normam propter cauſſæ & ſtatus patitatem petere ab invicem nunquam intermittant. Quod certe ſit ſapienter, & facit ad communis Imperii cõſervationem in omnibus difficultatibus, ne quid diffidentiæ ſubnaſcatur aut interveniat, quæ ſemper ruinam importat ſingulis. Verum quam prudens & cauta ſit reſponſio, id ipſe loquitur contextus & conceptus huius communicatio, ne quid facile præcipitetur. Inprimis laudabiliter hoc factum eſt, quod remiſſi ſint Norinberg. ad ſupremum Imperii Caput, videlicet ipſum Cæſarem, à quo deviare certe magnum crimen & nefas eſt ſummum. Ideoque memini, conceptas has litteras omnino à civitatibus Hanſeaticis eſſe approbatas. Tanti certe eſt, bonum in rebus agendis habere viæ monſtratorem aut ducem.

Ita quoque Norinbergenſes, quũ civitatum imperialium directorium ab illa parte in eo collegio teneant anno 1618. in puncto commercii, quum Elector Saxoniæ nova commerciis Lipſenſibus impoſuiſſet vectigalia, id ſedulo nomine ſociarum civitatum & proprio communicabant. Sic quum Anno 1613. Duces Lunæburgici in pago Bullenhuſio ad Albim novum meditarentur vectigal, & id Hamburgenſibus eſſet exploratum, continuo indicium ea de re fecerunt Lubeccenſibus, qui id ſociis retexerunt, & inde nomine totius Hanſæ ita gravamina & onera mercium prægravatarum in Albi per ſupplices explicata ſunt Imperatori Matthiæ ut nil amplius obtinere potuerint. Etenim inter Hamburgũ & Magdeburgum iam 17. vectigalia, cui in Magd. unum & in Hamb. unum accedit, ut ita 19. numero interpoſita ſint, quæ ſupra modum merces prægravant pridẽ, ut ex laſtæ pondere (uti id vocant mercatores) halecum in itinere Albidos flum. 30. ferme milliarium 3. Imperiales pro vectigali in univerſum, ex butyro, adipe, melle & ſimilibus 6. Impetiales, pro laſta; ex ligno vero binæ partes, ut ſaltem mercatori vix tertia maneat, ſit ſolvendum. Nihilominus Duces Megapolitani Anno 1614. obtinuerant novam auctionem vectigalibus, quæ in ſuis ditionibus Benzenburgenſi & Domizenſi imponere ſtuduerũt. Hoc autem ſimulac percepiſſent Hamburgẽſes, abſque mora loco Directorii Hanſæ denunciarunt, unde etiam idem ſignificatum fuit reliquis civitatibus Hanſeaticis; Et quum in menſe Martio conventum Lubeccæ haberent, ea de re ita graviter deliberatum fuit, ut ſub dato 20. Martii gravamen hoc cum multivariis motivis ita per ſupplices Electoribus Sax. & Brandeb. tanquam intereſſentibus propter ſubditos ſit indicatum, ut cum Collegis Electoribus commune hoc damnum, cuivis ſubditorum in enervationem vergens, abrogare & reprimere non dedignarentur; velut idem quoque ſupplicibus ad Imperatoris Maieſt. perſcriptum fuit, & demonſtratum eſt, quod utroque in loco vectigalis Megapolitani omnem æquitatem auctio illa exuperaret. Namque quum antehac pro 60. aſſeribus totidemque lignis ædificio in minori forma deſtinatis 20. Schellingij Lubeccenſes, vel 15. groſſi Miſnici ſolverentur, nunc 25. ut per auctionem 10. groſſi adiecti ſint: Ita etiam pro modio magno, quod Wiſpelium vocitant, piſarum, hordei, granorum, mili, farinæ, hordei ad cerevitiæ coctionem præparati, &c. olim ibidem 1. Schill. Lubeccenſ. 6. obulos, ſive 1. groſſ. Miſnicum, 3. obulos, quis ſolverat; tunc coactus pro quovis Wiſpelio 16. groſſ. Miſnicos ſolvere. Item ubi pro Wiſpelio tritici & ſiliginis olim groſſ. Miſnic. cum 3. obulis; tunc vero 21. groſſi Miſnici exigebantur, ut ita ferme 19. partibus augmentum enormiſſimum & plane inauditum eſſet ſuperadditum, ſicut etiam in aliis pluribus mercibus ad victum & amictum deſignatio

gnatio Imper. Mai. & Electoribus dictis transmissa est. Unde maximi ponderis ratio æstimata fuit, quod tales exactiones inusitatæ & graves non tam in mercatorum quam omnium subditorum imperii enervationem redundarent; quæ etiam ita evicit contrarias obiectiones, ut pristino statui vectigalia fuerint restituta. Similiter quum tale quid triennio ante, videlicet Anno 1621. Dux Brunsvicensis in nova sui regiminis & corruptæ monetæ Landrostiorũ forma per Ducatum undique suum tentasset, & à Brunsvicensibus esset indicium factum ad locum Directorii Hanseatici, quod omni commerciorum generi novos exactionum titulos imposuisset, 18. die Mensis Iunij in Camera Imperiali mandatum Lubeccenses, ex communi decreto Hansæ, contra dictum Principem obtinuerunt, ut idem cogeretur ab incepto desistere. Velut in pluribus aliis vigilantiam & fidem erga commune bonum in commerciis & aliis Lubeccensium demonstrare satis possem, modo tempus & occasio iam sufficeret. Saluti certe hoc publicæ maxime prodest, & incolis & exteris, quod tam fideli cura sollicitudinem suam pro libertate patriæ in commerciis effundant, ut toties se opponant iniquitatibus statim, quoties novi adulatores aut inventores aulici se exerunt, & novas mercibus impositiones argutiis pravis excogitant. Unde etiam hoc officium adiicitur Lubeccensibus, ut Advocatum in Camera sive Syndicum iudicialem ibi constituant & nomine Hansæ foveant, &c. Ita etiam generalis inspectio in extera & principalia Emporia Norvegiæ, Muscoviæ, Angliæ & Flandriæ illis demandata manet, velut & Consulatus in Hispania: unde omnia gravamina, & nova onera, quæ cõtra Privilegia commercii libero imponuntur cursui, in Bergis, Neogardia, Nerva nunc, & aliis locis, ipsis statim denunciantur: Quamvis etiam Hamburgenses longe frequentiorem navigationis usum in Angliam & Hispaniam conficiant, ipsi omnia tamen citra moram ad Lubeccens. referre tenentur.

Colonienses autem Collegio quasi additi fuerant olim quidem Lubeccensibus; verum & iidem aliud quoque archivum servant, quod tamen alteri parti confœderatorum maxime inservit. Atque in reliquis idem sustinent officium, quod reliquæ civitates Metropolitanæ sufferunt, quibus maxime hoc competit, ut, quoties ex loco Directorii materia deliberanda, certis articulis & capitibus suis distincta, mittatur principaliter ad eas, hę quoque ante terminum Lubeccanum convocare in suas urbes possint reliqua membra ad certum diem, ut materiam rectius inter sese prædeliberent, & digerant, aut concoquant: veluti quoque tales præliminares conventus, Prædeliberatorii aut Prædeliberationes apud eas vocantur; Ubi unaquæque civitas suam detegit sententiam, gravamina profert & producit: ac si iter Lubeccam nimis grave aut difficile, nimisve incommodum pro tempore putetur, tunc possit alteri civitati suas vices cum mandato offerre: sed necessum est semper, ut iusta & sufficiens subsit causa. Talis enim conventus Prædeliberatorius in Metropolitanis urbibus propterea maxime instituitur, ut eo promptior Lubeccæ possit haberi expeditio, nec diu ibi detineantur, aut commorari diutius cum ingenti iactura temporis & sumptuũ cogantur. Quãvis autem principaliter ad Metropolitanas civitates mittant rei deliberandæ articulos; tamen non propterea reliquæ & potissimum primariæ civitates excluduntur; sed itidem illæ articulos accipiunt: quod si non omnes, tamen ex Metropolitanis locis transmittuntur, si non sint admodum secreta, quæ convocatis in ipso demum conventu cum speciali præmonitione ad fidem silentii præstandam deteguntur; ceu simile exemplum habuimus in causa ardua Anno 1620. In particulari tamen hoc obtinent Colonienses commissione, ut Emporii Antwerpiensis cursum & administrationem bene observent, ac si quid propterea in aula Bruxellensi sit sollicitandũ, velut quoque tale munus ante pauculos annos aliquoties, etiam Anno 1622. bis sustinuerunt, & propterea integram relationem ad Comitia miserunt Hanseatica.

Apud Dantiscanos idem modus est, & iuxta cõmune placitum retineri debet, ut illi Borussiacis ac Livonicis civitatibus Hansæ devinctis, sicut & Polonicis convocatione tali prædeliberationes itidem determinent, mittant articulos communicandos. Etenim nulla civitas comparere, tam in prædeliberatione quam ipso universali conventu Lubeccæ, debet absque mandato & speciali instructione ad singula capita, ut ita socii Hansæ & Metropolitani maxime certi sint de sententia & decreto magistratus & populi aut civium ex unaquaq; Republ. Quippe non aliud eo modo curant nec curari cupiunt, quam ut ad singulorum commodum, in quavis civitate, confœderatio Hansæ & eius integra conservatio penetrare queat. Ac si quid Eois Hansæ civitatibus aut Rebusp. sit communicandum, commissione singulari, quum non tantum frequens ex Lubecca sit Dantiscum navigatio; sed etiam singulis Lunæ diebus in quavis septimana, Ordinarius tabellarius ex Hamburga per Lubeccam illuc transcurrat, illis offertur.

Nec minus Brunsvicensium fides & constantia in conservatione & cultura exactiori fœderis Hanseatici prorsus singularis est, quorum certe actiones, ceu in omnibus ex integritate maxime profluentes inveni, & observavi præ cæteris, merentur, ut peculiari conscribantur connotatione, qualem ex candore tali ipsis pridem meditatus sum laborem. Quoties enim tam ex communi officio, quod omnibus ex iure fœderis competit membris Hansæ, quam ex particulari commissione ad eos defertur, aut observatione propria perscrutati notitiave aliqua assecuti sunt, nuspiam sane ita segnes inveniuntur, quin cõmuni damno vigilantiam suam præveniendo adhibeant. Velut id aliquoties ipse vidi & expertus sum, quam sollicita cura sua undique pro boni publici cõmodo omnia perfecerint, ut mox parebit. Quoties materia deliberanda illis transmittitur, fidem suam & diligentiam nunquam vacillare patiuntur, quum è vestigio necessaria examinent, ac, ne quid desit citra moram, si conventus communis Hansæ Lubeccensis instet, ceu fieri solet, ut non multum spacii supersit, convocationem civitatum Quartirii sui ad certum diem in urbe sua instituunt, &, quum quinque habeant Curias, propter tot regiones urbis, in Curia veteris civitatis, ut vocant, magna cum solemnitate conventus celebratur, ubi plena de omnibus imo etiam minutissimis fit communicatio, ut nullus dies sine fructu abscedat, & singulari sit

gaudio iis, qui interſunt, & rem quamvis recte metiri noſcãt, quum ita cordialiter vel ex candore cordis omnia tractentur. Ipſe ſæpius interfui, ut teſtimonium hoc illis eo nomine debeã, quod nihil fuci uſquam ſubmixtum, proprii commodi aut lucri cauſſa invenerim, ut prope ſoli ſint cum Lubeccenſibus qui Saxonicam fidem cum reputatione tueri maximo ſtudio contendant: quam tamen hoc peſtilentiſſimum malum proprii lucri & amoris ſui prope omnia alias crudeliſſime exagitet Hanſæ membra, ut ex ſuperioribus ſatis plane colligi id poterit.

Sed ut de modo proceſſus & communicationis quid conſtet legenti, exempli cauſſa, actum (qui Anno 1604. 17. Februarij, quum de renovatione Fœderis communis Hanſeatici tandem quid eſſet concludendum, ibidem celebratus eſt) paucis & brevibus delineabo, unde reliqua intell gens facile coniiciet. Per 8. ferme annos diu quæſtio hæc, an & quouſque fœdus Hanſæ communis eſſet renovandum, agitata fuerat. Etenim variæ ſe, propter ſtudium proprii commodi turpiſſimum, & diſſidentiã aliquot principalium Urbium, oſtentabant toties difficultates. Maxime vero cum Directoribus rem hanc & coniunctionem fideliorem indeſinenterq; urgebant Brunſvicenſes. Sic & de portione contributionum annuarum, quam Quotiſationem appellant, erant contentiones crebræ: tandem ſanior evicit ſententia omnes obiectiones. Inde die dicto læti Brunſvicenſes civitatibus ſui Quartirii conventum indixere. Aderant quoque inter alios Magdeburgẽſes, quorum in reditu hæc actorum & actitatorum relatio fuit compendioſa; Quod Brunſvicenſes tanquam Metropolis inter civitates Hanſeaticas huius quartæ regionis ad 17. Febr. præſentis 1604. Anni, quum ad 27. huius Febr. menſis conventus Lubeccę ordinarius & ſolemnis eſſet indictus ſoliro more, ſui Quartirii Urbes prædeliberationis ergo convocaſſet. Proinde explicatum eſt porro, quomodo in adventu mutuæ congratulationes & ſalutationes cum conſueta honorarii oblatione vini eſſent factæ, & articuli numero 17. ita prædeliberati in curia veteris Urbis, ut bene inter ſeſe convenerint. Articuli autem materiæ concludendæ tum fuerunt hi.

1. *Quomodo diu ventilata* Confœderatio Hanſæ Teutonicæ in coniunctione ſolida, redintegranda, renovanda, & quouſque, iuxta veterem ſtylum, extendenda tandem eſſet.
2. *Quomodo Hanſa Contributionis* ordinariæ diſtribuendæ, & quænam civitates ſaltem ad annuam perſolutionem eſſent admittendæ.
3. *Quum Nerva* in Livonia eſſet à Sueco demolita, quomodo Emporium Neogardenſe in Ruſſia aut potius Muſcovia eſſet ad priſtinam faciem, propter privilegia loci, reducendum, & quibus mediis id foret obtinendum.
4. *Quum etiam plurima* difficultates Civitatibus Hãſæ in Lundunenſi Emporio Angliæ eſſent obiectæ, quomodo apud Regem novum Iacob. VI. renovatio privilegiorum & confirmatio eorundem eſſet quærenda.
5. *De ſumptibus & expenſis* variis, quæ in cauſſa Anglicana eſſent conſumptæ, quum tot Legationibus & Commiſſionibus Cæſareis res eſſet pertractata, quomodo poſſet mutua compenſatione quid inſtitui, aut debita ſolvi.
6. *Quum etiam Stadenſes* Adventurios in monopolio ſuo contra Receſſus Hanſeatic. os & decreta communia, imo contra aperta Imperatoris Mandata recepiſſent, quomodo res hæc tranſigenda, aut quid contra eos tentandum, ut in viam reduci poſſent.
7. *Quomodo Emporium* Londinenſe reſtaurandum, & augendi eſſent eius proventus, ut ædificium poſſet reparari.
8. *Quinam ad rationes* ſumptuum excipiendas ſive Rechnungen ſint deſtinandi, & quomodo res hęc pertractanda.
9. *Ac ne quoque* penitus Emporium Antwerpienſe diſſiparetur, quomodo privilegia reſtaurata in vigorem reducenda.
10. *Quam multa & quot varia* gravamina contineret negotiatio & navigatio Hiſpanica, & Portugallica: quid conſilii capiendum, ut talia poſſent melioribus adornari conditionibus.
11. *Quomodo Emporium* Bergenſe in Norvegia non tãtum à gravaminibus & novis oneribus iuxta tenorem privilegiorum antiquorum liberandum, ſed etiam in poſterum conſervandum, ne quid damni ſimile pateretur, & maxime quomodo confirmatio tandem à moderno Rege Privilegiorum obtinenda.
12. *Quomodo in* univerſum Emporiorum omnium privilegia renovanda & in vigorem reducenda forent.
13. *Quod etiam merito* monopolia & mercatorum nimis avara inſolentia eſſet cohibenda; & illi, qui non ad regulas Hanſæ ſe rite in commerciis ac mercibus emendis vendendiſque componerent, mulcta retrahendi, ac quęnam animadverſio gravior inſtituenda eſſet.
14. *Ut inæqualitas* contributionum, de qua multæ fuiſſent querelæ auditæ hactenus, ad æqualitatem rite iuxta proportionem & conditionem Reipub. cuiuſque merito deberet reduci.
15. *Ut reſtituerentur* etiam honoratis Colonienſibus varii ſumptus, quos impendiſſent Legationibus & aliis rebus Emporii Antverpienſis cauſſa inſtitutis.
16. *Quomodo regulæ* firmæ concipiendæ, ut Conventus Hanſeatici ordinarii rite obſervari & in vigore retineri poſſent, & quænam mulcta emanentibus conſtituenda.
17. *Quum Dux Carolus Suecia* ſe ferme hoſtem civitatibus Hanſeaticis ad mare Orientale declararet, & non tantum Lubeccenſibus, ſed etiam aliis Civitatibus naves ſuas in mari infeſtaret, detineretque, quodnam remedium huic malo quærendum, &c.

Hæc & eiuſmodi, quum bene examinata & ventilata inter præſentes fuiſſent Civitates; tandẽ in prædeliberatione ita conſenſere, quod pacta Fœderis merito ad neceſſariam adſiſtentiam & defenſionem dirigenda & in iis ante omnia renovatio inſtituenda eſſet, quum civitates Hanſeaticæ iſtius regionis maximum in hoc ſibi quærerent fundamentum. Ideoque putarunt, quod renovatio talis Fœderis, ita eſſet formanda: Quod ſi Reſpublica aut civitas ſive membrum

brum aliquod fœderis huius à quopiam ita perturbaretur, ut propter privilegia, indulta, concessiones, consuetudines aut regalia & libertatem status vim pateretur, nec flagellans ulla iuris via, ordineve, nec ipsa iustitia posset cohiberi; quod tunc confœderati, non tantum suppresso membro Consiliis, intercessionibus, Legationibus, & præmonitionibus succurrere confestim; sed etiam demum reali & efficaci ope adsistentiaque pecuniæ, munitionis & militis succurrere & auxilium ferre illi deberent. Deinde conclusum fuit, quod rectius & consultius fiat, si ordinariæ contributiones in annui speciem transmitterentur; & illæ saltem casui alicui in defensione mẽbri cuiusdam suscipiendæ manerent, ubi etiam ulterius quid, pro viribus facultatis & conditionis, ac pro qualitate casus esset adiiciendum. Si tamen interea quid remissionis ad certos annos in contributione posset obtineri, quod res non esset negligenda. Reliqui articuli, examinatis circumstantiis omnibus, & facti qualitate ponderata, ita inventi sunt, quod non nisi per consequentiam concernerent regionis huius aut Quartirii Brunsvicensis civitates; Ideoque ad maiora, sive pluralitatem votorum in ipso conventu generali eos referendos esse. Interim tamen 11. & 16. articuli ita perlustrati sunt, ut merito Lubeccensium monita singularia, quæ cuiusque civitatis speciale Mandatum cum plenipotẽtia exigerent, in animadversionem recepta fuerint, quum expeditioni promptiori res accommodata eo modo censeretur. Sic etiam 16. articulum non saltem æquitati, sed etiam auctoritati & reputationi consentaneum putarunt, ut eo rectius antiqui fœderis consuetudo in ordinem, cuiusque auctoritas in observantiam iustam realiter revocari, ac dignitas omnis plene recuperari posset; ad cuius devotionem & observantiam præsentes singuli nomine Retumpubl. suarum ex mandatis acceptis debite obtulerunt. Quomodo autem Duci Carolo Sueciæ posset obviari, id communi deliberationi reservatum fuit, atque ne præcipitatio fieret, necessum putarunt, ut ad referendum prius consilia acceptarent, priusquã approbatio indigesta fieret. Expolita Colonienſibus merito refundenda existimarunt. Atque his ita conclusis, conventus particularis dissolutus tum fuit protenus. Ex quibus apparet, quod nihil temere Civitates Hanseaticæ suscipiant; sed bene prius secum digerant, & concoquant, quæ pro usu Reipubl. cuiusque in conservatione status sui faciant, ne ex imprudentia aliqua difficultatibus extremis aut iniquis incauti involvantur.

Præter has Metropolitanas cuiusque regionis civitates, habentur quoque subordinatæ in quovis circulo Hanseæ, ut, si forte Metropolis quædam infortunio alicui exponatur, aut obsidione, quod sæpius accidit, implicetur; sint aliæ, quę statim eius vices, in casu quovis obvio, subire queant; ne mora quid periculi gravioris facile caussæt: velut in superioribus seculis aliquot expertum est hoc fœdus, in tam ampla sui vastitate casus; sicut etiam *Albert. Crantz. in Histor. Sax. lib. 10. cap. 5. & in Vand. libr. 9. cap. 7.* de Brunsvicensibus annotavit, quod illi per integros 8. annos exclusionẽ ab Hansa pertulerint, donec Anno 1381. apertam pœnitentiam cives per oratores suos egerint, nõ veriti perinde infamia notati videri, quo tempore Magdeburgenses & Hildesienses eorum locum sustinuere; ceu etiam nuper in obsidione bina An. 1605. & 1615. factum, ubi Magdeburgenses indesinenti labore officium illud Metropolitanicum supplevere, non sine magno sumptuum dispendio. Idem quoque supra *cap. 1. huius part. 4.* quod in Colonienſium exclusione à Fœdere Hanseæ Anno 1475. acciderit, indicavimus ex parte; sicuti etiam, quoties plurima pertulit bella & obsidiones, toties officium hoc Metropoliticum translatũ fuit ad subordinatas civitates, quales sunt Tremonia, Neomagium, & Daventria aut Swolla. Quamvis Lubecca in Hanseæ integra observatione passim deprehensa fuerit, ut non facile quid contra fœdus illud deliquerit; tamen Anno 1603. in Legatione Muscovitica quid defectus subrepsit, unde acris controversia inter Civitates Hanseaticas omnes Anno 1604. sub renovationis tempore agitata fuit, & ferme quid notæ pro distractione tali sibi conciliasset, in quod valde Colonienses inclinabant, ut haberent socios æquales solatii in suis olim commissis; tamen res ita transacta fuit, ut nihil pœnæ subierit. Quoties tamen passa est obsidionem, Hamburgenses, aut Lunæburgenses, eorum vices cum Bremensibus perfecere.

CAP. X.

De Conventu universali Hanseæ, Ordinarioque, Lubeccæ instituto, eiusque solemnitatibus, sessionum ordine, votandi ratione, processu, & extraordinariis Comitiis Confœderatorum, aliisque accidentibus.

EX antecedenti capite iam patet Hansarum conventum esse duplicem, alium universalem, alium particularem, & utrumque iterum ordinarium aut extraordinarium. Cõventus universalis toti Hanseatico corpori suo modo attribuitur, quum caussæ eiusmodi tractandæ veniunt, quæ ad singula membra huius amplæ societatis spectent. Particularis vero ordinarie respicit ad Metropoles cuiusque circuli aut Quartirii, & earum subordinatas urbes, uti iam dictum est. Ante omnia autem, si Lubeccenses ex consensu vicinarum Vandalicarum urbium præstituerint denominarintque civitatibus reliquis per Quartirii Metropoles aut immediate extra eas diem conventus, & miserint materiam deliberandam, necesse est, ut stricte observetur terminus. Sicut & illi, qui mittunt, ad hoc tenentur, ut non alios, quam iurata membra Reipubl. suæ, quorum unus ad minimum sit Consul aut Senator, & alter minister publicus sive Syndicus, Protonotarius, Consiliarius, Secretariusve. Nec tamen quid obstat, si plures quam duos ordinare velint, & mittere suæ caussæ legatos aut patronos, quod sæpius accidit, si quædam caussa singularis maximi momenti, quæ Rempubl. aut cõmodum alicuius civitatis concernat. Unde hæc certa esse solet nota, si quædam civitas plures, quam duos mittat Legatos, quod in suæ Reipubl. commodum quid sit firmi actura, veluti Anno 1620. tres mihi adiunctæ fuerunt personæ, quum actio Magdeburgensium, in præiudicio iuris stapulæ & inde

emergentium gravaminum, coram deputatis in mense Novembri ventilaretur. Sic & Bremenses Anno 1621. & sequenti plerumque res mittebant, quum propter vectigal novum Oldenburgense, quod Vesari imponere studebat Comes ille, consilium & succursum peterent. Sæpius quoque hoc agunt Hamburgenses præ cunctis aliis, etiam tum, quum Anno 1620. maxime urgerent causam suam contra Regem Daniæ, quod novum oppidum Glückstadium nomine ad Albim in præiudicium communis commercii, uti id indigitabant, condere incepisset. Nihilominus etiam una sæpius admittitur persona, præsertim si per aliquot menses forte subsistendum sit, uti mihi Anno 1620. contigit, quum per 19. septimanas in loco Directorii propter negotium urbium Lubecensis & Hamburg. contra Ducem Lunæburgicum, in transactione Gammericana subsistere me cogerer.

Solemnitates autem, quæ in conventu, iuxta stylum usitatum, adhibentur, aliæ sunt, quæ observãtur in Consiliis & deliberatione, aliæ extra hæc. Extra consilium, aut tenentur in adventu, aut in discessu. In primo adventu est Directorum officium, ut cuiusque civitatis Legatos non tantum cum congratulatione visitent, & hospitalitate amicabili excipiant; sed etiam vini honorarii donatione eos afficiant, petantque ut consiliis se lubentes sistere & pro bono publico commerciorum & totius patriæ communis absolvere velint. Postea fit invitatio per officiarium civitatis ad Consilia, ubi iste mos stricte ex usu antiquo & laudabili observatur, ut in momento 8. horæ omnes legati in proscenio conveniant, ubi simul continuo per supremum Senatorii ordinis ad conclave ingrediendum invitantur: & præcise hora 11. finiuntur deliberationes, sic etiam à meridie in puncto 3. horæ conventus est consilii, & durat usque ad 6. hor. ut ita semper trium horarum spacio sessiones singulæ matutinæ & pomeridianæ conficiantur. Quando autem primitus ad Consilia acceditur, per Syndicum Hanseæ aut eius substitutum nõ solum fit nomine Directorum gratiarum actio; sed etiam referuntur causæ urgentes, quæ Directores & vicinas urbes iuxta stylum commoverint, quod cõventus ille institutus fuerit. Ideoque fit imploratio nominis divini, & petuntur Legati, ut iuxta tenorem instructionum suarum mentem Comittentium candide explicare, & votorum ordinem observare, ac in consiliis usque ad finem perdurare velint. Cui diversimode respondetur: Interdum etenim ad exordium hoc singulæ civitates iuxta ordinem sessionis recongratulando & salutãdo respondent; Quod si vero multæ adsunt, aut materia nimis ampla est propositionis, vices eæ deferuntur ad primam sessionis in latere dextero civitatem, ut nomine omniũ ea deponat, quæ solemnitatis & curialitatis ratio exigit: Etenim heic inprimis notandum est, quod in incluto hoc consessu, duo habeantur scamna sive latera, quemadmodum quoque in Comitiis Imperialibus idem mos est, sed heic maiori & accuratiori cum decentia, gravitate, & ordine observantur ita stricte, ut etiam minutissima urbs suam non tantum dicat sententiam, sed etiam audiatur in potioribus rationibus & argumentis, velut singulæ rationes exacte à Syndico annotari iubentur, ut ex protocollo tunc collatio saniorum votorum possit deprehendi, & tum non maiora saltem sed maxime potiora in sanitate sensus prævalent, quamvis alias maiora concludant. Proinde in arduis non tantum una vice fit repetitio votorum, sed etiam sæpius res agitatur: Atque si tum forte discussio exigat altiorem indaginem, haud raro votandi modus deponitur, & rogantur Legati, ut per discursum quoque plenius mẽtem & circumstantiarum rationem explicent, atque examinent: ubi tunc licitum est, ut quilibet cum modo, decore & suaviloquentia quadam absque austeritate suam quoque interferat sententiam. Tũ quoque sæpius accidit, ut in re gravi, deputentur acutiores & prudentiores, qui inter se amice de re proposita agant: Atque si tunc in quadam opinione conveniant, illud postea in pleno à Syndico Hanseæ refertur, ut ita nil temere concludatur; sed satis mature examinentur, quæ maximi videntur ponderis negotia; veluti id Anno 1622. &c. accidit in puncto corruptæ monetæ, ubi varia agitata sunt consilia, quomodo res pestilentissima & damnosissima cunctis aut posset in certitudine aliqua sisti, & ad determinationem firmam deferri, aut omnino ad primævum statum reduci. Quum ea calamitas totum pervagaretur ferme Imperium Germanicum, & Duces vicini perdito huic perniciei maximæ lucro adhærerent, nec amplius auditent ordinem ab Imperii Statibus huic negotio præscriptum; sed inprimis Dux Brunsvicensis suo triumviratui Landrostiorum, uti dicebantur, ita laxissimas habenas in 72. lotis monetariis concessisset; multæ certe inde civitatibus Hanseaticis in mercatorum commerciis obiectæ sunt difficultates, quæ quarto demum anno vix sine motu consopiri potuerunt. Unde etiam adhuc differentes in civitatibus habentur valores, ut Bremẽses cum reliquis Saxonicis amplexi fuerint priscum Imperii valorem; Lubeccenses vero & Hamburgenses sectati sint modum ferme Belgicum, ut iam iis Imperialis tribus cõstet marcis, id est ex 48. schillingis, quæ olim 32. dicebantur Lubeccani. Pluralitas votorum in eo non profuit quicquam; sed heic quisque pro usu suæ terræ & loci ad regulam Imperii quam proxime accedentem hoc constituit. Bremenses vero omnium maxime laudandi sunt, quod semper, etiam tempore corruptissimo, suum inconcussum retinuerint Imperii valorem; sicuti ex ore Legatorum cum admiratione accepimus tunc, quod nullas non tantum agnoscerent corruptelas, sed etiam, quod Imperialium copia ingens cotidie apud eos in usu commeteciorum accresceret. Sanitas iudicii igitur quantum in votis & praxi valeat, hinc liquido satis constat, ut non immerito apud Politicos ventiletur ea quæstio, anne publicis consiliis maiora, an vero saniora prævalere debeant vota? *Vide Arum. in discurs. Acad. de iur. publ. disc. 9. num. 73. pag. 178. & 179. Vict. de caus. exempt. concl. 5.* Pro regula quidem hoc habetur undique, ut ille loquitur;

Maxima pars semper concludit vota Senatus:
vel
Maxima concludit pars per suffragia votum.

Namque, aiunt, nulla speranda esset concordia, nisi minorem pars maior vinceret, ceu in subsidium opinionis suæ advocant, *l. 7. §. fin. ff. de pact. l. 3. ff. quod cuiusque Universit. nom. l. 17. §. fin. & l. seq. ff. de arbitr. l. 19. ff. ad municip. l. duo ex tribus 39. ff. de rep. iud. l. 15. C. de*

C. de decur. l. 51. quod C. de legat. l. 160. ff. de Reg. l. &c. Ott. de l. pub. cap. 13. l. Q. Proinde concludunt: Vota ſaniora ſunt quidem meliora ἁπλῶς, non tamen præferenda maiori parti. Quod alii ita modificant, ut diſtinguant inter cauſſas politicas & negotia religionis, ut in politicis ſtricte ſint maiora obſervanda, non tamen in cauſſa religionis: alii, ut facit Ott. d.l. id in dubio relinquunt. Quid vero aliud iſtiuſmodi conſultatores faciunt, quam ut re ipſa demonſtrent, quod potius profanum, quam pium & Chriſtianum approbent conventum conſilii? Quæſo enim quid potius obſervandum? num ab auctoritate hominum, an rectius ab auctoritate Dei dependendum? Aiunt enim; in conſiliis publicis plurium votorum potior eſt auctoritas? *Arum. d. l.* An non omnia ad Dei Iehovæ gloriam in actionibus omnibus humanis referenda, ait D. Paulus? Nonne ea magis Chriſtianis apprehendenda conſilii vota, quæ maxime cum Verbo Dei conveniunt? Quo proximiora Verbo cœleſti, eo veriora & ſaniora, ait ille Polit. quem etiam omnibus futilitatum magiſtris anteferre ſoleo, quum candidiſſime heic loquatur. Etenim abſurda eſt diſtinctio, qua politia omnis ſaltem ad Ethniciſmum abripitur: quaſi Chriſtiana politica poſſit eſſe abſque Chriſto; quum omnes Chriſtianorum actiones quæcunque velint, ex dictamine Spiritus Chriſti profluere debeant, & ſe in pietate vivida in quovis facto externo exerere. Ideoque ait *D. Paul. 1. Cor. 10. v. 31.* Sive editis ſive bibitis, ſive quid facitis, omnia ad gloriam Dei facite. Multo igitur magis conſilia inde profluere, & in eum finem dirigi debent. At quomodo vere pia ille cõcipiat conſilia, in quo non eſt Charitas Patris? ait Chriſtus. Nam timor Domini initium Sapientiæ. *Prov. 1. 7. & Pſal. 110. 7.* Sed vos, novi, inquit Ieſus noſter, charitatem Dei non habere in vobis. *Iohan. 5. v. 42.* Quare? Quia me non recipitis, ſed potius gloriam ab hominibus captatis. Proinde non conformes ſunt imagini Dei, qui carnalia ſequuntur conſilia. *Rom. 8.* Nam qui in carne ſunt, Deo placere non poſſunt, quum Spiritus Dei non ſit in illis. *Ibid. v. 8. 9.* nec habeant fidem. Nam quomodo vos poteſtis credere, ait Chriſt. *Iohan. 5. 44.* quum gloriam alii ab aliis captetis, & gloriam illam, quæ à ſolo Deo proficiſcitur, non quæratis? Sic illi certe ſeipſos omnino ſeparant à regno Dei, qui inde ex Verbo eius conſilia non ſument in omnibus vitæ actionibus. Nihil enim eſt, quod non Conſilium Dei nobis detexerit: velut etiam id Conſilium ſolide verum eſt, ad quod nobis ubique vivendum. Ideo teſtor vobis, ait D. Paul. hodierno die, me purum eſſe à ſanguine omnium. Non enim ſubterfugi, quo minus annunciarem vobis (N. B.) *Omne Dei Conſilium in Act. Apoſt. 20. 26. & 27.* In hoc latet omnis ſapientiæ theſaurus. Et mala eſt corruptio text. apud Titenberg. qui contra ſenſum D. Pauli interpretationem talem format, vobis omnibus Conſilium Dei, &c. quem propterea correxit Ulenbergerus merito. Verbo enim Iehovæ nihil detrahendum, aut addendum, multo minus quid invertendum eſt. Sicuteriam peſſime corruptus habetur textus in Bibliis Lutheri, *Iohan. 5. 39.* ubi ponunt pro libidine auctoritatis ſuæ complenda: Scrutemini Scripturas, quaſi ex juſſu Chriſti id ſit dictum, quum tamen Chriſtus vanitatem ſcrutationis futilis talis reprehendat, dicens: Vos ſcrutamini & perquiritis Scripturam fruſtra, iuxta opinionem veſtram vitæ indagandæ veræ, nec tamen ad me venire vultis, ut peſſima ſit corruptio Verbi, &c. Sed ad Conſilia ſaniora revertimur. Interim caveant ſibi vani tales interpretes. Iudicium Dei ſubeſt certe grave. Conſiliorum gubernatrix lex divina ſit, ait *Cyprian. in Epiſt.* Si vox populi, vox Dei effertur, & Principi non negligenda, *Beſold. de Conſil. cap. 19. pag. 329. Peretz. fol. 24.* multo magis ipſa Dei aperta locutio nobis obſervanda venit, in qua nullus nos ſeducere error poterit, niſi proprias nobis ſtulti confingamus temerariæ opinionis aut cœcitatis gloſſas. Ideoque nemo magis ineptus eſt, & inſanus, quam ſtultus & litteralis doctus. Nam pietati vere in Chriſto obſequi, vera ſapientia eſt, contra quam nihil facere, aut ſentire decet, ait *Beſold. in Conſ. c. 12. num. 5. & 8.* Beatus ille, qui non litteralem, ſed ſpiritualem rite intellectum verbi Dei ſibi conciliare ſtuder. Vana enim multa ſunt in artibus, & pluſquam vana profana. *Vide Beat. Auguſt. 1. Confeſſ. cap. 13.* Plures in iis tradendis ineptiæ: ac ſi quæ inibi bona per ſe, ea ſine charitate & humilitate peſſima cenſe. Nam ſtudia litterarum, ut plurimum ſuffocant dexteritatem, ait *Beſold. d. l.* Et de ineptia litteratorum in adminiſtranda Republ. vide, *Canonhiero dell' introduzz. lib. 5. cap. 1. &c.* Ideoque maxime plurimis hoc accidit quod Salomoni, *7. Eccleſ. v. 23.* ubi dicit: omnia illa exploravi per ſapientiam. Dicebam; Sapiam: ſed illa erat longinqua à me. Aſt pauciſſimi ſunt, qui hoc agnoſcant. (N. B.) Prima inde ſapientia eſt, contemnere ſapientiam eam falſam, quæ rationi & verborum ſtrophis, & improbis ac ſuperfluis argumentandi contentionibus, ſyllogiſticationibusve vanis utitur. *Ant. Meliſſ. part. 1. ſerm. 50.* Ita magna ineſt litterarum ſtudiis Idololatria, aliorumque contemptus, diciturque ob id merito atheiſmus litteratus iuxta *Beſold. d. l.* veluti exempla undique & maxime (proh dolor!) in Academiis paſſim habentur, ubi ſub ſpecie doctrinarum omnis generis perfida perverſitas cum ipſo Ethniciſmo imbibitur. Ideoque ſtudia litterarum, ait recte Beſold. non ita Deo ſunt grata, ut vulgo putatur, nec illis ita prope eſt Spiritus Sanctus, ut multi ſibi perſuaſum habent; imo paſſim iis blaſphemia & contemptus Spiritus Chriſti propter nimiam ſimplicitatem, à ſuperbis Habitualiſtis efficitur: quia faſtum ingeniis addunt, & nimiam elationem falſis opinionibus ingenerant plerumque. At quem vere Spiritus Dei educat, in pace & humilitate ambulat, non ſecundum carnem, ſed ſecundum Spiritum. Nam quod ſapit caro, mors eſt; quod autem ſapit Spiritus, vita & pax. *ad Rom. 8. 5. & 6.* Væ igitur illis, qui politica conſilia ita plane mundana efficiunt, ut nihil prope ſacri ex Verbo Dei iis adſcribant! Videbunt ipſi & ſentient aliquando, qualem ſuis ſalutem maioribus votis attribuerint. An non omnia ex Fide & Spiritu profluere debent? An non ſæpe Deus inter multos unum reſpicit, quem ſaniori mente donet? Ecce quidem, ut loquitur Poeta:

Eſt vulgus capitum multorum bellua; longe
Beſtia ſed peior, quæ cæca iuſſa relinquit,
Conſiliiſque ſuis ſequitur ſuffragia mundi.

Quæso interim, an non omnes Christianorum actiones ad Verbum Dei se referre debent? Perquire Mosen totum & scripta Prophetarum; Quur Iehova decalogum edidit, & in forma præcepti protulit? Quid hoc excipias negotii aut actionis, quod non cuivis mortalium comperat? An non est norma omnium totius mundi gentium? Quanto magis vero in Christiano amor & Charitas Christi requiritur; ut nil sit aut possit bonum probari, quod non ex syncero amore erga Deum & proximi dilectione profluat? Quod si igitur omnes, & tota Collegii alicuius universitas aberret à tali norma, atque unus saltem è contra suffragia collegarum, ad pietatis quãdam regulam, in materia propolita revocet, an non ille sit potius præ cuncto numeroso cœtu audiendus? Stultus aut malus certe sit, qui contra Deum & conscientiam hoc quid cum pluralitate votorum facere aut concludere velit, ne quid gravius dicam. An non Christus vere solus tunc erat, quum voluntatem Patris sui mortalibus in terris pro vera salute recuperanda retegeret? An non totus mundus ipsi contradicebat? Etenim omnes maxime Pharisæi & Doctores litterales vanæ doctrinæ suæ vota populi communia in se rettahebant, ut Christi vox nihil valeret, nisi eam miraculis confirmasset. Nihilominus sanitatem voti sui mundo obiecit. Proinde malignam falsitatem adhuc, & ignorantiam supinam in ambitiosis illis & cœcis hominibus, qui totum eruditionis & sapientiæ omnis, in carnalitate sua, adscribebant sibi regnum, tam graviter ipse culpat & reprehendit Iohan. 5. 39. ut supra inculcavimus; dum ait, Vos scrutamini & ad unguem quasi examinatis Sacram Scripturam, sive Verbum Dei Patris mei. Namque, ait, vos putatis, quod in ea vitam obtineatis æternam; & certe ea est, quæ de me testatur (quia addit alibi, Ego sum via, veritas & vita. Iohan. 14. 6. & Iohan. 11 25.) nec tamen ad me venire vultis, ut vitam à me habeatis. Clarissime hoc patet, quam falsa sit eorum Scripturæ corruptio in vana interpretatione, qui ex modo indicationis & culpationis, imperandi formam conficiunt; ceu ipse audivi clamantes dicere: Imperat hoc Christus, ut scrutemur Scripturas; quum ita dicendum magis esset; imo ille confutant corruptum iudicium & cœcitatem perversam, quod carnalem intellectum verbo Spirituali & vivificanti adsocient, &c. Inter ICtos tamen modernos & Politicos quoad hanc quæstionem, An vota numerari in Concilio & Comitiis publicis debeant; an vero ponderari? nemo ferme rectius, quotquot legere & videre mihi contigit, quãvis nec ille ex Verbo Dei quid decidat; tamen quam proxime ad Veritatis viciniorem & famorem gradum accedendo, quid statuit, quam *Anton. VVintervm part. alter. tract. de offic. Adsessor. cap.* 10. *num.* 19. & *seqq.* cuius verba cunctis aliis opinionibus præfero, quando dicit: In Statu populari, ubi de Republ. & grandi eiusdem negotio deliberatur, vix puto defendi posse istud, ut sententiæ numerari debeant indiscrete, nullo habito respectu personarum censentium. Hoc enim verum est, quod dicunt prudentes; Unus pro millibus, &, Unius sapientis votum sive sententia pro millenis vulgaribus erit: Velut Antimachus hoc de Platone adseverabat, quum ille à reliquis cunctis in poematis sui gravissimi lectione olim relinqueretur, clamans: Legam tamen, quamvis omnibus dura sit veritas. Plato enim mihi unus instar est multorum: Similiter Cicero in uno solus Catonis iudicio ob constantem veritatis amorem acquievit, inquiens: Cato ille dixit, mihi unus est pro omnibus: quod inde in proverbium abiit: ἑὰν ἰμοὶ μύριοι. *Mutet. lib.* 16. *var. lect. c.* 5. Si de Ethnicis sinistra sentire, quidque integri statuere ausi sunt Ethnici, quur non eo magis de iis inter Christianos statuamus, qui quum quam proxime ad Verbum Dei & pietatem veteris suis accedant? Alias enim sæpius accidit, quoties à pietate deficiamus, ut optimi non semper optime consulant. Experientia quippe testis est, aliquando prudentissimos insigniter fallere & falli. *VVinth. d. tr. c.* 9. *nu.* 27. & 28. Proinde Divinus Rex David in omnibus vitæ actionibus, semper toties optavit & petiit à Deo, ut Spiritus Iehovæ illum in via & semita verbi cœlestis contineret, sicuti passim id Psalmi eius 25. 62. 99. 119. &c. Namque alias nusquam vestigia tuta tenemus: Ni nos per vitam cœlestis regula Verbi ducat perpetuo; sunt humana undique falsa. Ideoque monet Proph. Dei Mich. 6. 8. cuius adeo insignis est sermo sanctus, ut totius vitæ Christianę cursum nobis demonstret clarissime; ita dicendo, quod merito ab omnibus notetur: *O homo, indicatum est tibi satu, quid bonum sit, & quid Iehova à te requirat; videlicet: verbum observare Dei, exercere Charitatem, & ut humilem te coram Deo tuo præstes. &c.* In eo cuncta sunt repolita. Quod etiam Cicero suo more putavit ubique observandum, ne quid statuatur contra conscientiam. Namque ait, si pietas absit, aut pietate sublata, tollitur omnis fides. 2. *de Nat. Deor.* Pudeat ergo Christianos, quod à Christo in tãtum passim & maxime in votis abscedant; & tamen satis gloriose palmam se obtinuisse sæpius existiment, si palliare splendidis futilitatibus & argutiis argumentosis rhetoricam nosce nt suam malitiam. Sed ad Consilia & vota Hanseatica, sessionesque Hansæ revertimur.

Velut rite sanniores Politici tres potissimum hostes omnibus ponunt consiliis, videlicet, Celeritatem, iram sive affectus, & proprium commodum; ita sane undique præsertim in arduis cavenda sunt. Omnia enim non properanti clara certaque sunt; dum festinatio improvida est & cœca; *Livius hist. l.* 22. quum nihil magni discriminis Consiliis tam inimicum quam celeritas; *Liv. lib.* 31. Scelera impetu, bona consilia mora valescere, *ait Tacit.* 1. *Hist.* quod & in proverbio est, Qui cupit, festinat; qui festinat, evertit. *Heid. in Pol. c.* 2. *pag.* 415. & ita furor est, qui nihil boni suadet. Namque ira hominis numquam ea facit, quæ iusta sint coram Deo, ait *D. Iacob.* 1. *vers.* 20. & *Proverb.* 15. *v.* 18. Vir iracundus rixas creat; at mansuetus componit lites, *ibid. cap.* 26. 21. & 29. 22. Quare *ait D. Iacob. d. c.* 1. *v.* 19. dilecti fratres, quisque mortalium sit promptus ad audiendum; sed tardus ad loquendum, & tardior ad iram.

Quomodo vero regulæ tales, & quæ modificationes pro meliori Consiliorum & votorum usu vero adhibeantur in conventibus Hanseaticis, id superius satis declaratum est. Sicuti etiam talibus remediis, etiam hoc non frustra adiectum viget, quod in sessionibus publicis Hansæ votorum respectu Senatoribus & Consiliariis aut Syndicis Rerumpubl. Hanseaticarum locus sit concessus; quum multum intersit inter Senatorem & Consiliarium, ut notat

vete

vere *Besold. in lib. de Consil. Pol. c. 19. num. 1.* Nam velut nulla fere Resp. est, quæ non Senatui, vel omnem vel maximam gubernandi partem commiserit, ut inde eiusmodi Senatores, tanquam pars Magistratus publici, potestatem habeant de Republ. statuendi: ita quoque æquum est, ut eorum Consiliarii id rite consulendo constituant, quod ad salutem Rerumpubl. vere determinandam facere debet. *Cuna. 1. de Rep. Hebræ. c. 12. fol. 109. & Besold. d. l.* Etenim comitia talia, sunt conventus totius corporis, aut partis, ad aliquid scitscendum, decernendumve Reipubl. caussa. *Bert. apud Arum. part. 1. iur. publ. decis. 9. num. 8.* Ideoque nihil in Hanseaticis Consiliis facile præcipitari valet, & hoc maxime cavetur, ac, ut caveri queat, proinde commixtio hæc quoque sancte observatur. Atque quum etiam pessimum veri Consilii & iu licii venenum sit, si porrigat quid tacite sua cuique utilitas, nolunt ut in Consilium adhibeantur, de quorum amicis aut commodis agatur. Plerique enim ita sunt corrupta natura, ut, si lucellum aliquod ad se, aut ad eos, quos charos habent, pertingere vid. nt. totum iudiciũ eo transmittant, & sic ét optimis consiliis aut metus, aut cupiditas, aut naturalis eorum, quę cũ animo versant, amor obstet.

Ordo autem votandi sic observatur, uti id sessiones requirunt. Ubi hoc notandum venit, quod sessiones civitatum longe aliter se habent, quam Metropolitanorum & subordinatorum ratio forte, superius indicata, innuit. Dictum proinde est antea, quod duo sint latera, quorum unum in dextero ordine obtinet prioritatem in votando. Et licet Lubecenses Directorium teneant, quasi præsides, ceu communis est loquutio, quod Præsides votum in Consilio aut iudicio non habeant, nisi per accidens: *VVinth. de Adsess. part. 2. c. 9. num. 8.* tamen in hoc collegio confœderato, in quo æqualis est paritas, Lubecenses statim post propositionem, suum deponunt ad quamvis quæstionem votum; quos Colonienses & Bremenses sequuntur, dehinc Rostochienses; qui exinde locum tertium tenent, quod corũ civitas, originem ferme suam cũ fœdere Hanseæ colit: post Stralsundenses hos excipiunt, tunc Wismarienses, Magdeburgenses, Brunsvicenses, Dantiscani, Hildesienses, Osnabrugenses, Stetinenses, Grypswald. Goslarienses, Gottingenses, Eimbeccenses, Hannoverani, Hamelens. Colbergens. Stargard. Anclamenses, Stadenses, Boxtehudani. Golnovienses, Thorunenses, Elbingens. &c. quos sequuntur Livonici. In sinistro vero latere, ordinem sessionis teneat primum Hamburgenses, Lunæburgenses, dehinc Nimwegenses. Davętrienses, Campenses, Schwollenses, Zutphanienses, Arnheimenses, Bommelani, Thielenses, Hardervicenses, Duisborgenses, Gronningenses, Bolswerdani, Ruermondani. Venloenses, Embricenses, Susatenses, Dortmundani, Monasterienses, Vesalienses, Mindenses, & reliquæ civitates Westphalici circuli usque ad Watburgam, quæ latus hoc claudit, ut infra quoque in ordine contributionis id patebit. Quod si quoque quædam difficultas Directoribus moveatur in conventu communi, tunc vices eorum sustinet Colonia, & primum quoque statim propositioni votum subnectit; veluti Anno 1604. in mense Martio factum, quum, die Martis post Iudica, ex legatione Moscoviana & Russiaca dissidentes inter se urbes Lubecca & Stralsunda, Relationes, correlationes, Replicas & Duplicas præsentibus Dn. Legatis submissent, &, deputatione ac nominatione à quaque parte facta, ex concessu discessissent; Colonienses statim repetita relatione votum suum Lubeccensibus opposuerunt ita, quasi ipsorum Legati communi nomine missi extra fines mandato præscriptos processissent, atque inde tenerentur interesse pecuniarum restituere; cui etiam Bremenses & aliæ aliquot civitates hoc addidere, quod Lubeccensium illi Legati propterea ex conventibus & consiliis essent excludendi, si subesset quispiam dolus. Quamvis autem in hanc sentétiam inclinarent maiora, tamen saniora id correxere, quum de dolo nihil certi constare posset. Namque quod nomine omnium Hansarum primitus privilegia renovanda à Duce Magno Moscoviæ petiissent, deinde quoque per juramentum à dolo liberare se vellent in casu necessitatis, id excusationem parere, iudicatum fuit: Unde tandem conclusum est, quum actio mãdati extra dolum purgari posset, & nullitas sententiæ, non admitteret executionem, quod Lubeccensibus ad respondendum articuli aliquot essent proponendi; alias Syndicus Colonienſis D. Gronenbergerus multa Lubeccensibus regessit, donec tota controversia per interpositionem composita est, &c.

Locus autem Conventus Hanseatici ordinarius quidem est Lubecca: attamen si periculum aliquod interveniat, vel ratio tractatuum id aliter ferat, fit interdum, ut exaccidenti aliquo locus alius conventui cuidam adsignetur, ut superius *in parte antecedenti c. 16.* explicavimus, quod Anno 1398. Rostochij & Anno 1370. Stralsundii, Anno 1410. Hamburgi, ut refert *Frid. in Chron. Stetin. part. 1.* Monasterii ac toties Lunæburgi celebrati fuerint Conventus; sicut etiam *c. 1. huius tract. de Colonia* agendo, ibi retulimus quomodo propter invastationem Danicam Hansa communem conventum ibi habuerit. Sic etiam in dissidio diuturno Anglicano, præsertim quũ illis Flandri in perniciem Orientalium civitatum mercaturæ Hanseaticæ se adsociassent, Anno 1491. Antwerpiæ conventus solemnis nomine universi Hanseatici corporis fuit habitus, quo cum magna venerunt pompa, ut diuturnum bellum propter crebras piratarum qui se undiquaque submiscuerant huic prætextui, spoliationes, cum Anglicanis posset componi. Quum vero Bruggensium stapula & Emporium, dictas ob causas, Antwerpiam esset pridem translatum, & ibidem talia celebrarentur Comitia ab Hansis cum tanto splendore, male sibi ominati cœperunt Bruggenses, quod non facile Emporium posset restitui. Ideo etiam suos misere illuc Legatos orarum, ut lis & discrepantia posset componi, velut etiam superiori tempore idem in conventu Lubeccano petierant. Verum quum adhuc bello cum Anglis sociato inhæreret, res non potuit tã facile transigi, sed jussi sunt bene sperare, ut rebus bene cũ Anglicanis cõplacatis, ipsi quoq; in gratiam redire, ac Emporii iuri restitui possent. Uno tũ simul opere cõtroversia, quã Hamburgenses cũ Hollandis diu agitarant, propter mercaturã nimis invidiose flagitatam, examinari plenius cœpit; sed nihil emendatum fuit eorum, quæ in quæstionem venerant; licet varia fuerint tentata media, quæ præiudicium tollerent. Sic ultra mensis spacium frustra tempus cum

Digitized by

Anglis consumptum fuit, quum verba verbis, crimina criminibus, & facta factis regererentur inutiliter. *vide Crantz. lib. 14. Vand. cap. 16.* Pro rerum etiam necessitate, non tantum conventus celebrantur in iis civitatibus, quæ membra Hanseæ repræsentant; sed quoque pro necessitate caussæ alia suis intentionibus & negotiis destinant loca, cum concessione superiorum, velut in nuperis temporibus factum, in caussa Brunsvicensium cum Duce Henrico Iulio, ubi Anno 1605. in oppido Ducatus Lunæburgensis Walsrodano conventum habuerunt, in quo de primis fundamentis arctioris fœderis pro defensione civitatum Hanseæ & Reipubl. Brunsvicensis admodum serio actum est. Quum vero neque tunc res omnis plane posset confici, ad Anni 1606. initium multa sunt dilata, ubi tunc conventus Lunæburgi habitus est: sed plenior statim conceptio facta fuit 10. April. Brunsvigæ, ubi se tunc illis Dux Lunæburgensis adsociavit, uti infra explicabitur; in primis ad arctiorem correspondentiam Colonia, Monasterium, Rostochium, Stralsundium, Dantiscum, Hildeshæmium, &c. requisitæ sunt, velut etiam Brunsvicenses in se receperunt, quod civitates Imperiales, inprimis 4. Principales convocantes aut requirentes cæteras, videlicet Francofurtum, Argentoratum, Norinbergam, & Ulmam (vulgo Außschreibende Stätte vocant) pro adsistentia & correspondentia, quum itidem illæ conventum suum ad 11. Maij Wormatiæ essent celebraturæ, sollicitare vellent. Atque ut eo rectius omnem à se propellerent vim cuiusque membri huius confœderationis, contributio usque ad 44000. Imperiales facta est, cui additus est certus dispositionis mutuæ modus, qui non minus fuit notabilis. Lunæburgi sæpius alias fuerunt habiti conventus, ut infra patebit, sic & Ultraiecti, & Tremoniæ, &c.

Quis vero modus consultandi & votandi, ac colligendi vota observetur ex prisca consuetudine in conventibus singulis, facile ex hactenus dictis potest percipi: quum pro re nata quidvis sit pertractandum: Attamen statuta & decreta publica id exigunt, ne quis extra oleum, quod dici solet, evagetur; sed ut scopum concise pertingat in omni deliberatione; quum veritas & integritas non in argutiis multis aut amphibologiis ullis cõsistat, sed simplicé mentis expetat explicationem. Ideoque ita cautum est, ut omnes in mentis & commissionis explicatione ambiguitates & circumlocutiones evitentur: tũ ipsa quoque honestatis ratio id exigit ita, ut quilibet peritus se comparet ad animi sensa sui dilucide exprimenda, & quæstionis præsentis statum summatim formandum. Dum autem unaquæque res secundum præscriptos articulos deliberatur, à Syndico quoque Hanseæ eius substituto concipiuntur litteræ variæ, quæ ad Imperatorem, Reges, Principes, aut diversa regna & Respublicas aut consociata membra sunt mittenda, quæ non sine accurata cura perleguntur, bis terve etiam releguntur; ubi simul cuique Legatorum liberum est pro voto quid adiicere, aut expungi quædam curare; quam industriam & cautiorem prudentiam sæpius in illis collaudare solitus sum; ita nihil temere effundi, aut incogitanter poni sinunt, ut, qui Hanseaticorum litteras in pleno consessu comprobatas legat, nihil frustra cõceptum dicere queat. Proinde etiam accurate stylus in conclusione & subscriptione ita observatur, ut inde facile constare possit, quomodo litteræ conceptæ & scriptæ sint. Sicuti etiam civitatis Lubeccensis sigillo, tanquam Directorii confirmatione utuntur, nec aliud admittunt aut adiici sinunt, uti ipse vidi & audivi in conventu Hanseæ particulari, qui Anno 1625. 10. August. Borgerdorfii oppidi in Præfectura civitatis utriusque Lubeccensis & Hamburg. designantis celebratus est, quum Lubeccam pestis nimium inficeret urbem. Etenim quum Lubeccenses legati non secum attulissent sigillum, nec id civitati consultum putarent, & tamẽ diversi Legati Regis Galliæ, Regis Dan. aliique essent cum responsione certa dimittendi; quæstio hæc duplex formata, agitataque fuit, ut aut præsentes civitates subscriberent nomina, aut sine sigillo responsum in scriptis daretur. Legati, sine speciali commissione aut instructione non posse stylum communem corrigi aut mutari, sancte affirmarunt, velut etiam ex retroactis antecedentia multa Bremenses allegarunt. Post varias disputationes, tandem medium inventum est, ut ad Legatos Regios mitteretur Secretarius Lubeccensis, qui difficultates illis explicaret; ad quod saltem recredentiales petiere, & ut saltem in scriptis resolutio illis traderetur, & concesserunt eo usque Hamburgum, ubi subsignationem Lubeccensium expectarunt. Alias vero subscriptione tali, aut in simili modo utuntur: Datum in Cæsarea libera & S. Imperii civitate Lubecca, sub Signeto urbis, ad quod omnes hoc pro tempore nos confitemur. In subscriptione: Unitæ civitates Hanseæ Teutonicæ. Sub dato 29. Ian. Anno 1619. ad Elect. Brandeburg. propter æquum valorem monetæ in solvendo vectigali. Sic & ad Duces Lunæburg. & Megapolit. scriptum tunc fuit. Interdum etiam ita habetur: Datum in Conventu nostro sub Urbis Lubeccensis signeto, cuius usus nobis est in communibus negotiis, 8. Octobr. Anno 1621. Unitæ Civitates Teutonicæ Hanseæ heic iam congregatæ. Ceu tunc scriptum est ad Regem Sueciæ, quum civitates novam obferrent Legationem pro petitione confirmationis Privilegiorum, & simul se excusarent in puncto Confœderationis, quam Rex Sueciæ tunc apud Civitates & Confœderatos Hanseæ ambiebat anxie. Interdum quoque in subscriptione poni solet: Deputati & Legati unitarum Civitatum Teutonicæ Hanseæ; uti factum Anno 1621. 14. Maij, ad civitatem Norinbergensem, quum novi gravaminis & oneris, quod Dux. Frider. Ulricus Brunsvicensis novo vectigali commerciis imposuerat, indicationem Hanseatici facerent, ut reliquis quoque Germaniæ & Imperialibus civitatibus communicaretur. Inprimis vero notabilis est præ cunctis aliis, quas inter tot centenas vidi, quam Anno 1620. sub dato 23. Martii ad Fridericum Regem novum tunc Bohemiæ & alios Elector. ac Duces Civitatesque Evangelicæ Germanicæ Unionis, (uti dici tunc volebant) Norinbergæ congregatos miserunt, hæc subscriptio, quæ talis fuit, ut correspondaret titulo illorum, ad quos mittebatur; Unitæ Evangelicæ civitates Teutonicæ Hanseæ, &c.

Quod si autem prius rationes emanentium examinatæ & pœnæ unicuique iuxta statuta dictatæ, ac demum res omnes expeditæ fuerint, tandem cõmune placitum in certum conicitur Recessum

sive

sive commune decretum, quod cuivis civitati in scriptis cum subsignatione, si ita petatur, Syndici nomine communi exhibetur, ut non tantum sit memoria certa actorum; sed etiam Statuti firmi id habeat locum, quod membris omnibus, quasi legem novam addit.

Expedienda vero omnia Lübeccensibus relinquuntur ita, ut postea in proximo conventu sequenti relatio inde fiat, si quid forte minus ad votum successerit, aut quidquam fuerit obtentum. In Recessu quoque stylus semper uniformis retinetur, ut causæ in exordio prægnantiores referantur, quare convocatio illa sit facta, & quot civitates, atque quinam Legati adfuerint nominatim, & quid ad singulum articulum sit conclusum. Quo fit, ut vel ex nudis recessibus ferme tota Historia Hanseatica iuxta seriem continuam pertexi & confici queat. Sed nunc ad formale Unionis istius Hanseaticæ progressum nos facere oportet, Ex quibus reliqua de officiis, *superius* 2. *cap.* allatis, Hanseaticarum civitatum præcipuarum plenius cognosci poterunt, ne sit crebra opus repetitione.

Cap. XI.

De Statutis & Decretis antiquæ Hanseæ, atque eorum generali dispositione, iuxta conceptum D. Domanni Synd. Hanseæ.

FOrma igitur confœderationis Hanseaticæ partim consistit in universali unionis eius cõstitutione, partim in particulari fulcro. Universalis iterum aut constat ex veteris fœderis decretis & pactis, aut eorum renovatione. Particularis vero aut æqualitatem sociorum concernit, aut inæqualitatem eorum, quando, videlicet Reges aut Duces Hanseatico corpori se submiscent, ut mox infra patebit. Universalia autem Decreta, quum olim ante 14. annos iussus esset ex communi Hanseaticorum placito colligere Syndicus Doct. Iohannes Domannus, ea iuxta eius seriem, huc ita referemus, ut ille tunc conceperat tali modo; cuius delineatio sic se habet:

Honorabilium Hanseaticarum civitatum Statuta & ordinationes, sive Recessus, De Receptione Civitatum, quæ Fœdus Hanseaticum ambiunt, & aliis Ordinationibus.

Pars I. de communibus Hanseæ Decretis.

1. *Quod si civitas* aut urbs quædam cupiat ab Hanseatis recipi, tunc tenentur Lubeccenses, aut alia quædam civitas, quæ propterea implorata fuit, ut omnes civitates legitime convocentur: Atque tunc in litteris illis causæ specificæ explicabuntur, ut civitates diligenter considerare possint, num communi bono conducat id, vel minus, ut civitas illa admittatur & recipiatur. Et si hanc subsequatur incorporatio, è vestigio istud absque mora omnibus Regibus & territorii Dominis, à quibus civitates Privilegia obtinent, per litteras indicandum est. *Ex Recess. de Anno* 1440. *& an.* 1447. *art.* 3.
2. *Alias vero Civitates ille* ordinarie tertio quoque anno à festo Pentecostes Lubeccæ conventum solemnem habebunt: quod si tunc, aut si interea convocatio facta fuerit, quæpiam non comparuerit, ea tam diu, donec debitam pecuniæ mulctam una atque altera vice persolverit, ab Hansa exclusa erit; sicut etiam ille, in triplicatam pœnã ipso facto incidet, qui tertia vice emanserit. *Recess. de Anno* 1450.
3. *Quæcunque civitas* mulctam suam non persolvet, eius cives arrestabuntur debite, donec mulcta sit persoluta. *Recess. de Anno* 1434.
4. *Quod si civitas* quædam absentiam suam rationibus aliquot excusare studuerit, causæ tales à quopiam Senatore iuramenti vigore probabuntur, & obtineri aliter non debent. *Recess. de Anno* 1417. *&* 1441. *&* 1447. *atque* 1540.
5. *Quæcunque vero civitas* serius nonnihil adveniat, pro unoquoque die absentiæ 20. Imperial. thaleros solvere tenebitur. *Recess. iisd.*
6. *Quod si civitatibus* Hanseaticis quispiam legatus in itineris accessu aut recessu ex conventu Hanseæ captivus abducatur, tum continuo duæ in vicinia sitæ civitates totis viribus in id incumbent, ut captivus relaxetur. *Recess. iisd.*
7. *Ad conventum Hanseæ* legati uniuscuiusque civitatis credentiales secum afferunto. *Recess. de Anno* 1369.
8. Haud ullius Civitatis Legati ex conventu Hanseatico, missis Dominorum domi relictorum avocatoriis, discedant, nisi prius advenerint qui locum eorum suppleant. *Recess. de Anno* 1566.
9. *Neque Syndicus*, neque Secretarius quispiam in conventu Hanseæ ad consilii sessionem admittetur, nisi simul Senatoris cuiusdam persona, ex ea civitate, à qua missus veniat, ipsi adsit una. *Recess. de Anno* 1418. *Recess. anno* 1441. *&* 1447. Exemplum Anno 1449. observatum est. Contraria tamen exempla fuerunt Anno 1452. & Anno 1600. Olim etiam admissi sunt, videatur *Recess. de Anno* 1369.
10. *Sic etiam in universalibus* cunctis Hanseæ conventibus debent ex omnibus Emporiis, & quidem singulis vicibus Senior, sive Altermannus & Secretarius mitti *Recess. de Anno* 1553.
11. *In conventibus Hanseaticis* nulla unquam negotia privata tractari debent, nisi prius publica plene fuerint expedita. *Recess. eod.*
12. *Civitates quoque nunquam* in Senatu tertia aut quarta parte surgent & inter sese consultabunt, atque sic sententiam suam deprom ent, sed unusquisque ad singulos articulos votum suum ordine deponat. *Recess. de An.* 1497. *art.* 13.
13. *Omne, quodcunque Civitates*, quæ in Colonienſi confœderatione comprehenduntur, cõcludunt, hoc omnes reliquæ, quæ Hanseæ devinctæ sunt, servare teneantur. *Recess. Anno* 1369.
14. *Quod etiam* maxime sana in Hanseæ conventu vota concludunt, illud minora, sive præsentia vel absentia, approbare & sequi tenentur. *Recess.* 2. *de Anno* 1417. 7. *Recess.* 1363. *&* 1376. *&* 1. *Recess.* 1600.

15. Han-

15. *Hanſeatici Receſſus* nulli Principum aut Domino ſuperiori communicari debent. *Receſſ. de An.* 1476. *Item* 1494. Exemplum vide in *Receſſ. Anno* 1499. *Item* 2. *Receſſ.* 1600. *Item an.* 1604. *in act. Brunſ. part.* 2. *pag.*

16. *Qui ſemel unquam* contra ordinationem Hanſeaticam quid doloſe peregit, ille nunquam ullo tẽpore in ulla civitate Hanſeatica pro cive excipi aut toleratier poterit. *Receſſ. de An.* 1391.

17. *Qui in militia* & bello contra civitates Hanſæ unquam ſervivit aut expeditionem ſubivit, ille itidem nunquam in æternum pro cive excipi valet. *Receſſ. de anno* 1521.

18. *Quicunque civu* Hanſeaticus tempore belli iuri civitatis reſignaverit, ille nuſpiam in civitate aliqua Hanſæ tanquam incola aut civis tolerari poteſt. *Receſſ.* 1. *an.* 1364.

19. *Qui etiam* alias Hanſæ renunciaverit, nunquam in æternum recipietur. *Receſſ de Anno* 1447.

20. *Nemo in duabus* civitatibus Hanſeaticis ſimul civem agere valet, neque in duobus Emporiis ſimul Seniotis partibus fungi. *Receſſ. Anno* 1470. 1498.

21. *Nemo poterit* Seniotatum ſubire in ullo Emporio, neque Neogardiæ, neque in tribus illis regnis, multo minus privilegiis Hanſæ frui, niſi ſit civis Hanſeaticus, neque quis privilegiorum eorundem defenſionem nanciſcetur, niſi civis Hanſæ ſit, aut civis tal s miniſter. 3. *Receſſ. de an.* 1417. *Item* 1434. *It.* 1447. *&* 1395.

22. *Quicunque in pago*, oppido aut ditione aliqua, cuius dominium ſpectet ad aliquam civitatem Hanſæ, natus fuerit, ille ſervi aut famuli alicuius miniſterium ſubire quidem, at Mercatorem agere in Emporio aliquo nullatenus quis poteſt, niſi domicilium & ius civis habeat, aut ex tali civitate ſit natus. *Receſſ. de Anno* 1467. *Item* 1553. *&* 1554.

23. *Quod ſi quis* extraneus per ſeptennium Hanſeatico tali inſervierit, aut per ſeptennium in civitate Hanſæ aliqua ius civis poſſederit: etiamſi non homo liber extiterit, aut putatus ſit; nihilominus in Emporiis cunctis ad reſidentiam & negotia talia qualificatus eſt & admiſſibilis: Exceptis tamen Anglis, Hollandis, Seelandis, Flamingis, Brabãtinis & Norimbergenſibus, qui in his civitatibus recipi non debent. *Receſſ. de anno* 1447. *& anno* 1449. Rationes alibi explicantur, cum correctione decreti.

24. *Qui ſibi ius* Emporii & reſidentiæ competere merito putat, ille documentis iuſtis id prius probabit, & ea exhibebit, ut ex iiſdem conſtet, quod Hanſeaticus ſit natus, & talia Documenta ſaltem concipient civitates Lubecca, Dantiſcum, Riga, Colonia, Monaſterium, Daventria, Magdeburgum, Brunſviga & Hildeshæmium. *Receſſ. de Anno* 1494. *&* 1497.

25. *Qui in aliquo* Emporio reſidet, & extraneam ducit coniugem, ille eo ipſo facto Hanſam amiſit. *Receſſ. de anno* 1497. nec in ulla civitate Hanſeatica ad ius civium admitti debet; velut nec ullus nauta Hanſeaticus, qui ex Oriente in occaſum navigationes ſuas exerceat, & ibi domicilium habeat, talem tranſvehet, nec ullus Hanſeaticus eius bona acceptabit, & ipſi tranſmittet, ſub pœna 3. marcatum auri, iactura iuris civitatis & mercaturæ aut negotiationis Hanſeaticæ per 3. annorum ſpacium. *Receſſ. de an.* 1447.

26. *Nemo in* civitatibus Hanſeaticis coram Senatu ultra ſex perſonas comparebit, quæ ipſi adſiſtentiam præſtent, ſub pœna 2. marcarum argenti puri, pro qualibet perſona, ultra 6. dictas; quæ ſtatim ex bonis eius Commercia agentis perſolventur. *Receſſ. de an.* 1417.

27. *Quod ſi Senator* quiſpiam contra alterum Senatorem in civitate Hanſeatica verbis iniurioſis inſurgat, dum negociantur, non ille loco privabitur ſtatim; ſed pœna pecuniaria mulctabitur. *Receſſ. de an.* 1318.

28. *Cuiuſcunque civitatis* cives Magiſtratui in ſtatu regiminis ſeſe opponent, & dignitatem dominationis eidem præripere conabuntur, illius civitatis Legati ad nullum Hanſæ conſilium admittentur; ſed cives admonebuntur, ut prius Senatum reſtituant, & Hanſis reluitionem, pro ignominia præſtent; Quod ſi hoc nõ perficiãt, ea civitas ab Hanſis erit excluſa, & eius cives cum reliquis Hanſeaticis nihil commercii aut negotiationis commune habebunt; ſed ne quidem tolerabuntur uſpiam in Hanſæ aliqua civitate. *Receſſ. de anno* 1447. *&* 1. *Receſſ.* 1417. *&* 3. *Receſſ.* 1317. *Exempla in Receſſ.* 1318. 1327. *Item* 1347. *&* 1. *Receſſ.* 1454. *& an.* 1487.

29. *Quod ſi quoque* Communitas Senatum vel etiam partem ſaltem Senatus altera eiuſdem pars officio ſuo Magiſtratus privet vi, tunc ſtatim ipſo facto ea civitas perdidit ius Hanſæ tam diu, donec deportati plene ſint reſtituti. *Receſſ. de an.* 1418. *It.* 1420. *diverſimode, &c.*

30. *Qui ſeditionem* in aliqua civitate movet, aut etiam cum ſeditioſis conſpirat, ac forſan ſe ſubducit, ille in nulla Hanſæ civitate ſalvum conductum inveniet; ſed ubicunque deprehendatur, vitæ ſupplicio ſubiectus erit. *Receſſ. de ann.* 1412. *Item* 3. *Receſſ.* 1417. *Item* 1418. *Item* 1470. *&* 1317. *nec non* 1521. *Exempla vide in Receſſ.* 1447.

31. *Quacunque civitas* atheiſmo anabaptiſtico adhęſerit, ea perdidit ius Hanſæ. *Receſſ. An.* 1335.

32. *Inter litigantes* duas urbes, Item, ſi univerſa civiũ communio, aut paucæ perſonæ cum Senatu litigia foveant, tunc corpus Hanſæ iudex mox competens erit. *Receſſ. de an.* 1312. *Item* 1317. *Item* 1327. *&* 1341. Quod ſi civitas quædam huic ſe oppoſuerit, ea 100. marcarum argenti mulctam penſabit. *Receſſ. de an.* 1447.

33. *Quod ſi mercatores* duo Hanſeatici litigia inter ſeſe foveant, tunc nemo eorum poterit aut debebit Eccleſiaſtico alicui ſuum ius cedere, niſi ceſſionarius ſequatur forum eius compromiſſarium, qui ſecundum Receſſus Hanſæ iudex eſt competens. *Receſſ. de anno* 1447. *Item* 1511. *&* 1517. *Exempla in* 1. *Receſſ.* 1417. Pœna huius eſt, amiſſio iuris civium apud omnes civitates Hanſeaticas. *Receſſ. de an.* 1417. in Lubecca circa feſtum Iohan. Baptiſtæ.

34. *Quod ſi quis* Hanſeaticus alteri apud extraneum magiſtratum arreſtum iniiciat, aut eius bona (ſolo excepto caſu neceſſitatis) aut eum ſolummodo ibi in ius vocat, tunc ille ex urbe deportabitur, ſub pœna marcæ auri. *Receſſ. de Anno* 1470. *&* 1487.

35. *Quod*

35. *Quod ſi etiam* Hanſeaticus quiſpiam, qui in Emporio aliquo (conthoreo) reſidet, ordinariæ huius iuriſdictionis in præiudicium, proceſſum aut alia iuriſdictionalia coram altero Magiſtratu intentet, ille civitatibus Hanſæ tres marcas auri perſolvere tenebitur; Super hoc civitas illa ubi actor talis offenditur, & quæ ob id à parte læſa implorabitur, executionem promptam ſtrenue cõmittet, aut de ſuo talem pendet mulctam. *Receſſ. de Anno* 1576.

36. *Si Eccleſiaſticum* Hanſeaticum quempiam coram incompetente aut Eccleſiaſtico judice in ius pertrahere conetur, non ille in ulla Hanſæ civitate perferetur aut tolerabitur. *Receſſ. 2. de anno* 1367.

37. *Crucigeri illi* qui propterea hoc ſignum adſumunt, ut privilegio loco Eccleſiaſtæ talis fruantur, in nulla civitate Hanſæ tolerari debent. *In* 1. *Receſſ. de Anno* 1575.

38. *In civitatibus* Hanſeaticis nequit contractus emptionis fieri, niſi ad minimum contrahens ſit civis aut incola; alias impugnabitur ſtatim. *Receſſ. de Anno* 1494.

39. *In civitatibus* Hanſeaticis non amplius tantus navium numerus ædificabitur, velut antea; quum tot inde cotidie incommoditates enaſcantur. *Receſſ. de Anno* 1430.

40. *Nemo ex civitatibus* Hanſeaticis aurum argentũve in extera loca pro artificiis inde conficiendis & abſumendis exportabit. *Receſſ. de an.* 1418 & 1427. ſub pœna vitæ & bonorum. *Receſſ. de anno* 1417. à feſto Pentecoſtes.

41. *Nemo emet* aut vendet haleces, antequam captura ſit perfecta; nec frumentum ante meſſem; pannum aut alia artificialia manufactionis, priuſquã fuerint confecta & abſoluta: Si quis contra hoc quid tentet, tunc emptor pendet bona cuncta; venditor autem 10. marcas argenti pro mulcta ſolvet; qui talem contractum nullitatis annunciabit, ille ſextam partem ex bonis his confiſcandis pro præmio accipiet. *Receſſ. de anno* 1447. *artic.* 9. *& alibi.*

42. *Frumentum nullum* per Orſundium aut Balthen ab Albi aut Viſurgi & è contra navigari debet, niſi ex civitate Hanſeatica avehatur; quicunque nauta contrarium egerit, in nulla Hanſæ civitate tolerabitur, nec ipſi quid concrederetur pro vectione: Et quicunque mercator Hanſeaticus cõtra hoc quid tentet, ille perdet bona ea cuncta: extraneus autem ab omnibus commerciis, in & cum Hanſeaticis communibus, penitus excludetur. *Receſſ. de Anno* 1417. *&* 1447. *ac* 1440.

43. *Nemo pannum* faſciculatum emet & in alia loca ad colorificationem tranſportabit, niſi ubi confectus ſit pannus talis, ibi quoque colore tingi & præparari debet, ſub pœna perditionis panni. *Receſſ. de an.* 1417. *in Lubecca.*

44. *Pannus nullus extenſivus*, panſilis aut panſivus, nec ſerica falſo colore tincta, debent in civitatibus Hanſæ vendi, ſub pœna confiſcationis. *Receſſ. de an.* 1598. *ubi una civitas contradixit* H.

45. *Sic nec aromata* inutilia aut fucata in civitatibus, nec aliter, quam ſecundum pondus vendi quid ſolide debet, ſub pœna confiſcationis: & uncia quævis duos lotones Colonienſes continebit. *Receſſ. de Anno* 1507.

46. *Sal Colbergenſe* non infundatur vaſis Lunæburgicis, ſed ſolummodo minutulis ligamentis involvatur ligno, ſub pœna amiſſionis. *Receſſ. de an.* 1413.

47. *Nemo ſal Paionicum* in ulla civitate Hanſæ exponat, niſi hoc ipſe emerit, aut afferri ſibi curarit. *Receſſ. de an.* 1470.

48. *Nemo piratis* arma bellica aut victualia vendat, ſub pœna corporis & vitæ, ac bonorum confiſcatione. *Receſſ. de an.* 1417.

49. *Nullus Hanſeaticus* ſubiectus ſuſpecta ex mari, aut famoſa ex deprædatione, bona ſibi emat ſub pœna vitæ. *Receſſ. de anno* 1417. *&* 1447. *Item* 1470. *&* 1498. Tum etiam taliter bona coempta civitatibus Hanſæ in confiſcationem concident. 1. *Receſſ. de anno* 1447. *art.* 11.

50. *Quod ſi vero* bona ſpoliata inſcienter emat, tunc ſolummodo bona fiſco Hanſæ concident; at ignorantiam ſuam iuramento probabit. *Receſſ. de an.* 1447. *art.* 11.

51. *Quod ſi* Senatus, in Hanſæ aliqua civitate, talia delicta non puniat, ille Hanſæ 50. marcas auri pœnæ loco ſolvet. *Receſſ. de an.* 1447.

52. *Quod ſi* ex civibus Hanſeaticis quiſquam extraneũ vectigal ſibi conductionis contractu devinciat, id ſuo faciet periculo, nec propterea ullam adſiſtentiam in caſu aliquo à civitatibus expectabit. *Receſſ. de an.* 1497.

53. *Quicunque* miniſter illuc, ubi mercator dominus eius habitat, ad reddendas rationes pervenire recuſabit, ille in nulla civitate Hanſeatica locum civis inveniet, nec recipietur. 1. *Receſſ. & 3. de an.* 1417. *Item* 1441. *Item* 1447 *&* 1440.

54. *Qui in una* civitate Hanſæ aut etiam alibi pecuniam mutuo ſumit & accipit, aut pignora excipit, & ſecum tamen aufert in alium concedendo locum habitandi, ille hoc facto amittet omne ius civitatis, nec in ulla civitate ſalvum conductum habebit, nec mercatoris ullius locum merebitur, multo minus ut debeat iure mercatoris defendi. *Receſſ. de an.* 1417. *&* 1418. *&* 1470.

55. *Ita quoque*, qui propter debita expellitur, ille nequaquam ulla in civitate Hanſæ tolerabitur. 1. *Receſſ. de an.* 1398. *&* 1447.

56. *Petulans decoctor* aut defraudator, quem Banckerottirer dicunt, ſi fugam arripiat, & campanæ ſignum ipſum ignominia affecerit, ac uſpiam deprehendatur, per aliquot horas, in loco delinquentium publico, vinculis æneis ſiſtetur ſpectaculo. *Receſſ. de anno* 1491.

57. *Vbi indicia* ad probationẽ doli ſufficientia erunt, talis defraudator, non aliter ac iuxta leges civitatis Lubecenſis quam fur ſuſpendi debet. *Receſſ. de an.* 1545. vide etiam de hac materia *Receſſ. de anno* 1540. *&* 1620.

58. *Quod ſi* ſenior & expertus quiſpiam vir in Emporio contra ſtatuta quid deliquerit, ille duplicem exſolvet mulctam. *Receſſ. de anno* 1525. in quo Receſſu omnium Conthoriorum ſtatuta ſunt confirmata.

59. *Conthorii* adminiſtratores 4. Metropolion quotannis rationes reddent, nec abſque eorum conſenſu quidquam ex bonis eorum Conthoriorũ alienare debent, multo minus quidquam oppignorabit quis, aut obligabit ea Chirographo. *Receſſ. de an.* 1592.

60. Ne-

Digitized by Google

60. *Neque Conthorienſes* ulla Edicta aut Mandata publicare debent abſque conſenſu civitatum Hanſæ. *Receſſ. de an.* 1364.

61. *Nulli mercatorum* inhibitio fieri poteſt, ne dicat, quid & quantum mulctæ loco in Conthoriis perſolverit, ne forte id conſtare queat. *Receſſ. de anno* 1395.

62. *Quicunque miniſter* hero ſuo ſe ſurripit, & aufugit, priuſquam tempus obligationis ſuæ abſolvat, ille intra anni ſpacium à nullo cive Hanſeatico in ſervitium recipiatur. *Receſſ. de Anno* 1395.

63. *Quando colligationis* vectigal imponitur mercibus, nauta tanquam ex navibus & mercibus, velut & mercator ex ſuis mercibus penſionem aut cenſum portigent. *in* 4. 8. *&* 5. *art. Receſſ. de anno* 1368.

64. *At Principes* & Duces, tam Eccleſiaſtici propter bona, quæ œconomiæ propriæ impendunt, exempti erunt. *in* 4. *&* 5. *Receſſ. de an.* 1368.

65. *Ad accipiendum* vectigal ponderis, quælibet civitas ſuis ſumptibus certam ordinabit perſonam, nec ex Hanſæ ærario quid impendi debet. *Receſſ.* 4. *&* 5. *de an.* 1368.

66. *Nauta quilibet*, aut mercator, qui cenſum loci, ex quo cum nave diſceſſit, non perſolvit, ille poſtea, ſi incuſetur, in duplum ſolvet, & mulctam præter id præſtabit. *Receſſ. de anno* 1530.

67. *In mercimeniorum* diſpoſitione iuſtum obſervabitur pondus & menſura, iuxta loci cuiuſq; præſcriptionem; Sic vas vitrioli continebit 1300. libras: convolutum piſcium, quos Braunfiſch dicunt, continebit 32. membra, convolutum extenſum maiorum aſellorum 6. libratum navalium pondus: Convolutum pellium caprinarum 2. lib. naval. Sic & convolutum pannorum Flandricorum 20. membra, Anglicanorum 28. &c. *Receſſ. de annis* 1497. *&* 1530. ubi plures ſpecificationes habentur.

68. *Sub pœna* confiſcationis, mundæ quoque ſint merces; ſic corbis uvarum paſſarum contineat 100. libras; ſi vero quid deſit, decurtabitur in precio emptionis. *Receſſ. de Anno* 1507.

69. *Nemo corrumpat* vinum Rhenanum, ſed ita in bonitate ſua relinquatur, velut ex Dei benedictione natum eſt: quod ſi adulteratum inveniatur, iuxta crimen falſi iudicabitur. *Receſſ. de an.* 1417.

70. *Nulli extraneo* concedetur, ut navim in ulla civitate Hanſeatica ædificet, aut emat, ſub pœna 5. marcar. auri, & Hanſeaticæ iuſtitiæ. *Receſſ. ex anno* 1412. *It.* 1425. *It.* 1417. *&* 1476.

71. *Nec quiſpiam* Hanſeaticus cum extraneo quotam navis colat, aut ſocietatem mercis contrahat, ſub pœna amiſſionis iuris Hanſeatici & marcæ aureę, nec non ſub pœna amiſſionis eius, quod in quota ſocietatis habet. *Receſſ. de an.* 1426. *It.* 1441. *It.* 1476. *Item* 1440. *&* 1498. *nec non* 1454.

72. *Nemo mercatorum* Hanſeaticorum nautæ extraneo ſuas imponet merces; ſed in omnibus præferantur Hanſeatici nautæ ſub pœna 5. marcarum auri. *Receſſ. de anno* 1447.

73. *Nec in* primis Belgico nauclero verſus Livoniam concredantur ſub certo precio merces, ſub pœna confiſcationis bonorum, quę ipſi fuerint impoſita. *Receſſ. an.* 1425. vide ibidem plura.

74. *Mercatores* Flandrici non admittantur ad Societatem Orientalium civitatum, quum tantam exercuerint erga eos crudelitatem *Receſſ. de an.* 1387.

75. *Nulli extraneo* & præſertim Hollandico concedatur, ut in Livonia Ruſſicam addiſcat linguam. *Receſſ. de an.* 1416. 1434. 1447. 1476. 1478. *&* 1517.

76. *Nemo extra* Hanſeaticos in Livonia commercia exercebit, niſi in civitatibus ad mare ſitis, quod ſi quis in pagis & aliis oppidis locisque terreſtribus inveniatur mercaturam exercens, ille perdet bona talia coempta, & tam emptor quam venditor. *Receſſ. de an.* 1447. *art.* 12.

77. *Extraneo* nulli mercatori concedetur, ut ultra 3. menſes in aliqua civitate Hanſæ vivat in cómerciis, aut apertam mercâturam tracter. Vide varia de his *in Receſſ. de an.* 1434. *&* 1441.

78. *Nemo extra* Hanſeaticos pannum Anglicanum iuxta ulnæ menſuram vendat; tamen in convoluto faſciculo iuxta modum Hanſæ licitum erit. *Receſſ. de an.* 1470.

79. *Nemo* Hanſeaticus cum extraneo aliter, quam in *belvis* (ut loquuntur) id eſt in continenti ſatisfactione mutua commercia tractare debet. *Receſſ. de an.* 1441.

80. *Sic & ſi Hanſeaticus* extraneo Factori (ut vocant) alias merces, quam contectas & involutas tranſmittat, ſub pœna 3. marcarum auri. *Receſſ. de ann.* 1334. *It.* 1498. *It.* 1530. 1535. *&* 1540. *nec non* 1572.

81. *Sceticis illis*, qui hybernis temporibus in civitatibus paſſim emendicant quaſi panem, & in æſtate promercalia tractant, imo etiam collectam & emunctam undique pecuniam aliis mutuo elocãr, poſthac in nulla civitate Hanſæ hoſpitia hyberna concedantur. *Receſſ. de an.* 1507.

82. *Nemo obolos* aut nummos ſeligat ita, ut novæ monetæ deſtinet, & inde utilitatem ſibi inhoneſtam quærat, ſub pœna amiſſionis iuris civitatis, ſic & in nulla civitate Hanſæ ad ius civium unquam recipietur. *Receſſ. de an.* 1417. *Lubecca.*

83. *Nec monetarius* ullus nummos vel minutiſſimos confringet, aut in novam fuſionem rediget, qui ipſius tempore fuerint in moneta producti, ſub pœna 100. marcar. Lubeccenſium, quoties hoc tentet. *Receſſ. de an.* 1417.

84. *Quod ſi* artificis famulus aut puer per legitimum tempus addidicerit artificium, & in civitate Hanſæ aliqua inde victum ſibi quærere velit, iuramẽto ſe obſtringet, quod contra Hanſeaticas civitates nunquam in bellum ſit progreſſurus. 1. *Receſſ. de an.* 1579.

85. *Cuiuſcunque artificii* collega aut miniſter in aliqua Hanſæ civitate ſibi domicilium quærit, ut proprius ſibi ſit herus, ille documenta probatoria nõ à ſenioribus ſui artificii, ſed à Senatu civitatis ſuæ producere debet: alias propter documenta Seniorum conſociati collegii ſui nuſpiam in civitate Hanſæ ad ius civium admittetur. *Receſſ. de an.* 1417.

86. *Omnes* artificum magiſtri ſuorum miniſtrorum nomina ſtatim, ſimul ac eos conducunt ſibi, Collegii ſui præſidibus & aſſeſſoribus ſive colloqui Dominis exhibebunt, in ſcripto, ut quovis tempore inde indicatio ſumi queat. *Rec. de an.* 1549.

87. *Manufactura* cuiuſque miniſter nullus ſine litterali indicio, quod vulgo *paſſportum* dicunt, ex una in aliam dimittatur civitatem Hanſæ, nec uſpiam ſine tali ſigno recipiatur. *Receſſ. de an.* 1549.

88. *Ma-*

88. *Magiſtri* tribuum & collegiorum in civitatibus Hanſæ nuſquam competit, ut miniſtros ſuos mulcta aliqua afficiant pecuniaria; nec etiam expunctiones in regiſtro nominum facient, niſi id cum conſenſu magiſtratus eo in loco fiat. *Anno* 1572.

89. *Quando* collegii alicuius Magiſtri ex aliquot civitatibus vicinis conventum inſtituunt, & novas artificii ſui ordinationes conſtituere cupiunt; ad quemvis actum talem civitatis illius, in qua hæc pertractantur, ſigilium ratificationis ergo adhiberi curabunt, quod etiam tunc Magiſtratus cuiuſque loci confirmabit. *Receſſ. de an.* 1482.

90. *In Livonicis* urbibus nullus præfectorum cõmercia exercebit, quum mercatoris & præfecti diſcrimen ingens ſit, quod non confundendum, multas avaritiæ ob rationes: Si vero præfectus quis ſe ad mercaturam convertat, præfecturæ munus reſignet. *Receſſ. de anno* 1417.

91. *Pelliones* nulla ratione pellibus ullis ſua exſcindant dorſa, ſub pœna 3. marcarum. *Receſſ. de anno* 1418.

92. *Quando* civis Hanſeaticus moritur in civitate aliqua Hanſæ, ubi domicilium non habuerit, Senatus loci poterit bona relicta tam diu adſervare, donec hæres eius adveniat, ubi portionem bonorum ſibi talem vindicabit, velut extraneus penſare ſolet; tamen ſtatutorum ratio & iura obſerventur potius. *Receſſ. de an.* 1414.

93. *Vt res* neceſſariæ in conventibus ſingulis debite pertractari poſſint, quotquot convocatæ ſunt urbes, ſiſtere ſe per Legatos ſuos debent; quæcunque vero abſque iuſta & legitima cauſſa (quæ à civitatibus præſentibus examinabuntur) nõ mittet Legatos, prima vice 2. marcas auri, pœnæ loco ſolvet; ſecunda vice 3. marcas, & nihilominus obſervare tenebitur, quodcunque in conventu concluſum fuerit. *Receſſ. de anno* 1549. *& 1556. nec non* 1604.

94. *Contra* contumaces emanentium executio obſervabitur talis, *quam* 5. *art.* confœderationis novæ de *An.* 1604. exprimit.

95. *Quacunque* in conventu non iuſto tempore comparuerit, ea civitas 20. Imperiales ſolvet, niſi legitima ſit cauſa; cuius cognitio penes civitatum Legatos præſentes erit. *Receſſ. de an.* 1604.

96. *Commune* ærarium Hanſæ non ſiltem ex contributionibus ordinariis & annuis, ſed etiam aliis impoſitionum modis inſtitui debet. *Receſſ. de an.* 1604.

97. *Penus* argenti & pecuniæ, qui ex diverſis inventionibus augendus venit, ad ærarium communis Hanſæ retrahi debet, ut inde onera talia allevamentum ſentiant. *Receſſ. de an.* 1604.

98. *Quoties* in Conthoriis aut Emporiis univerſalibus miniſter novus recipitur, honorarium quoddam leve, loco contributionis, ærario communi adiicere debet. *Receſſ. de an.* 1604.

99. *Quod* ſi eiuſmodi miniſtri, quorum negotiationes in Conthoriis ſunt approbatæ, ius civium in aliqua Urbe Hanſæ acquirere ſibi ſtudeant, tales quoque, pro ratione ſtatus aut conditionis, certi aliquid in ærarium commune conferre debent. *Receſſ. de anno* 1604.

100. *Legationes* abſque neceſſaria & evidenti cauſſa nunquam ſunt inſtituendæ, ne abuſus quis interveniat. *Receſſ. de an.* 1604.

101. *Quoties* Legationes ſubeundæ erunt, id prius in conventu debet concludi, ubi & deputatio & inſtructio rite ex communi placito ordinanda erit; alias ſumptus ex ærario communi non perſolventur. *Receſſ. de an.* 1604.

102. *Ac ne* ſumptus in legatione aliqua nimium exceſcant, cuique legato ſaltem 2. Miniſtri ſatis erunt, nec ultra 5. Imperiales ad cuiuſque diei alimenta ipſi porrigantur, aut ex ærario rurſus perſolvi non debent. *Receſſ. de an.* 1604.

103. *Si aliæ* civitates his ſubdelegatos ſuos adiungant, illæ quoque onera præſtare debent ſua, nec ex ærario communi id erit perſolvendum. *Receſſ. de an.* 1604.

104. *Ac ne Legati* quid damni ſubeant, & ipſa æquitas requirit, ut labores aliqua ratione recompenſentur; cuique Legato pro itineris benignitate quid certi ſolvatur. Si locus ſit ultra 4. aut 5. dierum ſpacio diſſitus ad quem mittuntur, cuique 70. Imperiales, alias vero ſi brevius ſit ſpacium, 30. Imperiales obferri debent, &c.

105. *Quidnam ad ordinationem* navalium referri debeat, quidque in ſingulis obſervandum iuxta Hãſæ communis conſtitutionem, id ſedulo heic notari debet, quod in 35. articul. adius Lubeccenſe eſt adiectum. Atque hoc quum alias publice extet, & paſſim in uſu ſit, non opus eſt, ut iam in ſingulis moneamus: quilibet id inde petat: ubi percipiet, quod accurate caſus omnes ibi ſint præfigurati. Titulus eſt: Hanſeatica ordinario, rebus nauticis præſumpta, & *Anno Chr.* 1591. *à confœderatis Hanſæ Teutonicæ civitatibus* in publico tunc conventu decreta & approbata.

Ex his & ſimilibus ſtatutis, quorum numerus lõge potior eſt, ſi ſinguli examinentur ab aliquot ſeculis receſſus, ſatis clare perſpicitur, quæ intentio in commerciorum conſervandorum ſtudio Hanſeaticis fuerit, & quem ſibi, per hanc prudentem diſciplinam, in cohibenda mercatorum avaritia, præfigere voluerint ſcopum. Quamvis in plurimis commodum proprium ſe exerat; tamen id maxime ad caſus diverſos reſtringendum venit. Etenim ipſa conſtitutio undique id ſatis detegit, quod multi varii caſus tales reſtrictiones procrearint, ut technæ multiformes, & fallacitates in mercatura reprimerentur. Quippe etiam longinquitas temporis experientiam hanc illis addidit, ut quam plurimorũ malitiam Hanſæ ſocii prudentiores cohibere coacti fuerint. Qui rem ſanioribus oculis penitius introſpicere laborabit, facile inveniet, quod in mercimoniis aſtutiſſima ingenia paſſim ex omnibus terræ partibus confluant: His, niſi diſciplina, acuta norma & modus ingenioſus ſatis præſcribatur, adeoque iniciatur acre frænum, facillimo motu in quævis abripiuntur fallacitatis extrema. Ideoque neceſſum eſt, ut honeſtatis vinculum heic connectatur, quod exorbitantias multorum ingeniorum in gyrum redigat, ut omnia in æquitatis & iuſtitiæ moderamine eo rectius conſervari poſſint. Nec eſt Magiſtratus, qui cuncta ita accurate examinare aut penitus perſpicere queat, niſi illi quorum maxime intereſt, & ſingula in intimis penetralibus perſcrutari pridem didicer-

didicerunt. Ac niſi experientia ipſa tot illis ſuggeſſiſſet diſpoſitiones, diu minus fœdus hoc ſe contra tot avaritiæ, ambitionis, & proprii commodi portentoſa violentiſſimaque monſtra, per tot ſecula, conſervare aut defendere potuiſſet. Veluti ſupra aliquoties explicatum, quot & quantos oſores uſque à principio ferme fœdus Hanſæ iſtud habuerit. Idque heic bene notandũ dicit recte *Reigman in Chron. Lubec. lib. 2. pag. 35.* quod commune fœdus Hanſeaticum non ſaltem nudi commercii cauſſa, ſed etiam propter communem tranquillitatem & pacis culturam, ut eo rectius in civitatibus & Rebuſpubl. firmior gubernationis regiminiſque diſciplina, & inde profluens auctoritas conſervari queat. Atque hæc cauſſa fere eſt unica, quur coacti ſint, pœnis & mulctis honeſtatis humanæ normam in negotiationibus vitæ neceſſariis propagare.

Quum vero ex antiquis illis confœderationum pactis, ante annos plusculos, anno videlicet 1604. fœderis Hanſeatici forma hiſce temporibus accommodata, compoſita ſit, ut in eo fruſtra ad ſuperiora recurratur ſecula, eam nunc ita, ut verba eius integre ſonant, veluti etiam Dux Henricus Iulius Brunſvic. *in 3. parte Scriptiſui Apologetici pag.* 854. eandem publicis divulgavit typis, heic ſubnectemus.

CAP. XII.

De confœderatione communis Hanſæ, quæ anno 1604. Lubecæ in conventu publico ſolemniter fuit renovata, cum pleno omnium conſenſu.

QUomodo ex antiquis partim Decretis celeberrimũ fœdus Hanſæ communis cohæreat, ſuperiori cap. aliquo modo dictum eſt; Ex qua forma autem pactorum inde hodierna unio Hanſæ conflata ſit, id nunc retegendum eſt: veluti ſupra id aliquoties declaravimus, qua occaſione hæc renovatio An. 1604. menſe Martio & Aprili ſit facta. Tenor omnis vero rectius ex ipſis percipitur verbis, qui ex vernacula Germanica ſic eſt translatus.

Forma confœderationis Vniverſalis, ſive communis Hanſæ. Anno 1604. 21. April. renovata & approbatione communi confirmata.

NOs Conſules Senatuſq; civitatum Hanſæ Teutonicæ, quotquot noſtrorum, ſigilla ſua heic infra appenderunt, manifeſtum facimus & confitemur aperte in & cum vigore harum litterarum; Quũ ex aliquot centenis annis hucuſque apud maiores noſtros vetuſta Chriſtiana conſuetudo atque celebris admodum moſfuerit, ut, iuxta occaſionem & mutationem temporis & conditionis, pro conſervatione noſtrorum veruſtiſſimorum, multa & moleſtia & labore, partim quoque maxima vitæ & ſanguinis impenſione cariſſime acquiſitorum communium privilegiorum, libertatum, antiquorum laudabilium uſuum, conſuetudinum, etiam erectorũ, ac conſenſu ſano approbatorum pactorum hereditariorum, noſtræ & Hanſeaticorum Conthoriorũ ſaluti in regnis, Ducatibus & provinciis, ad corroborandum, accretionem & emendationem uſitatorum commerciorum, negotiationum, victuum, & ſalutarium proſperationum, in noſtris civitatibus illi excitarint hunc ſibi uſum, quem & frequenti obſervantia continuarunt, ad illam, ſemper inter nos omnimode excultam, à maioribus traditam & fideliter conſervatam Unionem, correſpondentiam, confœderationem aut coniunctionem, cum neceſſariis ac maxime utilibus derogationibus & novis inſtitutorum ſuppletionibus renovandum, adaugendum, & meliorandum: Atque hinc tandem præſentium harum inquietarum, perturbatarum & ſupra modum periculoſarum diſtractionum & temporum mutationes & ſtatus, iam tale opus ad manus ſumere, imo idem quoque ad perfectionem perducere ſummopere exigant

Quod proinde nos prædictæ Hanſæ Teutonicæ civitates in laudem & gloriam Omnipotentis Iehovæ, in Sacri Rom. Imp. Germanicæ nationis emolumentum, & alias quiſque noſtrorum in decentem ſui legitimi Magiſtratus reſpectum, & honorem, communium noſtrarum Rerumpubl. proſperitatẽ, utilitatem & commodum, nec non promotionem omnis ſynceræ confidentiæ, & debitæ vicinitatis correſpondentiæ, nos omnes & præcipue pro nobiſmetipſis, & noſtris poſteris, uti à maioribus nobis id traditum & uſu continuo obtentum eſt, denuo amicabiliter coadunivimus, coniunctione mutua conſtrinximus, & convinculavimus; veluti etiam iterũ hiſce nos amicabili ratione coadunamus, coniunctione mutua conſtringimus, & devincimus invicem, in modo, forma & ſpecie, quemadmodum iam ſequitur:

1. *Debemus ac volumus* nos & noſtrum quilibet ſingulariter Sacro Imperio & Rom. Cæſare. Maieſt. etiam cuivis reliquo noſtro legitimo Magiſtratui reſpective in omnibus iuſtis & æquis conditionibus lubentem & debitam obedientiã, & quodcunque iiſdem ex iure, debitaque obligatione debemus, id abſque ulla recuſatione præſtare & exhibere; attamen exceptis, cum reſervatione cuiuslibet civitatis, Exemptione, libertate, ſuperioritate & Magiſtratu, privilegiis, iuribus iuriſdictionis, pactis, à maioribus obtentis uſque uſibus & conſuetudinibus.
2. *Pro ſecundo debemus* ac volumus nos inter nos invicem, fideliter fraterne ſincero veroque amore fovere, unuſquiſque alterius ſalutem & commodum libenter curare, & pro viribus cunctis promovere; atque ſi etiam (quod Deus prohibeat) aliquid adverſi aut damnoſi interveniat, unius præmonitiones quiſque erga alterum ſedulo perficere, & in ſimilibus caſibus fideli conſilio ſuccurrere alterique aſſiſtere; nullo autem modo alter alteri quid per inſidioſam praxin ſupponere, nec, ab aliis ut fiat, concedere, approbare, conſentire, ſed potius, quantum in nobis, omne malum ſummopere auxilio cuncto avertere.
3. *Pro tertio*, Ordinamus & volumus nos, ut communia Hanſæ commercia & negotiationes, quovis in loco diſperſim ſitæ, iuxta & ſecundum, exinde inter nos erectas, uniones, Statuta & Ordinationes, uti tenor hoc ſert conceptorum Receſſuum

ſanum (in quorum gratiam, & pro ulteriori indicatione, atque ut conſtare poſſit, ad quorum Receſſuum & Statutorum obſervantiam quiſque ſit obligatus, præcedente tamen honorabilium civitatum conſenſu, compendium quoddam certum componetur, & civitatibus communicabitur) à nobis, noſtrarum Rerumpubl. civibus, incolis & Mercatoribus unanimiter exerceri, & præterea dictis Receſſibus & ordinationibus conformiter obſervari poſſint, atque ut nemo, ſit quicunque velit, dum in tranſgreſſione nominatorum Receſſuum, Ordinationum, & Statutorum à quoquam inter nos in noſtris civitatibus aut Emporiis ſive Conthoriis excuſatus habeatur, ſed à qualibet civitate illius ſuppoſiti, & pertinentes ad irrefragabilem obſervantiam & ſequelam horum omnium, cum ſeveritate cogi omnino debent.

4. *Pro quarto*, ſi in poſterum neceſſitas id exigat, ut honorabiles Hanſæ civitates ad conventum convocentur, tunc neceſſarii omnis ponderatio, & convocationis expeditio penes honoratum Senatum Civitatis Lubecenſis, & reliquas civitates Vandalicas, uti maiorum mos id exigit, adhuc erit, à quibus tamen etiam id diligenter obſervabitur & curabitur, ne civitates ita ſæpe & cito, ſed forſitan circa annum tertium ſemel tantum, ſi tamen cauſſæ tantam moram uſquam pati velint, & præterea tempore æſtatis, veluti quoque aliquatenus olim in uſu fuit, & ad minimum quarto menſe ante terminum, ad collegii coniunctionē conſcribant, atque legatos earum non abſque neceſſitate detineant; ac porro, ut cæteris honoratis Quartirii civitatibus aut Metropolitanis, nēpe Coloniæ, Brunſvigæ & Dantiſco, Vandalicarum civitatum Conventus eo citius ac ſpacioſe ſatis prænuncietur, ut illæ erga talem Vandalicarum urbium congregationem, an & quidnam ſui aut ad regionem ſuam pertinentium civitatum cauſſa proponendum habeant, id prædeliberare, & verſus Lubecam referre queant, idemque à prædictis honorabilibus Vandalicis civitatibus neceſſaria ulterius deliberatione prælibari, & ita articulis & litteris citatoriis inſeri atque demum Hanſeaticæ congregationi ſimul denunciari poſſit.

5. *Quando* itaque huiuſmodi diſpoſitioni convocatio communis determinatur, tunc debemus & volumus nos, pro quinto, quotquot noſtrorum ad annuum (cuius iam in hoc erecto Receſſu ulterior mentio fit) non pertinent, per Legatos noſtros & nuncios, iuxta formam & ordinationem, uti ea inter nos hiſce temporibus complacita eſt, & dicto huic receſſui inſerta habetur, benevole comparere, & commune argumentum ad utilitatem publicam, ſalutem & incrementum fideliter conſultare: atque ſi una aut plures ex hoc civitatum noſtratum numero abſque legitima cauſſa, quæ in communi concilio pro ſufficienti agnoſci queat, emanſerit, vel alias non debito tempore & proprio die determinato, qui in ſcripto denominatus fuit, non, ſed nonnihil ſerius, comparuerit; tunc eiuſmodi abſentes, aut ſero venientes civitates, non tantum, quod à cæteris concluſum & decretum fuerit pro ratificato habere tenebuntur; ſed etiam nobis in eam mulctā, quæ in An. 1556. confecta ordinatione exprimitur, & in hoc edito Receſſu repetita atque explicata eſt, incidet.

6. *Quod igitur* pro ſexto in communi Hanſeatica cōgregatione unanimiter per totum, aut per maiores partes conſcriptatum, & præſentium tum cōiunctarum civitatum, de 4. Conthoriis aut Emporiis, nempe Neogardenſi, Londinenſi, Antorfino & Bergenſi, deque eorum privilegiis, & inde profluentibus commerciis ac dependentiis, & quomodo diſſipata denuo erigenda, atque erecta conſervanda, Item, de pœna irroganda iis civitatibus, quæ contra Hanſeaticos Receſſus, Statuta & Ordinationes deliquerint (quippe aliæ propriæ civitatum cauſſæ, actiones & preſſuræ, quæ ad Conthoria & Hanſeatica privilegia atque cōmercia non ſpectant, hiſce non tanguntur) concluditur, illi nos abſque recuſatione & mora, etiam abſque ulla Appellatione, reductione, aut alio effugio, quomodocunque nominati ſaltem queat, aut dici mereatur, effectum addemus, & integre ſynceri pertici curabimus, neque ab eo ullum proprium commodum, aut alia quædam ſimilis cauſſa nos dimovebit. Quod ſi vero una aut plures civitates contra hoc ſe opponant, aut unquam per proprium commodum aut alias id fracturæ eſſent, illæ in Conthoriis & alibi ex noſtris privilegiis & libertatibus nil commodi ſentient amplius, nec iiſdem aut civibus earum, incolis, addictis & devinctis ullum commercium aut negotiatio in unitis civitatibus concederetur, nec in iis pro civibus, nec earum manefacturarii ad opificium & laborem ullum recipientur; ſed potius ab eo omni, prægreſſa denunciatione, retrahentur, donec eiuſmodi civitates propterea cum civitatibus communibus Hanſeaticis ad earum ſufficientiam reconciliatæ & in gratiam reſtitutæ fuerint.

7. *Quandoquidem* etiam cuivis notum & manifeſtum eſt, quod hæc Hanſeatica Societas, præcipue in iam dictis Conthoriis & eorum privilegiis, cum defenſione communis libertatis & iurium fundata ſit, proinde nos volumus, pro ſeptimo, quotquot noſtrorum ad prænominatum annuum non admittimur, illas, interdum & ſub duratione huius decennalis Confœderationis, propter neceſſarias expeditiones talium communium cauſſarum in Hanſeaticis congregationibus, per commune aut per maiora complacitas contributiones & ſubſidiaria iuxta uſitatam & inter nos conventam taxam; atque nos reliquæ, quæ ad annuū admiſſæ ſumus, annuum tale abſque recuſatione & mora, in debitis locis deponere, liquideq; perſolvere, ſub pœna & mulcta ad primam abnegationem dupli, & ſi abnegatio illa obſtinata ſit, ſub amiſſione Hanſeaticorum privilegiorum, etiam commerciorum & iuris civium & opificii in unitis civitatibus, veluti in antecedenti articulo indicatum fuit.

8. *Pro octavo*, In caſu hoc, quem Deus prohibeat; ſi quæpiam noſtrarum civitatum ſupra & contra iuſtitiam, cui ſe alias lubenter ſubiicere, & obedienter ſubiectam porrigere vellet, mera violentia ſupprimatur, coangustetur, & obruatur, vel etiā exerci-

exercitu bellico inſultetur, & forte obſidione cingatur, tunc nos reliquæ, & præſertim Quartirii eius Metropoles, in quo tales violentia coangustatæ civitates ſitæ, eam debita coniunctione excipiemus, eandemque, tanquam inter nos ex antiquo mos laudabilis fuit, contra violatores eius, iuſtitiæ ſiſtemus ſcriptis, & pro illa tractationem ſubibimus, locis determinatis, atque, ut preſenti ex preſſura extricari queat, pro viribus media quærere, &, ſi, præter omnem ſpem quidem, ſcopum attingere nequeat, tamen talium civitatum ſalutem libenter permoſcere, contraque eas nullatenus adverſarios earum cum tranſmiſſione ullius nutrimenti, artoleriæ, pulveris, plumbi aut alterius bellicæ munitionis, vel etiam aliis in modis aut viis corroborare, aut ad talium conatum quidquam promotionis ſuggerere; ſed potius dictis coangustatis civitatibus ad liberationem & ſuſtentationem auxilium omne præſtare, & iiſdē omnimoda re neceſſaria pro precio, atque alias pro conditione, ſuccurrere volumus.

9. *Nos quoque, pro nono*, debite cum omni diligenti cura hoc in nos recipimus, ut in noſtris agnatis civitatibus omnis interna lis & motus, mediante divino auxilio, pro poſſe præcaveri, &, ſi talia contra ſpem periculoſa viderentur, per convenientia media, & benevolas collaborationes, abſque mora componi, ad unanimitatem reduci, & omnes diſruptiones removeri è medio queant: Proinde volumus in hunc finem illos antehac deciſos & aliquoties iam confirmatos Receſſus & Ordinationes heic repetiras, & vigore huius Unionis ſequenti forma renovatas eſſe; nempe, ſi in politicis & regimen concernentibus cauſſis, inter Senatum, tanquam ordinarium Magiſtratum & cives incolaſque ullius cognatæ Hanſeaticæ civitatis, diſcordia, diffidentia, aut aliud diſcrimen gravaminis, contra ſpem exoriatur & incidat, quæ inter illos non componi aut tranſigi poſſent, ſed ad ulteriorem propagationem ſe extenderent; tunc ſtatim proximæ vicinæ civitates Hanſæ, ad requiſitionem & expeditionem Senatus, ut Legatos ſuos in eum locum mittant, atque exortam diſcordiam per benignas interpoſitiones componant & tranſigant, conari; at in caſu, ſi bonum inceptum diſſipetur, tunc civium communionē ad decentem obedientiam & reſpectum, erga ſuū Magiſtratum, & ad honeſtam deductionem illius, quod ipſis competere videatur, in locis & finibus, ubi competat, ſevere & omni cum diligētia adhortari, etiam ad id cum aliis civitatibus, in iuſtis & æquis cauſſis omnes poſſibiles promotiones & adſiſtentiam præbere, & ad id obligati eſſe debent. Quod ſi vero (quod Deus clementer præcaveat) accidat, ut unus aliquis, aut plures homines tumultum, periculoſas conſpirationes aut colligationes in ullis aliquot Hanſæ civitatibus, adverſus & contra ullius civitatis Senatum, eius poteſtatem, præeminentiam & dignitatem, in præiudicium & damnū eius, quod probari poſſet, conficerent, & ab iis deſiſtere, atque in iure & æquitate contenti vivere, ſibi perſuaderi non paterentur: tunc debemus nos & volumus nos tales homines & eorum dependentes in nulla Hanſæ civitate, nec vel in Conthorii ullius iure perfecte aut ſalvum conductum ibi talibus concedere; ſed illi, ubicunque deprehendi valeant, captivos ducere, &, deducto maleficio, cum ſeveritate punire. Simili modo cum iis procedetur, qui tumultus talis, Conſœderationis aut cōſpirationis ſcientiam haberent, & qui tales Magiſtratui ſuo non denunciaturi eſſent.

10. *Pro decimo, Volumus* pro inſtitutione ulterioris amicitiæ, ne ulli cives aut incola in noſtris civitatibus & ditionibus inter ſe, aut etiam alias cohærentes civitates, cives & incolas aut illorum bona & poſſeſſiones propter alterius debita illegitime, coarctare, nec arreſto aut repreſſaliis detinere; ſed quod unus cum altero ad nomina redactum tenet, ut hoc coram competente Magiſtratu & iudicio contra principalem aut fideiuſſorem ſecundum ordinationem iurium denunciet, & perſequi debeat; attamen debet unuſquiſque Magiſtratus è contra agenti parti ſubitaneum & expeditum ius citra moram ſuppeditare, & adminiſtrare.

11. *Pro undecimo*, debent quoque omnes illi denunciati & explorati, qui ob notoriam & ſufficienter probatam inobedientiam atque rebellionem, aut etiam propter alias pœnales cauſſas, quæ enormes & ſupremæ infamiæ notam continerent, ex nulla Hanſæ civitate, cognitione iuris prævia, ejecti aut deportati (quod verſeſſen dicunt) eſſent, nec etiam omnes, qui petulanter aufugiſſent, contra Magiſtratum ſuum illegitimas urgētes vias, minis, contumeliis & calumniis iniuriosis ſuſcepiſſent, in reliquis noſtris agnatis civitatibus non tolerari aut perferri, ſed vel ad competentem poſtulationem, & propter id factam requiſitionem, contra tales, cuilibet ſubitum ius communicari; vel ad denunciata & alias exploratam dictam occaſionem, talibus hominibus, ut ſe ex noſtris civitatibus & ditionibus abſque mora recipiant, ſeveriſſime imponetur, & ad id cogentur. Quod ſi vero ex ſupradictis quiſpiam inveniatur, qui ſe ob tales cauſſas ad pendentiam iuris ordinarii referret, atque id perſequi ſe vello promitteret, vel etiā inprimis Cæſareas, aut aliorum legitimorum Magiſtratuum defenſionales, protectoriales, & ſalvos conductus producere & demonſtrare poſſet, eiuſmodi receptus in civitatibus noſtris, aut alius modus nunquam denegabitur ulli, niſi ut promittant & cautionem præſtent, quod putativum ius contra Hanſæ civitates, contra quas id ſibi competere exiſtimant, legitimo modo perſequi, &, citra omnem iniuriā, etiam factum proprium, quærere, ſuſcipere, promovere, intendere & ad finem perducere velint. In caſu autem, illi contra hoc contumeliis, calumniis adverſus adverſariam ſuam civitatem, aut alias illegitimo modo quid ſuſcepturi eſſent, & hoc Magiſtratui loci, ubi degerent, per denunciationem notificaretur; tunc debent illi talem porro cuſtodire, aut cohabitationem non concedere; ſed ſtatim à ſe eum propellere tenentur. Neque debet aut vult ullus ex nobis, quēquam prædictorum, qui, ex nominatis cauſſis, aliquo uſque toleratur, ad ſuæ civitatis ius excipere, prius & antequam per ordinarium ius & cognitionem à competente ſuperiori Magiſtratu declaratio & ſenten-

ſententia pronunciata ſit, quod illi à civitate ea, ex qua ille eiectus ſit aut diſceſſerit, injuria facta & illata fuerit: Neque etiam è contra, ſi dicta ſuperioris iuriſdictionis cognitio, illis eiectis aut fugæ reis contraria reddita ſit, talibus ulterior receptio & defenſio in civitatibus his, ubi per temporis ſpacium tolerati ſint, amplius concedi debet.

12. *Pro duodecimo*, Quod ſi in poſterum (quod Deus clementer prohibeat) accidat, ut interdum, ubi in cauſſis & caſibus, omnium noſtrorum ſalutem concernentibus, ad communem Hanſæ conventum convocaturi eſſent, ulli legati, aut in adventu, aut receſſu & reditu, ſub itinere violenta impetitione & impetuoſitate læderentur, & bonis ſuis exſpoliarentur aut captivi abducerentur; tũc debemus & volumus nos (ante omnia illi, qui loco, ubi factum damnoſum commiſſum eſt, aut læſi captivi tenerentur aut adſervarentur, quam proxime adſident) omnes unanimiter hoc pro noſtra habere cauſſa, & omni ope id præſtare, ut læſus ſua bona recipiat, & ex cuſtodia relaxari queat: & quæ propterea impenſæ inſumptæ fuerint, hoc omne nos civitates communes ſimiliter compenſabimus, veluti noſtri maiores iuxta indicationem *Receſſus de anno* 1456. ulterius id comprobarunt, ratum habuerunt, & inter ſe conſtituerunt.

13. *Pro decimo tertio*, Debemus & volumus nos tales compactiones, quæ propter tribus, artificia manualia & eorum magiſtros, miniſtroſque & alios adhærentes, in communi Hanſæ conſilio ſub dato *Anni* 1572. inter nos conventæ, & in illo tempore, erecto Receſſui inſertæ, atque iam in iſto præſenti reviſæ & repetitæ ſunt, unanimiter manutenere, & hoc omne ſevere ad executionem perducere.

14. *Et volumus nobis* omne, quod dictum iam eſt, id hic reſervatum eſſe, quod ſi quiſpiam ex noſtratibus peculiariter, aut nos ſimultanei cum quopiã alio, ullam ulteriorem compactionem aut amicabilem correſpondentiam coleremus, quod illa per hanc Unionem non concidere, ſed in pleno vigore & virtute manere debeat, modo illæ correſpondentiæ huic nõ contradicerent, aut derogaturæ quid eſſent; quod nos etiam alios plures in hanc amicabilem coniunctionem, prævia omniũ approbatione, recipere ac ſuſcipere licitum ſit & queamus.

15. *Concludendo*, debet hæc Chriſtiana Unio & vinculatio ex hoc dato 21. *Aprilis, huius* 1604. *anni* exordium ſumere, & in conſequens decennium abſque interruptione ulla perdurare, excepto eo, quodcunq; in hoc fœdere de cõtributionibus & Annuo (ad quæ nos non ulterius & porro quam ad 10. annos dictos obligamus) comprehenſum eſt, donec in communi aliquo conventu aliud inter nos collocuti decreverimus & concluſerimus: Atque prius & antequam id fiat, hæc ipſa in omnibus articulis & punctis, qui ſupradicto modo non excepti ſunt, in pleno vigore, virtute & dignitate permanere debet. Quam coadunationem & eius articulos omnes & ſingulos, nos omnes & ſinguli ſub fide & iuramento, quo nos Sacro Romano Imperio, & unuſquiſq; alias poro ſuo ſingulari magiſtratui & civitati obſtrictus & obligatus tenetur, etiam quam charus nobis Dei & noſter proprius honor, virtus, emerſio, & noſtrarum civitatum & cuiuslibet in iis ſalus eſt, & eſſe debet, perpetuo conſtanter & infrangibiliter ſervare promiſimus, & firmiter polliciti ſumus, in & cum vigore huius ſcripti, hocque omne, abſque doloſa abſtutia aut ulla aliqua argutia. In veritatis teſtimonium nos ſupradictarum civitatum Deputati, iam præſentes Legati, huius Confœderationis Notulam noſtris propriis manibus ſubſcripſimus, & illarum uſitatis ſigillis corroboravimus. Actum Lubeccę 21. *April. Anno poſt Chriſti noſtri Domini & Salvatoris nativitatem* 1604.

O O O O O &c.

Uti locutionis Germanicæ idioma id poſtulat; ita Notula hæc Confœderationis Hanſeaticæ latinitate donata eſt, ne alicubi à genuina ſententia & mente concipientium aberratum quid videri poſſet. Ideoque nemo ſanus elegantiam talem, quam inutiles & vani verborum phraſiumque Criticarum conquiſitores, captatoreſve naſutuli, & lenocinia futilia vocis pro rebus in leptoleſchia ſua enucleantes, heic ſibi iure aliquo depoſcere valebit. Nec id magnopere curatur ab iis, qui ſynceritati potius in rebus agendis mortalium ſtudent, & ſeriis incumbunt, quã ut in vanis ſpeculationibus totum vitæ tempus phãraſtice ſyllogiſticando (ut dici ſolet, & moderna id paſſim fere & ſtulta fert conſuetudo) fruſtra conſumant. Interim hæc quatuor bene notentur in iſta formula Fœderis: 1. *Quod maxima ſit differentia* inter convocationem Hanſæ communis, & particularis fœderis, ut mox in ſequenti pluribus patebit capite. Namque in hoc, tempus ordinarii conventus ad tertium annum ętatis reſtrictum quidem eſt ſed nihilominus clauſula adiecta neceſſitatis omnia modificat. Ideoque ſupra indicatum eſt, quod Directores potius rerum & occaſionum prudentes hucuſq; fuerint obſervatores, quam quod ſaltem ſolemnitates reſpexerint nudi: velut etiam ne quid prædeliberationibus poſſet deeſſe, ſatis matute, ut memini & vidi toties, deliberanda, ad Metropoles contributariaſque civitates mittere adhuc ſolent; quod in adſiduo obtinent uſu ut cuiuſque Quartirii civitates tute ſua poſſint & communia commerciorum & ſtatus gravamina ponderare. 2. *Atque licet artic.* 9. huius Fœderis, de ſeditionibus civitatum agens, cuique vicinæ Reipubl. ſuum determinet officium in tali caſu; tamen etiam heic dilectio proximi nemini earum ſtrictam præſcribit legem; quum quiſque etiam ex ſuo malo vicinum prænoſcere queat & examinare damnum. Ipſe aliquot exempla memorabilia vidi; quam fideli ope aliquot civitates alteri ſuccurrere ſoleant. Inprimis & præcipue ante alias Urbes accuratam Brunſvicenſium, & curioſam ſatis ac laudatiſſimam inſpectionis ſuæ curam heic iterum celebrare debeo, quum ipſe fidem eorum erga Magdeburgenſes ita exploraverim Anno 1612. Etenim iam tum per aliquot annos perverſiſſimi illi lucripetæ, & omnis rebellionis auctores, aut præcurſores ad minimum (quos M. Andr. Lampadius Paſt. Halenſ. Sax. rectiſſime in ſcripto optime illi tempori accommodato, ultimum Diaboli fœtũ nominitabat)

monetam adeo adulterinis ſuis corruptelis flagellaverant, ut multi fame inopes perirent, & inde vulgus cum plebe egena inciperet auctores tales, qui primas etiam in regiminis ſtatu tenerent, nonnihil inſolentius inſultare. Nec in tali tumultu populus Magdeburgicus, ceu ut plurimum pruritu ſimili fervere ſolet, uti hiſtoriæ paſſim teſtantur, erat ultimus. Petierant enim toties per directum & obliquum à Magiſtratu ſuo, ut molam nefarie in ruinam urbis introductam & ad Albim corruptiſſimæ monetæ deſtinatam abrogarent: interdum nec minæ rigoroſiores aberant. Sed ſurdo narrabatur fabula. Pauci erant inter præcipuos, qui amicis monitionibus ſe corrigi patiebantur; licet & ipſe officii ratione, ſæpius tot perniciei rationes toties illis demonſtrando, precaret eos, quos debebam dehortari: Donec tandem ex ſingulari Iehovæ pœna, ipſe Magiſtratus exordium ſeditionis moveret, in publicis nundinis, ubi omnis plebs ſua induſtria ſatis in eo tempore inventa ſolet eſſe captioſitatibus, proxenetæ alicui Kipperorum (ut tunc ex monetæ commutatione fraudulenta per libram vocabantur) quandam ſummam falſæ monetæ publico actu confiſcãdo: ubi ſic lictores ſimul ædes eius ſpolio communi reliquerunt. Quum igitur turbis his miris obrutus Senatus, nihil ſua interpoſitione apud plebem communem obtinere poſſet, ſed ipſe undique lapidibus contuſus prope ad forum concidiſſet, ſatis præcipitanter & immature, inſtinctu Prætoris convocavit quidem ad arma cives; ubi miſere culpa talium auctorum ultra 100. trucidati ſunt homines: Verum quum cives ſequentibus diebus ad ſaniorem mentẽ rediret, & potius ad cauſſam tantæ calamitatis publicæ & innoxii ſanguinis recurrerent cogitationib⁹; omnes furore conciti ſunt erga Senatum, permittẽdo adhuc plebi aliquot ædium principalium expoliationes; mox quoque ipſam invadere curiam in foro armis apertis collecti ſtudebant, ut pœnas ab iis exigerent, qui ipſis ſuſpecti erant. In ipſa acie erat conſpiciendum periculum omnibus, nec quis ex curia proſpicere audebat, nedum deſcendere. Quare morti uſque vicini rogabant me, ut in forum deſcẽdens, aut Senatus aut meo nomine (adeo exoſi erant cunctis) deprecationes gratioſas pie ad cives interponerem. Quamvis exacerbatos noſcerem omnes, & iam iam curiam irruituros; tamen pio & ex Verbo Dei petito ſermone ita per Iehovæ unici noſtri gratiam conſtringere cœpi conſcientias, ut ſtatim omnem exuerent effervescentiam, & reconciliationi non ullam niſi de puniendo Kipperorum conſortio amplius adiicerent conditionem, ſed ita tamen, ut iuris omnem proceſſum in meum deponerent officium, alias Senatui tanquam ſuſpectis nihil credẽdo. Hoc, quum Senatus iuſtum æquumque diceret, & promitteret publicam fidem, ut à præſentis mortis liberaretur periculo, tumultus ſanguinolentus & direptio bonorum, quæ uſque in quintum diem durarat, quaſi in momento conſopita fuit omnis. Duriſſimæ autem quum in me devolutæ eſſent vices, propter formandum proceſſum talem, ad indicationem à me factam ſtatim ſuis adfuere Brunſvicenſes Legatis, quos ſecuti ſunt Hildeſienſes, quorum ope & auctoritate multæ fuere lites aliquo modo emollitæ; uti & tunc mecum in ædibus meis per 6. Septimanas vixit Syndicus Brunſvic. D. Iohan. Cammannus, compater mihi cariſſimus: ſed vulnus ſemper recruduit, quoties Senatus vacillaret in proceſſu iuris, & multi lucem fugere viderentur, velut ſolet fieri, ubi quis ſuo abhorret affligi gladio. Ne autem fides mea in periculo publico apud cives interpoſita, quid damni pateretur, legatio publica ex hoc onere me ſalvavit. Sic etiam anno ab hinc proximo, quum Senatus cõmunioni civium ſemper in actionibus ſuis, per octennium ferme integrum, inde cũctis ſuſpectus permaneret, nec deleri anteacta ex memoria illis poſſent; imo variis importunitatibus adaugeret indignantiam omnium, atque multitudo aliquot non bene convenientia ad conventum Hanſæ delata animadverteret; communitas aliquot ex civibus Lubeccam miſit, & graviſculpæ reos in pluribus convicit adeo, ut tandem ex Senatu deportati ſint omnes, & nova Reipubl. forma induta civitas. Sed an ſatis commode, *id ſupra cap. 1. b. tr. dictum eſt.* Varia & quamplurima hoc quidem eſſent notanda; ſed culpa foret gravior, nec eſt huius loci, quod alii opportunitati reſervatur tectius. Lubeccenſes vero & Brunſvicenſes cum Bremanis & Hildeſienſibus omnia perſcrutati tunc ſunt delicta, quamvis multa pallium meruerint. Hæc tamen Hanſeaticis debetur gratia, quod vigore fœderis tantam tunc perfecerint induſtriam. Utinam modo haud novus ſub ea herba lateret anguis. Cognita cui ſunt acta, & hominũ ingenia, ſtimulationis ſacrotũ videlicet facile quid diſpicere poterit. Etenim nec cor impœnitens unquam Iehovæ compeſcere poterit iram. Idcoque merito *in art. 9. d* tam curioſæ ſunt Hanſeaticæ civitates, in hoc, ut in tempore præveniatur periculoſæ ſeditioni, quum præſertim hiſce turbulentiſſimis tẽporibus omnia in ruinam communem vergere videantur, ni Deus ipſe, ex miſericordia, tantum à cervicibus noſtris averteret exitium; quod anxie ſingulis momentis pœnitenti corde exoptãdum eſt. 3. *Quodnam deinde diſcrimen* ſit inter civitates annuum ſaltem ſolventes, quos Annuiſtas dicunt, & inter illas, quæ ordinariæ contributioni nomen dedere, atque inde Contributariæ vocantur, id infra *cap. 15.* plenius nõnihil explicabitur, ut iam non ſit opus idem bis repetere. 4. *Quod in articulo ultimo* obligatio ad 10. annorum ſpacium reſtringitur, id quidem in obſervãtia iuſta vigorem ſuum obtinuit: ſed quum interceſſerint alia quoque particularia Fœdera, de quibus nunc agemus, extenſio huius univerſalis facta eſt & dilata uſque ad Annum 1627. licet meminerim, quod graves quoque paroxyſmi id concuſſerint: ac facile in decadentiam incidiſſet, niſi aliunde fulcra denuo accepiſſet ſua.

CAP. XIII.

De Confœderatione Hanſæ particulari, & defenſione eius mutua, ad paritatem Fœderis æqualis, diſpoſitionemque eius directa.

VEra igitur univerſi corporis Hanſeatici in qua conſtitutione propiori conſiſtat, id ſatis ex ſuperioribus, quantum pro tẽporis ratione ſufficit, conſtare valet: Atque quum nunc ad particularia nobis progrediendum

dum sit, nihil commodius fieri potest, quam ut in exemplis eius vigorem delineemus: Etenim nulla impressio rei & veritatis fortior est, quum tantis tenebris obvelata sit ratio hominis, quam quæ ex actis & factis, adeoque ex ipsa rei experientia testimonii loco sumitur. Sed quum Fœderis particularis forma etiam apud Hanſam, *ut ſupra parte 2 tract. gen.* docuimus duplex sit, ut quædam ex paritate, alia ex imparitate componatur, & inæqualitate nihil fragilius, inconducibilius, nihil falsius & futilius sæpius detur, propter multas insidiarum suppositiones, quum nihil sinceri amoris in sese contineat; sed unicam, nec raro tyrannicam sibi propositam occulte gerat utilitatem; ea propter de tali modo, qui in paritate cõsistat, tanquam constantiori & fidelioti, ceu in ipso exemplo Universalis Fœderis, quod ex tot seculorum spacio feliciter floruit, id videre est, nunc prius quid in medium proferemus, sed nunquam rectius id præstari poterit, quam ut ipsa nunc prodeant exempla, quorum aliud in veteri, & aliud in nova producemus forma; unde patebit quo fulcro Universale illud à particularibus sustentetur, & quænam ipsi auctoritas ex iisdem adiici possit, & olim pridem adiecta fuerit. Circa An. Christi 1399. Civitates passim & maxime Marchiæ Brandeburgensis à prædonibus ita infestabantur, ut nulli civitati, ac civium & mercatorum cuiquam amplius iura salva & turæ paterent usquam viæ. Ac licet illi à Principe suo peterent inspectionem, tamen omnia frustra fuerunt. Etenim Iodocus Marchio Moravienſis, qui à Rege Hungariæ tum Sigismundo aguato suo hunc acceperat ex donatione liberali Marchionatum, nulli rei magis, quam perpetuis emunctionibus contributionum incumbebat; unde nihil iustitiæ superat passim; sed omnia habebantur venalia; & maxime in eius absentia. Quisque igitur ex libidine & avaritiæ ductu rapiebatur, ut nulli aures paterent æquitatis. Quod quum urbs Brandeburgensis, tanquam Hanseatica & commercii studio unice dedita, perferre non posset, huic malo remedium quærens plures ad se convocavit civitates Marchiæ, cum quibus hoc pepigit fœdus, ut ex copia apparet.

Notula fœderis antiqui particularis inter pares reciprocum, videlicet civitates aliquot Hanseaticas Marchiæ & alias extraneas.

NOs *Senatores ex civitatibus* Neomarchiæ Brandeburgensis, qui nunc sunt, & adhuc sunt futuri, veteris urbis Brandeburgensis, novæ urbis Brandeburgens. Berlinensis, Colonensis, Francofurtensis, Krossensis, Strausbergensis, Monchebergensis, Landsberg. Mittelwald. Eberswald. (iam vocatur Neostadium) Bernovienſis, Spandovienſ. Navensis, & Belitzensis, confitemur & attestamur pro nobis, unus Senatus alteri, quod nos, ex consilio & pleno mandato civium nostræ communitatis, unanimiter inter nos convenimus & convinculati teneamur; ac volumus indissolubili constantia observare talia membra & articulos, ut in hoc scripto continentur.

1. *Primo ponimus* nos & volumus, ut civitates, quæ territoriales litteras habent in terram aliquam, bona & proprietates, & confirmatoriales terræ libertatis, iuris & antiquarum consuetudinum, eas conservent, in quo etiam unanimiter subsistemus.
2. *Rursus ponimus* nos & volumus, Quod si quispiam ex viris & civibus feudum possideat ab Ecclesiastica aut seculari dominatione, & quamvis non habet litteras, & tamen in quieta sit possessione, illum debemus & volumus defendere, & in iure ac antiqua consuetudine conservare.
3. *Viterius ponimus nos*, Quod si quis citetur virorum aut civium ab Ecclesiastico aut seculari Dominatu, tunc debet illa civitas, in quam vocatur, defendere eum tanquam semetipsam, nec dimittet eum illuc proficisci. Atque si necessarium sit, tunc citabunt partem aliquam civitatum, aut omnes: & quas illi advocant, eæ illuc venient, & fideliter adsistent ipsi, ut iura eidem maneant.
4. *Adhuc ponimus* nos & volumus. Quod si quispiam civitatem propter libertatem suæ hæreditatis, feudi, proprietatis, aut antiquæ consuetudinis aut iuris violenter impugnet, tunc debemus nos omnes civitates illam civitatem in iure suo, libertate, & consuetudine nostro conatu conservare. Similiter quoque unicuique civium in civitatibus, aut viro, qui circa eam habitant, debemus nos & volumus opem præstare, ut illis ius suum maneat, & ab eo non dimoveantur.
5. *Item ponimus* nos & volumus, quod nulla civitas ullius rei commodo se privari sinat, quod alias civitates aut terras simul concernat, aut attingere queat; nisi prius id fiat cum consensu & mandato omnium civitatum & virorum.
6. *Sic etiam* volumus constanter servare, ut, quod uni contingit civitati, idem nobis omnibus civitatibus universim contingat; & in eo perseverabimus ita, ut nos omnes in universum in honestate, & iure Brandeburgico acquiescere velimus, veluti nos omnes eo beneficio gratiæ affecti sumus ex antiquo usque & fundo terræ.
7. *Praterea* volumus, quod nulla civitas, se intricare & implicare in alterius civitatis iura & privilegia debeat. Si autem id fiat, tunc reliquæ civitates circumcirca civitatem ad æquum & ius reducendo cogent.
8. *Si etiam* fiat, quod quispiam civitatum causſa aut virorum quid loqueretur, & proponeret civitatum & virorum aut religionis necessitatem, vel alicuius civitatis singulariter, & quis illi propterea indignaretur, ac iniuriose eum inde calumniaretur, aut id diceret, tunc non habemus tali fidē, sed potius in eo ipsum manutenebimus, ne inde quid damni pati cogatur, vel in bonis, vel corpore, aut honore.
9. *Si quoque* fieret, quod ulla civitas ab hac unione recedere vellet, aut abscederet, nec in ea constanter permanere cuperet, ea nullis uti privilegiis debet, velut reliquæ civitates in Neomarchia Brandeburgensi, & ab omni ope & consilio omnium civitatum excludi debet.

10. *Quod ſi* etiam viri ſive Manni huic unioni ſe dedere aut in ea permanere vellent, nihilominus nos civitates omnes hanc unionem conſtanter & totaliter ſervabimus, nec quidquam in hoc impedimento erit.

11. *Quecunque etiam* civitas, viri aut cives civitatum æquitatem & iuſtitiam ſibi attribui nolunt, eos neque hac unione defendemus.

12. *Nec etiam* quiſquam niſi civitatibus concedet, ut quis per eam tranſequitet obvelata aut oppalliata facie.

13. *Item* convenimus inter nos & ſervabimus hoc, quod omnino prædones, qui terram undique deſpoliant, in civitatibus captivi teneri debeant, ubicunque inveniantur, & una civitas alteri in litteris conſcriptos hoſtes eius tradet, quinam illi ſint, &c.

14. *Omnes hos* ante preſcriptos articulos & pacta promittimus nos Senatores ex prædictis civitatibus pro nobis & noſtris poſteris, una civitas alteri in aſſiduam & firmam conſervationem, ſub fide optima abſque contradictione, mala interpretatione, & variis exceptionibus. In huius teſtimonium & magnam confeſſionem, quod hoc optime ſimus ſervaturi, nos cum bene meditato animo quinque civitates, velut antiquæ & novæ civitatis Brandenburgicæ, Berlinenſis, Colonienſis & Francofurtenſis ſecretum interne ſcienter imprimi ad hanc Unionem & leges curavimus, quæ ſcriptæ ſunt in nova civitate Brandenburgenſi, poſt Chriſti nativitatem 1599. Anno, die S. Primi & Feliciani Sanctorum martyrum.

Quamvis hæc confœderatio conciſe admodum loquatur; attamen ea continet & complectitur, quæ vix in alia ulla inveniantur, ut ita merito ſpeculum egregium cunctis veræ & ſolidæ fidei Saxonum exhibeat; imo rubore hodiernum afficiat mundum, & omnes eius amicos & Politicos, qui potius vanitate amphibologici ſermonis & ſeſquipedalium verborum, in ampullis pyrgopolinicodonicis ac Scharrebombardonicis præparatorum, delectantur, quam ut candide & ſincere quid proferant. Hodie quidē mos eſt, ut blandiloquis ceremoniis multa venditentur cotidie verba; ſed facta qui præſtet vivida, vix invenitur operarius. Non iſte maiorum fuit genius, qui perfidiſſimos ſe credebant ſtatim, niſi linguæ fidem facto perſolviſſent ipſo. Unde illud proverbium Saxonibus natum; En manum fidemque. Quū igitur in tantum devii ſimus facti à veſtigiis patrum, hæc nos cotidie premit pœna, ut ipſi inter nos adeo perverſi nobiſmetipſis ſimus iniurii; & perpetuo torqueamur belli crudelis flagello. Nam nec tunc vera pax eſt, quando eam nobis imaginamur admodum placidam. An non id vidimus ſatis expreſſe antea in aulis paſſim, in curiis, in tribunalibus variis? Vere expertos mihi heic requiro teſtes, qui id non diffiteri poterunt. Etenim nonne ubique clanculariī ſpecies belli agitabantur? Quisnam bonorum erat ſecurus à malis perſecutoribus? Ubinam inveniebatur iuſtitia? An poterat in aulis deprehendi? Quid poterat ſine venali precio obtineri? Ubi pietas vera? ubi probitas? An non utraque in raro exercitio ſuo ſarcaſtice ſatis explodebatur? Quiſnam adhuc redit ad pœnitentiam? Annon igitur perverſitatis eſt ſummæ, quod noſtram culpam in flagellantes convertere, & nos domi noſtræ nunquam rite examinare cupiamus? Iehova eſt, qui in ſuis nos executoribus ad ſaniorem revocat vitam. Tu vero, ô homo maligne, quur non revocantem audis, aut eius flagra agnoſcis debite? An non inde iuſte nos percutiat? Quiſnam igitur auſit dicere (ait *Ierem. Propb. in lament.* 3.37.) quod hæc fiant abſque Iehovæ præcepto? Et quod ex ore Excelſi neque mali quid, neque boni prodeat? Quur ita in vita quiritantur homines? Quilibet potius quiritetur contra peccata ſua, &c. Verum hunc modum nemo agnoſcere cupit; unde quoque communis eſt ſtylus, ut quiſque ſuam ſibi viam carnalitatis quærat, & ſi non poſſit aliud invenire medium, ad fœdus recurritur. Fœdus, Fœdus communis eſt perditorum & populi clamor. Aſt Iehova ait, *Ier.* 8.12. ne dicatis, fœdus. Populus iſte nil loquitur niſi fœdus. Proinde Salomon ditiſſimus & potentiſſimus rectius ad Iehovæ nomen confugiendum vociferatur, *Proverb.* 18.10. quum ibi vera arx inveniatur. Et vere, inquit, Nomen Domini fortiſſima turris, & huc confugit Iuſtus, atque ibi in edito conſervatur loco. Cui ita conſentum ſuum David adiicit; dicens: Iehova, petra mea, & propugnaculum meū, & liberator meus, Deus fortis meus, rupes mea, ad quem me recipiam, clypeus meus & cornu ſalutis meæ, editus locus meus. *Pſal.* 18.3. Nam qui confidunt Iehovæ, ſimiles ſunt monti Zionis, nec unquam concident, ſed permanebunt in ſeculum. *Pſal.* 125. 1. An vero firmiter Iehovæ confidant, qui carni ſuæ vivunt? Spiritus vertiginis, vertiginoſa cuique infundit. Inde lis ex lite creat litem: & ſuperbia nunquam in ſorte ſua novit contenta vivere, ut vicinus vicino hinc ſit oneri. Sic etiam quum diu ſatis modum ſubiugationis totalis Dux Guelphicus per annos aliquot quæſiviſſet Brunſvicenſi urbi vicinæ ſuæ, & ſcopum quoque prope attigiſſet; viæ antiquæ rationem ineundam putarunt preſſi, quum propius non invenirent medium, nec iuſtitiæ pateret amplius locus. Quamvis cauſſa non ſatis prægnans à parte Ducis; tamen infenſio exacerbarat iram, eandemque inflāmarat ita acriter, ut nil niſi vindicta & ſubiugatio contexeretur. *uti Acta Hiſt. Brunſv. 3. volum.* id ſatis aperte loquuntur & comprobant. Sed quod Hanſæ ſocii ex priſca addidicerant experientia, id ad manus ſumpſerunt: & ut humana ſunt conſilia; ita res novæ confœderationis non caruit pluribus difficultatibus. Ideoque ſæpius nunc Lubeccæ, nunc Bremæ, nunc Brunſvigæ, nunc Lunæburgi celebrati ſunt conventus aliquot civitatum Hanſæ, quæ defenſionis fœdus conficere ſatagebant, ut ait *Dux Henr. Iul. in act. Hiſt. Brunſv. part. 3. pag.* 873. Tandem id Lunæburgi *Anno* 1607. *die purificat. Mar.* 3. *Februar.* plene abſolutum eſt, in hac forma, ut in ſequentibus exprimitur, quod Principem ita plane perturbavit, ut de armis, quæ huc uſque vario uſu torſerat in eos, deſperans, ad calami ſpicula & iuris quodammodo proceſſum denuo ſe converteret, & volumina actorum ederet ingentia, uti ipſe illius Principis poeta Meibomius ad effigiem eiuſdem cum ſubſcriptione aliquot verſuum tunc iſtud atteſtabatur his verbis:

Ad Sym-

Ad Symbolon Ducis:

IN UTRUMQUE PARATUS.

Elige me, qualem cupias; In utrumque paratus,
Qua calamum verso, verso etiam arma manu.
Marte lacessitus, respondeo Marte: Nec esses,
Ni mihi sic cordi ius pietasque, ferox.
Nunc, calamo lasus, calami tibi texta repono:
Si sapis, & Marti & Palladi cede mea.

Satis acute quidem dictum: sed an Christiana sit hæc locutio, id diiudicet D. Paulus, qui *ad Rom.* 8. 21. dicit: Ne vincitor à malo; sed vince bono malum. & v. 17. Nemini malum pro malo reddatis vicissim. & v. 19. Non ipsi vosmetipsos ulciscentes dilecti, sed date locum iræ. Scriptum est enim: Mihi est ultio, ego rependam, dicit Dominus. *Id. ad Galat.* 5. Ex charitate servite alii aliis. Nam lex uno verbo completur: Diliges proximum tuum sicut teipsum. Quod si alii alios mordetis, & devoratis; videte, ne vicissim alii ab aliis consumamini, &c. Sic 1. *Thess.* 5. 15. & 1. *Pet.* 3. 9. *vide.* Verum an Ethnicus, possit esse Christianus verus? An Ethnicismi sedulus sectator, queat Christianismum promovere? Eiusmodi videlicet stimulatores undique advolabant, unde pacis consilia satis suppressa fuerunt. Namque ubi voluntas regis pro lege est, ut ait Iust. ibi nemo non potius gratiam captat, quam veritati alumnum se præstet. Sic & Caselius quidam senex male ominosum carmen edebat, quod Saluti Publicæ scilicet inscripserat, civitates Hanseaticas male exagitando; ubi tales inveniebantur versus:

Quis vero furor est, parentes legibus æquis,
Certa pace bonisque frui non velle paratis?
Non vos libertatis amor, ne dicite: sed vos,
Nequaquam populis optanda, licentia perdit.
An non tanquam tabe perimus? Nonne videtis,
Quando domi neglecta iacent commercia rerum,
Non ita compleri deinceps araria gazis?
Quin sic dira fames paulatim irrepit ad omnes,
Quam vos pro merito primum tolerare necesse est, &c.
At socia tot stant à nostris partibus urbes,
Quarum certa fides, beneque explorata voluntas!
Forte sui facti pridem iam pœnitet unam:
Forte alias plures: neque nunc nova fœdera pangent.
Aut trepide facient, taciteque: ita quando iubebit,
Quæque pedem tuto referet, sibi proxima semper.
At nunc, quando palam perversa alienaq; causa est,
Imperium ne orbi turbent, regesq; lacessant.
Auctor erit nemo, credam: pax urbibus usu est:
Dicere sed populo Verum, nimis ardua res est.
Sæpeque id officium crudeli morte piatur, &c.
O vos magnifica tectis & turribus Urbes,
Vota Deo facite, & date munera Pacis ad aram:
Non vos bella decent, non vos contentio, non lis,
Sed neque seditio, nec conspiratio fallax.
Fallit enim: quam res persæpe minuta diremit
Cur hastas capitis? Sceptris adsurgite regum:
Vos ius Imperii, Regum vos arma tuentur;
Ipsi vos reges orbis genuere saluti.
Nonne locus Regum est, ubi vestra palatia lucent?
An non arma dedere hortos, sylvasque virentes?
Plura adeo: servant vobis hæc omnia Reges.
Nulla sit Urbs, *nisi sint Reges, rerumque potentes:*
Nil magis ex re sit populis, & cuilibet Urbi, *&c.*

Sic nunquam simulatione sua caret seductio quævis. Verum quum adeo passim exosa fuerit hæc cōfœderatio cunctis, merito huc quoque referenda est; quas si nil aliud; tamen hoc fructus habuit, quod terrori fuerit suis osoribus. Proinde ita se habet in translatione sua.

Confœderatio aliquot civitatum Hanseaticarum, defensioni maxime Brunsvicensium destinata, anno 1607. *Lunæburgi* 3. *Febr. inita.*

NOs Consules & Senatores antiquæ Hanseæ Teutonicæ, quotquot nostrorum sigilla sunt heic appensa, manifestum facimus & confitemur his pro nobis & nostris posteris coram unoquoque singulo; Postquam (proh dolor!) tempora & rerum momēta prope undique, quo diuturniora eo perturbatiora sese exerunt, ita, ut etiamsi salutariter ponderatæ constitutiones Pacis secularis, & quodcunque ulterius ad conservationem huius ex bona consideratione institutum, præterquam quod factiositates & violentæ suppressiones supra modum excrescunt: Tum summe extimescendum, nisi potentioribus violatoribus sat firma resistentia obviaretur, & suppressis per commodas celeresque opitulationes succurratur: quod tunc imbecilliores contra dictam constitutionem Pacis secularis, nisi penitus supprimantur; attamen ipsorum obrenta & à maioribus tradita Regalia, dominia, Privilegia & iura notabiliter prægravari, nec non commercia impediri possent; Atque hinc divina, naturalia, etiam communiter cōscripta iura, ac sacri Imperii Recessus & Ordinationes, ex rationalibus considerationibus caussisque concessere & admisere, quod, contra iniquam pacis publicæ turbationem & vim, ad se protegendum, aliis pro conditione sua cum talibus se coniungere, & propter inevitabilem defensionem, super iam dictam pace publica fundatam, in vinculum certum coire licitum sit. Nos quoque hoc in memoriam revocamus. Licet in nostris pervetustis Hanseaticis confœderationibus, & earum diversis temporibus reassumptis renovationibus, salutā-

salutariter atque satis bene constitutum sit, qua ratione una civitas alterius necessitati in pressuris iuxta omnigene communium iurium & Imperii constitutionum & ordinationum normam, consilio & auxilio condolenter succurrere, nulloque cum defectu adesse debeat.

Quum vero nihilominus animadversum sit, quod talis coniunctio ab aliis in disparile iudicium abripi velit, ad minimum quoque in Hanseaticis cōfœderationibus iste defectus est, quod in modo reciprocæ adsistentiæ & defensionis, & necessariarum requisitarum præparationum hucusque nulla certa dispositio & ordinatio constituta sit: Quod propterea, in propagationem nostræ pervetustæ Hanseaticæ cognationis, eandemque ad moderna difficilia tempora & rerum momenta aliquousque, quātum possibile, accommodandam, iuxta exemplum nostrorum laudabilium maiorum & antecessorum, nos cum bene prædeliberato consilio, considerare, in honorem Dei omnipotētis, & Sacri Romani Imperii communisque patriæ salutem, per sequentes punctos & articulos inter nos Unionem composuerimus & contraxerimus: Quod etiam facimus & vigore huius scripti, quemadmodum firmissime fieri debeat, possit & valeat, perficimus.

1. *Principio* præmunimus nos, & protestamur solemniter, quod ante omnia Rom. Cæs. Maiest. nostet clementissimus Dominus expresse exceptus, absque hoc etiam nullius alterius Regis, Electoris, Principis ac Domini regali superiori iurisdictioni præiudicium aut damnum adiici, multo minus hæc unio in cuiusquam summi aut imi status offensionem, aut quenquam contra ius & æquitatem defendendum; sed unice in hoc vergere debeat, qua ratione quisque nostrum in perturbatis periculosis temporibus & rerum momentis, ubi (proh dolor!) amor erga iustitiam & cōmuniter erga proximum refrigefacta est, vis & iniustitia palmam obtinet, & multi in æquo & bono nullam satietatem inveniant, ex omni parte simulac cum nostris adiunctis civibus, incolis, subditis & agnatis, contra iniustam vim in vigore iuris & æqui, mediante divina gratia, se defendere, protegere atque manutenere queat.

2. *Quum vero* æquum, Christianum & iustum sit, ut nos, si ulla prohibita factiositas se exerat, nisi periculum summum in mora sit, & tempus id saltē admittat, ante & prius legibus aut benevolentia quam armis quid prosequamur; debebit nemo, qui in unione hac comprehensus est, quam diu firma spes & media ad compositionis aut iuris vias, per quas nostrates defendi queunt, supersunt, ad innecessarias distractiones ullā opem aut adsistentiam expectare: sed ad pressi legitimam invocationem, conditione occurrentis negotii, permissionem iuxta possibilem diligentiam, bene explorata, illos, quorum notoria iniquitas inventa est, & propterea admonita, & utramque partem, sive unus aut bini in fœdere sint, adhortatione urgere, pro mutua æquitatis compositione, aut ut exortas differentias ad celerē compromissum perduci sinant, atque in eum casum Appellationi, Reductioni, Revisioni, Restitutioni in integrum, & reliquis alias in iure ordinatis, & admissibilium mediis & distractionibus, quomodocunque nominari queant, aut valeant, resignēt & renuncient: sive etiam, si uni aut alteri parti id non complacitum fuerit, tunc in ordinario & legitimo iure facietatem & sufficientiam accipiat, & inde ab incepta offensione & facto desistat.

3. *Quod si* eo usque tunc hoc omne nil proficiat; sed contra omnem iuris legitimi oblationem, una civitas aut plures inter nos contra pacem publicam in corpore, possessione & bonis violenter læderetur: Huiusmodi à nobis & reliquis cognatis, sine longiori protractione & mora realiter adsistetur, hac ratione & ita: ut ad deliberationem contra iura suppressorum, in nostris confœderatorū civitatibus & eorū territoriis & ditionibus, prout iuxta qualitatem offensionis singulis vicibus, in uno aut altero loco, maxime accommodatum censebitur, conscriptio necessarii militis, locus collectionis & numerationis, liberi transitus, & ad tempus receptio concedatur illi; milites, pecunia, provisio victus, & munitionis bellici suppeditatio præstetur; è contra vero adversariis & offendentibus abnegeretur prorsus & abscindatur idem.

4. *Atque hæc* opitulatio & adsistentia non tantum cōtra internos Sacri Rom. Imperii, sed etiam quēliber, qui supra & contra iura quemquam nostratium vi in mari aut terra impugnat', concepta esse debet; attamen cum hac moderatione, quod minus obligati esse velimus confœderato presso, extra fines S. Rom. Imperii alio modo, quam sequens declarat articulus, ad præstandum auxilium; nisi hoc subsit, quod impetitio talis in mari aut terra extra Imperium, propter hanc confœderationem, tum vigore eius debita opitulatio cuiquam confœderatorum adiici debebitur; in quem casum reliqui confœderati presso plenum auxilium non aliter, ac si in Imperio esset factum, præstare omnino tenebuntur.

5. *In casu* proinde ita quædam ex nostra coniunctarum civitatum societate extra Imperii fines obrueretur, atque inde ad defensionem sui progredi cogeretur; tunc nos reliqui coaduniti offendenti & pacis publicæ fractori, omnes conscriptiones, transitus, militem, armationes, receptiones, suggestiones frumenti, alimentorum, munitionum, & omnium necessitatum, in nostris iurisdictionibus, ditionibus, pro summa facultate impedire, & è contra nostris consociis pressis tale cunctum libenter concedere, & bonis consiliis, promotorialibus, legationibusque non aliter, ac si in ipso esset Imperio, adsistere debemus; attamē, ut realis opitulatio, & quod ab ea dependet, modificetur, nec inde una præ altera iniquiter prægravetur; sed in eam viam, ut ex omni parte tolerabilis sit, dirigatur; atque etiam præterea pressis pro cōditione periculi, habita prius communicatione, & prævio unanimi decreto, pecuniæ auxilio, quātum salarium necessariorum militum & nautarū requirat, exæratio, de quo in sequenti articulo mentio fiet, succurratur & accedatur: Cæteri vero sumptus, qui detentioni, extra fines Imperii impendendi veniunt, à pressis solummodo comparari debent.

6. *Si tunc iuxta* occasionem offensionis, conscriptiones lo-

nes loci, collectionis, numerationis & armationis, transitus, & receptiones denominentur aut instituantur; tunc singula vice, non tantum in genere, bona ordinatio institui; sed quoque per destinatas advecturas alimenta suppeditari debent, ut subditi & addicti inde nihil oneris percipiant. In casu autem, si cõtra spem, nostri subditi & addicti, ex omissa solutione, vel alias in aliis modis damno afficerentur, illud omne, prævia legitima liquidatione, iuxta æquitatis rationem reponetur, & persolvetur.

7. *Hac quoque* Unio, cum casibus se contra pacem publicam violentiis extendentibus, cum talibus quoque casibus intelligi debet; Quod si publicatæ alicui sententiæ definitivæ iuris nulla paritio aut executio obtineri posset, quod tunc nostris consociis, causæ victoribus, ad prævias legitimas Executoriales, & inde consecutam bãni declarationem, iuxta stylum & tenorem Ordinationis Cameralis, similiter adiutricem manum exhibere, nec institutæ Executioni quid denegare velimus: attamen, si executio nimis gravis & ponderosa foret, ut alii plures, iuxta dictam Cameræ Ordinationem, attrahantur, & omnes expensæ, quæ Executioni impenduntur, ex bonis executioni subiecti refundantur, & restituantur.

8. *Velut etiam* similiter omnibus illegitimis arrestis, & commerciorũm oppilationibus, quæ via ordinaria iuris haut commode abrogari poterunt, ad læsi consocii, aut eorum agnatorum postulationem, & prædeliberatum commune consilium, arrestis contrariis & commerciorum restrictionibus contrariis, præcipue iis in locis, ubi commode fieri potest, obviari & remedia opponi debent.

9. *Quum igitur* iam hoc salutare defensionis opus absque constanti Directione non subsistere possit aut valeat, proinde coangustata civitas statum suum quam primum ad honorabiles Lubeccenses, & si illismet ipsis pressura obiecta sit, ad honorab. Bremenses deferet, qui protenus absque mora momentoque citius, ad cæteras confœderatas civitates, usitatas convocationes & denunciationes mittere, & conventum iuxta conditionem circumstantiarum in commodo & idoneo loco, ex plenitudine officii, instituere debent, atque è contra conscripti suos legatos cum sufficienti mandato illuc sub dicto tempore ablegare tenentur.

10. *Atque debinc* pro conducibili iudicatum est, quod singulis vicibus quoties necessitas requirat, pressa civitas, si possibile sit, cum Domino Præfecto militiæ; alias vero, si hoc à civitate hostilitati expolita perfici nequiret; tunc una aut binæ viciniores civitates directionem defensionis, & quod inde dependet, habere: atque illæ omne & quodvis per idoneas commodasque, & quantum fieri potest, eas personas, quæ rerum talium experientia prævalent, & cognitionem tenent plenam, in effectum deducere debent.

11. *Si vero* offensio ab unius aut alterius consociæ civitatis magistratu aut Principe eius proficiscatur, & inde hæc subterfugiat directionem defensionis: tunc illi isthæc, velut & similiter succursus militaris & missio armorum omnium remittetur, condonabitur; attamen tenebitur ad hoc, quod pro tata parte & loco militaris succursus & missionis armaturæ ipsi competit, pecuniam contribuere, & eidem, quidquid inhibitione & respective aversione vecturæ, transituum, & alias, consultum in decreto videbitur, sese accommodare.

12. *Vt etiam*, quando necessitatis & periculi poscentis causa (quod Deus in gratia avertat) ad realẽ consummationem & executionem huius coniunctionis perveniat, directio belli defensivi eo rectius succedat, nec communi saluti in detrimentum ingens ac irreparabile damnum, si subitanea necessitas ingruat, Generalis quispiam sufficiens bello præfectus, aliique officiarii desint; exinde in hoc conventu, ut Generalis talis sive Præfectus futuri exercitus equestris & pedestris, velut & magistri equitum & capitanei pro annuo salario constituantur, decretum est.

13. *Et quum* in his omnibus absque ingenti pecuniæ summa nihil fructuose effici queat aut valeat; proinde unaquæque consociata civitas ad hoc æqualiter 10000. Imperiales, quos aut realiter statim contribuet, vel etiam pensionem ex ea annuam, videlicet 600. Imperiales, Initio à festo Paschatos instantis sumpto, *Anni huius currentis* 1607. atque si unius aut alterius civitatis necessitas & periculum exigat; tunc quoque simul ac à civitatibus confœderatis conclusum fuerit, ad minimum intra 14. dies, à facta denunciatione, summam capitalem in futurorum coangustatorum refutionem & satisfactionem, nisi quid ex benevolentia illis condonetur, in paratis nummis expendere, & propterea specialem obligatam cautionem & assecurationem exporrigere, & etiam in capitulum ærariam apud Hamburgenses depositam, ac binis clavibus (quarum una in manu Lubeccensium, altera Hamburgensium est) munitam è vestigio iam transmittere obligata & obstricta tenebitur.

14. *Atque ut simul* verus defensionis scopus attingatur, nec illa in ignominiam aut damnum honorabilium civitatum deflectatur: ideo in eum casum, quando pressis hac contributione realis liberatio præstari minus poterit, ulterior conventus habebitur; & non tantum quomodo defensio talis cõmodissime continuetur, è vestigio deliberabitur, sed etiam, in modum & formam, quomodo optima conventio institui possit, coangustatis, donec ad realem liberationem, cõsilio & facto adiumentum addatur.

15. *Præcipue* unaquæque in hac coadunatione comprehensa civitas, tot arma & armaturas, quotquot ad tres Compagnias sive cohortes militum pedestrium requiruntur, in numero chlamydum, pectoralium, loricarum, galearum, vittarum, lancearum, hastarum, scloporum omnis generis, bombardarum, pulveris tormentarii copia, thecarũ, laguncularum, ligonũ, securium, &c. omni tempore in armamentariis suis parata habebunt, & simul necessarii pulveris ac globulorum promptuarium adservabunt, atque hoc omne, sicut etiam similiter iuxta conditionem, & vicinitatem cuiusque loci, ex armamentariis tot tormenta bellica, uti necessarium erit, cum globis tormentariis sufficientibus ac pulvere, ad nostrum

tamen

tamen periculum & ſumptum, in caſu neceſſitatis porrigere tenebuntur. ſic & decentem perſcrutationem & inſpectionem, quod videlicet in ipſorum quora nihil deſideretur, à Domino militari rei præfecto, qui occaſione bona id effectum dabit, perpetietur.

16. *Quodcunque* autem ex talibus armis & armaturis, & aliis munitionibus, pro occurrenti rerum ſtatu, militibus porrigitur, illud iuxta æquabilem taxam ex communi ærario perſolvetur. Alias vero ad cuiuſque ſumptus ad manus procurabitur.

17. *Similiter ex* omni parte cum civibus noſtris, ſubditis & miniſtris, & noſtratibus prompti adeſſe volumus.

18. *Nec quiſpiam*, qui in neceſſitatibus & anguſtiis fuit, in quibus confœderati ipſi adſiſtentiam præſtitere, hanc facultatem habebit, ut abſque eorum conſenſu, conſilio, ſcientia & voluntate ad tranſactionem progrediatur aut complanationem aliquam; ſed quodcunque in his ſuſcipitur, ſecundum commune ius fiat.

19. *Et hæc* coniunctio in proximos ſequentes 10. annos durabit, nec ante effluxum temporis ulli parti conceſſum erit reſultare: ita, quod ſi civitas quædam id intendat, illa totam huic penui & univerſo defenſionis negotio deputatam contributionis quotam nobis relinquere, & nihil inde recipere debebit.

20. *Atque in* his reliquis civitatibus aggreſſus ad hanc arctiorem coniunctionem minus impeditus erit; ſed apertus manebit, & iuxta commune conſilium aliæ plures in id recipientur.

21. *Poſt effluxum* decennium cuiuſque civitatis liberum erit arbitrium, num Unio hæc renovanda, & magis extendenda ſit, an vero una aut plures renunciare eam velint.

22. *In primis* autem hæc coniunctio communi Hanſeaticæ Societati, quæ inter has & alias communes honoratæ Hanſæ civitates viget, nec non etiam aliis Unionibus, quæ cum aliis erectæ ſunt, aut in poſterum erigi poſſent, nec tamen huic coadunitioni contrariæ ſint, præiudicare aut detrahere quid debet, ſed ſeparatæ cauſſæ manebunt.

Quod omne & ſingulum nos ex omni parte firmiter, in conſtanti fidelitate & bona fide, loco iuramenti ſervare promiſimus & polliciti ſumus: omnes fideliter abſque dolo & argutia. In teſtimonium huius, nos noſtratum civitatum Sigilla ad has litteras ſcienter appendi curavimus, quæ datæ ſunt, die Martis poſt purificat. Mariæ; erat 3. dies menſis Febr. Anni poſt Chriſti noſtri Salvatoris nativitatem 1607.

O O O O O

Quamvis huius Fœderis arctioris inter Hanſeaticas aliquot civitates maxime attribuatur Brunſvicenſium neceſſitati; tamen alia tacita ratio ſubeſt, quæ ſtatim ſe quidem *in 2. articul. exerit*: ſed quum eadem ſit cauſſa Fœderis arctioris imparium, quænam heic lateat ſubtilitas & clancularia argutia, *infra in cap.* 14. explicabitur. Hanſeatici quidem ſatis prudentes ſe probant in omnibus; attamen ſtylus iſte ſatis demonſtrat, quod alios tunc admiſerint artifices, qui ex aulis quid pro commodo ſuo ſuggeſſerunt, ut ſuo loco patebit. Interim heic obiter notandum, quod Notula ea fœderis, quam *Dux Brunſ. in part. ſuorum act. Brunſv. pag.* 870. plane falſa ſit, & non cum hac iã poſita concordet. Inde quilibet rem diiudicabit: quamvis ille multas impendiſſet propterea corruptelas; tamen ſuppoſita accepit.

CAP. XIV.

De Confœderatione Belgarum cum aliquot Hanſæ Saxonicæ Civitatibus illuſtrioribus, ac principalioribus, An. 1616. 24. April. inita, & 13. Iun. An. eiuſd. Hagæ-Comitis iuramento ſolemni confirmata.

AD paritatem Fœderum Hanſeaticorum merito quoque refertur illud, quod antehac cum ill. Ord. Belgicis inierunt Hanſæ ſocii. Superius explicatum eſt, quod quã plurimæ civitates Belgicæ pridem ante aliquot ſecula in Confœderatione cum Hanſæ Orientalibus civitatibus vixerint; proinde ex parte fœderis antiqui renovationem dici voluerunt. velut etiam eo titulo rite venditum fuit, quum tot Principes intra & extra Imperium illud ita ſuſpectum Imperatori ipſi & Regibus paſſim reddere conarentur. Stimulum autem potiſſimum ſuo Adminiſtratori ſuggerebant Capitulares illi irregulares, ait Dau. propter civitatem Magdeburg. quã penitus ſubiugare toties præter fas nimium inſoleſcentes intentarant fruſtra, quum nunc cernerent inde commoditatem omnem ſibi abſciſſam. Sic & Ducis Brunſvic. adſenatores idem urgebant, propter eam urbem. Ideoque magna undiquaque diſpergebatur fama, ut concitarentur ex variis locis diſſimiles opinionum diverſarum ſententiæ, quæ utplurimum in calumnias varias erumpebant. Etenim qui civitatibus ſuum ſtatum liberiorem & fortunam invidebant, varias convitiorum plurium cauſſas congerere non deſinebant. Verum *Thuanus lib. 6. Hiſtor. continuat. pag.* 358. & 359. interim propius ad ſcopum collimat originalem, quando bello illi, quod Anno 1613. inter Reg. Daniæ & Sueciæ tum fervebat adeo, ex parte huius cõiunctionis occaſionem primariam imputat. Namque Rex Daniæ non tantum ab initio belli Suecici omnibus mercibus, quæ per mare Balticum importabantur, aut exportabantur, ingens vectigal, ut ſic impenſas in illud bellum factas recuperaret, impoſuerat; ſed etiam toties civitatibus Hanſeaticis privilegia & iura, à maioribus non ſine ſanguine & onere ſummo acquiſita & tradita, imo iuramenti fide æterna tum corroborata, confirmare denegarat penitus: Tum quoque & Belgæ & Hanſeatici Legatos miſerant ad Regem rogatum, ut ſe nimio hoc onere vectigalis liberaret. Verum quum adeo durũ eſſet reſponſum Regis, ut aut vectigal Mercatores penderent, aut in tranſitu, per fretum Sundicum, ſuas merces in naves Danicas transferrent, quod videbant utrinque ſibi damnoſiſſimum, & è contra Danis lucroſiſſimum; non tantum Lubecenſes ac reliqui Hanſæ Socii aliquot hoc univerſale incommodum totique Imperio Germanico perniciоſum,

item

item regis novum apparatum bellicum, &c. ad Imperatorem per Legatos ſuos querelis ſupplicibus detulerunt; ſed etiam, quum Rex Daniæ in conatu adeo ſtrenue pergeret, ut civitatibus Hanſæ & maxime Lubeccæ naves cum mercibus retineret, imo & in portum Lubeccenſem hoſtilem impetum faceret, ibi naves mercibus onuſtas illis eripere per archithalaſſum ſuum laborans: inde cum Ordinibus Belgii de fœdere novo ineundo conſilium inceperunt; præſertim quum etiam cernerent, quod ex aula Imperatoris nulla in præſentibus periculis ſpes affulgeret ulla. Proinde hunc in finem à civitate Lubeccenſi primitus Legati miſſi ſunt Hagam-Comitis, qui ſupra modum humaniter cum ſingulari congratulatione omnium accepti & auditi ſunt. Etenim occaſio maioris effectus, quæ univerſo commercio per tot regiones maxime prodeſſe, & omnia in priſtinum ſtatum redigere poſſet, exinde expectabatur à ſingulis. Quare res diu optata non diuturna deliberatione indiguit; conſultum putarunt omnes, ut Legati non ſine fructu diſcederent; quo factũ ſuit, ut 4. Calend. Iunij Fœdus utrinque ſit certis articulis conceptum, non vero pactum, ut vult Thuanus. Etenim Lubeccenſes non tantum in ſeſe receperunt, quod referre vellent reſolutionem conceptam; ſed etiam novum deliberationis obtinuerunt terminum. Unde factũ eſt, quod Magdeburgenſes, & Brunſvicenſes, una cum Lubeccanis Hagam ſuos miſerint Legatos circa Menſ. Septemb. eiuſdem Anni, ubi propior collatio inſtituta ſuit, uti ex ſequenti patet Extracto Receſſus; quem inter ſe certitudinis cauſſa compoſuere: veluti etiam plures tales habiti ſunt, quum tractatus hi ultra triennium excreviſſent, priuſquam in certam normam potuerint redigi. Sed primus Receſſus in ſingulari capite iuxta Extractum, ita ſe habet:

Extract. Receſſus primi de Confœderatione Hanſæ cum Ill. Ord. Belg. inita.

AD Completionem illius, ſub hodierni diei dato, confecti pacti, inter Dominos Commiſſarios à Præpotentibus Dominis Staticis Generalibus unitarum Provinciarum Belgicarum, cum Dom. Legatis civitatis Lubeccenſis, & Dnn. Legatis civitatum Magdeburgenſis & Brunſvicenſis, in receptionem eorum Magdeburgenſium & Brunſvicenſium propter tractatum Confœderationis, à Præpotent. Dnn. Stat. initum, in proxime Menſe Maio, cum Dominis Conſulibus & Senatu civitatis Lubeccenſis; ac præcipue & ſpecialiter ad ſatisfactionem 5. Articuli in eodem tractatu, qui concernit contributiones; eſt tandem pro placito huius ad referendum & ulterius proponendum promiſſio facta, quantum pertinet ad quotam contributionis, quod civitates Magdeburg. & Brunſvicenſes ſimultanee pro una ferre debeant dimidiam partem reſpectu quotę Lubeccenſis. Ita adimpletum in Haga-Comitis ad placitum & ratificationem, velut ſuperius mentio facta, atque hoc à reſpective Dn. Commiſſariis ſubſignatum eſt 20. Septembr. in 1613. An.

C. Bieſman, Dirick Paſs, Magnus V. D. Aylva, Ab. Condors, Martinus Nordanus Reipubl. Lubeccenſ. Legatus, Thomas Franzius D. & Reipubl. Magdeb. Synd. & Legatus, Iohannes Roethant D. ac Reipubl. Brunſvicenſis Synd. & Legatus, Hermannus Schrader Conſul Brunſvic. Ioan. Oleman Reipubl. Brunſv. Secretarius.

Licet autem non ſine appetitu Ord. Belg. ex ſtimulatione mercatorum hoc Fœdus & eius perfectionem urgerent; tamen varia impedimenta ſunt civitatibus Hanſæ Orientalibus & maxime Saxonicis obiecta, velut etiam hiſce negotiis bellum Brunſvicenſe intermiſcebatur, quod inde maxime ſuam ſortiebatur deproperationis maturitatem. Sed & interim aliæ civitates, quibus offerebatur toties, de acceptatione dubitabant, quum punctus contributionis illis videretur difficilior. Nihilominus, ut quaſi cum beneficio Ordin. Belg. ad ſe magis allicerent Hanſeaticos, hinc tam promptum Brunſvicenſibus, iuxta tractatus Lunæburgi habitos, in ſuæ obſidionis neceſſitatibus ſuccurſum ſub Duce Heinrico Friderico Princip. Auragn. Anno 1615. præſtiterunt. Hoc fidei ſingularis exemplum, quum quaſi probã acciperent civitates, reliqua omnia inde integritati protenus imputare non dubitarunt; ſed inceperunt ardentiori utrinque conſolidationem Soc etatis diu expeditæ ſtudio ambire. Ideoque, & Lubeccæ, & Lunæburgi, & Brunſvigæ conventus habiti fuere, veluti quoq; inprimis Brunſvigæ iterum Anno 1615. ſub compoſitione belli eiuſdem utriuſque partis Legati convenerant, qui negotium fœderis huius particularis diuturnum tandem ad perfectionem perducerent; quod quidem etiam factum eſt, ſed 5. *Articulus* adhuc in diſputatione manſit, ut eo uſque cõditiones Fœderis ſaltem ſint ratificatę, veluti ex ſubſequentibus Receſſuum extractis patet, quæ ita ſe habent:

Extract. Receſſus in part. contribut. ſuper Fœd. Hanſæ-Belgicum.

AD Impletionem Tractatus inter Præpotentes Dnn. Staticos Generales liberarum unitarum Belgicarum Provinciarum, & honorabilium Orientalium Hanſæ civitatum ab altera parte erecti, & ſpecialiter ad ſatisfactionem 5. Articuli, concernentis diſpoſitionem, & quotam in contributione, eſt ad invicem tranſactum, promiſſum & acceptatum, quod civitates Roſtochienſis & Stralſundana quælibet unam, Wiſmaria dimidiam, Magdæburgum & Lunæburgum quælibet unam, Grypsvvaldia & Anclamum ſingula dimidiam, erga centum unitatum Belgii Provinciarum, & erga 12. atque dimidiam civitatis Lubeccenſis ſuffere debeant, & contribuere. Atque de his diverſa conſonantia acta pro notitia reſpective coadunitarum confecta & erecta ſunt, quæ erunt & cenſebuntur in eadem virtute & vigore, ac ſi principalibus tractatibus expreſſe eſſent inſerta. In cuius teſtimonium, iſta hæc acta per reſpective unitarum Commiſſarios, plenipotentiarios & Legatos ſubſignata ſunt, & ulterius cum unitorum maiori ſigillo corroborari debent. Ita factum in Brunſvicenſi urbe, 16. Menſis Decembr. in Anno 1615.

Ex nomine Præpotentium Dnn. Ord. Iohan. Biel, Friderick vande Sande, Diderick Sucke. Ex

mandato & nomine civitatum Roſtock, Stralſundii, Wiſmariæ, Grypswaldiæ & Anclamii Iohan. Domannus Doct. Ex mãdato civit. Magdeb. Georg. Heinricus Bolfratius D. & Synd. Vigore mandati & in nomine civitatis Lunæburg. ſubſcripſit Iohan. Melbeccius D. & Conſiliarius.

Sed quum civitates Hanſæ nimis abſolute hæc concepta putarent; & neceſſum eſſe cernerent, ut prius talia denuo in Conventu Lubeccenſi, ne ulli civitatum quid prejudicii in re ardua ſubreperet, referrentur, explicationem aliquam huic alio receſſu ſubiici curarunt, cuius verba ſic ſe habent:

Modificata explicatio Receſſ. ſuperioris Brunſv.

ETiamſi factum, quod hodie inter Præpotentes Dominos Staticos Generales unitarum Belgii Provinciarum, & civitates Roſtochium, Stralſundam, Wiſmariam, Magdeburgum, Lunæburgam, Grypſwaldiam & Anclamum Unio ſit concluſa, & ſubſignata; attamen inter utriuſque partis Commiſſarios, plenipotentiarios & Legatos ita conventum & conſenſu approbatum eſt, quod inſuper de his, in debitis locis relatio debeat fieri, & prædictæ civitates ante 1. Martii ad Dominos Lubeccenſes tanquam Directores ſuam præſcribent ſententiam, inde intra 14. dies Præpotentes Domini Statici Generales, & Dnn. Directores ſibimet invicem utriuſque partis reſolutionem in ſcriptis notificabunt, & poſtea (ſi opus hoc ab utraque parte complacito approbatur) unitæ civitates Legatos ſuos circa 10. Maij Hagam Comitis mittere debent, ut unio iſta iuramento confirmetur, & ſubſignetur, & etiam Præpotentium Dnn. Stat. iuramentum & obſignationem accipiant. Actum in Brunſviga 27. Decembris Anno 1615. Dnn. Commiſſariorum Legatorumque eadem fuit, quæ proxime ſuperius notata fuit.

Confœderationis huius tractatu ibi ſic peracto, confeſtim novæ auditæ ſunt paſſim querelæ, quæ per diverſas undique ſpargebantur aulas: ac velut antea ex ſuggeſtione Adminiſtr. Magd. concitatus erat Elector Saxoniæ, qui id ſub dato Dreſdæ 11. Februar. Anno 1614. denunciaverat Imperatori, ac ſub eodem dato quoque ad Magdeb. debortatorias ſcripſerat actes; ita nunc graviore longe idem Admin. ex inſtinctu Capitularium ſuorum diffundebat ſuſpiciones. Rumores erant varii & diſſimiles: longe autem diſſimiliora iudicia, quæ ſe maxime tunc movebant, quum tempus mittendorum Legatorũ Hagam-Comitis circa Menſem Maium inſtaret. Meri tentabantur conatus pro diſſuaſionibus, multæque cognoſcebantur litteræ: ſed quum nequeant omnia referri, nec locus iſte talia capiat; ſufficiat ſaltem hac vice pernoſcere epiſtolam unam Adminiſt. Halenſis ad Magdeburgenſes, & eorum egregium ac fundamentale ſatis reſponſum; unde facile poſſunt reliqua conĳci, quæ ſub fuerint conamina, & quorſum minæ eiuſmodi tendere velint.

Littera D. Adminiſtrat. Archiep. Magdeb. ſive Halenſis, ad civitatem Magdeburgenſem.

PRævia noſtra ſalute, Honorabiles, honorati & prudentes dilecti fideles, Poſtquam nos iam tandem plena fide dignam accepimus relationẽ, quod vos abſque ulla aliqua cauſſa, urgente neceſſitate, aut periculo, ad concluſionem & confirmationem novæ confœderationis ad Dnn. Generales Staticos veſtrates dimiſſuri ſitis, uti veſtrum habet decretum: & tamen eiuſmodi novæ intentatæ confœderationes, iuxta conditionem veſtri, & noſtræ veteris civitatis Magdeburgenſis ſtatus, iuri, pactis, atque etiam Cæſareis pœnalibus Mandatis & prohibitionibus adverſantur: Proinde omnino nobis hoc incumbit, ut tali propoſito, præcipue ſi id Rom. Cæſar. Maieſt. ſacro Imperio, nobis & noſtro Archiepiſcopatui, omnibus eius adiunctis membris & ſubditis in deſpectum, damnum, & ignominiam vergat, hiſce & vigore harum expreſſe contradicamus, & obloquamur; Cum adiecta benevola adhortatione; ut tamen ſub hoc opere ita procedatis & pergatis, ut coram optime memorata Cæſ. Maieſt. tanquam noſtro ex omni parte ſupremo capite, nobis, tanquam territorii principe, & noſtris fidelibus Provincialibus, quorum indubitabile membrum vos eſtis, tum coram communi civitate & civibus propter graves ad hoc requiſitos ſumptus, & alias poſthac prævias ſupra modum immenſas contributiones, & periculoſas conſequentias, cum fundamento defendere poſſitis. Quod nos, ex poſtulatione noſtri territorialis gerendi officii, inevitabilem ob neceſſitatem vos celare noluimus, & manemus alias in gratia vobis addicti. Datum in arce noſtra Sancti Mauritzburgi Halæ 14. Aprilis, Anno 1616.

Chriſtian Wilhelm. man. prop.

Ad quod monitorium ſatis conveniens reſponſum Magdeb. dedere; ita tamen, ut prius 27. April. plene expedirent Legatum ſuum, videlicet D. Bolfraſium Syndicum; quod ita ſuadebat D. Dauthius, cuius verba erant in litteris ad Senatum: Nil iam vobis reſpondendum, ſi ſalvi eſſe velitis. Nam capitulares illi hoſtes civitatis, qui authores & continuatores ſunt gravaminum, noſcunt ſatis, (N.B.) quod ſtante Fœdere Belgico, gravamina ſtare non poſſint: & quod fœdere illo ſublato, gravamina perpetua futura ſint. Connexionem talem quærat Argus, & videat ipſemet: Factum tamen hinc eſt, quod Syndicus tum 29. April. ſit dimiſſus: unde ſequenti die reſolutionem talem Principi miſerunt, ſatis congruam.

Reſponſio Magdeburg. Civitatis ad Litteras D. Adminiſtr. ſub dat. 30. April.

REverendiſſime, Illuſtriſſime, alto ſtemate prosate Princeps, Clem. Domine; cum oblatione noſtrorum ſubiectiſſimorum officiorum V. R. D. nos hiſce detegimus, quod eius litteræ de 14. huius à nobis cum debita reverentia acceptæ & in perlectione auditæ ſint; ex quibus percepimus, quod V. R. D.

V.R.D. iam tandem pro certo relatum ſit, quomodo nos abſque ulla aliqua cauſſa, urgente neceſſitate, & periculo, ad concluſionem & confirmationem novæ confœderationis, ad Dominos Gen. Stat. noſtrates mittendos decreverimus; contra quod V. R. G. contradictionem mittunt, cum adhortatione annexa, &c. Iam vero V. R. G. hiſce nos cum ſimili contradictione ad ea omnia, quæ in V.G.R. litteris, nobis, civitati, eius iuribus & conſuetudinibus noſtris opponuntur, haud celamus, quod inter ſeſe aliquot honorabiles civitates, quæ Hanſæ vocantur, & in 4. Quartiria aut regiones (in quarum una, Extravandalica ſive Ultraethnica dicta, noſtra civitas primaria eſt) dividuntur, pervetuſtam coniunctionem, amicitiam & confœderationem pro conſervatione & propagatione commerciorum, nec non civitatum libertate & iuribus, erexerint: Ad tale Hanſeaticum fœdus etiam olim Belgicæ civitates pertinebant; quæ tamen conventus Hanſeaticos, propter periculoſa & diuturna bella, ex longo temporis ſpacio viſitare haut potuerunt. Poſtquam autem legitima conſideratio facta eſt, quam eximia ante annos plures negotiatio ex noſtris & aliis Hanſeaticis civitatibus in Belgio exercitata fuerit, & quod per ſingulatem Dei gratiam & benedictionem ibi nunc pax ſit reſtituta, à maxima parte Hanſæ Teutonicæ decretum & concluſum eſt, quod merito antiqua illa ſocietas & Confœderatio cum Belgicis civitatibus, atque ita cum capite ipſo, quod Generales Statici referunt, renovaretur. Hoc omne ſine ullo præiudicio & deſpectu Rom. Cæſar. Maieſt. noſtri ex omni parte Clementiſſimi Domini, ſicut & totius Sacri Imp. Rom. factum eſt; Nec Electoribus atque Principibus in debita addictione, obedientia & ſubiectione quid detractum, ſed multo magis in emolumentum & ſalutem totius Sacri Imperii Romani & harum etiam terrarum ſuſceptum eſt. Ex tali quoque renovatione pervetuſtæ ſocietatis, & præſertim, quod huius civitatis Emporium, ius ſtapulæ & negotiatio inde eximie meliorari, atque omnia noſtræ civitati, toti quoque Archiepiſcopatui in utilitatem & proſperitatem ſingularem dirigi debeant, nobis pollicitationes certæ factæ ſunt; velut etiam propterea nos bonam concepimus ſpem; unde non à reliquis nos ſeparare debuimus, nec potuimus; in quem finem etiam antehac ex conſenſu & communi placito omnium ſtatuum & ampli regiminis omnia ſuſcepimus. Tum quoque iam pridem à correſpondentibus & aliis Hanſæ civitatibus Rom. Cæſar. Maieſt. noſtro ex omni parte Clementiſſimo Domino, ſufficienter litteris exquiſitis & diſertis in debita ſubiectione explicata ſunt omnia, indubitanter unde confidimus, S. Cæſar. Maieſt. id non male eſſe accepturam, velut & ſimiliter de V. R. G. nos ſpem talem concepimus. Omnibus autem illis, qui nobis & civitati noſtræ non recte cupiunt, ſicut etiam cunctis, quæ in V. R. G. litteris nobis aliter imputantur, & nobis & noſtræ civitati iura & conſuetudines contraria eſſe, aut ita haberi queant, eodem modo & vigore harum ſimiliter & expreſſe contradicimus & obloquimur. Noſtra & noſtri amplioris regiminis intentio, velut antea diximus, plane non eſt, quod renovata hæc Confœderatio in V. R. G. aut ulliusalterius præiudicium debeat extendi aut dirigi. Et manemus V. R. G. ad ſubiectiſſima officia devote obligati. Datum ſub ſecreto civitatis noſtræ 30. April. Anno 1616.

V. R. G.

S. & ad omnia parat.

Conſules, Senatores & tribuum Magiſtri civitatis Magdeburg.

Quamvis autem D. Adminiſtr. ſub 10. Maij novas miſerit contradictiones cum refutatoriis, & Provincialibus idem ſuggeſtum fuerit; tamen ex Conſilio Dautii non amplius reſponſum eſt, præſertim quum Legatus pridem Hagam cum 12. Articulis inſtructionis eſſet dimiſſus, cuius expeditio neceſt huius loci. Extra controverſiam itaque eſt omnem, quod variæ iſtius confœderationis cauſſæ cuique quidem parti propriæ fuerint; ſed nihilominus cõmunis commercii reſpectus in mari non fuit exiguus, ceu id recte explicat *Meteranus in Hiſtor. Belg. lib. 33. ad Anno 1616.* quum eo tempore tot piratarum & Turcarum tempeſtatibus impetuoſis negotiatio omnis eſſet expoſita, quem ibi quilibet conſulere poterit. Quum autem Confœderatio ea, ut ait Meteranus, memorabilis ſit, & multas ubique paſſa ſit flagellationes, recte eius cõpia ibi delineata haberur, quam etiam heic iuxta genuinam tranſlationem ex Belgicæ linguæ idiomate huc repetemus.

Confœderatio Ill. Ord. Belg. cum aliquot Hanſeaticis civitatibus Orientalis Saxoniæ An. 1615. Brunſv. inita.

NOs Conſules & Senatus Cæſareæ libertatis, & S.Rom.Imperii civitatis Lubeccenſis, manifeſtum his facimus & confitemur, quod inter Præpotentes Dom. Staticos Generales unitarum Provinciarum Belgicarum ab una, & communionem Hãſeaticarum Civitatum ab altera parte Confœderatio, & amicabilis unio conſtituta ſit, in forma & modo, uti ſequitur,

Poſtquam ante vetuſta & immemorialia tempora, ad commune Fœdus Hanſeaticum, non tantum relatæ fuerint Orientales Hanſæ civitates ad Eoum mare, una cum illis ad Albim & Viſurgim, atque circiter illic; ſed etiam Belgicæ civitates ad Septentrionale ac Auſtrale mare, Moſam, Vahalim, Rhenum, Iſalam & alios fluvios, amneſque, in memoratum Septentrionale & Auſtrale ſeſe exonerantes, ſitæ, & invicem ſimultanee in firma Unione amicitiaque cohæſerint, nec non in vicinis regnis & terris multas communes libertates, & iura, etiam Privilegia, per bene merita contractuſq; obtinuerint, eoſdem quoque communi conſilio, mediis ac potentia, interdum etiam armis defenſivis propugnarint, & in poſſeſſione conſervarint: Atque hinc Belgicæ civitates Hanſæ interea propter diuturnum bellum, & nonnullæ quoque propter intercidentes diſcordias in viſitatione communium Hanſę conventuum impeditæ, tum ſimul propter propria ſua gravamina, communis Hanſeatici fœderis onera non potuerint perferre, quod prope apparentiam diſruptionis, aut ſeparationis, apud vicinos aliquot invenit,

qui propterea quoque antiqua Privilegia & tranſactiones infringere & annullare tentarunt, donec tandem eo deventum eſt, ut aliquot in locis omnis ſcientia & cognitio de Hanſeaticis Privilegiis diſſimulata fuerit, nedum quod ad obſervantiam eorundem tenerentur, aut ullum Collegium Hanſeaticarum civitatum agnoſcere, aut cum eo tanquam cum communitate aliqua aut Societate quidquam tractare, vel earum Legatos eo loco (quo par erat) habere aut cenſere voluerint: Quod proinde intereſſentes de novo in coniunctionem coegit, & neceſſitatem hanc iiſdem impoſuit, ut media & vias omnes excogitarent, quomodo, poſt Dei auxilium, erumpenti malo obviam irent, & ſuam communem libertatem, iura, & iuris competentiam corroborarent, & conſervare valerent: atque inde iam in hoc curſu annorum maximus numerus Belgicarum civitatum Hanſæ ad coniunctionem Præpotentum Dominorum Staticorum Generalium liberarum unitarum Provinciarum accenſeri cepit, membraque ſunt huius ſtatus, ut ita cum illis non ſeparatim, ſed cum totius univerſitatis corpore Præpotentum eorum Dominorum longe melius convenientiuſque tractari quidvis poſſit: Quam ob cauſam quoque nunc ab aliquot annis huc uſque iſtud negotium ex omni parte in curioſam & admodum diligentem deliberationem deductum eſt; ſimulque propterea diverſæ communicationes per litteras & Legatos inſtitutæ & habitæ ſunt, veluti quoque interea Domini Conſules & Senatus liberæ & S. Imperii civitatis Lubeccenſis, cum ſupradictis Dominis Staticis Generalibus iamdudum in Menſe Maio Anni dicti 1613. in hunc finem quid certi concluſerunt. Quapropter hoc inde evenit, quod, poſt habitum maturum & tempeſtivum conſilium, honoratiſſimi Domini Statici Generales, per infra nominatos Deputatos, & honorabiles Orientales Hanſæ civitates, per ſuos reſpective Mandatarios, Legatos, & Deputatos infra nominatos, cum ſupra dictis Dominis Staticis Generalibus, antiquam illam Unionem & Amicitiam invicem renovarint, ſe porro amicabiliter & firmiter coniunxerint, coaduneriint, & conglutinarint, atque ſubſequentes punctos articuloſque, ſub hodierno dato, tandem conſenſu mutuo contraxerint atque decreverint:

1. *Proprimo*, quod coniunctio hæc aut Unio non debeat eſſe directa ad offenſionem ullius, ſed tantum ad conſervationem & ſuſtentationem liberæ navigationis, commerciorum & mercatuum in Orientali Septentrionalique mari, ſimulac in fluminibus, amnibus & fluentis, ſe in Orientale Septentrionaleque mare exonerantibus; nec aliud quid acceptum heic eſſe debeat, ita, ut reſpective confœderati, eorum cives, & ſubditi, iure omnium gentium, & impetratis ac obtentis libertatibus, iuribus, Privilegiis & à maioribus traditis conſuetudinibus in prædicto Orientali & Septentrionali mari, uſque ad Capita extenſo, & in prædictis fluminibus, amnibus & aquis, abſque impedimento ullo uti & frui queant; Atque etiam, quod contra illos, qui cives, incolas & ſubditos Unitorum, vi & illegitimis mediis, impedire, turbare, atque aut uni unitorum præ altero commercia ſupprimere, aut inhibere, vel unius, præ altero, merces vendibiles ſuas ſingulariter vectigali onerare aut pragravare vellent, ſimultanei Uniti, ſuos defendere & tueri debeant, ut multiformes impoſitiones, quæ eorum civibus, incolis & ſubditis in immenſam ſuppreſſionem, & turbationem communium commerciorum, & navigationibus contingunt, penitus removeantur, atque è contra ea navigatio ac commercia S. Imperio, toti Germaniæ, vicinis regnis & terris; nominatimque una unitis in commodum & utilitatem convetti & augeri valeant.

2. *Ideoque* hæc Unio nihil præiudicii afferet amicitiæ, quæ à Rom. Cæſar. Maieſt. tum S. Imperio, etiam cum Regia Maieſt. Galliæ, & Magnæ Britanniæ, cumque omnibus Evangelicis Electoribus, Principibus, & Statibus S. Imperii, huc uſque cum Dominis Staticis excolitur: Velut etiam honorabiles Hanſæ civitates expreſſe proteſtando ſibi reſervant, quod, uti huc uſque ſemper ſub Rom. Cæſar. Maieſt. & S. Imperii protectione, tutela, addictione & ſubiectione vixerunt, ita etiam in poſterum ſub eadem vivere & permanere velint, nec non unaquæque civitas, quæ mediatum recognoſcit Magiſtratum, ea ipſa, quod iuſtum eſt, præſtare omni tempore cupit, atque talia ſimiliter ab eodem expectare debet: eodem modo cunctis Unitis eorum uniones, lura, Statuta, Ordinationes & ſimilia omnino in totali & plena dignitate immutabiliter & abſque læſione ulla permanebunt, omne tamen hoc, ſalvo præſenti fœdere.

3. *Uniti omnes* & ſinguli hoſce articulos fideliter & integre obſervare, & eoſdem iuramento confirmare debent.

4. *Domini Statici* Generales Unionem hanc in utilitatem communis Boni dirigent, attamen ita, ut in omni, quodcunque ſuſcipietur, unaquæque pars liberum ſuum retineat votum; in quem finem ſemper à parte Orientalium Hanſæ civitatum aliqui Hagam aut in alium locum, ubi Dom. Statici Generales conventum ſunt habituri, mittentur, qui adeſſe poſſint conſiliis, quæ hanc Unionem, atque inde dependentia tangant: Atque ita è contra Dominis Staticis Generalibus liberum erit, Commiſſarium ſiſtere Lubeccæ, aut ubi neceſſitas id conditioque exiget, ut conſilia eo melius communicari, & illud, quod cito efficiendum fuerit, eo rectius obſervetur.

5. *Uniti* contributiones ſuas, uti quiſque obligatus tenetur, & quantum præterea quolibet tempore concludetur, ſuis ſumptibus in pecunia, navibus, milite equeſtri & pedeſtri, cum omnibus pertinentiis & debita munitione paratas & bene ordinatas habebunt, & iis in locis, ubi neceſſarium & determinatum fuerit, comparebunt: veluti in ſingulari ſcripto nomina unitarum Hanſę civitatum earundemque contributiones quotæ & taxationes conſignatæ & expreſſæ ſunt.

6. *Quod ſi* nunc apud illos, qui commercia, & navigationem impediunt, & contra prædicta privilegia & tranſactiones agunt, prævia gratioſa & amicabili tentatione, nequeat obtineri, quod iuris rationes & ipſa æquitas poſtulat; tunc defenſive

fensive contra illa cum violentia procedi debet, veluti propterea prius constitutum id fuerit, ut prædicta privilegia & transactiones serventur, & commercia navigationesque libertati, & securitati restitui queant: Quod si etiam, una aut altera civitas propter hanc Unionem, aut propter prædicta communia & singularia privilegia, angustetur, infestetur, damno afficiatur, aut aliis viis in perniciem abripiatur, tunc illi pro avertione & liberatione memorati oneris & reparatione damni subita & fidelis adsistentia præstari debet.

7. *Atque* si tunc cum utriusque partis consensu ad arma perveniatur, continuo uniti eorum cives, incolas & addictos, tam militarem quam nautarum gentem, quæ adversæ parti inservit, sub amissione vitæ & bonorum, avocare debent, nec etiam similiter concedent, ut adversariæ eidem parti, ex civitatibus suis & ditionibus pecunia, milites, naves, munitiones, arma, victualia aut eiusmodi quid bonorum transmittatur aut concedatur; sed illud sub pœna vitæ inhibebunt, idemque, quantum possibile est, prohibebunt, ne ex aliis fiat locis.

8. *Si etiam* apud adversam partem Unitorum subditi, naves, bona, & debita, in ditione eius arrestentur, aut in mari detineantur, abripiantur, & spolio exponantur, tunc in Unitorum terris, civitatibus atque iurisdictionibus similiter id fieri debet, atque contra quemvis opitulatio talis, defensio & prohibitio præstabitur.

9. *Unitorum* naves unius & alterius portubus & fluviis libere & absque impedimento uti debent, & in iis necessaria sua quæque expedire aut reparare, ita tamen, ne quispiam ex illis ulla violentia utatur, sed, quod expetit, sibi comparet, & cum gratia persolvat.

10. *Sic &* Unitorum subditis undique in terris illis huius Unionis ius civium concedi, & hæreditates, quæ ad eum pertinent, irrecusabiliter tradi debent, ubi persolvet is tamen censum aut Exusuram trigesimi, sive decimi nummi, iuxta cuiusque loci consuetudinem & usum, atque id omne absque discrimine religionis, quæ in Sacro Imperio recepta aut admissa est; attamen quisque civilem se præstabit, & Statutis Dei subiectum & conformem exhibebit.

11. *Nemo* Unitorum absque alterius consensu & voluntate cum adversaria parte transactionem & complanationem inire debet, aut alias quid suscipiet, quod alteri præiudicium aut incommodum creare valeat; sed potius id intendet, ut pax in cõmuni conservetur, & Unitorum cives, incolæ, subditi, naves, bona & negotiationes ab omni onere (& hansa) liberentur, & ad priora privilegia & libertates tuto & absque impeditione reditri queat.

12. *Quod si* etiam pax aut treugæ (sive induciæ) cum adversa parte conficiendæ sint, tunc id fieri debet ex communi consilio & placito, nec ullo modo aliter.

13. *Confœderatio* hæc 12. annis durabit, & ex communi placito ulterius continuari poterit. At si quis Unitorum propter eam, aut quæ inde dependẽt, stante adhuc fœdere, aut post finitionem eius, in mari aut terra impetitione aut damno afficiatur; tunc unus alteri contra unumquemque fidelem opem & adsistentiam præstare debet.

14. *Si quisquam* potentior Dominus, regio, aut Status in hanc Unionem pervenire cupiat, cum honestis conditionibus recipientur. In rei testimonium huius pro Præpotentibus Dominis, atque pro unitis Hansæ civitatibus diversa in omnibus consonantia Instrumenta erecta, & confecta sunt, ac ab utriusque partis Commissariis, Mandatariis & Legatis subscripta: quæ etiam, facta ab utraq; parte relatione, alterius iuramenti præstatione, & cuiusque maiori appenso sigillo legitime corroborari debent; quod factum in Mense Decembri Anno 1615.

Hæc ita Brunsvigæ confecta est Confœderatio eo ipso tempore, quum Urbs cum Duce Frider. Ulrico in medio belli tumultu transigeret. Multa quidem hæc continet, & præsertim in Exordio pauca verba continent res ingentes, quæ longæ Historiæ deductione indigerent ex antiquis temporibus. Verum quum non sint huius loci, *infra in 5. parte, ubi de Imperio universalibus quid agendum erit*, plenius hæc & talia persequemur; sed tamen ita, ut secreta non nisi intelligentibus patere queant, quum talis cibus, haud omnium stomachis æque concoquendus veniat.

Consummationem autem plenam & manum quasi ultimam, tandem Hagæ per Legatos Hanseaticos, ut supra diximus, Anno 1616. 13. Iunij accepit, ubi & mutua vice iuramenta sunt præstita postero die. Brunsvigæ autem Notula fœderis superius positi subscripta est ab iisdem, qui superius fuerunt in trãsactione quotisationis nominati. Sed ut omnia usque ad perfectionem compleantur, iuramenti formam nunc subnectemus, uti à Dn. Præsidente Dnn. Gen. Staticorum, in præsentia totius collegii 14. Iunii, An. 1616. præstita fuit.

Forma & Contenta Iuramenti, Fœderi Hanseatico-Belgico adnexa.

EGo promitto & iuro in nomen & animam Præpotentum Dominorum Generalium Unitarũ Belgicarum, vigore, propterea mihi oblati Mandati, quod supradicti Dnn. Statici omnes & singuli, fœdus hoc, &, inter eorum Præpotentiam & Honorabiles Hansæ civitates, Lubeccam, Bremam, Hamburgum, Rostochium, Stralsundum, Wismariam, Magdeburgum, Brunsvigam, Lunæburgum, & Griphiswaldiam hodierno die obsignatum, & confirmatum contractum, in omnibus suis punctis, clausulis & articulis adsidue, firmiter & infrangibiliter conservare, & eidem omnia fideliter præstare velimus, omne absque dolo & argutia, ceu Deus illis adiutor sit verus.

Ita etiam vice versa à Dnn. Legatis Hanseaticarum civitatum idem præstitum fuit debita solemnitate, ut saltem formalia mutatis nominibus fuerint expressa. Quæ autem ex eo tempore Historica huc referri debeant, & uti singula sese habeant, non est huius loci; sed ea, quantum mihi sunt cognita, alibi plenius explicabuntur. Interim hoc bene notandũ, quod titulus iste planus & liquidus, quid antiquitatis cum

tis cum maiori fide ſapiat, quam alias id mos ferat aliorum, qui ſemper aliquid argutarum exemptionum ſubmiſcere ſolent.

CAP. XV.

De altera parte Fœderis Hanſeatici particularis, quod cum imparibus aliquoties olim, & nunc ante paucos annos fuit initum.

QUamvis Fœderum natura hæc ſit eſſentialis & proprie genuina, quod nũquam, citra corruptionem ſui totalem, in ſpeciem aliquam Reipubl. aut regiminis alicuius firmi poſſit transfundi aut transformarier, tamen ſæpius accidit, quod potentiores, per eius occaſionem, ſibi eiuſmodi arripiant commoditates, quæ facile eorum adaugeant potentiam & ambitionem, avaritiamve intumeſcere faciant. Etenim hoc certiſſimum eſt; quod nunquam ſuperiores inferiorum conſociationem fruſtra ambiant; ita talis actio ſemper abeſt ab omni amore & integritate, inquit Pol. Atqui ubi amor & dilectio Dei & proximi non fundamentum ſubſternit intentionibus hominum; ibi nihil aliud niſi hypocriſis peſſima expectanda venit, quæ meris blandimentis perverſitates ſuas nugaciter vendit mortalibus; imo optimum ſemper lucrũ ſub ſpecie religionis & pallio Chriſti ſibi quærere gaudet. Væ illis, qui fallacitates tales non in tẽpore agnoſcere diſcunt! Ideoque certe ſemper duriores ipſorum ſunt partes, qui ad directorium Fœderum adſident, quam qui Reipubl. clavum torquent: tanta prudentia, circumſpectio, verſuta cautio, cura diligens & adſidua, nec minus providus metus, cum animoſa ſpe & fideli diſpoſitione, in futurum ſemper proſpiciente, opus eſt, ut nuſpiam fere pietas admitti queat, quum omnia ſubleſta fide ſubornentur, & alter alterum inſidiis perpetuo ſubagitare laboret. Nam fœderum conſociationes hodie in tanta mundi malitia nil aliud ſunt, quam meræ explorationes virium & expiſcationes facultatũ, cum inquiſitionibus intentionis cuiuſque & conſiliorum; quæ ſi quis potentior penetrarit altius, facile cauſam fingit, qua ſe promiſſis, alia interpretatione voti adhibita, ſubducat, ut ſic ex proximi damno ſuum conficiat lucrum, aut ambitionem libidinoſam expleat. Ita variis Fœderum artificiis luditur, ut nuſpiam centoculorum cautio ſatis accurata applicari queat: & quo quis in fallendo argutior, ſi cum artificio tergiverſationis id commode fiat, eo prudentior habetur, non aliter ac hodie fit in Academiis, ubi quo quis ferventius impudentiſſimam garrulitatis loquacitatem exerere & exercere poſſit, eo quoque doctior & eruditione futili præſtantior cenſeatur. Si quis vero ad modeſtam pietatem & veritatem tales importunas terminorum vanorum nugacitates revocet, in quævis perſecutionum præcipitia aotripitur. Sic mundus undique amat decipi, & in ſuis futilitatum nequitiis gaudia ſibi quærit ſumma. Hinc quoque fit, quum nemo in tenera ætate ad veram Verbi Cœleſtis normam & eius cultoram ſolide piam revocetur, nec timor Domini initium Sapientiæ rite habeatur, ſed undique fucata, ſaltem nõ cordialis effulgeat pietas, quod in quibuslibet actionibus humanis publicis & privatis, nuſpiam ſyncerus applicetur rebus agendis amor & inde proſluens fides ac integritas. Sed quis fundamenta ritè curare ſatagit, dum quilibet ſub ſpecie Chriſtianiſſimi tam ſtrenuum ſe agere ſemper Ethnicum ſatagit? In fœderum illuſione quid viderim toties, id memini ſatis, quum ferme nullũ tempus extiterit, in quo frequentiores de fœderibus fuerint gloriationes. Quicunque quid alti ſpiravit, aut ſe offenſum uſpiã putavit, invidiamve ac vindictam ſecum clanculariæ conceperat, vel limitum bonorumque propagationem cum honore acriori conſtituerat; fœdus ſtatim fremere incepit, ad quod recurſum eſt paſſim. Verum ad Deum qui pœnitenti corde ſerio reverteretur, uſque rarus fuit, ut Iehova ſummus quoque in ſuis conſiliis mortales relinquere, & Spiritui vertiginis ſuo omnes iuſto iudicio tradere coactus fuerit. Pauciſſimi tamen id rite obſervando animadvertere, ſaniſque perſpicere oculis potuerunt. Qui aſſecuti ſunt tale quid, nec ſeduci ſe paſſi fuere, Iehovæ certe magnas habeant gratias. Proximo ſuo in pietate ſuccurrere decet, iuxta præceptum Chriſti, quod nihil, niſi amorem ſyncerum exigit: Verum petulantiam alterius & malitiam petulantia, peccatiſq; ſanguinolentiave augere velle, Verbum Dei nuſpiam concedit. Lubeccenſium cura ſæpius profecto non ſine prudenti fuit perſpicacia. Ideoque non omnibus fidere voluerunt fœderum oblationibus. Multa audire & parum fidere, non certe incautum eſt proverbium, præſertim in talibus tamque arduis negotiis. Ideoque laudabilis ſemper mos fuit civitatum Hanſeaticarum, quod non facile dignitate ſuperiores in ſuum admiſerint conſortium; ſed ut plurimum neceſſitatis extremæ legem ſecutæ ſunt.

Nam ex imparitate gluten compoſitum, nunquã rite coaleſcit; ut ait ille: *Belua multorum capitum, concordia diſcors, Liſque ſub hoc litu fœdere ſæpe latet.* Velut egregium huius rei diſcurſum mox ſubnectam, quẽ conſiliis publicis vir litteratiſſimus inter ICtos ante paucos annos civitat. Hanſæ ſuggerebat, quum tantopere An. 1620. fœderis Hanſeatici receptionem depoſceret & ambiret ſibi Rex Sueciæ, quam etiam tum prudenter ſed honeſte diſſimulabant Hanſeatici, ut mox patebit.

Nihilominus plurima adſunt exempla in Hiſtoriis, quod civitates neceſſitatis cauſſa cum potentioribus & Regibus ipſis fœdera ad temporis aliquod ſpacium inierint.

Sic An. 1399. Lubeccenſes cũ Regina Daniæ Margarita inierunt, ut per eam occaſionem iura ſua, cõtractus, & privilegia commercii liberi in Dania confirmarentur, necnon Wiſmarienſes ac Roſtochienſes in gratiam reducerent; quod hac ratione impetrarunt ſatis commode. Similiter Anno 1417. ſtatim quum Senatus antiquus Lubeccenſis ab Imperatore Sigiſmundo, per Erici Regis Daniæ non minorem curam reſtitutus, & Urbs ex banno liberata eſſet, in publico conventu Hanſeatico, ex debita congratulationis affectione, ut gratitudinem quoque demõſtrarent ſuam, fœdus mutuæ adſiſtentiæ in neceſſitatibus à Rege oblatum detrectare non potuerunt; ſed ad certum ſuccurſum mutui ſubſidii & 1600. militum ſe mutuo obligarunt. Nec firmius fœdus quoque recenſent inter alia Hiſtorici, quum in honeſtis terminis & amicitiæ diu obſervatũ fuerit. *Reichm. Chr. Lub. pag. 54.* Et quamvis in officii huius limitibus liben-

libenter permansissent Lubeccenses cum Hansis: tamen quum Rex Ericus tandē crudelitatem submiscere suam pergeret, coacti sunt Lubeccenses cum reliquis Hanseæ sociis fœderi renunciare, unde non exigua orta est clades, ut supra relatum est. Ita quoque cæteræ civitates Hanseæ in Brunsvicensi Quartirio propter sociæ civitatis Hildesiæ defensionem An. 1485. ex necessitate fœdus cum vicinis Principibus & Comitibus pepigere ad Annos 20. contra Episcopum Hildesiensem Bartoldum Landspergium. Historia quum sit memorabilis & maxime ad illustrationem huius rei faciat, & inde patescere queat, quam concise res arduas brevibus complexi fuerint maiores nostri, præ nimium fucatis & maxime fictis amphibologiis huius seculi, quibus tot ampullas in nugaci pompa & solemnitate admodum supercilioſa, cum variis manuum basiationibus, vendere solent; paucis eam heic interseremus. Tum quoque ratio commerciorum Hanseaticorum potissima in his exprimitur; unde discent potentiores, quanti sit, liberum propter avaritiam suam & suppressionem proximi commerciis impedire cursum.

An. 1484. ex more solito Nobiles aliquot, qui onera cuncta utplurimum à se suisque humeris in civium cervicem devolvere solent, uti *ait Letzner. in Chron. Dass.* hoc etiam Bartoldo Landsbergico persuaserant, ærarium eius non rectius posse expleri, quam ex accisa cerevisiæ Hildesiensis. Episcopus voti statim compos fieri expetens, impositionem talē tres Schillingos ex quolibet vase sibi deputans à civitate postulare incepit: Verum Hildesienses id contra privilegia sua, consuetudines, libertatem & omnia iura sua esse, affirmabant; nec decere, in egenorum populique universi deceptionem, imminui mēsuram. Quæ recusatio adeo mordebat Episcopum, ut cum nobilibus & vicinis conspiraret contra hanc urbem. Et quum Dux Brunsvic. Fridericus in Calenberga cum urbe ipsa faceret, commovit ita fratrem Ducis Wilhelmum, ut is sub specie fraterni colloquii ex propria domo ægrotum captivum abduceret. Hac re peracta, non tantum commerciorum commeatum intercluserūt urbi, sed etiam Dux publica inhibitione omnibus vicinis & civitatibus interdixit eundem, sub dato Convers. Pauli die An. 1485. ac substituit filium Henricum executorem: simulq; armato milite intercepit Socrum fratris Comitem Rethbergensem & similiter captivum detinuit. Verum quum Hildesienses Socios Hanseæ implorarent, & ipsæ quoq; civitates communium cōmerciorum causam hanc cernerent, atque præterea propter crudelem fratris Ducis Brunsvic. capturam, se coniungerent vicini circumcirca Comites; Conventus civitatum Hanseaticarum Brunsvigæ habitus est; ubi in consilio communi decretum fuit, quod mittendæ essent monitoriales prius ad Principē, priusquā cōcurrerent armis, quæ tales fuerunt.

Notabilis Epistola Hanseaticarum civitatum aliquot, ex conventu Brunsvicensi Anno 1485. ad V. Wilhelmum Ducem Brunsv. in caussa Hildesiensium missa.

EXcelse nate & Illustris Princeps, Clemens dilecte Domine; Nobis importuna quædā in scriptis concepta, & obsignata admonitio præceptioq; controversiam caussam Ducis Henrici, V. Cl. filii, nostri gratiosi Domini, & eius adhærentium concernens, ab una, & Senatus Hildesheimensis ab altera parte, à V. Cl. transmissa & tradita est, quæ inter alia huius est tenoris, quod nos cum aurigis nostris, civibus & Mercatoribus ab omni vecturæ & portationis commeatu in urbem Hildeshæmiam abstinere debeamus; atque si quispiam illud negligeret, quod eius bona & mercimonia confiscari aut alia ratione ipsi auferri deberent. Ad hac V. Cl. ita hanc reponimus scientiam, quod importunum tale præceptū, absque nostra scientia, consilio, & consensu, à nullo V. Cl. matorum obtig[illegible], ex quo certe æterna pernicies irrogaretur hominibus. Nos quoque ex gratia & antiquissima consuetudine, à Dominis ad Dominos, usq; in hæc tempora obtinuimus hoc, quod si nos non simul quid in consilio concludamus; ita nec debemus manutenere factum. Quando igitur iam non in caussis his quid consuluimus (ut V. Cl. novit) non tenebimur etiam id in facto perficere. Quod etiam nos in æternam perniciem, ob aliorū virilitatem, qui extra V. Cl. terram habitarunt, & cū hac controversia in V. Cl. ditionem pervenerunt, simul aggredi debeamus, speramus quod ad hoc non simus obligati. Nos confidimus quoque, quod nec V. Cl. nec quispiam alius S. Imperii liberas vias, citra illius Imperii voluntatem & consensum, præcludere possit, & viatori negotiationes suas impedire, &c. Si vero cogitaret noster Clem. Dominus Dux Heinricus, aut quispiam, quod Hildesheimenses nō sine conventione relinquendi essent, illos iuri sisteremus, velut etiam, iuxta illorum oblationem, eorundē compotes sumus, sicuti id in litteris ad ipsum nostrum Clementem Dominum Ducem Heinricum nos offerendo perscripsimus: quod tamen repudiatum fuit, nec ad fructum pervenit. Quare humiliter & officiose petimus, quod V. Cl. talem intempestivam monitionem & præceptionem, ad nos directam, cassare, & æternam perniciem terræ huius propter alienorum virilitatem, non committere velit: sed V. Cl. potius iterum suum dilectum filium Ducem Heinricum, nostrum quoque Clementem Dominum, adire, ut diffidatio & persecutio contra Hildeshæmenses incepta abrogetur, & controversa discrepantia benefica tractatione componatur. In casu autem transactio talis amica disrumperet, tunc caussa ad iuris exolutionem deferenda foret; ubi ad omnem adhibendam diligentiam prompti sumus, neque etiam in nostro labore, diligentia, studio & sumptu quid deerit. Quod si vero huius amicabilis petitionis fructus ad nos redire non posset (quod tamen non speramus) tunc Hildeshæmensibus (contractus & Confœderationis caussa) ita adstricti teneremur, quod illorum & illi nostrorum de iure cōpotes simus; unde nec debemus nec possumus solos in necessitate relinquere, ad quod etiam hisce nos offerimus. Petimus quoque, ut id in gratia clementer accipiatur, uti vastatio terrarum, & miserorum innocentium hominum damnum prohibeatur. Hoc recompensamus & officiis reponimus nos in subiectione erga V. & P. Cl. quam Deus diu in beatitudine conservare velit. Et petimus V. Cl. responsum. Dat. Brunsvic. &c.

Legati civitatum Hanse Goslariæ, Gottingæ, Hannoberæ, Eimbeccæ & Brunsvigæ, iam in Brunsviga congregati.

Quæ iura & privilegia antiqua civitatum Hanſeaticarum etiam in his locis fuerint, ex hiſce ſatis colligi poteſt, ut nihil in impediendis commerciis à Principibus potuerit ſuſcipi aut concludi, niſi cum conſenſu civitatum factum fuerit. Quum vero nihil reſponderet Princeps ad has, pro maiori excuſationis cautela trium civitatum Hanſeaticarum Gottingenſis, Eimbeccenſis & Northeimenſis Legatos ad Ducem Wilhelmum, Hardeſſię tunc degentem, miſerunt, qui idem peterent. Sed, quum nec ſic audiret interpoſitionem, & potius bina obſidione premeret cum Epiſcopo urbem fratremque durius tractaret in cuſtodia Mundenſi, vicini Epiſcopi & Comites cum civitatibus Hanſeaticis illius loci Confœderationem firmam Brunſvigæ inierunt, ut ex translatione apparet.

Confœderatio aliquot Epiſcoporum & Comitum Weſtphaliæ cum civitatibus quibuſdam Hanſeaticis in Quartirio Brunſvicenſi.

EX *Dei gratia*, Nos Conradus Oſnabrugenſis, Simon Padebornenſis, & Henricus Mindenſis, Epiſcopi, Ericus & Antonius Holſteinenſis & Schöburgi Comes, noſtro & nomine Nobilium Generoſorum Dominorum Othonis & Iohannis noſtrorum dilectorum fratrum, Iobſtus Comes Hoienſis & Brockhuſii, Bernhardus Nobilis Dominus in Lippa, Rudolphus Nobilis Dominus in Diepholt; & nos Senatus civitatum Goslariæ, Magdeburgi, Brunſvigæ, Lunæburgi, Hildeshæmii, Gottingæ, Stendaliæ, Hannoberæ, & aliarum civitatum, quas præterea nos vigore contractuum & Confœderationis Hanſeaticæ ad hanc cauſſam pertrahemus, Confitemur manifeſte pro nobis & poſteris noſtris & hæredibus, quod in Dei laudem, Sanctæ Eccleſiæ Chriſtianæ, & in Rom. Imperii honorem, atque in noſtrarum terrarum ſubditorumque, nec non noſtrarum civitatum omnium in ſalutem, nos coadunaverimus & coniunctione coiverimus, hanc ob cauſſam; Poſtquam Excelſe natus Princeps ac Dominus, Dn. Friderícus Brunſvic. & Lunęburgenſis Dux, per eius Celſ. morbum coniugi ſuæ dil. Margarethæ ſubductus, & in locos, ubi Celſ. eius nunquam placere potuit, abreptus, ac talibus hominibus, cum quibus antehac nunquam converſari lubenter quivit, ad curandum commendatus eſt; atque ita per hoc exportatus ab arcibus & dominiis terræ, quæ ſumme nominatus Princeps in poſſeſſione habuit, atque eius coniugi fundus ex pacto dotali, quod pridem ex iure fieri debuiſſet, nondum traditus; Ac præterea, poſtquam Generoſus & Nobilis Dominus Iohan. Comes Rethbergenſis in diffidatione atque cuſtodia cum ſuis prorſus moleſtiſſime circumdatus & captivus eſt: Atque etiam, quod honeſta plane civitas Hildeshæmenſis iam contra iuris oblationem, & nobis denique civitatibus cunctis per inhibitionem vecturæ, regiæ viæ ratione victus noſtri præcluſæ ſunt; ſicut & Hildeshæmium ac reliquæ civitates in libertate ſua & veteri conſuetudine turbantur & impediuntur: Propterea coniungimus nos & contractu hoc coimus, ſub cuiuſque partis propriis ſumptibus, damnis, careeribus, & iactura, præſentes, in modum ſequentem, ad 20. annorum ſpacium à dato hoc iſtius ſcripti:

1. *Et primo*, quod nos prædicti Domini debeamus & velimus eſſe inimici, & hoſtiliter tractare è veſtigio, Reverendi in Deo Epiſcopi Bartoldi Hildeshæm. Excelſe natorum Principum & Dominorũ, Dn. Wilhelmi & Henrici eius filii Brunſvicenſ. & Lunæburgenſ. Ducum, Viros Diœceſeos Hildeshæmenſis, eorum omnium ditiones, terras & ſubditos, & ubicunque erit competentia: & noſtrorum Dominorum unus pluresve, debent ac volunt ſemetipſos in perſonis Hildeshęmii cum noſtratibus quam primum ſiſtere. Ac protenus, quando hoc factum eſt, debemus & volumus nos civitates prædictæ poſtero die hoſtes eſſe Epiſcopi Hildeshæmenſis Diœceſeos, virorum, terræ eius & ſubditorum, & hoſtiliter eos perſequi.

2. *Nos civitates* antenominatæ debemus & volumus etiam diffidationis litteras ſtatim è momento, à dato huius compactionis & fœderis, obſignatas tradere in manus Senatui Brunſvicenſi: Atque protenus, quando dicti domini nos cum litteris aut orali nuncio advocati curant, tunc debemus & volumus Senatui Brunſvicenſi, diffidationis litteras cum noſtris, contra Excelſe natos Principes Brunſvicenſ. prænominatos, abſque mora tranſmittere, & abſque dolo, niſi accidat hoc, quod nobis prædictis Dominis ac civitatibus, iuxta omnium noſtrorum conſilium & conſenſum obtingere poſſit, à ſæpius memoratis Dominis Brunſvic. & Lunæburg. quod cuique in hac pactione & Confœderatione continetur, & nobis Dei, honoris & iuris ergo debetur.

3. *Etiam* debemus nos Domini prædicti unum aliquem, qui idoneus fuerit, cum 50. Equis Brunſvigam ad eius & aliarum urbium Equites in earum ſumptum mittere, ut illarum turmas ducat & gubernet. Et quando Domini & civitates omnes in campum progrediuntur, & oppida, cives, pagos, captivos, ſpolia, rapinas & contributiones, &c. occupant, dimidiam partem cõmodi Domini, & honorabiles civitates alteram habebunt partem.

4. *Civitates* autem volunt Dominis pro occupatis arcibus, oppidis, ſi forte oppignoratæ & obligatæ fuerint, dimidiam partem pecuniæ ſolvere. Si vero victæ arces & oppida non oppignoratæ fuerint, tunc nos civitates ſæpius nominatis Dominis dimidiam partem ſecundum taxationem honeſtam ſolvemus, & illas arces ac oppida ſubiugatas nobis vendicare, quod nos Domini ſupradicti abſque ulla exceptione conſentire volumus.

5. *Si contingat* vero, quod nos Domini aut civitates, quiſpiam aut noſtrorum unus ſolus occupet, aut ſi unus noſtrorum in uno loco, & alius ſolus in alio loco quid occuper, quiſque ſuum ſibi ſoli ſervabit commodum, excepto tamen eo, quod ad ſpolium pertinet, illud iuxta Equitum ius dividetur. Si vero diſcordia & differentia exoriatur (quod non eſſe debet) eam ad tollendum aut cõponendũ, penes duos erit dominos, qui ita à Dominis ex Hildeshæmio aut Brunſviga mittentur, & honorandus Senatus Brunſvicenſis & Gottingenſis mittet ſimul. Et ſi nos Domini & civitates ad Ducem veniamus, ut tunc una pars æque arq; altera, & quiſque pro viribus abſque fraude ſequatur & auxilium ferat.

6. Quod

6. *Quod ſi* etiam noſtrorum cuiquam quid obtingat, & in infortunium incidat, tum unus alterius iuri aderit, atque quodcunque ita pro iure habetur, acceptare alter debet, & ſequi, ſic tamen ne una pars alteram deſerat, donec cuiuſque cauſſa apud alterum totaliter in amicitia, aut iure agitata & compoſita ſit.

7. *Nec ulla* pars abſque alterius conſenſu cum quopiam tranſigere, aut pacem inire debet.

8. *Si etiam* ulli inter nos poſtea alias ob cauſſas, inimicitia ab adverſariis, durante hoc fœdere, adiiciatur, & nos Domini civitatum, aut civitates Dominorum decenter & cum iure compotes fieremus, tunc nemo noſtrorum adverſæ dictæ parti quidquam auxilii, ſolatii aut adſiſtentiæ præſtabit; in nullo prorſus modo, quomodocunque fieri poſſit.

9. *Atque* hæc unio, confœderatio & compactio, non debet omnibus reliquis pactis, à nobis prænominatis Dominis & civitatibus cunctis & ſingulariter factis, præiudicare quidpiam. Omnes præſcriptos hos punctos & articulos, huius pactionis & fœderis, promittimus nos prædicti Domini & civitates omnes, & ſinguli pro nobis & noſtris hæredibus ac poſteris, quod in certa fide, firmiter & inconcuſſe, abſque ulla arguta aſtutia ſimus optime obſervaturi.

Atque in huius teſtimonium nos Conradus, &c. (ut nomina ſuperius poſita ſonant ordine) noſtra ſigilla pro nobis & noſtris poſteris & hæredibus ſcienter ad has litteras appendi curavimus. Sic & nos Senatus civitatum Goſlar. Magdeb. Brunſvic. Lunæb. Hildesh. Gott. North. Stend. & Hannob. noſtrarum civitatum Sigilla iuxta prænominatorum Dom. Sigillum pro nobis & noſtris poſteris ſcienter his appendimus.

Brunſv. in Anno poſt Chriſti Domini noſtri nativitatem 1485. *die Sabbathi poſt Laurent. D. Mart.*

Funeſtum certe inde exortum eſt bellum, quod utramque partem adeo defatigavit, ut tandem coacti ſint inter ſeſe tranſigere anno ſequenti, ubi tamen omnia privilegia, libertates, obligationes, conſuetudines, mores, uſus & feuda manſerunt integra civitatibus, & ſingula de novo ratificata iis fuerunt à Principibus. *Vide Letz. in Chron. Daſſ. p.* 48. *& Bant. part.* 4. *Chron. Brunſv.* Sic etiam Duces Lunæburg. & Megapolitani non adeo pridem fœdera cum Hãſeaticis coluerunt civitatibus, ut ſupra indicavimus. Verum quum ſtilus plane ſit diverſus, iuvat quoque eius copiam huc transferre; ſed tamen heic notandum eſt, quod in plurimis eadem verba & contenta habeat fœderis huius conceptio, quam ſupra attulimus de civitatis Brunſvicenſis defenſione ſub dato Lunæb. An. 1607. Ideo non opus ut omnia iterum heic transferantur; ſed tantum in forma Extracti notabimus ea, quæ Ducibus applicata ſunt in ſuis caſibus. Occaſio autem unde ſit orta, ſupra ſatis indicatum eſt.

Extract. Confœderationis particularis & arctioris, quam cum Duce Lunæburg. Hanſæ aliquot civitates Anno 1606. *pepigere Lunæburgi.*

EX *Dei gratia Nos Erneſtus*, Dux Brunſvicenſis & Lunæburg. ſicut etiam Conſules & Senatores poſtnominatarum honorabilium Hanſæ civitatum, Lubeckæ, Bremæ, Hamburgi, Magdeburgi, Brunſvigæ & Lunæburgi, manifeſtum facimus & confitemur hiſce pro nobis & noſtris poſteris coram omnibus & ſingulis. Poſtquam (proh dolor!) tempora, &c. (reliqua, quæ heic ſequuntur, omnia ſuperius in antecedenti capite in notula confœderationis harum civitatum de An. 1607. poſſunt cognoſci, quũ eadem ferme ſint, uſque ad articulum 9. qui heic cũ 10. coaleſcens ita mutatus eſt, ut ſequentia verba habent:)

9. *Quum* itaque hoc ſalutare defenſionis opus, abſq; firma directione non poſſit perfici, etiam pro æquo habitum ſit, ut, propter principalem præeminentiam, nos Dux Erneſtus, in eo nemo alius præ nobis reſpectetur: inde ea nobis unanimiter demandata eſt, etiam à nobis clementer excepta & acceptata eſt: attamen ſimul ad hoc complacitum eſt, & expreſſe conſtitutum, quod nos cum conſilio & conſenſu honorabilium civitatum & eorum Deputatorum & Legatorum (ad quod ſingulis vicibus, ex qualibet civitate duo capaces & idonei &, pro poſſe, tales perſonæ, quibus res cognita hæc eſt, & interfuere notitiis, ordinabũtur) pergere, & ad implorationem coanguſtatorum à nobis Duce Erneſto, tanquam Directore, aut in abſentia noſtra à Conſiliariis noſtris, ad civitates inter 8. dies aut, ſi fieri queat, adhuc celerius, uſitato modo convocationes & denunciationes mittere, conventuſque, iuxta occaſionem circumſtantiarum, in commodis locis inſtituere, &, quodcunque cum & à conſociatis civitatibus decretum fuerit, perficere in adiumento velimus. In caſum autem ita res munita ſit, ut ea etiam nullam moram pati, & conventus non ſubito ita fieri queat; tunc Ipſius P. Cl. iuxta ſumma prędicta diſcretione, cum conſenſu unius aut duarum vicinarum urbium, conceſſum erit, quomodo pro utilitate Confœderatorum, coangoſtatæ urbi celerrime conſilium & auxilium ſit ſuggerendum, & nihilominus convocatio civitatum dicto modo ſuum habebit effectum, &c.

[Sic & 12. articulo ſuperius poſitæ confœderationis arctioris, qui heic 11. habetur, ubi de præfecto militari agitur, hæc formalia cum 2. ſequentibus articulis interſerenda ſunt, quæ ita ſe habent:]

11. *Atque ne in* ſubitanei caſus neceſſitate ſupremus militiæ præfectus & alii officiarii deſint, proinde ad acceptionem talis militaris præfecturæ muneris, Reverendiſſ. Illuſtriſſimus excelſe natus Princeps ac Dn. Dn. Auguſtus poſtulatus Coadiutor Diœceſis Razeburgenſis, Dux Brunſv. & Lunæb. reſpective noſter dilectus frater & clemens Princeps ac Dn. debite requiſitus, D. E. & P. G. etiam juxta tenorem conſtituti muneris & Reverſalium rogatus eſt, atque ab honoratis civitatibus hæc oblatio facta, in caſum, ſi E. P. G. iuxta inevitabilem voluntatem omnipotentis (quod diu prohibeat) morte præveniatur, & tunc ipſius Dn. fratrum quiſpiam, cuius P. G. ad hoc munus qualificatus, ante alios reſpectari debeat: aut alias nobiſcum

cum Duce Erneſto propter idoneum Succeſſorem huius muneris in ſuprema Præfectura militari, prout communi ſaluti optime conſultum videri queat, ſe conformabunt.

12. *Quod ſi* tunc res occurrant, in quibus Domini Præfecti uſus ſit neceſſarius, tunc eidem tam noſtri Ducis Erneſti Conſiliarii, quam etiam civitatum, de quo ſuperius mentio agitata, iuxta dictũ modum & explicationem, pro Conſiliariis Bellicis & Commiſſariis adiungentur, & ſecundum talium conſilium procedetur.

13. *Inde etiam* nos omnes Confœderati è veſtigio cũ conſilio Dn. Præfecti exercitatos Equitum Magiſtros & Capitaneos in proviſionis munus accipiemus, ex communi ærario ſalariabimus, & victum legitimum præbebimus; etiam iuxta conditionem ſtatus & conſilii communis, ad arbitriũ Dn. Præfecti, vel alias, demittemus.

14. *Et quum* in his omnibus abſque conſpicua pecuniæ ſumma nil fructuoſe effici poſſit aut valeat, proinde nos Erneſtus in principio 20000. Imperiales & quælibet conſocia civitas 20000. Imp. thaleros dimidiam partem circa Michaelis feſt. reſiduam circa proximum Paſchatos ſequens feſt. vel etiam, ſi ita neceſſitas requirat ad nativitatem Chriſti, ſicut etiam quilibet conſocius quotannis 1000. Imperiales contribuemus, & in depoſitionis arcam, quæ ad hoc in Brema, Hamburgo, & Lunæburgo deputabitur, dicto die abſque ulla mora ſub pœna dupli, perſolvemus: Atque ad adminiſtrationem huius & annuas rationes talis pecuniæ, certæ, idoneæ, divitiis præditæ, aut alias firmæ poſſeſſionis perſonæ, quæ in eo loco, ubi pecuniæ deponuntur, domicilium firmum, ſub periculo illius conſociati Magiſtratus & Senatus ordinabuntur & iuramento etiam diverſis clavibus obligabuntur cum eo mandato, ut media & vias excogitẽt, quomodo maxima pars comportatæ pecuniæ, iuxta communem conſenſum, & noſtrum confœderatorum omnium periculum, in commodis & ſecuris locis, ita in mutuum exponere poſſint, ut non ſolum debito tempore penſiones, ſed etiam per cambium ſingulis vicibus, quoties neceſſitas exigit, abſque diuturna mora, capitalis ſumma in poteſtatem priſtinam redigi queat. Atque adminiſtratores & Quæſtores ſemper ad poſtulationem quęſturæ ſuæ omnibus Sociis, aut eorum Deputatis liquidas rationes reddere debent.

15. *Si forte* res in eum redigeretur ſtatum, ut ſumma capitalis & penus non ſufficeret, ſed ulterius quid erogandum foret, tunc id ſingulis vicibus fieri, nec mora ulla interiici debet.

[*Ad* 17. *articulum illum, qui huic* 18. *eſt, adiecta ſunt hæc verba:*]

18.---*Nos etiam* præterea neceſſario milite equeſtri & pedeſtri in cuiuſlibet ſumptum paratos adornabimus ita, ut coangustato in caſu neceſſitatis citiſſime, priuſquam ad exteram conſcriptionem procedi poſſit, cum certo numero militum, iuxta tenorem ſupra memoratæ taxæ, adſiſti queat, & quot hac ratione copiæ mittuntur, ex communi ærario ſalarium accipient.

19.---*Alias* 18.---*adiicitur hoc:*] Quodcunque autem in hac defenſione à nobis forte occupatum fuerit, &, peracta tranſactione, ſupererit, inter nos conſociatos æqualiter dividi debet.

20.---*Alias* 19. Atque hæc coniunctio per proxime ſequentes continuos 20. annos durare debet, & ante hoc tempus nulli parti aut civitati reſultatio concederur, ita; ſi quis id tentare conabitur, ille non tantum ad penum & hoc totum defenſionis opus contributam quotam in depoſitionis communis arca relinquet, atq; nihil exinde recipiet, ſed etiam, in caſu ſi reſultator coangustatus fuerit, & ipſius cauſſa defenſio ſuſcepta, omnẽ ſumptum impenſum ſufficienter refundet.

21. *Si quoque* nos Dnx Erneſtus inter hos 20. annos (quod in voluntate Dei poſitum eſt) morte præveniremur, tunc nihilominus cum noſtris in regimine Succeſſoribus hæc coniunctio continuabitur, &, quaſi in hoc caſu nulla mutatio facta eſſet, ſervabitur.

22.---*Alias* 20. Poſt decurſum autem 20. annorum cuiusvis libero arbitrio & electioni relictum erit; An hæc coniunctio renovanda & ulterius proroganda ſit; an vero ab eo deſiſtere velit. In quem ultimum caſum ille, qui reſilire cupit, tantum, quãrum ſupra quotam eius in defenſionem eiuſdem impenſum fuit, refundere & reſtituere debet. Si autem contractus iſte noſtro omnium aut maximæ partis conſenſu diſſolvatur, tunc illud, quod in communis depoſitorii arca præſto eſt, æqualiter inter nos conſocios dividetur, aut ſi quid debiti reſtat, id ſimiliter perſolvetur.

[23. *Integre ex ſuperiori fœdere d. petatur.*]

24. *Præſertim* hæc coniunctio, nec nobis Duci Erneſto aut noſtris poſteris, nec conſociis civitatibus, in poſſeſſione regalium, libertatum, iurium, multo minus nobis Duci Erneſto in ſingularibus trãſactionibus, quas cum noſtra civitate Lunæburgenſi colimus, nec etiam quas civitas Lunæb. in cunctis privilegiis, iuriſdictione, litteris, non ſolum ipſi civitati huic à nobis datis, ſed alias quæſitis, obtinet, veluti etiam communi Hanſeaticæ civitati, quæ inter has & omnibus reliquis communibus Hanſæ civitatibus viget, nec etiam aliis Unionibus, quæ cum aliis erectæ ſunt, aut in futurum erigi valeant, attamen ne huic coniunctioni contratie opponantur, quidquam præiudicii aut detractionis afferre debent; ſed cauſſæ ſeparatæ erunt & manebunt.

In teſtimonium huius, nos Dux Erneſtus has litteras propria manu ſubſcripſimus, & noſtrum Princip. Sigillum ſcienter appendi curavimus, atque etiam, ut noſtri Ducis Erneſti in regimine ſequente Succeſſores eo magis obligati & devincti teneantur, in noſtræ prædictum mortis caſum, (quem Deus diu prohibeat) huic omni, quod huic contractui inſertum eſt; ab ea parte debitam præſtare fidem & obſervantiam. Inde ex noſtro mandato Reverendi, Nobiles & Strenui ac doctrina ſublimes noſtri dilecti Provinciales ſtatus & Conſiliarii Dn. Cunrad de Bothmar, Abbas Domus S. Michaelis in Lunæburg. Iohan Hartmannus ab Erffa Locumtenens, Fridericus à Bergen Capit. Blekedenſis, Otto Grothius, Waſmuedius à Medingen Provinciæ Conſil. D. Iohan Hildebrãdus Cancell. & D. Ericus Hedeman aulæ Conſil. cum Provincialium præſcientia & cõſenſu,

ſenſu, non tantum ad teſtimonium, quod contractus iſte toti Ducatui Lunæburgenſi in commodum eximium & utilitatem erectus, & inde in omnes ſequentes in regimine Duces, quam diu ſic idem duret, intellectus ſit; ſed etiam heic in obligationem loco Provincialis ſtatus, propriis inanibus ſubſcripſere, & appenſis ſuis uſitatis Sigillis corroborarunt:

Similiter nos idem ſupra nominatæ civitates, ſub bona integra fide loco iuramenti promiſimus & pollicitæ ſumus. Omne fideliter abſque fraude & dolo. Actum Lunæb. in ſeptimana Vocem iucunditatis, &c. An. 1606.

Ipſa littera quidem & accurate adhibita ſolemnitas cum adiunctione Provincialium, heic ſatis demonſtrat oculariter, quanta cum cura & ſollicitudine providentique animo & conſilio bene prædeliberato Dux ille Lunæburg. Erneſtus p. m. hoc egerit, ut conſtantem & perpetuam correſpondentiam coleret cum iſtis ſex & aliis Hanſæ confœderatis Rebuspubl. Velut etiam obligatio hæc ſimul non tam Fœderis continui notulam, quam firmi alicuius contractus formam (ceu id quoque verba expreſſa aliquoties diſerte continent) exprimit, unde & toti Provinciæ & poſteritati ſequenti ſancta eius commendatio committitur adeo, ut non tantum per 20. Annos duratio eius obſervari; ſed etiam ſemper tempore convenienti renovari debeat, in quem finem id ita ſedulo inculcatur. Attamen, priuſquam 20. iſtiuſmodi Anni, imo ne quidem decennium completum eſſet, poſt obitum Erneſti huius, quum forte novi Conſiliarii novæ ſpei affuſionem cœpiſſent, & pœnitentia quadam tantæ perpetuitatis, in amicitia conſtanter colenda, forte ducerentur, ab hoc contractu adeo præpropere receſſum eſt, ut Anno 1615. 19. Octobr. alia confœderatio, quæ maxime in 6. art. contra Lubec. & Hamb. (uti actus ille executivus Anno 1620. tum id teſtabatur) directa apparet, cum Duce Chriſtiano fratre defuncti & Epiſcopo Mindenſi inſtituta fuerit, in cuius notula quamplurima, quæ nonnihil arctius vinculata continebãt, penitus ſunt correcta, & alia ſpecie induta, atque ſaltem ad decennium directa. Veluti etiam conſtitutio ſuccurſus plane ex notula in annexum Receſſum translata eſt, nec poſt An. 1620. amplius in obſervatione ulla manſit, poſtquam ſuam tunc executione propria ad Albim intentionem perſecuti fuerant, ut ſupra id dictum eſt. Atque hoc quum æquitati magis conſentaneum undique venditaretur, factum eſt, quod etiam Anno ſequenti 1616. 10. Iunii, Iohannes Albertus Dux Megapolitanus, eodem modo huic confœderationi adſociaret, ſicuti ex ſequenti Extracto id cognoſci poterit, quo utriuſque Ducis obligatio continetur.

Extractum Confœderationis duplicis, quam Dux Chriſtianus Lunæb. & Dux Iohan. Albertus Megapolit. cum ſupradictis 6. Civitatibus Hanſæ Saxonico-Vandalicis in renovatione ſua, An. 1615. & 1616. iniere.

NOtum; poſtquam ex Dei Gratia nos Iohan. Albertus Dux Megapolitanus, Princeps Vandaliæ, Comes Schwerinenſis, terrarum Roſtochienſis & Stargardenſis Dominus, ex certa relatione addidicimus, quod Reverendiſſ. Exalte natus Princeps, Dn. Chriſtian. poſtulatus Epiſcopus Diœceſios Mindenſ. Dux Brunſv. & Lunæb. noſter amice dilectus cognatus, affinis, Dn. Parens & Compater, ante exiguum temporis ſpacium, deliberatis ſatis mature rebus omnibus, ex admiſſione omnium divinorum & mundanorum iurium, confœderationem quandam defenſionis & manutentionis, ſalutaris pacis publicæ, cum 6. honorabilibus civitatibus, Lubecca, Brema, Hamburgo, Magdeburgo, Brunſviga & Lunæburgo, iuxta modum uti de verbo ad verbum capitalis & annexa eius notula ſonat, benevole contraxerit:

Ex Dei Gratia, Nos Chriſtianus, poſtulatus Epiſcopus Diœceſios Mindenſis, Dux Brunſv. & Lunæb. velut etiam nos Conſules & Senatores poſtnominatarum honorabilium Hanſæ civitatum, Lubec. B. H. M. Brunſv. & Lunæb. notum facimus & confitemur erga unumquemque, &c.

[Modificata hæc Confœderatio 22. art. quidem cõtinet, & in iis prope eadem loquitur, quæ ſupra arctius Fœdus Hanſeaticatum 6. Civitatum ponit, paucis nonnullis mutatis, & 20. Annis ad decennium ſaltem reductis; ſed quum vis maxime omnis in annexo Receſſu conſiſtat, eum heic ſolummodo interferemus, ut non opus ſit ſuperius poſita bis repetere.]

Receſſus Chriſtiani Epiſcopi Mindenſ. & Ducis Brunſv. & Lunæb. civitatumque ſex Hanſeaticarum, Fœderi eorum arctiori annexus.

EX Dei gratia, Nos Chriſtianus poſtulatus Epiſcopus Diœceſios Mindenſis, Dux Br. & Lunæb. ſicut etiam nos Conſ. & Senatores poſt nominatarum Hanſæ Urbium, Lubec. Br. H. M. Br. & Lu. notum facimus & confitemur hiſce erga quemlibet, quod nos iuxta tenorem inter nos ſat conſiderate erecti Fœderis, pro ulteriori declaratione octavi & 9. articuli, & reali manutentione ſalutaris pacis publicæ eouſque coniunxerimus & convenerimus, facimuſque hocidem & in vigore harum litterarum ita & hoc modo: quod nõ minus nos Dux Chriſtianus, quam etiam nos quævis prænominatarum 6. Urbiũ, continuo 50. Equites & 200. pedites, atque ita in totum 350. equites & 1400. pedites, qui omnes ſat exercitati & ad efficacem promotionem huius defenſionis idonei, apti, & qualificati ſint, cũ omni, quod in fortibus, aptiſque officiariis, munitionibus, armis, ſclopetis, munitionibus, extra illud, quod ad cuiuſque neceſſitatem requiritur, pro huius ſuccurſus completione, ad minimum, 300. equitum loricas, ſclopetos, 1000. peditum ſclopetos, 400. peditum loricas, cum tot lanceis, 3000. libras inflammatoriorum, 200. centenas libras pulveris, etiam tormenta bellica, & quæ præterea ſingulariter cuique competunt, ſalario expectantiæ conducere, aut iuxta conditionem cuiuſque melius adhuc parati eſſe, ac, quoad duratio Fœdetis huius eſt, conſtanter abſque intermiſſione, conſervare, ut numerus talis, iuxta Unionem Fœdetis, coanguſtato

abſque

absque mora statim adsit cum omnibus necessariis rebus, omnia præstare velimus & possimus. Quod succurrentibus, simulac liberatus fuerit, iuxta æquitatem restituet: Attamen in hoc incumbemus, ut aut ex offendentibus bonis damnum ipsi resarciatur, aut ipse offendens huic satisfaciat, sed nos succurrentes saltem ad favorem obligati tenebimur, &c. In reliquis leges Fœderis servabimus fideliter absque dolo, &c. In testimonium nos Dux Christ. &c. Etiam nos Consulès, &c. Prædicti nostra ex omni parte Sigilla ad has litteras appendi curavimus. Actum in Urbe Lunæburg. 19. Octobr. An. 1615.

Atque hinc istius constructionis contenta & cõplexus honestus, Christianus, æquus, & erga quemvis summi & imi status propugnabilis inventus, & extra hoc etiam rite censetur, quod nos, ob consanguinitatem & vicinitatis correspondentiam alter alteri, iuxta divina & naturalia iura, ad succursum & auxiliatricem manum præstandam obligati teneamur, ut proinde, prævia huius rei matura deliberatione, nos pro nobis & posteris in talem Unionem libere & bono consulto insinuaverimus, & ad talis coniunctionis firmam præstationem obligaverimus: Facimus hoc etiam hisce & vigore harum litterarum ita & hoc modo, quod omnes & singulos Unionis conditiones & insitos articulos firmiter servare velimus, atque nostri posteri non minus, ac si nos à principio consultationibus his interfuissemus, & statim comprobassemus, omnia præstabunt. Quod omne integre firmiterque ad servãdum sub fide Principis, nostri honoris, dignitatisque promisimus & sancte polliciti sumus; Velut nobis quoque Ducis Christiani dilectio, & memoratæ 6. civitates conformem obligationem tradiderunt, exhibueruntq;. Omne hoc fideliter absque dolo. In testimonium huius obligationis 7. exempla confici curavimus, & sub nostra manu ac Sigillo appenso plene ratificavimus, ex quibus unum Duci Christiano, & reliqua 6. honorabilibus civitatibus exempla tradita sunt. Actum 10. Iunii, Anno post Christi nativitatem Salvatoris nostri 1616.

O *Iohan. Albertus Dux Meckelenburgensis.*

Haud opus est, ut de effectu talium Fœderum quid amplius his adiiciatur, quum ipsa imparitatis ratio satis omnia explicare & nos docere queat, quantum iis rebus & ingeniis potentiorum confidendum. quum raro subsit constantia, & quęvis fortuna aut occasionis commoditas quidvis facili mutare nutu queat. Ipse interfui pluribus eiusmodi actionibus. Exempla quoque odiosa habentur. Eventus rerum si quid monstret tragicum, nimis sero tũc sapere cupimus Phryges. Tum quoque mundus in eam plane detrusus est desperationem, ut nec pietati aut virtuti limites amplius constent inter quævis delicta & vitia: imo ut ipsa opera tenebrarum pro pietate, & vitia summa pro virtutibus censeantur. Sic commodum & utilitas pro fine ultimo habetur citra pietatis & conscientiæ respectum, ut verus amor erga Deum & proximum plane ubique apud mortales expirarit: nec amplius vestigia ulla restent. Imo audivi, qui utilitatem pro summa regula sibi haberent, dicendo; Apage cum tua confœderatione omni, si pietatem, aut honestatem utilitati & cõmodo præferat. Ergo cerne fundamentum! Obstupefactus putavi, quasi ipsum audivissem tale vocis fulmen intonarier ex Satana. Gloriæ tamen singulari sibi duxit, quod sub specie pietatis & simulatione Christianæ religionis in vinculum tale potuerit homines cogere, cum risu hoc effundens verbum: Tali hamo inescare & piscari decet stultos mortales, ut quisque suo rectius invigilet commodo. Sub specie religionis & boni publici maxima huius commercii vis latet, &c. Pudet plura referre. Sic homines iam non pudet ulterius leones, ursos, pardosque agere: sed quum ipsam diaboli induerint formam, effundunt crudelia quævis: tam diu sese continentes, donec quemlibet in casses coegerint, ait ille.

Quod quum usu longo quoque didicerint Hanseatici, non facile cuivis Spiritui habent fidem, sed potius rem facto probari prius satagunt: ceu ipse Christus monet, ut ad fructus respiciamus mortalium, ex quibus bonitas arboris affulget, & in oculos maxime prudentum incurrit. Namque etiam qualitas luminis ex serenitate lucis conspicitur. Ac nisi quid vere in amorem gloriamque solidam Iehovæ & proximi dilectionem referatur, omnia in vanitatem & nugacitatem suam cum operibus tenebrarum recidunt. Proinde Christus præcipit serio hoc cuivis mortalium Matth. 5. 16. ut in luce ambulemus, ait: Luceat lux vestra, coram hominibus, ut videant vestra bona opera, glorificentque Patrem vestrum illum, qui est in cœlis. Ast quis hoc intelligit, aut perficere studet? Ita magnum discrimen ponunt Serpentini generis homines, inter politica & Christiana opera: Et nihilominus vehementer iactitant, quod in ipsis crudelitatibus sæpe gloriam Dei quærant. An vera gloria Dei fuco & hypocrisi se affici sinat? An possit esse cruenta? An non principium aut exordium cuiusque Fœderis, quod titulo tenus defensionis colore cohonestare satagũt, id satis aperte testatur? Et novimus satis clarum inter potentes, qui absurdum putat, nec sine effervescentia cordis fuerit, quoties quis, ad pietatis officium eum revocans, crudelitatem & atrocia facinora belli ipsi dissuadet: nihilominus semper pacis simulat & venditat studium, reprehẽdens in aliis strenue, quæ ipse toties cotidie delinquit longe crudelius, causis suis fictæ prætensionis & iustitiæ semetipsum decipiens. Ita non videmus manticæ, quod in tergo est: Et quis tamen se non in malis suis perspicacissimum putat? *Vid. Iohan. 9. 41.*

Sed redimus ad imparitatem Fœderis Hanseatici particularis; veluti ibi ex parte pro fundamento ab aliis habitum fuit, fœdus 6. civitatum; ita quoque Rex Sueciæ alterum sibi modernus selegerat, quod Hanseaticæ nonnullæ civitates Orientales cũ Dnn. Staticis Generalibus inierant Anno 1616. ut supra dictum. Non tantum enim magnæ id inde censẽbatur famositatis & auctoritatis; sed & Rex inclytus Sueciæ suas proprias habebat causas; quum ipse ante sexennium cum Ill. Ord. Stat. Fœdus 15. Annorum simile iniisset.

Res hæc tunc magnæ considerationis iudicata fuit ab omnibus adeo, ut diu agitaretur quæstio illa; An cum Rege Fœdus pangendum? Et quoque ipse Rex apud Legatos Hanseaticos Anno 1620. id ut-

ferat,

ſerat, reſponſum categoricum exigens, ubi ſimul terminos ad Sinum Bothnicum extenderat; unde nonnulla quidem ſuboriebatur circumſpectio altioris cogitationis. Nihilominus ſatis accurate perluſtrabatur articulatim Fœderis Belgici diſpoſitio, & in 8. articulis plurima pro ratione ſtatus illius, temporis, & regiæ intentionis (quantum ex relatione Legatorum patebat) digerebantur rectius. Memorabilis autem inter alia tunc fuit præcipui ICti p. m. cuiuſdam G. H. B. mihi dilectiſſimi ſententia, quam in ſcriptis exhibebat, &, quum notabilia dicat, non inconveniens erit, eam heic pro parte inſerere, quæ ita ſe habet:

Brevis Reſolutionis Conſideratio de Confœderatione Suecica, Hanſeaticis An. 1620. nonnullis propoſita.

QUænam honorabilium civitatum intentio, tã à principio erecti Fœderis Hanſeatici, quam etiam poſtea in renovatione eiuſdem, fuerit, ex ſcriptis Receſſibus paſſim conſtat. Quum autem ſucceſſu temporis experientia demonſtrarit ipſa, quod tale Fœdus ſcopo propoſito non eſſet ſufficiens, de extenſione eius & melioritate cõſilia ſuſcepta ſunt. Hinc quoque enatum, quod tandem inter aliquot Civitates Hanſæ ex longo tempore apud maiores in uſu fuerit, ut ita privilegia & iura, tum quoque libertatem commercii & negotiationum per mare & terram eo rectius aſſecurarint & conſervare potuerint. Veluti etiam tandem Fœdus Belgico-Hanſeaticum in eum finem directum eſt. Unde ſimul perſpicitur, quod Regia Dignitas Suecica eandem modo intendat meram. Si in propoſito hoc firmiter ea cupit correſpondere cum Hanſeaticis, nec aliud quid præſumi valeat, nulla erit difficultas in quæſtione, An cum eadem hoc ineundum ſit Fœdus? Etenim, quum punctus iſte in 14. Articulo Fœderis Hãſæ-Belgici pridem ea ratione, quod honeſtis & practicabilibus conditionibus alii quoque Potentiores Principes & Reſpubl. in id recipi debeant, deciſionem ſuam obtineat; huius quæſtionis reſolutio plana erit. Quare progreſſus ulterior patere debet, ad cautelas heic obſervandas. Ubi ſe ſtatim Politicorum ſententia exerit, in qua periculoſum merito habetur, quod cum imparibus, adeoque Potentioribus fœdera non ineunda ſint. Namque experientia ipſa teſtatur, quomodo in omnibus Reges & Principes ſemper, ad privatum ſuum commodum, ſub ſpecie publici, oculos teneant reflexos. Atque ſi hoc obtineant, tunc in conſequentibus fœdus nil amplius curatur: Imo ut plurimum ſæpiſſime contra proprios confœderatos eo abutuntur. Velut nupertimum exemplum cum civitatibus Lub. & Hamb. id aperte demonſtrat, &c. Ut taceam, quæ Potentiorum affectio ſit erga civitates & communiones, quomodo ſub prætextu amicabilis correſpondentię & amicitiæ erectę haud raro civitates in ſecuritatem pertrahant, ut pro voluntate ſua pedetentim eas ſubjugent, aut etiam in totalem præcipitent ruinam. Imo haud obſcure quoque id intendere ſolent, ut vires civitatum expiſcentur; quas ubi exploraverunt, fœderatos non ſolum ludibrio exponunt, ſed nec quidquam ſubſidii præſtant in neceſſitatibus, &c. Præterea heic conſiderandum venit, quod multiplicatio Fœderum, multas pariat diſtractiones, enervationes virium, aliaſque cauſſet infinitas difficultates ita, ut etiam ſubſidia, quando diverſis locis impendenda veniunt, communiter in impoſſibilitatẽ erumpant. Sic Regem Sueciæ quoque hodie cernimus gravibus vicinorum differentiis ferme obrutũ; unde honorabilibus civitatibus adſiſtentia, ſi forte belli alicuius viribus in proprio infeſtetur regno, aut obruatur, plane eſſet futura intolerabilis. Velut etiam plures hiſce poſſent addi rationes, &c. Nam quis potentiores ad fœderis obſervantiam coget, ſi fidem amplius non curent? &c.

Etiamſi autem tales & eiuſmodi motivæ ingentis ſint importantiæ; nec facile quis prudẽs his quid ſolidi obiicere poſſit: Attamen hiſce difficultatibus, ſi conſtans & firma conſtitutio cum obſidibus & idoneis conditionibus fœderis muniatur, ſatis tuto obviari poterit. Hoc præſuppoſitum ſi ſolidum ſtructuræ fœderis fundamentum porrigat, & loco proprii commodi certa integraque fides ſupponatur; tunc omnino prægnantes cauſſæ ad fœdus ineundũ nobis ſuccurrunt. Namque ipſa dies id aperit, quomodo civitates Potentioribus quaſi ſudes in oculis ſint, earumque libertatibus & privilegiis quidvis derogatum velint, ut unice earum quæratur ruina. An vero civitates tanto robore ſatis confirmatæ & communitæ ſint, ut tot impetitionibus ſufficienter reſiſtere queant abſque aliorum adſiſtentia confœderatorum, & ſic ſuum ſatis manutenere poſſint ſtatum; id merito conſiderandum venit, & altioribus ponderandum examinandum ve rationibus.

Quod ſi non, uti metuo; certe occœcatum foret opus prorſus, eiuſmodi recuſare media, quæ quaſi ultro iis inſcientibus offeruntur. Quid enim firmius? ut quis ſit ſolus in neceſſitatibus, an ut ſocium fidum habeat adſiſtentiæ, ſive clandeſtina aut aperta petatur violentia? Quod itaque ad Regem Sueciæ attinet, licet ſit potentior; attamen publice conſtat, quã ſyncera & integra affectione civitates & earum proſperitatem foveat. Nec mirum! Etenim, ut illarum ſtatus rite conſervetur, maxime eius intereſt, & quidem adeo, &c.

Sed heic iubet Plato quieſcere, ait ille, ne Harpocratici articuli tangantur, &c.

Tandem ita concludebat. Opus igitur Fœderis huius nunc recumbit in conditionibus Fœderis, & præſertim in puncto defenſionis & contributionis. Quemadmodum iam Defenſio talis in conſignatis punctis optime concepta videtur; ita ab hac parte illud principaliter reſpiciendum, in quibus neceſſitatis caſibus unumquodque foret obſervandum, &c.

Verum non opus eſt, ut omnia explicentur, quæ ſucceſſu caruere ſuo; velut etiam optimus ille ICtus hæc & eiuſmodi ſaltem arbitrio Civitatum Hanſæ ad meliorem & ſaniorẽ diſcuſſionem ſurrogabat, ut ipſum id teſtatur ad Conſilium hoc concluſo, quam ita formavit. Quod omne tantummodo pro benevola adhortatione in huius rei mentionem coniicere volvi, meliori ſententiæ me officioſe ſubmittendo. Quælibet civitas ſuam propius examinabit ſecum ſalutem, veluti quoque id ante omnia, quod univerſo Collegio honorabilium Hanſæ civitatum Unioni in proſperitatem, commodum, & emolumentum vergere queat, rectius conſiderare noverit. Præſent. 29. Decembr. An. 1620.

Verum quum Rex privilegiorum confirmationem & abrogationem gravaminum commerciis communibus impositorum de die in diem differe inciperet, nec ad officiosissimas & amicabiles civitatum litteras directo responderet, ipse quoque dispiceret ad commercia nonnihil attentius, si forte vectigalia uberiora in aliam eius intentionem redundare possent, potissimus huius consilii conceptus & formatio propior concidere & defervescere cœpit, ut varia ex variis colligi potuerint, quæ affectionem abalienatam declarent. Ideoque non mirum, quod Resolutionis supradictæ rationes primordiales in suum redierint circulum, & confirmationem negativæ adiecerint.

Sed tantum quoque de Fœderibus, imparitatem in membris Hanseæ concernentibus: nunc restat in hoc passu, ut ad nervum contributionis progrediamur, cuius ratio potissimum ex pactis Anno 1604. renovatis constat; ubi simul aliæ divisiones civitatum Hanseaticarum sese exerent.

CAP. XVI.

De Contributionibus diversis Civitatum Hanseaticarum, & alia inde emergente Civitatum divisione.

EX diverso rerum respectu, diversę quoq; sumuntur distributiones, veluti supra satis id explicatum est, & indicatum in quot partes principales potissimum dividatur corpus Hanseæ. Sed si nunc ulterius progrediamur, & fomentum eius perspiciamus, plura se exerent in membrorum divisione. Formæ autem Fœderis recte subnectitur eius fomentum, quod in contributione consistit. Etenim vita hominis nullatenus diu in corpore vigere posset, si naturale ipsi subducatur aut negetur nutrimentum: Sic membra Corporis Hanseatici facile dissiparentur, aut inter sese protenus dissilirent, nisi contributio id suggereret alimenti, ut inde publica utilitas eo rectius curari posset. Finis enim talium præstationum primævus est, & omnino esse debet commoditas Reipublicæ, ut pulchre ait *P. Heig. 1. quæst. inv. 17. n. 3. & seqq. Klock. de Contrib. Cent. 1. lit. C.* Proinde etiam cum ipsis imperiis, & alicuius corporis constitutione emersisse dicitur rite ad hoc, non, ut potentiores inde plebem medullitus exugerent; sed ut tam pacis, quam belli tempore res & personæ civium in tuto esse possent. *Klock. d. l.* Nam sunt conferendi in publicum census, ad sustinendos sumptus, quos corpus aliquod sive Respubl. necessitate urgente, facere cogitur, *Conr. Lag. in meth. fisc. 8. n. 13. Vivius. decis. 6. n. 11.* Unde omnes, qui recipiuntur in locum talem, idem sustinere coguntur, ut munera nobiscum faciant eiusmodi. *l. 1. ff. ad municip. l. 18. ff. de Verb. Sig.* idque per ordinem pro modo fortunarum. *l. 1. C. de mun. patrim. lib. 10.* Et quamvis etiam collectæ dicantur à colligendo, tamen hoc vocabulum nimis strictum est, & potius Reipublicæ quadrat, quam ut heic locum invenire queat. Est enim collecta incerta, irregularis, at secundum casus, & occurrentes necessitates Reip. aliquando maior, aliquando minor, *l. 6. §. fin. ff. de muner. l. in honorib. ff. de Vacat. mun. ubi Bart. Surd. Cons. 146. n. 19. Vivius. cons. 27. num. 14. vol. 3.* Olim donum dicebatur & erat liberæ voluntatis. *Vincent. de Franch. decis. 56. n. 17.* Ideoque longe generalius accipitur recte contributio, & in confœderatione ita habet rationem muneris ex pacto, veluti etiam hoc loco nobis idem significat.

Verum quum alii & præsertim Ægidius Thomat. libellum egregium conscripserit de talibus Reipubl. collectis, & quot speciebus veniant; ita, ut prope innumerus sit earum cumulus, uti recte sic exclamat *Klock. d. l. & concl. 3.* Ecqua hodie novorum tributorum Ilias non excogitata? non inventa? suis talia examinanda rectius relinquimus auctoribus; nos ad distinctionem nostrarum in Hansa contributionum convertentes.

Quamvis autem auctores varias heic confingant distinctiones, ut aliæ dicantur publicæ, aliæ privatæ; vel Imperiales, & Provinciales: aut extraordinariæ; tamen potius existimo esse subdistinctiones, quum non omnia ita rite exprimant & contineant genera contributionum. Etenim sæpius non animadvertuntur omnes, quæ clanculariæ & arcano modo congeruntur; ceu quamplurimas in Belgio novi: & maxime lucrativæ habentur, quæ absque sensu & motu populi possunt cum artificio cogi. Unde vidi etiam, qui in talibus se singulares rerum inventores ibi offerrent, & gloriarentur, quod ultra 100. nescirent modos. Proinde rectius poterunt ita dividi, ut Cõtributiones aliæ sint apertæ aut manifestæ, aliæ occultæ: Manifestæ iterum sunt vel Ordinariæ aut Extraordinariæ. De occultis autem nobis non erit agẽdum apud Hansam, quum arcana ubique impenetrando pertingant; nec secreta sint revelanda. Ordinariæ autem rursus duplices ibi habentur. Aut enim in Conthoriis Universalibus colliguntur, aut apud membra Hanseæ. Atque hæ iterum in collectione apud membra Hanseæ sunt duplices: Aut in certo annuo iuxta proportionis iustæ dispositionem, ut mox patebit, aut in quotisatione casuum persolvuntur. Illæ autem civitates Hanseæ, quibus quotisatio in Contributionibus Ordinariis adicta est, solummodo ad conventum communem convocantur, ut ibi deponant votum; reliquis vero, quas Annuistas dicunt, non competit votum immediate, sed mediate & saltem iis temporibus, quando renovatio Fœderis Hanseatici cõmunis instat; tunc Quartirii cuiusque Metropolis singula suæ dispositionis membra convocat in locum certum, atque illæ cum iisdẽ agunt, tractantque necessaria: veluti etiam Colonienses An. 1603. fecere, qui tunc Civitates Hanseaticas omnes sui Quartirii ad Monasterium convocarant, ubi inter alias res deliberandas variæ habitæ sunt tractationes de Contributionibus Ordinariis & Annuis: maxima pars voluit annuis includi. Hoc itaque quum per solitam relationem iterum Anno 1604. ad communem Hansam in eorum conventũ, qui principaliter renovationi Fœderis communis destinati erant, delatum esset, varia & multiformia consilia super hoc puncto habita sunt: Ubi tandem Coloniensibus in commissione singulari oblatũ est, ut nomine communi cum reliquis civitatibus, quarum residuum adhuc expetebatur, plene tandem transigerẽt, & ad annum certũ restringerent. Quod vero iam cum cæteris, quæ in conventu Monasteriensi præsentes fuerant, in perfectam transactionem redactum fuerat, id per cõmune placitum ab omnibus

bus præſentibus approbatum & ratificatum fuit ita, ut Annuiſtis illis comparitio inconventibus & aliæ incommoditates uſque in decennium liberæ relictæ fuerint, atque quæque civitas in gravaminibus ſuis quem mittere, aut per Metropolin ſuam ſubordinataſve civitates neceſſaria petere poſſet. Veluti etiam tum loco Brunſvicenſium, qui tunc bello impliciti hærebant, commiſſum eſt, ut ſimiliter cum civitatibus Annuiſtis ſui Quartirii tranſactionem iuxta modum Colonienſium perficerent; quod etiam fideliter præſtitere.

In ſpecie autem Urbs Staverenſis Friſiæ tunc in conventu Hanſæ per Legatum ſuum Trinckium Andringam rite Anno 1604. obtinuerunt ſingulari pacto, quod ſingulis annis circa feſtum Pentecoſtes 35. Imperiales pro annuo mittere deberet. Sic etiam Boxtehudani per ſuum ibidem Secretarium id impetrarunt, ut nil amplius, quam 20. Imperiales pro annuo quotannis ſolvant; ſed tamen ut ad locum Directorii ſuo mittant periculo utrinque.

Quum vero Stralſundenſes, Stetinenſes, Griphiſwaldani idem ferme petere viderentur, ut ad annuâ penſionem poſſent admitti, exprobratio gravis cum reprehenſione non levi obiecta fuit illis, ne quid in malam pertraheretur conſequentiam, præſertim quum Contributiones Conthoriorum non tales eſſent, ut poſſent ad ſuſtentationem ſufficere. Ideoque notabile eſt Decretum, quod tunc ad normam æquitatis compoſitum eſt. Ut inde providentia & circúſpectio æqua civitatum rite cognoſci poſſit, quam amicabiliter undiq; cum ſoctis ſuis agant, lubet paucis hoic inſerere; cuius verba proinde in Receſſu hoc modo ſeſe habent.

Decretum Publicum Hanſæ communis An. 1604. in Menſ. April. ad 5. Articulum Contributionis in Fœdere, qui tunc in deliberatione 2. fuit.

AD articulum Contributionis. Annuum ſpectantis, decretum eſt. Licet ante hac ſæpius, inprimis etiam Anno 1601. conſtitutum ſit, quod aliquot non adeo divitiis pollentes civitates ad Annuum admitti, & ab aliis ordinariis contributionibus exemptę eſſe deberent, quum autem tale in abuſum abreptũ ſit, & aliquot præpotentes civitates ſolummodo quoque ad annui præſtationem recurrere velint, & præterea metuendum, quod confuſionem in Conthoriis pariat, ac talium civitatum multitudo reliquis, quæ ad contributiones oneraque ordinaria ferenda conſtrictæ ſunt, moleſtias & prejudicia creet, tam in participatione privilegiorum, quam defenſionis, velut & in libertate vectigalium apud civitates aliquot invicem gignere poſſit: Proinde iſte punctus ad materiam prædeliberandam timul dimiſſus, & iam in cõſultationem maturiorem deductus fuit, ſicut quoque principaliter in Conſilio Deputatorio, & nunc in pleno poſt diſcuſſionem ſufficientem cõcluſum eſt: Quum iam cum aliquot civitatibus annui cauſſa tranſactio inſtituta, & exinde res non amplius integra ſit, prætereaque maximæ parti reliquarum, quæ propter annuum ſollicitant, & defenſionem atque interceſſionales, quæ nonulæ Confœderationis inſertæ habentur, nec iniquum ſit, ut una civitas vicina alteri tale officium, etiamſi nulla eſſet confœderatio, præſtare deberet; nec non præter hoc omne laudabile ſit, ne corpori toti Hanſæ labefactatio quædam iniiceretur, ſed in ſua id retineretur auctoritate & dignitate; Quod tandem prior conſideratio non plane ex manu dimittẽda eſſet; ſed quũ aliquot civitatibus ob annui præſtationem tranſigendum, atque earum (Annuiſtarum) votum, quoties communis conventus inſtitutus per Metropoles Quartirii aut ſubordinatas merito, in loco deputato, ab illis peteretur, & conſiliis id adiici ita deberet: ad conventus autem ut convocarentur, non eſſet neceſſum: per decennium hoc, quaſi ſpeciali beneficio, acquieſcere in ſuo ſtatu poſſent. In quem caſum etiam Confirmatio Privilegiorum apud Extraneos reges in ipſarum uſum ita comparati poſſet: ſed ad ulteriora Corpus Hanſę non deberet adſtringi, &c.

Sic etiam ad 7. Articulum Confœderationis tunc de Contributionibus in Emporiis Univerſalibus aut Conthoriis, conſtitutio, ſub eodem conventu, Anno 1604. in firmum Decretum redacta eſt, quæ ſimiliter eorum verbis explicanda venit.

Ad articul. 7. Confœderationis de Contributione Conthoriorum Decretum Hanſa communis.

PRo plena conſtitutione articuli Confœderationis, contributionem etiam apud Conthoria honorabilium Hanſæ Civitatum concernentis, Domini Legati primitus in Conſilio deputatorio, & poſtea in pleno decreverunt, quod media ulteriora conquiri debeant, quomodo quoque aliis viis pecunia & penus colligi, & ita honorabiles civitates, quantum fieri poteſt, à nimiis contributionibus relevari queant: Inprimis ordinabunt, quod Conthoriorũ penus in ærarium quoddam certum congeratur, & inde communia onera rurſus exolvantur: ſimiliter quoque debebunt miniſtri & famuli, quando ad proprii commercii participationem progrediuntur, pro commodo communis Societatis, certi quid cõtribuere & æratio deponere; ex quo Seniores & proviſores quotannis, integram deſignationem ad locum Directorii tranſmittent, quæ inde ſtatim reliquis civitatibus ad perluſtrandum communicabitur: Similiter etiam, quando miniſtri nonnulli (præſertim qui in Hanſæ aliqua civitate natus fuerit) qui in Conthoriis commercia agitant, ſedem ſibi in aliqua civitate Hanſe & domicilium figere ſatagunt, ut certam pecuniam pro commodo communis Hanſæ Senatui loci deponere, & inde in commune ærarium transferri poſſit: Veluti etiam ſpes eſt, quod, ſi inſtantes Legationes in Daniam & Angliam expeditæ fuerint, tunc expenſę per Univerſale Annuũ compenſationem accipere, & veteres contributiones reſtringi ſic queant: Præterea ad placitum hoc reductum eſt iſtud, quod ſi in omnibus & ſingulis Hanſæ civitatibus, illi, qui ius civium ſibi acquirere velint, ſignificationem aliquam, quum eo ipſo ſimul fruitionem privilegiorum Hanſeaticorum adeant, pro conditione ſuæ ſortis honorarii loco largiantur; Ac quæ præterea ſic commode ærario publico excogitari & adiici poſſint, talia honorabiles civitates

ulterius pro bono publico Hanſæ in praxin deducere omni diligentia conabuntur, &c.

Verum hæc & eiuſmodi, quum non tantum naturam extraordinariatum contributionum, ſed etiam arcanarum ingrediantur, merito ad eas remitti debent. Liquet nihilominus ex hactenus dictis, quænam nomine ordinario civitatibus Hanſę in cõſiderationem heic veniant, quum neque Annua ſub eo numero, iuxta vulgarem Hanſæ locutionem, in talem referre velint aut comprehendere; ſed extra ordinem eiuſmodi ponant. An vero ſatis congrue hanc ſibi diſtinctionem fecerint, merito quis dubitet. Etenim quod *iuxta Bart. in l. unicam. C. de mulier. & in quo loco. lib.* 10. *num.* 13. aliæ contributiones ſint Ordinariæ aliæ Extraordinariæ, id quoque Cõſtit. Imperiales, præſertim de Anno 1570. §. Wie wol nun/&c. approbant. Sed Ordinariæ proinde dicuntur, quod ex lege aut ſtatuto, conſuetudineve certam, firmam, & annuam habeant præſtationem: unde iuſta & indubitata diſpoſitio munerum & expenſarum poſſit in ipſa Regiminis facie fieri. Veluti exemplum vivum habemus in Belgio, ubi ſtatus totius ratio firmiter poteſt cogi, tam belli, quam pacis tempore, iuxta firmitudinem proventuum, quos ſibi ex omnibus intradis certis, quas propterea Publicanis ſuis ad certam & indubitatam ſummam quotannis ſolvendam elocant, & ſingulis Annis Calend. Aprilis fit talis renovatio; Ubi iuxta diſcuſſionem præteriti anni rationes novas ineunt, in quibuſcunque materiis vectigalium, penſionumve; ceu infinitos habent modos quidvis reformandi, ut ſuo loco in Arcanis Reipubl. noſtris id plenius explicatur. Extraordinarię autem contributiones dicuntur, quæ ſingulis annis cum firmitudine certa non recurrunt, nec uniformiter ſolvuntur; ſed per accidens ſecundum neceſſitates occurrentes. *Bart. d. l. unica. num.* 37. *Ioſeph. Ludovic. deciſ.* 43. *num.* 9. *Iul. Ferret. de gabell. num.* 475. *&* 478. *Geil. lib.* 2. *obſerv.* 52. *num.* 9. *&* 10. *V Vinzel. de coll. c.* 1. *num.* 13. *&* 14. Ideoque annua illa, quæ civitates quotannis ſolvunt, potius eſſent ordinariæ dicendæ contributiones, quam quod ad locum extra ordinem redigi deberent: Impropria tamen Hanſeaticorum locutio inde eſt, quod non tantum ordinarias iis civitatibus attribuant, quæ conventibus ſemper ſunt præſentes, ſed etiam quod ſingulis negotiis, publicam totius corporis utilitatem concernentibus, ſtatim expeditionem adiicere queant cum reſolutione efficaci. Nam ſi forte ærarii penus non ſufficiat, fit inter præſentes computatio, quidnam contribuendum, & quantum cuique in quotiſatione ſua aut parte ſimpla, dupla, tripla, &c. ſextupla, ſeptupla, &c. vel dimidia ſit rei efficiendę adiiciendum. Alias tamen Annuum merito ordinariis contributionibus ex natura certitudinis accenſeri debet; & merito Extraordinaria dicuntur, quæ ex caſibus accidentariis ſuam ſortiuntur originem, ut antea de miniſtris & novis civibus conſtitutionem eiuſmodi factam *ex Receſſ. de Anno* 1604. adduximus. Sic etiam in eodem Receſſu habetur Articulus de pœna emanentium aut ſero venientium ad Conventum Hanſæ, cuius verba iterum adducere lubet.

Ad Artic. 5. *Confœderationis, de Pœnis aut mulctis.*

QUod ad mulctam ſpectat eorum, qui indictos Hanſeatici conventus terminos non viſitant, aut debito tempore non comparent, in eo primitus Ordinatio, quæ Anno 1549. & 1556. huic rei deſtinata fuit, nova vice denuo approbata & confirmata eſt hoc modo, ut illi, qui abſque legitima cauſſa, quæ à civitatibus Hanſæ in communi diiudicari debet, emanſerint, prima vice mulctam 2. marcarum auri, ſecunda vice 3. marcarum auri irremiſſibiliter perſolvere debeant: Et nihilominus ab illis, omne, quod in eo conventu decretum fuerit, irretractabiliter præſtari, firmiter ſervari, & perfici debeat: Quod ſi vero tertia vice viſitatio aut præſentatio, ſive prioris decreti ratificatio iterum intermitteretur, tunc contra eam civitatem aut civitates Hanſæ eo modo, quemadmodum 5. Articulus iam erectæ novæ Confœderationis & notula inſerta id exprimit, procedetur.

Quod itidem ad eos pertinet, qui debito tempore ſe non ſiſtunt: Complacitum eſt, & approbatum, quod omnes & ſingulæ honorabilium civitatum iuſto tempore, & ita mature ſuos, ut deputati in termino inſtituto dicti rite comparere queant, ablegare velint; Si autem in mora fuerint, & nullas legitimas cauſſas, quæ à præſentibus pro ſufficienti queant agnoſci proponere noſcant; tum pro quovis & ſingulo die, quo ſeriores compariuerint, quam in citatione dictus fuerit, irremiſſibilis pœnæ mulctam 20. Imperialium pendere, & nihilominus omnia ante ipſorum adventum pertractata, ratihabere debeant.

Sic tales & eiuſmodi extraordinariæ contributiones plures in ærarium colliguntur, quæ ex optimi ordinis ratione ſedulo obſervantur, unde fit, ut ſemper iuſto tempore confluant ad conventum, aut ſe eo maturius excuſent, & nihilominus vota ſua mittant, aut vicinę civitati ad deponendum ipſorum loco offerant. Nec memini, quam diu interfui conſiliis, quod unquam ultra diem fuerit nobis expectãdum, donec omnes advenerint, ex tot diſſitis locis. De Arcanis autem ſive occultis contributionibus ut iam agamus, non eſt opus, quum ſecretiora non tantum non ſint revelanda; ſed etiam ad mercaturam ſive commercia ipſa & Emporia eorumque iura & privilegia ſint reiicienda, de quibus in ſingulis plenius in ſequenti parte, cum Deo, agemus. Quamvis autem ordinariæ contributionis civitates Hanſæ ex dictis pactis novis ad decennium ab Annuiſtis fuerint ita diſtinctæ, tamen quum reſpectu firmitudinis in contributione differentiam talem vere non efficiant: ideoque neque id in enumeratione civitatum omnium, quæ adhuc corpus conſtituunt & conſervant Hanſæ, non attendendum putamus: ſed ſaltem cuique ſuam annuam aſſignabimus quotam, ut rectius quoque numerus civitatum omnium conſtare poſſit. Hoc tamen ſimul heic animadvertendum eſt; quod adhuc nonnullę civitates, quas Wehnerus iuris controverſi facit, mediate Hanſeatico corpori includantur, uti ſunt omnes eæ, quę Illuſt. Ordin. Belgici ſuę confœderationi incluſas tenent, ſic etiam ex iure & privilegiis Emporiorum fere omnes adhuc

huc itidem ex consequenti Hanseæ adhærent; licet directo non pro membris sese venditent. Quare nō inique agam, si omnes totius & universi Corporis Hanseatici, alias civitates contributarias, & immediatas; alias vero mediate huic addictas & extra cōtributionem evidentem positas faciam. Sed quo nomine in Annuo quæque veniat, & quantæ aut qualescunque sint universim in numero; id ex sequenti notatione Matriculæ colligi facile poterit.

Enumeratio Civitatum & Rerumpublicarum Hanseplena; Ac primo earum, quæ Contributaria directo dicuntur, ceu Matricula eas continet.

1.	LUbecca. *quotan. Imperial.*	100.
2.	Colonia.	100.
3.	Brema.	60.
4.	Hamburgum.	80.
5.	Rostochium.	50.
6.	Stralsunda.	50.
7.	Wismaria.	25.
8.	Magdeburgum.	40.
9.	Brunsviga.	50.
10.	Dantiscum.	80.
11.	Lunæburgum.	60.
12.	Stetinum.	40.
13.	Gryphswalda.	25.
14.	Hildeshæmium,	30.
15.	Goslaria.	30.
16.	Gottinga.	30.
17.	Eimbecca.	10.
18.	Hannoveta.	25.
19.	Hamela.	20.
20.	Colberga.	25.
21.	Stargarda.	25.
22.	Anclamum.	18.
23.	Stada.	20.
24.	Buxtehuda.	18. *nunc* 10.
25.	Golnovia.	8.
26.	Thoruna.	20.
27.	Elbinga.	20.
28.	Koningsberga.	60.
29.	Braunsberga.	10.
30.	Riga.	50.
31.	Revalia.	50.
32.	Dorpatum.	20.
33.	Parnovia.	20.
34.	Culmenum.	10.
35.	Neomagium.	35.
36.	Davantria.	50.
37.	Campenum.	40.
38.	Schwolla.	23.
39.	Zutphania.	30.
40.	Arnhemia.	30.
41.	Bommelia.	10.
42.	Thiela.	10.
43.	Hardervicum.	30.
44.	Duisburgum.	20.
45.	Stavera.	20. *nunc* 35.
46.	Groninga.	35.
47.	Bolswerda.	30.
48.	Ruermunda.	25.
49.	Venloa.	20.
50.	Emericum.	30.
51.	Osnabruga.	30.
52.	Susatum.	35.
53.	Tremonia.	30.
54.	Monasterium.	40.
55.	Vesalia.	30.
56.	Minda.	30.
57.	Padeborna.	20.
58.	Hervorda.	15.
59.	Lemgovia.	15.
60.	Lippæstadium.	10.
61.	Bilefeldia.	10.
62.	Unna.	20.
63.	Hamma.	25.
64.	Warbergum.	15.

Sequitur nunc

Enumeratio Civitatum Hanseaticarum ex antiquo Fœdere desumpta, quarum quædam extra Ordinariam contributionem constitutæ sunt, quas alii Politici controversi iuris putant; Et tamen adhuc partim Corpori Hanseæ aut mediante iure Emporii Universalis, aut alia Confœderatione adhuc inhærent, & indirecta referunt eius membra, partim Anno 1512. fuerunt in seperationem redacta.

1.	DOrdracum, alias iuxta seriem.	65.
2.	Amstelrodamum.	66.
3.	Enckhusa.	67.
4.	Ultraiectum.	68.
5.	Zirickzæa.	69.
6.	Briela.	70.
7.	Mittelburgum.	71.
8.	Wiringia.	72.
9.	Hindelopia.	73.
10.	Stendalia.	74.
11.	Halberstadium.	75.
12.	Aschersiebia.	76.
13.	Erfurtum.	77.
14.	Northusia.	78.
15.	Ulyssæa.	79.
16.	Mulhusium.	80.
17.	Helmæstadium.	81.
18.	Northæmium.	82.
19.	Halla Saxoniæ.	83.
20.	Berlinum.	84.
21.	Brandeburgum.	85.
22.	Rugewaldium.	86.
23.	Servesta.	87.
24.	Soltquella.	88.
25.	Francofurtum ad Oderam.	89.
26.	Uratislavia.	90.
27.	Harlinga.	91.
28.	Duderstadium.	92.
29.	Berga.	93.
30.	Wisbya.	94.
31.	Stockholmia.	95.
32.	Melwinga.	96.
33.	Landsberga. 97. Et aliæ adhuc Borussiæ Livoniæque civitates.	
34.	Dinantium.	98.
35.	Traiectum ad Mosam.	99.

36. Haſſeltum. 100.
37. Ryſſelia. 101.
38. Elburgum. 102.
39. Inowynka Boruſſ. 103.
40. Embda. 104.
41. Kylonia. 105.
42. Damburgum. 106.
43. Armunda. 107.
44. Neoſtargardia. 108.

Numerum Civitatum Hanſearicarũ diverſi Auctores diverſum faciunt. *Meteranus lib. 19. Hiſt. ad Annum* 1596. 72. vult fuiſſe; Chytræus & qui eum ſequuntur ultra 80. incertum ſtatuunt, unde *VVebnerus in obſ. pract.* ad vocabuli Hanſeſtätt explicationẽ, 83. vult fuiſſe; ſic & *Thuanus in Hiſtor. ſua lib.* 51. *pag.* 838. civitates indeterminate plures quam 80. itidẽ facit, ex Chytræi opinione. *Bertius in Comment. rerum Germ. lib. 3. cap. 4. ſaltem 66. recenſet*, in hoc itidem ſecutus Chytræum, qui vult, quod Hanſearicarum urbium tantũ 66. cives ad Privilegia Hanſæ in Emporiis exterarum gentium fruenda, ſolæ admittantur. Cuius rei vel aſſertionis certitudinem ſane nec in Receſſibus nec Privilegiis Hanſearicis ullis, quũ tamen bina antehac ingentia volumina pervolverim, invenire potui. Velut etiam male ſtatuit, quod urbes eæ, quæ ob cauſſas in Receſſu Anni 1518. expoſitas partim ex Fœdere Hanſæ ejectæ fuerunt, partim renunciarunt, ſemper excluſæ ab eo maneant, ceu ipſe quoque Catalogum eorum recenſet: quum tamen non tantum Dux Brunſv. Heinricus Iul. *in act. Hiſt. Brunſv. part. 3. pag.* 859. in exemplo civitatis Aſcherſlebienſis contrarium probet; ſed etiam ipſe Anno 1620. ex commiſſione Communis Hanſæ has vices ſuſtinuerim, ut cum aliquot egerim civitatibus talium in puncto annui & reſiduorum, quæ tamen ex numero ſunt earum, quas ipſe recenſet; & putat ex Hanſa penitus ejectas. Ut rectius cum Bertio quis facere poſſit, qui iuris controverſi tales facit. Verum iſti omnes, ut ipſe quoque Chrytræus *in Chron. Sax. lib. 23. ad Annum* 1572. confitetur, ex auditu, nõ ex vera actorum inſpectione talia habent; quum tamen ipſe antehac neceſſaria penitius perquiſiverim in hoc, ut numerum exactum civitatum omnium haberem, nuſpiam rectius aut alicunde id cognoſcere & accipere potui, quam ex antiquis illis, quotquot earum mihi cernere contigit, tranſactionibus & privilegiis; eorundemque confirmationibus. Sic in tranſactione Stralſundenſi ſub dato, proximo die poſt Dei adſcenſionem, Anno 1370. quam cum Rege Daniæ Waldemaro 3. Civitates Hanſeaticæ inierunt, in belli diuturni conſopitionem, ſic & in Confirmatione Privilegiorum cum eodem ſub dato eiuſdem temporis & loci Stralſund. quam plurimæ recenſentur ordine Civitates Hanſeaticæ, quorum nomina ſic exprimuntur, uti ex Extracto utriuſque patebit. Etenim integras heic ponere Copias, nam non eſt opus, quum talibus hiſtoricæ relationi Emporiorum Vniverſalium in parte quinta ſequenti cum Deo reſervaverimus. Ideoq; ſaltem exordium finemque heic inſeremus, pro maiori dictorum fide obtinenda.

Extract. Tranſactionis Stralſundenſis Civitatum Hanſeaticarum cum VValdemaro 3. Rege Danorum de An. 1370.

IN Nomine Patris, Filii, & S. Spiritus Amen. Notum ſit omnibus, qui litteras has vident aut legi audiunt, quod nos Henricus à Putbuſche, Capitaneus Regni Danici, Nicolaus Erſſe Epiſcopus Lundunenſis, Ericus Epiſcopus Odenſeenſis, Nicolaus Epiſcopus Rotſchildenſis, Iohannes Teberbachius, Capitaneus Wittengebergenſis, Victor Myltæus in Neubau, Iechelius Olſeſen, & Heerbrandus Buchtius, Capitanei in Holbecha, Otto à Ludewe, de Iungeſchoveda, Iacobus Myelſteinius, Capitaneus Seburgenſis & Gorgæ, Reiræus Capitaneus Korſeenſis, Heinricus Ionſius, Pellæus Paryſenus, Eques in Selandia, Ionius Pellæus, Capitanei Callavienſes in Iutlandia, Heino Kaboltus, Henricus Kettelburgus, Equit. & Capitanei in Vnlandia, Henricus Moltkæus Capitaneus Warbergenſis Selandiæ, Henricus à Stein, Eq. & Capitaneus Wiſenbergẽſis à Samſovia, Offenus Baſſæus Eques, Puckemannus à Langke, Peter Eckelſeckius, Capitanei Lacholmienſes, Tuckæus Petiſenus Capit. Oriſtenenſis, Petrus Nygelſenius Capit. Lintholmenſis, Ieckelius Nigelſenius Capit. Aldenburgenſis, Petrus Axelius à Brigetesholmio, Beſtius à Parys, & Petrus Falkenkopius, Conſiliarius noſtri clementiſſimi Domini, Excelſe nati & Ducis, Regis Woldemari Regni Danici, cum mandato, voluntate, & plenipotente conſenſu noſtri Domini prædicti, & noſmetipſi, ex prædeliberato animo, & libera voluntate conſtitutam habemus firmam, conſtantem, æternã reconciliationem, & finem omnis belli, diſſidii, & controverſiæ, quæ fuerunt inter Dominum noſtrũ, regnum eius, & Mannos eiuſdem, & opitulares ab eius parte; ac inter Civitates, veluti Lubeccam, Roſtochium, Stralſundam, Wyſmariam, Gryphiſwaldiam, Stetinum, Colbergam, Neo-Stargardiam, Coloniam, Hamburgum, Bremam; in Pruſſia Colmenam, Thoruniam, Melwynckiam, Danskam, Konigsbergam, Landsbergam, & omnes civitates reliquas, quæ in Pruſſia ſitæ ſunt; in Lyflandia, Rygam, Dorſtum, Revaliam, Pernoviam, & alias civitates inibi ſitas; Ad mare Auſtrinum Batav. Kempenam, Daventriam, Utrechtum, Schwollam, Haſſeltum, Gruningam, Zyrichsgæam, Brylæam, Mittelburgum, Ormundam, Hardevicum, Rürkfeldiã, Elburgum, Tielam, Staveram, Amſterdamũ, Dordrechtum, &c. & præterea omnes civitates, cives, mercatores & eorum miniſtros, qui cum illis in illorum bello continentur, & iure ab altera parte iis cõpetunt, ac ab iiſdem dependent: omnibus iam licitũ eſt, quærere dehinc regnum Daniæ, & terram Schoniæ in omnibus finibus & terminis, & quod libere per terram & mare valeant currere navigiis & recurrere in omnes tractus cum bonis & mercaturis ſuis, abſque ulla turbatione pro uſu libero omnium, quæ habent; & ad exercendum mercaturam per iura ſua, & ſolvendum tale vectigal, ut ex antiquo tenentur ita, ut poſtea ſcriptum eſt. Etiam debent tractum maris liberum præſtare; & habebunt in omni Regno Daniæ, & terra Schonenſi, & in omnibus locis

Regni

Regni Danici, uſque in æterna tempora; & liberi erunt in bonis naufragis, ſive vocetur Stracht/aut maris repertum, aut quocunque modo appelletur in hoc modo, &c. Præterea Litteræ hæ non impedimento eſſe debent, omnibus illorum reliquis litteris & Privilegiis, quas poſſident, ſive eas à Rege Daniæ obtineant, iis utentur, & in plena potentia manebunt. Et omnia iſthæc prædicta privilegia durabũt in æternum, & contra illa nemo defendetur, nec etiam ulterius quid à quoquam poſtulabitur; & relinqui debet quiſque in iure ſuo & Privilegio, velut ſuperius ſcriptum eſt; & poſtea detur illis Lubeccanus pro duobus Schonanis nummis. Præterea, omnia prædicta capita & articulos ſingulos promittimus bona in fide abſque doloſa argutia, loco noſtri Domini Regis & poſterorum eius, loco omnium incolarum huius Regni Danici, & omnium poſterorum, quod omne hoc in æterna tempora prædictis civitatibus, civibus, mercatoribus, miniſtris, aſſidue, firmiter & infrangibiliter ſervari debeat, abſque omnivariis effugiis, exceptionibus, rationibus iuris tam Canonici & Secularis. Præterea, debebit in hoc prænominato opere omnis diſcordia & controverſia, quæ inter noſtrum Dominum Regem & eius poſteros in Regno Daniæ ab una parte, & hinc inter prænominatas Civitates & cives, ab altera parte fuerunt, omnia debebunt conſopita & reconciliata eſſe in æterna tempora. Et propter maioris teſtimonii cauſſam, & ſecuritatem, nos Heinricus à Putbuſche Capitaneus Regni Daniæ & Eques, & Krabius, cum Dominis Archi & Epiſcopis, veluti ſuperius ſcripti ſunt, noſtrorum quilibet ſuum Sigillum ad litteras has cum ſcientia & voluntate appendit: Quæ datæ & ſcriptæ ſunt, in Stralſundio poſt Dei nativitatem, Anno tredecimo in 70. Anno, proximo die poſt Dei adſcenſionem.

Sic etiam in privilegio, quod idem Rex Woldemarus III. Dan. ſub eodem Dato Stralſundii obſignatum Civitatibus Hanſæ conceſſit, nomina civitatum nominibus Statuum & Senatorum ac Nobilium ſupradictorum Regni ſuppoſita ita habentur, veluti ſuo loco *in 5. parte hiſt.* Emporiorum plenius integra copia Privilegii interſeretur: Lubecca, Roſtochium, Stralſundium, Wiſmaria, Gtyphſwalda, Stetinum, Colberga, Neo-Stargardia, Colonia, Hamburgum, Prema (id eſt Bremæ.) In Pruſſia, Colmenia, Thorunia, Inowyncka, Dantiſcum, Konigsberga, Landsberga; In Lyflandia, Ryga, Dorptum, Revalia, Pernovia; Ad mare Auſtrale Belg. Campena, Deventria, Utrechtum, Schwolla, Halſeltum, Grüninga, Zyrichſæa, Bryela, Myddelburgum, Hardevicum, Damburgum, Stavera, Dordrechtum, Amſterdamum, &c. Hoc Privilegium conceſſum eſt civitatibus ob damnum perpeſſum in diuturno illo bello, quo temere infeſtatæ fuerunt. Quæ vero fuerint libertatis conceſſiones, id parte ſequenti explicabitur ſuo loco: Namque iam non tempus eſt, ut aliquid ulterius addatur. Quare patet ex omnibus ſupra inductis, quod ultra centum & octo, cum Bruggis, quę olim Emporium Univerſale conſtituerat, iam ab antiquis temporibus in Fœdere Hanſeatico fuerint, citra illas quatuor Urbes in diverſis Regnis, ubi Emporia conſtituerant, quorũ explicationem mox paucis ſubnectemus.

CAP. XVII.

De civitatibus aliquot Hanſæ in dicta iam tranſactione & Privilegiis comprehenſis.

LIcet autem ſatis in præcedentibus actum ſit de numeratione & loco civitatum Hanſeaticarum; Tamen ſunt nonnullæ, quarum mentio vix paucis factum eſt, ut merito pleniori deſcriptione eſſent tangendæ, veluti ſunt Stockholmia in Suecia, Wisbya in Gotlandia, Melwinga, Landsberga & Inowyncka in Boruſſia, Rugewaldium & Neoſtargardia in Pomerania; Kylonia in Holſatia; Harlinga, Amſtelrodamum, Damburgum, Armunda in Selandia; Ryſſelia, Dalburgũ, atq; Haſſeltum, utrumq; Dinantium, Traiectumque ad Moſam in Leodicenſi, Brabantia, & Flandria. Sed non patitur loci præſentia, ut cuncta pluribus deduci queant. Ideoq; ſaltem paucis, & quidem ſtrictim, non, uti Urbium talium inſignis ſplendor & laus ſumma id exigit; ſed pro delineatione ſaltem aliquot inſigniores tangemus.

Primas autem inter omnes eiuſmodi partes merito ſibi quoad claritatem nominis & magnificentiã rerum geſtarum in commerciis ſibi vendicat Amſtelrodamum, cuius gloria certe ea eſt hodie, ut exiguo calamo omnino nequeat delineari, quum ex tã exili exordio ad tantam ſummitatem faſtigii præ cæteris urbibus cunctis, quotquot iam inter civitates Hanſeaticas, & alias exteras florenter vigent, elevata ſit. Etenim ſic ad eam ex omnibus terræ partibus cõfluunt commercia, ut pœne divitias omnes mundi in ſeſe tranſtuliſſe videatur; Sic etiam Coloniasin Orientales & Occidentales orbis partes cum ingenti quaſi pompa, nec ſine victoria ſumma deducere auſa fuit. Res pœne miraculo uſque ad ſtuporem ſimilis videtur, ſi quis ſaltem cotidie ad navigantes, avehenteſque merces tot, nec non ad urbem vaſtam iacentes & quaſi munientes eam, naves contueatur, uſque adeo ultra ſexcentas naves videas ex Oriente, Occidente, & utroque Polo, confluere per omnia commercia; velut ipſe aliquando per mare Auſtrale ad eam urbem tendens vidi Comites nobiſcum ire ultra trecenta vela, quod me in admirationem conjecit ferme ultimam, ut putarem, me nihil rarius ſuſpiam vidiſſe. Sic videas ibi ſtabulari nunc Italos, Hiſpanos, Britannos, Scotos, Gallos, Sarmatas, Cimbros, Polonos, Norvagos, Livonos, Germanos, & ſi qui alii Septentrionali ſub axe latent, præterquam, quod ex America & India uſque Orientali huc congeſta & cõvecta bona cotidie adſportari videamus, in magnorum opum ulibus, & eorum cumulis. Sed unde hæc fortuna ibi tam ſplendide habitat in tam ditiſſimo Emporio? Nonne hoc maxime deberur commerciis & negotiationibus Hanſeaticis, ex Antwerpia illuc translatis? Vix credo quenquam eſſe, qui hoc negare auſit, quod iis ingenioſitas inde ſic aucta ſit. Namque, ſi ad originem eius recurratur, primi loci conditores & accolæ piſcatores & paſtores fuere, qui tuguria primum incoluerant, & ſtramine tectas caſas, quum initio piſcatorius viculus ſub ditione nobiliſſimæ gentis Amſteliæ gradatim accreviſſet, & ligneis tandem põtibus, mœnibus, turribuſque munitus, in oppidi formam redactus eſſet, nomen inde geſtans ſimul, quod Amſtela fluvius

aggere incluſus, in Tyam ſe infundat, aliquot Canalibus urbem diſtinguens. Quum vero navali operi ſat ſtrenue incumberent, portus clarior inde redditus eſt adeo, ut vicini quoque eorum ope & ſtudio frequenter uterentur, & oppidum velut publ. cum quoddam Emporium ita efficeretur. Devolutum vero ad Comitatum variis Privilegiis illud tunc Guilielmus 3. Comes Hollandiæ Anno Chriſti 1342. exornavit, unde quoque Hanſeaticis ſe adiungere non deſiit, quę conſociatio non leves ipſi adiecit divitias, veluti id ſatis luculenter apparet ex tranſactione Stralſundenſi & Privilegio Waldemari 3. Regis Dan. de Anno 1370. ubi non tantum ſimul Amſtelrodamenſes fuerunt incluſi; ſed etiam iidem præ reliquis omnem operam impenderunt ſtudio commerciorum & eius conſervationi, quod tunc Hanſæ Socii in Schonia ſibi fixum ſupra dicto modo comparaverant. Namque, ut eo magis in ordine & uſu ſtimo id ſibi conſtanter retinerent, nec facile interturbationes paterentur in poſſeſſione tali, dicti Hanſæ Socii Collegium Emporiale ibi adornarant, cui ſuos iuxta ius Stapulæ præfecerant Advocatos aut Seniores: Inprimis vero ibi captura halecum, & merces pellium, animaliumque & boum prævalebat. Inde Amſtelrodamenſes quoq; ſuæ parti & loco attributo, in hac adſignatione facta, eo attentius, ceu induſtrii homines & pro auctione urbis ſuæ commercio fervide dediti, invigilare voluerunt. Quapropter, ut eo accommodatius cum poteſtate plena ibi in Schonia locum ſuum tuerentur, hanc gratiam à Domino ſuo & Principe, Alberto Palatino Ludovici Imperat. filio natu ſecundo, Comite 23. Hollandiæ ad induſtriam & civitatis ſuæ ſtatum rectius feliciuſque in commerciorum intentione promovendum, ſingulatem facultatis liberæ diſpoſitionem in Privilegii forma obtinuerunt Anno 1391. Hoc quum Clariſſimi nominis vir præ cunctis Belgis hodie, Dn. Petrus Scriverius, mihi cum ſua interpretatione & monitis prudentibus communicarit, nec ab ullius adhuc ſit manu publicatum, in tanti viri obſervantiam, in utraque lingua huc apponere debui; quod ita ſe habet:

Inter Privilegia Amſtelredamenſium, in Urbis archivis Plenipotentia huius vernaculum Diploma de Anno 1391. ita ſonat:

Vande Voechdÿe op Schonen.

ALBRECHT by Gods genaden Palijnſ-grave opten Rijn, Hertoge in Beyeren, Grave van Henegouwen, van Holland, van Zeelandt, ende Heere van Vrieslandt, Doen cont allen luyden, dat wy gegeven hebben, ende geven met deſe Brieve, voor ons, ende voor onſe nacomelingen, Onſen lieven ende getrouwen Schepenen ende Rade onſer Stede van Amſtelredamme, dat zy tot eeuwigen dagen jaerlickx eenen Voocht ſetten mogen ende ſullen, de landē Schonen op haren Witten/ende t' landt dat zij nu daer hebben, of naemaels daer vercrijghen moghen van den Coninck van Denemarcken, alle ſaecken ende recht van onſer Stede wegen te bedrijven ende te bewaren, als zy daer te doen hebben. In oorconde deſen Brieff beſegelt met onſen Segele. Gegeven opten vien dach van Aprile, int jaer ons Heeren M. CCC. een ende 't negentich, nae den loop van onſen Hove.

Quæ ad hunc modum non incommode interpretatus eſt vir litteratiſſimus, licet ſe nonnihil palpare in tenebris putet.

NOS ALBERTVS Dei gratia Comes Palatinus Rheni, Dux Bavariæ, Comes Hannoniæ, Hollandiæ, Zelandiæque, & Dominus Friſiæ: Omnibus notum facimus, Nos dilectis ac fidelibus noſtris Scabinis ac Senatoribus urbis noſtræ Amſtelredamenſis conceſſiſſe, ac concedere hoc Diplomate, noſtro & poſterorum noſtrorum nomine, ut in perpetuum quotannis Præfectum ſive Advocatum conſtituant, quodque in terris quas in Scania ad eorum ſponſionem, op haren Witten/ & in terris quas nunc poſſident, aut poſtmodum à Rege Daniæ accepturi ſunt, res omnes iuſque urbis noſtræ bono publico adminiſtrent & conſervent, cum eo negotiorum cauſſa devenitum fuerit, aut morabuntur. In cuius rei veritatem ac teſtimonium. Litteras haſce Sigillo noſtro ſignavimus. Datum VI. Aprilis, anno Domini Milleſimo trecenteſimo primo & nonageſimo, ſtilo Curiæ noſtræ.

Quam vis hæc, in vocabulo Witten quæ latent, uti vir acutiſſimi ingenii non inique cenſet, aut corrupta nonnihil, aut ſane perquam obſcura primitus videri queant, ut vix per nebulam quaſi cognoſcatur, quid ſibi velint: tamen hiſtoriæ cognitio non parum luminis addit, ut ſupra id declaravimus: Tum quoque ipſa locutio id demonſtrat, quod a manuenſis ſit error, quando ſcripſit in haren Witten / pro Wetten. Etenim Wetten eſt verbum veterum Saxonum, uti vulgatum id latis habetur in *iure Municip. Magdeb. ſive Vetchbildico* paſſim, *& Landr. lib. 3. art. 64.* ubi proprie explicatur, quid Wette ſit in emenda iudici ſolvenda. *vide gloſſ. Vetch. art. 129. & Ioach. Greg. in comp. iur. Sax. lib. 2. tit. 6.* Vnde Wettung nihil aliud eſt, quam ſponſio ſolemnis, quæ ut plurimum fit inter mercatores, ut teſtatur *Schneidew. in §. ſub conditione Inſt. de verb. obl. in fin.* ubi ait; in magnis civitatibus ſæpe ſic concertant, & alter alteri per ſolemnem ſtipulationem aliquid promittunt, ſi hoc vel illud factum fuerit, &c. velut etiam heic conſuli poteſt *God. in l. 7. de verb. ſign.* Atque quum talis modus frequentiſſimus ſit, ſingularia quibuſdam in locis ſtatuta de his habentur: ſicuti *Franc. ad Mæn. Statutum eſt expreſſum in text.* Quod ad hunc contractum Sponſionis, der Wettunge/ſpectat, &c. quando duo Sponſionem faciunt, id eſt Wetten &c. debet omnino ſervari &c. de qua re poteſt etiam *Stracha in tract. de mercatura in verb. Sponſion.* cognoſci. Unde ita ex uſu mercatorum quoque ad iudicium die Wette eſt translatum & quaſi foricularium factum ceu Epigraphe M. Aurelii habet Romæ inventa, quod in præfatione ad Lectorem huius Tractatus annotavimus. Sic etiam ſuperius *part. 3.* indicavimus, quid Witte Vandalicum Vocabulum ſibi velit, quod huc non quadrat niſi abuſive. Quod vero ad vocem Wetten in hoc Privilegio Amſtelrodamenſium attinet, id ita hiſtoria ipſa ſatis teſtatur, quod aliter accipi non poſſit, quam de Sponſione ea, quam civitates tunc in occupatione Schaniæ (quæ veteribus Scandenavia

denavia eſt Regni Daniæ pars, Sueciæ Norvagiæq; contermina, ut recte ex Plinio ac eius rhapſoda Solino notavit Dn. Scriverius) ex facta tranſactione in communi commercio civitates Hanſæ conſtituerãt, ut firmam ita conſervarent Emporii ibi poſſeſſionẽ. Unde quæque ſponſionem hanc in ſeſe ſuſceperat, ut cum plenipotentia ſui ſuperioris poſſet ius ſuum in poſſeſſione firma conſervare. Inde Amſterodamenſes quoque ſufficienter ſic comparere & ius ſuũ acquirere idemque firmiter conſervare voluerunt, ut cum auctoritate & conceſſione Principis ſui id obtinerent, nec reliquis ſociis inæquales videri poſſent. Accrevit itaque hoc oppidum potentia & privilegiis iuribuſque, mediante fœdere Hanſeatico, & ardenti commerciorum ſtudio: donec oppidum ſub Maria demum Burgundica Maximiliani I. Imperatoris Uxore, muro claudi inceptum eſſet Anno 1482. & poſtea, quum tempeſtas perſecutionis & belli expelleret Brabantos Flandroſque, ac Antwerpiæ Emporium Hanſeaticum commerciis ſuis ita denudaretur, ſibi hunc locum mercatores commodum inveniſſent, An. 1585. latius urbis pomœrium extendi cœpit, ut ipſa vallo undique & latiſſima foſſa cingeretur; Paucos tamen ante annos amplitudo talis ultra dimidium excrevit, propter ingentem populorum confluxum & mercaturæ immenſam potentiam, quæ ita ibi floret, uti nuſquam amplius per Europam invenitur totam. Superſtructa autem univerſa urbs prælongis quibuſdam & craſſis, quod ſatis eſt, palis, feſtuca & aliis machinis, alte in aquoſum illum fundum pactis, quum paludoſum minimeque firmum obtineat ſolum: quæ cauſſa eſt, quur ædificiorum fundamenta incredibili impendio iaciantur, quorum impenſæ ſubinde reliquam ſtructuram ſi non excedere, tamen æquare putantur. Conficiuntur heic plurima omnis generis navigia adeo, ut etiam Reges talium opificio & ſtructura maxime delectentur; ceu quoque nuper Rex Galliæ tres ibi regias naves condi ſibi curavit, quæ ſumptu plane ſummo in immenſum excreſcebant ſplendorem, uti eas ipſe notavi oculis. Sed quod maxime quis miretur, ſimulac ut aliqua ex ampliſſima & numeroſa navium claſſe vario mercium genere appulit, ea incolarum eſt opulentia, ut quicquid illæ advexerint mercium, ipſi ſtatim inter ſeſe coëmant; ſic, ut naves intra quintum ſæpius vel ſextum diem exonerentur, & ad ſuos illico reverti queant. In primis tam Collegia mercatorum duo Americanum, & Indiarum Orientalium maxime celebrantur, quæ totum permeare non verentur undiquaque & circummetiri orbem, & inde merces in Europam paſſim diſtribuere. Sed quis brevibus omnia comprehendat, quæ tantis coridie elevantur divitiis & potentia?

Si quis divitias congeſti cernere mundi,
Et miranda novis adiecta habitacula regnis
Expetat, Amſtella cognoſcat ſedulus Urbem.

Ac veluti omnes unitarum Provinciarum Amſterdamo ſua inde officia coridie deſtinant urbes; & maxime, quæ commoditate tali ſitus fruuntur; ſic etiam *Harlinga*, inter eas, non ultima eſt, præſertim quum in opportuno commodoque ſatis loco, ubi Friſia angulum ſuum ad mare occiduum extendit ad Flevi oſtium, ſita ſit: Et diſtat ſaltem Leucauna à Franekera, quæ nunc Academiam Friſiorum alit. Habet autem Harlinga arcem prævalidam, & in ea præſidiarium militem, quum ex eo oſtio omnis navigatio verſus Septentrionem & Orientem inſtituatur cotidie, ut auxilium quoque adſit, ſi forte piratæ irrumpant, aut navigantes incommodent; veluti naves bellicæ ibi ſemper ſunt ad manus, quæ firmiorem reddunt communis maris Auſtralis portum.

Traiectum ad Moſam, ſive Traiectũ ſuperius, vulgo Maſtrichum ad differentiam Traiecti Belgici ſic dictum, eſt urbs inſignis ad flumen Moſæ: ibi ad quatuor milliaria Leodici Epiſcopatus terminum attingit, adeo ut etiam cum Dominum alterum ex Pori Lovanienſium Comitis donatione agnoſcat. Etenim duos habet Dominos, ut pars cõcernat Ducem Brabantiæ ſive Hiſpaniæ Regem, & pars Leodicenſem Epiſcopum; Et quamvis Dux Brabantiæ ſuperiores ſibi vendicet partes; tamen mitæ & variæ concertationes fiunt de iuriſdictione, præſertim quum talis ibi ſit confuſio finium, ut pœne nulla vera habeatur differentia, quod nuſpiam alibi auditur: Nihilominus duplex tribunal cives eius agnoſcunt; quo vero & ſubditos ſuos Princeps, & ſubditi vice verſa Principem ſuum dignoſcant? Unde à priſcis temporibus mirabilis illa invaluit conſuetudo, ut in filiis genus maternum præferatur ex hoc pacto; ut ſi alteruter ius, ſive Regiæ ſive Epiſcopalis iuriſdictionis mulierem, duxeris tibi uxorem, filii eo coniugio nati, illius futuri ſint ſubditi, cui ſubiecta eſt mater. Exteri autem, ſi qui ſuas heic figant ſedes, primo ſtatim ingreſſus die profiteri tenentur, utri Principum velint eſſe ſubiecti, & ſub eo poſtea vivunt, & eius ſequuntur mores atque auſpicia. Eſt autem urbs ſolo ampla, antiqua, & probe adverſus hoſtiles adſultus munita, commerciis vicinorum incumbens admodum, pulchris ſimul & crebris ædificiis denſa, quam medio fere interluit flumen, unde ponte magnifico & pulcherrimi operis lapide ſtrato connectitur.

Memorabile hoc eſt, quod ibi accidit An. 1474. quod, quum civitates Hanſeaticæ bello triennali ſe ſatis cum Anglis defatigaſſent, Carolus Burgundus, qui Eduardi Regis Magnæ Britanniæ ſororem uxorem duxerat, Anglos cum civitatibus Hanſæ ibi reconciliaverit: Sic & bellum diuturnum compoſuit quidem, ſed mox redintegratum fuit. Tranſactio talis adhuc in archivis extat.

Inde ſi iter verſus Antwerpiam quis per medium Brabantiæ ad fluvium Demeram, qui quaſi interſecator eſt, habeat, ad dictum flumen 4. milliaribus diſtat quidem alterum *Haſſeltum*, à Leodio vero 6. Urbs certe minime contemnenda, ædificiis & civibus admodum frequens; reſpicit tamen Domibum Epiſcopum Leodicenſem ex Comitatu Loſſuſſenſi, & ſi inde ad Maſtrichum tendatur, intermedium locum oppidum Bilſenium habet, per quod itur: cui etiam adiacet Cutingia, ubi amœniſſimum palatiũ viſitur ab Epiſcopo & Cardinali Mariano extructũ. Eſt etiam ad Moſæ ripam Beringia oppidum.

Alterum vero Haſſeltum, ſive Haſſeletum ad Vidrũ fluv. Trans-Iſelaniæ oppidum eſt lautum & dives, & navigationi accommodatiſſimum, ut volunt, atque quum hinc ita libertatis iure in commerciis pleniore uteretur, Hanſæ ſe addixit olim.

In eadem ditione Leodicenſi *Dinantũ* quoq; anti-

quitus

quitus à Diana dicta urbs ſita eſt, dextræque Moſæ fluminis ripæ adſidet, ac Boviniaco, quod ad alteram ripam eſt, leucæ tantum quadrante, at Leodio pluſquam 12. leucis abiungitur. Fuit olim urbs magni nominis, ac mercimoniis variis floruit; ſed tam bella, quam alii rerum humanarum caſus ſæpius eâ deſtruxerunt, ut videre eſt apud *Freiſ. lib. 1. hiſt. pag. 31. & 34. Comine. comm. hiſt. Gall. lib. 2. p. 399.* Quum perpetuis incurſionibus uſque ad Annum 1466. vexaſſent Bovillos, Carolus Burgundus dirui eam iuſſit, quod obſtinati cives in obſidione 8. menſium vix tormentis & alia vi maiori cogi potuiſſent, ſed ſe in loca ſubterranea abdidiſſent. Gallus poſtea eam & arcem monti impoſitam demolitus eſt. Sed tamen paulatim reſurrexit; quia ager in eius finibus admodum probus, & compluribus nigri marmoris, ferri, æris, ac aliorum etiam lapidum operariorum venis longe uberrimus: unde & divites multi cives, quiq; paſſim in ipſa uſque Britannia negotientur.

Quamvis inſcriptio tranſactionis Stralſundenſis ſuperius citata, heic quoque nominet civitatem aliâ Hanſæ *Syſſeliam in Belgio*, tamen recte mecum viri Clariſſimi (*velut inter omnes eſt & viget mulcatum illud lumen litterarum Dn. Petrus Scriverius*) in hoc faciunt, quod iterum ſphalma amanuenſis quis commiſerit, & S. pro R. ſit poſitum, ut merito *Ryſſelia* ſit legendũ. Cuius rei ratio etiam non eſt à veritate aliena. Etenim ſupra eſt dictum, quod plurimæ civitates in diſtractione commerciorum inſerviant principalibus ſuis maritimis, & fluminibus publicis adiacentibus, ut per diverſas ſolidæ terræ partes eo rectius merces poſſint diſtribui. Talis quoque *Ryſſelia* ſive *Ryſſela* eſt, præſertim quum eiuſmodi domeſticas habeat & cõparet ſibi ex textura merces, quas poſſit ſuppeditando reponere maritimis & in alias terras navigantibus urbibus Hanſæ. Sed iuvat heic meũ audire Scriverium, qui iudicium ſuum mihi ſciſcitanti iſthęc regeſſit in ſcriptis verba: Scribendum certe (ne dubita) *Ryſſelia* ſive *Ryſſela* civitas Flandriæ Galli gentis, hodieque negotiatione florens: Diſtat Ypra & Tornaco quinque, Gandavo & Brugis tredecim milliaribus. In nomen Latinum Inſulæ perperam obſcureque tranſiit. In veteribus diplomatibus Iſla, Gallis Lille, Flandris *Ryſſel*. Muris eam foſſiſque cinxit, & arce, aulaque exornavit Balduinus Flandriç Comes, cognomento Manſuetus, circa Annũ M.LXVI. Unde & ipſe (niſi fallor) dicitur Balduinus Lilanus, ut ita Lila Balduino V. inter præſtantiſſimos Flandriæ Principes, illuſtre agnomentum induerit. Patria eſt, & natalis ſedes inſignis Viri Dominici Baudii, nobis (dum fata Deuſque ſinebant) amiciſſimi. Ornatur præterea Galthero Epiſcopo Magelonenſi, qui ſcripſit ſuper Pſalterio Davidis & Epiſtolar. lib. 1. Alano, & Galtero Caſtillono, Theologis; Franciſco Hemo, aliiſque viris clariſſimis. Matthiç Lobelio in Hiſtoria Stirpium Augerius adnumeratur de Busbeq; Iſlanus ſive Ryſſelanus, Cæſareæ Maieſt. Conſtantinopoli Legatus, &c. Alii tamen Cominis in Flandria volunt, quod in medium relinquo. Eſt urbs tam magnitudine, quam copioſis mercimoniis, nobiliũ domiciliis, populique multitudine opulenta atque celebris: ex Liza per Deulam fluvium, muros arcéque urbis præterlegentem, Lizæque ad Deulemondam incurrentem, magnas opportunitates aſſecuta eſt, tantamque Emporii famam, ut nulli Belgicarum urbium, præterquam Antwerpiæ & Amſterdamo poſthabenda exiſtimetur. Cameram computationum à Philippo Audace Anno 1385. eſt adepta, & ab huius nepote Philippo Bono Burgundo, Ordinis Aurei Velleris, Brugæ inſtituti primum Capitulum feſtumque in D. Petri Fano triduanum, quod regifice inchoatum eſt An. 1431. die D. Andreæ ſacra. Cętera parco ſcribere, petenda ex Hiſtoricis Flandriç. De Caſſellania Lilana Gallice luculenter ſcripſit *Florentius vander Haer*, in D. Petri ibidẽ Theſaurarius, quo libro me donavit auctor tempore Induciarum. Hactenus vir inſignis Scriverius: Alias tamen cognati nominis eſt *Ghiſtella*, duobus leucæ trientibus Altenburgo, Brugis vero duabus leucis abiungitur. Oppidulum minime contemnendum, ubi plurimæ fiunt ſayæ, panni ſimiles merces. Eſt autem hæc magni momenti, & vere illuſtris Dynaſtia, cenſeturque domus *Ghiſtellia* una cum *Halovinia* inter antiquiſſimas Flandriæ.

Sic etiam ab altera parte Bruggæ, verſus Septentrionem, qua Middelburgũ tenditur, duobus leucæ trientibus diſtat pagus *Syſſeele* quidem; ſed de eo non poteſt præſumi, quod unquam ab Hanſis potuerit recipi, quum Libertatem pleniorem civitatum illæ expetierint ſemper; uti ex ſuperius introducto Exemplo Amſtelrodamenſium id patet, quod pleniporentiam Comitis ſui in facultate liberę negotiationis Scaniæ producere prius debuerint, quam ad plenam poſſeſſionem eius admitti potuerint, aut ſatis idonei & capaces habiti ſint, veluti etiam in conſeſſu pleno ſæpius de hoc diſputarier & ventilarier hoc audivi, quouſque civitates recipi ad fœdus Hãſæ poſſent, aut ulterius tolerari, ſi non plena fruerẽtur libertate, quod ſupra quoque in caſu Lunæburgenſium factum eſſe indicavimus.

Mentio quoque fit in ſupradicta tranſactione Ornamundæ, vel potius Arnamundæ, uti recte aliquot viri docti in hoc mecum conveniunt, ceu inter alios quoque eſt optimus vir D. Guilielmus Braſſerus, Ducis Holſatiæ modo Conſiliarius & Reſidens apud Illuſtres Ord. Conf. Belgii, qui ita id in litteris ad me atteſtatur, dicens: De Etymo Ornamundæ recte hoc mihi in mentem venit, quod ſit, quæ hodie Armuyda vocatur, Oppidũ Seelandiæ in Walchria quondam florentiſſimum, & etiamnum meo tempore abhinc annis 25. frequentiſſimum. Proxime diſtat à Middelburgo; ſicut & tum ab Hanſeaticis tuis olim, etiam ante 20. annos ab Hollandorum navibus ex Hiſpania navigantibus, aliiſque vicinis regnis ſæpius viſitatum fuit; inprimis Hollandorum ita frequens fuit portus, ut in proverbiũ abierit hoc: Armuyden is het Hollandtſche Kerckhoff. Quippe ita fida erat ſtatio navibus maioribus cum oppido ſatis commodo & minime contemnendo. Nunc vero ſalebroſis arenis è mari obiectis ita portꝰ eſt obſtructus, ut acceſſus navium, qua antea patebat introitus facilis, iam nobis ſæpe videntibus, plane nullus ſit: unde inquilinorum ædes ex parte vacuæ & ruinã minitari videntur: quod, quum ſæpius viderim ex animo dolere nõ deſtiti, ob tantã retũ viciſſitudinem in tam breviſſimo temporis ſpacio, &c. Sic ét conſentit in hoc nobiſcũ quem antehac dixi lumen litteratorũ Belg. *D. Petrus Scriverius*; cuiꝰ verba heic iteratũ lubet referre, ꝙ ita ſe habẽt in epiſtola ad me data: Illud de mercatoribus Liguæ Teutonicæ (id eſt fœderis

deris Hanſæ, ut in privilegio Danico appellatur) certiſſimum eſt: & quo magis cogito, eo commentum iſtud meum magis mihi ſe probat. De Ornemunda, recte coniecit quiſquis eſt, cui Arnemuyda in mentem venit; ſi aliis Rotemunda in actis Hanſeaticis ſit nominata.

Eſt autem Arnemuda Walgriæ Selandicæ perexiguum & murorum hodie expers opidum: ſed o portum habuit tota Europa celebratiſſimum. Lud. Guicciardinus (qui ſcripſit circa An. CIↃ.IↃ.LX.) teſtatur nonnunquam in hoc portu conſpici quadringentas quingentaſve ordinarias naves: nec ceſſari unquam à novis ſubinde omne genus navigiis conſtruendis. Idem portum celebratiſſimum dicit, ob navium undique appellentium, & in varias rurſus terrarum plagas diſcedentium prope innumeram multitudinem, ita, ut ſæpenumero exeuntes hinc videas, & ſingulis hiſce Provinciis & Regnis, Hiſpania, Luſitania, Gallia, Angliaque redeuntes tricenarum, quadragenarum, imo & centenarum nonnunquam, ac ducentenarum navium claſſes. Itali & Hiſpani (eodem auctore) Ramya, Belgæ Armyda nũcupant. Sita eſt Arnemuda mirabili prorſus & excellenti opportunitate ad ipſum Oceani littus. Municipium olim fuit Mittelburg. ſubiectum. Celebre factum ob navium ſtationem, ac portum tutiſſimũ, qui nunc pulvinis atque arenis maris obductus, vix vectorias minoreſque naves admittit. Nobiliſſimus *Pater Douſa* (heu quondam noſter) Arnum amnem Arnemundæ oppido nomen præbuiſſe annotat ad oram annalium ſuorum *Holland. lib. 6. pag.* 199. ubi in contextu agit de Warmunda Municipio Lugduno Batavæ vicino. Qua quidem voce (inquit) nihil aliud quam Varni oſtium ſignificari, ſatis acceptum eſt mihi: à fluvio videlicet non ignobili, qui Roſtochium celebrem Megapolitani Ducatus hodie alluit Academiam. Ita à Vandalis quondam, novæ per hæc loca Coloniæ deductoribus antiquitus denominatum, primariæ apud nos hodie celebritatis municipium. Eadem ratione ſcilicet, qua Arnemudæ quoque (portuoſo inquam Walchriæ noſtræ municipio) ab Arni fluminis oſtio nomen inditum. Arnemuda haut ita diu oppidum fuit, cœpitque primum Anno 1572. in poteſtatem Principis Auranienſis cedi, qui Arnemundam ab Hiſpanorum imperio liberavit, & ſui in poſterum iuris eſſe voluit; variis inſuper privilegiis & immunitatibus eam exornans, tum vallis undique, propugnaculis, foſſis & portis communiens. De quo vide Belgiographiam Guicciard. ubi ibidem pagina præcedente habes diſtantias à celebribus Emporiis Europæ & Hanſæ, & extra eam, &c.

Sic etiam de *Delburgo* aut *Damburgo* quod habetur in actis Hanſeis, putant aliqui amicorum, eſſe de *Talburga* oppido maritimo, in Galliis prope Britones ſito, accipiendum: Alter, meum magnum quem dixi amicum, coniecturam proximam putat, quod fortean ſit *d' Elburgum* legendum, quum vulgariter dicatur *Ter Elburg*. Verum quum alias ſæpius Elburgum per ſe nominetur expreſſe in actis, & quoque Middelburgum, de iis non poteſt eſſe ſuſpicio. Proinde conſentiunt mecum in hoc & inclinant in *Damburgum* ſive *Domburgum* Selandiæ, Reipubl. Middelburgenſis ſive VValchriæ municipium, præſertim quum etiam indigenæ de veteri Emporio multa iactent; velut & turres præ ſe ferre urbis reliquias & veſtigia adhuc videntur. Aſt illud Talburgum (ait Scivertius meus) mihi non ſatisfacit, quod exiſtimẽ Liguæ Teutonicæ non fuiſſe conſonum. Etenim ullane alia urbs amabo inter cõfœderatas Hanſæ Gallicarum, ne dicam à re amotarum ſit? In quo mecum plane conſentit, quum nec mihi veriſimile videatur, nec in actis Hanſeatis Gallicam uſquam invenerim talem, quum etiam ſcopus & finis univerſalis fœderis Hanſæi, qui in Imperii Romano-Germanici emolumentũ maxime directus eſt, id non permittat.

Verum, omiſſis reliquis, verſus mare Orientale revertimur. *Kilonia* ſive *Chilonium* in Holſatia ad ſinum Baltici maris urbs inſignis Ducum Holſatiæ ſita eſt, quam Anno 1271. Gerhardus I. Holſatiæ & Schawenburgii Comes privilegiis claris ornavit. Anno vero 1315. Gerhardus II. ius municipale Lubeccenſi ſimile eidem conceſſit, quod cum privilegiis cunctis Nicolaus Anno 1390. ac conſequenter Succeſſores omnes idem confirmarunt; ſed de ea ſupra part. 3. in Lubeccæ Hiſtoria quoque egimus. Arx ibi inſigniter conſpicua Principum habetur.

VVisbya in Gotlandia, ſive *Visbium*, olim quoq; magni nominis urbs fuit, nec ultima inter civitates Hanſeaticas, adeo, ut ibi etiam leges nauticæ conſenſu mercatorum & civitatum Hanſearicarum cõditæ dicantur. De eius origine, & quam dites expoſuerit merces, ſupra aliquid part. 3. quum de VVineta ageremus, protulimus. Anno 1398. miles Domus Teutonicæ ex Boruſſia impreſſionem fecit & occupavit urbem diruitque eam varie. Anno vero 1408. reſtituta eſt Danis cum Gothia pro 9. millibus aureorum nobiliorum, unde manſit ſub eorum poteſtate; ſed exigua ibi habentur commercia.

Pauca hoc tandem de Stockholmia Sueciæ regali urbe quoque ſubnectemus, ne illa hac vice omiſſa videatur, quum Hanſeaticis urbibus, præſertim ad mare Balticum ſitis, ſingulare præbeat Emporium, unde quoque in parte 5. pluribus de ea agemus. Sita autem eſt ad ſinum Codanum ita ut ex eo Mellerus quaſi fluvius ad 3. milliaria prius ſeſe extendat, quam urbem in mediis paludibus quaſi depoſitam attingat. Quum totius regni Emporium referat, Germani, Angli, Galli, Scoti & Belgæ non ſine magno lucro ibi negotiati ſunt; inprimis Lubeccenſes & Stralſundenſes præ Hanſeaticis aliis ſingulari gaudent privilegio: deferuntque eo pannos, vina, lintea, ſericum, lupulum, libros, coria præparata, ſupellectilem auream argenteamq;, &c. ac inde, præter pecuniam, referunt, ferrum, æs, chalybem, cuprum, pelles, piſces, butyrum, caſeos ingentis formæ, inſtar lapidis quadrati compactos, ſebum, ligna, equos, cruda coria, & alias plures merces, quas natura ipſi conceſſit. Sed rex modernus ipſe ſe mercaturæ iam inſeruit, &, ceu ex ipſius Conſiliario audivimus, hoc perficiet, ut ipſe terræ ſuæ fructus diſponere queat, & commerciorum quoque agere ibi habenas, quum nimium ſimplices huc uſque fuerint eius incolæ, in quem finem quoque copiam comparavit naviũ: & ex aliis locis præſertim ex Belgio, colonos acquirere ſtudet, quos præ cæteris ad tẽpus ornat libertatis & aliis privilegiis; unde nec Hãſæ civitates confirmationẽ privilegiorũ ſuorũ & gravaminũ abrogationẽ obtinere potuerunt, ut ſupra indicatũ eſt. Sed q̃ad Emporii huius ius faciunt, inferius pluribus

tibus explicabitur, quum iam ad Emporia Universalia pro conclusione huius loci sit nobis prodeundum.

CAP. XVIII.

De quatuor Emporiis Universalibus Hanſæ, quæ & Centheria dicuntur, eorumque conditionibus.

DEſtinaveram quidem fini & ſubiecto eiuſq; dependētiis in Fœdere Hanſæ partem quintam, ſedis loco in ſequentibus, ubi de Mercatura, Monopoliis, chambio, mercibus, Emporiis, eorum iure, ordine, titu, conſervatione, privilegiis, &c. agetur: ſed, ne concluſioni etiā huic quid deeſſe videretur, pauca quædam de Emporiis Univerſalibus iam ſubiiciemus, reliqua, de tranſactionibus & re hiſtorica, pleniori deductioni tum reſervantes. Uti mercatorum autē ſemper arguta fuerunt inventa in iis, quæ variis in terræ partibus ad populorum gentiumque ſuſtentationem & regnorum conſervationem neceſſariam facerent; ita maxime Hanſeaticorum inprimis laudatiſſimus fuit conatus. Atque cum cernerent, quod facile miræ & variæ poſſent interruptiones & interturbationes fieri, proinde hoc à principio intenderunt ſtatim, ut firmam intentionem ſine damnis expenſarum facerēt. Alias enim nulla ratione diu ſubſiſtere potuiſſet. Ideoque Hanſam ita auctoritate Regum & Potentiorum terræ Dominorum confirmari curarant, ut ab utraque parte in his ſibi ſolidum procurarent fundamentum, & omne commodum utrinque redundaret in utilitatem publicam ſalutemque omnium, uti ipſa norma Confœderationis ubertim ſatis id declarat.

Ex antiquis igitur temporibus hucuſque, navigationes ſuas & negotiationes commerciis Orientalibus (ut vocant) exercuerunt Hanſæ illius Socii, velut eorum ope ad Belgas, Anglos, Norvagios, Gallos, Hiſpanos, Africanos, Italoſque delatæ ſunt merces neceſſariæ, videlicet, frumentum varii generis, triticum, hordeum, ſiligo, lana, cera, corium, canabis, linum, pix ſolida & liquida, chalybs, ferrum, lignum, aſſeres, trabes querneæ, & abiegnæ, mali, vitriolum, piſces aridi, ſalſamenta, auripigmentum, ſal nitri, & quicquid præterea terræ Septentrionales ad uſum humanæ vitæ benigne ſuppeditare poſſent. Utque commodior eſſet mercium talium & ſimilium diſtributio, impetrarunt tum non infeliciter ius inſtitorium, extructis illic ad commercia agitanda ingentibus aulis, & ſub diſciplina certa conſtitutis collegiis, obtentiſque variis privilegiis. Et quū grata ita eſſent diverſis regionibus eiuſmodi ſervitia, principales ſibi tales elegerunt locos, in quibus ipſorum merces poſſent exponi, & regionum iterum haud difficulter recipi. In cuius rei teſtimonium adhuc in aliquo vigore conſervant illa Emporia Univerſalia & primaria, quæ olim 4. fuerunt: videlicet Bergæ in Norvegia, Novigardium in Ruſſia, Londinum in Britānia, & Bruggæ in Belgica; quarum tamen duo Novigradium & Bruggæ maximam paſſa ſunt iniuria temporum & tempeſtatum ingruentiū mutationem, quum illud ad Revaliam & Nerviam, hoc vero Antverpiam, non ſine gravi locorum eorum iactura & extremo detrimento, translata ſint.

Hiſce autem in urbibus liberum permiſſumque erat omnibus in Hanſeaticis urbibus natis, morari, mercaturam exercere & privilegiis frui Teutonicæ Societatis, iuxta leges in eam rem à reliquis urbibus ipſarumque legatis de publica ſententia conſtitutas. Habent autem leges illæ capita ad honeſtam iuventutis educationem pertinentia. Iuvenes enim in illis collegiis domo procul educabantur, qui ſimulatque ad coniugium animum appuliſſent, cogebantur in patriam aut alio diſcedere, ac per proxenetam, iuvenem vel famulum res ſuas adminiſtrare. Collegio præerat in ſingulis urbibus Præfectus Senior, quem alii conſulem, ipſi Aldermannum vocabant. Is cum aſſeſſoribus cōſtituebat Senatum Mercatorum, habebatque adiunctum ſibi Secretarium, Quæſtorem, Archimagiſtrum, alioſque neceſſariorum munerum Adminiſtratores, qui cum Lubeccenſi Senatu communicabat res pleraſque, ac controverſias diiudicabat, nec dabatur ab ipſorum ſententia, niſi ad alias civitates Hanſeaticas appellatio; veluti de his ſupra in decretis Hanſæ actum eſt.

Primum autem Bergarum in Norvegia Emporium uti in Hanſeaticis apud Normannos conſtitutum ante aliquot ſecula fuerit, & ubi ſita ſit hæc urbs, id in parte anteriori ſatis explicatum eſt; veluti etiam cauſſas continet ea ſeries, ob quas magis expreſſa antiqui fœderis veſtigia, quam alibi, remanſerint. Crebra illa mutatio impetuoſa & inconſtans, qua tria illa regna Septentrionalia, Norvegia, Suecia & Dania inter ſe tam variis vicibus coierunt, & ſemet-ipſa nunc diſſiparunt, nunc obtuerunt, mox alternis ſubiugationibus mire torſerunt, fecit ſane, quod civitates Hanſæ quoque ſæpius variam ſubire & ſentire coactæ ſint concuſſionem: Ac niſi neceſſitas remedium interpoſuiſſet hoc, quod mercibus huius fœderis non poſſent carere, certe plane diſiecta fuiſſet ibi Hanſa. Sed Deus ita naturam conglutinavit mutuis officiis, ut nemo ſibi ſolus abſque alterius ope vivere poſſit. Nihilominus artificia varia potentiores illius loci tentarunt, ut propriis poſſent ſubſiſtere viribus: ſed neque hoc ſatis aſſequi & pro voluntate adimplere potuerunt: Tractu tamen temporis Danicæ nobilitatis ſordibus (inquit Thuanus *lib. 51. hiſt. Gall.*) factum eſt, ut multum illi nobilitati decederet. Ipſi enim ſub Friderico II. quæſtu allecti, inſtitoriam faciebant, translatis ad ſe mercatorum compendiis. Quum autem ea de re, apud Daniæ Regem Fridericum Lubeccenſes Sociique Hāſæ Teutonici per legatos queſti eſſent, promiſit ille quidem ſe immunitates ſemel iplis concellas regia fide ſervaturum: ſed quod promiſerat non præſtitit. Paſſus enim eſt Danicam nobilitatem navigationibus mercatorum commoda invertere. & collegia opificum, quæ Socii Belgæ ſuis domiciliis iuncta cōmuni ſecum libertate frui patiebantur, omnino abolevit. Sic etiam modernus Rex 22. legationibus eo perduci non potuit, ut plenum dediſſet reſponſum; ſed variis gravaminibus res diſtracta ſemper fuit, eū ea excuſatione, quod eſſet ex Regni proceribus miſſurus, qui Originalia in loco Directorii perluſtrarent, quum ipſi omnia non eſſent plene cognita, & res tali informatione indigeret. Nihilominus conſuetu-

ſuetudinem in obſervantia retinuerunt Socii & mercatores Hanſæ in Conthorio quouſque poſſent. Interim rigor olitas diſciplinæ quoque remiſſionem accepit, ut olim quaſi ex vaticinio locut⁹ id ſit Kirchnerus *in Republ. diſp. 14. in hypoth. 1. ubi ſic ait:* Bergenſium in Norvegia mercatorum conſuetudo, quæ tyrones ſuos Collegio ibidem imitando multo immanius, quam olim Lacones ad aram Dianæ, & puberes & impuberes, ad animæ uſque exhalationem cædebant, ludo, uti appellant, Neptunio (Waſſerſpiel) accipiunt:, & ſingulis annis ad octennium uſque (quod tamen poſtea ad triennium reductum eſt) miſerrime flagellant, ac tantum non excoriant & enecant, (*Coler. in calend. perpet. menſ. Maio*) ne quidem in Barbarorum moribus ferenda: Civili vero jure omnes eiuſmodi ludi prohibiti, ex quibus injuriæ & crimina oriuntur. §. 9. *ff. de iur. docend. ratio.* Nec ſufficit cauſa, quum horum frequentiam tam immani inauguratione detertitam voluerint, ne monopolii utilitas decreſceret. *Coler. d. l.* quæ tamen inter collegiorum pacta nullatenus ſunt ferenda. Similia certe in manumiſſionibus veteribus raphiſmata & alapæ emancipatoriæ, quæ manumittendis infligebantur, quas Iuſtinianæa humanitas ſuſtulit. *l. 6. C. de emancip. Novell. 81. in princ.* Erant in Berytienſi Academia Ludi tales quoque Scholaſtici, quibus novitii tam docentes, quam diſcentes excipiebantur. *d. l. §. de iur. doc. rat.* Sed mala conſuetudo abroganda, ait Rittershuſius olim meus amicus ſummus, qui acriter impugnat hunc morem inſeitum in Orat. patent. Eliæ Putſchii, itidem quondam amici mei. Henrici Molleri carmen de hoc Emporio tale eſt, Inſigna eius tangens:

Norvegia ceu Berga caput, bicoloribus armis
Gaudet, ſic laudis fert monumenta ſuæ.
Dimidiam, forma penitus nigricante, volucrem
Dicitur aetherea qua dare tela Iovi.
Hoc dextrum clypei latus eſt, ac fulget ut aurũ,
Altera pars veluti purpura Coarubet.
Atque loco capitis Salpam diadema gerentem
Portat, hyperborei dona beata maris.

Secundum Emporium Novogardiæ eſt in Ruſſia, quæ urbs quondam potentiſſima & ampliſſima fuit Ruſſorum, ad gradum latitudinis 58. longitudinis 62. ſita, 40. milliaribus à Nerva Livoniæ portu verſus ortum, 36. à Pleſcovia, 120. à Moſqua, hoc tẽpore Ruſſiæ & Moſcoviæ Metropoli, ultra 400. ferme ab Hanſæ Teutonicæ mercatoribus; imo & ante ea tempora frequentata fuit, & merces Ruſſicæ, pelles, cera & alius generis multa inde petita ſunt, & ex Lubecca paſſim ſparſa. Bello etiam inter Livonos & Ruſſos funeſtiſſimo vigente, Lubeccenſes propſio periculo in Ruſſiam progredi, & negociationem ſuam ibi exercere poterant, & nihilominus in Livonia ſub Magiſtri Ordinis protectione tuti manebãt, vigore privilegii à Godfrido Magiſtro ipſis Anno 1299. conceſſi. Circa Annum enim 1477. ob ſævitiam & perfidiam Iohannis Moſchi Revaliam inde translatũ eſt emporium, quum habitationes Hanſis Neogardiæ deſtruerentur. Sed neque illic perpetuũ fuit, ſed annis ſaltem circiter 50. pro temporis ratione exerceri ſolita ſunt commercia, dum Ruſſis cum Germanis libera fuit commutatio. At quum Revalienſes ſaltem ad ſuos adſtringerent omnia cives, nimium avari, perdidere hanc confluentiam Hanſeaticorum. Nervam enim inde delegerunt negotiorũ ſuorum ſedem ſibi, concurrentibus eodem Anglis, Belgis, & Gallis. Ægre hoc quidem tulit Livonici ordinis magiſter, deque iniuria tanquam ſibi facta graviter conqueſtus eſt apud Ferdinandum I. Imperat. nec tamen revocari in locum eum potuerunt: Sed potius hoc egerũt Hanſæ, ut in priſtinum Neogardiæ reciperentur locum, ceu Anno 1603. ibi legatos habuerunt, & nuper Anno 1620. tantum obtinuerunt, à Magno Moſcoviæ Duce Demetrio, quod illis licitum ſit ibi erigere ædes, ceu & locus certus iterum deputatus eſt, quod ipſe tunc in conventu Hanſæ à Lubeccenſibus referri audivi, ut frequens ſit ibi iam commeatus, quod admodum dolent Revalienſes, qui id pluribus teſtati ſunt litteris ad conventum communem. De huius Emporii Inſigni etiam Mollerus hos habet verſus:

Moſchorum pingues Neogardia nota per agros,
Orbe gerit tales in bicolore notas.
Dimidiam imperii volucrem, pes cuius & ala,
Diſiectoque nigrum lucet in orbe caput.
Dextera pars Clypei tenet hanc, ſpectabilis auro;
Cerulens ſuffert arma ſiniſtra locus.
Scilicet argento ſplendentem divite clavem
Ianitor ut cæli Petrus habere ſolet.

Tertium Emporium Hanſis exhibet Londinum in Anglia. Quamvis hoc ad Annum Chr. 1206. ab Henrico 3. Anglorum rege huic Societati Hanſeaticæ attributum aliqui dicant; tamen ipſe textus diplomatis haud obſcure indicat, altiorem eius originem ſubeſſe; velut & in eo dicitur, Hanſeaticas civitates Regi naves complures ad belli auxilia ſubminiſtraſſe, ea lege, ut ſi quæ caperentur, frangerentur, perirentve, illis Rex adnumerata pecunia ſolveret. Ceſſit ea res tam feliciter, ut Rex Hanſeaticorum opera, ſuperatis hoſtibus, victoriam reportarit. Sed quum reditum pararent ad ſuos, tum immanis claſſem afflixit tempeſtas, ut pleræque naves merſæ undis perierint. Rex autem quum ſolvendo non eſſet, videns debitum ex mora creſcere, ita cum Hanſæ Teutonicæ mercatoribus tranſegit, ut ipſis concederet in ſuo regno facultatem mercaturam plene exercendi, importandi, exportandique merces, ſoluta tantum centeſima parte pro vectigali. Atque hoc ille privilegium irrevocabile ſibi poſterisque voluit, veluti etiam à 14. regibus fuit poſtea in ſucceſſionibus tot confirmatum, & aliis inſuper tractatibus & tranſactionibus auctum. Et quia Confœderatorum ſummam fidem certaque auxilia poſteri reges dubiis temporibus experti ſunt, præſertim in bello quod Eduardus 3. circa An. 1327. adverſus Gallos geſſit, ſanciverunt, negotiatores Teutonicos illius collegii nullis novis vectigalibus, tributis, exactionibus, ſubſidiis, aliiſque præſtationibus in poſterum one-

randos, sed immunitates ipsis olim concessas indultasque integras atque inviolatas perpetuo relinquēdas esse. Estque decretum illud peculiari diplomate confirmatum, & à Richardo 2. Henrico 4. 5. & 6. religiose observatum: Donec ardente inter Anglos Danosque bello, quum in freto Danico Anglorum naves fuissent interceptæ: naves vicissim Teutonicæ 60. ab Anglis captæ spoliatæque sunt, ut supradictū est; quæ res postea à Carolo Burgundo ad Mosam Traiecto composita est Anno 1474. Ab eo tempore per Annos circiter 80. sub Richardo 3. Henrico 7. & 8. atque Eduardo 6. Germani immunitates in Anglia retinuerunt, licet Dantiscani nonnihil eas turbarint, ut videre est in *Meter. hist. Belg. lib. 18. ad An. 1597. & lib. 19. p. 817.* Domus ipsorum ibi erecta dicta fuit *Staelhoff*, à chalybe, eo, quod ingentem vim chalybis illuc deferrent. Eum nunc nemo importat, nisi cui singulariter à rege hoc indulgetur. Primariū inter privilegia hoc erat, quod non penderent, nisi centesimam & eius dodrantem pro vectigali; quodque exempti essent ab aliis exactionibus. Arctioribus Reipubl. temporibus, si obsidione Londinum premeretur, unam tantum Urbis portam, quam Episcopi vocant, defendere obstricti. De iniqua autem Parlamenti sentētia contra Hansas An. 1552. lata & quæ inde consecuta sunt, vide *Chytr. Chron. Sax. lib. 23.* Molleri quoque versus in Emporium & Insigne Londinense hi sunt:

Londinum, vario quod Tamesis alluit æstu,
Fert Aquilam Clypeo sub bicolore nigram.
Hæcque caput geminum campo sustollit in alto,
Sed geminos rubeo figit in orbe pedes.
Auratum collo diadema coharet utroque,
Quale coronatus Cæsar habere solet.
Et super incumbit venerandi Insigne Monarchæ,
Cum rutila Mali forma rotunda cruce.

Bruggis demum in Flandria olim 4. Hanseæ Emporium constitutum fuisse, diximus, quod iuxta sententiam nonnullorum à Teutonicis mercatoribus cœpit circa Annum 1162. frequentari, duravitque diu ibi admodum negotiatio, florentibus satis Brugensium rebus, unde etiam in nimiam incidere petulantiam adeo, ut simul Eois civitatibus sæpius invidiam ostenderent. Sic etiam An. 1378. arresto detinebant mercatores Hanseaticos ex Orientali parte, nec amplius iustitia ibi patebat ullis. Ideoque in publico Conventu Hanseæ Anno 1387. concludebatur, quod nulla amplius ad Flandros deportari commercia deberent, atque hoc per Edictum publicabatur per omnes civitates. Demum Anno 1487. quum cōplevissent in hoc fatalem periodum, multum amisit hæc urbs de pristina opulentia per seditionem, capto Maximiliano Rege Rom. & quibusdam præcipuis ministris in eius conspectu occisis. Tunc enim portu eorum à Friderico Cæsare obstructo, cōmercium omne translatum est Dordracū, post Antwerpiam. Atque propterea quoque maxime civitates Hanseæ egregiam præstitere Imperatori adsistentiam, ceu Lubeccensium inprimis tunc magna fuit gloria. Inde etiam eo facilior fuit Imperator in hoc Indulto, ac concessit Coloniæ, ut Societatis Hanseaticæ civitates posthac negotiorum suorum sedem Antwerpiæ, quo se pridem converterant, figerent. Quum enim Lubeccensium rogatu ad privilegia Societati à Iohan. 2. Brabantiæ Duce Anno 1315. cōcessa, & per Antonium item Brabantiæ Ducem cōfirmata Anno 1409. res fuit facilioris expeditionis. Sic quum Philippi Regis ab Antwerpient. exorati auctoritas Anno 62. superioris seculi accessisset: in Comitiis Societatis Hanseæ decretum est, ut publica quoque domo collegium ibi confirmaretur, in qua propriam iurisdictionem Senatus mercatorum haberet, eaque de re cum Senatu Antwerpiensi transactum est, depensis à Societate Hanseæ 60000. Caroleorum. Extat hodie superba & magnifica, velut & Bruggis adhuc, domus; sed ex tempestate belli dilapsis alio mercatoribus, magna ex parte deserta, & minor domus divendita est, quum videatur divina Dei clementia hoc bonum nunc Amstelodamēsibus traditum, ut antea dictum est, ceu cunctis Europæ Emporiis pridem antecedit. De Brugis Molleri itidem versus hi habentur:

In clypeo bicolore, biceps bicolorque volucrum
Regina, est signum, Flandrica Brugga, tuum.
Altera pars Aquilæ ceu flavet, & altera nigræ est,
Ceu Sinus hic clypei flavus, & ille niger.
Sic Aquila in medio quæ pectore clara nitescit,
Hunc illamque pari Stella colore refert.
Attamen haut coeunt in eadem sede colores;
Sed retinent iustas in statione vices.

Verum hæc ista vice sufficiant, quum reliqua omnia de Mercatura, & de iure Emporiorum, ab historiis dependeant, nec non de Consilio Hanseæ perpetuo ad ultimam partem reiiciamus. Possent heic multæ subnecti quæstiones; sed easdem alii reservavimus loco in sequentibus: Saltem propter calumniatores varios, qui Hanseæ suam invident commoditatem, patrocinium Matthiæ Steph. ICti *ex l. 2. part. 2. c. 3. de iurisd.* conclusionis loco subnectemus in ea quæstione, quam ipse formavit.

CONCLVSIO.

An fœdus Hanseæ ut conspiratio, an vero legitimum censeri debeat?

Licet regulariter prohibeatur *tot. tit. de colleg. & corp. Aurea Bulla Caroli 4. tit. 15. edita Anno 1356.* Quis tamen ignorat permittere ius, colligationes & confœderationes hominum, si fiant ad aliquod bonum? puta si quis timeret se oppressum iri à suis vicinis & adversariis, certe eo casu licite potest inire cum quibusdam, ut eo melius se ab iniuriis, quas metuit, defendat. Est namque species ea defensionis, quæ tam quo ad res quam personas licita est de iure permissa. *l. ut vim. & ibi Dd. D. de iust. & iur. l. 1. C. unde vi.* Et hoc expresse tenet Bartol. in extravag. ad reprimendum in verb. occulte, ubi dicit, Ligas vel societates quæ hodie fiunt inter civitates vel Barones, aut alios recognoscentes superiorem, si fiant ad ipsorū defensionē, iure subsistere. Pari ratione valent huiusmodi confœderationes, si ineantur à civitatibus vel principibus non agnoscentibus superiorem, ut no-

ut nobiliter *ait Bartolus in l. ult. D. de colleg. illic.* Licet enim conſpiratio accipiatur in malam partem, tamē etiam poteſt fieri in bonum finem, uti modo dictū. *Felin. in cap. cum l. & A. de iure indic. Boſſ. tit. de unionib. & colligat. num. 10 in fine.* Atque ita iudicio Cameræ Imperialis Anno 1553. fœdus inter Wirtzburgenſem & Bambergenſem Epiſcopos, ac civitatem Noribergenſem adverſus March onem Albertum initum, pro licito fuit iudicatum, cum illud non ſolum, legibus permittentibus, ad ſui ſuorumque defenſionem inierint, ſed id quoque hortatu & iuſſu Imperatoris Caroli V. fecerint, *Mynſ. cent. 6. obſ. 2.* Quin & Fœdus Hanſeaticum à Carolo IV. confirmatum legitur, *VVarem. ab Erenb. in meditam. profœderib. cap. 2. num. 44.* & in reſcriptis Cameræ Imperialis, nec non etiam in receſſibus Imperii paſſim nominatum & approbatum, *de Anno 1542.* § Demnach *verſ.* dergleichen auch die Hanſe vnd Seeſtätte. *& verſ.* dieweil es aber anſehnliche vermögene Stätte. *Anno 1576.* §. Wir wollen auch. & *Anno 1549.* §. Deßgleichen *verſ* zuſampt der Hanſen vnd Seeſtätten. Ne dicam, conventus Hanſeaticos Imperatores & Reges & Principes ſplendidiſſimis ſuis legationibus dignatos eſſe: ut & adhuc paucis ab annis nimirum Anno 1598. uno eodemque tempore Imperatorum Regum Hiſpanicum & Polonicum Legatos Comitiis Hanſeaticis interfuiſſe notorium fere eſt. Etſi ſocietas illa à Carolo 4. confirmata eſt, certe non credendum eſt, per eam Auream Bullam eiuſdem Imperatoris aliqua in parte ſublatam: at confirmatam eſſe eiuſdem conſtitutione, probabiliter conſtat ex *d. Aurea Bulla c. 15. verſ.* illis confœderantibus & Ligis duntaxat exceptis quas Principes ac civitates & alii ſuper generali pace terrarū ac Provinciarū inter ſe forſaſſe formaſſe noſcuntur. Alias n. noſtræ declarationi ſpecialiter reſervantes, in ſuo decernimus vigore permanere, donec de his aliud duxerimus ordinandum. Quæ verba moderantur præcedentis §. verba, ibidem fecerint hactenus, &c. ac ſane abſque omni abſurditate accipi ita poſſunt, ut ſocietas Hanſeatica pro pace, à defenſione Imperii Germanici recepta, incluſa ſit, ne Imperator ſibi contrarius videatur. Quin & Societatem ſive Fœdus hoc confirmat immemoriale tempus ultra 400. Annorum, quod pluſquam pactum, contractus, Privilegium ac quævis legitima conceſſio operatur, vel certe privilegii à Principe ex certa ſcientia conceſſi vim & vigorem obtinet: *per notata Sixtin. lib. 1. de Regalibus c. 5. n. 138. & ſeqq.*

Cæterum quia tam amplæ Societatis negotia ſine conventibus & legationibus expediri non poſſunt, merito illis ius indicendorum conventuum & emittendarum legationum competit. Nec enim omnino privatæ vel privatorum loco habendæ ſunt civitates Hanſeaticæ, quippe quod inter eas Imperiales, Lubecca, Colonia, Tremonia: reliquæ mixtum ſtatum obtinentes certis ſingularibus privilegiis ornatæ: cōſiſtereque in iis ipſis non minima pars ornamenti & firmamenti Reipubl. Romanæ in partibus maritimis: Præterea fœdus illud Hanſeaticum ab Imperatoribus, Regibus, Principibus & rebuspublicis eximiis immunitatibus, Privilegiis & libertatibus donatum eſſe, nemo eſt, ut opinor, qui non ſciat.

Et exinde vere concludendum eſt, eiuſmodi civitatum Hanſeaticarum confœderationes licitas eſſe, nec conſpirationis ſpeciem ſapere: Imo fœdus illud tamquam pro pace ac defenſione Imperii Germanici receptum, magni fieri debere.

Sane adverſus ſupremum principem nunquam valere confœderationes & Societates, recte docuit *Baldus in l. 1. D. Quod cuiuſque univerſ. nom. Archidiac. in c. ſi quis & c. conjurationum 11. quæſt. 1.* Sic eadem atteſtatur *Barth. Muſcul. in diſſert. de fratern. concl. 1. n 15. & 16.* ita dicens: Indulgere tamen quilibet hic poteſt ſuis inventionibus, cum ſit res præiudicii expers, & nulla in nominibus ſtatuenda religio. *Carol. Paſchal. in legat. c. 77. p. 521.*

Huius ſocietatis Hanſeaticæ initio magna fuit utilitas contra Danos & Sueccos, qui in Holſat. Lunæb. & Saxoniæ regiones irruebant. *Cranz. lib. 1. Vandal. rer. c. 1. VVarem. ab Erneb. d. tr. c. 2. n. 44.* exiſtimans penitius examinata natura huius fœderis parum abeſſe, quin ſapiat quoad nonnullas civitates ſpeciem conſpirationis, cum multæ civitates eo contineantur, quæ Regalia à Cæſare non habent, & mediate ſubiectæ Imperio, itaque bonum eſſe quod ſua potentia uti neſciant. cum quo conſentit *Dn. Andr. Knich. in quæſt.* An civitates Imperii habeant iura territorii. *n. 475.* eadem ratione quod ſubditi contra Principes confœderationes inire nequeant. *Aur Bulla Carol. 4. cap. 15. de conſpir. verb. inter civitatem & civitatem. & verſ. inſuper confœderationem & pacta &c. adde Bod. 1. de Republ. 7. n. 77 P. Greg. 25. de Rep. 3. n. 8.* Sed, etſi non omnium civitatum, hoc fœdere annexatum, æqualis libertas ſit, in dubium tamen illud revocare, cuius initia ipſis veruſtatis tenebris propemodum ſunt obſcurata, inanis erit operæ, valdeque periculoſæ, quin potius optandum, ne unquam poſthac Hanſeaticus populus occaſionem habeat vires ſuas & potentiam experiundi; nec enim facile in diſputationem vocandum illud, quod de iure non valet, ſi de facto fiat. *Cagnol. in l. ſi quis maior. n. 216. C. de trāſact. Io. Copen. deciſ. 21. n. 18.* Et annoſam quercum tráſfert, qui veſtitos ævi noſtri mores in melius mutare conatur. *Anton. Hering. tr. de fideiuſſ. c. 30. nn 46.* Cumque Aurea Bulla in ſpecie non loquatur de hoc fœdere, eoque poſterior, contra illud allegari nequit; nam valet argumentum: Hoc lege cautum non reperitur, ergo apponi non poteſt. *l. in prævaricationibus. §. f. ff. de prævaricat. l. illam. C. de collat. c. illa devotionis. Ne ſede vacant. Crav. conſ. 6. n. 87. & conſ. 90. n. 2.* Et leges futuris regulariter dant formam negotiis *l. 7. C. d. ll. l. 29. verb. qui in poſterum. C. de Teſtam. l. 3. C. Theod. de conſtit. Princ. Coler. de proceſſ. execut. p. 1. c. 10. nn. 86.* niſi nominatim de præterito diſponant. *d. l. 7. l. unic. §. 4. C. de contr. iudic. l. ult. C. de pact. pign. Novell. 12. 13. 66. Cuiac. lib. 5. Feud. p. 375. Hottom. 1. obſ. 11.*

Quinimo ſi verum eſt fœdus Hanſeaticum à Carolo 4. confirmatum, veriſimile non eſt id per Auream Bullam eiuſdem Imperatoris qua in parte ſublatum. At prius ex Waterm. ante apertum, probabiliterque conſtat *ex d. Aur. Bulla c. 15. verſ. illis confœderationibus* & ligis duntaxat exceptis, quas Principes ac civitates & alii ſuper generali pace terrarum ac Provinciarum inter ſe formaſſe noſcuntur, illas enim noſtræ declarationi ſpecialiter reſervantes, in ſuo decernimus vigore permanere, donec de his aliud duxerimus ordinandum, &c. Quæ verba moderantur præcedentis §. *verba in eadem conſtit. ibi: fecerint hactenus, &c.* ac ſine omni abſurditate ita accipi

cipi possunt, ut fœdus Hanseaticum pro pace ac Defensione Imperii Germanici receptum, includant, ne Carolus Carolo cõtrarius prohibeatur, &c. His quoque addi potest, quæ Arumæus habet *in discursu 6. ad Aur. Bullam Cæsoli 4. n. 9.* ubi similiter plene de hac agit quæstione. Sic & cognosci poterit *Rutger. Ruland. de commiss. lib. 5. cap. 4. n. 56.* An rite cœtarium & ius collectandi sibi adscribere queant? An Legatos mittere possint? An status formetur ex fœdere? An leges condere queat? Et quo loco eorum statuta & decreta habendæ? Item quomodo iure Lubeccensi utantur, id habet *Matth. Steph. de iurisdict. lib. 2. part. 1. c. 7. n. 340. & seqq.*

Verum nemo rectius quid certi statuere poterit, nisi plene prius in facto secundum privilegia Contboriorum quoque sit informatus, & cognoverit, quæ inde dependeant historiæ, atque, quænam libertas commerciis proprie comperat, &c. Proinde hæc & talia, uti dictum est, suo reservavimus loco. Interim quilibet bonus huic cognitioni æquum adferet animum, nec quid aliorsum abripiet, quum nihil heic dictum velim, quod non ædificationi publicæ rite inservire queat. Spero enim, historias ad minimum lucis aliquid hinc accepturas. Absit malignitas animi, nec interpretatio boni mala esse poterit.

IEHOVA SALVS MEA.

FINIS.

INDEX CAPITUM

Partis Posterioris, alias respectu antecedentium quartæ.

IN hanc Partem Antegressum. 363.

CAP. I.

DE secunda Fœderis Hanseatici universali regione, & eius quarta Metropoli, videlicet Colonia Agrippina, deque huius origine; & quomodo caput fuerit fœderis in altera parte Societatis sua pristina: cum civitatibus VVestphalia, Clivia, Geldria, Brabantia, & Frisia utriusque, &c. Pag. 1.

CAP. II.

De civitatibus aliquot Clivia ad Rhenum & Geldria ad Mosam, fœderi Hãseatico devinctis. 14

CAP. III.

De civitatibus Hanseaticis Geldria ad Vahalim, item Hollandia & Zelandia. 18.

CAP. IV.

De reliquis in Belgio Geldria Nabalica civitatibus Hanse, cum Transisalanis & Flevicis. 25.

CAP. V.

De Civit. Hanseaticis in utraque Frisia, ut moderna fert locutio. 29.

CAP. VI.

De urbe Embdana, & quousque Hanseatica dici queat, ubi & de Hamburgens. callidis attentatis iterum agitur. 33.

CAP. VII.

De civitatibus Hanseaticis in VVestphalia sitis & Marchia Clivensi reliquis, quæ in priori enumeratione debinc restãt cum Duderstadio. 36.

CAP. VIII.

De amplissimi & ita diffusi Corporis Hans. divisione, deque cuiusque partis aut regionis Metropoli. 42.

CAP. IX.

De officio proprio Metropolitanarum urbium & Rerumpubl. apud Hansam extra conventum earum publicum. 46.

CAP. X.

De Conventu universali Hanse, Ordinarioque, Lubeccæ instituto, eiusque solemnitatibus, sessionum ordine, votandi ratione, processu, & extraordinariis Comitiis Confœderatorum, aliisque accidentibus. 51.

CAP. XI.

De Statutis & Decretis antiquæ Hanse, atque eorum generali dispositione, iuxta conceptum D. Domanni Synd. Hanse. 57.

CAP. XII.

De confœderatione communis Hanse, quæ anno 1604. *Lubeccæ in cõventu publico solemniter fuit renovata, cum pleno omniũ consensu.* 62.

CAP. XIII.

De Confœderatione Hanse particulari, & defensione eius mutua, ad paritatem Fœderis æqualis dispositionemque eius directa. 66.

CAP. XIV.

De Confœderatione Belgarum cum aliquot Hanse Saxonicæ Civitatibus illustrioribus, ac principalioribus, An. 1616. 24. *April. inita, &* 13. *Iun. An. eiusd. Hagæ-Comitis iuramento solemni confirmata.* 72.

CAP. XV.

De altera parte Fœderis Hanseatici particularis, quod cum imparibus aliquoties olim & nunc ante paucos annos fuit initum. 78.

CAP. XVI.

De Contributionibus diversis Civitatum Hanseaticarum, & alia inde emergente Civitatum divisione. 86.

CAP. XVII.

De civitatibus aliquot Hanse in dicta iam transactione & Privilegiis comprehensis. 91.

CAP. XVIII.

De quatuor Emporiis Universalibus Hanse, quæ & Contboria dicuntur, eorumque conditionibus. 96.

Conclusio. *An fœdus Hanseat conspiratio, an vero legitimum censeri debat.*

FINIS.

DE

FOEDERIS HANSEATICI

Apud Anglos usu, origine & Historia summaria, Italici Politici Iudicium à Phil. H. consignatum;

In quo etiam insignis huius fœderis usus, meritis recommendatur laudibus, ad exteros.

Respectu antecedentium

PARS QVINTA.

LOngus ille tractus à Narva fluvio Livoniam à Russia dividente, in cuius ostio duæ eiusdem nominis sunt civitates, quarum altera Narva Germanica, altera vero Ruthenica Narva alias Suanogrod dicitur, incipit, ac usq; ad Rheni fauces extenditur, ubi inter Hollandiam & Zelãdiam in mare ingreditur, terras Hanseaticas complectitur. De quibus primum dico, quod vel homines eius negotii peritissimi, ac ne ipsi quidem propriè Ligæ aut fœderis illius ministri, nunquam mihi Hãsæ originem, eiusq; principia referre potuerunt: neque ego quicquam apud quenquam scriptorem hac de re certi invenerim, quamvis per multos annos, quibus in Germania commoratus ac versatus sum, curiosus (fateor) indagator fuerim: præcipuam autem & specialiorem informationem à Domino Hẽrico Sudermanno, è Consulari Coloniæ familia, Doctore & Nobili optimis litteris & multarum rerum experientia instructissimo, qui sub splendido huius fœderis honorario aut stipendio usque ad annum 1590. circiter quadraginta annos ei inserviit, diversis obitis ad Belgii gubernatores, septẽ ad Reginam Angliæ & multis ad Imperatores & comitia imperialia legationibus.

Si vero hic, qui omnia ligæ huius tractabat negotia, atque omnia eius scripta habebat in manibus, eius certa principia ignorabat, puto ego neminem forte esse, qui ea se scire, gloriari possit: & si qui sint qui aliquam habeant cognitionem, ea occultẽt, ut obscuræ antiquitatis prætextu, maiorem iis autoritatem concilient. Antiquissima quam proferunt memoria est privilegium ab Henrico III. Angliæ Rege anno 1206. ipsis concessum, hac quam subiungam occasione.

In quibusdam Regis huius bellis Hãseatici magnum navium numerum ei in auxilium adduxerũt, ea prius pacta conditione, ut si quæ navis aut frangeretur, aut amitteretur, eius pretium à Rege æqua facta æstimatione restitueretur. Præstito itaque usque ad belli finem ac regis victoriam insigni auxilio, sine quo forte non obtinuisset, in reditu magna afflicti & dissecti tempestate omnes fere naves perierũt, unde restaurationẽ à Rege ex pacto postulant. Quũ autem summa ea gravis, ac Rex solvendo non esset, ac ipsi multis annis ad solutionem pervenire nõ potuissent, tandem ita cum Rege conveniunt, ut Regi totum illud debitum remittant, obligato econtra Rege pro se & posteris, ut liberam Hanseaticis semper relinquat in Anglia negotiationem, absque portorii aut vectigalis augmẽto, quod ea usque ad tempora centesimam non excedebat, tam in iis quæ asferebant, quam quæ exportabant.

Ab hoc privilegio autem duo capiunt insignis antiquitatis argumenta. Prius propter magnas, quas confœderati conduxerunt vires, quas si novitium illud fuisset, nondum tantas habere potuissent. Posterius, ex ipsis privilegii terminis, in quo profite ur Rex, se maiorum aut progenitorum suorum confirmare privilegia: qui loquendi modus (dicebat Sudermannus) non ad patres saltẽ, avos & proavos, sed & altius ascendentes secundum Cancellarium stylum referendus est: Quod tamen ego pro certo affirmare non ausim: Quemadmodum & aliud apud me supereſt dubium, circa hoc ipsum Henrici III. privilegium Anno 1206. concessum. Dicitur enim, quod Liga hæc, quamprimum constituta erat, membrum volens esse imperii, protectorem sibi imperii principem elegerit, qui fuerit magnus ordinis Teutonici in Borussia magister. Sed certum est, quod eo tempore ordo Teutonicus Borussiam nondum acquisiverat, imo quod tunc vix adhuc fuerit fundatus, ut illi sciunt, qui vel mediocriter saltem in historiis sunt versati. Notum enim est ordinem hunc in Ptolomaide, ultra ducẽtos Annos post Templarios & Hospitalarios S. Iohannis Baptistæ esse institutum: Nimirum anno 1192. Nec in Borussiam esse ingressum ante annum 1212. Quo amissa Ptolomaide Christiani tota Terra sancta erecti sunt. Nam eo tres illi ordines, Tẽplarii scil. Hospitalarii & Teutonici, cum &c

vi ibus & divitiis potentes essent, de instituenda in futurum vita inito consilio: Templarii quidem post deprædatam magna avaritia Græciam, bellicis sibi in posterum muniis se subduxerunt, ut splendidis suis commendis, quas plurimas in Francia habebant, gauderent. Atque à pristino degenerantes instituto, cito suum invenerunt exitium, dubia post se relicta fama, aut certa infamia potius nominis, & actionum suarum.

Hospitalii autem sapientiores, otium Cypri, ubi se abdiderant detestati, ac voti professionisque memores, gentiles è Rhodo eiiciunt, eaq; subacta tanquam Christianorum contra infideles propugnaculum servandum sibi desumunt, quod & multis fecerunt annis, donec tandem amissa Rhodo, in Maltham idem facturi concesserunt; ubi adhuc magna cum gloria pro Christianis depugnant. Teutonici quoque nihil sibi otio exitiosius esse reputantes, Borussia tunc à gentilibus habitata in feudum à Friderico Imp. obtenta, armorum vi eam in potestatem redigunt, ad veram Christi fidem adducunt, & ordini suo sub sacri imperii protectione subiiciunt: introducta simul lingua Germanica, & urbibus sexaginta duabus, castellis aut ultra septuaginta extructis, aliisque tum publicis tum privatis magnificis ædificiis erectis, artibus, commerciis & mercaturis magna frequentia introductis etiam ita excoluerunt, ut jam una ex cultissimis & celeberrimis sit Germaniæ Provinciis, multo futura celebrior, nisi vicinorum invidia, & forte etiam nimia equitum ipsorum mollitia, continuis fuisset quassata bellis, donec tandem postremis hisce temporibus, postquam ordo circiter trecentos Annos ei præfuit, Albertus Brandeburgicus Magnus ordinis Magister, relicta avita & Catholica Religione, contra votum & promissam fidem, eam in hæreditarium & profanum principatum convertit, Sigismundo Augusto Poloniæ Regi se submittens, & cum eo dividens, quod suum non erat, ut in Latina mea eius Provinciæ descriptione videre est, factum est hoc anno 1525. ac in medium hic adductum, ut ex hac temporum computatione appareat, quod si fœdus Hanseaticum sub protectione magni Borussiæ Magistri cœperit, non potuerit id fieri anno 1206. cum eo tempore Ordo Teutonicus in Borussia nondum fuerit, quamvis eam paulo postea acquisiverit. Fieri tum etiam potuit, ut fœdus hoc antiquius fuerit, sed quod, ut in reb. humanis fieri solet, nondum ad eam pervenerit perfectionem. Nam ex Henrici III. privilegio clare apparet, septuaginta & duas civitates eo tempore in illo fœdere ac sub eo nomine fuisse comprehensas, quæ forte tunc protectorem nondum habuerunt, sed assumpserunt postea, cum viderunt Teutonicorum vires ita auctas, ut ipsis in aliqua necessitate usui esse possent. Habuerunt & hoc pro instituto ordinario, ut singulis decenniis fœdus renovarent, ac consultarent de omnibus, quæ interim occurrebant, de novis recipiendis sociis, de veterib. excludendis, ac aliis in quib. consultationib. fieri etiam potuit, ut sibi quamvis longo post primâ institutionem tempore, protectorem eligerent, aut eum quam prius habuerunt mutarent.

Cæterum postquam huc usque processimus, necessario quasi videtur, ipsa requirente materia, ut & alia quædam ad hoc fœdus pertinentia declaremus. Et primum de ipso Hanseæ nomine, quod aliqui à vocabulo Hand / quod manum apud Germanos significat, deductum putant, ut significet fidei vinculum & unionis, quæ duabus manibus cunctis adumbratur. Sudermannus putabat vocem esse Gothicam aut Vandalicam, quæ congregationem aut concilium significaret, allegato quod in Verdensi monasterio novum in ea lingua vidisset testamentum, in quo ubi ea habentur verba Concilium fecerunt in unum, scriptum erat nomen Hansa, pro verbis Concilium in unum. Quod etiam argumentum esset retrusioris antiquitatis, cum ea lingua iam dudum ac multis ab hinc seculis in usu esse desierit. Huic autem ego aliam opinionem, quam etiam communiorem video, nimirum vocem hanc ex duabus aut tribus aliis compositam, & dici quasi an der See / hoc est, apud aut ad mare, quemadmodum etiam omnes huius fœderis civitates ad mare, aut apud mare ad fluvios navigabiles sitæ sunt.

Atque hoc unum est ex requisitis in illis civitatibus, quæ in hoc fœdere comprehendi volunt, nimirum, ut in maris sint littore, aut in fluviorum navigabilium ripa, ea maris vicinitate, ut mutui commercii & negotiationis sit commoditas.

Secundum est, ut liberæ sint, ita ut portarum suarum claves in potestate habeant, & civilia exerceant iudicia, quamvis de cætero principem aliquem superiorem agnoscant. Et hac ratione plures in Geldria, Frisia, Hollādia aliisque Belgii provinciis, in eo comprehenduntur, quibus proprii sui principes iuramentum præstant de privilegiis hisce servandis, absque quo fœdere hoc essent excludendæ.

Tertium est, ut sub imperio sint. Ac ideo non recipiuntur Sueciæ ac Daniæ civitates, quamvis alias opportunæ, quia aliis subsunt regibus, quibus nihil est cum imperio negotii. Et quamvis Dantiscum aliæq; Borussiæ civitates, se ab eo separarint, eo quod Poloniæ se Regibus subiecerint, admittitur tamen, quia & in antiquis & in recentiorib. imperii matriculis nomen eius reperitur, & adhuc cum aliis ad comitia imperialia citatur: Quamvis Poloniæ Rex nunciis, qui litteras illas citatorias adferunt, suspendium sæpius interminatus sit. Et partim, quia libertatis suæ prærogativas præ multis aliis retinet, partim etiam, quia potens & dives est, etiam nunc non agitur de eius exclusione, quod proculdubio fieret, si minor eius esset auctoritas. Sunt septuaginta & duæ civitates, quæ trib. hisce gaudentes requisitis, hoc se in principio colligarunt fœdere, è quib. octo, diversis de causis, ab eo recesserunt, quarum loco plures aliæ successerunt, ita ut numerus hodie multo sit maior.

Finis autem fœderis fuit, mutua in occurrente aliqua necessitate defensio, navigationum & commerciorū securitas, & inhibitio, ne arma, metalla aut cuiuscunque generis bellica instrumenta ad barbaros deferantur. Atque ideo quando naves onerabantur, constituti erant Revisores, qui eas visitarent. Factum autem hoc erat propter damnorum memoriam, quæ ab Hunnis, qui maximam Germaniæ partem Saxoniam præcipue cum vicinis regionib. Pomerania scilicet, Meckelburgo & Brandeburgo sibi tributariam fecerant, illata fuerunt. In eundem quoque finem procurabatur, ne ullæ barbaris relinquerentur pecuniæ, sed ut quantum fieri posset, hac commerciorum specie iis emungerentur, omnibus quæ ad

eos

eos deferebantur præſenti pecunia venditis & nullis ab ipſis receptis mercibus, quam aliarum permutatione.

Hinc aliud adhuc deſumi poteſt de fœderis huius antiquitate argumentum. Plures enim quam ſexcenti & quinquaginta ſunt anni, ex quo Germania ab illa Barbarorum ſeruitute liberata eſt, à tempore nimirum Henrici, qui Auceps cognominatus eſt, qui omnib. Imperii unitis viribus conſtanti bello Hunnos adortus, eos Germania expulit, circa annum 937. Eoſque Ungariæ terminis incluſit, in quibus & manſerũt poſtea, Chriſtiana inſuper religione emolliti, quæ paulo antea in Hungaria à Rege Geiſa propagari cœperat, ac poſtea à filio eius Stephano confirmata fuerat. Atq; ita Reges illi ſuo cõtenti Regno, non amplius alius præcipue Chriſtianis moleſti eſſe voluerunt.

Cum itaq; hoc ex præcipuis huius fœderis inſtitutis fuerit, ut ſub commerciorum contextu nulla ad barbaros deportarentur arma aut alia bello utilia, ſed potius omnes iis belligerandi præciderentur cõmoditates, veriſimile eſt, eam illis cœpiſſe temporibus, quibus à Barbaris periculum fuit, atque ita ultra ſexcentos annos duraverit. Quod tamen non ita ſimpliciter pro vero affirmo, ſed conjecturas ſaltem adfero, liberum cuique relinquens iudicium, & ut credat, id quod maxime arridebit. Sed multum faciunt ad hiſtoriæ, quam deſcribimus, cognitionem.

Poſteaquam nunc dixi quare hæc Hanſa dicatur, quot in ea comprehendantur civitates, quod Magnus Boruſſiæ Magiſter eius aliquouſque fuit protector, & quod ultra quadringentos aut forte minus ſexcentos annos duravit, alias iam eius deſcribam conditiones, ut tanto melius intelligatur hiſtoria.

Diviſa eſt hæc Liga in quatuor membra. Primi caput eſt Lubeca, cui communi reliquorum conſenſu hæc conceſſa eſt præeminentia, ut conſilio & aſſenſu ſex civitatum vicinarum, in publicis neceſſitatibus totam Ligam, aut omnes confœderatos convocare poſſit. Ac fit ea congregatio in ipſa Lubeca ut in qua eius eſt Cancellaria & Archivum. Sex civitates vicinæ, quæ Vandalicæ nominantur, ſunt Hamburgum, Roſtochium, Wiſmaria, Stralſundia, & Luneburgum. In his ea, quam dixi, reſidet poteſtas. Huic autem membro annumerantur omnes civitates Pomeraniæ, Stetinum, Golnovia, Grypſwalda, Colberga, Stargardia, Stolpa, Rugevolda, & aliæ.

Secundi membri caput eſt Colonia, civitas magnificentia, & magnitudine & religione nulli in tota Germania nec ſecunda, nec conferenda. Huic annumeratur Veſalia, Emericum, Dusburgum, ac aliæ Cliviæ Ducatus civitates: Ex Marchæ comitatu Monaſteriũ, Oſnaburgum, Tremonia, Suſatium, Herfordia, Padeborna, ac aliæ Weſtphaliæ & Thuringiæ civitates. Item Neomagum, Zutphania, Ruremonda, & aliæ: Item Geldriæ civitates, Daventria, Svola, & Campi in Tranſiſelana, & Groninga cum duabus aliis Friſiæ civitatibus.

Brunſviga tertii membri caput eſt, cui multę Saxoniæ & Weſtphaliæ civitates annumerantur, item Magdeburgum quæ Metropolis & primas Germaniæ eſſe ſolebat, Goslaria, Brema, Hildesheimium, Minda & aliæ.

Quartum & ultimum membrum reliquis fortaſſe & potentia & civitatum numero ſuperius eſt Dantiſcanum. Atq; hunc ordinem ita puto factum, ſecundum temporis, qua quæq; civitas in confœderationum aſſumpta eſt, rationem; quemadmodum & apud Helvetios adhuc moris eſt. Dantiſcano annumerantur omnes Boruſſiæ, quæ tota in hoc fœdere comprehenſa eſt, civitates, quarum præcipuæ ſunt Mariæburgum, Mons Regius, quam Königsberg vocant, Colmaria, Turonia, Elbinga, & Brunsberga: & extra Boruſſum accedunt huc etiam tres præcipuę civitates Livoniæ, nimirum Riga, Dorpatum, & Revalia, & ſi aliquę in ea regione ad hoc fœdus pertinent.

Hæc itaq; tanta civitatum multitudo, fœdere eo colligata eſt, quod Hanſeaticum appellatur, quod in tanta apud principes Septentrionales fuit exiſtimatione ac reputatione, ut aliquando eius arbitrio ſubmitterẽt & iudicio vel maximi momenti & ſtatus controverſias, & ſi quando eas decidebant cum proteſtatione, quod arma ſua contra eam partem, quæ pacẽ renueret, vellent cũ altera cõiungere, tum quiſque ſibi cavebat, ne eas contra ſe provocaret; Principes quoque multi confœderatos hoſce ampliſſimis invitarunt privilegiis, ut negotiationum ſuarum curias in ipſorum ditionibus erigerent, quemadmodum antea Brugis in Flandriæ Comitatu fecerant, unde celebre ibi fuit Emporium, quod poſtea Anno 1564. niſi me fallit memoria, Antwerpiam translatum eſt, ubi Hanſeatici habent palatium cum officinis & reconditoriis ſpacioſiſſimis, excellentis ſtructuræ, quemadmodum Germani Venetiis ſuam habent domum aut curiam. Deinde & ſecundario Londini in Anglia recepti fuerunt. Poſtea in Ruſſiæ Novogardia & demum in Berga Norvegiæ: ac in omnibus hiſce quatuor locis ædificarunt ut diximus, domus aut reſidentias ſplendidiſſimas, quas domos Germanicas vocant. Inter alia autem ipſorum privilegia ſub capitis pœna prohibitum erat, ne quiſquam qui ex eo fœdere non eſſet in iis locis negotiaretur.

Ex huius Ligæ regionibus & præcipue Dantiſco, Lubeca, Hamburgo, Brema, & Livonię civitatib. ſuperius nominatis, magna frumentorum exportatur quantitas, quibus Belgium, Anglia, Luſitania & Hiſpania aluntur, & in præteritis penuriæ annis noſtræ quoque Italię hinc ſubventum eſt; & verum quidem eſt, quod maxima navium pars ex Amſterodamo aliiſq; Holandiæ civitatibus, aliquæ etiam ex Anglia veniant; ſed illæ Hamburgi aut Dantiſci onerantur, aut Amſterodami eas emunt, quo navibus Hanſeaticis una cum variis aliis mercibus numeroſis claſſibus deportantur. Neq; vel momentum temporis perditur: in illis enim magnorum commerciorum civitatibus omnia ſtatim diſtrahuntur. Et quia in Italiam aliquando Belgicis, aliquando Anglicis navibus deportantur, natus eſt quorundam error aut opinio, quod Belgica aut Anglica etiam ſint frumenta, quãvis ut diximus è Boruſſia, Livonia, Polonia, aut etiã alia aliqua Germaniæ regione veniant: alii vero quũ audiant, quod naves plerunq; Oſterlingæ dicantur, putant & ipſos mercatores Oſterlingos eſſe; neque falluntur, quum illæ Lubeca aut Dantiſco, aut è vicinis regionibus veniant, quæ inter ſinum Finnicum & Cimbricum iacent promontorium. Orientales enim illæ ſunt, cæterarum Germaniæ provinciarum reſpectu, unde & mare Balthicum & ſinus Codanus,

Oſt See/hoc eſt Mare orientale vocantur, & demum quia commercia hæc præcipue ab his veniunt civitatibus, quæ proprie Oſterlingæ ſunt, aliqui omnes reliquas ſub Hanſeatica Liga comprehenſas eo vocant nomine. ſibi perſuadentes hoc nomine uſitatius & ſplendidius eſſe. Et Belgæ à quibus & Hiſpani hanc didicerunt vocem, non aliter eas nominant, quia ipſorum etiam reſpectu Oſterlingæ ſeu Orientales ſunt.

Solebant Hanſeaticæ hæ naves omnibus temporibus navigare in Hiſpaniam, præter frumenta infinitam fere aliarum mercium copiam eo deferentes, ad maiorem ſecuritatem multis Belgicis comitatæ navibus itidem frumentis, pellibus & coriis, tam ad veſtes quam ad calceos, alioſque uſus, item uti iuſq; generis pice, liquida ſcilicet & dura, canabi, funibus, linteis, ferramentis, lignis, laborato ære, pannis, libris, piſcibus, & carnibus ſale conditis, caſeo, butyro, & mille aliis mercibus ac cineribus onuſtis; Pro quibus ex Luſitania ac Hiſpania, Ulliſſipone nimirum & Hiſpali, qui præcipui portus ſunt, in quibus exſcenſionem facere ſolent, Sal, quæ præcipua ibi merx eſt, Zacharum, Aromata Indica, cum variis ad medicinam pertinentibus ſpeciebus aliiſque illarum regionum curioſitatibus, item lanas multas, aliquãtum byſſi, olea & vina exportabant. In Italiam autẽ non ſolent venire, quamvis aliquãdo multis ab hinc annis, aliquæ naves halecibus aliis ſalſamentis onuſtæ huc penetrare auſæ fuerint: & memini Romæ raros admodum fuiſſe haleces, ac in pannorum tabernis à Belgis mercatoribus venditos; terra autem illi cum aliis mercibus eo deportabantur ac in deliciis habebantur: Poſtea vero ſingulis annis, aliquãdo una, aliquãdo duæ naves, Genuã, & totidem Liburnum, ac Romam totidem venerant, quæ & haleces adferebant, qui inde per Longobardiam, Hetruriam & Eccleſiæ terras cum aliis ſalſamentis diſtribuebantur: & tandem etiam Venetias uſque maiori numero venerunt. Quæ navigatio ipſis non ſine magno lucro fuit: Exportabant enim ex Italia, alumen, pannos ſericos, auro etiam intertextos, vinum, oleum, vitra, ac alias merces. Atque hinc ſæpius apud meipſum cogitavi, quomodo Deus admiranda ſua providentia, miſeræ ac calamitoſæ Italiæ ſterilitatis miſertus animos illorum hominum, ad hanc navigationem paulatim diſpoſuerit, ut in ſumma noſtra neceſſitate minus nova aut difficilis ipſis videretur. Quemadmodum & multos antea in illis regionibus extraordinaria fertilitate lętiſſimos dedit annos, ita ut omnibus Dantiſci, Lubecæ, Hamburgi, aliarumque vicinarum civitatum repletis granariis, maior eſſet naviũ patronis voluntas, frumẽta ſua in remotiores etiam regiones deportare, ut tãto maiori ea divendant lucro: eodẽ fere modo, quo Joſephum illuminavit, ut frumenta in lætis illis annis reſervaret, quibus in extrema ſterilium annorum penuria & tota Ægyptus, & dilectus eius populus ſuſtentari poſſet.

Memini, in principio magnæ illius in Italia anno 1588. penuriæ, quum tandiu etiam ſedes vacaret, donec tandem Gregorius XIV. eligeretur Papa, Sereniſſimum Urbini Ducem, qui pro ſolita ſua erga ſubditos caritate & cura imminentibus ditionum ſuarum neceſſitatibus proſpectum vellet, ſperans id è Bavaria fieri poſſe, ad me, quum Romam è Belgio veniſſem, ſcripſiſſe ac rogaſſe, ut ſi ea ſpes falleret, aliam Celſitudini eius ſuggererem, aut oſtenderem viam, qua fieri id poſſet. Cui quidem reſpondi: De Bavaria nullam eſſe ſpem cum alii præveniſſent: Verum credere me, quod Dantiſco aut Hamburgo id commodius fieri poſſet, ſi eo mittat, qui frumentum emant; oſtenſo etiam modo, quo ut Hiſpaniam uſque deportaretur, unde eius Celſ. navibus poſtea in Italiam transferretur.

Non enim imaginari poteram, neq; credidiſſem, Oſterlingos & Hanſeaticos unquam induci potuiſſe ut propriis ſuis navibus huc venirent. Sciebam quidem ſæpius eos in Hiſpaniam navigaſſe, ac videram ipſe: Sed de Italia, nulla erat memoria, unquam frumentum ex illis partibus in ea viſum. Niſi forte Florentiæ id factum, in cuius Reipubl. Archivis reperitur, olim in eiuſmodi neceſſitatibus annonam ex illis regionibus eo allatam: Unde & Magnus Florentiæ Dux & propriis & ſubditorum commodis invigilans primus fuit qui id negotiũ tentavit, atq; ea felicitate & ſucceſſu, ut abſque ullo damno aut magno etiam labore gloriam ſibi pararit immortalem in ditionibus ſuis, procurata abundantia Bologna ſuſtentata, & Romæ quoq; ſublevatis neceſſitatibus. Atque inſuper quod maioris forte momenti fuerit, donis quoque ſplendidis, ac ſummis honoribus nationes illas ſibi devinxit, ita ut in ſimilibus aut maioribus etiam caſibus, optima quæque officia ab illis ſperare poſſit. Cuius exemplo multi alii excitati ſunt. Et Reſpubl. quoque Veneta Secretarium ſuum Ottobonum Dantiſcum, tanquam ad inexhauſtam panis fodinam aut venam, ac plurimi alii mercatores privati, animum, magno ſuo lucro, ad hoc adiecerunt commercium. Unde navigatio illa & via tam trita & communis eſt, imo propter emolumentum tam celebris facta eſt, ut etiam abundarent in Italia omnia, & quotidie fere naves ex illis regionibus appellerent frugibus onuſtæ. Et Romæ quoque ipſe cum navis Roſtochienſis, quodin Megapolitano eſt Ducatu paulo ultra Lubeccam ſitũ, patrono locutus ſum, qui affirmabat ſe ſex ſeptimanis id eo feciſſe iter, neque ullum alium ingreſſum portum ac totidem eo rediturum ſperabat, unde etiam meo rogatu Collegii Germanici alumnum quẽdam eo deportandum ſuſcepit ſuis ſumptibus, pro quibus ſex coronatos petiit, nimirum coronatum pro ſeptimana.

Atque in hiſce navigationibus obſervatum eſt ſingulare Divinæ Providentiæ & bonitatis miraculum, quod nimirum tot annis, ac in tanta navium frequentia nulla ſit vel naufragium paſſa nec à piratis infeſtata: imo ne contrarios quidem ſit experta ventos, quibus navigatione impedita aut protracta fruges corrumpi potuiſſent. Quapropter etiam continue Divinæ Maieſtati ſum reddendæ gratiæ quod ſi peccata noſtra penuria ac ſterilitate illa punire voluit, non tamen permiſit ut fame periremus, noſtriſque malis paravit remedium longe facilius, quam illud quo Joſephi ſervavit fratres, quibus vel in Ægyptum cum iumentis proficiſcendum erat: ſenſi & ego eo tempore fructum amicitiæ, quam cum Domino Henrico Bauhonio Daniæ Vice Rege contraxeram, qui cum me ſciret eſſe Romæ, ubi etiam frugum laborabatur inopia, dono mihi inſignem miſit per tantum loci intervallũ, copiam.

Poſtea;

Posteaquam autem Deo placuit inopię illi imponere finem, qua per totum quinquennium Italia afflicta fuerat, cessavit etiam illa quoad fruges navigatio, computantibus mercatoribus, quod nisi pluris quam decem coronatis ipsorum Romæ vendatur mensura, cuius & capacitas & pretium ad undecim ducatos pro tribus nostratibus mensuris, revenier, non sit operæ pretium, ut tot periculis & sumptibus eo deferantur. Cæterũ frequentior tamen est nunc quam olim aliis in mercibus negotiatio, ad quas etiam nunc accessit sevum, & omnis generis salsamenta. Satis est, quod nunc Italia recenti edocta experientia fontem sciat, ad quem ipsi in suis necessitatibus sit recurrendum & utrum consultius sit in Angliam aut in Belgium, an vero paulo ulterius Dantiscum aut Hamburgum confugere.

De iis quæ Ligæ Hanseaticæ protectionem ambierunt, ex Italico translatus Discursus: ac de aliis quibusdam ad eius laudem pertinentibus.

NUlla in mundo nec memoria, nec notitia est, fuisse aliquod ligæ aut fœderis Hanseatici ordinatum aut constitutum stipendium; quamvis credibile sit, non esse officium illud absque magno aliquo, quod alia via percipiatur emolumento. Quod ex concurrentia eius competitorum aliquo modo iudicari potest: Quamvis etiam vel sola reputatio aut spes auxilii cuius à tantis viribus maritimis in aliqua occasione magna esset commoditas, aliquos ad hoc munus ambiendum incitare potuerint. Delatum autem illud à principio fuit Magno Borussiæ Magistro, quod imperii esset Princeps, qui portus & magnorum fluviorum alveos in sua haberet potestate, quibus magna diversarum mercium copia hac illac transportari posset, ac ipsius quoque privatim interesset, ut fœdus illud ac commercium defenderetur: cum illis quoque caveatur, ne arma, aurum, argentum, ferrum, aut alia metalla ad Moscovitas deportentur, quibus Livoniæ, quæ ordinis quoque erat Teutonici, ullo modo nocere possit; Sed privatus tandem eo fuit Albertus Marchio Brandenburgicus, præsentis Borussiæ Ducis Pater, quod & religione a vita & imperio relicto, ac ex fratre regulari, quales Teutonici sunt equites, princeps secularis, ex Romani Imperii Principe, Poloniæ Regni membrum factus: atque insuper & iam contra votum cõiugatus; Ex quo coniugio præsens Borussiæ Dux natus, qui absque hæredibus est masculis, & insuper divino iudicio humore melancholico ita est afflictus. ut raris saltem intervallis mentis compos sit.

Hoc autẽ remoto munus illud ambivit Rex Sueciæ, qui cum Livoniæ parem, ac tot in mari Balthico loca opportuna commercii in sua haberet potestate, invitabat etiam confœderatos, cum spe maioris etiam commoditatis. Verum quia Imperii non erat princeps, repulsam passus est, quam etiam Poloniæ Rex tulit, qui ut maioris Borussiæ partis Dominus, quasi suo quodam iure officium hoc sibi deberi cõtendebat. Accessit postea Daniæ Rex, qui ducatus Holsatiæ respectu Princeps Imperii videbatur, & à quo maiora propter angustiam illam quam Sund vocant, exspectari poterant commoda, utpote qua navibus proprie Osterlingis necessario transeundũ erat, præterquam quod Rex etiam multas haberet civitates, tam in Scandia continenti, quam in ipsa Germania, ac in eius Insulis, quę magnum fœderi attulissent commoditatem. Sed nec hic placuit, quia princeps habebatur peregrinus aut parva saltem ditionis suæ portione ab Imperio dependens. Atque eadem de causa, ne in Regem quidem Hispaniæ inclinari potuerunt, quamvis propter Belgii Dominium Confœderatis potuisset esse utilissimus; sed & nec certo scitur, an unquam eius Maiestas Catholica officium hoc ambiverit, quamvis communi id aliquando fama auditum sit, & ex iis quæ Hanseaticis acciderunt utile futurum videtur, si eum sibi devinxissent, eiusque opera contra Anglię Reginam usi essent.

Caro autem Confœderatis tot constiterunt repulsæ, ac tam longa de eligendo capite deliberatio. Nam ipsorum commercia non solum gravibus illis ab Angliæ Regina impositis oneribus subiacebant; verum etiam magno vectigali in freto Cimbrico, seu Sund/à Daniæ Rege augmento premebantur: præterquam quod & Sueciæ Rex sibi navigationum licentias (ut vocant) in illis locis quæ ipsius erant ditionis sibi arrogabat, ac eos, qui non redemissent, hostiliter tractabat, magno mercatorum detrimento: adeo ut Osterlingi tot pressi oneribus magnam commerciorum suorum partem relinquere, aut remittere cogerentur.

Et quoniam superius meminimus spem ipsis aliquam è Gallia factam, aut Gallos etiam eo aspirasse, notandum est, quod quum disceptatio illa cum Angliæ Regina, anno scilicet octuagesimo & octuagesimoprimo, in maximo esset fervore, Dux Alenconius unicus Henrici Galliæ Regis, in qua familia Valesia extincta est, frater, qui etiam inter alia occultissima consilia rebellium Belgarum defensionẽ in propria persona susceperat, manifesto etiam hac de re inter ipsum & Angliæ Reginam intercedente, aut ab ipsa persuasus, aut proprio cõmodo motus, Lubeccam, ubi tunc Hanseaticorum conventus erat, legatos suos misit, Ioachimum scilicet de Brandestein, & Philippum de Farenrode, per quos & personam suam & operam omnem ad civitatum cõfœderatarũ protectionem obtulit, facta etiã in specie, de conciliandis, quas cum Angliæ Regina habebant differentiis, mentione, addito etiam, quod forte nullum, quam se ad id magis appositum haberе possent Instrumentum. Erat enim id eo tempore, quo utique fermo spargebatur de ipsius cum Angliæ Regina connubio. Et ut obiectioni, quod imperii Princeps non esset, occurreret, proponebant Legati: Posse ipsum in Confœderationem recipi, in qua & Imperator & omnes Imperii Principes comprehenderentur, ut hoc modo nihil quicquam tractari posset, quod ipsorum commodis & iuribus obesset. De cætero optime se erga totam Germanicam nationem esse affectum, atque procuraturum, ut à Frãciæ Rege, ipsius fratre, perpetua & inviolabilia cõcederentur privilegia, per totam Franciam commercia sua exercendi, atque inde rursus omnes, quos Francia ferret, opes vili pretio exportandi, vinum scilicet, salem, glastum, pannos & lintea.

Sed responderunt civitates: Debitas se quidem pro beneficiorum oblatione agere gratias; verum nihil

nihil se hac de re polliceri posse, & quum ipsorum cũ Angliæ Regina controversia in proxima comitia reiecta sit, in quibus decisionem eius sperarent, integrum sibi non esse, aliunde conquirere auxilia. Post quod acceptum responsum, Legati nihilominus Lubecæ remanserunt, ut animos confœderatorum sibi paulatim devincirent; ac quamvis data occasione utentes, temporis beneficio, aliquam eorum conjunctionem procurarent. Verum post aliquos menses alter ad meliorem vitam translatus est; alter vero protractionem temporis pertæsus, ad sua rediit.

Atque hoc modo Liga hæc usque in diem hodiernum est absque protectore: atque hinc ita inordinata, ut param ei de antiquo splendore superfit. Angliæ Regina in hoc intenta, ut civitatum confœderatarum aliquas ad suas trahat partes, & reliquas inter seiptis ad mutuam discordiam incitet, ut intestinis impeditæ simultatibus, minus de externis consultare possint. Et hinc Angli confirmata sua Elbingæ residentia civitatem eam ut cum Dantisco in cõtentionem veniret incitarunt, ea uti occasione quod scirent Regem Stephanum Battorium non adeo bene erga Dantiscanos affectum, qui, ut eius imminueret potentiam & auctoritatem, diversis concessis Elbingentibus privilegiis, aliquam saltem commercii partem eo derivare tentabat. Qua in re Angli magno Regi fuerunt adiumento. Sed interim suarum rerum quoque satagentes ita, ut parvo interiecto tempore præcipuas in suam potestatem redigerent domos, & optimas quasque possessiones, donec tandem Poloni animadversa ipsorum versutia, & veriti ne latius pedem ibi exererent ac figerent, anno 1589. Comitiis Varsovienſibus, quæ prima sub Sigismundo Rege fuerunt, decretum renovant, quo peregrini prohibebantur in Dominiis à Poloniæ Corona dependentibus cuiuscunque generis immobilia emere bona, quæ Nobilium fuissent, aut ab iis possessa, sub pœna amissionis & bonorum & pretii. Atque huic pœnę etiã subiiciebantur illi, qui iam empta, non ante triennii lapsum tempus vendidissent.

Deinde Regina in executione decreti sui anno 1587. publicati, contra eos qui arma aut victualia in Hispaniam, aut Portugaliam, aut Italiam deportare ausi fuissent, cuius terminum Calendas Ianuarias anni 88. præfixerat, paulo post infelicem Hispanicæ classis successum repertis in ipsis Tagi faucibus, quę iam Ulysiponam appulsuræ erant, circiter sexaginta navibus diversis mercibus onustis omnes retinuit, ac Londinum deducendas curavit; ubi omnibus quæ ad victum & munitionem alioſque usus bellicos pertinebant, imo omnibus, quæ portabant, eas spoliavit. Cum enim paulo post eas dimisisset, & rumores quidam audirentur, quasi confœderati eam iniuriam essent vindicaturi, de novo eas arresto detinuit, dimissis minoribus cum incredibili Hanseaticorum iactura, quæ nec variis Regis Poloniæ admonitionibus, neque Dantisci aliorumque confœderatorum civitatum intercessionibus unquam resarcita fuit.

Atque notatu digna hac in parte Reginæ fuit astutia, qua victoriam suam contra Hispaniæ Regem efferens & continens, magnasque expensas, quas eũ multos iam per annos facere coegisset, obtendebat magno ipsius quoque Polonię Regis factum esse beneficio, inferens, quod nisi tale fuisset impedimentum, Maximilianus, ipsius æmulus, maximas ab Hispania habuisset vires, ad eum in proprio ac legitimo suo possessu inquietandum; ac concludebat tandem in communem hoc vergere utilitatem, ne Hispaniæ Rex ab Hanseaticis media atque auxilia accipiat, quibus postea contra utramque coronam armari possit. Ac hoc modo vel ipsi Regi & Polonis, pulex in aurem, ut aiunt, immissus est.

Et quia postea per totum mundum sermo esset de tot Arrestis ac invasionibus à Regina patratis, quibus fere innumeri mercatores peribant & cogebantur deficere, ipsa anno 1589. scriptum publicavit, in quo magno rationum, & exemplorum cumulo nitebatur probare, quod & iuste & necessario ad Dominii sui conservationem id fecisset. Verum sive iuste sive iniuste id factum sit, certum est Angliam illis annis 88. & 89. videlicet & publice & privatim multum ditatam, tum præda ex classe Hispanica, quæ tota fere in ipsius incidit potestatem, tum etiam ex mercium invasionibus. Quam ob causſam etiamnum inter civitates Hanſæ & coronam Anglicanam tacitus fervet & fovetur rancor, licet utrinque nolint id in aperto sentiri. Unde quoque huic occultæ simultati & æmulationi alius adiectus est postea morsus, quo commercia in panno arrodebantur acriter, in quo multum Hamburgenſium præstitit suggestio, quam ex postfacto tandem sociam sentiebant civitates, quum se defraudatos cernerent. Sed novae de huius rei continuatione alium heic subnectere discursum P. H. quo pluribus sequentia explicentur.

Relatio plenior ex superioribus deducta, præsertim de controversia inter civitates Hanseaticas & Angliæ Reginam: nec non pauca, de Novagardica commerciorum turbatione inter eas & Muscovitam.

QUanta sit Liga aut confœderatio Hanseaticæ, quantæque eius vires, satis apparet: indubium tamen est, multos in Italia esse, etiam ex illis, qui multam rerum profitétur scientiam, quibus ne nomen quidem eius sit cognitum, quamvis tam sit vicina & in loco, in quo tam crebra sunt commercia. Unde cogitari potest quanta etiam remotiorum & leviorum debeat esse ignorantia, quantumque legere ac investigare conveniat illum qui rerum mundanarum cognitionem desiderat. Quod ego solis exceptis sacris, præcipuum ac iucundissimum studium, summumque hominis nobilis ac politici inprimis ornamentum puto: utpote, quo omnia belli pacisque continentur ac reguntur negotia.

Prima autem privilegia ab Henrico III. Angliæ Rege (qui 28. Rex ab Egberto fuit & ab anno Chr. 1217. usque ad ann. 1272. atque ita 56. annis Regno præfuit) Hanseatico fœderi cõcessa, à tredecim Regibus eius successoribus postea confirmata fuerunt, omnibus perpendentibus, quanti momenti ipsis esset, si Ligam hanc amicam haberent, tanquam à qua præcipui coronæ suæ provenirent reditus. quemadmodum vel ipsi in quodam privilegio testantur, quod Regina Elisabetha velut & Maria in strictiorẽ observationem cum damno aliorum coniecerunt, uti ex iam dictis superius patet.

Sed

Sed ut ad rem propius heic veniamus: Conſenſerunt quidem aliquando Hanſeatici in aliqua, præter centeſimæ vectigal, minora onera, aut portorio-rum incrementa. Poſteaquam autem Regnum Maria, eius quæ nunc regnat ſanguine quidem, ſed non fide & pietate ſoror, Regis Hiſpaniæ Philippi glorioſæ ſemper memoriæ uxor, adepta eſt, neſcio quo conſilio, abſque ullo aliorum conſenſu aut communicatione, vectigal illud à centeſima uſque ad quintum auctum ſit. Quod quam mirum & inexſpectatum Hanſeaticis acciderit, quilibet facile cogitare poteſt: eo præcipue tempore, quo omnia ipſorum commercia Londinum delata eſſent, aliis eorum locis aut prorſus relictis, aut minus frequentibus.

Novogardia enim per aliquot Annos relicta erat, propter Moſcovitæ tyrannidem, qui indignatus, ac ad propriam omnia referens contumeliam, quod ex eius ſubditis quidam qui horrendo cum vacca coitu ſe polluerat, ad ignem condemnatus eſſet, in vindictam omnes Hanſeaticos ſibi repertos cæpit, ac pleroſque occidit, & merces eorum arreſtavit. Et quāvis poſtea errorem admiſſum, ac hinc ſuis ditionibus proveniens damnum ſentiens, captivos in libertatem, & merces reſtituiſſet, noluerunt tamen ipſi tam barbari ac crudelis principis fidei ſe committere, ſed totum illud commercium reliquerunt. Erat autem Novogardia quum primum eo commearent civitas libera, quæ ad Reipublicæ formam gubernabatur, ſed poſtea à Moſcovita ſubacta ac in ſuam poteſtatem redacta fuit.

In Berga etiam Norvegiæ civitate commercia ipſorum comminuta ſunt, poſtquam Daniæ Rex in freto Cymbrico (quod ipſi Sundt vocant ac inter Elſenoram & Elſenburgam) nova quadam ac ſophiſtica interpretatione portorium valde auxit. Pro unica enim Roſa nobili, moneta aurea, quæ quatuor exiſtimatur ducatis argenteis, quæ pro velo pendebatur (veli autem vocabulo navis intelligebatur) tot tales monetas exegit, quot in navi eſſent vela, ac poſtea quoque de mercibus ſeorſim erat ſolvendum vectigal: Unde ita gravati Hanſeatici ab eo commercio deſtiterunt. Nec minus facere potuerunt illæ naves, quæ è Livonia, Boruſſia & Vandalia veniunt, quæ proprie Oſterlingæ ſunt intra promontorium Cymbricum ſitæ, quā ut fretum illud vitarent, neque amplius illac vela facerent. Ex eo autem portorio Daniæ Rex præteritis annis in magno illo frumentorum commercio immenſos percepit theſauros, quemadmodum & in hodiernum uſque diem proventus hinc maiores ſunt quam reliqui ex toto regno proventus. Tertius autem eorum Mercatus, Antverpia nimirum, quo Brugenſia tranſtulerunt negotia anno 1566. maxima ex parte impediebatur bellis & motibus Belgicis, unde maximus eorum nervus Londinum in Angliam converſus eſt. Atq; hinc animadvertit Regina Maria, quantum ſibi ex eo incremento aut vectigalis augmento, lucri accederet.

Ad primum autem eius nuntium, legatos ſuos ad eam miſerunt Hanſeatici, qui de hac novatione cōquererētur, petentes ut in veteribus relinquerentur conventionibus, quibus & ipſa Regina in regni ſui ingreſſu ſubſcripſit ad anteceſſorum ſuorum imitationem. Et Rex Hiſp. quidem Philippus, offerebat ſe in hoc negotio mediatorem, videbaturque levi id aliquo temperamento compoſiturus, ac putabatur ſubitaneus ille ab uno ad viginti ſaltus, arte inventus, ut ſuccedens diminutio haberetur pro beneficio, ac ut tanto facilius, ad ſeptem aut octo pro centum conſentirent; ſed antequam quicquam efficeretur, obiit Regina, & re infecta Philippus in Hiſpaniam rediit. Manſit itaque negotium eo in ſtatu ac confuſione.

Quamprimum autem præſens Regina in regium thronum collocata fuit, adſunt rurſus Hanſeatici, privilegiorum ſuorum confirmationem petentes, ſed ſpecioſis aliquandiu lactati verbis, promiſſis & ſpe vana, interea vero diminutis & minus frequentibus illorum navigationibus, aliud inventum eſt, quoad lanā, quæ præcipua eius regni merx eſt, compendium, & coronæ & ſubditis eius longe utilius. Duobus enim mercatorum collegis, quorum alterum ſtapulariorum, alterum vero venturariorum dicebatur, commiſſum eſt negotiū, ut illi lanas omnes, hi vero pannos diſtraherent, non abſque monopolii ſuſpicione, cuius præcipuum lucrum ad reginam perveniret.

Puto autem ea mercatorum collegia iam dudum fuiſſe inſtituta, non tamen eorum indagare hactenus potui originem, neque cauſam aut rationem illorum nominum: verum coniecturam tātum facio, ſtapularios dictos, quod in regno perpetuo maneant, ac omnes merces recipiant, quod Staepelen Belgæ vocant, à quibus nomen mutuati videntur. Venturarii autem dicuntur ideo, quod foras profecti aventuras (Gallicum eſt vocabulum) hoc eſt fortunas ſuas quærant.

Ut ut autem ſit, dum Hanſeatici ſperant, ſe ad finem ſuæ prætenſionis brevi perventuros, ac magno Angliam damno affecturos, ſi illam intermittant navigationem, maiorem in eo regno excitarunt induſtriam, unde & maius tam commerciorum quam divitiarum in eo cœpit incrementum. Nam ab eo tempore Angli maiori diligentia & cura in res maritimas ac navales incubuerunt, atque adeo, ut ve ipſis Hanſeaticis ac aliis nationibus ea in re hodie præferrētur, tam navium commoditate, quam nautarum experientia & capitaneorum animoſitate. Hinc Draconis celeberrimi navarchæ & Richardi Campiviridis eius nepotis noſtra ætate audivimus nomina, qui aliquoties uſque ad Indias orientales excurrere auſi, totum mundum tanquam cingulo circumdederunt.

Et quamvis paulo poſt anno videlicet milleſimo quingenteſimo ſexageſimo octavo, propter Hanſeaticorum querelas, Angli, Belgio, ea nimirum parte, quæ Hiſpaniæ Regi ſuberat, prohibiti, in aliis tamen locis magna induſtria nidulari conati ſunt, ac ſemper cum ſuæ negotiationis commodo, quam etiam (præterquam quod ſemper ipſis in Hollandia, Zelandia, & in Francia libera manſit,) Embdam Friſiæ orientalis civitatem opportuniſſimam, portu ſecuro & capace, in quem Ameſia fluvius ſe exonerat, uſque extenderunt, tanto civium eius fructu & emolumento, ut Hamburgenſes ex Hanſeaticis non poſtremi, qui antea eos apud ſe retinere noluerant, eos ultro invitarint, dato etiam Reſidentiæ loco, ex quo ſe deinde in diverſas ſparſerunt Saxoniæ regiones; ac inde in Boruſſiam, ubi etiam in Elbingenſi civitate reſidentiam habent: atque hi omnes venturarii erant,

sii erant, qui hæc exercebant commercia, id est, nec in Borussiam saltem divitiarum è longinquo colligendarum desiderio penetrarũt, sed & longius progressi versus Arcticum polum, prętervavigata Norvegia, Finmarchia, Thiarmia & Laponia, usque ad mare Album & portum S. Nicolai, ubi S. Michaelis Archangeli est civitas, quam Archangeliam vocant, aliaq; Moscovitico imperio subiectas regiones pervenerunt ; ad quas, magnorum fluviorum Onegæ, Ruinæ, Dinegæ & minorum quorundam beneficio, qui omnes in eum se exonerant sinum, devoluta sunt ea commercia, quibus magna illa Novagardia quondam celebris erat, magno cum Anglorum lucro. Et iam Venetiis etiam ad minimum una quotannis visitur navis, quæ ex illis regionibus adfert pelles pretiosas, boum coria, sevum, salsamẽta, mel, ceram, ac alias eiusmodi merces. Non tamen ita auctum esse illud commercium putandum est, ut multis ad id opus sit navibus, nec forte maioribus se audent Angli cum Moscovitica barbarie miscere contractibus, aut fortassis propter ingentia quæ ibi perferenda essent, frigora (utpote ultra sexaginta gradus versus septentrionem progressi) non diutius ibi hærere audent.

Magno interim damno, (aut forte Zelotypia quadam) Angli Daniæ Regem, cui Norvegia subest, afecerunt: unde aliquoties eos impedire tentavit, sed neque dehortationibus, neque vi etiam quicquam profecit. Nimis enim eorum ibi crevit potentia, & iam usque ad quadragesimum annum ita confirmati sunt, ut nulla spes sit eos impediri posse.

Excitavit tamen hæc Anglorum navigatio in aliis audacioris cæpti desiderium, nimirum, ut enavigato toto illo Mari Tartarico, ac freto Aniani, quod inter Americam & Cataium est, penetrato, breviore itinere ad ditissimos Indiæ mercatus pervenirent, & omnẽ ibi Hispanorum negotiationẽ interturbarent. Quod etiam ante quatuor annos memorabili conatu tentarunt Hollandi, qui novam Zemblam prætervecti, ad Insulam Waygats, Illyrico aut Ruthenico vocabulo, quod vadabilem significat, pervenerunt. Ubi in continente ad sexaginta gradus cũ dimidio versus Septentrionem, nulla hominum invenerunt vestigia, sed saltem in loco quodam in cuiusdam fluvii ripa, magnam lignorum struem, qui si ad classem fabricandam paratam. Sed nimio territi frigore, quod per decem menses continuos varia fortuna tulerunt, relicta navi congelata, duabus Scaphis incredibilibus superatis difficultatibus, in patriam tandem redierunt. Quo quamvis non defecerit ille calor, neque sublata ipsis omnis spes sit, propositum illud perficiendi, neq; dubium, quin de novo tentaturi id sint: non tamen puto Hispanos usque adeo timere, ne ab illa parte aliquid detrimenti pariantur.

Ut autem ad nostrum redeamus propositum: dũ Angli ita suarum rerum satagunt, & commercia sua tam in remotis, quam in vicinis locis dilatant; Hanseatici videntes sua ubique imminui, ac fraudulenter cum ipsis agi, de privilegiorum confirmatione cum Regina agere destiterunt, ac ad Imperatorem conversi iure agere cœperunt, petentes, ut tanquã Imperii membra in tanta iniuria defenderentur; tenerí Reginam ea servare, quę eius prædecessores cõcessissent, non ex mera gratia, sed in compensationem servitiorum præstitorum, & pecuniarum mutuo datarum; Nam inter quatuordecim illos Reges, qui ea confirmarunt privilegia, fuisse Eduardum IV. cum quo Hanseatici diuturnum gesserunt bellum: ac tandem anno 1460. pace Ultraiecti facta, ac Rege se Hanseaticis ducentas libras Sterlingas debere fasso: summam eam ipsi remiserunt ea conditione & pacto, ut pro se ac suis successoribus promitteret, eorum privilegiorum gratam conservationem. Quæ conventio postea Londini, in omnium Regni statuum conventu, quem parlamentum vocant, confirmata fuit: postea vero eadem conditione, ac in cõtractus forma à Richardo III. Henrico VII. & abipsa Regina Maria, Eduardi IV. successoribus ratificata fuit, quod etiam petitionem tanto honestiorem & iustiorem faciebat.

Atque hoc modo causa hæc agitari cœpta est: Ac Imperator primum amicis & benignis admonitionibus cum Regina egit, intercedens ac monens, ne Hanseaticis id denegaret, quod summo ipsis debebatur iure. Cui Regina aliquoties valde humaniter respondit, excusans se, quod nulla Hanseaticos afecisset iniuria, neque quicquam cum ipsis innovasset; sed in eo statu reliquisset, in quo eos invenisset, ac reliquisset eius soror Maria (ut superius diximus) ab anno 1558.

Auctis autem indies Hanseaticorum querimoniis, ita, ut per totum ea audirentur Imperium; Regina iis se offensam reputans, propter denegatam suis Hamburgo residentię prorogationem, sublevationis loco novum Anno 1578. publicat decretum, quo declarabat confœderationis illius mercatores eodem modo & loco cum omnibus aliis peregrinis habendos, abrogatã omni privilegiorum & exemptionum memoria: Et postea novis decretis omnibus peregrinis, quibus etiam Hanseatici comprehensi erant, lanæ cõmercio in suo regno interdixit; quibus illi ultra modum gravati, non poterant inter se convenire dẽ insigni aliquo adhibendo remedio. Multæ enim huius Ligæ civitates, magnis emolumẽtis inescatæ (quod etiam Regina magno artificio procuraverat) in eam inclinabant partem, unde certa sua sperabant commoda: Unde Regina discrepantiam hanc præsentiscens, indies insolentius in ea causa procedebat: & maxime postquam sibi Hollandos & Zelandos fœdere iunxit, atque in propria quoque sua ditione remanavalem potentiorem & celebriorem vidit.

Collegiati ab altera parte ad sui, suarumque prętensionum defensionem Regem Catholicum attraxerunt, monita eius Maiestate, Reginam hoc modo pulsum & nervum sibi parare, quo postea totum hunc mundum turbare, atque omnia in eo invertere posset, rebellẽs in Belgio foveret, Hispaniam tentaret, & usque in Indiam piraticam exerceret, lucri & utilitatis quæ ad eum perveniebat argumento sumpto ex eo, quod in prætentorum Regum privilegiis dicebatur, nimirum, quod præcipui coronę reditus consistant in emolumentis, quæ ab Hanseaticis percipiantur: Quod si ita fuisset, cum centesimam saltem penderent, quid nunc sentiendum sit, cum quinta (aut viginti pro centum) exigantur: Quid autem ad eam sit perventurum postea quam negotiatio antea in quatuor loca (ut supra diximus) divisa, Novogardiam scilicet, Bergam, Brugas &

gas & Londinum, nunc omnis Londinum derivata sit? Ita quod Reginæ in conciliando hoc negotio remissio, cum tamen maximo suo commodo id facile posset facere, vectigali ad septem aut octo, aut forte etiam ad decem pro centum reducto, cogitandi sufficientem præbeat occasionem utilius ipsi esse, si ita in medio illud relinquat. Item Regem ad Ligæ defensionem esse obligatum, quia multæ ipsius civitates in ea comprehenderentur. Item, si Regina ad iustum consensum cogeretur, aliqua ei pecuniarum pars tolleretur, quibus ad affligendos principes Christianos abutitur. Aut si ad suas velit Rex transire partes, ut prorsus intermittatur illa navigatio, Reginam multis rebus necessariis, tam ad classes, quam ad res domesticas, destituendam. Caret enim Anglia pice, canabe ad faciendos funes nauticos & vela conficienda; caret lino; caret chalybe; caret malis nauticis, cera, & lignis ad omnis generis fabricas & ædificia, nec aliunde ea habere potest, quam Vistulæ beneficio, & Ligæ auxilio, per mare septentrionale: item, quod si iustas Regina recuset conditiones, Osterlingos (ita nominant huius fœderis socios) manifeste à se alienet, directuros se navigationes suas in Hispaniam per latus septentrionale, neque ingressuros Angliæ Canalem, in quo tam gravia cogantur solvere vectigalia, ac sæpenumero in proposito itinere impediantur: sed recta in dextro latere Anglia, ac Orcadibus circumnavigatis in Hispaniam vela facturos quemadmodum iam cœperint; quamvis aliquanto longiore, attamen utiliore itinere.

Rex itaque partim his motus rationibus, partim etiam sentiens commodum sibi futurum, si gentem tam populosam & tam in Mari potentem sibi adscisceret, defensionem fœderis suscepit, ac pro sua Autoritate apud Imperatorem intercessit, ut tandem aliquid in hac causa aut negotio concluderetur: & putatur, Regem petiisse, ut ipse Magni Borussiæ Magistri loco crearetur protector fœderis, utqui Belgii Dominus, & Imperii membrum sit.

Quod ipsius rebus valde poterat esse accommodum, ac maximi ad Belgas rebelles domandos, ac insuper ad vindicandas ab Angliæ Regina sibi illatas iniurias, momenti. Imo sæpius miratus sum, quod cum Rex Catholicus Anno 1588. Angliam tanto apparatu tantisque viribus invadere statuerit, Hanseaticos non assumpserit, quorum auxilio, partim propter magnam, quam in mari habent potentiam, partim propter vicinitatem, facile erat totam eam deglutire Insulam: neque puto magno opus fuisse ad persuadendos labore, cum eo tempore in Reginam iratissimi & commotissimi essent.

Sed factum id puto, eo, quod Hispani nimium sibi de suis promitterent viribus, quæ postea occulto aliquo Dei Iudicio confusæ & dissipatæ fuerunt.

Osterlingi hinc ad suas partes adducto Hispaniæ Rege, atque ipsius authoritate cum suis prætensionibus coniuncta, apud Imperatorem instantius urgere incipiunt negotium.

Et quemadmodum inter sua gravamina in aula Imperatoris proposuerant, ubi etiam principum Electorum commissariis tanquam universum Imperium concernentia fuerunt communicata, ita postea in comitiis Ratisbonensibus Anno 1574. instanter fuerunt repetita.

Et sperabatur, opportunam aliquam de iis suscipiendam deliberationem: verum Polonica negotia, ubi in Electione Maximiliani Imper. concurrebat Stephanus Bathoræus, qui iam in armis erat ac regnum paulatim occupabat, tempus præcidebant: & tandem ipsius Imperatoris subsecuta morte, omnia infecta ac in medio relicta sunt: Alias, (ut ego ipse, quum iisdem interessem comitiis, à præcipuis Ministris intellexi,) Imperator ut rerum mundanarum erat experientissimus, quantires ea esset momenti satis perspiciens, conveniens ei adhibere remedium apud se concluserat.

Post ea autem tempora, quamvis subinde aliquantum moveretur ea causa, dormire tamen potius dici potuit, usque ad insequentia Anni 1582. Augustæ convocata Imperii comitia.

In iis enim res serio agi cœpit, petentibus civitatum legatis, ut quoniam hactenus benignis ac amicis Imperatoris ac principum Electorum intercessionibus nihil apud Reginam obtentum sit, ad rigidiorem procederetur executionem, quam etiam necessariam esse, ne Germania illis Anglorum monopoliis prorsus expiletur.

Magnas enim hinc efferri divitias, paucis ab hinc annis ad duplum aut triplum aucto pannorum & omnium lanificiorum pretio: subductis etiam in genere rationibus affirmabant circiter ducenta millia pannorum integrorum ex Anglia exportari, quorum tres quartæ ad minimum in Germaniam deferantur, de quibus aliqui per Poloniam, Daniam, & Suetiam distribuantur; quartæ vero reliquæ, in Belgio & Francia, & pauci aut nulli potius in Hispania distraherentur; ex quo facilis sit coniectura, quanta ex vectigalibus saltem, si nihil aliud sit præterea, ad Reginam perveniat, & quantum lucrum ipsius hinc faciant subditi.

Instabant itaque Osterlingi, ut venturarii Angli (sic vocabatur eorum collegium) toto imperio proscriberentur tanquam monopolitæ, atque ut publico, tam Cæsaris quam comitiorum nomine decreto prohiberentur panni ac omnia lanificia Anglica. Quod unicum videbatur remedium, quo Regina ad iustas conditiones cogi posset: neque ullam Reginæ hic fieri iniuriam, de qua iustam conquerendi haberet occasionem.

Primo, quod sæpius ab imperatore requisita, ut Hanseaticos in antiquis suis privilegiis manuteneret; nullam tamen eius habuerit rationem.

Secundo, quod de novo, etiam sub protestatione monita sit, civitates ut membrum Imperii tam nobile, non posse absque auxilio relinqui: unde in ipsius potestate fuerit, ut tales scopulos, si voluisset evitaret.

Tertio, quod primo Osterlingis commercio interdixisset, unde nec ipsa aut mirari, aut conqueri deberet, si & suis in Germania id accidisset.

Quarto, quod in Anglia expresso mandato prohibitum sit, ne quisquam, Rege & Regina exceptis, peregrino in vestibus utatur panno.

Quæ quidem prohibitio, quamvis in omnium principum sit arbitrio, quandocunque eam subditis suis utilem putant, saltem in Germanorum facta sit præiudicium.

Regina aut, vel è longinquo eam super se venturam tempestatem sentiens, omnibus se ad defensionem præpararat modis; & dispositis præcipue quorundam principum hęreticorum in suum favorem animis (ut ex ipsius litteris & responsis, quorum una cum omnibus ad hanc rem pertinentibus descriptas in illis consiliis habui copias, videre est) procuraverat insuper ut Comes Etzardus, & Embdensis in causæ huius favorem Cancellarium suum, hominem doctum ac rerum gerendarum expertem, ad Comitia mitteret, & Georgium Gilpinum, quem ipse ad eundem mittebat finem, necessariis instrueret provisionibus. Ibi Gilpinus pro reo, tanquam actor se gerens, prolixum obtulit scriptum, quo demonstrare conabatur Anglos Mercatores Venturarios nequaquam monopolitas esse, ac magnam Anglico nomini fieri, ac ipsi Reginæ iniuriam. Produxit etiam Hamburgi & Antwerpiæ civitatum testimonia, quibus fatebantur, ipsos semper integra & honorifica ipsorum & inveniisse & habuisse commercia, absque ulla fraudis aut monopolii suspicione. Ad quæ eadem fere prolixitate responderunt civitatum legati, inter quos quidam Sudermannus cognominatus erat præcipuus, atque multis rationibus probare conabantur, mera ea esse monopolia: atque ab utraque parte disceptabatur non absque vehementia & amaritudine.

Et quantum ad libertatem Osterlingorum cum Anglis commercii attinet, multum sibi Regina ipsis offerre videbatur, si ita eos quemadmodum propriosuos subditos tractaret, & quod de cætero nihil cum ipsis innovarit, cum eo in statu eos reliquerit, quo invenerit, tamquam contra conscientiam se facturam existimans, si eorum aliqua quæ Maria ipsius soror egisset, rescinderet. Quamvis forte nullum alium eius actum in vigore reliquit, quam hunc.

Osterlingi autem è contrario probabant, quod ipsorum privilegia non processissent ex pura aliqua gratia; Sed ex forma contractus obligatorii, quam Regina propter ius & honestatem observare teneretur.

Post longas tamen altercationes comitia in Ligæ Hanseaticæ favorem protulerunt sententiam: Ut nimirum Angli Mercatores toto proscriberentur aut arcerentur imperio, cum omnibus pannis aliisque lanificiis, sub confiscationis & vitæ periculo. Atque hæc sententia Imperatori oblata confirmata ab ipso quoque fuit, addito statim mandato, ut ad executionem procederetur. Itaque nihil amplius videbatur supersesse difficultatis.

Sed ostendit Gilpinus, etiam in desperatione spem supersesse; si saltem accedere liceat. Dilati enim decreti publicatione usque ad Comitiorum finem, instantibus civitatum legatis tandem Responsum datur, decrevisse Imperatorem, certiorem prius facere Reginam, ac monere, nisi Hanseaticis satisfaceret, unanimi omnium Imperii principum consensu proscriptionis sententiam publicandam.

Sed opinio & fama fuit, Gilpinum huius posterioris scripti atramentum apud aliquem ex officiariis quinque rosarum nobilium millibus emisse, quæ ad viginti ducatorum argenteorum revenirent millia.

Tantum potest infidus aliquis Minister, contra optimi principis & tam honorati consilii mentem.

Sed factum hoc tam ægre tulerunt Hanseatici, ut Lubecensium Legatus Vice-Cancellario in faciem dixerit, in talibus negotiis se non amplius ad domum Austriacam recursuros, subindicans simul auxilium sibi è Gallia offerri. Atque hic fuit conflictus, rebus interim nihil mutatis.

Risit post hæc Regina Hanseaticos, & forte alios quoque ac dividere inter se civitates contra non solum mercatorum suorum Residentiam Embdæ, in Frisiæ civitate, cuius comes eam contra Imperii mandatum retinuerat, confirmavit, sed & Hamburgi, magno civium consensu restituit, postquam sibi aliam Stadæ civitate quoque Hanseatica quasi in fronte, in altera Albis ripa oppositam conspexerunt.

Et tanquam iam secura, nihil sibi ab Imperii parte timendum, quod propositum suum impediri posset, sed omnia iam à sua dependerent voluntate; negotiationes suas pro libitu suo instituit. Ac deinde, non ut cuiquam gratificaretur, sed quod sibi expedire sentiret, Anno 87. Gildebuldæ Altamanno, (titulus est præsidis, & nomen ipsorum curiæ quod Londini est:) decretum proposuit, quod Hanseaticis suis principalibus ac patronis transmitteret, quo continebatur Reginam ipsis eam concedere gratiam, ut libere in Anglia negotiari possint, eadem qua naturales sui subditi conditione: hoc est: iis oneribus, quæ ultimis Reginæ Mariæ, & primis suis temporibus tulerunt: ea vero lege, ut sub fide sigilli totius Hanseæ seu Ligæ promittant, se mercatoribus Hamburgi & Stadæ, & si alio aliquo in loco ipsis commodum videretur, perpetuo liberam concessuros residentiam. Sed non acceptarunt confœderati, imo magis indoluerunt, habito etiam consilio de Hamburgo & Stada fœdere excludendis, quod privati sibi lucri gratia, in tantum sociorum damnum & præiudicium consensissent.

Et quia eo tempore de horribili in Angliam apparatu undique rumor increbuerat, cuius exspectabatur successus expeditionis: in qua ut superius

petius dixi, non possum satis mirari, quod Hispani non curarint sibi iungere Hanseaticos. Sed laudi sibi forte maiori futurum sperarunt, si tantam rem soli conficerent, neque præda ipsis cum aliis esset dividenda. Probavit tamen exitus quod alterum consilium melius, ac tutior fuisset executio.

Regina autem sentiens hac oblata conditione Hanseaticos se non in suam pertracturam amicitiam, neque ad neutralitatem inducturam quam tamen desiderabat, in hac quæ ab Hispanis exspectabatur invasione, paucis postea mensibus, nempe Octobri Anni 1587. (prius enim illud in Maio eiusdem anni intimatum fuerat) aliud curiæ Hanseaticæ præsidi proposuit decretum, Dominis aut patronis suis significandum, nimirum, ne post Calendas Ianuarias proximas, enavigato freto Herculeo quod Gibraltar vocant, in Hispaniam, Lusitaniam, aut Italiam frumenta, nec qualiacunque victualia, aut arma, aut ligna, aut navium malos, nec metalla, aut funes, aut alias quascunque bello aptas materias deportare ausint, sub pœna confiscationis, & executionis processus tam contra homines quam contra naves, prout Reginæ visum fuerit.

Postea anno 1588. insecuta memorabilis illa Classis Hispanicæ quæ Angliam invasura erat stragis, unde Reginæ auctus animus, Osterlengis è contra unica illa spe, quæ ex Hispania affulserat, privatus, neque deinceps quicquam, quod sciam tentarunt ulterius. Anglorum vero residentiæ in Germania, sive monopolia & sint sive non sint, continuatæ manserunt, mansit etiam Anglicorum pannorum, quamvis in immensum aucto pretio, ulus, ingenti Anglicarum divitiarum cum augmento, quo usque adeo auctæ ipsorum vires, ut vel Hispaniæ & Indiis negotium facere audeant: Introducta nimirum iam ordinaria tam Anglorum, quam Batavorum in Indiam Orientalem, & præcipue in Iavam Maiorem, & alios aromatum mercatus, navigatione, unde maximum percipiunt lucrum, cuius inescati odore & dulcedine, vix unquam ab ea desistent; & erit hoc fortassis summum faciendæ pacis obstaculum, si unquam ea cum rebellibus Belgis, & cum Angliæ Regina facienda sit.

Interim obtinuit in suo proposito scopo hoc potissimum, ut discordias civitatum maiori aleret cum effectu. Præ reliquis enim quum studio proprii commodi Hamburgenses incumberent, ut sua in omnibus negotiis amplificarent commoditates, illi neque vicinis suis id admittere voluerunt, quod opportunitatis commerciorum ex Anglia ipsis deputarat. Supra dictum est, quod Embdanis & Stadensibus Regina Angliæ suam adiecisset in commercio pannorum gratiam. Hoc monopolii loco sibi maxime Hamburgenses deputarunt: Ideoque invidia sua in hac re premere vicinos cœperunt. Ac ne sentiretur clandestinitas, Hanseaticis incommoda publica ex iis præfigurare non destiterunt. Sed quum ipsis non sufficerent decreta, facto proprio rem persequi non destiterunt. Civitati Stadę ad Zwuingam ita incumbebant, ut ei omne negotium pannorum cum Embdanis intercedens interimere studerent. Si mercatores Embdani quid transportarent ad Stadenses, naves Hamburgensium pro lubitu illis exactiones suas nomine vectigalis imponebant. Quod quum tandem Embdani perferre nequirent, Anno 1598. tantam iniquitatem ad Cameram Imperialem detulerunt cum explicatione luculenta totius causæ; unde mandatum ab Imperatore Rudolpho 2. pœnale sine clausula contra eos obtinuerunt 30. Martij in eodem anno, ut plane à tam iniquissimo & pernicioso facto, quod toti Imperio præiudicium inferret, abstinerent, & civitatibus his libera concederent commercia sine coactione & specie iuris proprii, quæ colorabatur nomine Baten Gelders. Mandatum Camerę est admodum notabile, ut merito heic inseri deberet, nisi minis longa & tædiosa foret narratio, quæ alii loco rectius reservatur. Nihilominus tandem cum adiutione civitatum reliquarum Hanseæ ita Stadenses expugnarunt infestationibus mitis apud Imperatorem Rudolphum 2. ut tandem excluderentur Angli ex Strada publico decreto, quod ita momordit Civitatem eam, ut ab eo tempore à conventu Hanseæ abstinuerint, infidelitatem vicinorum acerrime culpantes. Sed inferenda heic venit refutatio eorum, qui ignorarunt

Ex quibus Regionibus provenerint frumenta, quibus in suis tribus penuria Annis Italiæ antehac subventum sit: Item, quæ & quales sint terra Osterlingana, ac quid arcani fœdus, aut Liga Hanseatica potissimum sibi inclusum foveat, præsertim apud Dantiscanos.

FAlluntur multi, qui frumenta quæ præteritis huiscis annis per Oceanum in Italiam deportata fuerunt, in Anglia crevisse existimant. Fieri enim potest ut in Anglica navi, aut è portu aliquo Anglico venerint; sed alio in loco crevisse necesse est; quum Anglia ordinarie, nec sementem, nec messem, quanta ipsi opus est faciat: Et pecuariam sibi utiliorem quam agriculturam reperiens, multo plures habere pastores, quam aratores, huius præcipue Reginæ tempore, quæ magnum ex lana tam publicum quam privatum lucrum captans, institutis hac de causa certis collegiis, quæ Venturariorum & stapulariorum inter ipsos dicuntur, de quibus, antequam hunc finiam discursum, aliquid dicã, pecuariam magnis favoribus prosecuta est. Hanc etiam & natura, & situs adiuvant, non enim tum propter ipsum clima, tum etiam propter maris vicinitatem, nunquam tanta sentiuntur frigora, aut tanti etiam æstus, ut gramina in campis adurantur. Et quamvis nives ibi quoque decidant præcipue in Scotiæ confinibus, quæ magis versus septentrionem vergunt; attamen propter aeris, qui ex mari spirat, clementiam, statim liquescunt. Neque in tota Insula lupi, aut alia animalia gregibus nociva reperiuntur: Unde apparet ovium pascuis esse accommodatissimam.

Hinc etiam Angli ordinarie, multo minus panis,

quam aliæ nationes comedunt, neque in mensa, cui octo vel decem assident personæ, plus uno pane in medio reponunt, de quo cum quisque sumit particulam, quæ ipsi placet, de cętero carnes magna cŏpia & quasi pro obsonio vorant. Ac sub hac Regina, ut diximus, etiam ordinaria antea agricultura imminuta, & aucta est pecuaria, quamvis hac de re consiliũ Cecilii magni eius Quæstoris ac celebertimi politici cunlgatum sit, qui hinc regni prædicebat ruinã proventuram. Numerum enim hominum hinc imminui, quum in aliqua regionis parte, quæ mille requirebat ad sementem faciendam laboratores, vix centum opus sit pastoribus, qui in umbra & otio lacte pasti, fistulæ suæ assueti, ad arma aut bellica munia minus utiles sunt, quam agricolæ, qui laboribus indurati, sole excocti, & ligoni assueti, præcedentibus Regibus multas magnasq; victorias acquisiverunt. Atque ex hac diminutione provenire Cecilius probabat eam hominum raritatem quam Londini experirentur, in servitiis, tam mercatorum, quam nobilium domibus & in opificum officinis: Ac quum res ipsa testaretur, si quando ad tympani sonum cõscribendi essent milites, quibus aut in Regno aut foras missis opus esset. Consulebat itaque, ut huic occurreretur periculo, ac ut campi ita distribuerentur, ut illi qui ad sementem commodi sunt Agricolis, reliqui vero pastoribus reliquerentur. Verum non placuit consilium hoc, lucro quod ex totius Europæ subtilissimis lanis (quamvis Hispanicæ iis non multum cedant) percipiebatur, præponderante.

Hac itaque de causa quamvis Anglia olim magnam produxerit frumenti copiam, qua etiam Romanorum in diversis Germaniæ & Franciæ partibus alebantur exercitus, unde & Ammianus Marcellinus scribit, Iulianum Apostatam multa in iis regionibus ædificasse granaria: Nunc tamen non solum ita imminutum est frumentum, ut nullum foras emittere possint, sed ne ipsis quidem plerunque sufficiat, ac peregrino uti necesse habeant: Idem quoque fit in Belgio, in quo una ad alteram computata provincia, vix ad trimestrem cibum & potum sufficiens frumentum colligitur. Ex eodem enim grano, quo panem, etiam cerevisiam coquunt, neque aliud ea fert regio. Idem quoque fit in Anglia. Certum itaque est, quod etsi aliquando accidat, ut frumentum ex Anglia exportetur, non tamen tantum sit, neque Francia in Belgio, ut Hispaniæ aut Italiæ in suis necessitatibus succurrere possint; neque inde venire, quamvis & naves & nautæ aliquando aut Angli aut Belgæ sint. Unde autem frumentum id veniat, edisseram, quamvis forte non absque tædio aliquorum propter prolixitatem, certe etiam non absque fructu & iucunditate.

Vera autem frumentorum fodina, aut præcipuum eorum granarium est Borussorum Dantiscum, non quod vel ibi, vel in eius territorio nascantur, sed quod Vistulæ, ad cuius fauces civitas sita est, beneficio undique eo deportentur, non solum ex vicina & ipsa Borussia regione fertilissima, sed etiam ex tota, ut ita dicam, Polonia; in cuius extremitate, ubi Silesiæ iungitur, Vistula habet originem, & à meridie versus septentrionem fluens magno se flexu versus Lituaniam extendit, quasi totum regnum amplexura, totum ab una usque ad alteram partem intersecat, ac tandem in mare Balthicum, in eo sinu, quem Codanum historici vocant, exoneratur. Et quemadmodum tota regio campestris est, ac nullis impedita montibus aut scopulis, ita fluvius, qui ab ipso fonte navigabilis est, non longe illinc Cracoviam, & postea præcipuas regni civitates alluit & aliorum fluviorum beneficio auctus, omnia totius illius circuitus bona, navigatione commodissima nullis impedita cataractis & præcipitiis, ut in aliis fit fluviis, usque ad mare defert, quæ omnia Dantisci exponuntur, tanquam in frequentissimo Emporio, in quo omnia distrahuntur, neque unquam vel in maxima abundantia, frumenta eo frustra veniunt; quia quemadmodum cives hoc habent privilegium, ut nemo nisi ipsi frumenta coemere possint, ita etiam omnia quæ apportantur currente pretio, quod à magistratibus ad id constitutis ponitur, solutis vectigalibus tempore regis Stephani Battorii constitutis, emere aut recipere coguntur, neque ea vel ab emente, nec à vendente percipiuntur, quamvis ultra ducenta ex iis ad regem ducatorum perveniant millia.

Dantisci in hunc finem magna tam publica quam privata sunt granaria, in quibus frumenta asservantur, quemadmodum in aliis Germaniæ locis decimæ asservantur, quamvis alias ea negotiatio ibi tam sit frequens, ut magna quotidie distrahatur copia, neque forte sufficeret quam è Polonia affertur, nisi etiam vicina Livonia, frumento quoque abundantissima, non minimam partem suppeditaret.

E Dantisco enim alitur præcipue Belgium, & Hollandia præ aliis eius provinciis, quæ magnam absumit quantitatem, etiam in cerevisia conficienda, cuius insignis quoque ibi mercatura est. Anglia deinde quandoque plus, quandoque minus hinc recipit, secundum suam necessitatem & messis felicitatem. Hispania & Lusitania præcipue, raro tantam faciunt messem, ut ipsis sufficiat, non soli culpa, quod fertilissimum est, nisi aliquando solis exuratur nimis caloribus; Sed hominum penuria & agricolarum defectu, incolis in continuis fere bellis externis, in navigationibus Indicis, in numerosis præsidiis, quæ in diversis excubant provinciis, imo orbibus, plurimum occupatis, aut etiam absumptis, quapropter & hęc regna suas provisiones & frumẽtorum & aliarum rerum necessariarum ex prædictis locis exspectant.

Et quamvis præcipuum hoc commercium Dantisci sit, sunt tamen & multæ aliæ civitates, quæ eidem quoque dant operam, atq; in hunc finem quantum possunt, fluviorum & marium beneficio, frumentorum aliarumque mercium colligunt: inter quas neque celebritate neque potentia & divitiis Dantisco cedit Lubecca, ultra promontorium Cymbricum sita, in provincia quæ large sumpto nomine Saxonia dicitur. Ab altera dicti promontorii parte est Hamburgum à Lubecca circiter decem milliaribus terra distans; mari vero ultra centum & viginti milliaribus, ipsum enim promontorium, quod in medio instar peninsulę protenditur, circumnavigandum est.

Dici-

Dicitur & Hamburgi territorium Saxoniæ; quāvis in Holſatiæ potius ducatu ad Albim aut ſaltem in eius ſit confinio. Et magna ibi quoque eſt, præcipue in frumentis negotiatio, quæ ſi requirat neceſſitas, magna quantitate Lubecca per terram eo deferuntur: Sed maxima pars Albi devehitur, quæ in Archiepiſcopatu Magdeburgenſi, Anhaldina, & ſub ſylva Hercinia orta, ac ſtatim longe ſuperius in Bohemia fere navigabilis recepta in ſe Mulda apud Leitomarizum Bohemiæ Urbem per Miſniam, Luſatiam, Saxoniæ Ducatum, utramque Marchiam, Ducatum Lunæburgenſem & Brunſvicenſem, quarum provinciarum aliquas interſecat, aliquas autem frequētibus gyris ac mæandris alluit, ex omnibus frumenta aliaſque plurimas quibus eę abundant merces, mercatum Hamburgenſem facit celebriorem & inde in mare ſe exonerat.

Et quamvis hæ civitates præcipue, ac vete maioribus commerciis celebres ſint, præ omnibus huius tractus reliquis, non tamen ſolæ ſunt, verum tot habent ſocias, ut vix nomina quis omnium referat, nedum ut ſitus earum deſcribatur. Illæ autem quæ ultra Cymbricum ſitæ ſunt promontorium, uſq; ad ſinum Finnicum, qui Finlandiam à Livonia ſeparat, omnes ſub nomine comprehenduntur Oſterlingarum, hoc eſt, orientalium, quemadmodum & mare Balthicum, reſpectu earum regionum quæ cis promontorium Cymbricum magis occidētem vergunt orientale dicitur. Quæ vero Oſterlingæ civitates proprie dicantur, in ſuo numero, ſupra parte 4. ſatis explicatum eſt. Unde ſub hoc Oſterlingarum nomine ſunt etiam civitates maritimæ in Suetia, Livonia, Boruſſia, Pomerania, ducatu Megapolitano, uſque ad Lubeccam; ſunt etiam Hamburgum, Bremа & reliqua eius tractus civitates hoc comprehēſæ. Aſt minus Enckhuſa, Harlemum, Amſterodamum aliæqi Friſiæ, Hollandiæ & Zelādiæ civitates: quamvis per abuſum, ſi quando ex his, aut etiam ex Anglia, Genuæ, Livorni, Romæ aut Venetiis appellunt; Multi qui ſe aliquid ſcire putant, novas Oſterlingas advenisſe, aut Bertonas. Quod corruptum nomen quibuſdam rotundis navibus inditum eſt, quæ ex illis veniunt regionibus. Proprie autem Britannicæ naves hoc eſſent appellandæ nomine, ac Anglicæ quoque, cum utraq; provincia Britannia dicatur. Siquis autem omnes illas civitates tam cis quam ultra dictum promontorium ſitas, uno velit comprehendere nomine, Hanſeaticas eas vocabit, neque errabit, qui naves ex illis partibus venientes Hanſeaticarum civitatum aut fœderis Hanſeatici dicat; ſub hoc enim fœdere comprehenſæ ſunt omnes civitates maritimæ, quæ à ſinus Finnici medio, ubi Livoniæ initium eſt, hoc eſt, à fluvio uſque ad Rheni fauces, in Orientali latere ſitæ ſunt. Quæ vero in occidentali ſunt latere, quia ad Sueciæ ac Daniæ pertinent Regna, non ſunt in eo comprehenſæ. Fœdus hoc Germanicum quum ſit, & ab Imperio Germanico dependeat, nullos admittit in ſocietatem, qui Imperium non recognoſcant iam, aut antea recognoverint, & idiomate utantur Germanico more Saxonum, eorumve locutionem non redoleat. Tamen potius commoditas loci reſpicitur, nec facile cohæreut, niſi de fide Saxonica in negotiis ipſis quid probati conſtet. Antehac adeo firma civitatum talium fuit conglutinatio in mutua commercii ſuppeditatione, ut nullum ad arcana & ſecreta in negotiationibus ſuis admittere voluerint, niſi Saxonicam fidem præſtiterit in facto. Weſtphali inde maxime Lubeccæ fuerunt in pretio, ut etiam adhuc præcipui illorum cives, qui non verentur ſibi titulum patriciorum vendicare, ſint ex Weſtphaliæ oppidis & pagis oriundi, uti ſunt Wickedeni, Stiteni, Wobbekingii, Warendorfiani, Ploniſii, Lengerkenii, Hoveliani, Karckrinkiani & alii qui ex tali gente ſibi circularis fraternitatis titulum ſingulari cum nota baculi adſumpſerunt; ob cuius rei arrogātiam cum quodam ſenatore Pauliano in inſignem actionis litem, quæ in aula Imperatoris ventilatur, inciderunt, quum ille neget inde ſingularem attribui poſſe prærogativam præ aliis civibus. Præ cunctis tamen aliis nationibus fatum Weſtphalis præcipuū maxime apud Lubeccanos prædicatur, ut publicum inde ſit proverbium, quaſi quis ex Weſtphalia advena iuvenis quæſiverit civem; ubi eſt heic curia, ſive dat Rahthuys? cui ad quæſtionem eam civis reſpondit ſarcaſtice; quid tu quæris de noſtra curia? num tu velis conſulem heic agere? Si Deus volue it, poteſt fieri, reſpondit iuvenis; quod etiam tandem ipſi poſt aliquot annos obtigit, & tunc Conſul in cœnam ſplendidam advocavit ſibi hunc civem, qui obſtupefactus, confeſſus eſt opprobrii falſi locutionem.

Verum ex ſupradictis apparet, quam noxii ſibi fuerint in revelatione & nimia lucri cupiditate quā plurimi. Unde non deſtitere varios ſibi conquirere apud exteros patrocinii auctores. Invenere etiam, qui ſatis prompti ſe offerent, niſi ſuſpicio eſſet maior. Ideoque circumſpecte in talibus caſibus, ubi communis ſalus omnium concutitur, procedendū putarunt quidem, ſed nil minus fundamento inſiſtendum alicui manet, ubi cōcuſſio gravior ingruit. Naturale hoc eſt, ut, quando morbi infeſtatio acerbior incumbit, tam de Medico, quam etiam convenienti medicina ſimus ſolliciti, præſertim ſi malum fiat epidemicum. Sic quoque circa ingreſſum huius novi ſeculi plures deprehendebant civitates fortunæ ſuæ & communis commercii & clanculatios & apertos inſidiatores. Quare conſultationes in id dirigebant non immerito, quod ſublevationem ipſis poſſet ſi non totalem, tamen aliquam exhibere. Nolebant tamen interim ſe alieni periculi facere participes, præſertim quum Hollandorum & Belgarum cernerent aggravari pericula, ut inde ſuccurſum minus firmum ſibi expectarent. Nec minus valde mordebat Oſterlingos inprimis, quod Eliſabetha Regina Angliæ tantis illos diſtractionibus diſtineret.

Favor Regis Gallici, ceu Henricus 4. erat prudentiſſimus, non quidem incommodus ipſis videbatur, ſed commerciis non ita ſufficiens ut ſatis tuto in eo acquieſcere poſſent, quum Galli & ipſi aliorum indigerent negotiatione. Potiſſimam igitur curam conficiendam putabant in negotium Hiſpanicum; Quin & Regi huic iam concitarant appetitum, ut ſuperius dictum eſt, quod expeteret Hanſas ſibi ſuiſque ſervitiis propius conciliare. Erant quoque, qui utriuſque partis deſideria acriori concitarent ſtimulo. Inde Rex litteris indicium clementiſſimis ſuis facere cœpit, ut ſpe firmiori Hanſas foveret, velut etiam aliæ ſuberant cauſſæ proprii commodi, ob quod tot oneribus & impoſi-

tionibus noviſque inventis commune flagellabatur commercium, à quibus magna ex parte liberari poſſe id, & gravamina abrogari credebant civitates. Ideoque ſerio per aliquot conventus inter ſe deliberare cœperunt de legatione aliqua in Hiſpaniam conficienda. Sed ne quoque apud Belgas & Regem Franciæ in ſuſpicionem inciderent, atque ut etiam una legatione intentionem ſuam utrobique perficerent, conſtitutum fuit Anno 1606. in conventu generali, ut ſolemnis mitteretur in eas partes Legatio, non tantum pro communis commercii recommendatione; ſed ut potiſſimum in negotio Hiſpanico abrogatio gravaminum poſſet obtineri iuxta deſignationem Inſtructionis. Dictus eſt deputatis certus dies ad ingrediendum iter ex loco Directorii. Tota autem itineris ratio, quum nimis longa eſſet futura, ſaltem heic in medium adducemus, quod dietim in Hiſpania ſit actum, uti ſequentis protocolli excerptum id declarat, in quo multa memorabilia & notatu valde digna continentur.

Extract. ex Protocollo Itineris Hiſpanici Dn. Legatorum Hanſeaticorum Anno 1607.

Legati 4. fuerunt, nempe: Dn. Iohan. Domannus VVeſtph. I. U. D. & Syndicus Hanſæ, Dn. Henricus Brokes Conſ. p. Lubeccanus, Dn. Hieronymus Vogelerus conſ. Hamburg. Legatus Dantiſcanus S. N. N.

AB Alcarandas, iiſdem equis & curribus, quibus ex ipſa Lubecca 12. Nov. An. 1606. & Hamburgo hucuſque vecti eramus, 2. Aprilis circa horam nonam perducti ſumus ad Madritum, ibidemq; eodem die, qui erat dies jovis ante feſtum paſchatos, circa horam 1. ingreſſi ſumus, hoſpitium, ſupra modum ſplendidum, pannis holoſericis, & ſericis tapetis undique exornatum, nec non pretioſis lectis, ac rebus vere regiis ditatum, nacti, ad quod ſolenniter introducti ſumus. Ubi ſimul prandium admodum opipare, & operoſe nobis, noſtriſq; nobilibus, & miniſtris (quos omnes regia eius Majeſt. una cum noſtris equis per totum tempus, dum commorati ſumus Madriti, libere, ſine impenſis ullis, tractavit ita, ut cotidie ultra 500. Coronas ſumptus excurreret) erat apparatum. Qui nobis ex Aula regia adſidue inſerviebant, erant ultra 40. perſonas, deputati, quales ſunt Aulæ Magiſter, ciborum diſtributor, vini cuſtos, ſtabuli Magiſter, Satellites, curſores, coqui, &c. Nobis & noſtris nobilibus, quorum numerus erat 29. omnes & ſeparatim tractabantur, omnis in aureis, & argenteis vaſis cibus, & potus apponebatur. Dn. Contador Maior, & Dn. Geraldus de Paris, cuius ædes hæ erant, hoc habebant in mandatis, ut tam in prandio, quam in cœna converſationis cauſſa adeſſent. Atque ſic per Dei gratiam tãdem iter noſtrum totum ex loco noſtræ patriæ in vana ſorte, nec ſine moleſtiis magnis uſque in regiam aulam Madritenſem abſolvimus, quum 20. Septimanas cum 3. diebus in itinere conſumpſiſſemus: Deo igitur omnipotenti merito hæc laus, & gloria debetur in æternum Amen. Per biduum nempe 3. & 4. April. quum feriatum eſſet tempus & quiſque in devotione ſacra viveret, tranquillitatem coluimus eam quidem, tamen per ordinarium tabellarium in Germaniam ſcripſimus; nec minus interea, & ſequentibus diebus præcipui Grandes ſalutari nos iuſſerunt.

Die 5. Apr. in ipſo Paſchatos feſto, ubi quiſque quidem diligenter templum & Miſſam frequentaret, nobis tamen nihil ceremoniarum iſtarum indicebatur.

Die 6. April. Nos regius confeſſionarius viſitabat, præcipuus inter Ieſuitas, nomine Patet Helleruſ ex Norinberga oriundus, vir certe admodum eruditus, & perquam pacificus: uti apparebat, clam à Regina erat miſſus, ut cerneret, quot, & quales adeſſent perſonæ. Sic & præcipuus Dom. Aulæ regiæ per Secretarium ſuum nos ſalutavit, ſimul indicium fecit, quod ſpes eſſet, quomodo diſcordia inter papam, & Venetos mox poſſet componi: velut etiam alii Domini, & maxime Germani, nos viſitabant.

Die 7. Aprilis nobis indicabatur, Reg. Maj. nobis ſequenti die eſſe audientiam conceſſuram, ſi nobis ita commodum foret, & id expeteremus, ut eo magis eius Maieſt. propenſam affectionem inde cerneremus, quod nos ſtatim eſſet auditura & eo citius dimiſſura. Alias conſtituiſſet, cum Regina ſua 8. huius uſque ad Arrengueram, 7. milliar. hinc diſtãtem, excurrere. Quum vero percepiſſet, quod Collega quidam noſter nondum ſanitati reſtitutus eſſet, nec veſtimenta ſatis præparata, profectionem eam iniit, & ſignificari nobis curavit, quod nos iuxta commoditatem noſtram, & expetitionem Arrenmeræ libenter audire vellet: Interim regius Muſicæ Artis Chorus cotidie nobis inſerviebat variis inſtrumentis, & vocali ſono.

Die 8. 9. 10. occupati eramus in confectione veſtium pro toto comitatu noſtro, ne quid deſpectui eſſet principalibus noſtris. Die 11. urſi fideliter hoc, ut Collegæ mei audientiæ tempus maturarent, quũ indecorum foret, ſi ita immoderati eſſemus in ſumptibus Regis conſumendis, ne forte inſulſitati quid noſtræ imputaretur, & nobis Reg. Maj. inclementiam pareret mora; præterea non conveniens eſſet nobis, ut Hamburgenſis Legati reſtitutionem ſanitatis expectaremus, ſi adhuc diutius ipſi cum morbo eſſet conflictandum: putabam noſtrum eſſe, ut potius commune curaremus, ne diſpendium gigneretur nobis in Reg. Maj. Verum non multis vox erat iucunda talis adhortationis meæ ob recreationem delaſſationi noſtræ inſtituram. Significabatur interim hoc nobis, quod Dux de Lerma, qui per aliquot iam annos in Hiſpania Gubernatorem egerat, imo ferme cuncta ſub Regis manu gereret negotia, eſſet diſceſſurus in ditiones ſuas, unde conſultum putabatur, ne ſine ſalutatione noſtra abiret. Verum multæ erant rationes in contrarium, præſertim, quum nondum à Reg. Maieſt. ipſa eſſemus auditi: tandem tamen, quum Reg. Maj. E. non eſſet præſens, conſtituebamus, quod id eſſemus facturi. Mox adetant, qui diſſuaderent hoc, ut mire perplexi hæretemus: tum etiam nobis hoc inſuſurrabatur, quod Dux nõ ad ſuam ditionem, ſed ad R. M. eſſet profecturus. Interim tamen, quum animadverteremus, quod

Ducis

Ducis amici hanc visitationem à nobis expeterent, qui putabant, admodum causſæ nostræ id conducere: ideo non inconsultum censuimus ; præsertim quum hoc simul accederet, quod Dux iste præciperet, ut nobis semper 2. currus regii cum 4. equis atris coloribus singuli parati essent, quoties forte nobis collubitum esset exspaciari. Quum etiam percepisset Dux ille, quod nostro comitatui nimis angustum videretur hospitium, ne nimis inde calor acris nos infestaret, curavit protinus, ut regium illud palatium, quod ante hac ante aliquot Annos Coniux Cæs. Maxim l. 2. ibi ædificari curaverat, in amæno loco civitatis situm, & hortis egregiis exornatũ, nobis hospitium exhiberet novum, quod similiter undique variis sericis tapetis expoliebatur. Gratiam Ducis eo maiorem æstimandam putabamus, quod locum eum ipse Rex quoque ita amaret, ut per aliquot dies suæ recreationi destinatum haberet: inde visitationem nostram debitam obtulimus officiosissime. Die 12. Apr. Dux de Lerma nobis indicari fecit, si nobis placeret, quod sequenti die circa 9. nos esset auditurus, & expectaturus visitandi gratia accessuros.

Die 13. Apr. duobus regiis curribus ad palatium Regis perducti sumus nominato tempore. Deprehendimus statim ad ingressum singulari studio à Duce id ita institutum, ut eo tempore, quo consilia regia iterum aperta haberentur, & inde tota Aula ex multitudine hominum esset impleta, se ingredi nos voluisse. Excepti igitur comitatu sumus magno, & perducti in conclave paternum Regis, quod tunc Dux incolebat ille : statim in vestibulo ostii nobis obviam fiebat, & amplexu suo nos salutabat in præsentia multorum Aulicorum & Dnn. ipse nos perducebat ad principalem conclavis istius locum; 4. sellas apponi confestim curabat; adsidebat ipse simul nobis: honor ipsi dignus à nobis exhibebatur cum submissa salutatione, & recommendatione negotii nostri, & commissionis: simul petebamus, ut excusati essemus, humillime, quod nondum ob multimodas incommoditates non potuissemus nos ad Audientiam offerre: atque ut id apud R. M. S. debite in humiliatione summa excusaret, causſa potissima esset, quod Collega noster decubuisset nonnihil adhuc gravius: tum nobis explicatum, quod S. R. M. eius non incongruum haberet, ut Audientia differretur, donec commoditas nostra esset melior. Quod si igitur certiores fieri iam possemus, quando S. R. M. esset acceptum, ut audiri valeremus, quod primo quoque die semper parati essemus futuri: Si vero placeret S. M. E. ut hanc adhuc septimanam nobis indulgere vellet, speraremus, quod Collegæ nostri invaletudo in melius restitui posset, ut simul coram S. R. M. se nobiscum sisteret. Tale alloquium per D. D. Syndicum Domannum expediebatur in latina lingua. Dux vero quærebat, num Hispanicam intelligeremus linguam; quum vero responsum accepisset, quod ego eam callerem, ab initio quærebat de itineris nostri ratione, & statu dominorum nostrorum, nostraque sanitate; quum hoc ipsi ordine explicassem, maximas egit gratias pro salutatione oblata, & visitatione exhibita, simul indicavit, quã R. M. & ipsi, totique regiæ Familiæ & Aulicis cunctis accepti essemus hospites: S. R. M. admodum affectionata esset cunctis civitatibus Hanſæ & eorum civibus, & Legatis nunc maxime personis, nec non in omni clementissimo favore nos esset auditura, atque cum contentatione bona mox dimissura; promittebat simul omnem suam promotionẽ ad talia, postulabatque fidem hanc sibi adhiberi, quod S. R. M. Legatos nos satis amabiliter haberet, velut & ipse relaturus esset petita nostra S. M. R. quæ mox se esset explicatura, & se tunc sententiam suam esse nobis annunciaturum. Si quid nobis deesset in vitæ sustentatione, petebat, ut nosceret. Quippe S. R. M. voluntas hæc esset, ut laute, & splendide tractaremur cum commoditate omni. Nos e contra responsum dedimus ad necessaria, ac tandem veniam impetravimus. Sub exitu Dux ille nobis Ducem de Maqueda monstrabat, quem quoque in transitu salutabamus. Comitem usque ad ostium se nobis gerebat: ita curribus insidentes ante portam Aulæ domum reversi sumus. Interea cotidie Moriones R. M. nos visitabant, magnificis induti vestibus: inter quos principalis quasi in sella gestabatur à binis ministris pro indicio aliquo, quod in tanta essemus auctoritate affectionis apud R. M. Singulo vespertino tẽpore Musicales nobis aderant: nec minus ex sexu fœmineo plures cotidie adventabant, ut nos inter comedendum cernerent. Hoc autem die spectatum ivimus palatium, quod nobis addictum erat novo hospitio.

Die 14. Apr. Inter nos colloquium, & consultationem habuimus de propositione coram S. R. M. ut certi essemus, quæ, & qualis in suo ordine esse deberet. A prandio spaciatum curru ivimus, & simul spectavimus hortum regium A la casa del Campo.

Die 15. Apr. Nos admiralis quidam Hispanicus, & eques Maltheſius visitavit, qui diu Generalis Capitaneus Armadæ fuerat, nomine Don Diego de Bracera; iam vero Consiliarius bellicus heic Madriti, insignis vir, ac Dn. qui cum multa salutatione sua obtulit nobis servitia, indicando simul, quam cupidissimus esset amicitiæ Germanorum, quum Nationi huic testimonium certum exhibere posset apud R. M. quam in multis occasionibus fideles se præstitissent Regi. Volebat, ut confidenter nos ad illum in omnibus referremus. Absoluto tandem longo discursu à nobis discessit. Ego in lingua Hispanica responsum dedi, & gratias egi.

Die 16. Apr. Hospitii nostri commutatio facta est, & ex ædibus Dn. Geraldi de Paris ad palatium Ill. Don Iovan. de Boria, quod tunc Rex possidebat, concessimus. Eodem die per consulem nostrum Cãphetbeccium memoriale ad Dn. Secret. reg. Don de Strada misimus, ut ille nobis esset promotor apud S. M. R. in obtinenda audientia. Ad quod circa vesperam statim annunciari curavit, quod à S. R. M. mandatum haberet, ut à prandio die Sabbathi hinc itet versus Valdimero susciperemus, & 10. huius die Lunæ ante prandium ad se Areniveram veniremus, ubi S. R. M. nos clementissime esset auditura; sperare se, quod M. E. omnia esset præceptura, quæ bona, & matura expeditio requireret, promittebat simul omnem convenientem opitulationem.

Die 17. Apr. Nihil aliud actum est, quam novum hospitium excoluimus, ubi Rex cum Regina quoque se exhilarare solebat, quum valde amænum, & splendidum esset palatium. Conditum autem ante annos erat plures à Don Iovan de Botia Veteris

Cæsareæ coniugis Magistro aulico. Ferme situm est in lætissimo civitatis loco, variis artificiis, aquæ ductibus, & fontibus adornatum, ubi & læta alitum cantio noctu dieque percipitur. Hoc certe pro plane singulari gratia regis censebatur. Ne vero efflueret nobis inaniter tempus, ego cum D. Doman. cōputationem feci omnium creditorum, damnorum, & gravaminum, quotquot ad manus habebamus; invenimus tamen, quod Legatus Gedanensis, & Hamburgicus parum scientiæ de his habuerit, ne quid secum attulerint, ex negligentia supina. Forte & inde parum auferent gratiæ apud cives suos, quod non talia plenius à suis exegerint cum solidiori instructione.

Die 18. Apr. Nos præcipue Anglicanus Iesuita curru ad nos veniens, nomine D. Pater Chrysolus visitavit, de variis nobiscum sermonem commutavit, ne verbulo quidem religionis quid attingens.

Die 19. Apr. Solari cum omnibus regiis ministris, & officiariis, qui nobis adiuncti erant, cumque omni suppellectile, & culinariis rebus, instar castrensis comitatus secuti sumus Regem. & Dux nobis viæ fuit Dn. Contador maior, comesque. Circa Vespertinum tempus Valdemoræ appulimus 10. milliar. ubi pernoctavimus. Oppidum est apertum, Duci de Lerma subiectum.

Die 20. Apr. circa 7. profecti sumus Areniveram, ubi Rex tunc erat præsens in supra modum amœnissimo horto, satis amplo, cui parem vix usquam quis deprehendat. Vix per dimidium milliar. quum ab eo abessemus loco, nobis S. R. M. in occursum misit Gubernatorem istius loci, Don Francisco de Prado cum curru, & aliquot equitibus, qui ibi nos exciperent, & in horto circumducerent spectatum, quidquid esset ibi læti, artificiosi, & pretiosi cum fontibus: ut mora hæc se usque ad 12. horam extenderet, ubi nobis præsentia Regis indicabatur. Proinde post curruum adscensum transvehebamur prope Regis arcem ad Gubernatoris ædes: desuper interim ex fenestra nos cum comitatu & Rex, & Regina prospiciebant, & qualis esset ordo animadvertebāt sedulo. Vix elapsa erat quarta horæ pars, quum annunciaretur nobis audientia præsens. Atque sic statim à Dn. Contadore ad Aulam avehebamur cum gubernatore. 18. erant nostri nobiles & Barones, ac civitatum filii, qui in panno serico, & holoserico plane induti cum palliis itidē sericis heteromallis præibant, quos sequebantur Dn. Contador, & Gubernator, quorum vestigia nos tenebamus 4. Legati: & à tergo 16. ministri nostri. Quum introducti essemus in magnum triclinium, Grandes multi Dnn. nobis obviam ibant, inter quos Dux Albanus, & Dux de Zea, ac nos in Regis conclave introducebant. S. R. M. exaltatum locum occuparant, mensæ alicui adstans, à cuius tergo nonnihil longius stabat Marchio de Velada, Regis supremus Magister aulicus, & camerarius. Nostri nobiles antecedebant in conclave, reverentiam debitam decenter cum modestia exhibendo, donec latus occupassent à parte. Nos ad conspectum R. M. statim ter reverentiam cum flexu poplitum usque ad terram in tertia motione inclinantes exhibebamus, adeo, ut Rex nos resurgere iuberet. Tunc confestim Syndicus Domannus cum gratulatione, & salutatione Latina incipiebat proponere, se referens ad credentiales cum promotorialibus, quid esset negotii materia, uti sub copia K. videndum est. In generalibus permanebatur.

R. M. autem prius quæri curaverat, in qua lingua essemus proposituri quid. Atque quum latinam linguam quidem intelligeret, sed nequiret congrue expedite; inquisivit quoque, num quispiam nostratiū Hispanicam calleret linguam, quum vero de me edocta esset; finita propositione, me intuebatur, & dato responso, me ita alloquebatur, dicens: Vos Dn. reliquis explicabitis mentem meam. Ego lubenter audivi, percepique luculenter satis, quidnam nomine vestrarum civitatum indicastis; cuncta hæc ad beneplacitum clemens nostrum accipimus, velut & omni tempore in id incubuimus, quod ad promotionem earum, & utilitatem conducat: sic & imposterum semper in omnibus occasionibus libenter id præstabimus, quantum possibile erit. Quæ vero postulationes vestræ sint ulteriores in propositione allegatæ, & quodcunque huc referri potest, eius ulteriorem communicationem demandabimus Consilio nostro status, ut vobiscum de eo agant plenius, ut bona cum satisfactione brevi expeditionem obtinere valeatis. Quum vero Collegis meis in præsentia R. M. mentem & verba R. M. retulissem; ad hæc Syndicus noster gratias egit subiectissimas cum prædicatione summa R. M. Clementiæ: ubi finitis his, priores reverentias repetivimus, cum gratiosa dimissione discedendo. Sed supra dicti Dnn. & Reginæ Aulicus Magister, nos perduxere in Reginæ Conclave. Atque quum ibidem reverentias debitas exhibuissemus: Syndicus noster Domannus in germanica lingua eam congratulando humillime allocutus est, uti sub litt. L. patet. Quippe illa Archiducis Caroli, qui frater erat Maximiliani 2. filia erat, supra modum formosa, nec minus proba, piaque, & laudabilissima Regina. Finita hac compellatione, ipsa similiter lingua germanica respondit, gratias agendo cum oblatione ad quemvis gratiosum favorem. Sermo erat eius perquam iucundus, prudens, & decentissimus.

Ac postquam sic ab E. M. dimissionem impetraveramus, ad Ducem de Zea deducti sumus, qui filius erat Ducis de Lerma natu maior, una cum parente in summa auctoritate, & amore apud R. M. Salutavimus eius Excell. & nostram caussam de meliori nota recommendavimus unice. Excell. nos perquam humanissime excepit, & simul se ad sellam demisit, ut nobiscum sedens audiret: se ad omnia postulata nostra obtulit perbenignam, & promissum dedit largum, quod in omnibus promotionem esset adhibitura, indicando & hoc, quod S. R. M. & omnibus proceribus aulæ noster adventus esset gratissimus, ne dubitaremus de negotii amabili expeditione, quum nosceret bonum successum, & finem: quod etiam cum Dn. parente promovere vellet, ut intelligerent Principales nostri, gratam hanc esse Legationem, &c. Nos gratias egimus summas, atque ita dimissione obtenta retro in hospitium adsignatum nos convertimus, ubi prandium admodum regie ex culina Regis erat institutum. Finito hoc prandio, nos Reginæ Dn. Confessionarius Hallerus visitavit iterum. Ubi vero iuxta morem aulicum Satellites Regis, & ministros aulicos nobis destinatos honorario debito affeceramus usque ad 100. aureos, circa horam 4. conscendimus curros, & per hortum

denuo

denuo à Gubernatore, & eius comitibus deducti fumus ultra 1½. milliar. ac tandem ad domum prædii Regii nobis inſtituta eſt iuxta mandatum Regis Venatio ferarum, ac imprimis taurorum Hiſpanicorum ſylveſtrium. Spectatores erant una multi Marchionum, Comitum, Baronum, & nobilium: locus nobis adſignabatur adſpectui maxime idoneus. Hiſce vero ibi peractis, revertebamur Valdemorã; in via tamen obviam nobis fiebat Dux de Lerma, in lectica vectus, qui ſtatim Don Nodirgino Calderon ad currum noſtrum mittebat cum ſaluratione officioſa, quærendo de conſtitutione ſanitatis noſtræ & audientia, qui debite reſalutabatur. Erat ferme 9. hora veſpertina, quum nos hoſpitium Valdemoræ exciperet.

Die 21. Apr. inde Madritum circa 1. horã rediimus, ut ſic ab eo tempore, quo è Lubecca egreſſi ſumus, viginti tres ſeptimanas hucuſque abſolverimus.

Die 22. Apr. Primarius Regis ſecretarius Dn. Andreas de Prado curru ad nos circa 9. pervenit, qui nos Hiſpanice ſalutavit cum omni officiorum oblatione, & promiſſione amicabili, quod promotorẽ cauſſæ noſtræ ſingulari cura agere vellet, quum certe is idem eſſet, per quem commodiſſime ſingula perficere poſſemus: ideoque perquam gratum hoc nobis accidit. Ego omnia Dn. Syndico noſtro explicavi germanice, qui latinum ipſi reſponſum dabat. Poſtea nomine Regiæ M. nobis indicavit, quod R.E.M. aliquot noſtrarum navium uſu indigeret ad 2. menſium ſpacium. Etiamſi R. E. M. poteſtatem eam haberet, velut alii reges & Principes in ſuis regnis & provinciis eam libere ſibi ſumerent in caſu neceſſitatis; tamen quum nos iam in loco eſſemus, S.R.M. abſque conſenſu noſtro, ut eo magis S. M. affectionem clementiorem in facto deprehenderemus, & cernere poſſemus, quod poſthac faventiori nutu nobiſcum procedere optaret, iis uti nollet, ſed ut talia & ſimilia ſervitia ſemper cum noſtra approbatione fieri deberent. Quare à nobis poſcebat, ut Iohan. Campherbeccium Lisbonam verſus mitteremus, qui talia ſervitia navium in gratiam R.M. diſponeret: omnia tamen parata pecunia loco ſtipẽdii deberent ſolvi. Id uti in reſpectum R. M. vergeret, ita E. M. ſingulari gratia accepturam eſſe, aiebat; tum & cauſſa eſſet futura faciliorum tractatuũ. Tale poſtulatum prorſus nobis ex inſperato accidit, & nos aliquo modo perplexos reddidit, præſertim, quum inter alia noſtræ inſtructioni eſſet inſertum, id maxime intendere, ut naves noſtræ ab omni ſervitii, & arreſti onere valerent liberari: Sed quum indeſinenter inſtaret id urgere, & quod S. R. M. maxime iam prodeſſet, tum quoque, ne quid detrimenti inde noſtra tractatio pateretur, nec minus S. R. M. in uſum talem ſuum abreptura eſſet naves noſtras, ita ſub certis conditionibus S.R.M. denegare id nequivimus; ſed cum memoriali ſub Lit. M. Campherbeccium miſimus ſub Regis ſtipẽdio, cui etiam Rex ſtatim in ſalarium viæ 300. Coronatos enumerari juſſit. A meridie converſati ſunt nobiſcum aliquot hoſpites, ut ita in hilaritate tranſegerimus dict ſuperfluum ſpacium.

Die 23. Apr. Campherbeccius per poſtas iter ſuſcepit Lisbonã, quũ ex ea urbe die eodẽ ad nos perveniret Dn. Hector Milch, quẽ mercatores Germ. ob gravamina nonnulla miſerant, ut nos ex memoriali eorum plenius informaret. Die 24. Apr. nihil aliud egimus, quam ut ſcriptum conciperemus, in quo cuncta deſideria noſtra cum poſtulatis & gravaminibus, ac eorum remediis, nec non damna, & debita continerentur. Eodem die R.M. Madritum quoque rediit, ut conſilium ageret de cauſſis ſumme neceſſariis, præſertim, quum ex Belgio curſor miſſus adveniſſet cum eo nuncio, quod inter Archiducem & Hollandos induciæ eſſent erectæ ad ſpacium 8. menſium, quæ per terram, non autem per mare ſuũ haberent vigorem. Rex autem, & conſilium eius ægre hoc ferebant pactum, ac nulla ratione id ratificare volebant, niſi ſimul induciæ tales ad mare extenderentur.

Die 26. Apr. Proceſſio Madriti celebrabatur, ubi & publica fiebat inhibitio, ne quis, cuiuſcunque cõditionis is eſſet, currum in plateam veheret: Nobis tamen indicabatur ſingulariter, quod nobis liberũ eſſet, ſi forte exſpaciari cuperemus, nec nos ea inhibitione incluſos eſſe.

Die 27. Apr. ſupplices noſtras, quibus querelas & poſtulata conceperamus noſtra cuncta iuxta copiam ſub Lit. N. in latina lingua Conſeo, ſive Conſilio de ſtatu ad exhibendum Dn. Secret. Andreæ de Prado, quum eundem viſitaremus, inſinuavimus.

Die 28. Apr. à prandio Dn. Conde ſtabulum de Caſtiglia, Don Ieovan de Velaſque, Ducẽ de Frias, ſalutavimus, qui nos amiciſſime excepit, & ſtans nos audivit, imo plus quam clementer & benigne ſeſe obtulit ad quævis, allegando æquitatẽ noſtræ cauſſæ, quæ omni iure fundata eſſet, quum etiam in commodum Regis, & Regnorum eius vergeret: Affirmabat idem, ſe ſcire ſatis, R. M. nobis, & civitatibus noſtris communis Hanſæ bene cupere, & valde affectionatum. Ideoque ſe quoque merito, & lubenter non ultimum in promotione talium rerum promittebat: Affirmabat & hoc, quod ipſi ſumma negotii ſatis eſſet cognita, quum ante triennium tunc Legati Hanſeatici memoriale exhibuiſſent, quod ſecum adhuc adſervaret, & putabat, quod ego tunc etiam (me digito indicans) adfuiſſem. Reſpondebat ad ſingula Hiſpanice, callebat tamen ſatis linguam latinã. Gratias nos egimus, & cum licentia diceſſimus. Eodem die Rex iterum Areniveram profectus eſt.

Die 29. Apr. Dn. Conde de Miranda præſidem de Caſtiglia ſalutavimus, qui ferme primarius eſt in toto regno quoad dignitatem: Erat olim vice Rex Neapoli, & iam principalis in conſilio de ſtatu; Dn. & ſenex prudentiæ plenus. Is nos clementer ſatis excepit multa cum benevolentia; reſpondit quoque Hiſpanice, quod Regi ſuo unice obligatus ad ſervitia teneretur, & quum noſceret, eundem plane propenſum affectione erga nos, noſtros Dnn. & totam Hanſam, inde non deceret ſe aliter, quam, velut S. M. miniſtro competit, ut gereret ſe, idque perficeret unice, quod cerneret R. M. gratum in amicis; promittebat omnem promotionem, quamcunque ſuo loco cernere poſſet, quodque alias civitatibus pro bono publico utile æſtimare valeret, ſe nihil intermiſſurum eſſe.

Die 30. Apr. Dn. Contador nobis indicium fecit, quod omnia poſtulata cum creditis noſtris, ſi ulterius quid ſupereſſet, quam exhibitæ ſupplices cõti-

neret

nerent denuo nobis essent consignanda, ut plene omnia consiliarii status cognoscerent. Namque nostra caussa destinata esset plenariæ expeditioni, ut una vice totaliter omnia possent perfici. Ita à nobis aliud, & alterum adhuc conceptum est scriptum, quo velut in compendiũ redegimus omnia, quæ in priori deductione ad longum explicaveramus, & rogaveramus: adiecimus heic alia adhuc postulata paucis, quæ consignatio quoque sequenti die consilio de Stado insinuata est. Præterea Dn. Contador, quum ipsi à consilio de Estado nostra deductio ad transferendum in Hispanicam linguam tradita esset, translationem suam perlegit, & contulit, ut simul nostrã mentem de aliis, atque aliis perciperet; velut & annotavit monita diligenter nostra, ac bene ponderavit, quæ prodessent nobis. Postea circa vespertinum tempus exspaciatum curribus ivimus, & vidimus in monasterio à Monstra Senora de Antiochia effigiẽ Divæ Mariæ: non tamen quid flexis genubus tetigimus, licet tum magna populi frequentia adesset, & monstrarentur talia nobis in solennitate aliqua. Aiebat tunc sacerdos: Non imaginem, sed illam, quæ in cælis est, adoramus.

Die 1. Maij Dn. Conde de Salinis, præsidem Portugalliæ salutavimus, qui certe admodum prudens, & amabiliter humanus erat, Vir ac Dn. Annum agebat tunc 45. qui magni honoris respectu colebatur. Iste Dn. multiformes pollicitationes edidit nobis cũ fideli cura singula promittens, nec se ullam occasionem nostri commodi negligere velle: Inprimis addebat hæc, quod si consulem, aut sollicitatorem peculiarem heic relicturi essemus, quod simul totam caussam ipsi concredere deberemus, & esset futurus singularis semper protector nostræ Nationis, & sollicitator: ita ferme per integram horam nobiscum exercuit amicabilem discursum. Circa vespertinum tempus nostrum compendium, & ulteriora postulata per Iohan. Conradi Dn. Secretario de Prado, uti ex Copia sub Lit. O. apparet, tradi curavimus, quod etiam Contadori ad transferendum datũ est, qui translationem suam iterum nobiscum contulit.

Die 2. Maij quum dies esset ordinarius ad scribẽdum in Germaniam, consumpsimus in eo tempus, & scripsimus itidem ad senatum Lubeccensem.

Die 3. Maij die solis misit ad nos Conde de Salinis 4. equos Hispanicos, egregie adornatos, ut iis uteremur ad equitandum, si exspaciatum iremus in civitatem, quod à meridie ita factum est. Nostri autem adolescentes, & Iuniores binis curribus regiis nos secuti sunt: ministri vero nostri ante nos gressum observarunt.

Die 4. Maij à prandio circa 3. horam Illustrem & sapientem Dn. Don Iwan de Idiaques, Præsidem Consilii ordinum, & in consilio status præcipuum, qui vivente adhuc parente Regis, cor erat, & anima regiminis, visitavimus. Quum salutassemus hunc, is nobis latine respondit, quod perquam rarum est in Hispania: Valde idem nostros Dnn. nos, & civitatum nostrarum causssam prædicavit, dum etiam admodum multa contestatus est de gratiosa affectione R. M. erga nos & nostros Principales, actorum Hansam. Offerebat se quoque ad singula officia singulariter cum magnis, & multis promissis. Gratias egimus ipsi debitas cum honore: quumque per dimidium horæ alios discursus intermiscuissel, impetravimus veniam discedendi, & tunc ulterius Dn. Conde de Cinchon salutavimus, Consiliarium de Estado, qui apud Regis parentem etiam fuerat unus ex triumviris, omnia regentibus. Is itidem nos plusquam benigne excepit, & ipse sedens, nos sedentes audiit, pollicitusque est nobis singularem favorem in quavis occasione, ubi quid præstare posset, quod nostræ caussæ prodesset. Hinc de Hanseaticarum civitatum statu, & Rebuspubl. his varios nobiscum commiscuit sermones in Hispanica lingua, donec dimissionem acciperemus ab eo satis benignam. Isto die Legatus Hamburgicus ita periculose morbo suo laboravit, ut vix ipsi vitam diuturniorem concederemus.

Die 5. Maij meliuscule se habere cepit Dn. Leg. Hamburg. quievimus interim hoc & postero die, nec quis nos visitavit. 7. Maij Iohan. Campherbeccius ex Lisbona rediit ad nos, nuncium attulit, quod naves nullæ ab Hansis adessent, sed quod ante ipsius adventum discessissent.

Die 8. 9. 10. Maij nihil in publicis peractum est, nec quis nos invisit. 11. Maij Anglicanus, & Germanus, Iesuitæ nos accedebant, cum quibus Syndicus noster Doman. de Theologicis nonnullis rebus colloquium amicum habuit; postea illis sermo fuit de D. Hieronymi Vogleri morbo, ubi simul de curatione talis morbi collatio est instituta. Hinc iterum diversio facta est ad res Theologicas, ubi ita libere de omnibus locuti sumus, ac si essemus in media Germania.

Die 12. Maij fulminis ictus obruit ædes Legati Anglicani, in quibus eius parens una cum virgine aliqua perculsus est.

Die 13. Maij iterum Dn. Secret. de Prado visitavimus, cui simul obtulimus memoriale novorum gravaminum, quod nobis à nautis Lubeccensibus erat transmissum; Sollicitavimus una in caussa nostra petendo maturationem. Is nobis bonam promotionem promisit, & boni successus eventum sperandũ. Acceptavit memoriale, & omnem curam cum fidelitate tancta pollicitus est.

Die 16. Maij visitabamus Dn. Condestabili de Castiglia Filii p. m. sepulturam, ac circa vespertinũ tempus memoriale novum sub Copia Q. per Ioh. Conradi & Campherbeccium mittebamus ad Dn. Secret. de Prado.

Die 17. Maij Dnn. Fuggeriorum factores nostri convivæ fuerunt cum aliis ex Germania: sequenti die nihil in nostra caussa actum est, nisi quod de ea in consilio de Estado deliberatum fuit, unde acta ad R. M. in Escuriale missa sunt.

Die 19. Maij ad nos Dnn. Fuggeri Dn. Maximilianus, Dn. Iacobus, & Dn. Iohannes quempiam miserunt cum annunciatione ea, quod si nobis esset cõmodum, se ad nos venturos esse, ut nobis de felici adventu gratularentur circa vespertinum tempus. Quum vero Syndicus noster eo die Alcadam profectus esset, & me dolor dentium premeret, excusatio facta est, ut ita quieti fuerint.

Nos tamen 11. Maij ad nostros invitavimur, ubi circa 4. horam ad nos venerint. Tres illi Dnnn. Dn. Syndicus, Ego, & Legatus Dantiscanus unum conscendimus curruum, ita nempe, ut illi inferiorem locum

suum

cum ſibi elegerint: in tribus curribus noſtri, & eorũ miniſtri nos ſecuti ſunt per plateas civitatis; poſtea domo noſtra; & cœna eos una cum præceptoribus, & Aulæ magiſtris excepimus, ubi iucundiſſime ſeſe exhilararunt.

Die 22. Maij à tribus nautis ex Lisbona accepi litteras, qui conquerebantur, quod ad ſervitia eſſent arreſtati & inſcripti: quas eodem die per Campherbeccium miſi ad Dn. Secret. de Prada.

Die 23. Maij palatium regium cum omnibus conclavibus introſpeximus: poſtea etiam Ducis de Lerma Guardeſoyas, & eius precioſitates cum Theſauris ſuis, quæ Regem deceant ſufficienter.

Sequentibus diebus per totam ſeptimanam in cauſſa noſtra nihil actum eſt ferme, niſi quod interdum Dn. Secretar. de Prada ſollicitaverimus, qui reſpondit, quod cauſſæ noſtræ miſſio nunc facta eſſet ex Conſilio de Eſtado ad Regis Eſcuriale, unde cotidie R. M. reſolutio eſſet expectanda. Ad Regem quoque Don Iwan Idiaques profectus eſt, velut & Dux de Lerma ad ſuum locum Lerma ſe contulit, quo Rex 27. Maij eum ſecutus eſt. Ex circumſtantiis talibus coniecturam hanc fecimus, quaſi ob Hollandicos pacis tractatus inclinaret R. M. moram nobis nectere, ut eius exitum prius cerneret, & inde dirigeret noſtras actiones: verum noluerunt aulici id confiteri, ſed alias prætenderunt rationes ex ponderoſitate cauſſæ ſumptas, & plenior informatio ex Lisbona, ac Sivilia eſſet petenda.

Die 30. Maij iterum tabellarius ordinarius Germaniam verſus abiit, ut ſcribendum nobis ad noſtros fuerit.

Die 31. Maij, velut & per totam ſeptimanam, nihil actum eſt in noſtra cauſſa.

Die 4. Iunii celebratum eſt feſtum corporis Chriſti valde ſplendida proceſſione: de feneſtris noſtris ſpectavimus eam detectis capitibus ſaltem, præſentibus nobis Conеſtable de Caſtiglia & Don Blaſco de Arragon, qui internum nos monendo fodicabat.

Die 6. Iunii ad R. M. & Ducẽ de Lerma ſcripſimus ſollicitando cauſſam noſtram, id tamen de cõſilio Dn. Secret. de Prada, uti ex copiis ſub lit. R. S. T. videre eſt.

Die 7. Iunii altercatio quædam inter miniſtros noſtros exorta eſt: ne tamen laudem priorem petulantia tali amitteremus, & redigerentur in ordinem procaciores, ſingulos, & univerſos ad nos acciri iuſſimus: & acti expoſtulatione illis exprobravimus tantam exorbitantiam, ſimul cuique noxio deſtinavimus pœnam carceris, & famis, quisquis non amplius obediret, aut alterum vel verbo ullo, aut intuitu maligno læderet. Rex adhuc circa Lerma & in illius protectiones ſuas exercuit, ut nunquam ferme quietus fuerit.

Ad 20. Iun. expectatus eſt Valdelitti, ut ibi feſtũ D. Iohannis celebraret uſque ad 26. eiuſdem, & hinc ad 29. huius Eſcuriali degeret, ſed non factum eſt. De die in diem bona ſpe bonæ expeditionis lactati ſumus: nec profuit nobis indignantia: quare patienter tolerare talia coacti ſumus.

Die 13. Iun. etiam per totam hanc ſeptimanam nihil actum eſt in cauſſa noſtra, licet ſtrenue urſerimus, præter bonam ſpem tamen nihil obtinuimus.

Die 14. Iun. ex Belgio venit curſor cum eo nuncio, quod nunc tandem induciæ generales concluſæ eſſent, & ad Hiſpanos extenſæ, quodque Hollandi exercitum ſuum revocaturi eſſent domum, quod etiam tractatibus pacis tempus inſtantis Autumni eſſet deſtinatum. Neque in hac ſeptimana quid ſuſceptum eſt, aut deliberatum in cauſſa noſtra: ſed iterum ex Belgio allatum eſt, quod induciæ marinæ erga Hiſpanos revocatæ eſſent; unde putabatur, quod Flotta iam ſatis adornata in cunctis non eſſet verſus Indias abitura.

Die 16. Iun. accepi litteras ex Sivilia, quibus mihi ſignificabatur, quod R. M. mandaſſet Iudici 30. pro cento ibi, ne poſthæc amplius naves Civitat. Hãſeaticarum ulla moleſtia afficeret, ſed libere liberas dimitteret ita, ac ſi eſſent Anglicanæ, aut Francicæ.

Die 18. Iun. à cœna nobis Dn. Contador, nomine Dn. Secretarii Andr. de Prada indicabat, quod Rex iuſſiſſet, ut nos mandatum noſtrum produceremus, ut cerneretur, num, & quouſque potentiam haberemus cum R. M. tractandi, & concludendi. Ad quod reſpondimus, mirum id nobis videri, quod nunc demum in poteſtatem noſtram inquireretur, quum uſque in 12. ſeptimanam heic degeremus; Res omnes noſtræ in manus R. M. eſſent depoſitæ pridem ita, ut meram expectaremus expeditionem cotidie, & ſingulis ferme momentis. Unde igitur nunc tandem dubium hoc de poteſtate mandati noſtri moveri poſſet? Non quidem peculiari mandato inſtructi eſſemus, ſed exhibitæ credentiales ſatis loco mandati eſſent legitimi, qualibus ad omnes Reges & Principes terrę paſſim civitates Hanſæ uterentur. Tum præterea nomine omnium civitatum Hanſæ ſub ſigillo Lubeccenſi haberemus inſtructionem univerſalem, hanc loco mandati nobiſcum foveremus in omnibus, quæ nobis forent efficienda: Eam vero non poſſemus è manibus amittere: precabamur igitur humillime, ne quid novi in nos tentaretur; ſed credentiales ſolito ubique more loco mandati acceptæ manerent. In omnem eventum autem, ſi quid ulterius exigeretur contenti eſſemus, ut R. M. Secretarius Teutonicus Dn. Iohan. Ochſe noſtram introſpiceret inſtructionem, ac clauſulam eã mandatoriam, acceptationis, & ratificationis ad omnes actiones noſtras exinde extraheret, ac ex Germanica in Hiſpanicam transferret linguam. Offerebamus etiam ad hoc, quod ſi novo opus eſſet mandato, quod intra certum temporis ſpacium hoc eſſemus procuraturi.

Die 24. Iun. Contador cum Dn. Secret. Iohan. Ochſio ante prandium ad nos venit, & indicavit nobis, quod noſtram mentem & ſententiam Dn. Secret. de Prada revelaſſet, qui tamen ſolus in eo negotio nihil efficere poſſet; ſed conſilio referre id cogeretur, quod conſilium iuxta iudicium ſuum nihil abſque præſcientia, & mandato R. M. ulterius facturum eſſet: atque ſic cauſſa ſaltem diſtraheretur. Quod ſi vero inſtructionẽ noſtram producere vellemus, adeſſet propterea Teutonicus Secretarius, velut à conſilio de Eſtado miſſus, ut cerneret punctum eum mandati, & eũ annotaret, ac in Hiſpanicam transferret linguam: Quod tandem factum eſt, atque extractum talem noſtra ſubſcriptione, & ſigillo confirmavimus.

Die

Die 25. Iun. In consilio de Estado extractus iste perlectus est, ubi dubitatio hæc fuit, num sufficiens esset loco pleni mandati. Quare 2. ICtis ad discutiendum plenius id negotii traditum est, ut singula examinarent.

Die 27. Iun. Quum animadverteremus, quod variæ essent difficultates motæ ob mandatum tale, ac eodem tempore ordinarius tabellarius in Germaniam excurreret, & istud esset ad principales nostros perscribendum; inde ad Dn. Secret. de Prada nos curru contulimus, atque conquesti sumus ob moră interiectam, petendo, ut declararet se, quo tempore primo Regis responsum esset expectandum ad nostra postulata. Ille respondit ad hoc, quod causa ponderosa & longa, neque Rex domi fuisset; putaret, quod si punctus mandati nostri in Consilio de Estado ad certitudinem deliberatus esset hoc vespери, tunc intra 4. dies Regis resolutio mitti posset. Rex enim iam ante biduum in Escuriale reversus esset, cui causam hanc cum promotione nostra referre ante omnia cuperet. Proinde ulterius ipsi explicatum est, quod ad excusationem Mandati spectaret, quum mandatum Instructionis tantæ efficaciæ in substantia sua esset, ut Domini nostri pleniorem potestatem non possent tradere nobis. Quærebamus, quur ita scrupulose iam solemnem mandati formam urgerent, quum substantia mandati sufficeret, & legitimatio nostrarum personarum; tum Dn. nostri lubentissime id omne, quod iuxta tenorem instructionis effecturi essemus, acceptaturi, & ratihabituri essent absque ulla dubitatione. Ille Secret. suam excusabat personam, indicando, quod eiusmodi solemnia Mandati semper apud illos essent in usu. Ad vespertinum tempus significaturum se mentem nostram Consilio aiebat, & promoturum, ut postulato nostro satisfieret, tam in hoc, quam ut in causa principali communicationes instituerentur pro fine optato assequendo.

Die 29. Iun. Venatio magna taurorum sylvestrium Madriti celebrata est, ubi aliquot milleni homines spectatores egerunt. Nobilibus nostri loci assignati fuerunt pro 50. marcis. Quisque locus spectationis venit 8. 9. aut 10. Ducatorum.

Die 30. Iun. experti sumus, Regem mandasse, ut lit. Credent. nostræ cum clausula institutionis per ICtos examinarentur, num essent sufficientes; relatum est quoque nobis, ICtos sufficientiam suam in iis non inveniisse; ideo consilium status sententiam talem transmisisse Regi, ut inde resolutionem expectarent. Quare Dn. Secret. scriptum aliquot sub lit. V. transmisimus.

Die 2. Iul. Quũ quinta dies apparuisset, ex quo collocuti eramus cum Dn. Secret. nec tamen resolutionem obtinuissemus, per Dn. Contador à Dn. Secret. de Prada sollicitavimus responsum; qui eadem vesperi nobis indicium fecit, quod sequenti die ipse ad nos venturus esset, & nobiscum tractaturus de re præsenti.

Die 3. Iulij apparuit ille, & facta salutatione in Hispanica lingua nobis significavit, quod ipsi à Rege iniunctum esset, ut nobis indicaret, R. M. E. Credentiales nostras, clausulamque instructionis ad perlustrandum dedisse ICtis suis, qui eas non inveniissent sufficientes, ita ut R. M. nobiscum tractare posset. Quippe R. M. S. ante annum per Campherbeccium civitatibus hoc adscribi iusserat, ut suos cum tali plenipotentia mitterent legatos, quæ satis esset ad tractandum, & concludendum, velut in Anglia, & Francia esset factum. Iam vero deprehenderet R. M. quod tale non haberemus mandatum, nec cerneret M. E. quomodo absque despectu S. M. dignitatis nobiscum tractare posset. Namque hoc posceretur, ut E. M. se erga nos declararet, & obligaret: sic nec ex contrario cerneret, ex qua potestate nos R. M. satisfacere possemus. Quare in tota causa maneret defectus principalis. Quapropter S. R. M. à nobis hoc exigeret; quod si adhuc pleniorem potestatem nobiscum haberemus, ut eã produceremus. Quod si non, ut aperiremus mentem nostram, quid ulterius faciendum in hoc negotio esset, ne plane in oppilationem incideret. Item, Notum esse, quod cum comite Anenbergio in Belgio tractatum sit, & tunc alia, atque satis plena Mandata nobis ad manus fuerint, ut inde ad hæc negotia nostra instructio non sit sufficiens, neque fides.

Hisce & talibus auditis, secessum colloquii petivimus. Sententiam meam tunc germanice edixi Collegis meis: & quum inter nos deliberatio esset facta, rediimus ad Dn. Secret. tali responso: quod eiusmodi resolutio plane ex insperato obiceretur; quum ultra spacium 3. mensium tempus iam frustra consumpsissemus. Ex eo, quod S. R. M. nos plane clementissime, & regaliter excepissent, audivissent, liberalissime tractassent, nobis semper optima spes bonæ expeditionis concitata fuisset. Tum tam diuturno tempore nostra scripta, & negotia in manibus R. M. fuissent: Iam vero incepta esset inanis disputatio de Legalitate personarum nostrarum, quod à principio longe rectius fieri debuisset, tunc facili remedio resarciri hoc potuisset. Occasio enim toties fuit, ut scribere ad nostros principales potuissemus, & quoad formam alia mandata pridem procurassemus. Namque quoad substantiam, non cernebamus, quomodo, & qua ratione nobis pleniora mandata nostri Domini communicare possent, aut tradere, quam nobis nunc in manu essent. Quippe instructio nostra firma maneret, licet centum mandata in solemniori forma nobis mitterentur. Tum in ipsis Credentialibus expressissime contineretur ea clausula, quod nobis fides ea adhiberi deberet in omnibus, & singulis, quæcunque à nobis proponerentur, tractarentur, non secus, ac si ipsi nostri Dnn. præsentes essent: Quibus & hoc annexum esset, quod talia quævis nostri Dnn. & superiores, nempe universa totalitas Hãseaticarum Civitatum, velut propria negotia acceptatura, confirmatura, & ratificatura esset, quæ verba non frustra Instructioni essent inserta; si omnia ad normam Instructionis in utilitatem illorum peragerentur. Hæc & eiusmodi, quum in effectu nil aliud determinarent, quam si absolutissimum Mandatum nobiscum attulissemus, non posse nostram legalitatem, aut fidem Legatis debitam infringi. Facile nobis memoria suggerit, quid S. R. M. ad Campherbeccium ante annum scripserit; inde quoque hoc in plenissimo stylo ita observavimus. Tum etiam Corpus Hanseaticum nobilissimarum civitatum nunquam aliis mandatis uti consuevit, quoties ad Reges, & principes Christianos passim

paſſim per Europam miſit. Uniformem rationem ſemper conſtantiſſime obſervavit in credentialibus, & Inſtructionibus per Legatos ſuos; nec ullum exemplum eſt, quin id fuerit reprobatum: imo omnes ſufficientiſſimam fidem illis adhibuerunt in cunctis tractatibus: Quin & ipſius R.M. Parens ipſe, p.m. quoties ad nos Legatos ſuos miſit, quod certe ter factum eſt, non alio ſtilo, & forma uſus eſt, nec aliud mandatum exhibui curavit, nec voluit, nec à parte Hanſarum expetitum fuit. Sufficientes ſemper fuerunt Credentiales cum Inſtructione pro legitimatione omnimoda.

Quod vero mentio de Comite Arenbergio interiecta fuit, quorſum id tendat, licet plane ignoremus: tamē hoc adſeverare poſſumus, ꝙ nomine communis Hanſæ, & in eius negotiis nuſpiam, nec unquam cum illo quid tractationis interceſſerit nobis. Hoc aūt verum, quod in hoc itinere cum Seteniſſ. Archiduce Albe.to, velut & cū Rege Gallię nomine principalium noſtrorū tractaverimus; ſed certe nulla alia ratio Mandatorū, quam heic fuit, nec quid ūlterius expetitum eſt utrobique, quum ſufficerent tam credentiales quā Inſtructio. Quod in cauſſa ſua M.R. cū Anglo, & Gallo uſa ſit certa forma mandatorū, id uti nemini mortalium præiudicium importat, ita neq; nos obligare poteſt, quū res ſit liberæ voluntatis. ita ut alteri plenā poſſit præſtare fidem cum quo agendū, aut tractandum eſt. Tum quoq; in talibus regia mens R.M. nobis non poteſt eſſe cognita. Quin etiā longe diverſa ratio cauſſæ ſubeſt in iis negotiis, quæ ex bello originem trahunt, ſi componi debeant inter concertantes, ubi non ſatis eſt producere credentiales, ſed ſimul eodē in actu producere mandatū formale oportet: Nos vero heic in longe diverſiſſimis verſamur terminis; nec talia tractamus, quæ belli rationem cōcernunt, quum clementiſſimū nobis promittamus Regem. Ideoq; nos, velut amicos, S.R.M. obſerimus, quū eius ſubditos ne ulla quidē læſione offenderimus, nec mens ulla alia ſit, quā illis optime in cunctis negotiis, & mutuo cōmercio cupere, atq; re ipſa id ita demonſtrare ſemper. Exinde quoq; poſtulata noſtra in id directa ſunt, ut merā æquitatem iuris naturalis inferant: Inde quoq; hæc conqueſtio orta eſt de gravaminibus nonnullis, damno dato inde, & creditis bonæ fidei, quę cuncta Nationi noſtrę in Hiſpania heic obiecta ſunt. Quare legatio noſtra nihil aliud importat, quā quod petamus ex iure naturæ remediū luſtitiæ debitū, nempe reſtitutionē, & ſolutionem iuſtam debitorum: velut etiam petimus non ſaltē confirmationem privilegiorum ſed etiam auctionem eorundem in communem uſum, & ordinē ſolidiorem commercantiū: ut nihil niſi gratiam ſummam R.M. ita ambiamus. Ad quæ & talia non alia requiritur Mandati ratio, nec poſci valebit alia à nobis: nec cernimus ullam neceſſitatis cauſſam, quæ plura à nobis exigere queat, quum ſaltem id præſtāndum heic requiratur à R.M. quod ipſa natura æquitatis poſtulat, ut ita mutua ſit obligatio ex iure Gentium, aut pacto firmo oppoſita, quod noſtri Principales in ſumma gratitudinis devotione agnoſcent factum. Quod ſi etiam quid S.R.M. à noſtris expetere civitatibus vellet, facile id in nos etiam ſine mādato recipere poſſumus, & nobiſcum ponderare, imo etiam hoc uſque ad ratificationem ſuperiorum noſtrorum, ſi ſit practicabile iuxta potentiam, & poſſibilitatem noſtram, promittere ad promovendum: velut & reliqua ad relationem uſque in nos recipere valemus cum ea fideli promiſſione, quod omnino curaturi ſimus celerem maturamq; pro poſſibilitate noſtrorum principalium declarationem. Si quid ulterius ſubſit, quod forte S.R.M. expetat: id vero ſicut noſtris Dnn. plane eſt incognitum, ita impoſſibile iiſdem fuit, quod talium mandatum nobis tradere potuerint, aut ad eiuſmodi Inſtructionem ullam dirigere. Iniquorum, & ignotorum nulla datur conformatio per naturam.

Sic tandem noſtra erat petitio, ne non neceſſariū quid moræ, aut impedimenti heic nobis interiiceret, ſed in principali cauſſa poſſet pergi, ad quam promptum hucuſque expectaviſſemus reſponſum. Offerebamus igitur nos ita legales, ut quodcunque cum S.R.M. eſſemus tractaturi, & concluſuri, iuxta formam inſtructionis noſtræ nomine Principalium noſtrorum eſſemus ratificaturi, & ſubſcripturi, ac noſtris corroboraturi ſigillis in firmiſſimam omniū civitatum Hanſeaticarum fidem. Adiiciebamus etiā hanc oblationem, quod ſcriptum illud, hiſce diebus in hac diſputatione Conſilio de Eſtado inſinuatum, repetere vellemus, & aliud ſurrogare cum longe pleniori, & abſolutiori deductione omnium articulorū, & rationū, obiectionumve, quæ in hac inani diſputatione moveri, aut moras nectere poſſent, quod ita conficere brevi ſtatuimus, ut cōſilio pleno circa inſtantē Sabbathi diem exhiberi poſſet: Proinde Dn. Secret. rogavimus, ut promotor eſſe velit reſponſi, ut abſque mora poſſemus de eo certiores fieri.

Secretarius iſte reſpondebat, ſe non libenter videre, quod Diſputatio talis interiecta eſſet: confiteri ſe cogi, quod noſtra reſponſio in omnibus ipſi ſatisfecerit, nec defore ſe in ulla promotione apud S.R.M. Arbitrabatur ſimul, quod nil min⁹ in cauſſa principali tractatio poſſet perfici, aut in ea pergi. Atque quū noſtra hæc eſſet oblatio, quod principaliū noſtrorū ulteriora mandata, & ratificationes ad poſtulata R.M. eſſemus procuraturi; poſſet quoque ex eo reſpectu S.R.M. promiſſio, & quæcunque in cauſſa principali concluſura eſſet, eo uſq; in ſuſpenſo reſervari citra vim obligationis plenę. Ad quæ ipſi reſpōdebamus ſtatim, quod cerneremus ipſius integrum animum, qui omnia in bonam flecteret partē; ideo ipſi quoque nos totos concrederemus. Quod vero iuxta eius arbitrium, in tractatione ita pergi poſſet extra omnem obligationē, ſi quid eſſet concluſum, donec à Dnn. noſtris approbaretur ad cuncta R.M. poſtulata, id eluderet, & fruſtraneam redderet omnē legationem noſtram, & perderet ſimul inutiliter omne tempus impenſum cum impenſis. Imo per ſe plane inutile eſſet futurum. Etenim quum noſtræ legationis ſumma, & ſcopus is eſſet, ut poſtulatorum noſtrorum ratio vera haberetur, neceſſum foret, ut ſimul res diſcernerentur, quæ continerentur in poſtulatis. Quippe aliæ res eſſent tales in natura ſua ita conſtitutæ, ut Sacra Regia Majeſtas eas omnino nobis denegare non poſſent iuxta tenorem iuris naturæ: Cuiuſmodi generis ſunt, gravaminum abrogatio, moleſtatio iniuſta, qua noſtri ſervi & mercatores in commercationibus afficiuntur, ſolutio debitorum, reſtitutio damnorum, abolitio impoſitionum, præſertim 30. pro cento, & ſimilia. Quod regii heic eſt officii, id

certe putamus, quod ad primam implorationem regie ſit R. M. effectura ſine ulla conditione, quum negotium adeo planum ſit, ut hæc non aliter, ſed tanquam cauſſas, & res iuſtitiæ valeat, & debeat agnoſcere. Quod ſi vero S.R.M. res meræ gratiæ tractare, & concludere vellet, & nihilominus omne concluſum in ſuſpenſo eouſque retinere, donec ad poſtulata talia regia ſe noſtri declararent Dnn. hoc quidem concedere cogeremur; tamen in eum caſum res meræ gratiæ, non eſſent futuræ gratioſæ; imo expiraret ita omnis gratia. Nos vero non dubitabamus, quod ſi R.M.S. animus eſſet, ut de novo benemeritis, & gratia noſtras civitates, quæ per tot ſecula R.M. Anteceſſoribus, & regnis eius ſervitia amicabilia præſtitiſſent, non ſine magna utilitate eiuſdem, devincire ſibi vellet, quod certe civitates noſtræ, & totum corpus Hanſæ, omnino paratæ eſſent futuræ, ut cum gratitudine poſſent illud præſtare, quæcunq; extrema poſſibilitatis facultas illis concederet. Petivimus iterũ, ut hæc recte conſiderarentur, & bene diſcernerentur; ad quæ illũ quoque ita gratioſe dimiſimus.

Die 4. Iulii ſequenti aliud ſcriptum adhuc concepimus, & circa veſpertinum tempus Conſilio ſtatus inſinuari debite curavimus, uti ſub lit. V. apparet. Percepimus, quod etiam id deliberationi ſit commiſſum; unde & S.R.M. tranſmitti debuit, quod 8. huius demum factum; quę mora hoc cauſſavit, quod per totam ſeptimanam nihil in noſtro negotio ulterius ſit peractum, ſed quieſcere coacti ſimus.

Die 6. Iulii accepi litteras à mercatore meo ex Sivilia, quod naucletus meus Lubeccanus, nomine Iohan. Bolie mihi captivus in inquiſitionem fuerit abreptus, nec non eius navis, qua verſus Venetiam iter inſtituerat, cum omnibus bonis & commerciis arreſtatione detineretur, ob cauſſam pluſquam frivolam, & contra omnem libertatem naturalem pugnantem, quod nempe duo libelli Germanici idiomatis in ea inventi ſint. Quare confeſtim novum memoriale cum plena deductione, ut monſtrat copia ſub lit. X. conſcripſimus, & id Dn. Secret. de Prada ſequenti die tranſmiſimus cum inſtãti petitione, ut talis proceſſus iniquus caſſaretur, & iniquitates tales impoſterum à nobis averterentur hominibus, reſtitueretur iam navis, & dimitteretur iſte vir, ac ne quid ulterius peccaretur, merito inquiſitioni exorbitanti ſuus præſcriberetur terminus, & modus.

Die 7. Iulii Memoriale hoc exhibitum eſt conſilio ſtatus, & perlectum, & ſequenti die Regi tranſmiſſum ad Eſcuriale. Ad quæ ſtatim mandatum Regis fuit, ut Secret. de Prada indicaret Generali inquiſitionis heic: citra moram ipſi ſcribendum eſſe ad Inquiſitionem Siviliæ, ut exploraret certitudinem rei, quomodo ſe haberet. Sequentibus diebus acquievimus in patientia.

Die 14. Iulii per Contadorẽ nobis indicatum eſt, quod diſputatio ea de mandato exorta, iam ad finẽ perducta ſit, & R. M. contenta ſit declaratione noſtra; quæ mandarit, ut exhiberetur nobis ſcriptum aliquod, in quo R.M. poſtulata eſſent conſignata. Ideo hoc poſcerent à nobis, ut ad talia quam primum reſponderemus. Hoc præſtito, aiebat, progreſſus patebit ad ulteriorẽ tractatum, & quid ad priora ſcripta, cauſſam ipſam concernẽtia, ſit reſpondendum. Indicabat ſimul, quod ſcriptum Regis Germanico Secret. Iwan Ochſcio eſſet redditum heri circa veſpertinum tẽpus, ut ille ex lingua Hiſpanica in Germanicam converteret, qui id mox proculdubio exhibiturus eſſet. Gratias huic vero quidem egimus pro annunciatione facta, addidimus ſimul cum debita reverentia libenter nos accepturos, & viſuros eſſe, quænam forent poſtulata Regis; ſed hoc mirum nobis videri, quod nulla reſponſione dignaremur ad primum noſtrum ſcriptum, quam tamẽ cum deſiderio per 4. menſes expectaſſemus. Quod ſi vero ea ulterius differri, & interim talibus regiis poſtulatis interrumpi deberet, varia inde poſſent colligi. Forte iſta eſſet intentio, quod R.M. prius nos explorare cuperet ſuis poſtulatis, ut tunc ad noſtra poſtulata dirigere poſſet ſuum reſpõſum: Hoc vero omne pugnaret cum ipſa æquitate iuris, cum R.M. promiſſo, & Conſiliariorum pollicitatione; imo & cũ ipſo iuris proceſſu. Sed patientia evincenda cuncta putavimus. Diximus itaque nos expectare velle regiũ tale ſcriptum; petivimuſque id unice, ut ſimul ad noſtrum propoſitum regia reſponſio tranſmitteretur, quod ſollicitavimus toties.

Ille aiebat, ſibi talia non eſſe cognita. Ideo rogavimus, ut non ſaltem in Teutonica lingua nobis exhiberetur illud ſcriptum, ſed ut ſimul Exemplar Hiſpanicum cõiungeretur, poſſet à nobiſmetipſis collatio talis inſtitui, & eo citius, expeditiuſque ad ſingula reſponderi. Sed ille vix putabat, id obtinendũ eſſe, quum ſtrictum ſit tale Regis mandatum. Trãslationem autem fieri poſſe intra dimidium diei.

Die 8. Iulii, quamvis iterum petierimus ſcriptum Regis; tamẽ 4. & pluſculi effluxere dies, nec interim aut Hiſpanicam, aut Germanicam translationem obtinere potuimus, ut ferme ad impatientiam irretiti eſſemus. Singulis id urſimus diebus, ut bona haberemus exempla.

Die 17. Iulii circa 10. hor. nocturnã accepimus tãdem utrumque. Syndicus noſter Germanicum ſibi ſumpſit, nos Hiſpanicum, quod ſtatim perlegi.

Die 18. Iulii conſultationem ſcripti huius cauſſa inſtituimus. Tunc ſtatim Syndicus indicavit, quod translationem hanc ita intricatã deprehenderet, & involutã, ut impoſſibilem intellectu putaret. Rogabat itaq;, ut ex Hiſpanico ipſi ſententiã integram declararem; alias non poſſet contentũ recte deliberari: Putabat, punctatim eſſe cõlideranda omnia. Quod ſi tunc denuo in Germanicam tranſportarentur linguã, poſſet rectius quidvis diiudicari; alias foret ipſi impoſſibile, ut verũ conciperet ad tã involuta reſpõſum. Sub eodẽ tempore ad nos accedebat Dn. Contador, indicans, ꝙ Dn. Secret. de Prada bina illa ſcripta heri, cũ litteris ſuis (quas nobis monſtrabat) ut nobis exhiberet ea, tranſmiſiſſet: adiuncta autẽ eſſet hæc annunciatio: ut nos quam citiſſime ad poſtulata Regis explicaremus; ſi hoc fieret bona cũ maturitate, ꝙ tunc protenus S.R.M. declaratio ad noſtra petita reddi poſſet, ut ita eo citius noſtrã obtineremus expeditionẽ. Ad quæ reſponſum fuit noſtrũ, nos quidẽ debita cũ reverentia accepiſſe ſcriptum regiũ; ſed quũ trãslatio Germanica ita abſq; ſenſu perceptibili eſſet facta, ut parum nobis prodeſſet, neceſſitas hoc imponeret nobis, ut de novo recognoſceretur. Quare non amplius talem expeteremus translationem; ſed rectius fieret, ſi nobis Hiſpanicũ tranſmitteretur. Quantum in nobis, nihil moræ eſſet futurum, quum iam in ipſo ferveremus opere, uti ipſe videret. Petii-

mus

mus ipſius atteſtationem. Poſt diſceſſum eius per-reximus in labore uſque ad prandium. Sed quum obſcuritas ſtili nimis gravis eſſet, rogarunt me Dnn. Collegæ mei, ut ipſe in me novam translationem abſque inſpectione translati ſuſciperem. A prandio ſtatim intra 5. hor. ſpacium id abſolvi totum, quæ translatio ita ſonat, uti ſub lit. Y. videre eſt.

Die 19. Iulii continuo reſponſum concepimus ad omnia Regis poſtulata, quod 20. eiuſdem in Dn. Legati Dantiſc. cubili, quum ille admodum graviter decumberet, perlegimus, deliberavimus plene, & concluſum ita fuit.

Die 21. Iulii prædictum ſcriptum ſub lit Z. omnes Legati ſubſcripſimus, & Dn. Contadori tradidimus cum petitione ea, ut ille Dn. Secret. de Prada redderet ad promovendum S. R. M. reſponſum una cum citiſſima reſolutione ad priora noſtra ſcripta, quod prodeſſet ad dimiſſionem diu expectatam.

Die 22. Iulii Mandatum accepit Contador, ut noſtra priora latina in Hiſpanicam transferret linguã, quod ille fecit ita, ut tantum ſubſtantiam rei in Extractum coniiceret, ceu ipſe mihi monſtravit.

Die 23. Iulii Deliberatio facta eſt in conſilio ſtatus, quid nobis reſpondendum.

Die 24. Iulii ex mandato Dn. Secret. de Prada circa 7. hor. veſpert. nobis Contador indicavit: Primo, quomodo mirarentur Dnn. Conſiliarii, nec minus S. R. M. quod in reſponſo noſtro conqueremur de mora, & ſimul allegaremus, quaſi S. R. M. ad hanc Legationẽ invitaſſet, & longe aliud à principio promiſiſſet; quum tamẽ verum, quod in multis litteris noſmetipſos propria ſponte obtuliſſemus ad veniendum huc. Ac licet S. R. M. quod Legatos nollet diu detinere, ſed brevi dimittere; tamen hoc non aliter intelligendum, quam de puncto 30. pro cento, qui etiam intra 8. dies potuiſſet abſolvi: tam vero longe plures, aliaſque res attuliſſemus nobiſcum, quæ ulteriori informatione, & longiori deliberatione indigerent penitus. Quare nulla in Rege, ſed in nobis ipſis talis mora eſſet depoſita. Pro ſecundo, id mirarentur etiam prædicti Dnn. quod in puncto 30. varias, & multas tot diſtinctiones, & differentias confingeremus: tum quoque difficultates moverent in puncto 30. quod nollemus ita rem concludere, & publicationem eam adhibere, uti tamen ab Anglo, & Gallo factum; quum tamen Dnn. ſcripſiſſent, quod eadem ratione, & modo cum S. R. M. tractare vellent, prout concluſum eſſet inter Angliam & Galliam, quod nunc contrarium importaret, &c. Quapropter iam illud expetereretur à nobis, ut nos rite explicaremus, num tales capitulationes, quales cum Gallis & Anglis eſſent contractæ inire vellemus, & eodem modo publicare? Quod ſi placeret, tunc mandatum iri, ut ulterius nobiſcum tractaretur; velut etiam S. R. M. declaratio ſtatim poſſet nobis exhiberi. Quod ſi vero hoc repudiaremus, non apparerent media, per quæ ulterius poſſet procedi; ſed potius una difficultas paritura eſſet alterã.

Ad quæ protenus in continenti tale edidimus reſponſum: Quod cum omni decentia conqueſti fuiſſemus de mora adeo diu protracta, quũ ultra 16. ſeptimanas iam heic degeremus, nec quid reſponſi interea obtinuiſſemus à R. M. à principio melior fuiſſet promiſſio, quam ferme nunc appareret. Nunquam noſtra intẽtio fuiſſet, quod ſaltem ob punctũ 30. huc nos conferre vellemus; ſed quum longe plura eſſent gravamina, & damna, de quibus toties ſuas querelas miſiſſent Dnn. noſtri ad R. M. propterea cõſtituiſſent ſuos legatos pridem huc mittendos, priuſquam inventa eſſet illa de 30. impoſitio. Proinde nihil novi quum attuliſſemus, ſed petitiones noſtræ directæ illuc eſſent, ut abolerentur antiqua gravamina cum novo 30. non recte id nobis citra noſtram culpam imputaretur. S. R. M. quidem non alia ratione huc veniendum nos coegiſſet, niſi quod clementiſſimis ſuis litteris, & promiſſionibus benigniſſimis anſam præbuiſſet, quod eo promptius, & citius nos huc miſiſſent: ſed tamen iuxta iudicium noſtrum, nõ adeo id iam urgendum eſſe, quum res tam ad R. S. M. quam Civitatum utilitatem ſpectaret. Nihilominus à parte noſtra civitates neceſſarium æſtimarunt, ut propter commercia inter S. R. M. & eas confidẽtior correſpondẽtia, & ſolidior certitudo, quã hucuſque factum, conciperetur. Quod ad 2. punctum attinet, heic noſtra declaratio nihil periculoſi continet, nec damnoſi. Etenim haud novimus, quod unquam Dnn. noſtri ſcripſerint, quaſi pure, & ſimpliciter, veluti Anglia, & Gallia cum S. R. M. ſuper 30. pro cento contraxerunt, capitulationes eorum acceptare velint; ſed potius, ut reſpectus honeſtæ utilitatis ab utraque obſervaretur, quod facile fieri poſſet, ſi res recte ponderaretur: Quod attinet ad diſtinctionem, quam inter Belgas, & Hollandos adhibuimus, id eſſe accipiendum de iis, qui in civitatibus noſtris ſint cives. Inventum non hoc noſtrum eſſe, ſed ipſius R. M. quę in 2. & 9. poſtulato ſuo anſam dederint, ut neceſſario eius mentio fieri debuiſſet; quum inde pateret, quod tractatio 30. pro cento longe gravior in nos, quam Anglos, & Gallos detorqueretur. Oblatio noſtra fuit, quod plane integre acturi ſimus, ne quid S. M in nobis deſiderare poſſet æquitatis. Si quid quoq; rite concludi valeret in detractione publicationis, illud omne omnino firmum, & ratũ habituri ſint nobiſcum Dnn. noſtri. Sed quum nox plura loqui vetaret, poſſent reliqua differri ad craſtinum. A cœna autem ſtatim Dn. Syndico noſtro id explicavi, unde ſit, quod in tantum capitulatio Anglicana urgeretur. Dixi, me putare, hoc à Dn. Condeſtablo de Caſtiglia ſuggeſtum eſſe, quum ipſe capitulationem hanc cum usmierit. Suaſor ſic inde fui, ut non recuſaremus eam, quum nobis non multum obſtaret, niſi in uno puncto vectigalis novi 30. pro cento, qui iam diſputaretur. Quum vero Syndicus rem non penitus apprehenderet, rogavi eundẽ, ut capitulationem eam, tam in latina, quam Hiſpanica lingua ad invicem collationando examinaremus, eandemque cum noſtra expoſitione, & declaratione conferremus.

Die 25. Iulij, quũ hac præterita nocte omnia rectius nobiſcum diſcutiendo ponderaſſemus, invenimus tandẽ differentiã inter negotiationẽ, commerciumq; Anglicanum, & noſtrum, quod nimirũ in 20. punctis nobis duriora præ Anglicanis ſub ſpecie detractionis 30. pro cento imponerentur. Ideoq; eam nobis cõfecimus reſolutionem; quod quidem in negotio 30. pro cento capitulationem dictã acceptare vellem⁹, ſed cũ reſervatione, & declaratione pleniori æquitatis, quæ recuſari nequiret, ne quis foret deterioris cõditionis. Hoc explicavimus quoq; noſtris collegis, Legato nempe Hãburgico, & Dantiſcano,

qui utriusque mentem, & sententiam approbarunt. Quare ad nos 26. Iulii acciri iussimus Contadorem, cui priorem in modum animum nostrum aperuimus, cum ea adiectione, quod omnia in scriptum comportassemus, ut eo explicatius, & expeditius Consilio status posset exponi: Quod admodum placuit viro & comprobavit singula. Idcirco litteras eas ita ipsi obtulimus, ut eas Dn. Secret. de Prada tederet: Et quum cerneret, quod nos consentiremus ita in capitulationem ut idem quoque promotor esset apud R. M. maturioris responsi, & resolutionis, quod vir iste in se suscepit.

Die 27. Iulij ille reversus est ad nos circa vesperam, peracto consilio status, ac nobis annunciavit, quod nostra declaratio à Consilio status esset approbata, & acceptata. Proinde quoque ea iussio subsecuta, quod tam S. R. M. declaratio, quam nostra in novum conceptum comportari scriptis deberet, velut & ipse audivisset istud Dn. Secret. de Prada officiali suo præcipientem, ut ad 28. Iulii die Martis nobis possit exhiberi. Non quidem ingrata res nobis videbatur, sed tamen mirabamur hoc, quod nunc demum R. M. declaratio conciperetur; quum tamen ante quinque septimanas nobis relatum esset, quod plane absoluta haberetur: Ex quo facile erat conjectu, quum nostra declaratio ad R. M. postulata non esset satis accommodata pro lubitu eius, quod nunc etiam inde Reg. declaratio formam esset sumptura in imminuēdo pleraque. Quare hoc per obliquum quasi obieci Dn. Contadori, quum res frustranea hæc saltem diffidentiam nostris excitaret Dnn. nec quid commodi crearet.

Die 28. Iulij, Quum responsum cum desiderio expectaremus, res omnis in lusum aut venationem tauralem conversa est, in qua totus consumptus est dies, nec quicquam nos accepimus nisi quod Contador nobis retulit: scriptum quidem confectum esse, sed quum 30. Iulii in Consilio status iterum perlegi deberet, præstolari nos oportere. Omnia ita adversa coacti sumus patientia evincere.

Die 29. Iulij Rex rursus ex Madrito in Escuriale se recepit suum. Inde sollicitavimus apud Ducem de Lerma quidem Audientiam, sed ille se excusavit.

Die 30. Iulij Dn. Contadorem cum Campherbeccio, & Conrado nostro ad Don Roderigo de Calderon misimus cum amicabili petitione, ut ille nobis apud Ducem de Lerma Audientiam procuraret: qui ex petulantia animi hoc superbum, imprudensque dedit responsum, non opus esse, ut Dux de Lerma hoc negotio molestaretur, quum à Reg. Maj. ipsa ad Consilium status causa nostra esset delata. Forte intra paucos dies inde habituri essemus responsum; ubi addidit; Legati illi erga Reg. Maj. se non satis in responso suo accommodarunt: Ergo expectent parumper. Quæ odiosa responsio non minus tædiosa nobis fuit. A cœna tamen eodem die rediit ad nos Contador, indicans, quod Dn. Secretar. de Prada illum misisset, ut referret, causam nostram in consilio hodierno plane concisam: interim tamen ipsi injunctum, ut cum Duce de Lerma ex eo loqueretur: quando hoc factum esset, se decretum nobis esse insinuaturum: Rex ad omnia postulata nostra consensisset, unde speraret, nobis satis futurum esse. Gratias egimus huic viro in spe certa, quod tandem obtenturi essemus scriptum, quum toties spes antea fuisset inanis lætationis. Per occasionem quoque factum est, quod dolorem animorum nostrorum ipsi detexerimus, ob compunctiones eas, quas percepetamus ex abnegatione Audientiæ apud Ducem de Lerma, nec non incompto respōso Don Roderigo Calderonis, quum talia in despectum nostrorum Dnn. vergerent, & detraherent ipsorum fidei in promissis datis: quæ disputatio variis modis distracta, & examinata fuit.

Die 31. Iulij, erat dies S. Laurentij styl. nov. retulit nobis Contador, quod Dn. Secret. de Prada non potuisset Ducem de Lerma convenire: ideo ob promptiorem rei promotionem transmisisse Duci, quod si acciperet, statim nobis insinuaturus esset.

Die 1. August. Nedum quid accepimus, nisi quod Contador explicavit, quomodo Dn. Secretar. de Prada cum Generali inquisitionis nauclerii capti nostri gratia locutus esset, qui mirabatur, quur ob tam levem causam incarceratus esset. Ideo voluit, ut memoriale aliquod ipsi transmitterem, velle se statim Siviliam ad inquisitionem scripturum: quod etiam factum est. Hac nocte adeo gravi morbo obrutus est Legatus Dantiscanus, ut ultimam ei hanc censeremus.

Die 2. August. Contador ex schedula Dn. Secret. de Prada nobis annunciavit, quod Regis responsum nondum acceperit, simulac mitteretur ad eum, se statim missurum esse nobis. A prandio inde ad eundem misimus Campherbeccium, ut ipsi referret circumstantias, qualis fuerit hucusque circumductio negotii, quod meræ inanes extiterint promissiones Contadoris, qui dixisset, quod ante 8. dies in Consilio status causa nostra fuisset concluſa; nunc vero culpa in Ducem de Lerma converteretur ex triduo usque. Ideo peteremus, ut ille nobis certitudinem indicaret, quid tandem esset sperandum; aut si posset id promovere, ne quid intermitteret. Si nosceremus, quomodo res ulterius urgenda, nil diffugeremus. Responsum autem Secretarii ita nobis relatum est, quod Dux scriptum illud iterum ad Regem misisset, unde remissio expectanda: petebat à nobis adhuc pauculam patientiam. Sed quum neque hoc responsum nobis sufficeret, misimus inde schedulam ad Secretarium dictum, quam direxeramus ad Ducem de Lerma, à quo petebamus Audientiam: Dum vero Campherbeccius hanc obtulit Secret. respondit is se hac hora percepisse à R. M. remissum esse scriptum; sperare se, quod eras habituri simus illud.

Sed neque 3. Aug. quid accepimus, ubi relatū est, quod sequenti die iterum in Consilio status revideri debeat prius, & postea redditum iri nobis.

Die 4. August. Campherbeccium iterum ad Dn. Secretar. de Prada misimus, ut ille perciperet, ex eo, quæ esset responsio Ducis de Lerma ad Schedulam nostram, & quando scriptum regium debeat expectari. Ille respondit, quod num quid responsi à Duce de Lerma accepisset, sed Dux profectus esset Valdemoram, quo etiam Rex venturus esset. Scriptum autem Regis adhuc in Consilio status haberi,

haberi, quod inde hac veſpera eſſet petiturus, & nobis miſſurus. Reliquum autem, Portugalliam ſpectans, poſcendum eſſe à Conte de Salinas prælide Portugalliæ, aut eius Secretario Moetoſa. Hæc reſponſio adeo mira nobis fuit, quum Rex ipſe nos ad unicum ſupremum ſtatus conſilium remiſiſſet, ut Contadorem ad nos acciri iuſſerimus, à quo percontati ſumus, quid hoc ſignificationis contineret, quod iam remitteremur ad conſilium Portugalliæ, quum tam ex iuſſu Regis omnia noſtra ſcripta ſupremo omnium conſilio ſtatus eſſent inſinuata, à quo etiam unico reſponſum expectaremus. Proinde rogavimus hunc ut ſerio cum Dn. Secretario hac de re loqueretur, inſtigaretque eum ad rei promotionem perficiendam. Circa veſperam rediit Contador ad nos cum hac reſolutione, quod Dn. de Prada ſcripſiſſet ad Conte de Salinas, ut revocaret ad ſe ſcripta talia; quod ſi accepiſſet, ſtatim eras ambo eſſet nobis miſſurus, aut ipſe allaturus.

Die 5. Auguſt. Ad prandium venit Contador, nil aliud tamen attulit, quam litteras ad Conte de Salinas, ſe excuſans, quod domi ſuæ non invenisſet. Sumpto cibo iterum illuc ivit cum promiſſione, quod circa veſperam utrumque afferre vellet. Nos interim petiimus, ut ſaltem alterutrum haberemus, quod promiſit. Sed circa veſperam attulit hoc nuncii, quod neque dum à Conte de Salinas accepiſſet, quum ille ſe ad Conſilium Portugall. retuliſſet: ſperare ſe tamen, eras obtenturum eſſe. A Dn. Secret. autem de Prada nobis reddidit bina ſcripta; addebat ſimul annunciationem, quod S. Reg. Maj. poſceret à nobis, ut in poſterum Hiſpanis negotiatoribus, & nautis liberum Religionis exercitium, ſi non publicum, tamen privatum concederetur in noſtris locis, quod S. Reg. Maj. ſingulari cum gratiæ recompenſatione eſſet agnitura. Sumpſit hic nobiſcum cœnam. A cœna autem ſtatim ego cum reliquis Dnn. Legatis perlegi ſcriptum utrumque in Hiſpanica lingua, atque interpretem egi; ſed invenimus in iis talia, quæ prorſus non ad poſtulata noſtra quadrarent. Ideo me rogarunt, ut utraque ſcripta ex Hiſpano in Germanum ſermonem traiicerem.

Die 6. Aug. confeci interpretationem iuxta copias ſub lit. Aa. Bb.

Die 7. Aug. & 8. Nobis relatum eſt, quod Conte de Salinas ſcriptum Portugal. Duci de Lerma tranſmiſiſſet, qui ſecum illud diu adſervavit, ita ut

Die 12. Auguſt. tandem commoveretur noſter Syndicus, & per currum adiret Dn. Secret. de Prada, cui nil niſi querelas attulit de aperta cluſione tali, quod ita eſſet inſtituta forte de induſtria, quaſi ſtudio nos detineri hic deberemus, donec tractatio pacis cum Hollandis ſuum aſſequeretur ſcopum. Hoc vero nimias nobis crearet incommoditates, quum etiam in ipſo facto Regis refutaret promiſſum cum conſiliariorum fide data. Exprobravit eidem alia, nec minus rogavit ipſum, ut indicaret, quouſque tandem differri deberet totalis expeditio, & ut haberet à Duce de Lerma ſcriptum Portugallicum. Secretarius autem noluit omnino admittere moram hanc ob Hollandos cauſſatam, quum longiſſime ſeparatæ eſſent cauſſæ: ſed attulit plane calvas excuſationes alias, quæ nomine vix dignæ: promiſit tamen promotionem certam apud Ducem hoc die; ſed non potuit certum pronunciare diem expeditionis, quam mox ſperaret.

Verum neque iſto, neque 13. 14. Auguſt. quid effectum eſt. Proinde Iohan. Campherbeccium 15. Auguſt. ad Secretar. de Prada miſimus cum ingentibus querelis de non ſervata fide ut hærere & dubitare ubique cogeremur. Rogavimus tandem, ut properaretur poſt tot moras ad dimiſſionem hinc noſtram. Sed is reſponſum dedit, quod ſcriptum Portugall. adhuc apud Ducem detineretur, cui toties noſtri cauſſa ſcripſiſſet, ut promoveret expeditionem. Iam vero incertum ſeme ipſum eſſe, quid cogitandum, ſe velle tamen exquirere Conſilium ſtatus, eiuſque ſententiam nobis hodie communicare.

Die 16. Auguſt. Nihil accepimus, niſi quod nobis relatum eſt, varios circumagi diſcurſus, tam de ſtaticorum Armada maritima: Item de motu Embdano, & præſertim, quomodo Eccleſiaſticus quidem auſus fuiſſet nobis quæſtionem ſtatus movere, quaſi Legatio noſtra non eſſet legalis, aut legitima, quod concoquere coacti ſumus.

Die 17. Auguſt. Iohan. Campherbeccium ad Don Roderigo de Calderon miſimus, quem rogavimus, ut ille nobis Audientiam apud Ducem de Lerma procuraret. Sed quum heic nonnulla interveniant, quæ aliquid ſilentii mereantur, nec opus ſit ut tantum denudemus proceſſum cum ſuis affectionibus hinc inde manifeſtatis, acquieſcemus per 14. dies, ac revertemur tandem ad 3. Septembris. Etenim facile quis prudens coniicere poterit, quid ſubſit moræ, tamdiu impatienter perpeſſæ. Nec minus tamen quis eſſe non velit honeſtatis cauſſa excuſatus? Quod durum Hanſeaticis Legatis videbatur, id non iniquum Reg. Maj. ob eminentiam tam potentem poteſt appellari. Nihilominus hominum ingenia ſunt varia; præſertim quum Hanſeatici ad hunc actum ſe invitatos potius, quam ex neceſſitate miſſos conſerent. Tunc nemo non ſe bonum imo optimum iuxta ſtatus ſui conditionem putabit; nec quiſquam intelligens, præterquam ille, qui iudicis audeat heic ſervare, aut defendere partes, iſtud improbare conabitur, ne quidem ut aliam ſententiam ſibi noxiam aut deſpicabilem ambire auſit. Varii autem dum interim diſcurſus fuerunt, redimus ad inceptum, præſertim Diem 3. Sept. ubi miſimus ad Dn. Secretarium Regis ſupradictum, nos obferendo debite, à quo reſponſum hoc accepimus, quod & ipſi tandem ferme ex præſentia, & infeſtatione facta delaſſati eſſent: Ideo reſolutionem talem concepiſſent, quod mox dimiſſionem poſſemus aſſequi, unde neceſſum eſſet, ne mora ulla in reſponſo noſtro deprehenderetur, ut quam primum petita ſcripta exhiberentur.

Die 4. Septemb. intra 9. & 10. horã Regina enixa eſt ſobolem regiam ſive filiolum: ac licet in computatione menſium eſſet aberratum, & nihilominus partus ex inſperato feliciter depoſitus, ſupra modũ tota aula gaudio, & lætitia eſt repleta, quod incenſione multarum facularum igniumq; ſignis atteſta-

bantur ſinguli, velut & per totam Urbem reſplendebant lucidi ignes, ut ſic congratulationem totus oſtenderet ſuum populus. Eædem atteſtationes quoque die Dominica ſequenti repetebantur, adiecta proceſſione publica. Nos vero neque veſpertino tempore eo, neque poſtero die aliud accepimus reſponſum, quam quod 7. Septembris indicatio deberet fieri, qua hora Regia Maj. poſſet vacua eſſe noſtro negotio, ut compareremus. Ideoque per hoc biduum in eo reſponſo accepto acquieſcere coacti ſumus.

Die 7. Septembr. quidem cum deſiderio annunciationem expectavimus: ſed nobis nihil allatum eſt, niſi quod circa veſpertinum tempus Contador indicaret, eras circa 11. horam Reg. Maj. nobis Audientiam eſſe exhibituram. Circa 9. horam eiuſdem diei ad noctis ferme ingreſſum, binis curribus in civitatem evehebamur, Encamiſadæ (ut vocant) ſplẽdorem ſpectatum, quem fere 60. Principales Domini, inter quos Duces, & Marchiones erant cum comitibus, equis auro mire adornatis inſidentes, & ipſi ſingulari inauraro veſtitu induti inſtruxerant, ſuiſque inventionibus miris perquam lepide exornarant. Unde & tota civitas ſe quaſi in hoc ſpectaculum effuderat, perque omnes plateas lætanti vultu effluebat populus cum liberis ſuis. Tum plateæ paſſim curribus ita impletæ erant, ut vix alter alteri cedere poſſet. Aiebant, numerum ultra 500. talium fuiſſe.

Die 8. Septembr. duobus curribus in aulam evehebamur: quum vero in tabulatum Regis magnum eſſemus perducti, cognovimus, quod Legatus Regis Angliæ adeſſet eius Maj. Quare cogebamur ultra dimidium horæ heic operire: ſed quum Rex animadverteret, quod Legatus moram necteret nimis longam, iuſſit, ut in aliam vocaremur Camerã, ubi iterum per dimidium horæ diſtinebamur. Tandem ſub exitu, quum ſe Legatus Angl. expediviſſet, paucis verbis illum ſalutavimus, ad quæ gratias ſatis humaniter egit. Rex interim nos ad ſe acciri curabat ſtatim, qui menſæ ſplendidiſſime exornatæ adſtabat præſens; aderant ipſi ſimul Marchio de Velada, Dux de Alva, Dux de Zæa, Comes de Balves, & alii. Debitam Reg. Maj. reverentiam nos deferebamus, ac latina oratione Syndicus ipſi de recens nato regio gratulabatur, uti ex copia ſub lit. Gg. apparet, quam memoriter non ſine laudabili affectu recitabat. Ad quod Rex ipſe ita in ſua lingua (ut ſupra quoque indicatum eſt) regerebat. Lubenter ſane in Clementia ſumma congratulationem veſtram, quam nobis ob Regiæ coniugis noſtræ, felicem partum obtuliſtis, audivimus. Certe in ſingulari gratia hoc à vobis accepimus, Deus confirmet veſtrum votum, & faciat exitus, ut in regni noſtri ſtabilimẽtum ſalutare vergat. Quod ad cauſſæ veſtræ expeditionem ſpectat, id mandabimus, ut mox vobis ad contentationem veſtram poſſit ſatisfieri, & deinde dimitti. Ad Regis tam clementem reſponſionem gratias egimus, iiſq; peractis cum uſitata reverentia, & flexis genubus veniam diſceſſus petivimus.

Die 9. 10. & 11. velut & 12. Septembr. nihil aliud peregimus, quam ut reſponſa noſtra, & ſcripta conficeremus, quo labore maxima ex parte hoſce dies quidem conſumpſimus, niſi quod interim 9. huius Legatus Angl. Dn. Carolus Cornevalinus. Eques Cameræ interioris, aut privatæ Regis, & ex locumtenentibus regiis in Provincia Nortideca, nobilem Germanum quendam ex miniſtris ſuis ad nos mitteret, cum ea annunciatione, quod libenter nos alloqui vellet, ſi placeret ſaltem nobis ipſi determinare horam certam: ſimul hoc indicari voluit nobis, quod antiqui amici ſemper optimi eſſent inter omnes, nec noſtri Principales cum ullo Rege meliorem coluiſſent correſpondentiam, quam cum Rege Magnæ Britanniæ: Hoc inde nobis in memoriam revocaret, ne forte nimis profunde inſinuaremus in novam amicitiam. Quum vero occupati eſſemus, aliæque cauſſæ ſubeſſent, non potuimus eo die ipſi certam denominare colloquii horam aut tempus, ſed nos honeſte excuſavimus, ac potius nos obtulimus.

Die 13. igitur Septembr. noſtra denunciavimus ipſi ſervitia, cum ea oblatione, quod lubenter eidẽ præſto eſſe vellemus, ſi commodum foret. Sed ille iterum eadem ferme uſus eſt excuſatione, quod eo die occupatiſſimus eſſet; ſi vero ita placeret nobis, ſe ſequenti die rectius vacare poſſe; quod tamen prius annunciari nobis valeret. Eodem die Ill. Dn. Iacobus Fugger iuvenis 22. annorum ibi expiravit placide, morbo acri correptus. Sic & hunc diem noſtro conſecravimus ulterius labori, ac proinde in cubiculo Dn. Legati Dantiſcani conventum noſtrũ, quum ille adhuc ex morbo gravi decumberet, habuimus, ubi deliberatum fuit de concepto tranſactionis modo: Quiſque heic ſuam libere proferebat ſententiam. Quum autem inter alios perlegeretur articulus, qui exprimebat hoc, quaſi Reg. Maj. à nobis expeteret, quod unice tantum civitates Hãſeaticæ ſui privilegiis Hiſpanicis deberent: Illæ proinde civitates Hanſeaticæ, quæ ſe Hollandis adſociaſſent, tam quoque quæ ab Hanſeatico fœdere deviaſſent, aut ab eo excluſæ eſſent, cum civibus ſuis nullatenus capaces iſtorum privilegiorum haberi deberent. Hunc articulum quum adeo nobis contrarium non putaremus, Dn. Legatus Hamb. ſupra modum ſtrenue contra nos defendit, & plane nobis ſuum abnegavit conſenſum, exiſtimando, omnino noſtræ inſtructioni contradicere. Ideoque contra nos proteſtando exſurrexit, indicavitque aperte, quod abſque conſenſu ſuorum Dominorum eum approbare minime poſſet. Quare rogavit, ut punctus iſte non aliter, quam ad ratificandum acciperetur; alias ipſi neceſſum foret, ut contra nos proteſtaretur ſolemniter. Unde nec ipſam tranſactionem ſubſcriptione ſimplici confirmare valeret, nec ſigillo corroborare.

Nos econtra unanimiter ipſi hoc reſponſi dedimus; licet iſte punctus quidem non expreſſe contineretur in noſtra inſtructione; tamen ſufficientes contenta & ſenſus inſtructionis id pronunciarent, quod nullatenus id nobis contrarietur, præſertim quum nec cauſſa iuſta ſubeſſet, aut competentia, ex qua difficultates tales necteremus: Tum nec ſine ratione reſpondendum foret Reg. Maj. utpote proculdubio à nobis eſſet cauſſas expetitura. Quippe ipſiſſima æquitas id ſuadere videbatur, quum noſtro commodo & publice, & privatim inſerviret, adeo ut potius Reg. Maj. gratiarum inde actionem debe-

deberemus, quod ea omne istud, quod antehac alii, in abusum & præiudicium totius Hanſæ abripuiſſent ſibi, ſolummodo nobis, & omnibus his, qui vera membra eſſent, & manſuri cuperent, eiuſmodi privilegia concedere vellet. Licet hoc inter nos cõplacitum fuerat, tamen Legatus Hamb. per aliquot dies ob hunc punctum in ſollicita cura, & anxietate permanſit.

Die 14. & 15. Septembr. reliqua ſcripta concepta fuerunt, quorum quinque erant. Primum erat generale reſponſum, exprimens replicam cum ulteriori poſtulatione. Alterum referebat formulam, qua poſtulabatur, in quo modo Portugallica privilegia poſſent extradi. Tertium comprehendebat formulam Caſtiglionicorum Privilegiorum. Quartum continebat tranſactionem trigeſimarum pro cento, & aliarum differentiarum, quæ commerciorum, & negotiationum propagationem, confirmationemque perpetuam concernerent. Ultimum & quintum exprimebat tranſactionem debitorum, & damnorum perpeſſorum. Singula hæc in latinam linguam erant translata, uti copiales ſub Lit. Hh. Ii. Kk. Ll. Mm. id teſtantur, & plenius ex iis cognoſcere licet.

Die 16. Septembr. Quum iam cuncta relecta, & mundata eſſent, ac iam in opere eſſemus, ut Dn. Secretario Pradæ exhiberentur, acceſſit ad nos Contador, nobis indicans, Domino illi Secretario non conſultum hoc videri, ut 4. poſteriores litteræ Conſeo publico, ſive Conſilio ſtatus publici inſinuarentur; ſed ſufficere ſatis, ſi ſaltem primum ſcriptum replicæ loco conceptum exhiberetur. Quod ſi vero nobis placeret ipſi privatim quaſi pro memoria, & informatione ſua tradere, libenter ſe ita illas acceptaturum eſſe litteras. Verum quum iſtud omne nobis plane alienum ab inſtituto noſtro, & ipſa re videretur, conſiderationem non levem nobis iniecit id cum ſcrupulis multis, præſertim quum primum ſcriptum nonaliter contineret, exprimeretque totam cautlam, quam ut ſe referret ad reliqua ſcripta, ex quibus univerſum negotium plenius eſſet cognoſcendum: tum ſi id mutandum eſſet, quod plane nova ratione hoc concipiendum nobis foret, ad quĕ laborem multũ temporis requireretur denuo. Quare in priori ſubſtitimus conſilio, ac nos contulimus ad dictum ſecretarium, cui in ſuis ædibus prædicta ſcripta cuncta exhibuimus, cum excuſatione civili hac, quod omnino in his nihil Reg. Maj. præiudicare vellemus, aut quidquam præſcribere; ſed ut eo gratior poſſet fieri maturatio rei, atque eo rectius ex iis tam Reg. Maj. quam Domini Conſiliarii noſtrã intentionem ſenſumq; pernoſcere & intelligere valerent, velut etiam aliæ excuſationes, & rationes adiectæ fuerunt, ne quid aliter præter bonam intentionem acciperetur.

Ad quæ Dn. Secretarius Hiſpanice reſpondebat. Scripta hæc certe nimis diffuſe in longum deducta apparent, unde metuo ne tædio Dnn. Conſiliarii Reg. aliquo afficiantur; unde cauſſæ mora poſſet diuturnior necti. Se tamen, aiebat, facturum eſſe, ut promotionem pro facultate ſua res acciperet. Ac quum occaſio eſſet commoda captanda, promittebat, ſe nihil intermiſſurum, quod ad maturationem faceret; uti hæc ſpes etiam eum foveret, Dnn. Reg. Conſiliarios citra moram rem eſſe expeditures, ſi ſatis deliberata fuiſſet. Ad quæ ipſi hoc reſponſi dedimus, gratias agendo, ne quid aliter acciperetur, quã intentio noſtra ferret, ut eo rectius poſſent talia maturari, velut etiã labor noſter nil aliud atteſtaretur: rogabamus ſimul cum repetitione priorum, ut ille ſe quoque promotorem noſtrum, & ipſius cauſſæ pro favore noto exhiberet, noſque omnes cum ipſo negotio propter publicum mutui commercii intereſſe illuſt. Conſilio ſtatus, aut Conſeo de Eſtado recommendaret, excuſaretque noſtro nomine dilationem, ſi quid peccati in eo commiſſum putaretur. Ille quum operam ſuam promiſiſſet promptam, hiſce peractis, ab eo ſub venia diſceſſimus accepta.

Quum vero inter nos hoc obſervaſſemus, quod longitudo ſcriptorum ipſi indignantiam nonnullam concitaſſet, ſuaſimus, ut Doct. & Syndicus compendium aliquod in forma extractus ex cunctis illis litteris conficeret, quod ille lubens fecit, & adeo artificioſe conſarcinavit, ut binis pagellis totam rei ſubſtantiam exprimeret: præſertim autem heic nobis curæ fuit, ut potiſſimum illi puncti, quos maximæ putabamus importantiæ, præ reliquis urgerentur. Hoc fecimus quoque in gratiam Reg. M. ut talia maxime ab Eius Maj. ipſa pondĕrari poſſent, & eo promptior concipi reſolutio: tum quoque, ut inſtigationem quaſi tacitam adderemus, ſi aliquid ex ſcriptis Dn. Secretario traditis, eſſet emendum, nec labor nimius Dn. Secretario in translatione in Hiſpanicam linguam excreſceret: quippe ſentiebamus. propterea ita potiſſimum dictum Dn. Secretarium id indignanter tuliſſe. Die 17. Septembr. quum paulum otii nacti eſſemus, Dn. Syndicus exſpatiatum ivit curru Toledum, ut celeberrimũ illud ſpectaret Collegium, unde ſequenti die reverſus eſt.

Die 19. Septembr. dies nobis fuit ordinarius, ut in Germaniam ſcriberemus, ubi relationem rerum huc uſque peractarum ad Senat. Lubecenſem miſimus cum noſtris litteris.

Die 20. 21. 22. 23. 24. Septembr. nihil aliud peractum eſt, quam quod noſtra ſcripta translationem Hiſpanicæ linguæ, ut nobis indictum fuit, acceperint, & tunc demum exhibita ſint.

Die 25. Septembr. Dn. Iwan de Valaſo Ducem de Fras, & Conneſtabulum de Caſtiglia viſitavimus in eum finem, ut ipſi denuo non tantum noſtrum recommendaremus negotium, ſed etiam ſimul noſtræ dimiſionis cauſſã maturationem ſententiæ ſollicitaremus. Qui id ſatis benigne promiſit. Sic & Don Diego Fernando Cabrera y Bowadilla, Conde de Cinchon viſitavimus ſimili modo. Allocuti ſumus eos quidem latina lingua, ſed ambo illi in Hiſpanica reſpondebant, & ſe ad quamvis obtulerant ſatis benevole promptitudinem. Hinc curru noſtro viã direximus ad Dn. Maximilianum Fuggerum, & cõdolentiam ipſi noſtram ob mortem Fratris, qui 12. huius deceſſerat Matridi, declaravimus, ſolatio mortalitatis addito: tunc etiam hæc cauſſa ſuberat, ut valediceremus ipſi, quum eſſet iter verſus Germaniam ingreſſurus.

Die 26. Septembr. autigam à Madrito Lisbonam miſi, ut inde per mare Hamburgum navi peteret. Eodem die Don Bernardo de Sandonala Archiepiſcopum Toletanum, & primatem Hiſpaniæ, & Cardinalem de Sancta Sabina, quum ille quoque Conſiliarium Conſilii magni ſtatus ageret viſitavimus. Is per comites duos ad ſe introduci cupiebat, &

ſtatim ad oſtium nos expectando perquam humaniter excipiebat: apportabantur ſimul nobis ſellæ, ut ipſi adſideremus, nec prius nos audire cupiebat, niſi prius tegiſſemus capita. Latina deinde oratione ſalutando allocuti ſumus eum, quæ totius noſtri negotii informationem continebat. Recommendabamus id ipſi, petendo, quum eodem die cauſſa noſtra in Conſilio tractari deberet, ut promotionem ſuo loco eius ſuſciperet, ne ſine ſatisfactione principalium noſtrorum dimitteremur, & ut maturatio tandem procurari nobis poſſet. Ubi ſimul indicavimus, quod tam diu heic eſſemus abſque efficaci fructu detenti cum ea inductione, & animadverſione, quæ utilitas, tam Reg. Maj. quam noſtris Dominis ſubeſſet, ut commerciorum commodum inter Hiſpaniam, & Nationem noſtram continuari porro valeret. Ille latine, ſatis eleganter, & expedite reſpõdit ad omnia, laudabiliter quoque noſtrum ſtudiũ, & Nationem noſtram extollebat, & ſe ad omnem promotionem rei offerebat, addendo hoc, quod eo tempore invitatus ad prandium à Duce de Lerma eſſet, quo nunc tenderet, ubi ſimul inter comedẽdum cum agnato ſuo eſſet de negotio noſtro acturus, ut eo rectius res, & petita noſtra poſſent promoveri, ne in ipſo mora ulla inveniretur. NB. Hoc die igitur in Conſilio ſtatus noſtra negotia quidem tractata ſunt; ſed deliberatio non eſt abſoluta, quod nobis Contador retulit. Quum autem adhuc dubia eſſent, petiit ille à nobis, ut ipſi ex privilegiis Portugallicis oſtenderemus, ad quæ in replica noſtra eſſent gravamina producta, quod Rex illis quid in reſponſione detexiſſet. Id lubentes fecimus: unde nõnihil in diſcurſu inter nos, & illum diſputationis eſt factum; velut etiam ego multa civitatis noſtræ nomine monui, quæ notanda venirent, ne ſiniſtra explicatio ſubreperet.

Die 27. Septembr. Ad nos Legatus Regis Angliç mittebat, qui hoc explicabat, quod præ variis occupationibus non potuiſſet in ſuperioribus diebus nobiſcum loqui. Si nobis commodum foret, rogabat, ut certus eſſe poſſet de hora adventus noſtri, ſe tunc cum prolubio magno nos eſſe expectaturum. Quum vero annũciatum eſſet Don Iwan Idiaques, & aliis, quod eo die eos eſſemus viſitaturi, petitio excuſatoria noſtra fuit, ut ille nobis indicari faceret horam aliquam craſtini diei, quod tunc ad illum acceſſuri eſſemus; in qua reſponſione acquievit. A prãdio igitur curru ivimus ad dictum Don Iwan Idiaques, Commendatorem Maiorem Leonenſem, & Præſidentem de las Ordines, cui cauſſam noſtram ſumma commendavimus diligentia, ac ſimul dimiſſionem ſollicitavimus. Etiamſi ille antehac nobis latine reſpondiſſet, tamen uſus eſt pro hac vice lingua Hiſpanica, ubi quoque imprimis Regis affectionem pluribus verbis erga Nationem noſtram collaudavit: hinc magnopere excuſavit moram, quod tam diu heic detenti eſſemus: promiſit inſuper, quod promoturus eſſet gratioſam nobis dimiſſionem. Ad quæ gratias ipſi egimus, porreximuſque eidem memoriale, ut apparet ex copia ſub Nn. Atque ſic cum venia impetrata diſceſſimus ab eo.

Die 28. Septembr. poſt indicationem factam à prandio ad Regis Angliæ Legatum curru ivimus, qui admodum humaniter nos excepit, nec prius audire nos voluit, quam una cum illo ſedes noſtras occupaſſemus. Syndicus noſter latina oratione ſalutando prius eum allocutus eſt, poſtea annexæ ſunt excuſationes, quur non citius ipſi nos ſiſtere potuerimus; dehinc enarratum eſt illi, quomodo quam ſplendidiſſime ab Rege ho., & Natione tota excepti, & hucuſque habiti ſimus, deprædicando eius liberalem ſupra modum clementiam, unde quoq; nobis ſpes enata ſit, quod cauſſam noſtram cum felici expeditione ſimus obtenturi. Adiecimus hinc votum, quod unica noſtra eſſet optatio, ut diſſidiũ, quod inter Reg. Maj. Anglicam, & Civitates Hanſeaticas hucuſque gliſceret, commodis conditionibus poſſet componi. Rogabamus igitur, ſi media valerent inveniri, ut quoque ſuam addere his vellet promotionem.

Legatus ille ſecum habebat veteranum Equitem ex Maltha, qui alias in aula Regis Hiſpan. degebat, & callebat latinam linguam. Ac quamvis ipſe Legat. Latinæ linguæ ſatis eſſet gnarus, tamen aderat quoque Nobilis iuvenis Danus natione, qui eius agebat interpretem. Ideoque Legatus quaſi in os dictabat nobili, ut latine id nobis explicaret: nempe gratias agebat ante omnia pro exhibito honore, & benevolentia ea, quod præ omnibus reliquis Legatis huius loci ipſum viſitare, gratulari, compellateque voluerimus: addebat, quod eius eſſet debitum, ut talem propenſam affectionem Regi ſuo referendo collaudaret: afferebat præterea omnem ſuum favorem, & benevolentiam, adſerebatque, ſe nullatenus dubitare, quin Rex ſuus, qui ſolidus Iuſtitiæ, & pacis eſſet amator, nihil magis optaret, quam ut antiqua amicitia & gratia inter ſe, & civitates Hanſæ poſſet reſuſcitari, & continuari. Si quid eſſet, quod cerneret, moram ullam interiicere, ſe fore promptum, ut id breviter poſſet è medio moveri, aut penitus tolli. Excuſatum ſe petebat, quod ob alias linguas exoticas non ita eſſet expeditus in lingua latina. Quum nobilis ille Iuvenis nimis timide hæc proferret, nec ipſe ſatis congrue loqueretur, nos offerebamus, ſi Dn. Legato placeret, ut vel Hiſpanice, Gallice, aut Italice nobiſcum quid conferre vellet, quod in talibus linguis illũ ſatis percipere, & ad omnia reſpondere poſſemus. Hoc audito, ſtatim Hiſpanice omnia ferme repetebat, quæ nobis latine explicari curaverat. Addebat hæc, ſe in ſpe certa eſſe, quum Rex Angliæ bonam, conſtantem, fidelemque amicitiam, & correſpondentiam ex confœderatione, & conſuetudine tot annorum cum civitatibus inclutæ Hanſæ coluiſſet, quod Eædem talis amicitiæ curam potius præ reliquis nationibus conſervaturæ eſſent; præſertim quum ſitus loci vicinior has duas nationes ita fortiter conſtringeret, tum unius ſanguinis eſſent originis, nec non ſimilitudo naturæ, & complexionis ferme eadem, imo maxima ex parte unius fidei, & religionis eſſent cum Anglis, inde oporteret, ut Hanſæ talium coniunctionum & nos iam memores eſſemus, ne quid damnitale vinculum pateretur amicitiæ. Ac licet modo cum Rege Hiſpaniæ etiam confœderationis amicitiam, & coniunctionem inſtitueremus; ſperare ſe tamen, aiebat, nos nihil ſuſcepturos, aut inituros eſſe, quod in præiudicium eius, quam cum Anglis coleremus, poſſet vergere: multo minus ſperare ſe, dicebat, nos quid placituros eſſe, quod Regi eius, aut religioni ulla in parte damnoſum, aut nocuum accidere poſſet, &c. Ego hæc & talia

talia Dnn. Collegis meis binis, nempe Dn. Syndico, & Hamburg. Legato germanice explicavi; ad quæ omnia iuxta decentem, & neceſſarium modum ipſi reſponſum eſt. Sic inter alia referebatur; quod Dnn. noſtris, & nobiſmet ipſis ſatis eſſet cognitum, quæ correſpondentia, & coniunctio ſemper à primordio uſque inter Reg. Maj. Britan. & Civitates Hanſæ fuerit, velut & hæ nihil lubentius cernere voluiſſent, quam quod hæc aliis præhac uſque uſitatis modis potuiſſet conſervari. Hocenim eſſe in confeſſo, nos nullam unquam Reg. Maj. anſam aut occaſionem exhibuiſſe ad diffidentiam aliquam, ſed potius id unice intendiſſe ſemper, ut renovationem ſuam acciperet, vel in priſtinam reducerentur omnia viam. Sicut & in recenti iſtud adhuc eſſet memoria, quemadmodum antè triennium noſtrorum duo, cum aliis aliquot, à civitatibus Hanſæ in eum finem miſſis, experti eſſent, proh dolor, quod benignius tempus affulgere illis potuiſſet, ut ferme re infecta iterum diſcedere coacti fuiſſent.

Hoc tamen non animadverſo, diximus, nos penitus cognitum id habere, quod principales noſtri omnes ita inclinati eſſent, ac omnino in votis haberent nil optatius, quam ut antiqua fidelis correſpõdentia reſarciri, & reſtabiliri valeret. Ideo Deus unice implorandus foret, ut momentum tale felix appareret. Quum vero interim privilegia noſtra in Anglia nobis eſſent ferme invalida reddita, nemo merito culpare nos poſſet, ut talia, & ſimilia in aliis locis reſuſcitaremus, aut quæreremus, ne ex amicitia, & favore excideremus, qui nobis alibi offerretur. Quod in eo communis commercii cauſſa eſſemus accepturi, illud ita nos eſſe amplexuros, ne quid damni, aut detrimenti alii inde caperent, multo minus, reformatæ religioni quid præiudicii incuteretur. Religionis autem cauſſa nihil heic tractatum à nobis eſſe, quod certus crederet. Præſertim quum notorium eſſet, quod maxima pars civitatum Hanſeaticarum ei addicta eſſet. Sic & nos Legatos 4. ſingulos Auguſtanæ Confeſſioni deditos eſſe, affirmabamus: ita & intentionem noſtram eo directam, ut cum omnibus Chriſtianis Regibus ob civium noſtrorum negotiationes varias, & commercia, amicitiam, & coniunctionem bonam inſtitueremus, ne nobis contrarii fierent; ſed eos obſervanter diligeremus; ſaltem hoc expetere dicebamus nos, ut noſtra privilegia, & libertates nobis ſartæ tectæ victus talis gratia manerent. Ac ſi hoc in aliquo loco ex ſuppoſitione invidorum infirmaretur, cogeremur ex ipſo neceſſitatis iure, ut aliis in locis ea reſtauraremus, & conſervationi debitæ conſeraremus: Quippe quum lex naturæ hoc imponeret, ut iis nos faciles præberemus, qui nobiscum in hoc quid facere cuperent. Simile quid ante triennium quoque in Gallia perfectiſſe adſeverabamus, ubi tunc Rex abſque ulla diſputatione, & contradictione antiquam cõfœderationem, & pactum cum civitatibus Hanſę lubens renovaſſet, & omnia privilegia à prædeceſſoribus conceſſa confirmaſſet denuo: velut talis confirmatio, & renovatio à Rege ipſo publicis typis eſſet divulgata. Tum etiam in hoc eodem itinere hoc obtinuiſſemus, ut in omnibus civitatibus, & portubus eius Regni talia noſtra privilegia non ſaltem publicata, ſed etiam uſui debito eſſent ſubiecta, quæ gratia ſane plane laudabilis paſſim prædicaretur.

Regius Legatus ad hæc admodum amicabiliter reſpondebat, quod perquam lubenti animo noſtrã percepiſſet declarationem. Quæ ille heic monuiſſet, aiebat, non eſſe propterea facta, quaſi nobis reformationem eſſet obiecturus: ſed ſe ſat ſcire, aiebat, quod principales noſtri, & nos pro noſtra prudentia, & pietate omnia eſſent legitime confecturi. Tũ, aiebat, ſatis ſibi perſpectum, & cognitum eſſe, quis ſit numerus Civitatum modernarum Hanſæ, quæ earum vires, divitiæ, & potentia, quibus ita præpollerent, ut interdum aliis, & vicinis Regibus, aut commodum afferre, aut damnum incutere poſſemus. Præterea ſibi notum adſeverabat, quod etiam Henricus 8. Rex Angliæ cum civitatibus iis fœdus firmum iniiſſet, cuius articulos adhuc ſecum diligẽter adſervaret, & in honore haberet ſummo. Rex ille dictus, & alii Succeſſores Reges noſtram Nationem, & eius Reſidentes Londini adeo adamarunt, dicebat, ut ſæpius eos ſalutandi nomine viſitarint; imo & in ipſorum ędibus ſibi prandia, aut cœnas adornari curarint. Adiiciebat etiam hoc, quod tam opportunum tẽpus aliquando reſuſcitari poſſet. Potiſſimam autem diſſidij talis cauſſam prioris coniiciebat in proxime defunctam Eliſabetham Reginam, cui ex tot annis quaſi obſtinatum bellum fuiſſet cum Rege Hiſpaniarum; unde in ſuſpicionem incidiſſent Civitates Hanſæ, quaſi hoſtibus eius munitionis neceſſaria, & arma ſuppeditaſſemus, ex quibus vires & nervos potentiores contra illam ſumpſerint. Iam vero per Dei gratiam, aiebat, inter Hiſpaniam, & Angliam mutua pax floret, ut ita omnis litis cauſſa penitus ſit ſublata. Quod autem ante triennium in Anglia præſentes parum effecerimus in principali negotio, id putabat, in meliorem partem acceptandum, & merito excuſandum eſſe, quum non de tẽpore fuiſſet, tum nec eiuſmodi res ſimul cum congratulatione, novo Regi exhibita, coniungi potuiſſent in tractatu tali diverſo. Præſertim quum Rex modo inauguratus regium ſceptrum adſumpſiſſet, nec cauſſæ cognitionem habuiſſet, imo & occupatiſſimus fuiſſet in iis, quæ cum aliorum Regum & Principum Legatis ſuſcepiſſet tractanda.

Forte, inquiebat, nec hoc diffiteri quis poterit, quod fuerint non pauci invidi, qui ex proprio commodo ſuo non exigua interiecerunt, & ſeminarunt impedimenta; quos Rex ſub ingreſſu Regni tunc nõ ſtatim auſus eſt oſtendere, aut ſibi exoſos redderet. Hæc & talia nunc poſthac facile poſſent corrigi. Ideo ſuadebat fideliter, ne cauſſam talem in reaſſumptione negligeremus: ſed potius conſultum æſtimabat, ut denuo nos Reg. Maj. obferremus. Hiſpaniæ ſitus à nobis eſſet longe diſſitus; tum multa heic eſſent conſideranda, quæ nobis rectius paterent. Sperare ſe, addebat, quod Anglia multo commodiores utilitates ſubminiſtrare valeret, quum non adeo longe ex ſitu à nobis diſtaret, ſed quaſi ad fores nobis pateret. Quod ex plurimis cauſſis nobis rectius inſerviret, ut potius cum illis amicitiam firmam coleremus, & redintegraremus pacta antiqua. Licet ipſe pro tenuitate ſua non multa in eo nobis præſtare poſſet, nec eſſet iam ſuæ conditionis res; tamen promittebat, ſe nil eſſe intermiſſurum, quod ad luculẽtam promotionem faceret, velut & quam primum mentionem eius rei eſſet apud Reg. Majeſt. factus.

Nos ad hæc & talia per generalia reſpõdebamus, gratias debitas agendo pro liberali oblatione officiorum, ſpem bonam heic concipiendam putabamus, ut cum Dei adiunctione tandem Regius animus proptius evinci, & emolliri poſſet: à noſtra parte nihil defecturum, cum Deo pollicebamur, quum certe nobis nihil in mundo gratius obveniret, quam ut omnium vicinorum ſolidam affectionem, & cõſuetudinem amicitiæ veræ lucrari valeremus: velut hoc unicum cotidie in noſtri eſſet deſiderii voto potiſſimo, ut inde noſtra recreatio vitæ conſtaret in cõmerciis. Atque ſic finem huic colloquio, in quo alia ſimul quam plurima particularia ſe exerebant, quæ ſingula iam nequeunt exprimi, impoſuimus: nec minus tamen, quum ex mutua irritatione cupidi redderemur huius Hiſtoricæ repetitionis, in ipſa exſurrectione varia, & notabilia ſunt interiecta, quę diſcurſum in longum protrahebant. Tandem ille nobis comitem egit in anteriores Cameras, ut ſic dimiſſionem obtinuerimus valde amicabilem. Hinc curru aliquouſque exſpaciatum ivimus, & interim nobis obviam fiebat Dn. Archiepiſcopus, & Cardinalis ſupradictus Toletanus: Quum vero nos ita in curru ſedentes ſalutaremus, ille in lectica ſe elevavit a iquouſque, tiara ſua caput detegendo perquam humaniter, & benedictionem cum reſalutatione, & ſigno crucis adiecta, nobis devovit: inde domum reverſi ſumus exhilaratis animis.

Die 29. Septembr. Dn. Cardinali memoriale miſimus, ut ex copia ſub litt. Oo. videre eſt, quod hilari vultu non tantum accepit, ſed etiam promiſſionem ultroneam adiecit, quod omni cum cura noſtram cauſſam eſſet promoturus.

Die 30. Septembr. nos Dn. Præſidentem Portugalliæ inviſere ſtuduimus; ſed quum ad fores eius acceſſerimus, non fuit domi. Eodem die conſtituerat Dn. Syndicus cum legato Voglero Hamburg. ſuis ſumptibus, Eſcuriale ſpectatum ire, velut & me rogabant, ut una cum illis excurrerem curru, quod quidem itidem illis non abnuebam; at propter dolores dentium nimios non tantum retrahebar; ſed etiam, quum noſter aulicus magiſter id animadverteret, monebat nos, ne quid tale tentaremus, quũ minus conveniens putaret, quod abſque licentia R.M. haud nobis id eſſet ſubeundum, utpote quum id aliquid ignominiæ ſecum importaret, ſi tale conamen noſtris ſumptibus contra præſcriptam Regulã Reg. ſuſciperemus. Affirmabat bene monendo, id indignum fore nobis, & cauſſaturum eſſe forte, ne quid nobis monſtraretur. Ideoque in eo acquievimus, nos in cancellis continendo.

Die 1. Octobr. mortuus eſt mihi miniſter meus Ioh. Danneman, unde occupati eramus in ſepultura eius recte inſtituenda, uti ſub lit. V. C. apparet.

Die 3. Octobr. confecimus itetum memoriale ad Ducem de Lerma, in quo audientiam ab eo expetebamus, ac ſimul ut nobis licitum eſſet inviſere Eſcuriale, quod ipſi miſimus: Præterea memoriale pro promovenda expeditione ad Dn. Secretarium de Prada miſimus, quem rogavimus ut idem Duci dicto inſinuaret & in eo promotorem noſtrum ſe ageret. A prandio autem Campherbeccium ad Secretarium Portugallicum Ferdinandum Mados miſimus petitum, ut noſtram cauſſam ſibi commendatam foveret: ſimiliter ad Don Roderigo Calderon miſimus, rogatum, ut ille nobis apud Ducem de Lerma Audientiam quæſitam procuraret. Uterque officia ſua in eo promiſerunt. Hora autem 3. ad Dn. Legatum Regis Galliarum curru progreſſi ſumus, ut illum ſalutaremus. Is valde humaniter nos excepit, & ſibi adſidere iuſſit: quem ſtatim Syndicus noſter latina oratione ſalutando allocutus eſt. Nobis perſuaſum erat, quod eam calleret linguam. Verum quum nos oraliter non perciperet, adſidentem habebat nobilem iuvenem Gallicum Dn. Sauſii filiũ, qui ipſi noſtri ſermonis tenorem interpretabatur. Ad quæ Dn. Legatus ipſe Gallice reſpondebat, indicando, quod nos ipſi chari eſſemus, & accepti, quum iam dudum ex noſtro adventu eſſet exhilaratus. Quod moram viſitationis, & ſalutationis excuſaremus, non eſſet opus: noſtri vero Collegæ invaletudinem non libenter audiret, condoleret potius. Offerebat ſe ad omnia officia, quibus noſtris Dominis, & nobis aliquid grati præſtare poſſet: Addebat votum, ut noſtra expeditio bene cederet, & nos incolumes demum reverti poſſemus, felix iter ſimul precando nobis. Aiebat quoque, ſe Regi ſuo id annunciaturum eſſe, quod favorem hunc exhibuerimus; nec intermiſſurum noſtrorum Dominorum, & totius Nationis recommendationem. Ego hæc & talia meis Dnn. Collegis interpretatione debita explicavi. Ad quæ Syndicus noſter per generalia gratias egit. Poſtea varii diſcurſus interiecti ſunt, etiam de reditus noſtri itinere; Ubi ille ſe obtulit, quod nobis Salvos Conductus à Rege ſuo eſſet procuraturus, ſi tantum temporis adhuc ſupereſſet: ſi nõ, litteras recommendatitias tamen nobis traditurum ſe eſſe ad omnes præfectos locorum, & provinciarũ, per quas iter eſſemus habituri. Pro qua ſingulari benevolentia ſummas ipſi egimus gratias: ſumme collaudavimus ſimul Regis eius favorem gratioſiſſimum, quod tam clementer ſine ulla contradictione cuncta nobis privilegia confirmaſſet, eaque cum confirmatione dicta per totum publicaſſet regnum. His & aliis explicatis, dimiſſionem petiimus, domumque reverſi ſumus.

Die 4. Octobr. qui dies erat Sabbathi, Regis infans circa horam 4. in templo Arcis per Dn. Cardinalem Toletanum Baptiſmate ſacro initiatus, & Dom. Carolus vocatus eſt. Deſiderabamus quidem ſpectatores Baptiſmatis huius agere; ſed nobis indicabatur, actum hunc factum privatim ſaltem fieri, ad quem nullus exterorum admitteretur, velut nec ullæ ſolemnitates adhiberentur, &c.

Die 5. Octob. ad nos Abraham Rike Dantiſcanus ex Caleto ubi habitabat, pervenit, qui hoc ſollicitavit, ut ipſi Conſulatus Nationis, aut Caleti, aut in Andaluſia concederetur. Nos indicavimus ipſi, quod minus hoc in mandatis haberemus, ut Conſules crearemus, ſed ut ſaltem perciperemus, ſi qui adeſſent, perſonæ talibus officiis idoneę, quodnam exigerent ſalarium, quomodoquae ſe tractari cuperent: ſic poſſemus noſtris non tantum Dnn. referre, ſed etiam curare, ut à Rege confirmarentur. Quare gratum nobis id eſſe diximus, quod ſe nobis detexerit, ut eo rectius noſtris Principalibus poſſet recommẽdari. Interim ab eo poſtulavimus, ut negotiatorem Caleti ſe noſtris præſtaret nautis, iiſque in omnibus adſiſteret neceſſariis rebus, ſuppetias ferendo iiſdẽ. Ad quæ ita ſe declaravit, quod lubentiſſime viveret

Caleti,

Caleti, ubi notus: ſi tamen ita placeret nobis, quod ſimul Conſulatum S. Lucæ valeret adminiſtrare. Salarii loco quotannis 300. aut 400. ducatones exigebat. Quod ſi vero in Sivilia reſideret, infra 800. aut 1000. ducatones non poſſet ibi vivere. Alias ſe ad omnia nobis, & noſtræ Nationi obtulit ſervitia. Eodem die ex S. Luca litteras à quodam incola Henrico accepi, qui itidem conſulatum eius loci ſollicitabat, intercedendo ſimul pro genero ſuo ex ſuperiori Germania nato, qui antehac Henrici Ramelij miniſter fuerat, ut ipſi poſſet in Sivilia Conſulatus concredi. Hoc die Regina iterum templum frequẽtare cepit, & ſaltem à partu hucuſque 4. ſeptimanæ cum 2. diebus numerabantur. Rex autem circa veſpertinum tempus Campillo profectus eſt.

Die 7. Octobr. per Camphetbeccium apud Secretarios, Dn. de Prada, & Dn. Martos Portugallicum, tum apud Don Roderigo Calderon in noſtro negotio inſtigationem fieri curavimus, à quibus hoc ſolatii accepimus, quod iam omnia in maturitate eſſent, Regemque ipſum omnia acta ſecum habere, ut inde reſolutio expectaretur.

Die 8. Octobr. Dn. Comes de Salinas præſes Portugalliæ nos viſitavit, excuſavitque ſe, quod ob varia, & multiformia negotia antehac nos audire haud potuiſſet, nec minus tamen noſtram cauſſam ex tranſmiſſo memoriali fideliter ita egiſſet, ut iam omnia reſolutionis ergo apud R. M. adſervarentur. Se itaque in ſpe certa eſſe aiebat, quod mox bonam eſſemus habituri reſponſionem. Addebat plurima alia complementa recommendationis, & officiorũ. Nos ſolemnes pro præſtitis, & viſitatione præſenti gratias egimus, & contra nos ad gratitudinem offerendo debitam.

Die 9. Octobr. Agerndam 4. milliaribus à Madrito diſtantem profecti ſumus, ubi Dn. Comitis Iohan. Kovenhulleri, Imperialis Oratoris p. m. palatium, tam variis, multiſque exornatum picturis plane ſingularibus, ut nuſpiam ſimilis copia earum habeatur, perluſtravimus. Ædium harum ſtructura ad 40000. Ducatones in æſtimio refertur: ex quo loco cœnobium D. Laurentii, & Eſcuriale 11. milliaribus abhinc diſtans, perſpici poteſt. Solvimus pro ſingulo curru in dies 70. Reales, pro quovis aſino 8. Reales, ut vocant.

Die 10. Octobr. à Senatu Lubeccenſi litteras accepimus, & à Reg. Majeſt. promotoriales ad S. Cæſ. Maj. pro civitate Brunſvicenſi. Legatus vero Dantiſcanus ex febri iterum decumbere cæpit.

Die 11. Octobr. Reginæ confeſſionarius ad nos venit, nomine Pater Hellerus, qui nos viſitavit. Ego accepi litteras ab Harberto Hollandero ex Lisbona, quibus petebat, ut à ſervitio ſuo eſſet liber.

Die 12. Octobr. Dn. Legatus Gallicus ſuum ad nos miſit Secretarium, qui indicium cum ſalute fecit, quod Dn. Legatus ad Regem ſuum noſtrorum cauſſa ſcripſiſſet, & inde reſponſum clementiſſimum expectaret. Offerebat ad plura, quæ putaremus nobis profutura. Ad quæ gratioſa, gratias ipſi egimus debitas. Interim eodem die Camphetbeccium ad Dn. Secret. de Prada miſimus, & quæri curavimus, quum Dux de Lerma heſterno veſpertino ex Eſcuriali reverſus eſſet, an non ad noſtrum memoriale expectorarit propter audientiam petitam, & iter noſtrum verſus Eſcuriale, ac in quibus terminis noſtra hæreret cauſſa, dimiſſioque. Ad quæ annunciari nobis iuſſit, quod Dux ille nondum ſe declaraſſet: hoc vero ſe animadvertiſſe dixit, quod Rex nos brevi in Eſcuriale advocaturus eſſet, ut ibi nobis dimiſſionem ipſe concederet: quia Rex mandaſſet, nobis exhiberi debere reſolutionem, quod brevi futurum eſſet. Ideo petiit, ut eo uſque acquieſceremus, & patienter hanc toleraremus moram.

Die 13. Octobr. exhibuit mihi Syndicus D. Domannus Quierantiam 2500. Imperialium, quos ipſi huc uſque ſingillatim ex tertia mihi adſignata parte concredideram; inter quos 1500. erant Imperiales, quos à quoque noſtrum ad diſceſſum ſuum poſtulabat. Ego autem plane contradixi, ipſi inculcando, quod ſumma eſſet nimia, quum tanta ſumma pecuniæ non opus haberet: ſed penitus in hoc ſe oppoſuit nobis, potiuſque inſtantius in nos urſit, quum nobiſcum non eſſet iter ingreſſurus; tum iter longinquum eſſet, nec uſpiam ipſi eſſet notitia quædam ubi fidem poſſet invenire: tum hoc quoque conſiderari oporteret, ſi quid adverſi in via ipſi obtingeret. Addebat, quod pecunia talis apud ſe ſatis ſecura deponeretur. Si non omnis impenderetur, ſe de reliquis nobis eſſe rationem ſolidam redditurum: ac ne quid deſideraremus in illo, ſe cum intereſſe nobis ſuperfluum reſtituturum eſſe. Ideoque coacti ſimus, ut ipſi talis pecunia relinqueretur.

Die 14. Octobr. Reginæ Pater Hellerus & Confeſſionarius iterum nos viſitavit, cum quo varia nobis fuit collocutio, & ſe admodum amicabilem præſtitit.

Die 15. Octobr. inter me, & D. Domannum in præſentia Legati Hamburg. Vogleri, quædam diſcordia ventilata fuit non magni momenti ob interlocutionem aliquam.

Die 16. Octobr. ad Dn. Secret. de Prada curru ivimus, cui ſimul memoriale, aut petitionem uti ex litt. Q. 9. apparet in cauſſa civitatis Brunſvicenſis exhibuimus: Querelam quoque anneximus ob cives duos Lubeccanos Harbertum Hollanderum, & Marcum Beckmannum, quod illi adhuc in arreſto non tantum detinerentur, & peſſime tractarentur. Sic & ſollicitationem cauſſæ noſtræ adiecimus, ut dimiſſio nobis maturaretur. Ille reſpondit, quod priora bina puncta in ſe acciperet, quæ ſequenti die in ſenatu eſſet propoſiturus, ut decretum in iis obtinere poſſet. Dimiſſio autem noſtra eſſet iam approbata, ut intra paucos dies nobis valeret exhiberi: deeſſe ſaltem aiebat cauſſam Portugallicã; quam promovere quam primum vellet, ut ſperaret, quod ita iam nos ad iter præparare nos poſſemus. Moram autem omnem ultra dimidium menſis Novembris nõ poſſe differri putabat. Ubi ſic rem omnem ipſi concreditam liquimus, & diſceſſimus ſpe pleni bona.

Die 17. Octobr. Iterum in cauſſa dicta noſtrorũ civium memoriale Hiſpanicum conſilio ſtatus exhiberi curavi per Contadorem. Quumque ordinarius mitteretur tabellarius, domum litteras miſimus, ſimulque ad ſenatum Lubeccenſem ſcripſimus.

Die 18. Octobr. inter nos Conſilium, & deliberationem habuimus, quid honorarii loco ſub diſceſſu noſtro illis, qui à Reg. Maj. ad cotidiana ſervitia deſtinati erant eſſet offerendum, cuius ſumma ultra

3500.

3500. Coronatos excurrebat: quod ita inter nos complacitum est.

Die 19. Octobr. ut eo rectius, & citius negotium nostrum expediremus, & ex senatu Portugallico scriptum conceptum obtineremus, Secretarium Ferdinandum Martolium honorario aureæ catenæ, & horologii pretiosi affecimus, qui non tam id accepit cum gratia, sed etiam promisit, quod sequenti die nobis id, quod deesset, exhiberi deberet.

Die 20 21.22.23. Octobr. spe hac lactati diligenter promissa expectavimus, sed ita per septimanam hanc totam nihil nobis redditum est, quum Secretarius Portugallicus moram hanc contra pollicitationem interiecisset.

Die 24. Octobr. tandem is Contadori tradidit decretum, ut illud Secretario de Prada exhiberet, qui itidem secum detinuit, cum excusatione tali, quod prius à Marchione de Velado, Supremo Regis aulæ Magistro, mandatum esset sibi expectandum. Eodem tamen die nostrum salvum conductū accepimus, quem hucusque per 10. septimanas integras sollicitaveramus. Me quoque singulariter tunc Dn. Pater Hellerus supra nominatus visitavit.

Die 25. Octobr. binis curribus Dn. Legatus Anglicus nos visitavit, ubi varia in discursu, tam de Rege suo, quam eius persona propria proposita sunt. Is se ad omnia officia se obtulit, suasitque fideliter, ut causam nostram reassumeremus; velut & Regis sui nomine omnem gratiam, & clementiam cum benevolentia obtulit: pro quibus indiciis debitas ipsi egimus gratias, &c. Sic & curru Dn. Comes de Plego nos visitavit, qui tunc Reginæ Magister aulicus erat, quum antehac meo tempore Gubernatorem, quem Adsistento dicebant, in Sevilia egerat.

Die 26. Octobr. misi ego Campherbeccium ad Dn. Secretarium de Prada, quæsitum, qualis resolutio ad memoriale meum in caussa civium Lubecēsium, & nautarum esset edita. Qui per eundem mihi annunciari iussit, quod ante 10. dies deliberatum quidem scriptum, nunc ad Reg. Maj. esset missum, apud quam adhuc lateret; tamen brevi bonam inde resolutionem esse expectandam. Eodem die Dn. Legatus Reg. Gall. Secretarium suum ad nos misit, qui plurima salute nos impertiit, indicarique curavit nobis, quod ipse quidem hoc die visitare decrevisset, sed quum ex aliorum interventu impeditus esset, excusatum se haberi voluit, cum certo promisso, quod ante abitum nos adhuc esset allocuturus. Hoc decenti modo cum gratiarum actione acceptavimus, nos eius voluntati, & favori submittendo.

Die 27. Octobr. ante prandium circa 8. horam Contador ad nos venit, qui rogavit, ut ante commessationem nos Dn. Secretario de Prada vacuos exhiberemus, quum ille à Rege mandatum accepisset, ut regiam resolutionem, & decretum nobis insinuaret. Quo nuncio diu huc usque experito, nihil gratius accidere potuit. Ideoque obedientes nos præstitimus. Verum circa 10. hor. ipse Contador ad nos reversus est, & retulit nobis, quomodo à Dn. Secret. Andrea de Prada quinque distincta scripta accepisset, in quibus Reg. Maj. responsa ad nostra exhibita scripta continerentur expressa: addebat regiam hanc esse resolutionem, cum obsignatis litteris his, ad Dnn. Committentes nostros, quæ responsum exprimerent ad nostras credentiales: Ubi simul significabat, quod Reg. Maj. pro huius temporis ratione non aliter se declarare posset. Si ad omnia puncta nostrorum postulatorum non ita categorice esset responsum, uti id expeteremus, nostrum esse, ut cuncta in meliorem interpretaremur partem, velut & regia esset promissio, quod posthac omnia in melius valerent converti, & rectius corroborari. In significationem autem clementissimi animi regii, à Reg. Maj. ordinatum esse, affirmabat, ut singulo cuique Legato aurea Catena pro honorario offerretur, quas in memoriam R. M. bene consulere vellemus. In quatuor membranis papyraceis involutę erant, quarum cuique sua littera inscripta habebatur his notis S. L. H. D. ut S. Syndicum, L. Lubeccanum Legat. H. Hamburg. D. Dantiscanum denotaret. Ideoque cuique nostrum in mensa suam apponebat catenam.

Nos autem ante omnia cupidi eramus scriptorū perlegendorum. Inde litteras eas cum copiis acceptabamus, ut eas perlustraremus, petebamusque, ut nobis licitum esset, quid sub discessu erga Reg. Maj. pro necessitate explicate, aut monere, si opus foret, vel alia nobis reservare. Donarii caussa dicebamus, quod nihil nobis posset gratius, & honorabilius obtingere, quam si à Reg. Maj. cum gratioso favore, & decreto dimitteremur acceptabili: sed quum Reg. eius Maj. libitum fuisset, quod honorario aliquo afficere voluisset, aiebamus, non decere nos, ut regiū tale munus adspernaremur; sed potius id summa cū gratiarum actione acceptabamus, ut eo rectius M. E. memoriam nobis sacram adservare possemus; velut & econtra erga Dn. Contadorē aliosq; nos essemus beneficos demonstraturi in discessu. Litteræ autem quinque non in una scripta erant lingua: sed 4. Castiglianicæ, & quintum Portugallicæ linguæ idioma exprimebat. Duæ Castiglianicæ unius erant tenoris, & continebant transactionem inter Reg. Maj. & civitates Corporis Hanseatici, quæ à nostris Dominis erant ratificandæ, ut tunc remitterentur confirmatæ. Unum exemplar à Secret. Andrea de Prada erat subscriptum; alterum in eum finem nobis tradebatur, ut illud obsignaremus, cum subscriptione nostra, uti ex copia sub lit. Rr. videre est. Tertium scriptum continebat privilegia, quæ Reg. Maj. nobis in Castiglia concedebat, & dehinc in optima forma extradi commercantibus deberet, uti & litt. Ss. apparet. Quartum erat declaratio, & responsum ad replicam nostram, uti copia sub lit. Tt. exprimit. Quintum referebat, & docebat, quidnam senatus Portugallicus se Reg. Maj. nomine declarasset ad Portugallica negotia, & privilegia eorum, uti ex copia sub litt. Vv. videre est. Hoc scriptum in Teutonica lingua erat conceptum, uti copia sub lit. Ww. docet. Hispanicum autem, ex quo translatio facta erat, ita sonat, uti ex copia Xx. apparet. Interim Contador quoque mihi afferebat designationes debitorum, & damnorum, ipsi antehac nomine mercatorum Lubeccensium traditas. Collegæ autem mei rogarunt, ut scripta Hispanica in Teutonicam linguam transferrem, & ad intellectum earum accommodarem, quod à prandio incepi, & postero die circa hor. 9. absolvi.

Die 28. & 29. Octobr. Collationem ex omnibus instituimus scriptis, & examinavimus singula. Deprehen-

prehendimus tunc talia cuncta singulari indigere deliberatione, ac licet resolutio nostra esset, quod circa vespertinum tempus relegere vellemus; tamen alia impedimenta nobis ita sunt obiecta, ut minus perficere id potuerimus.

Die 30. Octobr. igitur collectis rationibus inter nos coivimus, examinando singula, ubi deprehendimus, quod regiæ resolutiones longissime à nostra spe distarent, quodque in iis nonnullæ obscuritates latitarent, ac quidam considerabiles puncti subessent. Syndicus noster putavit, nos nequaquam in iis acquiescere posse, sed potius à Reg. Majest. & Consilio status meliorem declarationem impetrãdam esse: meum heic erat votum, quod optatem decreti huius rectificationem. Ac si scirem, quod intra certum temporis spacium id obtineri posset, me omnino (licet mihi nihil optatius esset in mundo, quam primo quoque die domum reverti) id consultum velle. Quum vero negotiationum protractionem, & Aulæ huius statum considerarem, atque id, quod Rex scripto alicui de industria insinuasset, se nos iam pro dimissis habere, nec opus esse, ut ulterior commutatio scriptorum fieret, & tempus frustraneum attereretur, satis inde clarum esset, Regem pro hac vice nunquam suam mutaturum esse sententiam. Tum addebam hoc, me non cernere, quid aliud heic effici posset, quam ut diuturnum tempus frustra consumeremus: ubi simul hoc metuendum æstimabam, quum Rex huc usque sumptus vivendi nobis suppeditasset, quod liberalitas ea esset expiratura: forte etiam fores exeundi nobis monstrari possent, quod ignominiam non levem nostris Dominis esset allaturum. Tum videri posset, quasi ab hoc unico negotio cum Hispanis omnis nostra salus dependeret, nec nos meliores in mundo cernere vias negotiandi valeremus, visi ex gratia, & commiseratione quasi Hispanorum commercia ageremus, ut illis liberum esset, nos pro nutu suo quomodocunque tractare.

Duo isti Legati mecum ferme faciebant, ubi simul hoc addidi, quod non amplius in ulteriorem litterarum commutationem consentire possem: sed potius id restare, ut veniam discedendi à Reg. Maiest. impetraremus, ubi tunc tempore valedictionis possemus memoriale insinuare tale, quo Regi quidem pro gratioſe præstitis cum acceptatione devota gratias ageremus cum protestatione de prejudicialibus postulatis, & de non sufficienter responsis, ut ita commode nostram displicentiam adverteret: ubi tunc præcipue possent illi puncti damnorum & debitorum, Salis vectigalium Consoladi, & aliarum rerum inseri cum petitione debita, ut ulterius E. Reg. Majest. curarent deliberari: possent tunc circa futurum conventum Hanſæ rectius Dnn. nostris cum meliori explicatione transmitti. Quod si enim nostratibus non debita solutio, mitigatio, & satisfactio conveniens fieri posset, impossibile esset, ut eius Maj. servitia, & commercia nostra valerent cum hoc Regno continuari. Ubi merito E. Reg. Maj. considerandum foret, quid eidem commercia ex nostris locis, & provinciis importarent quotannis; quod certe ex tali cessatione expiraret, nec ullum fructum esset allaturum, si talia media non consentiret, aut petita nobis recusaret, quæ ratificationem regiam unice expeterent, &c. Noster Syndicus perseverabat omnino in sua opinione, dicens, se nec velle, nec posse ita transactionem in Hispanica lingua conceptam subscribere. Tandem tamen ita inter nos conventum est, quod ante omnia cum Dn. Secret. de Prada de his collocutio esset instituenda, velut & cum Dn. Præsidente Portugalensi. Ad quorum explicationem, & beneplacitum nostra conformatio esset dirigenda. Ac licet eodem die adhuc Audientiam apud eos petivimus, tamen eam præ occupationibus impetrare nequivimus. Dn. Doctor, & Syndicus ob varias rationes, & demonstrationes, quas ipsi obiecci, tandem circa vespertinum tempus aliam sententiam induit, & propius ad meam accessit. Ideoque transactionem dictam inter nos duos de novo consultavimus, ubi invenimus, si aliquot puncta per Secretarium de Prada declararentur, quod tunc rectius contenti esse possemus: Hispanicum autem Exemplar, quum eam non calleret linguam, se subscribere posse negabat; sed prius in latinam linguam voluit transferri, ut tunc cum sano sensu subscribere valeret. Ego regessi hoc, quod ea translatio multum temporis exigeret: inde consultius putavi, ut mea transactio per binos illos secretarios revisionem acciperet, & cum Hispanico collationaretur. Quodcunque igitur inter se congruens invenirent, aut de eo nobis testimonium exhiberent. Rogavi inde, ut ad talia Subscriptionem admittere vellent. Votum hoc meum Dn. Syndicus quidem approbabat: attamen ille cum Dn. H. Vogl. Hamburg. ob 23. punctum transactionis in magnum incidit litigium, ubi Legatus ille practicam quampiam lusit admodum periculosam, & nobis præiudicabilem: de quo non multa sunt scribenda. Deus autem ipsi ignoscat, quum modus talis multum boni impediverit.

Die 31. Octobr. ante prandium ad Dn. Secret. de Prada curru iterum ivimus, cum quo de aliquot punctis transactionis collationem instituimus, cuius responsum erat, ut ex copia litt. Yy. apparet. Sub hac communicatione Don Roderigo Caldero secretarium ad se evocari curabat, sub reditu autem suo, explicabat nobis, quod Don Roderigo ipsi indicasset, Regem eras circa prandium ex Pardo adfuturum esse, in eum tantum finem, ut nos audiret, & dimitteret postmodo: Ideoque nostrum esse, ut expectaremus eum, atque sic veniam discedendi impetraremus. Quod acceptavimus debite ad cõformationem talem. Hac septimana Decretum est publicatum contra Genuenses & alios nummularios, quibus Rex 13. millionibus obligatus erat, quod intra 15. annos à Regno summa talis solvi debeat per terminos certos cum quinque pro singulis centenis. Hoc nobis quoque in tractatu nostro magnam causſavit alterationem. Proculdubio etiam multis fallimenta id imponet.

Die 1. Novembr. qui erat dies Sabbathi, & D. Martini festus iuxta stil. nov. Rex cum Duce de Lerma, aliisque Dnn. ex Pardo, 2. milliaribus à Madrito distante equitando circa meridiem adveniebat, statimque nos in aulam acciri iubebat. Quare circa 12. hor. curru illuc permeabamus: protenus in Reg. Maj. Cameram introducti sumus, ubi

exhibita reverentia debite, Syndicus noſter latina oratione valedixit, ut id copia litt. Zz. monſtrat. Reg. Majeſt. ornatæ menſæ adſtabat, ad me oculis, & geſtibus ſe convertendo, ac Hiſpanice ita reſpondebat. Ad longum ſatis percepi, quæ ulterius petieritis, & nunciaveritis: ac quum res eo perducta ſit, licitum vobis eſt, ut cum Deo veſtrum iter ad Dnn. veſtros convertatis, quibus indicabitis, ut iuxta tranſacta conformiter vivatur. Annunciabitis illis meam affectionem gratioſam, & quod iiſdem gratioſus ſim manſurus. Memoriale cuius mentionem feciſtis, mihi exhibebitis; perlegam illud, & ulteriori deliberationi meorum ſubmittam, & mandabo, ut fiat, quodcunque poſſibile erit futurum. Alias quoque in aliis cauſſis, quæ obtigerint, civitatum veſtrarum commodum reſpiciam, & id promoveri debite curabo. Ad quæ Doct. Syndicus Reg. Majeſtati memoriale noſtrum iuxta copiam ſub litt. A. exhibebat, & gratias ſummas humiliſſime agebat pro clementiſſima ea declaratione: repetebat ſimul votum cum congratulatione felicis regiminis. Atque ſic iterum præſtita reverentia, à Reg. Maj. veniam diſcedendi impetravimus.

Rex autem ad Reginam verſus Pardo circa veſpertinum equitando reverſus eſt. Interim tamen nos hinc ſtatim ad Ducem de Lerma ibamus, à quo ſimiliter veniam ſumebamus, qui nobis in adventu uſque ad primum conclave obviam fiebat, & inſtabat, ut nos primi ſuum ingrederemur conclave, quod tamen omnino abnegabamus. In eo conclavi ſellæ poſitæ erant, quibus inſidere nos iubebat. Mox Syndicus latina itidem oratione illum compellavit, ipſique gratias agendo valedixit cum recommendatione negotii ulterius, & mentione facta memorialis Reg. Majeſtati porrecti. Ille reſpondebat Hiſpanice, indicando, quod diu deſideraſſet, ut cum contentatione bona expediri potuiſſemus: atteſtabatur ſimul, quod nobis, quos valde in præſentia collaudabat, ad ſerviendum admodum proclivis eſſet. Petebat vero, ut excuſatam haberemus moram, quum ponderoſitas rerum, & multitudo negotiorum quæ cotidie Reg. Majeſt. obiicerentur, citiorem expeditionem non admiſiſſet. Optabat nobis omnes ad iter felicitates, offerendo noſtris Dominis, & nobis ad amicitiam, & quævis officia, quodque non tantum cauſſas noſtras in communi, ſed etiam ſingulariter memoriale Reg. Maieſtati traditum, & relictum omni cura eſſet promoturus, ut Decreto convenienti & mandato abſolveretur. Quod ſi etiam ex locis noſtris quid expediendum eſſet, rogabat, ut ſibi tranſmitteretur, aut ſignificaretur, ſe velle noſtrum procuratorem, & ſollicitatorem apud Reg. Majeſtatẽ indubitanter agere. Expetebat porro, ſi quid adhuc deſideraretur, quod noſtras concerneret perſonas, ſe id ſtatim, dum adhuc præſentes eſſemus, procuraturum eſſe. Nos per generalia ipſi gratias egimus ſummas, atque ita cum gratia ab eo ſumus dimiſſi. Ille quemque noſtrum amplexu excepit, & cordi ſuo ſtrenue appreſſit; ſic benedictionem adiecit, & Deo nos cum valedictione ſat gratioſa commiſit.

Tum quoque ad tertium, & extremum concla-ve nobis comitem egit. Hæc omnia erant valde amicabilia & favore digna verba, licet antecedentibus actis, & operibus diſparia. Nos inde domum reverſi ſumus, ubi ex morionibus quempiam regiis invenimus, ex quo per diſcurſum cognovimus, Reg. Maieſtatẽ ſtatim poſt diſceſſum noſtrum perlegiſſe redditum memoriale noſtrum, quod pro ſigno gratiæ habuimus. In audientia ſimul Regi aderant Marchio de Toledo, Dux ab Alva, Comes de Baronia, Comes de Calvos, Dn. Ericus de Gurzpyar, & alij plures Domini; qui omnes ex ordine parieti adſtabant. Regij ſatellites, Porteri, tibicines, tympaniſtæ, buccinatoreſque nos viſitabant, quos honorariis afficiebamus, ut ipſi perebant.

Die 2. Novembr. à prandio Dn. Contador declarationem D. Secretar. Andr. de Prada nobis inſinuavit, uti ex copia Litt. B. apparet, qua inter alia monebamur ad ſubſcriptionem à Conſilio ſtatus iuxta Hiſpanicum exemplar, quum nollet admittere id, ut prius in Germanicam aut Latinã linguam transferretur. Ad quod cum importunitate Syndicus ita reſpondebat, quod neque nunc neque unquam in æternum illud exemplar ita eſſet ſubſcriptione ſua corroboraturus, aut potius in mortalium nequitioſiſſimum ſe evaſurum fore. Ut tamen fieret remiſſioris animi, nos ad viſitationes aliquot præparabamus. Ideoque primo ad Dn. Conneſtabalem Don Iwan de Valaſco curru vecti ſumus, cui poſt colloquia aliquot amicabiliter valediximus, velut & perquam humane nos exceperat, ita multo humanius nos dimiſit, prius promittendo, quod non tantum nationem noſtram, uti ſemper feciſſet, ſemper ferventius eſſet dilecturus, ſed etiam promoturus, ut bonam reſolutionem ad noſtrum memoriale in poſterum aſſequi valeremus. Syndicus quoque, quum adhuc ferveret iracundia, explicavit ipſi Conſilii de ſtatu ultimum decretum de ſubſcriptione illa, attulitque gravamina ſua, petendo, ut ipſi admitteretur, nobiſque, ut ſaltem Latinam tranſactionem ſubſcriptione, & ſubſigillatione noſtra corroboraremus. Ille reſpondebat, quod ſic ſtili eſſet, & deceret nos, ut ſic nos conformaremus Curiæ. Præterito die Sabbathi nullam factam eſſe eius rei mẽtionem in Conſilio ſtatus aiebat; ſi quid poſſet mutari, ſe id promoturum eſſe, adſeverabat: ſub diſceſſu nos prius in Bibliothecam introduci curavit, quæ ſupra modum ſplendide inſtructa erat. Dehinc nos recepimus ad Dn. Archiepiſcop. & Cardinalem de Toledo, ut ipſi ſimiliter cum oblatione officiorum, & gratiarum actione valediceremus. Is certe ſupra modum humaniſſimum ſe erga nos præbuit cum multis oblationibus, perendo, ut Dominos noſtros plurima ſua ſalute impertiremus. Varios cum eo peregimus diſcurſus, præſertim propter ſubſcriptionem, ubi dixit, ſe minus libenter audire, quod nos heic difficultates inveniremus tales; nec puravit conſultum, ut hanc ob cauſſam denuo, aut ad Reg. Majeſtatẽ aut Conſilium ſtatus quid deferremus, quum dilationem negotii, diſputationemve id eſſet paraturum.

Quum vero Syndicus ſtrenue urgeret impoſſibilita-

bilitatem ſuam, aiebat, nos quidem id tentare in Conſilio ſtatus poſſe, ſed rectius omitti: ſe tamen bonum adiecturum eſſe votum, ut quantum fieri valeret, res pro nutu noſtro promoveretur. Qua promiſſione veniam ab eo impetravimus, & ipſe ſuam nobis benedictionem adiecit, ac quemlibet noſtrum amabili ſuſpirio amplexus eſt, optando, ut Deus nos illuminaret, & ex nobis omnibus unum ſibi ovile aliquando efficeret.

Hinc nos ad Dn. Legatum Franciſcum Prioli convertimus, quem in lecto valetudinarium invenimus. Doctor noſter latina oratione ſimiliter ſalutavit, & inter alia ipſi noſtram nationem, ac nautas noſtros recommendavit, maxime, quum iam ex locis noſtris crebra illuc navigatio exerceretur. Ille tam nomine Principalium ſuorum, quam propriæ perſonæ ingentes egit gratias, quod tam favorabiliter ipſum viſitaſſemus: Promiſit, ſe hoc cum multa commendatione ad Dnn. ſuos eſſe ſcripturum, quibus ita benevolentiæ ſignificatio admodum grata eſſet futura, quod inter Dominationem Venetam, & civitates Hanſæ melior in poſterum notitia cum bona Correſpondentia poſſet erigi in commune commodum. Confitebatur ingenue, quod per noſtras navigationes, & importationes rerum multum boni Reipubl. Venetæ eſſet præſtitum. Valde ſe excuſabat, quod nos non prius viſitaſſet; promittebat, ſe ante abitum noſtrum adhuc allocuturum eſſe. Offerebat ſe ſimul ad omnia ſervitia, & benevolentiam erga nos & civitates Hanſæ. Hæc nobis cuncta in Hiſpanica reponebat lingua: licet ipſi indicium feciſſemus, quod ſatis cognita nobis eſſet lingua Italica; tamen aiebat, quum in Hiſpania iam verſaremur, ſe potius nobiſcum in ea agere lingua velle.

Erat vir juvenis, perquam humanus & prudens, 35. ferme annorum. De variis rebus fuerunt varii diſcurſus; poſt quam oblectationem tandem domum redimus. Syndicus autem ibi noſter de novo mecum Teutonicam translationem perlegit, in eum finem, ut eam in latinum converteret ſermonem; cui tamen hoc obieci, quod ſic novam nobis eſſet pariturus moram: tum Doctoribus, & iuris publici peritis ad revidendum id traditum iri; poſtea ſi res perveniret ad manus Regis, periculum metuendum eſſe, quale decretum eſſet ſubſecuturum. Ego paratus eram ad ſubſcriptionem, quum certus noſcerem, quod nihil in eo contineretur, quod non ſatis inter nos eſſet ventilatum, mutuo conſenſu approbatum, deliberatum, & pertractatum; Præterea hoc conſiderandum putavi, quod noſtra ſubſcriptio non determinaret ullam negotii perfectionem; ſed ſaltem atteſtaretur copiam eius, quod nos adſumpſiſſemus ſcriptum Originale, à noſtris Dnn. ratificandum intra certum temporis ſpacium. Itaque tale quid abſque ullo præiudicio noſtrorum Principalium eouſque ſubſcribere poſſemus.

Inde reſpondebat Syndicus, niſi ulterius quid à nobis exigeretur, quam ego ipſi declaraſſem, non amplius ſe ſubterfugium quærere velle. Quod ſi vero teneretur ad hoc obligare, quod noſtri per idem conſtricti haberi deberent ad ratihabendum, id ſe non in alterius lingua præſtare poſſe affirmabat, quam ipſe intelligeret. Mea iterum erat hæc ſententia: quod ſi ab initio ſine omni difficultate, & diſputatione ſubſcripſiſſemus, ſatis contenti nobiſcum eſſe potuiſſent regij, velut & adhuc crederem, quod illis id ſufficeret. Ille inquiebat, ſe nunquam id credere. Si ita in hoc ſenſu recipere vellent regii, ſe paratum eſſe ad ſubſcriptionem Hiſpanicam. Ego aiebam, quod omnino in ea eſſem opinione. Ideoque noſtrum eſſe, ut tentaremus, eum ſimul petendo, ut formam conciperet talem iuxta mentem ſuam, quam ipſe ſubſcriberet: in quo mihi audiens erat, & concipiebat formam, quam ſic propria manu deſcribebam, iſtis verbis: Quod ſuprascriptæ tranſactionis formulæ exemplum alterum ſimile, & conforme à R. I. M. ſub regij Secretarii Dn. Andr. de Prada ſubſcriptione accepimus ita, ut iuxta eius linguam Confœderatis Hanſæ Teutonicæ civitatibus fideliter de ea referamus, & ut illi intra 6. menſium ſpacium, à proximis Hanſæ comitiis computandum, animi ſui declarationem ſuper ea Maj. Suæ mittant, moneamus; id fatemur nos ſubſcripti, eiuſdem Hanſæ Legati, manibus & ſigillis noſtris. Actum Madriti An. 1607.

Die 3. Novembr. ſummo diluculo miſi ad Dn. Contador, cui cum omnibus circumſtantiis explicari iuſſi differentias, & difficultates, quas cum Syndico Hanſæ noſtro ob ſubſcriptionem habere coactus fuiſſem: Quod tamen ſperarem, quod ille tandem induci poſſet, ut Hiſpanicum exemplar ſubſcriberet: ſed non alia ratione, quam ut itidem nos, & Principales noſtros minus obligaremus, ac Reg. Majeſtas non eſſet obligata eo uſque, donec noſtratium declaratio, & ratificatio tranſmitteretur; atque in hunc finem conceptam haberem formulam, quam cum ipſo communicare cuperem, ut eius quoque auditem ſententiam. Quam primum igitur ubi acceſſerat, & ipſi monſtraram, perlegit eam dicens, quod ſufficeret ſatis, ſolummodo, ut ſubſcriberetur ſtatim. In hoc adeo exultabam, ſummo ut mihi id deputarem gaudio. Alias enim facile ob latinam translationem totius menſis detriviſſemus fruſtra ſpacium. Verum quum exiſtimarem, rem omnem iam eſſe peractam, Contador dicebat ad me, quod maioris ſecuritatis cauſſa formulâ prius quoque Dn. Secretar. de Prada monſtrare cogeretur; quam ſtatim ipſi tradidi, petendo, ut abſque mora reſponſum referri mihi curaret. Poſt binas autem horas ipſe revertebatur cum eo nuncio, quod Secretarius formulam plane approbaſſet. Ita demum etiam hoc litigium feliciter inter nos diremptum fuit, quod ſingulari nobis erat gaudio. Circa 11. hor. ante prandium igitur lætantes ad Præſidentem de Caſtiglia, Don Iwan de Zuniga curru ivimus, cui gratias egimus, & valediximus, qui econtra omnes vitæ felicitates nobis precatus eſt, cum ulteriori omnium officiorum oblatione. Poſtea viſitavimus non procul ab eo habitantem Dn. Legatum Genuenſem. Is erat Senator Genuenſis, nomine Iohan. Franciſcus de Franciſcis, vir 60. annorum, quem in lecto decumbentem invenimus: ſalutabamus eum peramanter, atque noſtram nationem ipſi ſummopere recommendabamus. Huic adeo grata accidit noſtra ſalutatio, ut lætiſſimo animo ſe effunderet in

itized by Google

hæc verba: ſe non poſſe intermittere, quin prima occaſione ſuis hoc intimaret dominis, quibus deſiderium inde eſſet tale excitaturus, ut omnino cum civitatibus Hanſæ meliorem inirent amicitiam, & correſpondentiam. Namque velut ea eſſet ſimilis fere Reſp. cum Hanſeaticis, ita quoque potior iam foret occaſio, arctiorem contrahendi amicitiam. Ille ſe perquam honeſte excuſabat, quod non citius nos viſitaſſet; dolebat hanc præventionem ſibi factam civilitatis.

Ideoque rogabat, ut ſibi licitum eſſet, nos ante abitum adhuc noſtrum inviſere. Sermone Hiſpanico omnia exprimebat. Nos gratias ipſi egimus, & cum licentia diſceſſimus. A prandio autem curru vecti ſumus ad Dn. Præſidentem de las Ordines, Don Iwan Idiaques, cui etiam valediximus. Sed interim in via, quum ad illum tenderemus, quam acerbum nobis fuerit colloquium, & concertatio cũ Legato Hamburgenſi propter 23. punctum tranſactionis, id certe dici non poteſt. Etenim ille metuebat, quod propterea ad Præſidentem potuiſſet fieri mentio. O quam inſtanter nos rogabat, ũt ipſi pareremus, nec ſicut decreveramus, eius rei mentionẽ faceremus. Licet inique nobiſcum egiſſet in communi cauſſa; tamen taceremus hac vice. Num honeſtum virum talia deceant? Sed ſit!

Poſthæc ad Legatum Magni Ducis Hetruriæ nos contulimus, qui vocabatur Saluſtius Iarugi Archiepiſc. Piſanus. Hunc itidem in lecto valetudinarium inveniebamus. Syndicus noſter illum latina ſalutatione alloquebatur, ac valde Ducis Magni virtutes deprædicabat: rogabatque obnixe, ut noſtri, & nationis noſtræ mentionem non tantum faceret, ſed etiam diligenter recommendaret, quum iam cotidie magis noſtrates ibi negotiarentur ob gratiam ipſis Livorno à Duce Magn. præſtitam, quam petebamus continuari. Offerebamus noſtrorum Dnn. ipſi amicitiam, & beneficentiam, quibus nihil optatius eſſet, quam quod incepta commercia ibi inter utramque nationem, & ſubditos ita arctiori vinculo poſſent connecti pro commodo communi; quorum promotionem fidelem unice petebamus, atq; ut ille promotorem in iis ageret.

Ille Senex Prælatus plane in hac viſitatione exultare videbatur; excuſabat ſe amanter, quod nos non prius viſitaſſet, nec noſcere potuiſſet. Dolore ſummo inde ſe affici, aiebat, oprando, ut citius eo reſtitui poſſet, ne honor ipſi iſte exhibitus dedecori eſſet ſuo Hero; cui hoc ſtatim eſſet ſcripturus, non ſine ſumma collaudatione, & obſtaturus noſtrorum Dom. amicitiam, quæ ipſi ſumme cordi eſſet. Celebrabat valde ſui Domini beneficentiam, & munificentiam erga omnes, & maxime bonos, licet in pũcto religionis diſſiderent ab eo. Adſeverabat, quod hæc viſitatio ſingularem occaſionem eſſet datura ad promptiorem amicitiã, & promotionem felicioris commercii, velut in facto hoc eſſemus deprehenſuri. Precabatur nobis iter fauſtum. Hæc omnia latine proferebat, eleganter quidem, ſed præſenectute tardius. Nolebamus illum diutius occupatum tenere; itaque cum venia abivimus, domum revertendo. Interim nos fuerat Dn. Legat. Gall. viſiraturus, uti eius miniſter referebat. Quum vero percepiſſet noſtram abſentiam, id in craſtinum diſtuliſſe idem affirmabat.

Die 4. Novembr. à prandio Legatus ille Gall. ad nos venit, cum ſalutatione multa obtulit ſua officia nobis, indicando ſimul, quod Secretario ſuo mandaſſet, ut ad omnes præcipuos locos Galliæ, per quos iter habituri eſſemus, recommendationes perficeret; velut & pridem ad Regem ſuum ſcripſiſſet, petiiſſetque, ut in occurſum nobis Salvos conductus ſub finibus Regni mitteret: ubi largas ſimul promiſſiones ſubmiſcebat. Gallice loquebatur hæc, quæ meis Collegis interpretabar, qui me rogabant, ut eorum nomine Gallice reſponderem, gratiaſque ipſi pro omni beneficentia agerem; quod factum eſt: ac poſt alios diſcurſus diſceſſit lætus à nobis, iter felix precando. Poſt hæc curru vecti ſumus ad Dn. Comitem de Cinchon, ut itidem illi valediceremus; qui certe admodum civiliter nos excepit, & liberalis fuit in quidvis promittendo. Excuſabat ſe quoque, quod ſine convivio nos non poſſet dimittere, niſi nos ita properanter feſtinaremus. Alii nobis verba honoris facta aiebant. Sed ab eo ad comitem de Salinas, Præſid. Portugallium ibamus curru, cũ quo de aliquot punctis neceſſariis egimus, quos illi recommẽdabamus communis commercij cauſſa; exhibebatur ipſi ſimul memoriale, quod accepit cum promiſſione itidem larga, quod in conſilio ſtatus memor cauſſæ eſſet futurus. Præterea ſe ſupra modum ad omnia petita noſtra promptum offerebat, plus quam dulciſſimis cuncta depingens verbis, ceu quidam Cumplido Curtiſan. Tandem promittebat quoque, quod omnia in conſilio ita eſſet promoturus, ut quam citiſſimum habere poſſemus reſponſum. Itaque poſt varios diſcurſus ipſi valediximus. Ubi domum reverſi ſumus, cognovimus, nos Venetianum Legatum inviſere voluiſſe; ſed reditum diſtuliſſe ad craſtinum diem. Dehinc per Dn. Secretarium Iohan. Ochſenium apud Reginã nos inſinuari curavimus, quum Pardo iret: Civilitate autem hac uſi ſumus in annunciatione, ut ſi gratioſe placeret Reg. eius Maj. tantum noſtrę exoſculationi manuum concedere, nil nobis optatius in mundo accidere poſſet, quum ex hac occaſione ſimul veniam diſcedendi apprehendere foret licitũ. Illa ad hoc indicari nobis curavit, quod 8. Novemb. Madriti eſſet futura, in 9. einſdem ad feſtum Taurorum ſpectandum. Si igitur tam diu manſuri eſſemus, quod cum lubitu clementiſſime nos eſſet auditura: Quod ſi vero non eouſque commorari poſſemus, dedit nobis licentiam ad ſe excurrendi: ita tamen, ut die antecedenti indicaretur.

Uti gaudio ſingulari hoc nobis fuit; ita devotiſſimas egimus gratias, ac per eundem indicii fecimus, quod nequiremus hoic uſque ad feſtum perdurare, quum quaſi accincti iam ſtaremus, ſed cogeremur ad diem Sabbathi iter noſtrum ingredi: petebamus, ut excuſatos ita exciperet E. R. M. Quod ſi igitur E. R. M. in tempeſtivum accederet, & clementiſſime dimittere cum venia vellet, merito eius Regiæ voluntati nos in omnibus ſubmitteremus. Sin placeret magis nobis gratiam manus regias exoſculandi concedere, præſtaremus ea, quæ ex nutu iuberet; ac licet noſtrum non eſſet diem quempiam nominare; tamen temporis anguſtia nobis hanc imponeret legem; ſi modo perendie non ingratum eſſet futurum, ut nos debite ſiſteremus. Hæc Secretario illi Reginæ concredimus ita, ut ad craſtinum diem certum

tũ haberemus Regiæ reſolutionis reſponſum; quod in ſe recepit, affirmando, Reginæ non eſſe hoc futurum.

Die 5. Novemb. circa 9. hor. ante prandium Dn. Legatus Reip. Venetæ ſalutationis, & valedictionis ergo ad nos venit. Is nobis ſignificavit, quod iam ad Dominos ſuos noſtram proxime inter nos habitam collocutionem cum denunciatione ea facta percepiſſet; tum quid in viſitatione eius noſtra expetiviſſemus communis commercii cauſſa, ut noſtra Natio amicabiliter ibi tractaretur in negotiis, & propioris amicitiæ coniunctio inde poſſet ſibi vires, & vinculum acquirere. In ulterioribus ſe ad quævis offerebat officia, quæcunque in favorem noſtrum, & Dominorum noſtrorum fieri poſſent, nobis felix iter precando, rogandoque, ut ipſius nomine noſtrates ſalutaremur. Hæc omnia in Hiſpanica proloquebatur lingua. Nos autem ipſi primitus latine reſpondebamus; poſtea in diſcurſu ego Hiſpanice, & Italice cum illo agebam, præſertim, quum ſe admodum oſtenderet hilarem in vultu & moribus, quibus tamen non deerat gravis quædam modeſtia. Quum vero à nobis diſceſſiſſet, ſtatim nos ad Don Chriſtional de Mora contulimus, qui cum temporis apud Regis huius parentem proximus à latere, & conſiliis perpetuis fuerat, ac nuper ad dignitatem ſummam Regni Portugallici evectus, ubi iam Vice-Regem determinabat. Ideoque ipſi cauſſam civitatum Hanſeaticarum ſingulari cura præ reliquis recommendavimus, ut de meliori nota vellet eſſe Patronus. Latine facta eſt Oratio à Syndico noſtro.

Ille non tantum placidiſſime, & cum benevolẽtia nos audiit, ſed etiam realem demonſtrationem animi, ob confidentiam in ſe adeo fideliter depoſitam, nobis lætanti animo promiſit. Poſt diſceſſum eius adivimus Legatum Regis Angliæ, cui in memoriam revocavimus mentionem noſtræ differentiæ, in qua ille magna promiſerat. Quum eſſent in iis rebus aliqui peracti diſcurſus, recommendavimus eidem Nationem noſtram, & eius negotia apud Anglos; ac poſtea valedictionem adiecimus, quæ omnia latine ſunt facta. Ille vero nobis Hiſpanice non tantum reſpondebat, ſed etiam in diſcurſu longe plura, quam antehac factum, promittebat, ut ſolet fieri, ſi verbis velimus beare, bona ſperantes. Hinc Regis Galliarum Legatum viſitavimus Dn. Emericum de Berault, quem Syndicus noſter latina oratione allocutus eſt. Ipſe autem ſtatim à me expetebat, ut Gallice cum illo agerem, quod etiam præſtiti. Ad quæ ille in ſua lingua ſupra modum humaniter cum civilitate ſingulari reſpondebat; ſe ad longe plura offerendo, quam antea. Quum realem hac vice ageret præ reliquis ab eo ſatisfactionem accepimus.

His antemeridiano tempore peractis, poſtea curru noſtro adivimus Don Balthaſarum de Zuniga, qui ante hac Legatus Regis in Belgio fuerat, nunc vero Legatus deputatus ad S. Cæſ. Majeſt. aulam, loco Don Gulielmi de S. Clemente. Hunc Syndicus latina Oratione congratulabatur de novo officio, ipſi noſtros ſingulari cura committendo, cum adiecto voto ad iter, & noſtra valedictione. Ipſe autem nobis Hiſpanice reſpondebat, ſeque admodum excuſabat, quod non prius nos viſitaſſet, putans magnam hoc ſecum importare incivilitatẽ, quæ Hiſpanos maxime dedeceret. Ideo ipſi competere aiebat, ne nos inſalutatos domi noſtræ relinqueret. Offerebat interim ſe ad omnia, nobis conducentia. Quum vero domum reverteremur, inveniebamus Reginæ Secretarium Ochſium, qui nobis indicabat, quod Regina expeteret, ut craſtino die nos in aula eius Pardo ſiſteremus, ubi nos nõ tantum auditura eſſet; ſed putabat etiam neceſſum eſſe, ut priuſquam ad Reginam veniremus, binos Regios infantes viſitaremus cum Regiis filiabus Madriti; quod bene monitum exiſtimavimus, & quidem ſatis opportune. Poſtea propter Kampherbeccium, quomodo non tantum conſul conſtitui Hanſæ, ſed etiam coram nobis iuramentum fidelitatis præſtare deberet, deliberationem habuimus, ubi ſimul eius proviſionales, cum reverſalibus decrevimus.

Die 6. Novembris quum in procinctu, ut Pardoam ad Reginam excurreremus, quiſque noſtrum ſtaret, Don Balthaſar de Zuniga, Legatus Germanicus ad nos mittebat, & offerebat ſe ad viſitationem valedictoriam, noſtra erat hæc excuſatio, quod iam ad Reginæ evocationem factam illuc tenderemus: Ideoque excuſationem hanc adiiciebamus, ne id aliorſum acciperet; ſi cras poſſet fieri, nil nobis gratius accidere. De hinc prius ad Palatium Madritanum properavimus curru, ut Sereniſſimum Infantem Hiſpanicum cerneremus, & devotionem noſtram ipſi exhiberemus. Erat puer 4. an. tenellus, qui manum ſuam ad nos extendebat ſtatim, ut oſcularemur, velut & Donna Maria prope 4. annorum. Utrique exornati erant, ſplendidiſq; ſuis ſellis ita impoſiti, ut etiam ſtare in iiſdem poſſent. Amabiliſſimi erant infantes. Præſens erat eorum obſervatrix Comitiſſa de Altemira; aderant etiam duo, aulam regentes Domini, Comes de Plago, & Comes de Caſas rubias. Heic omnes noſtri miniſtri, & adoleſcentes admittebantur in rei memoriam, & infantium reverentiam. Poſtea tamen nos 4. ſoli in conclave aliud introducebamur, ubi recens, ante 9. menſium natum Regem Infantem, faſciis involutum ſuis, nobis monſtrabant, cuius formoſitatem admirabamur. His peractis, dimiſſionẽ ab aulæ eius Magiſtro impetravimus: poſtea nos tres, quum Legatus Dantiſcanus iterum ex febri gravius nonnihil infeſtaretur, nos cum 3. curribus, & 10. aſinis, in loco eo uſitatis verſus Pardoam ad Reginæ aulam contulimus, ubi circa 2. hor. appulimus, & benedicta Regina continuo ad ſe nos vocari iuſſit. Quum igitur admiſſi eſſemus, Syndicus noſter confeſtim Germanica, & admodum eleganti oratione, non tantum pro exhibita regia Clementia gratias egit, congratulando, ſed etiam, ut cum eius Maj. venia licite diſcederemus, valedictionem gratioſam petiit. Illa ſtando nos clementiſſime audiit, & ipſa reſpondit ad ſingula breviter, ſeque ad regiam promotionem declaravit, nobis felix iter comprecando, & iuſſit, ut in reditu noſtros clementiſſ. ſalutaremus Dominos.

Illi adſtabat maxima natu filiola, forte 5. an. exuperans, quod tamen ignorabamus, ut debite eam non ſimili afficeremus reverentia. Ideoque per aulæ Magiſtrum nos excuſabamus, cum humillima petitione, ſi non grave eſſet, ut ipſi ſingularem exhiberemus honorem oſculatione manuum. Quod

adeo gratioſe acceptum eſt, ut ſtatim in aliud victi-
num introduceremur conclave, ubi præſentes ſi-
mul apparebant regij Gynecæi mulieres, & virgi-
nes. Exhibita igitur debite oſculationis manuum
reverentia, ego Serenſſ. Ej. Altitud. Hiſpanice al-
locutus ſum, ubi primo deprecabar ignorãtiam no-
ſtram, quod apud Reg. Matrem non præſtitiſſemus
honorem debitum, quum nullum de eo antea fa-
ctum eſſet indicium. Reſponſum nobis eſt, non o-
pus eſſe excuſatione, precari ſe nobis felicitatem à
Reg. Matre ad iter; quo ita cum venia dimiſſi ſumus.
De hinc adivimus Comitiſſam de Baraias, quæ Ger-
manica erat, ex nobili ſtirpe Styriæ Rederianorũ
nata, ac coniux tunc Comitis de Baraias, ſalutavi-
museam, & in præſentia eius Mariti comitis, favo-
rem gratioſum rogavimus cum commendatione
noſtræ Nationis. Comes ille nobis præibat undiq;
& ductor erat, cui etiam ſolemnes egimus gratias;
ac regreſſi ſumus Madritum.

Die 7. Nov. Kampherbeccius, tanquam Conſul
Portugalliæ conſtitutus, nobis in præſentia Conta-
doris, qui à R. M. peculiariter ad actum hunc depu-
tatus erat, iuramentum præſtitit, cui etiam proviſio-
nalem ordinationem in litteris tradidimus, à nobis
ſubſcriptam, & obſignatam, uti copia ſub litt. C.
monſtrat; ad quod ille reverſales ſuas ſub litt. D. red-
didit. Quumque indigeret pecunia, nec alias offi-
cium ingredi poſſet, in detractionem Salarii 300.
Coronatos ipſi ſolvimus, & inſuper aditer 50. Co-
ronatos, ut ex ratione reddita apparet. Quum vero
in prandio eſſet, ille nobis annunciari iuſſit, quod
circa veſperam ad nos ipſe venturus eſſet, uti circa 6.
hor. factum, ubi ipſi tunc Exemplar ſupradictum
inſinuavimus, velut & nomina 72. civitatum Han-
ſeaticarum, quæ à nobis expetiverat: Rogavimus,
ut noſtrorum Dominorum, & totius Nationis a-
micus, & promotor in omnibus maneret. Ad quæ
ſe fidelem amicũ promiſit ad omnia. Et mutua vale-
dictio facta eſt. Quum igitur res omnes expeditio-
nem noſtram concernentes abſolviſſemus dictis
modis; etiam inter nos ante aliquot dies conventa
eſſent perfecta, ut die Sabbathi, qui erat 8. Nov.
iter ingredi ſine ulteriori impedimento poſſemus,
etiam ipſe me ſatis quidem adornaſſem, & tamen
deprehenderem, quod reliqui mei non ſolum Col-
legæ in privatis ſuis adhuc hærerent negotiis, ſed
quoque deſiderio tenerentur, ut 9. huius inſtitu-
tum ſpectaculum Taurorum de Cannas ſpectarent,
res meas omnes ad diſceſſum ſequentis diei, qui 9.
erat huius menſis Novemb. diſpoſui. Quippe mihi
animus erat recta ex Hiſpania domum tendere: Illi
autem præterea aliorum locorum, nempe Eſcuria-
lis, Lisbonæ, & Sivillæ perluſtrationes perficere in-
tendebant. Proinde 8. Novemb. veniam diſcedendi
ab illis ſumpſi, ſimul argentum, & quod commu-
ni honorario deſtinatum erat, iiſdem cum ratione
expenſarum conſcriptarum ſub litt. E. tradidi. A
meridie poſt horam tertiam in nomine individuæ
& Sanctæ Trin. cum 5. perſonis ex Madrito equi-
tando diſceſſi. Reſculas autem, & ſuppellectilem
meam aſino baiulanti miniſtri concredideram.
Circa veſpertinum tempus Argandam 4. milliar.
hinc diſtantem perveni. Reliqui per ſuas vias in no-
ſtram Regionem, & Patriam reverſi ſunt.

Quam difficilis expeditionis negotium hoc to-
tum fuerit, ex ſupra poſitis facile patet. Quiſque ſibi
heic ſumat iudicium de ambagibus varijs & toties
repetitis. Ubi commodum quælibet pars ſuum
intendit, directo nihil perfici poteſt, dum calliditates ſe intermiſcent variæ, quibus recte in occur-
ſum ire, non caret provida ingenii cura. Non au-
tem fruſtra fuit, quod tamdiu ibi civitatum legati
detinerentur. Etenim potiſſima, ut ſatis conſtat,
& hodie in confeſſo eſt apud omnes naucleros &
negotiatores, qui rem interius examinare noſcunt,
extitit hæc cauſſa, ut licitum eſſet Regi, civitatum
conducere naves paratas ad ſuas actiones quovis
tempore obvias. In quo admodum incautus fuit
eorum conſenſus, qui hoc non penitius examina-
runt, ſed vili precio quaſi vendidere libertatem
navigandi ſuam. Velut & in conſuetudinem fer-
me uſitatam apud Hiſpanos hoc abiit, ut nullius
nationis naves accommodatiores ſuis putent actio-
nibus, quam qui à civitatibus mittuntur Hanſeati-
cis, inter quas tamen in potiori habent precio Lu-
beccenſium præ reliquis. Indeſinenter itaque de
tam gravi iugo eſt omnium actis querela, quod ſta-
tim, ſimulac ingrediuntur portum aliquem Hiſpa-
nicum, adſint non tantum inquiſitores acerrimi,
ſed etiam arreſtum iis imponatur: quibus grava-
minibus etiam hanc adiici iniquitatem, aiunt, ut ipſi
Germani non ſuarum navium maneant Magiſtri &
domini, ſed penitus exuantur omni facultate re-
gendi navem, & præficiantur illis Hiſpani tales,
qui acerbiſſime eos loco mancipiorum tractent.
Si muſſitent forte heic, audiunt tales, qui extrema
morte ſint perſequendi, quum facile in iis poſſit a-
liquod crimen confingi. Nec proſunt illis am-
plius promotoriales, quæ nullius putantur reſpe-
ctus, uti communis id fert querimonia. Tantam
igitur Hanſeatici gratiam præ aliis invenere, ut ſæ-
pius auditi ſint extranei, quibus mirum id viſum
fuit, quod Hanſeatici ibi præ cunctis nationibus
magis ſervitute premantur, quam ipſi Belgæ &
cuiuſcunque alterius regionis, quum talibus liber
acceſſus & receſſus in negotiationibus ſuis omni-
bus pateat; his vero eiuſmodi libertas plane ſit ab-
lata. Si querelæ propterea inducantur, reſpon-
ſum non aliud ſe auferre dicunt intelligentiores,
quam quod ex conſenſu à Legatis inito id factum
ſit, nec habeant, quod pro iniuria allegare debeant,
quum teſtimoniales in promptu ſint, quæ in Can-
cellaria adſerventur.

Sæpius proinde; quum admodum durum ſit
hoc ſervitium, & inprimis in Lubeccenſes merca-
tores damnum id redundaret graviſſimum, qui a-
liquot millionibus ſe tale non poſſe reſarcire, cla-
mant toties, tentatum eſt, quomodo diverſio ea
fieri queat, quod tot etiam Imperatorum Inter-
ceſſionales loquuntur; ſed nondum aliquod ido-
neum remedium eſt inventum, quod ſufficere
poſſit huic commoditati, quam ferme è manu
miſere ſua; licet & ipſi confiteantur, talem con-
ſentiendi poteſtatem nunquam Legatis unquam
fuiſſe datam, quum tota eorum reclamaret In-
ſtructio; nec ſimile quid in relatione allatum ſua,
niſi quod nunc ſentiant effectum nimis poſteris
noxium. Conqueruntur graviter, quod ſuperiori

anno

anno ultra 28. naves onerarias miſerint Lubecenſes in Hiſpaniam, è quorum numero vix 6. reverſas; ita in ſervitia Regis abducantur etiam in ultimas Indiarum partes pro lubitu, non raro per quinquennium, vel donec etiam penitus conſumantur; quum tamen interim nec ulla reluitio nec merces conductitia ipſis ſolvatur. Quare aliquoties inter illos deliberatio ea fuit, num non plane à negotio ſit abſtinendum Hiſpanico, præſertim quum etiam Wiſmaria ex hoc capite in ruinam maxime ſuam ſit præcipitata. Multi conſentiunt; alii tamen ſuas rationes ulterius quid tentandi fovent, veluti mercatorum eſt proprium, ut incommoda commodo exiguo ſæpius permutare noſcant, nec facile à conſuetudine ſua deſiſtunt, præſertim ſi loci & regionis aut Regni alicuius mores & portus eius interius pernoſcere didicerunt. Navigationis enim uſui alicuius adſuefacti, eundem repetere portum, cuius cognitionem ſibi pararunt, vix deſinunt.

Atque quum ſuperius de Anglicano negotio & eius difficultatibus iniectis, nec non circuitione navigationis actum ſit; non incongruum heic videtur, ſi totius Angliæ, Scotiæ & Hiberniæ portus ex diſcurſu P. H. huc introducamus perluſtrandos, ut itineris ratio ſuperius inſita hinc adeo rectius percipi queat. De reliquis ad utrumque mare Orientale & Occidentale portubus, poſtea ſimiliter agetur.

Portuum & arcium tam Angliæ, quam Scotiæ accurata Deſcriptio; Itemque Narratio de apparatibus terra marique ab Angliæ Regina contra Hiſpanicam Claſſem factis.

EA Angliæ pars, quæ Meridiem ſpectat, non fertilitate tantum, verum etiam portuum & Arcium multitudine quatuor velut angulis, quatuor Galliæ Provincias reſpicit, Flandriam ſcilicet, Normanniam, Picardiam & Britanniam Armoricam, & ulterius aliquanto Rupellam oppidum, ita ut Strabone teſte certo quodammodo Scaldis & Locris (Litis fortaſſe) nobiliſſimorum fluviorum faucibus quaſi occurrat.

Facto ergo à ſupradicta plaga & oſtio Tameſis fluvii initio, primum Vectis Inſula occurrit, Franciſci illius Draconis, famoſiſſimi piratæ, patria, piſcatoris (quod hominum genus magnam partem illius Inſulæ incolit) filius, qui maritimas Hiſpaniæ oras, immo univerſum Catholici Regis Imperium multis deprædationibus vexavit. Draconis vero nomen ipſe ſibi ſumpſit, quod eſt ſerpentum quoddam genus: unde Dünckercani inſignem navem inſtruxerunt, Doggam (id eſt, Canem) à ſe appellatam, innuentes ea ſe Draconem hunc inventuros, & forte capturos.

Inſula vero hæc in ipſis Tameſis iacet faucibus, qui fluvius Londinum regni metropolim, media ſcindit, & ſexaginta ab hinc milliaribus in mare ſe exonerat: maris vero fluxum ac refluxum ad ipſam uſque urbem vehementi cum curſu ſentit, atque ita etiam maximis navibus aditum eo uſque contra fluminis curſum ab Oceano quaſi repulſum, præbet: Introitus vero ibi periculoſus admodum eſt, ut plerumque in omnibus fluviorum oſtiis, frequentibus hinc inde brevibus & arenarum cumulis aqua opertis, ita ut ad inveniendum oſtium magna diligentia opus ſit, ac locus ipſe, ut apud Virgilium eſt, Statio male fida carinis appellari poſſit.

Sequitur inde Promontorium Lantium à veteribus appellatum, ab Oceano & Tameſi eo arenarum aggeſtum, ut terræ cohæreat. Non procul inde Stadvicum oppidum eſt, quo Belgarum naves frequentes appellunt, ut & vicinorum.

Viginti milliaribus inde adeſt Dovera, præcipua regni arx, & firmioribus quam cæterarum ulla præſidiis munita: ſub qua Venetorum & Gallorum naves, negociandi cauſſa eo profectæ, ſolitam vere habent ſtationem.

Inter duas has arces ſive oppida magna Claſſis tota æſtate ſe continere poteſt, ſpirantibus ibi ſemper aut plerumque ea anni parte Eteſiis, qui tamen cum anni partibus mutantur: neque vero è dictis iam oppidis naves ibi ſtantes offendi poſſunt, quum alto loco illa ſita ſint & machinarum ictus naves ſupervolent. In hoc littore Cæſar ſine dubio Romanorum expoſuit exercitum: ſiquidem, ut ipſe teſtatur, poſtquam Galliæ oram (ubi Caletum iam eſt) tertia noctis vigilia, id eſt, tribus ante lucem horis ſolviſſet, quarta diei hora Britanniam Inſulam tenuit, quod iter hodie pari fere temporis ſpacio confici ſolet. A Dovera enim Caletum uſque, Picardiæ portum, viginti quinque numerantur milliaria, quod ſpacium Cæſar dicit eſſe paſſuum millia triginta. Creſcit vero ibi & decreſcit aqua ſingulis horis, & omnis ventus ad traiiciendum commodus eſt, minoribus præſertim navigiis, quæ velis & remis ſunt inſtructa. Scio ego, Franciſcum I. Galliæ Regem ad prædictum locum exercitum trecentis navibus tranſportare & in terram exponere aliquando olim ſecum conſtituiſſe. Hoc terræ tractu Duni, id eſt, arenarum cumuli inſtar montium in altum tolluntur: & in Gallia quidem Angliæ littus, in Anglia vero Galliæ littus cerni poteſt, ac præſertim arenarum illi albicantes cumuli & candida ſaxa Angliæ, unde olim fortaſſis Inſula hæc Albion dicta fuit. A Dovera in meridionali plaga Richeth occurrit exiguum oppidum, portus valde incommodus, utpote in oſtio fluvii alicuius poſitus, ubi cum æſtu pleraque omnis aqua in Oceanum relabitur.

Ulterius aliquando portus & oppidum Vilihenſei conſpicitur, ac non procul inde Huſtug: nec nō Arondel portus & oppidum inter cætera Angliæ non poſtremum: Cui præeſt Arondelius Comes iuvenis magno ingenio & ſatis litteratus, quem non ita pridem Angliæ regina cuſtodia incluſit, eo quod Catholicam ſequeretur religionem, & Hiſpaniarū

Regis forſan eſſet Stipendiarius. A Dovera Adondeliam uſque inportuoſum valde eſt littus & arenarum cumulis impeditum, allabente ſcilicet æſtu: quo recedente ad unum circiter milliare littus ſeſe aperit, adeo ut refluente Oceano iis in locis quoque exercitus in terram exponi poſſit.

Inde Vectis Inſula è mari exſurgit, ad multas res admodum opportuna, eius ambitus decem circiter eſt milliarium, tota in montes attollitur: qua vero Angliam reſpicit ampliſſimum & commodum valde portum habet, Neuport dictum, & arcem tam opere quam natura ſatis munitam. Lõgius occidentem verſus ſitum eſt Albiach oppidum vallo & mœnibus undiq; cinctum. Eadem Inſula è regione Antonæ non ignobilem Angliæ portum habet oppoſitum, ubi ſinus maris ſeſe aperit, tutiſſimum navibus perfugium. Duæ ibi arces ſunt ad defenſionem valde opportunæ, una in plaga orientali Portiſmuth dicta: Altera Antor nomine occidentẽ verſus. Regio plana eſt & compeſtris. Eodem in littore ſequitur Pauli, quod vivarium ſignificat, aut lacum, vel paludem: ibique & portus & arx eſt. Inde ſinus maris ad viginti circiter milliaria in terram irrumpit, ad Leiceſtriam uſque ſive Exoniam, oppidum opulentum, ubi tuta navibus eſt ſtatio, & arx inſuper, quę tamen ob nimiam à mari diſtantiam, exſcenſionem prohibere non poteſt.

Eſt etiam iis in locis alius portus & arx, Totines nomine, itemque S. Mauritii ad duodecim milliaria in terram introrſum porrectus.

Plemuth quoque bonus portus eſt, & oppidum ſatis munitum, quo plerumque onerariæ mercatorum naves ex Hiſpania appellũt. Ultimus in hoc littore portus eſt Flamuth, cum arce non contemnenda: omnes vero iam dicti in meridionali plaga Angliæ portus ſuperiores reges præſidiis & arcibus firmarunt, ne à Gallis infenſiſſimis ipſorum hoſtibus occuparentur: id quod ipſi in Gallia fecerant Caleto, Bononia, Armorica & aliis ibi locis in poteſtatem redactis, & firmiſſimo præſidio munitis.

Inde porro ad ultimum uſque occidentis promontorium altiſſimi montes exſurgunt, qui S. Michaelis vulgo dicuntur: nec non promontorium Connabin. Et ſic in univerſo hoc littore hactenus recenſito, portus reperiuntur tredecim, arces vero ſive oppida quindecim. Ab eodem capite in occidentali plaga, qua Hiſpaniam Anglia reſpicit, duo ſunt oppida Briſtolium in fine ſinus poſitum: alterum Milfortum: quorum utrumque portum habet vel magnæ Claſſis capacem. In eadem plaga ulterius navigando, in fretũ pervenitur inter Hiberniam, Angliam & Scotiam poſitum: quod ſi Cæſari credimus, multo anguſtius eſt quam Gallicum, inter Doveram & Caletum.

Etſi vero Hibernia Inſula, tota Britannia, ſive Anglia & Scotia, ſemiſſe fere minor: quamvis autem ſeditionum ibi nunquam ſemina deſint: Angliæ tamen Regina univerſum fere maritimum tractum ſub Imperio haber, in quo valida ubique tam peditum quam equitum præſidia ſunt diſpoſita, quorum numerum ad duodecim millia eſſe perhibent, qui ipſe quoq; poſt ultimos alios motus Gregorii XIII. Papæ inſtinctu factos, auctus fuit. Primaria Inſulæ civitas, & Archiepiſcopalis ſedes Armacana eſt. Non longe inde orientem verſus adeſt Tridar. Flumini adſitum, & poſt illud, totius Inſulæ nobiliſſimum oppidum Dublinium ſequitur, ubi in Angliam traiecturi naves conſcendunt & Ceſtriam inde è regione oppoſitum Angliæ oppidum, traiiciunt. In plaga ſeptentrionali unum tantum habet oppidum ſive arcem & portum Vuocuerges dictũ. Qua vero Angliam reſpicit ſeptem ſunt arces, cum ſuo quæq; portu, ſcilicet, Dublin, Arglaij, Imbrach, Deremori, Vaterfort, Vexford, & Kinſal, qui ultimus in Auſtrali plaga ſitus eſt.

Navigatio huius freti inter Angliam & Hiberniam periculoſa admodum eſt propter fluminum concurſum, qui ex utraque Inſula tanto cum impetu in mare exonerantur, ut aqua quaſi bullire videatur, & naves eius vi quę minime volunt abripiantur.

Duo vero præcipua Angliæ ſunt oppida & portus Hiberniæ obiecti: unus Ceſtria quo Hibernos appellere ſolere ſupra dixim⁹: alter Lacaſtria, ubi olim Regum eius tractus ſedes fuit. Intermedia iacet Mona Inſula, XL. milliaria ambitu complectẽs, cum oppido, & arce Ruſſeo (forte Roſſut) dicto. E regione in Anglia ſita eſt Lartingh (forte Garteys) arx & portus: & ex adverſo in Scotia, Dumfres Gallovidiæ portus, cuius Domini nullius agnoſcunt imperium: ſed tam Anglos quam Scotos rapinis infeſtant. Ibi priſcis temporibus murum aiunt fuiſſe, ab uno maris latere ad alterum ductum, huius initium fuit in occaſum ad oſtium fluminis Salici, finis vero in plaga orientali, ad oſtium fluminis Zinan. Lõgitudo vero ſeptuaginta circiter milliarium. Hodie vero murus hic magna ſui parte dirutus eſt, ac regni terminus Tueda fluvius cenſetur, ad cuius oſtium Darvicum eſt oppidum in orientali Angliæ plaga ſitum, portum habens amplum cum validiſſimo præſidio. Non longe inde adeſt Lacra Inſula, quæ arcem habet ſcopulo impoſitam ad ripam Tuedæ fluminis. Triginta inde milliaribus Roſpurgum adeſt munitum oppidum: & paullo ſuperius non procul à capite dicti fluvii, qua per mõtes patet tranſitus, Varch Scotiæ proximum ac ſatis firmum oppidum. Legenti iam orientale Angliæ littus, primum occurrit Neucaſtle ad flumen poſitum non longe à muro illo oppidum, ad cuius muri cuſtodiam Angli præſidia habent ad Sanduicum, Safborg & Auulle, quo naves è Norvegia & aliis ſeptẽtrionalibus appellere ſolent: deinde Baſcan, Sermout, & ultimo loco Pſuich. Qui portus omnes ad magnam claſſem recipiendam ac defendendam ſatis ſunt opportuni. Hæc de Anglia.

Scotia, cuius primaria urbs Edimburgum dicitur, ea parte qua Angliæ confinis eſt duas tantum habet arces ſive munita oppida', Dumparum ſcilicet, Barvico oppoſitum: & in plaga occidentali Britannodunũ, altiſſimo mõti ab aliis quaſi auulſo impoſitam arcem agro Sterlinenſi confinem. Et ſic ſe quidem Scotiæ fines verſus Angliam habent; quantum ad munita loca attinet. Licet autem pluribus Scotiam hic deſcribere, ad ius titulo noſtro alienæ ſed illud tamen ſilentio prætereundum mihi non videtur, Regem, ſi vel maxime quæ velit conſequatur, ex univerſo regno vix centum ſcutatorum millia quotannis percipere.

Iam operę precium videtur paucis indicare, quomodo Anglorum Regina & univerſa gens ad defenſio-

ſenſionem ſeſe præpararit. Primum in omnibus arcibus præſidiariorum numerus auctus, tum ingens armorum, alimoniæ ac reliqui bellici apparatus vis convecta eſt. Ne vero hoſtis ex improviſo alibi erumpat locis editioribus per totum littus antennæ ſive oblongæ trabes collocatæ ſunt appenſis vaſis pice ac ſimili materia plenis eum in finem, ut interdiu quidem hoſtis adventus fumo, noctu vero igne ſignificari, & mature hoſti occurri aut quod in rem fuerit conſtitui poſſit.

Univerſum Angliæ regnum diviſum eſt in comitatus LI. Comitibus vero ſingulis ſuæ aſſignatæ ſunt ſtationes quocum ſuis hoſte ingruente accurrant: arma eorum ſunt arcus quos imprimis ſcite tractant, ſclopeta, ſariſſæ, gladii cum clypeis & alia id genus, quorum magnam copiam olim in arca ſive armamentario Londinenſi vidiſſe memini.

Maris ſive claſſis præfectura Carolo Havarto commiſſa eſt eique vicarius datus Franciſcus Draco, qui partem claſſis Normannorum, Britannorum & Rupellanorum concurſu valde auctæ, locis opportunis collocavit ad Inſulas ſcilicet illas quæ inter Rupellam & Angliam ſitæ ſunt, hoſtium inde conſilia obſervaturus & excenſione prohibiturus, vel ultro etiam aggreſſurus. Quia vero motus eſt, ne Hiſpani portum Milfortenſem occupent, atque inde ad Eboracum uſque (quæ poſt Londinum tam divitiis quam agri fertilitate facile primas tenet) arma proferant, atque ita partem totius regni opulentiſſimam ſibi ſubiiciant; prædictum portum validiſſimis tam navium quam militum præſidiis Regina muniri iuſſit.

In media hac planicie quæ inter Milfortum & Eboracum iacet Milort Robertus, (fortaſſe Leiceſtrium comitem innuit) Reginæ adhuc gratia florens, egregiam arcem ad militarem architecturam ædificavit & inſigni armamentario inſtruxit: Maris tamen præfectus ad Doveram ſtationem habet: quo dici vix poteſt, quantus ex Hollandia & Selandia navium & nautarum fiat concurſus.

Claſſem Anglicanam aiunt conſtare ducentis & quinquaginta quatuor navibus, è quibus viginti prægrandes ſunt, & regio plane apparatu inſtructæ: centum vero & octoginta mercatorum tam Anglorum quam aliarum nationum naves mediocribus ſunt maiores, reliquæ minores ſunt, & inter has non pauca Cataſcopia ſive ſpeculatoria navigia, ut Cæſar appellat.

Quamvis autẽ in oppugnanda Anglia non paucæ ſe obiiciant difficultates, illa inprimis, ne ſi vel maxime Hiſpani ſatis virium habeant tam ad committendum cum hoſte in mare prælium, quam ad exponendum in terram militem, Angli tamen pugnam eo uſque detractent dum Hiſpani in terram diſcenderint ac tum demum claſſem adoriantur, unde non levia naſci poſſent incommoda & pericula: pro certo tamẽ habetur è binis Claſſibus quas Rex Catholicus inſtructas habet, unam quamque ſatis validam eſſe ad univerſam hoſtium claſſem profligandam, ita ut exercitum in terram exponere & hoſtiles conatus facile poſſit reprimere.

Neque vero Anglicæ Nobilitati & in univerſum iis qui Catholicam ibi ſequuntur religionem magnopere fidendum, ut multum in eis ſpei ponendum arbitrer: ut qui adverſus externos non valde bene ſint animati, tum in armis parum exercitati, & triginta annorum pace omnino fere enervati. Nihilominus alia ratione expeditionis huius ſucceſſus plurimum iuvari poterit, ſi videlicet per Scotiam in Angliam fiat invaſio. Nam ſi Scotiæ Rex Hiſpanos claſſem in portũ aliquem, ut Letham, Dumbarum, vel alium hanc ad rem opportunum ſubducere patiatur, atque etiam arma cum eis coniungat, certum eſt facilem Angliæ fore occupationem.

Hinc tamen non levia occurrunt impedimenta: primum eſt, itineris ſive viæ longitudo, quum tota Hibernia, & quidem per procelloſum illum Borealem Oceanum circum naviganda ſit, quod ſpacium ad Hebrides uſque Inſulas, pluſquam octingenta milliaria complectitur, ad plagam ſcilicet uſque Scotiæ occidentalem.

Si quis vero claſſem in plaga eius orientali ſubducendam ducit, is altero tanto longius iter faciet, certum inſuper eſt, tantam ibi marini æſtus, præſertim nova & plena Luna, vim eſſe, vt vel ſecundo vẽto ſuperari vix poſſit. Etſi exercitus in terram expoſitus & claſſis in tutum locum ſubducta fuerit: nihilominus tamen iter per loca aſpera & ſalebroſa ac montibus impedita faciundum erit & annonæ defectus metuendus.

Angli præterea ad Tuedam fluvium procul dubio hoſti ſeſe obiiciẽt. Cuius illi ripam tribus, ut ſupra diximus, munitam habent præſidiis, præter antiquum illum murum, ubi facile illis fuerit è locis ſuperioribus hoſtem omni telorum genere impetere & extremum agmen, ut Cæſar loquitur, male habere.

Etſi vero hæc omnia non parvi ſunt momenti: ego nihilominus felicem huius expeditionis ſucceſſum à Deo ſperandum eſſe iudico, ut quæ pro Religione aliaſque iuſtiſſimas ob cauſſas ſuſcipiatur: & quidem iis viribus quantas in binis tam validis Claſſibus eſſe par eſt: tum ab eo Imperatore qui experientia rei militaris tam mari quam terra, prudentia, fortitudine, ac felicitate vix ullum hodie parem habet, Duce ſcilicet Parmenſi, & quidem feliciſſimis Sixti V. Papæ, principis optimi auſpiciis.

Hactenus hæc pro explicatione huius loci dicta ſunto.

INDEX

Digitized by Google

INDEX EORUM,

Quæ in quinta parte hucusque continentur.

DE fœderis Hanseatici apud Anglos usu, origine & historia summaria, Italici Politici Iudicium, à Phil. H. consignatum; In quo etiam insignis huius fœderis usus meritis recommendatur laudibus ad exteros. 101.

De iis, quæ Liga Hanseatica protectionem ambierunt, ex Italico translatus Discursus; ac de aliis quibusdam ad eius laudem pertinentibus. 105.

Relatio de Controversia inter Civitates Hanseaticas & Angliæ Reginam; nec non pauca, de Novogardica Commerciorum turbatione inter nos & Muscovitam. 106.

Refutatio eorum, qui ignorarunt, ex quibus regionibus provenerint frumenta, quibus in suis tribus penuria annis Italiæ antehac subventum sit; Item, quæ & quales sint terræ Osterlingane, ac quid arcani fœdus, aut Liga Hanseatica potissimum sibi inclusum foveat, præsertim apud Dantiscanos. 111

Extractum ex Protocollo Itineris Hispanici Dnn. Legatorum Hanseaticorum, Anno 1607. 114.

Portuum & arcium tam Angliæ, quam Scotiæ accurata Descriptio; Itemque Narratio de apparatibus terra marique ab Angliæ Regina contra Hispanicam Classem factis. 139.

Digitized by Google

JOANNIS ANGELII
A
WERDENHAGEN
J. C. C.
In

RESPUBLICAS HANSEATICAS

Pars Sexta:

DE NECESSARIA UTILITATE ET
usu eius Fœderis commodißimo agens.

FRANCOFURTI,
Apud MATTHÆUM MERIANUM.

Anno M. DC. XLI.

INTER INCLUTAS HANSEATICAS

Civitates præ reliquis eminentissimæ Reipublicæ

BREMENSIS, HAMBURGENSIS, & DANTISCANÆ

Dnnn. Consulibus, Proconsulibus, Syndicis, Senatoribus, Camerarijs, Prætoribus & Scabinis;

Dnnn. undiquaque suis observandissimis & colendissimis

S. P. C. P.

JOHAN-ANGELIUS à WERDENHAGEN J. C. C.

MAgnifici, Nobilissimi, Amplissimi, Consultissimi, Prudentiæque omnis Clarissimi Viri, ac Dnnn. semper unice æstimandi, Amici colendissimi; Quam fœderis Hanseatici incluta Historia, ob eius perantiquam; & diversam relationem in actis suis dissectim habeatur, id facile ex hucusque inductis colligi, & dispici potest, ut res tam ardua mihi non exigui constiterit laboris, quod quivis intelligens, qui æquanimitatem saltem huius lectioni attulerit, ex superius inductis satis percipere potest. Etenim quum hæc non ex uno loco mihi conquirenda, sed plurium Civitatum principales in iisdem consulendi fuerint, non tamen semper ea obtinere potui, quæ ad illustrationem debitam tam nobilissimi fœderis facerent. Ipse quidem sæpius per aliquot annos huisce negotiis interfui; sed præsentia quum saltem curarentur, vix antiquorum tangebatur memoria. Quamplurimi etiam inter amicos meos singulares egregie confessi sunt, quod quidem eorum Civitates in rebus Hanseaticis promovendis, pro bono publico in commerciis conservando, admodum sedulæ semper extiterint, seseque in casibus necessitatis animosas satis præstiterint, non autem in iisdem continue describendis, aut in Archivum recondendis valde curiosæ fuerint; præsertim quum etiam sæpius factum sit, ut illi plurima neglexerint, in firmiori conservatione; ad quos inde non debitum precium pervenerit, quod oportebat: Namque non omnes boni publici ita sunt amantes; ut cum incommodo; aut damno aliquo, vel etiam temporis iactura quid in eo subire velint, quod non singularis lucri spem illis concitet, vel etiam aliquam ex Republ. iisdem gratiam reponat. Velut quoque exinde natum est illud proverbium: quod qui communitati serviat, sæpissime semetipsum deserat; aut in recompensatione desertum undique se inveniat: cuius locutio Germanis nostris usitata hæc est:

Wer da dienet einer Gemein/
Bleibt gar offte sitzen allein.

Quippe quum hoc mortalibus malum penitus innatum sit, ut ex amore sui ipsius se sibi proximum statuant, & quisque sibi suus ipse sit Deus, qua Idololatria pessima in sacra scriptura toties, etiam ipsius Decalogi primo præcepto hostiliter opposita, & summe contraria est, ut vix inde in debita beneficentia, & liberalitate ad proximum suum quis ex se progrediatur; fit quoque ut propterea negligentius tractentur ea, quæ observatu sæpius posterorum causa erant dignissima & maxime proficua: quum tamen publica semper primario in scopo principali ab omnibus bonis, præsertim iis, qui clavo Reipubl. præsident, intendi debeant præ cunctis aliis rebus. Si enim saluti huic, quæ omni popu-

lo,& ſingulis membris proſit,recte conſulatur;omnibus certe,& ſingulis inde ſua procuratur beatitudo. Verum dum cuncta inverſo modo ſuſcipiuntur,& quiſque potius ſuum, quam proximi commodum reſpicit, exinde non ſaltem diſtractio animorum paſſim prę-valet,ſed etiam quęlibet in tam horrendam confuſionem abeunt,ut nuſpiam ferme fides debita apud corda mortalium inveniatur amplius. Annon ſic diſſolute undiquaque in feritate plena,& crudelitate vivitur ſumma, ut ipſis beluis deteriores, fævioreſque appareant homines? Qui recte cenſere velit actiones hominum ad normam conſcientiæ ſacræ, profecto non quibit aliter ſentire ſecum, aut iudicare, quam quod ſub forma humana ita fremendo,& imprudentiſſime furendo ipſe Diabolus tumultuetur. Et tamen quis eſt inter omnes, qui non in tam peſſimis, & nefariis factis, actionibuſve ſeſe optimum pronunciare ſtudeat,aut pronunciandum velit. Quæ cauſſa?

Superius quidem aliquo uſque in fundamento eam tetigi; ſed hoc longe deterrimum eſt,quod ſingulos in tam turpiſſimam ſuæ ignorantiæ proterviam, atque omnes in confuſionem horribiliſſimam abripit,quum nemo talium quid pietatis ſolidæ, ac ne micam quidem in corde prope gerat. Imo ludibrio ea potius habetur plerumque, quam ſi quid de ea actionibus politicis ſit ſubmiſcendum. Adeo totaliter in principijs vitæ humanæ,& conſociationis eius amorem Dei,& proximi eiuraſſe obſtinatiores penitus videntur. Unde igitur pietati ullus exoriatur locus, ſi ne id quidem ad ſe admittere velint hi uſpiam mortales,per quod porta ad felicioris viæ ingreſſum cuivis patet? Interim hoc veriſſimum manet,quod actiones hominum etiã in externis quibuſvis abſq; pietate vera nihil niſi execrabilitates meras generent coram oculis Dei. Etenim ſummus Iehova ima cordis penetralia introſpicit,& perſcrutando examinat, ut inde quemque in ſuis judicet negotijs,num falſitatis quid ſubſit. Nec quiſquã heic Dei ſe ſubducet vindictę, ſive ſummus ſit,ſive imus. Quippe non tantum apud Deum nullus eſt perſonarũ reſpectus,quotquot ex Adamo ſunt nativitate ęquali in hunc mundum producti;ſed etiam ille unicuiq; recompenſat in præmio debito, ut id quis promeruit, quod nemo ſibi perſuaſum aliter habebit,ſit cuiuſcunque conditionis,& dignitatis, potentiæve velit: Omnia facta cuiq; pro merito reponuntur ubertim; malis mala,bonis bona,ut Pſal. Regius id Pſal.62.v.ult. recte monendo comprobat, quando ita dicit: Semel locutus eſt Deus: duo hæc audivi, quod poteſtas Deo ſit & tibi Domine miſericordia: & quod tu reddas unicuique iuxta opera ſua. Irritum ſane hoc nunquam fieri poterit,quum unicuique gratiam referat pro eo,ac quiſq; ſe gerat. Nam bonis ampliſſima præmia perſolvit, nocentibus ſupplicia debita conſtituit, ait heic M. Ant. Flaminius.

Errare quidem humanum eſt, ſed nolle cum Deo per pœnitentiam cordis ſeriam in gratiam redire,id ultimum cuique addit ſupplicium. Ideoque eſt nemo mortalitũ, qui impune ſe quid ablaturum ſibi præſumat. Iuſtus enim eſt vindex Deus in omnibus, cui nemo ſe ſubducet,ſub quacunq; ſpecie id conetur. Ideoque potius huic incumbendum eſſet omnibus operi principaliter, ut quiſq; ante omnia pietati veræ in vita hac ſtuderet, & ſic actiones omnes ad dilectionem Dei,& proximi confirmaret, minus quid eſſet diſtractionis, minus crudelitatis,minuſq; confuſionis,& belli: ſed beatiores florerent Reſpubl. in ſua ſalute. Velut autem amor ſui ipſius omnia diſſolvit, quę ad mutuam charitatem propagandam,& fovendam faciunt; ita quoq; maxime peſſimis his utitur miniſtris, qui arrogantiam & avaritiam interſerant, quibus animi diriſſime venenentur. In primis ſi quem avaritia flagellat inſolentius, illi nec pium,nec iuſtum,nec amicum, nec honeſtum quid eſt,quod non ex auro,aut argento ſibi in appetitu ſpurciſſimo ſplendeat.

Inde quoque fit ut in talibus meræ extremitates impudentiæ inveniantur, & exempla improbitatis omnis ubertim ſuccreſcant, nec ullus amplius locus & veritati, & virtuti apud pueros relinquatur; ſed omnia in levitates,& ſecuritates quaſvis convertãtur. Etenim quid heic vitii non diſcant iuniores à ſenioribus,ſubditi à Magiſtratibus, aut ſervi à dominis, ubi omnia eiuſmodi complentur ſcandalis pleniſſime? Num quoque vel ibi quid iuſti, aut æquitatis in conſcientiis reperiatur hominum,ubi nil niſi æs, & argentum menſurat omnia? ſola quidem virtus imperare meretur, ait Ethnicus; Aſt quam longe hoc à Chriſtianitate noſtra receſſit hodie,ubi nil non pretio ſuę mercis æſtimatur, & ius in quæſtu pro meretrice apertiſſime ferme ſedet: Sic

Diſſimiles mores tempora noſtra gerunt: dum
Prævalet æs arti, ſed non ars amplius ęri.

Ut gra-

Ut gratia, favor, neceſſitudo & virtus cum honore omni in hoc unicum deponatur, quod argenti amor cuique dictitat. Ecce igitur qualis huic ſeculo pietas ſuperſit, quum amor iſte ſpurcus omnia ſecum trahat, & faſcinatiſſimos teneat hominũ animos. Maxime autem officiunt in Republ. & peſtes eius ferme ſunt, ſi tales gubernaculo forte adſideant, tunc nunquam non quidvis in ſuum abripiunt commodum, qui vix æſtimio aliquo cenſent, aut virtutes, aut merita, aut aliorum adverſitates, quando ſolum in eo favore ambiri ſatagunt, ubi promotio cuncta iuris, & honoris ex corruptelis ſumitur, & loculos auro diſtendit. Quippe an non ſic omnis pietatis, & virtutis cultura penitus in cordibus hominum extinguatur, & ulterius in beſtialem feritatem prolabantur ij, qui reſipiſcentiæ quid animitus expectant & meliorem naturæ ductum exoptant? Pietati & virtuti ſua ſemper præmia ſunt conſtituenda in honeſta Republ. & unice hoc curandum, ut quilibet à teneris uſque in huius ſtudii appetitu eo flammantius educetur. Sic optimos cives gigni, & Magiſtratum cum ſubditis in mutuo amore eo rectius vivere, atq; Rempo eo felicius in firmitudine ſua florere, quis dubitare valet? Imo & ipſa honeſtas Reip. ex nullo alio indicio rectius agnoſci, & diiudicari valet.

Etenim, ait Seneca, unum & inexpugnabile munimentum, eſt amor. Sed amor iſte ſit verus, non fucatus, potiſſimum in pietate radicatus, nihil tunc mali exinde profluere poterit, quod facile ſubverſionem inducat. Imo omnes ita erunt publicæ ſalutis cupidi in unitate ſtudij, ut nemo non id expetere velit, quod publice prodeſſe queat. Quis non in tali conſociatione bonorum gaudeat, & exultet maxime? An non & ibidem ſolida conſpiret conjunctio? An non & Deus ipſe ibi benedictionem commerciis ſuam adijciat cunctis? Hinc eſt, quod David ait, Pſal. 127. Ecce ſuis amicis largitur dona ſua quaſi in ſomno. Quippe alias fruſtra eſt, quod mane primo ſurgatis, & in noctẽ vigiletis multam, atque in dolore panem veſtrum conſumatis. Sic quoque honorem ſuum debitum iuſte merentur, tum apud Deum, ac apud homines, qui Rebuſpubl. præſunt, ut etiam eius patres rite vocentur: ubi & inprimis eorum cura, & bene conſtituti ſalarij potiſſimum haberi debet, qui, uti à principio dixi, huic rei incumbunt, ut in publicis Archivis bene connotentur maiorum acta, & facta, quod ſæpius non ſine damno publico adeo ſupine negligitur. Sic quod ad Hiſtoriam nobiliſſimæ Hanſæ noſtræ pertinet, multo rectius ea à me conſcribi potuiſſet, niſi tot difficultates mihi ex eo, quem præcipuum indigitavi, defectu obiectæ fuiſſent. Quum primum huic intentioni animum adplicarẽ, inveni certe materiam, qua vix digniorem in actionibus humanis communis commercij cauſa cenſere poteram: Idcirco quo magis eam diſpicere incipiebam, eo ardentius incitabar ad eam deſcribendam, præſertim cum tot labores, & pericula ſumma maiorum cernerem, quos communi conſervationi huius ſalutiferæ rei non ſine ingentibus ſumptibus perpetim impenderant, ut grates ſummæ ipſis potius ſint agendæ omnibus poſteris horum, quam quod memoria talium debet quaſi ſepulta apud nos haberi. Etenim cõmunis commercij utilitas ea eſt, ut non tantum iſtis ipſis civitatibus, quæ in tam nobili conſociatione vivunt, ſuas creet divitias, & rectius vivendi ſuppeditationes; ſed etiam longiſſime diſſitæ provinciæ, regna, Imperia & terræ cum incolis ſuis ſuſtentationes ſuas inde habeant, ut vel unicum hoc ſtimulo poſſit eſſe omnibus, ne fœderis huius nobilis vigorem utiliſſimum inter ſe membra tot dilectiſſima deſerant; ſed quam citiſſime reſarcire ſtudeant.

Ideoque hæc potiſſima ſimul meæ ſcriptionis cauſſa fuit, quod tam cupidus communis commercij hanc hiſtoriam, quam parva quoque eius cognitio mihi data fuit, connotare laboraverim. Maximum autem mihi in hoc conatu experientia tulit ſubſidium, ut praxis mihi multa ad manus dictarit, quæ alias non fuiſſem adſecutus, licet Archivum Magdeburgenſe præ alijs plæriſque invenerim in talibus ſatis inſtructũ, quæ nunc proh dolor ex incendio illo exitioſo periere cuncta; At locus principalis Directorij ſin ula plene adhuc continet, quum ſemper fideles obſervatores, & adverſatores ſuos habuerit: ſed quum nonnihil curioſos animadverterem in pluribus, nolui apud illos ſollicitatorẽ agere importuniorem. Quicquid tamen iſtud eſt laboris, non minus gratum puto omnibus, qui mecum tam ſumme gratioſam communis commercij materiam, iuxta bene meritum tot, tantarumque Civitatum Hanſæ nobiliſſimæ, amabiliter reputaturi ſunt, quã etiam ipſa eius membra acceptum ſatis amanter expertus ſum. Oſores huius autem fœderis, & calumniatores meos in ſuis relinquo maledicentiæ ſordibus, in quibus ſibi conſeneſcant, & moriantur, ſi reſipiſcere nolint.

Quod autem vobis, Viri Magnifici, & in generoſitate prudentiſſima unice æſtimandi, hanc ultimam partem de uſu, & utilitate fœderis veſtri ſingulariter inſcribere, & dedicare voluerim, quam plurimas habeo rationes, vobiſque rectius cognitas, quam ut longis ambagibus eas deſcribere heic opus ſit. Unica igitur pro omnibus hac vice ſuffi-ciat, quæ ex intentione mei ſtudii erga commune commercium ſatis clara eſt. Civitatibus enim ſi in hoc bene eſt, certe & cuiuſque individui ſalus in eodem externa haud obſcure viget, qui modo ſibi ipſi in ſocordia ſua nolit eſſe inſidioſiſſimus hoſtis. Hanc beno vivendi rationem dum omni opere laudabiliter apud veſtros excolitis, & fovetis cives, nec minus accuratiſſimam adhibetis vigilantiam non ſine exquiſita prudentiæ proſpectione; ne uſpiam quid damni publici huic inferatur commerciorum curſui; merito id laudis præ reliquis in vos, & veſtras Reſpub. hacce inſcriptione, & dedicatione teſtatum facere volui, ſimul id petendo, ne quid ſequius in hoc opere ſuſcipiatur, quam quod ad obſervantiam debitam erga Civitates veſtras, & earum negotiationes, & illuſtrationem totius fœderis Hanſeatici, longe utiliſſimi faciat; velut nec quidquam alio animo à me ſcriptum, ab aliiſque acceptum volo. Quapropter, vos, Magnifici, Nobiliſſimi, Clariſſimique Viri, ac Dnnn. undiquaque colendiſſimi, rogo, ne ingrata vobis hæc mea devotio accidat, ſed veſtris Rebuſpub. me recommendatiſſimum, & voti mei non inviti me compotem faciatis, quibus ſimul omnes vitæ & fortunæ felicitates ex animo comprecor. Dat. Lubec. 1. Auguſt. nempe ipſo natalis mei die, quo 61. ætatis meæ annum ingredior. Anno M. D C. XLI.

DE

DE

CIVITATUM HANSEATICARUM

Antiquo & Nobiliſsimo Fœdere

TRACTATUS SEXTUS:

De uſu & utilitate eius univerſali in defenſione mutua, commerciorum comportatione & navigatione, agens.

HActenus actum eſt ſatis diffuſe, & luculenter, de fœderis Hanſeatici origine, & conſtitutione, ac vigore laudabili. Velut igitur intentio principalis omnium Civitatũ harum fuit, ut commercia in libero curſu, qui iis quoque debite ex naturæ dictamine competit, conſervari poſſent, res non fuit ſine defenſione, nec ſine protectione iuſta eſſe valuit. Et enim non ſufficit, mercimonia contrahere ad certum locum, ſed ipſa neceſſitas hoc requirit, ut ſint aliæ civitates, quæ ex locis emporiorum ea avehant, & in circumiacentes regiones, aut terras vicinas diſtribuant. Quam ſeduli autem, præſertim Saxoniæ Civitates in hac opera navanda fuerint, ſatis diffuſe in ſuperioribus partibus per aliquot vices enarratum eſt. Et licet commerciorum utilitas tam dives ſit, ut in omnes profluat mortales, utpote ſine quorum communicatione nec quis privatus, aut ruſticus commode, aut beate vivere queat; tamẽ ſemper ſuos habuit hæc res tam neceſſaria perſecutores, & inviſores: Unde tot exortæ ſunt deprædationes præſertim nobilium, etiam bella ſæpius principum, ſi forte vectigalia fuerunt nova excitata, conficta, & paſſim exaucta. Sic occaſionem etiam in ſuperioribus annis talem Brunſvicenſibus eſſe obiectam, iam ante aliquoties dictum eſt. Etenim quum Dux Henricus Iulius Brunſv. & Lunæb. forte in ea diſputatione cum civitate illa ab antiquo verſaretur, quæ eorum privilegia, & immunitates concerneret, ac interim de plumbi vectigali, quod mercator quidam Hamburg. à Principe coemerat, & libertatem ſibi mercator ſub Principis nomine eam vendicaret, ne in tranſportatione quid vectigalis Civitati huic ſolveret, exorta eſt inde An. 1597. gravis materia diſceptandi, adeo, ut etiam in apertum ſe exeruerit in ſequentibus annis bellum. Ex communi igitur fœdere Hanſæ, quum cauſſa putaretur omnes concernens, in publicis conventibus hac de re apud Civitates agi cæpit, velut & Brunſvicenſes opem, auxilium, conſiliumque earum indeſinentibus querelis implorarunt. Amicabilis quidem compoſitio toties tentata fuit: miſſi ſunt ſæpius legati, qui ſe interponerent; ſed audiri nunquam ſatis potuerunt, quin aliora audire cogerentur toties: Donec res in factum erumpere cœpit. Civitates igitur Hanſæ quum hanc principalem ſui quartirii iuquere haud valerent, ſuppetias illi omnes contra invaſiones, & oppugnationes variis tulerunt modis: Quod ita vehementer offendit principem, ut non tantum id vindicare armis cuperet; ſed etiam earum confœderationem ſcriptis aliquot aculeatis exagitare curaret; velut inprimis emittebatur libellus, qui flabellum muſcarum indigitaretur. Diu quidem diſſimularunt hanc punctionem Civitates, & prorſus ſilentio rem comprimendam putabant, velut in multis ipſarum vidi, & deprehendi modeſtiam, quod non facile in tali genere potentioribus ſe ſubmiſcere cupiant; uti quoque ſæpius olim earum conſiliis interfui. Quum vero toties laceſſerentur convitiis, & ſtatus Hanſeatici fœderis perquam duriter concuteretur, tandem in conventu Hanſæ An. 1608. concluſum, & earum Syndico D. Ioban. Domanno hoc laboris impoſitum eſt, ut nomine Civitatum omnium defenſionem iuſtam tot iniquitatibus paſſim ſparſis opponeret, quæ publice prælecta, & approbata ita fuit, ut An. 1609. in menſe Aprili typis mandaretur. Ea autem quum res perquam memorabiles in uſu communi contineat, merito eandem heic primo loco introducemus, uti de verbo ad verbum ſonat. Titulus igitur eſt.

Unitarum Teutonicarum Hanſæ Civitatũ brevis neceſſariæ defenſionis reſponſio cum annexa proteſtatione contra nõnulla nuper ſparſa ſcripta, in quibus perquam antiquum fœdus Hanſeaticum pro illegitima Liga, factione, & conſpiratione, &c. male allegatur, & proclamatur: Cum gratia, & privilegio impreſſa in Imperiali libera & Hanſæ Civitate Lubecca per Iohan. VVitten Anno 1609.

Nos Conſules, & ſenatus Unitarum Hanſæ Civitatum, hiſce unicuique, una cum noſtra decenti officiorum oblatione & ſalutatione, notum facimus: Etiamſi memoria ea non ſuccurrit nobis, quod uſpiam ulli mortalium ad malam affectionem, aut adverſitatem, ut taceamus, ad inimicitiam, & indecentem perſtrictionem noſtri antiquiſſimi fœderis Hanſeatici, eiuſdemque ſtatus, cauſſam exhibuerimus;

mus; multo minus ab originali uſque principio noſtri Collegii (quod nunc ex Dei auxilio in 400. annos in bona conſtitutione viguit) unquam nos ullis inconvenientibus, & minus competentibus cauſſis, nedum prohibitis conſpirationibus, factionibus, aut motibus incubuerimus; ſed in terminis inculpabilis, utilis & ſalutaris confœderationis, omni tempore conſervaverimus, ita ut uſque in hanc horam nec Romani Cæſares & Reges, nec uſpiam quis intra, aut extra Imperium habitans poteſtas, princeps, vel ſtatus iuſte & cum fundamento contra nos quid prætendere potuerit; quod tamen nos & magis magiſque deprehenderimus, quomodo aliqui incogitantes, qui ante omnia, priuſquam ipſi de tot honoratis Civitatibus libros conſcriberent, ſufficientem informationem acquirere ſibi deberent; partim quoque vanitati addicti ſcribentes, qui ſuo conatu ſingulares gratias, & lucra adſequi ſperant, contra verbum Dei, communia conſcripta iura, præſertim S. Imp. Conſtitutiones & decreta, auſi ſunt, de prædicto noſtro fœdere, male fundata, atque calumnioſa verba diſſeminare, idemque pro inhibita conſpiratione, & contoriſione proclamare. Unde etiam duo Imperii principes ſe moveri paſſi ſunt, & ex præconcepta antehac contra præcipuas Civitates noſtri medii indignantia hanc noſtram ſocietatem, & eius conventus, præſertim quicquid in iis pro neceſſaria defenſionis adſtipulatione conſultatur, in publicis proclamatis de 12. Sept. & 14. Octobr. præteriti An. 1608. inconvenienter, & perquam acriter perſtringere, quaſi nos abſque neceſſitate, & iuſtis cauſſis, ad varias periculoſas turbas, ſeditiones, & diſtractiones, etiam alias turbulentas factioſas impetitiones, indecentium condemnabilium votorũ, fœderum & conſpirationum inclinando nobis vendicaremus, ut etiam noſtra ſocietas pro coniuratione, concurſu, Liga, novationis conficto voto, conventiculo, & nos pro conſpirantibus, & eiuſmodi hominibus diffamemur, qui inſuetos, minus neceſſarios, & periculoſos tractatus, complectiones, & complicationes exercerent, & concluderent, etiam contra Rom. Cæſ. Maj. noſtri omnium clementiſſimi Domini, tanquam præpoſiti capitis S. R. Imper. & ſummi Magiſtratus authoritatem, & ſuperioritatem, auream Bullam, Imperii & circulorum conſtitutiones, quoque Executionis ordinationem, prætereaque contra circulum infer. Saxoniæ, eiuſque electum ſummum præfectum, & adiunctum, in præcipuum deſpectum eorum, præiudicium, & contemptum, diſtractionem communis tranquillitatis, & principaliter periculoſam ſeditionem, & obſtinaciam ſubditorum contra ſuos ordinarium Magiſtratum, turbationem & concuſſionem damnoſam vicinorum, ſingulares militiæ præfectos, alioſque officiarios conſtituiſſemus, & recepiſſemus.

Iam quidem nos ex neceſſitate non eſſe, veluti quoque nobis non propoſuimus, propterea cum talibus ob ſtatum noſtri perantiqui, honeſti, integri, Deo & univerſo modo cognitiſſimi, celeberrimique Collegii, in ullam diſputationem deſcendere, atque nos ad hoc obligatos agnoſcimus, noſtris invidis de neceſſitate noſtrorum conventuum, & de eo, quid in iis tractetur, rationem reddere. Ut autem tamen eiuſmodi contumelioſæ impoſitiones non irrefutatæ maneant, nec propterea quiſpiam in ſuſpicionem ullam malam deducatur, conteſtamur his aperte, quod nos quidem non lateat, quomodo tam prędicta Cæſarea Aurea Bulla Caroli 4. ſub An. 1356. erecta, quam communiter conſcripta iura omnes malitioſas illegitimas coniunctiones, & congregationes, uti verba ſonant, ſub pœna omnium Cæſareorum privilegiorum, & aliarum in his conſtitutarum pœnarum, repudient, condemnent, & annullent.

Certi vero ſumus, quod nos nullus mortalium cum fundamento veritatis in hoc convincere aut quid probare queat, nos eiuſmodi malignas indecentes confœderationes inter nos colere & obſervare. Sed eſt noſtrum collegium pridem ante & poſt Auream Bullam ſumme prædicti Cęſ. Caroli 4. (qui etiam, uti alii plures ſcriptores atteſtantur, in ſpecie id confirmavit, & corroboravit) à Rom. Cæſaribus & Regibus, etiam Electoribus, principibus & ſtatibus Rom. Imp. imo ferme ab omnibus, & ſingulis poteſtatibus, Regibus, Proceribus & Rebuspubl. totius Chriſtianitatis, præſertim Hiſpaniæ, Galliæ, Angliæ, Schotlandiæ, Daniæ, Norvagiæ, Sueciæ, Poloniæ, à Ducibus Magnis Muſcoviæ & Florentiæ, inclute ſereniſſima Domo Auſtriaca, & Burgundica, etiam à Dominatu Venetiano, & Genuenſi, &c. pro honorifica, ſpectabili, utili ac laudabili cõiunctione æſtimatum, & habitum, etiam à maxima eorum parte conſpicuis immunitatibus, privilegiis & libertatibus donatum, & honoratum eſt. Imo Rom. Cæſares, noſtri omnium Clementiſſimi Domini, ſemper continue cum fervore ſummo huicincubuerunt, & omni cura id peregerunt, ne noſtrum fœdus diſtraheretur, aut imminueretur, ſed in tali incorporatione, & omnium membrorum coadunitione totaliter perfectum permanere poſſet: veluti in hunc finem ſumme prædictus Cæſ. Carolus 4. An. 1377. Civitati Brunſvicenſi, quum eo temporis ex noſtro collegio excluſa, & ſeparata eſſet, tale patrocinium præſtitit, ut tandem cum Hanſa in gratiam redierit, & in priſtinum ſtatum reſtituta ſit. Simili modo Hiſtorici, Albertus Crantzius, aliique plures cum circumſtantiis id referre noſcunt, quomodo Cæſ. Friderici 3. (potius 4.) tempore libera Imperii, & noſtri fœderis Hanſeatici principalis quartiri Civitas Colonienſis, per aliquod ſpacium ex eo excluſa fuerit, ac quum in eius reſtitutione multæ difficultates exiſtere exiſſent, ſumme prædicta Cæſ. Maj. una cum illius temporis regente Archiepiſcopo & Elect. Colon. Anno 1475. Collegium Hanſeaticum pro receptione dictæ excluſæ civitatis in litteris ſollicitarit, & promoverit.

Similiter quum Anno 1561. inter noſtrum Collegium, & Civit. Bremenſem differentia intercidiſſet, & nos illi, eiuſque civibus ſubditis, & adhærentibus in omnibus noſtris, & noſtrorum Civitatibus commercia inhibuiſſemus, eoſque poſtea plane diſmembraſſemus, olim itidem Cæſ. Ferdinandus in proxime ſequenti Anno 1563. velut nec minus Cæſ. Maximilianus uterque ſumme laudatiſſimæ mem. An. 1565. Bremenſium reſtitutioni clementiſſime incubuerunt. Atque quum in ſequenti 1566. An. ſumme prædicto Cæſari Maximiliano 2. forte relatum eſſet, quod inter nos Civitates Hanſeaticas diſſenſio, & periculum diſtractionis eſſet exortum, E. Cæſ. Maj. quæ velut iuxta ſingularem prudentiam ſuam id cõ-

ſideret,

ſiderarant, quale indi[illegible]mnum, præiudicium & detrimentum bono publico enaſci poſſet, pro conteſtatione clementiſſimæ affectionis, quam erga Collegium noſtrum conceperat, & firmiter impreſſam tibi fovebat, clementiſſimas ad Collegium noſtrum tranſmiſit, quibus eius membra cuncta ad propagationem conſtantis unionis, & confidentiam plane paterno modo admonuit, nec non ad omnem promotionem eius ſe clementiſſime obſtrinxit: In quē effectum etiam S. Imp. Civitates, quæ eodem anno &c. Auguſtæ Vind. in Comitijs convenerant, Civitatis Lubeccenſis Syndico Credentiales tradiderūt, eius tenoris, ut ille ipſarum nomine Civitates Hanſæ ad mutuum correſpondentiæ bonæ vinculum, & unanimitatem adhortaretur.

Etiam ſæpius præcipui principes, & ſtatus S. Imp. partim per ſe, & pro ſuis terris, ac provinciarum ſubditis in communi, partim pro Civitatibus ſuis correſpondentiam, & coniunctionem cum noſtro collegio ſollicitarunt, & acceptarunt. Veluti olim Dux Ericus Brunſv. & Lunæb. propter aliquot E. Celſ. ſubiectos, & ad noſtram Hanſeaticam ſocietatem pertinentes Civitates, Legationem aliquam ad Hāſam Anno 1566. miſit, & per hoc ſtuduit, ut E. Celſ. ſubiecti ad perfectam perceptionem Hanſeaticorum privilegiorum admitterentur, ac in iis præ aliis non abbreviari valerent. Poſtea autem Anno 1572. quondam Dux Iulius Brunſv. & Lunæb. à quartirio noſtri fœderis, nempeque à Lubeccanis, & Civitate Dantiſcana id petiit, cum E. Celſ. fœdus & Correſpondentiam inire.

Ac in An. 1579. Comes Ethardus Oſtfrieſlandię, &c. apud collegium noſtrum per legatos ſollicitari curavit, ut civitas Embdana una in ſocietatem noſtram reciperetur, & eidem civitati concederetur, Hanſeaticos ad conventus ſingulis vicibus viſitandum, atque quid in iis concluderetur abſque relatione, & E. Gr. conſenſu ad approbandum, & exequendum. Veluti & in recenti memoria hoc eſt, imo in Imperio & mundo notorium, quam paternam iam adhuc regens Cæſ. Maj. noſter clementiſſimus Dn. curam noſtri Collegij geſſerint, in quo non tantum noſtras contra Anglicanos inductas querelas clementiſſime audierit, & in conſultationem comitialis conventus Imperij, ſed etiam eo uſque promoverit, ut pro refutatione noſtrorum in Regno Angliæ obtentorum, à 14. Regibus confirmatorum privilegiorum, & immunitatum, de facto autē violatarum, & ereptarum navium, & bonorum, & abrogatione monopoliticarum negotiationum Anno 1597. die Lunæ 1. Aug. in aperto Cæſar. Edicto, per Imperium publicato, in quo Anglicani Adventurij ex Imperio excluſi, & eiecti fuerint. In quo res non ſubſtitit; ſed quum Adventurij ad ſuam innocentiā provocarent, unaque ad amicabilem compoſitionem ſe offerrent, per quod Executio dicti edicti nō parum retardata fuit, E. Cæſ. Maj. An. 1603. inter quondam Reginam Angliæ Eliſabetham, &c. & Hanſeaticas Civitates in Civitate Bremenſi amicabilem compoſitionem inſtituit, & ſpectabiles Cōmiſſarios ex præcipuis ſtatibus Imperii, & eius Imp. Aul. Conſiliarios clementiſſime adornavit, & efficaciter tractari curavit, donec prędicta Regina pendente tractatu diem ſuum obierit, atque tractatus propterea tunc in ſuſpenſum inciderint.

Si etiam noſtrum fœdus pro illegitimo cenſendum eſſet, tum neque Rom. Cæſ. Maj. Electores, Principes & ſtatus Imperij, nec extranei celſiſſimi, imo maximi & potentiſſimi Monarchæ in Europa, ad noſtram ſocietatem, & eius conventus, tot innumerabiles, & toti mundo cognitas, ſpectabiles Legationes (inter quas An. 1598. una vice Lubeccæ in conventu Cæſarianus, Regius Hiſpanicus, & regius Polonicus, & Suecicus Legatus ſimul comparuit, & de talibus aliis legationibus ulterius Sac. Imperij Conſtitut. de Annis 1542. 1544. 1548. 1555. 1557. 1566. 1576. 1582. & ſequentibus cunctis, nec minus Sacr. Imp. & noſtri collegii acta ſufficiens teſtimonium monſtrant) non miſiſſent, multominus in ſuis Cæſ. Regiis, Electoralibus, & Principum aulis, & in publicis Imperii Comitijs per tot vices admiſiſſent, clementiſſime audiviſſent, & partim ſplendide acceptaſſent, & tractatibus nos dignos iudicaſſent.

Velut in paucis annis à ſancte prædicta Cæſ. M. etiam ab eius ſpectatiſſimis Commiſſarijs in celebratis Comitijs, & alias à Reg. Maj. Hiſpan. Gall. Angl. Dan. Sueciæ & Magno Duce Moſcoviæ, & aliis ulterius factum eſt.

Ex quibus omnibus ſufficiētiſſime apparet, quod non nuper demum hæc noſtra confœderatio, & cōiunctio nata, multo minus ad propagationem conſpirationis, aut tumultus ſubditorum contra ſuos Magiſtratus, uti ex mera invidia abſque fundamento fingitur, conſtituta & erecta ſit, & ita ultra iam viventium hominum memoriam, & conſervationem ſubſtiterit, & non ſolum à vicinis Monarchis, ſed quoque à Romanis Cæſar. & Regibus, S. Imper. Electoribus, Principibus & ſtatibus pro laudabili, legitima, & in iure approbata ſocietate, & coniunctione reputata, habita & ſuſcepta, & nos confœderationis huius adſociati etiam ſæpius pro continuatione, propagatione & conſervatione eius, per E. Cæſ. & Reg. Maj. Elector. & Princip. Clem. clementiſſime, clementer & gratioſe, ſevere & cordialiter adhortati, atque in hunc finem ad obiectos caſus pro adſiſtentibus requiſiti, etiam nobis, tanquā Collegio iuſto iuſtitia adminiſtrata ſit; Quod propterea vel ſolus immemorialis temporis, ac multo magis tot ſeculorum decurſus, qui omne iuris impedimentum removet, & non tantum idem, ſed plus etiam, quam pactum, contractus, privilegium, aut quævis legitima conceſſio operatur, privilegiique à principe ex certa ſcientia conceſſi vim & vigorem obtinet, pro hoc collegio noſtro pugnent, & illud à prædictis, & ſimilibus quidem gravibus, ſed Deo ſit gratia, indebitis impoſitionibus, & calumniis vindicent.

Ac licet nos in noſtro Collegio petantiquam incorruptam conſuetudinem non haberemus, ſed id novum aliquod fœdus eſſet; tamen omnes & ſinguli, quibus gratum eſt vere, idem pro licita confœderatione ex iure & æqualitate, cenſere, hoc digne æſtimare cogentur: Quum (velut antea dēductum eſt) verum ſit, nec abnegari queat, quod nullus alius nobis propoſitus ſit ſcopus, quam nos & noſtros in commerciis, atque alias in competente iure, & iuſtitia, præſertim in ſancta terrarum pacificatione, ex conceſſione omnipotentis, conſervare, & manutenere: Qualium confœderationum pacta, & coniunctiones in naturali, & communibus ſcriptis Cæſa-

reis,

reis, etiam Saxonicis, velut nec minus Aurea Bulla ipsa approbatæ expresse habentur, & complacentur: Omnia siquidem iura permittunt, & approbant colligationes, quæ fiunt ad aliquod bonum, puta ad defensionem, quemadmodum multis probat Ioachim. Mynsingerus Imperialis quondam Cameræ adsessor, & Ducatus Brunsv. Cancellarius, & Archi-Camerarius cent. 6. obs. 2. Ubi inter alia scribit; In iudicio Imperialis Cameræ An. 1553. fœdus inter Episcopos Würtzburgens. & Bambergens. ac Civitatem Norinberg. adversus Marchionem Albertum, &c. initum ex hac causa, & ratione pro licito iudicatum fuisse: Cui quoque singulariter verba aureæ Bullæ adstipulantur, in eo, dum prohibitionem, & constitutam pœnam in malitiosas, & incompetentes colligationes solummodo restringunt; atque econtra expresse, ac verbotenus disponunt, quod vota, quæ ob pacificationem publicam facta sunt, excepta sint, & in pleno vigore maneant. Ut taceamus, quod sæpius distincta rescripta bene prædicti iudicii Cameralis produci queant, in quibus speciatim nostra societas pro unione, & nos Civitates pro confœderatis laudabiliter optime nominitemur.

Contra quod plane impertinenter animadvertendum est, quod à nostris invidis prætendatur, quasi coniunctio nostra solummodo in commercia, & non simul in necessitatem tuitionis, vel commerciorum, vel ipsarum inprimis urbium se extendat. Namque præter hoc, quod contrarium ex ipsa iuris permissione haud negandum, sunt vetera, & nova exterorum, & Teutonicorum Chronica, & historię, præsertim Paulus Iovius, Iohan. Bodinus, Iacobus Augustus Thuanus, Albertus Crantzius, David Chytræus, & auctor Italici Thesauri Politici, nella terza parte vel Tesoro Polit. & pieni de fœderibus & bellis, quæ nostri maiores, mox heic, mox illic cũ Regibus, Proceribus, Principibus, ac Dn. interdum etiam ad expressam instigationem, & adhortationem Romanor. Cæsar. & Regum gesserunt, & respective perduxerunt: Velut talia, nisi noster communis Syndicus in proximis temporibus non fuisset impeditus, ex tot longinquis legationibus in Sueciã, Hollandiam, Galliam & Hispaniam, &c. in conceptionem nostrarum Hanseaticarum Historiarum, quæ ipsi pridem demandata est, cuncta conecisset, & publicata iam extarent. Pro hac vice autem aliquot saltem casus attingendo, nostri maiores Anno 1363. cum Duce Megapolensi, & Comite Holsatiæ se coniunxerunt, ac tale fœdus postea An. 1368. in eum dictum finem non tantum renovatum, sed etiam à binis illis Dominis in assecurationem Civitatibus aliquot arces attributæ, & traditæ sunt.

Simile fœdus repetitur cum Regina Sueciæ, Nobilitate Regni Danici, & communibus Hanseaticis Civitatibus, contra piratas Anno 1384. initum, in quo sub cæteris hoc placitum est, ut, quando piratæ arx occupata sit, eam civitates usque ad refusionem expensarum reservare debeant: Etiam in sequenti 1386. anno prædicta Regina Dan. & Norvag. Margareta una cum Dn. Albrechto Rege Sueciæ, Comitibusque Holsatiæ, ac aliis Dominis Lubecæ in conventu Hanseaticorum præsenter adfuit, ac cum civitatibus de variis rebus consilium habuit, unde etiã hoc subsecutum est, ut confœderatio inter eam, & Hanseaticas Civitates bis in An. 1399. & 1400. renovata, ac sequenti an. 1401. speciale fœdus inter Reginam, E. Maj. filium Reg. Iun. & 5. Civitates Hanseaticas solas erectum sit, in quo singulares reservationes Iuris, & ordinantiæ, quæ ratio in bonis ex naufragio captis observari debeat, complacitæ fuerunt.

Quum etiam paulo ante Rex Albertus Sueciæ cum filio à Regina Margareta captus esset, nostri collegii civitates An. 1395. se interposuerunt, ac impetrarunt, ut legatis his prædictus Rex Albertus, eiusque filius à Regina Margareta in eorum manus, & potestatem traditi sint, ab iisdemque ambo usque ad plenam complanationem in Germaniam deducti, ac pater Rostochii, filius vero Wismariæ, in custodia adservatus fuerit: Quo tempore etiam Principalis Civitas Sueciæ Stocholmia in Hanseaticarum civitatum manus tradita est. In proxime sequenti anno 1396. nostri collegii duæ civitates Lunæburgum contra Duces defenderunt, donec triennales induciæ confectæ sunt, ac postea plenius omnia fuerunt composita. Anno 1418. Rom. Cæsar. Sigismundus ab Hanseatico collegio petiit, ut cum E. Cæs. Maj. exercitu, quem tunc in mare occidentale pro tranquillatione emiserant, suum coniungerent; & in eum finem fœdus cum orientalibus Frisiis inirent.

In eodem An. Civitates Hanseaticæ cum aliquot principibus durum bellum, quod Rex Ericus Dan. Suec. & Norvag. contra Ducem Henricum Schlesvic. & Com. Henric. Holsatiæ gerebat, ita ditexerunt, ut quænam pars interponentium arbitrio non pareret, contra eam tam principes, quam civitates pugnarent, & ad obedientiam cogerent.

Anno 1430. Dux Wilhelmus Brunsv. & Lunæb. pro amico, & cognato Dn. Marchione Meisnensi à Maioribus nostris auxilium petiit, illud obtinuit, feliciterque eodem usus est. An. 1456. Rex Christianus Dan. in propria persona sub conventu multorũ principum, ac civitatum Rostochij ab Hanseaticis civitatibus petiit, ut legatos suos in Sueciam ad Reg. Carol. mitterent, & bellum inter se, & eundem componerent.

Hoc quoque vetera Saxonum Chronica referre noscunt, quomodo ibi Civitates Hanseaticæ se cum Episcopo Hildesh. & Duce Bernhardo Brunsvic. coniunxerint, ac rem eo perduxerint, ut illis Confœderatis arx Moringa ob damnum datum oppignorata fuerit. Item mox postea nempe An. 1466. Dux Wilhelmus Senior, qui victuriosus dicitur, & eius bini filii Wilhelmus Iunior, & Fridericus Iunior, Duc. Brunsv. & Lunæb. cum honoratis Hanseaticæ Civitatibus admodum grave inierunt bellum; ubi Archiep. Magdeb. Iohannes Palat. ad Rhenum, & Dux Bavariæ. & Fridericus Marchio Brandeburg. S. Imper. Archicamerar. & Elect. se interposuit, ac Quedlinburgi Anno 1467. in præsentia Henrici, ac Ottonis agnat. Duc. Brunsv. & Lunæb. Friderici Com. Orlamundani, Comitis Ulrici Reinsteinens. Guntheri Comitis Mansfeldens. Guntheri comitis Barbyensis, Gotfriedi Com. Holagensis, Henrici Dn. in Gera, & Eberstein, Gotschalcki Dn. in Plesse, ac multorum Archiepiscop. & Elect. Consiliarior. Vasallorumque, etiam Civitatensium Legatorum hanc duram differentiam, ad arbitrium utriusque partis, penitus composuit, & transegit, atque insuper quomodo inter dictos principes, & Hanseaticæ Civitates

servan-

servanda sit compositio, utiles provisiones confecit, ubi simul apud Hanseæ Civitates hoc obtinuit, ut oppidum, & arcem Moringam in manus Dn. Elect. tradiderint, uti transactio ipsa declarat.

Anno 1468. Quadriennale bellum inter Coronã Anglicam & maiores nostros intercessit, quod per Ducem Carol. Burgundiæ, & alios principes compositum est, velut & ab Historicis Ultraiectensis concordia dicitur. Anno 1476. Henningus Episcop. Hildesh. Dux Wilhelmus Senior, eiusque filii Wilhelmus, & Fridericus Fratres, omnes Duces Brunsv. & Lunæburg. Iohan. Com. Spigelberg. per se, & communis Nobilitas terræ Hamburgicæ, Gotschalcus Lib. Baro in Plesse pro cõmuni Nobilitate terræ Gottingensis, Burchardus Lib. Baro Warborgensis per se, & communis Nobilitas Episcopatus Hildesh. Heinicko Kniche, eques per se, & pro communi Nobilitate terræ inter Deisteram & Leinam; Hermannus Högere per se, & pro communi nobilitate prædicti Ducis Alberti cum Civitatibus Hanseaticis Quartirij Brunsvicensis in 20. annos se coniunxerunt, contraxerunt, & univerunt, iuxta tenorem quintuplicis Confœderationis.

Mentionem quoque Saxonica Chronica faciunt, quod An. 1485. Dn. Bartholdus Episcop. Hildesh. & Dn. Henricus Dux Brunsv. & Lunæb. cum civitate Hildeshæm. in biennalem diffidentiam, & bellum inciderint, ac Brunsviga, aliæque civitates Hãsæ civitati Hildesh. adsistentiam præstiterint cum omnis generis frumenti sublevatione, usque ad Ann. 1486. ubi amicabilis compositio facta est. Mox post hæc nostri Maiores in dissidium grave cum Corona Gallica inciderunt, quod Reges Dan. & Schotlandiæ An. 1487. composuerunt transigendo.

Post hæc quum Dn. Henricus Senior, & Dn. Henricus Iunior, uterque Duces Brunsv. & Lunæb. An. 1492. 1493 & 1494. Civitatem Brunsv. magno exercitu acerbissime persequerentur, & coangustarent, scribit auctor Historiæ illius Telamonius Ornatomontanus, quod nostri maiores civitati Hildeshem. obtulerint commissionem, ut communi sumptu, & milite Brunsvicensibus supperias ferrent, uti quoq; ab Hildesiensibus laudabiliter factum est, & hinc dissidium hoc per D. Ernestum Archiepis. Magdeb. Primat. German. Ducem Saxoniæ, & Dn. Iohannem March. Brandeb. S. R. Imper. Archi-Camerar. & Elect. Brunsvigæ Anno 1494. amicabiliter compositum fuit.

An. 1525. Fridericus I. Rex Dan. cum Hanseæ civitatibus unionem inire cupivit, quod in eodem anno sub conventu Lubecensi à Magistro Magno Borussiæ peritum fuit. An. 1558. Cæsar prædictus Ferdinandus turbatam Livoniam Civitatibus Hanseæ summopere commendavit, ut cum auxilio collegii sui illi succurrerent. An. 1581. Dux Franciscus Alanzonius, Regis Galliæ frater coniunctionem cum nostris civitatibus postulavit, ac se obtulit, ad interpositionem controversiæ inter Coronam Angliæ, ac nostras civitates.

Quare etiam usque in hunc diem adhuc aliquot potentissimi Monarchæ, ac Domini in Christianitate unice optarunt, nec sibi dedecori putarunt, in tractatione pacificationum hanc nostram societatem, proprio motu, pertrahere, & in amicorum suorum partes perducere, uti ex complacita capitulatione inter Archiducem Maximilianum Austriacum ceu electum Regem Poloniæ Anno 1589. & Coronam illam, præsertim quoque inter Regem Galliæ, & Hispaniæ de An. 1598. atque iterum inter Reg. Hispan. & Magnæ Britanniæ de An. 1604. confecta pacificatione apparet. Proinde eo minus cernere possumus, quare nobis, aut aliquibus nostri medii, ob solam conductionem militaris præfecti, aliorumq; officiariorum opprobriose quid obiici queat. Quã talium, & similium conductiones non nuper nobiscum sint natæ, sed adsiduo in usu fuerint, ac in casu necessitatis facile sit demonstratu, quod etiam singulares civitates separatim, non tantum nobiles, sed & Comites, & Principes bellicosos eo modo expectative conduxerint, atque tum tam exiure, & Sac. Imp. Constitutionibus, & statutis cognitu sit, quod talis provisio in illos non tantum concessa, & admissa, sed etiam expresse mandata & iniuncta sit, utnepe quisque Elect. Princip. & statuum Imperii cum suis tam quoque cum aliis Magistratibus, & Iurisdictionibus in præparatione bona sedere, ac promptus esse debeat, quo insperata invasio repelli, & vicinos quam citissime liberare, ac è contra ab iis adsistentiam expectare possent: nec minus in hoc quisque status, & vicinus, etiam longe dissiti Magistratus inter se bonam fidem unicuique præstare, etiam in tali correspondentia fideli, & coniunctione vivere, ut alter alteri, si quid damnosi percipiat, opem largiatur, ac per se antequam factum violentum exoriatur, malum avertat, nec non in tempore amicabilem, paratum cum omni necessitate præbere debeat: velut quisque iuxta naturæ, gentium & communia iura, etiam fraternam Christianam charitatem (à qua nemo mortalium, nec ullus status, aut subditus exemptus est) id præstare tenetur, ac obligatus hæret, uti talia verba in Imperialibus Constit. de annis 1555. & 1564. ad hoc disposita habentur, quo nos referimus. Quibus iam omnibus nullatenus contrarium est, quod iuxta tenorem prædictarum aliarum Imper. Constitutionum certa quædam executionis ordinatio, pro salutari pacificatione publica instituta sit; quandoquidem præparata conceptio, de qua superius indicatio facta est, & ad quam unusquisque Imperii status cum suis, velut etiam non minus alii Magistratus, & ditiones obligari tenentur; similiter primus gradus defensionis est, qui merito antecedere debet. & hinc, quando is ad propulsionem violentiæ non sufficit, opitulatio Circuli totius, in quo vis illa reperitur, secunda vice, atque si nec talis sufficiat, deinde tertio, quarto, & quinto gradu proxime duorum adiacentium Circulorum subsidium ordinarie sequitur: velut iterum Imperii cõstitutiones expresse testantur, in quibus etiam absque lite hoc determinatur, quod vis bellica per belli intelligentes & idoneos repellatur, & illis, quibus belli experti non adsunt, aliunde eiusmodi aptas personas conducere, & recipere competat, aut in alio casu eorum certos esse oporter, nos propterea itidem ad Imperii Constitutiones referendo.

Imo Rom. Cæs. Maj. noster clementissimus Dn. una cum Elect. Princip. & statibus S. Imperii tempora motuum ita periculosa adspexit, ut una cum tenore pacificationis publicæ, & in hanc conceptã executionis ordinationem, etiam extraordinarium remedium procurarit, & una vice 1500. armatos equi-

quites in aliquot menses ad conductionem pecuniæ certam; secunda vice 1200. eiusmodi equites in aliquot annos ad recipiendum, quo videlicet communis tranquillitas eo firmius conservetur, & quisque in securitate vivat, concesserit. Unde nos merito confidimus, quod in his plane periculosis temporibus, dum non solum undique in finibus Imperij dira bella exorta videntur, sed etiam proh dolor in Imperio perspicitur, in quam levi respectu pœnalis pacificatio, Executionis ordinatio, & summæ iustitiæ mandata, ac decreta habeantur, imo quod ipsa executionis ordinatio, quæ in repulsionem iniquæ violentiæ, & seditionis principaliter erecta est, ferme in contrarium finem, ac in primis ad retardationem necessariæ, legitimæque defensionis cum summo abusu pertrahatur, etiam in fraudem eius periculosæ receptiones extraneorum Capitaneorum suscipiantur, nobis non imputari quid queat, quasi offensionem, aut æmulationem contra præfectum summum Circuli huius, aut eius adiunctos moliamur, sed potius legitimo, & ordinario remedio licite utamur, ac contra irruptiones, & invasiones nos muniamus pro defensione supradicta nos conservando, & protegendo.

Ideoque cuiuscunque iudicio hoc submittimus, an non, si tale factum primitus uni corpori obiiciatur, etiam reliquis infligi queat, nedum quod in æmulationem Circularis constitutionis committi velimus, ex quo multiplices diffidentiæ originem sumerent, præsertim si hinc concludi mallent alij, quasi civitatibus, aliisque, qui nō in statu principum nati sunt, sua naturalis defensio invideri, & abscindi potius esset. Multo minus ex eiusmodi laudabili præparatione ulla seditio, aut obstinacia subditorum contra Magistratus suos eyinci, & nobis attribui potest. Quippe etiamsi in una prædictarum imputationum putative allegatur, quasi apud nos in Lubecca aliquot scripta edita essent, ex quibus satis pateat, quod nostra, & nostrorum consociatorum mēs in id inclinet; tamen nullatenus id confitemur, sed potius in ipsa veritate attestamur, quod etiam ad severam inquisitionem instituta tale comperiri nullatenus potuerimus: Obferimus etiam, quod si adhuc aliquam veram indicationem quis facere poterit, quod ulterius simus inquisituri, & iuxta factum pœnam delinquenti ita imposituri, ut quisque inde cognoscere possit, quæ in hoc nostra fuerit, displicētia: Quod etiam in nostro Collegio Civitati Brunsvicensi, quum incognita causa iuris desubito, & exinopinato obrueretur, ut per 5. menses obsidione acerrima, igne, ferro, inundationeque aquæ extreme oppugnaretur, ex debito pacto, imo etiam naturali, & omnium gentium iure, iuxta S. Imp. pacificationem, constitutiones, ordinationesque & statuta, etiam ex Christiana charitate adsistentiam veluti mēbro nostri fœderis debitam præstiterimus, non in alium finem factum est, nec in posterum fiet, quam ut Iustitiæ suus relinquatur cursus; uti etiā in Brunsvicensibus nil aliud exploratum habemus, quam quod unice iuris viam adament, si transactio, & amicabilis compositio admitti nequeat, quam tamē unice expetunt, & rogant. Hinc certe nostrum cordiale votum est, ut omnes, & singulæ lites per æquas legitimas vias, quantum fieri potest, aut per iura ipsum denique exolvantur, & componantur, ac integra vera concordia denuo erigatur, & constituatur: veluti sæpius prædicta Cæs. Maj. omnes 6. laudatissimi Electores, etiam potissima pars principum, & statuum Imperij quos nos per nostros tam in E. Cæs. Maj. aula Pragensi, quam in proxime celebratis comitiis Ratisbonensibus, illuc missos legatos, & alias per multiformes intercessionales, subiectissime & officiosissime in humilitate peti, & rogari curavimus, absque dubio clementissimum clementer testimonium nobis hoc exhibebūt, quod intercessiones nostræ, petitiones, supplices & impetitiones pro hac nostra coniuncta civitate in hoc unice directæ fuerint, ut omnia ad amicabilem compositionem, aut diremptionem iuris legitimam reduci, atque ita mutua confidentia rursus restitui unicuique posset.

Tum etiam, quum E. Cæs. M. antehac ob huius Civitatis Brunsvicensis defensionem, & insimulationes alias ipsi iniectas; tam quoque propter editionem privilegiorum, & Recessium Hansæ, &c. ad aliquot mandata edi curavit, Anno 1606. 25. & 26. Iunij, E. Cæs. Maj. ex illo nostro eius temporis conventu Lubeccensi ita subiectissime respondimus, nos declaravimus, & obtulimus, ut illa clemētissimam inde acceperit satisfactionem, in qua etiā adhuc citra dubium clementissime acquiescent. Unde commode nulla culpa in nos converti potest, quasi in hoc nec quid præstiterimus, quod nobis debite competit.

Quum itaque in communi nostra hæc correspondentia, & collegium, ob perantiquum suam & originalem inceptionem, ac ab ipsis Rom. Cæsaribus, & Regibus, etiam extraneis Monarchis, & S. Imper. Elector. Princip. & statibus multiformiter factas approbationes; tum quoque ob nostros conventus, actiones, deliberationes & consultationes ac præcipue absque causa odiose ita, & contumelioſe allegatas præfecti bellici, & aliorum officiariorum constitutiones, talibus legitimis conditionibus, & nullatenus aliis inclusum, ac constitutum sit. Proinde nos protestamur (interim reservata nobis iuris competentia, in locis, ubi decet) in omni optima forma iuris, veluti quam solemnissime fieri oporter, & fas est, hisce manifeste, quod nullam unquam cōtra Rom. Cæsar. Maj. nostri clementissimi Domini Authoritatem, Aueam bullam, Imperii & Circulorum conceptiones, executionis ordinationem, multo minus in tædium, despectum, aut æmulationem laudatissimi Circuli infer. Saxoniæ, eius electi Dn. Summi Præfecti, adiunctorumve, factam colligationem, multo minus conspirationem, factionem, consusurrationem, distractionem communis pacis, seditionem, aut obstinatiam subditorum contra suos Magistratus ordinarios, nedum quod in hunc finem belli præfectum, & officiatos pro turbatione vicinorum conduxerimus, confiteamur: sed contestamur potius coram summo iudice, quod in hoc omni, & in singulis, ubicunque summa iniuria, iniustitia plus quam nimium nobis inferatur, ac nos actiones nostras cunctas coram Deo, Cæsar. Maj. & eius iudicio Camerali, etiam Elect. Princip. & statibus Imperij omni tempore iustificaturi; imo quod hoc modo, & studio erga bonum publicum Sac. Rom. Imp. & nostræ communis Patriæ Teutonicæ Nationis multo plura, & maiora promeduri simus; velut & confidimus, nos iuxta omnes facultates nos-

tes noſtras id obtenturos eſſe. Signatum Lubeccæ 24. April. à Nativitate. An. Chriſti 1609.

Huius Confeſſionis eiuſmodi magna eſt authoritas, ut vel ex ea ſolummodo totius Hanſeaticæ ſocietatis uſus, & utilitas maxime patere poſſit. Ideoque non facile poſt veram Reipubl. conſtitutionẽ alicuius valet dari in mundo confœderatio, quæ maiores recommendationes communi commerciorum, & vitæ ſuſtentationi ſuppeditet, cuiuſque uſus ſe latius extendat, quam fœderis huius. Imo ex hoc fœdere habent alii, quod in ſuum hucuſque cõmodum cum felicitate non levi convertere potuerunt. Imitationem eius alia regna, & provinciæ quoque ſuſceperunt pridem, quæ non male ſucceſſit iis, & in ſe derivarunt ea, ex quibus ſuum lucrum auferre potuerunt. Ideoque non leves ſæpius devotarunt inſidias, quas tamen in tempore à ſe avertere cum prudenti conſilio ſtuduerunt: nec caruit id ſucceſſu ſuo; quod quum cernerent vicini, imitari hoc fœdus non deſtiterunt. Plura heic in particularibus recenſere uti nec opus eſt, ita nec caret periculo ſuo; Quum vero reſpectus huius mentio ab ipſis Hãſeaticis ſuperius allegata ſit, iuvat heic paucis ſubnectere, quæ ipſe An. 1625. præſens vidi. Habebant Civitates arctioris fœderis tunc ob periculoſa tempora conventum Bargerdorffij, ubi aderant aliquot Regum, aliorumque vicinorum Legati, qui amicitiam earum Civitatum in diſtractione tali admodum ambiebant. Quæ tunc propoſita fuerint, pro illuſtratione huius loci iuvat nunc paucis ſubnectere. Erenim, tunc primitus comparebat Legatus Regis Galliarum, Dn. de la Picardiere, qui talia proponebat, uti formalia ſequentia habent. Anno 1625. 11. Auguſti in conventu Bargerdorfienſi Civitatum Hanſeaticarum fœderis arctioris Dn. de la Picardiere nomine Regis Galliarũ Ludov. 13 hæc propoſuit.

Poſtquam E. Reg. Maj. in Gallia ſtatum, in quem difficultas communis Germaniæ incidit, & ſimul conſtantem reſolutionem percepit, quam E. R. Maj. Danica, una cum Suecica & Principibus inferioris Saxoniæ Circuli apprehenderunt, ſe ad reſtitutionem rerum Germanicarum collaborate, ac per poſſibilia cuncta media ſe opponere, quæ in omnium apertis ſint oculis, ut recte ea in ſalutem Teutonicæ nationis uſurpare velint: Hinc E. R. Maj. tanquam Chriſtianiſſimus Rex iuxta exemplum omnium eius maiorum ſuis vicinis, & Confœderatis ſingulari benevolentia addictus manet, & poſtulat nil aliud, quã pacem, & communem tranquillitatem, quæ primario in hoc conſiſtit, ut invationes in Germaniam, quas aliquot ſumma capita ſuſceperunt, & ulterius eiſdẽ intendunt, ſi illis ſucceſſus adſit, averti poſſint.

Idcoque E. Reg. Maj. Dn. de la Picardiere ſuum Conſiliarium, & aulæ Magiſtrum miſerunt, eique mandarunt, in eius nomine Regem Daniæ, & Sueciæ, ſimul alios inferioris Saxoniæ Circuli Principes, & inhabitantes viſitare, atque iiſdem declarare, quam ſumme E R. M. laudabile propoſitum, quod concepẽrunt contra vim talium uſurpationum ad opponendum. Exiſtimat, & promittit hoc illis pro conſecutione huius ſcopi, & boni ptopoſiti, quod omnem adſiſtentiam iiſdem largiri & non ſolũ bono, & prudentiſſimo conſilio, ſed etiam armis ſuis, & pecunia, velut etiam non minus aliis mediis, & officiis, quæcunque ab E. R. M. petere poterint, fortiter præſtare velit. Inſuper quoque hoc pollicetur, quod in caſum hunc, quodcunque ad communis Chriſtianitatis tranquillitatem, & commodum proficuum eſſe queat ſi E. M. cum domo Auſtriaca ad accordationem, & compoſitionem controverſiæ litis occaſio detur, quod in eum caſum illa nunquam quid cauſſæ, quæ Germaniam concernat, tractatura ſit, quam cum conſilio ſuorum amicorum, & confœderatorum, atque ut hi Ducatus ſimul in hoc includantur. Ideoque E. M. id ante omnia noſcere cupiunt, in qua conſideratione, & facultatibus Civitates Hanſæ in hoc Circulo ſitæ ſint. Unde dicto Dn. de la Picardiere mandatum, ut eius nomine iſtas viſitaret, & perciperet, num ſe cum notorum Regum, & Principum bona reſolutione coniungere ad illorũ Ligam accedere, & ad exercitus conſervationem, qui Comitis Tillij militi in hunc circulum irruenti, uti notum eſt, ſe opponit, contributionem ſuam adiicere velint: velut hæc cura illas merito commovere ad hoc debet, quæ pro conſervatione ſuæ, à Maioribus acquiſitæ, & huc in hanc horam obtentæ libertatis illis competit, cum eo propoſito, quod eandem quoque ad poſteros ſuos hæreditario modo propagare teneantur: ſicut id unice omnibus bonis incumbit, quod ſi ſalutaria conſilia, quæ illis R. M. Franciæ ad proprium eorum commodum & ſalutem ſurrogat, repudiaturi eſſent, præter hoc in periculo ſummo ita hæreant, quod in ſuorum graviſſimorum, & abiuratorum hoſtium manus ſe ſint præcipitaturi, imo quoque ſuorum optimorum amicorum favorem, & gratiam amiſſuri. Namque quantum ad Regem Daniæ ſpectat, non eſt dubium, ſi dictæ Civitates cum E. Reg. Maj. in tam iuſta, & ad proprium earum bonum tendenti cauſſa ſe coniungere denegarent, quod E. R. M. non levem offenſionem inde eſſet acceptura, & modos inventura, quomodo hoc illis poſſet recompenſari. Veluti Civitatibus ſatis notum eſt, & res ita ſe habet, quod ea varias ad id omni tempore occaſiones excitare valeat, ſicut etiam ſimiliter à Rege Sueciæ iis Civitatibus, quæ negotiationes, & commerciationes ſuas in mari, & portubus eius exercent, fieri poſſit. In quo caſu neque una, aut altera ullam liberationem, aut ſecundationem à Domo Auſtriaca, quum in mari Orientali nullas habeat naves, expectare valet. Quantum vero Franciam & Angliam attingentia maria concernit, facile Civitates illic negotiantes coniicere poterunt, quam ſumme hoc iiſdem nitendum ſit, ut in benevolentia gratioſa utramque Maj. rite conſervent ſibi, quæ alias nullam adhibebunt diligentiam, ne amplius navibus, in Hiſpaniam tendentibus, inter Caleſium & Doveram præcaveatur, quod certe ingenti damno commune commercium afficere poſſet, nec ſane gratum Maj. Franc. eſſet futurum. Quare Civitates multo potius E. M. deſiderio, quod in earum proptium commodum directũ eſt, ſatisfacere conabuntur, idq; approbabũt. Ac quodcunque ita contra hoſtes eius, iuxta tenorem veteris Cõfœderationis, quã cum Civitatibus Hanſę & ſocietate colit, præſtant, id gratioſiſſime recõpenſabit.

Reg. Maj. Gall. *Signat. ut ſupra.*

Legatus Monſ. de la Picardiere.

Sic & eodem die auditus eſt R. M. Dan. Legatus, quum exhibuiſſet credentiales pro legitimatione perſonæ ſuæ, cuius formalia hæc erant:

Chriſtianus 4. ex Dei gratia Daniæ, Norvagiæ, Vandalorum & Gothorum Rex, Dux Schleſvicenſis, Hol-

sis, Holsteniæ, Stormariæ & Dithmarsorum, Comes Oldenburgensis & Delmenhorstanus, &c.

Nostra clementissime benevola voluntate prævia, Honorati, Doctissimi, & venerabiles dilecti singulares, Nos honoratum nostrum Consiliarium & dilectum fidelem Ioachimum à Mitzlaffemo ad vestrum iteratum conventum Bargerdorfium ad vos orali propositione ablegavimus. Inde expetimus à vobis universis & singulis clementissime, ut illum non tantum ad promptam audientiam admittatis, eiusque propositioni, velut nobismetipsis plenam fidem adiiciatis, sed etiam illi expectatam à vobis resolutionem impertire velitis. Hoc nos erga universos, & singulos vos in omni regia gratia, qua vobis addicti sumus, è contra recognituri sumus. Datum Verdæ 6. Aug. An. 1625.

Christian mpp.

Honoratis & Doctissimis nostris dilectis singularibus universim ad præsentem Hansæ Conventum Legatis, & Deputatis.

Propositio Regij Legati talis erat.

SI alicubi uspiam fidem invenit monitum illud, aut Symbolon Hippocraticum: Neque temere, neque tarde: hisce certe periculosis temporibus omnium maxime observatu dignum est. Namq; veluti temeritas florentem statum in miserabilem incommoditatem facile præcipitat; sic è contra antiqua, & nova experientia testatur, quomodo nimis lenta cunctatio innumerabilibus multis politiis optima media, quibus se defendere potuerint, subtraxerit, iisque minus dignas fecerit: Verum illis cūctis, qui hisce oppressionem machinati sunt, maximam commoditatem, & occasionē, quasi sibi caussatam, in manus dederint. Quemadmodum proinde Reg. M. Dan. Norvagiæ, &c. meus clementissimus Dn. per Dei gratiam à primo non tantum prudenter cavere voluit, sed etiam suos adnatos à talibus deterruit & retraxit: Ita optaret unice, sibi extortam defensionis conceptionem, sic mature, & eo modo institutam, etiam ulterius adhuc corroborādam, & extendendam esse, ut isthinc immerita illa crudelitas, ac plus quam hostilis invasio, quæ aliquibus Inferioris Saxoniæ Circuli statibus sub tempore verno prædicta minis est, nunc vero in facto ipso se fervidam ostendit, per Dei gratiam repelli, & retundi posset. In eundem hunc finem R. E. M. ad hunc conventum inclutarum Hansæ Civitatum honoratis, spectabilibus, doctissimis, honore omni dignis, & prudentia claris Dn. Ablegatis, & præsentibus Deputatis una cum oblatione eius clementissimæ salutationis, assecuratione regij favoris, & totaliter benevolæ voluntatis, per meam tenuem personam, id in memoriam revocare voluit, quod nempe in proxime præteritoconventu per suum consiliarium, & legatum Dn. Doct. Georgium Heitlermannum tunc proponi, & illis cum circumstantiis omnibus commonitorie ad animum revocari curavit. Sua Reg. Maj. existimatiā in clara luce apparere, quodcunque hucusque in timore habitum est. Gladius, qui sine apparentia ullius hostilis exercitus, in unius fortiter armati manu per biennium hucusque in inferioris Saxoniæ terminis quasi supra capitis verticem, & iugulum ad pugnandum paratus gestatus fuit, iam grassatur in formoso Ducatu Brunsvicensi pro libidine propria, enervat terras, & populos igne, & cædibus miserrime lamentabiliter, qui indies, imo singulis momentis adsistentiam, & liberationem lacrumosis querelis, & suspiriis ferventer implorant. Episcopatus Halberstadensis proxime hinc & postea reliqui status huius circuli plane simili modo sequentur. Quando igitur principalissimi in tali constanti & incorrupta devotione, ac subiectissima obedientia S. Cæs. Maj. in qua constanter se permāsuros esse erga eam promiserunt, & adhuc in eo acquiescunt, apud toties reiteratas Cæsareas assecurationes, & syncerationes nullatenus tuti sunt, ita sub facile conficto prætextu premuntur: Quando iidē tandem sine præmissa indicatione, quur, ex cuius mandato, & ex quibus legitimis caussis infestentur, & sic terris, ac populis suis, imo penitus libertate sua in ecclesiasticis, & secularibus rebus exuuntur, & privantur: Num putant forte illi, qui vel per propriam suam animi frigefactionem, vel etiam ex diversitatibus spei & metus causa, suis suppressis, & innocuis religionis agnatis ad succurrendum retrahuntur, quod illis ipsis in futurum meliora sint speranda? Aut quod non etiā ipsi summo thesauro puræ doctrinæ, libertatis suæ, & salutis publicæ privari, atque sub papale Antichristianum iugum redigi queant?

Quum hinc summe prædicta E. Reg. M. planissime statuat, apprehensionem ante oculos velitantis periculi apud omnes recte intelligentes, præsertim summe laudabiles Hansæ Civitates ita fortem, & grandem esse, uti periculum ipsum in se ingens, atque adeo iam præsentissimi exitii inevitabile periculum in mora est. Inde ab E. R. M. Dnn. Deputati iterum rogantur, consilia sua ac deliberationes, prō possibilitate omni maturare, & in iis concludere, & laudabiles Civitates ad tale bonum publicum, & securitati, pacique inserviens defensionis opus benevolam manum adiiciant, atque istud excellenti, libera & liberali contributione facilitare, & conservare adiuvent. Extrema & communis necessitas ad conclusum hoc eos ipsos illicit: Quippe hæc magistra est, quæ omnes artes in subsidium prægravatæ naturæ invenit, quæ etiam sæpius rebus desperatis consilia, & remedia bona subministravit: Cernunt iam fere me suppressos Con Christianos, & religionis suæ adsociatos: ipsi perficiunt debitum, & quod Christiana dilectio requirit; ac talem adsistentiam, quæ sub evitationē itæ divinæ ab illis postulatur, & petitur: tum summe laudabile præcedens exemplū E. R. M. ad hoc eos invitat, quæ ipsis viam monstrare, & præpatare cupit; ac ipsæ celebres Hansæ Civitates in eo, quod conscientiæ suæ, religionis, & alia mundana privilegia sarta tecta conservent, sibi iam atque in futurum apud dilectos posteros æternum nomen conficient plures; monarchas, & principes ad prosperitatis accretionem & extensionem suorum commerciorum sibi arctissime devincient, qui talia ad promovendum in firma manutentione præstare valent.

Signat. ut supra.

Ioachim Mitzlaff.

Simili modo & Dnn. Staticorum Legatus suas exhibuit tunc Creditivas, quæ in consessu perlectæ tales fuerunt.

Nobi-

Nobiles, Honorabiles, Doctiſſimi, ſapienter prudentes Domini, valde gratioſi Confœderati, & chari boni amici: Poſtquam in præſenti conſtitutione & communi periculo expoſitæ religionis cauſſa nobis complacitum eſt, ad ſuam Reg. Maj. Daniæ Dn. Caſparum à Voſpergen, Equitem, Conſiliarium alto conſilio Hollandiæ, Selandiæ, & Weſtfriſiæ, mittendum, ut E.R.M. in ſuo ſalutari propoſito confirmaretur, & confortaretur, eademque miſerabili Evangelico ſtatui in Germania ſuccurſum bonum præſtare perget: Inde coniunximus quoque ſimul illi noſtrum ordinarium Reſidentem F. ab A. ita ut huic ſua neceſſaria officia deferat, eidemque apud Hanſæ honoratas Civitates tam in particulari, quam in conventu earum generali adſiſtat. Quare noſtra amica eſt petitio, quod V. D. & Gr. noſtris, huic legato, & Reſidenti ſimul, & etiam unicuique eorum ſeparatim bonam audientiam exhibere, & quodcunque V. D. & Gr. ſunt propoſituri, & explicaturi, plenam fidem habere in eo, fructuoſamq; reſolutionem ad idem referre ita velitis, prout V. D. & Gr. noſcunt, quod ad conſervationem communis religionis cauſſæ in Germania prodeſſe, & proficuũ eſſe queat; omnipotentem petendo, ut vos Nobiles, honorabiles, Doctiſſimi, ſapienter prudentes Dnn. noſtri valde gratioſi confœderati, & chari boni amici, V.D. & Gr. in ſua Sancta protectione conſervare velit. Datum Hagæ 26. Iulii An. 1625.

V. D. & Gr.

admodum affectionati

Ord. Gen. Stat.

Ubi litteræ in Cõſilio perlectæ ſunt, mos eſt ſemper, ut in conſeſſu ad eiuſmodi ſuffragia non tantũ colligantur, ſed ſimul ſingulis vicibus fit deputatio aliquot legatorum, qui Regum ac principum, taliumque legatos amice invitent, & eoſdem ad conventum concomitentur, ita quoque heic factum eſt, & habuit iſte Dnn. Staticorum hanc propoſitionem, velut ſequentia declarant verba.

Eſt proverbium Hiſpan. La caridat pide dar conſeio al guien nolo pide: quod vera proprietas amicorum ita affecta ſit, ut interdum conſilium iis ſuppeditent, qui etiam non experant. Simili modo quoque iam præpotentes Dnn. Statici Generales unitarum Belgii Provinciarum, velut & E. Excell. Oxagnienſis, Dnn. mei committentes huc ſe tranſportari ſinunt. Namque licet laudatæ confœderatæ civitates ad hanc præſentem communicationem, & conventum anſam dederint, neque præpotentum Dnn. conſiderationem & conſilium in hiſce duris temporibus petierint; tamen quum dicti præpotentes Dnn. cum iſtis laudabilibus Civitatibus per ſumme firmatam confœderationem unitæ ſint, natura & ſituatio communiaque commercia eas conglutinarint, & inde conciliatio & conſervatio honorabilium Civitatum præpotentibus Dnn. & E. Excell. Oxagnienſi cordi ſit: Inde illi per aliquot tempora hucuſque per aliquot litteras, etiam oraliter per meam tenuitatem, ac nõ adeo pridem per Dn. Ambaſſadorem Dn. Caſparum de Voſpergen eorum conſiliarium Chriſtianam benevolam mentem, & opinionem bene prædictis honoratis Civitatibus proponi, & aperiri curarunt. Iam vero præpotentium Dnn. & E. Excell. prædictæ curioſitas in eo cõſiſtit, quum commune periculum Evangelicæ religionis, & antiquorum Germanorum libertatis non amplius in occulto, ſed notorium per mundum ſit, tum circumiacentia regna, & terræ, etiam proxime adſeſſi vicini ipſi id ſuſpiriis conquerantur, & ſuo miſero, gravique exemplo atteſtentur, atque hinc in ardnis iſtis neceſſitatibus omnipotens aliquot præpotentum Monarcharum, etiam ſtatuum, ac rerumpubl. corda in hoc eſuſcitarit, ut illi Chriſtianas cogitationes pro liberatione divini honoris, & communis patriæ libertate dirigere inceperint; annon etiam laudabiles unitæ hæ Civitates, quæ quaſi propugnacula Sac. Rom. Imp. apud quas verbum Dei, & Evangelica religio ferme prima ſua fundamenta iecit, & accreſcentiam ſuam accepit, & quarum maiores ſtatum ſuum tam fideliter redemerũt, conſultum ſecum invenire poſſent, ſe cum partibus his coniungere, & iiſdem conſilio, opeque brachia ſupponere, quæ, uti dictum, communem Chriſtianam cauſſam defendere, & manutenere decreverunt. Præpotentium Dnn. quidem ſententia eſt, in eo arbitrio, quod omnes religionis coniuncti, & patriotæ in has extremitates ita prolapſi ſint, ut quos ratio non coniungat, eos tamen neceſſitas coniunctura ſit: tamen id quoque iſti prępotentes Dnn. putant, quod ſumma neceſſitas nunc talem conſultationem ſuppeditet, quomodo, & qua ratione coniunctim, & cum minimo præiudicio bona hæc cauſſa cum aliis ſimul monarchis, & ſtatibus manuteneri, & defendi queat. Eſt certe ſumme ardua, & ſat quidem dubioſa cauſſa: tum quoque V. P. Ampl. difficultates, & obſtacula præpotent. meos Dnn. & Excell. E. Oxagnienſem non latent; ſed id ſimul cõſideretur, uti eſt in proverbio: ſæpe ſpecioſas rerum cauſſas in iudicium adhibeas, pernicioſi exitus conſequentur: & decet omnes intelligentes patriotas, ut ante omnia in Deum, & Iuſtitiam cauſſæ confidentiam ſuam coniiciant, & firmiter credant, quod ea, quæ fient pro Republica, auſpicato fiãt, & quod in talem ſtatum Chriſtianitatis quiſque inciderit, ubi quidem unicuique, ſe uni, aut alteri parti accõmodare, licitum eſt, ſed nullo modo inter tot anticipitia mediam viam ſequi liberum erit. Namque ambæ partes cum amicis ſuis in armis ſunt, & in Cãpo aperti exercitus habentur, ac mare quoque quaſi navibus obtectum cernitur, & ut brevibus omnia comprehendantur, bonæ partis proſtratio (quod Deus clementer avertere velit) communem quidẽ, & per ſenunc adrepentem ſervitutem aliquo uſque accelerare poſſet: attamen victoria è contra æternam libertatem, & gloriam apud poſteros, reputationem apud vicinos, amicos & hoſtes ſubditorum cauſſaret. Ac certe de induſtria facta retardatio nil aliud eſt, quam quod inevitabile periculum in ſuis commerciis, abalienationem omnium amicorum ac præſertim aggravationem conſcientiis ſuis ſecum infligendo inferant. Sed matura conſultatio omnia ſatis declarabit, &c.

Licet talis propoſitio 29. Iunij fuerit habita, tamen in hoc conventu maxime repetita eſt, cum aliis monitis ſat ſeveris. Sed quum reſponſio ad eiuſmodi inſtantias ferme una fuerit in iuſtis excuſationibus; iuvat ſaltem eam heic producere, & ſubnotare, quæ Dn. Gallico legato data eſt, ex qua reliquæ ſatis poſſunt æſtimari.

Resolutio Hanseaticarũ Civitatum ad R.M. Gall.

CLementissime Rex, &c. Nos per Dn. de la Picardiere V.R.M. Consiliarium, & aulæ magistrum intelleximus curiositatem, quam pro restitutione rerum in Germania gerunt: V.R.M. summe sibi nos obligat in eo, quod veterum suorum confœderatorum, & ministrorum memoriam in tam infelici, & ferme desperato tempore, ubi infortunium causſæ malum exuperat, & prope nullum admittere vult remedium, sibi in mentem revocet. Postquam autem Deo ita visum est, quod V. M. cor tangere ita voluerit, ut ad compositionem motuum hisce in locis exortorum se disponat; Inde divinam eius bonitatem imploramus, ut V. M. bonas & sanas meditationes pro consecutione scopi, ad quem inclinant, inspirare velit, quo nos & nostra posteritas ad gratias eidem agendas semper offerre queamus. Quantum autem ad negotium principale, quod nobis prædictus Dn. de la Picardiere proposuit, attinet, illud in severam, & bene consideratam deliberationem nobiscum pertraximus. Sed repertimus illud summæ esse importantiæ, nec minoris consequentiæ: atque quum etiam in hoc minus instructi simus, nec mandatum tale nobiscum fovemus, ut nos soli absque nostrorum Dominor. & superiorum præscientia ad id declarate possimus: Proinde V.R.M. hoc non in displicentiam convertet, ut nos in cancellis nostræ instructionis ad talia contineamus, quũ causa sit, quæ non tantum Inferioris Saxoniæ circulum, sed etiam communem prorsus tranquillitatem, & pacem concernat. Nos honorabiliter prædictis nostris Dnn. & superioribus cum tali diligentia, & dexteritate referemus, uti summus V.R.M. respectus, & causſæ ponderositas id requirit; ac petimus eam humiliter, ut Reg. suam gratiam, & affectionem erga Hanſæ Civitates continuare, & secure id censere secum velit, quod ex in nulla occasione sint defuturæ, ubi R. V. M. affectionem suæ integræ & debitæ devötionis iustificare poterunt. Pro cuius conservatione nos Deum rogamus, ut V. R. M. in bona sanitate, & prosperitate pro completione suarum bonarum cogitationum quam diutissime adservet. Datum Bargedorfij 12. Aug. An. 1625.

M. V. M. submiss. add.

Ad præsentem conventum Bargedorfiens. ab Hanſæ Civitatibus Deputati, &c.

Ex quibus apparet, quod admodum prudenter in consiliis suis Hanseatici procedant, nec facile negotiis aliis se immiscean, quæ suspicionem inobedientiæ, aut rebellionis aliquam speciem redoleant. Quippe illis hoc unice curæ est, ut in terminis se contineant, nisi evidenter in extremas necessitates, & summa pericula, damnum irreparabile communia commercia præcipitet, aut alia dismembratio alicuius Urbis arctiori fœderi inclusæ sit metuenda, uti ex superioribus constat. Ac veluti in his satis laudabilis tam nobilis, & antiqui fœderis usus cernitur: tamen omnium maximus, & longe celeberrimus, nec minus celebriter proficuus est, qui navigationibus nunquam satis penetrabilis consistit. Etenim ex huius beneficio est, quod non tantum nobis totius orbis terrarum cognitio, & perlustratio per omnis generis mortales in suis moribus pateat; sed etiam ex longinquissimis locis tot thesauri in totius naturæ elementaris detectione, & fertilitate copiosissima asportari, & advehi queant.

Totius terræ ambitum vastissima maris, sive Oceani magni inclusio continet, qui in suas partes varias iterum discriminatur, quod rectius fieri nequit, quam iuxta plagarum mundi respectum, & ubi se mare principalibus terræ partibus insinuat. Sic Europa versus septentrionem, & orientalem situm, qua Germanos, Danos, Suecos, Russosque, Livonos, Borussos, & Polonos ex parte mare interluit, mare orientale communiter dicitur, licet & alii Balticum id appellitent per Synecdochen. Portus certe heic sunt admodum famosi, & utiles, modo in aliquibus profunditas aquarum à prudentibus naucleris recte observetur, ne in arenam vadosam incidant; quæ res in accurata consistit experientia, quum toties vi tempestatis inclementioris ibidem mutatio, & traiectio fiat in fundo. Si igitur à Lubecca tanquam à Directorii loco sumatur primus in mare hoc excursus; est ibi Travemundanus portus, ex quo iter circa littus maris flectitur ad locum, qui vocatur parva crux, inde ad magnam crucem pergitur, si Wismaria sit petenda, aut prætereunda. Inde per sex milliaria distat portus, quem Varnus fluvius ad Rostochium in mare incurrendo aperit. Hinc in finibus Megapolitanis se offert Portus Barthensis à Rosto. hio 8. mill. ferme distans, ubi præcipuæ Rostochiensiũ naviculæ fabricantur. Inde per 4. mill. circa circiter distat Stralsundium, si circa littus fiat inflexio. Post ad distantiam 4. mill. se exerit Portus Gripswaldensis, unde & per 4. mill. distat Wolgastum, ubi se fluv. Pœnus extendit intra Deminum & Anclamum; à quo loco non adeo procul Viadrus fluv. à Stetino defluens se in Lacũ Frischaff vulgariter dictum, exonerat, & per Suinã mare influens terrã ibi occurrentem in duas dividit Insulas. Ultra autem Insulã Rugiam, de qua supra egimus, ad mare portus est, qui à Iasmundio Rugiæ 12. mill. dissidet. Hinc usq; Coslinum ad 3. mill. pergitur: Rugewaldium vero 4. mill. Stolpensis hinc per 3. mill. dissitus cernitur. Cassubia vero primum ibi portum habet Libaensem à Stolpa 8. mill. inde ad Heil 16. mill. ab Heil usque Gedanum 4. mill. ubi se Vistula in mare exonerat.

A Dantisco sive Gedano autem duplex habetur navigatio, nempe intra, & extra Insulã, quæ vocatur Narunga. Si extra ad littus marinum versus Pilloviæ ostium instituatur navigatio, est distantia huius 10. mill. Unde ad Pregelę fluvii cursum pergitur Regiomontem Borussiæ per 7. mill. Si vero intra Narungã à Dantisco fiat navigationis cursus, primo occurrit Elbinga per 8. milliar. deinde ulterius prætereundo Brunsbergam pervenitur, ad Regiomontem per 16. mill. In Curlandia sequitur portus marinus à Pillovia per 10. mill. distãs, qui à Civitate Memelia nomẽ sic sortitus est, quũ per portum hunc vallosum quasi ad eã urbem Curlandiæ munitissimã pergatur. Loci isti duo Pillovia & Memelia admodum sunt notabiles, quod Rex Sueciæ ante annos aliquot in incursione sua accurate observavit, adeo ut ibi telonium, ingentes, & antehac inauditas negotiantibus ex instinctu aliquot malignantium, satq; famosorum flagellatorum, odio potius, quam nomine dignorum exactiones imposuit; quo damno communis commercii adhuc perquam duræ mercatorum sunt ad totum mare conquestiones. A Memelia alterius Lybæ Curlandiæ Portus habetur per 11. milliaria. Hinc ad Derwindensem per 13. milliar. pergitur.

Ex quo

Ex quo sequitur Livonia, quæ portus continet præcipue sequentes, quãdo ibi inter Insulam Oeseliam, & promontorium Domes nessense transcurrendum est, pervenitur tunc à Derwind ad Rigam per 36. mill. ubi arena vadosa valde observanda est in mari propter Dunam, illic influentem. Inde distat Lemsal, aut Salesius Portus per octo mill. Et tunc ad Pernoviam Urbem habentur 6. mill.

Postea est Habsallensis portus inde per 25. mill. dissidens, quum in eo itinere marino aliquot incurvationes terræ inveniantur, velut etiam in sequentibus locis, quando ulterius Revaliam Urbem munitissimam per 20. mill. pergatur.

Hinc in trãsverso, & obliquo cursu ob inflexũ terręusq; ad Nervam Russię fluv. tenditur per 43. mill.

In sinu Finnico autem primo se offert portus Wiburgensis, cuius distantia à Nerva est 24. milliarium, quem sequitur Henfinguossensis per 35. mill. quum terra sit parum habitata, & ob scopulos montosos non adeo populosa: Inde quando tenditur ad Abbo retrorsum, perficiuntur 28. mill. fere in terminis Finlandiæ, ubi sinus Buddicus se extendit à gradu 61. in meridiano hinc usque ad 68. gradum excurrendo.

Etiamsi mare sive sinus iste satis sit clarus, tamen mercatura ab extraneis mercatoribus per totum locum nullibi exercetur; sed solummodo suis incolis relictus manet.

Verum ab Abbonis portu usque ad Holmiam, sive Stockolmium ex transverso mari sinum Boddicũ præternavigando iter per 37. mill. ferme conficitur, quũ Holmia 68. gr. & aliquot scrupulos in Meridiano obtineat. Hinc usque ad Nicopingã iter est 24. mill.

Unde iterum ad Nordercopingam 5. mill. Ulterius ad Suder Coplam 3. mill. Deinde ad Westerwick 8. mill. atque hinc ad Münster Aasia 7. mill. ex cuius regione virgo famosa Succica, de qua multa in fabulis sunt, conspicitur prope Insulam Oelandiam, quæ usque in 18. mill. extenditur, in latitudine vix ultra milliare in aliquibus partibus.

A Wester Aasia usque ad Calmariam 6. milliaria numerantur.

Heic in vicinia versus orientem duæ habentur Insulæ, quarum unam iam nominavimus Oelandiam, quæ in conspectu habet ad 7. milliaria Orientaliorem Insulam Daniæ Gotlandiam. Nunc incipit ulterius in terra continenti à Calmaria præfectura Daniæ Blekinga, cuius heic primus portus est Christianopolis, distans inde 7. milliaribus. Postea sequitur Civitas Ronnebya à Christianopoli 9. mill. sita, ubi non ignobilis habetur mercatus.

Inde Syllesburga est per 3. mill. sita; ac mox sequitur per 3. mill. Civitas Christianistadiana, olim Ahusa vocata, quæ nec minus bonum in cõmerciis portum fovet. Inter Ustedium hinc interiacet Sommerhagen, distat 4. mill. & Ustedium inde 2. mill.

Inde iterum ad Falsterboum Schoniæ, quæ quasi in promontorio sita munimentum loci repræsentat, ubique adhuc Lubeccenses quotannis sua iudicia cum iurisdictione iuxta pacta superius posita solemniter exercent, numerantur 5. mill.

Hinc sequitur Malmogia 4. mill. Landscronium itidem 4. mill. Helsinburgum 3. mill. ubi incipit Oresundium locus telonii usurpati intra Schoniam, & Sielandiam, à cuius parte est scopulus excelsus, 4. mill. distans, qui vocatur Koll, ubi semper nocturno tempore, maxime brumali, ignis per mare lucens in usum navigantium adservatur, velut & in ulterioribus, nempe in Insula Anholda & Niedinga binæ faculæ semper conspici debent ad differentiam aliorum periculosorum locorũ, quod etiam fit in Schaga, ubi prima est distinctio maris Oceanici septentrionalis ab orientali.

A Kollenio usque ad Laholmiam exigui portus habentur 7. mill. & porro ad Halmstadium est 3. mill. Falckenbergum autem 4. mill.

Warbergum munitissimum castellum inde per 3. mill. conspicitur.

Inde Gottenburgum cum Elsburgo Sueciæ unicus in istis locis ab illa parte regni portus per 8. mill. dissitum est. Norvagia iam inde à Bahusio incipit arce sat munita; ubi adiacens civitas Congelf vocatur, quasi regius flu. saltem milliari à Gottenburgo distans. Hinc sequitur Marstrant Insula per 4. mill. ubi emporium illorum nobilissimum, & exportationes fiunt ex Hispania.

Unde distat 5. mill. Adewolf ad Bretanicum fretum, ad cuius iugum montis supremum propter eminentiam, quem Batavi pileum cæruleum ob altitudinem longe conspicuam vocant, navigantes cursum suum dirigunt.

Fridericostadium per 12. mill. inde dissitum est. Christiania olim Andesloa 9. mill. Tonsbergum 8. mill. Scheneú, cuius portus Langesundius vocatur, 6. mill. in conspectu ad mill. unum habens Iunferlandiam Insulam.

Hollandi ibi appellentes, plerumque ad portum Mardoensem confugere solent per 6. mill. si tempestas sit infensior. Inde per 8. mill. distat Vleckeroensis portus, ubi est collectio navium, & se in suas distribuunt classes. iuxta cursus sui intentionem.

Hinc ad 7. mill. promontorium est Nessæum, à quo distat Civitas Stafangria 24. mill. à Stafangria versus Boream 36. mill. unde Bergã Norvagię principalissimum emporium, & Hanseaticorum sedem pergitur. Inter Bergam & Nidrosiã interiacent duæ regiones peninsulares, quum maxima ex parte in mare septentrionale propendeant cum præruptis montibus, quarum incolæ merces suas Bergam potissimum transportant.

Facit ista interruptio, ut Nidrosia sive Trunthaimium à Berga ultra 100. mill. dissitum sit; A Nidrosia autem ad septẽtrionale Caput, vulgo Noordkap 180. mill. ubi quoque à portu hoc non procul insignis arx, quæ vocatur Warhusia, habetur, & determinat ibi fines regni Norvagici.

Inde versus Russiam, si ad mare album tendatur, & ibi inflectatur cursus navigationis, à sinistra parte sita est Archanglia, emporium ibi locorum celeberrimum, & distat à Noordcapite 120. mill. Germanicis, alias 100. mill. Suecicis.

Iam revertimur ad fauces Baltheas; in Seelandia est Hafnia locus principalis quidem; sed Helsingotię solvitur telonium Regi, quale illud sit, explicet satis luculenter Dantiscanorum responsum ad dictũ necessarium Polonicum ante biennium publice editũ. In vicinia ibi sunt Holbeccium & Nicopinga, in quibus Hollandi frumenta coëmere solent: Habet Sealandia in circuitu 42. mill. ferme, quum tam in longitudine, quam latitudine utrinque 14. mill. contineat, ubi & portus est versus Fioniam Callenburgẽsis, cui adiacet promontorium Rosenest. per 10. mill. ferme à Nicopingã distans.

Sic & in collo Balcici est Corsocria per 5. mill. dissita, deinde Nestedium per 4. mill. Warenburgum inde per 3. mill. Recurrendo hinc versus Hafniam se offert Cageium oppidum lautum. Hei aliquot Insulæ circumiacent, maxime à parte occidentali, & meridionali, præter Moeniam, ortum respicientem, postea Falstria, Lalandia, Langelandia, Fionia, & Aar, quum in plano quasi sitæ sint, undique ferme habent portus suos licet non omnes sint celebres.

In extremitate Holsatiæ versus ortum sita est Insula Foemaria, inde si versus occidentem per 8. mill. pergatur, offert se nobilis portus Chilonensis; unde distat Ekelfordensis portus, quo vix alius ad mare hoc commodior, quem per 2. mill. sequitur Schliensis, ubi cautela opus est ob arenam vadosam. Inde pervenitur per 3. mill. ad portum Flensburgensem, à quo per unum milliare Sunderburgum distat in Alsenia Insula.

Hinc Apenradium per 2. mill. Item Hadersleb bium per 3. milliar. Iutia autem habet primo Coldingam 4. mill. inde dissidentem, deinde Wedelensem 4. mill. Harseneslum 3. mill. Aarhusium 4. mill. quod in conspectu habet Insulam Samsoensem.

Ulterius pergendo per 4. mill. Ebeltoftium est, post Randerihusium per 10. mill. Item Aelburgium per 7. mill.

In Wensusselia est potissimus portus Flatstrandensis.

Interiacent heic in mari duæ Insulæ, Lessoe & Anholt, ex qua signa nocturna ignis navigantibus patent.

A Flatstrandia ad promontorium Schagense, ubi itidem ignis indicatorius habetur, sunt 7. milliaria.

Inde non extat commodus portus ab occidentali parte, donec per 32. mill. perveniatur Rincöpingam, à qua Ripensis per 6. mill. distat, & postea Husemensis 8. mill. ab hoc Tonningensis ad Eidoram 3. mill. & un. mill. Friderichstadensis.

Non procul hinc ostium est Albidos, & sic à Tönninga Glückstadium ad Storæ exitum in Albi per 18. mill. dissitum est, à quo Hamburgum per 7. mill. pergitur, de qua urbe supra satis egimus.

Ab altera autem Albidos parte est Strada 5. mill. Friburgum 3. mill. unde si cursus circa Archiepiscopatum Bremensem ex Albi ad Visurgim flectatur, ferme 30. mill. conficiuntur, usque ad portum Bremensem.

Hinc à Visurgi præternavigando ad amplum & brevem fluvium, qui Oldeburgicum Comitatum intersecat, si versus Hollandiam tendatur, duplex se heic offert cursus, alter per mare plenum potest confici, alter inter Insulas 17. mare à continenti terra quasi intersecantes, & vocatur illa intercapedo maris Twade, quod sit satis Vadosum pro tempestatis, & fluxus, refluxusque ratione, adeo ut si refluxus sit, plerisque in locis naves in arena consideant, donec affluxus iterum eas promovear.

Ubi tamen ratio à Visurgis ostio postit institui prima Insula occurrit, quæ dicitur Wangerögia, quam sequitur Spikerogia, quæ olim continens terra fuisse dicitur, postea est Langerögia, Baltringia, Nordeneya, Ivisitia, ex cuius oppositione Amesis mare septentrionale influit, ubi admodum magna opus est cautione, ob impetuosum Amesis æstum, utramque Frisiam orientalem & occidentalem ab invicem

Discriminantem, si quis Embdam pergat, quæ Civitas ita commodissimum habet portum, ut etiam usque ad forum naves possint Civitati includi, quæ urbs sita est ad Lacum, quem ob infestationes magnas Dollartum dicunt, quum ibi ante hac terra fuit plena, quam permeabat Amesis. Incidit enim An. 1277. 25. Decembr. Iuundatio, quæ sinum heic maris profundum generavit ultra 5. mill. & 34. Pagos præter oppidula suffocavit.

Antequam autem ad ostium Amesis fluvij perveniatur, à sinistra parte est Urbs Nordana cum portu suo Frisiæ Orientalis.

In ipso ostio est Delphziel portus occidentalis Frisiæ. Postea Groningensis, qui magno circumflexu petitur in littore maris. Hinc Doecumensis, ubi Admiralitas habetur Frisiæ.

Deinde Harlingensis; Worcumensis per 6. mill. distans; Staverensis 2. mill. In confinibus his, ubi Australis maris ostium patet, tunc nobiliores Insulæ, Schellinga, Vlielandia, Texelia, ubi naves onerariæ suum rutum portuum inveniunt receptum ob classem armatam Belgicam, quum semper ibi adsint naves, quæ excubias agant, & comitatu suo securum onerariis præstent cursum.

Si inde in Hollandiam tendatur, præsertim ex Texelio, est Medeblicensis, Hornensis, Enckhusanus & Amstelrodamensis portus.

A Texelio usque ad Insulam Vozeniam, & Civitatem Briel directior observari potest cursus circa Hollandiam per 20. milliar. Ubi Mosa mare ingreditur, quando à Dordraco usque Roterdamum, Schirdamumque prælapsa est.

Selandia, quum ex pluribus constet Insulis, unde nomen ferat, habet quoque plures portus, sed præcunctis sunt famosi Goetzeensis, Zirichseensis, Middelburgensis, & maxime omnium Vlissingensis in Walchtia, ubi omnium ferme navium concursus est, quæ in Angliam cum præsidiariis traicere cupiunt.

Quippe heic custodiam agunt unitæ provinciæ magnam hisce temporibus, ut non sine salvo conductu ad Scaldin fluvium, & Portum Antwerpiensem perveniri queat, ubi olim Emporium ingens Hanseaticis fuit.

A Vlissinga propter promontorium Casantense ad Slyssel sem portum inflectitur heic cursus per mill. inde olim merces Bruggas perferebantur Hanseaticæ societati.

A Slyssa ad Ostendam Flandriæ per 6. mill. inde Neoportum per 3. mill. Calecum 3. mill. pergitur, ubi primus portus Galliæ constituitur. Bulignensis hinc 3 mill. distat, postea Montstrul 3. mill. S. Valeri 5. mill. Treportanum 4. mill.

Dipen Franciæ 4. mill. Fecam 7. mill. Hableugratie 7. mill. ad ostium fluvii Sequanæ, per quod pergitur Roanum. Tucquet 2. mill. Cain 5. mill. Bieucardiæ, Moberille 18. mill. ubi promontorium Hegense est, S. Michael Normandiæ 16. mill.

S. Malo 4. mill. Briaux 5. mill. Briac Britannicæ Insula 4. mill. Blanco 5. mill. Morlions 6. mill. Roschaus 6. mill. Conquet 13. mill. Brestau 5. mill.

Lande-

Landerau 3. mill. Oudigerne 4. mill. Weſtpenmarks 4. mill. Bindet 6. mill. Blavet 10. mill.

Auray 8. mill. Vannes 4. mill. Villaine 9. mill. Inſula S. Martini 10. mill. Rochelle 3. mill. Broiage 5. mill. Marennes 3. mill. Oſtium Guaronne 10. mill. Arcadox 15. mill.

Bayonna 13. mill. Ian de Luz 3. mill. Fontaravia Biſcaiæ 4. mill. Sanct. Sebaſtian 3. mill. Deuva 8. mill. Placent 2. mill. Bilbao 3. mill. (ubi naves conduntur, & multum habetur ferri) Caſtro 4. mill. Laredo 4. mill. S. Andro, 5. mill.

S. Vincento 8. mill. Rio de Scila 6. mill. Capo de peinas 16. mill. Aviles 2. mill. Galliciæ, Luarca 6. mill. Caſtrapol 6. mill. Ribadeo 3. mill. Promontorium Oregal 4. mill. Sivero 4. mill. Ferol 6. mill. Põte de Maes 3. mill. Bitanze 4. mill. Fontaigue 2. mill.

Coronna à Ferol 4. mill. Queres 8. mill. Monſij 11. mill. Capo finis terræ 4. mill. Corrobaiona 2. mill. Dorp. 6. mill. Villa nova 4. mill. Combado 4. mill. Porta nova 7. mill. Ponte Vedra 4. mill. Aldana 2. mill.

Cannas 7. mill. Rondela 2. mill. Baiona 5. mill. Camina 4. mill. Viana Portugalliæ primus portus 5. mill. Villa de conte 5. mill. S. Iohannes 6. mill. Porta Port 5. mill.

Aveira 12. mill. Cap. Pontego 5. mill. S. Catharina 2. mill. Nova Lisboua 8. mill. Promontorium Roxent 12. mill.

Arx Gilles 2 mill. Ulterius in flumine Tago Lisbona 3. mill. Caput Deſpeichel à Roxent 8. mill. Setubal ſive S. Vues 7. mill. Promontorium de Vincẽte 22. mill. Lagus Alguariæ regni 5. mill. Villa nova 3. mill.

Faraon 7. mill. Tavila 4. mill. Aimonte 4. mill. Leppe Andaluziæ 5. mill. S. Michael 4. mill. Saltes 4. mill.

S. Lucas 7. mill. Cales 7. mill.

Gibralterra 8. mill. Eſpona 5. mill. Marbella 5. mill. Fiengerola 4. mill. Malagam 5. mill. Almerca 20. mill. Alvi promontorium 8. mill.

Cartagena Murciæ 24. mill. Elche 12. mill. Oliva 20. mill. Valencia 12. mill. Rapita 20. mill. Tortoſa 10. mill.

Barcelona 20. mill. Blanos 8. mill. Girona 8. mill. Narbona 18. mill. Galliæ in Lange-duc Montpellier 12. mill. Marſilia Provinciæ metropolis, Bilagan-ſon, curvum Promontorium, Lacus de Gtimault, Antiboli, Niec Promontor. de S. Soſpier, Vintimiglia.

Hinc verſus Italiam tenditur, ubi primum Portus occurrit ultra promontorium delle melle Arbenga, Savona 11. mill. in angulo ſita maris Genuenſis.

Poſtea Genua 12. mill. Camogli, Moneglia, Maſſa, Piſa, Livorno, Porto Barato; inde ad Inſulæ Elbæ Coſtinopolin in mari Toſcano; cui oppoſita iacet Tuſcia Piãbino, Caſtigliano, Telamonis, Civita Vechia, Oſtia, ubi duplex oſtium habetur Tybridos, per quæ ſe à Roma defluens in mare Tyrrhenum exonerat. Portus huic ſunt clari Aſturia, Fondi ad Lacum ſuum.

Gaeta in promontorio Campaniæ Romanæ: Geronda in Inſula Iſchia, Puzzolo, Neapolis, Vico, Maſſa, Amalfi, ubi uſus Magnetis inventus dicitur, iuxta verſiculum notum.

Prima dedit nautis uſum Magnetis Amalphis.

Licet alii id contradicant. Inde ſequitur Salerno, Pieſto, Piſciota, Ulaſtera, Policaſtro ad Lacum ſui nominis ſive ſinum, Nocera, S. Euphemia, ad ſinum itidem ſui nominis, Tropea, Nicotera, Rhezo ſive Regio ultimis finibus Calabriæ. Ex quibus locis traiicitur in Siciliam, ubi primus portus eſt Meſſanenſis exerit.

Ob formam triangularem vocabatur hæc Inſula olim Trinacria, qua maior vix ulla datur, præſertim in mari Mediterraneo omnes vincit Inſulas magnitudine ſua, Latus enim, quo orientem reſpicit in meridiano, duos integros gradus cum parte quarta exprimit, id eſt, 34. mill. Germanica, urbes 173. Civitates contineat.

Dividitur in tres partes, in vallem de Demona, vallem de Mazara, & vallem de Noto. Olim fuit Syracuſæ regia ſedes in latere ad mare Ionicum: nũc ex adverſa parte verſus mare Tyrrhenum Palermo, aut Panormo eſt, ubi egregia arx conſpicitur, regimini totius Inſulæ deſtinata, cum Conſilio pleno Regis Hiſpaniarum.

Portus autem habet nobiliores, uti dictum eſt: Meſſinenſis, poſtea à latere occidentali Milazo 50. mill. Ital. diſtat inde, Montagna 50. mill. Ital. Toſa 50. mill. Cifalu 10. mill. Item, Palermo 36. mill. Itẽ, ad ſinum ſui nominis, Amaz 50. mill. Trapano 20. mill. Marſella 15. mill. Mazara 25. mill. Gargentinum emporium 65. mill. Terra nova 40. mill. Camerana 16. mill. Motya 56. mill. Ital. Syracum 40. Catana 40. mill. Taormia 34. mill.

Redeundo hinc ex circumferentia Siciliæ in ultimam extremitatem Italiæ, quæ ulterior Calabria dicitur, occurrit ibi promontorium ſtatim Spartivento, inde Girazenſis Portus per 60. mill. Ital. poſt Scilaci prætervecto Promontorio Itillocenſe, unde circa caput delle Colone naviganti ſe offert Dioſcorone, à quo portu Tarentum eſt. Deinde Raſſano per 20. mill. Ital. Aleſano ad promontorium S. Mariæ, Otranto ubi mare Adriaticum initium ſumit, inde ad Brundufianum portum per 30. mill. Monopolis, Polignano, Barry, Iuvenaſſo, Salpe, Manfredonia, Sara deſtructa, Peſcara, Loreto, Ancona, Peſaro, Ravenna, Venetia, ubi confluxus eſt mercium ex omnibus partibus totius Maris Mediterranei, nec minus Hanſeaticarum aliquot Civitatum frequens navigatio quotannalis huc erat, præſertim Hamburgenſium, quæ diu duravit, nec ſine lucro, & fructu erat, quam diu Belgæ illac abſtinerent.

Poſtea autem, quum interventiones maximè Amſtelrodamenſes ibi facerent, pedetentim lucrum reliquis Hanſæis decreſcere cæpit, adeo ut etiam Hamburgenſes Venetiis vendere naves ſuas ſoleverit, & per terram revertérentur.

Sic & ſingulare illis negocium erat cum Florentinis, & Genuenſibus in mari Tyrrheno, nec non cum Meſſinenſibus in merce ſerica; quum præſertim fruũenta illuc tranſportarent. Velut & Lubecenſibus, Wiſmarienſibus, & Stralſundenſibus ante alios frequentiſſimus erat commeatus per naves ad Hiſpanos. Sed fecit iniquitas temporis, & iniuria incolarum talium, ut non niſi ex neceſſitate occa-

casione in illas partes navigent, præsertim quum Hollandici ibi se variis insinuarint modis.

Venetorum autem conditio olim longe amplior fuit cum ditionibus suis, quam nunc est, quum Turca aliquot provincias, & Insulas eripuerit, præsertim cũ Cyprũ Insulam amitterent, ex eo tempore propiora regna, & provincias diligentiori cura administrare cæperunt. Nihilominus ipsius Reipublicæ ea fortuna est splendidissima, & amplissima, ut vix regnum aliquod se huic æquiparare queat. Etenim in Lombardia, & Marca Trevisana possidet 7. Civitates principales, præter alia oppida, castella & arces quamplurimas.

Civitates sunt Bergamo, Crema, Brixia, Verona, Vicentia, Padua, Tervis; Bassano itidem, Castel-Franco; Padua, velut & versus septentrionem Forum Iulium est, Istriaque. In Dalmatia ad mare possident præcipuas Urbes, & portus, ut est Zara, Spalato, Cataro, aliæque.

Nec minus adhuc in ditione eius Reipubl. vigent Insulæ Corfu, Zefalonia, Zante, Cetigo, & inprimis celeberrima illa Creta sive Candia; & ad Græciam quoque nonnullos conterminos locos obtinent.

Plurimi Portus à latere septentrionali maris Adriatici ipsis competunt in adsidua continuatione donec perveniatur ad lacum de Trieste, in cuius ultimo sinu intra Forum Iulii & Istriam sita est Urbs eius nominis Trieste, à Venetia 70. mill. distans, Maga versus Istriam 4. mill. Isola 4. mill. Piran 4. mill. Hamago 14. mill. Cita nova 6. mill. Verrenega 2. mill. Parento 8. mill. Pola 24. mill. Promontor. S. Mariæ 14. mill. Medolim 2. mill. Albona 14. mill. Cherso è regione sita in Insula eiusdem nominis 12. mill. in qua etiam Osero 12. mill. Vegia civitas in Insula eius nominis inde 24. mill. dist.

Sic & Arbe Insula & Urbs eiusdem nominis 34. mill. Zara 15. mill. Zeng 4. mill. in Dalmatia, Mortura 4 mill. Sibenico 8. mill. Parisolo 4. mill. Spalato 14. mill. Almesa 4. mill. Macarissa 8. mill. Scadona, Scabenico 5. mill. Amisa 5. mill. Ragusa nova 15. mill. Ragusa antiqua 10. mill. Cataro 35. mill. Antivari 40. mill. Lodrina 50. mill. S. Alexio 10. mill. Durazo 40. mill. Pirgo 22. mill. Levali 5. mill. Spinarca 10. mill. Laplaca 10. mill. Valona 15. mill. Chimera 60. mill.

Corfu in Insula eius nominis 30. mill. S. Nicolao 5. mill Citella 15. mill. Fanaro 10. mill. Elattia 15. mill. Comarus 15. mill. Dardanello in apice sinus de Larta 7. mill.

Larta Urbs 12. mill. Anatoria 6. mill. Vodica 5. mill. Figato Promontorium 12. mill. Alcipo 35. mill. Pescheto 10 mill. Natolica 10. mill. Galato 10. mill. Molroria 15. mill. Lepanto 16. mill.

Cyrrha 20. mill. Salona 10. mill. Rosta 20. mill. Thespia 10. mill. Sicyon 21. mill. Solocastro 15. mill. Vostica 10. mill. Patras 30. mill. Perus in Moria 8. mill. Olenus 8. mill. Trapano 5. mill. Castaniza 5. mill. Salitte 8. mill. Chiarenza 6. mill. Tornege 15. mill. Phiea 30. mill. Alone 6. mill. Cartina 5. mill.

Aliarcho 5. mill. Arcadia 6. mill. Gurgulia 15. mill. Modon 16. mill. Coron 40. mill. Mellena 7. mill. Froccene 8. mill. Chalamata 15. mill. Viculo 30. mill. Coenopolis 20. mill. Promont.

Matapau 5. mill. Ustlo 15. mill. Colochina 15. mill. Acria 10. mill. Cyparissa 10. mill. Cerigo Insula cum civitate eius nominis 30. mill. Cythera eiusdem Insulæ 10. mill. Promont. Malio 40. mill. Mortan 10. mill.

Malvasia 10. mill. Falera 12. mill. Nicea 10. mill. Cipatia 3. mill. Stella 8. mill. Laprici 4. mill. Tonio 10. mill. Ceres 8. mill Cyphanta 4. mill. Tronio in Sinu 5. mill. Bote 5. mill.

Napoli 10. mill. Philius 14. mill. Maria 12. mill. Haltee 15. mill. Hermione 5. mill. Celenderis 18. mill. Lavacra calida 6. mill. Methana 5. mill. Pogenos 6. mill. Mala 10. mill. Epidaurus 8. mill. Damela post promont. Spiræum 25. mill. Siveri 6. mill. Cleona 5. Pleda 5. Nicia 3. Fuor 6. Scutica 5. Cenebree 5. Schoenus port. 5. Policastro in fauce Peninsulæ Moreæ 3. Nisæa 16. Athenæ 23. Munichie nunc Mancina 40. Alope 10. Caput delle Colone 10. Capso 10. Thurium 2.

Sutuo 5. mill. Furenos 4. Sale 5. Brauron 5. Probantlite 14. Laboda 12. Rhamnus 8. Sucamino 10. Euripo 5. Negroponte 10. in Boeotia, Delio 8. Cino 3. Cartison 15. Diope 12. Talandi 8. Longiron 15. Erithria 6. Egilia in angulo maris 26. Zeiton 3. Poncia 6. Dasne 14. Thebæ 10. Cordica 15. Arnia 12. Larissa 5. Fitellio 12. Armiro emporium 16. Vollo 10.

Castanea 10. Sepaida 5. Boion 6. Fiola 15. Ominio 4. Pleto 6. Faco 5. Quechathuino 25. Magnesia 10. Meliboea 24. Sagra 3. Sidie 25. Neo 13. Campsa 6. Platamona 5. Tarchine 18. Posidea 4. Volahida 6. Granea 10. Bardar. 6. Salonichi emporium in ultimo sinu maris Thessalonici 10.

Medinia 6. Lembale 4. Moncastro 5. Syder 5. Fanar 5. Sermila 10. S. Giorgio 15. Pataleno 15. Losoni in hoc circumflexo 62. Cassandra 15. Aiomama 8. Polliro 6. Palene 25. Fassio 25. Cernir 10. Doari 8. Bisalta 5. Sana 8. Oliforio 9. Cleona 20. Thaso 10. Acroro 10.

Diona 6. Stratona 12. Calipso 12. Rutarida 15. Sandino 5. Contella 5. Arethusa 15. Cavala 10. Philippi intra terram 6. Langustro 10. Neapoli 8. Gisopoli 8. Christopoli 10. Savastopoli 5. Abdara 21. Asperosa 10. Fanar 20. Marognia 12. Macri 10. Marisa 10. Eneo 9.

Mecha nova 12. Gallipolis 15. Elconia 10. Ladena 12. Dardanella 10. Mellita 5. Guisa 6. Seito 8. Longon 10. Polistro 5. Gaina 6. Bizanta minor 8. Pandia 8. Rodischo 16. Recrea 10. Conserba 10. Selimbria 6. Natura 10. Rego 4.

Constantinopolis 10. Filea 5. Fanar 3. Filen 12. Malathia 12. Salmydis 50. Verduizo 20. Sisopoli 30. Tanzi 8. Mesember 15. Galaro 10. Rosico 8. Varna emporium 10. Castrizi 8. Carbona 6. Arsurana 4. Caliacea 5. Pargala nova 11. Tomi 8. Pangala 4.

Baba 10. Zanavarda 3. Proslaviza 24. Stravico 10. S. Georgio 12. Zoff 5. Stravico 12. ad Tragolæ ostium Kilia Emp. 10. Licosteno 16. Salisse 15. Falconara 12.

Moncastro 14. Olica 20. Hermonactis 13. Turris Neoptolomi 4. Ginestra 10.

(Notandum hoc, quod promiscue interdum usi simus hucusque milliaribus, præsertim Italica mensio tamen observata est; At nunc Germanico more in dinumeratione milliarium procedimus) Orzakow 10. Treza 16. inter quos portus & Urbes Boristenes, hodie Niper dictus, ubi divisionem prius duarum

duarum partium accepit, se in Pontum Euxinum effundit.

Megaricho 13. Pidea 11. Portus bonus apud Rostam 5. Tamyraca 5. Nigropoli 10. ad fluvium ex Germanica Tartaria in pontum Euxinum tendentem, Præcopia emporium olim, quum adhuc subditione Genuensium esset, longe celeberrimum, unde quoque tota Peninsula Ponti Euxini nomen hodie gestat, in fauce Chersonesica sita, 18. mill. Costovia 6. Dandaca 6. Eupatorium 4. Grossida 5. Varangito 10. Ferro 9.

Cressona 4. Calamita 6. Inkerme 9. Palaelij 3. Kaytha 2. Abskou 3. Santodero 3. Gorczuse 3. Pangropli 3. Soldaia 4. Theodosion Gaffa 6. Conexaxe 6.

Cavida 2. Cailallaxi 4. Aspromiti 4. Ciprico 3. Pontico 3. Rers 2. Zenonis Chersonesus 12. Carcatogni 5. Salinea 9. S. Georgio 4. Lena de Gospo 3.

Lena de Salcombra 6. Porteri 7. Polonixi 5. Palastra 3. Papa Coma 6. Caburdi 5. Pisan 6. Tanais Emporium celeberrimum 16. 2. Ubi fluvius Tanais, discindens Europam ab Asia, influit in Pontum Euxinum; Zacaria 4. Bactucki 6. Tat magno 3. Tat parvo 3. Cotala 3. Pero 3.

Azara 2. Sancorsi 2. Tyramba 3. Cincopa 2. Cizi 2. Mapopa 2. Copa ad fl. eius nominis 3.

Cymmerium unde olim tota regio nomen obtinuit, 4. Temroch 4 Thomam 6. Mattiga 3. Corocondame 4. Trinici 12. Calolimiona 2. Mauro Laco 6. Coreta 3. Maurozichia 6. Suzaco Tazos 8.

Albazichia 7. Aiazo 17. Catari 6. Pezonda 14. Cuba 6. Gozo 9. Fasso 7. Genca 3. Santina 6. Trabizonda 8. Homidie 9. Lavona 6. Lunania 6. Plategena 6. Calipo 5. Sinopi 3. Civiopoli 10. Girapetrino 10. Lippo 11. Cangari 5.

Carthy 6. Algiro 9. Scutari 3. Chrispo 4. Tritamo 9. Schio emp. 6. Marmora 12. Paris 6. Anico 3. Avido 7. Dardanello 6. Antiocheta 6. Ervania 5. Tenedo 5. Landimiri 9. Cuma 4. Troia 5.

Magnesia 3. Smyrne 6. Urlea 3 Figena 3. Demonate 5. Palatia 6. Stadia 24. Aconitanita 18. Rossa 5. Levissi 21. Aratia 12. Satalia 4. Antiochia 9. Dragari 9. Cutro 21. Mytis 12. Caramannia, Laiazzo 3. Alexandritta 6. Candelona 2. Soldino 13. Italica 4. Marsgado 3.

Tortosa 5. Tripolis 3. Sydon 8. Tyrus 4. Ptolemais 4. Soppe 9. Azotus 3. Ascalon 3. Gazo 3. Tenesse 9. Damiota 6. Alexandria Ægypti 24.

Vechio 4. Carobery 13. Berton 18.

Cazales 12. Saion 6. Lucho 8. Trabuco 7. Cyrene 24. Talometa 12. Bezel 9. Carcora in sinu, ubi Syrtes maris 8. Sebeco 15. Sendico 6. Amudela 6. Brata 6.

Ammonis 9. Rasamuses 6. Tripolivechia 17. Zerbi Promont. 45. Caphis 5. Ubi Syrtis minor, Susa 35. Recolia 5. Thunis regium emporium 10. Tabarca ex adverso Sardiniæ 50. Bona 5. Talizem 20. Callo 5. Marsello 12.

Bogia 20. Algir 15. Momel 24. Tanes 10. Mostagian 5. Oran 10. Melilla 34. Alcudia 10. Casasa 3. Tartaquirato 6.

Buzemma 5. Bozencota 6. Penon de velis 5. Farga 5. Salguisa 5. Chercora 4. Texga 3. Tatsonella 5. Gemera 4.

Tutuan 4. Almina 5. Ceuta 3. Alcacer 5. Arzila 10. La Rache 5. Maxinara 4. Mannocca, alias Mahmora 6. Sala 2. Cale 1. Almangor 4. Haino Chalu 4. Anafe 12. Benitz 2. Azamor 4. Ebnedin 2. Masagan 3. Tite 3.

Cisadocavali 4. Emendaria 8. Anamor 4. Asaphi 10. Goza 2. Aman. Teculeth 4. Tetnest 4. Montana 3. Bogador 3. Culeibat 6. Taffetana 14. Adechis 4. Gortguessem 8. Zebedie 4. S. Cruz 4. Teiut 7. hinc pelles Marochinę afferuntur, Messa 14. ubi Ambra reperitur suavissima; & sitæ hæc sunt è regione in Oceano Atlantico felices Insulæ Canariæ sparsim sub 30. gradu Meridiani ab Æquatore. Suanta 4. Buleza 3. Monasteralias Monisera 10. Offim 15. Amfalez alias Amsuler 7. Alberine alias Albene 10. Angila 12. Bedeam 8. Bagador 10. ubi Asinarium Promontorium, quod Ptolomæo mons solis dicitur.

Hinc per regiones & regna diversorum populorum & Nigritarum nempe Gualaram, Hodehium, Chassalicum, Genechoæum, Sanangicum per quod Niger fluvius Oceanum petit, Melingiacum, & Caragolicum usque ad Guineam per 400. mill. Germanica hi portus præcipui habentur cum promontoriis pluribus, nempe Barrejas, Cavales; cap. de Sintea, Legato, Mindan 5, Cyprior, cap. das Barbas, C. Catvociro, C. Blanco, Pedrenoiras, Arguin; Penio, Cap. Daraias, Nesquata de Cuo; C. Tare, Badonel, Palma. Cap. de Verde, Pone Acona, ubi è regione sitæ sunt Insulæ Hesperides sive Gorgades: Gambra, Locoa; Cap. Roxo, Baias de Buguba; Osmalus, C. de Vetga, Pichol, C. Sagees, Casse, Ca. Serra Liona, ubi celebre promontorium Guineense: S. Annæ, Fluv. de Gallinas inde per 14. milliar. distat; Fluv. de novo 8. Fl. de Agoada 14. Fl. de San. Paulo 9. Fl. de Iumcos 8. Fl. dos Feitos 8. Fl. da Palma 5. Fl. de Genoes 4. Fl. de S. Vincente 5. Fl. dos Esclavos 10. Os Areas 6. Pee de Cavallos 5. C. das Palmas Aldea de Portegal 25. Fl. dos Pontas 10. Os Montes 6. Fl. de S. Andrea 10. Os Pauli 6. Madronahl 6. Fl. dos Barles 5. Alagova 8. Aldea de Lagos 10. Concholada 2. Acomida 10. Fl. de Seut 02. Aixem 16. Atalaia 16. Cama 15. Fl. de S. Georgio 5. Alde de Torto 5. Mina 6. Os Palmar 10. A des Redes 5 Redondo 5. Aldea de Barca 6. Fl. de Volta 10. Paposo 5. C. de S. Paulo 5. Quatre montes 6. C. de Monta 5. Alombada 5. Atuore 6. da Cruz 4. Fl. Papous 14. Ardo 2. Fl. de Lago 10. Amata 5. Aldea das Almadias 7. Fl. de Palmar 2. Fl. Primeri 5. Fl. Benin 5. Fl. dos Esclavos 15. Fl. dos Forcados 6. Fl. dos Ramos 8. Prom. de Termoso 25. S. Tilafonso 10. Fl. de S. Bartholomæo 5. Fl. de Real 5. Fl. de Catmo 6. Fl. dos S. Domingos 5. Fl. de Conde 14. del Rey 5. Pescaria 5. in ultimo sinu maris Aethiopici sita, ubi Africa versus Longenense regnum se extendere incipit.

Costa dos Amboas propter circumflexum 30. Fl. dos Camarones 10. Del Gada 6. Serra Bota 12 Fl. da Boria 5. Serraz 5. Golfo de Ileo 10. Port do Gariaco 5. Acomiada 10. Fl. de Campo 4. Fl. de S. Bemeo 5. Cap. de S. Iano 6. do Corisco 6. Cap. de Eitiras 8. Fl. de Gabam 5. ubi è regione sita est Insula S. Thomæ sub Æquatore, quam ferme in medio transit sub 43. & 44. grad. ibi à terra firma distans.

Cap. de Barca 4. Golfo de Nazaré 5. Cap. de Lopo 5. Fl. de Petadia 4. Fl. de Fernamvaz 6. Cap. de Catarina 6. Serra de S. Spirito 16. Masonde 5. Cap. Primeira 4. de Alna Mentz 5. Cap. de Segundo 5.

Diosi-

Diondio 8. Serra Coraprida 12. Duasmontes 10. Loango 10. Almadias 5. Cap. de Palmar 12. Fl. de Congo 15. ab oſtio 35. eſt Maricongo ſive Ambaſſe, Pinda 40. Ambrizi 22. Serras 7. Loze 6. Bengo 15. Zenza 5. Dinhero alias Loarda 10. Angola 5. Coanza 12. Camboas 10. Lomga 8. Coſta de S. Laurenzo 5. de S. Ambroſio 10. Duas Sierras 5. Angra Praia 8. Angra de S. Maria 6. Terra Baixa 8. Monte negro 5. Os Montes 9. Praya 6. Das Aldeas 9. Manga das Areas 10. Cap. Negro 6. Praya das Baixas 15. Terra de Rupitz 10. Praya 6. Golfo Fria 10. Praya das Pedras 12. Baya de S. Ambroſio 12. Praya das Neves 8. Serras 10. Cap. de Serra 10. A. de Ilheo 13. Port. de Ileheo 6.

Coſta de S. Thoma 3. Golfo de S. Thoma 4. Serras Caveo ſive deſertum 6. Praya 10. Golfo Pequena 6. Serras Peg. 8. Peneal montes 10. Cap. de Pray 12. Angradas Voltas 14. Secos 26. Monte des Bramidos 10. Serra de Penedal 10. Montes 5. Alombada das Areas 8. Golfo de S. Helena 12. Agoada de Soldanha 20. Cap. de Boa Eſperantza ſive Caput Bonę ſpei 20.

Heic iam portuum finem conſtituemus, recurrendo in medium ferme mare Oceani Aethiopici ad Inſulam Helenam, quæ ſita eſt in $16\frac{1}{2}$. gradu Meridiani ultra Aequinoctialem circulum verſus tropicum Capricorni, ita ut à Promontorio ſive capite bonæ ſpei 550. mill. diſtet. A Portu Capitis Nigri Angoliæ 350. Unde ſi in Braſiliam Americæ proximum tendatur portum, iter non intra 510. mill. poteſt confici.

Præruptis hæc conſtat Inſula montibus, & triplices patitur à mari interruptiones, ut ſingula pars propriam gignat Inſulam; Quæ autem proprie ita dicitur 6. milliaribus in circuitu determinatur, nec habitata eſt, ſed in uſum eum ibi commode à prima inventione Portugalenſium maxime adornata, ut navigantes delaſſati locum haberent, ubi non tantũ vires recuperarent aliquantiſper quieſcendo; ſed etiam novis aquis, quæ ibi admodum potui idoneæ reperiuntur, naves ſuas implerent, & aliis neceſſitatibus denuo providerent. Altitudo montium in ea talis eſt, ut ſemper quaſi nubibus obtecta videatur, unde aſſiduus undarum defluxus eſt ex faſtigiis, qui in valles demiſſus fluvii ad inſtar ex variis amnibus ſe format, in mare decurrens, ad cuius oſtium aqua hauritur, & navigantes veſtimenta ſua cum induſiis, aliiſque linteamentis purgant. Terra nihilominus in fundo ob nimiam exuſtionem, & propinquitatem ſolis cineroſa apparet, velut nec ita ſucculentæ ſunt arbores, ſed nonnihil fungoſæ quaſi ex nimia aduſtione.

Quamvis etiam multitudo arborum ſatis undique frequens ſit; tamen Portugalenſes variis generibus fructuoſis, & plantis conſitas fecerunt valles variis ſpeciebus pomorum & malorum Citriarum, Punicarum, Granatarum, ficuum, amygdalorum, aliorumque talium, quæ ex India afferuntur, ut omnes valles iis oppletæ ſint, & iucunditatem adſpectantibus adeo creent, ac ſi locus Paradiſiacus eſſet, velut & animantia plurima adportarunt, maxime capras, Damas, apros, hinnulos, hircos, hędos, lepores, tupicapras, querquedulas, ardeas & ſimilium; quæ ad vitæ ſuſtentationem faciunt: ſic & volatilia, ut ſunt palumbes, columbæ, cygni, fulices, Gallinagines, Liviæ, Perdices, Phalacrocoraces, Phaſiani. Quæ cuncta in magno ibi numero inveniuntur, ut omnes, qui illuc veniunt navigantes, quocunque tẽpore habeant, quod edant; ſicut & liberum eſt cuique pro eſu talia capere & venari.

Arbores & frutices facile ibi acreſcunt abſque cultura hominum, quum per vices aliquot ſingulis diebus pluviæ ſint, quas mox ſerenitas cœli excipit. Sic & ubertas piſcium tanta eſt ibidem, ut ferme incredibile ſit, & facili conatu capiuntur, quibus naves oppleri poſſunt in diſceſſu; velut & in eum finẽ torrefaciunt, aut Sale condiunt eiuſmodi, ut diu iis in navigationibus frui poſſint. Inſula hæc quaſi in meditullio Oceani illius, quo nullus amplior in mũdo, ſita eſt, ut videatur impoſſibile eſſe, quod navigationes tam longinquiſſimæ ſine huius adiutione queant continuari, aut abſolvi, quum alias ſemper non ſine periculo ſummo recurrendum eſſet navigantibus in Guineam, aut aliam Africæ Provinciam & portum Nigritarum. Si forte ſint in navibus ægrotantes, linquuntur pro refectione & recuperatione valetudinis in hac Inſula, quibus ex panibus cocta, oleo & ſimilibus uſualibus alimenta relinquuntur, donec reconvaleſcant, velut & aer illis medicinæ loco eſt, ut ægrotantes non facile moriantur. Unicum ſaltem eſt ibi Sacellum, & aliquot vacuæ caſulæ in portu: Attamen Rex Portugalliæ non admittit, ut incolæ ibi ſint aſſidui; ſed locus ſit ſaltem hoſpitalis advenientibus, ne terra amœniſſima deſtruatur, nec proprietates ſibi ex bono hoc communi faciant avari: velut olim hoc experimentum Eremitanus quidam Monachus edidit, qui ibi ſub prætextu pœnitentiæ manſerat. Sed ille ex internecione animantium tot ſibi pelles adſervarat, nautiſque vendiderat, ut divitias inde per aliquot annos non parvos conquiſiviſſet. Id vero quum denunciatum eſſet Regi, iuſſit, ut in Portugaliam retroduceretur. Sic & accidit, ut ex Moquambiquetana regione tres homines cum binis mulierculis huc appulerint, qui in montibus præruptis per aliquot annos ſe occultarant, & ex generatione excreverant uſque in numerum 20. qui magno Inſulam affecerunt damno, ut advenientes mirarentur, unde hoc malum eſſet. Tandem deprehenſum eſt, clam heic ſe ſuſtentare homines: unde perſcrutati ſunt Inſulã per omnes ferme partes; in rimis autem & ſpeluncis montium ſibi habitationes conſtruxerant, in quibus latitabant, quamdiu navigantes adeſſent: quod ita per aliquot annos continuarunt: Donec Rex ſevero ediceret mandato, ut omni cura inveſtigarentur, & captivi in Portugalliam abducerentur. Ab eo uſque tempore non amplius ſedem quiſquam ibi figere ſibi auſus eſt: Sed quoties adveniunt navigantes, caſulas ſub arboribus ſibi conficiunt ad victum, & veſcuntur fructibus illius loci licite, captantque pro neceſſitate piſces, animantia, & aves ex ſupradictis generibus, quibus ſe in eſu oblectant, quamdiu pro refectione illic degunt; Cantitant hymnos circa ſacellum, Deo gratias agendo, quod tot tempeſtates maris ex capite bonæ ſpei huc uſque evicerint. Inciſa quoque ſupra modum nomina in corticibus arborum inveniuntur ab Anno 1510. & 1515. uſque & ſequentibus. Ex accretione arborum reperiebantur litteræ extenſæ in magnitudinem palmæ manus, etiam lichados vel orthodoxi.

Si hinc ad ſolem verticalem Aequinoctialis curſus

per

per mare Aethiopicum dirigatur versus Baiam S. Annæ Guineensem per distantiam 12. gr. id est 190. mill. Germ. perventur ad Insulam Ascensionis, quę sic à Portugalensibus dicta est, quod in festo Ascensionis Christi eam primo aggressi sint; cuius distantia ab æquatore est 8½. grad. Ampliorem quidem habet circuitum quam supradicta Helenæ, sed non ita elevatis & præruptis constat montibus; attamen terra plane sic exusta est, ut nullos ferat fructus; mõtes sunt inde rubei coloris, & littora atenosa undique, quæ circumfluit immensa piscium copia, longeque abundantior, quam apud Helenam conspicitur Insulam.

Ulterius hinc versus septentrionem, & paululum sinistrorsum pergendo, priusquam ad Insulas 7. Canarias à multitudine canum in iis reperta, olim fortunatas dictas, per 44. gradus, id est, per 660. mill. Germ. deveniatur, præter alia mirabilia hæc duo maxime notanda sunt, quod non tantum anseres aquatiles ibi in summa copia circa Insulam Ascensionis inveniantur hominibus ultro se offerentes, sed etiam quoque pisces ad magnitudinem halecum reperiantur volatiles pinnis suis extensioribus. Genus est singulare piscium, quod quum aliorum piscium maiorum persecutiones funestas adsidue perpetiatur, natura id hoc beneficio affecit, ut ex undis se in altum extollere, & fuga salutem suam aliquo usque quærere possit per aerem, donec pinnæ illis sint exsiccatæ ex vento, tunc in aquas iterum se demittunt, ut pinnas madefaciant, & se rursus in altum volando elevant; quumque sæpius enerventur viribus hisce suis atque occasio ex navibus se offerat, ut defatigationem expuere possint, navibus se concredere nõ verentur, in quas ubertim incidunt. Per 300. mill. ab Insula Helenæ usque ad Aequinoctialem lineam inveniuntur pisces tales, sed non ultra. Ab Aequatore autem usque ad 19. grad. meridiani circa regionem Promontorii Nigritensis, quod Capo Verde dicunt, in Oceano magno locus marinus à terra usque 70. & 160. mill. distans reperitur, quem mare Sargassæum vocant, ob perpetuam viriditatem herbæ, Petroselino non absimilis. In adspectu ita apparet, quasi terra esset continua, quum tamen unda hæc marina istius loci talem procreet sobolem progerminationis suæ, cuius nec fundus ullo potest attingi mensuræ filo: licet nec ulla ibi inveniatur Insula; sed admodum tardæ heic navigationes subeuntur, ob herbæ illius resistentiam, quæ non aliter, quam per venti acrimoniam & violentiam valet perfringi, aut discindi.

Per 400. mill. Germ. versus occasum extendit se hæc longitudo per Oceanum, & incipit latitudo in 20. usque 54. grad. aliquibus in locis, ut hac re ferme in matis vastissima amplitudine nihil sit considerabilius. Facit quoque herbida hæc congeries in tanta planitie, ut exspirationes & evaporationes adeo frigidæ heic sint, ac si non longe à congelatione abessent, quod sub Zodiaco plane insuetum est, Portugalliciqui etiam hisce in locis vestimentis hybernalibus uti solent.

Hinc digrediendo ad dextrum latus si pẽveniatur ad 28. gradus, occurrunt Insulæ Canariæ alicui, quarum 7. sunt maiores, nempe Canaria magna, Teneriffa, La Palma, La Gomera, El Hierro sive Ferro, Lanzarotte, Fuerte ventura, sive Forte ventura. In Insula omnium maxima heic Teneriffa est mons, Puo de Terraera appellatus, qui ab omnibus eius præruptæ altitudinis iudicatur, ut nuspiam illi quis similis in mundo possit inveniri, quum per 60. milliar. usque in Oceano undique conspicuus appareat navigantibus. Nec adscensu est facilis, nec conscendi potest extra mensem Iulium, & Augustum ob nivis densitatem, rigoremque horridum, per reliquos menses si quis ad fastigium montis laborem subeat, vix trium dierum spacio id perficiet. In cacumine planities est; ex quo per 50. mill. omnes circumiacentes Insulæ satis evidenter conspici, & notari poterunt, & si quis accuratus sit observator, in conscensu montis inveniet lapides metallicos argenteosque inprimis, velut & tali collectioni incolæ incumbunt, ut in Hispaniam avehantur. Habet enim hæc Insula in longitudinem se maxime extendens, 8. portus, inter quos, nempe S. Crucis, Gerrachica, & Adessa, nobiliores sunt, ut illuc naves appellere quidem possint, sed tamen magnâ cautione est opus prope Portum Gerrachicanum, quum rupes aliquot, & scopuli sub aqua lateant absconditi, in quibus graviter impingant imprudentes & temerarii nimium nautæ, ut plures sæpius heic submersæ sint naves; unde etiam vasa ibi posita signum viæ indicant, quæ admodum accurate sunt observanda. Ad Adessam autem maxima vini Canarici copia advehitur, ut inde in potissimas partes terræ exportetur. Reliqui Portus minores sunt Lapania, Laramela, Relecho & Oratama, unde Insula quasi caudam ad Promontorium sive Caput de Nago versus Cæciam sive ortum æstivum inclinando extendit, atque sic in longitudine 17. mill. continet.

Si inde versus occasum solstitialem aut Africum tendatur ab Adessa, distat Insula per 4. mill. Gomera, quæ ab ea parte bonum habet portum, quem præ reliquis inter omnes ob securitatem suam optimum dicunt. Inde si ulterius versus occasum iuxtà rectam lineam per 10. mill. pergatur, est Insula Ferro sive del Hierro, cuius terra parum fertilis est, quum intetius plane aqua destituatur bona, nisi quod Iohan. Hugenius de Linschoten in libro de navigatione Indica cap. 96. quid mirabiliter de miraculosa arbore, quę procritate sua incredibili usque nubibus se involvat, & inde perpetuum stillicidium attrahat, in tanta aquæ copia, ut & homines, & animantia inde potum suum sufficientem adsequantur, referat. Describit quidem arboris huius formam & folia oblonga; sed cuique suam relinquimus opinionis diiudicationem.

Inde si versus Boream, aut Aquilonem septentrionalem tendatur per 15. circiter mill. occurrit ibi Insula La Palma, cuius eadem ferme est distantia à Capite de Nago Teneriffæ; unicum habens portum ibidem S. Crucis, ex quo versus Vulturnũ Teneriffa satis evidenter conspici potest. Hæc Insula quasi intetmedia respicit reliquas Canariæ Insulas, quæ anteriorem in Meridiano gradum 29. ab Aequatore ferme attingunt, at remotiores sunt à Barbarica terra, uti sunt Lancerota, Forte ventura & Canaria magna. Lancerota in situ meridiani hinc opposita est Teneriffæ, & à Capite S. Vincentii Portugalliæ sive Algarbiæ, quod Promontorium sacrum dicunt, per 24. mill. distat, habetque portum egregium à parte ortus æstivi inter duas minores Insulas Ala-

grati-

grancam & Gratioſam, quibus & adhuc duæ aliæ adiacent, ut inde receptus navium ab omni ventorum iniuria ſatis ſit tutus. Ex qua autem parte ortum reſpicit, celebris & famoſus eſt portus, quem Porto de Naos vocitant, non adeo procul à Civitate Lancerotta, quam ſequitur ad dimidium milliaris Portus de Cavallos. Inſula hæc non adeo eſt fertilis, & aqua caret ſalubri.

Inde verſus occidentem diſſidet Inſula Forteventura in longitudinem uſque ad 13. mill. excurrens, in medio nonnihil incurvata; ſed undique intra latitudinem non ultra 4. aut 3. mill. exprimit. Priuſquam autem ad hanc Inſulam perveniatur, intermedie iacet Inſula parva de Labos. Portus heic utrobique non adeo ſunt convenientes.

A Forteventura ulterius verſus occaſum per 15. mill. diſtat Canaria maior, quæ quaſi collum ſuum verſus Boream protendit; ac habet ibidem caſtrum ab una parte colli, ac in eodem latere poſtea civitatem eiuſdem nominis Canariam.

Sic quoque harum Inſularum mentionem heic luculentiorem introducere voluimus, quum ex veterum Coſmographorum informatione ab iis principium longitudinis in inveniendis locorum diſtantiis ſumatur, ut eo rectior ratio iſtarum Inſularum in uſu navigationum inde perſpiciatur. Velut heic quoque deflectere ſolent, quibus iter longinquum eſt per mare uſque in Indiam Orientalem, ſi evitare velint maris Atlantici eam partem, quod ſuperius Sargaſſæum diximus, ob multas remorationes, quas ibi navigantes patiuntur.

Alias tamen ad Inſulas Acores appellere ſolent, & præcipuam earum, quæ Tercera dicitur, quod quaſi tertia ſit iis in ordine, qui ex Hiſpania veniunt. Inſula eſt altitudine 39. graduum, mill. 15. aut 16. cõplectens, frumenti & fructuum fertilis, neque vini omnino ſterilis, licet tenuioris, quod proinde neque exportatur, neque lautiores utuntur, præferentes Canariæ & Maderiæ vina. Ex bobus autem maximũ Inſulanis his eſt lucrum. Hi cornuum prolixitate & pulchritudine omnes Europæ boves longe excedũt. Eſt frequens præterea ubique Cedrus adeo, ut carros & naves ex eo ſtruant, & focum alant. Magnus Incolis proventus ex rubia, quam tinctorum cognominant, qua panni colore rubro inficiuntur. Eius magna ubertas, inprimis circa loca, quæ vulgo Los Altares & Folladores appellant. Primaria quoque eius Urbs eſt Angra, cum propugnaculo munitiſſimo Brazil. Naves mercibus Indicis onuſtæ, in reditu ut plurimum ad has accedere conſueſcunt, priuſquam Ulyſſiponam aut Gades appellant, uti Iohan. Hugo à Linſchoten docet.

Ita diverſis modis quidem iter in Indiam orientalem, aut occidentalem inſtituitur beneficio iſtarũ Inſularum; ſed nulla aptior ratio haberi poteſt ob maris nimis magnam vaſtitatem, verſus Americam, quam ſupra diximus. Etenim terram eam quam Antipodes incolunt, longiſſime ita à tribus iſtis partibus, quarum determinationes huc uſque attigimus, mare occidentale & oceanus magnus à nobis diſeti minatam tenet. Si illuc tendatur, duorum menſium & ultra ſpacium non ſine variis periculis navigantiũ ex Belgio uſq; requiritur. Eſt enim ultra Oceanum Atlanticum magnus ille terræ tractus & vaſtus, ita ut totum fermè Hemiſphærium inferius nobis oppoſitum conſtituat, & humanæ admirationis modum poſtquam à Chriſtophoro Columbo alias Colono (ut Petr. Martyr ait) An. 1492. detectus fuit, excedere videatur. Si ex Africa ab oſtiis Nigri verſus occidentem brumalem per 340. mill. German. tanquam per diſtantiam ſic minimam illuc ad Braſiliam proficiſcatur, plaga illa meridionalis tota aquis ambitur, & à continente Freto Magellanico diſtermi-nata conſpicitur.

Licet de ſeptentrionali parte nondum omnia cõſtent, quum peregrinationibus loca ea cuncta, ob hominum beluinorum & ferarum malitiam & truculentiam haut ſatis hucuſq; ſint explorata. Ita magna eſt hæc univerſa plaga, ut nec uni reliquarum orbis partium; neque vero vix etiam tribus omnibus noſtri hemiſphærij ſimul ſumptis, amplitudinis vaſtitate cedat, ut illi granditer errent, qui eam Inſulæ adſimilare alicui non verentur. Et quur non ita confuſo nomine omnes terræ partes Inſulas vocitare licitum eſſet, quum omnes ex aquis Oceani ita eodem modo promineant? Dum interim rectius ij agunt, qui totum terrarum orbem in tres potiſſimum partes, quas Oceanus in rotunditate ſua circumfluus efficit, dividant, videlicet, ut earum prima ſit, quam noſtrum hemiſphærium continet; altera noſtris pedibus oppoſita, & nunc America à pernitiori perluſtratore, ac non ab inventore primo Columbo, appellatur; Tertia Magellanica, terra Auſtralis adhuc nobis nondum ſatis cognita.

Extendit enim America ſe ab Aequatore verſus Auſtrum ultra 55. gradus: verſus ſeptentrionem vero eius tractus fere ad 70. gr. excurrit, & maiori cum vaſtitate quam altera plaga Auſtralior, velut omnes confitentur, qui id toties exploratunt. Si ita in craſſiori intellectu loqui velimus, totus ille complexus cum ambitu ſuo vario figuram duarum peninſularũ Iſthmo connexarum repræſentat, quarum una ſeptentrionalior, Nova Hiſpania, altera Meridionalior Peruvaia nominatur. Hiſpaniæ novæ longitudo ab ortu in occaſum ſeſe exporrigit ad 150 gradus, id eſt, ad bis mille ducenta milliaria Germanica: Peruvaia autem ultra 60. id eſt, ad nongenta fere milliaria Germanica. Quam ob magnitudinem etiam quum quarta illa orbis pars, imo cum reliquis tribus prope maior ſit, Novus orbis appellari ſolet. Utraque hæc connexitatis dependentia terreſtris opulentiſſima & florentiſſima regna continet, ac complectitur: Eſtque in iis omnis generis gemmarum, & metallorum, auri, præſertim in ea parte, quæ proprie Peruvaia nominatur aliorumque terra naſcentium, lignorum ad ædificia aptiſſimorum, etiam Hebeni, fructuum varĩorum, frumentorumque, & id genus aliorum, rerumque pretioſiſſimarum copia ubertima.

Prima laus in huius loci diu per tot ſecula obtecti inventione, aut potius inveſtigatione merito defertur Chriſtophoro Columbo Genuenſi, qui, ceu vir erat ingenioſus, prudens & in omni prudentiæ ſtudio induſtrius, ac non minus naturæ explorator ſedulus, & indefeſſi laboris, diu in ea intentione vixit, quomodo commode ex promotione potentiorum conatum hunc perficere poſſet. Ita enim Franciſcus Lopez de Gomara in 2. Part. Hiſtoriæ generalis Indiæ aperta confeſſione de eo ſcribit: Ne quid intactum prætermittam; ſunt qui Colum-

bum

bum linguæ latinæ & Cosmographiæ peritum fuisse affirment: Quumque Platonis Timæum & Critiam legisset, ubi ille ingentis cuiusdam Insulæ Atlanteæ meminit, & obrutæ aquis terræ, quæ Africam & Asiam amplitudine excederet, eo impulsum ad vestigandum Antipodum terras, & aureum illum Marci Pauli Cipangon. Adhęc legisse apud Theophrastum in libro de mirabilibus, negotiatores quosdam Carthaginenses, à freto Herculeo in occidentem & meridiem navigantes, tandem multis exactis diebus in vastam quandam Insulam perveniſſe, desertam illâ quidem & incolis vacuam, sed rebus tamen humanę vitæ necessariis abunde instructam, & fluviis navigabilibus perfusam. Sicut idem Petrus Martyr Mediolanensis, in eo, quem de his conscripsit, libello affirmat, & Columbum ea de re cum civitate Genuensi egisse ante omnia testatur, simulque causam commemorat, quæ eum ad vestigandas illas oras impulerit. Eius verba hæc sunt, ait Hieronym. Benzo in hist. novi orbis lib. 1. cap. 5.

Quum Columbus, inquit, pro suo more ac instituto, trans Gades in Portugalliam, & omnem illam Oceani oram navigaret, sępenumero animadvertit, & quidem multa cum cura & diligentia observans, ventos quosdam statis temporibus anni ab occasu flare consueviſſe, qui multos dies constanti & æquabili tractu spirarent. Quos quum non aliunde, quam ex transmarina aliqua ora, cuius halitu gignerentur, proficiscí posse iudicaret, tam diu circa eam rem cogitando animum versavit, ut eius certitudinem aliquando quærere constitueret. Ergo annos natus ferne 40. senatui & populo Genuensi coram sua consilia exponens spopondit, se, si ita à civitate aliquot navibus instrueretur, Hercolis columnas prætervectum tum diu in occidentem navigaturũ, donec orbem circumvectus, in aromatum feraces Insulas perveniret. Sed eius rei inceptio tum primũ audita incredibilis visa est omnibus quibus videlicet nihil tale unquam, ne somniantibus quidem, veniſſet in mentem, & nihil tamen eorum quæ ad navigandi artem pertinent, ignotum esse videretur. Itaq; omnes hanc Columbi commentationem, ceu inanem fabulam, aut somnium respuerunt: & si forte accepiſſent verum scriptorum alicuius oraculũ de quadam ingẽtis magnitudinis Insula, quæ multorum dierum in occidentem navigatione è Gadibus distaret. Ubi vero Columbus cognovit (sic pergit Benzo cap. 6.) ad tã præclari operis inchoandum suscipiendum in Genuensibus parum opis sibi fore, trans gredi ulterius in occidentem statuit; spe haud dubia, fore, ut ab aliquo principum, quorum ibi divitiæ atque opes inclytæ essent, rebus ad eas, quas ardenter appetiret, explorandas necessariis aliquando instrueretur. Itaque in Portugaliam concedens, inde fratrem suum Barthol. ad Henr. VII. Angliæ regem mittit, qui voré & naves Indiæ vestigandę peteret, promittẽs, se brevi ex terris illis incredibiles divitias allaturũ. Sed Bartholomæus inde irrita spe, & sine ope rediit.

Itaq; cum Alphonso V. Portugaliæ rege Columbus eam rem communicat, eumq; supplex rogat, ut sibi naves aliquot armis & commeatu instructas tradi iubeat: se vero fidem ac iusiurãdum dare, tamdiu in occidentem navigaturum, quoad ditissimas auri, gemmarum, & aliarum divitiarum, quibus precium est, provincias inveniret. Verum sicuti Columbus à Genuensibus suis pro vano habitus erat, ab Anglis ridiculus: ita tum quoq; à Lusitanis pro furiali & delirо circulatore derisus est. Erant tũ in Lusitania homines, qui Cosmographicã artem profitentes, nullam se eius partem ignorare arbitrarentur. Itaque superciliose Columbum despicientes, regi suadebant, ne quam peregrini hominis somniis fidem adhibere vellet. Quippe amentem esse: neq; in occidente aurum, aut divitiarum quippiam existere posse, veluti exploratum affirmabant: Imo neminem subiectam Æquinoctiali lineæ plagam transgredi posse, quin immodicis solis ardoribus terreretur, siquidem eo in spatio maiorem æstus esse vim, qua perpetuainter duos Tropicos solis orbita & cursus est.

Columbus ubi in Portugalia se, ac verba sua ludibrio esse videt, in Castellum profectus, aulam Ferdinandi & Isabellæ regiam adit, eisque suas cogitationes, ut cæteris, exponit, simulq; eas quamefficacissimis potest rationibus, exemplis & testimoniis confirmat, sed illis, etsi principia ipsa primo arriderent, incredibilia polliceri videbatur.

Tandem consumptis aliquot in aula annis, cũ in proposito constanter perseveraret, & tandem rei spẽ ex exemplis & demõstrationibus evidentissimis cõfirmaret, ad extremum quorũdam Hispaniæ procerum ope atq; interventu aditum ad Isabellam reginã obtinuit. Itaque tempus familiariter cum ea colloquendi nactus adeo firmissimis rationibus eam labefecit, ut dictis suis adsensum fidemque præbere cogeret: donec tandem persuasa promitteret, se ea de re cum Rege acturam, omnique ope atque opera enixuram, ne quid illi rei ad inceptum illud exequẽdum necessariæ deesset. Quamobrem brevi Deo bene iuvante, & magnanimæ eius Reginæ supplicatu, Rex Ferdinandus Liburnicam unam, & duas Caravellas Christophoro Columbo instructas & armatas tradit. Ipse cũ Bartholomæo fratre ineunte Augusto An. M. CCCCXCII. è Calicio portu vela in altũ faciens, Gomeram Insulam tendit, quæ una è septẽ Canariis est. Ibi aliquot dies commoratus, ut aquam & cætera inde necessaria sumeret, cæptum iter, occidentem solem sequutus peragere instituit. Porro quum emensa dierum aliquot navigatione nondum terra ulla in conspectu esset, milites in Columbũ fremere incipiunt: Ille mitigatis eorum animis triginta quinq; dies navigando extrahit, neq; ulla tum quoque terræ nota aut indicium apparebat. Itaq; socii aperte Columbo minari, & probra pro se quisque ingerere, Genuensem Impostorem esse palam vocitãtes; quippe nescire eum quorsum tenderet, aut quo appelleret, & se eius ductu in certam pernicię ruere.

Hic Columbus pro virili simul rationes suas firmare, simul eos precari, & orare, ne animis per impatientiam deficerent: sibi spem esse, Deo bene iuvante, brevi terram novam in conspectu fore. His eorum vocibus sedati, quum aliquot præterea dies navigassent, neque ulla tellus occurreret, fremitum in navibus redintegrant, & se reduci iubent: alioqui pertinaciæ ultra tendentem in mare proiecturos. Quippe ulterius progredientibus non suffecturos commeatus, maxime aquam, quæ in Hispaniam reversuris necessaria foret. Ad extremum eo res rediit, ut promitteret, reversuros, nisi intra triduum terram vidissent: interea perspicue ostendens, non tantum suffecturam ad reditum alimenta, si moderate

uti vellent, ſed multo etiam longius. Itaque proſpere iter exſequi pergens, poſtridie eius diei dimitti vela iubet: ac credibile quidem eſt, quum id diceret Columbus, haut procul terra affuiſſe, idque ex cœli conſpectu deprehendiſſe, aura & nubeculis, quę circa ſolem in horizonte apparerent: aut certe inſtinctu quodam ingentis & invicti animi.

Nocte, quæ eum diem ſequuta eſt, nauta quidam Lepidis è ſummo mali faſtigio alta voce proclamās, ignē, inquit, ignē proſpicio. Tum è veſtigio excipiens adoleſcens quidam, non diu eſt, inquit, quū mihi dominus meus Columbus id ipſum dixit. Nauta ipſe ingenti lætitia & ſpe auctus, haud dubius ſe ſimul ac Hiſpaniam attigiſſet, tā fauſtū nuncii à Rege præmia laturum, quod primus viſi ab ſe ignis è navi ſignū dediſſet: Poſtquam indonatus abiit, ira & dolore victꝰ profugit in Africam, & Chriſti fidem exuit. Iam quāta omnes voluptate perfuſi fuerint, poſtquam novā eam terrā conſpexere, nemo dicendo adequi poſſit. Alii vix præ gaudio mentium compotes, novam orā intuendo explere oculos non poterant: aliqui perfuſi lacrumis Columbum amplectebantur: nonnulli venerabundi manus eius deoſculabantur, & qui eum offenderant, ignorantiæ petebant veniam: denique omnes ſeſe admirandæ ipſius virtuti humiles ſervos ac devotos ferebant.

Interea Columbus demitti ſcapham in mare iubet; egreditur in terrā; & deiecta arbore crucē ex ea factā, in nomine Dn. Ieſu Chriſti Crucifixi in littore ſtatuit; & novi illius mundi ius ac poſſeſſionē Regū Catholicorum nomine uſurpat. Hoc modo Columbus propria virtute atq; ingenio ſecundum Dei gratiā primus Indiam novam aperuit. Neq; minus tamē ex tam mirabili opere, cuius ipſe autor & effector extitit, mille in eum invidorū calumniæ exortę ſunt, uti mox dicam. Primum enim regii fiſci procuratores, poſtquam in Hiſpaniam revenerat, litem ei intēderunt; iam à Fratribus Pinxonibus Martino & Fráciſco duarū Caravellarum magiſtris apud Regē accuſato, quod, niſi ipſi à fœdo incepto deterruiſſent, regredi in Hiſpaniā ex itinere, nū viſa India, paraſſet.

Cæterum poſſeſſione Indiæ, ut diximus, uſurpata, quum ibi diutius morari Columbus operę precium non duceret, quod ea Inſula, in quam appulerat, exigua eſſet, regreſſus in naves, ulterius provehitur, & multas alias Inſulas detegit. Quum in Cubæ littora exſcenſionem feciſſet, eam Ferdinandinam in memoriam gratiamq; Ferdinandi Regis nuncupat. Ibi haud ſatis libenter ab Inſularibus conſpectus eſt: quumq; interea forte mare turbare cæpiſſet, & ipſe, quod in ſtatione non ſatis tuta & fida navibus eſſet, metueret, ne tēpeſtas navigia ad ſcopulos allīſa frangeret, ſubito ſolvendi ſignum dedit. Inde provectus in Haylin Inſulam appellit, quam Hiſpaniolam nuncupat: ſed ibi iactis in portu anchoris, quem regium nominavit, prætoria navis ſcopulo icta frangitur: quotquot tamen ea vehebantur homines cum maxima commeatuum parte, duarum Caravellarum opē naufragio erepti ſunt. Indi complures per omnem littoris oram ſparſi naves mirabundi ſpectabant; ſed ſimulac egredientes in terram Chriſtianos viderunt, correpti formidine, celeri fuga delapſi ſunt. Hiſpani curſu unam ex iis fœminā aſſequuti ad Columbum perducunt: ille mulierem cibo, potuq; expletam, elegantī & mundo induſio veſtiri iubet: mox ſignis ductam, laſſamq; ire ad ſuos, eoſque hortari, ut fidenter & ſine ullo metu ad naves venirent, dimittit. Illa abit, Barbari fœminæ circumfuſi eam inuſitato cultu veſtitā non ſine ingenti ſtupore adſpectabant. Illa Columbi comitatem & munificentiam in ſe inter populares prædicat. Cæteri huius verbis adducti, præterea novæ gentis barbatæ, & veſtitę videndæ cupidine, certatim lintribus ſuis Caravellas circumdant. Ibi gaudium ingens pertentare Hiſpanorum animos cæpit, quum neminē in tanta Indorū multitudine viderent, cui non aurum & argentū in brachiis, collo & auribus fulgeret: mox etiam ea petere ab Indis ultro incipiunt: & illi, qui eas res parvi facerent, cuilibet liberaliter & hilariter dabant. Columbus quum tantum Indorum in navibus videret cumulum, quantum vix illæ capere poterant, in terram cum multis Hiſpanis evadit.

Ibi quū ab eius loci Caico (ita regulos patrio idiomate appellant) cui nomen Guacanarillus, ſumma comitate exceptus eſſet, muneribus invicem datis, acceptiſq; ambo fidem futuræ amicitiæ ſanxere. Eū Colūbus induſiis, pileolis, cultellis, ſpeculis, crepitaculis, tintinnabuliſque donavit. Caicus contra ſatis magno auri pondere eum remunerans, è ſuis aliquot mittit cum lintribus patriis (illi Canoas vocant) qui ad efferendas in terram res & onera fractę navis Hiſpanis operam darent. Quam quidem illi adeo amico animo, & propenſo ſtudio præſtiterunt, ac ſi ſuæ illæ res eſſent. Mirabilem Inſulares illi Indi cuiuſdā oraculi memoriam tenebant, inde à patribus traditam, quo vera & futura prædicabantur: Non multis videlicet ab illinc annis venturam in eas oras barbatā gentem, quæ ſimulacra Deorum terræ allideret, & filiorum ipſorum ſanguinem effunderet. Hoc ſi certe tum illis veniſſet in mentem, non tam feſto cum triumpho & lætitia advenientes Hiſpanos acciſſent. Cæterum quum peteret Columbus, unde metallum illud fulvum nanciſcerentur, illi ramis & ſignis demonſtrabant, è quibuſdam fluminibus mediterraneis peti, qui ex altiſſimis montibus decurrerēt. Affluebat interea quotidie ex omnibus locis nova eius gentis, & copioſa multitudo ut inuſitatas noſtrorum hominum, barbam geſtantium formas, cultumque viſerent: Fructus, piſces, aurum, panes & alia alimenta undiq; afferentes ac ſimiarum more veſtigia, rituſq; Chriſtianorum imitantes: quo cum genua flexerant, flectebant & illi: Chriſti cum reverenter oculos in cœlum ſuſtuleran[illegible] Hiſpanis ad te ipſi tollebant: denique quicquid Hiſpanis ad te citandum Ave Maria, mane, veſperi convenientibus fieri ſoleret, itidem ab iſtis fiebat.

Columbus ipſe [illegible] mediocri lætitia affectus propter novas illas [illegible] pertas terras, auri adeo & argenti feraces, qu[illegible] Hiſpaniam repetere, & alterius invēti ipſe Regi ferre cuperet, cū bona Caimundi [illegible] nicii domū coctili laterculo extruit. Eo loco duo de quadraginta Hiſpanos relinquit, qui ad reditum ſuum res Inſulæ ſedulo & accurate explorarent: prēmonitos, ut in omnibus prudenter & modeſte ſeſe gererent. Hęc prima domus ab Hiſpanis in India extructa eſt: Columbus cum reliquis ſolvit; inde ſe cū ſex Indis omne aurū, quod à Caico acceperat, Pſittacos aliquot, Maizy paniculas (quæ una Indicarum frugum eſt) & alia Indiæ peculiaria & nova referens, proſpero curſu & incolumibus omnibus in Hiſpaniam pervenit, præterquam duobus Indis, qui in itinere extincti ſunt.

Appul-

Appulsum Rex & Regina quam honorificentissime exceperunt, considere eum coram se iubentes: & in aula quidem Indos ab eo advectos, quod prorsus nudi essent, mirabundi omnes intuebantur, nec minus ipsi quoque Indi obstupescebant, quum Regem & aulicos vestitus cernerent. Rex vero Columbum insignibus honorum titulis auctum, summum Oceani præfectum designat (Admirantē vulgo appellant) & ei omnium regionū ex Indiæ redituum decimam attribuit. Bartholomæum quoque ipsius fratrem Hispaniolæ Insulæ præfecit. Quum igitur per tot viarum & actionū discrimina id feliciter ita perfecisset in proposito felici Columbus, reversusque cum tanta ubertate divitiarum esset in Hispaniam ad Regem & Reginam, explicavit iisdem rerum itinerisque rationem omnem cum infortuniis perpessis & exantlatis.

Exinde Rex & coniux eius Colonū, ait Petr. Martyr in Ocean. Decade 1. p. 10. adveniente honorifice, uti pro talibus ausis merebatur, tractat: sedere illum coram se publice, quod est maximum apud Reges Hispanos amoris, gratitudinis, supremiq; obsequii signum, fecerunt. Præfectum marinum vocare deinceps Colonum imperant. Is Almirantus Colonus apud Hispanos nuncupatur. Fratrem etiam ipsum Barthol. Colonum rei marinæ & ipsum peritum, Præfecturæ Insulę Hispaniolæ titulo ornarunt. Hūc Magistratum vulgo Atelantarum, ac navigiorū præsentia nomina, cætera etiā huiusce rei odi data opera suis aliquādo vulgaribus appellabo nominibus, quo apertius intelligar. Nunc ad institutum redeamus. Ex insulis, uti in initio Colonus ipse, iam Præfectus marinus, pōllicebatur, maxima eorum, quæ mortales omnes totis viribus sequimur, commoda proventura creditum est.

Duabus igitur his causis commoti sanctissimi hi duo cōfortes XVII. ad secundam expeditionē navigia parari iubent, tria oneraria caveata magna XII. id genus navium, quas dici apud Hispanos Caravelas scripsimus, tine caveis eiusdem generis duas aliquanto grandiores, atq; ad sustinendas caveas propter malorū magnitudinem aptas. Huius classis parādæ curā Ioan. Fonsecę viro genere nobili decano Hispalensi, ingenio atq; animo pollenti, tradūt. Ultra ducentos & mille armatos pedites illi imperant conduci, inter quos omniū mechanicarum artium fabros, & opifices innumeros stipendio accersiri iubent: equidem quosdam oves, iuvencas & plura alia cum sui generis masculis: legumina, triticum, hordeum & reliqua iis similia, non solum alimenti, verum etiam seminādi gratia præfectus apparat, vites & aliarum nostratiū arborum plantaria, quibus terra illa caret, ad eā important: nullas enim apud eas Insulas notas arbores invenere, præter pinus palmasq; & eas altissimas, ac niveæ duricei, & proceritatis, ac rectitudinis, propter soli ubertatem: atque etiam ignotos fructus alios plures procreantes. Terram aiunt esse terrarum omnium, quas ambiunt sidera, ubertimam. Instrumenta omnia fabrilia ac demum alia cuncta, quæ ad novam Civitatem in alienis regionibus condendam faciunt, unicuique artifici imperat.

Ex fidis regiis Clientibus plures hanc navigationē, & rerum novarum studio, & præfecti auctoritate promoti, sua spōte aggregati sunt. Secundis igitur velis VII. Calend. Octob. An. tertij & nonagesimi supra quadringentesimum & millesimum à salute nostra, à Gadibus movit. Fortunatas Insulas Calend. Octob. tetigere. Ex fortunatis ultima dicitur ab Hispanis Ferrea, in qua nulla est alia potabilis aqua, prēterquā ex rore de arbore unica in Insulæ supremo dorso, stillante assidue & in lacunam, manu factam, cadente. Ad hanc Insulam vela in altum Oceanum tertio Idus eiusdem cæpit protendere, &c. Atque, ut refert Benzo, ulterius felici satis cursu pervenit in Indiam novam, quum multo alacrius, quam prius secuisset fluctus maris per notiotem iam viam, quam antea. Sed in Hispaniola non invenit statum ita optatum, velut suis sub discessu primo reliquerat. Quippe avaritia Hispanorū ita interea accreverat, ut nec rebellionem contra Columbi fratrē, nec crudelitatē erga Indanos inermes intermisissent. Inprimis cōmeatu, quē naves attulerant, avidius explere studuerant, inde prædabundo agmine Insulam pervagantes, promiscua licentia spoliare, violare, verberare, sævitiem exercere in quosvis, & obvium quemq; ferme occidere, qui illis non satis accommodare vellet: deniq; nullum genus sceleris (ait Benzo) libidinis, avaritiæ, protervitatis & insolentiæ in indigenas prætermittere. Quos motus, ut sedaret Colūbus, sumpto à prudentia consilio, in Hispanos seditionū auctores, & scelerū compertos supplicio digno animadvertit, & Caicos ipsos (sive regulos & provinciarū præsides) quacunq; ope potuit reconciliare sibi suisq; studuit.

Ex quo genere debitæ Iustitiæ tantum Hispanorū odium sibi conflavit innocuus, ut quum eorum flagitiis indulgere ita temere nec posset, nec vellet, ut ne nomen eius quidem amplius æquo animo ferrēt. Qua ex causa factum est, ut multi perversioris animi instinctu de eo & fratre eius ad Regē dira & atrocia perscriberent. Itaq; Columbus, qui diu decubuerat, simulac recōvaluit, in Hispaniā regressus est, omnia regi & reginæ Isabellæ explicando, quæ iniquissima essent à militibus suis perpetrata, unde non tantæ confluerēt nunc ex cautioribus incolis Indis divitię, sicut prius optasset. Rex Columbi fide satis cōperta, præsertim quod tanti auri etiamnum advexerat, ut aliquot etiā palæ librales essent; deinde ex commentariis, quæ attulerat, actorūeius integritate spectata & probata satis, eū ultro consolatus est, ac gratias simul pro tātis eius in se meritis, atq; officiis egit: monuit tamē insuper, ut in posterū pœnarum acerbitate remissa, cum Hispanis, qui tam longinquas terras sui obsequii caussa peterēt, paulo mitius ageret. Mox 12. Caravellas armari pro tertia vice iubet, easque omni genere cōmeatus instructas Columbo ad novā, ulteriorem q; expeditionem attribuit. Ipse cōfestim duo navigia ex ea classe ad Hispaniolā recta tendere iubet, & ut fratrē suum adeant, edicit. Illa quū prospero cursu eo pervenissent, forte ad occidentalē Insulæ partem appulerunt, ubi tunc agebat Roldanus Ximenes quidā, quem ex vili & obscura persona Iudicialē prætorem Colūbus antehac extulerat. Sed is multis Hispanis, in partes tractis, secessionē fecerat, quū arrogantia contumaci præfecti Imperium exuisset, quo licentius omnibus legum frenis solutos latrocinia & quælibet flagitia per Insulā exerceret, quod præfectus pati non sustinuisset. Unde tanti exorti sunt tumultus, ut undique crudelissima perpetrarentur in Insulares, velut antea nunquam.

Caicus igitur Garionexius nomine, quum ditio-

nem ſuam omni belli clade à Chriſtianis uri & diuaſtari videret,cũ alio Caico Marboneſo vires ſuas coniunxit,& ab iniuriis & latrociniis ſuos vindicavit,non ſine multorum Hiſpanorũ carnificinali oppreſſione.Interim Columbus è portu S. Lucar cum reliqua claſſe 28.Maij An.1498.ſolvit,primo Maderam,quæ una eſt ex 7.Luſitanorum Inſulis, quas Azorias vocãt, pervenit:Inde 6. Caravellas Hiſpaniolam præmiſit, ut per alium curſum ſimul alias indagaret Inſulas,velut& poſt perpeſſas varias tempeſtates tandem ſinum Parienſem Indiæ ingreſſus Cubaguam appulit, quam ipſe præclaram Inſulam nuncupavit,ob copiam immenſam oſtrearum, unionibus precioſiſſimis plenarum,quas ibi in cõchis baccarum & Margaritarum feraciſſimis incolæ piſcabantur:velut & Caicus iſtius loci Hiſpanos in terrã miſſos magna copia talium rerum ubertim donavit, ut illi tantis divitiis oppleti in naves redierint.

Quum vero inde Columbus Veli-Caput circumvectus mox traiecto mari brevi in Hiſpaniolam appuliſſet,magnas ibi præter votum & expectationem ſeditionum turbas invenit. Ipſe ut omnia ſedate cõponeret,ſcriptis ad Roldanum Ximenem ſeceſſionis autorem litteris,monet hominem, ut ſub Imperium Præfecti volés redeat,neu delinquere pergat & pravis exemplis Indos ipſos avertere. Quippe non his factis,neque ea via ſperandum eſſe,ut illi ad fidẽ noſtram adduci poſſent: neque ampliſſimam illam Alexandri VI.pontificis bullam,quæ Regibus Catholicis ditioni ſuę adiicere eas terras permiſerit,eo ſpectare,ut novę illæ gentes indignis modis habeantur: imo potius ut benignitate & honeſtis exemplis alliciantur ad amplectendam Sanctam fidem Chriſti ſervatoris & redemptoris noſtri. Hæc Admirantis monita & preces aſpernatus,ſectæ caput ac principẽ ſe gerere perſeveravit: mox etiã Bartholomęi Inſulæ præfecti actiones apud Regem per litteras criminatus eſt, ſævitiam ei& tyrannicum Imperium obiectans, qui videlicet minimis & leviſſimis de cauſſis hominem in patibulũ ageret:Imo præfectos omnes illos ſuos ambitioſos feciſſet, niſi poſtquã eos tyrannos ſęvos,& ſanguinis humani avidos expertus eſſet. Poſtremo Regem quoq; ipſum tandem aliquando re ipſa cogniturum ſuæ Maieſtatis & Dignitatis inimicum eſſe Almirantem,idque unum moliri, ut Inſularum Imperium occupet:Etiam aurifodinis ſolos eius familiares & clientes præeſſe, cæteris omnibus obſeptum eſſe & clauſum earum aditum. Iudicia ipſa pro libidine & gratia,non iure & æquitate ab iis exerceri. Ad hæc Almirantem quoque de reperta unionum Inſula Regem,quãtum in ſe eſſet,celaſſe, ut clandeſtina præda ſolus ipſe frueretur,& circumvẽto per factum aliquod Rege,ditiſſimam illam Inſulam ſibi uni ſeponeret. Almirans quoq; ipſe contra litteras ad Regem componens, peſſimam ſceleratorum iſtorum,& flagitioſorum hominum mentẽ , & vitam exponit: Quippe iſtis nihil prorſus penſi eſſe, niſi ut quotidianis latrociniis,fœminarum ſtupris & omni ſcelerum genere libidinem, ſævitiam, & avaritiam expleant: perduellionis quoque & proditionis reos,omni Dei metu, ac pudore poſito, per omnem Inſulam latronum inſtar vagari.

Poſtremo duas Caravellas,quæ ad fratrem ſuum Bartholomæum ex Hiſpania miſſæ eſſent , cum omni commeatu avertiſſe,ac pellectis in ſuam ſocietatem navium illarum hominibus rapiendo , & infanda omnia perpetrantes certare. Ac tam fœdis facinoribus commodo multos Inſulæ Regulos cum maximo omnium damno defeciſſe, eoſque etiamnũ pro cõmiſſis pœnas metuentes, ſi ſub Imperium rediret,pergere in inſania,& ſolutos iugo vivere.

Dum hæc utrinque crimina & accuſationes in Hiſpaniam mittuntur, Almirans fratrem cum octoginta Hiſpanis,in iis equitibus aliquot,mittit adverſus Caicos rebelles.Illi ſex millia armatorum & amplius in acie habebant:ſed ubi ad manus ventum eſt, violento equorum impetu conterriti & fuſi in denſiſſimas ſylvas ſe abdiderunt. Pugnatum deinde eſt aliquoties cum Garionexio,& quatuor aliis Caicis: ſed brevi profligatis omnibus eorum copiis, Caici montes fuga petunt:mox tamen capti omnes in Almirantis poteſtatem venere.

Porro quum promitterent, ſe amicitiam ipſius colentes ſub Hiſpaniæ Regis Imperio futuros, tum ut clementiam erga eos tuam commẽdaret, tum ne iniuriarum, quas ab Hiſpanis accepiſſent, autorem ipſum fuiſſe exiſtimarent , benigne illos in fidem & gratiam recepit,& rebus noſtris donatos, in ditionẽ quemque ſuam remiſit. Quum itaque interim ex ſyncero corde Columbus & eius frater diligẽtiſſimi toti eſſent,ut Regulos & rebelles populos in ſui Regis fidem reducerent, eodem tempore litteræ tum ipſius Almirantis, tum Roldani in Hiſpaniam perveniunt,quæ res non mediocri dolore Regẽ ac Reginam affecit, quum res Hiſpaniolæ adeo turbatas, & miſerum ſtatum intelligerent. Tam in aula ſparſus rumor auri inter nobiles, & vulgatæ opes , quas ingenti copia flumina ipſa ultro funderent, omnes avaritia incenderant.

Nemo erat ex ipſis, quin talem præfecturam obtinere ardentiſſime appeteret : nemini tamen ad id prehendendum ſatis audaciæ erat propter ingentẽ opinionem,quam de Almirante Rex & Regina habebant. Itaq; alia via graſſari, & optata ad eum finẽ, cui inhiabãt,perducere inſtituunt. Ergo iſti nobiles per omnem aulam ſpargunt Columbũ &eius fratrẽ, iam partis opibus,quæ privatum modũ excederent, Inſulas uſurpare velle , & nupet repertæ oræ omnis principatum invadere.Idq; non obſcure manare indiciis,quantum ex multorum,& quidẽ dignorũ fide hominum litteris colligi poſſet:tum videlicet ex ipſa auri effodiendi ratione , tum quod ex eo pauculũ in Hiſpaniã mitterent.Ad hæc quod multo peius eſſet, quũ Hiſpanos paulatim ſpecioſo prætextu aliũ alia de cauſſa tollerent,quorſum id ſpectare, niſi ut iis de medio amotis,ſoli ſine arbitris deſtinata ſua facilius perficerent? Hæc & ſimilia frequentibus ſuſurris ac rumoribus per aulam adeo increbuerũt, ut ad aures uſque Regis ac Reginæ deferrentur:nec deerant interea æmuli,qui hoc occultis flabellis in Regum animis accẽderent,quo gravior criminantium eſſet autoritas. Rex ipſe,ne,quæ ad ſtatus ſui detrimentum ſpectarent,lentius accipere videretur , totius rei veritatẽ cognoſcere , & prætorem eo mittere inſtituit, qui quæreret,cur tantũ auri allatũ non eſſet, quantũ ſe miſſurum promiſiſſet Almirans. Cuius profecto intermiſſæ penſionis nõ alia cauſa erat,quã quod inter domeſticas diſcordias, & ſociorum defectiones, atq; inter exorta bella aurũ effodi non potuerat. His ita conſtitutis,Rex novo Inſulæ Præfecto Franciſco

om-

Bombadilla deſignato, quęſtionem de inteſtinis diſſidiis decernit, & de cauſſis diſcordiarum Columbi & Roldani cognoſcere iuſſum, amplaque autoritate & poteſtate Imperii inſtructum mittit.

Is cum hac commiſſione, & mandato regio è Calicio portu An. M. CCCCXCIX. quatuor Caravellarum claſſe inſtructa ſolvens, in Hiſpaniolam traiecit. Almirans & Bartholomæus frater novi præfecti appulſu audito, ad eum honorifice excipiendum, ut regio miſſu venientem, reverenter obviam egreſſi ſunt. In portum ut pervenerant, rati, ut ſibi, ſic aliis ſincerũ animum eſſe, pro amica complexus & ſalutationis vice capti fratres in vincula traduntur. Mox iectæ utrinque catenæ, & ſeiuncti alter ab altero, quo gravius dolerent, duabus Caravellis in Hiſpaniam mittuntur. Miſerabilis equidem caſus, ac mutationis rerum humanarum exemplum memorabile: eum qui paulo ante in maximo honoris faſtigio fuiſſet apud potentiſſimum Regem, propter reperras illi propria virtute, & excelſo ingenio adeo novas, & divites terras: Cui ſi Græcorum & Romanorum veterum tempore viziſſet, ut alterius cuiuslibet liberalis & munificæ gentis merito ſtatua fuiſſet erecta, ac forte ut memini, templum & divini honores decreti eſſent, eum (inquam) nunc malignitate, atque invidia hominum afflictum, & vinctum adduci: Cuique ob tanta in Regem merita nulla ſatis digna gratia rettribui nequibat, eum tam atroci iniuria affici, & nullo novo beneficio expiari poſſe. Simulac celoces in Hiſpaniam pervenerunt, & nunciatum Regi, tam claros viros compedibus vinctos, adeo fœdo, ac miſerabili habitu adduci, motus in miſericordiam Rex, curſore in Calicium miſſo, emitti illos è cuſtodia, & levari vinculis iubet: deinde ſplendido comitatu, cultuque, ut talibus viris dignum erat, in conſpectum ſuum venire.

Ut in Regiam pervenerunt, comiter excepti & audiri ſunt, ac quum ibi continuiſſet veritas, pœnæ in noxios decretæ. Poſtquam Gubernator novus Bombadilla Columbos captivos in Hiſpaniam miſerat, Roldanus cum aliis ſeceſſionis ſociis ſub Imperium rediit. Ibi tum rurſus omnes uno conſenſu miſeros Inſulares in aurifodinis demergere, & immodico labore vexare cæperunt; quibus videlicet nihil penſi erat, niſi ut horrendam illam auri famem quá maxime explerent, & ingurgitarent. Dum ea geruntur, Rex Ferdinandus, cui hæc dudũ animo cura inſederat, quam maxime ratione res Hiſpaniolę Inſulę turbatas, necdum bene ſedatas, pace & Iuſtitia componeret, abrogato Bombadillæ Imper. Nicolaũ Olandum Protegis titulo & autoritate eo mittit. Is è portu S. Lucari ſolvens triginta navium, partim Liburnicarum, partim Celociũ claſſe, quadrageſimo demum die Inſulæ applicat. Bombadilla ubi maiorẽ poteſtatem, & ſucceſſorem adeo potentem ſupervenire videt, decedere ilico provincia, & iiſdem illis navibus, quas prorex adduxerat, regredi in Hiſpaniam ſtatuit.

Ergo impoſito multo in naves auro, quod amplius centum quinquaginta millium ducatorum pretium æquaret; ac multos præterea rudis auri grumos, in iis unum inuſitatæ magnitudinis, & ponderis triũ millium ducatorum, quem Reginæ ſepoſuerat, ſecum referens, vela in Hiſpaniam fecit. Eum ſequuti ſunt Roldanus Ximenes, & alii aliquot militares duces, cum amplius quadringentis Hiſpanis, qui omnes auro graves & locupletes cum eo ſolvere. Hic animadvertere operę pretium eſt, quantum vindicandis hominum ſceleribus, Dei Iuſtitia polleat, ac ſerio cogitare omnes theſauros, ac divitias noſtras, in quibus tantopere ſpem & fiduciam noſtram deſigimus, ſomnia prorſus vana, atque umbras inanes eſſe.

Ecce atrox in mari tempeſtas coorta rapit, deilicitque claſſem: viginti quatuor fractæ naves, & fluctibus ita hauſtæ ſunt, ut nemo in terram enaverit: Demerſus Bombadilla, demerſus Roldanus, & maxima pars Hiſpanorum periere: ipſorum quoq; manubias & theſauros, ac ſepoſitum Regi Reginæque auram mare abſorpſit. Poſtremo iurgia, lites, & querelæ eorum, quemcunque exitum habituræ eſſent, mature ibi finem invenere. Inſulares Indi, quũ naufragium Roldani & aliorum Hiſpanorum à quibus in eruendo auro duriſſime vexati erant, pro certo accepiſſent, lætari & hilareſcere nõ deſtiterunt, vulgo inter ſe dicentes: Enimvero iſti quidem nos deinceps in aurifodinis non detinebunt, neque in tantis ærumnis, quantis ſolebamus, trahere animam cogent. Iam autem interim in multis Hiſpaniæ locis de unionum divitiis à Columbo in Cubagua & Cumana repertis, rumor publicus late manaverat, & increbuerat, adeo ut ea res multorũ animos, ea viſere cupientium commoviſſet. Id ubi ad aures Regis erat perlatũ, expreſſo ipſe ſtatim edicto gravibus pœnis conſtitutis vetuit acriter, ne quis navium magiſter, naucleruſve 200. mill. propius (id eſt 50. leucas) oras à Columbo repertas, abſque ſuo permiſſu, navibus accederet: liberam tamen omnibus interea poteſtatem faciens, quaſcunque alias terras, & Inſulas, nondum cognitas, pro arbitrio quærendi.

Verum hæc conceſſio non id obtinuit, in quod deſtinata erat. Quippe Alfonſus quidam Ninnus ſocios ſibi rales elegit, quibus divitiæ & opes inventarum Inſularum cognitæ erant, unde ita parum inde abſtinuerunt, ut etiam novas ibidem expoliationes conficerent, non ſine ingenti erga Inſulares crudelitate & tyrannide. Unde exortum eſt illud, quum Hiſpani ſe gentibus illis Chriſtianos, & Dei ſelectos dicerent filios, quod hi populi plane cõtrarium de his ſentire cæperunt, dicendo: Quid? Num illi ſint Dei filii, qui accepto beneficio tantum nobis maleficiũ reddunt? velut & fuerunt inter eos alij, qui dixerunt: Qualis, malum Deus eſt, qui tam impuros & nefarios ex ſe, tam ſceleratoſque homines progenuit? Si Pater ille quidem filiorum ſimilis eſt, minime bonũ eum eſſe oportet. Hæc & ſimilia vulgus paſſim, quoque pervenerant Hiſpani, inter ſe colloquentes cotidie iactitabant.

Quare ſi ab initio benignitate, & clementia animos earum gentium ſibi conciliare ſtuduiſſent, atq; eodem tenore perſeveraſſent in exemplis vivis, longe rectius, & ſibi, & religionis Chriſtianæ propagationi conſuluiſſent, ſanctioremq; fidẽ ſuo præſtitiſſent & Regi, & inventori Columbo, cui ſedula hæc cura ab initio fuerat in omnibus cõſiliis; ſed avaritiæ inſatiabilis fervor, fremitus & turpitudo tãras totq; rebelliones cum blaſphemiis variis excitavit, ut longe feliciores illi populi in ſimplicitate ſua tunc antehac ex tot ſeculis vixerint, quã coactio illa tyrannica quid boni ingeſſerit. Atq; licet Colũbus & ipſe tot tantiſq; malis pene exhauſtus vixerit in aula, expoſi-

tuſque tot variis inſidiis, nec minus noſceret, quot pericula maris & ſociorum inter peregrinas gentes: tamen quum is tyrānos in aula regia conſumpſiſſet, rogavit Regem, ut 4. celoces ipſi pararicuraret, quibus adhuc alias abiret terras inveſtigaturus, quod ita Anno 1504. obtinuit, atque 4. vice 9. Maij è Calicio portu ſolvens cum fratre Auſtraliores petivit hiſce partes, ubi & Magellanicam quidem attigit, oraſque alias & Inſulas, ſed potius ſuaſu ſuorum reverſus eſt Hiſpaniolam; gratius hoc Regi futurum ſperans, ſi ordinationi priori confirmationem adderet.

Verum quum inde ab ingreſſu portus illum abegiſſet præfectus ingratus, Guanoxiam Inſulam vicinam, & flexis retro in ortum proris, oram ſequens Veraguam repetit; Inde prætervectus littora uſque ad ſinum Urabæ pervenit; poſtea quum eiuſmodi loca perluſtraſſet, in Cubam rediit, ac rebelles Hiſpanos vincere vi coactus eſt. Ubi iterum ſatis graves perpeſſus eſt labores, & pericula, præſertim quū nec Inſulares ipſi adſiſtere ex metu cuperent, quos tamē ex prædictione Eccliſeos lunaris mitiores & faventiores effecit, quod notatu dignum ita ſe habet. Forte in propinquo, ubi tunc in Hiſpaniola degebat, tugurium barbarorum erat: Inde Columbus Indos foras evocans, monet ac prænunciat ipſos, ni vitæ ſubſidia ſibi ac ſuis ſuppeditarent, peſte à Deo cœlitus miſſa, brevi omnes perituros, cuius rei id habituros ſigni, quod duos intra dies lunam ſanguine fœdatam viſuri eſſent. Id quum eadem die & hora, qua Almirans is prædixerat, conſpicarentur Indi (Lunæ quippe Eccliſis erat) ſubito victi formidine, quæcunque ei ad victum neceſſaria erant, perbenigne præbuerunt, cum omni culpæ deprecatione, ne amplius ipſis iraſceretur.

Ex qua refectione vitium, & recreatione ſuorum tandem ſeditioſos Hiſpanos vicit, quos ita rebelles Franciſcus Poreſius concitarat, quem ſimul cum fratre cepit. Sed tandem pertæſus laborum periculorumque, quum reparaſſet Caravellam unam, perditis reliquis navibus, in Hiſpaniam reverſus eſt ad Regem, cui caſus itineris, & inobedientiam ſuorum & quæ novæ terræ, littora ac Inſulæ ab eo repertæ eſſent, non ſine totius aulæ admiratione plenius explicavit, ac quum plane deſtitiſſet ab eo propoſito amplius tentando, paulo poſt vitam finivit mortalem 8. Maij An. 1506. Corpus eius Hiſpalim delatum eſt, & in cœnobio fratrum Certoſinorum ſepultum. Hiſtoriam tam ſtupendi viri nonnihil pleniſ heic referre ex Bézone libuit mihi, ut inde dignoſcatur, & diiudicetur rectius, quam iniquiſſime homines ingrati etiam optime facta & ſummæ utilitatis cenſere noſcant, nec non cum perfidiſſima ſuppreſſione nominis & viri illius, qui tam ſummis beneficiis tot regna, imo & totum totius Europæ ſtatum primus hiſce noſtris ſeculis ultimis mundi affecerit, ferme plane eradicare, & ex memoria hominum extirpare non vereantur.

Opus ſane iſtud eſt, quod tanta prudentia, ſagacitate & induſtria, laboreque perfecit, quo vix maius in mundo dari poteſt poſt Chriſti nativitatem, ut inde etiam vel ſingulis in locis, maxime in emporiis præcipuis & urbibus promercalibus eius memoriæ æternæ ſtatua publica eſſet erigenda. Sed quis ingratis ſufficiens ſit ad benefacta tanta? Nec ipſe Salvator mundi, quum ſummum ſuæ miſericordiæ opus in his tertis, mortale genus ex æternis inferni tortutis & condemnatione liberando, perficeret, neć in ipſa bonitate ſumma & Deitate ſua ſatis placere omnibus potuit, etiamſi & verbo miraculoſiſſimé leproſos, cæcos, obſeſſos, morboſque incurabiles alios curaret, mortuoſque vitę ſpiritu redonaret, quū maxime eum perſequerentur peſſime, qui tamen blandiſſimo eius nomine ſe veſtirent, ac ſapientiſſimos omnium proclamarent. Sic etiam Columbo id accidit, quod perverſiſſime ab iis ſit exceptus, qui eius inventionibus maxime ſe exaltatos deprehenderunt, & inde ad æternas obligatiſſimi eſſent gratiarum actiones cum emarceſcibili eiuſdem memoria.

Nihilominus id ingratitudo vitium obtinuit, ut eius nomen non omnibus ita pateat, quum nova terra antipodum aliud appellationis nomen apud poſteros ex invidia malevolorum ſibi acquiſierit. Si ab inventore quid foret nominitandum, quur non potius Columbicam, quam Americam illud Hemiſphærium diceremus, quum Americus Veſputius non tantum una cum Columbo circa An. Chriſti 1492. ſit miſſus, ſed etiam artem navigandi edoctus ac viam indagandi, novas illas terras ab eodem didicerit. Sic fit, ut ſæpius ſerpentem in ſinu enutriendo foveamus, & illi potiores partes gratiæ auferant, qui primos auctores ſub ſpecie fidei perverſæ quam artificioſiſſime eludere noſcant, & quidvis malitiæ ipſis imponere coram mundo. Inde tota India occidentalis nomen Americæ potius ab æmulatore Columbi, quam à primo horum locorum repertore obtinuit, quod poſtea magis interiores terrarum illarum partes penetrando explotaverit, quæres nec minus variis caruit periculis ſuis, velut & ipſe ab An. 1497. quatuor perfecit navigationes, duas ſub Rege Ferdinando Caſtiliæ, & duas ſub Emanuele Rege Portugaliæ.

Indiæ huius vero Auſtralis pars, & præcipue in ea pars illa, quæ nunc uſitato modo Braſilia vocatur, à Luſitanis An. 1504. poſt reperrionem fuit penitius explorata. Scribunt, inveniri in hac vaſtiſſima orbis parte alicubi Amazones, alicubi Aethiopes, alicubi & Gigantes, maxime in Auſtrali Cherſoneſo; alicubi & crudeliſſimos homines ἀνθρωποφάγους, quos Canibales appellant, præcipue in zona torrida, prope Aequatorem. Pluribus hanc terram ſi deſcribere libetet, citius tempus, quam materia me deficeret.

Quum ita recenter ſuperiori ſeculo India hæc occidentalis noviter reperta ſit, ſunt plurimi, qui exiſtimeut, hunc terræ vaſtiſſimum tractum nemini unquam extra eum degentium fuiſſe cognitum, ut inde quæſtio inter multos ſit agitata, quaſi veteribus antehac nuſpiam ſit cognita, velut & Aventinus in Boiorum annalibus recenſet egregium inſcitiæ exemplum huius quando ita adſeverat, Virgilium Epiſcopum Salisburgenſem (ferme ante annos 840.) quum pro concione dixiſſet, eſſe antipodes, à Bonifacio Epiſcopo Moguntinenſi impietatis eſſe accuſatum, atque hanc attuliſſe rationem, quod antipodibus conceſſis, etiam alio Chriſto eſſet opus.

Iudicium igitur hoc quum ad Utilonem regem Boiorum eſſet delatum, nec ſatis voto reſponderet accuſationis id, tunc Bonifacius à Zacharia Pontifice 93. Romano litteris hoc impetravit ad Regem, ut inde Virgilius iuſſu Papæ publica ſententia ſit damnatus, & ſede ſua motus, ac excommunicatus. Tā

abſurda

abſurda certe fuit veteribus inſcitia in pluribus, ut prorſus nec externa ratione uti rite voluerint. Sed ſi ſaltem cœli formam aliquo iudicio reſpicere voluiſſent, nunquam ſane in tam blaſphemum errorem incidere potuiſſent improvidi, unde facile terræ rotunditatem æſtimaſſent rectius. Sed experientia illis defuit in uſu Magnetis, ut non potuerint eo penetrare, ubi habitatio Antipodum ſe exerit.

Tum an non omnes mortales ex uno nati ſunt Adamo, ut nova generatio hominum in terris non alia poſſit per naturam dari. An vero diſtantia tam longinqua locorum novum exigat Chriſtum? Miſera certe locutio, & longe inferior cenſura huius nefandæ opinionis. Sed agite, videamus, an non etiam ex S. litteris ulterius idem poſſit oſtendi? Libro 3. Regum 9. & 2. Paralip. 8. mentio fit claſſis emiſſæ à Salomone & Hiramo, è littore maris rubri, ad advehendum aurum ex Auphir: unde etiam 420. auri talenta tuliſſe additur, cum Hebeno, & gemmis plurimis. Hanc Ophir, ſive Aupir, eandem eſſe cum noſtra America, ſunt, qui non contemnendis rationibus adſtruunt. Indicatur enim locus, utide uram ſolverunt, qui eſt portus maris rubri, unde per mare Indicum, & Oceanum Aethiopicum ad Americam noſtram commodo curſu naves pervenire potuerunt. Neque tempus totius navigationis videlicet triennium, huic ſententiæ adverſatur: unde remotiorem à mare rubro illam terram fuiſſe colligimus: & non ſtatim ad prima littora Inſulæ Atlanticæ vel Americæ noſtræ, ſed per frerum Magellanicum ad occidentalia littora appuliſſe veriſimile eſt, ad eum fortaſſe tractum, ubi nunc nova Hiſpania eſt.

Ea quoque, quæ inde fuerunt advecta, ut auri talenta 420. gemmæ preciosæ, hebenus ad Architectonicam apta, & alia, Americæ ſive Atlanticæ Inſulæ ſuffragari videntur: de quo Plato in Critia teſtatur, quod auro, lignis omnis generis preciosis, & ad ædificationes aptiſſimis, gemmiſque ac metallis abundarit, ut unde plus auri advehi potuerit, niſi ex hac ipſa Inſula, non poſſimus ominari: præſertim cum hiſtoriæ hodiernæ teſtentur, Regnum Peru, quod Americæ pars eſt, auro gemmiſque abundare, & hebenum in vicinis Inſulis, maxime Hiſpagnola, multam inveniri. Adde, quod nomina non admodum diſcrepent: Ophir enim ſive Aupir eandem eſſe, quæ hodie Peruia ab ipſis incolis appellatur, non eſt vero abſimile, præſertim cum eadem hiſtoria ſacra aurum illud ex Aupir præſtantiſſimum, alibi aurum Peruanum, vel ex Peruia nominet, 2. Par. 3. v. 6. Ut iam nullum dubium ſupereſſe videatur, quominus ſtatuamus, illam tetram Aupir ſive Peruiam eſſe hanc ipſam noſtram Americam, cuius præcipuus quidam tractus in meridionali Cherſoneſo Peru ad hodiernum uſque diem priſca appellatione nominatur. Quin & Ethnicis quoque olim pridem hanc terram non incognitam fuiſſe, ſatis tam ex Poetis, quam probatis auctoribus conſtat. Etenim inter profanos eiuſmodi teſtes produci hoc poteſt antiquiſſimus omnium, quem tanti faciunt, Homerum nempe. Is odyſſeæ primo duplices facit Aethiopas, alios orientales, alios occidentales, & ad utroſq; viſendos, ſacrumque eorum convivium adeundum, Neptunum fuiſſe fingit.

Ac licet ſint nonnulli, qui diviſionem hanc Aethiopum non de terrarum diſtantia, ſed de Nili tranſitu intelligant: Cuius ratione alii cis, alij ultra habitantes, orientales & occidentales dici poſſint. Non deſunt tamen eruditorum interpretationes, qui orientales Aethiopas, qui ſub Ægypto ſunt, cenſent: ſive cis, ſive ultra Nilum habitent: occidentales vero eos, qui habitarunt in Atlantica Inſula, quæ noſtra America eſt, ut ex ſequentibus clarius innoteſcet, quæ interpretatio, præterquam quod recentioribus multis, etiam olim Cratetis fuit, ut apud Strabonem lib. 1. legitur. Et cultum in Atlantica Inſula Neptunum, quem hic poeta ad convivium ſacrum utrorumque Aethiopum, utpote cultorum ſuorum præfectum fingit, eiuſque templum celeberrimum Stadii unius longitudine, trium ſtadiorum ſeu iugerum latitudine ibidem fuiſſe, Plato in Critia pag. 113. & 116. expreſſe teſtatur. Aethiopas quoque in quibuſdam eius terræ tractibus reperiri hodiernæ peregrinationes docuerunt, ut modo in deſcriptione fuit dictum. Si ergo Homerus Aethiopas alios, præter Africanos illos, ad Nilum habitantes, ab ſe iunctos, & remotos novit: omnino non in Utopia eos credidit, ſed certum locum inhabitare ſcivit. Quis autem ille alius à noſtra America ſit, ſi ab aliquo fuerit oſtenſum, facile ei adſtipulabimur. Homero huic Chio, addam alterum Homerum Mantuanum, Virgilium, qui 6. Aeneidos, ubi de terris, Romano Imperio ſubiiciendis, vaticinatur, inter alias etiam huius Atlanticæ Inſulæ facit mentionem dum inquit:

——Latet extra ſidera tellus,
Extra anni ſoliſque vias, ubi caliſer Atlas
Axem humero torquet ſtellis ardentibus aptum.

Hunc locum etiamſi Servius & alii de Aethiopia Maurorum, apud quos Atlas mons eſt, interpretantur: tamen nondum apparet, cur tractus ille Mauritaniæ extra ſidera, hoc eſt extra ſigna Zodiaci, quæ propter excellentiam ſidera dicuntur: Item extra anni ſoliſque vias, h.e. extra Ecclipticam vel Zodiacum etiam eſſe dicatur, cum ſub Zodiaco tractus ille magna ex parte contineatur; Et extra ſidera iacere, ſic eſſe de ſitu cis zonam torridam, quæ ſub Zodiaco eſt, intelligendum, quid ſingulare hoc fuiſſe. Cum & Gallia, & Hiſpania, & alia viciniora Regna ſint extra eam Zonam. Quin potius vult hic indicare poeta, aliquid & magnum & remotum. Magnum innuit, cum ait, iacet extra ſidera, extra anni, ſoliſque vias: Remotum, cum ea de Atlante addit: ſecundum utrumque recte hunc locum de hac Atlantica Inſula interpretabimur: Hæc enim vaſtitate ſua utrobique, tam verſus ſeptentrionem, quam verſus meridiem extra Zonam torridam, ſeu ut Virgilius loquitur, extra anni, ſoliſque vias, quæ in Zona torrida inter tropicos ſunt, longe lateque ſeſe extendit; quodque Atlas ibi eſſe fingitur, id non de Atlante Mauritaniæ monte accipiendum eſt; ſed de remotiore hac Atlantica Inſula, cuius primus Rex fuit Atlas, qui inter decem fratres, in quos Inſulæ huius ampliſſimæ decem Regna fuerunt olim diſtributa, primogenitus ex Neptuno fuiſſe, à Platone in Critia ſcribitur, cuius teſtimonium poſtea audiemus: qui Atlas etiam ampliſſimam & optimam ſortem præ cæteris fratribus, ſimulque totius Inſulæ Imperium ſummum fuit adeptus, adeo ab Inſula etiam

tota Atlantica ipſeque Oceanus alluens Atlanticus diceretur, ut ibidem à Platone differitur. Hanc ergo vaſtiſſimam & remotiſſimam terram Imperio Romano aliquando inventum & ſubiectum iri, Anchiſes Virgilianus apud inferos Æneæ prædicit: vel potius Virgilius ſub Profopopœia manium Anchiſæ futurum aliquando ominatur: licet in contingente hoc futuro, aberraſſe Poetæ omen, palam ſit, cum non à Romano aliquo Monarcha, ſed ab Hiſpano hæc terra nuper demum inventa fuerit & ſubacta. De quo tamen nobis cum aliis iam lis non erit, modo obtineamus, Virgilium hic Americam noſtram, non aliam terram, intellexiſſe.

Nec abs re erit producere Senecæ teſtimonium, qui cum ex veterum monumẽtis aliquid de hac terra cognoviſſet, denuo eam inventum aliquando iri, æſtro Poetico percitus vaticinatur in Medea,

------*Venient annis ſecula ſeris, quibus*
Oceanus vincula rerum laxet & ingens pateat
tellus
Tiphyſque novos detegat orbes, nec ſit terris
ultima
Thule-----

Quid, quæſo, de inventione novi orbis clarius potuiſſet prædici? Nihil certe, nec mihi ullum dubium eſt, quin horum trium principum poetarum teſtimonia ſufficere poſſint ad obtinendum, terram illam, quæ hodie America dicitur, veteribus non incognitam fuiſſe. Sed fortaſſe Poetarum teſtimonia ſuſpectæ fidei eſſe ſuſpicamini, cogitantes illud πολλὰ ψεύδονται ἀοιδοί.

Ne ergo poetica ſolummodo fide vobiſcum agere velle videar, agite, audite & Hiſtoriam ex ſcriptis præſtantiſſimorum Philoſophorum & Geographorum Hiſtoricorum petitam. Prodeat ergo Philoſophorum Dux Plato. In huius Timæo Critias ex ſententia Solonis, qui ab Aegyptiis ſacerdotibus hæc acceperat, ita ad Socratem ait: Narrant veruſta ſcripta rerum Atticarum, in Mari Atlantico extra illas anguſtias, quas ἡρακλείους στήλας vocant fuiſſe olim Inſulam quandam Africam in Aſia maiorem, ex qua ad alias Inſulas facilis eſſet traiectus. Auditis fuiſſe priſcis hominibus ante Socratis ætatem notam Inſulam in mari Atlantico occidentali, extra columnas Herculis, Africa & Aſia maiorem. Quis adeo ſtupidus eſt, ut hæc de America non ſtatim interpretetur. Digito certe intendi videtur. Nominetur enim præter Americam alia in Oceano Atlantico ex oppoſito Columnarum Herculis Inſula, quæ Aſia & Africa ſit maior? Nulla profecto dabitur alias uſpiam.

Idem Plato in altero dialogo, qui Critias inſcribitur, hanc Atlanticam Inſulam prolixe à feracitate, divitiis, metallis, animantibus, fructibus, magnitudine, regnis & aliis ita deſcribit, ut cui alteri præterquam Americæ, ea deſcriptio competere queat, à nemine hactenus potuerit indicari. Accedunt huc etiam Plinius & Strabo in Geographicis, quorum uterque Platonis ſententiam de Inſula magna Atlantica agnoſcit, quum aliud nomen tunc non fuerit indicatum. Atque apud eundem Strabonem, Crates Philoſophus, eandem nobiſcum loci Homerici, modo citati, interpretationem de Atlantica Inſula amplectitur.

Sed neque heic Diodori Sicali ſententiam nos præterire oportet, quilib. 5. hæc habet; Phœnices, veruſtiſſimis inde temporibus, quum extra Columnas Herculis Africæ littora legerent, ingentibus ventorum procellis, ad longinquos in Oceano tractus abreptos fuiſſe, ac per multos dies vi tempeſtatis iactatos, tandem ad Inſulam aut terram ingentis magnitudinis perveniſſe in alto Oceani Pelago contra Africam in occaſum verſus iacentem: cuius ſolum amœnum, ac frugiferum, & amnibus navigabilibus irriguum, ſumptuoſiſque ædibus inſtructum. Quæ terra Inſularis nulla alia eſſe poteſt, quam America? Sic & in Apuleio de mundo idem ferme habetur, velut & de mirabilibus auditis ſic ſcribitur: In Mari Atlantico extra Columnas Herculis, Inſulam olim à Carthaginenſibus fuiſſe inventam, à nullis tunc hominibus, ſed tantum feris habitatam, & frequentibus arboribus refertam: fluminibus plurimis ad navigandum aptiſſimis plenam: incredibili rerum ubertate mirandam: à continente pluribus dierum navigatione remotam. Hæc de America, à Columbo prius denuo inveſtigata, eſſe intelligenda, quis non videt, ſi ſanitatem mentis non amiſerit? Ita ergo terram illam, quam nos propter recentem inventionem Novum Orbem appellamus, priſcis veteribus quoque cognitam fuiſſe, nec hodie demũ inventam primo, ſed potius redinventam, ipſa ſacra ſcriptura, & alii ſupradicti auctores ſatis aperte unanimi conſenſu atteſtantur, ut heic dubii quidquã amplius ſubeſſe plane nequeat.

Si forte nunc quiſpiam hinc duplicem talem formet quæſtionem; quando nempe & quomodo homines illi in tam diſſita pervenerint loca? deinde quæ cauſa ſit, quod per viginti uſque ſecula à tempore Platonis ab annis 2000. Poſtea uſque ad Columbi inquiſitionem novam tam diu incognita latuerit hæc terra? de iis, qui ſe dubitare dicunt, habent cauſſas non contemnendas. Etenim ſi quis ſaltem diſtantiam tam diſſitorum locorum, & terrarum conſideret, merito in admirationem abripiatur quod tam longe diſſipatum fuerit genus humanum in diverſas mundi oras & partes. Quippe hoc maxime mirum eſt, quod ex hominum primorum origine, qui poſt diluvium ſuperſtites remanſerunt, tam ſtupenda diſſipatio mortalium facta ſit.

Difficultas dubii maxime inde exorta eſt, quod nuſpiam, neque in ſacris litteris enucleate ponantur. Verum ſi recte rem percenſeamus, non adeo difficiliserit diiudicatio. Conſtat enim ex ipſo verbo Dei, quod Cataclyſmus ille univerſalis mundi, qui ex iuſta Dei vindicta omnem inundavit terram, non ſolum homines præter Noachum cum ſuis omnes, ſed etiam una clade omnia animantia, quæ tum in terris fuere, præter admodum pauca, quæ myſtica navis tuebatur in conſervatione generis, cũ volucribus extinxit prorſus. Poſt quinos deinde mẽſes, quibus inundatio ſæviit, arca in Armenis montibus deſedit: Noe cum ſuis terram egreſſus, mortale genus brevi tempore propitio numine reparavit. Et ut rurſus omnis terra incoleretur, filios, nepotes, ac pronepotes alios ad alias terrarum oras velut in Colonias habitatum miſit in Aegyptum (ut Beroſus habet) cum Coloniis Chami Ethnium, in Libyam & Cyrenem, Tritamen, & in totam reliquã Africam Iapetum Priſcum Atoleæ: in Aſiam orientalem miſit Gangem, cum aliquot ex filiis Commeri Galli,

Galli, in Arabiam felicem Sabum cognomine Thuriferum, Arabum præfecit Arabiæ desertæ, & Petreium Petrejæ: Chanaam posuit in Damasco usque in extima Palestinæ: In Europa regem Sarmatiæ fecit Tuisconem à Tanai ad Rhenum flumen: iunctique sunt illi omnes filii Istri & Mæræ cum fratribus suis ab Adula monte usque in Mesembriam Ponticam, sub quibus tenuerunt Tyrus, Arcadius, Emathius Italiam, Comerus Gallus Samotus possedit Celtas, & Iubal Celtiberos. Fuit brevis illa, & immatura filiorum alienatio à progenitoribus (quorum vivendi ritus, & mores nondum adhuc satis imbiberant) omnis diversitatis quæ sequuta est causa. Chamus siquidem ob ludibrium, quo parrem habuit, cum uxore & liberis, profugere coactus, in ea Arabiæ parte consedit, quæ ab eo postea nomen est sortita: posteris nullum sacrorum ritum tradidit, quum nullum à patre accepisset. Unde factum, ut quum præcedente tempore alii post alios ex ea terra rursus velut in Colonias missi, diversa mundi loca tenuissent (crevit enim supra modum abdicata soboles) quidam in errores inciderint inextricabiles: lingua variata est: Cognitio veri Dei, & omnis cultus cum dilectione Dei & proximi periit, ut quasi omnes immemores sui ortus facti, in diversissimas partes tam opinionis, quam mundi ulterius concesserint, alter alterum potius pro hoste, quam sanguinis amico habendo.

Adeoque quidam inculto & barbaro modo, quasi feritate extrema induti, vitam duxere, ut quid differentiæ inter eos, & sylvestria animalia exiterit, vix appareret, nisi quod externa forma bipedum quid repræsentaret erectius. Ideoque quum animantium, & præsertim venenatorum multitudo accrevisset, ita quoq; feritatem hominum in barbarismo vires sibi adsumpsisse cerneretur.

Qui in Ægyptum transiere vero, primitus quid clementius sapere visi sunt, quum cælestium motuũ & luminum harmoniam, pulchritudinemque propius ex prisca informatione patriarcharum miratẽtur, & æstimarent: Aberrarunt autem postea admodum, quum Solem tamen & Lunam colere cæpissent, Isidem hanc, illum Osirim nominantes: Vitali spiritui etiam sub Iovis appellatione suam adscripserunt Deitatem; sub Vulcani igni, ætheri sub Palladis; sub Cereris telluri, aliisque sub aliis nominibus divinos honores instinctu Diaboli tribuere. Nec tenebræ illæ rerum hinc tantum in Aegypto steterẽ; sed quascunque ab obitu Patriarcharum statim, nec non à principio terras tenuerunt, inprimis à Chamo procreari. Unde veræ pietatis ignorantia, simul & infanda servitus cum libidine summa excrescere cæpit. Cæterum nulla unquam tellus plurium fuit Coloniarum mater, quam Arabiæ pars illa, quam is cũ suis insedit. Hinc in Insulas orientales discessio facta est, & inde traiectio in Australem Africam, ulteriores que fines mundi, ut ferocia & feritas huius progenerationis passim suas emiserit vires, & gentium migrationes: tantam humano generi cladem intempestivum unius attulit exilium.

Contra, Semi & Iaphetis prognati, legitime à maioribus instituti, modicis finibus contenti; haut tam late, ut illi innumerosissimi innumerabiles, sunt per omnes terras evagati. Quo accidit, ut veritatis studium, & pietatis, Deique veri cultus ex informatione sacratiori maiorum & Patriarcharum, apud unam duntaxat gentem ad Messiæ usque tempora in occulto permanserit. Effecit ita acerbissimus humani generis hostis, inducta hac mutua animorum inimicitia, & mutua proximi dilectione extincta, sub religionis specie, damnosaque superstitione, ut dum unaquæque gens Deum, quem præ se ferebat summum esse, dum se rectam æternæ beatitudinis viam ambulare, cæteros vero omnes per devia, perq; abrupta aberrare magnis, violentisque rationibus contenderet, dumque unaquæque sectam suam longe lateque propagare, & extendere conabatur, sese mutuo tantis inimicitiis, tantisque odiis haberent, prosequerenturque, ut ad exteras terras peregrinati non solum fuerit tutum, sed etiam fere omnium prohibitum, & occlusum, velut hodie hoc simul ubi plenо observari videmus, ut dum vicinarum gentium nomina vicinis gentibus vix cognita sint, pro mendaciis repudientur, quæcunque de ipsis aut scribantur, aut proferantur: Quorum cognitio tamen adeo dulcis, adeo utilis, gloriosaque semper reputata est, ut clare constet, non ob aliam causam, quam illius amore atque desiderio plerosque relicto natali solo, relictis caris parentibus, coniugibus, liberis, & amicis, relicta propria salute, cum maximis difficultatibus, periculis, curis, angustiis, ut aliquid experirentur, remotissimas transmarinas interdum adsumpsisse peregrinationes: ut compertum habeamus, non hac tempestate nostra solum, verum ab exordio mundi omnes perquam maxime autoritatis, prudentiæ, eruditionis ab omnibus existimatos, sæpiusque à pluribus electos esse, qui alias sedes investigarent, & sibi locos habitandi tutos invenirent.

Et quid multis heic inquiramus talia, quum constet ex historia Noachi, quod animantia, quæ in quovis genere saltem bina, mas nempe & fœmina sint conservata, eiusque per totum orbem terrarum in omnes partes se distribuerint, & species suas disseminarint, adeo ut undique similia inveniantur, quur non & idem de humano genere verum sit? Sed properamus nunc ad alteram quæstionis solutionẽ, ubi dubium habetur summum, quur ita tam diu tamen alterius hemisphærij pars incognita postea fuerit. Quis heic enim non miraretur, tantę magnitudinis terram, semel notam, postea iterum tot seculis potuisse homines latere.

Si exigua esset terræ portio, non esset fortasse, quod miraremur. Iam vero tantæ audivimus esse magnitudinis, quæ Asiam & Africam longe exuperet. Neque etiam sita est in eiusmodi aliqua Zona, quo navigantibus minus pateat, & intemperans, tractibus certis sese extendit, ut si per unam Zonarum ad hanc terram navigare commode non liceret: per aliam tamen eadem aditi posset. Quod si incredibilem & insatiabilem auri argentique famem perpendimus, qua per mare, per terras, per saxa, per ignes, mortales vel ad extremos usque Indos feruntur: mirum certe est, eos ad tam opulentissima hæc regna hactenus nunquam appulisse.

Neque minus hoc mirum accedit, si regum & Monarcharum summam dominandi cupiditatem consideramus, qui ut regnis suis, etiam ex remotissimis terris accessionem facerent, nihil intentatum reliquerunt: quos quomodo tot seculis, tot regnorum opulentissimorum terra latere potuerit, non facile

quis

quis dixerit. Et alias magna eſt mortalium curioſitas: dum ſemper nova ſubinde inquirere, & inveſtigare ſummo ſtudio laborant, adeo ut ea etiam, quæ in viſceribus terræ abſtruſa continentur, humanam aciem non effugerint, ut fere mirari liceat, ea quæ in ſuperficie ſunt, tot ſeculis incognita manere potuiſſe. Et ſi dicere auderemus, cum omne mortalium generi, cui ſtatim in creatione generali gratia Deus orbem terrarum ſubiecit totum: tum vero vel maxime ſummis priorum ſeculorum Monarchis, qui ſingulari privilegio terris dominati ſunt, fere dedecus videtur fuiſſe, tantas terras tamdiu ignoraſſe, non minus atque patrifamilias turpe eſſet, ſi domus ſuæ conclave præcipuum non noſſet. Adde quod tot ſeculis tantus uſus fuerit navigationum: quibus ſi caruiſſemus, non eſſet, quod ipſi nobis exprobraremus, aut tam diuturnam huius vaſtiſſimi tractus terræ ignorantiam tantopere miraremur.

Hæc ergo omnia ſi coniunctim quis conſideret, vix fieri potuiſſe credat, ut Inſula tam magna & opulenta, ſemel inventa, & cognita, poſtea tot ſeculis abſcondita maneret. Verum ſi de hac quæſtione Platonem & alios cõſulemus, huius rei cauſſas ex iis audiemus, licet diſcrepantes. Plato enim in Timæo cenſet diluviorum & terræ motuum multitudine, & magnitudine unius noctis, & diei ſpacio omnes homines illius Atlanticæ Inſulæ abſorptos, adeoque ipſam Inſulam, maris fluctibus plane oppreſſam, ipſumque mare Atlanticum ἄπορον & ἀδιερεύνητον, traiectuque difficile factum fuiſſe, cum lutum adhuc copioſum ex Inſulæ illius reliquiis remanſerit: ſicut hęc Critias ex Seniore, qui ex Solone cognoverat, audita in dicto Timæo Socrati recenſet.

Et in altera dialogi parte, quæ Critias inſcribitur, cum multa de hac Atlantica Inſula diſſeruiſſet, de eodem interitu dicere inſtituit: ſed pars illa dialogi temporum iniuria ad nos non pervenit. De quâ tamen narratione, ſive fabuloſa, ſive Allegorica, hic cum nemine contendemus. Alius vero in libro de auditis mirandis aliam rationem reddit, vero propiorem. Cum Carthaginenſes, inquit, qui olim domini erant occidentalis Oceani, ſicut hodie Hiſpani fere ſunt, animadverterent, multos mercatores, alioſque homines loci fertilitate, amœnitate, & aeris clementia allectos, & captos, ſedem ſuam ibi fixiſſe: veriti ſunt, ne ſi Inſulæ illius fama ad alias nationes perveniret, magnus hominum ex variis terræ locis concurſus ad illam fieret, qui poſtea peculiari Imperio conſtituto, ſibi non tantum felicitatem illius Inſulæ præriperent, ſed ex ea etiam Carthaginenſe Imperium infeſtarent, mariſque dominium ſibi extorquerent.

Idcirco publico conſilio decreverunt morte indicta, ne quis poſthac eo navigaret: Et ne ab iis, qui iam dum illam Inſulam occuparant, periculum ſibi metuendum eſſet, omnes eos, quibus quidem potiri potuerunt, expulerunt, aut interfecerunt. Atque hoc modo factum eſt, ut cum nemo, Carthaginentibus prohibentibus, & caventibus, addo etiam tentantes hoc, hoſtiliter avertentibus, eam adierit, hominibus nota eſſe deſierit: & ignota poſtea multis ſeculis manſerit. Cui ſententiæ, vero ſimilimę ſubſcribere, non eſſe exiſtimo, quod dubitemus.

Etſi autem & aliæ huius rei rationes afferri poſſent, ut bella, quibus totus fere mundus ſubſequentibus ſeculis occupatus, inquiſitioni novarum terrarum operam dare non potuiſſe, impedimento fuerint, & meo quidem iudicio forte non male videtur: tamen quia meum iam fuit propoſitum, ea ſolum afferre, quæ authoritate priſca, non tantum coniecturis, licet per ſe non contemnendis, niterentur: plura de hac re nunc afferre ſupervacaneum exiſtimo: præſertim cum ex his iam ſatis conſtet cuivis id, quod propoſueramus; nimirum & notam fuiſſe priſcis hominibus noſtram Americam, & ob cauſam indicatam poſtea proximum uſque ſeculum, quo denuo inventa, & recognita fuit, aliis gentibus incognitam manſiſſe. Quin etiam inſuper hoc addendum eſt, inde nec minus occultatam nobis antipodum terram tamdiu per tot ſecula latitaſſe, quod uſus magnetis uſque adeo non extiterit in vigore, donec Amalphinates eum denuo ſuperioribus ſeculis introduxerint. Quippe navigantibus iſte animus uſque confidens non potuit eſſe, niſi huius miniſterio directorium ſacrum aliquod detexiſſet. Ideo ſe continere coacti ſunt intra fines prius cognitos, licet commerciorum rationem ulterius quid exigere vidiſſent pridem, quod conficere alias plenius ſtuduiſſent. Amalphinatibus autem talis gloria non invidenda eſt, in hiſce poſterioribus ſeculis, ſi quid in eo, ut opinio id fert communis, præſtiterunt, quod tam ſalutare ſuppeditamentum commerciis largitur.

Namque hæc cura & labor arduus quantam cõmoditatem ſocietati humanæ ſuggerat, ex ſuperioribus dictis facile agnoſcere licet. Qui negare hoc velit, non arbitror, communi hominum ſaluti, in cultiora vita rectiori, hunc quid bene cupere. Etenim ab omni ſanioris rationis vigore illum exulare, quis rite ſtatuet, qui hoc impudenter negare auſit, quaſi nec ſuperioris ſeculi experientia ſatis declararit, quanta ſubſidia noſtris temporibus inde ubertim profluxerint, quæ noſtras ex navigatione tali ditarunt terras; modo non in nefarium abuſum tot opulentis pertraxiſſent noſtri hemiſphærii homines, quas ex America, & India Orientali ad nos in magna tranſportarunt copia per mare ex longinquiſſimis terræ partibus. Audaciam hanc nimis effervescentem inducrunt nautæ, & mercatores inde, quũ beneficio magnetis, & Aſtronomiæ, figurarum, aut imaginum cœleſtium cognitione pleniorem navigationum curſum ſibi acquiſiviſſent, ut ſic confidentius mare ſulcare, & perquirere maris itinera non deſiſterent, uti merito Horatius audaciam hanc mortalium in præcipua habet admiratione, dicens:

Illi robur & as triplex
Circa pectus erat, qui fragilem truci
Commiſit pelago ratem
Primus, nec timuit præcipitem Africum
Decertantem Aquilonibus,
Nec triſtes Hyades, nec rabiem Noti,
Quo non arbiter Adriæ
Maior, tollere, ſeu ponere vult freta.
Quem mortis timuit gradum,
Qui ſiccis oculis monſtra natantia,
Qui vidit mare turgidum, &
Infames ſcopulos Acroceraunia?
Nec quidquam Deus abſcidit
Prudens Oceano diſſociabilis

Terras:

Terras: ſi tamen impia
Non tangenda rates tranſiliunt vada.
Audax Iapeti genus
Ignem fraude mala gentibus intulit.
Poſt ignem atheria domo
Subductum macies, & noua febrium
Terris incubuit cohors:
Semotique prius tarda neceſſitas
Lethi corripuit gradum
Expertus vacuum Dædalus aera
Pennis, non homini datis,
Perrupit Acheronta Herculeus labor.
Nil mortalibus arduum eſt,
Cœlum ipſum petimus ſtultitia NB. neque
Per noſtrum patimur ſcelus
Iracunda Deum ponere fulmina.

Quid de hominum temeritate in auaritiæ ſtudio obſtinato poteſt clarius proferri, quam hæc incuſſio aucta dedecoris ſummi declarat. Ethnicus eſt, qui non potuit ea probare unquam, quæ ad nimiam audaciam lucri cauſſa tendant apud mortales; quid nõ iam ſtatueret, de tam perverſis facinoribus Chriſtianorum, quibus contra conſcientiam ſe conſpurcant in remotioribus locis homines ob auaritiam explẽdam enecando, & quod nec ullum mortis gradum in nauigationibus difficillimis propterea timeant? Ut vero negotiationes tales recte perficiantur, pluribus præſertim mercatores ad uſum harum indigent mediis, nec facile ſumptus grauior dari poteſt, qui iſtum exuperet, quam negotiatio illa per maris ambages varias requirit.

Geographorum heic præcipuè quadruplicia, aut quintuplicia ſunt nomina, quibus ipſum terræ tractum deſcribere ſolent. Primaria maris, maritimorumque locorum habentur: ſunt autem hæc: Mare, Oceanus, Sinus, Fretum, æſtus, Euripus, Boſphorus, Portus, littus, agger, ora, Cherſoneſus, id eſt, Peninſula, Iſthmus, Inſula, Promontorium, Caput terræ, terminus, limes, aggeſtio finitima, mons, &c. Altera ſunt nomina generalia partium terræ, nempe: Continens, terra, territorium, regio, regnum, Prouincia, Gentiles, Populus, Plebs, Urbs, Ciuitas, oppidum, Emporium, Caſtellum, Vicus, Pagus, Villa, Caſa, tugurium, Arx, ſpecula, columna, forum. Tertia nomina agrorum ſunt hæc: Vallis, collis, clivus, rupes, vertex, iugum, cacumen, conuallis, fauces, campus, ager, arvum, pratum, paſcua, Sylva, Lucus, Nemus, Saltus, Virgulta, ſpinetum, ceſpes, locus udoſus, ceſpitoſus & ſimilia. Quarta nomina generalia fluviorum, ſtagnorum, ſinuum, anfractuum, & cæterorum aquaſorum locorum, deſertorum, inhoſpitatorum, velut & ſunt agnata, fons, rivus, flumen, torrens, fluentum, gurges, amnis, fluctus, unda, ripa, oſtium, alveus, vadum, Lacus, Palus, lacuna, ciſterna, piſcina, thermæ, puteoli, &c. quæ Iohan. Cochæus Noricus diffuſe pluribus deſcripſit.

Quibus quinto loco adſociantur nomina ventorum, quæ accuratiſſima nautis, & naucleris omnibus ſunt in quouis curſu marino addiſcenda, ut rationes itineris ſui in alto mari eo commodius ob pericula evitanda obſervare queant. Venti autem eſſentialis proprietas hæc eſt. ut ſemper ſpiret, & flatus ſuos in halitibus tenuiſſimis exerceat, & aeris permeet inferiorem regionem, moveatque ſimul quodcunque fluidum expoſitum ſibi deprehendit. Subtilis hic Spiritus quidem cadit in ſenſum, quando motu ſuo incurſat, & pulſat aerem ſibi obſtantem, velut ipſe Chriſtus Patris æterni æternum verbum Iohan. 3. hoc vento adſcribit, quod ſpiret ubi velit; additque, auditeius ſuſurrum, ſed nemo noſcat, unde veniat, aut quorſum vadat, ut eorum definitio heic non ſufficiat, qui ventum exhalationem calidam & ſiccam, lateraliter circa terram motam dicunt. Rectius multo Vitruvius id experientia heic oſtendere nititur, ventum fieri per actionem caloris in humorem. Percipimus enim, vaſa ænea, aut alia aquis ſemiplena, deſuper prædita ore anguſto, ignique appoſita, uti a qua inibi fervere inceperit, emittere per anguſtum os magno impetu flatum quaſi ventum: quod etiam percipimus fieri in cadis vini, dum vina recentia ebulliunt.

Unde ſat patet, ventum eſſe Spiritum, qui & halitum ſiccum, & humidum ſeu vaporem efficiat, Ignem ſcilicet ipſum omnium turbarum auctorem, qui cum materia ſicca coniunctus, ſiccum halitum, cum humida vaporem conſtituat. Ex quo fit, ut cum utra vis iungatur, flatum excitare poſſit, diverſoſque effectus producere. Ut ſi cum ſiccis copulatus, ſiccus ſit, humidus eas humectet: Quæ experientia docet. Ideoque non omnes ventos fieri à vaporibus calidis, & ſiccis, ut dixi (recte Cardanus ſentit in lib. 1. de rerum varietate) indicio primum eſt, illos abundare in mare ferme perpetuo: neq; veriſimile eſt, totum Oceanum tranſire, ut in Angliam perveniat, præſertim quod tranſeundo ſub polis hebetantur. Humectant etiam atque refrigerant egregie, ac magis, quam calidi calefaciant, atque ſiccent. Aliter omnes ventos, qualis eſt Auſter, eſſe neceſſe eſt. Quinimo qui ſilicem, aut marmor habent, levem facile agnoſcunt ventorum naturam: quoniam quidam, imo plerique adeo frigidi ſunt, & humidi, ut cum flant, lapides illos madefaciant, & etiam aquæ guttis aſpergant: ſunt etiam venti multi, qui aerem exputgant: ſi à vaporibus eſſent, omnes replerent aerem, obtenebrarentque.

Quod vero ventus ſiccet, generali ratione contingit, quia movetur celerrime. Unde etiam multa ſiccatur ab aqua, quæ rapidiſſimo curſu fertur, quæ vis tamen aqua ob craſſitiem hærear, & humectet. Ventus vero non poteſt ob tenuitatem hærere, & etiam ocius, & maiore impetu fertur, quam aqua. Eſſe etiam aſſidue tantum vaporem, ut toties orbi replẽdo ſufficiat, mirum eſt: Nam millies in hora reflat ventus unus. Dicendum igitur, ventorum eſſe duo genera: proprium, quod à vaporibus fit, & vix unam regionem excedit, propter penuriam vaporum: & hic ventus calidus eſt, & ſiccus natura: minus tamen talis videtur, ob immixtum ſibi aerem, unde ventus, quanto frigidior, & humidior, eo generaliter purior eſt: Et commune, quod ex ſola aeris motione fit. Movetur autem aer ab aſtrorum impetu, quaſi concitato, atque vibrato: velut cum virga vibratur, & ſtridet. Ut enim aqua à luna, ita aer ab aliis aſtris quaſi perpetuo agitatur. Cum vero aer multo aqua maior ſit, par eſt, ut à pluribus etiam aſtris moveatur.

Movetur autem à ſuperiore parte in inferiorem plerumque: indicioque eſt, pinnas, quæ in ſummitatibus

tibus turrium verſatiles ſunt, tum etiam nubes ipſas, ante flatus ventorum hic iuxta terram moveri: moventur etiam alii recte, ut natura fert omnium eorum, quæ magno impetu per ſe moventur. Siquidē talia omnia recte feruntur, niſi ſint ſolida, ut cœlū: vel circa ſolidum corpus moveantur, ut mare. Indicio etiam eſt, quod gravia, ut naves, flante vento nō premuntur, imo expanſis velis magis eriguntur, & ſuſtinentur. Nubes etiam cum ventus perſeverat, deſcendūt, tum ob gravitatem propriam, tum quia, dum recta feruntur, magis terræ appropinquant. Non igitur venti circulari motu feruntur, ſed recto, ſi validi ſint. Cum vero declinant, ut reliqua, alliduntur. Sed his relictis præſtat de illorum natura, & cauſis differere. Siquidem conſtat, illos undiquaque venire, non tamen qui ad nos veniunt ex meridie, veniunt ex Polo antarctico: nam neque noſter Borealis ad Aequinoctialem pervenit, ſed ab immenſa ſolis caliditate finitur. Potentior vero eſt, qui ex Auſtro ad nos venit, quam apud illos noſter Boreas. Impetus enim fit ex tribus cauſis, & robur. Prima, cum magna vi ſurſum feruntur vapores, ſi à vaporibus oriatur ventus. Secunda, cum multus ventus in faucibus aliquibus retinetur, inde exit, tunc validior longe erit, quam prius fuerit: quod etiam aquis ipſis, & torrentibus commune eſt.

Nunc cum in Scotia eſſem, adeo ſæviebat ventus, ut niſi currentes per locum, qui decem paſſibus minor erat, non poſſemus tranſire, cum tamen & id validiſſimi iuvenes, quaſi certamine propoſito, experirentur. Cæterum quanto ventus proximior eſt initio, tāto validior: ob id validiſſimi apud nos Boreas, Circius & Corus: ob id etiam ſereniſſimi, niſi ob nimiam frigiditatem, cum debiles fuerint, humectaverint. Nunquam autem contrarii ſimul perflant, quia (ut dixi) venti generales motus ſunt aeris quidam quaſi ut elementi: Idem autem in contraria ſimul ferri non poteſt. Qui autem ſint contrarii, & quot ſint venti, dictum eſt in ſecundo ſuper Ptolomæi libros de Aſtrorum indiciis Commentario. Verum contrariorum ventorum natura ferme eadem eſt, ut etiam Eurus ſit ſerenus. Humidi ea ratione, Lybs quia Cæcias: & Cęcias humidus, quia adeo validus, ut nubes non adeo validas expellat. Qua ratione & Subſolanus ſiccus Corus, & oppoſitus ei Eurus: ſed in fine ob dictam cauſam Eurus humidus eſt, Boreas autem & Aquilo ob vehementem frigiditatem nebuloſi ſunt. Grandioſi frigidiſſimique Boreas, Circius atque Corus: validi enim cum ſint, & frigidi, grandines generant: ſed & iidem coruſcationes, tum etiam Aquilo. Nam & ipſe frigidus eſt, atque robuſtus. Aeſtuoſi Auſter, Eurus, Phœnicius, propter regiones, unde veniunt: quam ob rem etiam nubes adducunt. Calidiores autem ſunt Orientales Occidentalibus, quoniam Orientales moventur Occidentalibus, ob idquè magis calent. Oſtenſum eſt etiam alias, Oriens ipſum calidius eſſe occidentē. Originem ventorum difficillimum eſt ſentire, tum quia ab initio ſit exiguus, tum quia feratur è ſublimi per tranſverſum, ut dictum eſt: ob id vero origo quandoque ſentitur in montibus. Eſt enim triplex, à ſpecubus, ab exhalatione, à vibratione. Flat autem quaſi contraria ratione temporum: Vernali æquinoctio Cæcias: Autumnali, Lybs: Tropico æſtivo, Zephyrus: Hyemali, Subſolanus: Bortas, Circius & Corus, Vere: Ecnephias, autumno. Ab æſtivo ſolſtitio diebus XX. flant Eteſiæ diebus XL. Boreales hi ſunt venti, qui fiunt, ob magnos calores liqueſcentibus nivibus, & terra madefacta: Calor aut maximus eo tempore viget, aut paulo ante inde mora, ut vapores eleventur. Diu perſeverant, quia nec calor, nec materia deficit. Contra Ornichiæ, & ipſi Boreales venti, LXX. diebus, ab hyemali ſolſtitio, neque validi, nec perpetui, propter caloris imbecillitatem.

Initia vero ventorum, & fines neceſſario ab aura, & levi vento ſunt, quia aer ventum præcedit, & ſubſequitur: Quod vero intermittat viciſſim, ac reflet, cauſa eſt plerumque impetus vaporum, aut locorū anguſtia: In mari autem vētus generatur, quaſi ſemper ob concuſſionem aquarum. Velut etiam, ut ſerveturaer (ait recte Card. lib. 2. de elem.) atque peregrinam omnem qualitatem exuat, perpetuo moveri, neceſſe eſt: Sicut & indicio certo eſt, aerem ſemper moveri, quod in anguſtis locis aura ſemper ſpirat. Cum enim altius ſemper moveatur, atque aſſidue agitetur, inferius hic leviter ſemper flat: qui cū è rima exitum habuerit, coacto toto impetu propter loci anguſtiam vehementer imprimit, exemplo aquarum in fluminibus magnis, quæ cum vix fluere videantur, per anguſta loca, aut vocatas conchas deductæ, conatu magno, ac ſtrepitu, tum fragore immenſo coguntur erumpere. Motus enim, cæ-tera, quæ ſubſtantiis continuis adveniunt, in unum cogunt; ubi etiam ampla moles in exiguam aliquam partem concluditur. Inde ex hoc crypto frigidiſſimas conſtruere docemur, plures atque anguſtos receſſus in alias dirigendo. Et in Ægypto aer nimio æſtu ferveat, excogitata ratio turrium altiſſimarum, in quibus anfractus anguſtiores è ſummo vertice aliquid aerem deducunt frigidiſſimum: quia à locis exceptus purioribus frigidior eſt, & ob ſpacii longitudinem fertur magno impetu, atque ideo frigidiſſimus evadit, & vehementius imprimit. Externus vero calor à muri craſſitudine arcetur: & loci obliquatos radios ſolis impedit, admiſta luce ne ingrediantur. His quatuor conſiliis in calidiſſima quacunque regione amœniſſimos receptus, atque ſalubberrimos fabricare licet: ſunt enim ſalubres, qui perflati.

At dices, videmus in turrium cacuminibus poſitis flabellis ex tenuiſſimis, leviſſimiſque laminis metallicis volubilibus ventos ſolum eas movere, aliter autem quieſcunt: non igitur ſemper aer movetur. Cum enim ſcire cupimus, unde ſpirent venti, flabelli aciem, ad quam partem reſpiciat, atque conſideat, inſpicimus, ventumque ex adverſa regione flare cognoſcimus. Quod ſi in pluribus locis acies conſideat flabelli, totidem flant venti ex adverſis regionibus, quod fuerint loci, in quibus conſederint. Ut ſi ad Boream reſpiciat flabellum, ex Auſtro ventus flat: ſi ad orientem ex occidente: ſi modo ad Boream, modo ad orientem, uterque ventus ſpirat. Eademque ratio & in aliis, & in pluribus obſervanda. Unde Tritonem illum Vitruvianum collocare docemur. Verum cum venti non ſpirant, eſt autem εὐκρασία viget, aeris ventus ex oriente, tendunt enim flabella ad occidentem; atque hic motus naturalis eſt aeris. Aer igitur frigidiſſimus eſt, ac ſemper movetur. Tactus eſt etiam natura tenuiſſimus, ergo aer tenuiſ-

tenuiſſimus eſt etiam, ut ictus omnes exciperet. Nã in terra ob ſoliditatem motus non fiunt, niſi obſcuri: in aqua vero etiam lenti: ſolus aer ictibus excipiendis aptiſſimus & ob ipſam tenuitatem eſſe videtur. Sunt autem motus ſimplices alii, præter tres ſuperius dictos, quatuor: Cœleſtis, qui maxime eſt naturalis, & alius rurſus naturalis, qui à quadam obedientia rerum fit, ut aquæ ob Lunam, & ferri ad Herculeum lapidem: & voluntarius, qui animalibus convenit. Quartus ex his eſt violentus. Hinc eſt, quod Seneca lib. 5. nat. quæſt. cap. 1. ventum fluentem aerem facit, quum aer nunquam tam immobilis ſit, ut non in aliqua ſit agitatione. Velut & tranquillum mare dicitur, cum leviter movetur, nec in unam partem inclinatur; unde nec illud unquam ſtat, ſed ſuccutitur leviter, etiamſi tranquillum dicatur: Quod idem de aere iudicandum eſt, non eſſe unquam immobilem etiamſi ſit quietus.

Quum ſol in aliquem clauſum locum infuſus eſt, videmus corpuſcula minuta in adverſum ferri, alia ſurſum, alia deorſum, varie concurſantia, ait idem. Aer autem quum elementum potius determinet, non ipſe tam eſt ventus, quam commune ventorum receptaculum, cui ſic Spiritus ille exhalationis inſinuat, ut per eius agitationem operari iuxta cauſſatum morum queat. Non inique tamen ita ventum alii definiunt, quod ſit Spiritus exhalationis ex influentia planetarum, & aſtrorum in Civitatibus inferiorum terræ, & aquæ partium concitatus & genitus. Etenim cauſſa efficiens venti eſt Sol, Luna, aſtra aut planetarum influxus. Materia vero exhalatio, quæ dum in ſublime partim aſtrorum vi partim natura incenſi Sulphuris tollitur, obſtaculum invenit mediam regionem aeris frigidam, eandem repellit. Ideoque retruditur exhalatio, meatque in obliquum circa mare, & terram. Ubi notandum, aerem ſecundum qualitates ſuas in tres regiones dividi: infimam, quæ circa nos eſt, ut plurimum temperatam: mediam frigidam, quum minus reflexiones ſolarium radiorum ita efficaciter patiatur. Tertiam ſupremam calidam, proximamque ſphæræ ignis, in qua regione inde generantur dracones volitantes, Chaſmata, Stellę cadentes, & ſimiles impreſſiones. Quod vero ad loca ventorum attinet, ex quibus diſtributiones ſuas ſumunt, notandum primitus eſt, in quovis Horizonte quaternas ventorum regiones intelligi poſſe, iuxta quatuor partes mundi, quorum principales, etiam quaſi in Cardine conſtituti, Cardinales vocantur, velut & Poetæ ab ortu flantẽ, Eurum nominant, ab occaſu, Zephyrum, à Septentrione, Boream, & à meridie, Auſtrum: velut egregie Manilius eos hoc diſtichо expreſſit, dicens:

Aſper ab axe ruit Boreas, fugit Eurus ab ortu:
Auſter amat mediũ ſolem, Zephyruſq; cadentẽ.

Velut etiam Ovid. lib. 1. Metam. pleniori explicatione, & ſplendidioribus figuris eandẽ rẽ depinxit:

Eurus ad Auroram, Nabathæaq; regna receſſit,
Perſidaq; & rarijs juga ſubdita matutinis:
Veſper & occiduo quæ littora ſole tepeſcunt,
Proxima ſunt Zephyro; Scythiam, ſeptemque triones
Horriter invaſit Boreas. Contraria tellus
Nubibus aſſiduis, pluviaq; madeſcit ab Auſtro.

Ita ex Principalibus locis mundi nomina ventorum talium ſumpta ſunt. Ac licet ad cardines tales referantur; tamen etiam ſocij illis adiunguntur, ut cuique Principali ſui adminiſtri attribuantur duo. Erunt itaq; tres ab ortu venti, tot ab occaſu, tot à Septentrione, & tot ab Auſtro, ut quiſq; Cardinalis ſit quaſi intermedius, & ſponſum agat. Si iuxta latinos veteres cuique 12. ventorum iſtorum ſuum iuſtum attribuere velimus locũ, ſic erunt ordinãdi. Ab ortu Æquinoctiali ſpirat ventus, quẽ ſubſolanum dicunt. Græcis eſt Apheliotes ſive Eurus, quem tamen alii proximum faciunt, ita ut cũ Vulturno coincidat. In Italia autem, & Hiſpania Orientalis ventus Levante dicitur. Nautæ Francici illũ Eſte inde vocant, quod Germanis ſit Ooſt. Subſolano autem contrarie verſus occaſum directo opponitur ille ventus quẽ Græci Zephyrum dicunt, quaſi vividum exerat ſpiritũ, quũ ad eius efficaciam plantæ & herbæ reviteſcant ſuo tempore habito. Latinis autẽ eſt Favonius, uti & Itali, ac Portugallenſes cum Caſtilianis eum vocant ponentem. At nautæ Gallici eum appellãt Oweſt, uti cum Germanis hoc nomen coincidit. Tertius Ventus Cardinalis loci vocatur à Latinis Septentrio, à ſtellis 7. circa Polum Arcticum volvẽtibus Urſæ minoris, cuius cauda ferme eum deſignat Polũ mundi. Græci hunc ventum Aparctias dicunt, qui Italis eſt Tramonte, at Hiſpanis Nort de Briſa; Galli autem cum Germanis abſolute illum Noort vocant. Quartus ventus qui Septentrioni contrarie oppoſitus eſt, appellatur à latinis Auſter, quaſi illum dicere vellẽt aquarum concitatorẽ, aut humiditatis confectorẽ, quum iſte ventus ut plurimum pluvias importet, unde etiam Græcis Notus dictus eſt, ob humorum cõplicationes. Italiani illum Mezodi nominãt; qui Hiſpanis eſt Abregoſus, aut Vondevat. Germanis cum Francis eſt Sudt. Atq; iſti ſunt venti Principales à 4. partibus ſic dicti. Velut & Chriſtus ipſe Matth. 25. & Marc. 13. mentionem ventorum iſtorum facit, quod Angeli eius in ultima die ad iudicium extremũ mortales omnes tubæ ſonitu à 4. ventis advocaturi ſint.

Hos ſequuntur nunc intermedii venti. Si igitur recurramus verſus partem Orientalem, qua primitus linea Auſtralior obſervatur, ibi Latini ponunt Vulturnum, quaſi alis vulturis ad inſtar ingruat violentioribus, quem Græci Eurum rectius appellitant; at Italis eſt Sirot, ſive Sciron, ut ait Seneca lib. 5. quæſt. nat. cap. 17. Germanis Ooſt Suyd Ooſt. Inde ſi ad dexteram partem linea Orientalis verſus Septentrionẽ notetur, vẽtus illius loci dicitur Græcis & Italis Helleſpontiacus, quod à parte Helleſpontiaci maris ſpiret: aliis rectius nominatur Cæcias; At Germanis Ooſt Nort Ooſt. Gellius & Vegetius ipſi aſſignant nomen Aquilonis, quum tamẽ longe alius ſit ventus, qui altera linea magis ad Septentrionem vergat, ac Germanis Nort Ooſt dicitur, uti mox patebit. Iam ſi verſus occaſum iterum procedamus, duo ſunt his ventis contrarii iuxta rectam lineam, qui ſpirant ex regione, ubi ſol hybernali tempore occidit; qui iuxta rectam lineam Cæciæ, ſive Ooſt Noort Ooſt opponitur, illum latini vocant Africum, quum reſpectu Romæ iſte ventus ex Africa illis ſpiret, unde & Græcis quoq; Lybs eſt, quum Guinea illis Lybia ſit. Italici illum Lobechino vocãt; at Galli à Germanis illud ſumunt quod eundẽ Weſt Sud-weſt appellitent, quũ alias & Garo indicant. Secundus vero in hac regione cõtraria, Euroq; oppoſitus eſt, à ſolſtitiali loco

ſpirans, ubi ſol occidens longiſſimũ nobis efficit diẽ. Dicitur ab aliis Coras, à nonnullis Caurus, vel Auſo, alias quoq. Iapyx. Græcis vero eſt Argeſtes, ꝙ plenos efficiat radios. Alii illi nomen Olympici imponunt; Italis eſt Meſtral; aſt Galli & Hiſpani à Germanis id nominis ipſi inferunt, quod Weſt-Noortweſt dicatur. Atque ſic 8. conſtituuntur illi venti, quorum Gellius, & Vitruvius mentionem faciunt. Velut olim Andronicus Philoſophus Athenienſis ibi turrim marmoream 8. angulorum in gratiam 8. ventorum horum erexit, cui Tritonem cum rota impoſuit, qui ad flatus cuiusvis faceret indicationem, ex qua parte mundi ventus ſpiraret.

His 8. ventorum nominibus 4. adhuc alii additi ſunt, ut ita numerus 12. compleretur. Septentrioni enim duo qui aſſignantur venti, eorum primus ortum quoque reſpicit, & vocatur à nonnullis Aquilo, quod celeribus ita volet alis quaſi; aliis eſt Cæcias: at Græcis eſt Boreas, inde ſic dictus, quod flatu ſuo vehementem concitet ſuſurrum, & vociferationem bovinam; aliis vocatur Meſes, velut & Italis eſt Tramentant: aſt Germanis eſt Noort Ooſt. Alter ventus verſus occaſum inclinans heic & locũ imum tenens à Græcis vocatur Thraſias; ab aliis Circius, aut Circus; Caſtilianis eum Galego nominitant: Germanis eſt Noort-Weſt. Reliqui duo venti his ex meridionali plaga oppoſiti habentur, quorum primus directo ex regione ea ſpirat, quæ Circio contrariatur inter Vulturnum. & Notum, ſive Auſtrum. & Euronotus, ſive Euro Auſter dicitur, quem alii incompte Phœniciam dicunt, Germanis Suyd Ooſt. Ubi vero linea Auſtralis verſus occaſum excurrit Aquiloni oppoſita, quartus iſte ventus Lybo-Notus dicitur, quaſi Africo vicinus. Atque ſic 12. venti cum intermediis ſuis iuxta quatuor partes mũdi principales conſtituuntur, ut id rectius ex Circulari deſignatione ſub lit. A. appoſita, & adiecta oculariter apparet.



In quo etiam conſentiunt Plinius, Seneca & Vegetius, quos etiam Aſtronomi, & Coſmographi Orontius, Appianus, Gemma Friſius, Henricus Glareanus, Stoſſerus, Iohan. Beremius, Ioh. Fernelius, Robertus Volturnus, Iohan. Magnus, Clavius, Purbachius & alii ſequuntur. Quum vero inprimis Seneca admodum luculentam heic ſubordinet deuſu vero ventorum doctrinam, eius heic locutionem gratioſiſſimam apponere lubet, cuius verba lib. 5. nat. quæſt. cap. 16. 17. & 18. ita ſe habent. Venti quatuor ſunt, ait, in ortum, occaſum, meridiem, ſeptentrionemque diviſi, &c. Si brevius illos complecti mavis, in unam tempeſtatem (quod ñeri nullo modo poteſt) congregentur.

Una Eurus Notuſq; ruunt, creberq; procellis Africus.

Et qui locum in illa tixa non habuit Aquilo. Quidam illos duodecim faciunt. Quatuor enim Cœli partes internas dividunt. & ſingulis ventis binos ſuffectos dant. Hac arte Varro, vir diligens, illos ordinat: nec ſine cauſa. Non enim eodem ſemper loco ſol oritur, aut occidit: ſed alius eſt ortus occaſuſque æquinoctialis: (bis autem æquinoctium eſt) alius Solſtitialis, alius Hybernus. Qui ſurgit ab oriente æquinoctiali, Subſolanus apud nos dicitur: Græci illum ἀφηλιώτην vocant. Ab oriente hyberno Eurus exit: quem noſtri vocavere Vulturnũ. Et Livius hoc illum nomine appellat, in illa pugna Romanis parum proſpera, in qua Hannibal & contra ſolem orientem exercitum noſtrum, & contra ventum conſtituit: cum venti adiutorio, ac fulgoris perſtringentis oculos hoſtium vicit. Varro quoque hoc nomen uſurpat. Sed & Eurus iam Civitate donatus eſt, & noſtro ſermoni non tanquam alienus intervenit.

Ab oriente ſolſtitiali excitatum, Græci καικίαν appellant: apud nos ſine nomine eſt. Æquinoctialis occidens Favonium mittit, quem Zephyrum eſſe dicent tibi, etiã qui Græce neſciunt loqui. A Solſtitiali occidente, Corus venit, qui apud quoſdã Argeſtes dicitur. Mihi nõ videtur: quia Cori violẽta vis eſt

&in

& in unam partem rapax: Argeſtes vero mollis eſt, & tam euntibus communis, quam redeuntibus. Ab occidente hyberno Africus furibundus, & ruens, apud Græcos λίψ dicitur. A Septentrionali latere ſummus eſt Aquilo, medius Septentrio, imus Thracias. Huic deeſt apud nos vocabulum. A meridiano ate Euronotus eſt. Deinde Notus, Latine Auſter. Deinde Libonotus, qui apud nos ſine nomine eſt.

CAP. XVII. Placet autem duodecim ventos eſſe: non quia ubique tot ſint (quoſdam enim inclinatio terrarum excludit) ſed quoniam plures nuſquam ſunt. Siccatus ſex dicimus: non quia omne nomen ſex recipit, ſed quia nullum plures, quam ſex. Qui duodecim ventos eſſe dixerunt, hoc ſecuti ſunt, totidem ventorum eſſe, quod Cœli diſcrimina. Cœlum enim dividitur in circulos quinque, qui per mundi cardines eunt. Eſt Septentrionalis, eſt Solſtitialis, eſt æquinoctialis, eſt brumalis, eſt contrarius Septentrionali. His ſextus accedit, qui ſuperiorem partem mundi ab inferiore ſecernit, ut ſcis. Dimidia enim pars mundi ſemper ſupra, dimidia infra eſt. Hanc lineam, quæ inter aperta, & occulta eſt, Græci ὁριζοντα vocant: noſtri finitorem dixere, alij finientem.

Adiiciendus eſt ad hunc meridianus circulus, qui horizonta rectis angulis ſecat. Ex his quidam circuli in tranſverſa currunt, & alios interventu ſuo ſcindunt. Neceſſe autem eſt, tot aeris diſcrimina eſſe, quot partes. Ergo horizon, ſive finiens circulus, quinque illos orbes, quos modo dixi fieri, ſecat, & efficit decem partes, quinque ab ortu, quinque ab occaſu. Meridianus circulus, qui in horizonta incurrit, regiones duas adiicit. Si duodecim aer diſcrimina accipit, & totidem facit ventos. Quidam ſunt quorundam locorum proprij, qui non tranſmittunt, ſed in proximum ferunt. Non eſt illis à latere univerſi mundi impetus. Atabulus Apuliam infeſtat, Calabriam Iapyx, Athenas Sciron, Pamphyliam Catægis, Galliam Circius: cui ædificia quaſſanti, tamen incolæ gratias agunt, tanquam ſalubritatem Cœli ſui debeant ei. Divus certe Auguſtus templum illi, cum in Gallia moraretur, & vovit, & fecit. Infinitum eſt, ſi ſingulos velim perſequi. Nulla enim propemodum regio eſt, quæ non habeat aliquem flatum ex ſe naſcentem, & circa ſe cadentem.

CAP. XVIII. Inter cætera itaque providentiæ opera, hoc quoque aliquis, ut dignum admiratione ſuſpexerit. Non enim ex una cauſa ventos aut invenit, aut per diverſa diſpoſuit: ſed primum ut aera non ſinerent pigreſcere, ſed aſſidua vexatione utilé redderent, vitalemque tracturis. Deinde ut imbres terris ſubminiſtrarent, ijdem nimios compeſcerent. Nam modo adducunt nubes, modo diducunt, ut per totum orbem pluviæ dividi poſſent. In Italiam Auſter impellit, Aquilo in Africam reiicit: Eteſiæ non patiuntur apud nos nubes conſiſtere. Idem totam Indiam & Aethiopiam continuis per id tempus aquis irrigant. Quid, quod fruges percipi non poſſunt, niſi flatu ſupervacua admixta ſervandis ventilarentur, niſi eſſet, quod ſegetem excitaret, & latentem frugem ruptis velamentis ſuis, quæ folliculos agricolæ vocant, adaperiret? Quid, quod omnibus inter ſe populis commercium dedit, & gentes diſſipatas locis miſcuit? Ingens naturæ beneficium, ſi illud in iniuriam ſuam non vertat hominum furor. Nunc quod de Cæſare olim maiore vulgo dictatum eſt, & à Tito Livio poſitum, in incerto eſſe, utrum illum magis naſci Reip. profuerit, an non naſci dici etiam de ventis poteſt: adeo quicquid ex illis utile, & neceſſarium eſt, non poteſt his tepenſari, quæ nō in perniciem ſuam generis humani dementia excogitat. Sed non ideo non ſunt iſta natura ſua bona, ſi vitio male utentium nocent. Nimirum in hoc providentia, ac diſpoſitor ille mundi Deus, aera ventis exercendum dedit, & illos ab omni parte, ne quid eſſet ſitu ſqualidum, effudit: non ut nos claſſes partem freti occupaturas compleremus milite armato, & hoſtem in mari, aut poſt mare inquireremus. Quæ nos dementia exagitat, & in mutuum compellit exitium? Vela ventis damus bellum paraturi, & periclitamur periculi cauſa. Incertam fortunam experimur, vim tempeſtatum nulla ope humana ſuperabilem, mortem ſine ſpe ſepulturæ. Non erat tāti, ſi ad pacem per iſta veheremur.

Nunc autem cum evaſerimus tot ſcopulos latentes, & inſidias vadoſi maris: cum effugerimus procelloſos deſuper montes, in quos præceps navigantes ventus impingit: cum involutos nubilo dies, & nimbis, ac tonitruis horrendas noctes, cum turbinibus divulſa navigia: quis erit huius laboris ac metus fructus? quis nos feſſos tot malis portus excipiet? Bellum ſcilicet, & obvius in littore hoſtis, & trucidandæ gentes tracturæ magna ex parte victorem, & antiquarum urbiū flamma. Quid in arma cogimus populos? Quid exercitus ſcribimus, directurosacič in mediis fluctibus? Quid maria inquietamus? Parum videlicet ad mortes noſtras terra late patet. Nimis delicate fortuna nos tractat. Nimis dura dedit nobis corpora, felicem valetudinem. Non depopulatur nos caſus incurrens. Emetiri cuique annos ſuos ex commodo licet, & ad ſenectutem decurrere. Itaque eamus in pelagus, & vocemus in nos fata ceſſantia. Miſeri quid quæritis? mortem, quæ ubique ſupereſt? petet illa vos & ex lectulo; ſed ubique innocentes petat: occupabit vos in veſtra domo; ſed occupet nullum moliētem malum. Hoc vero quid aliud quis dixerit, quam inſaniam, circumferre pericula, & ruere in ignotos, iratum ſine iniuria, occurrentia devaſtantem, ac feratum more occidere quem non oderis? Illis tamen in ultionem, aut ex fame morſus eſt: nos ſine ulla parſimonia noſtri, alienique ſanguinis, movemus maria, & navigia deducimus, ſalutem committimus fluctibus, ſecundos optamus ventos, quorum felicitas eſt ad bella perferri. Quouſque nos malos mala noſtra rapuere? parum eſt, intra orbem ſuum furere.

Sic Perſarum Rex ſtolidiſſimus in Græciam trajicit, quam exercitus non vincet, cum impleverit. Sic Alexander ulterior Bactris & Indis volet quærere, quid ſit ultra magnū mare, & indignabitur aliquid eſſe ultimum ſibi. Sic Parthis avaritia Craſſum dabit. Non horrebit revocantis diras tribuni, non tempeſtates longiſſimi maris, non circa Euphratem præſaga fulmina, & deos reſiſtentes: per hominum deorumque iras ad aurum ibitur. Ergo non immerito quis dixerit, rerum naturam melius acturam fuiſſe nobiſcum, ſi ventos flare vetuiſſet & inhibito diſcurſu furentium, in ſua quemq; terra ſtare iuſſiſſet. Si nihil aliud, certe ſuo quiſq; tantū, ac ſuorū malo naſce-

retur. Nunc parum vi domestica, externis quoque laborandum est. Nulla terra tam longe remota est, quæ non mittere aliquo suum malum possit. Unde scio an nunc aliquis magnæ gentis in abdito dominus, fortunæ indulgentia tumens, non contineat intra terminos arma, an patet classes ignota moliens? Unde scio hic mihi, an ille ventus bellum invehet? Magna pars erat pacis humanæ, maria præcludi.

Non tamen (ut paulo ante dicebam) queri possumus de auctore nostri Deo, si beneficia eius corrūpimus, & ut essent contraria, efficimus. Dedit ille ventos ad custodiendam cœli, terrarumque temperiem, ad evocandas, supprimendasq; aquas, ad alendos satorum, atque arborum fructus: quos ad maturitatem cum aliis causis adducit ipsa iactatio, attrahens cibum in summa, & ne torpeat, promovens. Dedit ventos ad ulteriora noscenda. Fuisset enim imperitum animal, & sine magna experientia rerū homo, si circumscriberetur natalis soli fine. Dedit ventos, ut commoda cuiusque regionis fierent cōmunia; non ut legiones, equitemq; gestarent, nec ut pernicioſa gentibus arma transveherent. Si beneficia naturæ utentium pravitate perpendimus, nihil non nostro malo accepimus. Cui videre expedit? Cui loqui? Cui non vita tormentum est? Nihil invenies tam manifestæ utilitatis, quod non in contrariū transferat culpa. Sic ventos quoque natura bonos futuros invenerat: ipsi illos contrarios fecimus. Omnes in aliquod nos malum ducunt. Non eadem est his, & illis causa solvendi: sed iusta nulli.

Diversis enim irritamentis ad tentandum iter impellimur. Itaque alicui vitio navigatur. Egregie Plato dicit, qui nobis circa exitum iam testium loco dādus est, minima esse, quæ homines emant vita. Immo, Lucili carissime, si bene furorem illorum æstimaveris, id est, nostrum, (in eadem enim turba voluntamur) magis ridebis, cum cogitaveris vita parari ea, in quibus vita consumitur.

Vitruvius interim quoque accuratiorem ventorum rationem habendam putans, 8. statuit ventos principales, & cuique eorum adhuc 2. adsignat socios & intermedios, ut ita 24. ventos in universum constituat. Atque ut materia ventorum secundum lineas suas eo rectius percipiatur, tres ille ob diversitatem linearum melius observandam fingit circulos, quorum uno 4. Principales adsignat vētos iuxta cardines 4. huiusmodi: alteri adsignat 8. & tertio demū 12. velut etiam nautæ ut plurimū in instrumento suo directionis navalis talem observare solent modum in communi; præsertim hoc in accuratiori usu est Germanis, & Hollandis. Ubi interim hoc notandū est, quod venti ut plurimum in qualitate sua conformes sint regionibus illis, & climatibus, ex quibus exurgunt. Sic tres venti orientales, nempe Subsolanus, Circias & Vulturnus, calidi & sicci sunt, nec minus acres. E contrario vero Zephyrus cum vicinis suis, qui ab occasu spirant, humidæ & frigidæ sunt proprietatis, non tam ob solis remotiorem efficaciam, ut alii volunt, quam Oceani Atlantici diffusissimum in illis partibus tractum, ex quo tales exhalationes se ventis insinuant, quum nec nocturni temporis ratio heic sufficiat, quæ tam ortui, quam occasui participat.

Ira quoque trium septentrionalium ventorum proprietas frigida, & sicca est, quum ex frigidis exurgant regionibus, ubi radii solares incurvati habentur & ex obliquo proiecti; velut & siccitas quoque frigiditatem causſat, quam à ventis Orientalibus mutuantur ob naturæ suæ affinitatem, unde cū humiditate occidentalium participare multum valent, præsertim quum siccitas humiditati contrarietur. Venti autem meridionales, sive Australes calidi & humidi sunt, quum caliditatem ex calidis regionibus, & soli vicinioribus sumant, nec minus ex vicinitate ventorum orientalium id præstent in adiutione adsumpta. Humiditatem vero tam ex locis montosis præruptis, & cavernis eorum, marisque adsociatione, quam etiam à ventis Occidentalibus attrahūt. Si quis recte naturam ventorum observet, facile deprehendet, quod tres venti principalium locorum semper in naturæ suæ conformitate conveniant. & eosdem progenerent effectus. Reliqui vero magnas parvasque operationes perficiunt, prout constellationum coadiutiones accipiunt, aut ad invicem inter se concurrunt, obviamque fiunt. Quod si igitur initium faciamus à subsolano; is certe est omnium saluberrimus, & sanissimus, quum subtilis & purus sit præ reliquis ex participatione cum Cholera.

Vicinus autem eius versus Austrum humores propius attrahit, est quoque longe furiosior, nec minus aerem nubibus semper adimplere maxime gaudet. Unde pluvias, & tempestates non tantum causſat, sed etiam pestifer est cum Choro, & fulminosus, sicut & Circius. Verus autem occidentalis ventus Zephyrus phlegma adauget, & tonitrua ut plurimum excitat; frequens etiam est sub tempore veno, & circa initium veris, unde & pruinas, ac frigus solvit. Aſt Septentrionalis ventus verus frigiditatem, & glaciem causſat, atq; in stenuitate sua horridus est, nec minus corruptum aerem purificat, & flores extorret, fructusq; arboreos, velut & poros humani corporis occludit, ac constringi facit; attamen Boream simul sanissimum cum subsolano æstimant Physici, ut sic contrarie inter se quoque in subiectis pugnent. Contrarii autem venti putandi sunt secundum diametrum Horizontis, quemadmodum Zephyrus subsolano, & septentrio Austro, ut præcedens figura facile indicat. Nomina etiam ventis imponuntur à contrapositis terris, uti Græci Cæciam dixere Hellespontium, quod ab Hellesponte in Græciam deferatur: ac Horatius Chorum vocat Iapyga cū Prolomæo, quod ab Iapygio Italiæ Promontorio in Ægyptum flet. Eadem ratione Circium Latini vocavere Gallicum, quod è Gallia ferretur. Qui navigādi rationem cum minori vitæ, fortunæque periculo subire conantur, certe etiam distinctionem ventorū accuratissime tenere cogantur, ut inde appareat, quam veteres in plurimis aberrarint, quod in tenore ventorum non sibi ubique recte constiterint.

Præ cunctis populis, & tertæ incolis accuratiores longe sunt Germani cum Belgis, qui ventorum lineas in 32. discrimine usque constanter observant, ut etiam reliquæ omnes gentes ab iisdem hanc usum mutuo sumpserint, quasi rei convenientissimum. Quippe dum 4. Cardinales ventos sic constituunt, ut simplici verbo nominent, Orientalem Ooſt, Occidentalē Weſt, Septentrionalē Noort, & Meridionalē Suid; ita intermedios vocāt, qui inter Septētrionalē & Orientalē mediam tenet lineā, Noord-Ooſt; qui inter Orientalē & Australem medius est Zuid-Ooſt:

Ooſt: qui inter Auſtralem & occidentalem ſive Zephyrum eſt medius Zuid-Weſt; qui inter Zephyrũ & ſeptentrionalẽ interviget medius, dicatur Noort-Weſt. Hinc qui ex ſeptentrione proximam lineam verſus ortum tenet, dicitur Noort-ten Ooſten; Qui orientali proximus eſt, verſus Auſtrũ, vocatur Ooſt ten Weſten: Qui Auſtro proximus eſt verſus occaſum, appellatur Zuyt ten Weſten: Qui vero Favonio proxime vicin⁹ eſt, nominatur Weſt ten Noorden. Sic etiam intermedii principales tali nominatione ſuos afficiunt proximos ventos, ſaltem repetẽdo in fine prioris nominis appoſitionem; uti Noort-Ooſten ſibi proxime agnatum verſus ſeptentrionẽ conſtituit Noort-Ooſten ten Noorden; Ita proximus Suyd Ooſten verſus ortum eſt Suyt Ooſten ten Ooſten: In occaſu ibidem Suyt weſt verſus Auſtrinam partem proximus eſt Suyt weſten ten Weſten: Sic & ad Noort weſten eſt Noort weſten ten Weſten; atque ſic deinceps. Sed tamen accuratior, & genuina declaratio ex ſequenti Tabula, aut figura B. rectius ſumitur, unde conſtans ventorum nominatio nunc paſſim gentium ex Germanica applicatione, & nominatione omnium rectiſſime obſervatur & adſumitur.



Nemo certe omnium verum in mari Nauclerum agere poteſt, nec dignus veniat is quoque nomine nautæ, cui mercatores ſuas merces, & negotia concredere rite queant, niſi in hac ventorum Doctrina, & uſu, mariſque profunditate, & dignotione portuum vere ſit exercitatus. Ideoque nunc etiam paucis de aquarum conditione agemus.

De aquis in terra, & Mari circa terram.

AQuarum differentiam in duplici diſcrimine cõſiſtere, ex ſuperioribus patet. Etenim per terrã in flumina faciunt cũ ſuis fontibus, ac lacunis, quæ terram irrigant, & perfluunt; tum aquæ, quæ terram circumfluendo ambiunt, ambituque ſuo eam complectuntur. Veterum autem potior heic eſt ratio omnium, qui mare fontem, & originem omnium aquarum ſtatuunt: neque obſtat maris ſalſedo, cum in tranſitu ductuũ fiat percolatio: Inde igitur aquæ per univerſam terram exſurgunt, ſeque in mare iterum exonerant. Cum autem quotidie ex mari vapores in aerem eleventur, fluminaque in mare, unde exiere, recurrant, fit, ut neque ob fluminum multitudinem mare creſcat, neque ob continuam abſumptionem deficiat. Nec terram inundat mare, quia quantum aquarum intra ſe recipit, tantum viciſſim ſcaturiginibus fluminum ac fontium ſuppeditat. Hic vero naturæ miraculum obſerveur, quod terræ, ac maris excurſiones atque occupationes mutuæ ſint, & quod hæc elementa ſeſe invicem gignant, atque

absumant; Nam interdum terræ evanescunt, aquis occupatæ, interdum ex aqu senascuntur, veluti paria secum faciente Natura, & hæ Insulæ sunt, quarum generationem in terrę motũ, alluviones ac maris recessum referunt. Illud modo videndum, qua ratione terra mari connectatur, & illa vicina Elementa interse cohæreant.

Mare igitur nostrum una cum sibi coniunctis, & annexis sinubus, iuxta sinum Adriaticũ, & Ægęum Pelagus atque Proponditem, ipsumq; Pontum & paludem Mæotidem per solum fretum Herculeum sese diffundit, illudque cum Oceano coniungit, faciens angustias maris, tanquam Chersonesi Isthmũ. Deinde mare Hircanium, vel Caspium, undique terra circumdatum est simile Insulæ: Eadem ratione Indicum Pelagus totum cum ad accentibus ei sinubus, ad sinum Arabicum, Persicum, Gangeticum & Magnum circumquaque terra includitur, & sic Asia annectitur Africæ, etiam per dorsum Arabiæ, qui mare nostrum à sinu Arabico seiungit, per terram incognitam, quam alluit sinus Indicus. Hic Asia annectitur Europæ per dorsum existentem inter Paludem Mæotidem, & Sarmaticum Oceanum, iuxta decursum Tanais fluvii. Denique Libya vel Aphrica seiungitur ab Europa solo freto Herculeo per seipsam in nullo cohærens modo, sed per Asiam omni ex parte, quia illa utrique connectitur, & multas partes per Orientalem plagam attingit.

Oceanus autem à veloci fluctuum concussu sic dictus, est infinitum, & ingens illud Pelagus, totum terrarum orbem ambiens: Mare Mediterraneum, quod & nostrum dicitur, ab occasu in ipsas terras irrumpit, primum angustum, nec amplius X. M. P. patens, terras aperit. Angustias autem & introitum huius, fretum dicimus, quod proprie est mare inter duas terras conclusum, quemadmodum Isthmus terra est inter duo maria: tale est fretum Herculeum inter Hispaniam & Mauritaniam, & illud prope Abydũ, quod hodie ulnam S Georgii dicunt, ubi Rex Persarum Xerxes, contra Græcos militans, pontem extruxit, per quem illi ex Asia in Europam pateret aditus. Mare autem mediterraneum aliis locis alias appellationes sumit. Nam quatenus Hispaniam attingit, mare Hispanicum dicitur, sive Ibericum, & Balearicum: idem postea Gallicum appellatur, mox Ligusticum, inde Tyrrhenum & Inferum, inde Siculum, iterum Ionicum & Cretense, inde ad Tenedũ mare Ægæum: ubi primum se coarctat, Hellespontus dicitur, ubi se expandit, Propontis, ubi rursus in arctu cogitur, Thracius Bosphorus, ubi iterum se dilatat, Pontus Euxinus: qua Paludi Mæoticæ committitur, Bosphorus Cimmerius vocatur, & ipsa Palus Mæotis. Inter ipsa vero maria magnitudinis ratione primum est Indicum, secundum Mediterraneum, tertium Hyrcanum, quod & Caspium. Oceanus autem à litteribus nomina accipit, ut Atlanticus, Lybicus, Germanicus, Britannicus, Indicus. Reliqua maria aut à Provinciis sic dicuntur, ut Asiaticum, Phœnicium: aut ab Insulis, ut Carpathium, Cyprium, Sandoum: aut à gentibus, ut Ausonium, Dalmaticum, Ligusticum, Thuscum: aut ab oppidis, ut Adriaticum, Corinthiacum, Tyrium: aut à casibus & rerum eventis, ut Myrtoum, Hellesponticum, Ionium: aut ab Accolarum moribus, ut Euxinum. Sinus est littus flexuosum à quasi Barchio quodam mare complectens. Sunt autem insigniores sinus decem: Gangeticus, Persicus, Magnus, Arabicus, Æthiopicus, Pontus, Maris Aegæi, Mæotidis, Adriaticus, Propontidis.

His sinubus terra mari annectitur. Bosphorus à permeabili bouis transitu ob freti angustiam dicitur. Duo autem sunt Bosphori, alter iuxta Byzantiam, qui Thracicus dicitur; alter in introitu Męotidis, qui Cimmerius Cimmeriis populis vocatur. Euripus per excellentiam dicitur rapidum illud mare inter Eubœam Insulam, & Bœotiam, quod die quolibet ac nocte septies cursum mutat, fluit ac refluit, Strabone & Plinio testibus. Ut autem Euripus non ubique similis, in Britannico vehemens est, in Ligustico nullus, in Adriatico insignis, in Plaga Indica, secundum Gangis atque Indi fauces magnus. Deinde maxima ex parte tenis horis mare movetur, ut in Adriatico, alibi aliter. In mari Calecutio crementa fiunt pleno lunæ lumine. At inde fluvii motus primo universalis, isque ab ortu in occasum rapidissimam gyrationem extremi cœli sequitur, unde itinera maritima ab ortu in occasum sunt expeditiora iis, quæ ab occasu in ortum suscipiuntur, licet navigantes utrinque pari tranquillitate fruantur, ac remige.

Alius motus maris particularis est, & vocatur æstus, quo & mare, & alvei fluminum intumescunt sensibiliter ad littora, & iterum subsidunt, ac veluti exsiccantur, & is æstus est à Solis ac Lunæ vi & motu: ut enim luna alios humores in Corporibus agitat, ita & mare fontem humorum occulto consensu movet, & is sane motus intra binos Lunæ exortus bis absolvitur, & vices illas æstuum tenis horis observat. Est & motus maris menstruus, qui fit ratione signi, in quo est Luna: Aestus enim ęquiores sunt, Luna Australi, eadem Septentrionali, mittit. Fiunt etiam vehementiores circa Novilunia, & Plenilunia: Quin etiam secundum solis cursum mare assurgere & moveri observatum est: sole enim in signis Tropicis, æstus fiunt maiores, minores in signis Aequinoctialibus. Horum autem æstuum omnium causa finalis est maris expurgatio: Quemadmodum enim aer ventis agitatur, ne putrescat: Ita & mare æstibus agitur, ne tot sordibus, cadaveribus, & naufragiorum reliquiis inquinetur: aquæ enim stantes facile corrumpuntur. Est autem mare omne salsum, quia radij solares, quibus undique exponitur, extrahunt, quod aereum est, ac dulce, relinquunt vero partes terrestres, & adustas, quę salsedinem aquis inducunt. De profunditate, quam Plinius altissimam esse tradidit stadiorum XV. nihil certi pronunciari potest, cum non ubique eadem sit altitudo. & Plinius in Ponto locum nominat, ubi immensam maris altitudinem 300. stadia ait excedere. Nostra ætate non desunt, qui observarint, aquæ profunditatem raro excedere passus LXXX. plurimis locis non æquare 20. multis 6. replere, paucissimis ad 100. accedere. Præsertim in portubus loci vadosi sunt observandi, velut in mari orientali non sunt portus ferme ob vadositatem periculosiores: quam ubi ad Rostochium, & Colbergam ingressus cum summa cautione veniunt notandi. Sed ex mari nunc ad terram revertimur, ad quam omnes navigationes in negotiationibus commerciorum reflectuntur, de qua nunc paucis agemus.

De

De Terra, & dimenſione locorum aut regionum eius.

TErra frigida & ſicca reddit corpora durabilia, temperat humidum aquæ, in medio mundi quieſcit, eſtque veluti punctum ad vaſtam mundi molem collata, & ut elegantèr poeta cecinit:

Terra pilæ ſimilis, nullo fulcimine nixa,
Aere ſubiecto tam grave pendet onus.

Huius ſitus miraculoſi cauſa alia dari non poteſt, quam omnipotentia Dei, qui, ut in Pſal. 136. fit mavit terram ſuper aquas. Hæc igitur illa quatuor ſunt Elementa, omnium rerum ſublunarium prima Medico, ſecunda Philoſopho Principia. Non deſunt, qui his addunt illum mundi ſpiritum, Quintam Eſſentiam, per quam omnis occulta proprietas in herbas, lapides, metalla & animantia ab intelligentiis, & Cœli corporibus propagetur, quæ ſit quaſi iam corpus, & quaſi non anima, vel quaſi iam anima, & quaſi non corpus, Medium illud ac vinculum, quo rerum corpora, per ſe ad motum impotentia, cum anima, uti primo mobili iungantur, ſuamque acquirant perfectionem, non ſecus ac in homine animæ vires per ſpiritus corpori communicantur. Hæc mundi anima eſt Platoni in Philebo, ac Stoicis virtus, & vis divina, omnibus ſe mundi partibus inſinuans, cunctaque cæleſti ſemine proferens, unde animantibus, ac terræ naſcentibus ortus atque origo, denique ignis ille, ac ſpiritus, de quo ſic Virgilius:

Principio Cœlum, ac terras, campoſque liquentes,
Lucentemque globum Lunæ, Titaniaque aſtra
Spiritus intus alit, totamque infuſa per artus
Mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet:
Inde hominum pecudumque genus, vitæque volantum,
Et quæ marmoreo fert monſtra ſub æquore Pontus.
Ingens eſt illis vigor, & Cæleſtis origo
Seminibus.

Inductio iſta Franc. Hildeshæmii in Cathol. Coſmogr. ſuo non adeo ſunt incongrua, quum conſiteatur, quoque Ethnico Poetæ hæc de ſpiritu mundi, qui ab ipſis Elementis quid longe ſit ſegregatum, & dominationem ex aſtris elementatis rebus inferat, ut inde mutua conglutinatio inferiorum cum ſuperioribus conſtet, & quæ virtus inde hiſce terrenis etiam iuxta vitæ diſpoſitionem mortalibus influat; quod adeo manifeſtum eſt, ut abſurdus merito habeatur, qui illud ſenſibus externis, ac quoque ſenſui communi abnegare auſit, ceu ſunt certe multi uſque ita atopi, ut nec id ſentire velint, quod manifeſta palpatio in regimine aſtrali demonſtrat: veluti etiam ipſa ligni abſciſſi ratio id deteſtatur, ut facile id quivis cernat, & diiudicet, quodnam lignum in accreſcente, aut decreſcente Luna ſit ad uſum certum inciſum.

Si nolint ſapientes Logicaſtri id noſcere, tamen ruſtici id rectius noſcunt, cernunt, vident & demonſtrant, etiamſi inde non protenus ſyllogiſmum pro modo Barbaræo in Barbara conficere noſcant, nec adeo in facto probabili æſtiment, quum res ipſa ſatis ſit loco ſyllogiſmi demonſtrativi, & ex priori, notiorique abſque reſpectu dubitativo id aperte loquatur. Velut inde quoque ſat notum eſt, quod inde ſimul & locus terræ quivis, & ingenia hominũ ſua idiomata Cœli, aſtrorumque communicata habeant. Atque ut eo melius intelligantur proprietates locorum in terra, & hominum diverſitates in natura rationalitatis externę, prodeſt heic etiam plenius internoſcere talia, quæ certis cæli partibus ſubiecta ſunt. Qui igitur ſub æquinoctiali habitant, & ſphæram rectam habent, his perpetuum eſt æquinoctiũ. Habent ſolem bis verticalem in principio ♈. & ♎. Duplicia item ſolſtitia, ſole exiſtente in ♈. ♎. ♋. & ♑. Duplices etiam æſtates in principio ♈. & ♎. ac hyemes duplices in principio ♋. & ♑. His etiam perpetuo oriuntur, & occidunt omnes ſtellæ. Qui habitant intra æquinoctialem, & Tropicum Cancri, hi inæqualitatem dierum & noctium, ſolem bis verticalem, duplices ætates & hyemes, quatuor item ſolſtitia habent. Qui degunt ſub Tropico Cancri, illis ſol in anno ſemel eſt verticalis, in principio cancri. Qui ſunt inter Tropicum Cancri, & Circulum Arcticum, maiorem habent dierum & noctium inæqualitatem, ſolem nunquam verticalem experiuntur, duo item habent ſolſtitia, æſtivum & hyemale.

Qui habitant ſub Circulo Arctico, illis ſex ſigna oriuntur uno quaſi momento, & ſex occidunt. Habent etiam diem artificialem 24. horarum, ſole in principio Cancri, ac tantam noctem, ſole in principio Capricorni. Qui habitant intra circulum Arcticum & Polum mundi, illis ſigna præpoſtere oriuntur, & occidunt. Qui vivunt ſub Polo Mundi, habent Horizontem & Aequinoctialem coniunctos, unum etiam diem in anno Artificialem, & unam noctem Artificialem, ita ut his tota ſemeſtri, ſine intermiſſione ſol ſit ſupra terram, ac tanto iterum tempore ſub terra lateat. Hæc varietas non aliunde, niſi à Circulis dependet, quibus terram deſcribi diximus. Deinde diverſarum terrarum temperamenta ex Doctrina de Zonis ſumuntur. Hinc Lybia, Aethiopia ſub Aegypto, Mauritania utraque, Numidia, Arabia, petræa & deſerta, calidæ omnes ſunt: Celtarum, Germanorum, Scytarum, Thracum regiones frigidæ: Syria & Arabia deſerta ac petræa ſiccißimæ: Gallia, Celtia & Belgia & pleræque Inſulæ in oceano ad ſeptentrionem poſitæ, veluti Orchades, Hybernia & Islandia præhumidæ. Omnium autem temperatiſſima cenſetur regio ſub Aequatore, pari à Polis intervallo diſtans, etſi hac de re apud ipſos Geographos eſt diſſenſio. Diſcriminis autem, & varietatis morum, formarum, ingeniorum in diverſis gentibus alia dari ratio non poteſt, quam Cœli & aeris ſtatus diſſimilis, qui à diſſimili terrarum ad ſolem collocatione dependet, id quod ex doctrina de Zonis intelligitur: Unde Ptolomæus mores populorum ad Zodiaci partes refert, quas cuique regioni tribuunt.

Ad Aquilonem igitur populi corpore maiores, ac robuſtiores ſunt: Ad meridiem imbecilliores, ingenioſiores tamen: Aethiopes propiores Zonæ torridæ, uſtulatis ſunt nigriſque corporibus, capillo criſpo ac denſo, facie contracta, ſtatura contracta, na-

tura calidi, moribus feri, ob æstus magnitudinem in locis suis. Septentrionales sunt cute candida, propter frigidam & humidam Cœli temperiem, pilis item flavis, unde Lucanus:

Fundit ab extremo flavos Aquilone Suevos.

Hic Germanis truces, ac cæruleos oculos, rutilas comas, magna corpora tribuit Tacitus & Iuvenalis:

Cærula quis stupuit Germani lumina, flavam
Cæsariem & madido torquentem cornua Cyrrho?

In medio vero terræ tractu salubris utrinque est mixtura, & temperies convenientissima habitationi humanæ. Sic Orientales cæteris præstare dicebat Atistoteles: Meridiem incolentibus & sanitas minus firma est, & vita brevior. Septentrionales vegeto sunt, & robusto corpore, & calore nativo plurimum pollent; Occidentales vero morbosiores sunt. Ex collatione autem Zonarum ad locum solis diversa nomina sortiuntur populi. Nam qui torridam incolunt, Amphiscij sunt: His enim sol meridianus nunc in Boream, nunc in Austrum deflectés, binas umbras facit, alias dextras, alias sinistras: dextras quidem ad Capricornum digressus: sinistras vero ad Cancrum. Qui Zonas temperatas incolunt, Heteroscii nominantur, quibus sol in alteram tantum partem umbram proiicit, & nobis quidem septentrionalibus in sinistram. Qui vero frigidarum Zonarum incolæ sunt, Periscij appellantur, quibus sol secundum Horizontem obambulans umbras in gyrum ducit. Hic autem notandum, dextras & sinistras poetice accipiendas esse: Poetis enim dextrum hæmispherium est septentrionale, sinistrum meridionale.

Astronomis autem Occidens est dextrum, Oriens sinistrum: Quemadmodum Geographis ortus est latus dextrum, occasus sinistrum. Ex collatione vero habitantium ad se invicem alia rursum nomina incolarum nascuntur, ut quosdam ἀντοίκους, quosdã περιοίκους, quosdam ἀντιπόδας dicamus. Antœci sunt, qui sub eodem meridiano latitudinem Australem septentrionali æqualem habent, ut quantum hi ab Æquatore ad Austrum, tantum illi ad septentrionẽ inclinent: sic illis, qui in Tropico Capricorni, dummodo sub eodem meridiano sint. Periœci dicuntur Circumcolæ, qui sub eodem & meridiano & parelleo degentes, polum habent intermedium, vel qui in qualicunque minori Circulo Aequinoctiali parelleo ad Diametrum sibi mutuo opponuntur. Sunt & Periœci, qui quacunque distantia sub eodem parelleo habitant. Antipodes sunt, qui ad Diametrum sibi mutuo opponuntur. Horum priores Antœci anni temporibus contrariis discrepant, ut cum his æstus sit, illis sit hyems, utrinque tamen eodem momento diem & noctem vident. Periœcis vero eadem temporum anni ratio, sed propter longitudinem diversam illis existente meridie, his media nox est. Antipodes nihil commune habent præter Horizontem. Reliqua illis omnia sunt contraria.

De locorum distantiis, & quibus mensuris ea inveniantur.

NEc minus hoc ad usum navigationum pertinet, & ferme principale simul est, ut noscatur rite, quantis intervallis alter ab altero loco distet in sua mensura ratione situs. Ideoque heic non incongruũ erit, ut paucis explicetur mensurarum ratio, & quid ad eas requiratur. Mensuram autem omnem, de qua heic agitur, finitam esse constat, cuius partes multæ sunt, tam apud Latinos, quam Græcos. Ut fundamentum eius recte percipiatur, à minimis incipiendum est, quod tamen brevibus expediemus. Apud Latinos igitur sunt mensuræ Geometricæ tales; nempe Granum hordei, Sicilicus, semiuncia, digitus, uncia, palmus, semipes: Maiores mensuræ sunt; sesquipes, Cubitum, gradus, passus, stadium, milliare, &c. Apud Græcos δάκτυλος, λιχὰς, ὀρθόδωρον, σπιθαμὴ, πυγμὴ, πυχὼν, πῆχυς, ὀργυία, πλέθρον, στάδιον, διαύλος, ἱππικὸν, μίλιον, δόλιχος, &c. Apud alias gentes est quoque, cubitum regium, Paraganges, Schoenus, Leuca, iter unius diei, rasta: Apud Astronomos diameter, & semidiameter terræ, & circularis numeratio graduum, &c. Est igitur iuxta Latinos Digitus, qui continet 4. hordei grana in latum posita. Palmus est duplex, minor & major.

Minor 4. habet digitos, Græce παλαιστὴ à nostris transversa manus est. Maior 12. digitos, quem Græci σπιθαμὴν vocant, Latini dodrantem. Pes 4. Palmos minores continet. Cubitus sive cubitum sesquipedem: Gressus duos pedes, & semissem; Germanis 2½. Schuch: Græcis βῆμα. Passus 5. pedes, h. e. duos gressus. Orgya 6. pedes: est enim mensura inter manus expansas, ut vertit ex Suida Budæus. Stadium 125. passus. Plethrum 100. pedes; quanquam sæpius pro iugero capiatur.

Diaulos 2. stadia. Milliarium nomen habet à mille passibus, ac continet 8. stadia. Paraganga sive Paraganges 30. stadia. Porro stathmos, id est, tabellariorum sive veredariorum diversorium, mensurarum maxima, non ita certa tamen: nihilominus apud quosdam 28. milliaria, & semis continet. Sed quum & milliaria in diversis regionibus multum inter se differant, in certitudinem pauca hæc redigemus iuxta Geographorum sententiam, quam illi ad gradus Circulorum maximorum rationem sic disponunt, ut communiter 15. milliaria Germanica uni gradui in Circulo maiori respondeant: Milliaria Germ. mediocria 12. at magna 10. milliaria Gallica communia 25. magna 20. cum uno gradu conveniant.

Milliaria autem Italica 60. uno gradu continentur, velut & milliaria Anglica iuxta aliorum opinionem 50. exprimunt. Leucæ vero Anglicæ 20. in unoquoque gradu habentur. Hispanicæ leucæ 17½. Milliaria autem Suecica, & Scandica 10. unum efficiunt gradum. Quam vis talis habeatur discrepantia iuxta gentium distinctiones; tamen propter iustiorẽ numerationis rationem retinentur in supputatione cuiusque gradus 15. mill. si quid sit addendum, ad Scrupulos reiicitur, quorum primi 60. uni milliari adiiciuntur, velut & secundi, &c. In mari autem unius horæ spacium in itinere conficiendo milliare continet, quod eine Wecke See dicunt nautæ, & navigantes.

Verum ut distantia locorum sic recte per suos gradus, & milliaria inveniatur, necessum est, ut id per latitudinem Meridiani, ac longitudinem Æquatoris fiat, velut nunc dicetur. Etenim longitudinem terræ, sicut & totius mundi Astronomi vocant distantiam

stantiam ortus ab occasu, vel è contra: latitudinem vero distantiam septentrionis è meridie & è contra, ut illud in latitudine positum considerationem suâ accipiat, quod iuxta graduum numerationem censetur: sic & latitudo terræ à Meridie in Septentrionem intelligitur.

Meridianus inde est Circulus maior immobilis non unus ubivis, sed cuique loco proprius & peculiaris, transiens per loci sui verticem, & polos mundi, ad quem quum sol accedit interdiu meridiem, noctu vero mediam noctem efficit. Dicitur sic, vel quia sol ad eum delatus efficit ipsam meridiem, vel quia à Plaga meridionali versus septentrionalem ducitur, atque transit per punctum verticale, quod cuiusque Horizontis Polus existit. Etsi vero ratione certi alicuius loci Meridianus unus est, tamen respectu totius orbis dantur plures. Ac licet directe progredientibus ab ortu in occasum, vel è contra, continue mutentur puncta verticalia, atque etiam simul meridiani; tamen quod ad locorum longitudinem, & umbrarum rationem attinet, loca, quæ distant stadiis 150. unum & eundem meridianum, quæ vero longius, diversos habere meridianos dicuntur.

Quod autem attinet ad apparentias cælestes, h.e. ad ortus & occasus stellarum, tum demum novus constituitur Meridianus, quando fit variatio Principii diei secundum quadrantem horæ, in locis, quæ distant invicem 3. gradibus 45. minutis. Tanto enim intervallo fit aliqua variatio adscensionum, & descensionum signorum in Zodiaco. Secundum igitur priorem rationem in terra ex stadiorum 150. numeratione constituuntur 600. Meridiani, secundum posteriorem Cœli 96. Notandum hoc est præterea, quod sub Æquatore, aut Circulo Æquinoctiali Polus in Horizonte conspiciatur; Si autem verso itinere ad alterutrum polorum ab eo uno gradu cesserimus, quod ex instrumento facile haberi potest, hoc tum spacium metiri oportet: quo mensso, aperte apparebit, quantum terræ singulis gradibus respondeat. Porro id inter bina loca, ubicunq; gentium voles, invenire poteris, modo à meridie in septentrionem, aut contra incesseris recta sub Meridiano, eum numerum vel milliarium, aut stadiorum inventum multiplica in 360. gradus, ita habebis totum ambitum terræ, qui quidem est secundum maiorem Circulum. Verum quot stadia singulis respondeant diversim auctores tradidere.

Ptolomæus enim singulis gradibus 500. stadia deputat: quæ si multiplicaverimus per 7. ac summam productam per 22. diviserimus, emerget subito numerus dimetientis stadiorum 57272. ac $\frac{8}{11}$. Quod si octona stadia singulis millibus passuum deputabis, fiunt totius ambitus milliaria Rom. 22500. Plinius enim lib. 1. cap. 32. ait, stadium habere 125. passus. Itaque in millenos passus venient octona stadia. Eratosthenes enim, ut idem Plinius penultimo cap. lib. 2. auctor est, singulis gradibus deputat septingenta stadia. In quibus à Ptolomæo 200. stadiis distat: quem ita secutus est Strabo, & Veterum alii. Manet itaque, quod latitudo nil aliud sit, quam distantia loci ab Æquatore, quæ numeratur in Meridiano transeunte per verticem cuiusque loci, id est, Quod sit arcus Meridiani circuli, transeuntis per verticem loci sive Zenith, interceptus inter Æquatorem & Parallelum, transeuntem per eiusdem loci verticem. Quum enim Æquator, ut constat & supra dictum est, medius sit inter utrumque polum, necesse est, loca ab eo recedentia declinare versus Polum, vel Septentrionalem, vel Meridionalem. Ideoque sortitur latitudo nomen à Polo, versus quem locus ab Æquatore declinat.

De longitudine locorum aut Civitatum inveniendâ.

VElut in antecedentibus, ita etiam hoc prius Circulus & linea recte observari debet, in quo mensura longitudinis sumitur, quod non sit in alio circulo, quam qui Æquator aut Æquinoctialis dicitur Latinis, Græcis ἰσημερινὸς vocatur, estque circulus maior itidem in sphæra inter utrumque Polum collocatus, Zodiacum duobus punctis intersecans, quæ, quum sol occupat, efficit Æquinoctia per universam terram, quod bis fit in anno. Lucanus lib. 9. Æquinoctialem vocat Circulum alti Solstitij, dicens:

Deprensum est, hunc esse locum, quo Circulus alti
Solstitij medium signorum percutit orbem.

Quoniam ij, qui sub Æquatore habitant, 4. habent solstitia præ reliquis mortalibus, duo nempe alta, & duo humilia: Alta sunt, & accidunt iis, quando sol ipsis verticalis est, quod contingit, quando Aequinoctialem lineam occupat: Humilia vero sunt, quando sol duo Principia Cancri, & Capricorni occupat. Namque tunc ab ipsorum vertice, quam potest, longissime recedit. Æquator igitur ostendit cum totius terræ, tum singulorum locorum longitudinem, id est, distantiam ab occasu. Etsi enim non omnia loca sub Æquatore sita sint, sed extra eum, vel versus septentrionem, vel versus meridiem: tamen illorum distantia ab occasu, quæ longitudo dicitur, inveniri non potest, nisi collatione eius paralleli, qui per verticem loci transit ad Æquatorem. Nam solius Æquatoris longitudo nota est, reliquorum autem parallelorum, quum non sint æquales, sed maiores, quo sunt vicinniores Æquatori, contractiores vero, quo ab eodem remotiores, magnitudo est ignota.

Quare ut innotescat, necesse est, eos conferri cũ Æquatore. Unde longitudo loci nihil aliud est, quã arcus Æquatoris, vel paralleli circuli, transeuntis per verticem loci, interceptus inter duos Meridianos, quorum alter transit per Insulas Fortunatas, & extremus dicitur, alter vero per verticem loci propositi. A Septentrione in Meridiem perfacile quidem est regionum latitudinem invenire, iuxta superius dicta; quandoquidem utrinque aliquod immobile Principium est, videlicet Polus: At ab ortu in occasum, non ita facile, quando nullum ibi principium immobile apparet. Ideoque notandum, quêadmodum Zodiacus in 12. signa dividitur, ita etiam Æquinoctialis: quem eo libentius nominamus, quod Zodiaci signa inæqualiter oriuntur, atque occidunt. Porro quini-deni gradus Æquinoctialis, id est, dimidiatum signum, singulis horis conscendunt. Triceni vero, id est, totum signum binis horis. Sequitur ex eadem ratione, ut totus Æquator intra 24. horas exoriatur, quæ faciunt diem naturalem.

Item

Item semicirculus intra 12. & singuli quadrantes senis horis.

Ut igitur Civitatum, Portuumve, aut promõtoriorum longitudo investigetur, hoc considerandũ est, quot horis citius sol oriatur huic, quam alteri loco, aut Civitati. Necessum enim est, ut quæ magis ad orientem sunt urbes, etiam citius orientem solem habeant, quam eæ, quæ ad occasum vergunt. Quod si Civitas aliqua una hora citius habuerit orientem solem, quam altera, haud dubie quinis denis gradibus distabunt: Si duabus horis, tricenis: sin media hora, distabunt gradibus septenis, ac semissibus. Verum hæc differentia ortuum in diversis regionibus potest accipi ex uno aliquo, quod eodem tempore, atque uno momento apparet in diversis regionibus. Quales sunt Eclipses Lunæ, quæ uno quidem minuto temporis consistunt, sed iis, qui magis Orientales sunt, plureis horas de horoscopo abscindunt, quandoquidem citius habuerunt Orientem solem. Ideoque citius etiam numerarunt, ut Arbilis Assyriæ Urbs Orientem versus habuit Eclipsin hora quinta, quando Carthago Occidentem versus hora secunda. Tribus ergo horis distant gradibus 45 auth. Ptolomæo lib. 1. cap. 4.

Sed non minorem habet etiam id difficultatem, ut recte proportio cuiuslibet Paralleli ad Æquatorem inveniatur, ubi hoc inprimis notandum est, quod id fiat per operationem regulę proportionum in numeris, hoc modo, nempe: Primo loco collocetur integer sinus, respondens semidiametro Æquatoris. Deinde secundo loco ponatur sinus complementi elevationis Poli in loco dato ab Æquatore: Tertio sic gradus 90. & operatio secundum regulam ostendit, quot gradus Æquatoris uni quadranti Paralleli transeuntis per verticem loci dati respondeant. Hinc tunc non amplius est difficile invenire, quot milliaria Germanica uni gradui Paralleli loci dati correspondeant. Si enim minuta Æquatoris, respondentia uni gradui Paralleli, multiplicentur per 15. milliaria, quæ respondent uni gradui Æquatoris, & productum dividatur per 60. minuta, id est, per unum gradum Æquatoris, mox quæsitũ tibi perveniet. Ut vero hoc clarius appareat, vulgarem modum mensurandi locorum intervalla subiiciemus.

Vulgaris ratio mensurandi locorum distantias ex notis longitudinibus, & latitudinibus.

QUæcunque in terræ convexo culta ac habitata loca, imo quævis diversa puncta inter sese vel sola longitudine, vel sola latitudine, vel longitudine, & latitudine simul discrepant. Quæ sola longitudine differunt æqualibus ab Æquatore spacijs disjuncta, versus alterutrum semper Polum mundi, eodem Parallelo verticalia ipsorum puncta contingente, ex intervallo proximo concluduntur, sed meridianos quælibet suos habent, ac proprios non pari intervallo ab occiduo limite distantes. Horum distantia in eo semper Parallelo colligitur, qui utrique loco communis verticibus ipsorum imminet. Quæ sola latitudine differunt, eidem sunt meridiano subiecta, sed Parallelos habent diversos, ac quælibet proprios, eosque vel versus eundem Polum à medio Æquatore inæqualiter perpetuo distitos, si locus uterque ad eandem partem declinet, vel medio Æquatore disjunctos, atque secluſos in cardines æqualibus spacijs, aut inæqualibus, si locorum alterum, Austrum, in Septentrionem alter prospectet, ac propendeat. Horum distantia in communi numeratur Meridiano perpetuo.

Qui simul & longitudine, & latitudine differunt, aut versus eundem ambo vergunt mundi Polum, aut versus oppositos medio Æquatore dirempti, ut alter Boream alter Meridiem intueatur, sive æqualibus, & æqualiter ab Æquatore distantibus Parallelis, quorum duo in sphæra tantum sunt, si ad unum cõferantur maximum circulum per 3. secundi Theodosii, sive inæqualibus, & inæquali spacio disjunctis sublint. Differentia longitudinis eorum quæ aut versus eundem, aut versus oppositos Polos inæqualiter distant, colligitur perpetuo in Parallelo medio inter utrunque extremorum proportione Arithmetica, ut supra ostendi. At in illis locis, quæ Parallelos habent æquales, & æqualiter distantes, sed ad oppositos cardines, differentia longitudinis in alterutro æqualium parallelorum æstimatur, ac perpenditur.

Distantiam ita collocatorum locorum habet arcus è transverso punctis illorum locorum proximo intervallo obductus, qui cum arcubus differentiæ utriusque longitudinis & latitudinis constituit triangulum in globi superficie sphæricum ὀξυγώνιον perpetuo, ideo eo quod quilibet duo meridiano cõcurrentes in Polis mundi, & transversis parallelorum peripheriis incisi, cum intercluſis eorundem arcubus efformant τρίπλευρον ὀξυγώνιον cum quatuor angulis rectis minoribus, non rectis, idque διαγώνιος arcus distantia locorum in duo dispescit triangula ὀξυγώνια. Sed usurpatur illorum trianguloruṁ unum in vulgari calculo pro orthogonio, propterea, quod in locis non procul ab Æquatore semotis, anguli intra mutuas meridianorum, & parallelorũ sectiones comprehensi, à rectis angulis non ita multum variant: in procul dissitis locis multum variant. Cum ita arcus distantiæ angulo intra Parallelos, & meridianos concluſo obtenſus per penultimam primi Elementorum quæratur in triangulo oxygonio, tanquam orthogonio, necessario tanto maior invenietur iusto, quanto trianguli subtendens angulus fuerit acutior, & recto minor. Hæc initio movenda duxi de vulgari calculo, ut invitem studioſos, ut priorem potius doctrinam ex certissimis demonstrationibus immota consequentia manantem amplectantur, & sequantur, seque ad veritatem doctrinarum Physicarum demonstrationibus examinandam, ac metiendam, non quibuscunque commentis assuefaciant. Nunc regulas eo ordine exponam, quo situs locorum patitur ſum.

Si loca differant sola latitudine.

AD hanc investigationem, ut priorem, requiruntur datorum locorum longitudines, & latitudines, quibus explorate cognitis cum in latitudine diversitas nulla sit, consideretur tum differentia longitudinis, minore longitudine deducta ex maiori, tũ quod 15. Germanica milliaria ex proportione Paralleli, cui subiacent, ad Æquatorem uni eius gradui respondeant. Ea ostendet Canonion ad hunc usum.

à doctis

à doctis compoſitum, in quo milliaria, quæ cuiusvis Paralleli ab Æquatore conſignata reperiuntur. Si gradibus integris diſtantiæ Parallelorũ minuta adhærent, ex duorum proximorum numerorum differentia ad unum gradum eliciatur pars proportionalis, quæ à milliarium numero ad integrum expreſſo gradum ſemper reiiciatur, quod qui ſuccedunt Paralleli ſenſim fiunt anguſtiores. Tandem milliaria cum ſcrupulis, ſi qua adiuncta habent, ducantur in totum arcum differentia longitudinis & conflabitur intervallum menſuratum Germanicis milliaribus.

	Longitudo		*Latitudo*	
Byzantij	55.	0	43.	5.
Trapezuntis	70.	50.	43.	5.

Differentia longitudinis 15. part. 50. ſcru. uni gradui Paralleli communis loco utrique congruunt milliaria 10. cum $\frac{29}{30}$. His in differentiam longitudinis ductis exeunt milliaria 174. fere.

	Longitud.		*Latitud.*	
Arbela Aſſyriæ	80.	0	37.	15.
Athenæ	52.	15.	37.	15.
Differentia	27.		45.	

	Long.		*Lat.*	
Areca in Comagena Syriæ	70.	10.	37.	15.
Megara Patria Euclidis	52.	0.	37.	15.
Differentia	18.		10.	

	Long.		*Lat.*	
Philippi Alexandri patria	50.	45.	41.	50.
Roma	36.	2.	41.	50.
Differentia	14.		25.	

	Longitudinis		*Lat.*	
Lipſia	29.	58.	51.	24.
Antverpia	20.	16.	51.	28.
Differentia	9.		42.	

	Longitudinis		*Lat.*	
Uratislavia	34.	34.	51.	10.
Erphordia	28.	30.	51.	10.
Differentia Longitudinis			6.	4.

Si loca differant ſola latitudine, vel utroque verſus eundem Polum poſito vel diſiuncto utroque Æquatore medio.

SOla latitudine differentibus locis, cum longitudines pares ſint, conſideretur poſitus verſus Polos, nimirum utrum locus uterque verſus eundem vergat Polum, vel alter Auſtralis ſit, alter Borealis. Si ad eundem deflectunt Cardinem, minore altitudine ex maiori deducta, colligetur differentia latitudinis. Si utriſque Æquator intercedit medius, coniunctæ latitudines parient differentiam. Gradus differentiæ in 15. ducti, Scrupula per 4. diviſa dabunt diſtantiam æſtimatam milliaribus Germanicis.

	Longitudo.		*Latitudo.*	
Noribergæ	28.	10.	49.	24.
Mediolani	28.	10.	45.	6.

Differentia Latitudinis
Intervallum 64. milliarium cum ſemiſſe.

	Longitud.		*Lat.*	
Trapezuntis Antiochiæ ad Taurum, quæ fuit Patria Lucæ Evangeliſtæ.	70. 15.		43. 5.	
	70. 15.		37. 20.	

Differentia Latitudinis.

Patavij	31.	50.	51.	45.
Baudiſſinæ Patriæ meæ.	31.	50.	44.	16.
Differentia Latitudinis.			6.	44.

Si loca Longitudine, & Latitudine ſimul diſcrepent, & vergat uterque verſus eundem Polum.

UTroque verſus differentibus locis longitudine ſcilicet & latitudine, colligantur differentiæ intervallorum ab utroque limite, latitudinis & longitudinis. Dimidia differentia latitudinis adiuncta latitudini minori Parallelum demonſtrabit, in quo ſit differentia longitudinis computanda. Cum eo Parallelo ex Canonio excerpantur milliaria, quæ uni ipſius gradui quadrant. Inventa ducantur in totam longitudinis differentiam, quod inde provenit quadrate, h.e. in ſeſe multiplicatum aſſervetur. Deinde differentiæ latitudinis gradus ducantur in 15. Scrupula annexa, ſi qua ſunt, diſtribuantur in quatuor, quod emergit ex utraque operatione, coniunctim etiam in ſeſe ductum, prius aſſervato numero adiiciatur. Ex toto collecto eliciatur radix quadrata. Ea locorum diſtantiam oſtendit.

	Longitudo.		*Latitudo.*	
Witebergæ	30.	30.	51.	55.
Hieroſolymæ	66.	0.	31.	55.

Different.	*Longitud.*	*Different.*	*Latitud.*
	31. 30.	19.	55.

Parallelus medius, in quo differentia longitudinis computanda eſt, diſtat ab Æquatore 41. Part. 51. Scrup. Uni eius gradui cõgruunt milliaria 11. Scrup. 10. quæ ducta in differentiam longitudinis 396. milliaria procreãt, hæc in ſeſe ducta aſſerventur 156816. gradibus differentiæ latitudinis ductis in 15. Scrupuliſque quaternario diviſis conficiuntur milliaria 299. quæ in ſeſe ducta conſtituunt 89401. utroque quadratorum numerorum coniuncto, atque inde radice extracta habebit diſtantia milliaria 495.

Si datorum locorum alter Auſtralis ſit, alter Borealis.

SI datorum locorum alter latitudinem habeat Borealem, alter Auſtralem, primo differentia exquiratur intervalli utriuſque, longitudinis quidem, minore longitudine ſubducta ex maiore, latitudinis vero, coniunctis latitudinibus utriuſque loci Auſtralis & Borealis. Secundo ſitus conſideretur, utrũ poſita ſint loca ſub æqualibus, & eodem ſpacio utrinque diſſitis ab Æquatore Parallelis, vel inæqualibus, & diſſimili ſpacio ſemotis. Si enim æquales fuerint datorum locorum Paralleli, in alterutro utrocunque numeretur differentia longitudinis. Si inæquales fuerint, & impari utrinque diſtiterint intervallo, dimidium latitudinis maioris accommodatum minori latitudini demonſtrabit Parallelum huic inſtituto aptum, atque idoneum. Cum eo Parallelo

rallelo milliaria uni eius gradui respondẽtia, depromantur ex Canonio, & reliquum peragatur ut in casu præcedenti ostensum est. Meroe regio Æthiopiæ sub Ægypto longitudinem habet 61. part. 30. Scrup. Latitudinem 16. part. Borealem. Insula S. Thomæ in sinu magno Aphricæ longitudinem habet 27. part. 20. Scrup latitudinem 16. part. Australem.

Differentia longitudinis 34. part. 10. Scrup.

Differentia latitudinis, quam coniunctæ latitudines efficiunt, partium est 32. Cumque æquali intervallo utrinque versus oppositos Polos ab Æquatore absint, non refert in utrorum Parallelo Australi, vel Boreali differentia longitudinis colligatur. Sunt enim æquales. Congruunt autem uni gradui Paralleli, qui 16. grad. abest ab Æquatore 14. milliaria 25. Scrup. hæc ducta differentiam longitudinis pariunt milliaria 491. quibus in se ductis prodeunt 242064. Differentia latitudinis ducta in 15. proveniunt milliaria 480. Quibus itidem in se ductis emergunt 230400. Utroque quadrato coniuncto, radix quadrata inde erecta ostendit distantiam 686. milliarisi. Thyle Insula longitudinem habet 33. grad. latitudinem Borealem 63. Insulæ S. Thomæ longitudo est 27. part. 20. Scrup. Latitudo Australis 16. part.

Differentia longitudinis 5. part. 40. Scrup. Differentia latit. 79. part.

Dimidia differentia maioris latitudinis Australi latitudini accommodata deducit ad Parallelum 47. part. 30. Scrup. distantiam ab Æquatore, in quo differentia longitudinis numeranda. Eius uni gradui in Canonio 10. milliaria, 7. Scrupula respondent, quæ ducta in differentiam longitudinis 57. fere milliaria gignunt. Ea quadrate multiplicata faciunt 3239. Ex differentia latitudinis quadrate multiplicata nascuntur 1404225. De coniunctis quadratis radix habet milliaria 1189. fere, distantiam scilicet locorum quæsitam. Ut hæc discrimina positus locorum facilius percipiant, & rectius intelligant, singuli assuefaciant se, ut oblatis diversorum locorum lõgitudinibus, & latitudinibus statim considerent, nũ sola, vel utraque discrepent, quæque vel utriusque, & in quam partem ab Æquatore latitudo, & situm eorum lineis ductis locisque notatis exprimere discant.

Si pares sunt latitudinum numeri, longitudinum impares, differunt longitudine sola. Duobus ergo Meridianis definitis, uno Parallelo his transversim insistente, locum maioris longitudinis in puncto intersectionis remotiore, alterum in propiore ad occasum collocent. Nam perpetuo locus, cuius longitudo minor est alterius, occidenti viciniot reperitur: alter in orientem longius discedit. Arcus Paralleli, utrique meridiano interclusus, differentiam monstrat longitudinis. Si longitudinum numeri similes, latitudinum dissimiles fuerint, in sola latitudine diversitas est. Duobus ergo transversim Parallelis delineatis, altiore uno, altero humiliore, & uno meridiano hos intersecante, locum maioris latitudinis in puncto consectionis superiore, alterum in inferiore reponant. Si latitudinum partium altera fuerit Australis, altera Borealis, Arcus meridiani Parallelis locorum interiectus, ducto transversum arcu Æquatoris secetur medius æqualiter, ut æquo intervallo ab utroque Æquator distet. Si utrique numeri longitudinum & latitudinum fuerint inæquales, & locus uterque in Boream ab Æquatore distiterit, in utroque diversitas est. Effiguratis ergo duobus meridianis, uno orientali dextero, altero occidentali sinistro: totidemque depictis transversim Parallelis qui meridianos intersecent, uno Austrimo, altero Boreo: velut τραπέζιον efformetur, & locus, cuius maior est longitudo in puncto contactus imo, & remotiore, alter in puncto ex diagono opposito, id est, superiore & propiore designetur, aut contra, si alter locorum alterum utroque, & longitudine, & latitudine superarit, remotior in puncto interiectionis superiore. & longius distante, alter in opposito notetur, sedesque locorum connectantur *διαγωνίοις*, quæ proximam talium locorum ostendit, & continet distantiam. Eodem modo exprimatur situs locorum ad diversas partes ab Æquatore discedentium, eo observato, ut si utriusque ab Æquatore sunt paria intervalla, Æquator exquisite utrique interponatur medius: si imparia à remotiore collocetur longius.

Terræ longitudines & latitudines aliquot locorum exempli causſa non incommode hoc ita supponuntur.

	Longitudo.		*Latitudo.*	
Hierosolyma	66.	0	31.	55
Hiericho	66.	10	32.	1
Nazareth	66.	56	32.	42
Samaria	66.	23	32.	19
Capernaum	66.	53	32.	29
Salem	66.	40	32.	19
Bethleem	65.	55	31.	51
Bethania	66.	0	31.	58
Sichem Neapolis	66.	28	32.	28
Damascus	68.	55	33.	0
Tyrus	67.	0	33.	20
Sydon	67.	15	33.	30
Cæsarea	67.	30	33.	5
Alexãdria Ægypti	60.	30	31.	0
Carræ vetus domicilũ Abrahæ	75.	0	36.	15
Susa	86.	30	34.	30
Ecbatana	91.	0	37.	40
Babylon	80.	40	35.	0
Ninive	79.	40	36.	40

Sed non absre fuerit, ut talia nonnihil brevius dispiciantur ab iis, qui huius gratissimæ cognitionis vere cupidi sunt, ubi simul accurata Tabula Climatum & Parallelorum inseretur.

De locorum distantiis compendiosius inveniendis.

QUum triplex sit modus talis, ut sæpius dictum est, saltem hoc de rectilineo agemus iterum relicto illo instrumentali, & sphærico. Habita igitur locorum longitudine, & latitudine, si longitudo utriusque loci fuerit eadem, latitudo autem diversa, quære differentiam latitudinum, & gradus per 15. multiplica, minuta per 4. divide, & provenit distãtia locorum in milliaribus Germanicis. Si loca longitudine tantum differant, quære gradus latitudinis communis in tabella, & milliaria cum minutis transferibe:

ſcribe: pro minutis, ſi adfuerint, ſume partem proportionalem, & productum à gradibus, ac minutis prioribus ſemper aufer, & reliquum multiplica in differentiam longitudinum, & habebis diſtantiam quæſitam. Si loca differunt longitudine, & latitudine ſimul, quære differentiam utriuſque, & medietatem differentiæ latitudinum adde minori latitudini. & cum producto ingredere tabulam, quæ oſtendit, quot milliaria gradibus latitudinis reſpondeant: pro minutis quę adhærent gradibus, aſſumẽdo numerum proxime ſequentem. & quærendo differentiam, de qua ſumas partem proportionalem, ponendo primo loco 60. ſecundo differentiam mill. & min. Milliaria, ſi opus fuerit, in minuta reſolvendo, tertio minuta gradibus adhærentia, & productum ſubtrahes, ac minutis, antea inventis, & habebis milliaria, ac minuta, uni gradui in tua latitudine reſpondentia, quæ cum differentia longitudinum multiplica, & in hac multiplicatione diligenter obſerva, quid prodeat: Milliaria enim per gradus multiplicata, producunt milliaria: Milliaria per minuta milliarium per gradus multiplicata, producunt milliarium minuta: Minuta denique milliarium per minuta graduum multiplicata, producunt ſecum milliarium minuta: Productum itaque ex hac multiplicatione per ſeipſum multiplica, & habebis quadratum primum. Deinde differentiam latitudinis per 15. multiplica, & productum per ſeipſum multiplica, & habebis quadratum ſecundum: hos duos quadratos coniunge, & quære producti radicem quadratam, quæ inventa locorum diſtantiam indicabit.

Sed ne quid erroris heic in numeratione Parallelorum, Climatũq; committatur, notationem hanc ſubnectendam eſſe, quis non de neceſſitate iudicaret? Quippe duplices in Sphæra Paralleli ſtatuuntur. Alii enim diſtinguunt gradus latitudinum, & illi pinguntur in Mappa: nonnunquam denis diſtantes, numerando ab Æquatore Polos verſus. Alij diſtinguunt differentiam horarum diei artificialis. Nam quo magis ab Æquatore diſceditur: tanto maior variatio accidit horarum. Hi autem Paralleli non pinguntur in mappulam, verũ marginibus adponuntur. Intelliguntur tamen per totam terram ab Oriente in Occidentem, ac de his nunc tractabimus. Ut autem intelligatur, qua ratione poſiti ſint, hæc pernotanda duximus. Quod longitudo regionum ſumitur ab ortu in occaſum, latitudo vero à Septentrione in Auſtrum.

Porro latitudinem diſterminant paralleli, menſurant meridiani, menſurant Paralleli. Cum autem omnes meridiani in Polo conveniant, omnes ſibi invicem ſunt æquales, ſunt enim maiores Circuli. Paralleli vero, cum non habeant, ubi concurrant (quippe ſic non eſſent Paralleli) neceſſum habent, ut alius alio ſit maior; omnium vero maximus Æquator. Et ipſi à meridianis inæqualibus arcubus interſecantur: quorum arcuum proportio ſciri non poteſt, niſi ex totius Circuli proportione ad maximum. Præterea adnotandum: ſub Æquatore habitantibus ſemper eſſe diem nocti æqualem, duodenarum videlicet horarum: cuius cauſa eſt: Quod Horizon eorum omnes Parallelos, quos ſol deſcribit, medios ſecus ad angulos rectos, & ſphęrales. æqualeſque arcus, ſupra atque infra Horizonta relinquit. Verum quo magis ab Æquatore diſceditur, tanto maiorem eſſe horarum variationem, noctiſque & diei. Ergo ubi horarum variatio eſt ab Æquatoris æqualitate uno quadrante, ibi aliquis novus Parallelus ab Oriente in Occidentem à Ptolomæo deſcriptus eſt.

Porro licet Clima proprie ſit regio, & uti Columella ait, quoquo verſus 60. pedum, quum octavam partem iugeri determinet, tamen à Geographis dicitur ſpatium terræ, inter duos Parallelos comprehenſum, in quo per rectiſſime ab initio Climatis uſque ad finem eiuſdem, dimidia hora diei eſt. Ubi notandum, quotum aliquod Clima ab Æquatore fuerit, tot ſemihoris, longiſſima eius loci dies ſuperat diem nocti æqualem. Eſt igitur ratio Climatum dupla ad rationem Parallelorum. Nam Paralleli quadrantibus diſtant: Climata vero duobus quadrantibus, id eſt, mediatis horis. Et ubi Paralleli dimidiatis horis conſtituuntur; ibi Climata integris horis procedunt & ſic ſequenter ad finem uſque Parallelorum, ſervata dupla ratione. Velut & Climata haud dubie denominari debent ab ultimo Parallelo ubi media hora diei variatio eſt. Erunt itaque Climata iuxta calculationem Neotericorum 25. per mare glaciale uſque ad ultimum hinc Polum. Ac ut heic deſcripta ſunt Climata Hemiſphærii noſtri, ita in altera parte alterius Hemiſphærii eadem ratione conſtitui poſſunt. Prioris autem conſtitutio ſic optime notatur ex Tabula ſequenti ſub lit. A. quam ſequitur Tabella, regionum mundi longitudines, & latitudines exhibens ſub lit. B. Et hinc Tabella mill. in Parallelis Æquatori applicatis ſub lit. C. cui demum ſubmiſſæ ſunt longitudines & latitudines quarundam inſignium Urbium ſub lit. D.

TABULA CLIMATUM ET PARALLELORUM.

Parallel.	Climatum appellationes.		Longitudo diei æstivi. Ho.	Scr.	Longitudo Climatum. Gra.	Scr.	Intervallum. Gra.	Scr.
I.			12	0	0	0		
II			12	15	4	18		
III			12	3	8	34		
IIII	I. Clima per Meroen.	Princip.	12	4	12	43		
V		Medium.	13	0	16	43	7	50
VI.		Finis.	13	5	20	33		
VII	II. Per Syenen	P	13	15	20	33		
VIII	sub tropico Cancri.	M	13	30	23	11	7	3
		F	13	4	27	36		
IX	III. Per Alexandriam Ægypti	P	13	4	27	36		
X		M	14	0	30	47	6	9
		F	14	15	33	45		
XI	IV. Per Rhodum & Babylonem	P	14	15	33	45		
XII		M	14	30	36	30	5	17
		F	14	45	39	2		
XIII	V. Per Romam, Corsicam & Hellespontum	P	14	45	39	2		
XIV		M	15	0	41	22	4	30
		F	15	15	43	32		
XV	VI. Per Venetias & Mediolanum	P	15	15	43	32		
XVI		M	15	30	44	29	3	47
		F	15	45	47	20		
XVII	VII. Per Podoliâ & Tartariam minorem	P	15	45	47	20		
XVIII		M	16	0	49	1	3	12
		F	16	15	50	33		
XIX	VIII. Wittebergam	P	16	15	50	33		
XX		M	16	30	51	58	2	44
		F	16	45	53	17		
XXI	IX. Rostochium	P	16	45	53	17		
XXII		M	17	0	54	19	2	17
		F	17	15	55	34		
XXIII	X. Per Hyberniam & Muscoviam	P	17	15	55	34		
XXIV		M	17	30	56	37	2	0
		F	17	45	57	34		
XXV	XI. Per Bahus castrum Norvegiæ	P	17	45	57	34		
XXVI		M	18	0	58	26	1	40
		F	18	15	59	14		
XXVII	XII. Per Gothiam	P	18	15	59	14		
XXVIII		M	18	30	59	59	1	26
		F	18	45	60	40		
XXIX	XIII. Per Bergum Norvegiæ	P	18	45	60	40		
XXX		M	19	0	61	18	1	13
		F	19	15	61	53		
XXXI	XIV. Per Viburgum Finlandiæ	P	19	15	61	53		
XXXII		M	19	30	62	25	1	1
		F	19	45	62	45		
XXXIII	XV. Per Arotiam Sueciæ	P	19	45	62	54		
XXXIV		M	20	0	63	22	0	52
		F	20	15	63	46		
XXXV	XVI. Per Dalekarl. vallem Metallic.	P	20	15	63	46		
XXXVI		M	20	30	64	6	0	44
		F	20	45	64	30		

Paralleli.	*Climatum appellationes.*		*Longitudo diei æstivi.*		*Longitudo Climatum.*		*Intervallum.*	
			Ho.	*Scr.*	*Gra.*	*Scr.*	*Gra.*	*Scr.*
XXXVII	XVII. Per	P	20	45	64	30		
XXXVIII	reli-	M	21	0	64	49	0	36
		F	21	15	65	9		
XXXIX	XVIII.	P	21	15	65	9		
XL	qua lo-	M	21	30	65	21	0	29
		F	21	45	65	35		
XLI	XIX. ca	P	21	45	65	35		
XLII	Norve-	M	22	0	65	47	0	22
		F	22	15	65	47		
XLIII	XX. giæ	P	22	15	65	47		
XLIV	Sueciæ	M	22	30	66	6	0	17
		F	22	45	66	14		
XLV	XXI. Albæ	P	22	45	66	14		
XLVI	Russiæ	M	23	0	66	20	0	11
		F	23	15	66	25		
XLVII	XXII. & vi-	P	23	15	66	25		
XLVIII	cinarum	M	23	30	66	28	0	5
		F	23	45	66	30		
XLIX	XXIII. Insu-	F	24	0	66	31	0	0
	larum.							

Digitized by Google

TABELLA REGIONVM MVNDI LONGITVDINES & Latitudines exhibens.

Regiones.	Longitud. Prin.	fin.	Latitud. Prin.	fin.
EVROPEÆ PARTIS.				
HYbernia	7.	18	62.	57
Albion	14.	30	61.	51
Hiſpania	3.	21	46.	36
Hiſp. Betica	4.	12	40.	36
Hiſp. Luſitanica	3.	11	41.	37
Hiſp. Tarrac.	4.	20	46.	38
Gallia Aquitan.	15.	20	49.	43
Gall. Celtica	15.	26	51.	45
Gall. Belgica	21.	30	45.	45
Gall. Narbon.	19.	29	46.	42
Germania	17.	56	60.	44
Rhætia & Vind.	29.	34	48.	45
Noricum	34.	38	47.	45
Pannonia Sup.	37.	42	48.	45
Pannonia Inf.	46.	42	48.	44
Illyria	36.	47	46.	41
Italia	28.	47	45.	38
Corſica	30.	39	41.	30
Sardinia	29.	39	39.	29
Sicilia	36.	40	39.	34
Sarmat. Europ.	46.	72	68.	47
Cherſo. Taurica	60.	64	48.	46
Iazyges & Dac.	43.	45	49.	46
Mœſia Sup.	45.	49	48.	41
Mœſia Infer.	47.	57	48.	43
Thracia	51.	56	44	41.
Cherſoneſus	54.	55	41.	
Macedonia	44.	59	48.	38
Epirus	44.	49	39.	36
Achaia	48.	53	38.	36
Peloponneſus	47.	52	37.	34
Creta.	52.	56	36.	34
AFRICÆ PROVINCIÆ.				
Maur. Ting.	5.	11	36.	29
Cæſarien.	11.	28	35.	26
Numidia	26.	48	35.	27
Cyrenaica	47.	52	32.	26
Marmar.	51.	66	34.	23
Lybia	1.	51	35.	1
Æthiop. Ægyp.	51.	83	8.	23
Æth. Inter.	10.	58	32.	13
ASIÆ PROVINCIÆ.				
Pont. & Bithy.	56.	63	44.	40
Aſia	55.	63	42.	35
Lycia	59.	62	38.	35
Galatia	61.	65	45.	38
Pamphilia	61.	64	39.	35
Cappadocia	60.	72	44.	37

Regiones.	Longitud. Prin.	fin.	Latitud. Prin.	fin.
Armenia min.	68.	72	43.	37
Cilicia	64.	70	39.	36
Sarm. Aſiæ	64.	90	85.	47
Colchis	71.	74	48.	44
Iberia	74.	77	47.	44
Albania	77.	81	47.	44
Armenia	71.	81	45.	38.
Cyprus	64.	68	36.	34
Syria	66.	73	38.	30
Paleſtina	64.	68	33.	30
Arab. Petr.	63.	70	32.	28
Meſopotamia	72.	81	38.	30
Arab. deſer.	71.	79	35.	29
Babylon	77.	80	36.	30
Aſſyria	76.	83	49.	35
Media	80.	102	43.	34
Suſiana	80.	89	38.	29
Perſis	85.	94	36.	29
Parthia	94.	101	39.	33
Carmania deſ.	94.	101	31.	30
Arabia felix	66.	94	30.	11
Carm.	94.	109	29.	28
Hyrcania	94.	100	43.	38
Margiana	101.	109	44.	39
Bactriana	106.	120	45.	36
Sogdiana	110.	124	49.	38
Sacæ	125.	140	49.	35
Scythia I.	85.	130	62.	43
Scythia II.	144.	153	55.	35
Serica	153.	180	73.	35
Aria	102.	120	41.	32
Paropam.	114	119	39.	32
Drangiana	106.	112	33.	28
Arachoſia	112.	119	33.	20
Gedroſia	105.	119	28.	17
India I.	109.	149	37.	11
India II.	137.	174	35.	9.
Sinæ	175.	180	26.	9.
Taprobane	120.	132	8.	12

AMERICA

Quarta pars Mundi, dividitur in Auſtralem & Borealem.

Auſtralis	280.	350	52.	12
Borealis	190.	340	12.	65

Magellanica Quinta Mundi Pars nondum ſatis cognita, Longitudinem habet grad. 150. Latitudinem 15. ultra AEquatorem: ſunt qui hanc AEthiopiam eſſe volunt Orientalem, cuius ex Homero Strabo meminit.

TABEL-

TABELLA MILL. IN PARALLELIS Æquatoris.

Grad.	Mill.	Min.	Grad.	Mill.	Min.
1	14	59	46	10	25
2	14	59	47	10	14
3	14	58	48	10	2
4	14	58	49	9	50
5	14	56	50	9	38
6	14	55	51	9	26
7	14	53	52	9	14
8	14	51	53	9	2
9	14	48	54	8	48
10	14	46	55	8	36
11	14	43	56	8	23
12	14	40	57	8	10
13	14	37	58	7	57
14	14	33	59	7	4
15	14	29	60	7	50
16	14	25	61	7	16
17	14	21	62	7	2
18	14	16	63	6	48
19	14	11	64	6	34
20	14	14	65	6	20
21	14	0	66	6	6
22	13	54	67	5	52
23	13	48	68	5	37
24	13	42	69	5	23
25	13	36	70	5	8
26	13	29	71	4	53
27	13	22	72	4	38
28	13	15	73	4	23
29	13	7	74	4	8
30	12	59	75	3	53
31	12	51	76	3	38
32	12	43	77	3	22
33	12	35	78	3	7
34	12	26	79	2	52
35	12	17	80	2	36
36	12	8	81	2	21
37	11	19	82	2	5
38	11	49	83	1	50
39	11	39	84	1	34
40	11	29	85	1	18
41	11	19	86	1	3
42	11	9	87	0	47
43	11	58	88	0	31
44	10	47	89	0	16
45	10	36	90	0	0

Digitized by Google

TABELLA LONGITVDINES ET LATITVDINES QVARVNDAM INSIGNIORVM VRBIVM EXHIBENS.

	Longitud.		Latitud.	
Alexandria	60.	30	31.	0
Ancona	36.	30	43.	42
Antwerpia	20.	16	51.	28
Aquiſgranum	22.	24	51.	6
Auguſta Vindel.	33.	0	48.	15
Aurelia	15.	36	47.	13
Argentina	30.	40	48.	45
Bamberga	33.	0	49.	56
Baſilea	24.	22	47.	41
Babylon	79.	0	35.	0
Berlinum	36.	30	52.	50
Berna	24.	18	46.	25
Bononia	33.	5	53.	54
Brixia	32.	30	44.	10
Bruxilla	20.	14	51.	4
Brunſvicum	28.	0	52.	34
Buda	44.	3	47.	0
Budiſſum	31.	50	51.	0
Caſſovia	46.	0	50.	0
Colonia	29.	0	51.	0
Compoſtellum	6.	0	44.	2
Colmaria	24.	3	48.	12
Conſtantia	26.	43	47.	30
Conſtantinopolis	55.	30	43.	0
Corinthus	51.	15	36.	55
Cracovia	45.	30	50.	12
Cremſa	34.	5	48.	24
Cumæ	39.	10	41.	30
Dantiſcum	44.	15	54.	50
Dreſſena	51.	3	51.	0
Edenburgum	19.	50	56.	50
Embecum	27.	32	52.	6
Erfordia	34.	0	51.	10
Ferraria	33.	45	44.	20
Florentia	34.	30	43.	10
Francofurtum ad Mœn.	30.	30	50.	12
Francofurtum ad Viadr.	32.	34	52.	33
Friburgum Briſgoiæ.	24.	38	48.	13
Gandavum	26.	8	51.	24
Genua	20.	30	43.	40
Geneva	23.	30	51.	0
Gripſwaldia	31.	56	54.	18
Hafnia	37.	30	57.	20
Hieroſolymæ	66.	0	31.	40
Herbipolis	32.	0	49.	54
Heidelberga	15.	38	49.	35
Hamburgum	27.	0	53.	24
Ingolſtadium	33.	0	48.	30
Iena	29.	2	51.	8
Lovanium	27.	8	50.	56
Londinum	19.	15	52.	30
Lipſia	29.	58	51.	24
Liſabona	4.	18	39.	38
Lunæburgum	27.	50	54.	0
Lugdunum	24.	0	45.	10
Lutetia	23.	20	48.	0
Maſſilia	25.	15	43.	6
Mons Peſſul.	24.	56	43.	5
Mediolanum	32.	0	44.	40
Mantua	32.	0	44.	40
Moguntia	25.	4	50.	8
Mons Regius	41.	16	54.	17
Marpurgum	25.	45	51.	0
Melita	38.	45	34.	0
Mechla	71.	25	22.	0
Ninive	78.	0	36.	40
Noriberga	33.	0	49.	24
Neapolis	40.	10	41.	0
Patavium	32.	50	44.	30
Praga	37.	30	50.	4
Pariſiæ	17.	8	47.	55
Parma	32.	0	43.	30
Papia	28.	22	44.	50
Roma	36.	20	41.	50
Ratisbona	29.	50	48.	56
Riga	50.	0	56.	0
Salsburgum	35.	15	47.	38
Spira	25.	36	49.	20
Senæ	34.	18	42.	50
Toletum	10.	0	30.	56
Tigurum	26.	36	46.	48
Tridentum	30.	30	45.	14
Venetiæ	34.	30	44.	50
Vienna	39.	30	48.	20
Uratislavia	34.	34	51.	18

Hacte-

HActenus ita de menſura, & dimenſione locorum per mare, terramque tam ob navigationes varias, quam peregrinationes omnes, quæ ob commercia potiſſimum, dum de uſu fœderis Hanſeatici communi, in quantum cuivis conducat, agimus: ſed quum non ſufficiat, loca varia & eorum diſtantias internoſcere, ſed maxime præcipuum ſit omnibus, in republica viventibus, ut finem intentionis in negotiationibus, & laboribus ſuis perpeſſis ubique terrarum obtineant. Ne igitur in ſpe ſua cõcepta fruſtrata ita ſint, ut ſemetipſos decipiant, opus eſt, ut non ſolum bonitatem intrinſecam cuiuſque rei commercalis, ſive naturalis ſit, ſive artificioſę, ſed etiam intelligant, quid ex quovis loco ſit avehendum, & quid proprie venale habeatur, aut permutatione acquiri queat. Veluti univerſæ mercaturæ proprium obiectum merces omnes repræſentant, quæ permutari, emique ſolent. Si quid vero per vim occupetur, aut per dolum & fraudem, non certe honeſtatis eſt, nec minus pietatis ſolidæ, quum legibus publicis id ipſe Iehova in Moſe toties prohibuerit, & cuiq; crimini ſuas adſignarit pœnas, quacũque via, & modo id perpetretur. Proinde fœderis Hanſeatici ea eſt firma integritas, ut toties in illorum receſſibus ſit inculcatum, ne quid fraudulenter fiat in damnum alterius, & maxime ſocii. Hoc quidem receptum eſt ex communi conſuetudine, ſi quis mercatorum aliquid infortunii non ex culpa ſua, vel negligentia ſupina, aut diſſolutæ vitæ protervia, dilapidationeve ulla ſubeat, eo uſque, ut etiam bonis cedere cogatur, quod tunc ipſi locus veniæ in tranſactione aliqua concedatur, aut propter importunitatem nimiam creditorum immiſericordium, & metum in aſylum, & locum privilegiatum ſe conferat, donec omnes eius conditiones debiti, & paupertatis emerſæ rectius perquirantur.

Sed quum in abuſum res nimium ante annos aliquot abiret, ut ſub nomine talium decoctorũ, quos Germani Banckrottirer vocant, multi de induſtria quaſi defraudationes multiformes abſque pudore committerent; imo etiam plures hoc ſibi in peſſima ſua protervia laudi ducere ſolerent, ac proinde meo tempore Anno 1620. in publico conſiliorum conſeſſu quam plurimæ honorabilium mercatorum ex aliquot Civitatibus auderentur querelæ, quod eſſent, qui ſub nomine perpeſſi infortunij deglutationes aliorum facerent, velut aliquot exempla ſat maligna grandium inducebantur; fiebat inde, re bene, & caſibus ſatis deliberatis, ut in conventu hoc tunc illius anni laudabiliter concluderetur, quod non tãtum per infortunij decoctionem intelligi apud Hãſam communem deberet, ſed quod etiam decoctores tales, in terminis huius caſus ſtrictiſſimi non inventi, nuſpiam in Civitatibus Hanſeaticis tolerari, penituſque excludi deberent, veluti publico Mandato ex conſenſu totius Collegii univerſalis, & nomine vir optimus, & inter ICtos certe quoſvis præ reliquis integerrimus & facundiſſimus, Iohan. Faber J.U.D. & Syndicus Lubeccenſis, Hanſæq; concipere non ſolum iuſſus, ſed in eum finem quoque ita tunc publicatum eſt publicis typis, quod in honorabiliſſimam rei memoriam ſimul huic ſubnectere volui ita ſe habens.

Mandatum unitarum Teutonicarum Civitatum Hanſeaticarum contra protervos decoctores & defraudatores commerciorum: publicatum Lubecca & excuſum apud Sam. Iauchium An. 1620.

NOs Conſules, & Senatus Unitarum Teutonicarum Hanſæ Civitatum, notum hiſce facimus cunctis, & ſingulis; Poſtquam ipſa experientia teſtatur, quod ſæpius mercatores, & negotiatores ab aliis pecuniam, & merces fraudulenter accipiant, omnia ſimul dilapident, atque inde conſequenter fallimẽtum decoctionis committant, receſſumque quærãt, per quod honeſtas, & fides inter mercatores decreſcit, & innocentes in damnum ingens deducuntur; atque contra talia in Cæſareano ſcripto iure, Imperij Conſtitutionibus, etiam Hanſeaticis receſſibus ſalubres ordinationes erectæ ſunt, quæ tamen non cuique in omnibus locis ſimili in uſu obſervatæ fuerunt: Ideirco nos iuxta matute habitum conſilium inter nos unanimiter hoc decretum confecimus: Ponimus, ordinamus, & volumus.

Primo, Ut quilibet bene proſpiciat, ne plus mutuo ſumat, quam exſolvere poſſit. Quippe Creditori cuivis ad poſtulatum ſuum protenus impartialis Iuſtitia porrigetur, & ſi debitor nõ ſit ſolvendi, ſtatim, debitum tamen agnoſcat, aut alias illud liquidetur recte, contra debitorem carcere, ac veluti alias in quovis loco id conſuetudo fert, irremiſſibiliter procedetur, & illi contra hoc in nulla Civitate Hanſeatica ullus Salvus Conductus concederetur, aut ſervabitur; ſed quiſque debitor in locis, ubi offenditur, uſque ad carcerem certam perſecutionem perferet. Ac quando ita creditor quiſpiam ſuum fugientem debitorem in alterius honorabilium Civitatum Hãſeaticarum Iuriſdictionem, & territorium perſecuturus eſſet, ac eius loci Magiſtratui id eſſet indicaturus; tunc tenebitur ſtatim Magiſtratus ille ad productam debitoris obligationem, vel aliam atteſtationem firmam, & fidelem denunciationem, etiam præviam factam fideiuſſionem, debitorem illum, abſque ulteriori iuris ſententia, & iudiciali proceſſu, protenus in cuſtodia manſionẽ accipere, ut ita iuxta cuiuſque loci conſuetudinem, contra carceratum iudiciali accuſatione, & alias ſine mora feſtinanter ad ſententiam procedi, & is rite exigi queat.

Secundo, ac licet non accuſator quis adſit, aut ſe nominet, & tamen contingat, ut mercator, vel negotiator quiſpiam in damnum, aut perniciem incidat, atque ſic inde conſequenter exſurgere, & auffugere cogatur; tunc nos, præſertim iſtius loci Magiſtratus, ubi id accidit, bona, nomina, connotationes, ſive libros & ſimilia, quęcunque adfutura ſunt, arreſto contrectabimus, adſervabimus, & poſt fugientem debitorem per publicum proclama, ſe intra certum tempus ad ſiſtendum, citabimus, ac ſi nõ compareat, dicta bona, & libros inventatione conſcribemus, quodcunque corruptibile vendemus, & in commodum Creditorum adſervari curabimus, quod omne per publica proclamata non ſolum in ea Civitate ubi debitor inhabitatorem egit, ſed etiam in aliis Civitatibus, in quibus forte Creditores vivant, edetur, ut ſic ad liquidationem quiſque citius commodius poterit.

Tertio, Quanto citius cognitum fuerit; quod bona ad ſolutionem Creditorum non ſufficiant; in hunc caſum nos, & præſertim cuiuſque loci Magiſtratus in debitoris vitam, & actiones inquiſitionem inſtituemus, & ubi cognitum fuerit, quod dictus debitor non per ullum caſum, aut infortunium, ſed per negligentiam, ſuperbiam, luxuriam, aut alias inordinatam diffuſionem, & vitam in perniciem inciderit, atque alios innocentes ſecum in damnum pertraxerit: tunc nos talem debitorem infamem, & nullius ſocietatis, & loci honeſti amplius capacem declarabimus, in eius rei teſtimonium publicum criminalis facinoris ſignum per tympana edi curabimus; atque ſic inde talis poſt hoc tempus pro infami facinoroſo habebitur, & in nullis honeſtis tribus, aut converſationibus, inque nulla Hanſeatica Civitate tolerabitur, nec quid promotionis inveniet, ſed tali teſtimonio in ſcriptis undique perſecutionem ſuam patietur.

Quarto, Atq; ſi in dicta inquiſitione inveniatur, quod debitor ex proæreſi, & ſtudio, ſub prætextu fidei, pecuniam & merces acceptarit, atque ſic à Principio eius intentionis fuerit, ſe nolle quid ſolvere; ſed honeſtos viros in damnum conijcere ſtuduerit; in talem caſum iuxta præmiſſam declarationem non ſolum, uti iam dictum eſt, tympana famoſa & criminalē excluſionem patietur, ſed etiam aperta productione ad patibulum ſiſtetur, & inde ex urbe exterminabitur; imo etiam iuxta obſervatas circūſtantias, tanquam fur, aut falſarius in vita, & corpore ſupplicium feret dignum. Quod omne uti prius dictum eſt, non ſolum quando nulli creditores actionem inſtituunt, ex officio, ſed etiam ſi creditores intercedere cupiant, ita ſtrictè ſervabitur & ſevere in executionem perducetur. Ad quod quiſque rectius evigilabit, ſui commercii, & victus ſtudium in bona fidei, & prudentiæ forma ſedulo curabit, & damnum cum ignominia incommoditateſque à ſe, & ſuis avertere conabitur.

Publicatum Miſericordias Domini, ultimo Apr. Anno 1620.

Recte ita hæc pœna conſtituta eſt iis omnibus, qui fraude & dolo aliorum bona ſub prætextu commercii in ſe transferunt, & nequiter dilapidant: An non itidem in pœnam publicam pertrahantur, qui aperta vi quid in poſſeſſiones ſuas redigunt; num potius caſuum diſtinctio quid heic inferat? Sic volunt quidem homines, nihilominus penitus id exemplum allegare audent, quod per ius belli quidvis acquiratur. Verum quæſo, quale factum? quid atrocius, & intolerabilius, imo crudelius iſtud importat. *Num vi aperta quid bono titulo iuſtæ poſſeſſionis ornari poſſit?* Nonne quodcunque cum dilectione Dei, & proximi pugnat, protinus damnabile eſt? An in eo quid ſit iuris, quod omnem iuſtitiam cum æquitate ipſa deſtruit, & peſſumdat; imo ex toto mūdo expellit, & ejicit? Num quid heic iuſtæ poſſeſſionis ſe exerat? An vero vis, fraus, dolus, crudelitas ius eſt? Quorſum ſic relegarentur leges divinæ, & præſertim nova lex Chriſti ſi in eius regno vere vivere velimus? Novum hoc mandatum vobis do, ait ille, ut vos invicem ſic diligatis, uti vos amavi. Ioha. 13. Num autem ſit dilectio ea, quæ alteri ſuum vi, & gladio eripere iubet?

Chriſtus id non præcipit, ſed negat potius, & vetat id ſimul ſeveriſſime ſub pœna æternę condemnationis. Quare nihil inſanius, nec ſtolidius quid pronunciari poteſt, quam quod de magni alicuius nominis viro infertur quaſi dixerit: Etiamſi non appareat, quod necare & ſpoliare opus charitatis ſit, ut merito ſimplex quis cogitet, nullatenus id eſſe Chriſtianum opus; nec decere Chriſtianos; tamen in veritate opus charitatis eſſe, &c. Quid vero de talibus verbi cœleſtis corruptoribus abſurdis ſit ſtatuendum? Merito illi in Iudicium Dei ſeverum incurrunt.

Sed tamen reſpiciat quis proprii corporis examen, velut Chriſtus iubet quemque ita proximum ſuum, non aliter, quam ſemetipſum diligere. Num quoque ullum membrum tam exiguum datur corporis vividum, quod alterum ex amore abſcindere cupiat? Nonne potius omnimode id fovere amicabiliter, & in vigore integro conſervare, aut, ſi morboſum ſit, ſanitati reſtituere, & ſalvare expetit? Nōne is ductus naturæ eſt cunctis maxime innatus, ut non poſſint non aliter, quam mutuo ſeſe, invicemque fervidiſſime membra amare, & diligere? Unde igitur tam abſurdiſſima opinio in odium Dei, & proximi ſui flagellat tam ſtulte cæca mortalium corda? Num homines potius malunt ſummo cum ſtudio, & de induſtria volentes Diabolo, & inferno viſibiliter in hoc mundo vivere, & ſe penitus ſcienter tradere, quam Dei, & Chriſti nutui in tam exiguo mandato obſecundare? quū tamen omnes noſcant, Deo nihil gratius munus offerri poſſe, quam in dilectione eius, & proximi, quod ipſe Decalogus perpetuo intonat & iubet. Certe nimia eſt perverſitas omnium, & prorſus inexcuſabilis, qui aliter heic ſentiunt. D. Iohan. ait; ſi nos inter nos invicem amemus, tunc nos in Deo ſumus & Deus manet in nobis, atque eius amor plenarius eſt in nobis. 1. Ioh. 4. v. 12. Ideo amemus nos invicem, quia dilectio eſt à Deo: ac qui amat, eſt ex Deo natus: & novit Deum: quia Deus eſt Charitas. ibid. v. 7. 8. ſi quis dicat; Ego diligo Deum, & odit fratrem ſuum; ille eſt mendax. Nam qui fratrem ſuum non diligit, quem videt, quomodo ille Deum diliget, qui ipſi non eſt conſpicuus. Atque hoc præceptum ab eo habemus, ut qui diligit Deum, ut etiam frattem, ſive proximum ſuū diligat. ibid. v. 20. 21. Qui dicit, ſe eſſe in luce, & odit frattem ſuum, ille adhuc eſt in tenebris. Qui fratrem ſuum amat, is manet in luce, &c. Qui autem odit frattem ſuum, ille eſt in tenebris, & ambulat in tenebris, nec novit, quorſum vadat. ibid. cap. 2. v. 9. 10. Iam diſpiciat hoc quilibet, vel etiam, qui dimidiam partem ſenſus communis amiſit, quomodo hæc inter ſe conveniant, quod ille, qui ſaltem odio aliquo erga fratrem, aut proximum ſuum afficitur, nec Deum quidem noſcat, imo prorſus in tenebris vivat, & lucem non videat:

Num vero is, qui enecat proximum ſuum, aut eundem bonis ſuis privat vi dolove, poſſit ſe Dei, & lucis filium vocitare? Nihil eſt, quod heic te excuſes, aut obiectionem ex veteri Teſtamento adducas, quod ibi adſidua fuerint inter Iſraelitas, & hoſtes vicinos bella. Primo hoc diſcernas, quid inter Vetus Teſtamentum, & regnū Chriſti interſit, ubi omnia debent haberi nova in aſſidua ambulatione veſtigiorum eius: Deinde Philiſtæ, & tales gentes non

fuerunt

fuerunt proprie hostes Israelitarum, sed hostes Dei ob malitiam vitæ, & Idololatriam perfidam: Tertio inde Rex David directo respondet ad talem bellatorum responsionem, & negat se bellum gessisse; sed ait, & adseverat id pleno ore, Deum ipsum hoc fecisse: Tu manu tua expulisti gentes, & plantasti patres nostros: Tu contrivisti populos, & propagasti nostros maiores. Non enim gladio suo adepti sunt terram, neque brachium ipsorum eos servavit; sed dextera tua, & brachium tuum, & lumen vultus tui: quia benevolus fuisti erga nos. Psal. 44. 2. 3. sic etiam suis id temporibus factum adseverat, quod ex mandato Dei, eiusque robore confuderint hostes eius. Per te, ait, adversarios nostros cornu perebamus: nomine tuo freti conculcabamus insurgentes contra nos. Non enim in arcu meo speravi, nec gladius meus servavit me. Certe servasti nos ab hostib⁹ nostris, & osores nostros pudefeciſti. Ibid. v. 5. 6. Is est, qui instruxit manus meas ad prælium: & præbuisti mihi scutum salutis tuæ, & dextera tua fulcivit me: dilatasti gressus meos subtus me, & non nutarunt tali mei. Nam præcinxisti me robore ad bellum: feciſti subtus me curvari insurgentes adversus me: & inimicorum meorum præbuisti mihi cervicem, & osores meos perdidi. Psal. 18. 34. 39. 40. Item Is in ordinem redegit populos sub nobis, & gentes sub pedibus nostris. Selegit nobis hęreditatem nostram. Psal. 47. 3. 4. Eduxit igitur populum suum cum lætitia, cum exultatione electos suos. Et dedit illis terras gentium, & laborem populorum in hæreditatem adepti sunt; ut custodirent statuta eius, & leges eius servarent. Psal. 105. 43. 44. 45.

Nec minus longe luculentior talis est Davidis attestatio Psal. 134. 20. 21. 22. 23. ubi omnia acta, & facta belli peracti apud Israelitarum maiores soli Deo adscribit, dicens: Deus est, qui percussit gentes multas, & occidit Reges fortes. Sihon regem Amorrhęi, & Og regem Basan, & omnia regna Canaan. Et dedit terram, quæ fuerat eorum hæreditas, in hæreditatem Israeli populo suo. Iehova nomen tuum est in seculum. Quia Dominus Rex est semper in æternum. Psal. 10. 20. Quod etiam sic Rex David Psal. 135. 17. 18. 19. 20. 21. graphice repetit cum exultatione singulari, & laude summa benignitatis amicæ, dicens: Qui percussit reges magnos: quoniam in seculum eius est benignitas. Qui interfecit reges præpotentes: Sihon regem Amorrhæorum: Og regem Basan: & dedit terram eorum in hæreditatem; quoniam in seculum eius est benignitas: In hæreditatē, inquam, Israeli servo suo; quoniam in seculum eius est benignitas, &c. Diserte heic ait David, quod Deus ipse eiusmodi interfecerit reges: quum tamen constet manifeste ex ipsa historia 4. lib. Mos. Num. 21. cap. Israelitas istud perfeciſſe opus belli, & percussisse Sihon gladii robore apud Iachzan, atque occupasse terram eius ab Arnon usque ad Iabock, & fines fortiter munitos filiorum Ammon. Ita evicerunt quoque Og regem Basan Gigantum in Edrei quidem, sed iussu Dei hæc omnia facta sunt, qui vires suas ipsis adiecit, ceu Deus ipse testatur ibidem v. 34. dicens compellando Mosen: ne metuas tibi ab eo: quippe eundem in tuas tradidi manus cum terra, & populo omni; atque eum illo facies, velut cum rege Sihon Amorrhæorum feciſti, qui Hesbonæ habitabat. Et illi percutiebant hunc eiusdemque filios, ac populum omnem, usque, ut nemo superstes maneret, occupabantque eius terram. Inde laudem simul hanc unicam Iehovæ David unice adscribit Psal. 144. 1. 2. ita exclamans lætabundus: Laus sit Iehovæ rupi meæ; qui docet manus meas ad prælian-dum, digitos meos ad bellum. Beneficentia mea, & præsidium meum, Arx mea, & liberator meus, Clypeus meus, ad quem protectionis causſa confugio; qui subiicit populum meum sub me. Velut inde & Iehovam undique Iehovam fortitudinem suam, petram suam, Arcem suam & liberatorem suum, cornu, ac rupem suam facit, qui nihil ex se suscipiat in istis rebus. Psal. 15. 1. 2.

Ex quibus satis patet, neque in Veteri Testamento ullum bellum iustum, nec causſam iustam fuisse, nec ullam possessionem inde acquisitam, nisi Deus expresse mandarit, & possessionem cuique adsignarit suam. Quod Deus ipse ita præcipit, hoc solum iustum est; non quod homines sibi opinionibus suis vanis concipiunt, quum alias homo omnis mendax sit, & nihil sibi adscribere possit, quod contra dilectionem Dei, & proximi suscipiatur. Quanto igitur longe cautiores esse heic debemus in Novo Testamento, & regno Christi, ubi quoque hostes amare iubemur, & pro illis preces effundere. Matth. 5. Ipsa lex, & verbum Dei iniustum quod proclamat, quomodo id mortalis homo contra conscientiam proprii commodi causſa iustum dicere, & fingere sibi ausit? Sed relinquamus tales belli succentores, & tenebrarum amicos, quum non sit huius loci de iis plura agere. Qui plura & saniora expetit cognoscere in hanc sententiam, legat [illegible] de Pacis querela, & bello inexpertis dulci, pudebit certe. Communem merito hunc Germaniæ Præceptorem in his dicamus.

Iam regressus nobis potior ad negotiationem, quæ nunquam felicius, quam extra bellum floret, in mensuræ ratione habendus est, quæ mercibus cōpetit mercatorum, uti paulo superius indicatum est. Quippe sine mensuræ accuratioti cognitione nemo omnium inter negotiantes suum recte, & absq; damno exercere valet commercium. Attamen sufficiat nobis hac vice saltem Veterum recensere distinctiones, ex quibus facile colligent prudentiores, quę nostris quoque inde applicentur temporibus.

Mensuræ itaque appellantur, quibus metimur tum liquores, quod genus sunt, oleum, vinum, acetum, aqua, mel: tum arida, cuiusmodi omnia frumenta, legumina, fructus, & pleraque alia.

Liqui-

Digitized by Google

Liquidorum menſuræ apud Romanos.

Continet
- Culeus amphoras viginti, quartas CCCCLXXX.
- Amphora urnas duas, quartas XXIIII.
- Urna Congios III. quartas XII.
- Congius ſextarios ſex, quartas III.
- Sextarius Heminas duas, id eſt, quartæ dimidium.
- Hemina Quartarios duos, quartæ quadrantem.
- Quartarius Acetabula duo, quartæ 8. partem.
- Acetabulum ſeſquicyathum, quartæ 16. partem.
- Cyathus Ligulas ſive 4. cochlearia: quartæ 24. partem. In ſextario autem 72. ſunt Cyathi.

Sextarius inde dictus eſt, quod ſexta pars Congij ſit, in menſuris quaſi initium quoddam eſt, & fundamentum, cum enim conſtituerimus quantum capiat ſextarius, cætera nullius difficultatis erunt.

Sextarius, Congius, Urna, Amphora, Culeus, Hemina, Quartarius, Acetabulum, Cyathus, Ligula — capit
- Uncias menſurales XX. id eſt, libram Romanam & beſſem.
- Libras menſurales X. XXXX. LXXX. MDC. X.
- Uncias menſurales quinque II. cum dimidia.
- Seſunciam, drachmam & ſcrupulum.
- Drachmas III. Scrupulum I.

Drachma autem III. continet ſcrupula.

Libræ, & unciæ menſurales cuique menſuræ fixę ſemper, & immobiles manent. Ponderales vero pro rerum, quas metimur, diverſitate ſubinde mutantur. Sextarius ergo Romanus XX. capit uncias menſurales, nam quot ponderales, niſi humorem, quem metiris, expreſſeris, minime dicere potes, alius enim alio gravior eſt. Vini, & aquæ pluviæ, vel alioqui puræ ſextarius, ut Rhemninus Fanius ſcribit, pendet uncias XX. olei, uncias XVIII. mellis XXX. Mel ergo tertia parte vino eſt gravius, & oleo. Tantundem enim pendet, & nonam præterea eius partem.

Sextarius igitur Romanus vini, aut aquæ puræ aliquanto minus eſt, quam dimidium quartæ Colonienſis. & Mengeln. Quod ſi ſextarius, ut Budæus lib. V. de Aſſe paratitlo dipondius, ſeu bilibris eſſet, illius menſura, cum dimidia quartæ Colonienſis plane conveniret. Quarta enim Colonienſis vini, aut aquæ puræ, quatuor pendet libras Romanas: Germanicas vero tres. Sextarius quia duodecim Cyathos in ſe continet, quemadmodum As & libra duodecim uncias, fit ut inde, ac in re numaria, vel pondere, ſextantem duas uncias dicimus, ita in poculis ſextantem duos Cyathos dicamus: Suetonius in Auguſto. Poſtea quoties largiſſime ſe invitaret, id eſt, plurimum biberet, ſenos ſextantes non exceſſit, id eſt, duodecim Cyathos, qui efficiunt ſextarium. Quadrans quarta ſextarii pars, tres Cyathi. Triens, tertia ſextarii pars, quatuor Cyathi. Perſius Satyra tertia:

Sed tremor inter vina ſubit, gelidumq; trientem
Excutit è manibus.

Quincunx, quinque Cyathi.

Semiſſis ſic in uſu non eſt, ſed loco eius Hemina, vel ſex Cyathi.

Sextunx, ſeptem Cyathi.

Martialis libro III. in Zoilum.

Septunce multo deinde perditus ſtertit.

Bes octo Cyathi.

Martialis libro undecimo de Caio Proculo:

Quincunces, & ſex Cyathos, beſſemque bibamus,
Caius ut fiat, Iulius & Proculus.

Dodrans novem Cyathi.

Dextans decem Cyathi.

Deunx, undecim Cyathi.

Martialis libro XII. in Cinnam:

Poto ego Sextantes, ut potes Cinna Dounces,
Et quereris, quod non, Cinna, bibamus idē.

Veteres Romani cum hilariori convivio ſeſe ad potus ſolutiores invitarent, tot Cyathos bibebant quot litteræ erant in Amaſiæ nomine. Hinc Martialis libro primo ad Somnum.

Nævia ſex Cyathis, ſeptem Iuſtina bibatur,
Quinque Lycas, Lyde quatuor, Ida tribus.
Omnis ab infuſo numeretur amica falerno:
Et quia nulla venit, tu mihi ſomne veni.

Menſuratum nominibus ſæpe vel vas indicatur, quod in maioribus omnibus fere fit, vel poculum quod in minoribus. Culeus Romanorum maxima eſt menſura, continens amphoras XX. Urnas XI. Magnum autem Vas fuiſſe ex eo apparet, quod culeis è corio inſuti Parricidę cum cane, gallo & vipera in proximum mare, vel amnem proiiciebantur. Trāquil. Sueton. in Auguſto, Modeſtin. Iuris Conſ. Aymarus hiſtor. juris.

Amphora, quæ quadrantal dicitur, capit urnas duas, congios octo, ſextarios XLVIII. Viginti quatuor fere quartas Colonienſes, ſi ſextarium bilibrē ſeu dipondium cum Budæo dixeris, alias totum viginti quartas. Maximinus Imperator Amphoram vini die exhauſit, atque comedit XI. libras carnis Romanas, id eſt, XXX. Germanicas. Ut autem Cordus dicit, etiam IX. libras carnis Romanas comedit, id eſt, XIV. Germanicas. Iulius Capitolinus.

Urna capit congios quatuor, ſextarios XXIV. Congius continet ſextarios ſex, heminas duodecim.

Cicero-

Ciceronis filius binos congios ſimul haurire ſolitus fuit. Novellius Torquatus Mediolanenſis Tricongius dictus eſt à tribus congiis, uno impetu epotis. Plin. lib. 14. cap. 22. Duplex fuit Romanus Sextarius, Urbicus & Caſtrenſis. Urbicus ſexta erat pars congii, de cuius capacitate iam dictum eſt. Caſtrenſis, duos urbicos capiebat. Romanus autem ſextarius, Italicus, reſpectu Græci dicitur, reſpectu Caſtrenſis, quod ab utroque differat.

Aridorum menſuræ apud Romanos.

Modius	capit	duos ſemodios.
Semodius		Sextarios octo.
Sextarius		Heminas duas.
Hemina		Acetabula quatuor.
Acetabulum		Seſqui Cyathum.
Cyathus		Ligulas quatuor.

Sed quia Sextarius capit uncias menſurales viginti, ſequantur hæc ordine quodam:

Modius	capit	Libras menſurales 26. uncias VIIII.
Semodius		Libras XIII. uncias XX.
Hemina		Uncias X.
Acetabulum		Duas cum dimidia.
Cyathus		Seſunciam, drachmam, & ſcrupulum.
Ligula		Drachmas III. & ſcrupulum.

Modius aliquanto maior eſt, quam noſtra menſura, quam Spinthã vulgo appellamus, ein Spinth. Sex n. quartas Colonienſes & ſemiſsẽ Spintha noſtra continet, id eſt, XXVI. libras Romanas. Quarta autem Colonienſ. circiter IV. capit libras Romanas, quas ſi multiplicaveris per ſex, & ſemiſſem addideris, prodibunt XXVI. Spintha ergo noſtra modio eſt octo unciis minor.

Ex hoc æſtimare licet, tres modios annulorum Carthaginem miſſorum ab Annibale poſt Cannenſem cladem, vel unum modium ſecundum alios annales, vel duos modios ſecundum L. Florum lib. II. cap. 6. Quaternos frumenti modios quolibet menſe ſingulis ſervis admetiebantur. Donatus in Phorm. Terent. Quaterni autem modii paulo pluſquam Schepellum ut vulgo vocant, noſtrum faciunt, ein Schepell. Liquorum ergo tantum menſuræ apud Romanos fuerunt, Culeus, Amphora, Urna, Congius, Quartarius. Aridorum ſolum Modius & Semodius. Humidorum & ſiccorum ſimul: Sextarius, Hemina, Acetabulum, Cyathus, Ligula vel Cochlearium.

De menſuris Græcis.

Liquorum menſuræ apud Atticos.

Metretes	capit	Choos x. id eſt, quartas xxx.
Chous		Sextarios vi. id eſt, quartas iii.
Sextarius		Cotylas ii. id eſt, quartæ dimidium.
Cotyle		Quartarios ii. id eſt, quartæ quadrantem.
Quartarius		Oxybapha ii. id eſt, quartæ viii. partem.
Oxybaphum		Seſquicyathũ, id eſt, quartæ xvi partem.
Cyathus	capit	Conchas ii. vel myſtra iv. ſeu Chemas v. id eſt, quartæ xxiv. partem.
Cheme		Cochlearia duo.

Μετρητὴς, Metreta, decem capit Choos, id eſt, Congios. Χοῦς Chous, idem quod Congius. Sunt autem idem, Metreta, & Cadus, quod & ipſum Græcum eſt.

Ξέστης, Sextarius, vocabulum è Romana dictione quæ Sextarius dicitur, corrupta formatum. Nam neque nomen neque menſura hæc apud veruſtiores Atticos ſcriptores invenitur, ſed una cum Imperio Romano & vox & menſura in Græciam venit.

Κοτύλη, Cotyla, Hemina, dicitur quoque eadem menſura τρύβλιον & ἀμίξεσον, id eſt, dimidius Sextarius.

Τέταρτον, Quartarius, quarta pars Sextarij. Eadem menſura ἡμικοτύλιον, id eſt, dimidia Cotyle nuncupatur.

Ὀξύβαφον, primo dictum vaſculum ad infuſionem aceti, ut in id intingerent, cibum ſumentes, paratum. Deinde menſura hoc nomine dicta, quarta pars Cotyles, ſicut Acetabulum quarta pars Heminæ. Acetabuli autem denominatio facta ab eſt abaceto, nonnihil ad imitationem Græcorum.

Κύαθος, Cyathus, ἀπὸ τῦ χυεῖν, id eſt, à fundendo Græcis dictus, litteræ aſpiratæ in tenuem mutatione.

Κόγχη, Concha, dimidium Cyathum capit, uſi ſunt & latini Concha pro menſura & vaſis genere.

Μύστρον, Myſtrum, Cyathi quarta pars.

Χήμη, Cheme, quinta pars Cyathi. Quia Cotyle novem continet uncias menſurales, facile hinc calculis ſubductis, colligi poteſt, quot librarũ vel unciarum menſuralium quæque menſura fuerit. Eſt autem Cotyle una uncia minor quam Hemina Romana, quæ ut dictum eſt, decem uncias capit menſurales.

Aridorum menſuræ apud Atticos.

MEdimnus, Chœnix, Sextarius, Cotyle, Oxybaphon, Cyathus, Cochlearium.

Μέδιμνος, Medimnus, ſex modios continet, id eſt, Chœnicas octo & quadraginta. In modio enim octo ſunt Chœnices, noſtra menſura Seſquiſchepellum.

Χοῖνιξ, Chœnix duos capit Sextarios Romanos urbicos, eiuſdem capacitatis cum ſextario Caſtrenſi. Eſt autem Chœnix ea frumenti menſura quam homo uno die abſumere poteſt: fuit enim Chœnix diurnus cibus ſervorum Græcorum, quemadmodum demenſum Romanorum cibus menſtruus, quod quaternos continuit modios, quos ſi ad Chœnicas comminueris, computatis in ſingulos modios Chœnicibus octo, conficientur dies xxxii. hoc eſt, menſis unus. Nam quod duo dies abundare videantur, de eo non eſt quod laboretur. In huiuſmodi enim ſupputationibus minutię coæquari non poſſunt. Pythagoræ ſymbolum eſt: Χοίνικα μὴ ἐπικάθισον, id eſt, Chœnici ne inſideas. Quo monemur, ne victu unius diei quæſito, non curemus craſtinum. Cõtrarium doctrinæ Chriſti Matthæi 6. qui nos in craſtinum ſollicitos eſſe vetuit. Eandem menſuram Hebræis Gomer dici Budæus putat libro 5. de Aſſe

& par-

& partibus eius. Statuta enim à Domino hæc mensura erat colligendæ viritim mannę in singulos dies. Exod. 16. Alii dicunt Gomer duplo maiorem fuisse IV. Sextariis.

Σέξτης Sextarius, capit Cotylas duas.

Κοτύλη Cotyla, capit Oxybapha quatuor.

Ὀξύβαφον Oxybaphon capit sesquicyathum.

Κύαθος Cyathus, capit Cochlearia decem.

Batus & Corus Hebraica sunt vocabula, ut docet Iosephus lib. VIII. antiquit. cap. II Batus mensura liquidorum capit Sextarios, ut Iosephus eodem ait loco, LXXII. hoc est Congios XII.

Corus mensura aridorum capit medimnos Atticos XLI. ut idem Iosephus libro III. antiquit. inquit, circa finem.

Statum, Hebræorum est mensura, sesquimodiũ capiens, Erasmo Roterodamo id ex divo Hieronymo testante, in annotationibus in novum Testamentum, in XIII. cap. Matthæi, ac Lucæ, Iosephus etiam libro Antiquitatum Iudaicarum nono, capite quarto inquit, Statum continet modium Italicum & dimidium.

Hin, Hebræis idem quod Sextarius Castrensis Autore Georgio Agricola. Alii ex Iosepho asserunt idem esse, quod Semodius Romanus. Iosephus enim lib. III. antiqui. Cap. XII. & XIII. ait Hin capere Choas Atticos duos.

De mensuris Geodeticis.

DIgitus continet quatuor hordei grana in latum posita.

Palmus digitos habet quatuor, hic Græcis dicitur ἡ παλαιστὴ καὶ ἡ παλαισις, ἢ δῶρον, καὶ δοχμή.

Pes digitos XVI. continet, id est, quatuor palmos.

Dodrans, tres pedis quadrantes, cui quarta pars deest, ut nõ sit pes totus, Græce σπιθαμή, digiti duodecim, pollices 9. seu palmæ tres. Nam & in pollices duodecim, qui sedecim efficiunt digitos, pes dividitur, ut As in duodecim uncias. Tres autem pollices digitos faciunt quatuor. Plinius libro VII. cap. II. Super hos extrema in parte montium Spitamæi, Pygmæi narrantur ternas Spithamas longitudine, hoc est, ternos dodrantes non excedentes, id est, duos pedes, & quadrantem. Nostra lingua Spithamam vocamus.

Cubitus sive Cubitum Sesquipes, Palmi VI.

Gressus, duo pedes & semis.

Passus, duo gressus, id est, quinque pedes.

Ulna, Græce ὄργυια, quatuor cubiti, id est, sex pedes, quantum spacii est inter manus expansas.

Πλέθρον, Plethrum, centum pedes.

Stadium Plinius lib. II. cap. XXIII. habere scribit passus CXXV. hoc est. pedes sexcentos, viginti quinque. Gellius libro primo capite primo Græca Stadia facit pedum sexcentesũm.

Diaulos, διαυλος, duo stadia.

Milliarium Italicum, mille passus, hoc est, octo stadia, Milliare Germanicum dicitur continere XL. Stadia, id est, quinq; ut plurimum, milliaria Italica.

Dolichos, δόλιχος, duodecim Stadia, sesquimilliarium Italicum.

Parasanga, Persica mensura, XXX. Stadia. Multis Parasangis præcurrere dicitur, qui longo intervallo præcedit, multisque partibus superior est, vide Chiliad. Erasmi.

σχοῖνος, Schœnus, Ægyptiaca mensura; sexaginta Stadia, Sesquimilliare Germanicum.

Σταδμός, Stathmos, autore Budæo in pandect. XXVIII. milliaria Italica & semis, veredariorum diversorum. Tantum itineris enim uno cursu conficiunt.

Actus latus est pedes CXX. & longus totidem duplicatusque in longitudinem, iugerum facit. Est ergo Actus dimidium iugeri.

Iugerum CCXL. pedes habet in longitudinẽ: vocatumque Iugerum, quod uno iugo boum in die exarari possit. Actus vero, quod in eo boves agantur, cum aratur, uno impetu iusto. Plinius lib. XVIII. cap. III.

De ponderibus Romanis.

LIbra Romana, quæ & pondo, in XII. dividitur uncias, id est, XXIV. lotas. In quas enim partes As dividitur, in has distribuitur & libra. Hinc partes eius sunt:

Uncia per se	
Sextans .i. unciæ	II.
Quadrans	III.
Triens	IV.
Quincunx	V.
Semis, vel semissis	VI. quæ etiam selibra dicitur.
Septunx	VII.
Bes	VIII.
Dodrans	IX.
Sextans	X.
Deunx	XI.
Libra	XII.

Sesuncia autem est uncia cum dimidia, 3. lotæ.

Uncia rursus dividitur in suas semuncias, in quatuor Sicilicos, in VI. Sextulas, in VII. denarios, in XXIV. scrupula.

Denarius dividitur in II. victoriatos, in VI. Sextantes.

A Libra fit bilibris, id est, duarum librarum, Martialis lib. V. Nolo mihi ponas Rhombum, nullumve bilibrem. Et trilibris trium librarum. Horatius II. Sermon. Satyra II. Laudas insane trilibrem multum.

Et quattrilibris Plautus in Aululari. Quattrilibrem aulam auro onustam habeo, quis me est divitior.

Sicilicus, sive Siciliquum, quarta pars unciæ, duæ drachmæ, dimidium lotæ: uncia enim VIII. continet drachmas.

Drachma quadrans lotæ.

Sextula, sexta pars unciæ, quatuor scrupula.

Duas Sextulas Duellam vocant.

Victoriato frequentissime pro pondere vtitur Scribonius Largus, & est semis denarii.

Denarius relatus ad pondera Romana in duodecim partes, ut As in duodecim uncias dividitur. ex illis duæ partes dicuntur sextans, perinde ut duo unciæ assis. Erunt itaque sex sextantes in denario.

Nullum est ponderis genus tam Græcis, quam Latinis, quo non & numisma, vel summa quædam rei numariæ significetur.

Nostrates libram duplicem habent, Zygostaticã, quam

quam etiam negotiatoriam dicunt, quæ triente Romanam excedit, qua utuntur negotiatores & pigmentarii aromatariique omnesque omnino qui appensas merces venditant, quæ denum & senum est unciarum. Cuius semissem monetarii & aurifices, & vascularii libram sibi fecerant, Marcam eam vocantes, facit enim sesquimarca libram unam Romanam unciarum XII.

Porro libra nostra Zygostatica binas & tricenas semuncias continet, quas nostrates Germani lotas appellitant.

Semunciæ vero singulæ quaternas drachmas, quas idem quinarias dicunt, ita fit ut in libra nostra CCXXVIII. sint drachmæ.

De ponderibus Atticis.

Τάλαντον, Talentum Atticum minarum est LX. Mina vero duas quidem habet semiminas. centum autem drachmas, id est, XXV. lotas. Drachma obolos VI.

Obolus, duos dimidios obolos, æreola VI. Græci χαλκοῦς nominant.

Æreolum VII. λεπτὸν vocant Græci.

Minutia indivisa manet.

Duplex fuit Atticis talentum, ut ante diximus, Parvum LX minarum, Magnum LXXX. Talentum itaque Atticum ponderale tot fuit minarum, quot numarium.

Μνᾶ, quam minam diximus, centum pendet drachmas, id est, XXV. lotas, eademque quoque est ponderalis & numaria.

Δραχμὴ drachma dividitur in terna scriptula, seu scrupula. Scrupulum in binos obolos. Obolus in tres siliquos. Sunt igitur in drachma oboli VI. Siliqui XVIII.

Notandum heic est principaliter, quod discrimen regulariter inter minora & maiora Pondera fiat. Pondera maiora quæ libram excedunt omnia à libra & pondo appellationem capiunt, ut bilibre, trilibre, id est, duarum, trium librarum, & sic deinceps. Sic dupondium, & duopondo, trepondo: & hinc id est: Dipondiarius, vel dupondiarius, ut, orbiculus dipondiarius, pro duarum librarum. Tandem centumpondium sive centena pondo, quod centum librarum pondus significat: ut torques aureus centum pondo. Reliqua, quæ antecedunt, & sequuntur σεμφατικῶς exprimi solent, ut, decem pondo auri, mille pondo, bis mille pondo.

Germanis autem minora pondera sunt infra libram, quæ hisce nominibus exprimuntur. Meitle, minutulum. Eß aut Esch oder Granlein / granulum. Grain sive Green bina scrupula. Grat / caractus 8. scrupula. Quintlein / quintula. Loth / lotho est semiuncia. Hinc progreditur ad librum, ut 32. Lothones libram sive ein Pfundt conficiant: 16. Lothones dimidiam partem libræ. Pfundt autem est libra sic dicta à latina voce pondo, & hoc nomine in eadem significatione etiamnum utuntur non tantum Germani, sed & Angli, Belgæ, Cares, Hungari, Poloni, Slavi.

Centner est Latina voce Centenarius qui & centumpondium dicitur, sic dictum, quod centum libras cõtineat. Est vero Centenarius varius, pro ratione tum loci, tum rerum, quæ ponderantur. Ratione loci alius est Augustanus, alius Norimbergensis, alius Ulmensis, alius Venetus, alius Viennensis, alius aliorum locorum: Item alius terrestris, alius nauticus. Ratione rerum, quæ ponderantur, alius est auri & argenti, alius plumbi, alius ferri, alius butyri, & sic deinceps. Augustanus idem est in omnibus mercibus pendens 100. libras civiles: Norimbergensis 103. Ulmensis 95. Venetus 60. Viennensis 115. Pondo nauticum 280. Auri & argenti Centenarius est librarum centum ubique. Ferri vero alicubi libræ 116. Plumbi 112. Butyri, Caseorum & aliarum rerum nonnullarum 108.

Stein est lapis, pars centenarii alibi alia. In Silesia pendit 24. Libras. Sedecim lapides Uratislaviæ faciunt Norimbergæ tres Centenarios. Quintal est pondus Hispanicum, sic dictum ab Hebraico Cicar. Iosepho Chincar al in ar mutato, vel à latina voce Centenarius, quasi cental, pendet centenas libras civiles: ut chicar centenas minas unciarum quindecim. Ulyssiponente quintal facit Antverpiæ libras 108. Dividitur in quatuor arravas, quarum singulæ libras civiles 25. faciunt.

Centumpondium igitur maximum pondus, centum libras continet, libra 12. uncias, uncia duas semuncias, semuncia duella cum semisse: duella Siculicum cum duobus scrupulis: Sextula duos victoriatos cum scrupulo: victoriatus dimidium denarium: Denarius tres scrupulos: Scrupulus 24. grana.

Mercatorum autem numeratio in maiori pondere semper est, ut propterea sua nomina propria cuique rerum distinctioni imponant, licet in aliquibus etiam considerationem tonnarum faciant iuxta mercis ponderositatem. Ita 14. Libræ oder Pfundt communes faciunt libram Listralem Liespfundt. 20. libræ Listiales oder Liespfundt conficiunt Libram navalem aut pondo nauticũ ein Schiffpfundt. Sic libra navalis conficit 280. libras communes oder Scharpfundt / id est, 2½. Centner.

Hinc conscenditur ad Lastam seu ponderationem maximam, quæ in duplici est differentia, ut Lasta alia dicatur maior, alia minor. Maior vulgariter in gravioris ponderis mercibus seu Butyro, adipe, & similibus, velut & halece salsato, cerevisia, continet 18. tonnas.

Minor Lasta 12. tonnas. Differunt tamen in re frumentaria, ubi Lasta minor 24. tonnas, id est, 96. modios sive Scheffel.

Lasta autem maior 48. tonnas comprehendit. Ita & navium ædificationes & compactiones ex numero Lastarum censentur, ut maximæ naves negotiantium 300. Lastas plerumque contineant.

Communes naves aut sunt 200. aut 180. 160. 150. Lastarum, unde minores naves dicuntur, quæ minoris sunt ponderositatis, & exinde varia sua sortiuntur naves eiusmodi singularia nomina. Naves autem Prætoriæ, præsidiariæ aut navales magnæ, ut tormentis magnis bellicis magis aptæ sint, tantæ immensitatis conduntur, ut sæpius ultra 600. Lastas excurrant. Velut ipse vidi Amstelrodami anno 1627. tres egregii adspectus naves, quas ibi condi curavit Rex Galliæ modernus Lu-

dovicus XIII. magnitudinis admodum grandis, quasi castellum quoddam singula navis referret; imposita cuique erant 71. tormenta ænea. Quum eo tempore discordia adhuc quædam inter Regem Angliæ & Galliæ vigeret, observabatur navium earum egressus ex portu Texeliano, inde statim aderant Angli & adoriebantur easdem, ac post conflictum diu habitum, occuparunt unam, ut reliquæ tandem binæ vix salvæ evaserint. Sic Rex Daniæ Fridericus II. ingentem molem navis militaris condi suo tempore curavit, quæ 1000. Lastarum fuit, quod quidem terriculamento fuit multis, & admirationi; Sed quum usus eius non adeo facilis fuerit, consumptioni traditum certo loco est. Rex modernus Christianus 4. multas quoque satis magnæ granditudinis erigi curavit, velut ipse ante 24. annos vidi tunc in Dania quandam Recompens nominatam, cuius moles 500. Lastarum in pondere dicebatur: sic & hodie aliquot habet, inter quas Sophie dicta potissimum autert respectum: etiam adhuc Neostadii Holsatiæ quædam conditur non minoris, ut aiunt, ponderis ferme 500. Lastarum. Sed de his satis, dum nos quoque ad numismata mercatorum potissimum asylum convertamus.

De Pecunia & Moneta.

CErte tam imprudens est hominum ferme omnium securitas, ut raro id recte dispiciant, aut discere curent, quod maxime necessarium est, & cuius cotidiano indigent usu, quum tamen ne quidem sine iis vivere cuiquam detur: uti videre est in eo, quod vivamus omnes in tempore, quid autem tempus proprie in sua natura sit, quomodo ab æternitate distet, aut quomodo tempus in æternitate habitet, & hæc illud procreatum ex se foveat, inque semet resorbeat; &c. vix quisquam est omnium qui id curet; velut nec noctis dieique proprietates vere considerantur, dum sic omnes potius in diem vivere cernimus, ut etiam in vanitatibus suis vanis semetipsos consumere, quam quid vere intendere videantur, quod ad proprium hominis officium faceret. Velut etiam in ipsa literatura sic ætas omnis futilissime deteritur, ut magis ea curentur in adsiduo studio, quæ longe rectius esset dediscere, quam in logomachicis artibus & ingenia & sumptus sudoresque parentum perdere.

Sic ferme idem adseverare licet de pecuniæ cognitione, quum tamen eius usus ante oculos ita evidens sit, ut nusquam vel amictum aut victum quis sine ea acquirere queat. Quis tamen est, qui talia recte perpendere conatur. Nihilominus omnes pessima avaritia perditissime torquentur, ut potius dites, quam vere prudentes, & rei vanissimæ gnari sint. An hac stultitia quid stolidius excogitari potest? Ideoque nunc etiam quid de ista re hæc loco, quum mercatorum & mercaturæ vis in ea potissimum consistat, agemus.

Pecuniæ autem nomen ipsi inditum volunt, quod Servius Rex primus Lat. æs purum nota pecudum insigniverit. Quippe est bractea ex quocunque metallo facta, lege publica approbata, ut res omnes eius usu nobis emere possimus, & mercari.

Nihilominus Pecuniæ nomina sunt varia: 1. Etenim ex materia appellatur æs, argentum, aurum, &c. 2. Ex forma, quæ ipsi indita est vigore legis publicæ, Pecunia. 3. Ex caussa efficiente nummus, & numisma. 4. Ex caussa finali, moneta, χρήματα, σύμβολα, κέρματα. Triplex autem habetur maxime ex materia, nempe: Ærea, argentea, aurea. Rursus, Ærea aut pura est, aut mixta cum argento. Argentea itidem aut pura est, aut mixta cum auro. Aurea similiter vel pura, vel mixta cum alio vicino metallo. Ut autem sic quoque ad eius æstimationis cognitionem perveniatur, ex Asse nobis examinanda est pro distributione sua.

As, vel Assis igitur est vocabulum generale adeo, ut eius nomen inde æquivocum sit. Namque præterea, quod res quasvis in partes 12. denotet divisas & divisibiles, sive liquida sit, sive solida, significat etiam minimum pecuniæ nummulum, aut nummulum æneum certi ponderis. Minimam pecuniolam, nempe Assem (ut est apud Ciceronem pro P. Quintio F.) se negat daturum. Et in proverbiis est, Unius assis æstimare: nullius assis facere: Quod non opus habetur, asse carius est, &c. Nimirum omnis stultus stoliditate sua longe stultior invenitur. Jeder führet seinen Geck im Busen: Etiamsi se sapientissimum sibi somniet. Et nemo certe stultior, quam qui se in corde suo magnum imaginativum putat Doctorem, velut hodie stultorum plena adeo sunt omnia, ut nec angulus mundi uspiam ab ea insania vacet, sive summos respicias sive imos. Namque omnes nil nisi pecuniam & eius copiam summam quovis conatu ambiunt, & extreme usque amant, ut nil magis apperant, quam huius desiderio etiam præ Dei amore se ditissimos undique & splendidos effingere & extollere, velut sapientes eiusmodi stolidissimos nuspiam non hodie invenias ampullas grandissimas stoliditatis venditantes.

Sed adesdum paromper Pecunia rectrix tantarum in mundo rerum, paulisper tecum loquemur, &, ut recte percipiaris, qualis in cute vanitatis tuæ sis, ex æstimio hominum iuxta Assem tecum agemus. Manemus in hoc, ut quoque Pecunia nobis ex Asse exurgat.

Ideoque Assis sive As res quævis dicitur, quæ in duodecim partes dividi potest. Veteres æquales divisuri, totum quidem Assem, partes vero uncias, hoc est, unitates, dicebant. Nam unciam ab unitate derivari, M. Varro autor est. Hinc & tota hæreditas apud Historicos & Iureconsultos plærumque Assis appellatione continetur, & in duodecim uncias seu partes distribuitur.

* * *

Assis

Assis partes his nominibus appellantur.

Uncia	Duodecima pars Assis.
Sextans	Sexta pars Assis. II. unciæ.
Quadrans	Quarta pars Assis. III. unciæ.
Triens	Tertia pars Assis. IV. unciæ.
Quincunx	V. unciæ.
Semis vel semissis	Dimidium Assis VI. unciæ.
Septunx	VII unciæ.
Bes	VIII. unciæ, forte ex eo quod bis trientem facit.
Dodrans	IX. unciæ, quasi dempto ex Asse quadrante.
Dextans	X. unciæ, quasi Sextans ipsi delit, id est, duæ unciæ, ut non sit As totus.
Deunx	XI. unciæ, ceu ex Asse una dempta.
As	XII. unciæ.

Sesquncx vel sescuncia, seu sesquunx, aut sesquuncia uncia est, & unciæ dimidium. Sesqui enim vocabulum in appositione inventum pro dimidio accipiendum est, quod est, ac si dicas, tantundem & semis, ut sesquipes, pes unus & semis. Semuncia dimidium est unciæ. Sunt autem in Asse semunciæ XXIV.

Ordo numariæ rei apud Romanos.

FUit apud Romanos hic ordo rei numariæ, ut primum Romani ære gravi, id est, numo rudi & informi usi sint, postea ære signato, quod factum est sub Servio Tullio, sexto rege, qui regnare Romæ cepit anno urbis CLXXVI. Nota autem æris fuit ex altera parte Ianus geminus, ex altera rostrum navis. Deinde argento signato, anno urbis D. LXXXV. testis est Plinius, cuius lib. 33. cap. 3. verba hæc sunt. Servius rex primus signavit æs, antea rudi usos Romæ Remæus tradit. Signatum est nota pecudum, unde & pecunia appellata. Argentum signatum est anno urbis D. LXXXV. Q. Fabio Cos. quinque annis ante primum bellum Punicum. Nota argenti fuere bigæ atque quadrigæ, inde bigati, quadrigati dicti.

Aureus nummus post Annum LXII. percussus est, quam argenteus. Sic Plinii habent Exemplaria. Budæus tamen lib. 5. de Asse, legendum censet, anno urbis CCCCLXXIII. idque ex Livio, quem Plinius sequi solitus est, probat & colligit.

De ære.

AS apud Romanos nummus quondam fuit æreus libralis: libræ autem pondus æris, imminutum bello Punico primo, cum impensis Respubl. non sufficeret, constitutumque, ut Asses sextantario pondere ferirentur; ita quinque partes factæ lucri, dissolutumque æs alienum. Postea Annibale urgente, Q. Fabio Maximo dictatore, Asses unciales facti, ita Respub. dimidium lucrata est. Mox lege Papyriana Semunciales Asses facti.

Asses { Librales, Sextantarii, Unciales, Semunciales.

Quantum As valeat, ex eo facile æstimari potest quod Denarius, de quo paulo post dicemus, octava pars aurei Rhenensis, seu thaleri, quod fere idem est, pro decem Assibus datus sit. Valebit ergo As triente, id est, tertia parte Albi rotigeri. Tres enim Asses Album rotigerum constituunt.

Assis partes, æreos itidem nummulos viliores significabant.

Sextans numulus æreus, sexta pars Assis. Populus Rom. in funere Menenij Agrippæ, ne sepulturæ honore careret, propter paupertatem, Sextantes contulisse dicitur à Valerio lib. IV. cap. IV. & Plinio lib. XXXIII. cap. X.

Quadrans, numulus æreus, quarta pars assis, numulus fuit usitatissimus Romæ, qui à tribus unciis, etiam teruncius dicebatur. Ne teruncium quidem insumpsit, proverbio dicimus.

Centum quadrantes, id est, viginti quinque asses, octo albi rotigeri, atque albi rotigeri triens, sportula à Iuvenale, Martialeque decantata, quæ merces salutationum erat, & quam divites, qui ipsos sectabantur, quotidie dabant.

Vidua pauper in gazophylacium misit duo minuta, quod est, quadrans. Marci 12. Lucæ 21.

As, Pondo æris, Libra æris } idem.

Dipondius seu Dupondius, numus bilibris, id est, duo asses, Lucæ 12. Nonne quinque passeres veneunt dipondio, id est, duobus assibus.

Ubi apud antiquos millia æris gravis legimus, ibi millia assium intelligere debemus.

De argento.

SEstertius genere masculino, quarta pars denarii, numus argēteus, dictus quasi semis tertij, valebat enim duobus assibus & semisse, ære nostro, dextante albi rotigeri. His notis pingitur IIS. duæ lineæ priores significāt duos asses, & S. significat semissem. Romanis idem, Sestertius, Numus & copulate Sestertius numus.

Denarius idem argenteus quaternis Sestertiis numis valebat, hoc est, decem assibus seu libris æris, ære Colonienſi tribus albis rotigeris & triente, id est, tertia parte Albi rotigeri. Dictus Denarius ex eo quod pro decem assibus locaretur æreis.

Eiusdem fere valoris apud Græcos fuit drachma Attica, numus etiam argenteus. Budæus & multi eū secuti, drachmam eiusdem plane pretii ac ponderis cum denario faciunt. Verum qui rem exactius considerat, non futili sane probatione drachmam denario minorem aliquanto esse demonstrat. In uncia enim octo sunt drachmę, septem tantum denarij, vide Georgium Agricolam libr. 4.

Victoriatus dimidium denarii, duo Sestertii numi, argenteus erat nummus victoriæ nota signatus, & inde nomen.

Aureus coronatus decem æstimatur denariis vel drachmis.

Aureus Rhenanus, seu thaletus, quod fere idem est, octo æstimatur denariis, vel drachmis.

Facile eſt aureos coronatos redigere ad Rhenenſes,ſeu thaleros. Singuli enim coronati valent aureũ Rhenenſem ſive thalerum unum, & quadrantem. Faciunt igitur quatuor coronati quinque aureos Rhenenſes,ſeu thaleros.

Pediti Romano decem aſſes quotidie pro ſtipendio dabantur,hoc eſt, Denarius unus, autor Cornelius *Tacit. lib.* 1. Annalium ab exceſſu Auguſti, ubi de Pãnonicarum Legionum ſeditione loquitur. Cẽturiones autem duplex Stipendium, & equites triplex merebant. Stipendium ergo peditis menſtruũ tres aurei coronati,30. diebus pro menſe numeratis. Centurionis ſex, equitis novem. Hinc apparet ſtipendium militare noſtri temporis,non multum differre à ſtipendio quod olim Romani militibus dedere. Quo tempore autem ſtipendium militare inſtitutum Romæ fuerit,docet Livius lib.4. ab urbe cõdita,non procul à fine,ubi Anxuris Volſcorũ oppidi expugnationem deſcribit, id autem factum eſt, anno vrbis CCCXLIX,ante Id tempus,ut Livius ait,de quo quiſque functus eo munere fuerat.

Milites ære merere dicuntur, ut apud Lucanum lib 10. Ære merent parvo,ab ære gravi, nondum argenteo numo percuſſo, unde & ærarium dictum, quod in eo æs reponebatur.

Drachma in ſex dividitur obolos: Seſquiobolus erat Romæ Seſtertius.

Didrachmum,duæ drachmæ. bos numiſma Atticum,bovis nota percuſſum, quarta pars aurei Rhenani,ſive thaleri. Pendebant ſinguli Iudæi quotannis,tributi nomine, Didrachmum autore Ioſepho lib.7.belli Iudaici,ca.26. Cæſar,inquit,ſtipendium, ubicunque degerent. Iudæis indixit, binaſq; drachmas ſingulis annis deferre in Capitolium iuſſit,ita,ut antehac Hieroſolymæ in templo pendebant.

Tetradrachmum, quatuor drachmæ, dimidium aurei Rhenani,ſive thaleri. Qui numus etiam Stater dicebatur, Matth.17. à Chriſto poſtulatur didrachmum. Et Chriſtus pro ſe & Petro reddi iubet ſtaterem in ore piſcis capti à Petro inventum. Is enim cõtinebat duo didrachma. Hebræis ſiclus Ioſepho teſte lib. 3. Antiq.c.12. Siclus, inquit, numi genus eſt apud Hebræos, quales ſunt didrachmi Attici.

Denarius Romanus, quaternis Seſtertiis valens, id eſt, tribus albis rotigeris, & triente, hoc eſt,tertia Albi rotigeri parte, Denarius eſt ille diurnus, de quo apud Matth.cap.20. Tanti enim etiamnunc operarii & vinitores conduci ſolent in diem. Huiuſmodi quoque Denarius cum Cæſaris magni inſcriptione oblatus eſt Chriſto Matthæi 22. Tales quoque Denarii argentei drachmam pendentes & hodie circumferuntur.

Centuſſis quaſi centum aſſes, valet quadraginta Seſtertiis nummis, hoc eſt denariis decem, quanti aureus coronatus æſtimatus eſt, Perſius Satyra V. *Et centum Graecos curto centuſſe licetur.*

Sic treſſis, tres aſſes, id eſt, Albus rotiger. Perſius eadem Satyra: *Hic Dama eſt, non treſſis agaſo.*

Decuſſis, decem aſſes,id eſt, Denarius.

Libra Romana, Mina Attica, Pondo argẽti, Millia æris, Millia aſſium, centum denarii, centũ drachmæ. Quadringenti Seſtertii, Quadringenti nummi, fere idẽ & decem aurei coronati, qui faciunt duodecim thaleros cum ſemiſſe: quomodo coronati in thaleros redigendi ſunt, paulo ante dictum eſt.

Mina tamen Attica quatuor drachmis ſuperat libram Romanam. Hæc enim nonaginta ſex, illa centum drachmas continet. Nam mina Attica centenaria eſt,id eſt, centenas drachmas continet. Libra Romana duodecim eſt unciarum. In uncia octo ſunt drachmæ, octies autẽ duodecim ſunt nonaginta ſex.

Seſtertia ſingula neutri generis in plurali numero, valent viginti quinque aureis coronatis, hoc eſt, thaleris ſeu aureis Rhenenſibus, triginta uno & quadrante. Dicuntur Seſtertia, quaſi ſemis tertia. Valent enim duabus libris argenti, ſcilicet, hoc eſt, ducentis & quinquaginta denariis, ſeu mille numis Seſtertiis, quod idem eſt; unde duo millia numum, ſive Seſtertium, & duo Seſtertia, idem ſunt, idem quatuor millia numum, ſive Seſtertium & quatuor Seſtertia, atque ſic deinceps.

Ut autem facilis & obvia ſit unicuique earum ſummarum intelligentia, quæ apud autores identidem leguntur, hoc meminiſſe oportet quod ſequitur, ut quævis ſumma etiam in digitos deduci poſſit ſine calculis, aut abaco.

Centum Seſtertii, centum numi, centum Seſtertium, centum numum, 25. denarij, duo aurei coronati, & ſemis, hoc eſt, tres thaleri & unus Denarius.

Ducenti Seſtertii, quinquaginta denarii, quinque aurei coronati, id eſt, ſex thaleri & quadrans. Tanti Romæ vendebatur par columbarum, atque ſinguli pavones. *Varro lib.3. de re Ruſtica,c.7.*

Mille Seſtertii, mille numi, mille Seſtertium, numum, ducenti & quinquaginta denarii, viginti quinque aurei coronati, id eſt, thaleri 31. & thaleri quadrans, hoc eſt, duo denarii. Porro idem ſunt, mille Seſtertium ſeu numum, & Seſtertium unum neutro genere. Item decem millia Seſtertium, & decem Seſtertia, & ſic deinceps.

Quatuor millia Seſtertium numum, mille denarii, ſive quatuor Seſtertia. Centum aurei coronati, thaleri 125. Tantum accepit Roſcius Hiſtrio ſingulis ludorum diebus de publico. *Macrob. lib. 3. Saturn. c. 14.*

Decem millia Seſtertium, ſeu decem Seſtertia, ducenti, quinquaginta aurei coronati. Thaleri trecenti duodecim & ſemis. Tantum Virgilius pro ſingulis verſibus, quibus circa finẽ ſexti Æneidos Marcelli juvenis obitum deſcribit, qui periit anno decimo octavo, valetudini correptus, ab Octavia Marcelli matre & Auguſti ſorore accepit, *Servius in 6. Æn.* Sunt autem verſus illi numero, unus & viginti, pro quibus Virgilius accepit quinque millia, ducentos & quinquaginta aureos coronatos.

Viginti millia Seſtertium, ſive viginti Seſtertia, quingenti aurei coronati. Thaleri 625. Tanti Corvus emptus eſt ab Auguſto, qui Auguſtũ ſublimẽ Actiaca victoria redeuntem, ut inſtitutus erat, ſalutaret, dicens: Ave Cæſar, Victor, Imperator. *Macrob. lib. 2. Satur. cap. 4.*

Triginta millia Seſtertium, numum, ſive triginta Seſtertia. Septingenti, quinquaginta aurei coronati, thaleri nongenti, triginta ſeptem & ſemis.

Quadraginta millia Seſtertium ſive quadraginta Seſtertia, mille aurei coronati. Thaleri mille, ducenti quinquaginta. Tanti emit Plato tres Philolai Pythagorici libros, hoc eſt, decẽ millibus Denariũ. Gellius libro tertio, capite decimoſeptimo: Tantum quoque Lais Corinthia à Demoſthene pro concubitu poposcit: Demoſthenes autem tali petulantiæ

mulie-

mulieris, atque pecuniæ magnitudine ictus, ex pavidusque avertit iter, & discedens, ego, inquit, pœnitere tanti non emo. *Gellius libro primo, cap. 8.*

Quinquaginta millia numûm, sive quinquaginta Sestertia, mille ducenti, quinquaginta aurei coronati. Thaleri mille, quingenti sexaginta duo, & semis. Tanti fuit æstimata Cœna Luculli in Apolline, apud Plutarchũ, in vita Luculli, data Pompeio & Ciceroni. Sexaginta millia Sestertium, sive sexaginta Sestertia, mille, quingenti aurei coronati, thaleri mille, octingenti, septuaginta quinque.

Septuaginta duo millia numûm, sive septuaginta duo Sestertia, mille octingenti aurei coronati. Thaleri bis mille, ducenti quinquaginta, tanti traditum est Aristotelem paucos emisse libros Speusippi Philosophi post mortem eius. Item tria talenta Attica. Talentum sexcentis æstimatur aureis coronatis, de quo postea. *Gell. lib. 3. cap. 17.*

Centum millia Sestertia, sive centum Sestertia, duo millia, quingenti aurei coronati. Aurei Rhenenses seu thaleri, ter mille, centum viginti quinq;. Tanti emptus equus Seianus. *Gellius lib. 3. cap. 9.*

Tantum quoque constituit Vespasianus Imperator Rhetoribus ex fisco. Tranquil. *Sueton. in vita Vespasiani.*

Ducenta millia numûm, sive ducenta Sestertia, quinqua millia aureorum coronatorum. Thalerorum sex millia, ducenti quinquaginta.

Quadringenta millia numum seu quadringenta Sestertia. Decem millia aureorum coronatorum: thalerorum duodecim millia, quingenti. Census equestris sub Cæsare. Totidem Sestertiis in punctũ aleam lusit Nero, id est, denis aureorum coronatorum millibus in singula puncta, non in singulos casus aleæ. *Tranquil. Sueton. in vita Neronis.*

Sexcenta millia numum sive sexcenta Sestertia, quindecim millia thalerorum, septingenti, quinquaginta. Tanti apud *Plinium lib. 10. cap. 51.* Æsopi tragici histrionis patina est taxata.

Octingenta millia numum seu octingenta Sestertia. Viginti millia aureorum coronatorum: vigintiquinq; millia thalerorum, seu aureorum Rhenensium. Census senatorius Romæ ante Augustum, qui auxit.

Mille Sestertia, vigintiquinque millia aureorum coronatorum. Unum & triginta millia thalerorum, ducenti, quinquaginta.

Latini scriptores quod supra mille Sestertia fuit, fere semper per adverbia dixerunt, quod infra, nunquam, ut decies Sestertium dixerunt pro decies centena millia Sestertium, quæ summa centies maior est decem Sestertiis. Decem enim Sestertia sunt decem millia numum. Decies vero Sestertium decies centena millia numum, id est, mille Sestertia, cum enim primum dicerent decies aut centies centena millia Sestertium numorum, postea usus obtinuit, ut compendiose decies aut centies centena millia Sestertium dicerent: poeta autem aliiq; scriptores compendium aliud contrahentes, pro centies subintelligi volentes centena Sestertium.

Decies Sestertium, mille Sestertia. Vigintiquinque millia aureorum. Unum & triginta millia thalerorum, seu aureorum Rhenensium, ducenti quinquaginta: Tantum M. Antonius Triumvir dedit Popilio Lenæ pro capite Ciceronis, hoc est, ducenta quinquaginta millia denariorum, seu drachmarum. *Appianus lib. 4. civilium bellorum.*

Duodecies Sestertium, mille & ducenta Sestertia, triginta millia aureorum coronatorum. Triginta septem millia thalerorum, quingenti. Census senatorius sub Augusto. Iulius Cæsar tanti se redemit à piratis apud Pharmacusam Insulam, hoc est, quinquaginta talentis. *Tranquil. Suetonius in vita Iulii Cæsaris.*

Quindecies Sestertium, triginta septem millia, & quingenti aurei coronati. Quadraginta sex millia thalerorum, octingenti, septuaginta quinque.

Vicies Sestertium quinquaginta millia aureorum coronatorum. Sexaginta duo millia thalerorum quingenti. Tricies Sestertium septuaginta quinque millia aureorum coronatorum. Nonaginta tria millia thalerorum, septingenti, quinquaginta.

Quadragies Sestertium: centum millia aureorum coronatorum. Centum & viginti quinque millia thalerorum. Tantum Nero Imperator post cladem Lugdunensibus dedit. *Tacitus libro Annalium 16.*

Quinquagies Sestertium, centum, viginti quinque millia aureorum coronatorum. Centum quinquaginta sex millia thalerorum, ducenti quinquaginta.

Sexagies Sestertium, centum quinquaginta millia aureorum coronatorum, centum octoginta septem millia thalerorũ, quingenti. Tanti Iulius Cæsar, primo suo consulatu, Serviliæ matri Bruti, qui Cæsarẽ postea occidit, quem ante alias dilexit, unionem seu margaritam mercatus est. *Sueton. Tranquil. in vita Iulii Cæsaris.*

Centies Sestertium, ducenta, quinquaginta millia aureorum coronatorum: Trecenta duodecim millia thalerorum & quingenti. Tanti æstimatus est unio Cleopatræ. *Plin. lib. 9. cap. 35.* Tantũ quoque possedit Virgilius ex liberalitatibus amicorum. Servius, aut quicunque fuit, qui eius vitam scripsit.

Ducenties Sestertium, quingenta millia aureorũ coronatorum. Sexcenta, viginti quinque millia thalerorum. Tantum Æsopus histrio filio reliquit. *Macrobius lib. 3. Saturn. cap. 14.*

Quadringenties Sestertium. Decies centena millia aureorum coronatorum. Duodecies centena, & quinquaginta millia thalerorum. Tanti æstimatus est ornatus Lolliæ Paulinæ Caij Caligulæ principis matronæ. *Plin. lib. 9. cap. 35.*

Sexcenties Sestertium. Quindecies centena millia aureorum coronatorum. Octodecies centena septuaginta quinque millia thalerorum. Tantum Apicius ad omne luxus ingenium mitus inexplebili ingluvie absumpsit. *Martialis lib. 5.*

Dederas Apicibus trecenties ventri,
Sed adhuc supererat centies tibi laxum.

Millies Sestertium. Vincies quinquies centena millia aureorum coronatorum. Semel & tricies centena, & viginti quinque millia thalerorum.

Bis millies Sestertium. Quinquagies centena millia aureorum coronatorum. Bis & sexagies centena & quinquaginta millia thalerorum. Quiritium post Syllam Cassius ditissimus, in agris Sestertiũ bis millies possedit. *Plin. lib. 33. cap. 10.* Budæus enim libro secundo de Asse, bis millies legit, non xx. millia, ut vulgata exemplaria habent.

Ter millies Sestertium septuagies quinquies centena millia aureorum coronatorum. Ter & nonagies centena, & septuaginta quinque millia thalerorum. Tantum sibi paravisse intra quadrennium exprobavit Suillius Senecæ Neronis principatu. *Tacitus libro annalium decimotertio.*

Quater mill es Sestertium centies centena millia aureorum coronatorum. Centies, vicies quinquies centena millia thalerorum. Lentulus augur antequam illum libertini pauperem redderent, quater millies Sestertium suam vidit. *Seneca libro secundo de benef. cap.* 27.

Sexies millies Sestertium centies quinquagies centena millia aureorum coronatorum, centies octuagies septies centena & quinquaginta millia thalerorum.

Decies millies Sestertium. Ducenties, quinquagies centena millia aureorum coronatorum. Trecenties, duodecies centena & quinquaginta millia thalerorum.

Bis & vicies millies Sestertium. Quingenties quinquagies centena millia aureorum coronatorũ. Tantum prodiga Neronis donatione effusum. *Tacitus libro annalium decimoseptimo.*

Vicies septies millies Sestertium. Sexcenties septuagies quinquies centena millia aureorum. Tantam pecuniam Tyberius Imperator coegisse dicitur, quam non toto vertente anno Caligula absumpsit. *Tranquill. Sueton. in vita Caligulæ.*

Quadragies millies Sestertium, millies centena millia aureorum coronatorum. Totidem initio statim principatus sui Vespasianus Imperator opus esse testificatus est, ut Respub. stare possit. *Sueton. in vita Vespasiani.*

De Talento in usu Rom.

Τάλαντον talentum Græcorum fuit. Observandum est autem Romanos non ante talenti vocabulo usos, quam Imperii fines ad eas usque gentes prorogaverunt, quæ hoc vocabulo signati argenti utebantur.

Varium fuit talentum apud antiquos. Cæterum talentum Atticum quod plurimum ab historicis celebratur. Sexaginta minas valuit argenti, hoc est sex millia drachmarum, quæ sexagies denos coronatos valent, hoc est, sexcentos.

Sed notandum duplex Atticis fuisse talentum, parvum, & magnum. Talentum parvum minarum fuit sexaginta, ut dictum est, Magnum octoginta, valuitque aureos coronatos octingentos. Talentum Atticum sexcenti aurei coronati: Septingenti quinquaginta thaleri seu aurei Rhenenses.

Tria talenta, mille octingenti aurei coronati. Bis mille, ducenti, quinquaginta thaleri, Tanti Aristoteles, ut diximus, emit paucos Speusippi Philosophi libros *Gellius lib. cap.* 17.

Decem talenta. Sex millia aureorum coronatorum. Septem millia thalerorum & quingenti.

Tredecim talenta, septem millia octingenti aurei coronati. Novem millia thalerorum, septingenta quinquaginta, Bucephalus equus Alexandri Magni tanti emptus dicitur. *Gellius lib. 5. cap. 2.*

Quindecim talenta, novem millia aureorum coronatorum, undecim millia thalerorum, ducenti quinquaginta. Sunt Demosthenis facultates. Demosthenes in prima contra Aphobum oratione. Viginti talenta duodecim millia aureorum coronatorum.

Quindecim millia thalerorum, Tam Isocrates unam vendidit orationem. *Plinius lib. 7. cap.* 30.

Quinquaginta talenta, triginta millia aureorum coronatorum & quingenti. Totidem Cæsar Iulius ut dictum est, se redemit à piratis apud Pharmacusam Insulam. *Tranquill. Suetonius in vita Cæsarũ.*

Octingenta talenta, quadraginta octo millia aureorum coronatorum, sexaginta millia thalerorum. Tanti Cæsar duas emit tabulas, Medeam & Aiacem Timomachi, in templo veneris genitricis dicaturus. *Plinius lib. 7. cap.* 38.

Centum talenta. Sexaginta millia aureorum coronatorum septuaginta quinque millia thalerorum. Tantum Cleombrotus medicus à Ptolomæo accepit pro servato Antiocho rege. *Plinius lib. 7. cap.* 37.

Tanti quoque licitatus est Attalus rex unam Aristidis Thebani pictoris Tabulam. *Plinius lib. 7. cap.* 38.

Trecenta talenta centena & octingenta millia aureorum coronatorum. Ducenta & viginti quinque millia thalerorum. Tantum Cæsaris ex paterna hæreditate accepit. *Plutarchus in vita Crassi.*

Octingenta, triginta talenta quingenta & quatuor millia aureorum coronatorum. Sexcenta viginti duo millia thaleri, & quingenti: pro totidem fidemisit Crassus pro Cæsare in Provinciam abituro. *Plutarchus in vita Cæsaris.*

Mille talenta. Sexcenta millia aureorum coronatorum, Septingenta, quinquaginta millia thalerorum.

Tela millia talentum. Decies octies centena millia aureorum coronatorum. Bis & vicies centena & quinquaginta millia thalerorum. Tam immensam summam reliquit Demetrius Pompeij libertus, *Plutarchus.*

Septem millia & centum talenta. Bis & quadragies centena millia aureorum coronatorum & sexaginta aurei. Ter & quinquagies centena & viginti quinque millia thalerorum. Tantam summam Crassus, priusquam adversus Parthos exercitum duceret, coegisse traditur, cum etiam decimam facultatum suarum partem Herculi consecrasset & publicum epulum dedisset populo. *Plutarchus in vita Crassi.*

Decem millia talentum. Sexagies centena millia aureorum coronatorum. Septuagies quinquies centena millia thalerorum, tanti funeravit Ephestionem Alexander Magnus. *Plutarchus in vita Alexandri.*

Quadraginta millia talentum. Ducenties quadragies centena millia aureorum coronatorum. Tantum Alexander, captis Susis, præter aliam preciosam suppellectilem ex ærario Darii suscepit. *Plutarchus, & alii qui gesta Alexandri describere.*

Sexaginta quinque millia talentum. Trecenties nonagies centena millia aureorum coronatorum. Tantum Cæsar omnia post bella confecta in ærarium intulit. Appianus.

Centum millia talentum Sexies centies centena millia aureorum coronatorum. Tantum Alexandro mortuo in ipsius Thesauris repertum. *Iustinus lib. 13.*

Ducenta millia talentum. Duodecies centies centena millia aureorum coronatorum. Tantam sum-

ſummam pependit M. Antonio Triumviro Aſia. Sed cum Antonius hanc pecuniam apud Epheſum, ut autor eſt Plutarchus in vita Antonij, per luxum profudiſſet, altera vectigalia Aſiaticis populis imperare inſtituit. Cui Hybreas orator, qui cauſam gentium Aſiaticarum agendam receperat, Si potes ô Antoni, alterum vectigal eodem anno exigere, illud etiam præſtare te æquum eſt, binas ut eodem anno Æſtates, binoſque etiam Autumnos habeamus, Ducenta tibi talentum millia Aſia iam pependit. Hæc tanta pecunia ſi ad te omnis pervenit, & conſumpta eſt, corradenda nobis nimirum & altera, quando ſpes omnis alia præciſa eſt, ſin autem omnis ad te non pervenit, quin eam ab iis repetis, qui à nobis exigendam cogendamque curarunt.

Trecenta millia talentûm, millies octingenties centena millia aureorum coronatorum. Tantum Alexander habuit in annuo vectigal tributo. *Iuſtinus lib.* 13.

Græci mitiadem vocant decem millia, decies ergo centena millia, centum myriadas dicunt, & mille myriadas, centies centena millia. Lais illa Corinthia à Demoſthene, pro concubitu, popoſcit μυρίας δραχμάς, id eſt, decem drachmarum millia, hoc eſt, mille aureos coronatos, ut ſupra dictum eſt. *Gellius lib.* 1. *cap.* 8.

De aurea Moneta Veterum Rom.

AUri rara mentio apud antiquos, argentum hominum ſermone celebratius fuit. Hinc populus Romanus victis gentibus in tributo ſemper argentum imperavit non aurum. *Plinius lib.* 33. *cap.* 3.

Aurei Romani didrachmi fuerunt, id eſt, duas drachmas, hoc eſt, dimidium lotæ, ut vocant, auri pendebant, centum nummis, ſeu XXV. denariis æſtimati, hoc eſt, duobus coronatis & ſemiſſe. Horum quatuor complebant unciam, quæ octo drachmas continet, id eſt, duas lotas. Verum malignitate tẽporum imminuta moneta, factum eſt, ut aurei excuterentur & leviores & viliores, ex quatuor drachmis, id eſt, lota, terni, quorum ſex unciam implerent, vocatique ſunt ſolidi, hoc eſt, integri aurei, nam eo ſeculo etiam minores feriebantur.

Aureus Hungaricus ſimplex qui admodum cum veteri aureo convenit, quantum ad puritatem attinet, pondus habet drachmæ unius. Didrachmalis ergo Romanus aureus binis valebat Ducatis Hungaricis ſimplicibus, aut uno duplici.

Erant & aurei, qui ſtateres appellabantur, quidam Darici, quidam Philippei, quidam Alexandrei, qui mina argenti valebant, hoc eſt, decem aureis coronatis. Stater igitur unus aureus, quaternos aureos Romanos didrachmales valebat. Fuerunt que hi Statetes unciales, cuiuſmodi fere Luſitanici, id eſt, Portugalenſes hodie aurei viſuntur denis coronatis æſtimabiles.

Aurei ducatorum, nobilium Angliæ, Luſitaniæ, & Hungariæ Regum, ad argentum ea eſt fere proportio, quæ eſt, duodecim ad unam, ideo huius auri uncia duodecim fere valet unciis argenti.

Auri Gallici, hoc eſt, coronatorum ea eſt ad argentum proportio, quæ eſt, undecima ad unũ. Huius ergo auri uncia undecim valet unciis argenti.

Auri Rhenenſis ad argentum ea eſt proportio, quæ eſt, novem ad unum. Propterea huius auri uncia novem argenti unciis æſtimatur.

Undecim talenta argenti, unum talentum auri coronatum conficiunt, hoc eſt, ſex millia ſexcentos aureos coronatos. Nam talentum argenti ſexcentis aureis coronatis æſtimatum eſt, quod undecies multiplicatum, iam dictam facit ſummam.

Viginti talentis auri Apelles pinxit Alexandrum fulmen tenentem, digiti videbantur eminere, & fulmen extra tabulam eſſe. In Templo Epheſiæ Dianæ. *Plinius lib.* 35. *cap.* 10. Sunt autem dicta viginti talenta auri, centum, triginta duo millia aureorum coronatorum.

Annulus apud Romanos primo ferreus, poſtea aureus, inſigne erat ordinis equeſtris, ut diſtingueretur à plebe. *Plinius lib.* 33. *cap.* 1.

Ius autem annulorum donare apud antiquos erat id ferme, quod equitem facere dicimus. *Tranquil. Suetonius in Cæſare.* Promiſſumque ius annulorum cum millibus quadringentis fama diſtulit, id eſt, divulgavit. Cenſus autem equeſtris quadringenta millia nummũm, ut dictum eſt. Seu quadringenta Seſtertia. *Idem Sueton. in Vitellio.* Provincia deinde accepta, Aſiaticum manumiſit, ac primo Imperii die aureis donavit annulis ſuper cœnam, cum mane, rogantibus pro eo cunctis deteſtatus eſſet ſeveriſſime talem equeſtris ordinis maculam.

Equites aurati, quos vulgo Ritter appellamus, in equitum Romanorum ſucceſſere locum. Nam ut olim Romani equites aureis annulis à plebe, ſic noſtri iam aureis à reliqua nobilitate calcaribus diſtinguuntur. Lege quæ de his pulchre ſcripſit Vigilius in rubricam de teſtamento militari libri inſtitutionum ſecundo. Triginta argenti, quibus Chriſtus à Iuda proditore divenditus eſt cuius fuerint valoris divinate licebit ex ſecundo Paralipom. cap. 1. ibi enim dicitur quod negotiatores regis Salomonis ex Ægypto ad Regem equos adducebant, ſingulos centum & quinquaginta argenteis emptos. Si ergo æſtimetur argenteus pro tertia parte coronati aurei, proditus fuit Ieſus pro decem coronatis. Atque ita precium unius equi, quinquaginta aurei coronati. Quod autem Livius libro primo ab urbe condita ait, ad equos emendos dena millia æris ex publico data, quæ centum faciunt coronatos, ſi de precio duorum equorum intelligatur, plane omnino convenit cum precio ſingulorum equorum iam dicto. Sed de his alibi: paucis tamen etiam attingemus monetam Hebraicam.

De nummis Hebræorum.

EOrum nomina monetæ erant maxime, Gera, Darkemon, Beka, Siclus, Maneh, & Cicar ſive talentum. Gera herat Sicli pars vigeſima, 6. nummulos Brunſvicenſes ſive Scherfle valens; à verbo agar, id eſt, congregavit ſic dicta, quod multæ ſint inter ſe mixtæ portiunculæ argenti. Darckmon ſive Darckemon eiuſdem eſt cum drachma originis & valoris. Ac talis nummus fuit argenteus vel aureus. Argenteus valuit 5. geras ſive 30. nummulos Brunſ. Aureus unum florenum, ſive 47. cruciferos. Vocabatur quoque Adarkon & Zura; & valebat 4. partem Sicli. Beka à verbo Baka, id eſt, in duas partes diſſecit, quod eſſet didrachmum, ſive dimidia pars

Sicli: valuit præcise 17. cruciferos & unum obulum. Siclus fuit quasi omnium ponderum modus ac velut regula, à Sachal, quod est libravit, dictus, eo, quod olim pecunia librabatur, sicut hodie numeratur. Coincidit fere cum eo, qui Græcis Stater dicitur. Ideoque Siclus profanus sive vulgaris Iudæorum est, quod nobis, 4. pars thaleri, aut 9. grossi Mariani, sive Martengroschen. Siclus autem templi sive sanctuarii idem fuit, quod semuncia ein Loth Silbers/ id est, dimidia pars thaleri. Habuit enim Siclus Iudaicus pondus 384. granorum hordeaceorum. Siclo cognata est vox Kesseph sic dicta à verbo Kasaph, id est, desideravit, quod omnium hominum desiderium in pecunia depositum sit, unde quoque omni argento hoc nomen attributum invenitur. Maneh à Manah duplex est, Minor & Maior. Minor 30. Siclos, Maior 60. Siclos continet.

Cicar vero vel Kickar alias talentum Hebræis, nobis ein Centner/ triplex est, vulgare, Regium, & sanctuarii sive templi. Talentum sanctuarii duplo maior est talento vulgari. In auro talentum templi conficit 12000. floren. aur. Hungarico. um. In argento, 1500. Imperial. thaleros. Talentum regium fuit 90. minarum Atticarum, id est, 125. thalerorũ. Sed talentum vulgare fuit apud Hebræos duplex. Nam quum subinde novæ gentes discederent in Palæstinam, erat etiam ponderis variatio. Ideoque vulgare talentum minus est talenti sacri dimidium, & constat 60. minis Atticis, id est, in auro 6000. flor. Hungar. aur. in Argento autem conficit 750. thaleros. Sed talentum vulgare maius, est Talenti sacri dextans, constat in argento 1150. thaleros Imp. In auro 10000. flor. aur. Hungaricos. Sic David 1. Paralip. c. 11. & 20. reliquit filio Salomoni ad impensas Domus Domini auri talenta centum millia. Quæ summa facit bis mille centum quadraginta duos milliones, octingenta quinquaginta septem millia, centum quadraginta duos florenos cum sex septimis. Si vero iste numerus in ciffris notetur, ita se habet. 21428571 $\frac{6}{7}$. sed regeramus nos ad nomina aliarum gentium, ubi inprimis se Germania nostra offert.

Nomina Monetarum Germanica.

NOmina pecuniæ in Germania sunt varia eaque non ubique eadem. Alia enim est moneta Sueviæ, alia Saxoniæ, alia alibi. Suevi & Bavari moneta nigra, Austriaci & Salisburgenses, alba utuntur. In Austria usitata sunt hæc, Heller/ Pfenning/ dreyHeller/ Creutzer/ Böhmisch/ Plappert/ Batz/ Schilling/ zehen Creutzer/ Floren/ Thaler/ Krone. Heller sive Haller/ est moneta minima, sic dicta quasi ein halber/ id est, dimidius nummulus: & hinc Helbling & Helbing alibi. Quidam Hallensem vocant quod apud Hallam Sueviæ primum signatus sit.

Latinis est sextans assis, vulgus obolum vocant. Κατακεντικῶς Græcę monetæ nomine, cum apud Græcos plus valeat. Quod vero uncia thaleri est $4\frac{1}{8}$. Cruciferi ὡς ἔνιοι oboli pondus habet alii semidenarium. G. Agricola nummulum simplum seu minusculũ Saxones ein Scharff vel Scherffling quod ex assation deductum videtur Græcis sic dicto, quasi assiculum. As enim Romanis fuit minima pecunia. Ἀναλογικῶς igitur nostro hallero respondet. Huius fit mentio Matth. 10. Nonne duo passercouli assario veneũt, valet $\frac{1}{320}$ floreni. Nã 420. halleri florenũ Rhenensem faciunt. Differt igitur ab helbingo, & hallero Misnensi, Vienensi, Brisgoico, Francofurtensi, Moguntino: quem Bingerheller vocant. Valor singulorum ex valore nummuli, cuius est dimidium, de quo postea, cognosci potest.

Lunæburgi æreus est. Parvus autem cum sit, superficiem habet ut plurimum non planam sed concavam, ut facilius retineri, & numerari possit. Olim manuati oboli, dicti Händleinsheller/ in usu fuerunt, sic formati, ut homines sui iuramenti & fidei manu stipulata datæ admonerent. Tales cusi feruntur à Rodolpho Imper. cui manus ad Mersburgum in prælio amputata fuit.

Pfenning/ Peninga, à Latino Pecuniæ nomen habet: significat autem & in genere & in specie, in genere omnem monetam, ut cum dicitur, Dickpfenning/ crassæ penningæ pro capitaris thaleris. In specie monetam, quæ duos thaleros valet: unde G. Agricola nummulum duplum seu maiusculum vocat. Latinis est triens, vulgus simpliciter nummũ & nummulum vocat: & quidam κατακεντικῶς etiam denarium, unde & notatur littera Germanica Pfenning. Cum Denarii apud Latinos longe alius sit valor.

Denarius enim Latinis valet $\frac{30}{210}$ Penninga autẽ nobis in Suevia & Bavaria $2\frac{1}{10}$. floreni. Argentinenses vero florenum dividunt in Penningas 120. Helvetii in 150. Wirtenbergici, & Würtzburgici in 168. Constantienses, Hallenses in 180. Austriaci & S. Gallani in 240. Francofurtenses in 216. Misnienses & Franci in 252. Tirolenses in 300.

Differt autem ab albo nummo, quo Rheni accolæ utuntur ein Weißpfenning/ dicto, qui nummulis nostris octo valet. Album autem vocant quod constet ex albo argento: Cum reliqui sunt ærei, itaque rubri. Planis alii utuntur: ut & Bavari, & Palatini. Concavis utuntur Saxones: unde & Schißlerpfenning/ id est, repandi vel scutellari vocantur: qui nummulis Bavaris paulo minores sunt. Quatuor enim Crucifero valent.

Dreyheller/ nummus trium hallerorum, Latinis Semissis. Quibusdam assarion. Hoc enim nomine quidam integrum sed dimidium assem intelligunt. Appellatur nunc vulgo & Spackeler: alibi Putschandl à similitudine scindulæ, qua domus tegitur.

Creutzer à Cruce denominatus, cuius typum in quibusdã nummis impressum gerit, valet tres nummulos nostros cum Semisse: sive septem halleros. Græce σταυρόφορος Latine Crucifer, Cruciger, Cruciatus. Fuit vero crucis signum olim non tantum in nummo parvo sed & plerisque aliis, tam magnis quam parvis. Primus eius Characteris autor fuit Constantinus Magnus, qui religionem Christianam, quam depolita Ethnica susceperat, non tantum nummis, sed & labaro Clypeoque & Galeæ suæ insculpsit.

Böhmisch/ sic dictus à Bohemia, ubi primum percussus fuit, quasi Bohemicus. Valet octo Bavaricis nummulis, ideoque albo Moguntio æqualis: & fere Sestertio Romano par. In urbe S. Galli facit 12. nummulos.

Blappert,

Blappert à Plapf & Hart/ id eſt, à duritie in ſonando cum cadit, nomen habet. Valet apud noſtros Cruciatos, ſive nummulos decem cum ſemiſſe, unde & Dreykreutzerer dicitur. Latinis Seſtertius cum aſſe.

Eſt autem Bacius Helvetius, ſic dictus à Betz/ diminutivo à Beer Germanico quod urſum ſignificat: Cuius typum gerit: olim Bernam vocarunt: quod cum Bernenſes primum percuſſerint. Nunc urſatum vocant. Valet halblingos duodecim: & ſic as Helveticus. cuius partium nomenclatura hæc eſt.

Uncia una. Ein Helbling. Sextans 2. Helb. Hunc Helvetij & Corvum, ein Rapp/ à typo impreſſo & Angſter vocant. Quadrans 3. Heller. Triens 4. Hell. ſemis vel ſemiſſis 6. Heller/ ein halber Blappert/ alias ein Sechſter. Septunx ſeptem Hell. Bes, octo, ein Doppeltvierer id eſt, duplicatus triens. Dodrans, novem. Dextans 10. Deunx 11.

Miſnenſem groſſum vocant, ein Groſchen/ à Craſſitudine. Germanis ein Dicker Pfenning. Cumque duodecim nummulis ipſorum valeat, etiam duodenarius & ſolidus dicitur, ein Schilling. Dimidius, ein halber Groſchen/ oder Schwertgroſchen/ quadrans ein Dreyer/ ſive Dreypfenning Görſchle/ percuſſus à Landtgravio Thüringiæ & Haſſiæ, vocatur ein Gurck.

Bacius eſt urſatus Imperialis ab urſulo, quẽ Beer Germani vocant, καταχρηστικῶς ſic dictus, noſter enim Bacius typo urſi caret. Latinis quatuor aſſes cum beſſe. Valet 14. nummulos noſtrates, ſive quatuor cruciferos. Vocant & bacum, & batzonem, & pacenum.

Schilling eſt nummus fictitius, ſic dictus vel à voce Sicilus, cuius diminutivum eſt Sicilicus: vel à nomine ſolidus, quod verſimilius eſt. Suevis ſunt 30. nummuli. Septem enim ſolidi noſtratem florenum, qui ſeptuageſſis eſt, conſtituunt. Latinis Denarius, Græcis drachma, Colonienſes ſolidum vocant ſex marchas, id eſt, dimidium Cruciferum.

Albi huius vocis alia eſt ſignificatio. Saxones enim & Miſnenſes Schilling vocant duodenam rerum quarumcunque, ut nummulorum, groſſorum, ovorum, caſeorum, nucum, pyrorum, faſciculorum ex ſtramine. Miſnenſes igitur hunc etiam groſſum vocant. Alii ſolidum vocant ſex nummulos: ſeu halleros 12. in locis plurimis, ut Ulmæ, Pragæ, Tübingæ, in Pruſſia, eſt igitur as Germanorum, Romano Analogicus.

Zehen Creutzer/ eſt nummus 10. Cruciferos valens. Italis Leoninus, vel Caput Monachi à typo. Miſnenſibus Schreckenberger/ à loco, in quo primũ percuſſus fuit, Schreckenberga olim, nunc Annæberga appellato. A typo & Angelicus vocatur. Sex valent floreno Rhenano.

Floren/ decurtatum à Florengergülden: unde & Florenus Latine & Germanice Gülden/ id eſt, aureus appellatur. Aureus enim primum Florentiæ cuius eſt, cum ſigno floris lilij una: Iohannis Baptiſtę altera parte. Olim frequens: nunc rariſſimus, taxatus Spiræ 25. baciis in quæſtione reluitionis. Hodie argenteus in maximo uſu eſt. Cuius valor varius eſt; olim aureo Rhenenſi (quidicto Cæſareo 72. Cruciferi. valuit) par: hodie multo inferior. Suevis ut & Bavaris, & vicinis aliis eſt Septuageſſis, conſtans ſeptuaginta aſſibus, Cruciatis 60. Plappardis 20. Baciis 15. Baſilienſis florenus Suevicę quem Rhenenſem vocant, minor eſt: facit enim nummulos Suevicos 182. hoc eſt, Bacios Imperiales tredecim.

Aureus vero Rhenenſis apud nos valuit paucis abhinc annis Cruciferos 75. Plappardos 25. Bacios 18¾. Nunc Cr. 86. Baſileæ Bacios 25. Hunc vulgus vocat Goltgülden quaſi alter ſit Silbergülden.

Floreni igitur argentei as ſunt Cr. 60. Deunx 55. Dextans 50. Dodrans 45. Bes 40. Septunx 35. Semiſſis 30. Quincunx 25. Triens 20. Quadrans 15. Sextans 10. Uncia 5. Semuncia 2½. Duella unum Cr. cum Beſſe. Sicilius Cr. 1¼. Sextula Cr. ⅝. Drachma unum ⅞. Semiſextula 1 11/16.

Thaler/ decurtatum à Joachimsthaler unde & Ioachimicus Latine, & Thaler/ id eſt, vallenſis appellatur. Primum enim in valle Ioachimica ubi divites argenti fodinæ ſunt, cuſus per Sliconescomites in Bohemia circa annum 1520. una parte Ioachimum Abbatem, cum inſignibus Schlickenſibus: altera Leonem Bohemicum præferens: quos deinde principes Germaniæ & reges plerique ſunt imitati.

Galli Iocondalem quaſi Suavem, per Paranomaſiam vocant. Olim vocatus ein Goltgülden. Excudi ſolet cum inſcriptione Crucif. 72. quot valet. Exponitur vulgo pro noſtris nummulis 252. pro Miſnenſibus 288. pro Argentinenſibus 144. & ſic deinceps proximis annis, quibus aut auri, ſic & argenti precium auctum eſt: floreni & thaleri valor quoque accrevit. Ille enim 16. hic 19. Baciis iam æſtimatur: precium vero in monetis idem manet. Nomina partium thaleri in cruciferis ex partibus aſſis ſunt hæc.

Thaleri as ſunt Crucif. 72. Deunx 66. Dextans 60. Dodrans 54. Bes 48. Septunx 42. Semiſſis 36. Quincunx 30. Triens 24. Quadrans 18. Sextans 12. uncia 6. Semuncia 3. Duella 2. Sicilius 1½. Sextula 1. Drachma ¾. Semiſextula ½. Scrupulus ¼. Obolus ⅛. id eſt, fere hallerus.

Crone/ Coronatus aureus noſtris eſt fictitius, habens Bacios 22½. Plappardos 30. Cruciferos 90. olim enim Coronati Burgundici, Belgici, Anglici, Gallici precium fuit 90. Cr. taxatum vero edicto Cæſareo 89. Cruciferis.

In aliis locis alia ſunt nomina, ut morchus, Fünffer/ Pfundt/ Schock/ Marck. Morchus moneta Colonienſis valet 13. unius oboli. Duodecim enim morchi Crucifero valent.

Fünffer/ Quinarius, Norimbergæ ſunt quinque nummuli. Quatuor quinarii in Miſnia groſſum valent. Norimbergæ vero quinquaginta cum duobus nummulis florenum, tot nummis conſtantem, quot in Miſnia & Francia.

Pfundt/ eſt libra, moneta fictitia, eaque varii valoris. Libra Norimbergæ valet triginta nummulos. Octo enim libræ cum 12. num. florenum faciunt.

In Würtenbergico ducatu libella obolorum valet Cr. 42½. Septem enim libellæ quinque florenis reſpondent.

Ius Saxonum libellam vocat viginti ſolidos, id eſt, nummulos 240. Totidem valet Libra & Ratisbonæ & Salisburgę & Moguntiæ, Moguntini libellam

lam nummulorum vocant. Libella enim obolorum 120. numulos facit. Olim vero libella obolorum unum aureum valuit.

Baſilea valet bacios duodecim,
Nunc in Miſnia valet 30. groſſos.

Schock eſt nomen derivatum à ſex, ſive ſexagena. Significat autem vel proprie vel improprie. Proprie ſexagenam ſignificat non tantum nummulorum, ſed & rerum aliarum quarumcunque: ut **Schilling** duodenam: **Mandel**/ quindenam: **Stige**/ vigenam.

Et ſic in Bohemia recens **Schock** valet 60. groſſulos, quorum ſinguli nummulos ſeptem faciunt. Vetus **Schock**/ valet 60. Bohemicos, quorum 24. florenum faciunt. Improprie vetus in Miſnia valet 20. groſſos, & ſic fere florenum. Novum fere propie 60. groſſos valet, & ſic tres circiter florenos.

Marck/ marca, ut & **Pfundt**/ non eſt genus percuſſæ monetæ, (ut nec mina, nec talentum apud Græcos & Hebræos) ſed nomen ponderis, quod certis numiſmatis pro valore auri & argenti vario nunc pluribus, nunc paucioribus exſolvi ſolet. Eſt autem duplex: alia Suevica, alia Colonienſis. Suevica maior quam Colonienſis eſt dimidia drachma: & utraque iterum duplex: alia argenti, alia auri. Marca argenti monetaria Colonienſis edicto Cæſareo valet florenos $10\frac{1}{2}$. & paulo plus. Nunc ab aurificibus venditur fl. $11\frac{1}{4}$. Dividi autem ſolet dupliciter, primum in ſemiſſes & quadrantes ſemiſſis, ein halb **Marck**/ valet nunc florenos quinque cum quinque octavis. Quadrans, ein **Vierling** vel **Vierding**: Barbare Forte, & Fortunũ: & Fortus unde textorũ **Fortel** nomen habet, quod quatuor Semuncias ſive lotones continet, valet nunc flor. $2\frac{5}{8}$.

Deinde eadem dividi ſolet in 16. lotones: duo lotones in tres charactos: unus loto in quatuor quintulas: quintula in quatuor nummulos eius valoris, quem ſingulæ provinciæ habent: valebit igitur nunc unus loto Cr. $42\frac{7}{12}$. duo lotones cruciferos $84\frac{5}{6}$ id eſt, unum florenum viginti quatuor cruciferos cum $\frac{7}{8}$. unus charactus Cr. $25\frac{5}{8}$. una quintula Cr. 10. fere cum ſemiſſe: unus nummus fere Cr. $2\frac{5}{8}$.

Lubeccenſis Marca, moneta argentea, quam **Lübiſchmarckſtück** vocant, ex ordinatione monetaria Caroli V. valet Cr. 46.

Marca auri Rhenenſis $71\frac{1}{3}$. ſive florenos $85\frac{1}{2}$. nunc flor. $102\frac{3}{8}$. Marca auri Hungarici Ducatos 68. ſive florenos $109\frac{4}{17}$. nunc flor. 136. Marca auri Gallici coronatos 70. ſive fl. $103\frac{5}{8}$. nunc fl. 119.

Dividi autem ſolet in lotones 16. vel charactos 24. (qui grana 96. & granula 288. conſtituunt) unus loto facit charactum $1\frac{1}{2}$. unus charactus gr. 4. unum granum tria granula, quæ gran vocant. Valebit igitur nunc unus loto auri Rhenenſis fl. $6\frac{7}{8}$. auri Hungarici $8\frac{1}{2}$. auri Gallici fl. $7\frac{7}{8}$. charactus auri Rhenenſis fl. $4\frac{8}{21}$. auti Hungarici flor. $5\frac{7}{17}$. auri Gallici fl. $4\frac{7}{24}$. Granum unum auri Rhenenſis fl. $\frac{6}{35}$. auri Hungarici $1\frac{1}{8}$. auri Gallici $1\frac{5}{96}$. granulum auri Rhenenſis Cr. fere 24. auri Hungarici Cr. $42\frac{1}{2}$. auri Gallici Cr. $31\frac{6}{15}$.

Quamvis in Imperio Romano Germanico ſuper monetam univerſales conſtitutiones ſatis firmæ habeantur, cum ſuis valvationibus iuſtis, præſertim quæ bonitas intrinſeca in mixtis mixtionibus monetis eſſe debeat; tamen factum eſt, ut ingentes corruptiones ab avaris æruſcatoribus aliquoties introductæ fuerint: In primis id accidit circa annum 1618. ut admodum exceſſive minutiores pecuniæ formæ adulterationes paſſę ſint ſuas. Quippe inveniebantur homines etiam inter regentes, qui contra leges publicas Imperii non vererentur hunc in cudenda moneta introducere abuſum, ut non tantum montanas officinas contra conſtitutiones apertas de annis 1524. 1551. 1559. 1570. &c. in ditionibus ſuis numero ſatis amplo exaugerent, ſed etiam depeculatoribus elocarent pernicioſiſſimis. Unde ita excrevit malum ut plane epidemicum efficeretur, quod per aliquot annos in flagellatione hac turpi ita excreſcebat, ut inde ſimul in aliquot civitatibus præſertim Saxoniæ ſeditiones cruentæ exſurgerent, veluti Halæ, Stetini & Magdeburgi id accidebat, præcipue in Magdeburgo vis exercitabatur violentior ex ipſa Magiſtratus culpa, quum non puderet hunc molas ſuas tantæ turpitudini ſubmittere, ut in maiori copia & abundantia quaſi ex equo Troiano perniciem hanc in ſubditos ſuos effunderent.

Erant hinc groſſi ita ex mero cupro laminati, ut vix ſpuma argenti illinuentur, & aquis impoſiti ob levitatem innatare poſſent. Quæ res perfida in tam horrendo abuſu regalium adeo momordit populũ, ut plenis armis concurrere viderentur, & primitus expoliarent æruſcatorum talium, quos Kipperos vocitabant, ædeſque expugnarent, deinde concurſus in curiam dirigeretur, ac niſi ipſe tunc Conſules & Senatores, ad anxiam eorum petitionem, ex interpoſitione intra ſenatum & populum, ſalvaſſem, non ſine vitæ periculo, certe furori plebis primores omnes ſuccubuiſſent expoſiti. Ita perclitabantur omnes de vita, qui conſcii tanti facinoris putabantur, & notati erant hoc crimine commaculati.

Pudet certe plura heic recenſere, quæ tunc in maligno iſto avaritiæ curſu committebantur à capitibus rerum. Atque illud mirum adeo accidit, quod nec in tot publicis conſiliis, ſuper hac confuſione, frequentiſſime habitis, cœci tam pernicioſiſſimum damnum ſentire valerent, licet ipſe paſſim tunc id demonſtrarem rationibus ſubluculentis, quis exitus perniciei tandem inde emerſurus eſſet.

Sic & in conventu Hanſeatico ea de re damnoſiſſima deliberationes variæ habebantur, & quis modus huic malo in ſiſtendo rabiem poſſet inveniri. Inter omnes civitates id laudis auferebant Bremenſes, quod in ſua ditione nullam admiſiſſent corruptelam. Inde tandem quoque Magdeburgenſibus auctor extiti, ut plane abrogarent adulterinam monetam, & in priſtinum ſtatum eandem redigerent; quod conſilium ita feliciter ſucceſſit, ut vicini principes quidem ſequerentur hanc reductionem; attamen Lubeccenſes & Hamburgenſes, quum deprehendiſſent, quod commodior correſpondentia eſſet futura, ſi cum Hollandis æquivalentiam inſtituerent; Ideoque thalerum in valore ſuo qui antea duarum fuerat marcarum, id eſt, 32. Schillingorum, fecerunt trium marcarum, id eſt, 48. Schillingorũ. Quippe Hollandis Thalerus valet 50. ſtuveros, & 2. thaleri iſdem conficiunt 5. florenos ſtuverorum.

Tanta igitur inde differentia monetæ inter has civitates & reliquas ad mare Balthicum exorta eſt,

atque

atque alios vicinos locos, ut adhuc ea conformitas in istis locis vigeat. Quantam vero invidiam ob hanc fidelitatem & præstita benefacta pro gratiarum actione mihi apud proceres Magdeb. concitarim, non facile dicam. Quum inter alia malevolentiæ facinora nil aliud possent, ex curia mihi pridie antequam reductionem probioris monetæ instituere cogerentur, corruptissimæ monetæ summam anno 1623. in ædes miserunt, quam tamen in Imperialibus thaleris ipsis ante aliquot annos mutuo dederam, ut ex 1500. thal. mihi vix 180. iuxta bonitatem intrinsecam resolverent. Tanta erat illorum indignantia, qui corruptionis huius extiterant promotores, ut etiam alias non ultimi periculi persecutiones supponerent.

Sed prodromum tam pernicioſi damni hunc mox funestus belli furor diuturni non solum excepit; sed etiam postea, quũ Rex Sueciæ se anno 1629. hisce tumultibus quoque ingereret, ferme duriorem sortem in corruptione monetæ Germania tota subiisset. Quippe Rex ille, ut notorie constat, 28000. Lastas cupreæ monetæ cudi in suo regno curarat, quibus Germaniam opplere, & opibus suis expugnare studuerat, si vitę prorogatio eousque ipsi obigisset. Adhuc in vivis sunt mercatores, apud civitates, ad quos in mira & obstupescenda copia tale adulterinum genus numismatis erat transmissum. Unde in commercio cupri ex eventu adverso non leve damnum sunt passi negotiatores, de quo gravissimas iniquitatis summæ audivimus querelas, quum impensarum restitutionem compotes facti istius urgerent. Didicerat artificium hoc ex Magni Chami inventione, qui, ut subditos tot regnorum penitus suis opibus & divitiis in auro & argento, preciositatibusque gemmarum exuat, inque suum transferat ærarium, ex corticibus betularum corylorumque gluten compactum confici & in orbiculas deduci curat, cui valorem, quanti æstimari pro nutu debeat, imprimi iubet, quod nemo recusare audet sub pœna vitæ. Unde nõ solum ditissimus omnium terræ universæ Monarcharum audit; sed etiam subditos ipse pro lubitu & divites & pauperes uno quasi momento reddère valet.

Sed revertimur ad monetam nostram, quę mixtæ est materiæ in minutiori forma pro usu cotidiano, ex cuius ratione mentionem supra fecimus Marcarum, quum Thalerus potissimum in civitatibus ad mare Balticum in eas resolvatur. Ubi illud notandum est inprimis, quod in triplici differentia maxime Marca habeatur. Etenim Marca probioris monetæ, idem determinat, quod dimidium thaleri. Deinde ubi thaleri valor reductus est ad 3. Marcas, ibi conficiunt 16. Schillingij leviorismonetæ Marcam: Demum sunt Marcæ Danicæ, 8. constantes Schillingijs. Sic & differẽtia est inter solidos thaleros Imperiales, & thaleros, quas dicunt mercatorios, quũ illi 3. constent marcis, isti vero saltem binis & uno Schillingio, id est, 33. Schill. quod sedulo observãdum est iis, qui illic locorum commercia exercere velint sua, quum alias facile circumveniri queant. Ubi prioris monetæ ratio viget, ibi 32. Schillingii unum conficiunt solidum Imperialem, velut Lunæburgi fit. Sic & 24. grossi Misnici in Electoratu & ferme passim per superioris Saxoniæ & Francicum circulum, unum solidum Imperialem thalerum determinant. In ducatu autem Brunsvicensi 36. grossi Mariani, sive 72. Mattyrii id præstant; sicut & Gratii Bremenses huc optime quadrant, quorum itidem 72. solidum Imperialem exprimunt, quod apud Hollandos 50. Stuverii præstant; ac quisque Stuverius 12. Deutianos ex puro cupro continet, qui ibi obulum denotant, sicut apud Bremenses sunt Sivarii, ut nominis expressio varietur quidem, attamen mixtura quædam argenti subsit. Sed quoque nunc ulterius vicina regna in hoc dispiciemus paululum.

Nomina monetarum Italica moderna.

ROmæ nunc usitata sunt: quatrinus, baiochus, Iulius, grossus, scutum. Quatrinus, German. ein Pfenet/ Italis Katrin, est vetus quadrans: sive teruncius fere valens $\frac{1}{2\frac{1}{2}}$. nummuli nostratis. Nam 375. quatrini unum florenum faciunt. Quadrinus igitur quasi quadrans dictus.

Baiochus est quam-maxime vetus as valens quinos quatrinos, sive nummulos $2\frac{4}{5}$.

Iulius est ὡς ἔγγιστα vetus Denarius, valens baiochos decem, sive nummulos 28. sive cruciferos octo. Semiuncius est grossus, par bacio.

Scutum, quod & scutatum & ducatum vocant, à duce scutato, id est, armato, cuius typum gerit. Est autem duplex, aliud argenti, aliud auri. Scutum argenti valet decem Iulios, sive octoginta cruciferos, ein Silber Krone/ exponi autem solet pro Cr. 84. sive 21. baciis. Scutum auri frequenter solet Iuliis duodecim æstimari: numerum vero 12. Iuliorum nunc augent Semi Iulio, valet igitur nunc Cr. 100. sive bacios 25. ein Golt Krone. Venetiis usitata sunt Pagatinus, Quadraginus, Solidus, Grossus, Marcellus, Libra, Ducatus, Zikinus. Ex aureis vero in tota Italia Pistoletus.

Pagatinus est uncia vetus, sive Semiobolus, ut olim, sic & nunc, moneta minima ærea, sic dicta à solvendo, quasi idonea ad mercenariam operam & res levissimas compensandas. Paga enim Italis merces est: & pagare solvere.

Quatrinus est triens vetus, moneta ærea, maior Romano quatrino, valẽs $7\frac{1}{2}$. nummuli. Nam $4\frac{1}{2}$. quatrini unum cruciferum & 270. Suevicum florenum faciunt. Nam æreorum istorum nummorum usus obsoleſcere cæpit.

Solidus, Venetis Scholo/ Germ. ein Schilling olim valuit tres quatrinos sive nummulos $2\frac{1}{2}$. Sex enim expositi pro quatuor cruciferis & 90. pro cru. 60. Nunc bes vetus est, valens nummos $2\frac{1}{10}$. Nam 30. solidi cruc. 18. faciunt.

Grossus constat octo solidis, sive nummulis nostris $16\frac{2}{3}$. Fere igitur quinque cruciferis.

Marcellus, sic dictus quasi parvus Marcus à typo Marci, quem habet. Est autem multiplex. Valet enim sex, octo, 12. 16. cruciferos. Mocenicum vocant eum, qui valet 16. Cr.

Libra Veneta valet viginti solidis, nummulis 42. sive tribus baciis. Iustina est Libra duplicata, id est, sex bacii, ἰατρικὸν commune medicorum in Italia.

Ducatus à duce sic dictus, quod à ducibus Venetis & Genuensibus primum percussum sit. Constat solidis

solidis 124. sive grossis 24. id est, cruciferis 75. Par igitur thaleto, ut nunc valet, centum viginti quatuor floreni, faciunt 100. Ducatos.

Zekinus est ducatus aureus Venetus, sic dictus à Zecca, quod officinam monetariam notat, valens hoc tempore duos florenos : æqualis Hungarico. Venetiis valet bacios triginta duos.

Pistoletus sic dictus à typo, quem continet quasi ficatus, sive gladiatus à Pistolese, quod ficam significat, est coronatus aureus, Italicus, Hispanicus, Sabaudicus, Burgundicus: valens libellis Venetis octo, sive baciis 24. Basileæ 28.

Nomina Gallica moderna moneta.

NUmmi Gallici sunt denarius, Caroleus, solidus, grossus, testo, Francus, Libra, Marca, Coronatus, Nobilis Henrici.

Denarius Atrebatensium nummus aureus, facit $\frac{1}{8}$. nummuli, paulo minor quatrino Veneto & Romano maior. Hic semidenarius, qui nobis est semiobolus.

Denarius Turonicus sunt $\frac{7}{10}$. nummuli. Quinque enim valent uno crucifero. Fere par igitur quatrino Veneto.

Caroleus nummus valet decem denariolis Turonicis, id est, duobus cruciferis. Vocatur & Blancus, ein Blanck/ab argentea albedine, quam habet: non habet vero denarius. Blanck enim album Galli vocant: weiß Germani: Triginta blanci florenum faciunt.

Solidus, Gallis Soulz/ semiargenteus minor duplex est: Communis & Turonicus: Communis valet sesquicrucifero, id est, nummulis $5\frac{1}{4}$. sive fere stuvero Belgico.

Solidus Turonicus, Gallis Tornos. Germanis Turnose. valet 12. denariolis Turonicis : unde & duodenarius dicitur, vulgus Gallorum dussenam, quasi ein Dutzet/ vocant, valet Suevicos nummulos octo cum duabus quintis, sive octo nummulos fere cum semisse.

Grossus Parisiensis valet tres blancos, sive sex cruciatos. Tantidem valet grossus Argentinensis, vulgo Schilling/Groschen.

Testo Capitatus, sic dictus à capite seu vultu principis, cuius typum impressum habet. Testam enim Itali & Galli caput vocant. Duplex est, Gallicus & Lotharingicus, Gallicus valet cruciferos 14. Lotharingicus valet 20. Cr.

Francus est hodie nummus argenteus olim aureus, sic dictus, quia Francis peculiaris. Cuius valor varius est. Tempore Henrici III. libræ Turonicæ & Franci idem erant. Qui nunc vulgo habetur, exponitur pro octo baciis. Quinque enim Franci valent duobus Philippeis thaleris.

Libra Turonica facit viginti solidos Turonicos, sive. Cr. 48. sive denariolos Turonicos 240. Est autem nummus fictitius, qui non extat, sed aliis monetis permutatur.

Marca argenti Budæi tempore Francis undecim : auri Francis centum triginta duobus æstimabatur. Marca argenti vascularii duodecim libris, auri centum quadraginta quatuor. Diversitatem precii facit temperaturæ varietas in argento vasculario & monetario. Nuper argenti monetarii precium indictum est à Rege Galliæ libris Turonicis, viginti & quatuor solidis: vascularium ab ipsis aurificibus viginti duabus libris venditur.

CORONATUS est aureus nummus proprie in Gallia; sic dictus à corona, cuius typum habet. Est autem duplex communis & solatus. Communis pendet grana Romana 62. qui Budæi tempore æstimatus est solidis Turoneis triginta quinque: commutatur vero solidis triginta octo. Solatus pendet grana Romana 63. qui Budæi tempore æstimabatur solidis Turonicis triginta sex cum semisse: commutabatur vero solidis quadraginta. Solatus dicitur, non ut vulgo à sole, sed à solido. Est enim solidus aureus. Heuterus Lilium Gallicum vocat. Huius valor procedente tempore gradatim auctus est, ut æstimaretur 54. 60. 65. solidis: nunc tandem commutatur solidis 68. sive Cr. 102. Addi solet interdum dimidius bacius, ut exponatur pro 26. baciis. Basileæ valet duos florenos: edicto Cæsareo in Comitiis Augustanis A. D. 1551. æstimatus est 89. Cruciferis, sive baciis $22\frac{1}{2}$.

Nobilis Henrici nummus est aureus Gallis peculiaris, Henricorum nomina præferens, ultimo Regis edicto taxatus solidis Turonicis centum triginta quinque, id est, florenis nostris quinque fere cum semisse.

Galli mensarios, qui permutandis pecuniis occupantur, à scamnis, quibus ad mensas assident, *les banquiers*, quasi *bankirer* vocant : unde *banque routte*, scamnum ruptum, phrasis etiã ad Germanos trãslata, qui *bankerotten* vocant, fortunis suis everti, & mercaturam deserere.

NOMINA BELGICA.

NOmina Belgica sunt Meitle/ Kort, Negemeniken, ortgen, grossus, Stüber/ Schilling/ Gülden/ Thaler/ Pfundt/ Postulat.

Meitle/ mita vulgo, Deut corruptum ex latino minutulum, moneta est plumbea, eaque minima valens $\frac{1}{32}$. unius nummuli, sive quartam partem illius fere. Quatuor igitur mitæ unum nummulum constituunt.

Kort, quatrinus, constat ex duabus mitis, valens $\frac{1}{16}$. nostri nummuli. Exponitur in parva summa pro una hallero.

Negemeniken, valet tribus mitis, sive $\frac{3}{32}$. nummuli.

Ortgen constat ex duobus Negemenicis, valens nummulo $\frac{1}{8}$. par igitur fere tribus halleris.

Grossus valet duobus ortgenis, sive tribus fere nummulis. Assi igitur Romano respondet semissis stuferi.

Stüber/latine Sestertius, unde vox corrupta videtur, vulgo stuferus. Eius valor varius est, ex decreto Caroli V. viginti octo stuferi flor. faciunt & sic unus stuferus Belgicus nummulos nostros novem. Stufero Gallico duodecim denarios Atrebatensium tribuunt, & sic valet nummulis septem cum semisse, & Sestertio veteri Romanorum præcise respondet. Nunc vulgo valet mitas 24. sive ortgenos quatuor, sive nummulos $5\frac{1}{2}$. & sic fere sex nummulos nostrates: præcise vero sesculatos sex.

Stufe-

Struferus unus cum dimidio vocatur à Belgis Braßpfenning/ ſic dictus à luxu, quod olim in magna annonæ vilitate victus luxuriosi pro una vice precium eſſet: valet ortgenos ſeptem, ſive nummulos fere decem: Fere par Suevico plappardo. Moneta ex cupro.

Schilling/ latine ſolidus, ſunt ſex ſtuferi, ſive 12. groſſi, qui noſtros nummulos 3 3/4. faciunt, ſive cruciferos 9 3/4. Par fere ſolido, ſeu denario Romano.

Gulden / Florenus Belgicus, eſt Francus apud Gallos, valens octo bacios, ſive ſtuferos viginti. Caroleus florenus eſt aureus valens duplici Franco, alias bacis ſexdecim.

Philipsthaler ſive Gulden / vulgo Doppelthaler / Thalerus Philippeus, eſt argenteus ſic dictus à Philippo rege Hiſpaniæ, cuius cypum impreſſum habet: valet ſtuferos 50 1/2. ſive nummulos 280. Exponi autem nunc ſolet cum additamento unius bacii, & ſic pro baciis 21. κατ' ἐξοχὴν regalis Thalerus nunc tam celebris, quam olim regale numiſma Philippi.

Pfundt/ Libra duplex eſt: Brabantica & Flandrica. Brabantica valet quatuor florenos Belgicos: ſive noſtros florenos duos cum duobus baciis. Flandrica valet ſex florenos Belgicos: ſive noſtros florenos tres cum tribus baciis: ſive ſolidos viginti.

Poſtulat appellatur nummus ex argento puriſſimo, quod Gellius purum putum: Latini poſtulatum vocant, ex autoritate Suetonii in Nerone cap. 44. Hiſpani Acendrato: Pandectæ Florentinæ Puſtulatum appellant. Poſtulati nummi cuſi ſunt olim in Belgio, Clevia, & Friſia, æſtimati edicto Cæſareo partim Cr. 30. partim Cr. 27 1/2. partim Cr. 24 1/2.

Nomina HISPANICA.

TRiplex numiſmatum genus Hiſpanis, æreum, argenteum, aureum. Ex ære monetæ ſunt blanca, maravedinus, ochavo, quarto, quartillo. Ex argento, dimidius regalis & regalis, ex auro Piſtoletus & Coronatus.

Blanca eſt dimidius maravedinus, id eſt, noſtri nummuli 1/3. quæ paulo minus uno obolo noſtro faciunt. Hinc proverbium Hiſpanicum. Non valet blanca. id eſt, nullius precii.

Maravedinus eſt duplex blanca, valens noſtri nummuli 1 1/17. ſive noſtrum fere nummulum. Nam maravedini 34. unum Regalem faciunt: 24ß. unum florenum: *sic Ægyptia* nummum Norimbergenſem conſtituit. Non extabat olim: ſed nunc denuo cuditur: eſtq; illius nomē adeo uſitatum, ut omnes ſummæ, etiam quam maximæ ad maravedinum revocentur.

Ochavo eſt duplex maravedinus, ſic dictus, quod octava ſit pars minimæ argenteæ monetæ, quæ metioreal dicitur: valens nummulū unum cum 11/17. Fere igitur par aſſario quem Dreyhellerer vocamus. Minima moneta in Caſtillia.

Quarto conſtat ex quatuor maravedinis, valens tribus noſtris nummulis cum 1/17. fere par noſtro crucifero.

Quartillo eſt quarta pars nummi regalis, valens cruciferos duos: ſive dimidium bacium.

Dimidius regalis, media real, eſt minima moneta argentea, valens Maravedinis 17. ſive 14. noſtris nummulis, id eſt, noſtro bacio.

Regalis, Real Hiſpanis, ſic dictus, quaſi regia moneta, duplex eſt: minor & maior: Minor vulgo *real de plata*, id eſt, de argento, valet edicto Cæſareo, octo cruciferis. Maior vulgo *real deocho*, id eſt, de octo argenteis realibus, ſive octonarius, valet 64. cruciferos: Ille fere par denario Romano, hic noſtro floreno.

Piſtoletus Caſtellanus, ſic dictus, quod regum Caſtellæ iuſſu cuderetur, conſtat maravedinis 375. ſive regalibus undecim, & uno inſuper maravedino. Facit florenum unum, & cruciferos 18. ſive cruciferos 88. ſive bacios 22.

Coronatus Philippeus valet maravedinis 400. id eſt, cruciferis 94. Hiſpanis un doplonde oro, ein Spanniſch doppel Krone in Goldt. Quadruplex Coronatus, un doplon de quatro, Baſilcæ nunc commutatur florenis quatuor.

Nomina LVSITANICA.

LUſitanici nummi ſunt ærei, argentei, aurei. Ærei ſunt Satis, & Ræſus: Argentei vintenus & teſto: Aurei ſunt cruſati & milreſij.

Satis eſt ſexta pars ræſi, valens 2/3 noſtri nummuli. Nunc obprecii exiguitatem non extat.

Ræſus, vulgo raes, eſt 1/3. cruciferi, ſive 1/6. unius nummuli, ſive unus obolus cum duabus quintis. Nam 40. ræſi regalem faciunt: ſynonymos igitur denario Turonico. Vox cognata aſſario, unde & milliariſium deductum eſt. Nec hic nunc extat: in ſupputatione vero uſurpatur.

Vintenus vulgo ventins, valet viginti ræſos, eſtque dimidius regalis, ſive noſter bacius. A viginti nomen habet.

Teſto vulgo teſton, eſt idem, qui Lotharingis, valens cruciferos 20. ſive ræſos centum: ſive duos regales cum dimidio.

Cruſatus, à cruce ſic dictus, ein Creutz-Ducat/ aliis in genere ein Portugaleſer / valet ræſis 400. ſive regalibus decem: ſive cruciferis 80. cruſatus oblongam crucem habens, Edicto Cæſareo æſtimatus eſt cruciferis 95. brevem crucem habens æſtimatus eſt Cr. 96. Nobis valet bacios 25. Nunc vulgo Portugaleſer vocantur duodecim cruſati ſive floreni 20.

Milleriſius, vulgo mille rays, conſtat ex mille ræſis, unde & nomen traxit. Valet tres florenos cum una tertia, ſive cruciferos ducentos: ſive regales viginti quinque.

Nomina INDICA.

NOmina Indica ſunt baſſarucus, vintinus, Tanga, larinus, pardavus, pagodes, S. Thomæ aureus, regalis maior.

Baſſarucus, bes Ræſi Luſitanici: valens 2/3. cruciferi ſive 1/2. nummuli. Nam 375. baſſaruci florenum faciunt, & tres duos ræſos. Eſt autem duplex: unus melioris, alios deterioris notæ. Melioris notæ quindecim faciunt deterioris notæ 18. conſtat è pravo ſtanno.

Vinginus, pecunia fictitia eſt, cuius uſus duntaxat inter numerandum eſt. Tres baſſarucos, ſive noſtros nummulos fere duos valet.

Tanga ſimiliter moneta fictitia eſt, eaque duplex, melior & deterior. Meliores tangæ quatuor, quinque tangas deteriores conficiunt: quæ unum florenum conſtituunt. Valet melior tanga fere Cr. 15. deterior duodecim cruciferos. In contractibus igitur ſemper de bona aut improba moneta paciſci oportet.

Larinus, moneta eſt, quæ ex Perſia adfertur, longiori forma, è puro proboque argento, valet 105. & 108. baſarucis, pro collybi ratione plus minuſve. Facit igitur Cr. fere 17.

Pardavus, præcipua moneta Indorum, vulgo Pardaus, eſtque duplex: Xeraphinus & Perſicus. Xeraphinus, ſic dictus à Xaraphes, quod menſurarium notat, Goæ cuditur, ſignata ab una parte Divi Sebaſtiani imagine: ab altera tribus, quatuorve ſagittis colligatis, valet trecentos Ræſos Luſitanicos, ſive florenum noſtrum. Pardavus Perſicus de laryns vocatus, quinque larinos ſive 85. Cr. facit.

Pagodes ſunt nummi aurei, qui ab Indis Ethnicis cuduntur cum idolo diabolicæ figuræ, unde & nomen fluxit. Suntque duum triumve generum, quorum ſinguli æſtimatione octo tangas ſemper ſuperant: ideoque duos florenos valent.

S. Thomæ aureus ſic dictus à typo quem gerit, valet octo aut ſeptem tangas.

Regalis maior, vulgo Pardavus de Real, eſt moneta Hiſpanica, quæ ex Luſitanica in Indiam adfertur, ibique primum valet Ręſis 436. poſt aſcendit ad maius precium, dum conquiritur itinere in Chinam inſtituto, ut refert Iohannes Hugo Linſcotanus in ſuo itinerario.

Nomina TVRCICA.

TUrcicorum & modernorum Græcorum monetę ſunt, mangurim, drama, aſper, medin, ſaiet, ſoldaninus, ducatus.

Mangurim ſunt nummiærei, quorum unus valet $\frac{3}{4}$. nummuli noſtratis. Mangurim enim 24. aſperum valent.

Drama vel direm eſt nummus cupreus, valens unum nummulum noſtrum cum una vigeſima. Quinque enim aſperum valent.

Aſper ſive aſpar, ſive aſperon Græcis, modernus eſt nummus, quem Turci Achs vocant, id eſt, album nummum, ein Weißpfenning. Ἀσπρος enim Græciæ incolis, ut & Rabbinis: Turcis vero ak ſive hach album ſignificat. Argenteus enim, hoc eſt, albus eſt, Arabicis inſignitus litteris, valens noſtros nummulos quinque cum quarante. Eiuſdem igitur fere valoris cum meah moneta Chaldaica. Sexaginta enim aſperi coronatum valent, quem 90. cruciferis æſtimamus.

Latini nummum aſperum aliter quam Græci intelligunt. Sic enim vocant nummum bene percuſſum & recentem: non tritum atque ipſo uſu levem. Olim igitur, qui theſaurum colligere ſtudebant, in eo nummum aſperum recondere ſolebant. Huius meminit Perſius Sat. 3. cum inquit. Quid aſ, er utile nummus habet. Et Virgil. 5 Æneid. Vaſa perfecta atque aſpera ſignis: quæ nimirum ſignis extantibus in aſperitatem cælata erant.

Medin eſt Plappardus, faciens tres cruciferos.

Saiet eſt octava pars thaleri, id eſt, cruciferi octo cum ſemiſſe.

Soldaninus eſt moneta argentea craſſa inſtar thaleri, ſic dicta à Sultano, quod Arabibus Auguſtum ſignificat, ab Hebræo Schalat, id eſt, Imperium habere: unde & Germanicum Schild/id eſt, Clypeus. Soldaninus igitur quaſi Impertalis. Tales Soldaninos triginta Turcicus Imper. Turcam quemliber in Aſia & Syria numerare coegit, quos in Hungaria alendos deſtinavit.

Ducatus Turcicus & Hungaricus valet cruciferos 105. nunc precium illius auctum 19. cruciferis. Turcicus Imperat. gerens bellum adverſus Perſas ducatum 43. medinis à militibus permutavit: & ſic magnam ſummam ad ſe pertraxit. Rediens Conſtantinopolim eundem ducatum pro 85. Medinis expoſuit, & ſic ſtipendium ſuo exercitui magno compendio perſolvit. Solent autem Turci nummos nō imaginibus ſed litteris inſignire, quibus nomina Imperatorum continentur, cum anno regni: exoſi omne pictum & ſculptum: idque ex lege Mahumetica, quæ omnes imagines & ſtatuas prohibet.

Nomina HVNGARICA.

IN Hungaria monetæ ſunt, nummulus, nummus, groſſus, thalerus, ducatus, Numulus, Germ. ein Heller: Hungaris batka, à batok, id eſt, ſtanno, valet præciſe $\frac{17}{58}$. cruciferi: ſive nummulum noſtrum cum una quinta, Polonis ternarius.

Nummus, German. ein Pfenning. Hungaris Pintz, valet duas batkas, ſive $\frac{17}{29}$. cruciferi quæ nummulos duos fere cum duabus quintis conſtituunt.

Groſſus valet quinque nummos: ſive Cr. $\frac{5}{29}$.

Thalerus continet batkas 200. nummos 100. bacios ſeptendecim, groſſos viginti. Thalerus enim Imperialis facit nummos 110. ſive groſſos viginti duos.

Ducatus Hungaricus olim valuit groſſos 31. ſive cruciferos centum & quinque, nunc valor illius auctus cruciferis novendecim, ſive groſſis quinque cum dimidio, vocatur & κατ' ἐξοχὴν ſolidus regalis.

Nomina monetarum POLONICA.

POlonicæ monetæ ſunt, nummulus, ternarius, crucifer, mediens, groſſus, Virdung, Florenus, Thalerus, Ducatus.

Nummulus eſt nona pars cruciferi valens vere unum hallerum, præciſe vero $\frac{7}{9}$. halleri.

Ternarius valet tres nummulos Polonicos ſive totidem fere noſtros halleros. Polonis Kvvartnik. Sileſij & Bohemi in duos tantum nummulos dividunt.

Crucifer

Crucifer moneta peregrina valet novem nummulos. Polonis mediens, id est, medietas grossi, eiusdem cum crucifero valoris cuditur in Polonia.

Grossus facit duos cruciferos, sive nummulos Polonicos 18. Prutenis fere stattus: qui valet Cr. $1\frac{1}{8}$. Nam 32. Statti florenum faciunt. Dudek simplex est triplicatus grossus, valens sesquibacium: vetus æstimatus est edicto Cæsareo Cr. 5_1. Duplex Dudeck valet Cr. 12.

Virdung valet medientes 24. sive grossos 12. sic dictus à Vier/ id est, quatuor, quod sit Marcæ quadrans. Marca enim continet quatuor virdungos: & sic grossos 48. sive bacios 24.

Florenus valet nummulos Polonicos 540. sive grossos triginta: Medientes vero 60.

Thalerus, grossos 38. medientes 76. hoc tempore. Æstimatus vero olim edicto Cæsareo baciis 17. Ducatus Polonicus Hungarico æquipollet.

NOMINA ANGLICA.

NUmmi Anglorum sunt Peng/ Engelisch Stosser/ Sterling/ Chelint/ Golden/ Engelodt/ Rosenobel/ Pfundt.

Peng/ sic dictus à pecunia, German. ein Pfenning/ Hungaris Pins, nummus Anglicus, tertia fere pars nostri bacii, valens præcise nostris nummis quinque, par obolo Attico. Tres enim nūmi Anglici valent nostris nummis quindecim: Monetæ vero minores & paulo maiores quæ cuduntur, à nummo denominari solent, ut semis, sesqui, duplex nummus.

Engelisch Stosser/ Anglicus Stater, olim usitatus, edicto Cæsareo æstimatus est tribus cruciferis cum quadrante, sive nummis nostris $11\frac{1}{8}$. Nunc non esse in usu aiunt. Sterling est moneta communis in Anglia, sic dicta ab oppido Scotiæ Sterling, ubi tempore Iacobi IV. aurifodina reperta & officina monetalis extructa est. Sic monetæ in Germania sunt Joachimsthaler/ & Schreckenberger/ dictæ à fodinis metallicis, in quibus cusæ sunt. Polydorus Virgilius ait suo tempore fuisse nummum argenteum cusum ex vigesima sexta parte unciæ, sive thaleri, qui uncialis est, sic dictum à typo sturni, quem habuit. Angli enim sturnum Sterling vocant, insigne regni Anglici. Quidam solidum sterlinorum vocant, qui valet tredecim denariolis Turonicis sive nummis nostris $9\frac{7}{10}$. Didacus Covarruvias æstimat tertia nummi regalis parte, sive nummulis nostris $9\frac{1}{7}$.

Chelin, latine solidus. German. Schilling/ sunt nummi Anglici duodecim: valet fere quatuor bacios.

Golden/ Florenus Anglicus, commutatur ab Anglis quinque Chelinis, valens apud nos viginti bacios.

Engelodt/ Angelotus, aureus Anglorum nummus, duplex est: Vetus & recens. Vetus decem Chelinis æstimatur, sive baciis 40. Tanstallus Angelum vocat, sic enim ille. Tres Angli valent quinque coronatos Gallicos. Nam tres Angeli sunt bacii 120. totidem sunt quinque coronati, quorum quilibet baciis 24. æstimatur. Recens qui nunc cuditur, minoris precii est, valens Chelinis novem cum semisse, id est, baciis triginta octo.

Rosa nobilis, vel nobilis Rosatus, vel Roseus Anglicus similiter duplex est, vetus & recens, vetus ab ipsis Anglis quindecim chelinis commutatur: recens quatuordecim: ille præcise, hic quam proxime par duplici Hungarico. Valet enim ille quatuor florenis, hic tribus cum baciis undecim.

Pfundt/ libra, valet chelinis viginti, nummus aureus ab Anglis Suprema dictus, quod eo maius numisma nullum habeant: pendetque duos Angelicos, sive florenos quinque cum quinque bacis: sive Philippeos quatuor, vocatur & libra sterlinorum, ad differentiam libræ Flandricæ & aliarum nationum.

Monitum necessarium.

QUum usus monetæ se maxime in commerciis exerat, atque præsertim in iis, quibus cotidie ad vitæ naturalis sustentationem indigemus, ac variis inde negotiationibus ad nos importantur, heic eius enumerationem ex aliis probatis auctoribus & maxime Hoemschio, quum non sit in omnium manibus, inducere voluimus, ne quis facile se decipi in emptione aut venditione rerum patiatur. Etenim tanta est argutia mortalium & tam perversa simul omnium ferme superstitio, ut multi præter fas ac decorum contra ipsius pietatis tenorem, qua Deo quisque in conscientia obligatus est, hoc metallico amore corda sua obdurare ausint, nec aliud magis anhelare & spirare in omnibus vitæ conatibus videantur, quam quod ipsis hoc æneum in pectore creet, generetve idolon, cui nocte dieque in cunctis animi cogitationibus se sacrificare non desinant turpissime. Unde non immerito hoc pestilentissimum peccatum crimini venefícii S. Scriptura æquiparat, & ulterius D. Paulus avaritiam radicem omnis mali proclamat & facit. Quis vero est omnium, qui tam severe dicta & cœlitus prolata magnopere curet? An non longe fortior est eius fascinationis pessimæ impressio, qua se quisque ex multa argenti aurique possessione divitem, atque ex hisce divitiis beatum somniat & æstimat? Num vero is possit beatus dici, qui sibi ipsi ex hoc, quod adeo pernicioſe àmat, perpetuo est tormento.

Tyrannum certè in corde fovet crudelissimum, qui ei se destinat ferventius, à quo singulis momentis respectu animæ enecatur: Namque heic sævitur omnium maxime in immortalem tui partem. Neque cadaver tuum circum sepulchrum trahitur, ait *Erasmus Roterodam. in Enchir. mil. Christ.* sed corpus pariter atque anima ad inferos demergitur, quum heic per nimium amorem argenti animæ sua vita eripiatur, Deus. Naturæ est interire corpus: quod etiamsi nullus occidat, tamen non emori non potest. At animam mori, infelicitatis extremæ est. Quippe non mundo nati sumus; sed ut eo utamur heic, quasi non vivamus in mundo. Et qui hoc non recte intelligit, is

certe cœcus est in semetipso, nec videt, sentitve in ultimis valetudinariam se trahere animam? Quando genua labant, & membra vix ægre trahuntur, corpus male habere cognoscis, ait idem, & non colligis animi morbum, quum ad omnia pietatis officia languet, nauseatque, quum ne levi quidem cõtumeliæ ferendæ robur suppetit; quum paululo pecuniolæ dispendio frangitur? Posteaquam oculos destituit visus, ubi desierunt audire aures; posteaquam constupuit omne corpus, nemo dubitat, quin emigrarit anima. Tu quum habeas cordis oculos obscuratos, & evidentissimum lumen, quod est veritas æterna, non videas, quum vocem divinam internis auribus non percipias, quum omni prorsus sensu careas interno, vivere credas in te animam? Vides fratrem indigna patientem, nihil commoveturanimus, modo tua res sit incolumis, & ipse tibi pecunioſus nummatusque splendeas. Quur nihil heic sentis animæ? Nempe quia mortua. Quare mortua? Quia non adest illi vita, Deus. Siquidem ubi Deus, ibi charitas. Deus enim charitas est. Alioqui si vivum es membrum, quur ulla pars corporis dolet, te non modo non dolente, verum ne sentiente quidem.

Sed quo magis quid in ære cœco & duro corradis etiam cum vitæ dispendio, tanto durior & cœcior in corde erga Deum, proximum atque temetipsum obrigescis, ut tibi ipsi magis hostis, quam amicus efficiaris, dum tibi tam deest, quod acquisitum pertinaciter conservas, quam quod non habes, & mammone hoc vere in commodum tuum non ausis. Ipse perpende tecum num Christianum te rite appellari sinere possis, quum Christo & proximo in amore nimio huius mundi sis mortuus? Qui mundum magis quam me diligit, ait Christus, non est me dignus. Nonne totus mundanus sis, si pecuniæ totus vivas submersus? Pudeat sane te, quod homo ethnicus potiora cantare noscat, & tantæ turpitudinis te in tuo falso convincere Christianismo. Sic enim Proculeij liberalitatem in fratres optime commendat in pudorem nostrum. *Od. 2. lib. 2.*

Nullus argento color est avaris
Abdito terris, inimice Lamnæ
Crispe Sallusti, nisi temperato
Splendeat usu.
Vivet extento Proculeius ævo,
Notus in fratres animi paterni:
Illum agit penna metuente solvi
Fama superstes.
Latius regnes, avidum domando
Spiritum, quam si Lybiam remotis
Gadibus jungas, & uterque Pœnus
Serviat uni.
Crescit indulgens sibi dirus hydrops,
Nec sitim pellit, nisi causa morbi
Fugerit venis, & aquosus albo
Corpore languor.
Namque crescentem sequitur cura pecuniam,
Majorumque fames, ait idem, Od. 16. lib. 3.

Quin & eius studium vecors alios quoque corrumpit pessime, & eorum animos irritando expugnat.

Aurum per medios ire satellites
Et perrumpere amat saxa potentius
Ictu fulmineo. Munera navium
Saevos illaqueant duces.
Hoc verum tamen est; Multa petentibus
Desunt multa; bene est, cui Deus obtulit
Parca, quod satis est, manu.

Proinde recte adseverat idem Od. 9. lib. 4.

Non possidentem multa vocaveris
Recte beatum. Rectius occupat
Nomen beati, qui Tonantis
Muneribus sapienter uti,
Duramque callet pauperiem pati,
Peiusque leto flagitium timet:
Non ille pro charis amicis
Aut patria timidus perire.

Quali exemplo se quoque examinat probatum, & nobis exhibet Od. 29. lib. 3. dicens:

Non est meum, si mugiat Africis
Malus procellis, ad miseras preces
Decurrere, & votis pacisci,
Ne Cypriæ, Tyriæque merces
Addant avaro divitias mari,
Tunc me biremis præsidio scaphæ
Tutum per Aegæos tumultus
Aura ferret, geminusque Pollux.

Quasi diceret, hoc nunquam est futurum, ut tam temere me sim avaritiæ causa in tam periculosam tempestatem, abominabilesque tumultus contrariis incomptisque navibus præcipitaturus. Quam sordidum igitur est nobis, ait *Erasm. Rotterod. in Ench. mil. Christ.* quam angusti animi, non uti, sed demirari res mutas & vilissimas.

Tolle hominum errorem, quid erit aurum & argentum, nisi terra rubra & alba? Quod nemo gentilium Philosophorum non contempsit, hoc tu pauperis Christi discipulus, & ad longe meliorem possessionem vocatus ut magnum quiddam admiraberis? Non possidere divitias sed contemnere divitias magnificum est. Sed reclamat mihi vulgus nomine tantum Christianorum, & seipsum callidissime gaudet fallere. Ipsa, inquit, necessitas nos hortatur, ut rem faciamus, quæ si fuerit nulla, ne vivere quidem liceat: si contractior, nimis incommode vivitur: sin lautior, uberiorque, plurimum adfert commoditatis. Consulitur valetudini, prospicitur liberis, commodatur amicis, excluditur contemptus, denique & fama melior, cum res bene habet. Ex aliquot Christianorum millibus vix unum atque alterum invenias, qui ista non & dicat & sentiat.

Verum ut istis ad utrumque respondeam, primum quod cupiditatem suam necessitatis nomine prætexunt, obiiciam illis vicissim parabolam Evangelicam de liliis, & avibus in diem viventibus, ad quorum imitationem nos hortatur Christus; obiiciam quod idem ne peram quidem, aut sæculum suis gestandum permiserit. Obiiciam

ticiam quod nos', reliquis omissis, iubet ante omnia quærere regnum Dei, & hæc omnia nobis adiicienda promittit: Quando unquam non supperierunt victui necessaria iis, qui toto pectore pietati studuerunt? Quantulum vero est illud, quod à nobis natura flagitat? Atque tu necessitatem non usibus naturæ sed cupiditatis terminis metiris. Pius autem & illud satis est, quod naturæ parum est. Quanquam equidem non ita valde miror istos, qui rem universam suam semel relinquunt, ut impudentius mẽdicent alienam. Non est culpa, possidere pecuniam; sed mirari pecuniam cum vitio coniunctũ est. Si affluit fungere boni dispensatoris officio. Sin eripitur, ne macerare, tanquam te magna spoliatus; imo gaude tibi detractam farcinam periculosam. Verum qui præcipuum vitæ studium in coacervandis opibus consumit, qui eas uti præclarum quiddam & expetendum suspicit, & porro in longam inque Nestoris usque senectam recondit, is fortasse bonus mercator tecte dicetur. Bene Christianum equidem non dixerim, qui totus de se pendeat, & de Christi promissis diffidat, cuius bonitas cum passerculos benigne & pascat & vestiat, hominem pium sibique fidentem destituet scilicet?

Sed iam commoditatum quas adferre creduntur, rationem ineamus. Primum etiam gentilium Philosophorum consensu, inter utilia bona divitiæ postremum locum obtinent, & cum iuxta Epicteti partitionem, præter unam animi virtutem, reliqua omnia extra hominem sint, nihil tamen tam extra nos est, quam pecunia, nihil tam exiguam adfert commoditatem.

Etenim si, quicquid usquam est auri, quicquid gemmarum, id omne tu solus possideas, num ideo tua mens fuerit vel pilo melior, num prudentior, num doctior? Num corporis valetudo prosperior? num valentiorem, formosiorem, iuniorem reddet? At voluptates parat. Verum, sed mortiferas. Sed honorem conciliat: at quem tandem? nempe quem fallum tribuunt ii, qui non nisi stulta mirantur, & quibus placuisse, pene vituperari est. Verus honos est laudari à laudatis; summus bonos est placuisse Christo: verus honor non opum, sed virtutis est præmium. Cedit tibi, suspicit plebecula: stulte, vestes tuas mirantur, non te. Quin tu in te ipsum descendis, & animi tui miseram pauperiem consideras? Quam vulgus si videret, tam miserandam iudicaret, quam nunc beatam prædicat. Verum amicos res comparat: fateor, sed falsos, neque tibi eos comparat, sed sibi. Atque adeo isto titulo vel infelicissimus est dives, quod amicos ne dignoscere quidem queat. Alius in sinu odit, ut tenacem: alius invidet, ut opulentiori: aliud ad se spectans, assentatur & arridet, ut arrodat: quorum qui est amantissimus, maturam mortem precatur: nemo tam amat, quin mortuum malit, quam vivum: nemo tam familiaris, à quo verum audiat. Quod si maxime sit, qui divitem sincere diligat, ille tamen non potest quemquam non habere suspectum: Omnes vultures iudicat cadaveri inhiantes, omnes muscas, ad suum compendium advolantes.

Quicquid igitur commoditatis videntur adducere, id fere fucatum, umbraticum, præstigiosumque est: at verorum malorum plurimum adferunt, verorum bonorum plurimum adimunt: Proinde si bene accepti atque expensi rationem subduxeris, profecto, reperies nunquam, tantum adferre commoditatis, quin nimio plus incommodorum secum trahant: quam miseris laboribus parantur, quantis periculis, quanta solicitudine servantur, quanto dolore amittuntur! Quibus de causis & spinas appellat Christus, quod omnem animi tranquillitatem, qua nihil homini dulcius, mille curis dilaniant. Neque unquam sitim sui sedant, verum magis ac magis irritant: In omne nefas præcipites agunt. Neque tibi frustra blandiare dicens, nihil prohibet pariter & divitem esse & pium. Memento quid dixerit veritas: Facilius esse, Camelum transire per foramen acus, quam divitem intrare in regnum cœlorum. Planeq; verum est illud apud divum Hieronymum, divitem hominem, iniqui aut dominum esse, aut bæredem. Ingens opulentia nunquam sine peccato vel paratur, vel servatur.

Nam bona pars hominum decepta cupidine falsa
Nil satis est, inquit, quia tanti, quantum habeas, sis.
Hoc est, quod nemo gratum mercatur amorem:
Quivis hæc cernit nimium pugnantia secum.

Nihilominus indignentur omnes, quod tam graviter heic culpantur in tam perdito conatu. Sed ne quis gravius mihi forte succenseat, remitto singulos ad responsum Horatii ita prolatum acriter.

---- Non ego avorum
Quum vetо te fieri, vappam iubeo ac nebulonem.
Est inter fidum cor quid, sociumque malorum.

At quum tam facilis sit abusus mortalium, quem sibi in corradenda pecunia conciliant: Inde maiori auctoritati eius confectio supposita est; atque sic Ius istud cudendi monetam propter rei præstantiam quasi & excellentiam ex imis terræ visceribus protractione, summamque in Republ. ac communi conversatione hominum utilitatem, Regalibus maioribus potius, quam minoribus annumeratur, ut etiam eo graviorem pœnam huius adulterio constituant, quod summi Romanorum Principis proprium sit. *l. 2. C. de falsi. mon. Bodin. de Repub. lib. 5. cap. 10. Zasius de feud. p. 5. num. 14. Sonsbec. p. 5. num. 19. Vvesenb. cons. 60. num. 31. ubi ait.* ex auro & argento monetam cudere, eiusmodi esse regulam, quæ ossibus principis cohæret: Et pertinet ius monetæ ad Imperatorem non solum quoad potestatem conflandi nummos, sed quoad ius conferendi potestatem etiam aliis, item quoad curam monetæ, ne quisquam alius, quam cui ea potestas concessa est, nummos conflet, aut vitiosam cudat monetam, vel probos nummos corrumpat, *Recess. Imper. Noriberg. Anno* 1524. §. Dergleichen hat der Münz. *Recess. Imper. August. Anno* 1551. §. So haben wir auch. *Recess. Imper. Anno* 1559. Von newer Münz-Ordnung / Item 1570. §. Vnd dieweil man mit grossem Schaden erfahren / &c. Atque ex eo, quod ius monetæ spectat ad Maiestatem, notationem monetæ deducit

Boter. de Regal. c.2. num.214. quod principis effigies ſive vultus, monetæ Impreſſus, moneat ſubditos, ei ſe principi ſubiectos eſſe, eius imaginem habet moneta, *arg. Matth.22.* Quare & illius quam principis effigie moneta videbatur.

Rege figuratam, regis patet eſſe monetam
Cæſaris & Domino ſub Cæſare fulget imago.

Velut & ipſe Chriſtus in captioſa illa quæſtione, qua Iudæorum litteratores & eruditi ipſum conſtringere nequiter ſtudebant, eos ad imaginem monetæ remittebat:

Hac ne eſt in nummis inſcriptio Cæſaris? inquit,
Illius hac eicon? Eſt, Phariſæus ait.
Tunc Chriſtus: quoniam ſua vos ſub iura redegit
Cæſar, & Imperio ſervitioque premit.
Exigit à vobis, nullo prohibente, tributum,
Et tamen interea ſunt ſua danda Deo.

Cuiuſmodi monetæ perfectio ex tribus cenſetur, materia, forma & pondere, ut ſuperius explicatum eſt. *l.1. C. de vet. num. pot. Gœdd. ad l. 159. de V.S.* Quumque Imperator iure ſuo & poteſtate monetæ ad ſalutem & honorem Imperii uti teneatur *Conſt. Imp. de An. 1570. §. Als dann/ &c.* Iuſtam monetam ſine iuſta cauſſa mutare nequit, *c. quanto 18. de Iureiurando.* Aſt vitioſæ monetæ mutatio & correctio omnimode ipſi cum debita inſpectione competit. *Boc. de Iur. mon. nu. 12. & ſeqq.*

Ne autem, habita inſpectione, quis damni quid inde ex correctione patiatur, terminus certus debet indicari iuxta Receſſ. Imper. de anno 1559. & præfigi, poſt quem moneta pro mutata aut reprobata debet haberi. Carolo Magno tam Auguſtum, tam ſanctum hoc regale viſum fuit, ut nullibi, quam in ipſo Palatio monetam cudi voluerit; ſicut & Romæ olim tantum in æde Iunonis Monetalis pecunia percutiebatur, cui præfecti erant Triumviri, monetalis æris, auri, argentique latores.

Si quis hoc expetat noſcere, quonam iure poteſtas cudendi monetam ad civitates Imperiales, itemque Duces, alioſque Imperii proceres pervenerit? Ei non incongrue reſponderi poteſt, quod id fiat, aut per Vicarium, Beneficiarium aut Privilegiarium Ius. *Ægid. Boſſ. in tract. de Monet. Conſtit. Carol. 5. de anno 1524. &c.*

Conceſſum quidem eſt membris Imperii id pluribus, ſed ut variæ ſimul conditiones ipſis præſcriptæ ſint, quæ ab iiſdem obſervari debent: Sic certa nonnullis numiſmatum genera cudere, nec alia ferire licet. Inter quos tamen nonnulli prærogativa aliqua præ cæteris gaudent, qualis ſunt, Electores & quidam alii ordines: velut & tenentur nomen Imperatores aut effigiem alii exprimere ſtatus. Unde & in aurea Bulla tit. 10. Regi Bohemiæ non ſolum hoc Ius, ſed etiam Electoribus cæteris de novo indulgetur, quod & ad Inferiores ſtatus translatum eſt Conſtit. de Anno 1551. Et quamvis de Iure Civili, hoc Ius privato concedi nequeat, *l. fin. C. de falſ. mon.* eo tamen res rediit, ut & privatis interdum Ius monetandi videatur eſſe conceſſum, uti apparet ex ordinatione Monetæ Ferdinandi de Anno 1556. §. Wo aber. Quum vero tale privilegium in diſpendium totius Imperii cedere poſſet, ſi privatis talia licentia tribueretur, correctio ita facta eſt ut Imperator per capitulationem promiſerit, ſe nulli amplius ſine conſenſu Elect. & ſtatuum monetandi Ius eſſe conceſſurum, *Baurm. de Iuriſd. lib. 1. cap. 4.*

Ne autem in Imperatoris decrementum hue quid fiat, rogationibus Imperii moneta eorum ſubiecta eſt, & hinc cognitioni circulorum ſingulorum ſubordinata, ut illis ea de re publice inquirendi poteſtas ſit; & vocantur tales conventus Probation-Täge. Nihil quoque Iuris ſibi comparant quidam principes Imperii, qui uſurpatione quadam ſe ſubtrahunt interdum, ut monetæ nomen Imperatoris nō inſerant; quod à principibus Italiæ, ducæ Brabantæ, Sabaudiæ, Lothatingiæ, iam ante aliquot annos inceptum eſt. Sed vulgatum eſt illud: Neminem ſibi mutare poſſe cauſſam poſſeſſionis. Nulla etiam præſcriptione ius illud acquiritur. Si enim viam publicam, quæ ne quidem Maieſtatis eſt, præſcribere vetamur, *l. 2. C. de via publ. & itin. publ.* multo minus tam illuſtre, tam proprium Caput Maieſtatis, quam ius monetæ eſt, præſcribi poterit. Qui enim nomine alterius poſſidet, ne poſſidet quidem, ideoque nec effectu poſſeſſionis vel quaſi frui poteſt. *l. Male agitur C. de præſcript. 30. ann.* Duci Exercitus tamen, vel præfecto præſidii in neceſſitate conſtituti, aliqua hac in re ex conſuetudine libertas eſt: Sed ita, ſi non alia ratione quā vel Exercitui, vel præſidio cōſulendi, alias enim id capitale foret. Exſpirat tamen uſus nummi ita cuſi, neceſſitate primum ſoluta. Sunt nonnulli, qui ſua auctoritate, nomine principis omiſſo, id ius ſibi tanquam principes ſupremi uſurpant, ſed recte quodcunque iis conceſſum & iure auferri poteſt. Sic Poloni Epiſcopo Gneſnenſi, Angli Cantuarienſi Regni Cancellariis, ius monetæ Regum beneficiis permiſſum; ſic Imperatores Civitatibus Italiæ, excepta Luca, cui id interceſſione Lucii tertii Papæ, in gratiam popularium ipſius relictum eſt, proſus ademerunt.

Quum vero grave crimen committere dicatur, qui falſam monetam fabricat, quæritur heic non inique, qua pœna talis afficiendus ſit? Olim L. Cornelia de falſis puniebatur. *l. qui falſum 18. ff. ad l. Corn. de falſ.* Hodie vero ex Impp. Conſtitutionibus exaſperata eſt, & flammarum exuſtionibus mancipatur *l. 2. C. de falſ. monet. Carolus 5. in Nemeſi art. 111.* Diſtinguendum tamen putat *Covar. in tract. de vet. num. collat. c. 8. num. 3.* inter monetam auream & argenteam, ut in ſolis iis, qui falſam auream monetam cudunt, pœna ignis locum habeat. Imminuens autem & tondens monetam, eandemque radens vel tingens falſo, ſi liber eſt, beſtiis ſubiicitur; ſi ſervus, ultimo afficitur ſupplicio. *l. quicunque 8. ff. ad l. Corn. de falſ.* Sed videant heic cautiores ICti, quomodo hunc rigorem vera ratione Iuris ſalvare poſſint, quum ſæpius heic, qui publice præſunt, anſam huic crimini præbeant, quod toties ſuperioribus temporibus exploratiſſimum vidimus. An non etiam quid gravius ipſi flagellatores & mercium falſatores committant, qui nimiæ incumbunt avaritiæ? Quæ tamen in illos acrior animadverſo conſtituitur, quod ferme cotidianum eſt? Id iudicent alii.

Ulterius quæritur. An credita aureorum ſumma certa aurei reddendi ſint, vel creditis thaleris certo numero ſolutio in thaleris fieri debeat, an vero etiam

iam alterius generis, puta minutam reddere pecuniam iure posset debitor? Posterius placet *Cuiac. ad l. quæ extrinsecum 65. ff. de V. O. Donell. in l. 3. num. 10. ff. de reb. cred. & aliis.* Verum prius iuri & æquitati congruum esse opinor. Naturalis namque conditio mutui hæc est, ut id quod mutuo datum est, in eodem genere & qualitate eadem reddatur. §. *& quoniam in per. Instit. Quibus mod. re contrab. oblig. l. mutuum damus 2. ibi: sed idem genus. Cum l. seq. ff. de reb. cred. Nov. 4. cap. 3.* Unde etiam Recess. Imperii de anno 1559. p. 231. §. Die jengemeldten *verb.* Aber wans hievor.

Tertio quæritur, utrum mutatione Monetæ facta contractus an solutionis tempus attendi in solutione facienda debeat: Nonnulli sunt, qui de valore monetæ tempus solutionis, non autem contractus spectandum esse existimant, *Iohan. Fab. in Auth. hoc nisi C. de solut. Rom. cons. 123. Molin. de usur. nu. 749.* Sed veriorimo veritissima est sent. contraria eorum qui tempus contractus spectandum esse censent, eaque confirmatur tex. in c. cum Canonicis de censib. *Mynsi. cent. 4. obs. ubi etiam causam de censib. adducit Geil. 2. obs. 9. num. 3. obs. 73. n. 3.* ubi addit *l. uxorem 41. §. testamento ff. de leg. 3.* quem ibidem ait notabilem esse. Et quod valor monetæ inspiciendus sit à tempore contractus seu obligationis, & non à tempore solutionis, post multam disputationem decisum fuit in Camera in causa Episcopi Basil. contra Schaumburg, *teste Mynsi. d. l.* Namque cum æquitate naturali semper & absque dubio potissimum in omnibus casibus faciendum est, quam ut leges scriptas ad iniquitatem ex subtilitate male ratiocinantium, & sophistice omnia pro lucro proprio & commodo aut ex invidia interpretantium, detorqueri patiamur. Tum quid absurdius excogitari possit, quam beneficium suum alicui esse damnosum? Quid iniquius dici, quam moram debitoris sibi prodesse, obesse autem creditori? Quid inconvenientius esset, quam pecuniam, rem per se sterilem, odiosam & in cista reclusam, uberiores fructus, maiusque emolumentum adferre, quam expositam & multis periculis commissam? Sic vigilantibus damnum, negligentibus & dormientibus lucrum concederemus.

Quid vero in ipsa æquitate iustius & convenientius, quam ut creditori suum restituatur integre; si integrum esse debet, necessum quoque est, ut illud iuxta bonitatem intrinsecam aut eius æstimationem restituatur, uti id exposuit, sive hoc maiorem sive minorem monetam respicias, ceu ipsum tempus cõtractus id largitur, secundum communissimam Dd. sententiam, quod mutata bonitate intrinseca sit inspiciendum tempus contractus. Et vero ita se res habet, crescente valore maioris monetæ, per necessariam quandam consequentiam deterior fit bonitas intrinseca minoris monetę, imo ex huius deterioratione sequitur augmentum illius. Et apparet quod ex hypothesi manentis eiusdem bonitatis intrinsecæ monetæ minoris Thalerus imperialis eadem proportione se habeat ad hodiernos. Verbi causa 35. baziones, olim ad 24. quoniam monetarii tot grossos deterioratos & singulis thaleris Imperialibus, quos contra constitutiones Imperii impune cõflant, conficere possunt. Quid, quod crescente valore maioris monetæ, deteriorata bonitate intrinseca minoris, quæ in commerciis quotidianis intervenire solet, crescunt singularum rerum pretia, quæ ob rationem minoris monetæ ut plurimum constitui solent? Revera minus accipiet creditor, quam dedit, quoniam, verbi causa 24. grossi olim tanti fuerunt in commerciis, quanti hodie etiam 35.

Nummus autem rerum comparandarum gratia inventus est, & tanti habetur, quantum pro eo parari potest. Quid quod olim Romani Imperii fines amplissimi erant, longeque constantior monetæ valor, cum nulli, præter Imperatorem, monetæ cudendæ ius, neque minus dissolvere & conflare nummos, prohibitum erat: hodie autem in Imperio nostro omnia secus habent? Ubi passim comites & civitates ius cudendæ monetæ habent? & conflata maiori moneta, inde lucro suo minorem monetam conficiunt deteriorem, vel aliis cudendam elocant, ubi fines præsertim angusti, adeoque eodem valore extra Imperii fines, in quibus quotidie cives negotiantur, pecunia exponi non potest. Hæc si accuratius consideramus, quis non videt insignem, quam antea dixi, iniquitatem? quis non observat, hoc tempore florenos deteriores esse quam olim? ac proinde, quis coget creditorem hodie nummos deteriores istos, pro moneta, quam exposuit, proba, vel monetam maiorem, iuxta eam æstimationem, in qua est tempore solutionis, accipere? Deprehendemus, magis in eiusmodi terminis revera auctum valorem non videri, atque exinde ea, quæ disserui hactenus, non solum in mutuo, quod gratuitum est, procedere, sed etiam in eo, ubi usuræ ex stipulatu promissæ sunt, obtinere: Cum & alias usuræ non ex mutuo sed ex singulari stipulationis contractu debeantur & non simpliciter, sed in quandam compensationem, quod tamdiu pecunia creditor careat, promitti & solvi intelligantur.

Veniat nunc Molinæus, vel quilibet alius, hæc consideret, & vel ipse iudicet? Excusabit se profecto, & dicet, nunquam se hoc casu velut incognito & insperato contra apertam rationem quicquam asseruisse. Et vero si cessarent hæ considerationes, atque ex aliis causis modisque valor monetę augeretur, aliter forte & cum eo respondendum esset. Et enim si prohibitis numismatum mercimoniis, si sublatis abusibus & corruptionibus, quæ rem monetariam invaserunt, constitutiones Imperatoriæ observarentur, minus in hac quæstione esset præiudicium, minor dubitatio, facilior decisio.

Hæc autem sperare quis ausit hoc exulceratissimo seculo, bello undique (proh dolor) in Germania dulcissima, nostra patria aliisque vicinis partibus perniciose grassante. Nunquam, ut verum fatear, mihi fit verisimile, quod hisce motibus, ubi thesauri & pecuniæ principum stipendiis militum apparatuque bellico exhauriuntur, abusus & corruptiones istę tolli possint. Contra valde persuadeor, quamdiu superiores ab inferioribus, Magistratus à subditis pecuniam (prout nunc rerũ status sunt) mutuo habent, fore ut huic malo non occurratur, sed magis, ut cuilibet permittatur exponere pecuniam pro libitu & ingenio, non dicam connivente, sed approbante Magistratu. In aperto cuncta sunt, ut res minime testimonio veritatis indigeat. Optandum tamen est sedulo, ut leges naturæ, quæ immutabiles sunt, rectius observarentur, ut sic quisque etiam iuxta conscientiam semetipsum melius iudicare posset.

Proinde nõ satis commode ab aliquo magni nominis

minis ICto prolatum est, dum non veretur adserere. Licet Ius naturæ sit immutabile, quod tamen paulatim ab eo recedi possit, ut ad ipsum adeundi via sit commodior, ne, si directo ad ipsum eatur, ad ipsum non perveniatur. Sapiens enim (sic addit) & prudens, non semper it uno gradu, sed una via. Nũ vero id sapientis sit infringere Ius naturæ & convertere se ad nugas, ut inde veritatem & Iustitiam adsequatur? D. Paulus ait, mala non esse facienda, ut inde eveniant bona. Quomodo nugacitas cum veritate cõncordet? iniustum cum iusto, aut iniuria cum Iure? An non statim res iniusta fit, si ab eius iustitia recedam? Ideoque male heic comparatio instituitur à lento gradu ad deflexionem, ubi non datur una via. Sed nos, his absolutis de moneta, iam revertimur ad ipsam negotiationis rationem planiorem paucis.

De Libertate & Iure Maris, commerciis ac navigationi competentibus.

APud mortales hoc undique in confesso est, nec sanus quispiam id abnegare potest, omnino verissimum esse quod Poeta ille affirmat: non omnis fert omnia tellus. Sed quum Deus in omnes partes terræ sua singularia distribuerit dona mundi, ut quisque locus sua particularia foveat & producat, suppediteteque ad communis vitæ sustentationem, fit inde ut solertia hominum ob mutuam indigentiam velut recte sentit Boterus in Pol. sua Illust. lib. 1. cap. 14. commercii rationem beneficio ipsius commutationis, & ex ea mensuram rerum commutandarũ invenerit: Exempli gratia. Anglia beavit Deus frumentorum proventu, quibus incolæ pannificium addunt: Gallia superbit in vini cultu cum Germanis ad Rhenum. Gallus indiget frumento, aut panno, heic commeatus facere cogitur ex commercii usu. Sic in India sunt aromata & gazæ margaritarum, quæ desunt nobis, Anglis & Belgis; commode vero illuc ex istis terris transportandi lana, triticum, ferrum & alias res transmutabiles necessitas cogit, ut propter distantiam locorum per mare illuc iter sumatur: sic & non minus potest commodior in vicinior a regna fieri per aquas navium excursus, licet per terram pateat iter: Navigiis enim quod affertur in abundantissima fortiter valet copia, & pleniori commeatu si adsit ventorum prosperitas. Sed præterea aliæ quoque subsunt causæ, quibus permoti homines transmeationes varias exercere cupiunt; Si in legitimis commerciorum terminis consistant fit id quidem laudabiliter. Verum quum (proh dolor) humanæ societatis ratio ita comparata sit, ut homines & ordini & vitæ studio admodum dispares sint atque dissimiles, ut plurimum longe aliud sub ea specie intenditur.

Maxima enim pars uti experientia ipsa testatur potius crudelia in tituli finiumque propagatione & expoliatione gentium quam verum commercii usum subit, quum tamen divino consilio id factum & effectum sit, ut diversa terræ spacia suis muneribus mutuam hominibus opitulationem ferre debeant: Ceu ut Virgil. 1. Georg. recte meminit, ita dicens:

At prius ignotum ferro, quam scindimus æquor
Ventis, & vario cæli perdiscere morem
Cura sit ac patrios cultusque habitusque locorum
Et quid quaque ferat regio, & quid quaque recuset.
Hic segetes, illic veniunt felicius uvæ,
Arborei fœtus alibi atque iniussa virescunt
Gramina. Nonne vides Crocios ut Tmolus odores,
India mittit Ebur, molles sua Thura Sabæi?
At Chalybes nudi ferrum, virosaque Pontus
Castorea, Eliadum palmas Epeiros Equarum?
Continuo has leges, æternaque fœdera certis
Imposuit natura locis, quo tempore primum
Sunt homines nati, durum genus, omnia tentans.

Merito heic inclamat & exsgitat quasi durum genus hominum, quod summa Dei beneficia tam facile in pessimum protrahant abusum, ut etiam ipsum mare non amplius queat esse tutum à violenta tyrannide, quod solum avari miris infestant modis; sed etiam non verentur ipsi Iura sua pro libidine regnãdi Iurisdictionalia imponere, quum tamen omnium exsuperet facultates & vires. Quippe solius Dei universa hæc vastities subest Imperio, non dominationi humanæ, quę hoc sibi vendicare laborat, quod unicæ est omnipotentiæ, uti mox plenius brevibus explicabitur: modo prius audiamus quid de aquarum & maris descriptione sit sentiendũ. Maris enim fluminumq; usus, ut satis congrue Sigism. Buchnerus in dissertatione eleganti *de re & Iur. Aquatil. loquitur*, omnem pene orbem qui longis à semetipso dirimitur spaciis non solum sibi invicem notum, sed sociũ quodammodo & rerum omnium fecit communicabilem. In quo natura sagacissima negotiationibus hominum prospiciens, terrestres perfectiones, laborum plenas. & impossibile esse animadvertens, ut per eas omnis defectus sarciretur. Currus invenit aquatiles, quibus tanta vehi possunt onera, quibus vix aliquot millia iumentorum sufficerent. His temonis loco malum affixit, cui vela iugi instar adpendit, ut immissis ventorum flatibus, velut equis generosis more Zeuglis dirigerentur: neque hos habenis voluit destitutos: Clavum enim dedit gubernatori, quo arrepto, tanquam auriga, puppi, ut currus extremitati insidens, facili cum labore hinc inde pro nutu & arbitrio transferat; Sed & turbulentas ventorum procellas, ceu equos effrenes, freno cohibeat: Et cum scandẽdi sunt montes aquarum, qui ita volvuntur, ut etiam tacturos sidera putes, ne in præceps currus ruere possit, in locis conveniẽtibus anchoris sistat. Tandemque ut in vastitate hac immensa, semita & via quasi regia teneretur, quum antea ad minorem saltem Ursam, quam Cynosuram veteres dixere, oculos navigando cõvertissent, Flavio Melphitano primo acum seu pixidem nauticam See Compaß/ monstravit, ut mediante hoc Instrumento per Chartas Maritimas, (vulgo See Carthen) ad quaslibet Indiarum oras sine ullis ambagibus,

via rectior longeque accuratior quam ad alias provincias terra fieri poteſt, exiſteret. Sed priuſquam ad ipſum mare ulterius perveniamus, non minus heic preſtat eius percipere originem, ut inde conſtet quid proprie ſit.

Ubi primo notandum quod Mare, Oceanus, Pontus, Æquor, Pelagus, Fretum pro Synonymis habeantur, & aquarum congeriem determinent, licet inter ſeſe differentiæ nonnihil foveant. Aquæ autem nomen commune eſt, & elementum ipſum explicat, unde maris conſtitutio viget: nec tamen omnis aqua ſtatim mare, oceanum aut fluvium efficit; uti ex ipſa creatione id patet, *Gen. 1. cap. 1.* quando ita detegitur: dixit Deus quoque. Fiat firmamentum in medio aquarum, & dividat aquas ab aquis, ut inde diſtinctio aquarum ſatis clare affirmetur, quod elementaris aqua non ſit cæleſtis aqua, id eſt, ea quæ ſupra firmamentum diſtincta habeatur ab ea quæ eſt ſub firmamento, ut non incongrue *Valeſius in ſacr. Philoſ.* ſua docet pag. 35. aquam eſſe duplicem: uti aſtra vocamus æthereos ignes, ita quoque quod ſupra firmamentum eſt, vocari cœleſtes aquas ob puritatem, vel aquas, ſupra cœlos, quas David in Pſalmo ad laudes Domini provocet, quum aqua hæc ſancta ſit æterniratis per firmamentum ſeclusa, ab aqua tẽporali & impura, in ſuo Elemento, quæ quaſi inſtrumenti loco eſt aquæ internæ in his externis, ac originem habet ab igne, quum eius appetitus totus in aqua conſiſtat, ut ex generatione eius, conſervationem ſui, & recreationem cum lace acquirat, velut hoc in ſtellis clarum eſt. Conſumeret ignis ſemetipſum niſi refrigerium in aquæ humore & frigiditate inveniret. Nam quum omnes naturales ortus agantur concoctione quadam, ut idem Valeſius ibidem recte ait, quod caloris eſt opus, conſtat ſine eo omnia futura ſterilia, aquam præcipue. Veluti autem ortus tribuuntur calori, ceu efficienti cauſæ, ita tribuuntur humiditati craſſiori, qualis aqua eſt, ut materiæ; Atque hac ratione efficitur ut aqua ob humiditatem craſſam, qua abundat, ſit velut mater omnis generationis, & ignis pater per calorem.

Horum ergo fœcundationes ſive generationes maxime adſcribi debent aquæ, ab igni impugnatæ; Ita fit ut niſi duo hæc adhibeantur principia omnia ſterileſcant: velut terra niſi irrigetur primum ac deinde convaleſcat plane ſterilis eſt. Ipſum quoque mare quod omnium partium mundi eſt fœcundiſſimum, ut mirabilis rerum tam viventium quam vita carentium quæ in eo gignuntur differentia indicat, ſi calore deſtitueretur, futurum eſſet penitus generationis ineptum, & concretum frigore. Quin & tota mũdi aqua, niſi, à quo convaleſcat, igne fundaretur, futura eſſet glacies. Sic enim primum frigidorum recte eſſe dicitur, & nulla frigiditas poteſt illi eſſe præter naturam. Videmus vero eam aliquando concreſcere frigore: haberet ergo id ſecundum naturam ſemper, niſi aliquid accederet quod funderet. Quid vero aliud potius ſit, quam ignis, qui caloris omnis principium quum ſit, fovet atque fœcundat, factique animalium & aliarum rerum ortui & conſervationi idoneam. Ideoque recte *à Sebaſt. Baſſone* refutantur illi *in Philoſ. nat. lib. de aſt. interm. 2.* qui ignem aquæ extreme contrarium volunt, quando ajunt: Ignis abſumit aquam: Aqua vero ignem extinguit. Primum falſum, Alterum nihil infert: Falſum inquam eſt, ait, ignem aquam abſumere, quam rurſum ſecum captam ubi aufugiens deſerit eadem rurſus priſtinam formam reſumens recidit. Aqua ignem extinguit. Quid inde: Ventus quantumvis calidus & ſiccus flammam extinguit: Ergone contrarius. Fumus calidus & ſiccus candelam extinguit: Ergone contrarius? Flamma vaſtior flammulam extinguit: Flammane flammæ contraria? Eadem igitur ratione aqua extinguit ignem, qua ventus, qua fumus, qua flamma flammam. Quod pluribus ibi egregie explicatur, quei fiat, quum non ſit huius loci.

Sed revertimur ad diſcretionem aquarum, quam Deus in Creatione iis indidit. Dixitque itaque Deus (ita pergit Valeſius dicto loco) Cõgregentur aquæ quæ ſub cœlo ſunt, in locum unum, & appareat aridat & vocavit aridam, terram, & congregationes aquarum Maria. Hæc congregatio aquarum in unũ locum, ita ut certa facies appareret, ac nunc appareat, celebratur plurimum in ſactis eloquiis quaſi argumentum maximum potentiæ Dei. Mirum enim eſt, ut quod ſupra naturam eſſe videatur, terrã graviorem multo, & minorem aqua, ab ea non obrui, turgenteſque & elatiſſimos maris fluctus, intra certos fines ſeſe continere, neque in totam terram, quæ longo intervallo ſubſtare videtur ſeſe effundere. Verum hoc æque eſt argumentum ſapientiæ & potentiæ. Non enim violentia continet Deus terram ſuper aquas, aut cohibet aquas quo minus fluant; Sed ita compoſuit ab initio, ut naturaliter eveniat, ſitque, niſi Deus diſponat aliter, in æternum citra violentiam duraturum: Nimirum fecit non quidem terræ ſolius globum (hic enim neceſſario aut innotaret, aut ſub aqua totus emergeretur) ſed ex terra & aqua globum unicum: cuius centrum mundi etiam centrum eſt: non ita ut eiuſdem globi medietas altera aut pars tertia terræ ſit, reliquum aquæ (ita etiam mergeretur terra ſub aqua) ſed terra & aqua ita ſeſe continent mutuo, ut utriuſque ſit idem centrum, quod & totius mundi. Id vero fit, terra integrum globum reddente, eum vero non ſolidum, ſed maxima parte interius & ad ſuperficiem, cavum, ampliſſimaſque illas cavitates replente aqua; Quo fit ut terræ facies & maris ejuſdem globi ſint ſuperficies.

Ut vero non corruat tota terra in ſeſe, & in mundi medio ſubſidens, exprimat aquam, quum ſit cavitatibus plena, cauſa eſt longe maior ſoliditas, quã habet in profundis, quam ad ſuperficiem; quod iis qui aperiunt puteos, aut defodiunt mineralia, liquido conſtat; quum multo infra ſpeciem ſentiatur liqueſcere. Fecit ergo Deus ingentes ſinus, intra quos colligi iuſſit aquas, ut appareret arida; atq; ut ita manere poſſet, fecit firmiſſima fundamenta terræ. Itaque ſic congeſta eſt à Domino & collocata tota hæc aquarum moles, ut apte & libere tamẽ in illo ſuo alveo ludat & conſiſtat. Ex quo fit ut facile poſſit intelligi, mare, id eſt, huiuſmodi aquarum molem nõ modo conglobatam & à Deo compreſſam fuiſſe; ſed in medio ſui extumeſcentem & altiorem effectam, ut maiorem aquarum copiam in medio comprehenderet & haberet, quam in littoribus & extremitatibus ſuis. Nam mare à littoribus ſenſim in faſtigium

ſtigium adſurgit, uſque ad medium ſui in quo iam eſt profundiſſimum & copioſiſſimum mare quodlibet, & præſertim magnum mare, qui oceanus dicitur. Unde illic longe altius & eminentius eſt mare, quam terra: in littoribus autem ſecus: terra enim eſt altior, quam mare in littoribus. Tunc quoque ſuperiora aliquid de ſua ſubſtantia inferioribus quæ ab illis dependentiam ſuam habent, impertiunt, quum ex ſuperioribus vim acquirant cœleſtem ac emiſſentem, ut inde inferiora elevétur, quod in mari promptiſſimum eſt videre illis qui rite id obſervare noſcunt.

Eſt igitur aqua Elementum ut Nollius in Phyſ. lib. 2. cap. 4. ait. humidum, craſſum, grave, piſcium habitaculum, animalium refrigerium, mineralium & plantarum nutrimentum, generationum promotrix atque medium, quo intus abſumpto corpora in inferioribus elementis ſubſiſtentia influentias cœli ipſi incorporatas in ſe recipiunt. Inde non eſt in hoc mundo homo qui virtutes aquæ ſatis deprædicare poſſit. Etenim in aqua non ſolummodo ſunt cætera elementa, terra, aer, & ignis: ſed etiam per aquam ea corpora, quæ hiſce in inferioribus elementis conſiſtunt, producuntur, conſervantur, augentur, & incrementum virtutum accipiunt. Imo in aqua ſunt præſtantiſſima medicamenta, quæ vires omnium ſuperiorum corporum in ſe eminenter poſſident, ita, ut nemo dubitare debeat, univerſalem quandam medicinam ex aqua confici poſſe. Tum liquidum & humidum perfecte continet, ut fruſtra Scaliger ille, velut ſæpius in ſubtilitatibus vanis ſuis eſt potius futilis quam ſapidus, Cardanũ vero ſubtilem refutat, quod liquidum non ſoli aquæ competat. Unde enim liquor niſi res quælibet id beneficio aquæ habeat? Imo nullibi, ait iterum Valeſius cap. 34. mundi adeo luxuriatur generandi facultas, neque eſt tam multiplex generatio, quam in aqua ſalſa. Atque ut ego exiſtimo (ita addit) ille ipſe Dei Spiritus, qui aquis incubuit initio (quem ego ignem eſſe cenſeo) tales reddidit craſſas inquam & ſalſas: atque ita multiplici rerum generationi aptiores multo quam dulces. Sic certe nullum eſt elementum, quod plura naturæ vel potius Dei miracula in ſe contineat & producat, in quorum numero ſunt corallia, ſuccinum, & alia infinita atque preciosa potiſſimum; ut etiam inde Ethnicorum poetæ impudentiſſimam & ſatis blaſphemam fabulam oceano affingere auſi ſint, quaſi ab oceano & antiquorum Dii & res omnes initium ſumpſerit. Quippe quum omnia priuſquam oriantur aut intercidant, indigeant humore, ſine quo nihil vel corrumpi vel gigni poſſet, id oceano adſcripſerunt, ut Orpheus habet in hymnis; dicens:

Ωκεανον καλέω Πατερ ἄφθιτον ὅς ἐν ἔουτα
Ἀθανατῶν πασῶν γένεσιν, θνητῶν τ' ἀνθρώπων
ὅστε ἐχόμενος γαίης πάντ' ἐρεμνὸν κύκλον
ἐξ οὗ περ πάντες ποτόμοι, καὶ πᾶσα θάλασσα.

Oceanum dico Patrem Thetynque parentem,
Unde ortus ſuperis, ſimul & mortalibus extat,
Qui late terram ſpumoſis fluctibus ambit
Ex quo ſunt maris & fluviorum ſemina primum.

Unde quoque Latini Oceano potiores nominis partes præ mari aſſcribunt, quum Oceanus quaſi pater & Mare quaſi Thetys habeatur, ut ille ſit quaſi Rex totius dominationis, qui totam terram non uno ſed duplici aut gemino ambitu circumfluat *Macrob. 2. de ſom. Scip cap. 9. & Satur. lib. 1. cap. 24.* Ac Cicero ait, terra parva quædam Inſula eſt, circumfuſa illo mari, quod Athlanticum, quod magnum, quod Oceanum appellatis, *5. in Verr.* & Oceani freta dicit 2 *de Nat. Deo.*

A Equoreos itidem fluctus, quibus additus orbis
Oceanum appellant, pelagusque, ſinumque fretumque.

Ait *Hond. in fin. lib. 1. Coſmograph. Rudim.* Oras autem extimas Oceanus amplectitur, & dicit Sol. Polyhiſt. cap. 36. Nomen generale quidem mari attribuitur, tamen ita, ut ſpecialia ſibi adiuncta foveat, velut eſt Mare Adriaticum, Tyrrhenum, Ionicum, Mediterraneum, Schyticum, Caſpium, &c. At Oceano ita manet ſua gloria, ut 4. mundi partes ipſi deputentur in ſuo regno; velut dicitur Oceanus Orientalis, Occidentalis, Oceanus Auſtralis, & Hyperboreus ſive Septentrionalis, & ait *Virgil. lib. 7.*

Audiit & ſi quem tellus extrema refuſo
Summo vel Oceano: ut ſit mare magnum toti terrarum orbi circumfuſum. Æquor vero quum æquali ſuperficie dicatur, interdum tam pro mari quam terræ planicie accipitur: At Pelagus licet profunditatem maris potius indicet, tamen omni mari quoque applicatur, ſicut & Pontus ex particulari acceptione omni adiicitur mari à poetis maxime. Veluti igitur Deus eſt prima cauſa aquarum in ſingulari ſeparatione, qua diſcriminatione fecit ſuperiorum ab Inferioribus, & has in altitudinem ſuam conjecit mirabili regimine, ut inde Laus ipſi propria conſurgat Pſalm. 148. 4. Ita dat ipſe nivem ſicut lanam & pruinam quaſi cinerem ſpargit Pſal. 147. 16. ut ipſi ſoli hæc gloria aquis & profunditatibus imperandi, atque hoc pro nutu dominandi competat nam cœli cœlorum ſunt Iehovæ: terram autem dedit filiis hominum, Pſal. 115. 16. id eſt, uti recte ſe hoc habet patrum interpretatio, excelſiſſimos illos cœlos ſibi retinens, unde rebus omnibus dominatur, uſum terræ & infinitorum bonorum, quibus eam exornavit, hominibus ſingulari bonitate ad incolendum habitandumque dedit,

Qui cœlum ipſe ſibi ſervans, mortalibus iſta
Cuncta dedit vaſti rura tenenda ſoli.

Quod Eobanus Haſſus ita iucunde interpretatus eſt.

Mœnia lucentis Deus incolit ardua mundi,
Humano generi terrea regna dedit.

Terrea non ſunt marina & aquatica, cum in his Iuriſdictio & dominatio hominum, licet in terra ſatis ſint potentes. nil valeat, ſed plane ceſſet, atque Deus omnia ſibi peculiari ſui nutus regimine vindicet, quicquid hoc tumultuentur fluctus & ſua tempeſtate tremunt procellæ, uti David id luculenter teſtatur, quando dicit: Extulerunt aquæ Iehova, extulerunt aquæ ſonitum ſuum; extollunt undæ fluctus ſuos: ſupra ſonitus aquarum multarum fortium

lium fluctuum maris, fortis eſt in excelſo Iehova. Quaſi ita cum admiratione in Dei laudem effunderet, potentiam regiminis & Iuriſdictionis in mari eius reſpiciendo: Quantus eſt inundantium aquarum impetus! Quam terribilis inſurgentium ac mutuo ſeſe collidentium procellarum mugitus? Sed omnes iſtæ quantumvis ſonoræ & ſat violentæ tempeſtates, nihil tamen ſunt profecto cum immenſo Iehovæ ex ſublimi ſuo ſolio tonantis, & ſolo nutu tumultum illum omnem componentis, robore collatæ: Quanto vero facilius homunculos quantumvis ferocientes, idem ille compeſcuerit: Addit Pſaltes hoc: Teſtimonia tua firma ſunt ſumma: Pſal.93.3.4.5.

Terribiles quãvis ſpumis ferventibus undæ,
Convolvant variis in ſeſe cuncta procellis
Æquoraque immanes cælo ructantia fluctus
Evibrent vires ſatis alte, dira minando:
Attamen impuro & longe Deus altior ipſo
Fortis is exſurgit diſturbans omnia nutu.

Quippe vox Iehovæ eſt ſuper aquas, Deus gloriosus tonat: Iehova tonat ſuper aquas multas, vox Iehovę robuſta eſt: vox Iehovæ magnifica eſt, Iehova diluvio præſidet: præſidet inquam Iehova Rex in æternum. Pſal.29.3.4.10. Tu frangis in robore tuo mare, conteris capita draconum ſuper aquas: Tu confringis caput Leviathan, & ponis in eſcam populi qui incolit deſerta. Pſal.74.14.15. Quis in nubibus comparabitur Iehovæ? Iehova Deus Zebaoth. Quis ſicut tu fortis Deus? tu dominatis ſuperbiæ maris, dum attolluntur fluctus eius, tu compeſcas eos. Pſalm 88.6.8.9. Tu contignas in aquis cœnacula tua, & nubibus quaſi curru inveheris: ambulas ſuper alas venti: Quam magna ſunt opera tua Iehova! Et mare ipſum, quam vaſtum & immẽſum eſt! illic reptilia abſque numero, & animantia puſilla cum magnis: illic naves ambulant, Leviathan quem formaſti ut ludat in eo. Omnia ad te reſpiciunt, ut des eſcam ipſis in tempore ſuo, das illis & colligunt, &c. Pſal.104 24.25.26.27. Tam aſſidue potenti regimine in mari ſuam dominationem ſolus exſequitur, ut etiam omnium eorum curſus in mediis dirigat tempeſtatibus & fluctibus, qui navigationibus ſuum ſibi victum & amictum per maris tranſcurſus quærunt. Sicuti id plenius quoque Pſal. 107. apertis loquitur verbis, quæ ita ſe habent. v.23. & ſeqq. Qui deſcendunt in mare navibus: qui occupantur in aquis magnis, hi vident opera Iehovę, & mirabilia eius in profundis. Locutus enim & facit ſurgere ventum procellæ qui in ſublime attollit fluctus eius. Adſcendunt in cœlum & deſcendunt in abyſſos: anima eorum miſeria diſſolvitur. Agitantur in gyrum, & vacillant ſicut ebrius: & omnis ſapientia eorum abſorbetur. Ac clamant ad Iehovam in anguſtia ſua; qui ex oppreſſionibus eorum liberat eos, facit conſilere procellam in ſilentio & ſileſcunt fluctus eorum. Et lætantur: quia ſedati ſunt: & deducit eos ad portum deſiderii ipſorum. Celebrat Iehovæ beneficentiam eius & mirabilia eius inter filios hominum. Et extollant eum in populi cœtu & in conſpectu ſenum laudent eum, &c. quaſi diceret: Cæterum qui navigiis maria ingreſſi ibi verſantur & in aquis negociantur: ſi demum magna Iehovæ opera intuentur, & quam ille ſeſe mirabilem in illis maris gurgitibus immenſis demonſtret ipſis oculis ceernunt: Nam ſimul atque locutus eſt, inſurgunt ſtatim horrificæ tempeſtates, cientes ventis æquora & confligentibus procellis intumeſcunt: ipſi cum navibus victores in cœlum uſque attolluntur, nunc ad imos gurgites animis præ formidine colliquatis devolvuntur. Agitant illos in gyrum turbine, hinc & illinc ebriorum more vacillant: nullus arti, nullus viribus relinquitur locus. Quos tamen ad ſe in hac anguſtia clamantes Iehova ex iis quibus premebantur miſeriis eruit. Procellas enim idem, qui concitarat, compeſcit, & ſubinde ſubito fluctus conticeſcunt. Illi vero ſedatis fluctibus læti, tandem in portus optatos ab ipſo provehuntur. Agite igitur vos propter tantam Iehovæ beneficentiam coram ipſo gratias, cæteriſq; mortalibus mirifica ipſius benefacta prædicate. Extollant inquam iſti Iehovam in medio populorum circumſtãtium coronam & in ipſorum primatum conſeſſu collaudent, &c. Quod idem luculentis verſibus exprimit *Eobanus Heſſus.*

Qui maris alitibus ſulcant vada ſalſa Carinis
Solliciti, & vaſtas ingrediuntur aquas.
Illi opera in medio ſpectant divina profundo
Factaq; in immenſo prodigioſa mari.
Inſſerit, exiliunt venti, tumida æquora ſurgunt,
Mota procelloſis fluctibus unda fremit.
Et nunc in cælum tolluntur, nunc infima rurſus
Tartara mox animo deficiente labant.
Iactantur, nutantq; miro velut ebrius hauſto
Et ſenſus animi nil ſapientis habent.
Qui ſimul ad dominum clamant in rebus egenis,
Audit & adverſo tempore mittit opem.
Nigrum diſcuſſa mare tempeſtate ſerenat,
Redditaq; compoſitis fluctibus unda ſilet.
Tunc læti exſultant quod murmura ranca quierint,
Quod tenet optatam tuta Phaſelus humũ.
Ergo Dei celebrent tantæ pietatis honorem,
Ipſius in populis facta ſtupenda canant.
Laudibus extollant, in cordibus, omnibus ipſum
Per loca Sanctorum conciliata ſenum.

Hæc ita debite celebrat ſolenniter Rex David, quum laus & gloria non ſolum primus & primarius finis ſit Dei ipſius opificis ſummi in tam admirando opere; ſed etiam ut demonſtret, quam aſſidua cura dominium aquarum in ſuæ Maieſtatis declaratione undique conſervet & perennitet exerceat, ne quis heic mortalium in eo regimine, quod omnis hominum exſuperat vires, quid ſibi proprietatis aliquo iure vendicet. Chriſto filio & Salvatori noſtro omnia pedibus ſubiecit etiam piſces maris, Pſal. 8. ita ut ad nutum obedientiæ ſubiicere ſuæ potuerit ventos & fluctus maris, Matth.8. ac piſces, quos D. Petrus ſuis ad iuſſum Chriſti incluſit retibus: velut & dorſo matis pedibus inambulare atque incedere viſus eſt, ac iuſſit, ut piſcis ipſi monetam ſtaterę miraculoſiſ-

culosissime ad vectigalis solutionem expueret. Maris autem ipsius & collectionis separationisque aquarum à terra, quanquam ratio supra exposita est, & summa utilitas demonstrata, & cui eius dominiũ competat: tamen duplex eius scopus in his adiiciendus est, ex quibus primus est quod Mare appareat esse pulchertimum & maximum quoddam miraculorum Dei Theatrum ac quidem longe terra ipsa illustrius & excellentius, ut supra ex Psalm. satis explicatum est. Velut id quoque satis est cernere & facile probari potest ex motu maris, piscium innumerabili varietate rebusque iis quæ in mari ac Oceano nascuntur.

Denique quod Dei ipsius iudicia & misericordia ab hominibus mare navigatione permeantibus manifestissime assidueque percipiantur & cognoscantur. Alter autem Scopus tam latæ tamque vastæ alicuius aquarum diffusionis colligendæ & dispergendæ est fuitque, ut haberent homines brevem & facilem mutuæ inter sese mercaturæ exercendæ & commerciorum communicationis viam, & iter, uti ex supradictis Psal. apparet, ac Esa. adserit. 23. 1. 2. atque docet exemplum Salomonis. 1. Reg. 9. 26. 27. Etsi enim terrestre iter videtur esse tutius, est tamen navigatio, & commodior, & utilior, & brevior, aptiorque ad merces hominum in longinquas regiones vehendas à Domino concessa, adeo ut eius libertas nemini sit prohibenda, ceu ipse Oceanus undique terræ obvium & pervium se præbet. Namque est iste Oceanus maxime proprius aquarum alveus, locus & collectio, & verum illud mare, quod S. Scriptura nominat lamim; quicquid etiam huc *Scalig. exercit.* 325 17. de Marath Chaldaice amarũ inferat. Sed usum non minus optimi clementi hominibus adimit qui navigationem aut improbat aut impedire conatur, quum omnino plures è mari, quam è terra commoditates percipiantur, ut inde etiam maximæ & florentissimæ civitates omnium regionum enatæ sint atque extructæ, quo magis se in commerciis marinis exercuerint, quum inde optima & compendiaria rei familiaris augendæ via vites sumat.

Certe hoc optimum & antiquissimum imo & utilissimum esse inventum, docet Ezech. de Tyriis loquens cap. 27. Quod igitur Deus in natura ipsa ita constituit ut non possit in hominis unius possessione includi, sed usus ita sit communis, ut ad omnes simul mortales transeat, & omnibus in aperta via sit communicabilis, quis adeo hinc velit esse insanus, ut hoc velit supra vires humanas positum suæ potestati ex avaritia attribuere? Quis quæso sibi aeris dominium pro Iurisdictione acquirenda aut adepta iã velit adscribere? quod extra occupationem humanam est, num quis dominium in eo agere possit hæreditarium aut administratorem potentem?

Si quis tamen inter terrę Dominos sit, qui non nihil obstinatius hanc absurditatem (uti mundus hodie plenissimus & vesaniæ & insaniæ omnis generis) sibi imaginari ausit, illum meminisse tamen oportet, se Dei mandatis subesse, imperiumque in cives non servos, non bestias exercere, & propter subditos se vivere in hoc dignitatis officio, non è contra; caveatque (uti recte *Dieter. scribit in Decal. suo de Iur. Mar. potest.*) sibi ne ex magna fortuna licentiam tantum furentem usurpet, ne omnem tyrannidem omnis clementiæ, modestiæ, honestatis, æquitatis, moderationis, contemptum maiestatis obtenta velit. Sed illud Imp. Galbæ Imperium Pisoni tradentis semper cogitet: Utilissimus ac brevissimus bonarum malarumque rerum delectus; cogitare quod aut nolueris sub alto Principe aut volueris. Neque enim placitum ullum eo extenditur, ut pro libidine omnia administrare, & quadrata rotundis, candida nigris, ut Dd. loquuntur, mutare posset, imo naturã invertere ipsi licitum foret, sed quum salus populi suprema lex sit, & princeps publicæ salutis causa cõstitutus, cuius teste ipso Iustiniano & Friderico Impp. proprium est subiectorum commoda imperialiter existimare. ut singulorum status iugiter servetur illæsus. Consequens est placitum alicuius totum ad bonum publicum ad populi salutem esse dirigendum.

Quod si quis quid in naturam aut Deum inique, aut contumelioſe statuat, haut minus Princeps bonus dici potest quam poeta bonus qui præter numerum canit. Quippe Dei lex & vox æterna est, & naturæ ipsi ita inscripta, ut prorsus maneat iuris immutabilis. Quare nec quid heic sibi sumit in Dominio & arrogatione Oceani, quod ipsi prohibitum à natura ipsa, & Deo soli competit. Quum vero id perquam diligenter Sigis. Buchn. de Re & Iure æquatili, cum fundamento rationis non levi pertexerit, iuvat illum heic id plenius attestantem introducere quando sic loquitur: Hic naturali iure commune omnium esse Marcianus respondit. Unde Cicero quid tam commune, inquit, quam mare fluctuantibus littus eiectis? Itaque cum inter prima & idem asseverat, Iustitia sit munera rebus communibus pro communibus & totius humanitatis consensu proprietati subductum sit mare propter perpetuum eius usum communem, occupatione in ius proprium transire non poterit.

Quo igitur intelligendum modo quod Ctus Paulus: si Maris proprium ius ad aliquẽ pertineat, interdictum uti possideris ei competere ait? Et verisimile non puto Ctum de mari ipso uti nos vocamus die offenbare See sed bene de adiacenti quopiam & adhærenti diverticulo freto aut sinu sensisse. Quin enim mare ipsum vel pars eius potissima occupari nequeat, eo quod occupatione hac usus promiscuus & communis impediatur neminem puto dubitare. Hoc vero non impedit, quod nec diverticulum aliquod vel sinus maris proprietate privatus fieri possit, uti Lucullus exciso apud Neapolim monte ad villam maria admisit: Et Martialis quodam in loco de Formiano testatur Apollinari. Eodem modo dominium universalis Iurisdictionis & profectionis Maris vel sinus Hadriatici, qui vocari solet Golfo di Venetia & se non ad Clodiam usque fossam quæ nunc Chioggia appellatur, sed ab urbe ipsa Otrantum & Velonam usque se extendit iure occupationis sibi proprium, sereniſſima Respubl. Veneta adquisivit. Quod si enim privato cuicunque diverticulum fluminis publici occupare, & post plurium annorum possessionis continuationem iure proprio habere licet ita alterum eodem iure uti prohibeat, etsi extra diverticulum in flumine ipso idem non concedatur, ne scilicet communis impediatur fluminis usus: Cur universitas vel communitas

aliqua

aliqua ſuperiorem non recognoſcens in adquiſitione ſinus eiusdem vel diverticuli maris iure univerſitatis & ſuperioritatis deterioris foret conditionis? Et ſi libenter detur, Mare ipſum in commercio eſſe non poſſe, utpote cuius occupationem nec natura, nec uſus publici ratio admittat? Non enim de Oceani occupatione mihi ſermo eſt, quem immenſum incomprehenſibilem terum patentem, cæloque conterminum antiquitas vocavit, qui per reciprocas æſtuum vices terram ambiens, neque teneri neque includi poteſt, & verius poſſidet quam poſſidetur: ſed de ſinu modo maris, qui alicubi vel duplam fluminis latitudinem excedit. Nec impedit, ſi quis cõtendat iurisgentium primævi eſſe, ut qui mari cohærent ſinus, omnibus ſint communes. Ab eo enim iure poſtmodũ plurima ex parte receſſum eſt, quoad Dominium & proprietatem, quæ ab antiqua illa communione ſegregata, diſtincta & diviſa ſunt. Ideo quod rationes quæ in mari ipſo obtinent heic ceſſent.

Non itaque ius Venetorum, ut communiter, at minus recte coniiciunt, ullo privilegio exemptionis nec in conſuetudine vel præſcriptione prætenſa, fundatur. Nam ſi præſcriptione adquiſiviſſe dixerimus, aut contra ſeipſos præſcripſiſſent, quod ridiculum, ſublata nimirum inter agentem & patientem differentia: aut quod abſurdum, contra alios. Cum enim ius præſcriptionis mere ſit civile, locum id non habebit inter populos ſuperiorem non recognoſcentes. Certum namque eſt iura civilia cuiuſcunque regionis, quoad exteras nationes non magis eſſe in conſideratione, quam ſi revera tale ius non eſſet: Hic vero videas adulantium artes, quibus fere omnis obnoxia poteſtas eo proceſſiſſet, ut Imperatorem orbis univerſi Dominum ſalutent; & hac ratione Venetorũ libertatem impugnatam ire tentant. Pura tamen & ſola nobis dictat veritas non plus iuris eum habere, quam lege Regia in ſe fuit translatum. Atqui neminem puto latere ab univerſali hoc imperio longe nimis Romanos abfuiſſe, præter alias ſiquidem nationes plurimas, nec populos Parthos, nec Perſas, nec Polonos, unquam ſuo imperio ſubditos habuerunt. Imo nec in ea quidem ius habet imperator, quorum aliquando fuit Dominus & iam amiſit: quoniam quo iure quæſierat, eodem perdidit, ſtrage ſcilicet hominum & bellicis furtis.

Quod ſi vero quis omnino velit Impp. mundi Dominos merito appellare, in eius caſtra lubens tranſierim, ſi hoc capiat, non de univerſali terrarum orbe, id quod nulli unquam vel Aſſyriorum vel Perſarum vel Græcorum Monarchæ contigiſſe ex hiſtoriis patet. Verum quod Impp. noſtri omnes terrarum Reges & Dominos mundi gloria & dignitate antecedant, cum ſummis Græcorum Monarchis ſucceſſerint, & quartum ultimum ſed debilius regnum à Daniele prædefinitum ad eos fuerit translatum. Sed inde Venetorũ manat ſuperioritas, quod ædificarant in Mari vel ſinu nullius Iuriſdictionis tũ temporis ſubiecto, vel ſi quis malit, iure occupato, uti ab incunabulis ita in hunc uſque diem alieni Imperii plane neſcio. Nam Italiam vaſtantibus Hunnis, Veneti, ut tyrannidem eorum vitarent, in lacunas maris Hadriatici ſe receperunt, ibique urbem iactis fundamentis ſub Pontificatu Innocentii I. Imperantibus Honorio cum Theodoſio Arcadii filio anno ſalutis CCCCXXI. felicibus auſpiciis condiderunt eo loci qui ab orientali Imperatore propter Barbarorum metum derelictus fuerat, neq; ab occidentali Imperatore nunquam fuit occupatus multo ſecius à Barbaris iſtis oppreſſus. Occupationis igitur iure optimo maximo pro libertate tam civitatis quam Maris pronunciandum ſic foret.

Nihil faceſſit quod ex Sigonio lib. 4. de Regno Italiæ, de fœdere inter Nicephorum Orientis & Carolum occidentis Impp. icto in quo nominatim expreſſum ſit, ut Veneti inter utrumque Imperium poſiti, liberi atque immunes & ab utroque ſecuri viverent, ac ſine moleſtia res ſuas in agro Italico poſſiderent, adferunt. Ex eo enim tantum abeſt, ut libertas Venetis de novo collata probetur, ut potius proprio motu confirmata, ex ipſis Impp. verbis colligere ſit planiſſimum. In ſupremæ huius eminentiæ ſignum, illud abunde magni eſt argumenti, dum quotannis ipſa Dominicæ Aſcenſionis die Dux cum magna ſenatus parte Bucentauro, purpura & auro inſtrato mare deſponſatum ad ſinus fauces progreditur, inauratoque annulo è puppi in ſubiectum pelagus proiecto, ita fatur, Deſponſamus te mare in ſignum veri perpetuique Imperii, quem morem licet quidam tempore Papæ Alexandri 3. & Friderici Imper. 1. inoleviſſe ſcribant, à primo tamen Venetorum Duce Pauluzio Anazato Heracleano ſtatim introductum, & inde ad poſteros propagatum ipſorum annales veroſimilius teſtantur. Ridicula quidem ceremonia, ut loquitur *Keckerman. 1. polit. cap. 19. pag. 312.* ſed tamen prudenti admodum inſtituto. *Contaren. de Repub. Ven. lib. 19.* Quanquam ſi de fundamentali iure quo huiuſmodi dominium ſibi vendicant, ex norma veritatis exacte iudicare quis velit, illud non adeo ſtabile & firmum eſſe videri queat: Quod ipſi quoque tanquam prudentiſſimi regentes non adeo ſunt diffeſſi, ſed diſſimulatione obtexere quaſi, dum Pontifici Romano quærenti, quo iure vectigalia & alias iuriſdictiones in mari Adriatico ſibimet ſolis vendicarint, iſta privilegia in donatione Conſtantini Magni contineri, & in maiori iſtius rei fidem ſtatim in membranæ illius altera facie maiuſculis litteris ſcripta eſſe, reſponderunt ſatis expedite. *Camer. 1. med. hiſt. 62. Camman. de Regal. diſput. 7. th. 28.* Qua admodum civili relatione id obtinuerunt, ut non amplius ea de re ipſis mota ſit quæſtio, ſed tuta in quietudine ſuam continuerint hucuſque Dominii vel quaſi poſſeſſionem.

Quod autem de Oceano & mari patenti hucuſque introductum & adſertum eſt, num idem de littoribus ſit intelligendum, famoſa eſt quæſtio? Quẽ admodum olim expediti & ingenui animi vir Borcholdus erat, quem tunc optime novi, ita quoque ſat luculenter reſpondit pridem. Ait ideoque, inter res communes uti ipſe Imperator numerat mare, & ideo nemo in mari piſcari aut navigare prohibetur, & ad verſus inhibentem competit actio iniuriarum. *l. 10. ſi quis in mare l. iniuriarum §. ult. de iniur.* ſic littora quoque communia ſunt *l. 2. de re. diviſ.* Quia acceſſorium ſunt maris, & acceſſorium ſequitur naturam principalis *l. 2. de peculio legat. c. acceſſorium de reg. iur. in 6.* Ad littus maris igitur accedere quivis poteſt, non piſcandi tantum gratia, ſed etiam ædi-

ficandi & occupandi causa, *l. quod in litt. de acquir. rer. dom. l. in litt. ff. ne quid in loc. publ.* in tantum ut soli dominium constituatur, quæ ibi ædificat, sed quam diu ædificium manet. Ædificio collapso, quasi iure postliminii revertitur locus in pristinam causam, & si alius in eum locum ædificaverit, eius fiet. *l. in tantum de rer. divis. l. quod in litt. de acquir. rer. dom. Borch. in Instit. §. de rer. divi.* Cui etiam egregie sententiæ & veritati maxime consentaneæ ab aliis subscribitur *per d.c. unic. l. 14. & l. 30. in fin. ff. R. D. §. litterum*, §. *Insula, Instit. eod. Peregrin. d. l. num. 17. Bellinger. de spec. princ. rub. 28. num. 16. Heig. quæst. 40. num. 57. Borchelt. ad d.c. unic. num. 11. Sixtin. de Reg. cap. 3. num. 97. Roland. de commiss. lib. 2. part. 4. cap. 10. num. 3. Camman. de reg. disp. 7. th. 27.*

Unde facile evinci potest & iudicatier quanti sit illud æstimii, quod *Bod. 1. de Repub. cap. 10. num. 171.* de principum maris accolarum communi receptione infert, quod 60. milliaribus à littore legem ad litus accedentibus ferre queant, licet id iudicatum in causa Ducis Allobrogum dicat quod facile est invenire, unde favor præiudicialis sit ortus: uti etiam eiusdem valoris est, quod ibidem indicat, consuetudinario iuri adiectum fuisse; ne anchoras cuiquam alienis littoribus sine principis consensu iniicere licitum sit. Sed sinus cuiusdam maris in dominium acquiri, eidemque leges imponi posse, neutiquam vero ipsi mari, & multo minus Oceano ad impediendum communem usum maxime in negociis naturalem, id satis hucusque demonstratum quidem est: multo tamen magis etiam in hoc elucidatur, quod ad Regalia iuris Maiestatici, non mare, non Oceanus, non littora, sed flumina publica & quidem navigabilia portusque eorum & ripatica saltem iuxta usum eorum in navigatione piscationeque ac si quæ simultates referantur. *d. c. unica, ubi Dd.* omnes quoque consentiunt. Sicut enim viarum publicarum, ita fluminum etiam publicorum per terram in territorium Imperii cura ad Imperatorem spectat, non ulterius quid sibi vendicare valet, ut inde non levi laboraverit erroris pituita ille Imperator, quum haut alio sceptro mare cogere posset, quam ut virgis id cedi iussit, quando contra ipsum tantis insurrexit procellis, ut cursu illud nequiret traicere; velut eiusdem est tenoris, quod alius ausus fuerit sibi Generalem Commissariatum adscribere Oceani & Baltici maris, quum interim non intelligeret an differentiæ quid inter mare & Oceanum constitui posset. Mare quidem Ionicum, Tyrrhenum, Adriaticum dicere licet, velut & Solinus de Oceano Septentrionali, mari Caspio, deq; Baltia Insula singularia cap. 30. scribit & cap. 36. recensет, quas oras extimas Oceanus amplectatur, qui à littoribus suis Arabicus, Persicus, Indicus, Eous, Sericus, &c. Atlanticus, Libycus & Æthyopicus vocetur, cuius accessus incrementa circa littora Indiæ vehementissime proruant: Sed propterea non scite dicere licet Mare Oceanicum, quum error sit locutionis in lingua & Oceanus maris nomen in se contineat, idemque exprimat, ut nemo sanus inde sic sit locutus, & cum eo significatu merito talis titulus inaniter concidat, præsertim cum neque quis inter Terræ Dominos detur immensæ tantæ potentiæ, qui tale prædicabile cuiquam revera conferre possit, nisi sit Deus, qui solus rectoram tam vastæ molis sibi reservavit. Imperatoris enim regale non esse, sed semetipsum ab eo excipere clarissimus testatur textus, §. *Quoad lib. 2. Inst. tit. 1. de rer. divis.* uti supradictum est, quum flumina publica & quidem navigabilia adsignet sibi in hoc iure; alias non omnia flumina ad Regalia pertinent, nec etiam omnia publica hoc est perennia vel quorum usus publicus est. *Dn. Frider. d. c. num. 5.* Illa scilicet quæ recta in mare quidem defluunt, aut alias perennia quidem non tamen navigabilia, aut eius effectus sunt ut navigabile flumen reddant *lib. 2. de flumin. Sixt. d. ca. 3. num. 12. & seqq.* sed qualia ipse Imperator determinat quæ venterm, id est, alveum habent, uti recte monstrat *Camman. in d. disp. th. 23. 24. 25. & ex Bart. & Bald. sententia in Rubr. de R. D. n. 29.* comprobat.

Ad usum vero fluminum publicorum, teste Ulpiano *in l. 24. de damn. infect.* pertinet licentia cuilibet competens publice in illis ædificandi & destruendi, dum tamen hoc sine incommodo cuiusquam fiat, & consensus ac permissio principis vel generaliter eius, qui cum Maiestate, accedat *l. 1. pr. & §. 10. ne quid in loco publ. lib. 23. aq. & aq. plu. arc.* Quippe cum in hisce casibus quæstio sit, non de solo usu sed etiam de occupatione rei quoad proprie talem ad Rempub. vel cum pertinente qui hanc gubernandam suscepit, *Roland. à Vall. cons. 97. num. 4. volum. 3. Capell. de R. D. P. cap. 31. num. 4. VVesenb. §. flum. verb. comm. l. de R. D.* Quamvis si quid in huiusmodi loco publico constructum sit, quod publico usui non obstet, is, qui operibus publicis præest, illud non quidem deponere, sed salarium seu vectigal fisco pendendum ei imponere debeat. *d. l. 1. §. 17. Frider. cap. 38. de mand. extr. num. 2. Camman. d. disput. thes. 31.*

Hinc enatæ sunt plurimæ quæstiones, quæ quidem non incommode quoque enucleari possint. Sed dum saltem ea respicimus quæ ad communem commerciorum usum in navigatione libera faciunt, non opus est ea pluribus attingere: priusquam tamen ad telonia & eorum abusum concertationemque, quæ non tantum de sinubus maris, sed etiam de dominatione partium marinarum habentur perveniamus, heic paucis inseremus quæstionem de bonis naufragium patientium, quum in eo non exiguus à multis committatur error cum dolo. Quæritur itaque,

An facto Naufragio, bona quæ extant in navi, cadant in commissum, & ad Dominum fluminis & ripæ perveniant.

HUic Regali fluminum navigabilium & alia navigabilia facientium affine merito habetur compendium naufragorum, quod sibi vendicant Regalia exercentes, in Sicilia, Anglia & aliis nonnullis in locis, quibus nempe persuasum est, quum flumina pertineant ad Regalia, bona etiam eorum qui naufragium passi sunt, cadere in commissum & ad dominum loci, cuius est flumen aut littus, pertinere, quo nihil absurdius & iniquius excogitari potest, quam ex re omnino & calamitosa & luctuosa emolumentum cum pernicie alterius capere. *Sixt. de Reg. lib. 2. cap. 3. num. 91. Hersb. in discep. Fend. 10. Th. 11. Besold.*

fold. diſp. Pol. 3. Claſſ. 1. theſ. 4. Fridenreich. pol. 25. Geil. 1. obſ. 18. Pet. Greg. in Synt. lib. 3. cap. 14. n. 8.

Unde cum Cæſaris Legatus coram Henrico 2. Francorum Rege Anno 1556. conqueſtus eſſet, duas naves ad littus eiectas, & à Iordano Urſino captas eſſe, eaſque reſtitui poſtularet, Hannas Montmorantius Magiſter equitum reſpondit, ea quæ ad littus fuiſſent eiecta omnium gentium iure ad principes, qui littoribus imperarent, pertinere. *Bod. d. cap. 10. de Republ.* Quod compendium quoque olim in Germania uſitatiſſimum fuit non modo in mari & Oceano, ſed etiam in Albide & Rheno, ubi contra Fridericum comitem Stadenſem olim diſputatum ab Archiepiſcopo Bremenſi, eum ſervili ventre fuiſſe natum, propterea quod ipſius mater, facto in Albide naufragio, quum ventrem gereret, in Archiepiſcopi poteſtatem iure naufragii veniſſet. *Spangenb. in Chron. Querfurt. Kirchn. de Rep. diſput. 17. Coroll. 7.* Sed condonetur hoc Kirch. quod rationis & humanitatis hoc naufragium dicat. Alias enim non congruit cum iure naturæ, quem noſtris opibus & operibus ſublevare debebamus, ei reliquias, quas ad littus vel ripam eiectas bona fide & cum condolentia reſtitui oportebat, diripere velimus & duplici damno gravioti mactare, quum nulli afflicto addēda ſit afflictio. *l. 14. ff. de offic. Præſul. & l. 28. C. de Epiſc. Matth. Stephan. de Iuriſd. Imp. Rom. lib. 2. part. 1. cap. 7. memb. 1. num. 273.* Ideoque recte illud Barbarum dicit Bodinus ipſe Gallus, additque ſi in ea re non vero errore ſed ſcientia peccatur ſcelus eſſe, quod erroris ſpecie prætendatur. Quare Imper. Fridericus 2. in auth. navigia. *C. de furt.* has conſuetudines omnium locorum ſuſtulit merito, & navigantibus ſua bona integre reſervavit, ac transgreſſores propriorum bonorum publicatione ex iure talionis mulctavit. Quem ſecutus eſt Carolus 5. in Nemeſi ſua, ſeu *conſtit. crim. artic.* 29. ubi huiuſmodi conſuetudines tanquam corruptelæ gentium peſſimæ & plane irrationales annullantur, & caſſantur, & in perpetuum tolluntur; quem locum omnino quis obſervet & legat, quia plures caſus continet, quibus conſuetudines quorundam locorum Germaniæ ipſo iure reprobantur & canonem latæ ſententiæ fovent. Quapropter quum adeo nunc odioſa & omni iure prohibita ſint hæc perverſitatis compendia, contra eos qui ſic naufragium paſſos ſpoliant, mandata ſine clauſula in camera Imperiali decernuntur. Quod in cauſa civitatis Lubecenſis contra comitem Oldenburgenſem, & in cauſa civitatis Hamburgenſis contra Duces Holſatiæ factum eſſe teſtatur *Geil. 1. obſer. 18. num. 6. Sixt. de Reg. lib. 1. cap. 3. num 95.*

Si autem ſint navigia qui piraticam pravitatem exercent, & Chriſtiano nomini inimica, tunc merito bona cadunt in commiſſum & ad Dominum pertinent. Sed cum omnis navigatio ex portu veniat tendens in alium ubi merces impoſitas exonerent negociantes, paucis quoque heic nobis de portu agendum eſt, ut etiam de eius commoditate & iure heic quid conſtet. Quemadmodum enim ante Friderici tempora portuum & fluminum publicorū par fuit habita ratio; ſic & Imperator tam portus quam flumina navigabilia & ea quibus fiunt navigabilia inter Regalia in *C. un.* referre voluit, & portus fluminibus mox ſubiunxit *Roſenth. de feud. cap 5. conſ. 32. ult. de feud. cap. 5. num. 7. Borer. de nat. iur. Matth. concl. 44.*

Per portum autem hic non intelligitur domus cuiuſque & tuta habitatio, in qua quis degit, prout accipitur aliquando in ll. 12. tabul. neque Inſula ſive locus talis concluſus, qui à cæteris domibus & ædibus ſecluſus eſt, in quo merces importantur & exportantur *l. portus 59. de V. S.* qualium portuum proprietas quum cuiuſque civitatis negotiatoriæ ſit, ut theatrum & alia de quibus *in §. univerſitatis Inſtit. de rer. div.* ſed ſtationem munitam & firmatam in mari vel flumine, ubi naves tutum receptaculum ſuum inveniant, ibidemque ſecure ſtare poſſint, ac à ventis, procellis, & piratis tutæ ſint *l. 1. §. 23. ff. de flum. Borer. de Reg. c. 3. num. 130.* Et tamen hi vel ſunt naturales & natura loci muniti vel artificiales. *argum. l. 7. C. de oper. publ.* quorum hi conthones vocantur. *God. ad l. 59. de V. S.* Talis ſtationis navalis locus ſacer habetur, ut non ſine animadverſione ſit, qui heic quid petulantiæ exerceat. Et quamvis portus publici ſint, ac proprietates eius populi, ubi erecti vigent, Imperator tamen non minus circa portus quam circa flumina diſponere poteſt, ut ob id portus ad regalia referantur. Hoc quoque modo portus conſideratus rationem vectigalis in ſe continet, quod ex navium ſtatione Imperatoris fiſco ſolvitur *per l. 17. §. publica ff. de V. S. Borer. d. lib. cap. 3. n. 31. Nicell. deciſ feud. c. 5. concl. 31. un. 4.* Qui portum expreſſe interpretantur de vectigali quod pro tranſitu per pōtem ſumitur: Portus ſiquidem appellatione pons non cōtinetur: ſed hoc vectigal portus una voce portorium appellari communiter exiſtimant. *per l. 3. C. de vectig. l. 203. de V. S. God. lib. 17. §. 1. num. 8. de V. S.* quum nomina rebus ipſis conſona eſſe debeant. *§. eſt & aliud §. ſed prim. Inſt. de donat.* Licet id diſpliceat Borero *d. l. num. 131.* Nam vectigal quod tranſeuntes per pontem aut publicam viam pendunt, pedagium proprie dicitur, quod Gallis eſt ponrenage. Vectigal hoc portuum, quia generaliter fiſco addicitur. *l. 17. §. publica ff. de V. S.* etiam illud ad regalia pertinere volunt, quod pro navium ſtatione ex portu præſtatur artificiali, quaſi non ad eum populum ſpectet, qui portum extruxit, eundemque ſua opera & ſumptu conſervat. *Borer. de Regal. cap. 3. nu. 131.* ubi tamen hoc ſimul concedit, quum naturalis æquitas poſtulet id, ut qui cōmodum percipit etiā onera ſuſtineat, proinde quoque competat imperatori, ut in refectionem & reparationem horum portuum artificialium de vectigali quid conferat & collocet.

Hinc maxime quoque inter Regalia, relucent vectigalia, quæ vulgo telonia dicuntur, quæ interdum minoribus annumerantur regalibus, interdum maioribus. Minoribus quando ad Imp. fiſcū pertinent. *l. 1. ff. de loc. publ. fru. l. inter publica 17. ff. d. V. S. l. 1. §. 1. ff. de publ. & vectig.* Maioribus ſeu Maieſtatis Regalibus annumerantur quo ad poteſtatem tribuendi principi, Comiti, Baroni, Nobili aut Reip. alicui ius exigēdi vectigal. Hanc enim poteſtatem ſolus Imperator concedere poteſt, non alius quiſpiam. *l. vectigalia 10. ff. de publican. & vectigal.* Imo qui authoritate propria nova vectigalia inſtituere deprehenduntur pœna ambitus puniuntur. *l. un. §. Item in 4. ff. ad l. Iul. de ambit.* Et ſane de Regalibus ſupremi principis

ea esse, & à *Frider. 1. in c. nn. Quæ sint Regal.* expressè inter ea referri eo minus mirum videbitur, quod etiam antea iure civili Imper. horum ius competierit, & in iis constituendis consensus eius necessarius fuerit *d. l. vectigalia l. 1. 2. & 3. C. nov. vectig. Instit. c. innovamus de censib. & l. super quibusdam §. Præterea de V. S.* Idemque in comitiis anno 1576. Ratisbonæ ab Imperat. Maximiliano II. glorioſiſſimæ memoriæ & Imperii ordinibus habitis caurum & constitutione imperii. §. Wetter ſeynd/ &c §. Dardurch dann/ &c. §. Derhalben / damit/ &c. ubi expresse ait reservata auctoritate, vectigalia instituere, aut vetera augere debere. Nam quatenus vectigalia antiqua augentur, eatenus nova sunt & pari passu cum novis ambulant. *Salic. ad d. l. 2. C. nov. vect. Instit. Roland. à Valle consil. 42. num. 12. vol. 3.* Magistratus tamen privata authoritate ex vi Iurisdictionis pro usu Reipubl. in civitatibus pro frumento, cerevisia, aut aliis mercibus instituere potest tributa, quæ proprie Acciæ sive Assisiæ, German. Zise/ Assise oder Accise vocantur, vide *Gæd. cons. 2. n. 29. Mind. c. 42. n. 3.*

Sed hic non ineleganter quæri potest, an princeps vel comes telonium de loco consueto in alium transferri possit? In præiudicium solventium vectigal id licite fieri posse, *neg. argum. l. si cui 9. ver. verum ff. describit.* ubi illi cuius fundo servitus ita debetur per vicinum alterius prædium eo iubetur ire quo primum viam direxisset, nec amplius illi mutandæ eius viæ potestas conceditur. 2. Quia in vectigalibus pristina consuetudo spectari iubetur. *l. si publicanus 4. ff. de publ. & vectigalibus.* 3. Quia prohibentur vectigalia reformari *l. vectigalia 10. ff. de public. & vectigalibus.* 4. Quia translatio illa vectigalis quæ in mercatorum aliorumque tranſeuntium sit præiudicium, difficiliora reddit commercia, cariores ipsas merces etiam facit, & pernicioſos in populo tumultus parit. Verurſachet/ daß die gemeine Gewerb/ Commercien/ Victualien / vnnd alle Handthierungen zu noch höherem Auffſchlag / Werth vnd Thewrung mercklich getrieben werden/ auch leichtlich vrſache zur Vngedult vnd ſchädtlicher Empörung gebe. Unde merito hæc translatio prohibita censetur: videatur §. Dadurch dann nicht allein/ & §. *seq. in Recessu Imperii Ratisbonensi An. 1576. Bac. de Regal. c. 2. n. 195. Vide etiam Pet. Frid. Minda. lib. 2. de mand.*

Utrum vero quod tanquam vectigal solvitur, in pecunia consistat, an vero in ipsis rebus sive speciebus præstari debeat, scite hic quæritur: Prius iuri & æquitati naturali & publicæ utilitati conveniens arbitramur, *per l. univers. 5. C. de vectigalibus & commiss.* ubi dicitur quod pro rebus præstari debeat, aliud igitur quam res solvitur, cuiusmodi est pecunia. Vide *Henning. Gæd. consil. 7. num. 9. & 17. & cons. 8. num. 4.* Telonium alias est à Græco nomine τέλος, quod inter cætera significat vectigal, unde τελωνικοὶ appellantur qui vectigal exigunt.

Alias appellantur Gabellæ, Datiæ, Guidagia, Passagia. Vide Pet. *Frid. lib. 2. c. 42. n. 3.*

Quamvis vero iam hactenus satis dilucide declaratum, demonstratumque est, quod maris ea libertas sit, ut nequeat in ullius hominis potestatem directo redigi, nec eius occupatio iusta aut legitima detur, quicquid etiam huc de equo albicante olim inter germanos iactatum fuit, velut etiam idem pluribus Auctor ille, mihi satis cognitus, qui de mari libero tractatum non incongruum scripsit, pleniusexplicavit, quomodo in iure naturæ sit fundatum, quem quis in pluribus consulere, cognoscere & exactius in exemplo proposito perspicere poterit: tamen eo est audax Iapeti genus, ut ait Horatiusque processit ut nihil sibi præ avaritia denegatum in mundo puter. Maxime illud cernere est in iis qui præpotentia aliqua insolentius valent, quos & occasio & vicinitas in hanc perduxit præsumptionis audaciam, ut mari frenum dominationis suæ imponere non sint veriti.

Exemplum est in mari Hyrcano sive Caspio Asiæ, solidis undique terris incluso usque 90. mill. nempe à 41. ad 46. gradum in Meridiano & 300. milliar. longitudo in Æquatore à 75. usque ad 95. grad. excurrit, cuius Dominium principale Rex Persarum ultra fluvium Oxum ab Oriente, usque ad Derbentum munitissimam arcem in finibus Armeniæ ad littus huius maris situm adscribit, & ab altera parte non minus Magnus Dux Muscoviæ per Astracanenses & adiacentes Tartaros mari huic Imperium imponere cupit. Unde ferme cotidiani conflictus in mari perspiciuntur, licet non tantæ magnitudinis sunt naves ibi, velut alibi in locis. Nihilominus Dux modernus Holsatiæ, quamvis dissitos longissime sit locus, superioribus annis per Muscoviam beneficio fluvij Volgæ ac per hoc mare usque in Persiam, singularem commercii speciem extendere, & mediantibus Muscovitis in Holsatiam secure pertrahere conatus est, ac legatos suos non sine magnis sumptibus illuc misit. Velut etiam ambo Monarchæ tam Rex Persarum, quam Magnus Dux Muscoviæ, cum reducibus legatis suis, suos è contra miserunt Legatos Anno 1639. qui singulari pompa & insigni apparatu, Gottorpii introducti, & à principe excepti, laudabiliter quoque habiti sunt.

Sed inconvenientiæ plurimæ & quod ratio suppurationis forte sumptibus sufficere non possit. hoc fecerunt, quod propositum minus successu beari valuerit, uti varia de isto negotio hominum passim audiuntur iudicia. Ita quoque Dominium in Pontum Euxinum, Hellespontum & mare Ægeum sibi Turca solus adscribere ac in Mare mediterraneum extendere hodie non veretur, ubi tamen suos invenit adversantes ferme passim, qui iugum illud iniquissimum communi maris usui imponi nolunt ac potius pro piratico exercitio talia cuncta habent. Sic & in mari Orientali, quod à parte & sinu Belthes alii Balthicum faciunt, multivariæ iam ab aliquot seculis, ut ex superioribus actis satis liquide id constat, exiterunt & inter circumiacentes Reges & Germaniæ Hansas loco Imperii vigverunt, ubi acerrimæ sæpius accidere inter omnes partes depugnationes & depopulationes, ut quisque suo loco primas acquirere & sibi vendicare studeret. Maxime inter Suecos & Danos inde adhuc is fervor rancoris iste prævalet, ut alter alteri cedere nesciat, & quisque occasioni cuilibet semper pro commodo & lucro suo invigilet. Unde etiam superioribus annis tot æmulationes

tiones satis crudeles & sanguinolentæ exortæ agitatæque fuerunt, quæ in tantam tandem erupuerunt belli diuturnioris acerbitatem, ut hinc Germani potissimis expositi fuerint seditionib⁹, distractionib⁹, despoliationibus, de quarum causis multa & perquã mira, quibus non raro missus interfui, essent referẽda, si locus & pagina hoc id nimis huic rei angusta pateretur. Sed quid prodest calamitates illis exprobrare, qui imprudentiæ pœnas sibimetipsis adhuc pertinaciter inferre non desinunt, meliora rectius sapienti mentem cuique rectius precamur.

Quid non ambitio & multa possidendi cupiditas cum lucro designat? cum hinc sit quod tam impetitionibus cruentis mortales, ortus sui & finis ignari, mutuo sese sæpius defatigando expugnent, præter aliam'necessitatem, quam sibi quis ipsemet imaginatus est pro dulcedine falsa. Sed quis non Iustitiæ vanæ sibi tunc asscribit partes, quas defendere se fortí manu clamat. Quin & potentia nimia nusquam in quiete diu latere potest, quæ etiam fines si non alia movere queat in mare sibi constituere, etiam ultra laborat. Si non minus sæpius gravissimi in Balthico mari excitati sunt tumultus & certamina, quæ licet interdum aliquo usque sedata fuerint, tamen mox rursus in vehementiores nervos eruptionem fecerunt. Nõ ultra memoriam hominũ est, quibus conflictibus se mutuo Carolus Sueciæ & Christianus 4. Daniæ incluti Reges affecerint, qui postea à filio Gustavo Adolpho post obitum parentis, aliquandiu ventilati ad transactionem Calmariæ habitam An. 1611. perducti sunt ita, ut simul maris dominium quasi repartitione facta fuerit inclusum suæ conventioni. Ut ita se Rex Sueciæ in hoc proposito confirmaret, tot teloniorum inventiones novæ adornatæ sunt in Livonia & versus B[illegible]m; Unde & Pilloviam & Memeliam tanq[illegible] ostia principalia ab ista parte maris occupavit, etiam Dantiscanis exactionis leges vi inferre totus studuit. Sed & Rex Poloniæ eandem potentiæ l centiam sibi vendicare ante paucos annos per maris hunc tractum laboravit, veluti nec defuerunt instigatores, qui antehac inventiones Regi Sueciæ suggesserant. Unde lis cum Dantiscanis coorta est, qui se primi opposuerunt huic negotio; quumque hoc denunciatum esset & innotesceret Regi Daniæ, putaretque sibi derogationem hanc inferri, continuo hanc vim depellere non destitit, missis ad illos fines navibus, quę exactoribus iniquitatem telonii satis asperi hanc excuterent An. 1637.

Hoc vero factum cum Rex Poloniæ admodum improbaret, & sibi suæque intentioni vim illatam enormem existimaret, fuit quidam Polonus qui scriptum aliquod publicavit titulo discursus necessarij: quo ostendere conatus est, quod dominii talis vigor iure Reg. suo competeret. Hoc è contra Rex Danię responsorio scripto declaravit, cui titulum præfixit Maris Balthici, ubi esset historica deductio talis inenodatæ formatæ quæstionis: Utri nempe Regum Daniæne an Poloniæ prædictum mare à multis iam annorum centenariis, adserente non fallaci hominum censura, sed ipsa nũquam fallibili natura, se desponsatum fateatur & agnoscat: Verba hæc sunt inscriptionis in dicto libello, ut sensum sequentium rectius exprimant, cui postea Polonus Anti Mare Balthicum in refutatione eiusdem oppossuit, quam brevem & analyticam recapitulationem tractatus illius dixit. At Rex Daniæ ut factum susceptum iustificaret, litteris id ad Regem Poloniæ: *Sub dato in Christiano Prisiano Castro suo Holsatiæ die 13. Ian. Anno* 1638. dedit, quæ Epistola cum memorabilis sit & notatu quædam digna contineat, merito nobis huc referenda venit in hisce formalibus.

Christianus IV. Dei gratia, Daniæ, Norwegiæ, Vandalorum Gothorumque Rex, &c. Serenissimo Principi Domino Uladislao IV. Regi Poloniæ, Magno Duci Lithuaniæ, &c. Cognato, amico & vicino nostro charissimo, salutem, omnigenumque prosperitatis incrementum: serenissime Princeps, cognate, amice & vicine noster charissime; Relatum ad nos fuit, non deesse homines, qui consilium nostrum quod elapso autumno, ad conservandam libertatem commerciorum in mari Balthico, temeritate quorundam privatorum, non modo labefactatam, sed magna sui parte prorsus prostratam capere coacti fuimus, sinistre ac si in offensam serenitatis vestræ vergeret, interpretari conentur. Molestum nobis fuit auditu, amicitiam enim vestræ serenitatis maximi æstimamus. Neque aliquod officiorum genus quo ea confirmari, atque indies arctius stringi posset, nunquam scientes aut volentes prętermisimus. Eapropter totius negotii rationem serenitati vestræ aperiendam duximus, ut videret, nos, si commercia libera, & nobis in Mari Balthico competens ius salvum vellemus, aliud, quod fecimus, facere non potuisse; ita autem res acta fuit. Superiore æstate in autumnum declinante primum rumoribus spargebatur, Spiringios quorum nomen iam ante in iis regionibus, ex quibus naves in mare Balthicum commeare consueverunt, non bene audiebat, armatis navibus mare Balthicum circa littora Borussiæ infedisse, & ab iis qui mercaturæ faciendæ causa, illac transirent, nova & valde gravia vectigalia exigere, Dantiscanos contra portum suum clausisse, neque ulli navi, quæ novum istud vectigal exsolvisset ingressum, nedum facultatem merces suas distrahendi vel alias coemendi concedere.

Rumoribus istis cum fidem non adhibuerimus, propterea quod Spiringios tam enormia verisimile nobis fieret vel ausos fuisse, vel Dantiscanos cũ vindictæ modum quo non tam illi quam ipsorum civitas & innoxii mercatores mulctarentur elegisse; paulo post mercatorum & nautarum querelæ gravissimæ ad nos deferebantur, qui commercia funditus tolli se fortunis omnibus everti quererentur: & ex propter auxilium nostrum cum nobis ob supremum dominium maris Balthici protectio commerciorũ in eo more incumberet, suppliciter imlorarent. Iũgebant se peregrinis subditi nostri & cives ex aliquot oppidis maritimis ad mare Balthicum quorum aliqui naves suas ob antedictam causam inanes rediisse, fructumque omnem sumptuosissimi itineris sibi interversum, aliqui merces suas ob diuturnam in navibus moram sibi corruptas fuisse, alii merces cum ipsis navibus funditus periisse. Omnes vero in re familiari se misere afflictos deplorabant: Accedebant vectigalium & teloniorum nostrorum præfecti, qui vectigalibus nostris quamplurimum, propter hanc turbationem commerciorum decedere referebant,

istiusque autumni reditus ingenti summa minores esse iis qui superioribus autumnis colligi consueverint. Moverunt nos ea, ut minime ferendum putaremus istorum hominum audacia & avaritia tantas turbas, quæ tot malis causam præberent, excitari. Audiebamus quidem eos serenitatis vestræ nomen ausibus suis prætexere.

Verum cum circa ea tempora, Legatus noster, quem ad ornandas serenitatis vestræ nuptias miseramus, ad nos reversus esset, & nec à serenitate vestra neque ullo procerum aut ministrorum, vel minimâ eius rei mentione factâ asseveraret, neq; etiam eius post reditum multarum septimanarũ spacio quicquâ à serenitate vestra vel scripto vel nuncio ad nos perferretur; recordaremur et in transactione novissima inter serenitatem vestram & Regnum Sueciæ, hoc disertis verbis cautum, teloniam in eo statu, in quo ante cæptum istud bellum fuerint, relinqui debere: Induci non poteramus ut crederemus eos ulla super hac re mandata habere. Videbatur enim nobis alienissimum, ab arctissima quæ inter nos colebatur amicitia, talia mandata dari quibus ius Dominii nostri in mari Balthico violaretur, commercia quæ in eo tuta ac libera esse, omnium totius Europæ Regnorum & statuum maxime interest, & ad quorum protectionem nos obstricti sumus, turbarétur, subditi nostri in fortunis suis, & nos denique ipsi in reditibus nostris enormiter læderemur: cum tamen nos ne verbo quidem ea de re præmoniti essemus.

Venit quidem ad nos cum serenitatis vestræ litteris fiduciæ vir generosus Elias Artisscopski Colonellus, sed longo tempore post, cum naves nostræ ad propellendam istam violentiam iam in mari essent, nec à nobis revocari possent, & tamen neque is in mandatis, quæ scriptis nobis exhibuit, eius novi vectigalis mentionem fecit, sed tamen de Dantiscanorum præfracto in serenitatem vestram animo, conquestus est. Hæc omnia cum concurrerent, homines istos, qui hæc aggredi ausi fuissent, omnino nobis compescendos statuimus, præsertim cum maiorum nostrorum exempla qui turbationibus quibusvis commerciorum in Balthico mari semper se opposuerunt, nobis suffragarentur. Vester Antecessor Rex Stephanus gloriosissimæ memoriæ ob conceptam in Dantiscanos indignationem portum eorum claudendo, commercia maris Balthici magna ex parte sustulisset. Regem Fridericum patrem nostrum felicissimæ recordationis istis attentatis sese opposuisse, nec ante quievisse, quam res in pristinum statum constituta esset, in quo etiam à subsecutis Poloniæ regibus quiete conservata fuit. Ea propter & nos nisi à generosa maiorum nostrorum indole desciscere, iura nostra prostituere, subditos nostros, aliosque quibus protectionem in tali casu debebamus, deserere vellemus, turbationem sæpe numeratam insuper habere non potuimus.

Si autem serenitas vestra naves istas, quibus Spiringii usi fuerunt, pro suis agnoscit, quamvis in iis, cum à nostris deducerentur, ne apex quidem mandati aut commissionis ullius à serenitate vestra, præter unas salvi conductus versus Hispaniam litteras inventus fuerit, Nautæ etiam & si qui alii in navibus fuerant cum super ea re iussu nostro interrogarentur, libere nulla se mandata habuisse, confessi sint. Tamen propter observantiam, qua eandem colimus, libentissime eas ministris eiusdem restituendas curabimus, dummodo securi simus, neque Spiringios neque alios huiusmodi attentatis, denuo iura nostra læsuros. De cæteto serenitas vestra sibi persuadeat, nos istius quæ inter nos hactenus, viguit, mutuæ amicitiæ conservandæ cupidissimos esse, & eidem firmæ valetudinis usum & prosperitatem omnem Regio fastigio dignam, ex animo precari, &c. *Datum ut supra.*

Hactenus Regiæ Epistolæ Informatio cum oblatione declaratoria. Et quamvis in libello de Mari Balthico Spiringios illos pro famosis piratis aperte proclamarit Rex Daniæ, nec aliter censendos putarint omnes negociantes in mari; tamen Polonus ille telonii illius inventionem inhumanam & avaratæ propriique commodi devorationem suo scripto supradicto contra Dantiscanos defendere & iustificare studuit quod titulo Discursus dicti necessarii insignire inde ipsi placuit, quum omnino eidem necessarium visum esset, ut Resp. Polo. incepta Telonia Marina manutenere & continuare cogitaret, recuperarentque per eadem sic Dominium Maris diu neglectum, quum alterum absque altero consistere nequeat propter necessariam cohærentiam, & sic fieri posset ne Dantiscani cæteriique cives Maritimarum civitatum negotiationem, mercium prohibitione aliqua coarctarent.

Quam materiam per 23. articulos tractavit pluribus. Fuit vero quisquam Dantiscanorum amicus, qui admodum scite ac satis fundamentaliter id refutarit cum inscriptione tali: Refutatio Discursus dicti Necessarii, qui nuper in Polonia est editus. Atque cum valde notabilia de civitatis huius Hanseaticæ constitutione opportune contineat, operæ precium est talia pro confirmatione eorum quæ de hac urbe nobilissima superius introduximus heic inserere, reliqua ipsi disputationi in suis articulis relinquentes.

Præfatio ad Lectorem pro inductione scripti huius refutatorii ita se habet.

PRodiit hoc anno 1638. in lucem Discursus, dictus Necessarius, & quidem uti præ se fert, opera cuiusdam Nobilis viri Poloni, contra Dantiscanos editus. Hic autor in eo, omnibus patriæ suæ amatoribus verisque Patriotis demonstrare conatur, quantum utilitatis universa Respubl. Regni Poloniæ ex plausibili tẽtata telonii marini exactione colligere: & quomodo vicissim, diu iam usitatæ exorbitantiæ, quas maritimæ civitates multis ab hinc annis obsoletis suis consuetudinibus, cervicibus, ut ait, Polonorum imposuere, nunc demum antiquari & derogari possint, ad tuendam liberæ Reip. Poloniæ & Patriæ salutem, summamque eius auctoritatem & libertatem. Quod scriptum, cum varia Sphalmata politica, & historica contineat: Inprimis vero Dantiscanos intolerandis criminibus aggravet, visum est revocare ad examen ingenuum; per quod, iuvante Deo, incorrupti iudicii Lectori, nec minus iuris, & iusticiæ, & affectui Patriæ longe præferendæ, amanti constare poterit, quam minime celsissimæ Reipublicæ Polonæ salvis iuribus status, commendati

mendari possit novi in portubus Prussiæ telonii marini violenta institutio : Tum etiam civitatis Dantiscanæ vetera privilegia sine præiudicio publicæ fidei, nequaquam abolíti aut coarctari posse. Quod cum fiet decenti modestia, & solius veritatis asserendæ studio, danda est Autori venia, si Discurrentis illius provocatus liberiori iudicio, de rebus ad hanc causam pertinentibus prorsus ita, ut in iure & facto comparatæ sunt, sine proposito ullum hominem offendendi, bona fide differat.

Notabilis historica relatio, quomodo urbs Nobilissima Dantiscana, à crucigerorum tyrannide liberata Germanicas partes relinquendo, potestati Polonicæ una cum cæteris Borussiæ civitatibus se submiserit & inde telonia avertat Polonica.

QUi sereníssimo Regi, potentissimæque Reipubl. Poloniæ institutionem novi Telonii in Mari Baltico persuadere conati sunt, arcem eius rei in Dominio maris, loco lubrico, ac hoc tempore variis controversiarum procellis agitato, collocarunt. Nam præterquam quod haud ita pridem Mari, ex sententia veterum iurisperitorum libero, mota quæstio status, nondum plane in legitimo iudicio decisa sit: hoc quoque accedit, quod gentibus aliis in possessione Maris Baltici constitutis, & re navali potentibus, populus Polonus iuris sui compos fieri nequeat sine gravi contentione. Verum pro præsenti scopo disputationis nostræ haud illiben-er latgientes, populo Pruteno, ratione iuris originalis, ac communis gentium, tantundem licere in usu maris Baltici quantum licet populo Dano, Sueco, cæterisque eius accolis, hoc saltem inquirendum putamus, qualis sit constitutio eius iuris in populo sive Pruteno, sive Polono. Constat autem Prussiam postquam cessit in ditionem Regis Poloniæ, istius Reipubl. partem, sive membrum factam fuisse; cum antea sub potestate crucigerorum peculiaris esset regio, tam ab Imperio Regis, quam communione Reipubl. Polonæ separata, & distincta. Quo tempore, ni fallor, Regnum Poloniæ nihil in mare Balticum prætendere potuit: Sed postea ex accessione Prussiæ, cuius sunt portus, & littora, occasionem primum disquirendi cepit, numquid sibi iuris aliquid in mare per illam Unionem accrevit. Proinde cardo rei præcipue in forma Unionis, quam incorporationem vocant, vertitur: de qua accurate videndum est.

Acciderat autem vitio humano, quod crucigerorum equitum Magister una cum suis commendatoribus, in gubernatione Prussiæ prolapsus ad Tyrannidem, subditorum suorum patientia, plus quam divini & humani iuris ratio concedit, abusus fuerat. Hinc miseri superiorum cura & ope quam sæpius frustra requisiverant, destituti, consilium cæperunt perfringendi servitutis iugum: eoque tandem fausto successu executioni mandato, Dei beneficio plenam libertatem recuperaverant. Huius vero facti socii non quidem universi fuerunt Pruteni, sed aliquot saltem nobilium familiarum egregii viri & oppida, veluti Dantiscum, Thorunum, cum nonnullis aliis. Quibus hac in rerum suarum sorte, nullius fuit in alterum imperium, sed commune saltem ex inito fœdere consilium, in quo de formando certo libertatis suæ statu, vique propulsanda deliberatum fuit.

Hæc eo spectant, ut appareat, ubi tunc temporis Maris fuit Dominium littoribus, & portui partium illius insurgentis Prussiæ annexum? Videlicet penes solum populum Dantiscanum, qui superioris imperio prorsus solutus, portum cum littoribus proximis absoluto iure, ipsiusque Maris possessionem navibus suis tenuit. Ex quibus patet, quicquid iuris sit, quod statui Prutenico, & per mutuam coniunctionem regno Poloniæ in Mare Balticum competit, primario iuris huius, quod civitati tunc temporis acquisitum, vel conservatum fuit, liberali communicatione partum esse. Subsecuta vero posthac per interpositos tractatus spontanea deditione, quæ certo modo determinatam subiectionem continet, hi supradicti populi in fidem à sereníssimo rege Poloniæ recepti sunt, ita quidem ut populus Prutenus cum populo Polono, deinceps in unum corpus, sub uno, eodemque rege concederet: Quemadmodum constat Lithoanum quoque populum cum Polono prosperis auspiciis tandem coaluisse, suis cuiusque status & libertatis iuribus salvis, & illibatis.

Hoc pacto populo Pruteno, statim ab initio factæ unionis, peculiare consilium status, & autonomia in usu fuit; tum & alia nobilitaris atque civitatum privilegia Diplomatibus regum corroborata sunt; ex quibus satis liquet, nullum populo Polono per hanc vnionem sive ut loquuntur invisceationem in populum Prutenum imperium quæsitum, sed inter hos populos, quondam hostilibus factis dissidentes, conditam fuisse fraternam societatem, mutuamque necessitudinem, sub uno rege, qui huic populo combinato, secundum eius iura, Reipublicæ statum clementissime imperaret: & quem vicissim hic populus, iuxta libertatis suæ modum ac rationem plena fide, promptisque subiectionis obsequiis veneraretur.

Contulit enim regi populus Prutenus, tam in æquestri, quam civili ordine comprehensus sublimes ius, non absolutæ, sed ordinatæ potestatis, secundum fundamentalium legum status sui dispositionem & tenorem: Quemadmodum eiusdem sereníssimi regis potestas in populum Polonum tunc quoque non absoluta fuit, sed ad certas Christianæ libertatis regulas, quæ formam istius Reipubl. determinant, composita. Ita tamen ut nihilominus Regiæ Maiestatis splendor in libera Republ. veluti quoque fit in Romano Imperio, & aliis bene constitutis regnis, multis in actionibus Regi luculentissime constet. Hoc solo fundamento nititur ius libertatis, quo nobilitas Prutena pari gradu cum nobilitate Polona, sub uno rege inclyto, & augustissimo, in hunc usque diem gaudet. Adeo ut absonum, aut piaculare haud videri, nec stomachum movere debeat, cum similiter asseratur, eundem populum Prutenum, in civitatibus liberis commorantem, eo libertatis iure, quod certis status sui privilegiis & longissimo usu determinatum possidet, pari cum nobilibus felicitate frui, nec sublimem Regis Maiestatem vellicari, quoties iuris istius usu, liberi populi in civitatibus, cum devoto Regis sui cultu, libertatem suam conservare student.

Est autem civitatum Prussiæ, inprimis quas primarias & maiores vocant, non pudenda conditio: Nec eas ideo extremo cum periculo, & summo virtutis ausu tyrannidem excussisse probabile est, ut duntaxat nobilium statui, propriæ suæ libertatis oblitæ, consulere, atque mox iterum, mutatis saltem personis, in absolutum dominatum recidere voluerint. Hinc Cromer⁹ de plebe Prutena in descriptione Poloniæ, refert, eam paulo (imo vero non paulo, sed ut ex sequentibus eius verbis satis superque innotescit, revera multo, ac quidem incomparabiliter) melioris conditionis esse in Prussia quam reliqua Polonia. Nam eodem modo cum nobilitate (verba sunt Cromeri) & eisdem legibus utitur: prærogativis modo quibusdam (nullis vero libertatis iuribus) inferior: per quas tamen plebei, neque à bonis terrestribus, neque ab honoribus & Magistratibus & sacerdotiis, neque à consilio publico (vide quid in prærogativis magnopere superfit) arcentur. Nec nobilitas (addit) modesta & frugalis eos dedignatur: quin decedit ea quoque una cum sacro ordine, nonnihil de immunitate sua Reip. & concordiæ causa. Qua sua narratione adumbrat sane Cromerus, vir alioquin præstans, privato suo iudicio, statum civitatum in Prussia, parum interim æquus civili ordini, nimirum ob præconceptam opinionem ex more Polonico, quo vilis est admodum & ferme infra humanam sortem hominis plebei cõditio: simul etiam oblitus communis status libertatis omnium Prutenorum, eo tempore, quo facta est secessio è crucigeris & postea deditio subsecuta. In quibus actionibus par fuit opera nobilium & civitatum, ac nescio fere an non in liberandis urbibus arcibusque intercipiendis, sine quibus tantum negotium vix fuisset confectum, potior quodammodo civium virtus apparuit.

Hoc ergo modo cum cæteris Prussiæ liberis populis, civitas quoque Dantiscana in potestatem sereniſſimi Regis Poloniæ concessit, non excidens libertate, sed eandem sibi æque ac reliqui status & ordines retinens, certis eisque sanctissimis Regis sui Diplomatibus firmatam. Eoque pacto in prima status Prutenici dispositione, non tantum in genenerali participatione legum, communem libertatem sustinentium cum cæteris indigenis, sed in publico etiã status consilio locum tenuit, & inter paucos admodum, maioris dignitatis prærogativa ornatos, sors eius in numerum consiliariorum Prussiæ, quo nullus quidem excellentior in Prussia habetur honor, nec maior autoritas relata fuit. Hoc enim in consilio status de Republ. deliberatur, & quicquid placuit vim legis habet. Cognoscitur etiam de provocationibus terrestrium & oppidanorum iudiciorum: in quo ius suum ferendi suffragii & dicendæ sententiæ civitas Dantiscana, semper illuc binis è Magistratu ablegatis consulibus expedire solet.

Hæc vero cum ita se habeant, nec reliqua, quæ de constitutione portus adducenda sunt, mira videri debent. Nam cum in deditione Prussiæ universi quidem populi subiectionis fidem & supremum terrarum suarum dominium à nonnullis directum appellatur, singuli vero, quod peculiariter suum erat sereniſſimo Regi deferrent: videlicet nobilitas militarem cum primis operam in periculosis casibus Regi, & patriæ forti virium suarum accommodatione declarandam: & oppidani non minus, quicquid in nervis suarum familiarium facultatum consisteret, iuxta rei necessitatem, & æquabilem proportionem publico bono destinatam: eo in ordine civitas Dantiscana, ex occasione naturalis sui situs præ cæteris, rem valde eximiam exhibuit: sinu quasi celeberrimum portum Prussiæ, cum annexo iure maris vicini cõprehensum gerens. Quod καιρίλλιον tum temporis civitati nequaquam surreptum est, sed ut est res preciosissima permagni æstimata fuit, & in illius fide remansit, non secus ac aliæ Prussiæ terræ possessoribus relictæ sunt, sublimi iure Maiestatis, & directo, ut opinor dominio, in iis Regi conservato.

Effectus igitur huius subiectionis est, quod sereniſſimus Rex Poloniæ iure nunc suo supremo, Dantiscanam civitatem, una cum portu suam asserat: Eaque civitas Maiestatis ipsius mandatis, iuri suorum privilegiorum non contrariis, subnisse patere teneatur. Uti eodem suo iure Rex universas terras Prussiæ suas esse, recte statuit, suisque mandatis publicis legibus non contrariis obstrictas tenet; sive sint spirituales, sive terrestris, sive civilis, sive specialiter sic dicti, Regalis iuris: nimirum in consideratione supremi & sublimis Dominii. Quo quondam ferme sensu Romani Imperii Principes, totius orbis Dominos se professi fuerunt. Interim manente singularum rerum proprietate & usu apud privatos Dominos; iuxta omnes qualitates, quas ex iure naturæ, & peculiari status sui forma consecutæ sunt. Quemadmodum vigore dicti istius supremi iuris Regii in terris Prussiæ, natura bonorum tam spiritualium, quam terrestrium aliorumque mutari non potest: Cum ex lege status de eis dispositum sit, qualem naturam præ se ferant. Et ita quoque perinde ea, quæ civitatis Dantiscanæ propria sunt maxime in primæva fundatione statui sei attributa, aut postmodum ob merita diplomatibus regiis collata supremæ Regiæ potestatis iure, quod ab absoluto dominatu differt, & formam suam specificam ex totius status fundamentali dispositione consequitur, transformari, minui, perimive sine violatione status nequeunt.

Ex quibus intelligitur, speciale quoddam ius, iusto titulo acquisitum, una cum legitima possessione portus, sigillatim vero, iuxta dissertam formulam regii diplomatis, ius ordinandi, disponendi & gubernandi portus in peculio civitatis versari: adeoque nullius alterius potestatis locum esse in coercendo illo exercitio, excepta sola facultate iubendi & prohibendi navigationes: quæ saltem facultas, sic simpliciter propter expressam in allegato diplomate reservationis clausulam, expediti non debet, quin re idipsum postulante, consilio, scitu & voluntate Regis occlusio vel reseratio portus decernatur. De quo in sequentibus suo loco paulo prolixius dicendum erit.

Porro notandum est quod omnino salva dignitate Reipub. Polonæ dictum volumus, ius illud supremi dominatus à populis Prussiæ soli Regi, non vero populo Polono in voluntaria deditione collatum fuisse. Adeo ut populus Polonus, populum Prutenum eiusdemque regionis terras, civitates & castra, non magis sublimi aliqua iuris Maiestatici autoritate sibi subdita statuere possit, quam populus

Prutenus,

Prutenus, populi Poloni terras, civitates & castra. Quoties vero Resp. Polona in pleno significatu, ex aggregatione diversorum populorum sub uno sui serenissimi Regis complexu, composita, concurrentibus simul Lithoanis, Ruthenis, Prutenis, Masovitis, Samogitis & id genus aliis in unum idemq; corpus Reipubl. una cum Polonis, honoris & ordinis ergo primum locum tenentibus, tunc quidem uti de sua parte ad constitutionẽ integri pertinente, Prussiam vel Dantiscanam urbem suam non inepte populus Polonus Lithoanusve dixerit: sed eo in sensu qui nihil subiectionis infert. Siquidem eodem modo Pruteni quoque Poloniam & Urbem Cracoviensem, tanquam integri corporis sui partem, suam, sive quod significantius sonat, & communionem rei magis denotat, pronomine possessivo multitudinis nostram, sano sensu dicerent.

Facta est enim coniunctio tot populorum sine confusione iurium & rerum uniuscuiusque peculiarium: Quemadmodum Pruteni ex originali constitutione sui status proprium tuum habent consilium, à comitiis populi Poloni distinctum, eoque respectu, proprie loquendo, leges Polonorum in comitiis latæ incolas Prussiæ non concernunt. Postea quidem singulari Prutenicæ Nobilitatis facto à priscis moribus aliquatenus recessum est: statibusque Prussiæ locus, & ius suffragii in comitiis Regni sive publico & generali consilio Reipubl. Polonæ concessum. Quod tamen suffragium adhuc excerta eorum qui in consilio status Prutenici clavum publicum tenent, addita instructione ita temperatum est, ut nihil in comitiis Regni, quod ad statum Prussiæ spectat, contra illius mentem fiat. Ideoque finitis comitiis Regni, non multo post, generalis conventus in Prussia celebratur, ubi de actis comitialib⁹ fit relatio: Et si quid in eis, quod assensum statuũ Prutenicorum haud mereri potest, excurrat, id effectũ in Prussia consequi nequit. Simile iudicium de rebus esto. Nam uti salis & metallorum fodinæ in Polonia, ex coniunctione populorum non sunt factæ iuris Prutenici: Ita nec Portus Dantiscanus, & littora Prutenica populi Poloni propria fiunt ex eadem coniunctione. Uti etiam in Rep. Polona cæteri populi ad Rempub. pertinentes invito populo Polono de eisdem salinis & fodinis metallicis nullum ius statuendi habent: Ita iidem populi una cum populo Polono in portu Dantiscano, littoribus Prussiæ, & Dominio Maris Balthici sive Prutenici, ratione portuum in Prussia sitorum specialiter sic dicti, perinde iuris ac potestatis suæ limites excedunt, cum eis de rebus disponendi facultatem sibi sumant, sine civitatis Dantiscanæ, quæ nec in Polonia loco privati, cum inter status Prussiæ publicum eius membrum constituit, censeri debet, singulari habita ratione & tanquam locum consiliarii in Prussia tenentis accedente suffragio.

Ac si quæratur quid demum commodi, & iuris acquisitum sit Polonis ac cæteris communibus mẽbris, ex mutua illa populorum, qui Rempubl. Polonam constituunt, facta coniunctione? plurimum ostendi potest. In vulgari usu loquendi dicuntur, quędam bona esse privativa, videlicet in remotione malorum considerata, quædam vero positiva. Eo enim ipso, quod per hanc unionem vetera dissidia, & sanguinolentę contentiones plurimos annos continuatæ tandem inter hos populos sublatæ sint, satis amplum operæ precium factum videri potest. Accedit quod iam Prussia in Boreali limite regno Poloniæ prætensa, ab ista plaga procedentes primos impetus hostiles, suo excipiat periculo, & à solo Polonico divertat. Præterea hi tenentur populi, invicem cõsilio, & ope in periculosis casibus, alter alterius cõmodum & salutem iuxta convenientem proportionem iuvare: uti id ipsum continuatis fere annuatim certis contributionibus in communem Reip. usum accommodandis declaratur. Et si quid ulterius socialis fides ac fraterna necessitudo inter status, tam arcto unius, eiusdemque Reipub. vinculo connexos postulat. Evidens huius rei exemplum ex novissimis actis Dantiscanis proferri potest. Etenim cum sub initium cæpti nuperi belli Prutenici, inter Regem Poloniæ & Sueciæ, Dantiscanis adhuc cum populo Sueco, scitu & assensu serenissimi sui Regis, ius cõmerciorum esset: adeoque hæ gentes nihil inter se privatæ litis, præterquam à Spiringiis exsuscitatæ haberent; Imo populus Suecicus civitatem Dantiscanam, ad continuanda vetera vicinitatis studia sedulo invitaret, & instantium periculorum belli immunem cuperet: tunc illa fidei suæ & necessitudinis cum Repub. Polona memor, repudiata Suecorum consuetudine, ac summi bellatoris Gustavi, gravem ob id vindictam spirantis, illata vi minime fracta, præcipites eius successus, non parum morata est, portuque excluſum tenuit, maximo totius Reipubl. Polonæ commodo.

Restat ut addamus paucula de telonio ad scopũ nostrum collimantia. Primo tenendum est, veteres rationem marinorum vectigalium in Dominio Maris minime constitutam habuisse. Erat tum mare liberum, hoc est naturali iure omnium commune iudicabatur, & nihilominus in Italia & Sicilia atque aliis Imperii Romani provinciis portoria vigebant. Nec enim in genuino usu ad Dominium Maris ea pertinent. Sed quemadmodum rem monetariam propter communem utilitatem tam religiose administrari decet, nullum ut inde lucrum ad fiscum referatur: Ita quoque ex portu, præter id quod ad tutum, ac commodum eius usum conservandum necessario requiritur, nullus alius quæstus per exactiones faciendus est. Ideoque census ille collectus cum necessariis impensis verisimili proportione correspondens, in æquitate iuris naturalis rationem obtinet, quo nefas censetur, rem suam locupletiorem reddere, cum alterius detrimento.

Deinde constabit, si res æqua lance trutinetur, nullam vectigalis speciem ad propositum Reipub. Polonæ accommodati posse. Nam quod proprie portorium dicitur, & primario ad conservationem portus, uti dictum est, refertur, iam olim in ostio Vistulæ constitutum est. De quo licet pars dimidia extra verum suum usum, regiis proventibus accenseatur, tantundem tamẽ, vel etiam multo plus Dantiscani, quoties opus est, operosis structuris aggerum in coercendo dirigendoque cursu fluminis, & præsidii ad securitatem portus adiecti sustentatione, ex aliis legitimorum redituum collectis supplent, ita ut exteri nihil habeant, quod iure in eo desiderent. Atque de hoc veteri Portorio, nunc nulla quidem

dem eſt contentio. Species vero altera à finibus regionum, ubi de rebus tranſvectis exigitur, proprie telonium dictum, hoc in loco, propter rationem ſitus nihil à portorio differt, nec uſum in hac controverſia obtinere poteſt. Finis enim Pruſſiæ in Boreali limite ipſis in littoribus & portu maris conſiſtit: indeque proventus annuus, iam pridem ad Regem per ſingulares tractatus redit: Qui tamen ſub ſpecie novi alicuius additamenti (einer Beyzulage) augeri non poteſt, tam ob id, quod ratio ſatis valida deficiat, uti mox dicitur, quam etiam ob pacta conventa inter ſereniſſimos Reges Poloniæ ac civitatem Dantiſcanam, quos tractatus portorii vocant. Tertio loco conſiderari poteſt vectigal, quod à data licentia exercendæ negociationis in locis, ubi ex ſpeciali ratione ſtatus, minus id exercitium liberum concreditur, nomen ſortitur. Verum & hæc ſpecies ad præſens negocium applicari nequit: Quandoquidem id ius civitatis antiquiſſimum eſt, vel à crudelibus Tyrannis nunquam in dubium vocatum: quo libertam ſibi facultatem vindicat ea civitas, cum exteris gentibus commercia tractandi, navibus ſuis in alias regiones traiiciendi, aliarum gentium naves in portum, ac urbem recipiendi, ipſamque navigationem dirigendi, & ordinandi iuxta ſuum arbitrium, & uſum, negotiationi commodum. Quarto prætendi poſſet cauſa exactionis ob ſecuritatem à pyratis, & aliis turbatoribus in mari navigantibus non ſine ſumptu præſtitam. Quæ ratio ſoli fere Regi Daniæ militat, dum is ex naturali ſitu Cymbrici freti facilime omnium præcavere poteſt, ne in Oceano conſuetæ infeſtationes perrumpant fauces Balthicas, nec ſubortæ in mari Balthico, præcluſis ad Oceanum effugiis, diu graſſari queant.

Verum his & ſimilibus modis ac impellentibus rationibus ingenue præteritis, aliam magis favorabilem ſuggerunt cauſæ huius patroni, quam ad perſuadendum gentibus huius novi oneris præſtationem ſatis commodam & æquam iudicent: nimirum Turcici Regni oppugnationem à Polona gente ingentibus viribus hactenus ſuſceptam: Quod opus ad cõmunem omnium Chriſtianorum incolumitatem ſpectans, iure & merito per hoc telonium marinum ab omnibus collato communi ſubſidio, iuvandum & promovendum eſſe probabiliter ratiocinantur. Et hic quidem omnes, vero Chriſtianæ pietatis zelo ardentes, tam Mahumetanæ ſectæ funeſtum interitum, quam inclyto Regno Poloniæ proſperos ſucceſſus, ſplendida trophæa, & plenam de barbaris hoſtibus victoriam, ingeminatis votis precamur. Veruntamen videant iſtius argumenti inventores, ne in commendatione huius rei inſit aliquid iniqui. Nam negari non poteſt reliquam Ungariæ partem à Turcis nondum occupatam, verum totius Imperii Romani facultatibus contra vim Ottomannicam huc uſque ægre tutatam, pari modo, veluti murum cæteris Chriſtiani populi Regnis, & Rebuſpub. obductam conſpici, furoremque Saracenicum non minus ibidem continuis fere bellis, quam in Podoliæ & Pruſſiæ confiniis effundi. Idem quoque nec prorſus inepte, de ſuis provincijs, belliſque cum Tartaris diu continuatis & adhuc durantibus perſuaſum nobis cuperet Magnus Muſcoviæ Dux. Et Melitenſes milites in hac contentione quod gloriantur habent.

Et præterea Venetis cum præcipuis Italiæ principibus ac Rebuſpub. portus & littora in mediterraneo mari poſſidentibus, & Hiſpaniæ Rex commodas occaſiones captant, tam conſilio, quam opera communi hoſti nocendi, nervos incidendi, & rem Chriſtianã ab ulterioribus eius progreſſibus, tutam, ac ſecurã reddendi. In quos conatus ſi ab annis centum, tam collatorum ſumptuum quam etiam conſumptorum exercituum directus calculus in comparationem veniret, forte non deſideraret Reſpub. Polona ſe ab iiſdem populis Chriſtianis, ſuo loco rem communem pro virili curantibus peculiari collatione ſtipis iuvari: Maxime cum divino beneficio iam dudum Polonia ab inteſtinis bellis immunis, & ex quam plurimis provinciis ubertate ſoli luxuriantibus compoſita, longe facilius propriis ſe viribus inſtruere valeat ad res gerendas, quam fere ulla regio in Europa, cumprimis hoc tempore Chriſtianis populis mutuis ſe cladibus horribiliter conficientibus.

Verum ne in re luculenta modus dicendi excedatur, poſtremo loco hac in re palmarium ſaltem argumentum videamus, quod ab exemplo aliorum populorum deſumptum, perinde in Repub. Polona obtinere debet. Quis enim neſcit portoria alibi gentium pro libitu imperantium conſtitui? quibus inſtitutis exteras nationes in commerciorum negotio conformare ſe oportet. Attamen hunc modum primo aſpectu ferme inextricabilem tribus expedire licet verbis. Nullus enim ex his, qui hanc ſibi poteſtatem ſumunt, ſpeciali pacto, ſtatui obligatus eſt, ne hoc faciat. Nam tam univerſa Pruſſia quam civitas Dantiſcana certis iuribus & privilegiis inſtructæ ſunt, quæ novis vectigalibus firmiter opponuntur. Quod ſi in Hiſpania, Gallia, Britãnia, Suecia, Dania & aliis locis, certi ſtatus ſimilibus privilegiis gauderent, Reges iſti nihil huiuſmodi ſine illorum, quorum ea ſunt iura liberrimo conſenſu, ſalva fide tentarent. Idem Reges in illis locis, de iuribus nobilium ex utilitate publica, diverſimode quoq, diſponere ſolent: Quod ſi hoc exemplum in Polonia imitandum proponeretur, ſtatim ni fallor exciperent: Nos nobiles contra hæc exempla, iuribus libertatis noſtræ muniti ſumus. Quod itaque unuſquiſque ſibi iuſtum ac æquum eſſe in ſua cauſa iudicat, idipſum aliis in pari cauſa non invideat, nec propter apparens aliquod commodum in præiudicium tertii facto ſuo ſubvertat, &c. Præſertim quum certum ſit, & diplomate acceptationis & reciproca ſponſione ſtatuum Pruſſiæ, deditionem populi Pruteni ſimpliciter, ſine omni reſervatione iurium, nequaquam factam, ſed totam hanc actionem, non magis in fideli ſubiectione, & obſequio dedentium, quam iuſto Imperio acceptantis, exactaque conſervatione iurium, libertatum, privilegiorum & immunitatum huius populi fundatum fuiſſe.

Quamobrem ſicuti Dantiſcani libenter, & humilimo ſubiectionis cultu fatentur, ex hac deditione ſuæ civitatis ſereniſſimo Regi Poloniæ ſupremum ius Dominii, tam portus quam Maris urbi adhærentis quæſitum eſſe: eiuſque dominii duos inprimis inſignis effectus, ab hoc tempore, in poteſtate Regis Poloniæ, Domini ſui clementiſſimi, conſtitutos agnoſcant: quorum primus conſiſtit in exercitio

permit-

permittendæ, & inhibendæ navigationis, quod ius civitas Dantiſcana nunc temporis, cum hac teſtrictione tuetur, ut in eius uſu conſilium, atque voluntatem Regis, quoties id opus videtur, attendat: Alter item in adornanda neceſſaria aliqua expeditione maritima conſpicitur, quatenus ex hac deditione portus Regibus Poloniæ, deinceps ad res ex uſu Reipubl. mari gerendas, patere debet.

Ita viciſſim, urgente maxime publica fide Regiorum diplomatum & iurisiurandi religione, civitati Dantiſcanæ ius & facultas libertima præſtanda venit, omnes & ſingulas navigationes, cum omnibus littoribus maris terratum Pruſſiæ regendi, ordinandi, & gubernandi: Item eaſdem navigationes, ſiquidem nihil ea in re à conſilio, & voluntate Regis alienum occurrit, permittendi & inhibendi. Tum item, pari vigore ſolennium pactorum, hoc ipſum ius uſurpandi portus, in expediendo aliquo neceſſario apparatu maritimo, non aliter ad uſum transferri debet, quam prævia matura deliberatione, cum iis, qui ad publicum conſilium ſtatus pertinent & æqua civitatis ratione habita, utpote quæ huiuſmodi maritima expeditione præ cæteris, maxime afficitur. Hæc vero iura civitatis, cum initio peragendæ electionis, vacante regno, cum reliquis cæterorum membrorum Reip. privilegiis, inſtar fundamentalium legum totius regni, in collatione ſuffragii præſupponantur, ac poſtea in actu coronationis, ex certa conventione mutuæ fidei, in conſervatione horum iurium libertatis ab una, & præſtatione obſequii, ab altera parte teſtandæ, cuncta ſolennia inaugurationis regiæ peragantur: adeoque ex genuina forma communis huius Reipub. iura illa civitatis, cum multis aliis eidem legitime competentibus, talem vim atque naturam induant, qualem publica, & ſolennia pacta conventa præ ſe ferre, quod fides, & autoritas horum privilegiorum in dubium vocari, aut legitima poſſeſſio civitati controverti poſſet, quin una omnium reliquorum ſtatuum, & totius regni iura fundamentalia exponantur ludibrio, & via ſternatur ad ea profananda, quæ hactenus firma, ſancta atque inviolabilia in humana ſocietate reputata fuerunt. Iura enim ſtatus, ſive privilegia Pruſſiæ, & civitatis Dantiſcanæ vinculum ſunt unionis, & communis Reipubl. inter Polonum, Prutenumque populum.

Conſtat hoc ex reciproca ſponſione Terratum Pruſſiæ, eodem Anno 1454. quo conceptum eſt diploma unionis, Thorunii ſignatæ: quæ ita ſonat: promittentes pro nobis, hæredibus, & ſucceſſoribus noſtris, ſub fide, & honore, ac onere per nos præſtiti iuramenti, quod præfato illuſtriſſimo Principi Domino Caſimiro Poloniæ Regi, & eius ſucceſſoribus, Regibus Poloniæ, velut fideles & ſubiecti, quemadmodum cæteri eiuſdem regni incolæ, parebimus, auſcultabimus, obediemus, fideliter & conſtanter, perpetuo & in ævum, iuribus noſtris ſemper ſalvis. Abſolvit igitur à fide ſtatus Pruſſiæ, qui iura ſtatus diſputat, ut enervet. Ac inter hos ſtatus civitas Dantiſcana ſtatum conſiliarii, quod iuxta ſtylum Polonicum idem eſt ac Senatoris; nequaquã vero ſtatuum ſubditi locum ſuſtinent; adeo ut hoc non incommode huiuſmodi dignitatis ſuæ ſugillatoribus, quod in hiſtoria Romana memoratur, obiicere poſſit: ſi me haud agnoſcas ſenatorem, ego te nec conſulem agnovero.

Sunt adhæc iura, & privilegia tam univerſi ſtatus Prutenici, quam civitatis Dantiſcanæ Regum omnium, ordine ſibi ab unionis factæ tempore ſuccedentium, in ſolemni uniuſcuiuſque inauguratione publico iuramento roborata, & confirmata. Quibuſcum iuramentis ne exiſtimet Diſcurſus Autor licitum eſſe ludere, uti pueris ſuis aſtragulis, audiat, quid de eis pii, & conſcientioſi viri ſentiant. Iuramentum eſt, inquiunt, aſſeveratio de re poſſibili & licita, facta cum invocatione veri Dei: qua petimus, ut is ſit teſtis dictorum, & puniat fallentes. Præterea noſmetipſo teſte, ad pœnam obligamus, ſecundum ipſius comminationem, quaſi arguentes eum mendacii, ſi non puniat fallentes; ſicut dixit: Non habebit inſontem Deus, quiſquis vane uſurpaverit nomen eius. Hæc definitio, addunt, oſtendit, quam terribile vinculum ſit iuramentum, & quantum mali ſit, violatio iuramenti: Tantas contumelias Deus verax & iuſtus ſevere punit, expreſſis verbis ſuam ſententiam de pœna tradidit, eamque atrocibus exemplis quotidie confirmat. Continetur vero in iuramento Regio, ſecundum relationem Cromeri, quod non tantum ſecundum leges, & inſtituta maiorum regnaturus ſit electus Rex, ſed etiam ſuum cuique ordini & homini, ius privilegiumque & beneficium à prioribus regibus collatum, ſit ſalvum conſervaturus.

Quod officium conſervationis, iuxta verbi emphaſim, hoc complectitur, ut etiam contra huiuſmodi prævaricationes publicorum iurium, quales in diſcurſu paſſim deprehenduntur, ſacra Regia Maieſtas eorundem iurium ſuſcipiat patrocinium, nec permittat ea, quorum per unum & alterum ſeculum indubitata fuit autoritas, nunc tandem indignis modis, nulla data occaſione, odio, livore, & ſophiſticatione malevolorũ everti, aut profanari. Quod ut evidentius reddatur, annectamus verba confirmationis iurium Dantiſcanorum, iuxta Diploma Regium in fauſta coronatione Auguſtiſſimi Regis, feliciter adhuc, & quod Deus velet, perfecta cum incolumitate, atque longiſſimum in ævum imperantis Ladislai Quarti, expeditum anno 1633. in hunc ſenſum.

In Nomine Domini Amen. Cum regum & principum laudes, quibus virtutis memoria æternitati conſecratur, illuſtriores reddantur, quando fideliũ ſubditorum commoda, utilitates, honorem, & dignitatem tuentur, eorumque ſaluti, & felicitati conſervandæ, augendęque conſulunt: Proinde Nos Ladislaus Quartus, Dei gratia, Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogiciæ, Kioviæ, Volhiniæ, Podlachiæ, Livoniæque, nec non Suecorum, Gothorum, Vandalorumque hæreditarius Rex, electus Magnus Dux Moſcoviæ, &c. Significamus præſentibus litteris noſtris, univerſis ac ſingulis, quorum intereſt, harum notitiam habituris: Quod cum in felici coronatione noſtra omniũ incolarum regni, & dominiorum noſtrorum iura & privilegia ſolemniter confirmaverimus, petieritq; per internuntios ſuos civitas noſtra Gedanenſis, ut ſpeciali quoque diplomate iura atque privilegia ſua confirmaremus, & omnium libertatum, immunita-

tum-

tumque ſibi competentium firmitati, authoritate noſtra regia proſpiceremus, ipſumque Iuramentum, à nobis in coronatione noſtra regia præſtitum, ad ſtatus tertarum noſtrarum Pruſſiæ, & ſic ad eandem civitatem Gedanenſem pertinere declararemus.

Ideo nos cognitam perſpectamque habentes ſingularem præfatæ civitatis fidei conſtantiam, integritatem, ſinceritatemque, & præclara bene merendi ſtudia, prædeceſſoribus noſtris, Regibus Poloniæ, & inprimis D. Parenti noſtro, totique Reipubl. nuperis belli motibus egregie comprobata: volenteſque omnino talem illius virtutem, & merita gratia noſtra Regia compenſare, & quæ ad ornamentum & incrementum eius ſpectare videntur, clemens promovere: omnia ac ſingula civitatis noſtræ Gedanenſis iura, privilegia, libertates, prærogativas, immunitates, & receptas conſuetudines, Eccleſiaſticas & ſeculares, ſub quibuſcunque verborum tenoribus & modis, per ſereniſſimos prædeceſſores noſtros, Reges, Principes, Duces, Magiſtros, quocunque tempore data, conceſſa, emanata, & datas, conceſſas, emanatas atque obſervatas, nominatim etiam tractatum portorii, ſive conventionem cum ſereniſſimo olim Stephano Rege, portorii ratione initam, & quævis alia munimenta, antiqua & recentia, donationes item, inſcriptiones, cautiones, & litteras qualeſcunque ſeorſim vel cum aliis coniunctim obtentas, quorum, & quarum tenores hic haberi volumus pro inſertis atq; expreſſis, in omnibus ſuis punctis, capitulis, articulis, clauſulis, conditionibus, & contentis confirmanda, roboranda, ſtabilienda, ratificanda, & confirmandas, roborandas, ſtabiliendas, ratificandas duximus, & decreyimus: prout vigore præſentium confirmamus, roboramus, ſtabilimus, ratificamus, & de certa ſcientia noſtra approbamus & renovamus, illaque & illas perpetuæ, veræ, indubiæ, & inviolabilis firmitatis robur obtinere debere ſtatuimus, & ſub iuramẽto noſtro Regio, in prædicta felici coronatione noſtra corporaliter præſtito, ſancte pollicemur. Quo videlicet, uti terras Pruſſiæ, ſic etiam civitatem noſtram Gedanenſem ita comprehenſam eſſe volumus, & declaramus, ut omnia terrarum Pruſſiæ civitatiſque Gedanenſis privilegia & iura ſarta tecta remaneant: omniaque eadem obligatione, ac tam firmiter, quam aliis ſtatibus, & ordinibus Regni Poloniæ noſ ſervaturos recipimus.

Promittentes cuncta illa ſuperius memorata civitati noſtræ Gedanenſi, quomodolibet ſervientia, quibuſcunque dicantur nominibus, nullatenus infringere, labefactare, aut imminuere: quin potius conſtanter illæſe & inconcuſſe tenere ac obſervare, teneriq; & obſervari facere, temporibus perpetuo duraturis: Et ſi qui defectus intervenerint, quo minus quicquam eorum hactenus impletum fuerit, in toto, vel in parte, vel ſi quid intermiſſum ſit, id inposterum redintegrare, emendare, & realiter, ac cũ effectu adimplere: ita ut omnia incommoda, abuſus & difficultates, quæ contra prædicta iura, ac privilegia quoquo modo irrepſerunt, illis nec præiudicare, nec ulla ratione obeſſe debeant: nec contrariis reſcriptis, aut conceſſionibus, quandocunque impetratis, vel impetrandis, iiſdem directe, vel indirecte derogari poſſit: quæ quaſve pro inluſis illegitimis ac nullis ſemper haberi, neq; vim ullam, vel validitatem iis attribui volumus, & confirmationis huius authoritate definimus. In quorum omnium fidem, præſentes manu noſtra ſubſcriptas ſigillo regni communiri iuſſimus. *Datum Cracoviæ in comitiis felicis coronationis noſtræ, die decima Martii, An. Domini 1633. Regnorum noſtrorum Poloniæ & Sueciæ primo anno, Præſentibus Reverendiſſimis, Reverendis, Illuſtribus, Magnificis, venerabilibus, & Generoſis, &c.*

Sed iſta de hiſtoriæ huius exemplo in Dantiſcanis modo ſufficiant, ex quo tamen reliqua cuncta poſſint iudicari, quanta vis communi commerciorum libertati inferatur, quoties à reſpectu debito ſalutis publicæ, & compactorum priſcorum devietur. Quemadmodum autem in ſuperioribus ſatis luculenter demonſtratum eſt, quod maris occupatio vera, aut poſſeſſio eius iuſta, & ex ea legitime profluens demum dominium non poſſit proprie dari, quũ Deus terram hominum filiis incolendam tradiderit, non mare, ſed eius libertas communiter omnibus ſit ſuo modo relinquenda: ita quoque omnis teloniorum aggravatio iuris terminos tranſcendit, quum publicum damnum commerciis inferat, ceu ex protectorio, ſuperius introducto, id ſatis dilucide patet. Et certe quiſque potentior ratione officii ad hoc teneretur, ut protectorem potius, quam flagellatorem commerciorum iniquum ageret. Sinuũ quidem marinorum concedo dominiũ, q̃ ſuperius aliquoties declaratum eſt; ſed ipſius maris, quam late patet, poſſeſſio extra fines certe legitimæ proprietatis evagatur, & excurrit. Interim tamen, dum de dominio maris tam acres inter confines potentes foventur concertationes, ut quiſque etiam in mari Balthico ſibi prærogativam quandam aſſignare cupiat, haut immerito heic ab aliis quæſitum eſt, ſi aliquod dominium concedi deberet, an non potius Romano Imper. Germanico, & Cæſari principaliter præ aliis competat, velut & ſitus ipſe arguit? ſi quis heic opponat ſe, ac nonnihil ferventius id abnegare velit, illi facili via reſponderi poſſe putant.

Etenim aiunt, quærendo è contra; An non Imperator Romanus tanquam ſummus univerſi orbis Chriſtiani Magiſtratus & caput, qui ipſo electionis iure, iura principis nanciſcitur, & acquirit? iura autem principis nonne conſiſtunt in ſumma, & abſoluta eius poteſtate? ſicut igitur ſummum eſt, ſupra quod nihil poni poteſt; ita certe etiam ſumma poteſtas dicitur, quam nulla alia in terris præcellit. Dicitur quoque abſoluta, quaſi in ſe revoluta, quaſi à nemine, niſi à Deo, & ad neminem, niſi ad Deum ſe referat. *Novell. 28. cap. 4. in fin.* Tum Maieſtas, quæ uno verbo iura principis in ſe includit, nonne proprie & ſtricte ſoli Imperatori competit? §. 1. *ubi Dd. Inſt. de publ. ind.* quia nulli principi tantam deberi Maieſtatem, quantam Imperatori dicit Purpurat. *in l. quicunque num. 116. ff. de off. eius, cui mand. eſt iuriſd.* Et Imperialis fortuna omnes alias ſupereminet. *l. cũ multa in fin. C. de bon. quæ lib.* Proindeque omnia iura, quæ de principe loquuntur, proprie Imperatori cõveniunt. *Specul. 1. de Appell. §. videndum in princip. lib. 2.* Eiq; omnes principes Chriſtiani ultro loco cedunt. *Bodin. 1. de Republ. c. 9. pag. 127.* Uti enim ex Oceano

flumi-

flumina fluunt, & ad eundem refluere dicuntur, ita & omni Iurisdictioni Imperator fontem præstat, & eiusdem est, ac viger receptaculum. Hentic. Steph. disc. Acad. 6. Et hinc est, quod Imperator non dicitur Magistratus sed causa Magistratus; non dignitas, sed dignitatum culmen, fundamentum, principium. Uti enim dicitur de stipite à quo gradus proveniunt, non esse, sed facere gradum; ita etiam Imperator non dicitur facere gradum solum, sed simul est omnium dignitatum causa. Id. ibid. Veluti etiam in ipsa rei veritate multorum regum creator extitit. Quod enim est regnum in Europa fere universa, quod non regio titulo ex Imperatorum Rom. beneficentia splendeat, & huic sunt Coronæ dignitatem debeat? Sic Heinricus 5. Uratislaum Ducem Bohemiæ regio titulo exornavit. *Dubrav. lib. 9. Trith. 6. 50. Sixtin. de Reg. lib. 1. c. 2. n. 24.*

Otto 3. Boleslao acri Poloniæ principi summa regii culminis axiomata donavit. *Peucer. lib. 4. Chron.* Fridericus 1. Petrum Daniæ Ducem ad regii honoris fastigium evexit, ut Daniæ regnum de iure sit Feudum Imperii. *Helmold. in hist. Sclav. cap. 50. Sixtin. d. loc. & Reink. de reg. fecul. lib. 1. cap. 6. num. 48.* ceu etiam subiectionem, & obsequium pridem præstitit. *Crantz. de Dan. lib. 6. cap. 17. Cuiac. in Feud. Proœm. p. 3.* Ita & Iustinianus fine controversia omnia iura dedit regibus Galliæ. *Cuiac. in fin. consultat. 3.* & similiter alii plures. Unde non immerito & principum maximus vocatur, ita dictus, quasi primas præ aliis capiens, ac quod Imperium Romanum à nullo alio, quam à Deo immediate teneat. *Stephan. ibid. num. 1.* ut sic Imperator tanquam stella matutina in medio nebulæ meridionalis inter omnes reges eminere dicatur. *Bald. in § fin. num. 24. de prohib. feudor. alien. Menoch. 2. præsumpt. 14. num. 3. Rosenthal. de feud. cap. 8. conclus. 15.* Velut & Monarcha dignitate maximus. *Zoannett. de Roman. Imperat. Iul. Pflug. in Orat. de rep. German. Rul. de commiss. part. 2. lib. 5. cap. 4. num. 2.* Cui Deus dedit plurima & multorum Dominum esse. *Novell. 7. cap. 2.* quo nihil in terris habetur sanctius *l. ultim. C. de ll. l. 87. ff. de legat. 2.* nihil majus. *Ern. Cothman. 4. conf. 4. num. 10. Wesemb. Parat. ff. ad l. Iul. Mai. num. 4.* quem Cælestis Imperator adhuc in matris utero clausum terræ Monarcham agnovit, eique censum non solummodo non denegavit, Luc. 2. sed & dare iussit. *Matth. 22. Cacher. decis. Pedemont. 30. n. 12. Norderm. de iur. princ. concl. 83.*

Volunt ac scribunt Historici, Imperatorem Flavium Vespasianum ideo aquilam gessisse, quod totius mundi esset Dominus, ceu & inde adhuc noster Imperator Aquilam gerit, quod cum alis suis totum regnando pervolet mundum, terrarumque orbem quasi possideat, ut & inde dicitur Dominus mundi expresse *l. deprecatio ff. ad l. Rhod. de iact.* Et quidem est Dominus mundi, Dominio universali; tum ratione universalis Iurisdictionis, tum ratione loci pertinentis ad universitatem, & iure universitatis, cujus est director, & administrator. *Steph. d. disc. acad. 6. numer. 1.* Ideoque eidem tanquam Domino mundi, merito omnis talis respectus debetur præeminentia, quum etiam ab eius Imperio omnia dominia originem traxerint. *Mart. de Iurisdict. p. 1. cap. 32. num. 7.* eique reges olim sponte ministrarint. *Bod. 2. de Rep. cap. 2. p. 898.* ac depositis sceptris, & fasciis regalibus pro cubiculariis servierint, *Mart. de Iurisdict. p. 1. cap. 27. num. 7.*

Quur igitur eidem non ex jure tali, & dignitatis præeminentia Dominium maris Balthici præ aliis competat? Præsertim quum & loci, & situs ratio id per se ita liquido exigere, ac determinare videatur. Si enim quid ex jure vicinitatis, & littorum appulsione Dominii sibi adscribere velint, quur non id maxime in Imperatorem redundet, cui omnia cedere debent dominia tanquam principali, & regiminum originario. Tum quum eidem, tamquam capiti, & duci regum reverentiam exhibere, ac superiorem recognoscere omnes de jure sint adstricti, ut communiter censent glossatores. *Castald. de Imperat. quæstion. 12. Zoanet. de Roman. Imperat. numer. 149. Hering. de fideiuss. cap. 7. num. 568. & novissime Sigismund. Scacc. de Appell. quæstion. 16. lim. 5. numer. 5.* Ubi addit, quod omnes principes sint sub eo, & omnes provinciæ. Idemque *lib. 2. de ind. cap. 9. num. 1610.* tradit, cum ea inductione, quodammodo hoc ex necessitate dependere. Præterea tot sunt portus, & nobilissimæ Civitates maritimæ, Imperium Romanum concernentes, in quarum numero etiam sunt, quæ membra Imperii referant, ut & natura id juris Imperio, & Imperatori adsignet.

Ac ne quid aliud quis heic obiicere possit, quum ipsæ Civitates Hanseaticæ in eo ex tot seculis fuerunt, & adhuc sunt dominii usu, ut loco Imperii id manuteneant, quod ipsi Imperio in mari sic competit, uti in deductione Historica superiorum partium id pluribus explicatum, quanti laboris, industriæ, & sumptibus quantis ad tot centenas auri tonnas talis conservatio illis constiterit, ut miretur certe quis intelligentior, si vera cui suppurationis summa detegatur. Verum non attinet hæc pluribus examinare, ne plenum invidiæ opus in indignantiam aliorum, æmulationemque incomptam abripiatur. Ideoque nos ad aliam maris conditionem flectemus cursum nostrum. Quum enim navigantium usui etiam hoc inserviat, ut fluxum, & refluxum Maris, eiusque differentiam intelligant, id simul heic subnectemus, cujus cognitio certe non omnibus patet, licet evidenter sit obvia bene eam observantibus.

De fluxu, & refluxu Maris.

DE motu maris, qui fit per ventorum tempestates, superius nonnihil pro intentionis nostræ ratione egimus; quum vero alius adhuc subsit, quem compositum alii faciunt ex naturali instinctu, & causa adiuvante astrali profluentem, atque propterea, quod diversi generis sit, æstum marinum (id est alluitionem potius, & repressum) dicunt; de eo quoque nobis ex dicta navigationis causa heic quid inferendū venit, præsertim quum tā difficilis

cilis multis ſapientibus fuerit cognitionis, ut etiam quis Græcorum ex nimia ſpeculatione eius, nec veras eius cauſſas inveſtigare poſſet, mortem ſibi ex deſperatione conciliarit, dicens: Capias iam me, ſi te capere non detur. Velut enim res mirabilis, & perquam obſtupeſcenda eſt decrementum hoc maris, quod omnes mortales merito ad admirationis ſummæ pertrahat, & allidat ſcopulos, ita certe penetrantiorem requirit attentionem. Eſt enim hic motus maris adeo teciprocus, ut modo cum tumore ad littora accedat, modo ab iiſdem recedat, & quaſi per vices luſum ſuum oculis hominum videntibus inſinuet, dum ita ex affluxu, & refluxu conſtat, ut affluxus ſit, quo mare ab altitudine ſua ad littora terræ moveatur; ac refluxus, quo mare in repreſſu à littoribus in altum veluti ex iuſſu ſuperioris, qui ipſi frenum iniiciat, moveatur & recedat; ut merito quis cum Davide heic exclamet, Quis ingentia Dei magnalia digne pronunciet? nimium admirabilis eſt gubernatio eius. Pſalm 73. Ideoque extra ſanctuarium eius nemo id recte adſequetur, aut penetrare poterit, licet cotidianum ſit in oculis hominum eorum, quibus ad littora marina eſt habitatio.

Facit ita conſuetudo continuata, ut arduum hoc opus minus in æſtimatione digna habeatur, & quaſi obſoleſcat apud mortales. Hamburgi eius exemplum quam optime obſervari poteſt, ubi etiam ſingularis lapis numeris ſuis notatus, non procul ab Orphanocomio, qua ad portam Schardinam tenditur, erectus eſt, ex quo affluxus altitudo ſingulis vicibus agnoſcitur. Tum quoque temporis rationem ferme omnes præſertim genus omne nautarum, ita accurate in obſervatione habent, ut abſque hæſitatione enumerare noſcant, qua hora, & momento fere affluxus ibi ſit expectandus; imo in aliquot annos futuros didicerunt prædicere ſupputationem ſatis congruentem huic rei. Communis quidem locutio eſt, quod per 6. horas accreſcat, & per tot ſex horas in defluxu, aut decremento, quod Ebbe, ab abeundo, dicunt, recedat; attamen ſempèt motui huic toti in acceſſu, & receſſu adhuc ſpacium horæ adiiciendum eſt, ob tarditatem, ut 13. ita horis ſingulis huius motus actus abſolvatur: Et propterea Calendariis ſinguläriter inſeri, aut adſcribi ſolet quotannis. Veluti in hoc proxime futuro 1642. anno, primo die Ianuarii affluxus, ſive incrementi ſummitas conſpicietur, & habebitur hora 8. ante meridiana; inde receſſus erit eius denudatus hora ſecunda pomeridiana.

Die autem ſequenti proxime, nempe ſecundo Ianuarii incrementum completum erit hora nona antemeridiana, inde in 3. horam pomeridianam incidit iterum defluxus; quæ diſtantia remorationis ita perenniter continuatur, ut decimo quinto abhinc ſemper in eum ſucceſſum revertatur ordo, ſicut & 15. Ianuarii hora octava matutina plenus eſt affluxus, quem Fluet dicunt, & hora ſecunda à meridie defluxus finitus, qui poſtea reſurgit, & increſcere ad dimidium decimę horæ nocturnæ incipit donec recedat, quod ita perpetuis continuatur operationum, & laborum vicibus, ut vigeſimo nono Ianuarij iſte redintegretur ordo, & ſic conſequenter donec in 1. Martii quoque redundet ad horam octavam matuti nam talis fluxus. Hæc ita ordinarie iuxta naturæ diſpoſitionem ibi procedunt quidem, ſi tranquillum ſit cœlum, nec interveniat tempeſtas impetuoſior, aut vis maior ventorum.

Quod ſi verò ventus occidentalis nimis ſit vehemens, tunc tempus affluxus, vel accrementi ex mari per horæ aut ulterius ſpacium citius acceleratur, quam fit ordinarie. Sic è contrario fit, ſi ventus impetuoſior ſit orientalis. Zephyrus ſive Favonius affluxui maturationem celeriorem addit: quem ſubſolanus retardat. Euronotus vero, uti Albim ſecundo flumine in mare propellit, ita quoque aquarum maximam partem evehit, & vadoſa loca ſicca reddit. Quum alias ordinarius affluxus duodecima hora apparere deberet, vix 1. hora, aut dimidia ulterius ad 2. conſpicitur; imo quando nimis acris eſt vehementia ex Euronotide, aqua ita preſſior apparet in tenuitate ſua, ut vix poſſit annotari affluxus, incrementive veſtigia, ſæpius quoque tunc nec navigio uſque ad Alternaviam perveniri poteſt per duo aut tria ſtadia, ob denudatos in Albide arenæ colliculos. Corus ab occaſu æſtivo ſpirans ita in incremento affluxus elevat aquas, ut etiam partes ædium inferiores impleat, quum directo aquas ex mari ſecum ferat. At Circius maxime noxias urbi ob nimium aquarum incrementum undas affert, quum Coro ſit elevantior. Ulterius hoc quoque in hoc affluxu, & refluxu notandum eſt, quid loci diſtantia operetur. Sic ab extremo oſtio Albidos, ubi ipſum influit Oceanum, & ſenatus Hamburgenſ. vas ſigniferum in Schaenhormio, ad Heivelandiam poni curavit, quod vocant Schartoniam, Urbs per 18. milliaria German. diſtat, ſi in novo, aut plenilunio fluxus ibi plenus ſit matutino tempore hora ſexta vel veſpertino tempore hora ſexta, prout curſus id Lunæ moneat, tunc in Braunsbuttelio octava hora affluxus eſt, Glückſtadii, Crempæ, Wilſteriæ, & Irzehoę nona hora cum ¾. circiterque; ad vaſculum ſive connam Groverortii hora decima; Stadæ, aut inoſtio Suingæ, ubi Albida ingreditur, circa horam undecimā, Harburgi autem ab altera parte Albidos è regione Hamburgi ſiti, hora duodecima. Ideoque fit, quod ſi incrementum plenum ſit in oſtio Albidos ad Schaertonnam, tunc Hamburgi ſit plenus refluxus, & decrementi finis; atque ſic ſex horæ in hoc ſpacio 18. milliarium ſingulis vicibus conńciuntur, ut plenus aut ſit fluxus, aut refluxus. Quod ſi vero Albis ex nimia effuſione ſuperiorum in Germania fluviorum, & aquarum mole abundet, ut ſic fluxus maris fortiori vi fluvii huius repellatur, ne ita in altum excreſcere valeat, quieſcit eouſque obſervatio Hamburgi, quam diu hæc durat affuſio. Alias fluxus uſque ad 4. milliaria German. ultra Hamburgenſ. Civitatem in adverſo flumine extendit, prope locum, quem Tollenſpikerum dicunt, ubi traiectio eſt communis quando Lunæburgum tenditur.

Ex huius exempli obſervatione liquido ſatis conſtat, quæ ratio motus Oceani ſubſit hoc in loco quidem,

quidem, quum alibi plusquam diversimode se habeat, unde tot variæ opiniones sapientum exortæ sunt, ut nusquam invenire potuerint, in quanam sententia vere sit subsistendum: velut etiam ridiculosas suspiciones submiscent sæpius, quæ non carent admiratione: simul Franciscus Vallesius, qui multa ingeniosissime in sacra sua Philosophia perscrutatus est, postquam satis anxie se in hujus motus marini discussione maceravit, tandem mentem suam ita detegit, quod puter, mare se instar aquæ ferventis habere in olla inclusæ, ut sic ebullitiones suas generet, & calore rarefacta, non amplius vase capiatur. Ita (inquit cap. 52.) mare tumescens exundat, in littora, contra detumescens subsidet, & velut absorptum redit in alveum. Hanc vero eius rei esse rationem, inde constat, inquit, quod circa littora magis, quam in alto deprehenduntur hi motus, scilicet in alto non decurrit aqua; sed sensim intumescit, ad littora decurrit, quia non capitur. Fieret vero contra, si mare refluereret more fluminum. Multo enim magis sentiretur motus, unde ageret, quam ubi finitus cessaret. Ex his palam fit (ita pergit) maiori proprietate appellari tumorem fluctuum, & elationem maris, quam fluxum, & refluxum, revera etiam non fluit, nisi ex accidenti, quia tumescens non capitur loco.

Æstus vero mihi videtur per analogiam vocari: quia perinde videtur mare pati, ac si æstu, caloreque ferveat, &c. Ita Valesius putat, motum hunc maris non recte vocari, & dici Fluxum, & Refluxum, ac ne quidem Æstum referre, nisi id fiat analogice; sed potius dicendam esse intumescentiam ex calore in ebullitionem productam. Iulius Solinus in Polyhist. sua cap. 36. aliam heic intumescentis maris inducit opinionem, in qua quidem propius quid enu leari posset, si Platonis mentem rite adsecutus fuisset, quando ille de magno mundi spiritu agit, & quomodo in ipsa profunditate, ut ait *Tert. in lib. de tripl. vita cap.* 11. *num.* 48. vitæ sit respiratio. Sed iuvat ipsum heic audire Solinum: ita ait: Dubitatur etiamnunc, quibus ex caussis intumescat Oceanus, vel quatenus, quum superfluus sibi fuerit, rursus in se residat: Nec in obscuro est, plura pro ingeniis differentium potius, quam pro veritatis fide expressa. Sed omissa ancipiti concurrentium quæstione, has opiniones probatissimas inveniamus. Physici autumant, mundum esse animal, eumque ex variis Elementorum corporibus conglobatum, moveri spiritu, regi mente. Quæ utraque diffusa per membra omnia, æternæ molis vigorem exerceant. Sicuti ergo in corporibus nostris commercia sunt spiritualia, ita in profundo Oceani nares quasdam mundi constitutas, per quas emissi anhelitus, vel reducti, modo efflent maria, modo revocent. At hi, (ita pergit) qui sydeream sequuntur disciplinam, contendunt, meatus istos commoveri Lunæ cursibus, adeo, ut hic vicissitudines inter maciem aquarum, & plenitudinem, respiciant ad auctus eius, vel defectiones. Neque eodem semper tempore, sed prout illa aut mergatur, aut surgat, variant se alternantes recursus, &c.

Motum maris istum non esse simplicem, sed mixtum, & compositum, confitentur omnes, etiam inter Neotericos ipse Iul. Cæsar Scaliger, lib. subt. exerc. 52. Tamen, quum adeo perpetuum agere cupiat mancipium stagiriticum, & semper bile ferveat erga eos, qui longe saniora, & veriora ipso sapiunt, nec ἄλογον animæ cupiunt, etiam heic id pro more falsæ subtilitatis suæ & negat, & exagitat sarcastice, quod heic de duplici caussa interna essentiali, & externa accidentali Solinus in superioribus dictis innuit. Verba ejus sunt: Haud temere scire expetimus, à quo moveatur mare. Nam certis, statisque temporibus agitur progressionibus, atque regressionibus. Igitur à certo motore. Interno, an externo? Solus gravitatis modus NB. internum habet motorem, formam: Iste autem (motus nempe maris) quum sit ex contrariis compositus motibus, ipseque in se diversus, atque etiam cessans, si est ab interno principio, jam mare animal est. Sola namque anima, quanquam NB. ne ea quidem omnis, multiplex motor est. Nec minus tamen deinde motui huic sex applicat caussas ob diversitatis indicationes. Quocirca omnes illæ caussæ sunt investigandæ. Prima reciprocationis: Secunda varietatis: Tertia celeritatis: quarta cessationis: quinta privationis: sexta contrarietatis: &c. Ac tandem concludit ex contrarietate, Mare sequi motum Lunæ. An non vero bona conclusio in hoc particularissimo? Forte etiam sic ipsi Logica sua est ἄλογα, uti de anima, subtilitate absurda, quarum plenus est passim, disputat. Sed quæso, num mare non habeat suam formam internam æque, velut aliæ res creatæ? An datur uspiam res creata, quæ sua forma interna, per quam id est, quod revera existit, careat? Num sola gravitas, suam habeat formam? An mare vero aliquid grave, aut leve est? Nonne utrobique necessum erit, ut habeat suam formam, sive sursum, sive deorsum feratur? An vero talis motus soli animæ, ut quoque multiplex sit motor, competat? Quid vero est anima? Quid differt à spiritu mundi? Num anima est idem cum spiritu mundi? An potius non datur discrimen essentiale, inter illud, quod est æternum, & quod est temporale? Ita sane ipse infelicitas in hac doctrina est proditor suæ, & quam cæca heic ejus sit subtilitas, præ nimio amore stagiritico. Si intellexisset spiritus mundi essentiam, & quomodo ille incumbat aquis, ut toties sacra scriptura testatur, rectius longe subtilitates exercere potuisset suas, nec se tam turpiter à Stagirita præceptore seduci passus fuisset, qui vegetantia, sentientia, & rationalia in una stolidissime confundit anima, & saltem distinctiones accidentales ex facultatibus sibimet invicem subordinatis conficit, quæ tamen revera essentialiter inter se distant. Imago enim Dei in homine illud repræsentat, quod æternum est, & animam cum mente, intellectu interno, & animo, sive interna ratione complectitur. Reliquæ facultates sunt spiritus mundani, quibus anima inservit. Unde & recte Div. Paulus ait, nos esse progeniem Dei. Num hæc progenies sit animalis, & corruptioni obnoxia? Annihilaretur sane sic totum nobis Christi meritum. Quænam enim in nobis est angelica forma? Num animalis? Quur itaque tam accurate, & quater decies id reperendo,

distinguit D. Paul. inter hominem externum, & internum? Annon externus solummodo animalis est? Internus vero æternus? Quod enim nobis cum bestiis commune est, nullatenus est homo, sed illud, quod ab animali vita eum distinguit, & æternum est, nempe Anima. Ceu recte dicit Plato: Illud quod vides, non est, sed quod non vides & immortale est. Si igitur proprie hoc loqui velimus, facultates spiritus mundi, non sunt facultates animæ rationalis; quum essentialiter inter se differant; & ita tota doctrina stagiritica corruit de anima, cui se sic temere destinavit mancipio Scaliger cum aliis.

Medici saniores omnes hoc rectius intelligunt, qui propterea spiritum mundi pro instrumento habent, per quem tanquam per vinculum suum anima cum externo corpore elementari connectatur, ut luculenter testatur Stephan. Tr. in Lexico Med. suo, & alii passim. Unde ita satis patet, quanta sit differentia inter animam & spiritum rerum creatarum, ut non solummodo animæ, sed etiam spiritui mundi motus diversus in facultatibus suis competat: imo animæ motus longe est sublimior, subtilior, & plane cœlestis, ut Deitatem etiam attingere queat, & portio sit divinitatis, vel auræ divinæ, ut ille Ethnicus Poeta longe rectius loquitur; dum spiritus mundi saltem principium suum internum rebus crearis in elementaribus corporibus, ipsisque elementis propriissime exerat, & res quæque sic diversimode moveatur, animalia animaliter cum ratione externa sive phantasia, reliqua iuxta complexionem naturæ à prima creatione simul ipsi insitam; quibus etiam instigamento esse valent causæ externæ, ut heic fit in motu marino. Quod autem statum tempus ita observet motus, ipsi ab interna, uti diximus, est causa. Si quis igitur mare animal dicere velit, quur id non fiat analogice? ut recte censet Vallesius in sac. Phil. quamvis proprie loquendo non sit tale animal uti heic iste vir in subtilitatum abusu censet suo, dum tot, tantisque abundat subtilitatibus vanis, & in iis tot confictis axiomatis, quibus mundum in litteratura tua habituali decipit. Namque & spiritus mundi multiplicem agit motorem, cui & Deus in prima creatione hanc suggessit, & indidit facultatem, ut tot mira, variaque genera ex se procreare queat pisciu[m], & marinorum animalium, in singularibus ubique maris partibus singularia: An non etiam inde suum habeat motum, sive reciprocationis, sive varietatis, sive celeritatis, sive cessationis, sive privationis, aut demum contrarietatis sit; id enim omne illud unicus operatur Spiritus, quem sacra scriptura aquis incumbere dicit.

Si totum mundum in obsequium suum pertrahere queat, quur hoc etiam non præstet, quo minoris est facultatis in motu tali? Quin & ipse quoque mare concutit, & percellit iuxta consuetudinem, aut potius ad quemvis Dei nutum, ut toties id Reg. Propheta David in Psal. suis id indicat. Psal. 24. 2. & 33. 7. & 46. 2. 3. & 65. 7. & 74. 13. 14. & 89. 4. & 95. 5. & 104. quorum sententiæ etiam suo loco pluribus explicantur. Itaque longe rectius heic loquitur Piccolomin. *lib. meteor. cap.* 20. ita dicens: Loquendo vero de altero motu maris, qui æstus dicitur, & Refluxus: hic profecto quum sit NB. inflatio, ac elatio quædam aquæ, & contractio, ex alio proximo principio, quam NB. ex Halitu, & spiritu quodam produte non potest; quia cum aqua, & ei iuncta terra sit commixtus. Hinc qui hunc æstum accurate observarunt, perceperunt à fundo, & infima aquæ parte initium sumere, ac inde per alias extendi, atque elevari eiusmodi spiritus, &c. Et quur etiam non mare toties exurgat, & anhelet coniunctionem suam cum terra, atque elevationem intendat Sympathicam, quam excitatam fovet à superiori aqua, à qua in firmamento separatum est sub tempore creationis? Nonne illa cotidie revivisc[at], & revirescat toties. Longe autem gravioti risui se exponit Scaliger, quando refluxum maris alibi, & alias littoribus maris imputat, quasi ea mare à se repellant toties, & inde cogatur velut vi excussum recedere, atque amores suos, quos in Lunam deposuit, sequi, nec minus interea ad punctum Lunæ refert verticalem in hæmisphærio.

Quam mirabilem opinionem, & prioribus contrariam in semetipso merito exagitat acutissimus Medicus Sebastianus Basson in Philosophia naturali sua *lib. Meteor. artic.* 2. & commentis vanis accenset, dicens: Huiusce commenti levitatem nequeo satis in eo viro demirari, ut aquæ maris à finitore ad punctum verticale Lunam sequantur. Enimvero punctum illud, quod Hemisphærium æqualiter dividit, cum respectu nostri dicatur; ubique est æqualiter. Nec illa pars cœli est, cui non æque punctum illud finitoris divisivum attribuatur. Quin ubi mare incipit decurrere, quod decursus eius initium Scaliger vocat finitorem, respectu ipsius maris incipientis, moveri est medium cœli, & quocunque motu suo pergit ubique æqualiter medium dici potest: Itaut ubi desinit currere, non magis sit cœli summitas, quam ubi incepit. Ac proinde vana sit Scaligeratio, mare scilicet ibi cessare, quum ad summitatem pervenit, ubique enim est cœli summitas, & punctum illud verticale. Sed si mare sequitur Lunam suos amores, ut ait, cur ibi cessat ipsius amor? Cur non pergit ulterius? An quia littora cursum eius sistunt? Si hæc sit causa, non quia ad punctum verticale pervenit. Sed si littora ipsius frenant impetum, cur non saltem ibi consistit? Curve retrocedendo fugit suos amores? Quoniam, inquit, repercussum à littore, il recipit in locum naturalem, nempe profundiorem. At contrarium videtur, mare namque humilius est iuxta littus, quam circa medium. Quod naturæ experiuntur, se à littoribus recedentes adscendere; ut propterea dicantur ire in altum. Mare igitur ab amorum suorum prosecutione recurrens, dum se in medium contrahit, non descendit, sed adscendit. Unde hoc? Vel sane si mare, quod prius erat altum in medio, si recurrens descendit ad medium, iam factum humilius; debuit Scaliger causam afferre, unde hæc procedat maris demissio. Prius enim in medio erat altius. Sed cur retrogressum tam cito recurrit, ut in Euripo, ubi septies in die dicitur refluere? Verum, esto, mane sequatur Lunam præsentem usque ad meridiem: à meridie vero usque ad noctem sese in suum locum reducat. Sub noctem Luna, quæ

mane

mane præsens erat, erit prorsus opposita, atque remotissima, ita ut mare, si desiderio illius duceretur, reperiat, cursu in orientem verso, illi obviam ire? Cur haud secus atque matutinis horis volvitur in occidentem? sequiturne ibi Lunam, suos amores? Quin potius eos fugere videtur, cum ab illis recedit? Ita ut potius naturalis esset maris Africani æstus in orientem sese volventis. Cuius rei caussam Scaliger tribuit littoris depressioni, atque angustiis: similiter, inquam quodlibet mare deberet Lunæ venienti occurrere, ut recursu eam comitaretur, diutiusque ea frueretur. Quid quod Luna quotidie tardius fiet hic motus. Quam vero rationem urget adversus Cardanum, qui aquas à sole duci putabit, ipsi pariter officit Scaligero: si, inquit Scaliger, sole agerentur, non Luna, haud unquam fieret æstuum intermissio. Non enim patitur à Luna sol: At in Lunæ quadris cessat cursus. Contra quæro ego, si à Luna fiat hic æstus, cur cesset Lunæ quadris? Tunc ne impotentior Luna, quam novilunio? At noviluniis crementa fieri ad Indi fluvii littus, Author est ipsemet. Cur non crescente Luna, crescit & illud? Quam caussam attulerit eius, quod ipse refert, in Calicutio mari crementa fieri pleniluniis; contra ad Indi fluminis littus noviluniis.

Hæc ergo sententia, quæ mare ab Luna ferri, ac referri docet, etsi sit communior, tamen nullam speciem veritatis hoc modo habere potest. Hactenus ille. Cui etiam sententiæ recte subscribit *Timpl. Phys. lib. 3. cap 3. probl. 6. qu. 6.* quando dicit, quod inprimis Luna nullo modo possit statui caussa efficiens principalis, & proxima æstus marini. 1. Quia non omnes aquas æque movet, præsertim marinas. 2. Quia non omnia maria, quæ dicitur movere affluxu, & refluxu, tota movet ubique: sed quædam tantum secundum partes. 3. Quia maria, quæ tota movere dicitur, non æqualiter attollit, sed unum ratius, alterum mitius. 4. Quia non omnibus in locis iisdem horis movet affluxum, & refluxum. Quibus etiam aliæ adiici possent: sed hac vice istæ sufficiant. Dici itaque non potest, quam miris modis heic alii se torqueant, quum sapere id quidem videri velint, & in tot opinionum diversitatibus, quarum decem, & ultra numerantur, quid proprie sit statuendum non inveniant. Ne vero nihil interea dixisse videantur, miris se involvunt loquendi ambiguitatibus, uti passim, etiam in aliis rebus id videre est apud supradictum subtilitatum magistrum. Mirum est, in quantum anxii sese heic sæpius torqueant.

Et quamvis etiam *Pererius in lib. de divinat.* suo huic opinioni quid loci concedat sibi contradictorius ipsi in consequentiis, exindé sumptis, quum tamen vix alius inveniri facile queat, qui ita explicite luculenta elocutione utatur, iuvat maioris dilucidationis caussa hunc simul heic audire ob circumstantias, quas simul in motus istius cognitione introducit, ubi quasi in vera caussa solem & Lunam una in eius operatione coniungere studet. Verba illius ita se habent *in divin. Astrol. p. 392.* Quod afficiantur utriusque affectionibus, quæ sublunari orbe continentur, conspicuum est. Sole propius accedente, elementa, quæ fuerant frigore hyberno coacta quasi, & addensata, aut constricta, calore tepidiora solvuntur rursus, ac funduntur: Aer rarescit, & fit subtilior, glacies gelatarum aquarum liquescit, ac diffluit, terra aperitur, ac dehiscit, concluso sque exsudat, digerit, ac diffundit humores, quos frigore compressa cohibebat. Mox & plantæ eodem calore vegetatæ, ac fœtæ, tum in germina erumpunt, gemmasque prorrudunt, tum abundantius ex emolliata, atque affluenta terra, succis haustis, luxuriant, animantium corpora, quorum meatus, ac poros frigus constiparat, laxantur, ac veluti panduntur, solutoque & libero motu agitatos ventilant, ac perpurgant humores, separatis, atque vel in halitus resolutis, vel alioquin expulsis rejectamentis. Luna augescente liquores in plantis, & animantibus exuberant, pleno orbe fulgente, vigent: deficiente, minuuntur interlunio, cum ipsa lumen omne à terris aversum cœlo regerit, aperit.

Hæc cum usu didicissent agricolæ, aptissime tempora sationum, admissionis pecudum ad coitum, incubationis avium domesticarum, sectionis lignorum, vel urendorum, vel ad structuras adhibendorum, distribuerunt. Eadem supra horoscopum conscendente, maria tanquam impulsa exæstuant, atque intumescunt, decumbente, considunt rursus, & conquiescunt: idque cum in ipso mari percipitur, tum vicissitudine exundantium, & refluentium, ac residentium fluminum ostenditur oculis. Evidentissime in hac commotione, & agitatione aquarum marinarum utriusque sese luminis vis exerit: Primum enim de Luna pro confesso habetur, & indubitato, impulsa ceu effervescere maria ab imo, & insurgere, atque intumescere: Luna sese cum mundo attollente paulatim ad culmen cœli, aut ab occasu præcipitata, subter ima cœli: Cumque cæli fastigium infra, suprave terram attigit, ceu insistere, represso diffluxu: Eadem ad occasum à cœli fastigio vergente, vel ab imo paulatim assurgente, sese contrahere rursus, atque recipere, ceu reserpta, inter duos exortus, bis permutatim effluentibus his, bisque remeantibus vicenis quaternis semper horis. Animadversum & hoc est, interlunio, & plenilunio, cum soli Luna subiicitur, vel obiicitur, maria incitati vehementius, & diffundi, ac ruere impetuosius ternis ante diebus, & post totidem: Contra languescere æstum, ac ceu lentescere circa Lunæ dimidiationes. Plures observationes addunt Strabo ex Posidonio, & Plinius nimirum, quod æquabiliores fiat effluxus, ac refluxus, cum signa tropica Luna peretrat: Instabiliores contra, & incertiores, cum æquinoctialia: Denique ingravescere æstus, atque intendi, cum Luna in Austros digressa, propiore nisu vim suam exercet, & ab æquinoctiis ad solstitia: ab his contra ad æquinoctia, & cum Aquilonia est Luna, vel à terris longius recessit, leniri rursus eosdem, & mitescere: vel tumeant maxime æquinoctiis, bruma, solstitioque inanes sint. Sentire hunc sese, ceu aperientis, atque expandentis, & urgentis maris impetum retroacta, & inhibita, ac detenta flumina, ante dixi.

Ad Londinum Britanniæ Tamisim quinquaginta à mari Italicis milliaribus: ad Hamburgū, quę veterū

Gambriviorum ſedes eſt, Albim octodecim ab Oceano milliaribus: Ad Antwerpiam, Scaldim itidé milliaribus circiter octodecim regurgitari, atq; augeſcere, & effluere, mari accedente, & hoc reciprocante, diminui & relabi intra alveos, iiſdem, quibus mare vicibus, accolis notum eſt. Vehementiſſimos habet æſtus Oceanus: mitiores mare mediterraneũ: nullos Helleſpontus, & pontus Euxinus, Liguſticum, Balthicum, & Caſpium, maria. Bis die, nocteque effuſum, reſorptumque alternat Siculum mare, ad Scyllæ & Charybdis cavernoſos ſcopulos. Septies Chalcidicum ad Euboeam Euripi alternantibus refluxibus notum ac celebre.

Præter æſtum, alio minus evidenti motu, eoque perpetuo agitari maria, nautæ compererunt: nimirum tum Oceanum ipſum, qui extra columnas Herculis late fuſus alluit, interluit, & ambit terram univerſam, tum mediterraneum mare, quod per anguſtias freti Herculei infuſum, amplo patentique alveo orbis habitati medium inundat. Experiuntur nautę, ſi ſolverint à Nerito promontorio Hiſpaniæ, & vela fecerint Britanniam verſus, ad orientem ſolem longe ſe tardius provehi, quam ſi inde revertantur in Hiſpaniam. Eodem modo, qui ex Hiſpania Inſulas, recens à Columbo Genuenſe in Oceano Occidentali perveſtigatas, adeunt, iter illud viginti quatuor dierum ſpacio in acceſſu, ſecundo mari devecti, cõficiunt, quibus Hiſpaniam repetentibus, vix trium, quatuorve menſium ſpacium ſufficit, etiamſi flatus nulli adverſantur. Et Luſitani, qui Africæ oram, & promontorium Bonæ ſpei præternavigant, ut Taprobanem Inſulam petant, allatum merces Indicas, etiam ſecundis aſpirantibus ventis, tardius multo, ac difficilius accedunt, quam inde revertuntur domum. Cauſſam huius rei nullam aliam eſſe affirmant, niſi quod Oceanus perpetuo à continente, & rapidiſſimo orbium cœleſtium ab ortu in occaſum circumactu in eandem impellitur, ac velut cogitur, & contorquetur partem, non manifeſte quidem, & conſpicue, ſed ſenſibiliter tamen hunc occurpantis, & adverſantis ex cœli impulſu marinæ tenixum inhibere, & tardare vel concitatiſſimarum navium impetum.

Eodem cœli impulſu mare mediterraneum, quod anguſtioribus littorum ceu repagulis coercetur, in gyrum circumagi obſervatum eſt. A Palæſtinæ enim ſcopulis qui orientem ſolem reſpiciunt, incitatum, & ſecundum Phœniciæ, Pamphyliæ, Helleſponti, & Græciæ oras, littora labendo provolutum, dehinc Dalmatiæ, Hiſtriæ & Illyridis legii continentem, atque in intimo receſſu maris Adriatici eum angulum, in quo Venetiæ ſitæ ſunt obiens in oppoſitum littus Italiæ, Flaminiam verſus reflectitur, indeque per Piceni, ſeu Anconitanæ Marchiæ, Apuliæ, Magnæ Græciæ, & Siliciæ limites, ad orientem ſolem revolutum, moxque & Tyrrheni maris oram univerſam circumiens, & Narbonenſem Galliæ, Beticam Hiſpaniæ provincias, fretique Herculei anguſtias præterfluens, & Mauritaniæ, Africæ, & Ægypti littora perlabens redit ad ortum.

Exæſtuationis etſi obſcuriot ratio, tamen in ſole, lunaque cauſſa eſt. Cum enim mutuis Horizon & Meridianus interſectionibus totum cœlum in quatuor divellant plagas, quibus duabus contrariis vecta lumina affluxus faciunt, acceſſuſque inundantibus aquis, ab exortu ad cœli faſtigium, & ab occaſu ad imum cœli: duabus aliis receſſus ac refluxus, ſorbentibus ſeſe iiſdem. Luna nova aut plena largius exundare maria utroque ſidere, aut ſimul naſcente, & ſimul occumbente, aut eodem tempore, altero naſcente, altero defluente in eis cœli plagis, quibus impellere marta conſueverunt contra minus ferveret, eadem luna dividua, ob contrarios impulſus, altero ſidere incitante, revocante, & retrahente altero, ex plagis contrariarum virium: obſcurum eſſe nõ poteſt. Ergo utriuſque ſideris circumactu quotidiano, effectuque commoventur maria, & variantur hæ commotiones congreſſibus ipſorum inter ſe, & mutuis aſpectibus, inceſſuque per diverſos Zodiaci tractus luminum diſſimili inclinatione. Præcipuam tamen vim lunæ eſſe, inde conſpicuum eſſe, quod incipiunt æſtus, exoriente hac, & occidente, tantoque tardius incipiunt, quanto longius profecta illa prodit ſerius. Sed qua vi trahant maria, an ſolo radiorum vibratu, an interveniente alio quopiam adminiculo, non inepte quæritur?

Etſi mirando conſenſu vim radiorum ſolis lunæque in terrenis corporibus humores afficere, & agitare, tota hæc inferior natura evidenter demonſtrat: tamen cum videantur æſtus ſimiles eſſe fervori calentis ad ignem aquæ, moveor, ut exiſtimem, ſicut aqua fervet, cum reſolutorum ardoris vehementia tenuiorum halituum copia, & levitate, ac tenuitate ſua, & vi caloris impulſa, diffuſaque, exitum quærit, quem niſi turbatis, & agitatis aquis, & ab imo ad ſummum, à medio ad extremos aheni ambitus diſpulſis, non invenit: ſic maria exæſtuare, cum vi radiorum magna copia extenuati, impulſique, aut tracti ab imo fundo, marini terrenique halitus, & incluſi in profundum luctanteſque cum circumfugis aquis, atque erumpere, exitu patefacto, annitentes diſplodunt, ac velut diſcerpunt, ac diſtorquent aquas, quæ dum urgentibus halitibus concedunt exitum, dehiſcendo ac diſcedendo adiguntur ad littora, & fluminum oſtia, ubi his repreſſa flumina primo ſiſtunt, mox retrovertunt curſus, elevataque ex reciprocatione effunduntur, & proxima quæque inundant, atque integunt, cum quidem ad littora ab imo maria ipſa res varias ceu revomunt, atque expuunt. Oceanus æſtus habet ſæviores, leniores mediterraneum mare, quod iſthic aperta magnitudo ſiderum vim, laxe graſſantium, efficacius ſentit: eandem arcent anguſtiæ. Quapropter & Balthicum, & reliqua maria, anguſtis coarctata alveis, atque à radiorum efficaci proiectu longius diſſita, & propter profunditatem radiis luminum minus pervia, æſtus nullos experiuntur: Et tum propter eaſdem anguſtias, tum, quod fundus ſaxeus in halitus ſolvi, fundique nequit: agitationi accommodum mare Liguſticum.

Quanquam vero præcipui ſunt effectus, & ſignificationes illuſtriores ſolis, ac lunæ, quod ille & mole corporis antecellens cæteris, & nativę lucis copia, fulgore atque efficacia, acceſſu, cõiectuque radiorum reliquas ſtellas aut moderatur, aut exſtimulat, aut obtundit: hæc & ſolis luce imbuitur, & ut terris proxima quicquid à cæteris derivat, exceptum colligit, atque acervatum dimittit: tamen adeo non fallit at-

lic attentam animadverſionem, etiam cæterarum eſt natura, quarum effectiones ſtatis anni recurrunt temporibus, & tunc ſeſe promunt, quando naſcenti illæ vel aſſident ſoli, vel ex adverſo cedunt, aut cum defluente ſole ſe condunt, prodeuntve, illo abeunte. Longioribus diſſident intervallis Planetarum effectiones, quod interea, dum ſol circumit obliquum ſignifer orbem, alias occultantur, alias viciſſim ſe proferunt, & emergunt, diſcedunt in latitudinem aliquam, ab Ecliptica accelerant, aut moram trahunt in aliquo loco, aut incedunt contrario itinere, extolluntur, & rurſus ſeſe demittunt, conferunt & complicant radios ſuos inter ſeſe, & cum ſole, ac cum luna diſſimiliter. Solem quippe vires ſtellarum fixarum, quas adit, & diurni aſſumit comites itineris, quaſve adverſo ferit, pulſatque radios excitare: Planetarum contra obtundere præſentia ſua, radiorum vero inflictu acuere, minime obſcurum eſt.

Et conſideretur illuſtre teſtimonium providentiæ in fabrica ſolaris itineris expreſſum. Cum obliquo ſolem circuitu oporteret quatuor anni cardines diſtinguere & temperare, quo variaret illos qualitatibus, & attemperatis, & neceſſariis toti inferiori naturę particulatim, & tantam ſua vi varietatem efficere nequiret ſolus: Deus, naturæ conditor, totum iter eius ex diverſarum naturarum ſtellis non confuſis ſine ordine, & diſcrimine, ſed miranda ſapientia alternatim diſtributis conſtruxit, & huic vicinos utrinque tractus ſimilium naturarum ſtellis complevit, ut excitæ à vicino ſole, ceu aperirent, atque exererent ſeſe, præſtarent operam ſoli, & auxilium in temperanda viciſſitudine conveniente. Frigidam cœli conſtitutionem, ſqualidam, inimicam naſcentibus adfert ſol, ubi limitem ſui à nobis receſſus occupat remotiſſimum in Capricorno, quæ durat, dum & hoc ſignum, & Aquarii priora pervagatur. Inde verſus Septentrionem curſu inverſo procedens, circa mediam ſagittarii regionem, & piſcium ἀστερισμὸν, quæ ſigna humidiora ſunt, & natura flatuoſa cum directorum in ſubiectas terras radiorum alliſu, tum ſtellarum, & in his ſignis conſiſtentium, & coorientium, Pegaſi, Perſei, Andromedæ ope teporem afflaturi blandiorem, & evidentę, fuſiſque, qui conſtiterant, humoribus, ac terra laxata, & illis diluta, aut ex nivibus pluviſque liquore aſpero fœcundorum Favoniorum crebriores elicit, ac producit flatus, quibus terram vegetat, ac fœcundat, &c.

Sitite hæ diverſitates, & varietates motuum tam univerſo Oceano, quam particularibus maris partibus inter ſe, iuxta hucuſque dicta, & prolata conferantur, impoſſibile eſt, quin non ulterius ad alias cauſſas, quam quæ in motum lunæ & ſolis coniiciuntur, progrediendum, & potius id conſtituendum ſit, aliud eſſe interne inſitum, quod ſuo vigore inditæ naturæ huius elementi aquei vim talem intumeſcentiæ, & reſidentiæ inferendo cauſſet. Externum enim nullatenus ſufficit, quum tot diſſimiles facultates motus heic ſe in diverſis partibus exerant. Ferunt enim (recte ait *Valleſius in ſacr. Philoſ. c. 50. p. 302.*) eſſe loca, ubi in die ſepties reciprocet æſtus ille; ut in Euboea. Sunt etiam Putei in Boetica, quorū in Hiſpali unus, qui augentur etiam cotidie, ac minuuntur; contra autem ac mare (ſiquidem, eo creſcente, decreſcunt, & creſcunt, decreſcente in Gadibus. Alius, qui æſtum quidem habet, non tamen iiſdem temporibus ſemper, ſed aliquando contrariis.

Et quum hæc mirabilia ſint, illud vero multo magis, fieri hæc tam ſtata, & firma lege, ut ultra ſolitū nunquam progrediatur mare, ſed certo ſciant littorales cotidie, quouſque mare ſit exundaturum, neque tranſverſum pedem errantes, ut evidenter conſter, eam legem poſuiſſe Deum aquis, ne ultra procederent; ſed illic confringerent fluctus ſuos, &c. Velut etiam in mari Indico annualia ſunt tempora æſtus eiuſmodi, ut ſupra dictum eſt. Unde tot multifariæ opiniones enatæ ſunt, quarum 10. recte enumerat Timplerus *in Phyſiol. ſua p. 1. lib. 3. c. 3. prob. 6.* Quippe inquit, alii cauſſam ad primum mobile referunt: 2. alii ad ſolem. 3. alii ad Lunam. 4. alii ad ventorum impulſum. 5. alii ad terræ motum. 6. alii ad nimium fluviorum incurſum, &c. 7. alii vero ad fervorē, & ebullitionem continuam maris, vi caloris tum nativi, tum ſolaris excitatam, quatenus eius vi mare in unam partem fertur, & ſic affluit, ac ſic rurſum repulſum defluit. 8. alii ad rarefactionem & condenſationem, quatenus vi illius attollitur, & affluit; huius vi vero deprimitur, & defluit. 9. alii ad ſalſedinem, ſeu ſpiritum maris, quatenus illius vi effervescit. 10. alii denique partim ad violentam maris intra anguſtæ terræ loca compreſſionem, ut ſic erumpat inde, partim ad loci obſtantis repulſionem referunt, ut ita ab omni parte hæſitatum ſit ab iis, qui potius externam, quam internam cauſſam introſpicere conati ſunt, quum tamen interim ſatis liquido conſtet ex ſenſuum dictamine, & ipſa experientia, quanta differentia aquarum in ipſo ſenſato ſapore, & colore videatur: quodque unaquæque pars maris ferme ſuam proprietatem eſſentialem inſitam habeat, ex qua generationes proprias procreet, uti mare Ligufticum Coralia inſtar fruticum tactu prius carnulentarum antequam lapideſcant, ex ſe edit, uti Plinii compendiarius *Iul. Solin. cap. 8.* refert; Mare Germanicum procreat ſuccinum, Chriſtallum & ceraunias; ac Oſtrearum genera diverſa ſunt in gignendis unionibus: ſic & ſuo generi piſcium ſuus aptus eſt locus maris, quod & in halecibus apparet; velut non omnis fert omnia tellus; ſed virtutem internam, & benignitatem cœli pro naturæ diſpoſitione ſequitur. Quur non idem de mari fœcundiſſimo elemento, in quod præterea aſtrales influxiones tam fortiter agunt, ſit ſtatuendum? quum & media autumni tempore ſuccinum lacrumat mare, ut ait *Solin. cap. 33. Polyb.* nempe Boruſſiacum.

Quare non iniqua iterum heic Valleſii eſt ſententia, qui veritatem propius ex omnibus opinionibus intuendam putat, & maxime cenſet ad interna eſſe recurrendum. Nam, quia adeo certus, conſtitutuſque eſt ille motus, ait, & numerum quendam horarum, dierum, hebdomadarum, menſium, ac fortaſſe etiam annorum obſervet, probabiliter referetur in ſuperiores, æternas, ſtabileſque cauſſas, infera enim omnia temere agitantur, cum præcipue reſpondere videantur aptiſſime illius circuitu ſolis lunæque motibus. Nam diurna per ſenas horas repetitio, diurno ſolis, aut lunæ motui reſpondet, quæ ve-

to per hebdomadas fit mutatio, menſtruo Lunæ: mutatio etiam per ſolſtitia, & æquinoctia, ad ſolem refertur: quia vero multi & fontes, & putei, aut ſimul cum mari, aut contrariis temporibus creſcunt, & decreſcunt, conſtat motum illum non ad ſupremam extremitatem aquarum, cieri, ſed intrinſecus à maximo illo barathro, quod intra terræ viſcera eſt: Unde copioſus pene flatus aquas inflat, ac ſubſidens iterum facit detumeſcere. Veriſimile eſt enim quibuſdam puteis (ſiquidem alii omnes expertes illius paſſionis ſunt) ampliores eſſe ductus, uſque ad maximas illas terræ cavitates, ipſi marique communes. Ut vero quidam tumeſcente mari detumeſcant, & detumeſcente tumeſcant, cum alii moveantur ut ipſum mare, cauſſa eſt in ipſorum pororum, quibus cum mari communicant, longitudine, figura & poſitu, amplitudine aut anguſtia; qui enim coniuncti mari ſecundum breves & rectos, amploſque & expeditos poros ſunt, implentur cum ipſo, qui vero contra ſecundum locos anguſtos, & in contrarium tortuoſe ductos, his aqua abſorbetur ab ipſo intumeſcente mari: non aliter, ac in corporis noſtri venis evenit, ut magnarum ſciſſione, quæ coniunctæ ſunt tractatione repleantur, quę contra poſitæ, inaniantur revulſione; qui mediocriter ad mare habẽt, nonnunquam ſimul cum mari, nonnunquam contra patientur, ut huc, aut illuc flatus ille à barathro contigit moveri; qui vero non habent (huiuſmodi ſunt omnes, qui refluunt uſque ad mare) illos poros uſque ad barathrum perpetuos, & ſecundũ omnem longitudinem expeditos, ſed multis in partibus interciſos, & obturatos interſtite (dura quidem ut obſiſtat, rara vero, & percolendæ aquæ pervia) terra: aut per reciprocos flatus expulſi, & ſupra naturam ſuam acti ſurſum, à reliqua aqua deciſi pendent, nullam talem paſſionem ſubeunt, ſed ſine æſtu perſeverant, utcunque moveatur mare.

Itaque proxima movendi maris cauſſa ſic & flatus intra terræ cavernas concluſus: prima vero fortaſſe duo luminaria, quæ generant flatum, & commovent, tametſi & in ipſo flatu eſt movendi cauſſa, quod aqua pondere ſubſidens premit illum, is preſſus erumpit, & violenter extollit aquas, & impetu ſedato rurſus aquæ ſubſident, atque ita alterius vicibus agitur utrumque. Figura vero, & magnitudo cavernarum non ubique eadem, ſed valde diſſidẽs, facit, ut quædam maria ſimul creſcant, quædam cõtra, quædam bis, quædam pluries, quædam huc, quædam illuc verſus, ut lacus Mœotis in Pontum: hic in Propontidem, non contra. Itaque horum omnium, quæ difficillima quidem ſunt, intra terram eſſe videtur cauſa. Ut vero hæ inundationes accommodentur illis horarum, menſium, & annorum articulis, eſſe videtur aſtris, atque utrarumque cauſarum copula veritas rei huius conſtare, &c.

Huius ſic etiam ſat ſit cenſura locuti,
Quod ſatis exactam mentis putat eſſe figuram.

Veluti etiam ſatis prudenter inter hæc collationem illam inſtituit, ut non ſine cura ſapienti pronũciatum atteſtatus fuerit, in tanta motus varietate. In quo etiam hoc latet, quod motus marinus non ex omni parte naturalis poſſit videri. Quando nempe reſpectu adſcenſus motum violentum repræſentat. Omne enim grave præter naturam ſuam, & vi quadam tendit ſurſum. Reſpectu vero deſcenſus, æſtus marinus maxime eſt naturalis, & ſpontaneus, quum omne grave naturaliter deorſum moveatur. Ubi porro etiam hoc norandum venit, æſtum marinum non ſemper eſſe eiuſdem quantitatis, & durationis. Nam primum naturarum obſervationibus deprehenſum eſt quod die una ante Lunæ cum ſole coitum, & coitus die, & duobus ſequentibus, mare in alto Pelago maxime intumeſcat, & maxime detumeſcat, & tunc maris fluxus ad terram & refluxus à terra fiant velociſſimi. Hinc etiam ob hæc tum tumoris, tum curſus incrementa iis quatuor diebus mare vivum appellatur. Quarta vero à coitu die minus creſcat, & decreſcat, & ſic fluxus, & refluxus minus ſunt celeres. Quinta & ſexta à coitu die omnia minus fiant. Septima autem, quæ eſt una ante Lunæ quadram, & ſequenti octava, quæ ſit dimidiata, & nona, quæ eſt una poſt quadram die, mare totum nec intumeſcat, nec fluat, nec refluat. Hinc nautæ per tres hoſce dies mare mortuum eſſe dicunt. Poſt illos autem dies iterum creſcat ita, ut decima à coitu dies ſextæ reſpondeat, undecima quintę, duodecima quartæ: & incrementis æqualibus, & decrementis: & fluxibus atque refluxibus: Decima tertia vero dies poſt coitum reſpondeat diei, quæ coitum præceſſit: Decima quarta, in qua plenilunium, reſpondeat diei coniunctionis: Decima ſexta, tertiæ decima ſeptima in diminutione reſpondeat quartæ à coitu diei: Decima octava, quintæ: Decima nona, ſextæ: Viceſima ſeptimæ: & ſic deinceps.

Deinde in orbe noſtro, quem veterem nuncupant, varius eſt affluxus, & refluxus maris. Nam primum extra Herculeum, & Gaditanum fretum, ſi ad dextram, & Arctos te contuleris, per totam Hiſpaniæ, Galliæ, Britanniæ, Belgii & Germaniæ oram, uſque ad Balthici maris fauces, magnus fit ad littora affluxus pleriſque locis non minus pedibus quindecim. In Belgico littore, pedibus plerumque octodecim. Ubi vero arctas fauces ingreditur, multo etiam plus attollitur. In Britannia enim ad Briſtolum pedibus attollitur ſexaginta, in Gallia ad S. Mi. haelẽ, & S. Maſonetiam nonaginta. Secundo, ſi ab Herculis columnis ad occaſum exiens per Africæ littora iter feceris, Oceanum invenies, quorundam ſententia, affluxum eadem altitudine uſque ad caput viride habere, quanta eſt in littore Luſitano. Poſtremo etiam æſtus marinus non in omnibus maribus æque durat, ſed in aliis plures, in aliis pauciores horas, ut illi norunt, qui in diverſis locis maritimis ſunt verſati, plenioremque maris cognitionem per diuturnam experientiam ſibi comparatunt.

Atque ita ſufficiant hac vice de maris æſtu mirabili. Sed ne diutius in iſtis aquarum natationibus, & fluctibus me detineam, iuvat heic ſaltem elegantiſſimi, & argutiſſimi ſimul Poetæ Britannici epigramma admodum conveniens heic de magno aquarum uſu, earundemque fertilitate ex internis cauſſis, quas forte non omnes intelligunt, nec ſatis ſapienter ponderare noſcunt, apponere, ut inde conſtet, quã egregie is mecum in ſupradictis conveniat, quod *lib. 3. Epigr. 78.* ad Mariam Neville directum ita expreſſit:

Unde

Unde renaſcantur mortales, Unda vocatur:
A qua naſcuntur cuncta, vocatur Aqua.

Poſſent heic pluta nunc ulterius de mercatoribus, & mercatura commercii communis, nec non de fœnore nautico, & uſuris, aliiſque rebus neceſſariis pluribus quidem explicari: ſed quum de mercatoribus concluſiones doctiſſimas Georg. Lud. Leuſchnerus, nec minus de mercatura Chriſtoph. Hafnerus compendioſiſſime omnium conſcripſerint, & de nautico fœnore amicus quondam meus, & attubernalis, vir acutiſſimus, & omni litteratura inſtructiſſimus Iuſtus Zinzerlingus, p. m. Conſiliarius Ducis Megapolitani, & iudicii Provincialis ibidem adſeſſor, ſatis integre egerit, uti hæc omnia in ſelect. Iur. Diſquis. *Baſil. Volum. 1. diſſ. 9. & 15. ac vol. 6.* inveniuntur, nupertimeque de uſuris omnium nitidiſſimum, & candidiſſimum tractatum ex fundamentis rite compoſitum emiſerit vir ille iudicii perquam ſubtilis (quicquid etiam heic alii de mutuo, num alienatio ſit, ipſi fruſtra ogganniant) Claudius Salmaſius; in ſupradictis hoc loco, uſque ad aliud commodius tempus, acquieſcemus, & nos ad finem huius operis tendentes, ad Leges Nauticas Civitatum Hanſeaticarum brevibus convertemus, in umbilico eos adducturi, qui in re navali maxime excelluerunt.

De Civitatum Hanſeaticarum ordinatione navali in commerciis evehendis, & importandis.

HAnſeaticæ Confœderationis omnis fundamentum unicum eſſe commercium, toties non ſolum hucuſque dictum eſt, ſed etiam ex ipſa fœderis eſſentia, & compactatis conſtat, niſi quod ex accidenti illi ad petitionem tot Regum, & principum de adſiſtentia reali adiectum fuit, ſæpius præter intentionem ex mera neceſſitate: Quales caſus ſuperius aliquoties allegati habentur. Ob ipſam autem commercii naturam civitates huius fœderis in duplici habiti ſunt reſpectu, ut principales inter negotiantes ſemper reputatæ ſint illæ, quæ matinos fovent portus, ac merces ex variis terræ partibus convehendo important navigationibus; reliquæ in firma terra interiorum Germaniæ partium ſitæ, merces diſtrahendo aſſumant, & in particularitate peculiariter ex contractibus initis diſtribuant. Ex quo fit, ut in frequenti uſu adſidue commercia vigeant, floreantque, & civitates principales navium adventus & emiſſiones in tanta copia continuatim colere queant. Etenim quid prodeſſet aliarum & exterarum terrarum merces varias convehere, niſi eſſent, qui importantibus operam hanc receptionis, & diſtributionis inter ſe pro uſu communi præſtarent? præſertim quum bona multa mercium facile conſumantur, aut in corruptionem fœtidam abeant, uti ſunt ea maxime, quæ edulio inſerviunt, atque ex pellium confectione indumenta præbent, &c. Ne vero & ipſa navigatio eſſet ſine ordine, nec confuſionem mali mores nautarum, aut mercatorum nimia efficeret avaritia, pridem id rite Hanſeaticum collegium conſiliis optimis diſpexit, ac ſingulares omni navigationum curſui conſtitutiones per mare deſtinavit; quæ Anno 1591. Lubeccæ non tantum repetitæ ſunt, ſed etiam pro maiori obſervantia typis publicatæ, & ſtatus Lubeccenſ. appenſæ, ita ſe habentes cum titulo ſuo.

Pervetuſtarum Hanſeaticarum Unitarum Civitatum, in Anno 1591. Lubeccæ celebrato cõmuni Hanſæ conventu complacita Nautica ordinatio: Ad cuius navium confectores, exercitores ſive partitores, naucleri & miniſtri omnes in poſterum obſervantiam debitam tenebuntur.

1. NEmo naucleronum hanc ſubeat audaciam, ut navim cõdere incipiat, niſi prius omnes intereſſentes amicos, qui cum illo navim condere cupiunt, convocarit, & ut iſti omnes mere Hanſeaticæ ſint perſonæ, vel ipſe navem ſolus ædificare opibus ſuis queat, & in mare eandem deducere, ſub pœna iuxta magnitudinem navis, ex quavis Laſta thalerum Imperialem ſolvendo, nempe honorato ſenatui dimidiam partem; & alteram pauperibus.

2. Si quis naucleronum amicos omnes ſibi adſociaſſet, ædificationis initium non faciet, niſi prius cum amicis verum inierit contractum ob navis magnitudinem, cuius formæ eſſe debeat, id eſt, quot ulnas extenſio proræ, & collum eius continere debeat; quod pedibus alvus, & latitudo conſtare, quod trabium impoſitiones, & carinæ, ac quæ profunditas commiſſurarum eſſe, ne navis maior, nec minor cõficiatur, quam amici ſociales id expetant. Atq; propterea certificatio in litteris erigi debet, ut quicunque naucleronum exorbitet in hoc, ille commiſerit mulctam de unaquaque Laſta, ſi maior navis fiat, quarta tam thaleri partem, pro dimidio ſenatui, & alteram partem pauperibus ſolvendam.

3. Quod ſi naucleronum navem cum amicis ſuis cõmunem habet, naucleronum nil in navi condi, aut meliorari curabit, nec ulla armamenta, aut inſtrumenta navis comparabit abſque ſcientia, & conſenſu amicorum, niſi forte in alia terra abſens fuerit, & demonſtrare queat, quod extrema neceſſitas poſtulaverit talem navis refectionem, ſine qua navim non per mare reducere quiverit. Quod ſi vero naucleronum contra faciat, amici ad ſatisfactionem ullam illi non tenebuntur.

4. Quando naucleronum cum ſcientia, & conſenſu ædificare cupit, aut debet, tunc tenebuntur amici illi nautæ unum, aut duos adiungere, qui nautæ auxilium in coemptione rerum, ad opus hoc requiſitarum præſtent, ut omnia quam minimo ſumptu fieri queant, ſub mulcta 20. thalerorum ſocietati nauticæ ſolvenda. Quum vero etiam immenſum proprii commodi ſtudium in conferentibus ſocii perſpiciatur, ut unus ligna, alter ferrum, victualia, aliaque cuncta ſupra æquitatem in æſtimatione adiiciat, & conferat, in præiudicium reliquorum participantium, qui meram pecuniam in parato ſolvere coguntur; proinde iſte articulus tam ad collatores, quam ad nautas teſtrictus eſſe debet tali modo, ut quiſque participans (quem Reder dicunt) abeo abſtineat, nec quid in ſumptu adiiciat, abſque conſenſu

ſenſu unius, alteriuſve amici & naucleri, qui tale omne in juſto precio acceptare, & alias naucleri commodum ſcire tenebuntur. Quicquid ita tunc per nauclerum, & adiunctos navis collatores coemitur, illud omne, à quo & quanti emptum ſit, omni cura & fide in computationem juſtam comportabitur.

5. Simili modo quoque idem fiet, quando navis mercibus onerabitur, idem etiam amicorum ſcientia, & voluntate fieri debet, & in ſcriptis ſimul exhibebitur, quid & quantum ad iter ſit neceſſarium, atque ut illud cum lucro poſſit coëmi, debent amici etiam nauclero duos adiungere ſub prædicta mulcta.

6. Si nauclerus quiſpiam heic, aut in aliis Hanſæ Civitatibus quid empturus eſſet, quod ad navis neceſſitatem faciat, omnem operam in id collocare debet, ut optimam emptionem aſſequatur, quam uſpiam obtinere poteſt, atque è veſtigio id literis fideliter conſignare, à quo, & ubi id emerit, nomine & cognomine expreſſo, ut nauta abſque ſuſpicione maneat. Ac ſi amici nauclerum, vel ſcribam in eo infidelem eſſent reperturi, id inſtar furti habebitur, & vindicabitur.

7. Si etiam quis nautarum, aut navis miniſtrorum mercedem, aut quidquam bonorum, mercium ve ſuppreſſurus eſſet. vel quid ex victualibus vendere, aut transportare fruſtra, aut alias quidquam, vocetur ut ut velit, de quo amicis non redderetur ratio, id perpetratori inſtar furti accenſebitur, & pœna tali afficietur.

8. Cum etiam perſpicitur, & obſervatum eſt apud aliquot nautas, quod ratio adornationis, item victualia, velut carnes, & alia neceſſaria vitæ, longe cariori cenſeatur, quam noſtri cives in ædibus ſuis comparare queant, atque ſi forte etiam inquiſitio fieret, & iam tantum victualium nõ inveniatur in navibus ſemper, quam ratio ſupputata indicat, ex quo conficitur, quod collatores, & exercitores non ſolum nautas in navibus, ſed etiam in ipſorum ædibus per totum annum ſuſtentent, & cibent. Ideo, & ut iſthæc ſuſpicio plane tollatur, ac ne inſons in ſuſpicionem aliquam incidat, nauclerus, aut ſcriba merito, quando carnes, & alia victualia pro neceſſitate navium coëmunt, ad minimum aut duos oneratorum, aut collatorum adſumant, etiam in aliquo loco depoſitario amicorum, aut ejus domo ſalfo adſpergi, & adſervari debebit, donec nauclerus navi importari curet, ubi tunc ſimul unus ad minimum ex collatoribus præſens erit, ut videat, & introſpiciat, quando victualium impoſitio fit, & avectio, quæ, & qualia victualia avehantur, ut omnis ſuſpicio ita avertatur.

9. Tum nemo naucleorum ex navi ſua extra terram ſuam in aliis locis, aut mari victualia vendat, niſi forte aſſis in mari eousque eorum indigeat, ut ex charitate Chriſtiana quid victualium communicetur, ut ita ille, aut illi à famis extremæ neceſſitate liberentur, & in vita conſerventur. Atque ſi hoc fiat, tunc tenebitur nauclerus, ut hoc in rationes juſtas redigatur. Quod ſi vero nauta quid uſpiam ex victualibus, aut potione venditurus eſſet, & pecuniam eam non in rationes eſſet redacturus, tunc pro mala fide ipſi imputabitur, & mulctabitur.

10. Item, Quando naves domum redeunt, tunc tenebuntur nautæ, quicquid ex victualibus adhuc in reſiduo eſt, ſtatim abſque mora ſuis collatoribus, & Dominis reſtituere.

11. Item, Poſtquam etiam ingens admodum negligentia, & tocordia apud quamplurimos nautas reperitur, ex quo mercatori ingens cauſſatur damnum, ut inde etiam ſæpius itineris commoditas negligatur, & mercatoris bona, præſertim frumenta in damnum, & perniciem detrudantur; nempe tam ob tardam importationem, quod multos mercatores eo deduxit, ut abhorreant, & recuſent quid noſtris concredere navibus: quia aliquando ante hac inventum eſt, quod aliquot Hollandorum etiam aliorum maiores naves, quam noſtrates habent, bis citius merces ſibi conciliare & onerato ſuas naves iis potuerint, quam aliquot noſtratium id ſemel perfecerint. Atque quod eo graviores meretur querelas, licet aliqui noſtratium ſuas naves mercibus impleverint, victualia & reliqua neceſſaria ſatis in navibus adſervarint, tamen vix poſt 8. aut 9. dies, quamvis ventus fuerit ſatis commodus, & oportunus, non potuerunt protrudi in portum, aut mare. Quare id ordinatum eſſe debet, quod poſt hos dies quisque nautarum ſuas res ita diſponere, ſua victualia in tempore procurare, cum collatoribus ſuis rationem inire & plene abſolvere, atq; miniſtris navis mercedẽ ſuam conductitiã exponere debeat, ut quando ultimam portionem mercium imponi navi curat, pro longiſſimo termino intra duos, aut 3. dies ex eo, ſi ventus aliquomodo correſpondeat, velificationem ſubire debeat, ſub mulcta 50. floren. aureorum. Si etiam collator particeps negligens, & in mora eſſet futurus ad ſolvendam pecuniam præparationi debitam, ille ad mulctam eius convictus erit, & nauclerus huius collatoris partem oppignorabit, pecuniæque tantum mutuo ſumet ab aliis, ne nauclerus fruſtra inde detineatur. Tum quoque mercatores intra tempus, quod per elocatores illis conſtitutum eſt, bona ſua ad avehendum tradent, atque ſi heic in mora ſint, nauclerus non expectabit, & mercator ſive conductor nihilominus plenam ſolvet mercedem, modo ipſi nauclerus ſpacium ſuum in navi aſſignatum monſtrarit, aut vacuum reliquerit.

12. Quando ratio cum amicis confici debet, tunc nauclerus omnes convocabit amicos, atque amici omnes comparebunt, aut ſi quis legitimam haberet cauſſam, ille ſuo loco alium mitter, vel alter ex amicis plenipotentiam offeret, ſub mulcta 2. thalerorum, de qua unus navis commodo, alter pauperibus ſolvetur, abſque remiſſione. Si etiam quis amicorum citetur ad id, nec ſe ſiſtat, aut quem ſuo loco mittat, ille tenebitur omnia ratihabere, quæcunque præſentes tractarunt.

13. Nec quis nautarum per ſe, aut cum aliquo amicorum, aut pluribus, ullum bonum, aut mercimonium navigabit, acceptabit, aut avehet in præjudicium reliquorum amicorum; ſed ſi lucrum aliquod præſto eſt, nauclerus id omnibus navis amicis ſimul indicabit. Namque quum amici omnes una collationem præſtiterint, etiam ipſa æquitas hoc jubet, ut ad omnes commodum inde profluat. Si quis in hoc peccet, ille omnia ea amittet bona, ac præterea pro qualitate rei mulcta afficietur.

14. Quod ſi quiſpiam nautarum ita in amicos delin-

delinquat, ut amici iuſtam cauſſam haberent abdicandi nautæ; tunc amicis conceſſum erit nautam dimittere, ita tamen, ut ipſi ſuam ſolvant partem, velut amicorum cuique ſua pars conſtat.

15. Neque poſt hunc idem ullus nauta, qui extraneus eſt, vel etiam qui in ea Civitate habitat, recipietur, qui ante hac nauclerum egit, niſi habeat ab amicis atteſtationem, quibus ſervivit, quod cum ſcientia, & conſenſu, etiam cum bona exhibita ratione ab iis diſceſſerit, ſub pæna 30. thalerorum collatoribus ſolvendorum.

16. Quum etiam gubernatores navium conductitiam mercedem nimis extendant, & nauclerus gubernatori ad hoc connivet, inde poſt hunc diem non ullus nauta conducetur, ſed amici prius mercedem illi in omni flumine navigabili conſtituent; ſic nauclerus erit, ut amicorum ſuorum commodum in conductione gubernatoris quærat, ſub mulcta ea, qua collatoribus obligatus tenebitur. Atque conducti famuli ſtatim, ſimulac nauclerus in alimentationem ſuam recepit, hoſpitium ſuum in navim ſument, nec alibi ullum hoſpitium habebunt.

17. Quum multæ admiralitates fiant, & tamen paucæ obſerventur, qui autem admiralitatem fracturus eſt, & tamen inſuper adſumantur, tunc nauclerus, qui admiralitatem fregit, tenebitur damno de ſuis ſatisfacere: ſi non habeat in pecunia, tunc ſolutionem in eo recompenſabit, quodcunque poſſidet.

18. Nemo naucleorum ex hoc die miniſtros navis conducet, quocunque nomine vocentur, niſi ſufficientes ſalvos conductus à prioribus naucleris habeant, ſub quo navigationes ſuas perfecerint, ſub pæna 2. thalerorum pro quavis perſona, quas ſecum absque ſalvo conductu ſumpturus eſt: dimidium cuius ſocietati navis, & alteram partem pauperibus ſolvet. Quum vero extranei procul abhinc nati, nec nauclero ſemper noti ſint, etiam ut plurimum nil ſcribere, atque ſic ſalvos conductus elargiri queant, unde multæ diſtractiones enaſcantur; tunc ſenioribus ſocietatis navalis in Civitatibus tales ſalvos conductus ſine recompenſatione filiis navis ad elargendum impoſitum erit, ſub quo tamen in cauſſis neceſſitatis extra terram noſtram pro conductione miniſtri nautici abſque ſalvo conductu non comprehenſumerit.

19. Nullus naucleorum ſuis miniſtris ſalvum conductum abnegabit, niſi ſit, quod is ita iniquum ſe in navi geſſerit, aut alias ſe demonſtrarit, ut ſalvo conductu minus dignus veniat. Si nequeant inter ſe diſſidium componere, remittatur res ad ſocietatem nauticam, num dignus, aut indignus ſalvo conductu ſit, ſub pæna, uti antea dictum eſt. Atque ſi neque ſic inter ſe ſatis convenire poſſint, remittatur res ad cognitionem Magiſtratus.

20. Quando nauclerus in alienis locis hybernum tempus conſumat, vel alias quovis tempore commoretur, tunc nemo filiorum nauticorum ex navi deſcendat abſque eius voluntate, ſub pæna dimidiæ partis in conducta mercede, ex qua dimidia pars nauclero, & altera pauperibus accreſcet.

21. Similiter quando nauclerus navis ſuæ filios per hybernum tempus, aut alias honeſte ſuſtentavit, non ad ulteriorem mercedem, quam conducta eſt, cogent, ſub pæna dimidiatæ conductionis & mulcta ſenatus.

22. Nemo ex miniſtris nauticis ex navi avehat, quando ſtationem fecerunt, aut quocunque in loco commorentur; abſque conceſſione naucleri, ſcribæ, gubernatoris aut Capitanei nautarum, ſub pæna dimidii thaleri cuiuſque perſonæ.

23. Eodem modo quando nauclerus ad terram appropinquat, tunc tenebuntur omnes, ut acatium, ſcapham ſive botam expectent, aut ubi nauclerus in terram eos vehendum dirigat, atque eidem obtemperabunto. Atque quoties nauclerus mandat nauticæ plebi navim conſcendere, & contra mandatum quis in terra manſurus eſſet, nec ſub ea nocte in navi compareat, tunc ille ſuam fregit vecturam, aut carcere afficietur.

24. Quando nauclerus ſuam gentem conduxit verſus Galliam, vel alium locum, atque nauclerus à ſuis amicis, aut ab aliis accipiat indicationem, quod in alio loco melius lucrum ipſi obtingere queat; tunc ſequuntur nauclerum, & tunc melioracionem mercedis nauclerus adiiciet. Si vero ob melioracionem non ſatis inter ſe convenire poſſent; tunc melioratio talis ad expertos maris, aut ſeniorum cognitionem, & arbitrium remittetur, finito itinere. Quod ſi contra hoc quis peccet, & ſeditionem concitet, ſeditioſi pæna afficientur.

25. Qui ad excubias deputatus eſt, & dormiens inveniatur, ille 4. Schill. Lubecan. aut in alienis locis æquivalens pauperibus penſabit ad capſulam.

26. Qui dormientem excubitorem invenit, nec id indicaturus eſt, ſed connivet tacitus, 2. penſabit Schilling. Lubecan. capſulæ pro pauperibus.

27. Nemo nautarum ita confidens erit, ut acatium aut botam ſolvat ſine licentia naucleri, aut gubernatoris ſub pæna carcetis.

28. Quum etiam ingentes errores incidant, unde ingentia damna cauſſentur, ut ſæpius ſe plurimi pro gubernatoribus navium, Capitaneis nautarum, aut officiariis venditent nec tamen ſatisfacere pro iis poſſint, nec digni eo nomine veniant, illi mercedem conductam amittent, ac quum abſolverint iter navale, pro ratione conditionis pæna afficientur. Quod omne perficietur, ſi nauclerus id probaverit tite binis teſtibus bonis, aut miniſtris ſuis, quod gubernator non ſatis idoneus fuerit, qualem ſe venditarit.

29. Quum ſimul interdum petulantia nauticæ gentis nimis effrenis ſit erga nauclerum, quando mercedem plenam acceperunt: proinde ex hoc die nullus nauclerus ſuis nauticis miniſtris mercedem aliter, quam in tribus partibus, & terminis ſolvet, primam, quando iter ingreditur, ſecundam, quando locum attigerit, tertiam, ubi iter abſolutum, ſub pæna 20. thalerorum nautis penſandorum.

30. Quod ſi quis, aut plures erga naucletum inobedientes exiterint, & infideles inveniantur, atque hoc duobus navis filiis poſſit probari, illum nauclerus pro conditione ſua in terram expellet, tamen ut in terra ea habitent incolæ, cui ſe reliqui nullatenus opponent, ſed nauclero abſque contradictione iter conficient debite ſuum, ſub pæna amiſſio-

missionis mercedis ; & graviori pœna apud Magistratum.

31. Quando gens nautica in mulctam incidit, atque tunc unus alteri in attestatione nollet esse contrarius, nauta sub fide juramenti examinabitur, & tunc in illos omnes, qui mulctandi, aut pœna afficiendi sunt, animadversio digna coniicietur. Si etiam contingat, ut unus alterum in navi interficiat, talem perpetratorem nauclerus compedibus ferreis includet, atque in primam Magistratus jurisdictionem deducet captivum, ut merito afficiatur supplicio.

32. Nec quisquam nautarum, aut gens nautica in navi ullum instituet convivium absque naucleri præscientia, & consensu, sub mulcta dimidiæ mercedis.

33. Nemo nautarum, aut gentis nauticæ suam fœminam nocte secum in navi adservare debet, sub mulcta unius thaleri.

34. Nemo ictum bombardæ absque mandato naucleri emittet, si in eo quis convincetur, ille in duplo solvet, quanti materia talis veniat.

35. In casu hoc, si nauclerus tales mulctas, & delicta, ut supra dictum est, finito itinere tacite obtegere conaturus esset, aut dissimulaturus, ille 50. thaler. Imper. solvet, dimidiam partem judicio, & alteram pauperibus.

36. Quando admiralitas quædam confecta fuerit, aut alias contingat, quod pirata quandam irruptionem contra navim alicuius suscipiat, gens nautica omnis tenebitur se vi opponere, sub pœna amissionis mercedis. Si vero quis inde claudus reddatur, illi medela adhiberi debet confestim, & quasi compos erit æqualis possessorii in navim, & bona mercatorum. Atque si insuper in eam imbecillitatem inciderit vitium, ut non amplius possit victum sibi quærere, per totum vitæ spacium ipsi panis cotidianus porrigetur.

37. Si etiam probari hoc posset, quod ullus ex filiis navis naucleto in tali necessitate adsistere noluisset, aut opem ferre, & inde navis in manus piratæ perveniisset, ille in publico loco patibuli virgis cædetur.

38. Sin vero probetur, quod navis filii in tali necessitate suo satis feciissent officio, & prompti fuissent, nauclerus vero negligentiorem se gessisset, nec prælio se committere voluisset, tunc nauclerus erit infamis, nec ulla navis amplius illi concredetur, sed omni nominis honore privabitur, nec dignus erit ullius conversationis.

39. Quum etiam sæpius ex ignavia, & negligentia nautarum saburra nõ in suum destinatum transportetur locum, sed in aquas proiiciatur, unde profunditati loci damnum exurgat: post hac inde cura accuratior adhiberi debet, ut saburra semper in depuratum locum deportetur, sub pœna arbitraria cuiusque loci Magistratus.

40. Quod si etiam eveniat, ut nautarum quisquam, aut plures absque venia in terram è navi egrediantur, & sic interficiantur, vulnerenturve, non tenebitur nauclerus, ut de suo sanentur; si vero id fiat in eius negotio, aut commissione, tunc alia est ratio, & tenebitur ad sanationem eiusmodi.

41. Si accidat, ut damnum ingens navi infligatur ob ullius nautici ministri absentiam ex navi; si tantæ is sit facultatis, ut inde damnum resarcire minus queat, per anni spacium includetur carceri, & aqua, nudoque pane satiabitur. Quod si etiam per talem eius absentiam navis plane submergatur, & quis in navi mortem subeat, tunc certe supplicio capitis afficietur, & vitam amittet.

42. Si nauclerus nautam quendam conducat, ut inde sustentationem accipiat eius, & nauta infidelem se præstet ita, ut probari possit, antequam enaviget, licitum ipsi erit hunc dimittere. Si vero se honestum in obedientia præbeat, & nauclerus illum innocenter expellere cupiat, solvet ipsi tertiam mercedis conductæ partem in loco competentem, atque hoc ex propria crumena ipsi persolvet, nec id in rationem collatoribus deferet.

43. Si nauclerus nautæ suo absque iusta, & legitima causa dimissionem creare cupiat, in Flandria, aut alio quopiam in loco, ubi primum appulerit, & & navim exoneret, aut ubi iterum navim onerare mercedibus velit, tunc nauclerus tenebitur ut ipsi plenam mercedem cum naulo suo persolvat. Quod si etiam nauta à nauclero suo absque iusta causa dimissionem exigat, ubi dimidium iter perfecerit, tunc nauta similiter obligatus erit, ut totum conductitium precium una cum naulo persolvat.

44. Si ullus uspiam nautarum, aut officiarius, quando dimidium mercedis accepit, ex navi se clam subducat, tum illi, quando recipietur, pro pœna, & aliis pro exemplo, anchoræ signum, & stigma in mala inuratur.

45. Si nauclerus naufragium patiatur, filii navis confestim tenentur, ut absque mora merces & bona cum armamentis præcipuis, carbasis & restibus omni opere salvare conentur, pro quibus nauclerus honestam in pecunia recompensationem solvet. Quod si vero non habeat pecuniam, eos in eum locum reducat, ubi illos conduxit, modo eundem sequi velint. Si vero ipsi succursum talem operæ non præstent, nihil illis tam in mercede, quam aliis accidentibus debebit, quum navim quoque ipse amiserit.

46. Si quis in navi ægrotet, nauclerus tenetur, ut ex navi in hospitium deducatur, & ipsi largietur lumen, ut nocturno tempore eius usum habeat, ac per nautarum quempiam, aliumve ipsi ministretur, & cibum potumque eidem porriget, uti in navi promptum habet, & antea ægrotans eius fructione usus est, dum sanus adhuc erat: ulterius ipsi quid largiri nauclerus non tenetur: nec nauclerus propterea non sibi amplius moram nectet, sed ipsi licitum tunc erit velo se iterum credere. Si ægrotus restituatur, non minus mercedis suæ compos erit: si vero moriatur, eius hæredes mercedem accipiant.

47. Quod si ulli filii navis seditionem, aut conspirationem moliantur contra nauclerum, & eum ita cogant, ut absque alia necessitate urgeatur portum quempiam petere, ad quem alias ipsi non erat dirigendus cursus, etiam cum damno, & iactura navis, & mercium, atque tunc contra voluntatem eius ipsi se subducant, ubicunque illi offendentur, illi extreme in libertate punientur.

48. Et-

48. Etiam naucleri id diligenter præcavebunt, ne ipſi plebi navali ad ullam proterviam & rebellionem anſam præbeant; ſed cuique bene meritam, & promiſſam mercedem abſque ulla detractione, aut abſciſſione, ob quam ſæpius querelæ afferuntur, debite ſolvant, niſi forte ſit, quod ad cognitionem cauſſæ, & arbitrium navis amicorum finito itinere, aliquid foret decurrandum.

49. Quum ſæpius etiam exploratum habeatur, quod unus nauclerus alteri ſuos miniſtros conductione ſubducat, quando pridem per aliquod tempus in alterius mēſam recepti fuerint, ſive id fiat cariori mercede, ſive verborum blandimētis, tunc nihilominus talis nauta nauclero, à quo diſcedit, dimidium mercedis, quam conduxit, reſtituet, & alter nauclerus, qui illum ita ſeduxit, 10. thaleros pro mulcta ſolvet, dimidium huius Dominis, & alteram partem ſocietati nauticæ.

50. Si etiam accidat, ut unus, aut plures noſtrorum naucleorum aliis in terris extraneis à præpotenti Domino, aut alio Magiſtratu arreſtetur, aut ex defectu ſalis, vel alias ex aliis cauſſis iuxta arbitrium naucleri, pro commodo amicorum ſuorum quieſcere, & commorari alicubi cogatur, ac tunc gens nautica ſingularem moræ pecuniam iacentis experat, nauclerus, quum interea eos cibo & potu ſuſtentet, nil tale illis erogabit. Ac ſi nauclerus urgeretur, plebi huic meliorationem præſtare, tamen res reducitur ad arbitrium bonorum virorum in primo exonerationis navalis loco, num illis quid ita debeatur, vel non. Ac ſi propterea quis ex filiis navis ex navi diſcedat, iuxta arbitrium Magiſtratus, ille extreme in libertate punietur.

51. Si cuiquam naucleorum res pretioſæ in margaritis, pecunia, aut pecuniæ æquivalentibus ad tranſportandum pro certa favoris mercede ita concrederentur, ut præ reliquis mercalibus bonis illa obſervare teneretur, de eo quartus numulus, nec ulterius quid ſolvetur, reliquæ tres partes nummorum amicis navis addictæ manebunt, ex eo reſpectu, quod nauclerus in recognitione hac navem cum omnibus pertinentiis, quæ unice amicis navis competunt, pro iis rebus aſſecurationi & hypothecæ loco ſuppoſuerit.

52. Etiam in poſterum, quando naves traiectoriæ, ſive pramæ cum ſale ad exonerandum in ſtatione appulerint, navis collatores inter ſe unus alteri traditionem præſtabit, tamen ut nauclerus in unaquaque traiectoria navi quempiam ſuæ plebis, ad converrendum, atque ut unicuiq; ſua propria menſura deputetur, ad videndum adiungat, & ſubordinet, & nauclerus, aut alius ipſius loco nullatenus ſe heic ſubducat, aut id ſubterfugiat, ſub pæna Magiſtratus.

53. Poſtquam etiam aliquandiu, ob plebis nauticæ bonorum, & ſuppellectilis conſuetudinariam vecturam, variæ diſtractiones, & difficultates motæ ſunt, & inde Dominis navis, ſive collatoribus, aut exercitoribus varia enata ſunt incommoda. Propterea huic rei in poſterū talis adhibebitur ordo, ut nemini ex navis plebe, cui iter in Hiſpaniam, aut Frāciam eſt, talis vectura conſuetudinariorū bonorum amplius libera concedi debeat illorſum. Quando autem in Hiſpania naves ſale, aut alus conductis mercibus plene oneratæ fuerint, tunc naucleri ſuæ navis plebi vecturam talium bonorum liberam cōcedent. Quando vero ob nimiam caritatem ſalis, & defectum conductitiarum mercium naves non plene onerari poſſunt, tum navis plebs vecturam ſuam emere, & ſolvere debet: ſi nauclerus ad eam quid pecuniæ mutuo ipſis det, illud, quum locū exonerationis adſecutus fuerit, in cōducta mercede illis decurtabit, aut ex ſuo damnum feret, nec amicis quid de eo in rationes rediget. Aſt in navibus, quæ in Frācia onerantur, plebs navis omni tempore pro vectura bonorum ſuorum ſolutionem præſtabit. Nec quisquam ex plebe navis vecturam ſuam alteri vendet, quam ubi navis exoneratur, & quovis tempore amici navis, ſi vecturam hanc emere cupiant, ad eam proximi erunt. Quum etiam reperiatur, quod plebs navis, quando naves, quæ in mari orientali aut verſus Hollandiam frumentis, & ſale onuſtæ navigant, exoneratæ ſint, aliquot tonnas frumenti, aut ſalis ſibi ex illis reſervent, quum tamē ſæpius nihil intulerint, unde mercatori in menſura multum detrahitur; inde poſt hac nemo ex plebe nautica quid de bonis acceptis in ſale, & frumēto detrahet, aut ſibi ſumet, niſi binis mercatoribus, qui navim onerarunt, aut aliis fide dignis ſufficienter probatis, quantum ille imponendo attulerit. Si quis contrarium agat, tunc tanquam periurium punietur. Quum vero inveniatur, quod naucleri, & gubernatores plus in vectura tali adſcribant ſibi, etiam plebi navis largiantur plura, quam ab antiquo in uſu fuit, quando ſuam, & plebis nauticæ vecturam, iuxta ſalis, & frumentorum rationem erectam, in damnum collatorum dirigunt: Inde in poſterum eiusmodi obſervabitur modus, nempe, nauclero & gubernatori cuique 12. tonnas, officiariorum cuivis 6. nautarum cuique 4. ton. fabro vaſorum, puppis excubitori, coqui ſervo cuivis 2. tonn. In tritico autem, & ſiligine, nauclero & gubernatori 30. modios, officiariis 15. mod. nauticis 10. & reliquis ultimis 5. mod. concedent, atque liberum illis erit quando ipſi talia ſunt procuraturi.

54. Poſtquam etiam ſæpius accidit, quod nauclerus in odium & offenſionem collatorum ſuam partem navis ultra dignum precium vendat, ut collatoribus emptionem ingredi talem, quæ alias ipſis debetur, minus ſit commodum, inde hoc ad arbitrium bonorum virorū remittetur, nec illi amplius quid ſolvere tenebuntur, quam æquum fert precū.

55. Si nauclerus abſq; neceſſitate in navem quid mutuo ſumat, vel abſq; neceſſitate in portum naviget, quorſum ille non ſit conductus, tunc nauclerus talis damnum, quod collatores in hoc coniiciunt, ex ſua propria crumena reſtituet. Si vero mercatorum bona, & navim venditurus eſſet, & fugā quæſiturus, atque ſic amicis navim & bona alienaturus, ille in nulla Hanſea Civitate tolerabitur, ſed extreme in libertate omni punietur, abſque ulla gratia.

56. Poſtquam etiam propter oppignorationem navium, & mercium (quando in neceſſitate aliqua mutuo ſumuntur pecuniæ) plurimæ difficultates incidunt, ne tamē liberæ partes non liberis aggraventur: inde nullus naucleorum, quando cum collatoribus navis contraxit, eorum navem in diverſis locis denuo armamentis mundabit, dum adhuc ſuis collatoribus ſocium agit, & eorum præſentia frui poteſt, aut in ullam navis expoſitionem quid acceptabit, quam quousq; portio navalis, quam in ea habet,

ſe extendat. Si nauclerus quis contrarium agat, ille, qui expoſuit pecunias, ſuum creditum ex bonis naucleri, & non ex navi quærat, quum reliquæ partes liberæ, & nulla oppignoratione gravatæ ſunt.

57. Quod ſi etiam ita ſit, ut unus, aut plures navis apparatores, aut exercitores in præparationem conſentire nolint, ſed aliis in locis melius lucrum expectent, tunc juxta veterem conſuetudinem ex mari id obſervabitur, quod nempe minores partes & vota majoribus cedere debeant: ac, ſi in hoc caſu quis id recuſet, tunc nauclero ex conſilio, & conſenſu reliquorum coexercitorum, & collatorum, ſociorum licitum erit, ut tantum pecuniæ in oppignorationē mutuo ſumat, quantum ejus portio requirit: Atque quando iter ſibi ſervavit, & confectum erit, capitalem ſummam cum impenſis, abſq; reliquorum Collatorum damno, ex ſua portione ſolvet, quousque ejus nautica pars ſe extendit.

58. Quando nauclerus extra terram ſuam, ubi exercitores, aut collatores ipſi adeſſe nequeunt, probabile damnum in navi, aut armamentariis patiatur, nec illic locorum quid pecuniæ in Cambio ad ſuos exercitores, aut collatores directum habeat, nec cambium ita procurare queat; vel nec in navi quæpiam bona haberet, quæ in commodum melius ſuorum collatorum, quam oppignoratio requireret, vendere valeret; tunc in hoc caſu neceſſitatis, ut navim cum mercibus ſuis ſalvet conceſſum ipſi erit, nomine omnium collatorum tantum pecuniæ ad oppignorationem ſumere, quantum ad reſarciendum damnum, & alios ſimiles caſus neceſſarios opus habeat: Ac quod ita oppignorando peregit, id omnes ſimul amici ſolvere tenentur.

Ad 53. vero articulum huius ordinationis noſcendum eſt, quum ex inſtinctu mercatorum, & navium apparatorum id ageretur ante annos aliquot pluſculos, ut nautis ſuam bonorum vecturam, ex qua unice illis quid commodi in tam periculoſis itineribus adfluit, penitus ſubducere, & caſſare poſſent, quod tunc omnes nautæ Hanſeaticæ navigationis inter ſe hoc pactum conſtituerint, neminem omnium ullam ingredi navem debere, donec juxta antiquum morem illis libertas vecturæ denuo in totum concederetur. Licet mercatores, & navium apparatores, aut exercitores admodum duros, & invincibiles ſe à principio ſimularent; tamen, quum nemo nautarum ulla in parte, & ita totus cætus à ſententia, & conſuetudine priſca ſecedere vellet, navesq; & corbitæ mercibus onerate per aliquot mēſes non poſſent ad ullum iter promoveri; tandem mercatores cum cōſenſu ſuperiorum cedere coacti ſunt, & de novo illis conſuetudinem liberam ſe relicturos eſſe perpetim promiſerunt. Duravit tanta reſiſtentia, & conjunctio nautarum ultra 5. menſes Lubeccæ in loco dīrectorio, priuſquam diſſidium hoc recte componi potuit. Notabilis inde eſt iſta hiſtoria, ut inde conſtet, quanta vis penes eos reſideat, ſi ſemel commoveantur, & quam penitus nusquam à veteri conſuetudine, quæ illis ab antiquo inveterata eſt, revelli queant.

Notandum hic eſt, quales olim fuerint conventus, & deliberationes Anſeaticarum Civitatum, in quibus tractatum eſt, de directione negotiationis, conditaque decreta, ſtatum commerciorum diſponentia. Mare enim Balticum, propter ſæviores tempeſtates in hyeme, per integrum annum, citra periculum non eſſe navigabile: Verum nemine etiam prohibente, ceſſare navigationem per aliquot ſeptimanas ante, & poſt brumale ſolſtitium. Hanc ob cauſam ex uſu navigationis, nec præter cōſilium, ſcitum & voluntatem ſereniſſimorum Regum Poloniæ, multis ab annis, certum tempus receptum eſt, quo ſingulis annis ſiſtitur navigatio, in primis quæ in exportando frumento conſiſtit. Nimirum ſub decurſum Autumni in ipſo die Martini Epiſcopi, ſecundum Iulianum ſtylum. Qui terminus rariſſime, & tantum ad frequentiſſimas preces peregrinorum Naturarum in proxime ſequentem ſaltem diem ad aliquot horas prorogari ſolet: idq; ſine ullo detrimento, aut præjudicio ullius hominis in Regno Poloniæ degentis. Tempore vero verno, ob diverſimodam conſtitutionem hyemis, & reſolutionem glaciei in portu, certus dies per naturam rei commode aſſignari nequit. At primam quamlibet occaſionem repetendæ navigationis, cupidiſſime ab iis arripi, quorum poſt divinam benedictionem præcipuum incrementum in continuo uſu commerciorum cum transmarinis populis conſiſtit, veroſimilius eſt, quam ut teſtimonio egeat.

De iis, qui gloria excelluerunt Navali propius: & de Antvverpia Emporio quondam principali Hanſæ.

VIx quicquam inveniri aut excogitari poteſt, quod rebuſpublicis vel in civilibus vel bellicis rebus maiorem utilitatem adferat, quam navalis diſciplina. Nam (ut inquit Xenophon) qui claſſe valent, omnes omnium regionum commoditates percipere poſſunt, & commutandi, vēdendiq; poteſtatē habent maximam, ſiquidem gentes vel multo terrarum intervallo diſſitæ exportatione rerum, quibus abundant, & earum, quibus indigent importatione, indigentiæ ſuæ mutua opera ſuccurrere facile & expedite poſſunt, & ſuas opes commode augere. Nec minor in bello, quam in pace utilitas percipitur: nam qui libero utuntur mari, ſi viribus ſuperiores fuerint, rei frumentariæ providere: hoſtes varia clade afficere facile poſſunt: ſi inferiores, adverſarios ad certamen provocantes commode ludificantur. Ideo apud antiquos maximum ad omnes res gerendas momentū ſemper in claſſe poſitum, & qui validiores ea in parte fuere, ſæpius in bello ſuperiores evaſere. Non injucundum itaq; lectori fore puto, ſi de iis, qui rei navalis periti longe maria ſulcarunt, regiones antea incognitas ingenti auſu aperuerunt, & negotiationem illuſtriorem reddiderunt, exempla aliquot ſubiiciam.

Navigandi artem antiquiſſimam eſſe, ex Beroſo videre eſt, qui in ſeculo aureo Ianum & Saturnos in novas colonias claſſe advectos eſſe ſcribit. Primi in ea Ægyptii excelluerunt, qui longe maria, inſulas & littora luſtrarunt, ut terrarum metas invenirent, adeo ut doctrinæ Coſmographicæ initiū darēt & aliis populis ſimilia tentandi, & explorandi exēplo eſſēt. Primus omnium regum Seſoſtris longis navibus uſus, Arabicum ſinum prætervectus populos Rubri maris accolas uſque ad Indos penetrans in poteſtatem redegit.

Thurreni fortitudine egregii, claſſe potentes, quum diutius mari imperitaſſent: Italum pelagum

à ſe Tur-

à ſe Turrhenũ denominaverunt, nauticarum rerum adeo periti ut quocunque claſſe defertentur, facile victoria potirentur.

Poſt illos Tyrij in ea arte excelluere qui libero utentes mari ſæpe terras cæteris nationibus incognitas adiere. In ultimo Hiſpaniæ tractu inſulã Oceano circumfuſam perexiguo in continenti diviſam freto condiderunt: & in Africa Uticam, in Bœotia Thebas, ſic ut eorum Coloniæ toto orbe diffuſæ fuerint.

Tanta famæ celebritate florentes Rex Judeæ Salomon ſibi fœdere ſociare curavit, cui aurum & gẽmas, aliaque rara & preciosa adferebãt. Cum autem totum triennium in una navigatione conſumerent, multa maria ſulcaſſe, & longinquas mũdi partes exploraſſe facile credere eſt, nec ullos populos poſtea eorum conatus adæquaſſe legitur.

Phœnices claſſe in Lybiam veniẽtes Byrſam, quę & Carthago nominata eſt condidere, demum ſubacta Lybia magnam maris tenuere partem. Ulterius bella moventes Siciliam, Sardiniam, cæteraſq; Inſulas quæ mari illo continentur occuparunt, & in Iberiam uſque emiſere colonias.

Carthaginenſes adeo claſſe valuere, ut maris mediterranei imperium diu tenuerint, à Romanis Sardiniam, Siciliam, & omnem Iberiã abſtulerint, Hannone duce Gadibus circumacti ad extremam Arabiam uſq; permearint.

Liburni Illyrici populi navali gloria etiã percelebres fuere, qui Ioniam inſulasque Ægei maris dicto audiẽtes habuere, velocibus navibus uſi, qua ex cauſa Romani naves, quæ celeritate, levitateque præſtant, Liburnicas nominarunt.

Nec proſtemum hac in parte laudis Athenienſes locum ſunt habituri, qui magno claſſis apparatu freti imperium amplum & victorias inſignes acquiſiere. Ad claſſem, quæ cum Xerxe ad Artemiſiũ felici eventu pugnavit in qua 378. naves fuiſſe dicuntur, majorẽ partem ſuo milite, ſuisq; ſumptibus inſtruxerunt. In Salaminenſi prælio naves 400. habuere, unde præcipua earum victoriarum palma ipſis extra omnẽ controverſiam attribuitur. Cum bellum adverſus Lacedæmonios moverunt, triremes ad quadringentas habuere præter alia navigia. In multis & maximis certaminibus cum Perſis, Macedonibus & Lacedæmoniis pugnãtes ſuperiores fuere, in paucis proſpero ſucceſſu caruere. Victis Perſis Græciæ & Aſiæ tributum ad tuendũ maris imperium impoſuere: tanta in rei navali eorum fama apud exteros fuit, ut Perſæ contra Lacedęmonios bellum gerẽtes ſempet Athenienſem ducẽ quęrerẽt, quem claſſi ſuæ præficerent. Tantum etiam emolumenti inde ſunt aſſequuti, ut quicquid ratũ aut ſuave, vel in Sicilia, Cypro, Ægypto, Lydia, Ponto, Peloponneſo, vel alibi erat, in unum coegerint ob maris imperium.

Cilices piratæ quibus ſe aggregarunt Syrij, Ciprij, Pamphilij & Pontici non ſolum mare quod ad orientẽ ſpectat, ſed quodcunq; intra Herculeas columnas ſitũ eſt, in poteſtate habuerũt. Aliquot Romanorum duces navali prælio ſuperarunt, in tãto terrore fuere omnibus, ut in tam magno ſpacio nemini tutam navigationem relinquerent, bello Mithridatico regię claſſi cõtra Romanos operã navaſſe commiſſis multitudine freti mare præſidio claſſis deſtitutum invaſerunt, inſulas, & maritimas urbes expugnantes. Naves habuere militariter inſtructas amplius mille, Liburnicas ultra quadringentas. Claſſes eorum fuere ſtrenuorũ virorum copiis, gubernatorum peritia, levitatę atq; celeritate navium, magnifico apparatu, lõgo uſu & exercitatione formidabiles. Omne internum mare ab illis occupatũ, unde nemini commercia libera, ſed omnia invia, infida, clauſa, donec à Pompejo fuerint debellati.

In declinatione Romani Imperii Saraceni innoteſcere cœperunt, qui in re navali poſtea maximã gloriam ſunt aſſequuti: Sicut eorum res bello geſtæ oſtendunt. Ab Alexandria cum valida claſſe ſolventes Rhodum nobilem in re nautica inſulam vicerũt. Deinde in Ægeũ mare delati multos ex cycladibus afflixerunt. Inde in Siciliam navigarunt quam maritimis in ſolis ſpoliatam incendiis etiam per mediterranea editis vaſtaverunt. Numidiam quoq; Tingitaniamque ac Mauritaniam occupavere, Oceanum Athlanticum, & terrarum finem opum ſuarum terminum ſtatuentes. In Europã per fretum Gaditanũ traicientes totam Hiſpaniã ſibi ſubiecere, præter Aſtures & Cantabros. Italiam ingreſſi Capuam, & Genuam cœperunt: Venetorũ claſſem apud Siculũ mare cum multa clade vicerunt. Ita omnibus formidabiles propter rei navalis peritiã evaſere, tantã potentiã ex ea adepti, ut à Perſico ſinu ad Gades uſque maris Imperium tenuerint. Numeroſam habuiſſe claſſem hinc facile videre eſt, quod Muhanias unus ex eorum ducibus inclytæ famæ & celebertimi nominis mille & ſeptingentis navibus Cyprum invaſit & cœpit.

Decreſcente eorum potentia Dani piraticam exercentes, Flandris, Friſiis, Gallis, Anglis, Scotis, Orcadibus inſulis & omnibus Balthici maris accolis multa damna intulere, cum è certaminibus ſæpius victores evaderẽt: victoria utentes Angliam ſunt adorti quam vectigalem fecerunt: Maris imperium à Balthico Oceano ad Thulẽ uſq; inſulam diu tenuerunt.

Horum inſtitutũ ſequuti Normanni valida inſtructi claſſe Oceanum & mare mediterraneum ſulcantes omnibus maritimis populis formidabiles evaſerunt. Angliæ, Flandriæ, Galliæ, Hiſpaniæ & Italiæ oras immaniter devaſtarunt, & ſpoliatis aceverſis, in Italia, & Gallia, multis urbibus Gallos ad concedendum illis habitationis ſedem coegerunt.

Tres fuere in Italia præpotentes maritimis in rebus urbes: Piſæ, Genua, Venetiæ: quæ non minus in re navali domi, militiæque celebres extitere. Eo magnitudinis rem Piſanam hac in parte aliquãdo evectam memorant, ut centum eorũ familiæ totidẽ roſtratas naves privato ſumptu ædificaſſe & exornaſſe ad bellum Liguſticum dicantur.

Genuenſes inveteratæ navalis diſciplinæ laude cunctas nationes olim antecelluerunt, & longe ſulcando maria verſus orientem uſq; ad pontum Euxinũ cõdita in Taurica Cherſoneſo Theodoſia nobiliſſima Colonia famam extẽderunt, & in bello ſacro egregiam operam navarunt.

Veneti mercimoniis dediti multũ claſſe huc uſq; valuẽre, mercaturã per omnes orbis partes exercẽtes: multos in Syria portus occupavere, & in bello ſacro multã operam & laudabilem præſtitere: unde in pretium illis ceſſit Creta, quæ nunc Candia dicitur, & diu Saracenorũ & Turcarum arma inſigni cũ laude ſuſtinuerunt, & quod ad gloriæ culmen eos evexit:

vexit: Gentienſes de maris imperio cum illis decertantes poſt varia prælia manus dare coegerunt.

Sed horum omnium gloriam patrum noſtrorũ memoria Hiſpani obſcurarunt periculoſis & ſtupendis navigationibus ingẽti ausu ſuſceptis, quibus mercaturæ negotium tum ſibi tum principibus ſuis utile admodũ & quæſtuoſum reddiderunt, nationesq; barbaras inſanis ſuperſtitionibus ſerviẽtes ad vitã humaniorẽ, & ad cultũ veri Dei adduxerunt.

Tres autem ante alios maxime clari & memorabiles extiterũt, Ferdinandus Corteſius, Blaſcus Nonius, & Magalanes.

Corteſius in poſtremum occidui littoris ſinũ delatus ad Mexicana regna terreſtri itinere contendẽs ſubactis Indis Themiſtitana urbe potitus eſt, quum fabricatis navigiis eam urbem ſalſo in ſtagno poſitam, ędificatisq; & incolarum frequentia Venetæ urbis inſtar admirabilẽ multis prælitis proſpere factis expugnaſſet. Exinde ulteriora quærere conſtituit novamq; expeditionem ad occidentis oram maritimam ſuſcepit: eo quidem apparatu ut nõ modo ſarcinarum & tormentorum onera ſecum ferret: ſed duos etiã mioparones ſalva cõpage plicatiles multorum ſervorum opera comportari juberet, ut bis tentaret Oceanum qui non amplius quingẽtis leucis abeſſe conſtabat. Cum ad Oceanum perventum eſſet, Corteſius late explorato littore notatisq; nemoribus unde materia ædificandi claſſem peti poſſet, Temiſtitam eſt reverſus ibiq; incolis Chriſtianæ religionis cultum perſuaſit.

Blaſcus Nonius diu patriæ terræ, & Darienæ regionis littora legẽs reperit iſthmum ad Uzabanũ ſinum, quo duo maria ingentia dirimantur. A Comogro ſiquidem ingentis amnis oſtio Dari, ejusq; littore per inacceſſos prope montes omnia juga tenuit & ſubiectum in adverſo littore vaſtiſſimi pelagi ſinũ conſpexit, in quo auri & unionum ditiſſima regna reperta ſunt atq; item cõſpectæ aditæq; aliquot inſulę earum rerũ opulentia inſignes, Peruana & Cuſcana regna auro & gemmis ſcatentia ſucceſſoribus demonſtravit.

Magalanes alterum patriæ terræ littus in Orientẽ obverſum quinq; nav ũ claſſe percurrit legendoque oram prætervectus lineam Capricorni, nec multo inde prope antarcticũ circulum. & ad ipſam æquatoris lineã Moluccas quærens immenſi prope ambitus inſulas Iavanam, Pornem & Subutham ipſa Britannia maiores invenit, è quibus Moluccæ propinquæ ſpectabantur: quas ut in votis habebat adire non potuit, cũ inſulanis enim acre dimicans occubuit. Huic propter difficilimam & periculoſiſſimã navigationem palma datur.

Corteſij navigatio, ut magnificentior ita utilior & fœlix fuit: quãvis honoris prærogativa omniũ harum navigationum Chriſtophoro Columbo Ligori multorum iudicio debeatur adſcribi: Alterum enim prope terrarum orbem intentato prioribus ſeculis Oceano ad Occidentem felicibus auſpiciis navigationis ſtudioſis aperuit, & aliis qui poſt eũ majora feciſſe videntur, iter oſtendit: & ſi commoditatẽ ſpectemus, non minus glorioſa Hiſpanicæ genti ejus navigatio fuit, quam Corteſii vel Blaſci, vel Magalanis, nam Hiſpaniolam & Cubam ingentes inſulas auri copia ditiſſimas Caſtelliæ regibus vectigales fecit & in commodiſſimis locis ædificatis arcibus, & impoſito præſidio tutum Hiſpanicæ genti receptum dedit.

Inter Anglos autem maximam navigationis gloriam ſuperioribus temporibus invenit cõparavitq; ſibi Francil. Draco, qui ſingulari induſtria & curioſitate diligentiſſima totũ in inveſtigandis Inſulis circumivit orbem. Ac quum Anno 1588. in tempeſtate ſumma belli, quod in obtruitionem Angliæ intentabat tunc Rex Hiſpaniarum, vix domum quaſi in opportuno tempore auxilio patriæ reverſus eſſet, Regina Eliſabetha navali expeditioni univerſæ hũc una cũ Havardo nõ ſine felici rerũ ſucceſſu præfecit, velut Nicol. Eleutherus in triumphali carmine tunc id deſcripſit, ita loquens de conatu tali adverſo:

Tu contra quid agis, Mulier fortiſſima? Nẽpe
Commiſſa rerũ ſumma & gravitatis Havardo,
Heroi de ſtirpe Ducum Norpholcide claro.
Ignivomum opponis procinctã claſſe draconẽ,
Velivoli ſcitum maris, Oceaniq; viarum:
Leucothoe ſequitur quem lato proſpera curſu
Enantem Thameſi cyeni comitãtur evantes,
Cæruleus Triton conchã intonat ore canoro.
In mare ubi ventũ eſt, apportant certa celoces,
Quod tam Cornubiis hoſtilia vela propinquẽt.
Regina ingentes procedunt ordine naves,
Vrſus atrox, ingẽsque Leo, & cui nomẽ Eliſæ,
Maij flos, & ſpes victoria & alta, Triumphus.
Angla bipertito diſtinguitur agmine claſſis:
Hi remanẽt, illi pergũt. Prece vincitur æther:
Numẽ adeſt præſto, mora abeſt. Clãgore tubarũ
Aura ſonans reboat; percellitur æquor acuto
Remorum ſtridore; aures ſtrepitu q; rudentũ,
Et fremitu undarũ, & clamoribus obtũdũntur.
Nemo hoſtẽ propius, præter cava tigna draconis
Admovit proris proras, atq; oribus ora,
Cominus obversãs, nõ eminus; hoſtib. horror,
Vt luctãmen erat Draco cũ Valdeſide magnũ,
Ecce laborantis cunctata in gurgite lento
Valdeſi capitur navis, Valdeſius & ipſe
Primus in Anglorum ponens veſtigia terra.

Poſtera lux oritur, magnis certatur utrinq;
Viribus, octonas pugna durante per horas;
Cum Veneta naves aliquot deperdit Iberus.
Agmen agens Draco, felici cõjũctus Havardo,
Quẽvis navifragis adversũ adoritur in undis.
Fortunate Draco, nũquam tua fama fatiſcet;
Nunquã honor areſcet; laurus cum Delia nũquã
Frondibus abſiſtit proprium ſervare vigorẽ.
Fallor, an haud alio pugna diſcrimine Perſas
Ipſe Themiſtocles iuxta Salamina cecidit?
Æternum vives; exeſa teredine pinus,
Vt tandem penitus longinquo marceat ævo.
Tu pelagi Deus alter eris. Fas, maxima Tethys
Vnam Nereidum tibi deſpondere laboret.

Plauſibus ô quales jactari ad ſydera voces!
O quales reſonare tubæ: quantaque ſalire
Lætitia Nymphæ, ſpoliis onerat is opimis
Cõ Thameſina redux ingreſſus es oſtia victor,

Puppe

Puppe vehens niveatecum tot colla superba,
Tot pondo argenti, tot pondo divitis auri,
Signaq; diversis in summo exserta trophais:
Hac adeo non mense uno, sed pluribus amplũ
Acta per Oceanum, dũ sæva Canicula flagrat,
Erigoneq; subit Nemeæi terga Leonis,
Æquaq; Libra pares dispẽsat lucib. umbras, &c.

Ut ita experientia Draconis, quam ille tot navigationibus in mũdo conciliarat sibi, nõ exiguũ huic occasioni victorię Anglicanæ adiecerit cõmodum, constat e publice satis. Gloriam talem, studio admodum laborioso, & periculis semper pleno, obtinuit, quam aliq; ot pulcris extollere novit Joan. Audoenus Epigrammatis quæ ob iucunditatem inventionis hęc subnectere libet:

Lib. 2. Epig. ad Henricum Princip. 36. Epig.

Ambitio Draki nullo reticebitur ævo
Ambivit terras per mare Dracus Anat.

Id. lib. 2. 39. Epigr. ad Mariam Neville.

Drake, pererrati novit quem terminus orbis,
Quemq; semel mundi vidit utrumq; latus:
Si taceant homines facient te sydera notum:
Atq; Polus de te discet uterq; loqui.
Plus ultra Herculeis inscribas, Drake, columnis;
Et magno, dicas Hercule major Ego.

In æternam rei memoriam, navis eius, qua totum orbem terrarum circumnavigavit, apud regium castellum Grouvvitz, 4. milliaribus Londino distans, fulcris elevata & imposita adservatur, uti adhuc ibi visitur. Sed etiam valde scitum argurę inventionis Epitaphium Andoenus eidem constituit Lib. eod. 148. Epigr.

Religio quamvis Romana refugeret olim,
Effoderet tumulum, non puto, Drake, tuum,
Non est, quod metuas, ne te combusserit ulla
Posteritas: in aqua tuus ab igne jaces.

Fuerunt & alii plures, qui præcelluerunt navigationum expeditionibus, cuius rei cumulum satis amplum in consignationibus historicis rerum Indicarum quis curiosior reperiet, ut & in hoc consuli possint Petrus Martyr, Benzo, & Apollonius, præsertim ille actatus, qui apud Belgas editi ante annos sunt aliquot, velut etiam maximam inde sibi compararunt gloriam Belgæ, quibus nihil usitatius est, quam in Indiam utramq; Orientalem & Occidentalem excurrere. Quum ego in Belgio essem, perquam dives spoliis Anno 1628. Petrus Heinius ex India Occidentali revertebatur in patriam, cuius thesaurus ad 500. tonnas auri & argenti æstimabatur, unde ipsi tanta adornabatur pompa, ut tota Hollandia nimius diffluere exultationibus videretur. Quoquo se vertebat tunc redux, nil nisi plenis vocibus sibi obiici gratulationes vulgi audiebat, quasi summus ex hac fortuna dicendus esset patriæ patronus, ut tædium ipse inde caperet.

Exercent se autem hodie passim q; civitatum filii, qui generosiores præ aliis cupiunt dici, in hoc studii genere. Præsertim ita animosos reddunt eos emporia illustriora, quæ hodie nuspiam meliora in mundo, quam in Hollandia inveniuntur, vel si saltem unicum respiciatur & consideretur Amstelredamum, quod adeo paucis in hanc sublimitatem vigore commerciorum excrevit, ut nuspiam negotiantium auctoritas gratior splendescat.

Ex quo Antvverpia decrescere cœpit, vires suas inde adsumpsit Amstelæ hæc urbs dignissima, quæ inde quasi dictatrix omnium emporiorum se extulit. Etenim tempore ducis Albani, quum ex eius sævitia tantus concitatus esset metus præ aliis præcipue Antvverpiensibus, factum est, ut una vice 19000. homines inde in Hollandiam concesserint & maxime Amstelrodamum: Unde nitidissima illa non tantum Brabantiæ sed etiam ferme totius Europæ urbs Antvverpia omni fortunæ prosperitate exuta & privata est misere: dum opes huc omnes cũ industria omni ingeniorum commigrare viderentur, ut vix hoc vel unico exemplo pateat, quantum vis insolentior sibimet ipsi sæpius damno sit, velut Horat. ait, vis consilii expers mole ruit sua.

Alias etenim, ante hanc insignem mutationis concussionem, nullum emporium inter Hanseaticas civitates æque clarum ob ubertatem commerciorum & omnium gentium concursum in negotiationibus gessit, velut hæc Antvverpia, sive Andoverpiam dicere mavelis. Cuius nominis rationem & notationem alii diversam faciunt. Sunt enim, qui urbem hanc sic ex Julii Cæsaris descriptione à populis Ambivaritis, qui ibi locorum habitarint, dictam esse volunt: Alii, quod ob Scaldis flu. commoditatem externorum frequentia clatuerit maxime, ab appulsu navium Aenvvetpen, nuncupatum contendunt, quod etiam dictam ob rationem commerciorum non incongruum apparet nomen. Omnis enim huc confluebant generis negotiatores, quum optimus haberetur portus, & mercibus accommodatissimus advehendis. Quæ potissimum accrevit abundantia rerum, quum Hanseaticæ civitates Brugas relinquerent, ob intolentiam superius dictam, & hęc conthorium suum principale constituerent, velut adhuc magnificum illud palatium Hanse Teutonicæ quod Het klein Oosterse Huys vocant, testatur. Nuspiam etiam commercii universalis tutiorem rationem adservari posse putarunt omnes, ob loci securitatem, quum minus hæc urbs aliorum regimini esset subjecta, & singularibus præ cæteris gauderet privilegiis, quasi sua satis sibi subsistere valeret potentia & virtute. Verum quum statim sub primo ferme adventu suo Dux Albanus Anno 1567. Castellum urbi huic imponeret nova & supra modum forti obvallatione munitum, & res non careret gravissimi suspicione periculi, hominum cogitationes quoq; aliam mutationem sumere incepterunt. Fundamentum huius castelli sive arcis 27. Octobr. An. 1567. dicto ex iussu Albani jactum est, & magnificentissime spacio unius anni tota hæc moles ad finem perducta, ut sumptuũ summam ultra 500000. coronatos aureos excurrere dicunt, quos soli cives in contributionem hanc elargiti sunt in honorem regis & novi tunc regentis, quum putarent, se & totam urbem eo facilius hic à milite præsidiario liberari posse, ne onus hoc grave diutius perferre cogerentur.

Sed quum se postea in opinione sua admodum defraudatos deprehenderent, nimis sero hac pœnitentia ducti sunt; ceu Phrygum olim talis fuit sapientia misera, ut est in proverbio. Scribunt autem urbem hanc in circuitu 5. milliaribus Italicis conti-

neri, & sic 1500. ædibus privatis, sat splendide promore regionis exstructam haberi, quum metiendo ab ortu & porta rubra, versus occasum & ipsum flumen Scaldim ultra 700. passus geometricos se extendat, quamvis formam nonnihil incurvatam ad Lunæ modum pro fluminis cursu repræsentet.

Fuit hæc Antwerpia jam olim urbs Imperialis: nec Imperialis tantum; sed etiam Marchionatus S. Imperii Caput. Ac licet Dux Brabantiæ Johan. 2. immunitatis partem anno 1300. illi subducere ob discordias inter se ortas conatus fuerit: tamē Imperator Henricus 7. è familia Lucemburgica Anno 1309. plene eam restituit. Duo & quadraginta in ea jam conspiciuntur templa; fora 22. numerantur que 220. plateæ, quibus per totam urbem patent viæ: muris præaltis admodum fabrefactis undique circumdata. Alluit eam ab una parte oblonga Scaldis quidem; tamen sunt 8. præcipui sinus sive canales ex ipso flumine maxime in usum commerciorum per urbem deducti ac derivati, per quos naves vectoriæ & onerariæ subeunt: velut & horum sinuum maximus est is, qui in urbe nova iuxta magnificum Hansæ Teutonicæ palatium factus est eius capacitatis, ut vel 100. vectoriæ naves satis commode in eo stabulari queant. Fossæ autem hæ una cum aliis aliquot canaliculis, urbem varie perlabentibus, plusquam 74. pontibus suppositæ sunt, quibus viæ coniunguntur publicæ.

Inter ædificia autem publica potissimum splendent & primarias sibi vendicant partes Templum B. Virginis, Curia basilice ædificata, & Bursa, ubi conventus mercatorum celebratur; velut conspicuæ sunt ædes Hansæ Teutonicæ, & aula Litensis mercimoniis Anglicanis destinata, ubi simul aliæ merces per terram advectæ deponuntur & recipiuntur.

De regimine urbis, non attinet jam multa inferre. Constat quidem Magistratus solito more & consulibus, senatoribus, aliisque officiariis; sed in caussis Iustitiæ tam civilibus quam criminalibus regio nomine ipsi adsunt duo vicarii, quorum alter, qui Jurisdictionem meri & mixti Imperii in criminalibus exercet, Schultetus sive vulgariter Schaut, quod Germanis superioribus est Schulze, vocatur, ac quatenus etiam in Marchionatum sibi additum Rienensem eiusque subditos administrationem Regiæ iustitiæ tenet, ex munere hoc Marggravius simul vocatur.

Alter vicarius rerum civilium dicitur in Belgica locutione den Amman/ ac sedet pro tribunali loco & diebus ad hoc destinatis: caussæ quidem civiles coram eo aguntur, sed nec minus ejus muneris est, ut exhortetur & interpellet magistratum pro Iure reddendo; reorum autem impensis fert sententias, quas ipse quoque postea exequitur vi auctoritatis & potentiæ talis.

Creatio huius magistratus civitatensis fit quotannis in mense Majo, coram aulicis Commissariis, quibus & ratio proventuum ac redituum redditur, & quæ fuerit contributio impositioque rerum. In tres tonnas auri talia excurrere annuatim, fertur. Amstelredamum autem urbs, quæ ex hac colonias quasi suas fovet, de talibus nil novit oneribus libertatem imminuentibus; unde & similiter convenienti sibi floret pleni regiminis facie, ut nunc omnibus Europæ imo & ferme totius orbis emporiis eminentiam præripiat, & in commerciorum potissimum usu vendicet.

Sunt aliæ plures urbes satis, quæ omnes fere negotiationes, multis nationibus perutiles ad se pertrahunt, unde pro emporiis vulgo habentur; Eiusmodi sunt in Oriente Malacca & Ormus: in mari Mediterraneo, Alexandria, Constantinopolis, Messina, Genua: in mari Septentrionali, dicta jam Antverpia, Londinū, Hamburgum: in Balthico mari, Dantiscum, Riga, Lubecca: in Germania, Francofurtum ad Mœnum, Norinberga, &c. In his aliisque pluribus multi opulentissimi mercatores sua commercia exercent, & emporia constituunt; quo finitimi se deinde conferunt, tam quod ibi cuncta venalia prostent, quam quod vectura commoda habeant: Sed hæc tanti momenti non sunt, ut Amstelrodamēsibus sufficiant, velut & in totū enavigāt mundum, & omnes ferme terræ tractus circumvelitant, ne quid pene relinquatur, quod non ab iis tentatum sit. Vel unica ea navigatio, quam tertia vice ferme sub polo Arctico versus Indiam Orientalem subierunt, satis hoc possit attestari, quid illi inausum sinant, si quid cernunt, quod usui commerciorum proprio illis inserviat: In quo desudant noctes diesque. Velut & nobiles societates, quas Compagnias Orientalis & Occidentalis Indię, Oost Indianische, ende West-Indische Compagnien vocant, miram ingenitis incolis animositatem gignunt & addunt, ut nemo non cupidissimus ferme sit, qui patriæ hanc communem operam omni ope navare recuset: imo quisque laudi sibi ducit, si in hoc conatu alias possit excellere nationes.

Unde & reliquarum passim ferme gentium hoc fertur commune de Hollandis proverbium; si quis eorum uspiam perveniat, quod gratia aliis cum spe meliori concidat. Adeo nil parcunt laboris, & astutia simul in humilitate blanda prævalent. Nonne & in Westindia sive Brasilia tot nobiles superioribus annis occuparunt portus, & incolarum animos præ Hispanis sibi conciliarunt. Pharnambuco jam illis tota cessit. Uti & alii sunt portus locorumque situs commodi, quos non sine sumptu & impensis ambiunt. Proinde Antverpiensibus animus iste redire vix poterit, ut ad meliorem multo minus pristinam conditionem & statum revertantur. Quanta autem in censura antehac fuerint Jul. Cæs. Scalig. epigramma hoc satis declarat, ubi ita ponit:

Oppida quot spectant oculo me torva sinistro,
Tot nos invidiæ pallida tela petunt.
Lugdunum omnigenum est, operosa Lutetia, Roma
Ingens, res Venetum magna, Tolosa potens:
Omnigenæ merces, artes priscæq; novæq;,
Quorum in sunt aliis singula, cuncta mihi.

Sed vix urbs quædam aut oppidū est, quod propterea torvo te adspiciat vultu, ô nobilis Antwerpia, quum tuæ facultates cum artibus suis & ingeniis in Hollandiam transvolarint, ut ibi & singula & cuncta talia in pleniori copia inveniantur. Sic & arte hac satis provida prævalent ibi homines. Rex Daniæ quoque ante annos aliquot naves 3. in Indiā

orientalem mittebat, exploraturus, quid in cõmerciis his lucro cedere posſit. Sed reverſi quum eſſent ex tam longi itineris ſpacio poſt paucos annos; Piperis copiam nou potuit ad iuſtum venditionis precium detorquere, niſi mercatores Amſtelrodamenſes cum Reg. M. eius mercaturam ſuam permutaſſent. Longe ita ſubtilior eſt ratio eiuſmodi commerciorum, quam facile quiscenſeat. Sic & inter ſeſe vigent civitates Hollandiæ, ut merito heic ſimul Encomia aliquot ſequentium, à Caſparo Barlæo Poetarum illic optimo condita, ſubnectamus, quæ ita ſe habent.

ENCOMIA
Urbium præcipuarum
HOLLANDIÆ.

DORDRECHTUM.

AMe Battavicus ſuffragia prima ſenatus,
Conſiliique petit provida verba ſuis.
Quondam merſa mari mediis emergere nitor
Fluctibus, & ſiccos Veſta reducit agros.
Neptunus cedit Cereri, fluitantia Fauno
Numina, & æquoreus ſit minor uſque Deus.
Merva meis miſcetur aquis: hoc Linga profundo
Labitur & Vahalis flumina Moſa bibit.
Huc Tongri merces & ferri munera mittunt,
Et Nemeis plenis muſtea vina cadis.
Pomifer Autumnus mediam tranſmigrat in urbẽ
Vaſtaque Eburonum marmora caſa Iugis.
Quiſque ſuas largitur opes, & dona miniſtrans
Diſtrahit Imperio munera tanta meo.
Virgo vocor quondam furiis illeſa Brabantum
Solaque libertas, mœnibus hiſce ſtetit.
Tunc Batavas inter vigui non victa ſorores,
Vnaque dum manſi libera, prima loquor.

HARLEMUM.

Victa Pharos, fractique obices & vincula Nili
Et Peluſiaco littore fixa ratis.
Serratique mihi recitant encomia dentes,
Et procul externo ſidere ſurgit honos.
Invidet excuſas populoſa Moguntia Muſas
Quodque meum eſt laudis tactitat eſſe ſua.
In me alium ſolers Batavus miratur Apellem
Pictaque Parrhaſia ſubdola vela manu.
Inventis arguta meis accedit Arachne,
Dædaleoque ſuum pollice texit opus.
Arma Toletani ſenſi crudelia Martis,
Incubuitque meis civibus atra fames.
Nec ſatis eſt pugnaſſe viros, his maſcula portis
Pro patria mulier ſtat cataphracta ſua.
At fruſtra me Delpha iuvas, ſum præda Philippo
Barbaricus victa miles in urbe furit.
Hæc didici voluique pati. Nunc adſpicis hoſpes
Tempora fortunæ proſperiora meæ.
Hic mihi vicina Nereus admurmurat unda,
Et propius colles tollit arena ſuos.
Illic umbroſis ſe condit Delia lucis,
Explicat & latas arbor opaca comas.
Diviſam me Sparta ſecat, qui laxior undis
Fit lacus, & vaſtis luxuriatur aquis.
Arridet natura foris, ſed doctior in me
Æmula naturæ crebra reperta manus.

DELPHI in Batavis.

Non ego fatidicis oracula ſuggero Delphis
Aut mea falſiloquus mœnia Phœbus habet.
Æthereis reſponſa patris do civibus, & me
Religio, Gratum non beat iſte furor.
Infelix rapidis flagravi tota favillis
Cum rogus, & ſimplex nil niſi flamma forem.
Condiderat tantos ſecura oblivio caſus
Cum patria media concidit urbe pater.
Quid rides Hiſpane? tui quoque nominis umbrã
Cernimus, atque iſta cæde Philippe cadis.
Venales animas in mortem inſontis acerbas
Venditur at precio regia fama ſuo.
Nunc tu Belga duos uno ſub Marmore Martes
Adſpice, Naſſovia nomina magna domus.
Mauritium, Patremque duces: hæc numina ſenſit,
Et tutelares terra Batava Deos.
Sed magis Henricum fuerit genuiſſe. quid horres
Cantaber? en patrii funeris ultor adeſt.

LUGDUNUM.

Crevit ab Auſoniis olim mihi fama triumphis
Et victrix de me præmia Roma tulit.
Reddidit ereptos fugiens Hiſpanus honores
Dum pro me totus militat Oceanus.
In me terra tamen, querulos diſcordia cives,
Et falces acuit Mors furibunda ſuos.
Vix nocuit ſecurus Iber, quas ſtruxerat arces
Deſerit, & pavidos excipit unda pedes.
Dum patriæ pars magna perit, conſervor ab illa,
Totaque ne pereat ſic periiſſe cupit.
Nunc mihi Apollineos meruit ſors iſta receſſus
Martiaque in bellis mœnia Phœbus habet.
Pra lituis pax alma placet; præmilite Pallas,
Linguaque Romanos apta referre modos.
Sit bellum ſenſiſſe ſatis. Iam præliа dicto
Et mea facundis vocibus arma lego.
At mihi plus debet pietas: dum pellitur Exul
Flandria, & hoc gaudet vivere tuta ſinu.
Hoſpitium cum dem profugis, atque otia Muſis
Vis dici doctam me magis, anne piam?

AMSTELODAMUM.

Vrbs ſpacioſa, potens opibus, tectiſque ſuperba,
Vtribus invidiam, crimina lege domat,
Civibus aucta novis nunquam ſtat finibus iiſdem
Latius expanſis mœnibus hoſpes abit.
Invertas ſit tota nemus, quo condita fundo eſt
Nuper Hyperboreo pinus in orbe fuit.
Quicquid mortalis fingit ſolertia curæ
Vel natura ſuo parturit alma ſinu.
Illa dabit, totoq; parans commercia mundo,
Nunc emere & totam vendere ſemet, amat.

Has adfert, has trudit opes. Sic lucra parantur.
Quid valeat fraus, fors, ars, mare, terra docet.
Moschus, Arabs, Persa, Maurus, Indaus, uterque
Quod ferat huc rursus auferat Indus habet.
Hanc dū mundus adit mūdumq; hæc ipsa pererrat
Non urbs fixa loco, sed vagus orbis erit.

GOUDA.

Isala si cedat Vahali Rhenusque bicornis
Hac quoque nata suis flumina iactet aquis.
Attamen hunc tectis exornat Gouda superbis
Læta situ, studiis amula, clara viris.
Hinc natura ferox, illinc concordia cives
Nec sinit aut inopes, aut nocuisse malos.
Templa parat spacioſa Deo: nec quilibet illi
Horrendi culpam criminis error habet.
Bella premant alias, hæc est securior, urbes,
Nec placidos turbant tympana rauca lares.
Exulat Odrysius, Iitui, Bellona, triumphi:
Relligio, probitas, pax sociata manet.

ROTTERDAMUM.

Inclyta veliferus pulsat mea mœnia Mosa
Parte alia placidis Rottera lambit aquis.
Occiduum late commercia porto per orbem,
Gallia quas poscit, quasque Britannus opes.
Hic meus Ausonii vindex sermonis Erasmus
Vagiit, & cunis abdidit ora suis.
Mæonides iactet Colophon, Verona Catullum:
Sufficit ad laudes hunc genuisse meas.
Nunc tantum fragili veneror sub marmore numē
Dum silet in medio lingua diserta foro.
Quem genui, Basilea tegit. Sapientia fatis
Eximit, & cineri vult superesse suo.
Me timet Hispanus, timuit grex barbarus ipsum,
Ille meis victus Classibus, hic Calamo.

GORICHEMUM.

Adspicit invictis hanc cinctam mœnibus urbem
Quem Vahalis, vel quē flumine Linga vehis.
Adspicit Hesperiis quæ propugnacula bellis:
Quam fremat excussis machina crebra pilis.
Adspicit adverso quantum se opponat Ibero
Invigiletque suis Martia dextra focis.
Sic didicit bellare sibi, nec milite solum
Tuta, sed ipsa suis civibus esse cupit.
Erkeliis quondam submisit sceptra Dynastis,
Hæc quoque iam damnans nomina tota sua est.
Cur toties Batavum depingis Belga leonem?
Qui patriam custos asserit, iste Leo est.

BRIELA.

Adspice vicinam nostro de littore Thetyn
Hic ubi Mosa suis laxior exit aquis.
Briela Vocor, fessis statio secura carinis,
Nunc quoque Vorniaci gloria prima soli.
Naiades hinc, illinc agrestia numina Fauni
Et fecunda meos spectat Eleusis agros.
Albano surrepta duci crudelia sprevi
Imperia, & fasces Batava terra tuos.
Aprilis lætas fastis inscribe Calendas
Belga, nec hoc optes non superasse die.
Scilicet illa dies qua me vicere Batavi
Ulterius vinci noluit Auriacum.

ALCMARIA.

Tota paludosis Alcmaria surgit in undis,
Pulchraque Verona depereunte, nitet.
Ne Latium præfer Baias, aut Thessala Tempe
Gracia, vel campos Brixia terra tuos.
Proxima Nereidum spumantes adspicit undas
Proximaque umbrosas spectat Hamadryadas.
Serica Sidoniis decurrant stamina portis
Hic lassant Batavas linea fila manus.
Quæque tegant nudos velamina sufficit artus
Et memores primi nos cupit esse mali.
Hesperios sprevit bellis infracta furores
Baticaque affusis castra fugavit aquis.
Pugnavere viri. Sed & hic (spectastis Iberi)
Fœmina pugnanti porrigit arma viro.

HORNA.

Fortia, cantatus quondam mea mœnia Flevus
Alluit, & portus verberat unda meos.
Æmula me vultu spectas Enchusa sinistro
Et causam litis me cupis esse tuæ.
Accipe placatas æterno fœdere dextras
Dum pereat iunctis viribus hostis Iber.
En tecum commune salum, commune profundum
Navigo, & in mediis pabula sector aquis.
Iam mea Cimbrorum redimunt commercia terrā
Fataque Gothorum carbasa portus habet.
Nunc onerat nostras pelagi captura carinas
Terrenosque fovet præda marina Deos.
Me ferit & ladit: me servat ab hostibus aquor:
Sic servastis aquæ: sic nocuistis aquæ.

ENCHUSA.

Arcta, frequensq; domus nomē mihi fecit & urbē
Primaque contemptæ tecta dederecasæ.
Navita me iactat pelago, mea rura colonus
Laudat, & hinc terra claudimur, inde mari.
Abscidit adversas à nostro littore gentes
Et Frisios mediis dividit æstus aquis.
Albani sprevi furias, nec victa tyranno
Oceani proles intemerata steti.
Pandit vasta meis Neptunus regna carinis
Et procul à patriæ sedibus, exul eo.
Quæro foris, quæ parca domi natura negavit,
Quæque domi tribuit plurima, porto foras.
Belga tuos mirare deos, dum munera mundo
Dividis, ex alio sidere plura refers.

ANTWERPIA PET. LINDEBERGII.

Si superi vellent imis mutare superna
Vix alia toto dignior orbe foret
Magna loco est, generosa situ, placidissima cæli
Temperie, muris ferrea, merce potens.
Cunctaque quæ cupiunt mortales possidet ipsa,
Aſt illis cunctis, pace, beata, caret.

Conclusio operis.

DUm vero in fine huius intentionis de usu libero navigationis, & de ejus mutatione,

tione, in commerciis nonnihil damni patientibus, ſi nimia opum vis homines utplurimum in ſuperbam animi elationem detrudat, agimus; non inconveniens erit, ex ejusdem Caſp. Barlæi encomio, Petro Heinſio inſcripto tunc, quum adeo dives onuſtus ſpoliis revertereturin Bataviam ſuam, cujus titulus ipſi quoque eſt Argo-Batava, pauca huc transferre, quæ de navigationis uſu artificioſe diſſerit; ſic dicens.

Credite poſteritas: quæ vix trepidātibus olim
Principibus parva poterat ſe ſedetueri
Terra, procul miſſis diffundit jura Colonis,
Et cunctis quatit arma locis, nec limite certo
Omne audet calcare ſolū. Vagus advena mundi
Hac habitat tellure ſalo nutritus & undis,
Partiturq; ſuos Nerei cum conjuge faſces.
In ratibus vis ſumma ducū eſt, ſceptrūq; gerētes
Robur habēt. Parva ratibus creviſtis Athena,
Totaq; ſe fluidis defendit Gracia lignis,
Vecta mari magno. Cur vertice proxima cælo
Alta Tyrus, Sidonq; fuit: potuere carina
Imperio monſtrare viam, dū navigat ingens
Carthago, trabibusq; natat, dat juſſa Sagūtho,
Gadibus & Libycis Trinacria paruit armis.
Tuq; adeo nunquam Superis tam viſa fuiſſes
Roma potens, Latiis niſi formidata carinis
Oſtia barbaricos aquilas miſiſſet in Afros,
Aut Peluſiaci bellacia littora Nili.
Nec Batavus virtute minor jam clarior exit
Gentibus: & quovis armat ſub ſydere puppes.

Non minus elegans eſt hæc locutio poetica, quā ut etiā indicet, quid uſus accuratus nauticæ ſecū importet, in quo hac vice jam acquieſcimus. Poſſemus heic quidem plura de Bruggis Flandriæ & reliquis principalibus conthonis Hanſæ noſtræ ſubnectere; ſed quū temporis commoditate jā excludamur, & alię occupationes me diſtractū teneant, quæ ita nobis reſtant, alteri operi, quod cum Deo ſequetur, reſervabimus, uti ſupra in fine partis quartæ indicatū eſt. Interim hęc omnia in ſolius Dei gloriam unice ut redundent ex toto corde precamur: ac ut nil fit abſque Dei nutu, vota pauca Davidica ſubiicere his conatibus nos addecet.

JEHOVA SALUS MEA.

VElut autem unicum omnimode hominis in hunc mundum creati officium eſt, in dilectione ſancta erga Deum, & charitate ſolida erga proximū vivere; ita quoq; finis uniuscuiusq; mortalium in ſolam Dei gloriam revertatur. ὅπως ἵνχη κυρίακὴ λαλῆ. ὅτι ἐστιν ἡ βασιλεία σὴ καὶ ἡ δύναμις καὶ ἡ δόξα εἰς τὸς αἰῶνας τῶν αἰώνων, Amen.

Proinde cum gratiarum actione debita, Majeſtas
Dei in Miſericordia & veritate eius ita ſit
aterna, & floreat perpetim;

Iuxta Pſal. 111. Paraphr.

1. EX toto Ihova perſolvo pectore grates,
In concilio cœtuq; piorum
Ardenter omne pradicans.
2. *Grādia ſunt Ihova, sūt facta ſtupenda notāti,*
In concilio cœtuq; piorum
Ardenter omne pradicans.
3. *Magnifice conſtat, nec non laudabile ſemper,*
Quod cunq; facit, juriq; vigorem
Sui perennat fortiter.
4. *Admirandorum nobis monumenta ſuorum*
Erexit, clemens, atq; benigni
Ille eſt Iehova Numinis.
5. *Largiter indulget ſua cuiq; alimenta dapesq;:*
Hunc qui timet, aternumq; tenacem
Se præſtat icti fœderis.
6. *Excelſa ille ſuo curat ſua facta reponi*
Populo, cunctos ut munere donet
Hareditatis gentium.
7. *Quod ſolidāte manu Plaſmator fingit, id omne*
Verum juſtumq; eſt, cunctaq; ſervat
Eius ſtatuta veritas.
8. *Aeternū ſiquidē ſervantur, & omne per ævū*
Firma atq; fideliter integra ſemper
Explentur abſq; flexibus.
9. *Cœlitum ille ſuos redimit, promittit & idem*
Manſurum in ſecula fœdus, ut audit
Sanctus tremendo Nomine.
10. *Principiū Sophies vera timor ecce Iehova eſt,*
Hutus bene qui veſtigia ſervat,
Se laude tollit perpete.

Velidem alibi I. C.

1. *Ex corde toto ſolvere debitas*
Grates Iehova tempore quolibet
Conabor, in communione
Conſilioq; pio proborum.
2. *Sunt facta Ihova magnifice incluta;*
Conſideranti talia, gaudio
Huic unice ſunt, invenitq;
Nil niſi latitias in illis.
3. *Laus, pulchritudo, gloria fabricam*
Illius ornant perpetuo, ſenex
Eiusque, per ſecla æviterna
Iuſtitia manet, eſt & idem.
4. *Hac ſumma rerum, limes is omnium*
Miraculorum, quæ bonus edidit,
Ut gratia quivis bonorum
Sentiat inde ſuæ favorem.
5. *Largitur eſcam cælitus omnibus,*
Qui numen eius corde pio colunt,
Suiq; nec verbi velipſe
Fœderis immemor extat unquā.
6. *Formidoloſa robora dextera*
Annunciari præcipit, & jubet
Genti ſuæ, poſſeſſionem
Cuilibet ut bonitate firmet.
7. *Quicquid ſuarum ſub manuum ſacro*
Labore præſtat, inſtitia viget
Et veritatis ſemper uſu,
Legibus eſtq; eadem facultas.

Qua-

8. *Quacunq; nutu deſuper imperat*
Sunt pura curis juſſa fidelibus
Manſura ſemper, nec fugacis
Canitiem patientur ævi.
9. *Redemptionem dum populo ſuo*
Mittit perennem, nec revocat ſua
Promiſſionis pacta, verbi
Propoſitique tenax ubiq;.
10. *Sanctum & tremendum nomen amabilis*
Eſt conditoris. Sed ſapientiæ,
Addiſce tellus, eſſe verum
Principium timuiſſe Ihovam.
Hæc una mentes regula dirigit,
Quæ rite pollent perſpicientia:
Hinc fama nullis ſeculorum
Exoritur fugitura pennis.

Hinc

Admiranda Creatoris facta in Creaturis apparent, ex quibus eum ſyncere diligere & coditie celebrare nos oportet; quando-quidem omnia in hominis commodum ſic & non aliter ſunt creata.

Pſal. 104. Paraphr.

1. *Surge mea mentis tandem vis viva canēdo*
Laudes in ſummum meditare Deumq; Patremque;
Talia dic quibus hic reſonet plāgoribus æther:
Mi Deus o Iehova parens rerumq; ſupreme
Numinis ecce tui majeſtas quanta refulget?
Pulcro magnificum te tegmine gloria velat
Ornatuq; tuo ſceptri ſplendore coruſcas.
2. *Te cæli artificem terræq; marisq; profundi,*
Fulgentis ſplendor velamine lucis amicit;
Tu pandis cælum ceu carbaſa fluxa cavatum.
3. *Suſpendis lymphas cæli fulcimine nullo,*
Sub quib. ingredimur, veluti ſub fornice curvo:
Nubibus accinctus veheris, velut alite curru,
Ventorumque poli per inania volveris alis.
4. *Angelicam turbam facis, ut ſub imagine vēti*
Aſſent, & flamma veluti vis clara coruſcent;
5. *Infeſtam terræ molem fundamine firmo*
Fixiſti, ſedem nunquam nec ſede movebit;
Sed qua ſede ſedet per ſecula cuncta ſedebit.
6. *Tu terrā obvolvis maris hinc atq; inde procellis*
Horriſonis, veluti firmato tegmine cinctam,
Undarū & vis magna poli ſub nubibus errat,
Præterit & ſiccos viſu mirabile montes.
7. *At ſimul increpuit tua vox & nube reſultans*
Murmure terribili ſtonitru per inania cæli
Extemplo nubes motu tremulāte paveſcunt,
Ingq; cavas valles violento flumine lympha
Deſcendūt, fugiuntq; Deum ſine fine regētem.
8. *En montes condunt capita inter nubila cæli;*
Aſt valles humiles tractu inferiore recūbunt.
Unumquodq; ſuam ſedem, quam rite dediſti,
Occupat, & nunquam propria de ſedè receſſit.
9. *Nec tellus iterum pelagi flagraret abunda,*
Limes ei poſitus, cuius tranſcendere metas
Nūquā cōceſsū eſt, manet intra limina cōſtans.
10. *Decurrant inter ſaxoſas flumina valles,*
Efficis, unde fluunt paſſim cū murmure ranco,
Fontibus irriguis ſiccos inaquantia campos,
11. *Hinc bibit in pratis pecus omne virētib. errans*
Cumq; onagris potant animalia catera cāpi.
12. *Hæc propter volucres findentes æra pennis*
Cantant, aeria viridante ſub arboris umbra,
Argutoque docent ſylvas reſonare ſonore.
13. *Tu montes, camposq; rigas humore carentes*
Imbribus irriguis cæli de nube relapſis,
Vt gererent gravidos fœcūdo ſemine fructus.
14. *Tu facis, ut campus jumentis proferat eſcam,*
Graminis ut pecudes viridātia gramina carpāt:
Tu facis, ut flavam ſegetem det terra novata
Vomere curvato, ut panes homo cōparet inde.
15. *Tu facis, ut tellus generoſi munera fundat*
Vini, triſtitias animi quod corde repellit,
Suggeris & faciem qua pingit, munus oliva,
Daſq; homini panē firmantē robore pectus.
16. *Arboribus præbes ſucci genitabilis alti*
Frondibus humorem vitalem munere largus,
Tu per odorati Libani juga tollis ad aſtra
Celſa poli cedrum magnam ſemperq; virētem:
Quin tibi ſuccreſcūt frōdes ſine ſemine jācto,
Numinis ut Iova quas procreat alma poteſtas,
Nil valet hic hominū ſtudiū, nil provida cura.
17. *Hic ſub frōde ſua umbrifera gēs, obſita pennis*
Alitum miro fingit, cunasq; domosq;,
Apta fretis abies hic ſurgit fronde virenti,
Inviſi colubri fœtus nutritq; pelargi:
18. *Ruptibus in celſis concuſſa timore moratur*
Damula, ſed tacitas fodit in tellure latebras
Quas tutus veluti ſua tecta cuniculus intrat.
19. *Tu facis ut Phœbe diverſis curſibus annum*
Dirigat, atq; eius numeret certo ordine mēſes,
Quando vel vultū tegit & vel cornua pādit,
Vel tota vultus rutilantis lampade mundum
Luſtrat, vel tacito curſu mox ſurripit illum.
20. *Tuq; homines facis, ut noctu toto ore ſoporem*
Infuſum proſtent curis operisq; ſoluti:
At contra tacitis ſylvarum abſcondita dumis
Belua prorepit, prædamq; inquirit opimam,
Suadet enim veſana fames eſcæq; cupido.
21. *Horrendusq; Leo prædas clamore tremendo*
Inſequitur, ſedare famem quo poſſit anhelam,
A te, Magne Deus, ſua pabula grata repoſcens.
22. *Aſt ubi nocturnas linquens aurora tenebras,*
Gurgite mane, ſua & colluſtrat lāpade terras,
Occultas remeant ſylvarum turba latebras.
23. *Conſuetos at homo repetit ſudore labores,*
Invertit graves curvato vomere terras,
Donec equos feſſos ſol tingit in æquore ponti.

24. Ma-

24. *Magne Deus sũt quãta tua facta omnia dextra*
Et quam multa? Eadem numero quis prẽdere
possit?
Proditur his miranda tuæ prudentia mentis
Ordine quod prudens posuisti singula pulcro
Muneribus fecunda tuis hæc terra redundat,
Immensaq; tuæ bonitatis prodit honorem.
25. *Æquora quin ponti varias lambentia terras*
Undis rauciſonis tumido sub gurgite nutrit,
Innumeris numeris mutos magno agmine
pisces,
Quos videas hinc inde maris per stagna va-
gantes
Magnos immixtos parvis, absq; ordine certo
Pinnarum passim celeri cursare rotatu.
26. *Hic monstretur iter rostratis navibus amplũ,*
Grandia quas circum cete nant verbere cauda
Sub vitreo mire ludentia murmure ponti,
Quando ore excipiunt latices, haud monte mi-
nores,
Quos mox elato spirantes nare remittunt.
Fit sonus & maris unda crepat conspergine
tanta,
27. *Te genus omne hominum in terris, pecudum-*
que per orbem,
Et quod pinnarum cursu secat æquora ponti,
Respicit exspectans victus quos tempore iusto
Suppeditas, queis esuriemq; sitimq; relaxant.
28. *Te pandente manum largo qua munere dives,*
Collegere suæ vitæ quæ postulat usus,
Et malesuada fames epulis sedatur opimis.
29. *Te contra vultus faciem avertente sereni,*
Cunctorum trepido pectus mox omne tumultu
Concutitur, graditurq; metu, vox facibus hæret.
Inspiratam animam te sustollente peribunt,
In cineremq; resolventur pro vermibus esca.
30. *At quando aura tuo genitabilis ore resultat,*
Mox generata viget prolis generosa propago,
Quæ sobolis complet melioris origine mundũ.
31. *Iehova Deus, tua venturi sit nescia finis*
Gloria, te meritis celebratum laudibus orbis
Auctorem delectet opus: formidine magna
32. *Terra supercilio cuius tremefacta dehiscit,*
Et tacti metuunt ultrici fulmine montes,
Exhalantq; ingo piceos trepidante vapores.
33. *Hunc ego voce canam fuerit dũ vita superstes,*
Argutasq; Deo percurram pollice chordas:
34. *Qui si percipiat vultu mea vota sereno,*
In Domino mihi sumetur perfecta voluptas.
35. *Intereant tota penitus tellure nocentes,*
Impietas vasto sceleratæ nec orbe supersit.
Tuq; adeo ad laudes, anima accingare canẽdas;
Et mecum, ô socij, Dominũ celebrate faventes:
Is sit principium, sit finis carminis omnis.

Mala lucra, damnis æqualia.
Psal. 49. Paraphr.

1. *Audite, ò populi undiquaq; cuncti;*
Huc advertite singuli, quot estis,
Hoc vivitis q; seculo.
2. *Seu de stirpe humili creatus extes,*
Seu nomine floreas herili,
Et divites, & pauperes.
3. *Os meum sapientiam loquetur,*
Cordis deque penu mei eruditam
Iam proferam prudentiam.
4. *Quin & aurea dogmata audiemus,*
Ac dulci modulo lyræ sonantis
Carmen canemus optimum.
5. *Quid signis trepidem malis diebus,*
Dum me nequitia obsuisse gaudent
Nefarij molimine?
6. *Qui spem divitiis fovent potentem;*
Congestisque bonis, superbiendo,
Non desinunt se credere.
7. *Fratrem non redimet tamen suum ullus,*
Nec reconciliare quem Iehovæ
Precî valebit pondere.
8. *Nimis namque animæ redemptio omnis*
Res cara est, minus hoc ut arte possit
In æviternum consequi.
9. *Nec refert, licet heic diu superstit*
Vivendo, propiusve nec sepulchrî
Videas latebras abditi.
10. *Namque lex sapientibus stat æqua*
Cum stultis, fatuisque, mortis omnes,
Bonis relictis, transeunt.
11. *Hæc est summa cuiqui cura cordis,*
Quod sumptu valeant domos superbo
Nunquam ruendas condere.
Quod ades quasi seculis beare
Pergant, & sibi gloriam perennis
Fingant in orbe nominis.
12. *Hac in luce tamen manere honoris*
Non possunt; sed uti pecus caducum
In vanitate corruunt.
13. *Meram stultitiam sapit, quod actis*
Produnt, & tamen id minus verentur
Laudare eorum posteri.
14. *Illi sicut oves jacent in imis*
Tartari tenebris, vorando rodit
Hos atra mors; at probi
Illos imperio statim retundent,
Quos perire ita oportet, ut sub orco
Parata iis est mansio.
15. *Ast Iehova animam meam extrahendo*
Orci ex faucibus usque liberabit:
Me namque suscepit bonus.
16. *Nil te commoveat quod alter auri*
Surgat divitiis; domus quod ejus
Succrescat alta dignitas.
17. *Nam secum nihil auferet peremptus*
Vi justa necis, uspiam nec ulla
Illum sequetur gloria.

18. *Sed*

18. *Sed vitæ ſaturatur huius aura*
Dulci, & prædicat hoc, dies palato
Si mollicullos comparet.
19. *Sic mox intereunt ſuos ſecuti*
Patres, tempore luminis nec ullo
Captant videndo gratiam.
20. *Mox, dum plenus honore homo vigeſcit,*
Et caret ſapientiæ timore,
Statim perit ceu beſtia.

Veram vitę rectitudinem à ſuis mortalibus Iehova ſevere experit ipſe.

Paraph. Pſal. 50.

1. *IEhova, qui potenter exponit Deus*
Verbi ſui vigorem,
Vocatque mundum ſolis orti à cardine
Ad occidentis oras.
2. *Derupe pulcher proſilit Zionica,*
Splendor micans Iehovæ.
3. *Iehova noſter advenit, nec, ceu prius,*
Tacet, ſed antecedit
Ignis vorax hunc, atque tempeſtas ruens
Sonora lambit eundem.
4. *Cælumque terramque citat, ut genti ſuæ*
Ius dictet ad tribunal.
5. *Huc convocate mi meos ſanctos quibus*
Plus fœdus atque thus ſit.
6. *Et Iura cœli nunciabunt illius;*
Namque eſt Iehova Iudex.
7. *O gens mea audi; perfer, hoc me proloqui,*
Proles ô Iſraelis;
Mea, en, tibi iam pando Teſtimonia:
Tuus Iehova ego ſum.
8. *Non arguo te victimas propter tuas,*
Quæ ſemper heic cremantur.
9. *Non ex tuis poſcam iuvencos ædibus,*
Stabulis tuis nec hædos.
10. *Quot namque ſylvis continentur beſtiæ,*
Paſſim mihi meæ ſunt.
Et omne pecus in montium degens iugis,
Tot mille quot vagantur.
11. *Genus omne notum mi volucrum, beſtiæ,*
Quotquot colunt que rura.
12. *Si me famis forta ſſis urgeret, tibi*
Non quidpiam profarer.
Tellus enim mea eſt, & omne, quod ſolum
Complectitur, fovetque.
13. *An carne taurina putas me veſcier,*
Hircive ſanguine utii?
14. *Lita Iehovæ dona laudum, & debita*
Perſolve vota Ihovæ.
15. *Rebuſque in arctis quære me, ſic te eruam,*
Sic meque prædicabis.
16. *At impium ſic aſſpere affatus Deus:*
Quid tu? Statuta quorſum
Annuncias mea, atque iactitas meum
Tuo iſtud ore fœdus?
17. *Pietatis oſor quum tamen ſis, & procul*
Verbum meum repulſes.
18. *Cum fure viſo curris, atque adulteris*
Coniunctus eſſe gaudes.
19. *Calumniator ore mendax es tua*
Lingua doloſa texens.
20. *Fratremque ſugillas tuum, ac matris tuæ*
Traducis ipſe gnatum.
21. *Hæc factitas, quæ connoto tacens, parem*
Hinc me tibi reponis:
At puniam te certus, atque oculis tuis
Edam videnda cuncta.
22. *Notetis hoc, oblitterata mentio*
Quibus eſt ſubinde Ihova,
Ne pœna vos meæ ultionis aufferat,
Ne liberator adſit.
23. *Qui corde laudis mi litatur victimam,*
Me vero honore mactat.
Atque hoc iter rite eſt, quo pio cuilibet
Monſtrem Dei ſalutem.

Chriſtianæ vitæ curſum in pietate & confidentia firma erga Deum abſque invidia & ſcandalo ſemper eſſe tenendum.

Paraphr. Pſal. 37.

1. *COntra quid iræ concipere impios*
Noli, nec in quenquam artificem mali,
Diraſve technas machinantes,
Invidia moveare tactu.
2. *Nam gramen ut cum flore reſcinditur,*
Sic interibunt germine marcidi,
Herbæque ceu paſſim virentes,
Viribus omnibus exuentur.
3. *Aſt in Iehovam tu modo ſpem tuam*
Depone conſtans, rectaque perfice,
Terra tua ſis rite cuſtos,
Integritate alimenta quærens.
4. *Præſens voluptas ſemper, & unica*
Sit Ihova menti perpetuo tuæ:
Hic eſt, tui qui largus Auctor
Perficiet pia vota cordis.
5. *Committe Ihovæ rite vias, tuæ*
Curſumque vitæ, ſpeque tua fove
Syncerus illum; ſat ſuperque
Ipſe ſuum peraget favorem.
6. *Idemque cauſſam Iuſtitiæ tuæ*
Clariſſimo ceu lumine proferet,
Nec non tuum ius, ſol dei
Luce velut media refulget.
7. *Dedas Iehovæ te tacite ſilens,*
Ipſumque ſpectes operiens; neque

Succen-

Succenſeas, cui cedit omnis
Proſperitas ſcelere in malignò.
8. Deſiſte, nec te commoveas nimis;
Æſtum furoris comprime providus,
Placatus & compeſce mentem,
Ne quoque tu malefacta tangas.
9. Nam gens malorum perdita funditus
Delebitur; Qui ſe magis unice
Spe devovent firma Iehovæ,
Hos ſua ſors patriæ manebit.
10. Momenta vix iam paucula temporis
Reſtant, peribit mox ſimul improbus,
Eiuſque ſi locum requiras,
Nullibi reperies notandum.
11. At qui Iehovæ pectoris in Fide
Vivunt dicati, iure pio colent
Terram, & beatæ pacis omni
Latitia placidi fruentur.
12. Perverſus auctor nequitiæ ſuæ
Omnes minarum dirigit inpium
Iuſtumque conatus, fremitque
Dentibus in caput hocce ſtridens:
13. At Ihova tantos deſuper impetus
Auſusque ridens deſpicit in probi:
Nam cernit, huic ferri propinquam
Tempore vindice mox ruinam.
14. Gaudent nefaſti ſtringere acinacem
Semper, nec arcum tendere deſinunt,
Vt pauperes rectoſque cordis
Deiiciant, miſeroſque mactent.
15. Aſt mox eorum cor proprium ſuum
Perrumpet enſis, nec ſine maximo
Horrore iam perfringet arcus,
Rite ſuo domino nocivus.
16. Auguſta ſortis portio, quam pius
In re minuta poſſidet, improbi
Longiſſime ingentes opes, &
Exuperat cumulos malorum.
17. Namque impiorum brachia conterens
Franget ſuo cum robore fortium:
Iehova ſed iuſtos fideli
Aſſerit auxilio perennis.
18. Momenta ſemper qualibet, & ſuos
Novit piorum Ihova ſimul dies
Quoſvis, in æternumque eorum
Aſſidue bona proſperabunt.
19. Non ullus unquam temporis ullius
Confundet iſtos ſævior impetus,
Summaque rerum in caritate
Copia iis opulenta creſcet.
20. Mali ſuo namque exitio cadent,
Hoſteſque Ihovæ; ſint licet areæ
Inſtar virentis, heic tamen ſic,
Fumus uti perit, interibunt.
21. Geſtit malignus ſumere mutuo
Congeſta, ſed nil reddit iniquior:
At cuique ſe iuſtus miſello
Munificum facilemque præſtat.
22. Quos namque cœli proſperitas beat,
Hæreditatis iure colunt agros:
Radicitus ſed cum vigore
Abripitur maledictus omnis.
23. Tanti ſupernis cœlitus à Deo
Greſſus reguntur conſiliis viri,
Ac eius oblectando ſeſe
Ipſe viam regit atque ſternit.
24. Si forte lapſu prociduus ruat,
Non inde prorſus reiicitur ſtatim:
Clemens enim præſente ſervat
Ihova manu, retrahitque lapſum.
25. Infans fui, iam conſenui quidem,
Sed non relictum me memini uſpiam
Vidiſſe iuſtum, eiuſve prolem
Quærere quid rogitando panis.
26. Hunc prompta ſemper commiſeratio
Tangit, lubens ac commodat erogans
Cuivis, & hinc florebit eius
Poſteritas benedicta ſeclis.
27. Deſiſte debinc à criminibus tuis,
Vitando fraudes, & potius pius
Rectum ſequaris; ſic quietus
Perpetua tibi ſorte vives.
28. Nam Ihova rectum diligit, & fovet
Sanctos ſuos, in ſecula perpetim
Servans eos; at ſemen ipſo
Excidio perit impiorum.
29. Nam iuſta terram gens merito ſuam
Hæreditatis iure tenet ſibi,
Et poſſidendo ſempiternam
Figit in hanc ſibi firma ſedem.
30. Nil os Fidelis, quam ſapientiæ
Quod norma vera poſtulat, ac iubet,
Efferre gaudet, linguaque eius
Iuſta docet, pietate fulta.
31. Legem Iehovæ perpetuo ſui
Servat ſereno pectore ſedulus,
Et hoc cavet certo labore
Ne pedibus fluidus vacillet.
32. Indefinenter viribus omnibus
Intendit iſtud perfidus, integrum
Vt perdat, & iuſti tenacem
Propoſiti nece tollat omni.
33. At Ihova præſens unguibus illius
Non linquit untis implicitum, neque
Condemnat idem ſanguinolento
Iudicio licet hunc requirat.
34. Spectа Iehovam, firmiter illius
Callem tenens, ſic te bonus evehet
Telluris hæredem: videbis,
Quam penitus reprobi eruantur.
35. Vidi malignum qui nimio ſatis
Turgebat æſtu, cumque protervia

Seſe efferebat craſſus, alta
Mole quaſi arboris evireret.
36. *Quum præteriret poſtmodo quæritans,*
En, ceu fuiſſet nemo, ita ceſſerat;
Atque ipſe quærebam videndum,
Nullibi talis erat repertu.
37. *Integritati ſis placide & probe*
Addictus omni, rectaque diligens;
His namque tandem conſtat omni
Proſperitas cumulata ſorte.
38. *At qui ſequuntur nequitiam ſuam,*
Delentur omnes cum ſociis ſuis,
Et turba pervicax malorum
Denique ſtirpitus eruetur.
39. *Sed Ihova præſens auxilium piis*
Præſtat ſuis: Hic tempore turbinis
Seſe exhibet munimen illis
Eximium, validumque robur.
40. *Ac Ihova promptus præſto erit omnibus,*
Illoſque cunctos ſolvet ab impiis
Acernens hos liberabit,
Tota etenim Fide in hunc recumbunt.

Admodum ſeria eſt hæc, nec minus perquam iucunda adhortatio, quæ omnibus bonis hoc & verâ pietatem colentibus imponit, ut felicitate impiorum umbratili non moveantur; ſed omnem fiduciam & ſpem ſuam in Deo collocent: eiuſque arbitrio vitam, famam & res omnes commendent; juſta agant; quædam incommoda patienter ferant, & ni Deo verboque eius ſe oblectent. Inſpergit etiam ſubinde indicia impiorum, quod ſint inſidioſi, malevoli, malefici, & in exitium piorum intenti: item quod poſſideant opes iniuſte partas, quod ſint avari, fœneratores, tenaces & hirudines miſerorum, talibus igitur, licet aliquantiſper floreant, tamen pœnas graviſſimas comminatur, eorum felicitatem dicit eſſe momentaneam, machinationes ſibiipſis exitioſas: opes brevi diſſipandas. Perniciem enim imminere eis repentinam qua ita cum omni ſtirpe funditus ſint perituri, ut ne veſtigium nominis ipſorum reliquum ſit futurum. Idque ſe magiſtra experientia verum didiciſſe aſſeverat. Inſerit etiam per intervalla notas vere piorum, videlicet quod lege divina delectentur: quod in parvis etiam opibus divites ſint & benefici: quod omnibus proſint, noceant nemini: quod item in aſſidua ſua beneficentia nunquam egeant, perpetua nimirum Dei benedictione opulenti. His igitur optima quæque promittit: hos, inquit, Deus ipſe nutriet & defendet: horum poſteritas latiſſime propagabitur: horum, ſi quando premantur, innocentia Deo vindice in lucem emerget: hi famis, peſtis, & omnium rerum adverſarum tempore erunt incolumes, & etiamſi humana imbecillitate circumventi aliquando labantur; tamen Deus eos eriget, & in viam reducet, omniumque ſuorum votorum compotes faciet, atque non ſolum ipſis, verum toti etiam ipſorum poſteritati pollicetur, certoque illa fieri, & deinceps futura itidem expertum affirmare ſe oſtendit.

Votum anxium,
Quum Natalem diem 1. Auguſt. ætatis meæ 61. ingrederer Anno Chriſti 1641.
Pſal. 71. Paraphr.

1. *JEhova, tota ſpe penitus tibi*
Me dedo, totum me tibi devovens;
Fac, uſpiam ne forte quoquam
Afficiar vitio pudoris.
2. *Me liberatum Iuſtitia tua*
Servato; cunctis eripe me malis;
Aures tuas ad me reflecte,
Atque opifer mihi promptus adſis.
3. *Turris meo ſis firma receptui*
Semper; velut tu pollicitus, iuva
Me: quippe tu fundata rupes,
Arxque mea es columenque vitæ.
4. *Ah Ihova, quæſo, mi Deus, exime*
Ex impiorum me placidus manu:
Ex perfidorum ac me potentum
Redde manu tibi vindicatum.
5. *Es namque ſolus perfugium meum,*
Agnoſco fulcrum te veluti meum;
O Ihova mi; primis ab annis
Vnica tu mihi ſpes fuiſti.
6. *De te pependi matris ab ubere;*
Ex matris alvo gratia me tua
Extraxit has in lucis oras;
Laude quod hinc celebro perenni.
7. *Quoddam quaſi in prodigium, malis*
Natum pudendis, rideor undique:
At tu mihi, mi Ihova fortis
Præſidii columen miniſtras.
8. *Iehova, plenum perpetua mihi*
Ut laude ſit, fac, nominis os tui:
Da, gloriæ laudem ſubinde
Cotidieque tuæ celebrem.
9. *Ah quæſo, ne me tempore forſitan*
Meæ ſenectæ reiicias, Deus;
Nec corporis fractum vigore
Trade libidinibus malorum.
10. *Namq; hoſtium in me prava ſodalitas*
Sermonis acris ſpicula iactitat,
Meaque technas factioſi
Conſociant animæ nefandas.
11. *Clamantq; ſecum, quem penitus Deus*
Iam derelictum deſeruit, citi
Comprendite; hunc perire fas eſt;
Vindice dum caret ille forti.
12. *At tu, Deus, ne longius impiger*
A me recedas, te precor unice:
Iehova mi, ſuccurre præſens:
Auxilio mihi promptus extes.
13. *Pudore ſeſe conficiant ſuo*
Perdantq; probris, retia qui necis
Vitæ meæ tendunt, ſuaque
Exitium mihi fraude quærunt.

14. *Aſt ſpe refectus ſemper ego tui*
In te recumbam, perpetuo pius
Pangam tibi carmen, tuaſq;
Laudibus accumulabo laudes.
15. *Narrabit os hinc dona meum tua*
Et æquitatem iuſtitiæ tuæ,
Nec non ſalutis munus omne:
Quæ nequeo numerare cuncta.
16. *Incedo tutus robore cælico*
Dei Iehova, ſemper inambulo
Spe fretus huius: Te per orbem
Pſallo tuæ fidei tenacem.
17. *A flore primo, Ihova, puertiæ*
Uſque extitiſti tu mihi ſedulus
Doctor: Proin miranda pergo
Cuncta tua celebrare dextra.
18. *Nec ergo canum me, Deus, aut ſenem*
Ætate fractum deſere, brachij
Donec tui vim, facta genti
Et referam tua poſterorum.
19. *O Ihova, quanta iuſtitia, en, tua*
Eſt ſummitatis, quantaq; ſanctitas!
Tu perficis magnalia ſumma,
Quis ſimilis tibi degit uſquam?
20. *Tu ſubiicis me mille periculis*
Vitamque geſtis tu mihi reddere:
Quin & profundum, Ihova, terræ
Ex ſcrobe me re vocas renatum.
21. *Tu me malorum fluctibus eruis*
Tandem favori reſtituis tuo,
Et gratius ſolamen addis,
Triſtitiæ nebula repulſa.
22. *Hinc ergo grates commeritas tibi*
Ardentiori pectore deferam,
Et nabliis te canto lætus,
Qui ſacer es Deus Iſraelis.
23. *En, cuncta faucis vox ſimul hinc meæ*
Et omnis intus vis animæ meæ,
Quam tu redemiſti, ſonoris
Te celebrant numeris, chelyque.
24. *Ac lingua de te cotidie melos*
Tuæque fingit Iuſtitiæ fide:
Dum ſic pudor confundit hoſtes,
Qui mala tot mihi damna nectunt.

JEHOVA SALUS MEA.

In vanam Cenſorum atrocium præcipitantiam.

Iohan. Caſelij Epiphon.

Moribus antiquis noſtro non amplius ævo
Cenſuras fieri, de re quacunque, videmus;
Uſq; adeo volupe eſt, temere reprehendere quidvis,
Cui non in ſolidare mens ſecura quieſcit,
Sed cupit in populo multum didiciſſe videri,
Quod non cum vulgo faciat; ſed funditus omnes
Diſciplinarum latices ex fontibus ipſis
Hauſerit, hic ſapiens, ſapiat ſimul omnia ſolus,
Ad directa ſacræ rationis fila ſecutus,
Ut tuto incolumem ſe ſiſtat in æquore campi,
Et normam monſtret, qua non abnormis haberi
In prato valeat, ſed ſit quaſi prodita Lesbo,
Huius & illius dum certa indagine verum
Veſtiget propius, fidis ſociiſque revelet,
Ut ſic è tenebris ad clari lumina ſolis
Pertrahat, oſtendatque palam dulcedine mira,
Quid contexta tenent Labyrinthorum invia reſqua,
Ac quicquid ratio quoque præcipit arte Pelaſga.
Quando ita mentito pingit ſua quiſque colore,
In falſos ducens ipſum ſe calle receſſus,
Idem num valeat fraudis detergere fucum
Alterius, potius vel cæcus Lynceacernat?
Inſipidaſve queat populo ſic pandere nugas,
Ut monſtret ſolidus ſolido munimine cordis,
Quomodo in hac hominum vivas contage beatus?
A Equo iudicio, quacunque eſt debita ſeu laus
Seu culpa, an talis memoret bene? Nec ſibi quicquam
Anteferat citius, dum ſic ſibi proximus extat?
Nũ quid forte ſecus facere imperitarit honeſtas?
Scilicet anne ſit hæc animi nota certa profani,
Uſque ita qui palmam quærat laudemq; ſophiſta?
Ethnica num valeant potius quid dogmate cæli?
Nemo ita cuprea vaſa, vel area, perlinit auri
Exigui gutta ſtillante minutius, ut ſe
Indicis attritu non prodat vile metallum.
At ſimul ingenii ſpecimen quotus edit in auras,
Ni penitus demens ſit, proiectique pudoris?
Omnia diſſimulat, quaſi dicta indicta recenſet,
Hic eſt ille canon, quo ſcit tum providus uti,
Et quo quiſque putat ſe dici valde politum,
Valdius & clamat ſimiles ſic eſſe politos,
Quo magis efforment cordi ſua diſſona verba,
Expoliantque ſuis quævis figmenta figuris.
Aſt certe veluti curvatus ſcipio nunquam
Regula erit, ſic nec nova norma valebit in ævum,
Hæc licet à ſtolidis fruſtra tollatur Olympo,
Huius & illius ſaxo ſe commodet uſu,
Seu malit veteri de conſuetudine dici
Norma ſuæ mentis, menſurans omnia normis,
Decurvo ne quid ſecedat forte reflexum,
Ethnica quod iubeat connecti gratia plumbo.
Sunt, quibus haut ſatis eſt, acri mea ſcindere morſu,
Quæ tamen haud mea ſunt, ſed ab arcis prompta vetuſtis,
Quas recte hiſtoria, vel dixeris eſſe parentum
Facta, decus tantum cupimus quibus addere laudis,
Dente meum rodunt etiam petulante laborem,

Qui pueris ipſi pueri mira ſomnia vendunt,
Et ſophien dicunt, quam Graecia iactitat ipſam
Tricis incluſam caecis, techniſq; profundam,
Ut plus verborum, quam rerum ſemina pandat,
Unde fidelis amor, pietas, & candida virtus
Ceſſit in exilium pridem caelumque petivit.
Aut nos erudiant vere ſapientibus ante
Dictis, caeleſtis quae protulit Aura ſalutis;
Aut ſi tale nihil didicere, ad vera regreſſi
Poſthabitis nugis, deinceps meliora capeſſant,
Et diſcant Fidei quae ſit ſapientia vera,
Ethnica nec ſemper ſpirent, praeferreve Chriſti
Haec verbo cupiant, proprio dictamine mentis.
Nam quid ſanctius eſt, quã poſſis luce ſuprema
Tandem indagati veſtigia prendere veri?
Clarius an quidquam, quod prodidit ipſe Iehova?
Spiritus anne Dei non omnia promere poſſit?
Haec Sophia maius num quid queat edier orbi?
Formator linguae loquier num neſciat uſquam
Ampla ſatis, vel digna viris tam celſa petendis?
An quidquam lateat vel luminis huncce datorem?
Rectius unde petat quis, vel quid promptius uſu
Arripiat, nobis retegat quam gratia caeli?
Qui docet errantes populos, nonne arguat idem
A ſeſe averſos, hominumque piacula plectat?
Stultitiae quis finis erit? Cognoſcite tandem.
Hoc ſcitote, Deus cordis ſecreta quod imi
Noſcat habere nihil, ni ſit divinior aura.
Eſt felix ſolus, mundo ſapientior omni,
Qui ſapit in Chriſto, pietas quae vera requirit.
Fabula narratur ſurdis. Inſcitia ſeſe
Sola admiratur, faſtu premit omnia grandi,
Ethnica quando ſapit, placet his quoque ſola figuris,
Sic quibus effigiata viget conformiter in ſe,
Excelſamq; ſibi frontem confingit, & inde
Sola ſibi ſtatuit palmae victricia ſigna:
Nec quicquam: errantes faculas & ſecula Mormûs
Lucida diſiciunt orientis tela diei.
Dic quoq;, quid pietas, ſi caecis pectora rebus
Noſtra fatigemus, nec ſpe meliora ſequamur?
Num potius nobis, quam Chriſti credere verbo
Quid bene malimus: Vel quid convellis in iſtos?
Ex ortu torquet ſe nata calumnia primo,
Atq; ubi iam varias gyros hinc inde per artes
Fecerit, ipſa ſuis infracta è niſibus, exſpes
Turpe & triſte caput furijs commiſcet averni.

FINIS.

Pacis amica ſalus: ſunt in Pace omnia grata:
Nec caelo recte quid ſine Pace viget.
Floreat ergo Pax: Pacis ſint omnia plena:
Sic & cuiq; ſalus eſſe Iehova volet.

JEHOVA SALUS MEA.



Digitized by Google

POSTLOQVIVM AD LECTOREM benevolum.

NE quid hæc, candide lector, sis nescius, repetita quidem est in superioribus, editio mei Opusculi, & in Respub. Hanseaticas (quas meritò antiquissimo fœdere coijsse adeò, dicit Eberh. à Weihe, qui se Waterm. ab Erenb. vocat, ut etiam olim à Carolo IV. Imp. sit idem approbatum) Commentatio, velut etiam in plurib. eam adauctam vides; sed certè nõ ita disponi planè & omnia ea inseri potuerunt pro nutu, uti ipse absens inde volui. Plurima etiam ulterius talia fuerunt impedimenta, ut neq; mihi sufficiant, quæ commodius exprimere studuetam. Imperia hominum mira sunt, nec minus in distractis istis tumultuosis temporibus judicia eotundem varia, atq; adeo quidem sæpius absurda, ut quidvis ex temeritate sua censere non vereantur. Non dixi omnia, quæ ante hac constitueram, quæq; suo lõco convenienti inseri expetiveram, quod toties neglectum fuit licet correctum fuerat: Sed si sit commodius tempus & Deus largiatur mihi vitæ pro clementia sua prorogationem in hac senectute, longe plenius quid videbis, quod pridem sub manu habui.

Etenim in hoc fœdere Hanseatico ea perspiciuntur, modo qui intima noscant, quæ certè universis tam patriæ communis, quàm aliis exteris non leves attulerunt facultates & negotiandi commoditates. Fuerunt, & fortè adhuc sunt potentiores, & vicini, qui nervum gerendarum quem cernunt in studio commercii adeò esse dispositum, in sese magno conatu, nec sine variis astutiarum inventionibus, derivate toties exoptant. Sunt quoque desperati, qui ob studium proprii commodi pro temporis ratione potentioribus nunc hoc mox illud expilationis stratagema suggerere non verentur; veluti ejusmodi exempla sunt coram oculis, si talrem hominum nomina exprimere esset integrum. Sed certè tam rerum harũ clanculatii suggestores, quam praxeos hujus indecoræ acceptores nusquam verum intelligunt tam salutaris rei fundamentum. Ideoq; potius subversores boni & bonorum torrores, quàm amici & Christianitatis patroni forent eiusmodi dicẽdi, ut meritò se in pudorem præcipitatos potius deprehendere, quam quid contrariæ molitionis suppositum probare, vel in usum aliquem deducere deberent. Sed quis hodie amplius quid in honestatis innatæ ratione curat, si inde lucrum sibi; aut cibum quasi ex flamma, ut ait Comicus, petere valeat? Quod mihi ante pauculos annos Hollandus quis obtrudere solebat, quum conscientiæ statum nonnihil acrius ipsi detegerem, erga proximum, dicens ille: Quid hoc est rei? Num propterea quod proximi amor sanctè sit nobis fovendus, utilitatis propriæ tam sim perfidus neglector, ut prioti loco id habeam, quod potius alii, quam mihi profit? Imo ajebat, hoc noscas, nullum amicitiæ vinculum tam est firmum, etiamsi sit proxima consanguinitas, quæ non patiatur, dissolutionem suam in respectu utilitatis propriæ. Etenim damnum, illatum aut attractum sane omnem nobis cõfringit amicitiam. At licet hunc in absurditate tali convincerem satis, demonstraremq; non esse Christianitati hoc proprium judicium & longe saniora in verbo cœlesti doceri, tamen amorem suiipsius in lucro captando ex communi gentium omnium opinione, ita firmũ sibi statuebat, ut nec ipsam veritatem id aliter convincere posse affirmaret. Si vero omnium mortalium actiones & intentiones uti nunc corruptissimi sunt hominum in hoc ultimo mundi seculo mores & animi, perspicias, certe nemo ferè erit omnium qui non idem cum Hollando illo sentiat, dum adeò quisque sibi proprius esse cupit Deus in amore sui ipsius, ut nil boni quid censeat, nisi in utilitatem suam convertere id ita queat, ut inde solus sibi præ cunctis aliis exditescat.

Attamen id nonne extremè sit deplorandum tanta omnes cæcitate esse captos, ut illud sibi bonũ putent, quod revera causam omnis mali progignit? Bonum enim planè non est appellandum, rectè ait optimus ille Hieron. Osor. in primo de vera sapiẽtia libro, ex quo malum nascitur. Ea igitur quæ vel ad fortunam (uti communis est locutio) referuntur, quæ bona vulgo nominantur, tum demum bona dici poterunt, quum il, qui ea possiderint, illis rectè usi fuerint. Eorum autem rectus usus sapientiæ moderatione continetur. Itaque sapientia non est solum totius decoris & dignitatis efficiens, verum & fidelitatis universæ parens & altrix. Nec enim ubi sapientia dominatur, fortunæ temeritas locum habere potest.

O divinum sapientiæ lumen, quis poterit laudes tuas enumerando percensere? Tu namq; homines à libidine ad officium & continentiam traducis: tu artes salutares quibus hominum vita continetur instituis: tu ordinem rerum publicarum collocas: tu reges hoc nomine dignos splendore divinæ lucis illuminas: tu placidissimam animorum pacem constituis: tu dignitatem & impunitam libertatem elargiris: à te laudes omnes virtutis & sempiternæ dignitatis emanant: tu denique mortales immortalitate donas, ipsique Deo amore sempiterno devincis. Quæ igitur cæcitas eorum est, qui non ut tẽ aliquando perfruantur ingentes labores excipiunt, & pro te etiam mortem cupiunt? Immortalitas enim est amore sapientiæ mortem libentẽr appetere. Sed quo majus & amplius & illustrius est sapientiæ nomen, latiusque patens utilitas, eo difficilius esse videtur illius studium, &c. Videtur quidem: Sed si veris vestigiis insistas ad nutum verbi Dei, te in humilitate sancto spiritui eius submit-

vexit: Gentiensés de maris imperio cum illis decertantes post varia prælia manus dare coegerunt.

Sed horum omnium gloriam patrum nostrorũ memoria Hispani obscurarunt periculosis & stupendis navigationibus ingẽti ausu susceptis, quibus mercaturæ negotium tum sibi tum principibus suis utile admodũ & quæstuosum reddiderunt, nationesq; barbaras insanis superstitionibus serviẽtes ad vitã humaniorẽ, & ad cultũ veri Dei adduxerunt.

Tres autem ante alios maxime clari & memorabiles extiterũt, Ferdinandus Cortesius, Blascus Nonius, & Magalanes.

Cortesius in postremum occidui littoris sinũ delatus ad Mexicana regna terrestri itinere contendẽs subactis Indis Themistitana urbe potitus est, quum fabricatis navigiis eam urbem salso in stagno positam, ędificiisq; & incolarum frequentia Venetæ urbis instar admirabilẽ multis prælis prospere factis expugnasset. Exinde ulteriora quærere constituit novamq; expeditionem ad occidentis oram maritimam suscepit: eo quidem apparatu ut nõ modo sarcinarum & tormentorum onera secum ferret: sed duos etiã mioparones salva cõpage plicatiles multorum servorum opera comportari juberet, ut his tentaret Oceanum qui non amplius quingẽtis leucis abesse constabat. Cum ad Oceanum perventum esset, Cortesius late explorato littore notatisq; nemoribus unde materia ædificandi classem peti posset, Temistitam est reversus ibiq; incolis Christianæ religionis cultum persuasit.

Blascus Nonius diu patriæ terræ, & Darienæ regionis littora legẽs reperit Isthmum ad Uzabanũ sinum, quo duo maria ingentia dirimantur. A Comogro siquidem ingentis amnis ostio Dari, ejusq; littore per inaccessos prope montes omnia juga tenuit & subiectum in adverso littore vastissimi pelagi sinũ conspexit, in quo auri & unionum ditissima regna reperta sunt atq; item cõspectæ aditæq; aliquot insulę earum rerũ opulentia insignes, Peruana & Cuscana regna auro & gemmis scatentia successoribus demonstravit.

Magalanes alterum patriæ terræ littus in Orientẽ obversum quinq; nav ũ classe percurrit legendoque oram prætervectus lineam Capricorni, nec multo inde prope antarcticũ circulum, & ad ipsam æquatoris lineã Moluccas quærens immensi prope ambitus insulas Iavanam, Pornem & Subutham ipsa Britannia maiores invenit, è quibus Moluccæ propinquæ spectabantur: quas ut in votis habebat adire non potuit, cũ insulanis enim acre dimicans occubuit. Huic propter difficilimam & periculosissimã navigationem palma datur.

Cortesij navigatio, ut magnificentior ita utilior & fœlicior fuit: quãvis honoris prærogativa omniũ harum navigationum Christophoro Columbo Ligori multorum iudicio debeatur adscribi: Alterum enim prope terrarum orbem intentato prioribus seculis Oceano ad Occidentem felicibus auspiciis navigationis studiosis aperuit, & aliis qui post eũ majora fecisse videmur, iter ostendit: & si commoditatẽ spectemus, non minus gloriosa Hispanicæ genti ejus navigatio fuit, quam Cortesii vel Blasci, vel Magalanis, nam Hispaniolam & Cubam ingentes insulas auri copia ditissimas Castellię regibus vectigales fecit & in commodissimis locis ædificatis arcibus, & impositio præsidio turum Hispanicæ genti receptum dedit.

Inter Anglos autem maximam navigationis gloriam superioribus temporibus invenit cõparavitq; sibi Francis. Draco, qui singulari industria & curiositate diligentissima totũ in investigandis insulis circumivit orbem. Ac quum Anno 1588. in tempestate summa belli, quod in obruitionem Angliæ intentabat tunc Rex Hispaniarum, vix domum quasi in opportuno tempore auxilio patriæ reversus esset, Regina Elisabetha navali expeditioni universæ hũc una cũ Havardo nõ sine felici rerũ successu præfecit, velut Nicol. Eleutherius in triumphali carmine tunc id descripsit, ita loquens de conatu tali adverso:

Tu contra quid agis, Mulier fortissima? Nẽpe
Commissa rerũ summa & gravitatis Habardo,
Heroi de stirpe Ducum Norpholcide claro.
Ignivomum opponis procincta classe draconẽ,
Velivoli scitum maru, Oceaniq; viarum:
Leucothoe sequitur quem lato prospera cursu
Enantem Thamesi cycni comitãtur ovantes;
Cæruleus Triton conchã intonat ore canoro.
In mare ubi ventũ est, apportant certa celoces,
Quod tam Cornubiis hostilia vela propinquẽt.
Regina ingentes procedunt ordine naves,
Vrsus atrox, ingẽsque Leo, & cui nomẽ Elisæ,
Maij flos, & spes victoria & alta, Triumphus.
Angla bipertito distinguitur agmine classis:
His remanẽt, illi pergũt. Prece vincitur æther:
Numẽ adest præsto, mora abest. Clãgore tubarũ
Aura sonans reboat; percellitur æquor acuto
Remorum stridore; aures strepitu q; rudentũ,
Et fremitu undarũ, & clamoribus obtũdũntur.
Nemo hostẽ propius, prater cava tigna draconis
Admovit proris proras, atq; oribus ora,
Cominus obversãs, nõ eminus; hostib. horror,
Vt luctamen erat Draco cũ Valdesio magnũ,
Ecce laborantis cunctata in gurgite lento
Valdesi capitur navis, Valdesius & ipse
Primus in Anglorum ponens vestigia terra.

Postera lux oritur, magnis certatur utrinq;
Viribus, octonas pugna durante per horas;
Cum Veneta naves aliquot deperdit Iberus.
Agmen agens Draco, felici cõjunctus Habardo,
Quẽvis navifragis adversũ adoritur in undis.

Fortunate Draco, nũquam tua fama fatiscet,
Nunquã honor arescet; laurus cen Delia nũquã
Frondibus absistit proprium servare vigorẽ.
Fallor, an haud alio pugna discrimine Persas
Ipse Temistocles iuxta Salamina cecidit?
Æternum vives; exesa teredine pinus,
Vt tandem penitus longinquo marceat ævo.
Tu pelagi Deus alter eris. Fas, maxima Tethys
Unam Nereidum tibi despondere laboret.

Plausibus ô quales jactari ad sydera voces!
O quales resonare tubæ: quantaque salire
Latitia Nymphæ, spoliis oneratus opimis
Cũ Thamesina redux ingressus es ostia victor,

Puppe

Puppe vehens niveatecum tot colla superba,
Tot pondo argenti, tot pondo divitis auri,
Signaq; diversis in summo exserta trophæis:
Hæc adeo non mense uno, sed pluribus amplũ
Acta per Oceanum, dũ sæva Canicula flagrat,
Erigoneq; subit Nemeæi terga Leonis,
Æquaq; Libra pares dispẽsat lucib. umbras, &c.

Ut ita experientia Draconis, quam ille tot navigationibus in mũdo conciliarat sibi, nõ exiguũ huic occasioni victorię Anglicanæ adiecerit cõmodum, constet publice satis. Gloriam talem, studio admodum laborioso, & periculis semper pleno, obtinuit, quam aliquot pulcris extollere novit Joan. Audoenus Epigrammatis quæ ob iucunditatem inventionis heic libenter adiicere libet:

Lib. 2 Epig. ad Henricum Princip. 36. Epig.

Ambitio Draki nullo reticebitur ævo
Ambivit terras per mare Dracus Anas.

Id. lib. 2. 19. Epigr. ad Mariam Neville.

Drake, per errati novit quem terminus orbis,
Quemq; semel mundi vidit utrumq; latus:
Si taceant homines facient te sydera notum:
Atq; Polus de te discet uterq; loqui.
Plus ultra Herculeis inscribas, Drake, columnis;
Et magno, dicas Hercule major Ego.

In æternam rei memoriam, navis eius, qua totum orbem terrarum circumnavigavit, apud regium castellum Grouvvitz, 4. milliaribus Londino distans, fulcris elevata & imposita adservatur, uti adhuc ibi visitur. Sed etiam valde scitum arguræ inventionis Epitaphium Andoenus eidem constituit Lib. eod. 148. Epigr.

Religio quamvis Romana refugeret olim,
Effoderet tumulum, non puto, Drake, tuum,
Non est, quod metuas, ne te combusserit ulla
Posteritas: in aqua tuus ab igne jaces.

Fuerunt & alii plures, qui præcelluerunt navigationum expeditionibus, cuius rei cumulum satis amplum in consignationibus historicis rerum Indicarum quis curiosior reperiet, ut & in hoc consuli possunt Petrus Martyr, Benzo, & Apollonius, præsertim ille tractatus, qui apud Belgas editi ante annos sunt aliquot, velut etiam maximam inde sibi comparaverunt gloriam Belgæ, quibus nihil usitatius est, quam in Indiam utramq; Orientalem & Occidentalem excurrere. Quum ego in Belgio essem, perquam dives spoliis Anno 1628. Petrus Heinius ex India Occidentali revertebatur in patriam, cuius thesaurus ad 500. tonnas auri & argenti æstimabatur, unde ipsi tanta adornabatur pompa, ut tota Hollandia nimis diffluere exultationibus videretur. Quoquo se vertebat tunc redux, nil nisi plenis vocibus sibi obviam gratulationes vulgi audiebat, quasi summus ex hac fortuna dicendus esset patriæ patronus, ut tædium ipse inde caperet.

Exercent se autem hodie passimq; civitatum filii, qui generosiores præ aliis cupiunt dicier, in hoc studii genere. Præsertim ita animosos reddunt eos emporia illustriora, quæ hodie nuspiam meliora in mundo, quam in Hollandia inveniuntur, velsi saltem unicum respiciatur & consideretur Amstelredamum, quod adeo paucis in hanc sublimitatem vigore commerciorum excrevit, ut nuspiam negotiantium auctoritas gratior splendescat.

Ex quo Antvverpia decrescere cœpit, vires suas inde adsumpsit Amstelæ hæc urbs dignissima, quæ inde quasi dictatrix omni in emporiorum se extulit. Etenim tempore ducis Albani, quum ex eius sævitia tantus concitatus esset metus præ aliis præcipue Antvverpiensibus, factum est, ut una vice 19000. homines inde in Hollandiam concesserint & maxime Amstelrodamum: Unde nitidissima illa non tantum Brabantiæ sed etiam ferme totius Europæ urbs Antvverpia omni fortunæ prosperitate exuta & privata est misere: dum opes huc omnes cũ industria omni ingeniorum commigrare viderentur. ut vix hoc vel unico exemplo pateat, quantum vis insolentior sibimet ipsi sæpius damno sit, velut Horat. air, vis consilii expers mole ruit sua.

Alias etenim, ante hanc insignem mutationis concussionem, nullum emporium inter Hanseaticas civitates æque clarum ob ubertatem commerciorum & omnium gentium concursum in negotiationibus gessit, velut hæc Antvverpia, sive Andoverpiam dicere mavelis. Cuius nominis rationem & notationem alii diversam faciunt. Sunt enim, qui urbem hanc sic ex Julii Cæsaris descriptione à populis Ambivaritis, quibus locorum habitarint, dictam esse volunt: Alii, quod ob Scaldis fluvii commoditatem externorum frequentia claruerit maxime, ab appulsu navium Aenvvelpen, nuncupatum contendunt, quod etiam dictam ob rationem commerciorum non incongruum appareret nomen. Omnis enim huc confluebant generis negotiatores, quum optimus haberetur portus, & mercibus accommodatissimus advehendis. Quæ potissimum accelerit abundantia rerum, quum Hanseaticæ civitates Brugas relinquerent, ob insolentiam superius dictam, & heic conthorium suum principale constituerent, velut adhuc magnificum illud palatium Hanseæ Teutonicæ quod Het klein Oosterle Huys vocant, testatur. Nuspiam etiam commercii universalis tutiorem rationem adservari posse putarunt omnes, ob loci securitatem, quum minus hæc urbs aliorum regimini esset subjecta, & singularibus præ cæteris gauderet privilegiis, quasi sua satis sibi subsistere valeret potentia & virtute. Verum quum statim sub primo ferme adventu suo Dux Albanus Anno 1567. Castellum urbi huic imponeret nova & supra modum forti obvallatione munitum, & res non careret gravissimi suspicione periculi, hominum cogitationes quoq; aliam mutationem sumere inceperunt. Fundamentum huius castelli sive arcis 27. Octobr. An. 1567. dicto ex iussu Albani jactum est, & magnificentissime spacio unius anni tota hæc moles ad finem perducta, ut sumptuũ summam ultra 500000. coronatos aureos excurrere dicunt, quos soli cives in contributionem hanc elargiti sunt in honorem regis & novi tunc regentis, quum putarent, se & totam urbem eo facilius sic à milite præsidario liberari posse, ne onus hoc grave diutius perferre cogerentur.

Sed quum se postea in opinione sua admodum defraudatos deprehenderent, nimis sero hac pœnitentia ducti sunt; ceu Phrygum olim talis fuit sapientia misera, ut est in proverbio. Scribunt autem urbem hanc in circuitu 5. milliaribus Italicis conti-

neri,& sic 13500. ædibus privatis, fat splendide pro more regionis exstructam haberi, quum metiendo ab ortu & porta rubra, versus occasum & ipsum flumen Scaldim ultra 700. passus geometricos se extendat, quamvis formam nonnihil incurvatam ad Lunæ modum pro fluminis cursu repræsentet.

Fuit hæc Antwerpia jam olim urbs Imperialis: nec Imperialis tantum; sed etiam Marchionatus S.Imperii Caput. Aclicet Dux Brabantiæ Johan.2. immunitatis partem anno 1300. illi subducere ob discordias inter se ortas conatus fuerit:tamē Imperator Henricus 7. è familia Lucemburgica Anno 1309. plene eam restituit. Duo & quadraginta in ea jam conspiciuntur templa; fora 22.numerantur que 220. plateæ, quibus per totam urbem patent viæ: muris præaltis admodum fabrefactis undique circumdata. Alluit eam ab una parte oblonga Scaldis quidem; tamen sunt 8. præcipui sinus sive canales ex ipso flumine maxime in usum commerciorum per urbem deducti ac derivati, per quos naves vectoriæ & onerariæ subeunt: velut & horum sinuum maximus est is, qui in urbe nova iuxta magnificum Hansæ Teutonicæ palatium factus est eius capacitatis, ut vel 100. vectoriæ naves satis commode in eo stabulari queant. Fossæ autem hæ una cum aliis aliquot canaliculis, urbem varie perlabentibus, plusquam 74. pontibus suppositæ sunt, quibus viæ coniunguntur publicæ.

Inter ædificia autem publica potissimum splendent & primatias sibi vendicant partes Templum B. Virginis, Curia basilice ædificata, & Bursa, ubi conventus mercatorum celebratur; velut conspicuæ sunt ædes Hansæ Teutonicæ, & aula Litensis mercimoniis Anglicanis destinata, ubi simul aliæ merces per terram advectæ deponuntur & recipiuntur.

De regimine urbis, non attinet jam multa inserere. Constat quidem Magistratus solito more & consulibus, senatoribus, aliisque officiariis; sed in caussis Iustitiæ tam civilibus quam criminalibus regio nomine ipsi adsunt duo vicarii, quorum alter, qui Jurisdictionem meri & mixti Imperii in criminalibus exercet, Schultetus sive vulgariter Schaut, quod Germanis superioribus est Schulze, vocatur, ac quatenus etiam in Marchionatum sibi additum Rienensem eiusque subditos administrationem Regiæ iustitiæ tenet, ex munere hoc Marggravius simul vocatur.

Alter vicarius rerum civilium dicitur in Belgica locutione den Amman/ ac sedet pro tribunali loco & diebus ad hoc destinatis: caussæ quidem civiles coram eo aguntur, sed nec minus ejus muneris est, ut exhortetur & interpellet magistratum pro Iure reddendo; reorum autem impensis fert sententias, quas ipse quoque postea exequitur vi auctoritatis & potentiæ talis.

Creatio huius magistratus civitatensis fit quotannis in mense Majo, coram aulicis Commissariis, quibus & ratio proventuum ac redituum redditur, & quæ fuerit contributio impositioque rerum. In tres tonnas auri talia excurrere annuatim, fertur. Amstelredamum autem urbs, quæ ex hac colonias quasi suas fovet, de talibus nil novit oneribus libertatem imminuentibus; unde & similiter convenienti sibi floret pleni regiminis facie, ut nunc omnibus Europæ imo & ferme totius orbis emporiis eminentiam præripiat, & in commerciorum potissimum usu vendicet.

Sunt aliæ plures urbes satis, quæ omnes fere negotiationes, multis nationibus perutiles ad se pertrahunt, unde pro emporiis vulgo habentur; Eiusmodi sunt in Oriente Malacca & Ormus: in mari Mediterraneo, Alexandria, Constantinopolis, Messina, Genua: in mari Septentrionali, dicta jam Antverpia, Londinū, Hamburgum: in Balthico mari, Dantiscum, Riga, Lubecca: in Germania, Francofurtum ad Mœnum, Nottnberga, &c. In his aliisque pluribus multi opulentissimi mercatores sua commercia exercent, & emporia constituunt; quo finitimi se deinde conferunt, tam quod ibi cuncta venalia prostent, quam quod vectura commoda habeant: Sed hæc tanti momenti non sunt, ut Amstelrodamēsibus sufficiant, velut & in totū enavigāt mundum, & omnes ferme terræ tractus circumvelitant, ne quid pene relinquatur, quod non ab iis tentatum sit. Vel unica ea navigatio, quam tertia vice ferme sub polo Arctico versus Indiam Orientalem subierunt, satis hoc possit attestari, quid illi inausum sinant, si quid cernunt, quod utui commerciorum proprio illis inserviat: In quo desudant noctes diesque. Velut & nobiles societates, quas Compagnias Orientalis & Occidentalis Indię, Oost Indianische, ende West-Indische Compagnien vocant, miram ingenitis incolis animositatem gignunt & addunt, ut nemo non cupidissimus ferme sit, qui patriæ hanc communem operam omni ope navare recuset: imo quisque laudi sibi ducit, si in hoc conatu alias possit excellere nationes.

Unde & reliquarum passim ferme gentium hoc fertur commune de Hollandis proverbium; si quis eorum uspiam perveniat, quod gratia aliis cum spe meliori concidat. Adeo nil parcunt laboris, & astutia simul in humilitate blanda prævalent. Nonne & in westindia sive Brasilia tot nobiles superioribus annis occuparunt portus, & incolarum animos præ Hispanis sibi conciliarunt. Pharnambuco jam illis tota cessit. Uti & alii sunt portus locorumque situs commodi, quos non sine sumptu & impensis ambiunt. Proinde Antverpiensibus animus iste redire vix poterit, ut ad meliorem multo minus pristinam conditionem & statum revertantur. Quanta autem in censura antehac fuerint Jul. Cæs. Scalig. epigramma hoc satis declarat, ubi ita ponit:

Oppida quot spectant oculo me torva sinistro,
Tot nos invidia pallida tela petunt.
Lugdunum omnigenum est, operosa Lutetia, Roma
Ingens, res Venetum magna, Tolosa potens:
Omnigenæ merces, artes priscæq; novaq;,
Quorum in sunt aliis singula, cuncta mihi.

Sed vix urbs quædam aut oppidū est, quod propterea torvo te adspiciat vultu, ô nobilis Antwerpia, quum tuæ facultates cum artibus suis & ingeniis in Hollandiam transvolarint, ut ibi & singula & cuncta talia in pleniori copia invenantur. Sic & arte hac satis provida prævalent ibi homines. Rex Daniæ quoque ante annos aliquot naves 3. in Indiā orien-

orientalem mittebat, exploraturus, quid in cõmerciis his lucro cedere posſit. Sed reverſi quum eſſent ex tam longi itineris ſpacio poſt paucos annos; Piperis copiam nou potuit ad iuſtum venditionis precium detorquere, niſi mercatores Amſtelrodamenſes cum Reg. M. eius mercaturam ſuam permutaſſent. Longe ita ſubtiliot eſt ratio eiuſmodi commerciorum, quam facile quis cenſeat. Sic & inter ſeſe vigent civitates Hollandiæ, ut merito heic ſimul Encomia aliquot ſequentium, à Caſparo Barlæo Poetarum illic optimo condita, ſubnectamus, quæ ita ſe habent.

ENCOMIA
Urbium præcipuarum
HOLLANDIÆ.

DORDRECHTUM.

AMe Battavicus ſuffragia prima ſenatus,
Conſiliique petit provida verba ſuis.
Quondam merſa mari mediis emergere nitor
Fluctibus, & ſiccos Veſta reducit agros.
Neptunus cedit Cereri, fluitantia Fauno
Numina, & æquoreus ſit minor uſque Deus.
Merva meis miſcetur aquis: hoc Linga profundo
Labitur & Vahalis flumina Moſa bibit.
Huc Tongri merces & ferri munera mittunt,
Et Nemeis plenis muſtea vina cadis.
Pomifer Autumnus mediam tranſmigrat in urbẽ
Vaſtaque Eburonum marmora caſa Iugis.
Quiſque ſuas largitur opes, & dona miniſtrans
Diſtrahit Imperio munera tanta meo.
Virgo vocor quondam furiis illæſa Brabantum
Solaque libertas, mœnibus hiſce ſtetit.
Tunc Batavas inter vigui non victa ſorores,
Vnaque dum manſi libera, prima loquor.

HARLEMUM.

Victa Pharos, fractique obices & vincula Nili
Et Peluſiaco littore fixa ratis.
Serratique mihi recitant encomia dentes,
Et procul externo ſidere ſurgit honos.
Invidet excuſas populoſa Moguntia Muſas
Quodque meum eſt laudis iactitat eſſe ſua.
In me alium ſolers Batavus miratur Apellem
Pictaque Parrhaſia ſubdola vela manu.
Inventis arguta meis accedit Arachne,
Dædaleoque ſuum pollice texit opus.
Arma Toletani ſenſi crudelia Martis,
Incubuitque meis civibus atra fames.
Nec ſatis eſt pugnaſſe viros, his maſcula portis
Pro patria mulier ſtat cataphracta ſua.
At fruſtra me Delpha iuvas, ſum præda Philippo
Barbaricus victa miles in urbe furit.
Hæc didici voluique pati. Nunc adſpicis hoſpes
Tempora fortunæ proſperiora meæ.
Hic mihi vicina Nereus admurmurat unda,
Et propius colles tollit arena ſuos.
Illic umbroſis ſe condit Delia lucis,
Explicat & latas arbor opaca comas.
Diviſam me Sparta ſecat, qui laxior undà
Fit lacus, & vaſtis luxuriatur aquis.
Arridet natura foris, ſed doctior in me
Æmula naturæ crebra reperta manus.

DELPHI in Batavis.

Non ego fatidicis oracula ſuggero Delphis
Aut mea falſiloquus mœnia Phœbus habet.
Æthereï reſponſa patris do civibus, & me
Religio, Graium non beat iſte furor.
Infelix rapidis flagravi tota favillis
Cum rogus, & ſimplex nil niſi flamma forem.
Condiderat tantos ſecura oblivio caſus
Cum patria media concidit urbe pater.
Quid rides Hiſpane? tui quoque nominis umbrã
Cernimus, atque iſta cæde Philippe cadis.
Venales animas in mortem inſontis acerbas
Venditur at precio regia fama ſuo.
Nunc tu Belga duos uno ſub Marmore Martes
Adſpice, Naſſovia nomina magna domus.
Mauritium, Patremque duces: hæc numina ſenſit,
Et tutelares terra Batava Deos.
Sed magis Henricum fuerit genuiſſe. quid horres,
Cantaber? en patrii funeris ultor adeſt.

LUGDUNUM.

Crevit ab Auſoniis olim mihi fama triumphis
Et victrix de me præmia Roma tulit.
Reddidit ereptos fugiens Hiſpanus honores
Dum pro me totus militat Oceanus.
In me terra tamen, querulos diſcordia cives,
Et falces acuit Mors furibunda ſuos.
Vix nocuit ſecurus Iber, quas ſtruxerat arces
Deſerit, & pavidos excipit unda pedes.
Dum patriæ pars magna perit, conſervor ab illa,
Totaque ne pereat ſic periiſſe cupit.
Nunc mihi Apollineos meruit ſors iſta receſſus
Martiaque in bellis mœnia Phœbus habet.
Præ lituis pax alma placet; præmilite Pallas,
Linguaque Romanos aptare ferre modos.
Sit bellum ſenſiſſe ſatis. Iam prælia dicto
Et mea facundis vocibus arma lego.
At mihi plus debet pietas: dum pellitur Exul
Flandria, & hoc gaudet vivere tuta ſinu.
Hoſpitium cum dem profugis, atque otia Muſis
Vis dici doctam me magis, anne piam?

AMSTELODAMUM.

Vrbs ſpacioſa, potens opibus, tectiſque ſuperba,
Viribus invidiam, crimina lege domat,
Civibus aucta novis nunquam ſtat finibus iiſdem
Latius expanſis mœnibus hoſpes abit.
Invertas ſit tota nemus, quo condita fundo eſt
Nuper Hyperboreo pinus in orbe fuit.
Quicquid mortalis fingit ſolertia curæ
Vel natura ſuo parturit alma ſinu.
Illa dabit, totoq; parans commercia mundo,
Nunc emere & totam vendere ſemet, amat.

Has adfert, has trudit opes. Sic lucra parantur.
Quid valeat fraus, fors, ars, mare, terra docet.
Moschus, Arabs, Persa, Maurus, Iudaus, uterque
Quod ferat huc rursus, auferat Indus habet.
Hanc dū mundus adit mūdumq; hac ipsa pererrat
Non urbs fixa loco, sed vagus orbis erit.

GOUDA.

Ista si cedat Vahali Rhenusque bicornis
Hac quoque nata suis flumina iactet aquis.
Attamen hunc tectis exornat Gouda superbis
Lata situ, studiis æmula, clara viris.
Hinc natura ferox, illinc concordia cives
Nec sinit aut inopes, aut nocuisse malos.
Templa parat spaciosa Deo: nec quilibet illi
Horrendi culpam criminis error habet.
Bella premant alias, hac est securior, urbes,
Nec placidos turbant tympana rauca lares.
Exulat Odrysius, litui, Bellona, triumphi:
Religio, probitas, pax sociata manet.

ROTTERDAMUM.

Inclyta veliferus pulsat mea mœnia Mosa
Parte alia placidis Rottera lambit aquis.
Occiduum late commercia porto per orbem,
Gallia quas poscit, quasque Britannus opes.
Hic meus Ausonii vindex sermonis Erasmus
Vagiit, & cunis abdidit ora suis.
Mæoniden iactet Colophon, Verona Catullum:
Sufficit ad laudes hunc genuisse meas.
Nunc tantum fragili veneror sub marmore numē
Dum silet in medio lingua diserta foro.
Quem genui, Basilea tegit. Sapientia fatis
Eximit, & cineri vult superesse suo.
Me timet Hispanus, timuit grex barbarus ipsum,
Ille meis victus Classibus, hic Calamo.

GORICHEMUM.

Adspicit invictis hanc cinctam mœnibus urbem
Quem Vahalis, vel quē flumine Linga vehis.
Adspicit Hesperiis qua propugnacula bellis:
Quam fremat excussis machina crebra pilis.
Adspicit adverso quantum se opponat Ibero
Invigiletque suis Martia dextra focis.
Sic didicit bellare sibi, nec milite solum
Tuta, sed ipsa suis civibus esse cupit.
Erkeliis quondam submisit sceptra Dynastis,
Hæc quoque iam damnans nomina tota sua est.
Cur toties Batavum depingis Belga leonem?
Qui patriam custos asserit, iste Leo est.

BRIELA.

Adspice vicinam nostro de littore Thetyn
Hic ubi Mosa suis laxior exit aquis.
Briela vocor, fessis statio secura carinis,
Nunc quoque Vorniaci gloria prima soli.
Naiades hinc, illinc agrestia numina Fauni
Et fecunda meos spectat Eleusis agros.
Albano surrepta duci crudelia sprevi
Imperia, & fasces Batava terra tuos.
Aprilis latas fastis inscribe Calendas
Belga, nec hoc optas non superasse diu.
Scilicet illa dies qua me vicere Batavi
Ulterius vinci noluit Auriacum.

ALCMARIA.

Tota paludosis Alcmaria surgit in undis,
Pulchraque Verona depereunte, nitet.
Ne Latium præfer Batas, aut Thessala Tempe
Gracia, vel campos Brixia terra tuos.
Proxima Nereidum spumantes adspicit undas
Proximaque umbrosas spectat Hamadryadas.
Serica Sidoniis decurrant stamina portis
Hic lassant Batavas linea fila manus.
Quæque tegant nudos velamina sufficit artus
Et memores primi nos cupit esse mali.
Hesperios sprevit bellis infracta furores
Baticaque affusis castra fugavit aquis.
Pugnavere viri. Sed & hic (spectastis Iberi)
Fœmina pugnanti porrigit arma viro.

HORNA.

Fortia, cantatus quondam mea mœnia Flevus
Alluit, & portus verberat unda meos.
Æmula me vultu spectas Enchusa siniſtro
Et causam litis me cupis esse tuæ.
Accipe placatas æterno fœdere dextras
Dum pereat junctis viribus hostis Iber.
En tecum commune salum, commune profundum
Navigo, & in mediis pabula sector aquis.
Iam mea Cimbrorum redimunt commercia terra
Fataque Gothorum carbasa portus habet.
Nunc onerat nostras pelagi captura carinas
Terrenosque fovet præda marina Deos.
Me ferit & ladit: me servat ab hostibus aquor:
Sic servastis aquæ: sic nocuistis aquæ.

ENCHUSA.

Arcta, frequensq; domus nomē mihi fecit & urbē
Primaque contempta tecta dedere casæ.
Navita me iactat pelago, mea rura colonus
Laudat, & hinc terra claudimur, inde mari.
Abscidit adversas à nostro littore gentes
Et Frisios mediis dividit æstus aquis.
Albani sprevi furias, nec victa tyranno
Oceani proles intemerata fleti.
Pandit vasta meis Neptunus regna carinis
Et procul à patria sedibus, exul eo.
Quæro foris, quæ parca domi natura negavit,
Quæque domi tribuit plurima, porto foras.
Belga tuos mirare deos, dum munera mundo
Dividis, ex alio sidere plura refers.

ANTWERPIA PET. LINDEBERGII.

Si superi vellent imis mutare superna
Vix alia toto dignior orbe foret
Magna loco est, generosa situ, placidissima cœli
Temperie, muris ferrea, merce potens.
Cunctaque quæ cupiunt mortales possidet ipsa,
Absit illis cunctis, pace, beata, carex.

Conclusio operis.

DUm vero in fine huius intentionis de usu libero navigationis, & de ejus mutatione,

tione, in commerciis nonnihil damni patientibus, si nimia opum vis homines utplurimum in superbam animi elationem detrudat, agimus; non inconveniens erit, ex ejusdem Casp. Barlæi encomio, Petro Heinsio inscripto tunc, quum adeo dives onustus spoliis revertereturin Bataviam suam, cujus titulus ipsi quoque est Argo-Batava, pauca huc transferre, quæ de navigationis usu artificiose disserit; sic dicens.

Credite posteritas: quæ vix trepidãtibus olim
Principibus parva poterat se sede tueri
Terra, procul missis diffundit jura Colonis,
Et cunctis quatit arma locis, nec limite certo
Omne audet calcare solũ. Vagus advena mundi
Hac habitat tellure salo nutritus & undis,
Partiturq; suos Nerei cum conjuge fasces.
In ratibus vis summa ducũ est, sceptrũq; gerẽtes
Robur habẽt. Parvæ ratibus crevistis Athena,
Totaq; se fluidis defendit Gracia lignis,
Vecta mari magno. Cur vertice proxima cœlo
Alta Tyrus, Sidonq; fuit: potuere carina
Imperio monstrare viam, dũ navigat ingens
Carthago, trabibusq; natat, dat jussa Sagũtho,
Gadibus & Libycis Trinacria parvit armis.
Tuq; adeo nunquam Superis tam visa fuisses
Roma potens, Latiis nisi formidata carinis
Ostia barbaricos aquilas misisset in Afros,
Aut Pelusiaci bellacia littora Nili.
Nec Batavus virtute minor jam clarior exit
Gentibus: & quovis armat sub sydere puppes.

Non minus elegans est hæc locutio poetica, quã ut etiã indicet, quid usus accuratus nauticæ secũ importet, in quo hac vice jam acquiescimus. Possemus heic quidem plura de Bruggis Flandriæ & reliquis principalibus conthoriis Hanseæ nostræ subnectere; sed quũ temporis commoditate jã excludamur, & alię occupationes me distractũ teneant; quæ ita nobis restant, alteri operi, quod cum Deo sequetur, reservabimus, uti supra in fine partis quartæ indicatũ est. Interim hęc omnia in solius Dei gloriam unice ut redundent ex toto corde precamur: ac ut nil fiat absque Dei nutu, vota pauca Davidica subiicere his conatibus nos addecet.

JEHOVA SALUS MEA.

VElut autem unicum omnimode hominis in hunc mundum creati officium est, in dilectione sancta erga Deum, & charitate solida erga proximũ vivere; ita quoq; finis uniuscuiusq; mortalium in solam Dei gloriam revertatur. ὅπως ἔυχῃ χυεμαχὰ λαλεῖ. ὅτι ἔστι ἡ βασιλεία σὲ καὶ ἡ δύναμις καὶ ἡ δόξα εἰς τὰς αἰῶνας τῶν αἰώνων, Amen.

Proinde cum gratiarum actione debita, Majestas
Dei in Misericordia & veritate eius ita sit
æterna, & floreat perpetim;

Iuxta Psal. 111. Paraphr.

1. *EX toto Ihova persolvo pectore grates,*
In concilio cœtuq; piorum
Ardenter omne prædicans.
2. *Grãdia sunt Ihovæ, sũt facta stupenda notãti,*
In concilio cœtuq; piorum
Ardenter omne prædicans.
3. *Magnifice constat, nec non laudabile semper,*
Quod cunq; facit, juriq; vigorem
Sui perennat fortiter.
4. *Admirandorum nobis monumenta suorum*
Erexit, clemens, atq; benigni
Ille est Iehova Numinis.
5. *Largiter indulget sua cuiq; alimenta dapesq;:*
Hunc qui timet, æternumq; tenacem
Se præstat tĩti fœderis.
6. *Excelsa ille suo curat sua facta reponi*
Populo, cunctos ut munere donet
Hæreditatis gentium.
7. *Quod solidãte manu Plasmator fingit, id omne*
Verum justumq; est, cunctaq; servat
Eius statuta veritas.
8. *Æternũ siquidẽ servantur, & omne per ævũ*
Firma atq; fideliter integra semper
Explentur absq; flexibus.
9. *Cœlitus ille suos redimit, promittit & idem*
Mansurum in sęcula fœdus, ut audit
Sanctus tremendo Nomine.
10. *Principiũ Sophiæ vera timor ecce Iehovæ est,*
Huius bene qui vestigia servat,
Se laude tollit perpete.

Vel idem alibi I. C.

1. *Ex corde toto solvere debitas*
Grates Iehova tempore quolibet
Conabor, in communione
Consilioq; pio proborum.
2. *Sunt facta Ihovæ magnifice inclutas*
Consideranti talia, gaudio
Huic unice sunt, invenitq;
Nil nisi latitias in illis.
3. *Laus, pulchritudo, gloria fabricam*
Illius ornant perpetuo, senor
Eiusque, per sæcla æviterna
Iustitia manet, est & idem.
4. *Hæc summa rerum, limes is omnium*
Miraculorum, quæ bonus edidit,
Ut gratia quivis bonorum
Sentiat inde sua favorem.
5. *Largitur escam cælitus omnibus,*
Qui numen eius corde pio colunt,
Sui; nec verbi vel ipse
Fœderis immemor extat unquã.
6. *Formidolosa robora dextera*
Annunciari præcipit, & jubet
Genti sua, possessionem
Cuilibet ut bonitate firmet.
7. *Quicquid suarum sub manuum sacro*
Labore præstat, iustitia viget
Et veritatis semper usu,
Legibus est q; eadem facultas.

Qua-

8. *Quacunq; nutu deſuper imperat*
Sunt pura curis juſſa fidelibus
Manſura ſemper, nec fugacis
Canitiem patientur ævi.
9. *Redemptionem dum populo ſuo*
Mittit perennem, nec revocat ſua
Promiſſionis pacta, verbi
Propoſitique tenax ubiq;.
10. *Sanctum & tremendum nomen amabilis*
Eſt conditoris. Sed ſapientiæ,
Addiſce tellus, eſſe verum
Principium timuiſſe Ihovam.
Hæc una mentes regula dirigit,
Quæ rite pollent perſpicientia:
Hinc fama nullis ſeculorum
Exoritur fugitura pennis.

Hinc

Admiranda Creatoris facta in Creaturis apparent, ex quibus eum ſyncere diligere & coditie celebrare nos oportet; quando. quidem omnia in hominis commodum ſic & non aliter ſunt creata.

Pſal. 104. Paraphr.

1. *Surge mea mentis tandem vis viva canēdo*
Laudes in ſummum meditare Deumq; Patremque;
Talia dic quibus hic reſonet plāgoribus æther:
Mi Deus o Iehova parens rerumq; ſupreme
Numinis ecce tui majeſtas quanta refulget?
Pulcro magnificum te tegmine gloria velat
Ornatuq; tuo ſceptri ſplendore coruſcas.
2. *Te cœli artificem terræq; mariq; profundi,*
Fulgentis ſplendor velamine lucis amicit;
Tu pandis cœlum ceu carbaſa fluxa cavatum.
3. *Suſpendis lymphas cœli fulcimine nullo,*
Sub quib. ingredimur, veluti ſub fornice curvo:
Nubibus accinctus veheris, velut alite curru,
Ventorumque poli per inania volveris alis.
4. *Angelicam turbam facis, ut ſub imagine vēti*
Aſſent, & flamma veluti vis clara coruſcent,
5. *Infeſtam terra molem fundamine firmo*
Fixiſti, ſedem nunquam nec ſede movebis;
Sed qua ſede ſedet per ſecula cuncta ſedebit.
6. *Tu terrā obvolvis maris hinc atq; inde procellis*
Horriſonis, veluti firmato tegmine cinctam,
Undarū & vis magna poli ſub nubibus errat,
Præterit & ſiccos viſu mirabile montes.
7. *At ſimul increpuit tua vox & nube reſultans*
Murmure terribili tonitru per inania cæli
Extemplo nubes motu tremulāte paveſcunt,
Ingq; cavas valles violento flumine lympha
Deſcendūt, fugiuntq; Deum ſine fine regētem.
8. *Ex montes condunt capita inter nubila cæli;*
Aſt valles humiles tractu inferiore recūbunt.
Unumquodq; ſuam ſedem, quam rite dediſti,
Occupat, & nunquam propria de ſede receſſit.
9. *Nec tellus iterum pelagi flagraret abunda,*
Limes ei poſitus, cuius tranſcendere metas
Nūquā cōceſſū eſt, manet intra limina cōſtans.
10. *Decurrant inter ſaxoſas flumina valles,*
Efficis, unde fluunt paſſim cū murmure ranco,
Fontibus irriguis ſiccos inaquantia campos,
11. *Hinc bibit in pratis pecus omne virētib. errans*
Cumq; onagris potant animalia cætera cāpi.
12. *Hæc propter volucres findentes æra pennis*
Cantant, aeria viridante ſub arboris umbra,
Argutoque docent ſylvas reſonare ſonore.
13. *Tu montes, camposq; rigas humore carentes*
Imbribus irriguis cæli de nube relapſis,
Vt gererent gravidos fœcūdo ſemine fructus.
14. *Tu facis, ut campus jumentis proferat eſcam,*
Graminis ut pecudes viridātia gramina carpāt:
Tu facis, ut flavam ſegetem det terra novata
Vomere curvato, ut panes homo cōparet inde.
15. *Tu facis, ut tellus generoſi munera fundat*
Vini, triſtitias animi quod corde repellit,
Suggeris & faciem qua pingit, munus oliva,
Daſq; homini panē firmantē robore pectus.
16. *Arboribus præbes ſucci genitabilis alti*
Frondibus humorem vitalem munere largus,
Tu per odorati Libani juga tollis ad aſtra
Celſa poli cedrum magnam ſemperq; virētem:
Quin tibi ſuccreſcūt frōdes ſine ſemine jacto,
Numinis ut tova quas procreat alma poteſtas,
Nil valet hic hominū ſtudiū, nil provida cura.
17. *Hic ſub frōde ſua umbrifera gēs, obſita pennis*
Alituum miro fingit, cunasq; domosq;,
Apta fretis abies hic ſurgit fronde virenti,
Inviſi colubri fœtus nutritq; pelargi:
18. *Ruptibus in celſis concuſſa timore moratur*
Damula, ſed tacitas fodit in tellure latebras
Quas tutus veluti ſua tecta cuniculus intrat.
19. *Tu facis ut Phœbe diverſis curſibus annum*
Dirigat, atq; eius numeret certo ordine mēſes,
Quando vel vultū tegit & vel cornua pādit,
Vel tota vultus rutilantis lampade mundum
Luſtrat, vel tacito curſu mox ſurripit illum.
20. *Tuq; homines facis, ut noctu toto ore ſoporem*
Infuſum profleni curis operisq; ſoluti:
At contra tacitis ſylvarum abſcondita dumis
Belua prorepit, prædamq; inquirit opimam,
Suadet enim veſana fames eſcaq; cupido.
21. *Horrendusq; Leo prædas clamore tremendo*
Inſequitur, ſedare famem quo poſſit anhelam,
Ate, Magne Deus, ſua pabula grata repoſcens.
22. *Aſt ubi nocturnas linquens aurora tenebras,*
Gurgite mane, ſua & colluſtrat lāpade terras,
Occultas remeant ſylvarum turba latebras.
23. *Conſuetos at homo repetit ſudore labores*
Invertit graves curvato vomere terras,
Donec equos feſſos ſol tingit in æquore ponti.

14. Ma-

24. *Magne Deus sũt quãta tuæ facta omnia dextræ*
Et quam multa? Eadem numero quis prẽdere possit?
Proditur his miranda tuæ prudentia mentis
Ordine quod prudens posuisti singula pulcro
Muneribus facunda tuis hæc terra redundat,
Immensaq; tuæ bonitatis prodit honorem.
25. *Æquora quin ponti varias lambentia terras*
Undis rauci sonis tumido sub gurgite nutrit,
Innumeris numeris mutos magno agmine pisces,
Quos videas hinc inde maris per stagna vagantes
Magnos immixtos parvis, absq; ordine certo
Pinnarum passim celeri cursare rotatu.
26. *Hic monstretur iter rostratis navibus amplũ,*
Grandia quas circum cete nant verbere cauda
Sub vitreo mire ludentia murmure ponti,
Quando ore excipiunt latices, haud monte minores,
Quos mox elato spirantes nare remittunt.
Fit sonus & maris unda crepat conspergine tanta,
27. *Te genus omne hominum in terris, pecudumque per orbem,*
Et quod pinnarum cursu secat æquora ponti,
Respicit exspectans victus quos tempore iusto
Suppeditas, queis esuriemq; sitimq; relaxant.
28. *Te pandente manum largo qua munere dives,*
Collegere sua vita qua postulat usus,
Et malesuada fames epulis sedatur opimis.
29. *Te contra vultus faciem avertente sereni,*
Cunctorum trepido pectus mox omne tumultu
Concutitur, graditurq; metu, vox facibus hæret.
Inspiratam animam te sustollente peribunt,
In cineremq; resolventur pro vermibus esca.
30. *At quando aura tuo genitabilis ore resultat,*
Mox generata viget prolis generosa propago,
Quæ sobolis complet melioris origine mundũ.
31. *Iehova Deus, tua venturi sit nescia finis*
Gloria, te meritis celebratum laudibus orbis
Auctorem delectet opus: formidine magna
32. *Terra supercilio cuius tremefacta dehiscit,*
Et tacti metuunt ultrici fulmine montes,
Exhalantq; iugo piceos trepidante vapores.
33. *Hunc ego voce canam fuerit dũ vita superstes,*
Argutasq; Deo percurram pollice chordas:
34. *Qui si percipiat vultu mea vota sereno,*
In Domino mihi sumetur perfecta voluptas.
35. *Intereant tota penitus tellure nocentes,*
Impietas vasto scelerata nec orbe supersit.
Tuq; adeo ad laudes, anima accingare canẽdas;
Et mecum, ô socij, Dominũ celebrate faventes:
Is sit principium, sit finis carminis omnis.

Mala lucra, damnis æqualia.
Psal. 49. Paraphr.

1. *Audite, ò populi undiquaq; cuncti;*
Huc advertite singuli, quot estis,
Hoc vivitis q; seculo.
2. *Seu de stirpe humili creatus extes,*
Seu nomine floreas herili,
Et divites, & pauperes.
3. *Os meum sapientiam loquetur,*
Cordis deque penu mei eruditam
Iam proferam prudentiam.
4. *Quin & aurea dogmata audiemus,*
Ac dulci modulo lyra sonantis
Carmen canemus optimum.
5. *Quid signis trepidem malis diebus,*
Dum me nequitiæ obsuisse gaudent
Nefarij molimine?
6. *Qui spem divitiis fovent potentem;*
Congestisque bonis, superbiendo,
Non desinunt se credere.
7. *Fratrem non redimet tamen suum ullus,*
Nec reconciliare quem Iehovæ
Preci valebit pondere.
8. *Nimis namque animæ redemptio omnis*
Res cara est, minus hoc ut arte possit
In æviternum consequi.
9. *Nec refert, licet heic diu supersit*
Vivendo, propiusve nec sepulchrì
Videas latebras abditi.
10. *Namque lex sapientibus stat aqua*
Cum stultis, fatuisque, mortis omnes,
Bonis relictis, transeunt.
11. *Hæc est summa cuiqui cura cordis,*
Quod sumptu valeant domos superbo
Nunquam ruendas condere.
Quod ædes quasi seculis beare
Pergant, & sibi gloriam perennis
Fingant in orbe nominis.
12. *Hæc in luce tamen manere honoris*
Non possunt; sed uti pecus caducum
In vanitate corruunt.
13. *Meram stultitiam sapit, quod actis*
Produnt, & tamen id minus verentur
Laudare eorum posteri.
14. *Illi sicut oves jacent in imis*
Tartari tenebris, vorando rodit
Hos atra mors; at probi
Illos imperio statim retundent,
Quos perire ita oportet, ut sub orco
Parata iis est mansio.
15. *Ast Iehova animam meam extrahendo*
Orci ex faucibus usque liberabit:
Me namque suscepit bonus.
16. *Nil te commoveat quod alter auri*
Surgat divitiis; domus quod ejus
Succrescat alta dignitas.
17. *Nam secum nihil auferet peremptus*
Vi justa necis, uspiam nec ulla
Illum sequetur gloria.

18. *Sed vitæ ſaturatur huius aura*
Dulci, & pradicat hoc, dies palato
Si mollicellos comparet.
19. *Sic mox intereunt ſuos ſecuti*
Patres, tempore luminis nec ullo
Captant videndo gratiam.
20. *Mox, dum plenus honore homo vigeſcit,*
Et caret ſapientiæ timore,
Statim perit ceu beſtia.

Veram vitę rectitudinem à ſuis mortalibus Iehova ſevere expetit ipſe.

Paraph. Pſal. 50.

1. *IEhova, qui potenter exponit Deus*
Verbi ſui vigorem,
Vocatque mundum ſolis orti à cardine
Ad occidentis oras.
2. *Derupe pulcher proſilit Zionica,*
Splendor micans Iehova.
3. *Iehova noſter advenit, nec, ceu prius,*
Tacet, ſed antecedit
Ignis vorax hunc, atque tempeſtas ruens
Sonora lambit eundem.
4. *Cœlumque terramque citat, ut genti ſuæ*
Ius dictet ad tribunal.
5. *Huc convocate mi meos ſanctos quibus*
Plus fœdus atque thus ſit.
6. *Et Iura cœli nunciabunt illius;*
Namque eſt Iehova Iudex.
7. *O gens mea audi; perfer, hoc me proloqui,*
Proles ô Iſraelis;
Mea, en, tibi iam pando Teſtimonia:
Tuus Iehova ego ſum.
8. *Non arguo te victimas propter tuas,*
Quæ ſemper heic cremantur.
9. *Non ex tuis poſcam iuvencos ædibus,*
Stabulis tuis nec hædos.
10. *Quot namque ſylvis continentur beſtiæ,*
Paſſim mihi meæ ſunt.
Et omne pecus in montium degens iugis,
Tot mille quot vagantur.
11. *Genus omne notum mi volucrum, beſtiæ,*
Quotquot colunt quæ rura.
12. *Si me famis forta aſſis urgeret, tibi*
Non quidpiam profarer.
Tellus enim mea eſt, & omne, quod ſolum
Complectitur, fovetque.
13. *An carne taurina putas me veſcier,*
Hircive ſanguine uti?
14. *Lita Iehovæ dona laudum, & debita*
Perſolve vota Iehovæ.
15. *Rebuſque in arctis quare me, ſic te eruam,*
Sic meque prædicabis.
16. *At impium ſic aſpere affatus Deus:*
Quid tu? Statuta quorſum
Annuncias mea, atque iactitas meum
Tuo iſtud ore fœdus?
17. *Pietatis oſor quum tamen ſis, & procul*
Verbum meum repulſes.
18. *Cum fure viſo curris, atque adulteris*
Coniunctus eſſe gaudes.
19. *Calumniator ore mendax es tuo*
Lingua doloſa texens.
20. *Fratremque ſugillas tuum, ac matris tuæ*
Traducis ipſe gnatum.
21. *Hæc facilitas, qua connoto tacens, parem*
Hinc me tibi reponis:
At puniam te certus, atque oculis tuis
Edam videnda cuncta.
22. *Notetis hoc, oblitterata mentio*
Quibus eſt ſubinde Iehova,
Ne pœna vos mea ultionis aufferat,
Ne liberator adſit.
23. *Qui corde laudis mi litatur victimam,*
Me vero honore mactat.
Atque hoc iter rite eſt, quo pio cuilibet
Monſtrem Dei ſalutem.

Chriſtianæ vitæ curſum in pietate & confidentia firma erga Deum abſque invidia & ſcandalo ſemper eſſe tenendum.

Paraphr. Pſal. 37.

1. *COntra quid iræ concipere impios*
Noli, nec in quenquam artificem mali,
Diraſve technas machinantes,
Invidia moveare tactu.
2. *Nam gramen ut cum flore reſcinditur,*
Sic interibunt germine marcidi,
Herbæque ceu paſſim virentes,
Viribus omnibus exuentur.
3. *Aſt in Iehovam tu modo ſpem tuam*
Depone conſtans, rectaque perſice,
Terra tua ſis rite cuſtos,
Integritate alimenta quærens.
4. *Præſens voluptas ſemper, & unica*
Sit Iehova menti perpetuo tua:
Hic eſt, tui qui largus Auctor
Perficiet pia vota cordis.
5. *Committe Iehovæ rite vias, tuæ*
Curſumque vitæ, ſpeque tua fove
Syncerus illum; ſat ſuperque
Ipſe ſuum peraget favorem.
6. *Idemque cauſſam Iuſtitiæ tuæ*
Clariſſimo ceu lumine proferet,
Nec non tuum ius, ſol diei
Luce velut media refulget.
7. *Dedas Iehovæ te tacite ſilens,*
Ipſumque ſpectes operiens; neque

Succen-

Digitized by Google

Succenſeas, cui cedit omnis
Proſperitas ſcelere in maligno.
8. *Deſiſte, nec te commoveas nimis;*
Æſtum furoris comprime providus,
Placatus & compeſce mentem,
Ne quoque tu malefacta tangas.
9. *Nam gens malorum perdita funditus*
Delebitur; Qui ſe magis unice
Spe devovent firma Iehovæ,
Hos ſua ſors patriæ manebit.
10. *Momenta vix iam paucula temporis*
Reſtant, peribit mox ſimul improbus,
Eiuſque ſi locum requiras,
Nullibi reperies notandum.
11. *At qui Iehovæ pectoris in Fide*
Vivunt dicati, iure pio colent
Terram, & beatæ pacis omni
Lætitia placidi fruentur.
12. *Perverſus auctor nequitiæ ſuæ*
Omnes minarum dirigit inpium
Iuſtumque conatus, fremitque
Dentibus in caput hocce ſtridens.
13. *At Iehova tantos deſuper impetus*
Auſusque ridens deſpicit in probi:
Nam cernit, huic ferri propinquam
Tempore vindice mox ruinam.
14. *Gaudent nefaſti ſtringere acinacem*
Semper, nec arcum tendere deſinunt,
Vt pauperes rectoſque cordis
Deiiciant, miſeroſque mactent.
15. *Aſt mox eorum cor proprium ſuus*
Perrumpet enſis, nec ſine maximo
Horrore iam perfringet arcus,
Rite ſuo domino nocivus.
16. *Auguſta ſortis portio, quam pius*
In re minuta poſſidet, improbi
Longiſſime ingentes opes, &
Exuperat cumulos malorum.
17. *Namque impiorum brachia conterens*
Franget ſuo cum robore fortium:
Iehova ſed iuſtos fideli
Aſſerit auxilio perennis.
18. *Momenta ſemper qualibet, & ſuos*
Novit piorum Iehova ſimul dies
Quoſvis, in æternumque eorum
Aſſidue bona proſperabunt.
19. *Non ullus unquam temporis ullius*
Confundet iſtos ſævior impetus,
Summaque rerum in caritate
Copia iis opulenta creſcet.
20. *Mali ſuo namque exitio cadent,*
Hoſteſque Iehovæ; ſint licet areæ
Inſtar virentis, heic tamen ſic,
Fumus uti perit, interibunt.
21. *Geſtit malignus ſumere mutuo*
Congeſta, ſed nil reddit iniquior:
At cuique ſe iuſtus miſello
Munificum facilemque præſtat.
22. *Quos namque cæli proſperitas beat,*
Hæreditatis iure colunt agros:
Radicitus ſed cum vigore
Abripitur maledictus omnis.
23. *Tanti ſupernis cælitus à Deo*
Greſſus reguntur conſiliis viri,
Ac eius oblectando ſeſe
Ipſe viam regit atque ſternit.
24. *Si forte lapſu prociduus ruat,*
Non inde prorſus reiicitur ſtatim:
Clemens enim præſente ſervat
Iehova manu, retrahitque lapſum.
25. *Infans fui, iam conſenui quidem,*
Sed non relictum me memini uſpiam
Vidiſſe iuſtum, eiuſve prolem
Quærere quid rogitando panis.
26. *Hunc prompta ſemper commiſeratio*
Tangit, lubens ac commodat erogans
Cuivis, & hinc florebit eius
Poſteritas benedicta ſeclis.
27. *Deſiſte dehinc à criminibus tuis,*
Vitando fraudes, & potius pius
Rectum ſequaris; ſic quietus
Perpetua tibi ſorte vives.
28. *Nam Iehova rectum diligit, & fovet*
Sanctos ſuos, in ſecula perpetim
Servans eos; at ſemen ipſo
Excidio perit impiorum.
29. *Nam iuſta terram gens merito ſuam*
Hæreditatis iure tenet ſibi,
Et poſſidendo ſempiternam
Figit in hanc ſibi firma ſedem.
30. *Nil os Fidelis, quam ſapientiæ*
Quod norma vera poſtulat, ac iubet,
Efferre gaudet, linguaque eius
Iuſta docet, pietate fulta.
31. *Legem Iehovæ perpetuo ſui*
Servat ſereno pectore ſedulus,
Et hoc cavet certo labore
Ne pedibus fluidus vacillet.
32. *Indeſinenter viribus omnibus*
Intendit iſtud perfidus, integrum
Vt perdat, & iuſti tenacem
Propoſiti nece tollat omni.
33. *At Iehova præſens unguibus illius*
Non linquit uncis implicitum, neque
Condemnat idem ſanguinolento
Iudicio licet hunc requirat.
34. *Spectа Iehovam, firmiter illius*
Callem tenens, ſic te bonus evehet
Telluris hæredem: videbis,
Quam penitus reprobi eruantur.
35. *Vidi malignum qui nimio ſatis*
Turgebat æſtu, cumque protervia

Seſe efferebat craſſus, alta
Mole quaſi arboris evireret.
36. *Quum praeteriret poſtmodo quaritans,*
En, ceu fuiſſet nemo, ita ceſſerat;
Atque ipſe quarebam videndum,
Nullibi talis erat repertu.
37. *Integritati ſis placide & probe*
Addictus omni, rectaque diligens;
His namque tandem conſtat omni
Proſperitas cumulata ſorte.
38. *At qui ſequuntur nequitiam ſuam,*
Delentur omnes cum ſociis ſuis,
Et turba pervicax malorum
Denique ſtirpitus eruetur.
39. *Sed Ihova praeſens auxilium piis*
Praeſtat ſuis: Hic tempore turbinis
Seſe exhibet munimen illis
Eximium, validumque robur.
40. *Ac Ihova promptus praeſto erit omnibus,*
Illoſque cunctos ſolvet ab impiis
Aceruens hos liberabit,
Tota etenim fide in hunc recumbunt.

Admodum ſeria eſt haec, nec minus perquam iucunda adhortatio, quae omnibus bonis hoc & vera pietatem colentibus imponit, ut felicitate impiorum umbratili non moveantur; ſed omnem fiduciam & ſpem ſuam in Deo collocent: eiuſque arbitrio vitam, famam & res omnes commendent; juſta agant; quaedam incommoda patienter ferant, & ni Deo verboque eius ſe oblectent. Inſpergit etiam ſubinde indicia impiorum, quod ſint inſidioſi, malevoli, malefici, & in exitium piorum intenti: item quod poſſideant opes iniuſte partas, quod ſint avari, foeneratores, tenaces & hirudines miſerorum, talibus igitur, licet aliquantiſper floreant, tamen poenas graviſſimas comminatur, eorum felicitatem dicit eſſe momentaneam, machinationes ſibiipſis exitioſas: opes brevi diſſipandas. Perniciem enim imminere eis repentinam qua ita cum omni ſtirpe funditus ſint perituri, ut ne veſtigium nominis ipſorum reliquum ſit futurum. Idque ſe magiſtra experientia verum didiciſſe aſſeverat. Inſerit etiam per intervalla notas vere piorum, videlicet quod lege divina delectentur: quod in parvis etiam opibus divites ſint & benefici: quod omnibus proſint, noceant nemini: quod item in aſſidua ſua beneficentia nunquam egeant, perpetua nimirum Dei benedictione opulenti. His igitur optima quaeque promittit: hos, inquit, Deus ipſe nutriet & defender: horum poſteritas latiſſime propagabitur: horum, ſi quando premantur, innocentia Deo vindice in lucem emerget: hi famis, peſtis, & omnium rerum adverſarum tempore erunt incolumes, & etiamſi humana imbecillitate circumventi aliquando labantur; tamen Deus eos eriget, & in viam reducet, omniumque ſuorum votorum compotes faciet, atque non ſolum ipſis, verum toti etiam ipſorum poſteritati pollicetur, certoque illa fieri, & deinceps futura itidem expertum affirmare ſe oſtendit.

Votum anxium,

Quum Natalem diem 1. Auguſt. aetatis meae 61. ingrederer Anno Chriſti 1641.

Pſal. 71. Paraphr.

1. *Jehova, tota ſpe penitus tibi*
Me dedo, totum me tibi devovens;
Fac, uſpiam ne forte quoquam
Afficiar vitio pudoris.
2. *Me liberatum Iuſtitia tua*
Servato; cunctis eripe me malis;
Aures tuas ad me reflecte,
Atque opifer mihi promptus adſis.
3. *Turris meo ſis firma receptui*
Semper; velut tu pollicitus iuva
Me: quippe tu fundata rupes,
Arxque mea es columenque vita.
4. *Ah Ihova, quaeſo, mi Deus, exime*
Ex impiorum me placidus manu:
Ex perfidorum ac me potentum
Redde manu tibi vindicatum.
5. *Es namque ſolus perfugium meum,*
Agnoſco fulcrum te veluti meum;
O Ihova mi primis ab annis
Vnica tu mihi ſpes fuiſti.
6. *De te pependi matris ab ubere;*
Ex matris alvo gratia me tua
Extraxit has in lucis oras;
Laude quod hinc celebro perenni.
7. *Quoddam quaſi in prodigium, malis*
Natum pudendis, rideor undique:
At tu mihi, mi Ihova fortis
Praeſidii columen miniſtras.
8. *Iehova, plenum perpetua mihi*
Ut laude ſit, fac, nominis os tui:
Da, gloriae laudem ſubinde
Cotidieque tuae celebrem.
9. *Ah quaeſo, ne me tempore forſitan*
Mea ſenecta reiicias, Deus;
Nec corporis fractum vigore
Trade libidinibus malorum.
10. *Namq; hoſtium in me prava ſodalitas*
Sermonis acris ſpicula iactitat,
Meaque technas factioſi
Conſociant animae nefandas.
11. *Clamantq; ſecum, quem penitus Deus*
Iam derelictum deſeruit, citi
Comprendite; hunc perire fas eſt;
Vindice dum caret ille forti.
12. *At tu, Deus, ne longius impiger*
A me recedas, te precor unice:
Iehova mi, ſuccurre praeſens:
Auxilio mihi promptus extes.
13. *Pudore ſeſe conficiant ſuo*
Perdantq; probris, retia qui necis
Vitae meae tendunt, ſuaque
Exitium mihi fraude quaerunt.

Digitized by Google

14. *Aſt ſpe refectus ſemper ego tui*
In te recumbam, perpetuo pius
Pangam tibi carmen, tuaſq;
Laudibus accumulabo laudes.
15. *Narrabit os hinc dona meum tua*
Et æquitatem iuſtitiæ tuæ,
Nec non ſalutis munus omne:
Quæ nequeo numerare cuncta.
16. *Incedo tutus robore cælico*
Dei Iehova, ſemper inambulo
Spe fretus huius: Te per orbem
Pſallo tuæ fidei tenacem.
17. *A flore primo, Iehova, puertiæ*
Uſque extitiſti tu mihi ſedulus
Doctor: Proin miranda pergo
Cuncta tua celebrare dextra.
18. *Nec ergo canum me, Deus, aut ſenem*
Ætate fractum deſere, brachij
Donec tui vim, facta genti
Et referam tua poſterorum.
19. *O Iehova, quanta iuſtitia, en, tua*
Eſt ſummitatis, quantaq; ſanctitas!
Tu perficis magnalia ſumma,
Quis ſimilis tibi degit uſquam?
20. *Tu ſubitis me mille periculis*
Vitamque geſtis tu mihi reddere:
Quin & profundum, Iehova, terræ
Ex ſcrobe me re vocas renatum.
21. *Tu me malorum fluctibus ereptum*
Tandem favori reſtituis tuo,
Et gratius ſolamen addis,
Triſtitiæ nebula repulſa.
22. *Hinc ergo grates commeritas tibi*
Ardentiori pectore deferam,
Et nabliis te canto latus,
Qui ſacer es Deus Iſraelis.
23. *En, cuncta faucis vox ſimul hinc mea*
Et omnis intus vis animæ meæ,
Quam tu redemiſti, ſonoris
Te celebrant numeris, chelyque.
24. *Ac lingua de te cotidie melos*
Tuæque fingit Iuſtitiæ fide:
Dum ſic pudor confundit hoſtes,
Qui mala tot mihi damna nectunt.

IEHOVA SALUS MEA.

In vanam Cenſorum atrocium præcipitantiam.

Iohan. Caſelij Epiphon.

Moribus antiquis noſtro non amplius ævo
Cenſuras fieri, de re quacunque, videmus;
Uſq; adeo volupe eſt, temere reprehendere quidvis,
Cui non in ſolidare mens ſecura quieſcit,
Sed cupit in populo multum didiciſſe videri,
Quod non cum vulgo faciat; ſed funditus omnes
Diſciplinarum latices ex fontibus ipſis
Hauſerit, hic ſapiens, ſapiat ſimul omnia ſolus,
Ad directa ſacræ rationis fila ſecutus,
Ut tuto incolumem ſe ſiſtat in æquore campi,
Et normam monſtret, quæ non abnormis haberi
In prato valeat, ſed ſit quaſi prodita Lesbo,
Huius & illius dum certa indagine verum
Veſtiget propius, fidis ſociiſque revelet,
Ut ſic è tenebris ad clari lumina ſolis
Pertrahat, oſtendatque palam dulcedine mira,
Quid contexta tenent Labyrinthorum invia teſqua,
Ac quicquid ratio quoque præcipit arte Pelaſga.
Quando ita mentito pingit ſua quiſque colore,
In falſos ducens ipſum ſe calle receſſus,
Idem num valeat fraudis detergere fucum
Alterius, potius velcæcus Lynceacernat?
Inſipidaſve queat populo ſic pandere nugas,
Ut monſtret ſolidus ſolido munimine cordis,
Quomodo in hac hominum vivas contage beatus?
A Equo iudicio, quacunque eſt debita ſeu laus
Seu culpa, an talis memores bene? Nec ſibi quicquam
Anteferat citius, dum ſic ſibi proximus extat?
Nũ quid forte ſecus facere imperitarit honeſtas?
Scilicet anne ſit hæc animi nota certa profani,
Uſque ita qui palmam quærat laudemq; ſophiſta?
Ethnica num valeant potius quid dogmate cæli?
Nemo ita cuprea vaſa, vel ærea, perlinit auri
Exigui gutta ſtillante minutius, ut ſe
Indicis attritu non prodat vile metallum.
At ſimul ingenii ſpecimen quotus edit in auras,
Ni penitus demens ſit, proiectique pudoris?
Omnia diſſimulat, quaſi dicta indicta recenſet,
Hic eſt ille canon, quo ſcit tum providus uti,
Et quo quiſque putat ſe dici valde politum,
Validius & clamat ſimiles ſic eſſe politos,
Quo magis efforment cordi ſua diſſona verba,
Expolientque ſuis quævis figmenta figuris.
Aſt certe veluti curvatus ſcipio nunquam
Regula erit, ſic nec nova norma valebit in ævum,
Hac licet à ſtolidis fruſtra tollatur Olympo,
Huius & illius ſaxo ſe commodet uſu,
Seu malit veteri de conſuetudine dici
Norma ſuæ mentis, menſurans omnia normis,
Decurvo ne quid ſecedat forte reflexum,
Ethnica quod iubeat connecti gratia plumbo.
Sunt, quibus haut ſatis eſt, acri mea ſcindere morſu,
Quæ tamen haud mea ſunt, ſed ab arcis prompta vetuſtis,
Quas recte hiſtoria, vel dixeris eſſe parentum
Facta, decus tantum cupimus quibus addere laudis,
Dente meum rodunt etiam petulante laborem,

POSTLOQVIVM AD LECTOREM benevolum.

NE quid hoc, candide lector, sis nescius, repetita quidem est in superioribus, editio mei Opusculi, & in Respub. Hanseaticas (quas meritò antiquissimo fœdere coijsse adeò, dicit Eberh. à Weihe, qui se Waremb. ab Erenb. vocat, ut etiam olim à Carolo IV. Imp. sit idem approbatum) Commentatio, velut etiam in plurib. eam adauctam vides; sed certè nõ ita disponi planè & omnia ea inseri potuerunt pro nutu, uti ipse absens inde volui. Plurima etiam ulterius talia fuerunt impedimenta, ut neq; mihi sufficiant, quæ commodius exprimere studuetam. Imperia hominum mira sunt, nec minus in distractis istis tumultuosis temporibus judicia eotundem varia, atq; adeo quidem sæpius absurda, ut quid vis ex temeritate sua censere non vereantur. Non dixi omnia, quæ ante hac constitueram, quæq; suo loco convenienti inseri expetiveram, quod toties neglectum fuit licet correctum fuerat: Sed si sit commodius tempus & Deus largiatur mihi vitæ pro clementia sua prorogationem in hac senectute, longe plenius quid videbis, quod pridem sub manu habui.

Etenim in hoc fœdere Hanseatico ea perspiciuntur, modo qui intima noscant, quæ certè universis tam patriæ communis, quàm aliis exteris non leves attulerunt facultates & negotiandi commoditates. Fuerunt, & fortè adhuc sunt potentiores, & vicini, qui nervum gerendarum quem cernunt in studio commercii adeò esse dispositum, in sese magno conatu, nec sine variis astutiarum inventionibus, derivate toties exoptant. Sunt quoque desperati, qui ob studium proprii commodi pro temporis ratione potentioribus nunc hoc mox illud expilationis stratagema suggerere non verentur; veluti ejusmodi exempla sunt coram oculis, si saltem hominum nomina exprimere esset integrum. Sed certè tam rerum harũ clanculari suggestores, quam praxeos hujus indecoræ acceptores nusquam verum intelligunt tam salutaris rei fundamentum. Ideoq; potius subversores boni & bonorum torrores, quàm amici & Christianitatis patroni forent eiusmodi dicẽdi, ut meritò se in pudorem præcipitatos potius deprehendere, quam quid contrariæ molitionis suppositum probare, vel in usum aliquem deducere deberent. Sed quis hodie amplius quid in honestatis innatæ ratione curat, si inde lucrum sibi, aut cibum quasi ex flamma, ut ait Comicus, petere valeat? Quod mihi ante pauculos annos Hollandus quis obiicere solebat, quum conscientiæ statum nonnihil acrius ipsi deregerem, erga proximum, dicens ille: Quid hoc est rei? Num propterea quod proximi amor sanctè sit nobis fovendus, utilitatis propriæ tam sim perfidus neglector, ut prioti loco id habeam, quod potius alii, quàm mihi profit? Imo ajebat, hoc noscas, nullum amicitiæ vinculum tam est firmum, etiamsi sit proxima consanguinitas, quæ non patiatur, dissolutionem suam in respectu utilitatis proprię. Etenim damnum, illatum aut attractum sane omnem nobis cõfringit amicitiam. Ac licet hunc in absurditate tali convincerem satis, demonstraremq; non esse Christianitati hoc proprium judicium & longe saniora in verbo cœlesti doceri, tamen amorem suiipsius in lucro captando ex communi gentium omnium opinione, ita firmũ sibi statuebat, ut nec ipsam veritatem id aliter convincere posse affirmaret. Si vero omnium mortalium actiones & intentiones uti nunc corruptissimi sunt hominum in hoc ultimo mundi seculo mores & animi, perspicias, certe nemo ferè erit omnium qui non idem cum Hollando illo sentiat, dum adeò quisque sibi proprius esse cupit Deus in amore sui ipsius, ut nil boni quid censeat, nisi in utilitatem suam convertere id ita queat, ut inde solus sibi præ cunctis aliis exditescat.

Attamen id nonne extremè sit deplorandum tanta omnes cæcitate esse captos, ut illud sibi bonũ putent, quod revera causam omnis mali progignit? Bonum enim planè non est appellandum, rectè ait optimus ille Hieron. Osor. in primo de vera sapiẽtia libro, ex quo malum nascitur. Ea igitur quæ vel ad fortunam (uti communis est locutio) referuntur, quæ bona vulgo nominantur, tum demum bona dici poterunt, quum il, qui ea possiderint, illis rectè usi fuerint. Eorum autem rectus usus sapientiæ moderatione continetur. Itaque sapientia non est solum totius decoris & dignitatis efficiens, verum & fidelitatis universæ parens & altrix. Nec enim ubi sapientia dominatur, fortunæ temeritas locum habere potest.

O divinum sapientiæ lumen, quis poterit laudes tuas enumerando percensere? Tu namq; homines à libidine ad officium & continentiam traducis: tu artes salutates quibus hominum vita continetur instituis: tu ordinem rerum publicarum collocas: tu reges hoc nomine dignos splendore divinæ lucis illuminas: tu placidissimam animorum pacem constituis: tu dignitatem & impunitam libertatem elargiris: à te laudes omnes virtutis & sempiternæ dignitatis emanant: tu denique mortales immortalitate donas, ipsique Deo amore sempiterno devincis. Quæ igitur cæcitas eorum est, qui non ut te aliquando perfruantur ingentes labores excipiunt, & pro te etiam mortem cupiunt? Immortalitas enim est amore sapientiæ mortem libenter appetere. Sed quo majus & amplius & illustrius est sapientiæ nomen, latiusque patens utilitas, eo difficilius esse videtur illius studium, &c. Videtur quidem: Sed si veris vestigiis insistas ad nutum verbi Dei, te in humilitate sancto spititui eius submit-

tendo, res non adeò bono veritatis ſucceſſu cadebit. Verum ſui capitis cerebrum eiuſque humorem abſque regeneratione cordis, & ſine pietate ſolida ſequi velle, nec audire meliora monentes, id ſæpius privatis, imo & gentibus magnisque urbibus excidium admodum miſerabile tulit.

Quid enim obſtinata malignitas boni tandem non cauſare poſſit? quum certè ſine virtute & eius fundamento pietate nullum firmum præſidium dari poſſit, licet interdum Deus per aliquod temporis ſpacium meritas pridem pœnas & ſupplicia gravia prorogando differat, num forte animi hominum duricie obfirmati horrenda poſſint aliquando ad reſipiſcentiam & meliora inflecti: Sin minus; fortis adeò profecto eſt vindex, ut ſenes cũ pueris in pœnam eò acerbius abripiantur; quod etiam olim ille ethnicus poeta ſatis acutè tetigit & monſtravit ſuis Horat. lib. 3. Ode 2. dicendo

Rarò antecedentem ſceleſtum
Deſeruit pede pœna claudo.

Adſeverat heic, quod Deus neminem impunitum relinquat, licet tandem claudo quaſi pede vindicta ſceleris criminiſq; ſuum ſequatur delinquentem donec eum apprehendat, & merito afficiat ſupplicio. Quæ ſententia eſt percelebris ad deterrendos impios à ſceleribus perperrandis ſpe impunitatis, miſerationisque divinæ. Nam etiamſi lenta ſit ira Dei, nec protinus ſumat pœnas de commiſſo facinore, tamen gravitate ſupplicii tarditatem facile compenſat. Quæ exempla ſatis lucida in ſacris litteris habentur, uti ante omnia illud ſatis notabile eſt de vrbe Hieroſolyma de qua Chriſtus ipſe cum acerbiſſimis querelis teſtatur hoc anxium effatum, quod velut gallina pullos ſuos ſub alas congregat, jam ſe colligere voluiſſe ſæpius, ſed ait, vos noluiſtis. Matth. 23. Luc. 13. 34. Ut inde quoque in fletum conceſſerit luctuoſum Luc. 19. illi extremam in hoc mundo deſolationem annuncians, quam ſub Tito Veſpaſiano paſſa eſt vrbs inter orientalia regna unicè Deo ſelecta & longe præclariſſima. Nihil enim Deo magis impœnitentia & ſecuritate nimia cordium adverſatur. Quas etiam clades extremas ob dutitiem eiuſmodi hucuſque in tam diuturno bello noſtra ſuſtulit Germania! Quot enim milleni millies, pagi, oppida, & urbes plures inde ſuæ malignitatis ſenſere diſturbationes & ſtrages! Præipſa Hieroſolymæ ſubverſione diriſſima quid gravius ſpectaculum inveniri non datur, quam ipſa ad Albim Magd. in exuſtione ſua miſerrima pertulit, quæ adeo vehemens, & in deploratione ſumma lacrimabilis eſt, ut ipſa ſacræ urbis devaſtio huic longe cedat, ſi quis omnia enarrare queat, quæ viderunt ij, ſi adhuc ſuperſtites horribiliſſima, qui etiam ſimul ſatis confitentur ipſi obſtinatiæ ſuæ rigoroſitatem. Etenim vix eſt quod heic obtegi multa queant quæ ſunt in propatulo; nec ſanioris conſcientiæ homines quid abnegare audent, ſi ſemet ipſos ſaltè ritè intus retexere velint. Per aliquot annos pridem tam dura calamitas exiit, ſi prævisa ſatis fuit, quin ipſe Deus in tot prodigiis & oſtentamentis variis elementorum, id prænunciari vrbi & incolis curavit, ſi mens non adeò levitati addicta manſiſſet omnium. Imo ſi quis exiſteret qui à malitia revocare publica & ſuperiores & inferiores ex pia affectione potiora lubēret videns cuperet, riſui non ſolum, ſed etiam perſecutionibus vitæ accertimis ita eſt expoſitus, ut vix amplius auſus fuerit hiſcere; ne quid heic eius multis tangatur, quod in facti ipſum abiit abuſum. Attamen quis non bonorum mala, quibuſcunq; modis tanta vel ex obliquo, ſi non per directum queat avertere à tam ampla communione unicè expetat? quantum in me tũc fuit, ſatis ſedulus in eo fui, ut publicæ curæ me accuratum obſervatorem undique in omnibus negotiis & actionibus demonſtrarem: ſæpius apertè nec non ſæpius implicitè multa præmonitionibus gravibus ſum locutus, ut ad pietatis ſacratiorem culturam animos nimium laſcivientes in efferitatibus ſuis reducerem ex omnibus occaſionibus anſam huius gratiæ arripiendo. Sic nec hoc animo pio publicis dierum conviviis, licet eſſent quibus faſtidio erant, talhaque in calumnias convertebant. Ex cotidianis & quamplurimis ſaltem hæc paucula mihi heic licitum ſit repetere. Amicus mihi erat ſingularis conſul Dn. Mauritius Lentke, qui cum anno 1622. elocaret filiam nec minus perquam charo Dn. Cunrado Carpzovio J. U. D. tunc Profeſſ. Witteb. nunc Cancellario Archi-Epiſ. Magd. Huic monitionis publicæ cauſa in feſtivitatibus coniug. non fruſtra talem edidi acclamationem, ut in communione diſtribueretur, quæ ita ſe habet.

Quid tibi, quid gnatæq; ter optime compater, optem
Nunc prius aut potius? Hæc eſt applaudere voti.
Nonne fides quæcunq; poteſt optare precando?
Fallitur inde minus modo ſancto corde petatur;
Eſt reſipiſcendi tempus, moneo quod apertus.
A Chriſto qui nomen habent, nil ludere dictu
Hos decet obſcænum: tum res quoq; ſancta loquelam
Expetit haud vanam: modo cernite, temporis hora
Præſens quid moneat. Sunt cuncta referta periclis.
Quoquo te vertas, vis diruit omnia belli
Dirumq; exilium ſuprema ruina minatur:
Quod ni peniteat certe huic mox imminet urbi:
Omnia ſint fruſtra: prævidi plurima pridem
Nequitia nimium ſcatet angulus omnis ubiq;
Intereaq; ſimul viroſa calumnia technis
Quemq; bonum ſævúq; avet hos convellere nugis:
Vt ventri famæq; ſtudent, audacter in omne
Qualibet arte ruunt ſcelus, æquum hoc indeputantes
Nonne hoc in nos juſta Dei nunc vindicet ira?
At nos linquamus modò quæ tot damna profani
Accumulent damnis; potius ſolemnia Iehovæ
Reddamus, rerum velut id jam poſtulat uſus
Gaudia cum præſens lux non ſimulata requirit:
Sed tamen heic nil ſit juſto ſine temporis uſu;
Ira Dei gravis eſt, quæ mox graviora docebit.
Pax hinc ut vigeat, pereat Bellona, furorq;:
Non eſt ulterius cunctandum, gratia quando
Nos miſere preces jubet & conjungere vota.

Sic alia quoque in ſolemnitate eodem anno 1622. non deſtiti belli cupidos ab intentione ſua dira deterrere, licet abſurdos inuenirem tum rei interpretes, unde nec hoc erit inconveniens heic repetere, quod tale erat.

Triſtia heu! quam tempora
Paſſim dolorum struunt! Tumultus
Quam gravi Mars improbus
Et tartari cruenta vis profundi

Regna & vrbes destruit!
Credam stygem nunc, sive quicquid Orcus
Imus imis continet
In se barathrū, cum furore pleno
Christianorum in necem
Evomuisse damna cuncta, clades
Cum rapinis, qualibet
Cum persecutionibus venena.
Indies heu! qualia
Audimus heic portenta, monstra quanta!
Nusquam locus prope
Est tutus amplius; nec ullus extat
Qui vacet tot stragibus
Turbo furentes angulos modò omnes
Permeat Germania,
Et inde jam mox adfutura nobis
Damna flagris ingeret.
Dum nemo confet corde penitenti
Quid, ne in sacra fide
Quæ inveniuntur patriæve cura.
Mira, quanta heic omnibus
Inharet Occæcatio! piorum
Neminem crux afficit.
Ab civium quis sanguinem profusum
Diriter magni æstimat!
Veramne causam quis mali laborat
Intueri, & unde sint
Calamitatum copiæ tot omnes?
Nam quotus quis respicit
Ad sanctitatem debitam Jehovæ?
Semitam vitæ ut suæ
Conservet usq; in puritate verbi?
Nonne passim perditus
Omnis tenet profanitatis æstus?
Et tamen nobis pia
Nos Christianos somniamus arte.
Hinc quotus retexere
Quis gestiat se criminis reatu?
Quin scelus jam cernimus
Pietate confecta omne venditari!
Ergo nostra desinet
Nos culpa: sed vah! quanta adhuc supersunt
Damna, mature nisi
Nostrum exuamus cor sopore tanto
Summa adest calamitas
Sed præparatus purius nitescit
Quisq; jam quis tempori
Servire nescat, & benignitati
Consecrare in omnibus
Sese Iehove, nec pius recedat
In vicissitudine
Quacunq; tandem sortis atq; vitæ;
Seu tori nunc gaudia
Optata condat, seu dies sacratos
Nunc amicis destinet
Cordisq; sectetur vices decentis,
Ille quum facit benè
Qui novit in devotione sancta
Se Iehovæ dedere
Dedat sedilectione cuivis.
Nulla certior salus
Tenace quam quæ stat fide parata,
Quæ tumultus, turbines
Ab urbe nostra dimovere novit.
Vinculum concordiæ
Est optimum, quod charitate splendet
Mutua; si sit secus
Laboris addet tunc onus sat amplum.
Extimesco proh nimis
Quæ fata mox adsint suprema nobis.
Audiatis hoc, rogo
Hæc ne nimis sit sera tunc querela.

Assiduæ undique sic meæ erant erga omnes informationes in cunctis actionibus & publicis & privatis. Sed quum neque sic quid me proficere cernerem quin magis homines ruerent ex insolentia in iniustitiæ prolubium summæ, ut sæpius exclamarem, me mirari, solem tam diu nobis, urbi, curiæque nostræ non invidere: Proinde eodem anno in consulis solemnitate alicuius ipsius Iehovæ ex ore psalmum 50. v. 16. & seqq. feci & introduxi sic loquentem, num spes correctionis dari alicuius uspiam apud animos occæcatos excitari posset.

Impie quid falsò leges clamare fatigas,
Sacrilegoq; meum quid fœdus volvis in ore?
Quum tamen insana jussorum mente meorum
Frenis subducas te, sis pietatis & osor.
Voce quidem laudas, sed cordi dogmata sordent
Cuncta tuo, gaudes te furtis atque rapinis
Adsociare viris pollutis, fœdera tadæ
Conjunctis machis audes temerare jugalis.
Ore studes dare damna tuo nil tale timenti.
Evomis e spurco spurcissima gutture verba
Linguaq; continuas tua fraudes impia texit,
Dente Theonino tua sæva calumnia tentat
Turpiter infamem germanum reddere fratrem.
Adde quod hæc oculis dum conniventibus ipse
Dissimulo cohibens pœnam, me stulte putaris
Esse tui similem: quid agas neq; scire: sed errat
Nam tua facta tuis oculis scelerata revelans
Ponderet pro meritis tibi præmia digna rependam.
Hæc animis reputate mali, quibus excidit omnis
Cura mei, tandemq; malos dedisce te mores.
Ne vos ad pœnam meritam mea justa prehensos
Ira trahat nec opem vobis qui conferat, adsit.
Si fumare tuis mea vis altaria sacris
Nil mihi sacrifica, quam puro pectore laudes.
Hoc per iter sum te ducturus in ætheris aulam
Salvus ubi vita nunquam cessante frueris.

Non destiti quoque absens, licet sat acrib. inquisitionibus me persecutionibus vitæ & fortunæ exuitione pro benefactis onerassent, quum ex præsagiis finis, & obstinatis actionibus mox futuram cladem præsentiscere mihi videret, tales etiam ex Hollandia fidelissime continuare commonefactiones, ut ipsi consules tunc aliquot apertè confiterentur, si secuti fuissent consilium meum, quod vrbs nunquam in tanta cineris rudera incidisset, sed adhuc superstes fuisset, velut literæ mutuæ communicationis adhuc supersunt quæ suo loco produci poterunt, uti etiam non adeò pridem, amicus peculiaris meus hoc inter alia in suo testatur carmine, quum cerneret in quodam pacem concernente negocio subtractiones fieri ferme non absimiles. Ob pietatis non contemnendum specimen, & elegantiæ imitamen gratum, non inconcinnum erit id simul huc ponere. Itaque, suspicionem iniquam in principio culpando, sic inquit:

Quid non ſuſpicio, nihili vel credula fama
Mens ſibi perſuadet? quæ non ſibi complicat umbras?
Diſpicit in variis varias dum colligat artes
Rebus nunc illud, nunc hoc ſibi quæq; figuras
Connectendo, metum donec præſentia ſpernant,
Invidiam ve magis ſtultum maleſana voluntas
Augeat in torvo vultu cordiq; furore,
Si quid ſorte coquat cladis ſub pectore ſecum
Qui ſæpe innocuum penitus ſubvertere gaudet.
Namq; boni rarò quidquam pro commodo amici
Augurat, & votis quamtumvis irrita poſcit.
Sic levitate viget tranquilla inimica quieti,
Et fons invidiæ eſt, odiiq; tenacis origo
Sæpius evertens factu communia cæcis,
Orta chao, nutrita Erebo, ſtygiaq; palude
Imbuta, & diris crines evincta colubris,
Lenia ſuſpenſo ponit veſtigia paſſu,
Clam ſeſe inſinuans: ſemel imo in corde recepta
Radices agit, & capit incrementa latendo,
Mox ſtabilita dolis vires à crimine ſumit,
Bella feritq;, aliud medium ſi naſciat ullum,
In vindictam quo ſe effundat acerbior hoſtis
Mox ciet unanimes diſcors in prælia fratres
Vt penitus ſummas à ſedibus eruat arces!
Suſpicione malum quid vix ita tetrius extat,
Si nugis potius, quam vero credere quicquam
Geſtiat, & damna ex damnis connectat iniqua:
Nulli ritè favet, ſimulet licet arte pelaſga
Omnes & fides chara & pietatis amores,
Si ſemel invitis facilis commiſerit aures,
Obtrectatorum ſe vel devoverit oris,
Cui nihil eſt gravius nec quicquam durius unquam,
Quàm ſua virtutis ſi dignè gratia conſtet,
Et cernat, benè quod ſit, cui perverſa precatur.
Multa etiam de te ſparſit mala turba malorum:
Sæpius audivi, quæ nequitioſior auctor
Fingere non poterat: ſed poſtquam noſcere tete
Interius didici, quo tu candore niteſcas
Totus quaq; ſimul tuleris pietatis in uſu,
Sum deteſtatus toties tàm peſſima linguæ
Figmenta, & ſtimulos queis demententur amici.
Abſit ſuſpicio, cedat dolus omnis & error
Horum cum technis, tibi quas ſupponere gaudent
Ingrati, meritis benè de quibus ipſe fuiſti.
Illos & pudeat malefacta quod iſta reponant.
Jam memini & meminiſſe juvat, quid feceris ante,
Et quid præſtiteris cura ſtudioq; fideli,
Perpetuo exſomnis vera pietatis amicis
Chriſtiq; addictis, ut non poſtponere quidquam
Gauderes fidei, ſi quid prodeſſe videres
Nomine te claro novit ſatis Albis & Elmus
Vt conſtet pridem, quidnam tibi debeat urbis
Parthenopæ populus, patria primumq; ſenatus,
Et proceres alij, modo non ingrata reponant
Præmia conſiliis, quæ gratia peſſima mundi eſt,
Qui facilè acceptat ſed mox quoq; cuncta laborum
Pondera diſſolvit ſimili pro tempore nutu
Vt cenſura animis meritis ſit ſæpius impar.
Si ſatis audiſſet tunc urbs te recta monentem
Exciãium nunquam ſenſiſſet tale, furorem
Fortè nec usq; gravem tam ſubverſoris acerbi:
Ipſa in ſe voluit ſævire tyrannide tanta,
Vt pœnas adeò divina ſolveret ira
Nullus adhuc tibi me voti conjunxerat uſus,
Sed fatcor tanto ſordis juccenſus amore
Sum mecum cupiens tibi proſpera multa favoris,
Vt quid livoris paterer ſimul inde ſub æſtu;
Aſt ubi te vidi, noviq; medullitus ipſum,
Teſtor utrumq; caput, fama traſcebat iniqua
Quod laudis per eam potiori parte careres.
Eſto mihi pietas puroq; modeſtia vultu
Integritasq; illo benè nota in pectore teſtis,
Tuq; ô conſcia vis doctrina, omnisq; laboris
Et probitatis honos, & mitis gratia cordis
Virtutisq; decor cum manſuetudine grata,
Purius anne aliud pectus ſubiiſtis amico,
Sicut id eſt, lateatvè ſub hoc vel dulcior hoſpes?
Non ego longa tuas in laudes orſa retexam,
Nec tua laus hodiè, ceu pridem, exordia cepit,
Quum præclara tuæ ſe iam præconia famæ
Dididerint, omnes terrarum fuſa per oras,
Nec non Teutonia ſcriptorum plurima pubi
Ediderit ſophia vera monſtrando tenorem;
Te diva Euſebie, tepacu poſco ſororem
Hanc unam certè, mihi dic, quæ dicere fas eſt,
Ecquid ab excelſo qui deſpicit omnia cœlo,
Sol oculus mundi meliorem viderit unquam
Sive hunc publicares, vel eum privata requiras?
Non hic per cuneos latrat, puteoſq; Libonis
Lambit, & ad placitum torqueri cerea ſtellit
Jura, nihil curans, niſi flavum ut colligat aurum,
Pro re conſilium, pro tempore ſuggerit, & quum
Leges deficiunt, leges pietate rependit
Ille ſophiſtarum nugas & vendere fumum,
Atq; oculis nebulas ſolitas adſpergere tricas
Detegit, aprica victos in luce reponens:
Non iras & verba locans, ravula improbus illum
Dimoveat rectæ normæ, aut elidat amuſim
Cœleſtis verbi ſed ſtrenuus excipere ictum
Et ſcit reddere, ſeu caſim concernere pugnam,
Seu punctim libeat: calidos mulcere furores
Callidus, iraq; potens compeſcere fluctus,
Ethnica dum penitus perferre ſophiſmata neſcit.
Angelius talis meus eſt, qui quo ſit eundum
Tramite ſcit monſtrare aliis, monſtrataq; ſubinde.
Quis quaſo in ſtudiis deſiſtum, & pacedocendo
Conticiat fractum licet abſterrere laborem
Illum nunc furtis hoſtes, technisq; malignis,
Pacis & oſoris connectant omnia ſuco.
Sic tantum duravit opus, ne molibus ullis
Nec nive nec pluvia victum, nec fulminis ira:
Usq; adeo certus veſtigia nolle retrorſum
Rellegiſſe, niſi partes luſtraverit omnes,
In quibus ipſe ſpei quid fortè hærere videret.
Rebus in humanis quando dilectio firma
Nervus amicitiæ nullo violabilis ævo eſt.
Nulla animi hoc potuit vel magna moleſtia pectus
Frangere firmatum, ſed ſe dum deruit ipſam
In culpis variis diſcors Germania, nuſquam
Dumq; eſt tuta fides, ac bello quilibet ardet
Pro lucro proprio, patriæ quæritq; ruinam,
Quid facias? juſtus tu Jhova rite relinquas
Vindictas, ſua ſit pro libertate cupido
Cuiq; ſua, atq; ferus placidus, quod ferre neceſſe eſt.
Nam bene conſcia vis mentis te ducit ovanter
Vt quisq; exitio ſibi, tot ſit perfidus auſis.
Denicq; ne penitus legar hoc in carmine fruſtra
Per mea vota Deum tibi ſæpe vocabo ſaventem
Atq; hoc exordium tranſactis cantibus addam;
Contra hoſtes omnes, te ſalvet Chriſtus ubiq;,

Atq;

Atq; recompenſet decies quod quisq; meretur:
Audiat in cunctis te semper Jhova benignum,
Præbeat vq; sui tibi candida signa favoris,
Vt videant visq; tuos pudor obruat hostes,
Omine præsidii fuerit quod sic tibi solus
Auctor, & afflictis tulerit solatia rebus,
Semper adhuq; tibi dilectam ferre salutem,
Porroq; te foveat cœlestis gratia pacis.

Hactenus ille. Ita mira & varia est sæpe culpa mortalium qua quisq; ipse sibi ruinam nectit: præsertim illi graviùs peccant qui monitionibus surdas præbent aures, ut potiùs in tempore resipiscere, dum gratia Jehovæ adhuc aperta est, uti id graviter exprobrat David Psal. 78. 59. 60 & seqq. suo populo, quod aversi à Dei mandato & verbo perfide egerint: Unde è contrario Deus iratus aversus est valdè, ait, Israelem: & deseruit tabernaculum Silo: tabernaculum quo cohabitabat inter homines: Et tradidit capiendum robur suum; & decus suum in manus hostis; & conclusit intra gladios populum suum, juvenes eius devoravit ignis, & virgines eius non sunt laudatæ, &c.

Nimirum ita fit, ut sæpius maximè noxii eius culpæ innoxios in pœnas simul secum abripiant nimis acerbas, velut in huius urbis calamitate supra modum horrida videre est: ut exemplum præbeant aliis iræ Dei ingruentis. Etenim num vero putatis ait Christus Luc. 13. 4. 5. quod illi octodecim in quos turris Siloha incidebat eosdemq; interficiebat noxii fuerint præ omnibus hominibus qui Hierosolymæ habitant? Ego dico: Non. Sed si vos non redeatis ad meliorem frugem, etiam vos omnes peribitis. Ut merito istud exemplum indignantiæ divinæ commonefaciat omnes quotquot maxime vitam Christi profitemur: Veluti etiam ex eo excidio huius clarissimę urbis tunc non solum Germania ipsa, sed etiam vicinæ regiones & regna totius Europæ, quum prima fama passim dispargeretur, ac præsertim hominum animi, qui quasi conscientia secum convincebantur, usque adeo perculsi sunt, ut quilibet attonitè perterrefactus secum deprehenderetur. Ipse tunc in remotioribus locis non leves audivi querelas ex commiseratione talium obrutorum contextas. Ingens ita erat omnium stupefactio ad perceptionem tam horrendæ cladis, quasi omnes pavor iste cœlitus percussione tetigisset.

Verum nec diu duravit, quin ad securitatem omnes redirent priscam: Unde etiam Deus adhuc fortiter pergit nos belli atrocitate flagellare, quum tamen facilè remedium contra communem calamitatem esset cunctis adhibendum, si Deus voce sua nobiscum in correctione vitæ & charitate mutua inter nos audiri posset. Sed quum istud minus curæ nobis sit, & potius lites subinde novas inter nos seminemus ex ambitione & avaritia inexsatiabili, inde acriter iterum conquerendo merito exclamat Deus ipse Psal. 81. 11. 12. & seqq. Israel abiecit me, Itaque dimisi eos in pravitate cordis eorum, ut ambulent in consiliis suis. Si populus meus audiret, & Israel ambularet in viis meis: mox inimicos eorum humiliarem, & adversus ipsos manum meam verterem: & cibarem eos adipe frumenti, & ex petra satiarem eosdem mille: Num vero promptius consilium nobis possit dari, quam ipse Jehova ex cœlo nobis surrogãdo fidelissime proclamat! Quur igitur istud non apprehendimus? Nonne hęc perfidia summa sit in Deum? Ad dilectionem mutuam undique incitamur, nec tamen est, qui non hoc dulce medicamen secum potius in pessimum convertat venenum? Nim proinde pax uspiam ultro ad nos accurrere queat, quum adeo obstinate in inimicitia perseveremus erga Deum? Sed de his alibi pluribus actum est, & postmodo plenius in historia vera Magd. excidii poterit explicari. Deo interim cor pœnitens quisque cum correctione vitæ sanctioris offerendo secum retexere studeat, cœli quoque facies serenior mox, dum adhuc invivis sumus, affulgebit: quod ex animo omnibus comprecor: nec minus te, benevole lector, quicunque tandem sis mihi in hoc opusculo futurus, æquum in omnibus mihi præbeas censorem, nec quidquam in aliam mentem abripias quàm quod Christiana patitur mansuetudo, & benigna veritatis interpretatio, ac cogita hoc iterum, quod minus recte facta non alio quàm suo colore potuerint depingi: homini quippe humanitate nihil convenientius. Vale.

* * *

FINIS.

Digitized by Google

ORDO
DELINEATARUM PROVINCIARUM, URBIUM, ICONISMORUM ET TABULARUM NAUTICARUM, prout illæ à compactore operi huic inſerendæ ſunt.

Inter dedicationem & præfationem totius operis.

1 *Imago Auctoris.*

Poſt præfationem.

2 *Orbis terrarum*
3 *Europa.*
4 *Germania.*
5 *Dania.*
6 *Svecia & Norvvegia.*
7 *Rußia cum Moſcovia.*
8 *Polonia cum Livonia.*
9 *Pomerania.*
10 *Rugia.*
11 *Meckelnburgum.*
12 *Saxonia.*
13 *Magna Britannia, Scotia & Hybernia.*
14 *Gallia.*
15 *Hiſpania.*
16 *Italia.*
17 *Sicilia.*
18 *Rudolphus II. Imp.*
19 *Matthias Imp.*
20 *Ferdinandus II. Imp.*
21 *Ferdinandus III. Imp.*
22 *Elector Mogunt.*
23 *Colon.*
24 *Trevir.*
25 *Bavar.*
26 *Saxon.*
27 *Brandeburg.*

Ad finem ſecundæ partis.

28 *Helvetia.*
29 *Dominium Venetum.*
30 *Alſatia.*
31 *Palatinatus Rheni.*
32 *Ducatus Bavaria.*
33 *Tigurum.*
34 *Berna.*
35 *Lucerna.*
36 *Vria.*
37 *Suitia.*
38 *Vndervvaldia.*
39 *Tugium.*
40 *Glarona.*
41 *Baſilea.*
42 *Friburgum.*
43 *Solodurum.*
44 *Schaphuſia.*
45 *Abbatis Cella.*
46 *S. Galli.*
47 *Bienna.*
48 *Geneva.*
49 *Mulhuſium Alſat.*
50 *Bada.*
51 *Bremgartum.*
52 *Bilitionum.*
53 *Sedunum.*
54 *Curia.*
56 *Plurſium.*
57 *Rex Gall.*
58 *Cardin. Richelieu.*
59 *Dn. de Baſſompiere.*

Poſt præfationem tertiæ partis.

60 *Albis fluvius cum adjacentibus.*
61 *Haſſia ſuperior.*
62 *Inferior.*

Inter III. part. & antegreſſum quartæ.

63 *Brandeburga.*
64 *Brunſviga.*
65 *Lunæburgum.*
66 *Brema.*
67 *Stada.*
68 *Hamburgum.*
69 *Hanovera.*
70 *Goslaria.*
71 *Northemia.*
72 *Gottinga.*
73 *Duderſtadium.*
74 *Hildeſia.*
75 *Hamelia.*
76 *Magdeburgum.*
77 *Northuſium.*
78 *Mulhuſium Thuring.*
79 *Helmſtadium.*
80 *Stendalia.*
81 *Spandovia & Ratenovia.*
82 *Tangermunda.*
83 *Erfurtum.*
84 *Lubecca.*
85 *Hafnia.*
86 *Berga Norveg.*
87 *Stockholmia.*
88 *VVubij.*
89 *Chilonium.*
90 *VViſmaria.*
91 *Roſtochium.*
92 *Stralſundia.*
93 *Griphiſvvaldia.*
94 *Stetinum.*
95 *Dantiſcum.*
96 *Elbinga.*
97 *Königsberga.*
98 *Francofurtum ad Oderam.*
99 *Vratislavia.*
100 *Thorunia.*
101 *Riga.*
102 *Revalia.*
103 *Nerua utrâq;*
104 *Cracovia.*

Ad finem

Ad finem antegreſſus.

105 *Rex Daniæ.*
106 *Sveciæ.*
107 *Poloniæ.*
108 *Leopoldus VVilhelmus Archid. Auſtriæ.*
109 *Henricus Junior.*
110 *Julius Pacificus.*
111 *Henricus Julius.*
112 *Fridericus Ulricus.*
113 *Auguſtus.*
114 *Georgius.*
} *Duces Brunſvic.*

Ad finem partis quartæ.

115 *Germaniæ inferioris.*
116 *Coloniæ.*
117 *Veſaliæ.*
118 *Embricæ.*
119 *Zutphaniæ.*
120 *Svvollæ.*
121 *Campenæ.*
122 *Haſſeltum.*
123 *Ultrajectum.*
124 *Noomagum.*
125 *Thielæ.*
126 *Rurmundæ.*
127 *Venlooe.*
128 *Bomeliæ.*
129 *Dordracum.*
130 *Briellæ.*
131 *Ziricſeæ.*
132 *Middelburgum.*
133 *Arnemundæ.*
135 *Roterodamum.*
136 *Moſatrajectum.*
137 *Harderwicum.*
138 *Amſtelrodamum.*
139 *Enckhuſæ.*
140 *Harlemum.*
141 *Leydæ.*
142 *Stavera.*
143 *Hindelopiæ.*
144 *Bolsvverdiæ.*
145 *Harlingæ.*
146 *Gröningæ.*
147 *Embdæ.*
148 *Monaſterium.*
149 *Oſnabrugum.*
150 *Mindæ.*
151 *VVarburgum.*
152 *Lippæ.*
153 *Hammæ.*
154 *Unnæ.*
155 *Herverdiæ.*
156 *Padeborna.*
157 *Elburgum.*
158 *Londinum Angliæ.*
159 *Brugæ Flandriæ.*
160 *Antvverpiæ.*
161 *Dinantum.*
162 *Riſſelæ.*
163 *Duinkerkiæ.*
164 *Caleſium.*
165 *Doveræ.*
166 *Diepæ.*
167 *S. Maloe.*
168 *Rupellæ, v. Rochelle.*

Ad finem ſextæ partis.

169 *Africæ.*
170 *Lisbonæ.*
171 *Marſiliæ.*
172 *Genuæ.*
173 *Romæ.*
174 *Meſſinæ.*
175 *Venetiæ.*
176 *Conſtantinopolis.*
177 *Thunetum.*

His ſubjungantur Tabulæ nauticæ.

178 *Tabula maris orientalis.*
179 *Maris orientalis, ſeptentrionalis & occidentalis.*
180 *Maris ſeptentrionalis.*
181 *Portuum maris ſeptentrionalis inter Teſſel & Hoffden.*
182 *Portuum Lappiæ & Ruſſiæ uſq; ad novam Zemblam.*
183 *Portuum Norvegiæ, Daniæ, Holſatiæ & Mechelnburgi.*
184 *Portuum Irlandiæ.*
185 *Portuum occidentalium Norvegiæ & Spitzbergæ.*
186 *Portuum Angliæ, Belgii, & Iutlandiæ.*
187 *Portus Canalis intra Angliam & Galliam.*
188 *Portuum Galliæ, Biſcajæ & Galliciæ.*
189 *Portuum Gallicia, Portugaliæ & Andaluſiæ.*
190 *Tranſitus Gibraltar cum port. Hiſp.*
191 *Portuum Barbariæ cum Inſulis Canar.*

ff *Lauſanna.* NB. ſupra ſuo loco.

AD1 14 33594

Google


ATUS BREMENSIS
Stade
LANDT
AS OLDE
STUR
MARCK
Grohlandt


NOBILIS FLUVIUS
ALBIS
maximâ curâ, ex variis, famosisq; Autoribus collectus, et in lucem editus.
Wusten
NYE
OLDE
GAMB
Sachsen Waldt
Milliaria Germanica Communia quorum 15 gradum unum latitudinis. Constituum.

LUNEBURGENSIS DUCATUS PARS
EPISCOP
Boxtehude
Olde landt
Barsfel
Nie Closter
Moorberck
Hoge Schar
Lurcheil
Rog
KREICK WERDER
GAMB
KOSLACH
BILLE WERDER
Hammer broeck
Alter Steinhöft
Hasselbrock
ALSTER
HAMBURG
DAS FURSTEN DOM
Eppendorp


RITZE
LEN
RITZEN
ZUYDER
NOORDER ELBE
scher Wadt.
Morler
1. S. Gertraut. 3. De
2. S. Jacob. 4. Da

♄ Der Hagels Berg. ☉ Weyxel fluß. ☽ Newgarten Vorſtat. und Soltzenberg.
♀ Schodland Vorſtat. ♈ Biſchoffsberg
♂ Mutlaw fluß. ☿ die Oſt See.



27 S. Augustin
28 S. Iacob
29 Krockenthor.
30 Hohe Pfort
31 S. Laurentz
32 Rahthauß
33 Newe thor
34 S. Agneten
35 S. Peter und Pauls
36 Inselsleibisch thor

Newestatt.



D O N

25. S. Andrew.
26. S. Dunston in de eâſt.
27. Lion Kay.
28. the Beidge.
29. Hackney.
30. Alhallowes Beeking.
31. Stepney.
32. The Towee.
33. S. Katherins.
34. S. Olafe.
35. S. Mary Oueris.

36. Wincheſtee howſe.
37. The Globe.
38. The Bear Gaedne.
39. The Swan.
40. The cell ſchipes.
41. The Gally fuite.
42. Hazowe on the hill.
43. Hamſted.

Digitized by Google

Google

1. S. Paul.
2. S. Brides.
3. Baynards Caſtle
4. Arondel howſe.
5. Sauoÿ.
6. Burleÿ howſe.
7. Ducham howſe.
8. Iock howſe.
9. Konigs Pallaſt.
10. Cheape Croſſe.
11. Bow Churche.
12. The Stilliarde.



3. Cole harbour.
4. S. Lauzens.
5. Guild Hall.
36. S. Anthoines.
37. S. Lauzens Poultry.
38. The Exhange.
19. the Duth Chuzche.
20. S. Michaelis.
21 S. Peter.
22. Leadns Hall.
23 Fischmongees hall.
24. S. Hellen.

Digitized by Google

SCAFHUSIA.
RHENVS FLUVIVS
1. Münster.
2. S Johanns.
3. Barfusseren.
4. Cloister
5. Spital.
6. Rahthauss.
7 Zeughauss.
8. Frawmoag.
9. Keffi thurn.
10. Thier garten.
11. Baum garten.
13. Schmitten Thorlein.
14. Muhller Thor.
15 Ober thor.

Engels bach thor. 18. Fischermulde. 20. Weber thorlein. 22. Vnnoth. 24. Rhein thor. 26 Metzig
Der Wider. 19. Neuw thurn. 21 Ambeis thorle. 23. Schwark thor 25. Salz hoff. 27. Buckoffen.

Digitized by Google


Die Eydtgnoschafft
Pünten vnd Wallis.
HELVETIA
cum Confinijs.
Ein Schuwytzer Meil.
Ein Teutsche Meil.

Die 13 Ort der Eidgnosschaft
Die Zugewandten Ort
SCHWABEN LAND
BODEN SEE
Zürich
Glarus
Schwyz
Lindow
Feldkirch
Constantz
Domo d'Ossola
Lugano
Como
Milano
Varese
Bellenz
Mayland
Sitten
Schlösser
Clöster
Dörffer

Digitized by Google

POLONIA
Regnum, et
SILESIA
Ducatus.

Das Baltische Meer

Pomerellia

New Marck

Crossen Duc.

BOHEMIÆ

PARS. MORAVIÆ Olmutz pars.

Prag

Broda

Colin

Elb fluß

Breßlau

Liegnitz

Oppeln

Ratibor

Dantzig

Thorn

Culm

Posen

Stettin

Frankfurt

Glogau

Brieg

Neiße

Schweidnitz

Hoyerswerda

Sorau

Crossen

Landsberg

Meilen Germanica


PRVSSIÆ
POMERANIA
POLONIA
MAZOVIA
PODLACHIA
Elbing
Marienburg
Dantzig
Thorn
Culmsee
Graudentz
Rosenberg
Neidenburg
Soldau
Ortelsburg
Rastenburg
Lötzen
Sensburg
Bischofsburg
Allenstein
Mohrungen
Preuss. Holland
Braunsberg
Landsperg
Schippenpeil
Melsack
Bartenstein
Holspurg
Rastal
Soldau
Wartenburg
Gerdauen
Pr. Eylau
Liebstatt
Mehlsack
Wormdit
Heilsberg
Frauenburg
Tolkemit
Pillau
Fischhausen
Königsberg
Labiau
Memel
Tilsit
Ragnit
Insterburg
Gumbinnen
Darkehmen
Oletzko
Lyck
Johannisburg
Lötzen
Rhein
Angerburg
Goldap
Pillkallen
Stallupönen
Ebenrode
Schirwindt
Wilkowischken
Tilsit
Ragnit
Neidenburg
Willenberg
Rosschitz
Soldau
Zehden
Lowitz
Plotzk
Sierpc
Rypin
Lipno
Strasburg
Gollub
Briesen
Culm
Graudentz
Schwetz
Neuenburg
Marienwerder
Riesenburg
Rosenberg
Osterode
Hohenstein
Ortelsburg
Passenheim
Neidenburg
Soldau
Mlawa
Przasnysz
Ciechanow
Makow
Nowemiasto
Pultusk
Serock
Zakroczym
Plock
Wyszogrod
Sochaczew
Blonie
Warka
Grodzisk
Rawa
Inowlodz
Brzesc
Uniejow
Kutno
Lenczyca
Gostynin
Sierpc
Dobrzyn
Lipno
Rypin
Golub
Strasburg
Briesen
Culm
Thorn
Gollub
Schlochau
Lauenburg
Putzig
Neustadt
Carthaus
Dirschau
Pr. Stargard
Mewe
Stargard
Schwetz
Graudentz

Digitized by Google

Digitized by Google


OCEANUS
SEPTENTRIO
NALIS
FIN MARCHIA
LAPPI
NORWEGIA
SWEDEN
FINNLAND
Finnisch See
Bothnischer Meerbusen
CORELIA
INGRIA
CARELIA
DANIA
NORTZEE
MARE BALTICUM
LIVLAND
LITTAW
POLONIA
SEVERIA
MOSCOVIA
MOLDAVIA
PODOLIA
CRIMEA
VALACHIA
BULGARIA
ROMANIA
PONTUS EUXINUS ZORNO M.
NATOLIA
ARCHIPELAGO
Constantinopolis
Album Mare
Moscua
Wologda
Getland
Gothland
TABULA
RUSSIÆ
ex autographo, quod dedi
neandum curavit Foedor
filius Tzaeus Bocis desumta
et ad flavios Dwinam Zuch
anam aliaque loca quan
dam ex tabulis et nottys
adhuc delatis fieri potuit
amplificata.
olim dicta
MOSCOVIA

Nova ZEMBLA

IEDA

BAIDA

'URMANS KOY MORE

SAMOIEDA

obdora

SIBERIA

Iugoria

Pega orda

Condora

Permia

TARTARIÆ

Wiatka

CAZAN

Ceremissi Nagaei

MORDWA

PARS

IURMEN

TURCMEN

CALMACKI

BOCHAR

ASTRACAN

PEDIGORI

CIRCASSI

MARE CASPIUM olim
nunc MARE DE BACHU
Ruteni vocant GUALENTSCHA MORE

GILAN Regio

ZIRPHANSCKA REGIO.

Digitized by Google

Digitized by Google


Tabula exactißima Regnorū
SUECIÆ et NORVEGIÆ
nec non
MARIS UNIVERSI ORIENTALIS
Terrarumq adjacentium, summa studio ad
Andreæ Buræi Suecia
OCEANUS
SEPTENTRIONALIS
Vulgo
Noort
Zee
MARE
BALTICUM
Vulgo Die Oost Zee

Mare Album
Hanc etiam Regionem Lappones inhabitant sed qui Moscovitico parent imperio Appella tang Sodia Suecice Terines. Lapponice Pyhenemy. Ruthenice Teschanswolosh Utuncat. eorum lingua caeteris Lappo nibus Communis
Pigenha Elgfere
Pyenefay North
S. Nicolas Vlosfice
Lappapol
Ladoga L.
Ladoga Occeo
Onega L.
Onega Occeo
Beta
Mare
Ingria
Livonia
Lithuania
Estonia
Carelia
Europe
Asia
Moscovia
Smolensko
Mohilow
Westgothica 04 uni grad.

Digitized by Google

OCEANVS CANTABRICVS
C de Ortegal
C de las Penas de guran
C de Mach
C de Belim
ASTURIAS
BISCA
Asturias
Oviedo
Burgos
Vitoria
Leon
GALLI
Orense
Tuy
Bayona
Baio
OCE
ANVS
OCCI
DENTA
LIS
Braga
Porto
Lamego
Aveiro
Viseu
Coimbra
Guarda
Salamanca
Segovia
Avila
Madrid
Alcala
Ciudad Rodrigo
Coria
Placentia
Alcantara
Vera de Placencia
Toledo
PORTV
Leiria
Tomar
Lisbona
Portalegra
Campo de Calatrauo
Merida
Badaoz
Elua
ESTRE MADAVRA
Ciudad real
Euora
Alcudia
NOVA
Sembal
Oluenca
Andujar
Baeca
Vbeda
Beia
Cordoba
Iaen
Sierra Morena
Alcalarenl
Granada
Sevilla
Egea
ANDALVSIA
GRAN
ALGARVE
Tauila
Faro
Cabo de Sacrum prom
SINVS
GADITANVS
Cadiz
Ronda
Malaga
IBERICVM MARE
Estr Bischthumb
Bischtumb
Academiae
Spanische Meilen.
Teutsche Meilen.
FRETVM HERCVLEVM
ESTRECHO DE GIBRALTAR
C Spartell
Tangar
Ceuta
Arzila
Gibraltar
7
8
9
10
11
12
13
14 Meridie
Septentr

GALLIAE PARS
HISPANIA Regnum.
MARE GALLICVM
BALEARICVM MARE
BALEARIDES INSVLAE
BARBARIAE PARS
NAVARRA
ARAGONIA
CATALONIA
VALENTIA
MVRCIA
Bayona
Pamplona
Huesca
Venasque
Girona
Vich
Solsona
Barcelona
Tarragona
Tortosa
Tervel
Cuenca
Siguenca
Numantia
Valencia
Sucroniensis sinus
Illicitanus sinus
Virgitanus sinus
Ferraria p.
Cartagena
Scombraria prō
Mallorca
Minorca
Ivica
Pytvisae insulae
Argier
Tabdis
Zabul
Mahadia
Calabrensa
Oran
Tenes
Alger
Tedelis
Dreck Sterrell
Wittelländische Zee

Digitized by Google

MARIS ME:
DITERRA:
NEI
PARS
SICILIA
REGNVM.
Mittell
Meer
MARE
Palermo
Messina
Trapani
Marsala
Augusta
Siracusa
Catania
Cefalu
C. Bonagerbone
C. di Gallo
Golfo di Castellamare
Golfo di Carini
Golfo di Termini
Golfo di Melazzo
Golfo di Catania
Golfo di Augusta
Golfo di Siracusa
Golfo di Trapani
Golfo di Marsala
Golfo di Sciacca
Golfo di Girgenti
Golfo di Terranova
Golfo di Patti
Golfo di Milazzo
Golfo di Noto
Golfo di Melilli
Golfo di Mazara
Golfo di Castellammare
Golfo di Carini
Golfo di Termini
Golfo di Melazzo
Golfo di Catania
Golfo di Augusta
Golfo di Siracusa
Golfo di Trapani
Golfo di Marsala
Golfo di Sciacca
Golfo di Girgenti
Golfo di Terranova
Golfo di Patti
Golfo di Milazzo
Golfo di Noto
Golfo di Melilli
Golfo di Mazara

R E O
F R I C O
MARE
DI
SICILIA
Messina
Faro de Messina
Mons de Namari
Ætna mons
Golfo di Catana.
Syracusa
C. Passaro
Pachinus Prom.
Camarana
Lilybæum
C. Milazo
C. Orlando
C. Mazaro
C. Schisò
C. de la Melana
Rasi marini
Rasi Cassir
Rasi Cassar
Pachino
Malta
Gozo
Comino
Lampedusa
Pantalaria
Linosa
Maretimo
Favignana
Marsala
Trapani
Mazara
Sciacca
Girgenti
Terra nova
Licata
Augusta
Catania
Lentini
Leonforte
Nicosia
Randazzo
Caltanisetta
Piazza
Castrogiovanni
Caltagirone
Modica
Noto
Ragusa
Scicli
Terra Modica
Terra Noto
Val de Demona
Val di Noto
Val di Mazara
Golfo di Mazara
Golfo di Sciacca
Golfo di Girgenti
Golfo di Licata
Golfo di Terra nova
Golfo di Augusta
Golfo di Catania
Golfo di Melazo
Golfo di Patti
Golfo di Castellamare
Golfo di Trapani
Golfo di Marsala
Golfo di Lilybæo
Golfo di Camarana
Golfo di Noto
Golfo di Pachino
Golfo di Malta
Golfo di Augusta
Golfo di Catania
Golfo di Melazo
Golfo di Patti
Golfo di Castellamare
Golfo di Trapani
Golfo di Marsala
Golfo di Lilybæo
Golfo di Camarana
Golfo di Noto
Golfo di Pachino
Golfo di Malta
M. Merian fecit.

Digitized by Google

Digitized by Google

PARTE DI GERMANIA
HELVETIÆ PARS
PARTE DI FRANCE
STATO DI MILANO
DOMINIO DE VENETI
Venetia
GOLF
STATO DELLA CHIESA
Ravenna
Cervia
Rimino
Pesaro
Fano
Ancona
GRAND DUCATO DI TOSCANO
Genoua
Gorgona
Capraia
Elba
Monte Christo
Roma
MARE LIGVSTICO
MARE DI SARDEGNA
MARE TIRR
SARDEGNA
Alghero
Bonchari
Bosa
Oristagni
Cagliari
Volica
Vulcano
C. Gallo

NOVA
ITALIÆ
DELINEATIO
CARIN:
KRAIN
Windisch
marck
Cron
Gelet com
PARTE DI DALMATIA
VENETIA
ALBANIA
Mare di Puglia
MARE
IONIO
Golfo di Taranto
Golfo di Policastro
Golfo di Squillace
Capo della Colonna
Corfu Ins.
Mare di Malta
Mare di Sicilia
Mare di Toscana
Mare di Sardegna
Mare di Corsica
Mare di Genova
Mare di Napoli
Mare di Roma
Mare di Venetia
Mare di Ancona
Mare di Pesaro
Mare di Rimini
Mare di Ravenna
Mare di Venetia
Mare di Trieste
Mare di Fiume
Mare di Zara
Mare di Sebenico
Mare di Spalato
Mare di Ragusa
Mare di Cattaro
Mare di Durazzo
Mare di Valona
Mare di Prevesa
Mare di Lepanto
Mare di Corinto
Mare di Negroponte
Mare di Candia
Mare di Rodi
Mare di Cipro
Mare di Alessandria
Mare di Barbaria
Mare di Tripoli
Mare di Tunisi
Mare di Algeri
Mare di Bona
Mare di Bugia
Mare di Tenes
Mare di Oran
Mare di Tetuan
Mare di Gibilterra
Mare di Portogallo
Mare di Spagna
Mare di Francia
Mare di Provenza
Mare di Genova
Mare di Toscana
Mare di Roma
Mare di Napoli
Mare di Sicilia
Mare di Malta

Digitized by Google

Digitized by Google

NOVA TOTIUS TERRARUM ORBIS GEO
Wahre Bildnüß des Gantzen Erden
Das Eüsserste Mitternächtische
Theil Americæ Welches noch dürzeit
Unbekandt
AMERICA Von Christophoro
Columbo Im Nahmen des Königs
In Castilien Erstlich Erfunden Im
Jahr 1492. Und von Americo
Vespucio den Nahmen empf-
angen A 1499.
Mitternächtische
AMERICA
Circulus Arcticus
Tropicus Cancri
Tropicus Capricorni
Circulus Æquinoctialis
MAR DEL
ZUR
Das Stille
Meer
Fretum Magalanicum
MAGALLAN
Terra Australis Incogni
Regnum
Quivira
Regnum
Chilaga
Avanares
Albardos
Auacal
Florida
Nova
Francia
Canada
Terra
Laboratoris
Terra
Corterealis
Ladronen
Insul
Insulæ
Salomonis
Nova
Guinea
Amazones
Mit
tagische
Brasilia
Rio de la
Plata
Terra del
Fuego
Europa
Asia
Africa
America Septentrionalis

GRAPHICA AC HYDROGRAPHICA TABULA.

Kraysses mit allen seinen theilen.

Digitized by Google

GROENLAN DI A
PARS
OCEANVS SEP:
TENTRIONALIS
Fris land
ISLANDIA
Circulus Arcticus
OCEANVS
DEVCALEDONIVS
HIBERNIA
SCOTIA
NOORT
ZEE
OCEANVS
OCCIDENTALIS
OCEANVS BRITANNICVS
GALLIA
Langedoc
Minorca
Estrecho de Gibraltar
Andaluzia
Granada
FESSA
BARBARIA
MAROCHO
MARE
ATLANTICVM
AFRICA

EVROPA
Noua Delineatio
MYRMANSKOY MORE
LAPPIA
Finmarchia
Karelia
ALBVM MARE
Esteno nes de Este
Finnis
Ingria
Ingermanl
Livonia
Mare Balticum
Curlandia
SAMOGITA
Prussen
LITVANIA
POLONIA
Mare
Balti
cum
RVSSIA
Wologda
Rostowa
Sudalia
Wlodimiria
Mordua
Rezania
Vorgeti
MOSCOVIA
Cazan reg.
Czermisie
Bulgaria
ASIÆ
Pere Voloka
TARTARIÆ
PARS
DVCATVS SEVERIENSIS
Tartaria Przecopēsis
PARS
EVXINVS
PONTVS
Moldauia
Walachia
HVNGARIA
Transsilua
BVLGARIA
Roma
MINOR
ASIA
NATOLIA
Cyprus
Pamphylium Mare
MARE AVSTRALE
ITALIA
Sicilia
Malta Ins
Candia
Creta
Candia d Creta
MARE MEDITERRANEVM
MARMARICA
PARS
ÆGYPTVS
Cairo
Damiata
Alexandria
M. Merian excudit.

Digitized by Google

OCEANI GERMANICI PARS.
Teutsche Meer.
NOVA TOTIUS GERMANIÆ DESCRIPTIO, Teutschland.
Gallije
Sleswyck
Sinvs
Hedigeland
Emden
Olden burg
Stift Bremen
Friesland
Drent
Ober Yssel
Twent
Holland
Seeland
Walcheren
Cleve
Brabant
Flandren
Hennegaw
Artoys
Lutich
Gulch
Colen
Berg
Marck
Lippe
Waldeck
Boullon
Lutzenburg
Namur
Lothering
Elsas
Burgundia Comitatus
Sabaudia pars
Westphalen
Lunenburg
Brunswick
Magdeburg
Hessen
Durin gen
Franckenland
Ober Land
Pfaltz
Wirtenberg
Schwaben
Tirol

MARIS BALTICI PARS.
Ost See
Bornholm Insul.
Danzig
Pomerelia
MAZOVIÆ PARS
BRANDEBURG
MEISEN
BOHEMIA
MERHERN
OESTREICH
Salzburg
Carinthia
SCLAVONIA
CROATIA
BOSNIÆ PARS
GALLICIA

Digitized by Google

Digitized by Google


IVTLANDT
SVDERLANDT
Angeln
Holsten
Wagerland
Lubeck
Hamborch
De Noordt Zee.
Occidens
Meridies
Meridies

DANIA
REGNVM
NORVEGIA
PARS
Dalecy
Regio
Sve
Cimbri
Prussia
Ora Gothenb
Schonen
Meun
Falster
Bulgo
De Oost Zee.
Rvgen
Rolock
Pomerania
Milliaria Germanica communia
Meridies

Digitized by Google

Digitized by Google

OOST
SEE
POME
RA
NIÆ
PARS
RUGIA
INSVLA AC DVCATVS
accuratissimè descripta
Arces nobilium plagæ
hoc signo notantur.
Miliaria Germanica communia.
Wittow
Stralsund
Barth
Bodstedt
Ribnitz
Tribsees
Grimmen
Franzburg
Loitz
Demmin
Anclam
Greifswald
Wolgast
Usedom
Pasewalck
Pyritz
Stettin
Damm
Gartz
Penkun
Casimir
Stargard
Naugard
Treptow
Cörlin
Rügenwalde
Stolpe
Lauenburg
Bütow
Leba
Schlawe
Rügenwaldermünde
Colberg
Cörlinermünde
Rügenwalderhamer
Neuwarp
Pollnow
Schivelbein
Dramburg
Falckenburg
Arnswalde
Friedeberg
Soldin
Landsberg
Cüstrin
Reetz
Schönfliess
Crossen
Züllichau
Sommerfeld
Guben
Cottbus
Peitz
Spremberg
Hoyerswerda
Bautzen
Görlitz
Lauban
Naumburg
Sprottau
Sagan
Priebus
Muskau
Forst
Triebel
Sorau
Crossen
Zielenzig
Meseritz
Bomst
Fraustadt
Lissa
Rawitsch
Glogau
Grünberg
Freystadt
Sprottau
Sagan
Priebus
Muskau
Forst
Triebel
Sorau
Crossen
Zielenzig
Meseritz
Bomst
Fraustadt
Lissa
Rawitsch
Glogau
Grünberg
Freystadt

M A R I S
B A L T I C I
P A R S
Stubbenkam
Stubbenwitt
Primus Wick
Hiddensoe
Der Bessin
Der wilden
Rodswisch
Rügenwalder
Ruden Insula olim
Pomerendische
heid
Kemit

BIBLIOTECA NAZIONALE

Digitized by Google


SAXONIA SVPERIOR, CVM
Magdburg
Lauburg
Saltz
Burg
Genuen
Glogen
Wittenberg
Gamberg
Belitz
Teupitz
Superior
VOLTLANDIA
Thuringen
Schamting
BOHEMIE

I LVSATIA ET MISNIA.

BIBLIOTECA NAZIONALE

Digitized by Google

Digitized by Google


Grypiswald
Brandenburgische.
NITZ

Digitized by Google



Digitized by Google

TICI PARS
See
POME
RANIA.
Colberg
Bukowischesee
Rügenwald
Stargard
Stettin
Pasewalck
Prenzlow
Anclam
Demmin
Greifenhagen
Pyritz
Naugard
Cörlin
Deutsch Crone
Dramburg
Arnhausen
Neustettin
Schivelbein
Stargard
Pyritz
Greifenhagen
Angermünde
Prenzlow
Templin
Gramzow
Zehdenick
Oderberg
Liebenwalde
Bernau
Freienwalde
Wriezen
Drehem
Ellenberg
Zorndorff
Landsberg
Bamberg
Morinbuch
Custrin
Reppen
Crossen
Sternberg
Zullichau
Schwiebus
Sommerfeld
Cottbus
Peitz
Spremberg
Luckau
Lübben
Storkow
Fürstenwalde
Müncheberg
Seelow
Wriezen
Freienwalde
Bernau
Oderberg
Liebenwalde
Zehdenick
Templin
Gramzow
Prenzlow
Angermünde
Greifenhagen
Pyritz
Naugard
Stettin
Gartz
Schwedt
Vierraden
Casimir
Soldin
Landsberg
Berlinchen
Arnswalde
Reichenbach
Stolpe
Hohenwalde
Mohrin
Woldenberg
Driesen
Meseritz
Bomst
Schwiebus
Crossen
Züllichau
Sorau
Guben
Forst
Sagan
Sprottau
Glogau
Lüben
Sprottau
Naumburg
Sagan
Sorau
Forst
Guben
Cottbus

Digitized by Google

Digitized by Google

GALLIA.
LE ROYAVME
DE
FRANCE.
Franckreych.
ANGLIÆ PARS
Britannische Meer
Wicht I
Belle Isle
AQUITANISCHI Meer
HISPANIÆ PARS
Pyrenæi
Frantzoische Meylen
Teutsche Meylen
Bayonne
Bordeaux
Rochelle
Nantes
Poictou
Bretaigne
Normandie
Tourain
Guyenne
Gascogne
Languedoc
Biscaie
Navarre
Pais de Bearn
Bigorre
Comingeois
Armignac
Albret
Medoc
Quercy
Perigord
Angoumois
Saintonge
Maine
Le Perche
Le Vexin
Le Beauvoisis
Le Boulonnois
Le Pays de Caux
Le Roussillon
Le Comté de Foix
Le Comté de Rhodez
Le Comté de Comminges
Le Comté de Bigorre
Le Comté de Pardiac
Le Comté de Fezensac
Le Comté de Lomagne
Le Comté de Gaure
Le Comté de Rivière Verdun
Le Comté de Rivière Basse
Le Comté de Bigorre
Le Comté de Comminges
Le Comté de Foix
Le Comté de Rhodez
Le Comté de Pardiac
Le Comté de Fezensac
Le Comté de Lomagne
Le Comté de Gaure
Le Comté de Rivière Verdun
Le Comté de Rivière Basse


Teutsche Meer
Schouwen I.
Walcheren
Teütsch Landt
Colen
Meyntz
Frankfort
Lutzenburg
Lutzenburg
Metz
Zweibrucken
Loraine
Verdun
Nancy
Strasburg
Champaigne
Basseigny
Langres
Basel
Costentz
Zürich
Bern
Luzern
Besançon
Dole
Dijon
Genevue
Alpen gebürg
Lion
Clermont
Auvergne
Segallaun
Rhodes
Vellay
Vivarets
Alby
Albigois
Gevodan
Turin
Piedmont
Savona
Milan
Pauia
Arles
Augsburg
Nice
Narbona
Marseille
Mittel= Meer
ländische
Isle de Eres
Bericht vber die Zeichen.
Ertz Bistumb.
Bistumbe.
Academie
Parlamente

Digitized

Digitized by Google

MAGNÆ
BRITANNIÆ
et
HIBERNIÆ
TABVLÆ.
Die Britannischen
Insulen.
Hebrides
Insulæ
OCEANVS
OCCIDEN
TALIS.
land.
MARE
HIBER
NICVM
Dingle Bay
Cape Clear
Millaria Anglicæ communia.
Millaria Germanica communia.

OCEANVS
GERMANICVS.
Orcades
Insulæ
Stranveren
Schott-
landt.
Die
Noort
See
Engel-
land.
Seelandt
Flanderen
Artoys
Hanault
Mare Britannicum.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

BRAUN-
SWIG
HAS
SIA
INFE
RIOR.
Scala Miliaria Hyc
EISCH-
FELD
THU
RIN
GIÆ.
PARS
Stette.
Schlösser.
Clöster.
Dörffer.
Stein
Spaumbek
Hesebek
Braunten
Plejer
Nideck
Brakenberg
Hilpertshausen
Gudden
Fredlad
Gleichen
Berlyn
Herlaman
Bernhagen
Ostrode
Gebildenberg
Greiffenstein
Fürstenstein
Wanfried
Treffurt
Dorla
Lichtenau
Buschhausen
Tettenrode
Bömberg
Pachmannshausen
Creutzburg
Berka
Spangenberg
Sontra
Cassenberg
Lissenhausen
Dreuberg
Friedwald
Handelshausen
Creutzberg
Vach
Landeck
Smalcalden

Digitized by Google


BER
GEN
Colln
NASSAV
Siegen
Blanckenburg
Hain
Weſter
walt.
Gemund
IVL
ICH
Coblentz
TRIER
NIDER
CATEN:
ELNBOG.
PALA:
HASSIA
SUPERIOR
TINA:
TUS:
Meintz
OBER
Nacken
Darmſtt
Oppenheim
Odernheim
Albey
Mutaria Germaniæ communis


NIDER
THVM
FURS
TEN
Lowenstein
Hessenstein
Homburg
Rottenburg
Wallenstein
Neustein
Friedwalt
Hilmes
Laudeck
Herefelt
Aula
Wissenhorn
Schwartzenborn
Neukirch
Treisa
Ziegenhain
Spieskugel
Gemünd
Rausenberg
Neustatt
THUMB
Alsfelt
Herbstberg
Kirchhain
Ramrod
Gabenau
Haurach
Homburg
Lauterbach
Eisenbach
Ulrichstein
Neuhoff
Geissele
State
Schlösser
Clöster
Dörffer
Meda
Allendorf
Schotten
Glieberg
Laubach
Biersteni
LHON.
Hungen
Steinfelt
Schlüchter
Nidda
Lisberg
Salmünster
Bruckenau
FRANCKEN
Budingen
Salfelt
Hanau
HART
FRANCONIÆ
Carlstatt
Pokesfelt
PARS.
Würtzburg
Mayn fl.
Aschaffenburg
Proselden
Remling
Aletheim
Hingenburg
Miltenburg
Rheinen
Oden
Liebenberg
Wale
Lohr
Gemund
Remack

Digitized by Google

Digitized by Google


Walles
Devonia.
Cornwal
ENGE
Dorch
Sorlinges
Bre taig
FRAN
Yerlandt
Tuskar
I Saltes
I Ramsey
Scaline
Pembrock
Dale
I Caldy
Aberavon
Helvoet
Necsands
I Lundey
Ilfarcombe
Barnstable
Bedford
Hartlandt point
Stanton
Padstow
Foy
Rotterwalt
I Rockbrout
Dortmouth
Exmouth
Start point
Plymouth
Torbay
Teignmouth
Portland
Weymouth
Lyme
Sidmouth
Portland bay
Mynhead
Dunster
Hinkspol
Yphithauen
Niuport
Wolf
Zeesensteen
Hellant
Kuinen
Seims
Baldewins bay
Garden
Rokeduro


PORTVS
Canalis intra
Angliam et
Galliam exis-
tentis.
Kent.
Suss ex.
Southam pton.
ester.
Caux.
Normandie.
Roan
Dieppe
Boloigne
Ornar
Granville
Couplence
Aurence
Mont saint
Mal o
Mill. Germ. quor. 15. uni, gradus.
Hispan. mill. eor. 15½. unũ grad. confic.
Angl. et Gall. mill. eor. 20 un. gradus.

Digitized by Google

Digitized by Google


C. de Ortegal
C. de Trier
Ferol
Pointe de Mas
Bilasco
C. de Bris
Ribadeo
C. de Bellem
Monfy
Coruane
GALISSE.

Milliaria Germ quorum 15 unius gradus
Hispan mill corum 15½ unu gradu constituut
Angl et Gall mill corum unus gradus
TABVLA
Portuvm Galliæ
Biscaiæ et Galli-
tiæ inter Heisant
et Cap Finisterræ
situatorum.
BRETAIGNE
POICTOV
BISCAIA
Rochelle
Port Maran
Den Bas
I. S Martin
I. Oleron
Anchise
Arcachon
Cabriten
Dayone
Bilbao
Castro
Laredo
S. Andero
S. Sebastian
Fontarabia
S. Jan de Luz
Sangsen
Villa Viciosa
Rio de Solle
Ribadeo
Gibraltar
Ormuz
Malacca
Manilla
Macao
Goa
Mozambique
Cochin
Ceylon
Bengala
Pegu
Siam
Iapan
China
Canton
Tartaria
Moscouia
Nova Zembla
Groenland
Islandia
Terra Nova
Canada
Florida
Nova Hispania
Mexico
Peru
Chili
Nova Guinea
Nova Hollandia
Iava
Sumatra
Philippinæ
Moluccæ
Borneo
Celebes
Banda
Molucca
Timor
Iapara
Nova Francia
Nova Anglia
Virginia
Nova Belgia
Nova Scotia
Terra Nova
Labrador
Hudsons bay
Frobishers Streights
Davis Streights
Nova Zembla
Tartaria
Moscouia
Groenland
Islandia
Scotia
Hibernia
Anglia
Gallia
Hispania
Africa
Asia
America
Europa

Digitized by Google


TABVLA
Portuvm Gallitiæ
Portugælliæ, et An-
dalusiæ, à Cap. Or:
tegegally, usq; ad trā-
situm Gibraltar.
Duytsche milen 15 in een graadt
Spaensche mil en 17 ½ in een graa
Eng: en Fr: mil: 20 in een graadt
Ribadeus
de Ortegal
Corunna
de Finisterre
Viana
Aveiro
Barlinges



Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Duytsche milen 15 in een graedt
Spaensche milen 17 ½ in een graedt
Eng: en Fl: milen 20 in een graedt
Conil
C. Trafalgar
HISPA
Estepona
I Tarifa
Tarifa
Gibraltar
Tanger
C. Alcuïar
Old Castel
Ceuta
BARBA
Castellera
C. Rezell
al C. Perquis
Tooren
RIÆ
Tibosses
Tetuan
PARS
C. Tetuan



Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google


Port à Port
POR
TV
GAL.
Aveiro
C. Roxent
Figuera
C. de Espichel
Lisboa
C. de Sagres
S. Vincente
ALGARVE.
Sevilla
Calis
Streete van Gibralter
C. Spartel
Anafe
Lisones
Azamor
C. Cantin
Safin
Mogador
C. de Tafillano
C. de Geer
Mesa
C. Gilolo
Alcanger
C. de Gues
Arsila
Tanger
Ceuta
Porto Santo
Sorres
Los Salvages
Canaria
Lanzarote
Fortaventura
Alegranza
Albaida
C. de Soin
Arzo
Mogador
Saffy
Plaia
P. Cavo
Baudor
BARBARIA
TABVLA
PORTVUM
Barbariæ, iunctis Insulis Canariensibus.
Deutsche Meylen 15. in ein grad.
Spanische meilē 17½ in ein grad.
Engl. vnd Fr. meyl 20 in ein gr.

Digitized by Google

Digitized by Google


Capt


Spitsberge
TABVLA PORTV-
UM OCCIDENTA-
lium Norwegiæ
et Spizbergi.

Digitized by Google



Digitized by Google

Deutſche meilen 15 in ein grad
Spanjiſche meyle 17½ in ein grad.
Engl. und Franc. meilen 20. in ein grad
IRLANDIÆ MARI PORTVS.
Limricke
Endrigo
Slego
Kilbeg
Dungal
Dubling
Dredagh
Carlingfoort
Angleſey
Holihd
Ralf of Man
Long Swilly
Loughfoyl haven
Derry
Knockergus
Arran
Lamma
Clare
Connemara
Galloway
Brasil

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google

Calmer
Oelant
Barkerhaven
Christianopolis
Groen Eilandt
Stubroon
Rostock
Colbergen
POMEREN
Stettin
Schoonen
Rugen
Greifswald
Mekelen
borgh.
Wismer
Lubeck
Funen
HOLSTEN
ZEELANT

Digitized by Google

Digitized by Google


LAPLANDT
RVS
COREL EN
Kola
Archangel
Kandalex
Ombay
Noordkaap
Wardhuys
Wardus
Cegarema
Zalowitz
Ramalo
Tanebar
Passyeca
Makegroba
Lacis
Tumbar
Swetinoss
Archangel
Dwina fl.
Onega fl.
Congoza
Ribachoy Eylandt
Wichegda fl.
Pechora fl.
Mezen
Cola
Ribachoy
Kanin
Kolguyef
Vaygats
Nova Zembla
Waygats
Pechora
Mezen
Cola
Kanin
Kolguyef
Vaygats
Nova Zembla
Waygats
Pechora


NOVA
ZEM
Varigats
Pitora
SIA
Tabula
Portuvm Lap
piæ et Ruſſiæ,
uiq̃ Nouam
Zembalam.
Deutſche meylen 15. in ein grad.
Spans. meilen 17 ½ in ein grad.
Engl. und Franc. meilē in ein grad.

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google


VLAENDEREN.
Brugge
Sluys
Heist
Blanckenberg
Oostende
Nieuport
Duynkercken
Grevelingen
Calis
Middelburgh
Walchere
Goeyng
Quaeck
Sandwich
't Voorlandt
Rocolvers
D'Muer
Coninx diepe
Knock
Witing
Koert
De Naes
Harwits
Colchester
Orfordnes
Aldeburgh
Duynwitz
Waldarswyck
Sbawls
Raffy
Leistaf
ENGELANT
Yarmuyen
Winterthon
Admirals huys
Hoogbergh
Crommer
Düytsche mylē 15 in ein grad.
Spansche mülen 17½ in ein grad.
Engl. vnd Fr. myl. 20 in een grad.

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google


64
66
70
74
Yslandt
Langenes
Fero
Schotlant
Hitlandt
NOORWEGEN
SWEDEN
Gotlandt
Lapplandt
Noortkaap
Spitsbergen
Rusland
C Condenas
Wyborgh

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google


TABVLA POR
tuvm Angliæ Belgii
Iutlandiæ in Norwe
gia nec non reliqua
maris Septentriona
lis
ENGELANDT
London
Yarmuyden
Hull
Nieudeel
Doggers
Yarndt
Antwerpen
Rotterdam
Hollandt
NEDER LAND
Campen
Bremen
I. Heiligelandt


Orcades
Hitland
NOORWE
GEN
ANDT

Digitized by Google

Digitized by Google

TABVLA
NAVIGATO-
ria maris
Orientalis.
NOORWEGEN
SWEDEN
SWEDEN
Stocholm
Kalmer
MARCKEN
Zeelandt
DENE
Holsten
Lubeck
Meke lenborg.
POMEREN


OOST-FINLANT
Noord Bodem
Wyborgh
Revel
LIIF
LANDT
Parnout
Der Winda
COERANT
Ryge
Der Memel
Konunxbergh
PRVYSSEN
Deutsche meylen 15 in ein grad.
Spans meile 17½ in ein grad.
Engl. end Franc meil. 20 in ein grad.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by

Digitized by Google


MESSIN

A.



d by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

MARE ATLAN
TICUM
Insule de Cabo verde olim
Hesperides siue Gorgades
Hispania Pars
Fretum
Canarie Insule olim Fortunate
BARBARIA
BILE
DULGERE
olim NUMIDIA
LIBYA INTERIOR
SARRA apella
GARAMANT
Genchoa
Regio
Tombuto
regio
Mandingo
Caragole
BENIN
AEQUATOR
LINEA
AEQUINOCTIALIS
OCEANUS
AETHIOPICUS
Ins Trinidad
Ins Martin
Ins Tristan de cunha
Ins Gonsalo


nova descriptio
AFRICÆ.
ASIAE
PARS
NATOLIA
MEDITERRANEUM.
ARABIA
OCEANI
ORIEN
TALIS
SINUS
BARBARICUS
PARS
Barca desertum
Nubia Regn
Bello
Barnagasso
Bangali
Dobas
Balli
Tigremahon
Dolegu
Fungi
Quara
Nova
Calates
Zaire lacus
Malemba
Bagame
Lunæ Montes
Camal
Zofala
Butua
Mombaca
Pemba
Zanzibar
I de Natal
Ilbas de Mascarenhas
Madagascar
S. Laurentii Insula dicitur.
S Apolonia
I de Mascarenhas.
I.d Diego Roiz
Dos Romeyros
Dos Castellans
Dos Gajajos

Digitized by Google

ROMA.
Porta Pia
Porta Salaria
Porta Pinciana
Sepulcrum Neronis
Sept.
Mon.
Piazza Trinitatis
Porta Populi
S. Maria de Populo
Piazza Populi
TIBERI
Belvedere
Giardino del Papa
Palazzo del Papa
Castrum S. Angeli
Porta Pertusa
Piazza S. Petri
Porta de Castello Leonino

F
L


Porta S. Iohannis
Via Appia
Via Ostiensis
Via Portuensis
Via Aurelia
Via Flaminia
Via Salaria
Via Nomentana
Via Tiburtina
Via Labicana
Via Praenestina
Via Latina
Via Ardeatina
Via Ostiens

SPQR
Porta S. Sebastiani
Porta S. Paulo
Mons Testaceus
Monumentum
La Renella
Porta Portuensis

Digitized by Google

Digitized by Google

CONSTANTINOPOLITANÆ VRBIS

4. Serraglio Der Turck. Kaiſers Pallaſt.
1. L. Kaij: Cantzlaij.
2. Zeughauß.
3. S. Sophia.
4. Hippodromus.
5. Vberfahrt.
6. Gefangnuß Thürn zu
7. Suldan Basaceths Mo
8. Solymanni Moſchea.

'era. 9. Jeni Sultan Mehemebt der Soldan, 11. Seid affm Auratbaschae 13. Mehemets Baschē Moschea
ithea. Sofymanns Sohn Moschea. odee Weibermacht. 14. Suldan Mehemets Moschea
10. Die Aquæductus vnd Wasserkunst. 12. Schloß zun Sibenthürnē. 15. Suldan Selims Moschea.

Digitized by Google

Digitized by G

Digitized by Google

VAM TVRCÆ STAMPOLDAM VOC

INOPOLIS.

16. Diſes Orts iſt angangen des Conſtantini Pallaſt, biß zů ender Statt.
17. Almaratzo.
18. Stuck von Conſtantini Pallaſt, darin der T. K. Elephanten.
19. Conſtantini port.
20. Ein auſſgemaurte gar Cipreſſen beümen.
21. Ende der Statt, vnd

von
des Constantini.

22 Arsenale.
23 S. Venciauda.
24. S. Galatini kirch
25. S. Iacobs kirch.
26. Ein Hoche seule.
27. Ibrahim Bassan
28. Gefangnus thurn.
29. Alte Seygliun, darin das Frawenzimer.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

OLISIPPO. LIS



1. Caſtelli regia. 2. Ripę regia. 3 Armamentarium 4 Hoſpitale Omnium Sanctorum.
9 Templum maximum ſedes Archiepiscopalis 10. Monast. S. Maria da graca. 11. Predicatorc. 12.
17 Noſtr. Dam da Victoria. 18 S. Petri. 19. S. Ioanis da praca. 20 S. Bartolomę. 21. Mon
26. T. S. Anthoni padua. 27. S. M. Magdalena. 28. S. Nicolai. 29. T. Martyrum. 30 S. And

ABONA.

Domus Senatoria. 6. Domus Indica noua. 7. Domus Indica vetus. 8. Monaſt. S. Franciſci.
Monaſt. Carmelitarum. 13. S. Iuliani. 14. S. Vincenty. 15. S. Stephani. 16. S. Catharinæ.
Annæ. 22. N. Dame de Lorcto. 23 N D. Eſperanca. 24 M. S. Clarę. 25. N. D. do Paraiſo.
31. N D. da Roſa. 32. T. Fidelium Dei. 33. S. Thomæ. 34. Monast. S. Eloi.

Digitized by Google

1. S. Pietro de Arena.
2. La Lanterna.
3. La Bastia de pennetti.
4. Palazzo d'Andrea Doria.
5. La Porta de S. Tomaso.
6. Il Arcenal.
7. Il Molo.
8. La Bastia.
9. Il Castellazzo.
10. La Forca.
11. S. Lorenzo.
12. S. Bartelomeo dorm.
13. Conuentio
14. S. Mar
15. La Nun

16. Zararan. 19. Ale Forza. 22. La piazza de Sergenti.
17. La Conn. 20. Bisagne fiume. 23. Nostra Dona del Monte.
Dona dell Grche. 18. Viola 21. La Fu[illegible]. 24. Ponte de Bisagne. 25. Ponterosso fiume.

Digit[illegible] by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Mestre
Marzera
S Clara Monast
S Andrea
S Maria M
S Nicolo
S Maria Mat
S Biagio Catelda
Monache
CANALI DELLA GIVDECA
LA

VENETIA.
Tarvisio
S. Marco
Ponte di Rialto
Le Grece
S. Iohn Bap.

Digitized by

Digitized by Google

MVRANO
S. Bernardo
S. Matteo
S. M.a d. li Angeli
S. Lorenzo Mon
S. Michiele
S. Christophoro
Isola d. S. Hier.
S. Lazaro
S. Francesco
La Celestia
Giorgio
Maggiore

Torcello
Mazorbo
Burano
S. Michele
S. Pietro di Castello
S. Anna
S. Helena

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by

Lowertz.

A. S. Laurentio
B. Porte S. Laurent.
C. L. del Madame.
D. S. M. Angel
E. Casa de raso
F Hospitale
G S. Francisco
H Porte S Catharina
I Compion D
K Lago de Lugan.
L S Saluator

ntz.

Ticinus Flumen

Digitized by Google

Digitized by Google

NES

Digitized by Google

Digitized by Google

Ysabella
PIA
Die Schelde


ANTVER
Scaldis fluuius.
1. S. Maria Virginis
2. S. Iacobi.
3. S. Andreæ.
4. S. Georgij.
5. Die Dorckirch.
6. Hospitale magnũ.
7. Fratrum Mariæ.
8. Prædicatorum.
9. Minoritarum.
10. S. Michaelis.
11. Basilica seu Bursa nova.
12. Basilica seu Bursa Anglorum.
13. Forum vaccar.
14. Forum boarum.
15. Forum equile.
16. Forum porcorum
17. Piscaria.
18. Macellum.
19. Porta Imperatoria.
20. Porta Ridderpin.
21. Porta Regia.
22. Porta Casternia.
23. Porta Cremskergica.
24. Curia, ornamentum Vrbis extũ. olim per Hispanos in eundo absumpta, post modum sed restaurata.
25. Castrum ab Alberto Duce olim extructum.
26. Beluardo del Duc.
27. Beluardo de Fernando.
28. Beluardo de Toledo.
29. Beluardo de Alua.
30. Beluardo de Passano.
31. Osterohuyse
32. Die New Stat.

Digitized by Google

Digitized by Google

Eigentliche Vorbildung des schönen Fleckens Vlues, und wie derselbe nach seinem schrecklichen Untergang beschaffen. 1618.



Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google


1 Baluardo di S.to
Giovanni
2 Bal.do di S. Iacopo
3 Bal.do di S. Ma...
4 Bal.do di S. Piero a Pinde
5 Bal.do di S. Andrea
6 Bal.do di S. Bertrano
7 Castello di S. Elmo
8 Porta Reale
9 Porta di Monte
10 Mandracchio Imperfetto
11 Chiesa di S. Giovanni
12 Chiesa di S. Piero
13 S. Agostino Conuento
14 Ven. Chiesa del Carmine
15 S. Maria delli Leggi
16 S. Francesco
17 S. Domenico della Vittoria
18 S. Barnaba
19 S. Diego di Spagna
20 S. Caterina
21 Chiesa di S. Iacopo
22 Casa della Gran.a
23 Chiesa de Greci
24 Casa del Reuerendis.
25 Casa del Maestro
26 Casa di Franza
27 Casa di Alemagna
28 Casa di Castiglia
29 Magazeni d'Artiglierie
30 Prigioni degli Schiaui
31 Fontana
32 Casa di Corte del Tesoro
33 Casa di Gran Corte Ecclesiastica
34 Albergo di Auuergna
35 Casa di Gran Corte Bagliua
36 Casa di Corte del Bailo
37 Casa di Corte Bagliua

VALLETTA
CITTA NOVA
DI
MALTA.
Scala di miglia dieci.
1 2 3 4 5 6 7 8 9 10
Malta
Gozzo
Co.
Valletta
MARE MEDITR RANEVM.
M. Merian Secit.

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

MULHVSIVM ALSATIÆ.

Digitized by

Mulhausen.

NOBIL: AMPLISS: INTE-
GERR: PRVD: PRÆSTAN. VIRIS.
D D: CONS ET SENAT: CIVIT:
MVLHVS. PATRON: S: COLEND:
D D D Sculp. M. Merian.

A Baltier Schleiff vnd Lohe mühlen.
B Walck mühlen.
C Säg mühlen.
D. Blumrlaten mühlen.
E Spiegel mühlen.

15. das Nesler thor zu gemaurets.
16 Teufels thurn ibeig i der Bischofl: Burg.
17 Künstlich Brunnen werck.
18 Trückerey.
19 Büchsen Schützen hauß.
20. Armbrust Schützen hauß.
21. Augustiner Bächlein.
22. S. Nidausen Bächlein.

Digitized by Google

Digitized by Google



1. S. Gervais.
2. Le Chasteau Vieux.
3. La Tour de L'Isle.
4. La Porte de la Monoye.
5. Le Lac Leman.
6. La Porte de la Tartace.
7. S. Germain.
8. Maison de Ville.
9. S. Pierre.
10. La
11. Priso
12. Hos

Genff.

orte de Treille. 13. Bouleuerd du Pin 16. La Porte Neufue. 19 Moulins.
s. 14. Bouleuerd de S. Legier. 17. Bouleuerd de Loÿe.
itale. 15. Porte de S. Legier. 18. L' Hoſpitale.

Google

Digitized by Google

Digitized by Google

1. S. Benedictus. 2. S. Iohans Closter. 3. Rathauß. 4. Zeit-glocken thurn. 5. Brün-stuben. 6.
9. Baßgart thor. 10. Nydaw thor. 11. Der Bieler See. 12. Dschus fluß.

Digitized by Google

sprung Brunnen und 2. Mühlen treibt. 6. Schützen haus. 7. Ober thor. 8. Vnderthor.
Ioh. Heinrich Laubscher delinea.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google

Freyburg In
OC
OR

Vchtlandt.

Digitized by Google

1. S. Alban Closter.
2. S Alban Thor.
3. Papyr mahlen.
4. Die Byrß fluß.
5. Teutschaus.
6. S. Vlrichs kirch.
7. Das Münster.
8. Aschemes thor.
9. S. Elisabetha.
10. S. Maria Magdalen Cl.
11. Barfüßer Closter.
12. Spitat.
13. Steinen thor.
14. S. Leonhart Closter.
15. Augustiner Closter.
16. Collegium.
17. S. Martin Pfarkirch.
18. Das Rahthaus.
19. S. Andreas kirch.
20. S. Peters Stift kirch.
21. Gnadenthal Closter.
22. Das Zeughauß.
23. Spaalen thor.
24. Der Saltzthurn.
25. Prediger Closter.
26. Dodtendantz.
27. S. Johans.
28. S. Johans thor.
29. S. Peters platz.
30. Schutzenmatten.
31. Bilgen oder Elendenhorberg.
32. Spital Schewr.
FLUVIUS
RHENVS
In Mindern Basel.
1. S. Theodor Pfarkirch.
2. Carthus Closter.
3. Riechemos thor.
4. S. Clara Closter.
5. S. Nicolas.
6. Das Richthaus.
7. Clingenthal Closter.
8. S. Blasy thor.
9. Sägmühlen.
10. Wiesen fluß.



Digitized by Google

Digitized by

Digitized by Google


Der
Glarnisch
berg
Linnt Fluß

ONA.

Glaris.



Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google


TVGIVM.
Der Zuger

Zug.

Digitized by Google

Digitized by Google

UNDERWAIDIA.
Das Melchthal
S. Nicolaus
S. Anthoni
Kerns
S. Catharina
S. Jacob
Leonhart
Stantz
Melcha flu
Stantz Staad
Der vier Waldt-Stetten See
D. Brüder Vlrichs Eremit.

Der Brunig berg
Sachslen
Ia Br. Claus
begraben
Sonnenberg
Sarnen
Kagiswil
Alpnach
Schiffland
zu Alpnach
B. Sein Einsidel hauslein. C. Vns. Frawen Capel
F. S. Catharina cap. G. Drachen höle.

Digitized by Google

Digitized by Google



1. S. Martini Pfarrkirch. 2. N. Capuciner. 3. Alt Capuciner. 4. Rathhauß. 5. die Munz. 6

Digitized by Google

Mehrg. 7. Frawen Closter. 8. Mutta fluß. 9 Cap. zu Kindlan mordt. of Gofryter flacken Gersau.

Digitized by Google

Digitized by Google



1. S. Martini Pfarrkirch. 2. Heilig Creütz. 3. S. Iacob. 4. Capuciner Closter. 5. Fra
10. Alte Landtvogtey. 11. Die Metzig. 12. Wilhelm Tellen platt vnd Cappellen.

Digitized by Google



en Closter. 6. H. Creütz. 7. Zeughauß. 8. Rahthauß. 9. Zum Thürnlein.

LVCI

R N.



Digitized by Google

Digitized by Google



A. S. Vincentzen Münster.
B. Das Stifft.
C. Barfüßer Closter, jetz das Collegium.
D. Die Insel.
E. New Marcilli the
F. Christoffel thor.

Digitized by

Bern die Hauptstatt in Ütcht land ward erbawen durch Berchtoldum den V. Hertzogen zu Zäringen A. 1191. vnd Befreyet von den Keyseren Henrico dem VI. vnd Friderico dem II. Kam in den Eydgnotischen Bündt Anno 1353.



G. Der ober Spital vim Heilgen Geist. I. Das Zeughauß. K. Prediger Closter jetz der Groß Spital.
H. Gelterenmatgassen thor. L. Zeytglocken. M. Das Rath hauß.
N. Nideck. O. Das Niderthor.

Digitized by

Digitized by Google

Digitized by Google

TIGURVM.
LIMAT FLV.
Sil fluis

Zürych.



Digitized by Google

Digitized by Google

SIMMERN
DUCA
TUS.
Kirchberg
Castellum
Hunc
Bacharach
Bingen
Meintz
Oppenheim
Creutznach
Kreutznach
Kirn
Naumburg
Meisenheim
Lauterecken
Wolfstein
Rockenhausen
Alzey
Landsperg
Arnsheim
Oderheim
Pollant
Hornbach
Zweybruck
Neustat
Grumbera
Landweiler
Willmunster
Gemund
Waldhausen
Saltzbruck
Buckenheim
Dhiermund
Lutra
Tran
Landau
Germersheim
Billigheim
Berg Zabern
Weissenburg
Sahnbach
Hagenbach
Lautterburg
Neuenburg
Wendt
Landstuhl
Trifels
Annweiler
Elbach
Otterberg
Enkenbach
Frankenstein
Lambsheim
Frankenthal
Worms
Alzey
Oppenheim
Nierstein
Ingelheim
Bacharach
Caub
Lorch
Mayntz
Mentz
Hochheim
Hattenheim
Eltvil
Rüdesheim
Geisenheim
Johannisberg
Winkel
Hallgarten
Kiedrich
Eltvil
Wisbaden
Langenschwalbach
Nassau
Hofen
Kemptz
Ostheven
Hemsheim
Hochem
Pfiddersheim
Dirmstein
Mertesheim
Mörsen
Sien
Westhoven
Auch
Gunterblumen
Gerau
Gernsheim
Stadeck
Ockstadt
Ockstatt
Pfortzheim
Stahlberg
Schmittberg
Brucheuler
Gemund
Strombourg
Mutzig
Dachstein
Wasselonne
Marmoutier
Saverne
Phalsbourg
Lixheim
Sarrebourg
Sarralbe
Sarreguemines
Sarrebruck
Sarburck
Perpach
St. Avold
Homberg
Pirmasens
Hornbach
Meisbach
Sarralbe
Sarreguemines
Sarrelouis
Sarrelibre
Sarrebruck
Forbach
Saarbrücken
Saarlouis
Merzig
Saarburg
Trier
Treves
Luxemburg
Luxemburg
Thionville
Metz
Nancy
Toul
Verdun
Epinal
Remiremont
Colmar
Schlettstadt
Rappoltstein
Ribeauvillé
Kaysersberg
Turckheim
Munster
Gebweiler
Thann
Altkirch
Mülhausen
Basel
Basle
Liechstall
Delsberg
Porrentruy
Pruntrut
Solothurn
Soleure
Aarau
Zofingen
Zofingue
Lenzburg
Brugg
Baden
Zurich
Zurzach
Schaffhausen
Constanz
Lindau
Memmingen
Ulm
Augsburg
Ingolstadt
Regensburg
Passau
Linz
Wien
Vienne
Prag
Prague
Nürnberg
Norimberga
Bamberg
Würzburg
Wirtzburg
Frankfurt
Francfort
Mainz
Mayence
Worms
Speyer
Spire
Heidelberg
Mannheim
Manheim
Darmstadt
Aschaffenburg
Hanau
Fulda
Eisenach
Gotha
Erfurt
Leipzig
Dresden
Meissen
Chemnitz
Zwickau
Plauen
Hof
Bayreuth
Ansbach
Nördlingen
Donauwörth
Rain
Dillingen
Ingolstadt
Landshut
Straubing
Deggendorf
Passau
Braunau
Salzburg
Innsbruck
Hall
Schwaz
Kufstein
Rosenheim
Traunstein
Berchtesgaden
Reichenhall
Tegernsee
Miesbach
Schliersee
Bad Tölz
Wolfratshausen
Starnberg
Weilheim
Landsberg
Kempten
Isny
Leutkirch
Ravensburg
Biberach
Ehingen
Ulm
Blaubeuren
Urach
Tübingen
Rottenburg
Horb
Freudenstadt
Offenburg
Gengenbach
Zell am Harmersbach
Wolfach
Hausach
Triberg
Villingen
Donaueschingen
Hüfingen
Bonndorf
Stühlingen
Waldshut
Säckingen
Rheinfelden
Basel
Liestal
Sissach
Waldenburg
Olten
Aarau
Brugg
Baden
Zurich
Winterthur
Frauenfeld
Weinfelden
Bischofszell
Rorschach
St. Gallen
Appenzell
Herisau
Trogen
Altstätten
Rheineck
Feldkirch
Bregenz
Dornbirn
Bludenz
Montafon
Landeck
Imst
Zirl
Innsbruck
Hall
Schwaz
Kufstein
Rattenberg
Kitzbühel
Zell am See
Saalfelden
Hallein
Salzburg
Tittmoning
Altötting
Mühldorf
Wasserburg
Rosenheim
Prien
Chiemsee
Traunstein
Berchtesgaden
Reichenhall
Laufen
Tittmoning
Burghausen
Braunau
Ried
Schärding
Passau
Vilshofen
Deggendorf
Straubing
Bogen
Cham
Furth im Wald
Taus
Domazlice
Klattau
Strakonitz
Budweis
Budejovice
Krumau
Neuhaus
Iglau
Znaim
Nikolsburg
Lundenburg
Hradisch
Olmütz
Prerau
Kremsier
Zlin
Wallachisch Meseritsch
Neutitschein
Mährisch Ostrau
Teschen
Cracau
Krakau
Sandomir
Lemberg
Lwow
Przemysl
Sambor
Drohobycz
Stry
Stanislau
Kolomea
Czernowitz
Suczawa
Jassy
Iaşi
Kamenitz
Podolien
Podolia
Volhynien
Volhynia
Wolhynien
Brody
Tarnopol
Zloczow
Brzezany
Halicz
Kalusz


Gelnhausen
Reineck
Partenstein
Wechtersbach
Hanau
Frankfurt
Redenbach
SPES S
Lohr
Ansbach
HART
Neustat
Roden
Rotefels
Aschaffenburg
Karbach
Trifenstein
Remlingen
Callenberg
Creutz
Homberg
Erlebach
Wertheim
Holtzkirch
Freudeberg
WERT
Brumbach
HAIM .
Kulsheim
Mülkburg
Amorbach
Bischofsheim
Lauden
Grunsfelt
COMITATUS
Boxperg
Königshofen
Althausen
Tauber fl
Welchingen
Rosenburg
Mergetheim
Neustedten
Dortzbach
Krauta
Schöntal
Altring
Jagsthausen
Korber fl
Neuenstatt
HOHENLOE COMI:
TAT.
Hasselbrun
BERGEN
Lauffen
CATUS
Mündelsheim
PALATINATUS
RHENI.
PARS
Durlach
Rixing
Batigk
heim
Pforzheim
Weingart
Bauschlag
Maulbrun
Haidelsheim
Bretten
WIRTEN
SIS DU:
Kurlach
Prussel
Götz
Zutzern
Eppingen
Sickingen
Stromberg
Reichen
Sultzheim
Wimphen
Neckarsulm
Horneck
Guttenberg
Leonberg
Kayb
Wyelach
Heydelberg
Marlheim
Mosbach
Alexheim
Meckmül
Weissmann
Erpach
Amorbach
Furstenau
Waldstetten
Buchen
Lauden
Ladenburg
Neckarhausen
Ebenbach
Heidelberg
Schwetzingen
Frankenthal
Worms
Speyer
Landau
Germersheim
Landau
Kayserslautern
Pirmasens
Zweybrücken
Homburg
Saarbrücken
Saarlouis
Metz
Trier
Luxemburg
Thionville
Longwy
Verdun
Sedan
Mezieres
Rocroy
Charleville
Rethel
Laon
Soissons
Compiegne
Noyon
Peronne
Arras
Bethune
Lille
Tournay
Courtray
Oudenarde
Ghent
Dendermonde
Antwerp
Breda
Bergen op Zoom
Gertruydenberg
Dordrecht
Rotterdam
Delft
Leyden
Haarlem
Amsterdam
Utrecht
Amersfort
Arnhem
Nimwegen
Cleve
Wesel
Duisburg
Ruhrort
Crefeld
Neuss
Dusseldorf
Ratingen
Mulheim
Essen
Werden
Kettwig
Elberfeld
Barmen
Solingen
Lennep
Remscheid
Lüdenscheid
Altena
Iserlohn
Hagen
Schwelm
Hattingen
Bochum
Dortmund
Unna
Hamm
Soest
Lippstadt
Paderborn
Warburg
Corbey
Höxter
Brakel
Driburg
Detmold
Lemgo
Herford
Bielefeld
Minden
Osnabrück
Münster
Coesfeld
Borken
Bocholt
Wesel
Emmerich
Zutphen
Deventer
Zwolle
Kampen
Hasselt
Maastricht
Liège
Namur
Dinant
Charleroi
Mons
Valenciennes
Cambrai
Douay
Lens
Boulogne
Calais
Dunkirk
Ostend
Bruges
Sluys
Flushing
Middelburg
Veere
Zierikzee
Goes
Tholen
Steenbergen
Willemstad
Klundert
Geertruydenberg
Heusden
Bommel
Gorcum
Schoonhoven
Gouda
Woerden
Alphen
Leyderdorp
Katwyk
Noordwyk
Wassenaar
Scheveling
Hage
Rijswyk
Delft
Schiedam
Vlaardingen
Maasland
Maasslays
Brielle
Helvoetsluys
Goeree
Ouddorp
Brouwershaven
Schouwen
Zierikzee
Tholen
Bergen op Zoom
Roosendaal
Breda
Oosterhout
Geertruydenberg
Heusden
Bommel
Gorcum
Schoonhoven
Gouda
Woerden
Alphen
Leyderdorp
Katwyk
Noordwyk
Wassenaar
Scheveling
Hage
Rijswyk
Delft
Schiedam
Vlaardingen
Maasland
Maasslays
Brielle
Helvoetsluys
Goeree
Ouddorp
Brouwershaven
Schouwen
Zierikzee
Tholen
Bergen op Zoom
Roosendaal
Breda
Oosterhout

Digitized by

Digitized by Google



Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by


GIÆ FINES
Exudit
ALSATIA
INFERIOR.
Scala milliaria
Saverk
Saarburg
Albrof
Lixheim
Hasslach
Marsburg
Lutzelstein
Rudlingen
Ulsselheim
Lemburg
Lutzelburg
Pfalzburg
Zabern
Buchsweiler
Ingweiler
Hochfelden
Brumpt
Dachstein
Truchtersheim
Molsheim
Rosheim
Schlettstatt
Barr
Obernay
Andlau
Kestenholtz
Marckolsheim
Benfeld
Erstein
Illkirch
Illkirch
Schiltigheim
Strasburg
Wasselnheim
Saverne
Dettwiller
Steinburg
Ebersheim
Dorlisheim
Wangen
Molsheim
Rosheim
Obernay
Andlau
Kestenholtz
Marckolsheim
Benfeld
Erstein
Illkirch
Illkirch
Schiltigheim
Strasburg
Wasselnheim
Saverne
Dettwiller
Steinburg
Ebersheim
Dorlisheim
Wangen
P A L A T I N A T U S
P A R S.

NOVA ET ACCVRATA
MEDIOLANI, GENVÆ, MAN
PRINCIPATVU
GERMAN
HELVETIÆ PARS
Rhetic
Alpi
Geneve
PARTE DI FRANCE
PROVINCIÆ PARS.
BAV
DIA
Milano
Genova
Como
Bergamo
Alessandria
Argentara
Nizza
MARE LIGUSTICVM.
MARE DI SARDEGNA.
INS. CORSIC.



Digitized by Google

Digitized by

Digitized by Google

SEDUNVM.

A. Das Schloß Turbillon.
B. S. Catharinæ kirch, vnd Schloß Valeria.
C. Das Schloß der Majorey vnd Bischoffliche Residentz.
D. Die Vogtey.
E. Das Rahthaus.
F. Alte Bischoffliche Sitz.
G. Vnſ. L. Frawen Hauptkirch.
H. S. Theodori
I. Zu Allerheigen
K. S. Peter

Sitten.

H Dreifaltigkeit ulz rüiniert.
Die Schul
Schutzen laüben
O. Capucíner Closter.
P. Der Spital.
Q Leuiker thor.
R. Samiesy thor.
S. Gundis thor
T. Rhodan thor.
V. Das Kleine thor.
W. Der Hunds thürn.

A. Der Hof zu Chur B. Das Schloß C. Die Bischoffliche Domkirch. D. S. Lucia E. S. Mart
I. S. Regula Pfarrkirch. K. Plesur fluß. L. Der Rhein fluß. M. Schloß Halde

Chur.

Pfarrekirch. F. Prediger Closter. G. Das Rahthauß. H. Das Kauffhauß

A. Capuciner Closter. B. Heilig Creutz. C. Ruß bruck vnd mühle. D. Pappyr mühl. E. P
K. der platz thurn. L. Hermans thürn. M. der Spital.

TEN.

kirch. F. Schweſter hauſ. G. Beinhauß H. Closters Muri hoff. I. Ober thor.

Digitized by Google


Baden
Kleine Baden
Grosse Baden
Limat fluu.

rgow.
1 Vnsee Frawen Stifft
2 Capucaner Closter
3 S Nicolaus
4 H Decij Konig.
5 S Verena.
6 das Eydgnoßich Rahthauß
7 das Alt Schloß.
8 das Neuw Schloß.
9 der Heiße Stein dabei die quelle der warmē Bädee.
10 Ein warme quell im Fluß
11 Closter Wettingen.
DEAE ISIDI TEMPLVM A SOLO
L·ANNVSIVS MAGIANVS
DE SVO POSVIT VIR AQVENSIS
AD CVIVS EMPLI ORNAMENTA
ALPINIA ALPINVLA CONIVNX
ET PEREGRINA FIL·&C. DEDE
RVNT L·M D·D· VICANORVM.

Digitized by Google

1. Promnik.
2. S. Valentin
3. S. Philippi Iacobi
4. S. Simon Iudæ.
7. Königl. Lusthauss.
8. S. Petri
9. Aula Episcopi
11. S. Maria in arena
5. S. Floriani
6. Praetorium.
11. Porta S. Floriani
12 Porte Sacrum.
13 S. Spiritus
14 S. Crucis.
15. S. Marci.
16 Habitat Iesuitarum
17 S. Stephani.
18. Beat Maria Virginis.
19. Habitat Episcopi
02 Praetorium
21. Porta S
22 S.S. Tri
23 Om. Sa
24 S. Ann

Digitized by Goo

OVIA.

25. S. Francisci.	29. Curia Pontificis.	33. Templ. Bernhardinorū.	37 Ogrd Iudeorū.	41. S. Catharina.	46. Porta		
26. Templum Iesuitarum.	30. Palatia Regia.	34. S. Hedvigis.	38 S. Laurentij.	42 S Leonardi	Szardinae.		
27. S. Andreæ.	31. S Stanislai	35. S. Agneta.	39 T. Corp. Christi	43. Ruptæ S. Stanislai			
28. S. Martinus.	32. S. Michaelis.	36. Porta Vistulæ.	40. Praetorium.	44. S. Iacobi.	45. S. Bernardi		

Digitized by Google

A Der Hafe
B die Capelle
C die groſſe Strand pforte
D S. Olai Pfarrekirch
E Cloſter zum Suſtern
F Rahthauſe
G Kirch zum Heilgen Geiſt
H S. Nicolai Pfarrekirch
I Suſter pforte
K der Thumb
L das Schloß

REVALIA.



NERVA.

Digitized by



Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Go



Digitized by Google

Digitized by

Digitized by Google

THORVNIVM.
A Templum S. Iohannis.
B. Templ. S. Mariæ Gymnasii
C. T. S. Iacobi.
D. Monasteriū Franciscanorū.
E. Monast. S. Spiritus.
F. T. S. Laurentij
G. Domus Senatorū Veteris Vrbis
H. Domus Senator. Civitatis Nouæ
I. Monetaria vastata.
K. Locus Molendinorum.
L. Porta Carceris.
M. Porta S. Catharinæ
N. Porta Culmensis.
O. Domus Decanorum.
P. Ad Thorunij [illegible]
Q. Hales [illegible]
R. Begrabnus
S. Sigler [illegible]
T. Sibigi port
V. Ad S. Sibigi
VISTVLA

Thoren.
Das Hohe Landt.
Salpeter gräben
M
H
V
I
K
T
Pons
FLUVIVS

Digitized by

Digitized by Google

WRATISL
Mauſeteich
1. S. Elisabetha.
2. S. Barbara.
3. Rathhauſe.
4. S. Maria Magdalena.
5. S. Dorothea.
6. Heil: Leichnam.
7. S. Hieronimus.
8. S. Chriſtophorus.
9. S. Albrecht.
10. S. Bernhardin.
11. S. Clemens.
12. Zum Heil: Geiſt.
13. S. Vincentius.
14. S. Clara.
15. S. Matthias.
16. S. Agnes.
17. Kayſerlich Burg.
18. Der Sandt.
19. Der Dom.
20. S. Johannis.


VIA. Breßlaw.
ODER
FLVIS
old flus
21. Heilig Creutz.
22. S. Petri und Pauli.
23. S. Martinus.
24. S. Maria.
25. S. Anna.
26. Ed. 1000 Jungfrauen.
27. Zeughauß.
28. New Thor.
29. S. Catharina.
30. Elbing.
31. Niclaus thor.
32. Schweidnitzer thor.
33. Taschen thor.
34. Ohlauer thor.
35. Ziegel thor.
36. S. Maria thor.
37. New thor.
38. Mühl thor.

Digitized by

Digitized by Google


FRANCOFVRTUM ad Viadrum.
Viadrus flu.
A. Die Pfarrkirch.
B. Rhathauß.
C. S. Nicolay.
D. Minoriten Cl.
E. S. Georgy.
F. Carthüs. Cl.
G. S. Gertraut
H. Leubßisch thor.
I. Gubenisch thor.
K. Brucken thor.


Franckfurt an der Oder.

Digitized by

Digitized by Google

KONI



Digitized by

NGSBERGA

Digitized by Google

Digitized by

Digitized by Google

Wahre Contrafactur der Statt Elbing wie dieſelbe von K



Verzeichnüß der vornehmſten gebäwe diſer Statt. A. die Pfahrkirch. B. Münch
F. das Marckenthor. G. Schmiedtthor. H. Burgthor. I. Brückenthor. K.
O. S. Jacobs Kirchhofe. Q. Schülgarten vnd das Collegium. R.

nigl: Maÿ: zu Schweden ꝛc. befestiget worden. Anno 1626.



...irch. C. Hospital kirch. D. Newstätter kirch. E. Altstattisch Rahthause.
...cherthor. L. Die Wage. M. Hospital. N. Newstätter Rahthause.
...atthofe. F. der Zimmerhofe.

M. Merian Fec.

Digitized by

Digitized by Google

A. H. Lichnams thor.
B. S. Elisabet Hospital.
C. S. Jacobs thor
D. Weisse Mönchen.
E. S Bartolomeus.
F. Alt Stattlich Rathaus.
G. Die grosse Mitten.
H. S. Catharina
I Graye Nonen Cloister
K. Hoche thor.
L. Zeughaise.
M Gefangen thurn

)ANTISCVM.

Dantzig.



Schwartze Mawben	*Q. S. Johannes*	*T Ko Artus Hof*	*Y. S. Barbara Hospital*
Fauler Schießgarten	*R. S. Maria*	*V. Ko. Ma. Logument*	*Z. Gimnasium zur H. Dreifaltigkeit*
H Geist Hospital	*S Recht Sta Rathaus*	*X. H. Roggen Haus.*	*+. S. Petrus.*

Digitized by Google

STETINU



A. Fürſtlich Hauſs.
B. S. Maria.
C. S. Jacob Pfr.
D. Rathauſe.
E. Barfüſſer Cloſter.
F. S. Nicolaus.
G. Korn und Fütter haus.
H. S. Peter Pauls.
I. Fürſt. Garten.
K. Mühlen thor.
L. Prawe thor.
M. Paſtowſche thor.
N. H.
O. S.
P. S.

Digitized by Goo

M.



...eul thor. ...cörgy. ...erbraut.

Q. Dam. R. Stargart. S. Lubbezin. T. Heuckendorff. V. Podejuch. X. Klebou. Y. Greiffenhagen. Z. Garte. ♣. Kurou. ♭. Cluſtou.

Digitized by Google

Digitized by

Digitized by Google



Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google

WIS
S Nicolaus
Gran Closter
Spaer huisen

A Porta D Petri
B Templum D. Fabri
C D Catharinæ
D Collegium jurisconsultorum
E D Nicolai
I Curia
G D Mariæ
H S Iohannis
I Porta lapidea
K S Spiritus
ROSTOCK
VARNVS

MARIA.



IIVM.

M Auditorium magnum.
N Collegium Philosophicum
O S Iacobi
P. S. Crucis.
Q Porta Krocpelmensis
R Porta Brambergensis
S Mons Calvariæ

Digitized by Google

Digitized by Google

MARIS BALTHICI PARS
Die Oſt
Inſulæ Rugiæ pars.
See.
Knipes Teich
Hoſpitaler Teich

STRALSVNDIA.

Digitized by

Digitized by Google

CHILONIVM.

VISBIA

Kyel.



Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google

GEN.

F. Crucem. K. Teutsche Spital. M. Die Alte Kirch. Vrbis Carcer. O. Des Bischoffs garte.
hül. L. Der Statt Spital. N. Ein garten daich. P. Da Wartē, Ventorum index.

Digitized by Google

HAFNIA METROPOLIS ET
COPPEN
1 Das Königliche Schloss · 2 Vnsre Lieben Frawen 3 S Peter 4 Heilig Geist

ORTVS CELEBERRIMVS DANIÆ.

HAGEN

b. 5 S. Nicolai Kirch 6 Die Insul Axelhues darauf das Kon. Zeughauß.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Goog

Digitized by Google

Digitized by

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by

Digitized by Google

A. S. Ludgaris Closter.
B. Ostendendorff.
C. Magdenburgisch thor.
D. Rudera Ædium Mynsingerianarū.
E. S. Stephani Kirche.
F. Der Huy
G. Closter Huysberch.
H. Der Heickendahl.
I. Sehedorffer thor
K. Rahthaus.
L. Doct Granefor
M Rudera Cœnob

Saxoniæ ciuitas etc.
Mons Bructerus
Q
N. Mauren thürne
O. Collegium
P. S. Walburgis
Q. Brunschwigisch thor.
R. Schömming kirch u. Schloß
S. Gutgens hoff.
T. Der Newe Marckt.
V. Vns lieb Frawen berg
W. Sepulchra Giganten Cornelij berg
X. S. Anna Rudera.
Y. Der Elst wald.
Z. Der Elbm
+ S. Laurentij Closter.

Digitized by Google

Digitized by Google

Die Statt vnd Veſtu
Spre

Ratte
Hauel

ng Spandaw.



Digitized by Google

Digitized by Google


HAMELA.
Visurgis flu.



Digitized by Google

Digitized by Google

HILDESIA.



1. Der Thumb.
2. S. Andreas.
3. S. Iacob.
4. S. Georg.
5. H. Creutz.
6. S. Lambert.
7. S. Michael Clost. v. Pfarr.
8. S. Gothardt Closter.
9. S. Catharina.
10. S. Paul Domin. Clost.
11. S. Martini.
13. Rahthauß in der Alt Statt.
14. Rathauß in der Newstatt.
15. Braunschweiger thor.
16. Goßke thor.
17. das lang gewölb.
18. Damm thor.
19. Hagen thor.
20. Almscher.
21. Oster thor.
22. Eßels dreck thor.

Hildesheim.



Digitized by

Digitized by Google

DVDE

PADER

STATT.



ORN.

Digitized by Google

APPENZELL.
Der hochh
Alp Ter
Sitter fluß



Digitized by Google


BRANDE
Königsberg
FRIS


ENBVRGA
H
HAFF

Digitized by Google

Digitized by Google

1. Der Gueteler.
2. S. Aegidien thor.
3. S. Egidij.
4. S. Michaels thor.
5. S. Michaelis.
6. S. Mariæ.
7. S. Johannis.
8. S. Jacobi.
9. S. Magni thor.
10. S. Martini.
11. S. Magnus.
12. Hechte thor.
13. S. Bartholomæi.
14. Zu den Brüdern.
15. Domb Kirch.
16. Stam thor.
17. Paulliner Closter.
18. S. Peters thor.
19. S. Petri.
20. S. Catharina.
21. Wallerslebisch thor.
22. S. Andreas.
23. Newstatter thor.
24. Wende thor.
25. Capelle.
26. Ocker fluss.



1. Der Domb S. Mauritz.
2. Sudenburger thor.
3. Suchenhoff.
4. Rathauss.
5. S. Elisabetha.
6. S. Michaels.
7. S. Sebastians.
8. Bischoff. hoff. S. Gangolff.
9. S. Pauli.
10. S. Nicolai.
11. Unser lieben Frawen.
12. S. Anna.
13. Hol Geist.
14. S. Vlrich.
15. Vlrichs thor.
16. S. Gertrut.
17. Rathauss.
18. S. Johannis.
19. Barfüsser Schul.
20. S. Maria Magdalena.
21. Hubnen thurn.
22. Schartzer thor.
23. S. Catharina.
24. S. Peter.
25. Pulferhoff.
26. Kalckhauss.

Südenburg.

BRUNSVICA.

Braunſchweig.



MAGDEBVRGVM *in ſtore.*



Digitized by Google


LVNA
1. S. Io
2. S. L
3. S. A
4. Lich
5. Das
6. Her
7. S. N
8. Hil
9. S

URGVM.



...es	10. De Sult.	19. S. Gertrut.
...bert.	11. Die Niwe Sult.	20. Elmuow.
...vael.	12. Der Kalckberg.	21. De Kunſt.
...wen Kirch.	13. Dat Niew thor.	22. Fiſchmarckt.
...ht hauſe.	14. Burdewicker thor.	23. Warhorch.
...en Häuſe.	15. Lüner thor.	24. S. Tonis.
...laus.	16. Oldebrucker thor.	25. De Holt Hude.
...thal.	17. Rothe thor.	26. Op dat Sant.
...racus.	18. Sult thor.	27. Baw hoff.

Digitized by Google

BREMA.

1. S. Stephani Kirch
2. S. Stephans thor.
3. das Doue thor
4. das Newe kornhaus.
5. S. Niclas kirch
6. Wassenhauss
7. S. Iacobi kirch.
8. S. Anschary kirch.
9. S. Anschar thor
10. das Hardenthor.
11. Zeno haus
12. U. L. Frawen kirch.
13. die Beurse
14. Rahthauss.
15. der Marckt
16. der Schütting
17. S. Martins kirch
18. das Wasser Rath.
19. Castell die Braut
20. der Baw hoff.
21. der Dom
22. S. Willehadi kirch
23. S. Iohans Closter.
24. Osterthor.
25. das Stein thor
26. Remberti kirch
27. Newe kirch.
28. Studen thor
29. Walter thor
30. Marckt in der Newē Statt.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by



Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google


Gras Broick
DER
ALSTER

HAMBVRGVM.
DIE ELBE
FLVV.
1 Pferdt marckt.
2 Opn berge
3 S. Peter.
4 Der Domb.
5 S. Iacob.
6 S. Gertraud
7 Fisch marckt.
8 S. Catharina.
9 Alte Gran.
10 Die Beurs
11 S. Nicolaus.
12 Hopse marckt
13 Der Newe Gran
14 Heilig Geyst.
15 Bullestal
16 S Maria Magdalena
17 S. Johann
18 Weisenhause.
19 Rathause.
20 Zuchthause.
21 Mosberg.
22 Winser baum
23 Stein thor.
24 Keerweder.
25 Reiche Freyt.
26 Engelshaus
27 Neue Marckt.
28 Schiffbawerbrue
29 Newe Brück
30 Hein Brurk
31 Im Grim
32 S. Catharinen

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google


MVLHUSIVM.
1. S. Nicolaus
2. S. Iacobus.
3. Holsteinisch thor
4. Beata Virgo
5. S. Barbara.
6. S. Blasius
7. Barfüsser
8. Alle Heiligen.
9. Prediger.
10. S. Georgen
11. Walsch thor
12. S. Kilian.
13. Newe pforte
14. S. Martin
15. Erfurtisch thor.

GOSLARIA.
Klockenberg
1. Breve thor
2. S. Stephani kirch.
3. Newe zwinger.
4. S. Iacobi kirch.
5. S. Cosmi kirch
6. Newe wercks Closter
7. S. Thomæ kirch.
8. Munster kirch.
9. S. Otilien thurn.
10. Alte Keysers haus.
11. Thurn auff S. Vits thor
12. Vnſ Lieb Frawen kirch

Digitized

Mühlhausen, In Thüringen



Goßlar.

13. New Iesuiter Collegium.
14. S. Nicolai kirch und thor.
15. das Brudern kirch.
16. Franckenbergisch Closter sonst S. Petri und Pauli.
17. Rauschen thor
18. Bley hoffe.
19. Schützen hauße.
20. Steinberge.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Göttingen.

Digitized by Google

Digitized by Google


BRITANNICVS OCEANVS
Brabant
Limburg
Lutzenburg
Geldren
Flanders
OCEANVS
Walcheren
Middelburg
Zuyt
Vlandt
Antwerpen
Kempen
Liege
Namur
Brussel
Gent
Brugge
Arras
Lille
Douay
Tournay
Valenciens
Mons
Luxemburg
Trier
Metz
COPATVS. Colñ


Hannonia. Hollandt. Zeelandt. Namur. Zutphen. March S Imp. Friesland. Vtrecht. Mechlen. Transsiul. Groningen.
ERMANICVS.
Noort
See,
BELGII
sive
GERMANIA
INFERIORIS
Nider-Teütschlandt.
Schouwen
Texel
Vholandt
Vlie
Der Schelling
Amelandt
ZUYDER
ZEE.
Drente.
Pars Comit.
Oldenburgensis.
Milliaria Germanica communia

Digitized by Google

Digitized by Google

COLONIA
FLVVIVS
RHENVS

AGRIPPINA.

olln.

Digitized by Google



Digitized by

Digitized by Google

Digitized by

Digitized by Google


LA

ROCHELLE.


Fauxbourg
S. Eloy
La Ville
18
Neufue.
19
20
Cent Toise
1 Porte des Moulins
2 Porte Neufue
3 Porte de Cigogne
4 Porte S. Nicolas
5 Porte Maubec
6 Tour du Four
7 Tour de la Chaine
8 Tour S. Nicolas
9 Corps de Garde
10 La Cour
11 Le Magazin
12 La Maison de Ville
13 Le vieux Temple
14 Le Temple neuf
15 Les deux Chaloupes
16 S. Marguerite
17 Le College
18 Place d'Armes
19 Nouveau Canal
20 Mur nouvellement fait
21 L'Eglise
22 Entrée du Havre
23 Le Havre
24 Porte de mer
25 L'Arsenal
26 S. Barthelemy
27 L'Eueſché
28 Tour du Garnot
29 Tour des Merueilles
30 Tour du Chaſteau
31 Fauxbourg de Colombier.

Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google

MARIS
BRITANNICI
PARS

Digitized by Google



Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by

Digitized by Google

Digitized by Google

YSSELIA.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Go

NT.

todart.
gcin.

Digitized by Google

Digitized by Google


LIPPE
Suder Port
H
Der Markt
Lippe
Lippe Port
Moras



Digitized by Google

Digitized by Google

WARBUR

HAMMONA. Hamm.

GVM.

Digitized by

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

1. Castrū S. Petri et Resid. Episc. 3 Hospitale. 5 T. S. Ignatij. 7. Acad. Iardina. 9. S. Francisci.
2. Porta S Iohannis. 4. S. Iohannis par. 6 Coll. Soc. Iesu 8. S. Catharinæ par. 10. S. Clarę mm.

1. Porta D. Iacobi
2. Porta de Nottan.
3. S. Pauli par.
4. Prædicatores.
5. Hospital Virg.
6. S. Petri.
7. S. Georgij Par.
8. Das Münster.
9. S. Walbur
10. D. Virginis



Dom. Senatoria. 13. T. Cath. S. Petri. 15. S. Iacobi 17. Mon. Dominici. 19. Monast. S. Gerudis Ord. S. Bened.
B. Virginis par. 14. T. S. Pauli 16. T. S. Vit. 18. Porta Hasa. 20. Herndicks port.



pratis par. 11. D. Virginis in altis par. 13. S. Thomæ par. 15. Porta der Grandweg.
12. ad Minores. 14. Porta Orientalis. 16. Porta Mallerich.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

MONA
S
O
O
M

ASTERIVM.

Mvnster.

1. Der Thumb.
2. S. Iacobi Pfarr.
3. S. Nicolai.
4. S. Michaely.
5. S. Margaretha.
6. Iesuiter Collegium.
7. S. Ægydy Pfarr.
8. Der Frater hauß.
9. S. Georgy.
10. Hospital.
11. S. Ludgeri.
12. Clarissen Closter.
13. Ringen Closter.
14. Nicing Closter.
15. S. Servatii.
16. S. Lamberti Pfarr.
17. S. Martiny Pfarr.
18. Minoriten Closter.
19. S. Iohannis.
20. Barfüeßer Closter.
21. Capuciner Closter.
22. Vnser lieb Frawen kirch.
23. Rosenthal Closter.
24. Reine Closter.
25. Vnser frawen port.
26. Iudenfelder port.
27. Creutz port.
28. Nienbrucken port.
29. Hoxter port.
30. Mauritiy port.
31. Seruatiy port.
32. Ludgeri port.
33. Ægydy port.
34. der Marckt.
35. Hofringen Closter.
36. Statt Keller.

Digitized by Google

EMDA.


A de Groote Kerck
B des G. Cortael
C Het Raath huis
D t Gast huis
E de Waegh
F de Kraen
G de Cattes pt
H t Schmarckt
I de Blau Torn
K het Nauw Raathhuis
L De ...
M de Nieu holte poort
N de Nauwe N. poort
O de Nauwe Nieu de poort
P de Hoven poort
Q de Nieu de. poo
R Nieu poort
S de Bolten poort
T de Veldtre mouw
AMASUS FLUVIUS.


Die
Eems

Digitized by Google


GRONIN
1 S Martins Kirch.
2 S Walburgis
3 Vnſ lieb Frawe Kirch
4 Franciſcaner
5 Iuffrowen Closter
6 Iacobiner
7. S. Clara Closter.
8. Zun Brudern
9 Rahthauſe
10 Heylig Geiſt Gaſthauſ
11. S. Gertruten Gaſthauſ
12 S Iacobs Gaſthauſ
13 S. Anthonis Gaſthauſ
14 Ooſter port
15. Heere port.
16. Therahaa port
17 Craen port
18 Alte Bottering port.
19. Nowe Bottering port.
20. Alte Ebbinge port.
21. Newe Ebbinge port.
22 Poel port.
23. Steentil port.
Riet diep
16
17
18
19
20
21


GA.

Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google


VERA.
ZUYDER SEE.


HINDELOPIA.

Digitized by Google

Digitized by Google


Rhein
1. Newe Statt. 2. Frawē kirche.
3. Gulthaus. 4. Gefangē haus.
5. Vniuersitet. 6. S. Peters Kirch.
7. Rahthaus. 8. Hochlandische
kirch. 9. Weinhaus.
10. Die Brucht.



by Google

Digitized by Google



Digitized by Google


ERLEMA
1 S Ians Heeren 2 Begijn hof.
3 Waech. 4 Kraen
5 Groote kerck 6 Klock huys
7 Vis markt 8 Vlaes hal.
9 Martinde 10 Stadt huys
11 Gefangen huys
12 Weeshuys 13 Brauen hof
14 D 15 te mart.
15 S Anne kerck

Digitized by

Digitized by Google

ENCKHUYSEN.
De Zuyder Zee.
1. Buyst Hauen.
2. d'Ste marckt.
3. Admiraliteyt.
4. t'Giet huys
5. S. Pancraes kerk.
6. t'Stalt huys.
7. Stats herberg.
8. t'Hooft.
9. S. Gömmers kerk.
10. t'Suyder clooster.
11. Beruoeten clooster.
12. Monicken clooster.

Digitized by Google


Aemstela fluuius.
T Y A
AMSTE


FLUVIUS
AM.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

CVM.



RGVM.

Digitized by Google

Digitized by Google

TRAIECTUM AD MOSAM.
1 S. Servaes-kirch
2 S. Johannes
3 Creutz Herren
4 Die Halle
5 Holtzmarckt
6 S. Peters port
7 Lenckel port
8 Wyckerwaert port
9 Tonger port
10 Maestricht port
11 Apffhuys aen de Mase
aen de Bolwerck
12 S. Martins port
13 Hoochbrugh port
14 Grendt
15 De Cubernaers
Cabbaij
16 Sint Pieters
kerck


AESTRICHT.
WYCK.
MOSA
FLUVIUS

Digitized by Google

ROTTERDAM.

1. t' Stat Huys.
2. S. Laurens Kerck.
3. Hooch Straat.
4. Het Spuye
5. t Beshuys of Eng Kerck.
6. De Oost Poort.
7. Sluys.
8. t' Peste Huys.
9. Staden Timmerhof.
10. Die Beurs.
11. Hooft Poort.
12. Oude Hooft.
13. Wester Hoft.
14. Oost Indisch huys.
15. Blauwe Toorn.
16. Vis Mart.
17. Den Coperen Erasmus.
18. Koolsewag Poort.
19. Delfsche Poort.
20. t'Hoff Poorthien.




DE ROTTE

Digitized by Google


MIDDELB=



Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google


Do
Swyndrecht
DE MAES
Pedes Geometrici
240 480 720 960


BRIEL



Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google


ROERMONDE.
MOSA FLV.
Roer flu.
1. Brug poort.
2. Maes poort.
3. Porte de S. Ian.
4. De Meurtons poort.
5. De Nieuw poort.
6. De Swrtebroeck poort.
7. De Esels poort.
8. New Retrenchement.


VENLO.
MOSA
FLV.
1. Tichel poort.
2. Mac' poort.
3. Hedpoort.
4. De Lai poort.

Digitized by Google

Digitized by Google

ZIRIC

THIELA.

ZÆA.

TIEL.

Digitized by Google


NEOMAGVM.
Nümmegen.
WAEL
H
G
F
E

UIVS



A. *S. Stephans kirch.*
B *Die Schoel.*
C. *Der Wallick hoff*
D. *Die Veer port.*
E. *Die Graen port.*
F *Klein pörtlein.*
G. *Die Mey port.*
H *Die Boddel port*

Digitized by Google


TRAIECTVM.

Dom.
Salvator.
Peters Collegium.
Salem.
Jeronimus.
Johañ Collegium.
7. Die Minoriten
8. Wey de Frawen Closter
9. Sicilien Closter
10. S. Iacob
11. Die Buer Kirch
12. S. Maria Collegium
13. Deutsche hauss.
14. S. Catherine.
15. S. Brigida Closter.
16. S. Magdalena
17. S. Servas Ab
18. S. Anna.
19. S. Agnes
20. S. Claes Kirch.
21. S. Claes Clost
22. S. Gerren Kirch
23. Dutalk port.
24. Catharine port.
25. Wer port.
26. Wey de frawen port.

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google


AMPEN.
FLV.
1 Die groſſe Kirch
2 S Brigaten Cloſter
3 du Selle brudere
4 S Agneten Cloſter
5 S Catharinen Gotshaus
6 Minoriter
7 Hoge Gericht
8 Weltlich Frauen Cloſter
9 Rathhaus
10 Vyer Thurnen Raedt
11 Den Haghen
12 du Haghe port
13 Die Veſt port
14 die Vlaemen poort
15 die kleine poort
16 die Schlaer poort
17 die Reinerbeen port
18 Tor ...
19 die K... poort
20 die S...

Digitized by Google

Digitized by Google

HASSELT.

VOLLA.



Digitized by Google


ZVTP
YSEL
FLV.


HA
NIA.
1 Vyser Frouwen Kerck
2 T'Raet huys
3 T Wys huys
4 T Grauen huys
5 T Spitael
6 T Meers huys.
7 T Rondeel.
8 Dyser toren.
9 T'Heermit huys.
10 De Prekeeren.
11 De Nieuwe Stadt kerck.
12 De Nieuwe Stadt poort
13 Meers poort
14 Spitael poort
15 Fisch poort

Digitized by Google





Digitized by Google

Emmerich.
Fluuius.

Wesel.
Fluuius

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google